DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

OPERA OMNIA

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISCOPI CARDINALIS

OPERA OMNIA

IUSSU ET AUCTORITATE

R.MI P. BERNARDINI A PORTU ROMATINO

TOTIUS ORDINIS MINORUM S. P. FRANCISCI

MINISTRI GENERALIS

EDITA

STUDIO ET CURA PP. COLLEGII A S. BONAVENTURA

AD PLURIMOS CODICES MSS. EMENDATA

ANECDOTIS AUCTA PROLEGOMENIS SCHOLIIS NOTISQUE ILLUSTRATA

TOMUS IV.

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

PROPE FLORENTIAM

EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXIX

DOCTORIS SERAPHICI

S. BONAVENTURAE

S. R. E. EPISC. CARD.

COMMENTARIA

IN QUATUOR LIBROS SENTENTIARUM

MAGISTRI PETRI LOMBARDI

TOMUS IV.

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)
PROPE FLORENTIAM
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE

MDCCCLXXXIX

PROLEGOMENA
AD QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Quarto hoc editionis nostrae volumine ope divina ad finem feliciter perducto, insignis Seraphici Doctoris Commentarius, simul cum ipsis libris Sententiarum Petri Lombardi, a deformitatibus innumerabilibus purgatus multisque subsidiis illustratus tandem integer in lucem prodit. Quod igitur anno 1882 in praefatione generali (tom. I. pag. XXXVII) enuntiavimus, consilium nostrum esse, hunc Commentarium, qui miram et salutarem S. Doctoris doctrinam prae ceteris eius operibus uberius, distinctius et in forma scholastica exponit, speciali studio operaque explicare et illustrare; hoc, unitis viribus, et opitulante virtute ex alto, pro modulo nostro ad effectum perduximus. Nec pepercimus labori, ut utilitati consulatur eorum qui doctrinae tanti Doctoris studere incipiunt. Hoc igitur posito fundamento, simul apertus est aditus ad alia eiusdem Sancti opera facile intelligenda vel explicanda, cum occurrentibus difficultatibus plerumque sufficiat lectorem relegare ad locos huius Commentarii, qui de eadem re tractant.

Cum autem quatuor libri huius Commentarii quoddam doctrinae corpus integrum forment, consentaneum est, ut haec volumina separatim ab iis possint acquiri, qui integram omnium operum collectionem nolunt sibi comparare. Unde speciales indices plures et copiosos paramus, totum Commentarium comprehendentes, quos separato tomo minoris molis reservavimus, tum ut expeditior fiat eorum usus, tum ne Commentarii volumina nimis excrescant. Ipsa huius ingentis operis indoles ea est, ut sine locuplete indice plurima egregiae doctrinae documenta, per omnes eius partes abundanter sparsa et quasi abscondita, vix magno laboris et temporis dispendio inveniri possint. Haec observatio imprimis spectat ad doctrinas philosophicas, obiter quidem, sed magna ubertate passim admixtas, ita ut fere integer cursus philosophicus satis amplus ex solo hoc opere colligi possit. Hoc iam praestiterunt prae aliis duo Patres Ord. Min. Cap., uterque tribus tomis in 4°. Primo quidem P. Marc. Antonius Gallitius Romae an. 1635 edidit librum inscriptum: *Summa totius philosophiae Aristotelicae ad mentem S. Bonaventurae.* Post eum P. Barth. de Barberiis Lugduni 1677 publicavit: *Flores et fructus philosophici ex Seraphico paradiso excerpti, seu Cursus philosophici ad mentem S. Bonaventurae;* hoc opus aliis non parum antecellit. — Opportunum igitur visum est, ut specialis de definitionibus, distinctionibus et effatis philosophicis index, ordine alphabetico dispositus, aliis consuetis adiungatur; qui quidem maxima ex parte iam absolutus est.

Maiorem partem huius quarti libri implet tractatus integer de Sacramentis (scilicet a d. 1. usque ad d. 42.), quem excipit doctrina de Novissimis. Quoad res sacramentales, exceptis tribus ultimis Sacramentis, S. Doctor ante oculos habuit Summam sui magistri Alexandri Halensis, qui in huius parte IV. de illa materia pergrandem tomum in folio compilavit, sed morte praeventus, non nisi quatuor prima Sacramenta absolvere potuit. In isto tractatu tot quaestiones de hac re positae et solutae sunt, tantaque copia argumentorum congesta, ut sub hoc respectu scripta de Sacramentis a S. Bonaventura aliisque subsequentibus Scholasticis, ad istam Summam comparata, quasi formam cuiusdam compendii prae se ferant. Non raro enim Alexander integras quaestiones cum copiosis argumentis exhibet, quae ab aliis vix paucis verbis in solutionibus oppositorum tanguntur. Hoc tamen non ita intelligi volumus, quasi subsequentibus magistris meritum proprium detrahere et verum quendam progressum denegare vellemus, cum ab eis, et etiam a S. Bonaventura, pauca quidem Alexandri asserta sint correcta, plura vero accuratius determinata et solidius probata. Si igitur hic Commentarius nostri Doctoris confertur cum praedicta Summa, manifeste apparet, praecipue quoad hunc IV. librum verum esse, quod ipse dicit in Praelocutione ad II. librum Sententiarum: « Quemadmodum in primo libro sententiis adhaesi et communibus opinionibus magistrorum, et potissime magistri et patris nostri bonae memoriae fratris Alexandri; sic in consequentibus libris ab eorum vestigiis non recedam ». Re vera multoties doctrinam eiusdem brevius contrahit, immo interdum plures propositiones eisdem verbis repetit. Unde nos non raro in locis obscurioribus vel depravatis ista Summa uti potuimus ad textum huius quarti libri vel securius emendandum, vel clarius explicandum.

Cum autem etiam in hoc volumine adornando eandem quam in praecedentibus viam rationemque secuti simus, nihil fere adiiciendum est observationibus, quae in aliis nostris Prolegomenis positae sunt. Maiorem tamen operam laboremque ad hoc volumen emendandum impendere oportuit quam quoad tria prima. Nam hucusque in omnibus editionibus hic liber passim ita corrupte impressus exhibebatur, ut sensus auctoris saepe non tantum obscuritate involveretur, sed etiam foedis erroribus macularetur. Accedit, quod ipsi codices 28 et editio princeps, a nobis collati, singulari modo abundant varietate lectionum nec non numero vitiorum. Lectiones variantes inde colle-

ctas notavimus ultra *quadraginta millia*, quae non raro mira sua varietate et discrepantia mentem confundebant. Maiorem partem earum in notis commemorare supersedendum esse duximus, quia vel res prorsus *minutas* (ut verborum positionem, et particulas eiusdem sensus) respiciebant, vel penitus improbabiles erant. Praeter has res minimas occurrebant pedetentim dissidia codicum maioris momenti, immo interdum unius vocabuli ultra quinque immutationes, quibus modus antiquus cum notis compendiariis scribendi vulgo occasionem dedit. Nam cum in ista scriptura multae litterae omittantur, ignorantia et incuria librariorum facile transit a termino non ita vulgari ad alium terminum valde diversum, qui iterum similibus vicissitudinibus, vel ineptae correctioni exponitur. Habita huius transformationis ratione, interdum primitivum vocabulum ex ipsa varietate verborum probabiliter colligi potest.

Quae autem proprie fuerint causae tantae huius libri corruptionis, non certo determinare possumus. Dici tamen vere potest, auctorem hic magis quam alibi restrinxisse dictionem brevitatique valde studuisse, fortasse ne magna copia dicendorum nimium augeret molem voluminis. Brevitas autem dicendi auget obscuritatem; cui ut provideretur, passim in multis codicibus a posteriore manu vel aliquod verbum, vel integra glossa adiecta est, quod fere in omni pagina pluries observare potuimus. Haec, si erant alicuius momenti, fere semper in notas ad calcem, sed non in textum recepimus, quamvis claritas orationis hoc additamento augeretur. Nostrum enim est lectionem genuinam restituere, non ad modum nostrum transformare. Quaedam etiam locutiones duriusculae, auctori nostro familiares a nonnullis codicibus passim eliminatae sunt. Ita in argumentis, cum *maior* incipit a coniunctione *si*, saepe *minor* continuat per *sed* (quod correctores mutant in *si*); in locutione *non tantum... sed etiam* auctor saepe omittit *etiam;* denique utitur *si* cum coniunctivo pro *etsi.* — Innumerabiles autem locos prorsus corruptos corrigere potuimus auctoritate antiquiorum codicum in lectione convenientium. Codices enim saeculi 13. Parisienses, Florentini aliique plerumque conveniunt, etiam in multis mendis et vitiis, licet quoad *minutiora* plures familiae distingui possint, ut infra in recensione singulorum notavimus. — Attamen remanebant plurimi loci manifeste indigentes correctione, ubi codd. etiam meliores vel mire discrepabant, vel luculento vitio fere omnes laborabant. Tunc ponderatis rationibus ipsi argumento inhaerentibus et modo loquendi auctoris, non raro unici codicis lectionem, interdum a secunda duntaxat manu scriptam, nobis eligendam esse duximus, ut in subiectis notis observari potest.

In notis doctrinam S. Bonaventurae illustrantibus, data occasione, pluries descripsimus locos ex Summa *Praepositivi* hucusque inedita. Licuit nobis ad hoc uti codice membranaceo saec. XIII. sign. 71, oriundo ex antiqua bibliotheca Conventus S. Fortunati Tuderti, quae nunc est Municipii Tudertini.

Antiquus index locorum, in quibus dissentiunt duo Doctores, Angelicus et Seraphicus, quem in Prolegomenis ad priores libros publicavimus, desideratur respectu quarti libri. Sequitur igitur catalogus codicum manuscriptorum, hunc librum exhibentium, quos P. Fidelis b. m. notavit; et primo loco ponimus codices a nobis cum textu editionis Vaticanae collatos.

SYLLABUS MANUSCRIPTORUM
QUAE CONTINENT
COMMENTARIUM SANCTI BONAVENTURAE
SUPER LIBRUM IV. SENTENTIARUM.

I.

Codices a nobis cum textu Vaticanae editionis collati.

1. *Assisii* in Umbria, bibliotheca Conventus sancti Francisci, codex membranaceus in folio, saeculi XIII. sub fine, signatus numero 34, tabulis corio albo obductis coopertus, in quarum anteriore vitta membranacea legitur: *Quartus fratris Bonaventure.* Incipit fol. 2. r.: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis* etc. Explicit ut in editis: *cui est benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo per infinita secula seculorum. Amen.* — Numerandus est inter meliores codd., sed non est correctus, nisi interdum a manu paulo posteriore. Tamen non raro ipsum secuti sumus in reformando textu. — In hac nostra editione signatur littera A.

2. *Cusae* apud Castellum tabernarum (Berncastel) in Borussia, provincia Rhenana, bibliotheca Hospitalis cl. Nicolai Cusani, ordinis S. Augustini, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, cod. D. 21. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Commentario praemittitur tabula quaestionum, etiam earum quae *circa litteram* audiunt, sub titulo: *Incipiunt problemata quarti libri.* Deinde sequitur prologus quidam anonymi auctoris, et fol. 6. r. col. 1. incipit Commentarius nostri sancti Doctoris: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., qui desinit fol. ultimo r. col. 1. ut in editis. Nomen *Bonaventure* inseruit alia manus. Exhibet notas plures marginales, quae a scriba saec. XIV. exeuntis videntur insertae. — Codex bonus et optime correctus a secunda manu; non raro incedit via singulari, tamen in genere convenit cum codd. Parisiensibus. — Sign. X.

3. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. D. V. 220, olim Conventus sanctae Crucis ordinis Fratrum Minorum 295, ut fol. 1. praenotatur, deinde bibliothecae Mediceo-Laurentianae, Plut. XXVII. Dext. cod. 2, membr. in fol. saec. XIII. post med. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius* etc. Desin. ut in editis. Ultimo folio r. sunt duae lineae rasae, in quibus exarata erant nomina illorum quibus deputatus fuerat codex; de qua rasura merito scriptor perantiquus conqueritur hoc modo:

« Quam male faciunt fratres, destruentes titulos vel memorias scriptas in libris! Possunt enim addere suum ius sine destructione prioris. Et sic conservantur (sic!) longa memoria superiorum sive antecedentium, sine damno succedentium. Et homo gaudet scire praeterita. Ecce, modo superiorem titulum nequeo legere, et de hoc doleo. Nunc autem ego frater Bernardus de Ricchomanis de Florentia rogo cunctos mihi succedentes habituros usum huius libri, scilicet quarti Bonaventure, ne hunc titulum deleant. Addant suum titulum, si voluerint, sine deletione presentis. Et sciant succedentes, quoniam hic liber fuit fratris Boni di Lignaria, qui diu demoratus fuit Bearbarini, et tenuit hunc librum multo tempore et emit satis kare, sicut aliqualiter potest legi superius in titulo raso. Postmodum predictus frater Bonus de Lignaria defunctus est Barbarini anno Domini MCCCXXXII in octava sancti Laurentii. Et postmodum custos, qui tunc erat Custos florentinus, scilicet frater Michael Corda de Aretio, concessit mihi fratri Bernardo de Ricchomanis hunc librum, assignans sibi pro eodem, pro debitis Custodie, unum aureum.

Iste liber est ad usum fratris Boni de Lignaria Florentie.

Hanc memoriam precedentem prolixam scripsi ego frater Bernardus predictus, anno Domini millesimo CCCXXXVI, quarto idus decembris, in loco de Barbarino, tempore ministerii fratris Petri de Aquila, dum esset Custos florentinus frater Bartolus de Ruota, et cum esset guardianus Barbarini frater Nicholaus de sancto Donato, et cum esset guardianus florentinus frater Paulus de Massa, summus Pontifex Benedictus [XI. dictus XII.].

Hunc librum intendo assignare loco Barbarini, ut ubi diu stetit, inde nunquam dimoveatur: nam cum ego demorarer in predicto Loco anno Domini MCCCV, existente ibidem predicto fratre Bono, tunc habebat iam hunc librum. Et sic sunt hodie ad minus triginta et unus annus, quod hic liber fuit in dicto loco, licet aliquibus annis prius ibidem eum tenuit. Anno predicto, scilicet MCCCV, erat minister Tuscie frater Antonius de Aretio, custos florentinus frater Illuminatus de Caponsaccis, guardianus Barbarini frater Antonius Surdus de Florentia, de populo sancti Iacobi inter foveas.

Hinc prosequitur alius scriptor posterior.

Ego frater anthonius de Papia, studens Florentie in theologia, habui usum huius quarti Bonaventure 1394, existente ministro Tuscie magistro Henrico de Massa, et Generale Ordinis fratre Henrico alphei de Aste, provincie Ianue, et summo Pontifice Bonifacio nono; et erat tunc magnum scisma, ita quod Avenioni erat unus antipapa, quem precesserat alius antipapa ad minus annis sexdecim, cum diu duraverat scisma.

Iste quartus Bonaventure est deputatus ad usum fratris Bernardi de Richomanis de Florentia, de ordine fratrum minorum. Depinxi hunc titulum decima die mensis iuni. Frat. Bernard. anno Domini MCCCXXXIX.

Iste quartus Bonaventure est deputatus ad usum fratris Blasi de sancto Georgio de Florentia, qui fuit sibi assignatus ad vitam a consilio florentino tempore guardianie fratris Francisci Terre sancte, custode fratre Ioanne Chelvagi, lectore vero Castri florentini ipso fratre Blasio. Anno Domini MCCCL tempore iubilei. Hec autem scripsit frater Blasius predictus anno Domini MCCCLII in Castro florentino, presente fratre Iacobo Nuti, lectore topicorum ibidem die VI. novembris; et sequenti die ivit Volterras predictus frater Blasius, ubi erat positus lector per fratrem Guillelmum Farinerii de conventu Gordonii, provincie Aquitanie, Generalem Ministrum. — Cod. antiquus et melioris notae, non raro speciales lectiones praebet. — Sign. E.

4. *Ibidem*, codex D. V. 221, olim Conv. sanctae Crucis 293, membr. in folio saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius* etc., et desinit fol. 323. r. col. 2, cui alia manus addidit: *Explicit quartus fratris Bonaventure.* Inde sequitur tabula quaestionum valde diffusa, sed incompleta. — A communiori aliorum lectione non raro discedit, non raro convenit cum cod. F (seq.), saepius vero cum codd. L (n. 9.) et Y (n. 13.). — Sign. G.

5. *Ibidem*, codex G. V. 223, olim Conventus omnium Sanctorum Fratrum Minorum, membr. in fol. saec. XIV. exeunt. A fol. 1. ad 7. r. col. 2. recurrit tabula rerum alphabetico ordine disposita, sed a diversis manibus confecta; cui subiicitur: *Explicit tabula super quartum sententiarum secundum Bonaventuram.* Commentarius incipit fol. 8. r. col. 1. et desinit ut in editis; tria ultima folia excipiunt indicem omnium quaestionum, quem claudunt verba: *Expliciunt questiones fratris Bonaventure super sententias.* — Codex bonus, quem aliquando solum secuti sumus. — Sign. F.

6. *Ibidem*, codex I. VI. 15, olim Conventus sancti Marci de Florentia ord. Praedic., membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit: *Unguentarius* etc., et desin. fol. ultimo: *per infinita secula seculorum. Amen.* — In prima parte usque ad finem Sacramenti poenitentiae prae ceteris excellens, et in hac parte cod. bb (n. 11.) correctus est secundum ipsum; sed deinde saepe vitiosus est. — Sign. H.

7. *Ibidem*, bibliotheca Mediceo-Laurentiana, Plut. XXVI. Dext. cod. 8, olim sanctae Crucis, membr. in fol. parv. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 2. r., cui praemittitur litteris grandioribus rubris et ceruleis *L. IIII.* (liber quartus): *Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. 352. r. col. 2. more solito. Sequitur tabula rerum a manu posterioris aevi confecta et per alphabetum disposita, quae desinit vel potius deficit fol. 354. verbis: *Iudicia Dei dicuntur precepta moralia.* — Fere ubique correctus est a secunda manu ad normam seq. codicis K. — Sign. I.

8. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, Plut. XXVII. Dext. cod. 1, olim sanctae Crucis 294, membr. in fol. saec. XIV. circa med. Incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 324. v. col. 2. ut in editionibus. Inde subiicitur tabula quaestionum exarata a manibus diversis, sed priori coaevis. — Ipse quasi familiam propriam in multis locis praebet; sed plerumque correctiones eius videntur a quodam perito factae, ut loci obscuriores vel breviores emendarentur. — Sign. K.

9. *Ibidem*, codex Fesulanus LXXIII. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Praemittitur tabula distinctionum et quaestionum, inde fol. 4. r. col. 1. incipit Commentarius: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 227: *per infinita secula seculorum. Amen. Deo gratias.* — Plerumque convenit cum codd. Y (n. 13.) et G (n. 4.). — Sign. L.

10. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, C. L. M. 8017, olim Kaish. 117, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit post indicem quaestionum fol. 3. r. et desinit fol. 206. v. ut in editis. Plerumque cum codd. Florentinis convenit, tamen non raro habet lectiones prorsus singulares. — Sign. Z.

11. *Ibidem*, cod. 9530, olim Ob. Alt. 30, membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Initio praemittitur index sub hac rubrica:

Tituli problematum, deinde fol. 8. r. col. 1. incipit Commentarius; finem excipit fol. 264. r. col. 2. ut in editis. — Convenit plerumque cum codd. Parisiensibus, sed in prima parte correctus est ad norman cod. H (n. 6.). — Sign. bb.

12. *Ibidem*, cod. 26302. membr. in fol. saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 2. r. col. 1: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 194. r. col. 2. per haec verba: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine minorum.* — Saepe ab aliis recedit et manifestas glossas exhibet; nihilominus in locis corruptis interdum solus sanum sensum expressit. Plerumque magis convenit cum cod. N (n. 14.). — Sign. aa.

13 *Montiscassini*, bibliotheca Monasterii, cod. 367. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praefert titulum: *Questiones in Magistrum Sententiarum*, sine auctoris nomine. Incipit et desinit ut editi. — Cod. optimae notae; vide quod diximus de cod. L (n. 9.). — Sign. Y.

14. *Neapoli*, bibliotheca Nationalis, cod. XIV. E. 28. membr. in fol. parv. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 202. more solito. Deinde nigris litteris additur: *Explicit quartus liber Bonaventure.* Sequitur tabula quaestionum, cui subiiciuntur haec verba: *Explicit* (sic) *problemata Bone aventure super quartum librum sententiarum.* Alia manus notavit: *Iste quartus Bonaventure est conventus sancti Laurentii de Neapoli Ordinis minorum, concessus per fratres magistro Gelasio de Neapoli ad usum eius vita durante 1439 die quarta aprilis, quem dedit ipse magister Conventui supradicto.* — Exceptis glossis valde convenit cum cod. aa (n. 12.). — Sign. N.

15. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Collegii Balliolensis, cod. 134. O, qui etiam III. librum continet. Commentarius in quartum librum Sententiarum incipit fol. 109. r. et desinit fol. 256. Inde sequuntur definitiones nonnullae Sacramentorum quoad signum et rem cuiusque; incipit: *In sacramento baptismi signum tantum est exterior ablucio* etc. — Cod. optimae notae; in pluribus convenit cum codd. Parisiensibus; cfr. III. Sent. pag. VII n. 16, et de sequenti cod. M ibid. (n. 17.). — Sign. O.

16. *Ibidem*, bibliotheca Collegii Mertonensis, cod. O. 1. 10; in catalogo cl. Henrici O. Coxe recensetur sub num. 116. Ad calcem additur: *Expliciunt questiones secundum...* — Sign. M.

17. *Parisiis*, bibliotheca Nationalis, cod. 15825, olim Sorbon. 608. membr. in fol. saec. XIII. exeuntis. Folio 2. r. scriba saec. XV. notavit: *De Sorbona est liber iste, de magna libraria.* Deinde col. 1. incipit Commentarius ut in editis et prosequitur usque ad fol. 206. v. col. 2... *per infinita secula seculorum. Amen. Explicit.* — Cod. bonae notae; interdum ipsum secuti sumus. — Sign. R.

18. *Ibidem*, cod. 15826, olim Sorbon. 609, membr. in fol. saec. XIII. in fin. Incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 217. v, cui eadem antiqua manus adiecit: *Explicit scriptum fratris Bonaventure super quartum sententiarum.* Hinc alia manus saec. XV. prosequitur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Collegio Sorbone, Parisius in theologia studentium, ex cuius legato, nescio, quia finita sunt folia, folia ceciderunt.* — Satis convenit cum cod. praecedente. Pluries aliqua nova addit a nobis in notis relata. — Sign. S.

19. *Ibidem*, cod. 15827, olim Sorbon. 610, membr. in fol. saec. XIII. exeunt. In fol. 1. grandiore charactere saec. XV. legitur: *Iste liber est pauperum magistrorum de Sorbona Parisius studentium, legato magistri Stephani de Gebennis; in quo continetur quartus Thome* (hic alia manus occurrit et correxit: *Bonaventure*) *precii VIII. libel.* Commentarius incipit fol. 2. r. col. 1. et desinit fol. 211. v. col. 2: *per infinita secula seculorum. Amen.* — Cum melioribus antiquioribus codd. concordat, saepe etiam in vitiis. — Sign. T.

20. *Ibidem*, cod. 15821, olim Sorbon. 602, membr. in fol. saec. XIII. sub fine, ut iam notavimus tom. I. pag. LXXVII n. 24. Commentarius quarti libri incipit fol. 115. r. col. 1. et desinit fol. 288. v. ut editi. — Sign. W.

21. *Ibidem*, cod. 3427. membr. in fol. parv. saec. XIII. Fol. 1. usque ad 99. v. complectitur Summam magistri Willelmi Antisiodorensis abbreviatam a magistro Hoberto. Sequitur Summa de anima Ioannis de Rupella usque ad fol. 123. Hoc ipso folio parte versa in initio incipit absque ulla nota auctoris vel operis: *Utrum sacramenta debuerint institui.* Est index quaestionum Commentarii S. Bonaventurae super librum quartum Sententiarum, desinit fol. 125. v. per verba: *Expliciunt problemata libri quarti;* deinde Commentarius, qui excurrit usque ad folium 296. — In multis quaestionibus, praesertim in ultima parte, textus est abbreviatus habetque singulares lectiones. — Sign. U.

22. *Patavii*, bibliotheca sancti Antonii, cod. 130. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Praemittitur index quaestionum, sed incompletus, quia duo folia fuerunt avulsa. Incipit Commentarius fol. 3. col. 1. et desinit per verba: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine minorum.* — Optimus cod., saepe habet correctiones et additamenta a secunda manu. — Sign. P.

23. *Ibidem*, cod. 131. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. r. col. 1: *Unguentarius faciet pigmenta* etc. Ultima quinque folia excipiunt tabulam quaestionum etiam litteralium, quarum postrema sic exprimitur: *Quomodo intelligitur verbum* de pedibus sedentis, *et quid sit* sedens, *et quid* via, *et quid* solium. — Convenit plerumque cum praecedente. — Sign. Q.

24. *Romae*, bibliotheca Vaticana, cod. 916. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. 245. ut in editis. Hinc subiicitur: *Explicit quartus fratris Bonaventure.* — Praeter communia ab aliis codd. exhibita praebet passim manifesta additamenta, facta ab aliena manu. Vide pag. 365, scholion; 369, nota 1; 586, nota 3; 900, nota 4; 903, nota 5; 983, nota 1, et in fine libri. — Sign. B.

25. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 917. membr. in fol. saec. XIII. Commentario praemittitur tabula quaestionum usque ad fol. 4, deinde prosequitur usque ad folium 228; cui manus posterioris temporis addidit: *Liber Colucii Pyeri de Agnano.* — Convenit plerumque cum antiquioribus. — Sign. C.

26. *Ibidem*, bibliotheca Principum Burghesiorum, cod. 97. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. et desinit ultimo v. col. 1. ut editi. — Ex hoc codice collectae fuerunt lectiones variantes in primam tantum et secundam distinctionem. — Sign. cc.

27. *Ibidem*, bibliotheca Principum Chisi, cod. B. VIII. 131. membr. in fol. saec. XIII. Incipit: *Unguentarius* etc. Desinit fol. 151, cui additur: *Expliciunt;* alia manus posterioris aevi prosequitur: *questiones quarti fratris Bonaventure.* — Cod. bonae notae. — Sign. D.

28. *Venetiis*, bibliotheca Seminarii Patriarchatus, cod. M. III. 29. membr. in fol. saec. XIII, de quo recoli possunt ea quae scripsimus tom. III. pag. VIII n. 28. Initio Commentarii

praemittitur: *Incipit liber quartus super sententias.* Deinde col. 1: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., et desinit: *per infinita secula seculorum. Amen.* Tria ultima folia complectuntur tabulam quaestionum, cuius initium exaravit prima manus his verbis: *Incipiunt questiones quarti libri sententiarum fratris Bonaventure.* Hinc alia manus prosequitur: *de Balneo regis, ordinis fratrum minorum.* Et finem facit sic: *Expliciunt tituli questionum quarti libri sententiarum, que sunt numero 475. Nota diligenter, quod questiones disputate tam in tertio quam in quarto libro sunt numero 744, in alio vero volumine, scilicet in primo et secundo sententiarum sunt 568: ergo summa omnium est 1312.* — In IV. libro hic cod. meliorem textum exhibuit quam in praecedente. — Sign. V.

II.

Codices a nobis non collati.

29. *Admontis* (Admont) in Austria, bibliotheca Monasterii ord. S. Benedicti, codex 263. membr. in fol. saec. XIII. et XIV. a diversis manibus conscriptus. Commentarius sequitur tabulam quaestionum et incipit fol. 9. in ordine, sed 1. numerato; incipit: *Unguentarius faciet pigmenta* etc. Desinit fol. 230. r. col. 2: *Tunc videbimus, amabimus.... per infinita secula seculorum. Amen.*

30. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 268. membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 1. r. et desinit fol. ultimo ut in editis. Numeratio folior. vacat.

31. *Andegavi* in Gallia, bibliotheca Civitatis, cod. 194. membr. in fol. min. saec. XIII. exeunt., olim Monasterii sancti Albini. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 164. v. Sequitur inde tabula quaestionum usque ad fol. 166, cui scriba saec. XV. addidit: *Finale pretium huius scripti XXXVI. solid. propter fratris necessitatem, quia frater indiget pecunia; et infra octo dies remittatur liber, vel pecunia.*

32. *Bambergae*, bibliotheca Civitatis, cod. B. III. 37. membr. in fol. saec. XV. fol. 1. r. In superiore parte legitur: *Prologus Bonaventure super quarto sententiarum.* Postea, col. 1. incipit: *Unguentarius* etc., et desinit more solito; additur: *Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo.* Sequitur index sub hoc titulo: *Registrum questionum super scripto quarti sententiarum domini Bonaventure.* Explicit fol. 443. v. col. 2.

33. *Bruxellis*, in bibliotheca regia, cod. 469, olim Collegii Lovaniensis S. I. membr. in fol. saec. XV, ab alia manu recentiore intitulatur: *D. Bonaventura in IV. Sententiarum;* deinde ibidem col. 1. incipit Commentarius et desinit fol. 342. r. Postremo subditur index sub hac rubrica: *Tabula huius quarti libri.*

34. *Cesenae* in Insubria, bibliotheca Malatestiana, Plut. XV. cod. 111. membr. in fol., pluribus manibus exaratus saec. XIII. et XIV. Incipit fol. 1. r. col. 1. et desinit fol. 205. v. col. 1. post medium. Inde subiicitur: *Laus tibi sit xte, quoniam liber explicit iste. Deo gratias.* Postremo alia manus repetit haec ipsa verba et addit: *Iste liber editus est a fratre Bonaventura cardinali, quondam generali ministro de ordine fratrum minorum.*

35. *Cantabrigae* in Anglia, bibliotheca aulae Pembrochianae, cod. n. 12. (littera vacat) membr. in fol. parv. saec. XIV. exeunt. Incipit fol. 1. r.: *Unguentarius* etc. et desinit fol. 393. In interiore parte asseris, quo codex operitur, recens manus notavit haec verba: *Forte hic liber est Bonaventure super quartum sententiarum.*

36. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. B. 385. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. vel ineunt. XIV. Antiqua manus praemisit initio: *Bonaventura super quartum.* Desinit dist. XLIV. dub. 3. his verbis: *dicendum, quod tunc quantitas actionis* (rationis). Reliqua desiderantur. Hunc cod. iam notavimus tom. II. pag. IX n. 40.

37. *Cortonae* in Tuscia, bibliotheca Civitatis, cod. 31, olim Conventus S. Margaritae ordinis Fratrum minorum, membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Notatur: *Incipit liber quartus super sententias fratris Bonaventure ordinis minorum.* Initium habet et finem ut editi.

38. *Erfordiae* in Borussia, bibliotheca regia, collectio Amploniana, cod. 107. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Post tabulam quaestionum, duobus primis comprehensam, fol. 3. r. in superiore margine legitur: *Liber quartus fratris Bonaventure distinctio I,* et infra col. 1: *Unguentarius* etc. Desinit fol. ultimo ut in editis. Postremo additur: *Expliciunt scripta super quartum sententiarum.*

39. *Ibidem*, in eadem bibliotheca, cod. 108. membr. in fol. saec. XIII. Commentarius est mutilus, incipit enim fol. 16. r. a distinctione XIV, cui manus recentioris temporis praemisit: *Lectura super quartum sententiarum. Frater Bonaventura fecit has questiones.* Inde: *Post hec de penitentia agendum est. Terminatis tribus partibus principalibus* etc. Desinit fol. 69. r. per haec verba: *et tanto magis aggravans, quanto homo plura bona percepit;* quae sunt extrema verba distinctionis XXII. dub. 3.

40. *Erlangen* in Bavaria, bibliotheca Universitatis, cod. 206. membr. in fol. saec. XV. Incipit fol. 2. r., in cuius parte superiore legitur: *Liber quartus*, et infra col. 1. D. XXIII. Distinctiones antecedentes desiderantur. Desinit fol. ultimo ut ceteri; postremo subiicitur: *Finito quarto, sit laus, sit gloria Xto. Salvet scribentis animam Deus atque legentis.* In asser posteriore notatur: *Liber sancte Marie in Fonte salutis* [1].

41. *Gedanii* (Danzig) in Borussia, bibliotheca S. Mariae, cod. 79. im Schrank 397. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Fol. 1. v. manus posterior notavit: *Iste liber est fratrum minorum in Gdanczk, quem edidit magister et frater Bonaventura ordinis fratrum minorum, videlicet questiones supra quartum sententiarum.* Hinc alia manus adhuc posterior addidit: *Et frater Iohannes Zewelt comparavit eum.* Incipit fol. 3. r. et desinit fol. penultimo ut in editis.

42. *Hispali* in Hispania, bibliotheca Columbina, cod. E. Y. tab. 132 n. 7. membr. in fol. saec. XIV. Incipit fol. 1. r.: *Unguentarius faciet pigmenta* etc., et desinit fol. 222. v.: *Explicit quartus sententiarum.* Sequuntur quatuor lineae colore rubro exaratae, sed propter rasuram nunc sunt illegibiles. Manus recens in primo folio scripsit nomen auctoris.

43. *Lambacii* in Austria, bibliotheca Monasterii, cod. LVI.

1. *Florentiae*, bibliotheca Nationalis, cod. D. I. 275, olim 400. Conventus S. Crucis, membr. in fol. saec. XIV. circa medietatem. Fol. 2. r. legitur: *Incipit quartus sententiarum compilatus. Unguentarius* etc. In fine: *Explicit quartus fratris Cari Aretini.* Est compilatio seu compendium quarti libri Sententiarum sancti Bonaventurae.

membr. in fol. saec. XIV. Fol. 1. in superiore parte legitur: *Incipit Bonaventura super quartum;* sequitur Commentarius usque ad fol. 205. r., cui additur tabula distinctionum et quaestionum.

44. *Lauduni* in Gallia, cod. 322. (olim Notre Dame 196.) membr. in fol. saec. XIII. Incipit fol. 3. r.; manus recens praemisit: *S. Bonaventura in librum quartum sententiarum.* Foliorum enumeratio desideratur, desinit ut editi. Scriba saeculi XIV. addidit: *Explicit liber quartus fratris Bonaventure: qui scripsit sit benedictus. Amen. Amen.*

45. *Londini* in Anglia, bibliotheca Musei Britannici, collect. regia, cod. X. C. 12. Commentarius in librum quartum Sententiarum incipit fol. 201. r. col. 1. et desinit fol. 344. r. Hunc codicem iam descripsimus tom. III. pag. VIII n. 43.

46. *Matriti,* bibliotheca Escorialensis, cod. 110. R. III. 2. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 1. manus posterioris aevi notavit: *Iste liber deputatus est usui fratris...* Cetera sunt deleta. Sequitur tabula quaestionum, et fol. 4. r. Commentarius, cuius initio scriba saec. XV. praemisit: *Quartus Bonaventure.* Desinit fol. 217. v., ut ferunt editi.

47. *Mediolani* in Insubria, bibliotheca Ambrosiana, cod. C. 182. infer. in fol. saec. XIII. ante finem. Fol. 2. r. notantur haec verba: *Hunc codicem, qui fuit S. Mariae Coronatae Mediol., Illustrissimo Cardinali Borromeo, Bibliothecae Ambrosianae fundatori, religiosi Patres eiusdem Coronatae, simili munere donati, tradiderunt, anno 1601.* Eodem fol. parte versa, manus saec. XV. scripsit: *Iste liber est Conventus fratrum sancte Marie Coronate Mediolani observantium Eremitarum sancti Augustini Congregationis Lombardie.* Incip. fol. 3. r. desinit fol. 268. v. Demum sequitur tabula quaestionum ab eadem manu saec. XIII. exarata, cui alia posterior subiecit: *Explicit scriptum Bone Venture super quarto sententiarum feliciter.*

48. *Moguntiae,* bibliotheca Civitatis, cod. 7. (olim fratrum Carthusiensium Montis S. Michaelis prope Moguntiam) chartac. in fol. saec. XV. Fol. 3. r. in superiore margine legitur: *Bonaventura super quarto sententiarum.* Hinc: *Unguentarius* etc. Desinit fol. ultimo codicis, cui eadem manus subiicit: *Explicit Bonaventura super quarto sententiarum.*

49. *Monachii* in Bavaria, bibliotheca regia, cod. 5175. Vide quae de hoc codice scripsimus tom. I. pag. LXXVIII n. 44.

50. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 6952. (olim Fürst. 52.) chart. in fol. Extra in assere anteriore titulatur: *Quartum scriptum Bonaventure.* Incipit fol. 2. r. et desinit cum tabula quaestionum fol. 527. v. per verba: *Explicit. Laus Deo et beate Marie Virgini. Anno Domini MCCCCLXXVII. sub domino Iudoco abbate nec non Leonardo, sacre theologie professore, priore.*

51. *Ibidem,* cod. 8079. chart. in fol. saec. XV. Complectitur dubia circa litteram in quatuor libros Sententiarum. Dubia super quartum incipiunt fol. 343. r. col. 1: *Sacramentum est rei sacre signum* etc. *In parte ista sunt dubitationes* etc. Desinit fol. 387. v.: *per infinita secula seculorum. Amen. Et sic est finis.* Hunc codicem descripsimus tom. I. pag. LXXV n. 15; eundem indicavimus tom. II. pag. VIII n. 13. et tom. III. pag. IX n. 48.

52. *Ibidem,* cod. 18349. chart. in fol. saec. XV. Praemittitur Commentario: *Bonaventura super quarto libro sententiarum.* Incipit fol. 1. r. et desin. fol. 500. r. Deinde sequitur index distinctionum et quaestionum, qui clauditur verbis: *Explicit. Laus Deo et beate Marie Virgini, anno MCCCCLIII.*

53. *Oxonii* in Anglia, bibliotheca Bodleiana, cod. canonicianus 60. membr. in 4. saec. XV. ineunt. olim... *patrum commorantium in... Burgo Post... civitatis... quem dominus Adeodatus Vinc. ex patris sui pecuniis emptum donavit. Quorum pro utriusque anima qui sint lecturi preces fundant ad Dominum.* Incipit et desinit ut in editis.

54. *Parisiis,* bibliotheca Mazzarinea, cod. 937. membr. in fol. saec. XIII. A coaeva manu praemittitur: *Lectura Bonaventure super quartum sententiarum;* et infra: *Sancti Spiritus assit nobis gratia. Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. 225. v. col. 1. ante medium.

55. *Ibidem,* bibliotheca Nationalis, cod. 14552. membr. in fol. saec. XV. Manus coaeva fol. 1. v. notavit: *Que secuntur hic habentur, scilicet scriptum Domini Bonaventure super quartum sententiarum. Tituli singulorum articulorum, omnium questionum super eiusdem quartum.* Commentarius incipit post indicem fol. 5. r. et desinit fol. 309. per haec verba addita a prima manu: *Explicit liber quartus Bonaventure super sententias.*

56. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 15828. membr. in fol. saec. XIII. Mutilatus est in principio; incipit enim a d. I. p. II. a. 2. q. 1. ad 3. his verbis: *et si circumcisio significet circumcisionem presentem et futuram* etc. Desinit fol. 191. v., addito a prima manu: *Explicit Bonaventura super quartum sententiarum.*

57. *Patavii,* bibliotheca sancti Antonii, cod. 122. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. Incipit fol. 1. r. Finem excipit index distinctionum et quaestionum, qui desinit fol. ultimo recto per verba: *Deo gratias. Amen.* Codex a diversis manibus fuit conscriptus.

58. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. 213. membr. in fol. parvo saec. XIII. Fol. 3. r. incipit tabula distinctionum et quaestionum sub hac rubrica: *Introitus in quartum librum sententiarum.* Initium Commentarii est fol. 5. r., qui continuatur usque ad finem ut in editis; additur: *Laus tibi sit xpe quoniam liber explicit iste. Deo gratias.*

59. *Pistorii* in Tuscia, bibliotheca Fortiguerri, cod. D. 310. membr. in fol. saec. XIV. ineunt. In assere anteriore manus posterior, sed eiusdem saec., notavit: *Conventus Iacherini.* Deinde: *Quartus sententiarum domini beati Bonaventure ordinis minorum.* In assere posteriore alia manus exaravit: *Iste liber est loci Giacherini, ubi morantur fratres de Observantia ordinis minorum extra et prope Pistorium. 1445.* Commentarius incipit fol. 1. r. et desinit fol. 191. r. Scriba codicis addidit: *Qui scripsit scribat semper cum sancto Matheo vivat.*

60. *Regimontii,* bibliotheca regia, cod. 1111. membr. in fol. saec. XIII. Fol. 2. r. alia manus scripsit in superiore parte: *Iste liber est ecclesie sancti Emilii concessus.* Hinc col. prima: *Unguentarius faciet* etc. Desinit fol. penultimo verso: *per infinita secula seculorum. Amen.*

61. *Romae,* in bibliotheca Societatis Iesu, cod. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Incipit: *Unguentarius faciet* etc. Ad calcem eadem manus addit: *Explicit quartus liber;* alia manus recentior prosequitur: *fratris Bonaventure.* Inde sequitur index distinctionum et quaestionum, in cuius fine legitur: Ego frater Iacobus de Marchia ordinis Minorum emi istum quartum Bonaventure pro pretio ducatorum sex aureorum pro loco sancte Marie de gratia Montis Prandonii, mense aprili 1457.

62. *Ibidem,* in eadem bibliotheca, cod. membr. in fol. saec. XIV. Complectitur I. II. et III. abbrev. et Commentarium

in IV. Inscribitur: *S. Bonaventure Postille super libros sententiarum.* Inferius: *Ex libris Cardinalis Firmani.* — I. incipit fol. 4: *In medio et in circuitu sedis. Tactum est, quod sine cognitione* etc. II. incipit: *Oritur sol et occidit. Primo in hoc libro describitur materia* etc. III. incipit: *Cum igitur venerit plenitudo* etc. *Liber iste tertius dividitur in duas partes* a fol. 141. ad fol. 201 [1]. Hinc incipit IV: *Unguentarius faciet* etc., et prosequitur ut in editis, cui additur tabula quaestionum, quae desinit verbis: *Expliciunt questiones fratris Bonaventure super sententias.*

63. *Ibidem*, bibliotheca Vaticana, cod. Urbinat. 144. membr. in fol. saec. XV. In principio eadem adnotantur, quae recurrunt in cod. 142. huius bibliothecae, de quo iam locuti sumus tom. II. pag. XI n. 65. Incipit fol. 3. r., desinit fol. 333. ut in editis. Additur: *Liber Bonaventure Ordinis minorum super quartum sententiarum, explicit feliciter.* Inde sequitur tabula distinctionum et quaestionum.

64. *Salisburgi* in Austria, Archiv. Monasterii sancti Petri, cod. A. V. 23. membr. in fol. parv. saec. XIII. exeunt. Praemittitur fol. 1. r. ab antiqua manu: *Incipit proehemium magistri Bonaventure super quartum sententiarum.* Desinit vel potius deficit fol. ultimo verso distinct. XIII. dub. 4. his verbis: *Sicut in fide intellectus captivatur, ita in errore inflatur et elevatur.* Scriba quidam addidit: *Qui te furetur in culum percutietur.*

65. *Taurini*, bibliotheca regia, cod. D. III. 3. membr. in fol. saec. XIV. ineuntis, nitide exaratus. Incip. fol. 1. r. et desinit fol. 189. v. his verbis a prima manu subiectis: *Explicit quartus fratris Bonaventure de ordine Minorum, cuius doctrina sit benedicta in secula seculorum.* Amen.

66. *Venetiis*, bibliotheca sancti Marci, cod. Class. III. 84. membr. in fol. parv. saec. XIV. ante medietatem. Incipit folio 1. r.: *Unguentarius faciet* etc., et desinit fol. 281. v. col. 2: *per infinita secula seculorum. Amen.*

67. *Ibidem*, Cod. Class. III. 96. membr. in fol. saec. XIII. sub fine. Manus coaeva fol. 2. r. praemittit Commentario hunc titulum: *Quartus liber sententiarum fratris Bonaventure de ordine fratrum minorum, cardinalis albanensis.* Desinit fol. 194. v., cui additur tabula distinctionum et quaestionum, sed incompleta. In fine legitur: *Iste liber est fratris... de Montenigro Ordinis fratrum minorum.*

68. *Vici* (Vich) in Hispania, bibliotheca Capituli, cod. LXVII. membr. in fol. saec. XIII. exeunt. Incipit fol. 2. r. et desin. ut in editis. Posterior manus addidit: *Explicit quartus sententiarum magistri Bonaventure.* Inde habetur tabula distinctionum et quaestionum, quae incipit fol. seq. sub hac rubrica: *In nomine Domini nostri Iesu Xpi. Amen. Distinctio prima quarti sententiarum domini Boneventure.*

69. *Vindobonae* in Austria, bibliotheca Palatina, cod. 1510, quem descripsimus tom. III. pag. IX. n. 65. Commentarius in librum quartum incipit fol. 118. r. et continet tantum 22 distinctiones; desinit enim in principio d. 23. his verbis: *Preter premissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum.*

70. *Ibidem*, cod. 4834. chartac. in fol. parv. saec. XV. Praemittitur titulus: *Bonaventura super quarto sententiarum.* Folio seq. incipit: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis* etc. Desinit fol. 419. ut in editis; inde subiicitur ab eodem scriba: *Explicit quartus Bone venture. Deo gratias. Amen. Anno Domini... 42.*

---

1. De huiusmodi Commentariis cfr. tom. I. pag. LXIV n. 1. In eadem autem bibliotheca asservatur cod. membr. saec. XIII. sub fine, qui complectitur Commentarium in librum tertium sententiarum. In fine subiicitur: *Iste liber est ad usum fratris Iacobi Montis Prandoni Ordinis minorum et pertinet ad locum sancte Marie eiusdem oppidi.* Inferius antiqua manus, quae codicem scripsit, notaverat: *Explicit tercius egregius liber universalis doctoris et excellentissimi Bonaventure sanctissimi minorum Ordinis, anima cuius requiescat in pace.*

TABULA

COLLATORUM CODICUM ET EDITIONUM

IV. LIBRI COMMENTARIORUM[1].

A . .	Cod.	Assisiensis (bibliotheca sacri Conventus) 34. (n. 1.).
B	»	Vaticanus I. 916. (n. 24.).
C	»	Vaticanus II. 917. (n. 25.).
D. . . .	»	Chisianus (Romae) B. VIII. 131. (n. 26.).
E. . . .	»	Florentinus I. (bibl. Nationalis) D. V. 220. (n. 3.).
F	»	Florentinus II. (bibl. National.) G. V. 223. (n. 5.).
G. . . .	»	Florentinus III. (bibl. National.) D. V. 221. (n. 4.).
H. . . .	»	Florentinus IV. (bibl. National.) I. VI. 15. (n. 6.).
I	»	Florentinus V. (bibl. Mediceo-Laurentiana) Plut. XXVI. Dext. 8. (n. 7.).
K. . . .	»	Florentinus VI. (bibl. Mediceo-Laurent.) Plut. XXVII. Dext. 1. (n. 8.).
L. . . .	»	Florentinus VII. (bibl. Mediceo-Laurent.) Fesulan. LXXIII. (n. 9.).
M. . . .	»	Oxoniensis I. (Collegii Mertonensis) O. I. 10. (n. 16.).
N. . . .	»	Neapolitanus (bibl. National.) XIV. E. 28. (n. 14.).
O. . . .	»	Oxoniensis II. (Collegii Balliolensis) 134. O. (n. 15.).
P	»	Patavinus I. (bibl. S. Antonii) 130. (n. 22.).
Q. . . .	»	Patavinus II. (bibl. S. Anton.) 131. (n. 23.).
R	»	Parisiensis I. (bibl. National.) 15825. (n. 17.).
S	»	Parisiensis II. (bibl. National.) 15826. (n. 18.).
T	»	Parisiensis III. (bibl. National.) 15827. (n. 19.).
U. . . .	»	Parisiensis IV. (bibl. National.) 3427. (n. 21.).
V	»	Venetus (bibl. Seminar. Patriarchatus) M. III. 29. (n. 28.).
W. . . .	»	Parisiensis V. (bibl. National.) 15821. (n. 20.).
X. . . .	»	Cusanus (bibl. Hospitalis) D. 21. (n. 2.).
Y. . . .	»	Cassinensis (bibl. Monasterii) 367. (n. 13.)
Z	»	Monacensis I. (bibl. Regia) 8017. (n. 10.).
aa . . .	»	Monacensis II. (bibl. Regia) 26302. (n. 12.).
bb . . .	»	Monacensis III. (bibl. Regia) 9530. (n. 11.).
cc . . .	»	Burghesianus (Romae) 97. (n. 26.).

EDITIO PRINCEPS.

1 Ant. Koberger, sine anni indicatione, sed probabiliter 1491.

In reformando textu IV. libri Sententiarum Petri Lombardi eisdem codicibus et editionibus usi sumus, qui in Prolegomenis ad II. tomum (pag. XII) indicati sunt.

---

[1] Numeri parenthesi interclusi indicant locum (supra pag. II-V), ubi codices sunt descripti.

PROOEMIUM

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM.

Unguentarius faciet pigmenta suavitatis et unctiones conficiet sanitatis.

Verbum istud scribitur Ecclesiastici trigesimo octavo [1], in quo diligentius considerato explicatur et commendatur materia quarti libri Sententiarum ad nostram eruditionem et exercitationem. Explicatur autem sub duplici tropo sive metaphora, scilicet *pigmentorum suavitatis* et *unctionum sanitatis.* Ex quibus datur nobis intelligi, quod medicamenta sacramentalia et sunt *suavia* et sunt *salubria;* et in hoc est tam medicamenti quam medici *laus perfecta.* Nihil enim ultra quaerit aegrotus in medicina, nisi ut habeat *suavitatem* in usu et *efficaciam* in effectu; et qui hoc tribuit medicinae medicus est perfectus, secundum illud poëticum [2]:

Duplex metaphora: pigmenta et unguenta.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Sunt igitur medicamenta sacramentalia *pigmenta odorifera* et *unguenta salutifera.* Sed unguenta salutifera sunt respectu *aegroti curandi,* pigmenta odorifera respectu *Dei placandi;* et haec [3] contra duo, quae facit culpa: Deum enim offendit et naturam laedit; et offendendo Deum hominem *gratia exspoliat,* et laedendo naturam *vulnerat naturalia.* Sacramenta igitur sunt medicamenta *perfecta,* quoniam Deum sua suavitate placant et placando faciunt propitium et impetrant gratiam; et vestiunt hominem *exspoliatum* et hominem *infirmum* sua curant virtute, et sic reparant naturalia.

Duplex effectus Sacramentorum.

Et sic homo descendens ab Ierusalem in Iericho *exspoliatus* et *vulneratus* reinduitur et curatur a Samaritano [4], scilicet Christo Domino, in cuius persona nunc dicitur: *Unguentarius faciet pigmenta suavitatis,* id est, instituet Sacramenta *redolentia ad placandam maiestatem divinam. Faciet,* futurum dicit, loquens in tempore legis Moysaicae pro tempore legis gratiae. Etsi enim in illo fuisse dicantur pigmenta et sacrificia Deo redolentia, non tamen *vi sua* erant Deum placantia. Praecepit namque Dominus Moysi Exodi trigesimo [5], ut faceret thymiama compositum opere pigmentarii: *Facies thymiama,* inquit etc.; praeceperat Aaron, ut offerret: *Pones altare contra velum;* et post subdit: *Et uret super illud Aaron incensum mane, suave fragrans, et ad vesperum uret thymiama.* Et in omni oblatione fere dicitur in Levitico [6]: *In odorem suavissimum Domino.* — Sed odor ille non placabat Dominum propter *vacuitatem oblatorum,* sicut dicit Apostolus ad Hebraeos decimo [7]: *Umbram habens Lex futurorum bonorum* etc. Non placabat etiam propter *immunditiam offerentium,* sicut Isaiae primo dicitur: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi,* et ratio subiungitur post: *Manus enim vestrae sanguine plenae sunt.* — Ad hoc ergo, quod aliquis faceret pigmenta redolentia, necesse erat, quod nulla in eo esset immunditia, et quod plenus esset veri odoris fragrantia; nullus talis poterat inveniri nec ab homine generari propter immunditiam generantis: et ideo necesse fuit, quod Dominus ipse virtute sua corpus ei aptaret, secundum illud Psalmi, quod assumit Apostolus ad Hebraeos decimo [8], loquens de Christo: *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocausta pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* Bene dicit *aptasti,* quia mundus Dominus, mundificans Virginem «ea puritate, qua maior sub Deo

A Christo est effectus 1.

Sacramenta et sacrificia Legis.

Non placabant vi sua.

Necessitas incarnationis.

[1] Vers. 7. — Paulo inferius pro *exercitationem* multi codd. *excitationem,* sed perperam, ut colligi potest ex lit. Magistri, d. I. c. 5, et ex Comment. p. I. q. 1. in corp. nec non dub. 7. et 10.

[2] Horat., Epist. ad Pisones (sive de Arte poetica) v. 243. — Superius pro *nisi ut* plures codd. *cum,* edd. *quam quod,* quae etiam subinde pro *qui hoc tribuit medicinae* substituunt *qui huiusmodi tribuit medicinam.*

[3] Cod. U *et haec duo sunt,* multi alii codd. *et hoc.* Paulo ante pro *aegroti curandi* cod. H *aegri sanandi.*

[4] Respicitur Luc. 10, 30. seqq. Cfr. infra lit. Magistri, d. I. c. 1, et tom. II. pag. 700, nota 1.

[5] Vers. 35. — Seq. textus est ibidem v. 6; tertius ibid. v. 7. seq.: Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud, et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama etc. — Superius edd. omittunt *vi sua,* et inferius pro *ut offerret: Pones altare* substituunt *ut offerret illud ponens super altare.*

[6] Cfr. 1, 13; 2, 2; 6, 21; 23, 18. — Post *dicitur* cod. Z addit *etiam.*

[7] Vers. 1. — Seq. textus est Isai. 1, 13. et 15. — Mox pro *Non placabat etiam* non pauci codd. *Non placabant etiam.*

[8] Vers. 5. seqq., ubi Vulgata *Holocautomata* pro *Holocausta;* respicitur Ps. 39, 7. — Edd. *loquens de Christo ingrediente mundum dicens: Hostiam* etc.

nequit intelligi[1] », aptavit corpus ei, ut esset vas munditiae contentivum omnis fragrantiae; quod praesentiens patriarcha Iacob dixit Genesis vigesimo septimo[2]: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Hic ergo erat *perfectus pigmentarius*, quia non aliunde mendicabat odorem, sed ipse in se Patri redolebat. Et ut odor iste, quo plenus erat, ad alios derivaretur, obtulit semetipsum Deo et Patri pro omnibus, secundum illud ad Ephesios quinto[3]: *Dilexit nos et tradidit semetipsum oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Tunc *fractum est alabastrum, et domus repleta est ex odore unguenti;* tunc de hac *plenitudine accepimus omnes*, dum non solum placatur Deus ex *ipsa passione*, immo etiam *in memorialibus passionis;* ut non tantum *passio* sit pigmentum suavitatis, immo etiam *memorialia*, utpote Sacramenta, secundum illud Ecclesiastici quadragesimo nono[4]: *Memoria Iosiae in compositione odoris facta opus pigmentarii;* ut per *Iosiam* intelligamus Christum passum; *Iosias* enim interpretatur: ubi est incendium Domini, vel, in quo est sacrificium. — Memorialia vero sunt Sacramenta passionem praeteritam significantia. His memorialibus abundat et impleta est domus Ecclesiae militantis; et ideo impleta est ex *odore unguenti,* secundum quod dicit Spiritus sanctus in Canticorum quarto[5]: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* — *Unguentarius* igitur *faciet pigmenta suavitatis,* scilicet Deum placantia.

Christus perfecte placabat.

Etiam in memorialibus passionis.

Memorialia illa in Ecclesia.

Conficiet nihilominus *unctiones sanitatis,* id est Sacramenta *morbum curantia.* Erant quippe in Lege figurativae unctiones, sed non erant *sanativae;* quia morbus erat lethalis, et unctio erat superficialis. Unde Apostolus dicit ad Hebraeos nono[6], quia non poterant medicamenta legalia *iuxta conscientiam perfectum facere servientem solummodo in cibis et potibus et variis baptismatibus et iustificationibus carnis.* Quia ergo ungebant carnem, et vulnus lethale erat in mente; ideo non poterant curare. Unde ad Hebraeos decimo[7]: *Impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* Ideo clamabat Isaias et dicebat primo capitulo: *Vulnus et livor et plaga tumens non est circumligata nec curata medicamine neque fota oleo.* Hoc dicit quantum ad triplex genus peccati, quo homo infirmabatur: per *vulnus* intelligitur originale, per *livorem* veniale, per *plagam tumentem* mortale. Et ideo praemittit: *Omne caput languidum* etc.

Effectus 2. Sacramenta morbum curantia.

Medicamenta Legis infirma.

Triplex genus peccati.

Ad hoc ergo, quod aliquis faceret *unguenta sanitatis*[8], necessarium erat, quod afferret *unctionem spiritualem* et *virtutem vitalem.* Hic autem fuit Christus Dominus, qui vere *Christus* fuit, quia *unctus*, secundum quod dicitur Isaiae sexagesimo primo[9]: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntiandum mansuetis* etc. Et quod hoc intelligatur de Christo, ipsemet perhibet sibi testimonium Lucae quarto, ubi, postquam legit hoc verbum, dixit: *Hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris.* Hic potuit *unctionem* conficere *sanativam,* secundum quod Actuum decimo dicit de ipso beatus Petrus: *Unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat in illo.* Unxit eum *Spiritu sancto*, et ideo attulit *unctionem spiritualem;* et *virtute*[10], et ita habuit *virtutem vitalem; quoniam Deus erat in illo* per unctionem, quoniam ipse erat Deus, et ita *vitam* habebat in semetipso, secundum illud Ioannis quinto[11]: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.*

Conditiones 2 unguentorum sanitatis non nisi in Christo.

Et quia in se *vitam* habebat, *mortuos vivificare* poterat; et ideo fecit *unguenta curantia a morbo lethali.* Dum enim mortalitatem nostram univit vitae, et ille qui vita erat, mortuus est; facta est confectio, in qua et per quam mortuus reviviscit, et ex morte ipsius Sacramenta habent vivificandi efficaciam. Unde super illud ad Ephesios quinto[12]: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et Ecclesia;* dicit Augustinus: « Dormit Adam, ut fiat Eva; moritur Christus, ut fiat Ecclesia. Dormiente Adam, fit Eva de latere; mortuo Christo, lancea percutitur latus, ut profluant

Christus fecit ista unguenta.

---

[1] Anselm., de Conceptu virgin. et orig. pecc. c. 18.

[2] Vers. 27. — Paulo inferius edd. omittunt *Patri.* Subinde pro *ad alios* codd. H Q *ad nos.*

[3] Vers. 2, ubi Vulgata post *semetipsum* addit *pro nobis.* — Inferius primo respicitur Marc. 14, 3: Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro; dein Ioan. 12, 3; demum Ioan. 1, 16: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. — Aliquanto inferius pro *ut non tantum passio sit*, quod habent codd. A E F M U X, alii cum edd. *et non tantum passio fit.* Subinde post *memorialia* cod. U supplet *passionis.*

[4] Vers. 1, ubi Vulgata: *in compositionem.* — Aliquanto inferius pro *incendium Domini* codd. E F [K primitus] *incensum Domini,* quae lectio confirmatur ab Isidoro, VII. Etymolog. c. 6. n. 74: Iosias, *ubi est incensum Domini,* propria etymologia nominis. Iste est enim qui simulacra combussit. — Hieron., de Nominibus Hebr. ex III. Reg.: Iosia, *cuius est sacrificium Domino*, vel salus Domini, vel fortitudo Domini.

[5] Vers. 10.

[6] Vers. 9. seq., ubi Vulgata *iustitiis* pro *iustificationibus.* — Paulo superius ex codd. F H I substituimus *figurativae unctiones* pro *figurae unctiones.*

[7] Vers. 4. — Seq. textus est Isai. 1, 6; et tertius ibid. 1, 5. — Paulo ante pro *curare* edd. *curari.*

[8] Ita codd. H K aa, alii cum edd. contra contextum *suavitatis.*

[9] Vers. 1. — Seq. textus est Luc. 4, 21; tertius est Act. 10, 38, in cuius fine pro *in illo* Vulgata *cum illo.*

[10] Contextu exigente (explicantur enim verba testimonii praemissi) et auctoritate codd. E G L V substituimus *et virtute* pro *et virtutem.*

[11] Vers. 26.

[12] Vers. 32. — Verba August. habentur In Ioan. Evang. tr. 9. n. 10, ubi textus originalis *Dormienti Adae* pro *Dormiente Adam.* Codd. et edd. contra textum originalem *ut perfluant* pro *ut profluant.* — Superius pro *reviviscit* edd. *reviviscitur.*

Sacramenta, quibus formetur Ecclesia». Ideo dicuntur magis Sacramenta profluxisse de *latere* quam de pedibus vel manibus — cum inde [1] profluxerit sanguis — propter ipsam convenientiam in significando, quia simul profluxit *sanguis et aqua;* et profluxit quidem de *iam mortuo;* in quo convenienter exprimitur Sacramentorum *confectio et institutio.* Sicut enim in *promerendo* Sacramentis [2] efficaciam *mors* iuncta est cum *vita,* sic *sanguis* vitalis exiit cum *aqua:* sic ergo Sacramenta sunt in *verbo* et *elemento* pariter instituta; et ideo ad sanandum non tantum *facta,* sed etiam *confecta* [3] dicuntur.

Confectio et institutio Sacramentorum.

Haec igitur Sacramenta sunt *perfecta* medicamenta, quae fecit unguentarius ad *placandum Deum,* et ideo sunt *pigmenta suavitatis;* et ad *sanandum hominem aegrotum,* et ideo sunt *unctiones sanitatis.* Unctiones autem sanitatis sunt, quia sanitatem *tribuunt* et ad sanitatem *disponunt: tribuunt* sanitatem sufficienter, quae est sanitas *gratiae,* de qua in Psalmo [4]: *Qui sanat contritos corde et alligat contritiones eorum; disponunt* ad sanitatem perfectam, quae est sanitas *gloriae,* de qua in Psalmo: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et hoc quidem facit in gloria. Et secundum hoc liber iste [5] etc.

Epilogus.

[1] Cod. V *cum tamen,* codd. F H Q bene *cum etiam inde,* i. e. quamvis etiam de pedibus vel manibus. Mox post *sanguis* in cod. Q additur *scilicet,* in cod. A perperam *et aqua.* In seqq. respicitur Ioan. 19, 33. seqq.

[2] Codd. G V *Sacramenti,* cod. H *Sacramentorum.* Inferius substituimus ex codd. A E H I aa cc *sic ergo* pro *sic etiam.*

[3] Cfr. C. *Hoc est quod dicimus* (48.) de Consecrat. d. 2.

[4] Psalm. 146, 3. — Seq. textus est Ps. 102, 3. Cfr. August., Enarrat. in dictos locc., ubi eodem modo exponuntur. — Inferius post *disponunt* edd. addunt *etiam* et in fine prooemii substituunt *faciet* pro *facit.*

[5] In codd. hic continuatur propositio, et immediate exhibetur *divisio textus,* ut etiam infra dicitur pag. 10, nota 4. Nobis autem cum Vaticana interiiciendus erat textus Magistri.

LIBER QUARTUS SENTENTIARUM

DE DOCTRINA SIGNORUM.

His tractatis quae ad doctrinam rerum pertinent, quibus fruendum est, et quibus utendum est, et quae fruuntur et utuntur, ad doctrinam signorum accedamus.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI.

---

[1] Codd. E H L *Quomodo.*
[2] Codd. K L M O P et ed. 1 *sunt.*
[3] Plures codd. omittunt hoc capitulum.
[4] Ita codd. E H Q et ed. 1, alii codd. addunt *et Filii* post *Patris.*
[5] Codd. A E *dimittatur.*
[6] Cod. D addit octavum capitulum: *Si parvulis datur in baptismo gratia, qua proficere in maiori aetate possunt.*
[7] Ita codd. D E H K L et ed. 1, alii codd. *Quid.*

[1] Codd. A D K L N O P *immolatur.*
[2] Codd. B C D E K O et ed. 1 hic addunt: *Quid sit poenitere,* et tamen distinguunt seq. capitulum.
[3] Ita codd. A B C N P et ed. 1, cod. L *aggravat,* cod. M *generat,* alii *gravant.*

---

[1] Codd. B M N *poenitentis.*
[2] Ita codd. C E H I K P Q, alii *De*, ed. 1 simpliciter *Quibus.*
[3] Codd. A E H I O P addunt *ab aliis*, ed. 1 *aliis.*
[4] Codd. C E et ed. 1 *Quando*, cod. A *Quod.*
[5] Ita codd. A C E H O P Q et ed. 1, alii codd. *Unde.*
[6] Codd. C E O *confirmatus.*
[7] Ita cod. A et ed. 1, alii codd. *Qui.*
[8] Codd., exceptis cod. H et ed. 1, omittunt *uxores.*

---

[1] Cod. H *separetur.*
[2] Codd. A E H I K N O et ed. 1 *Quando.*
[3] Codd. B D H I L *Anglos.*
[4] Codd. A C N O et ed. 1 *unam.*
[5] Cod. E addit *Sancti.*
[6] Codd. A B C E H K (N primitus) O Q et ed. 1 *cremantur.*
[7] Ita codd. A E H L, alii *et.*

DISTINCTIO I.

PARS I.

CAP. I.

De Sacramentis.

Samaritanus enim, vulnerato appropians, curationi eius Sacramentorum alligamenta adhibuit [1], quia Prooemium. contra peccati originalis et actualis vulnera Sacramentorum remedia Deus instituit. De quibus quatuor primo consideranda occurrunt: quid sit Sacramentum; quare institutum; in quibus consistat et conficiatur; et quae sit distantia inter Sacramenta veteris et novae legis.

CAP. II.

Quid sit Sacramentum.

«Sacramentum est sacrae rei signum [2]». Dicitur Dubium 1. tamen sacramentum etiam *sacrum secretum*, sicut dicitur sacramentum divinitatis, ut sacramentum sit *sacrum signans* et *sacrum signatum;* sed nunc agitur de sacramento, secundum quod est *signum.* — Item [3], Dubium 2. «Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma».

CAP. III.

Quid sit signum.

«Signum vero est res praeter speciem, quam ingerit Augustinus. sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire [4]».

CAP. IV.

Quo differant signum et Sacramentum.

«Signorum vero alia sunt *naturalia*, ut fumus Augustinus. significans ignem; alia *data* [5] »; et eorum quae *data* sunt, quaedam sunt Sacramenta, quaedam non. Omne enim Sacramentum est signum, sed non e converso. Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius signum est. Dubium 3. «Si enim Sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum Sacramenta sunt, *proprie* Sacramenta non dicerentur». Sacramentum enim proprie dicitur quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis Definitio. gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Non igitur significandi tantum gratia Sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quae enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non Sacramenta; sicut fuerunt sacrificia carnalia et observantiae caerimoniales veteris legis, quae nunquam poterant iustos facere offerentes; quia, ut ait Apostolus [6], *sanguis hircorum et taurorum et cinis* Dubium 4. *vitulae aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis*, non animae. Nam inquinatio illa erat contactus mortui. Unde Augustinus [7]: «Nihil aliud intelligo Augustinus. *inquinationem*, quam Lex mundat, nisi contactum mortui hominis, quem qui tetigerat *immundus erat septem diebus;* sed purificabatur secundum Legem die Dubium 5. tertio et septimo, et mundus erat», ut iam intraret templum. Mundabant etiam interdum a corporali lepra Dubium 6. illa legalia; sed nunquam ex *operibus Legis* aliquis iustificatus est, ut ait Apostolus [8], etiam si in fide et caritate fierent. Quare? quia imposuit ea Deus in servitutem, non in iustificationem, et ut *figura futuri* essent, volens, ea sibi ipsi potius offerri quam idolis. Illa ergo *signa* erant, sed tamen et *Sacramenta*, licet minus proprie, in Scripturis saepe vocantur, quia signa erant rei sacrae, quam utique non praestabant. Illa autem Apostolus [9] *opera Legis* dicit, quae tantum significandi gratia, vel in onus instituta sunt.

CAP. V.

Quare instituta sint Sacramenta.

Triplici autem ex causa Sacramenta instituta sunt: Dubium 7. propter *humiliationem*, *eruditionem*, *exercitationem*. Propter *humiliationem* quidem, ut dum homo in sen-

---

[1] Cfr. Luc. 10, 30.
[2] August., X. de Civ. Dei c. 5, et II. contra Adversar. Legis et Prophet. c. 9. n. 34. — Paulo inferius post *sicut* Vat. et plurimae edd. omittunt *dicitur*, refragantibus codd.
[3] August., III. Quaestion. in Pentateuch. q. 84.
[4] August., II. de Doctr. christ. c. 1. n. 1; in quo textu cod. C et edd., excepta 6, habent *cognitionem* pro *cogitationem*, refragante etiam originali.
[5] Loc. cit. n. 2. Seq. locus est August., Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifacium episc. n. 9.
[6] Hebr. 9, 13; superius de sacrificiis et caerimoniis cfr. Levit. 16, 15.
[7] Libr. IV. Quaestion. in Pentateuch. q. 33 n. 10. (secundum sensum), ubi respicitur Num. 19, 11. — Ibi ante *mundus* codd. C D et plurimae edd. addunt *ita*.
[8] Rom. 3, 20; Gal. 2, 16. Deinde respicitur Rom. 5, 14: Adae, qui est forma futuri.
[9] Loc. cit. et Act. 15, 10, ubi dicitur: Quid tentatis Deum imponere iugum.... quod neque patres nostri neque nos portare potuimus.

Dubium 8. sibilibus rebus, quae natura infra ipsum sunt, ex praecepto Creatoris se reverendo subiicit, ex hac humilitate et obedientia Deo magis placeat et apud eum mereatur, cuius imperio salutem quaerit in inferioribus se, etsi non *ab illis*, sed *per illa* a Deo. — Propter *eruditionem* etiam instituta sunt, ut per id quod foris in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem, quae intus est, agnoscendam[1] mens erudiatur. Homo enim,
Dubium 9. qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum adeo hebuit, ut nequeat divina capere, nisi humanis exercitatus. — Propter *exercitationem*
Dubium 10. similiter instituta sunt: quia, cum homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in Sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem. Non enim facile capitur a tentatore, qui
Hieronymus. bono vacat exercitio; unde Hieronymus[2] monet: « Semper aliquid operis facito, ut te occupatum diabolus inveniat ». « Sunt autem *exercitationum* tres species: una ad *aedificationem animae* pertinet, altera ad *corporis fomentum*, alia ad *utriusque subversionem* ». — Cum igitur absque Sacramentis, quibus non alligavit potentiam suam Deus, homini gratiam donare posset, praedictis de causis Sacramenta instituit. « Duo autem sunt, Dubium 11.
in quibus Sacramentum consistit, scilicet *verba* et *res*: *verba*, ut invocatio Trinitatis; *res*, ut aqua, oleum et huiusmodi ».

Cap. VI.

De differentia Sacramentorum veterum et novorum.

Iam videre restat differentiam Sacramentorum veterum et novorum, ut Sacramenta vocemus quae antiquitus res sacras signabant, ut sacrificia et oblationes et huiusmodi. Eorum autem differentiam breviter Augustinus[3] assignat dicens, « quia illa promittebant Dubium 12.
tantum et significabant, haec autem dant salutem ».

Pars II.

Cap. VII.

De circumcisione.

Fuit tamen inter illa Sacramenta Sacramentum
Dubium 1. quoddam, scilicet circumcisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptismus. Unde Augustinus[4]: « Ex quo instituta est circumcisio in po-
Augustinus et Beda. pulo Dei, quae erat tunc *signaculum iustitiae fidei*, ad purgationem valebat magnis et parvulis originalis veterisque peccati; sicut baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est ». Item
Dubium 2. Beda[5]: « Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, excepto quod regni caelestis ianuam non-
Dubium 3. dum intrare poterant; tamen in sinu Abrahae post mortem beata requie consolati, supernae pacis ingressum spe felici exspectabant ». — His aperte traditur, per circumcisionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis et actualis parvulis et maioribus a Deo praestitam, sicut nunc per baptismum datur.

Cap. VIII.

Quod remedium illi habuerunt, qui fuerunt ante circumcisionem.

Quaeritur autem de viris, qui fuerunt ante circumcisionem, et de feminis, quae fuerunt ante et post, quod remedium contra peccatum habuerint. — Quidam
Opiniones 2. dicunt, sacrificia et oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circumcisionem iustificatos, mulieres vero per fidem et operationem bonam, vel suam, si adultae erant, vel parentum, si parvulae; eos vero qui fuerunt ante circumcisionem parvulos in fide parentum, parentes vero per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, iustificatos. Unde Gregorius[6]: « Quod apud Gregorius.
nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis ».

Cap. IX.

De institutione circumcisionis et causa.

Hic dicendum est, *in quo* instituta fuerit circum- Quaestiones.
cisio; et *quare*; et *cur mutata* per baptismum. — Abraham primus mandatum circumcisionis habuit[7] ad probationem obedientiae; nec ei soli praecepta fuit cir- Dubium 4.
cumcisio, sed et semini eius, id est omnibus Hebraeis; quae fiebat secundum Legem octava die lapideo cultro in carne praeputii. — Data autem fuit circumcisio pluribus de causis, scilicet ut per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per praevaricationem Adam displicuerat. Data etiam fuit in signum magnae fidei Abrahae, qui credidit, se habiturum filium, in quo fieret benedictio omnium. Deinde, ut hoc signo a ceteris nationibus discerneretur populus ille. In carne vero praeputii ideo iussa est fieri circumcisio, quia in remedium instituta est originalis peccati, quod a pa-

[1] Cod. C et plures edd. *cognoscendum*. Deinde pro *adeo hebuit, ut nequeat* edd., excepta 1, legunt *a Deo habuit, ut nequaquam* (aliquae *nequeat*), refragantibus codd.

[2] Epist. 125. (alias 4.) ad Rustic. n. 11. — Quae in hoc cap. praecedunt et duo loci sequentes sumta sunt ex Hugone, Sum. Sent. tr. 4. c. 1. et l. de Sacram. p. IX. c. 3.

[3] Enarrat. in Ps. 73. n. 2.

[4] Libr. II. de Nuptiis et concupisc. c. 11. n. 24; et Gratian., C. *Ex quo* (7.), de Consecrat. dist. 4. Respicitur Rom. 4, 25.

[5] Homil. 10 (super Luc. 2.) in Circumcis. Domini.

[6] Libr. IV. Moral. c. 3. in praefat.; et Gratian., C. *Quod autem* (5.), de Consecrat. dist. 4.

[7] Cfr. Gen. 17, 10 seq.; deinde Ios. 5, 2, de quibus agitur etiam infra. — Totum hoc cap. sumtum est ex Glossa ad Rom. 4, 10; Gen. 17, 10, et Ioan. 7, 22.

rentibus trahimus per concupiscentiam, quae in parte illa magis dominatur. Et quia in parte illa culpam inobedientiae primus homo sensit, decuit, ut ibi signum obedientiae acciperet.

Fiebat autem octavo die petrino cultro, quia et in Dubium 5. 6. resurrectione communi octava aetate futura per petram Christum omnis ab electis abscindetur corruptio, et per Christi resurrectionem octava die factam circumciditur Dubium 7. a peccatis anima cuiusque in eum credentis. « Duae igitur res sunt illius Sacramenti [1] ».

Ideo autem mutata est circumcisio per baptismum, quia Sacramentum baptismi et communius est et per- Praestantia baptismi. fectius, quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adiutrix nec virtutum possessio vel augmentum ibi praestabatur, ut in baptismo, ubi non modo abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur, et virtutes augentur. Unde *aqua refectionis* dicitur, quae [2] aridos fecundat et iam fructificantes ampliori ubertate donat; quia, quantumcumque per fidem et caritatem ante habitam aliquis iustus ad baptismum accedit, uberiorem ibi recipit gratiam, sed non ita in circumcisione. Unde Abrahae per fidem iam iustificato Dubium 8. *signaculum* tantum fuit, nihil ei intus contulit.

Cap. X.

De parvulis defunctis ante diem octavum, quo fiebat circumcisio.

Si vero quaeritur de parvulis, qui ante diem octavum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex Lege, utrum salvarentur, vel non; idem potest responderi, quod sentitur de parvulis ante baptismum defunctis, quos perire constat. Unde Beda [3]: « Qui nunc per Evan- Beda. gelium terribiliter et salubriter clamat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei;* ipse dudum clamat per suam Legem: *Anima, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Forte tamen sub Lege, ingruente necessitate mortis, ante octavum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo in Ecclesia fit de baptismo ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM I.

Pars I.

De Sacramentis in generali.

Samaritanus enim etc.

DIVISIO TEXTUS.

Et secundum hoc liber iste habet duas partes [1]. In prima agit de Sacramentis secundum sanitatem, quam tribuunt. In secunda agit de gloria, ad quam disponunt, infra distinctione quadragesima tertia: *Postremo de conditione resurrectionis* [2].

Prima pars habet duas. In prima determinat de Sacramentis in generali. In secunda in speciali, infra distinctione secunda: *Iam ad Sacramenta novae legis accedamus.*

Prima pars, quae continet praesentem distinctionem, habet tres partes. In prima enim ponit partem prooemialem. In secunda principalem, ibi: *Sacramentum est sacrae rei signum* etc. In tertia incidentem, ibi: *Fuit tamen inter illa Sacramenta quoddam* etc.

In parte autem prooemiali duo facit. Primo per quandam parabolam ostendit, quae sit Sacramentorum causa institutiva. Secundo dicit, quae sint generaliter de Sacramentis determinanda, ibi: *De quibus quatuor primo consideranda sunt.*

Pars vero principalis, in qua determinat de Sacramentis in generali, habet quatuor secundum illa quatuor, quae Magister praemittit determinanda. Primo enim determinat, quid sit Sacramentum. Secundo vero, quare institutum, ibi: *Triplcii autem ex causa Sacramenta instituta sunt.* Tertio vero, in quibus sit institutum, ibi: *Duo autem sunt, in quibus* etc. Quarto vero novorum [3] et veterum assignat differentiam, ibi: *Iam videre restat differentiam* etc.

---

[1] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 1; ex quo capitulo excerpsit Magister omnia quae in II. parte huius dist. habentur. Ipse Hugo hanc ultimam propositionem sumsit ex August. tr. 30. in Ioan. n. 5.

[2] Ita codd. et ed. 1, in aliis *quia;* et mox pro *et iam* codd. A E et edd., excepta 1, *etiam.* — Hic respicitur Ps. 22, 2; cfr. ibi Glossa *interlinearis.*

[3] Loco supra cit. et etiam in Comment. in Luc. 2. Loci Scripturae sunt Ioan. 3, 5, deinde Gen. 17, 14. — Inferius pro *dudum clamat* plurimae edd. *dudum clamabat,* ed. 1 *clamavit.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Coniungenda est ista propositio cum fine prooemii. Cfr. supra pag. 3, nota 5. — Edd. praeter fidem codd. legunt sic: Postquam Magister supra in tertio libro egit de reparatione per gratiam mediatoris Dei et hominum homini praestita, consequenter in hoc quarto agit de Sacramentis, quibus fragilitatis humanae peccatorum vulnera ligantur et curantur etc.

[2] Plurimi codd. *resurgentium.*

[3] Cod. Z supplet *Sacramentorum.* Inferius in verbis Magistri pro *differentiam* non pauci codd. *distantiam.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae in hac prima parte determinantur, quaeritur de Sacramentis in generali.

Et primo quaeritur de Sacramentorum institutione.

Secundo de significatione.

Tertio de continentia.

Quarto de efficacia.

Quinto de differentia Sacramentorum veterum et novorum.

Sexto de gratia in eis collata.

ARTICULUS UNICUS.

De Sacramentis in generali.

QUAESTIO I.

De Sacramentorum institutione.

Circa primum sic proceditur. Quod Sacramenta non debuerunt institui, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per hoc, quod non videtur *decere Deum:* quoniam maius est recreare et reparare quam creare [1]: ergo si potentiam creandi Deus sibi soli reservavit, multo fortius videtur, quod potentiam reparandi: ergo videtur, quod solus Deus sit medicus et medicina: ergo nulla alia Sacramenta.

2. Item, natura inferior facit semper per pauciora, quanto potest bono modo; et in hoc est laudabilis, «quia in paucioribus via magis [2]»: ergo et hoc attribuendum est summae naturae: si ergo homo sufficienter reparatur per fidem et virtutes, ergo superfluum fuit dare Sacramenta.

3. Item, quod non *expediat aegroto,* videtur: quia tanto melius est aegroto, quanto plures et latiores habet vias veniendi ad salutem, et tanto est in maiori periculo, quanto est sibi via arctior [3]; sed, institutis Sacramentis, non est alia via veniendi nisi per Sacramenta, prius autem erat omnis via, qua se disponebat aegrotus ad gratiam: ergo arctata est via per Sacramentorum institutionem.

4. Item, quamvis mandata servare non sit grave naturae sanae, tamen est grave naturae infirmae [4]: ergo multiplicare mandata non est nisi aggravare sarcinam: ergo si sola moralia essent in praecepto, facilius deveniretur ad salutem: ergo instituere Sacramenta ulterius non fuit nisi viam salutis aggravare et impedire.

Fundamenta.

Contra: 1. Aliquo plus indiget aegrotus quam sanus [5]: ergo aliquid plus oportuit dari homini curando ad perveniendum ad salutem, quam si non cecidisset; talia autem non sunt nisi Sacramenta, quia alias etiam habuisset gratiam et virtutes et dona: ergo etc.

2. Item, quia homo erat *ignorans,* fuit opportunum et conveniens dare documenta praeceptorum sive legalia [6]: ergo cum esset *infirmus,* pari ratione et medicamenta sacramentalia.

3. Item, humana natura lapsa erat in anima et in corpore, et ad hoc, quod perfecte relevaretur, decuit, ut eam Deus assumeret totam [7]: ergo si medicina debet respondere effectui reparationis, decuit, ut medicina haberet aliquid corporale et spirituale; sed talia sunt Sacramenta: ergo Sacramenta debuerunt institui.

---

[1] Ut insinuat August., in Ioan. Evang. tr. 72. n. 3. Cfr. infra d. 5. a. 3 q. 1. fundam. 1. Quod autem Deus potentiam creandi sibi reservaverit, docet S. Bonav. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 2. — Inferius pro *potentiam reparandi* cod. Z *potentiam recreandi.*

[2] Secundum Aristot., II. Topic. c. 2. Cfr. III. Sent. Prolegom. pag. V col. 2. in fine. Cod. B addit *brevis,* edd. *eligibilis,* cod. K (1 a secunda manu) legit *in paucioribus virtus magis apparet.* — De *maiori,* quae etiam est secundum Aristot., et in qua pro *semper* codd. H N Y aa *rem,* et pro *quanto* cod. Z *quanto plus,* vide tom. III. pag. 277, nota 1.

[3] Respicitur Matth. 7, 14: Arcta via est, quae ducit ad vitam. — Paulo inferius voci *Sacramenta* cod. aa praemittit *ipsa,* et subinde post *erat* cod. Z addit *bona.*

[4] Cfr. tom. III. pag. 891, nota 4, ubi plura de hoc ex Bernardo allata sunt.

[5] Matth. 9, 12: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. — De ultima propositione arg., quae asserit, etiam in statu naturae non lapsae sine Sacramentis gratiam et virtutes donandas fuisse, cfr. etiam II. Sent. d. 29. per totam. — Inferius post *alias* cod. M addit *licet non cecidisset.* Finem arg. cod. O exhibet sic: *pari ratione medicamenta essent ei danda scilicet Sacramenta.*

[6] Vide tom. III. pag. 814, nota 3. — Post *conveniens* in edd. additur *sibi.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 2. a. 2. per totum. Ipsum arg. insinuat Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 2. et 6: Quia enim totus homo corruptus erat, totum, quod hominis foris erat, ad Sacramentum sumendum erat, ut totum in Sacramento foris sanctificetur, et in toto virtus Sacramenti intus remedium operetur. — Inferius pro *aliquid* plures codd. *aliquod.*

4. Item, «omnis religio, ut dicit Augustinus contra Faustum[1], habuit aliqua signa exteriora, in quibus convenirent, ut Deum colerent»; et hoc patet discurrendo in singulis, etiam in idololatris: si ergo Ecclesia debet habere signa sacrae religionis sibi convenientia, et huiusmodi sunt signa rei sacrae et sacrantia, decuit Deum instituere Sacramenta.

CONCLUSIO.

Sacramenta institui opportunum fuit necessitate congruitatis, non inevitabilitatis.

Respondeo: Dicendum, quod institutio Sacramentorum *Deum decuit* et *nobis expediens fuit.* Conclusio.

Decuit quippe Dei *misericordiam* et *iustitiam* et *sapientiam*, in quibus consideratur omnis Domini via. Ratio 1. triplex. Decuit *misericordiam*, quia homo male gratiam servabat propter voluntatis vertibilitatem; ideo instituit Deus Sacramenta, ad quae homo recurrens gratiam recuperaret; et ita misericordiae magnae fuit haec instituere, maxime quia non solum ad remissionem *culpae* faciunt, verum etiam ad remissionem *poenae.* — Decuit etiam *iustitiam,* quia[2], cum sit iustus, exigebat aliquam humiliationem, per quam homo se ad gratiam disponeret et Sacramenta suscipiendo quasi ex quodam pacto gratiam inveniret. — Decebat etiam *sapientiam:* summae enim sapientiae est in his invenire remedium, quae fuerunt occasio lapsus, ut, sicut homo per lignum cecidit, ita per lignum remedium salutis inveniret[3]. Sic quia homo occasionem lapsus a visibilibus sumserat, decuit divinam sapientiam in eisdem remedium invenire.

Expediens fuit a parte aegroti: quia erat *caecus* quoad rationalem, ideo data sunt ei Sacramenta visibilia ad *eruditionem;* Ratio 2. triplex. erat *elatus* quoad irascibilem, ideo data sunt ei Sacramenta corporalia ad sui *humiliationem;* erat *fastiditus* quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia, ideo Sacramenta sunt ei data ad *exercitationem,* ne forte in unius solius perceptione[4] vel spiritualium tantum contemplatione sibi posset fastidium generari et taedium. — Fuit igitur necessarium instituere Sacramenta necessitate *congruitatis,* non *inevitabilitatis;* quia «Deus potentiam suam Sacramentis non alligavit», sicut dicit Magister in littera[5].

1. Ad illud quod obiicitur, quod non communicavit potentiam creationis; dicendum, quod creatio est ex non-ente; ideo non est ibi necessaria potentia ad *disponendum* nec potentia ad *informandum,* sed solum potentia ad *efficiendum:* ideo etc. Solutio oppositorum. Notandum. Sed quia iustificatio est alicuius entis melioratio, potest esse *informans* et *disponens* et *efficiens. Informare* Deo non convenit; ideo hoc dedit creaturae, ut gratiae; *disponere* nostrum est cum adiutorio Dei[6], sed *efficere* solius Dei: nulli ergo communicat potentiam *effectivam,* sed dat *informativam* gratiae et *dispositivam* Sacramentis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nobilitatis est operari per pauciora; dicendum, quod verum est, si aeque bene per pauciora res fit; et quia nostra reparatio non fit omnino secundum *potentiam agentis,* sed secundum *congruentiam recipientis,* quia est ibi *misericordia et veritas*[7]*;* ideo non tantum debuit esse iustificatio per *informationem,* quae est per virtutes, sed et per *praeparationem,* quae est per Sacramenta. — Vel aliter, ut dicit Hugo[8]*:* «Virtutes sunt arma ad impugnandum, Sacramenta ad defendendum». Aliter. Unde Sacramenta adiuvant gratiam, et ideo non superfluunt; quod patet, quia gratia delet culpam, sed non absolvit a poena, Sacramentum baptismi adiunctum gratiae solvit a poena.

3. Ad illud quod obiicitur, quod esset facilior via; dicendum, quod etsi plures essent, tamen nulla ita bona, nulla ita utilis, nulla ita efficax et compendiosa[9]. *Praeterea,* homo eam nesciebat et ad inquirendum piger erat, ideo oportuit et expedivit, ut sibi ostenderetur et ad eam per praeceptum invitaretur, maxime quando homo indiget necessario effectu Sacramenti.

4. Ad illud quod obiicitur de mandatis, quod[10] sunt gravia naturae infirmae; dicendum, quod est

---

[1] Libr. XIX. c. 11: In nullum autem nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur. — Pro *exteriora* codd. A E I K aa *extrinseca.* Circa finem arg. pro *rei sacrae* Vat. *sacra.* — Cfr. lit. Magistri hic c. 2. 4.

[2] Codd. A E V aa *qua.* Inferius pro *etiam* edd. *denique.*

[3] Praefatio de Cruce ex Missal. Rom.: Qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. August., de Vera Relig. c. 24. n. 45: Nam in quem locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere, ut surgat. — Mox plurimi codd. *Sed quia* pro *Sic quia.*

[4] Codd. A E L M O R S U (V primitus) X *praeceptione.* Cfr. tom. III. pag. 809, nota 12.

[5] Hic c. 5. — Paulo ante pro *non inevitabilitatis* cod. E *non tamen inevitabilitatis.*

[6] Epist. I. Cor. 3, 9: Dei enim sumus adiutores. Cfr. II. Sent. d. 26. q. 2. — Verbo *disponere* codd. K aa addunt *vero.*

[7] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini misericordia et veritas. Cfr. III. Sent. d. 20. q. 2. in corp., ubi verba haec exponuntur de reparatione generis humani.

[8] Liber. I. de Sacram. p. IX. c. 8, ubi ait: Tria ergo simul sunt, fides, Sacramentum et opus. In fide Christiano fortitudo tribuitur, in Sacramentis arma, in operibus bonis tela contra diabolum pugnaturo. Cfr. ibid. p. X. c. 9. — De ultima solutionis propositione cfr. infra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. — Inferius post *non absolvit a poena* cod. K addit *principaliter.*

[9] Cfr. August., de Vera Relig. c. 17. n. 33. seqq. — Mox pro *eam* plures codd. *eas,* codd. A W cc *ens.* Subinde post *ostenderetur* codd. H Z addunt *via.*

[10] Codd. H K L V *quae,* codd. A E I *quod quae.* Inferius pro *currus in equis* Vat. *rotae in curribus et vela in navibus;* sed vide tom. III. pag. 892, nota 2. verba Bernardi. Post pauca pro *reparatur* edd. *redditur.*

onus *onerans*, et est onus *allevians*, sicut sunt pennae in avibus et currus in equis. Primum onus verum est quod gravat; secundum vero onus, etsisit onus de se, non tamen onerat portantem. Sic et mandatum, per cuius portationem reparatur lapsa virtus, etsi sit pondus, tamen, quia virtutem adiuvat, alleviat. Talia sunt Sacramenta, in quibus invenitur gratia, quae fortificat et facit mandata facilia.

SCHOLION.

I. Vocabulum *sacramenti*, quod multiplicem habet sensum, hic sumitur pro *signo rei sacrae, in quantum est sanctificans* (ut ait S. Thom. S. III. q. 60. a. 2.), vel, ut alii dicunt, signum rei sacrae sacrans. Hinc S. Bonav. (Breviloq. p. VI. c. 1.) dicit, quod Sacramenta sunt signa sensibilia « ex naturali similitudine repraesentantia, ex adiuncta institutione significantia, ex superaddita benedictione sanctificantia et ad gratiam praeparantia, per quam curaretur et sanaretur anima nostra »; quod propriissime convenit Sacramentis novae legis. Cum novatores saeculi XVI. totam fere ecclesiasticam de re sacramentaria doctrinam evertere tentaverint; in Concilio Tridentino antiquitus tradita doctrina novis multisque plurium sessionum decretis vindicata et illustrata est. Errores contra doctrinam catholicam de Sacramentis *in genere*, de qua re tractatur in hac 1. distinctione, confixi sunt 13 canonibus sessionis VII. De Sacramentis in genere diffusissime agit Alex. Hal., S. p. IV. q. 1-6; quae hic quasi in compendium, alio tamen ordine, redacta sunt.

II. Quid sit Sacramentum, docetur infra q. 2, dub. 1-3, et Breviloq. loc. cit., ubi etiam ipsa 1. quaestio breviter et optime solvitur, et rationes afferuntur, quare Deus Sacramenta instituerit. Quaestio autem haec intelligenda est de statu naturae lapsae; sed infra d. 2. a. 1. q. 1. 2. etiam de aliis statibus agitur, de quibus ceteri commentatores Lombardi hoc loco tractare solent.

De hac quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 1. m. 2. a. 2. 3. — Scot., hic q. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1-5. (de singulis statibus); S. III. q. 61. a. 1. 3. 4; S. c. Gent. IV. c. 56. — B. Albert., hic a. 1. 13. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. 3. 4. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Quoad seq. (2.) quaestionem constat, quod Sacramenta sint signa, et quidem triplici modo, scilicet signa memorativa, demonstrativa, prognostica (hic ad 4; Breviloq. p. VI. c. 2; S. Thom., S. loc. cit. q. 60. a. 3.). — Disputant tamen theologi de *obiecto* significationis, si agitur de Sacramentis in genere, id est tum veteris tum novae legis. Quidam enim dicunt, quod semper significent veram *sanctitatem internam*, sive praesentem et a Sacramento conferendam, sive futuram et per aliud efficiendam. Hoc tenet S. Thom. (loc. cit. a. 1. 2.); unde ita sentientibus *causalitas* respectu significati non est de essentiali ratione Sacramenti *in genere;* immo ipsa possunt esse signa *pura* rei sacrae hominem sanctificantis. Hinc sequitur, Sacramenta tum novae tum veteris legis convenire in ratione *univoca*. Scot. autem (hic q. 2. n. 9. seq.) concedit quidem, ad rationem omnium Sacramentorum proprie sumtorum spectare, ut significent *internam sanctitatem*, sed insuper requirit, ut eandem *causent*. Ex quo sequitur, quod secundum ipsum Sacramenta veteris legis (excepta circumcisione aliove remedio contra originale peccatum) non fuerint Sacramenta nisi *improprie* et secundum analogiam. — Alii autem recentiores cum Cano, Bellarmino et etiam Suarez distinguunt *imperfectam* sive legalem sanctitatem a *perfecta* et interna; et primi illi docent, quod omnia Sacramenta vel unam, vel alteram sanctitatem *simul* significent et conferant; Suarez vero ponit, ea significare quidem semper sanctitatem veram, simul autem requiri, quod conferant aliquam sanctitatem, saltem legalem. — S. Bonav. (hic et infra q. 5, ubi approbat sententiam Hugonis) convenit cum S. Thoma et Scoto in assignanda *significatione* Sacramentorum veteris legis, quae sententia etiam in Decreto ad Armenos insinuatur (cfr. scholion ad q. 3.), sed aliquam etiam *causalitatem* respectu sanctitatis legalis *omnibus* tribuit, ut patet ex praenotatis locis et hic dub. 1-3. Idem docet Alex. Hal. Vulgatum est adagium theologicum, quod Sacramenta legis veteris fecerint hominem *sacrum*, novae vero faciant eundem *sanctum*.

IV. De hac 2. quaestione: Alexander Hal., loc. cit. q. 1. m. 1; q. 3. m. 3. a. 2, q. 5. m. 3. a. 4. § 3. — Scot. in utroque Scripto, hic q. 2, nec non q. 3. n. 8. — B. Albert., hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1. et 6.

QUAESTIO II.

De Sacramentorum significatione.

Secundo quaeritur de Sacramentis quantum ad significationem; et quod significatio sit de essentia sive integritate Sacramenti, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo per definitionem sive notificationem, quam Magister ponit in littera[1]: « Sacramentum est sacrae rei signum ».

2. Item, Hugo in libro de Sacramentis[2]: « Sacramentum est materiale elementum ex similitudine repraesentans, ex institutione significans »: ergo si Sacramentum *esse* suum habet ex institutione et est institutum ad significandum: ergo significare est ei essentiale.

3. Item, Sacramenta instituta sunt « ad nostram eruditionem », secundum quod Hugo[3] dicit, et Magister tangit in littera; sed non ad eruditionem corporalium: ergo ad eruditionem spiritualium. Sed Sacramenta sunt corporalia et non ducunt in spiritualia nisi in ratione significandi, quia offerendo se sensibus aliud faciunt in cognitionem venire: ergo etc.

---

[1] Hic c. 2.

[2] Libr. I. p. IX. c. 2. — Cod. B cum textu originali post *materiale* addit *vel corporale foris visibiliter* [textus originalis *sensibiliter*] *propositum*, et in fine *ex sanctificatione continens aliquam invisibilem et spiritualem gratiam*. In fine arg. pro *essentiale* cod. H *naturale*. — Notamus hic semel pro seqq., quod codd. passim inter se dissentiunt in usu verborum *signare, signatum, signatio* et *significare, significatum, significatio*. Nos pro opportunitate has formas eligemus.

[3] Sum. Sent. tr. 4. c. 1. et I. de Sacram. p. IX. c. 3. — De Magistro vide hic c. 5. — In fine arg. respicitur definitio signi ab August. data et a Magistro hic in lit. c. 3. allata.

4. Item, Sacramentum est elementum; aut ergo *purum* elementum *corporale*, aut etiam *simul* cum hoc dicit aliquid *spirituale*. Non *purum corporale*, hoc constat: ergo cum hoc dicit aliquid *spirituale*. Illud ergo spirituale aut unitur ei secundum *veritatem*, aut secundum *intentionem;* sed non secundum *veritatem* — illud constat, cum non sit capax, sicut infra [1] probabitur — ergo secundum *intentionem*. Sed uniri secundum intentionem est uniri, sicut signatum unitur signo: ergo de Sacramentorum integritate est ipsa significatio.

Ad oppositum. Contra: 1. Sacramenta principaliter sunt instituta ad curandum; sed ad hoc, quod aliqua medicina sit curativa, nihil facit, quod curationem significet, sed sufficit solum, quod curet: ergo Sacramentum potest esse perfecta medicina etiam sine significatione: ergo significatio non est de integritate Sacramenti.

2. Item, si Sacramentum est medicina, Sacramentum aliquo modo est causa; sed causa non est signum effectus, immo magis signatum [2]: ergo Sacramenti potius est *significari* quam *significare*.

3. Item, si signum est de integritate Sacramenti; ergo quod non significat non est Sacramentum, et quod non significat huic, ei cui non significat, non est Sacramentum; sed Sacramentum baptismi nihil significat parvulo: ergo parvulo non est Sacramentum: ergo dum parvulus recipit baptismum, non recipit Sacramentum. Sed hoc est absurdum [3]: ergo signum non est de integritate Sacramenti.

4. Item, si signum, aut ergo *demonstrativum*, aut *prognosticum*, aut *rememorativum;* non potest esse nisi *demonstrativum*, quoniam efficit quod figurat, vel saltem, si non efficit, cum signum et signatum sint relativa, sunt simul natura: ergo si signum est praesens, et signatum [4]. Sed *demonstrativum* non est, ut videtur, quia, si hoc — cum demonstret, inesse gratiam, et non insit, — tunc videtur esse falsum signum: ergo et falsum Sacramentum.

5. Item, si signum est, aut est *naturale*, aut *voluntarium* [5]. Si *naturale:* ergo Sacramenta sunt a natura; et si hoc — cum illud quod est naturale, sit idem apud omnes — tunc ergo et Sacramentum; quod certum est esse falsum. Si *voluntarium:* ergo cum voluntaria augeantur et minuantur tota die, sicut patet in dictionibus, ergo pari ratione videtur, quod Sacramenta possint mutari pro voto. — Si *tu dicas*, quod sunt signa voluntaria, quia [6] a voluntate divina; *sed* talia sunt cetera creata, et omne quod est sub caelo: ergo non debent dici propter hoc signa voluntaria; aut si hoc, tunc pari ratione cetera alia creata.

CONCLUSIO.

Significatio est de essentia Sacramentorum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod sacramentalis medicina de sua integritate habet significationem, et haec communis est et essentialis omnibus Sacramentis. Conclusio.

Ratio autem huius, ut credo, haec est: quoniam sacramentalis medicina est *sufficiens* [7] *medicamen;* quoniam igitur homo lapsus non tantum lapsus est in pronitatem concupiscentiae, sed etiam in caecitatem ignorantiae: ideo, ut in utroque curetur per Sacramentum, non tantum debet habere Sacramentum quid *gratuitum*, sed etiam *mysticum* [8], et ita figurativum et significativum. — *Rursus*, quia est *sufficiens* medicina de se, fert secum suum *praeparatorium*. Unde sicut medicina corporalis non prodest, nisi praeparetur suscipiens, sic necesse est fieri spiritualiter; et quoniam fides disponit hominem, ut ei sint salutifera Sacramenta; et motus fidei excitatur per exhibitionem signi, ut requirat signatum; et per hoc homo disponitur ad curationem: ideo tanquam medicina efficax et sufficiens sacramentalis medicina habet significationem de sua integritate; et ita, essentialiter loquendo, Sacramentum est signum. Ratio 1. Ratio 2.

Solutio oppositorum. 1. Et per hoc patet responsio ad primum argumentum, quod obiicit de medicina corporali: quoniam non est simile, ut iam patet.

2. Ad illud quod obiicitur, quod causa non est signum effectus; dicendum, quod illud verum est, quando habitudo signandi consequitur habitudinem causandi; in Sacramentis autem antecedit. — Vel dicendum, quod hoc verum est in his quae habent *vere ac proprie* rationem causae et effectus; vera Aliter.

---

[1] Quaest. 4. — Inferius post *est* codd. omittunt *uniri*.

[2] Aristot., de Divinat. per somnum c. 1: Dico autem *causam* quidem, ut lunam defectus solis, et laborem febris; *signum* vero defectus stellam subintrare, asperitatem vero linguae febriendi.

[3] Cfr. infra d. 4. p. II. a. 2. q. 1. seqq. — Superius pro *huic* cod. aa *hoc*.

[4] Boeth., V. de Consol. prosa 4: Omne etenim signum tantum quid sit ostendit, non vero efficit quod designat. — Aristot., de Praedicam. c. *De his quae ad aliquid* (relativis) ait: Videntur autem *ipsa ad aliquid* simul esse natura etc. — In principio arg. post *Item, si* edd. supplent *Sacramentum est*, codd. K aa *est*.

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Infra respiciuntur verba Boeth., de Divisione: Nam quod apud omnes idem est naturae est etc. Cfr. tom. III. pag. 818, nota 1. — Aliquanto inferius post *in dictionibus*, pro quo ed. 1 *inductionibus*, Vat. addit *vel terminis*.

[6] Edd. supplent *sunt*, et subinde pro *sed talia sunt* substituunt *sed cum talia sint*, cod. I *contra, sed talia sunt*.

[7] Cod. X bene *efficax et sufficiens*.

[8] Cfr. infra d. 3. p. I. a. 1. q. 3. in corp.

enim causa natura prior est[1], et ideo a sensibus nostris remotior; et quia significatio est per id quod est nobis propinquum, ideo significamus causam per effectum, non e converso. Sed hoc non est verum in proposito. Quia enim Sacramentum non habet *vere* rationem causae, nec gratia rationem effectus[2]; ideo gratia sublimior est et a sensibus nostris remotior, et corporale nobis est propinquius: ideo recte per illud gratia significatur, non e converso. Propositio vero illa locum habet in vera causa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Sacramentum *Notandum.* non significat parvulo; dicendum, quod signum duplicem habet comparationem: et ad illud quod significat, et ad illud cui significat; et prima est essentialis et habet ipsam semper in actu, secundam autem habet in habitu; et a prima dicitur *signum*, *Simile.* non a secunda. Unde circulus super tabernam semper est signum, etiam si nullus aspiciat; sic Sacramentum semper signum est, quamvis nullus cognoscat. — *Solutio 2, melior.* Sed tamen adhuc non solvitur, quia, quamvis sit signum, non tamen significat *huic*. Ideo dicendum, quod sicut parvulo sufficit fides aliena[3], ita sufficit, quod significetur ipsi parvulo in alio: unde quamvis non significet ei in se, significat tamen in alio.

4. Ad illud quod obiicitur, quo genere signi *Notandum de 3 signis.* continetur; dicendum, quod aliqua Sacramenta significaverunt quod *futurum* erat, ut legalia; aliqua quod *praeteritum*, ut Sacramenta nostra, quae significant passionem praeteritam, sicut dicit Glossa super illud ad Romanos sexto[4]: *Consepulti estis* etc.: « Quidquid gestum est in cruce Christi, in his non tantum dictis, sed etiam gestis figuratur »; loquitur de Sacramentis. Sunt etiam signa *demonstrativa*, quia significant quod donant; unde *duplicem* habent significationem, propriam scilicet et allegoricam: propriam respectu *praesentis*, sed allegoricam respectu *praeteriti*. — Quod ergo obiicitur, quod signum et signatum simul sunt natura; dicendum, quod verum est sub ratione *signi*, non autem oportet, quod simul sub ratione *rei substratae*[5], quoniam haec intentio signorum non ponit, rem esse nisi apud animam. — Similiter, quod obiicitur, quod si sunt demonstrativa, tunc sunt falsa; dicendum, quod signum duplicem habet veritatem, ut dicit Ansel- *Notandum.* mus[6]: unam ab *institutione*, aliam ab *usu*. Ab *institutione*, quia imposita est ad hoc significandum; et haec veritas non potest permutari. Alia veritas est secundum *usum*, scilicet quando significat illud, ad quod est instituta per usum, et hanc veritatem amittit. Signum igitur sacramentale quantum ad primam semper est verum; similiter quantum ad secundam semper est verum, quantum est ex parte *sui* sive etiam *dantis*, sed impeditur solum a parte *suscipientis*: ideo Sacramentum non falsificatur, sed male recipiens falsus et fictus iudicatur[7].

5. Ad illud quod obiicitur, quod non est naturale nec voluntarium; dicendum, quod Sacramentum *habilitatem* ad significandum habet ex natura, sed *actualitatem* habet ex institutione. Unde Hugo[8] *Notandum.* dicit, quod « tria sunt in Sacramento: *similitudo* ex creatione, *significatio* ex institutione, *sanctificatio* ex benedictione. Prima est indita per Creatorem, secunda adiuncta per Salvatorem, tertia administrata per dispensatorem ». — Quod ergo obiicitur, quod est Deo voluntarium nobis est naturale; dicendum, quod verum est, si det rei illud non solum, ut *in ea* sit, sed etiam ut sit *ab ea*, ita quod sit a principiis subiecti; et quia talis ratio non est in Sacramentis, ideo vere et proprie sunt voluntaria. — Et sic patet, quod sunt signa, et qualiter significant[9].

---

[1] Edd. supplent *effectu*. — Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.): Causa enim prius est eo, cuius est causa. Et I. Phys. text. 2. (c. 1.): Innata autem est ex notioribus *nobis* via et manifestioribus ad manifestiora *naturae* et notiora; non enim sunt eadem et nobis nota et simpliciter. Quapropter necesse est ad hunc modum procedere ex immanifestioribus quidem naturae, nobis autem manifestioribus ad manifestiora naturae et notiora.

[2] Cfr. infra q. 4. — Inferius pro *et corporale* edd. *et etiam quia corporale*. Eaedem edd. in fine solut. addunt *sicut est sol et luna*. Pro *Propositio vero* codd. E K L M X aa *Propositio igitur*.

[3] Vide infra p. II. a. 1. q. 2. et d. 4. p. II. a. 2. q. 1. — Exemplum de *circulo* iam occurrit in Hug. a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 1. — Post *Unde* cod. Z addit *sicut*.

[4] Vers. 4. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta est ex August., Enchirid. c. 53. n. 14: Quidquid igitur gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione in caelum, in sede ad dexteram Patris, ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita christiana, quae hic geritur. — Inferius pro *quod donant*, quod exhibent codd. G I V bb, alii cum edd. *quod donatur*.

[5] Ed. 1 *significatae*, Vat. autem addit *id est denominatae*.

[6] Dialog. de Veritate c. 2. ubi solvens hanc quaestionem, utrum enuntiatio vera et recta sit, cum significat esse quod non est, ait: « Vera quidem non solet dici, cum significat esse quod non est; veritatem tamen et rectitudinem habet, quia facit quod debet: Sed cum significat esse quod est, dupliciter facit quod debet, quoniam significat et quod accepit significare et ad quod facta est... Alia igitur est rectitudo et veritas enuntiationis, quia significat ad quod significandum facta est, alia vero, quia significat quod accepit significare. Quippe ista immutabilis est ipsi orationi, illa vero mutabilis; hanc namque semper habet, illam vero non semper; istam enim naturaliter habet, illam vero accidentaliter et secundum usum etc. In fine capituli notatur, quod praedicta ratio veritatis consideranda est *in omnibus signis*. — Inferius pro *imposita* et *instituta* Vat. *impositum* et *institutum*.

[7] Cfr. infra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. seq.

[8] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2.

[9] Vide scolion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

De Sacramentorum continentia.

Tertio quaeritur, utrum Sacramenta sint gratiae contentiva. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Super illud Psalmi [1]: *Posuit tenebras latibulum;* Glossa: « Latuit Divinitas in carne, remissio peccatorum in baptismo »; sed Divinitas erat in carne secundum veritatem: ergo et remissio peccatorum in baptismo. Sed illa est per gratiam: ergo gratia est in baptismo.

2. Item, Hugo in parte nona [2] aperte dicit, quod quinque concurrunt ad sanandum hominem, scilicet « Deus medicus, homo aegrotus, sacerdos minister vel nuntius, gratia antidotum »; et ultimo dicit, quod « vas est Sacramentum », et subiungit: « Quare ? quia continet gratiam, sicut vas servat medicinam ».

3. Item, idem Hugo [3] in definitione Sacramenti aperte dicit, quod Sacramentum « ex sanctificatione continet aliquam invisibilem et spiritualem gratiam »: ergo gratia est in Sacramento sicut in continente.

4. Item, idem *ratione* videtur, quia in Sacramento altaris corpus Christi verum, quod signatur, non solum ibi est tanquam in signo, sed secundum veritatem continetur ibi; alioquin non differret a sacrificiis veteris legis [4]: ergo similiter, si baptismus est Sacramentum novae legis, non solum est ibi gratia tanquam in signo, sed etiam ibi essentialiter continetur.

5. Item, si dicas, quod illud non conveniret, quia gratia est accidens [5] et debet esse perfectio creaturae nobilissimae, scilicet rationalis, et ita non debet contineri in creatura irrationali; *contra:* nobilior est divina essentia, quam sit gratia, quae procedit ab ipsa; sed creatura non rationalis est capax divinae essentiae: ergo multo fortius gratiae.

6. Item, accidens, quod non habet ortum a principiis subiecti, non determinat sibi materiam; sed gratia est huiusmodi: ergo non determinat sibi materiam: ergo potest esse in qualibet creatura: ergo etc.

7. Item, in Sacramento altaris videmus, quod sunt accidentia materialia, sed tamen virtute Sacramenti suspenduntur a materia, ita quod non sunt in aliquo subiecto [6]: ergo cum gratia sit multo spiritualior, videtur, quod magis sit apta, ut sit in aliis Sacramentis secundum essentiam et veritatem, non tamen ut in subiecto: ergo videtur, quod sit ponendum, quod gratia sit in Sacramento sicut in continente.

Fundamenta. Contra: 1. Gratia est media inter naturam et gloriam: ergo nihil est capax gratiae, quod non est capax gloriae, cum ipsa sit tanquam ultima dispositio [7]; sed nullum Sacramentum est capax gloriae: ergo nec gratiae.

2. Item, si gratia esset prius in Sacramento; cum accidentia non mutent subiectum [8], nunquam illa gratia transiret ad animam: ergo frustra esset; sed hoc non est ponendum, ergo nec primum.

3. Item, gratia, cum sit perfectio animae et perfectio, quae est accidens, dependet ab anima multo magis, quam anima a corpore; sed anima nunquam creatur nisi in corpore, sed simul creatur et est cum corpore [9]: ergo multo fortius gratia simul creatur et est in anima: ergo non est in Sacramento.

4. Item, si gratia est in Sacramento tanquam in vase continente; hoc constat, quod non est ob aliud, nisi ut a Sacramento transfundatur in ipsam animam: ergo si non transfunditur, frustra est ibi. Sed possibile est, quod aliquis ficte accedat ad Sacramentum; tunc constat, quod gratia non transfunditur [10]: ergo frustra fuit gratia in hoc Sacramento.

5. Item, gratia immediate reducit et reformat ad Deum animam: ergo a Deo exit immediate in-

---

[1] Psalm. 17, 12. — Glossa, quam exhibet Petr. Lombard. in hunc locum, expositioni August. (*latibulum* i. e. occultam spem in corde credentium vel obscuritatem Sacramentorum) tanquam ratio additur: Latuit enim Divinitas etc.

[2] Libr. I. de Sacram. c. 4: Postremo quinque discreta et distincta ab invicem ad cognitionem procedunt: Deus medicus... gratia antidotum, vas Sacramentum. Medicus donat, minister dispensat, vas servat quae sanat percipientem aegrotum gratiam spiritualem. — Edd. perperam *septem* pro *quinque*. In ipso testimonio plurimi codd., omisso *sacerdos minister vel nuntius*, post *antidotum* ponunt *etc.;* pro *quo* cod. F *sacerdos minister*.

[3] Lib. I. de Sacram. p. IX. c. 2.; vide supra pag. 13, nota 2. — Pro *in definitione* permulti codd. *in distinctione*.

[4] Cfr. infra d. 10. p. I. q. 1. — Superius pro *ratione*, quod multi codd. omittunt, codd. F H I (V a secunda manu) *per rationem*.

[5] Ut monstratum est II. Sent. d. 26. q. 3, ubi etiam seq. arg. insinuatur. — Inferius post *irrationali* cod. Z addit *sed rationali*, et subinde post *divinae essentiae* subiungit *scilicet in eucharistia*.

[6] Quaere infra d. 12. p. I. q. 1 seqq.

[7] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. — Pro *non est* cod. G *non sit*.

[8] Vide verba Boeth. tom. I. pag. 462, nota 11. allata.

[9] Ut probatum est II. Sent. d. 18. a. 2. q. 2. — Inferius pro *in anima* cod. F *cum anima*.

[10] Cfr. infra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. seq.

fluente in ipsam animam [1]: non ergo transfunditur, mediante alio vase.

CONCLUSIO.

Sacramenta continent gratiam, quia eam significant et non indispositis conferunt, non tamen ita, quod ea essentialiter *sit in ipsis.*

Respondeo: Intelligendum est ad hoc secundum Opinio 1. quosdam, quod ipsa Sacramenta sunt vasa gratiae, cum sint in ultima dispositione, quae est sanctificatio per verbum, et mediantibus illis transfunditur in ipsam animam [2], et in ipsam animam transfusa abluit sive ungit interius, sicut in signo visibili significatur exterius. Et pro tanto dicunt, quod Sacramenta novae legis sunt causa gratiae et efficiunt quod figurant.

Sed tamen, sicut ostensum est per plures ra- Conclusio 1. tiones, non est aliquo modo dicendum, quod gratia contineatur *essentialiter* in ipsis Sacramentis, tanquam aqua in vase, vel medicina in pyxide; immo hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur *continere* Conclusio 2. *gratiam,* quia ipsam significant [3], et quia semper, nisi ibi sit defectus ex parte suscipientis, confertur in ipsis gratia, ita intelligendo, quod gratia sit in Corollarium. *anima,* non in signis visibilibus. — Pro tanto etiam dicuntur *vasa gratiae.* Possunt etiam dici *vasa* alia ratione: quia, sicut quod est in vase non est *de ipso* nec *ex ipso,* sed tamen *cum ipso* hauritur; sic gratia non est *a Sacramentis* nec *de Sacramentis,* sed oritur a fonte aeterno et ab illo hauritur ab ipsa anima *in ipsis Sacramentis* [4]. Et sicut quis recurrit ad vas, cum requirit liquorem; sic quaerenti liquorem gratiae et non habenti recurrendum est ad ipsa Sacramenta. Et ita patet responsio ad illa duo verba Hugonis.

1. Ad illud quod obiicitur, quod latet remissio Solutio oppositorum. peccatorum in baptismo; dicendum, quod hoc intelligitur de latentia signati in signo, quod quidem habet ulteriorem rationem quam rationem significandi, non tamen essentialiter continendi in se, sed quia ipsum quod significat, continetur in anima [5].

4. Ad illud quod obiicitur de Sacramento altaris, dicendum, quod Deus posset similiter facere, si vellet; sed tamen non ita congruit hic, sicut ibi, quia in illo Sacramento est transsubstantiatio [6]. Unde Notandum. illud quod significatur ibi, vere est substantia, quam congruit esse per se, congruit etiam illis speciebus velari ad nostram utilitatem; sed gratiam non sic congruit esse per se, cum non sit substantia; nec contineri in illis Sacramentis corporalibus, cum de sui natura sit creata, ut sit in multo nobiliori [7]. Quia ergo potentia non derogat sapientiae et ordinationi, ideo, quamvis Deus possit facere, non tamen facit; nec est simile, sicut monstratum est. — *Si ergo obiicias,* quod non differt a Sacramentis veteris legis, quia ibi erat tanquam in signo; dicendum, quod illud signum habet aliquam rationem causandi, sicut postea [8] patebit, non tamen habet rationem continendi *materialiter.*

5. Ad illud quod obiicitur, quod divina essentia est in qualibet creatura, ergo gratia potest esse; dicendum, quod non est *simile* nec *locus a minori* [9]; et ratio est, quia *esse* per gratiam inhabitantem praesupponit *esse* per essentiam et addit ad illud multo maiorem nobilitatem a parte eius quod recipit; et ideo est *consequens* in illo argumento. Bene enim concluderet, si *esse* per gratiam non includeret in se *esse* per essentiam; sed includit, sicut *bene esse* includit *esse.*

6. Ad illud quod obiicitur, quod gratia non determinat sibi subiectum, quia non habet in illo causam; dicendum, quod etsi non habet *causam,* habet tamen *occasionem,* quia anima creata est, ut gratia perficiatur, et ad hoc est habilis de sui natura; non sic aliae creaturae irrationales.

7. Ad illud quod obiicitur, quod in Sacramento altaris manent accidentia sine subiecto, ergo similiter in aliis Sacramentis gratia; dicendum, quod non est simile: quia ibi manent accidentia et propter nostri sensus infirmitatem et propter fidei utilitatem [10]. Sed si gratia illa esset in Sacramentis, nulla esset utilitas propter hoc, quia Deus semper est praesens, ut det gratiam digne accedenti; immo esset ibi deordinatio, et derogaretur iam ipsi gratiae; quod non debet fieri divino miraculo, quia ipsa gratia nata est perficere animam et in ea esse.

---

[1] Psalm. 83, 12: Gratiam et gloriam dabit Dominus. Cfr. tom. III. pag. 888, nota 3. — Inferius pro *alio vase* codd. E H *aliquo vase.*

[2] Vat. supplet *gratia.* Mox post *et in ipsam* plures codd. non repetunt *animam,* codd. A E aa (I primitus, K a secunda manu) cum ed. 1 *et in ipsa anima.*

[3] Cod. Z *significant et efficiunt et hoc semper.* Subinde codd. F G H L Z aa bb omittunt *ibi.* Aliquanto inferius pro *tanto etiam* codd. F H I V *tanto ergo.*

[4] Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 4: Si ergo vasa sunt spiritualis gratiae Sacramenta, non ex suo sanant, quia vasa aegrotum non curant, sed medicina. Non ergo ad hoc instituta sunt Sacramenta, ut *ex eis* esset quod *in eis* esset; sed ut peritiam suam medicus ostenderet, in illo remedium praeparavit, a quo languidus occasionem morbi accepit. — Superius posuimus auctoritate codd. A E G I et ed. 1 *sed tamen cum ipso;* cod. F K L V W *sed tamen ipso,* alii *sed tamen ab ipso,* cod. H *sed de ipso.* Subinde pro *a fonte* codd. G H *de fonte.*

[5] Vide infra d. 3. p. II. a. 1. q. 2.

[6] Quaere infra d. 11. p. I. q. 1. seqq.

[7] Codd. G I Y (K a secunda manu) supplent *subiecto,* cod. Z *loco.*

[8] Quaest. seq. — Superius pro *non differt* cod. F *non differret.*

[9] De quo vide tom. I. pag. 835, nota 5, et de fallacia *secundum consequens* cfr. ibidem pag. 691, nota 5. — Inferius pro *ad illud,* quod exhibent codd. F H, alii *ad illum,* edd. *ad illa.* Subinde pro *quod recipit* codd. F I *qui recipit* (cod. F *recepit).*

[10] Vide infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2.

SCHOLION.

I. Ad 3. et 4. quaestionem praenotanda sunt verba Eugegenii IV. in Decreto pro Armenis: (Sacramenta novae legis) « multum a Sacramentis differunt antiquae legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant, haec vero nostra et *continent* gratiam et ipsam digne suscipientibus *conferunt* ». Item, Concilium Trident. (Sess. VII. can. 6.) decrevit: « Si quis dixerit, Sacramenta novae legis non *continere* gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non *conferre,* quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, a. s. » Omnes Catholici hoc tenent, et quod Sacramenta non habeant nisi causalitatem *instrumentalem.* Tamen in *modo hoc explicandi,* quae est quaestio pure *speculativa,* a tempore Hugonis a S. Victore et Gulielmi episc. Parisiensis usque huc doctores viam rationemque diversam inierunt, ut hic et accuratius III. Sent. d. 40. dub. 3. a S. Bonav. explicatur. S. Thom. defendit sententiam profundam et mysticam, quae tribuit Sacramentis novae legis efficaciam *physicam,* ut nunc dicunt, quemadmodum etiam circa humanitatem Christi eadem principia tenet (cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. scholion). Discipuli igitur eiusdem communiter docent, Sacramenta novae legis concurrere ad causandam gratiam aliosque effectus sacramentales tanquam divinae virtutis instrumenta *physice* influentia, non tantum *moraliter.* Pro influentia vero tantum *morali* (ut non satis apte dicitur) stat Scotus (hic q. 4. 5.) cum suis et non paucis aliis. Hi asserunt, a solo Deo immediate produci gratiam et characterem imprimi, quin aliqua virtus supernaturalis ipsi instrumento sacramentali communicetur; a Deo tamen quodam *pacto* institutum esse tale signum sacramentale, quo applicato, ipse faciat effectus omnes in anima.

II. Ut disputatio S. Bonaventurae melius intelligatur, etiam observandum est, quod antequam Summa S. Thomae scripta esset, status quaestionis aliquatenus diversus erat a posteriore. Nunc enim principaliter quaeritur de concursu Sacramenti effectivo (licet per modum instrumenti tantum) ad ipsius *gratiae infusionem ;* sed tunc temporis potius supponebatur fere ab omnibus, nullam virtutem instrumentalem directe et immediate posse pertingere ad tam sublimem effectum. Quaerebatur igitur potius de causalitate Sacramentorum respectu inferiorum effectuum receptorum in anima, scilicet de *ornatu* ipsius, ut dicebant, sive de *charactere* et *dispositione* ad gratiam. Ita statum quaestionis accipiunt Alex. Hal., S. Thom. in Commentario, Petr. a Tar., Richard. a Med., Durandus et ipse Bonaventura. Hinc est, quod ab auctore nostro tribus distinctis quaestionibus inquiritur: 1. utrum Sacramenta sint *gratiae effectiva ;* et pro affirmativa resp. huius quaestionis, si agitur de causalitate proprie dicta sive efficiente, in corp. neminem affert; 2. utrum sint causae *disponentes* scilicet ad gratiam; 3. generatim, utrum habeant aliquam virtutem influentem in ipsam animam. Ad secundam et tertiam quaestionem Alex. Hal. (S. p. IV. q. 5. m. 3. a. 5.) et S. Thom. in Comment. respondebant affirmative, non vero ita ad primam. In praedicto enim Commentario S. Thom. perfecte convenit cum Alexandro, licet hic a scriptoribus communissime citetur tanquam S. Thomae in hac re contrarius.

III. Audiamus igitur utrumque. Alex. (loc. cit. § 1.) dicit de virtute instrumentali Sacramentorum: « Sine praeiudicio melioris sententiae opinando dico, nihil asserendo, quod Sacramenta sunt causae alicuius effectus in anima, non dico solum *disponendo,* sed *efficiendo ;* efficiunt enim simpliciter characterizando et ornando. Unde dico, quod singula Sacramenta aliquo modo ornant animam, vel imprimendo characterem, vel alio modo signando ». Pluribus deinde rationibus declarare nititur, quomodo agenti corporali communicari possit talis mirabilis virtus spiritualis. Idem tamen quoad *infusionem ipsius gratiae* (ibid. § 2.) dicit: « Solus Deus gratiam operatur et animae infundit; sed Sacramenta novae legis disponunt ipsum susceptibile, efficiendo aptiorem ad gratiae susceptionem et faciunt, quod gratia efficax sit ». Multa pro explicatione et probatione huius sententiae idem affert in hac § et § 3-6. Principalia haec argumenta quasi in compendium redacta S. Bonav. exhibet in adiunctis duabus quaestionibus lateralibus cum solutionibus. Unde patet, quod S. Bonav. sub nomine *magnorum,* qui primam opinionem defendunt, praecipue intelligat magistrum suum Alexandrum. Cum autem ab eo recedere visus sit, in fine tertii libri iterum opinionem suam melius explicavit, seque minime praedictam opinionem reprobare ostendit; quemadmodum etiam respectu quarundam propositionum I. libri fecit in praelocutione ad II. librum.

S. Thomas in Commentario (hic q. 1. a. 4.) approbat doctrinam Alexandri, docens, quod Sacramenta, quatenus sunt « instrumenta divinae misericordiae iustificantis, pertingunt quidem instrumentaliter ad aliquem effectum in ipsa anima, qui primo respondet Sacramentis, sicut est character, vel aliquid huiusmodi [quod superius ipse vocat *ornatum animae*]. Ad ultimum autem effectum, qui est *gratia,* non pertingunt etiam instrumentaliter nisi *dispositive,* in quantum hoc, ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est *necessitas,* quantum est in se, ad gratiae susceptionem ». — Aliter tamen idem loquitur in Summa (III. q. 62. a. 1. 2. 3.), ubi disertis verbis docet, Sacramenta novae legis ut *instrumenta* divinae virtutis causare etiam *gratiam.* Haec extensio iactis principiis magis convenit quam illa restrictio facta ab Alexandro. Eandem sententiam Dionys. Carth. (hic q. 4.) censet esse probabiliorem; quod etiam tenet Petr. a Tar. respectu sententiae, quam S. Thom. ponit in Commentario, dum Richard. a Med. (hic a. 4. q. 2.) eandem et sententiam Scoti simili probabilitate gaudere iudicat.

IV. Opinioni secundae praeter Scotum et Durandum (hic q. 4.) favet etiam Henr. Gand. (Quodl. 4. q. 37.), aliis tamen verbis usus. Docet enim, quod Sacramenta sint « causa gratiae instrumentaliter, non quia aliquid agunt in producendo gratiam plus quam Sacramenta veteris legis, sed quia Deus, ut existens in ipsis, ad tactum eorum circa illos quibus administrantur, confert gratiam creando eam in ipsis... Et similiter sunt vasa gratiae, in quantum continent eum qui est fons et origo, a quo manat gratia, ut est in eis ». — Ab his verbis parum recedit S. Bonav. in Breviloquio (p. VI. c. 1, sicut hic q. 3. in fine responsionis) dicens, quod « in illis et per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oportet hauriri, licet Deus non alligaverit suam gratiam Sacramentis ». Quomodo autem hanc sententiam ita temperaverit in III. Sent. d. 40. dub. 3, ut non contradicat alteri sententiae, sed ei campum reservet liberum, iam notatum est in scholio ultimo eiusdem III. libri. Quod autem virtus efficaciter Sacramentis annexa non sit qualitas absoluta, sed relativa, repetit noster auctor infra q. 5, d. 3. p. II. a. 1. q. 2, d. 10. p. II. a. 1. q. 3; II. Sent. d. 19. dub. 4.

QUAESTIO IV.

De Sacramentorum efficacia.

Quarto quaeritur, utrum Sacramenta sint gratiae effectiva. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia ista assignatur differentia Sacramentorum novae legis ad Sacramenta veteris legis, quod haec efficiunt, illa solum figurant [1]; sed quod efficit est causa efficiens: ergo Sacramenta novae legis sunt gratiae effectiva.

2. Item, Hugo [2] dicit, « quod Sacramenta novae legis infusa sibi primum benedictione sanctificant »; et alibi dicit, quod sunt « ex sanctificatione sanctificantia »; sed non sanctificatur anima nisi per gratiam: ergo efficiunt ipsam gratiam in anima.

3. Item, Magister in definitione Sacramenti in littera [3] dicit, quod « Sacramentum est quod similitudinem gerit et causa existit »; sed non *formalis* neque *finalis* neque *materialis,* ut supra monstratum est: ergo *a divisione* est causa *efficiens.*

4. Item, idem *ratione* videtur, quia signum institutum humana institutione potest in nobis aggenerare spiritualem cognitionem et affectionem, sicut circulus ante domum aggenerat cognitionem in anima transeuntis, quod ibi sit vinum; et patibulum et signa belli aggenerant timorem: ergo si divina institutio multo potentior est quam humana, et Sacramenta sunt signa secundum divinam institutionem [4]; possunt in nobis aggenerare multo nobiliorem effectum: ergo possunt efficere gratiam.

5. Item, « opposita nata sunt fieri circa idem [5] »; unde nihil est susceptibile culpae, nisi sit susceptibile gratiae, et e converso: cum ergo caro, quae est quid corporale, possit adeo vitiari, ut efficiat et generet culpam in anima, quae sibi unitur; ergo Sacramentum corporale poterit sanctificari adeo, quod transfundat gratiam: nihil ergo prohibet, quod efficiat in anima gratiam spiritualem.

6. Item, sicut in generatione carnis est generans et generatus et ulterius quo mediante fit generatio; ita in spirituali regeneratione est regenerans Christus, regeneratus homo, et illud quo mediante fit regeneratio, scilicet Sacramentum: ergo sicut semen, quod erat medium in generatione carnali, defert culpam, eadem ratione Sacramentum defert gratiam, quae facit filium [6]; sed non defert *essentialiter:* ergo defert *causaliter. Si dicas,* quod non est simile, quia facilius est male facere sive vitiare quam bene facere; hoc nihil est: quia nunquam Adam fuit potentior ad malum vel eius culpa, quin Christus sit potentior ad bonum et eius passio [7]; sed Adam sua culpa potuit vitiare omnem carnem: ergo Christus sua passione potuit adeo sanctificare Sacramenta, ut ipsa sanctificata animas sanctificarent et gratiam darent.

7. Item, dicit Anselmus de Conceptu virginali [8], quod « si Adam stetisset, transfunderet iustitiam originalem »; sed hoc non potest esse nisi mediante carne corporali: ergo multo magis Christus potest mediante corporali Sacramento transfundere iustitiam gratuitam.

Fundamenta.

Contra: 1. Omnis causa *efficiens* est nobilior suo effectu, et nullum corporale nobilius est aliquo spirituali: cum igitur gratia sit spiritualis, Sacramentum corporale, ut dicit Hugo [9]; nullum Sacramentum est causa efficiens ipsius gratiae.

2. Item, Magister in littera [10] dicit, quod « non est gratia *ab illis,* sed *per illa* »: ergo videtur, quod sint sicut canales, non sicut fons: ergo non sunt causa efficiens gratiae, sicut nec canales aquae.

3. Item, Hugo [11] dicit, quod « gratia non est *ex ipsis* Sacramentis, sed *in ipsis* »; sed constat, quod *ex* dicit causam efficientem, sicut patet ibi: ergo etc.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[2] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 5; vide etiam supra q. 2. ad 5. — Seq. eius sententia, in qua pro *ex sanctificatione* cod. Z *ex benedictione,* habetur ibid. c. 2. Cfr. p. IX. c. 2.

[3] Hic lit. Magistri, c. 4. — De *minori* vide supra q. 3. — In conclusione pro *a divisione* (Vat. addit *sufficienti)* codd. M O planius *per locum a divisione,* quem describit Aristot., II. Rhetor. c. 30. (c. 23.): Alius locus *a divisione:* ut, si omnes qui iniuriam faciunt, trium rerum aliqua impelluntur, vel hac, vel ista, vel illa; et duabus rebus impelli nullo modo potuit, de tertia vero neque ipsi adversarii insimulant. Cfr. Boeth., II. de Different. topic.

[4] De quo vide supra q. 2. — Inferius post *aggenerare* cod. Z prosequitur *sive efficere aliquem nobiliorem* etc.

[5] Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis,* et II. Topic. c. 3. (c. 7.). — Quod anima possit infici a carne, ostensum est II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. seqq., ubi etiam de seq. arg. — In fine arg. pro *quod efficiat* (permulti codd. et edd. incongrue *efficiant*)' codd. F H aa *quin efficiat.*

[6] Cod. K supplet *Deo,* Vat. *spiritualem et adoptionis.*

[7] Respicitur Rom. 5, 6. seqq. — Aristot., VII. Topic. c. 3. (c. 4.): Quemadmodum in aliis corrumpere quam facere facilius, sic et in his destruere quam construere. Cfr. II. Ethic. c. 6, et Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 31. — Pro *quin Christus* codd. AE (I a secunda manu) K L V aa bb cc *quam Christus.*

[8] Cap. 10. et 24. (Cfr. tom. II. pag. 784, nota 3.). Vide etiam I. Cur Deus homo, c. 18. — Pro *stetisset* cod. Z *non peccasset.* Inferius pro *potest transfundere* codd. A K N W Y aa *transfundit.*

[9] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2. Vide supra pag. 13, nota 2. — De *maiori* cfr. August., VI. de Musica, c. 5. n. 8, et 83 Qq. q. 2; Avicenna, Metaph. tr. 6. c. 3: Causa dignior est causato.

[10] Hic c. 5.

[11] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 4. Vide supra pag. 17, nota 4. — Inferius edd. omittunt *ibi.*

4. Item, super illud Psalmi [1]: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum;* Glossa dicit: « Deus per semetipsum irradiat pias mentes »: ergo cum illa irradiatio fiat per lumen gratiae, constat, quod gratia est a Deo immediate: non ergo a Sacramentis.

5. Item, « virtus est, quam Deus in nobis sine nobis operatur [2] »: si ergo non operatur in nobis virtutem per subiectam creaturam, per consequens nec gratiam.

6. Item, ordo debet servari in agentibus: ergo Deus per minus nobile non debet influere in magis nobile; sed anima nobilior est Sacramento: ergo Deus non influit per Sacramentum gratiam in animam: ergo gratia a solo Deo est *effective.* Si igitur Sacramentum est gratiae causa, hoc est solum *dispositive.*

Quaeritur ergo, utrum Sacramentum sit causa *disponens* ad gratiam. Quod sic, videtur:

Quaestio 1. lateralis.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia si Sacramenta novae legis essent solum causa *sine qua non,* tunc ergo in ratione causandi non differrent a Sacramentis legis veteris et essent in onus [3]; sed hoc est inconveniens: ergo etc.

2. Item, tam Hugo [4] quam Magister in littera quam etiam alii dicunt, quod Deus per Sacramenta regenerat animam: ergo Sacramentum est medium actionis divinae in animam; sed omne medium agendi aut est *deferens virtutem,* aut *disponens;* sed Sacramentum non *defert:* ergo *disponit.*

3. Item, « Sacramenta sunt medicinae spirituales [5] »; sed medicina corporalis disponit ad sanitatem corporalem: ergo medicina spiritualis disponit ad sanitatem spiritualem.

4. Item, si nihil disponerent nec cooperarentur ad sanitatem animae, aeque bene sine his posset fieri salus, sicut cum eis: ergo imposita nobis in nova lege potius dicenda sunt onera quam medicamina, et lex nova lex oneris, non suavitatis [6].

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Dispositio praecedit illud, ad quod disponit, non solum natura, sed etiam tempore [7]; sed simul est Sacramenti perceptio et gratiae infusio tempore: ergo Sacramentum non disponit ad gratiam.

2. Item, gratia ex nihilo et subito creatur [8], ergo nullo indiget disponente ad hoc, ut sit: ergo Sacramenta non disponunt ad gratiam. — *Si dicas,* quod non disponunt ad hoc, quod gratia sit, sed ad hoc, quod insit ipsi animae, unde habilitant ipsam animam disponendo ad gratiae susceptionem; *contra: esse* gratiae est suum *inesse,* cum sit accidens [9]: ergo si non habet dispositionem ad hoc, quod *sit,* nec ad hoc, quod *insit.*

3. Item, si Sacramenta disponunt animam et habilitant, ergo influunt in ipsam; sed nullum corporale influit in aliquod spirituale [10]: ergo Sacramenta, cum sint corporalia, non influunt in animam: ergo non habilitant ipsam nec *disponunt.*

Si dicas forte, quod in ipsis Sacramentis est aliqua *virtus spiritualis,* per quam influunt in animam; quaeritur ergo ratione huius, utrum in Sacramentis sit *aliqua virtus,* per quam influant in ipsam animam. Et quod non, videtur:

Quaestio 2. lateralis.

Argg. pro parte negativa.

1. Quia illa virtus aut est *substantia,* aut *accidens.* Si *substantia,* aut Deus, aut Angelus, aut anima; nullum horum esse [11], certum est, quia si illa virtus est de Sacramento, tunc Deus est de Sacramento. Si *accidens;* sed nullum accidens *spirituale* est in subiecto *corporali:* ergo aut illa virtus est *corporalis,* et sic non influet; aut si est *spiritualis,* non est in Sacramento.

2. Item, illa virtus est *bonum,* constat; aut ergo est bonum *magnum,* aut *mediocre,* aut *parvum,* sicut dividit Augustinus [12]. Non de *maioribus,* quia tunc esset gratia, vel virtus gratuita, quae est in sola anima; non *mediocre,* quia talia sunt potentiae animae: ergo est bonum *infimum.* Sed hoc est bonum *corporale:* ergo illa virtus non est *spiritualis* et non influit in animam.

3. Item, nullum *corporale* recipitur in *spirituali corporaliter,* sed solum *spiritualiter* [13]: ergo

---

[1] Psalm. 15, 7; sed Glossa Augustini refertur a Strabo et Lyrano in Ps. 118, 73: *Da mihi intellectum.* Verba August. vide tom. III, pag. 895, nota 1. Cfr. etiam 83 Qq. q. 53. n. 2.

[2] De hac ex August. delibata definitione virtutis vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 5. — Codd. F H (V a secunda manu) post *virtus est* addunt *qualitas,* cod. I. (a secunda manu) *bona qualitas mentis, ut ait Augustinus.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 4, et III. Sent. d. 40. q. 3.

[4] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2, et II. p. VI. c. 2. — Hic lit. Magistri, c. 4, et infra d. III. c. 9. Vide etiam August., I. de Peccator. mer. et remiss. etc. c. 31. n. 60. seqq., et II. c. 27. n. 43.

[5] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 5.

[6] Respicitur Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est etc. — Cod. A *quam suavitatis,* qui cod. etiam cum pluribus aliis ante *oneris* omittit *lex.*

[7] Vide tom. II. pag. 682, nota 3.

[8] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 3. seq. — Pro *et subito* cod. N *in subiecto.*

[9] Aristot., VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.) docet, quod *accidens* nominat non tam *ens* quam *ens entis,* quoniam subiectum ei naturaliter determinatum est. — Pro *dispositionem* codd. A K aa *disponere.*

[10] August., VI. de Musica, c. 5. n. 8, et XII. de Gen. ad lit. c. 20. n. 42: Neque enim [corpus] habet eam vim, ut formet aliquid spiritale.

[11] Ex codd. M O supplevimus *esse,* pro quo non pauci alii codd. *est;* cod. L omittit *esse certum.* Aliquanto superius post *aliqua virtus* codd. V Z addunt *spiritualis.*

[12] Libr. II. de Lib. Arb. c. 19. n. 50. Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 3. — Pro *dividit* codd. B C D I V et ed. 1 *dicit.* In fine arg. pro *et non* cod. G *et sic non,* cod. H *ergo non.*

[13] Vide Aristot., II. de Anima, text. 121. (c. 12.) et III. text. 37. seqq. (c. 8.). — Cod. S prosequitur *a permutata proportione* [cfr. tom. III. pag. 684, nota 3.], *ergo similiter* etc. Inferius post *sed* cod. bb addit *solum.*

similiter nullum *spirituale* recipitur in corpore *spiritualiter*, sed *corporaliter*: ergo illa virtus, cum sit in Sacramentis, est ibi *corporaliter*, et ita non est potens influere in animam: ergo frustra est ibi.

4. Item, « omne quod recipitur in aliquo, est ibi per modum recipientis et non recepti », sicut dicit Boethius[1]: ergo illa virtus recipitur in Sacramento corporali per modum corporis: ergo etc. — *Si dicas*, quod verum est, loquendo naturaliter; sed illa virtus est ibi mirabiliter, et supra naturam; *contra*: quantumcumque sit ibi supra[2] naturam et qualitercumque, tamen est ignobilior ipsa anima; non ergo influit in ipsam: ergo si non ponitur ob aliud, manifestum est etc.

Pro parte affirmativa.

Contra: 1. Beda[3] dicit, quod « Dominus contactu mundissimae carnis suae dedit vim regenerativam aquis »: ergo aliqua vis collata est ipsis aquis; sed haec non potuit esse nisi creata, quia collata est creaturae, et cum esset ad regenerandum, non potuit esse nisi spiritualis, quia operis spiritualis virtus est spiritualis: ergo etc.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in tertia distinctione[4]: « Quae est virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat »? Ergo aliqua virtus est in Sacramento, qua abluitur cor: ergo spiritualis.

3. Item, videmus, quod opera divinae *iustitiae* fiunt ministerio creaturae corporalis, quae habet a Deo vim aliquam, per quam possit agere in animam — alioquin non posset — sicut patet in igne purgatorio[5]: ergo in operibus *misericordiae*, quae fiunt per Sacramenta, erit, quod Sacramenta habeant aliquam virtutem a Deo sibi collatam, per quam agant in animam.

4. Item, videmus, quod si aliquis contritus accedat ad baptismum, etsi non conferatur ei gratia, quia iam habet eam, tamen confertur ei remissio omnis poenae, quam non habebat prius[6]: ergo baptismus supra collationem gratiae addit remissionem poenae: ergo aliqua virtus est in baptismo praeter virtutem gratiae; eadem ratione in aliis Sacramentis novae legis.

5. Item, si nulla esset virtus ibi, tunc ergo rediret inconveniens saepe dictum, quod non differrent a Sacramentis veteris legis.

CONCLUSIO.

Probabilis est opinio, cum suis rationibus primo posita, quod Sacramenta respectu gratiae gratum facientis sint causa sine qua non, *respectu vero characteris et ornatus sint causa* efficiens, *respectu denique efficaciae gratiae et sanationis potentiarum sint causa* disponens. *Probabilis etiam est alia opinio, quae negat, ipsis Sacramentis datam esse virtutem* efficientem *per modum qualitatis absolutae, non relativae.*

Opinio 1.

Respondeo: Aliqui volunt dicere, quod in Sacramentis[7] est aliqua *virtus creata*, per quam influunt in animam et habent rationem causandi differenter. Dicunt enim, quod in Sacramentis datur *gratia gratum faciens;* datur etiam in eis *gratia gratis data*, sicut est character et ornatus animae; datur etiam *debilitatio fomitis* sive expeditio potentiarum, haec est efficacia gratiae. Dicunt ergo, quod respectu *gratiae gratum facientis* sunt sicut causa *sine qua non;* respectu characteristicationis[8] et ornatus sunt sicut causa *efficiens;* respectu illius virtutis, respectu scilicet *debilitationis fomitis* sive roboris potentiarum, sunt causa *disponens*. — Et hoc sic manifestum est. Nam sicut videmus, quod in purgatione per ignem purgatorium est ipsa *anima* purgabilis, habens reatum vel maculam venialem; est[9] *gratia* intra animam, quia sine ipsa non fieret purgatio; est rursus *virtus ignis:* sic in Sacramento est *anima* habens defectum et debilitatem potentiarum; est iterum *gratia* in anima intus operans; est iterum *virtus Sacramenti exterior;* et his concurrentibus roborantur et sanantur potentiae, et gratia fit efficacior in sua operatione mediante virtute Sacramenti. Sic ergo dicunt, quod Sacramentum est causa gratiae ut *sine qua non*, scilicet *gratum facientis;* est causa *characteris* et ornatus *efficiens;* est causa *efficaciae*[10] *gratiae* et *sanationis potentiarum* ut *disponens;* et hoc per virtutem, quae est in ipso Sacramento, spiritualem et a Deo collatam sibi. — His visis, manifesta est secundum ipsos responsio ad obiecta.

Conclusio triplex opinionis 1.

Explicatur.

Solutio oppositorum quaestionis principalis.

1. 2. Ad illud enim quod quaeritur primo, utrum sint causa *efficiens* gratiae gratum facientis; dicunt,

[1] Libr. V. de Consol. prosa 4, ubi agens de *cognitione* dicit: « Omne enim quod cognoscitur, non secundum sui vim, sed secundum cognoscentium potius comprehenditur facultatem ». Si *verba* istius axiomatis attendantur, inveniuntur in Libro de Causis, proposit. 10; cfr. ibid. proposit. 20. seqq.

[2] Edd. *contra*. Inferius pro *ergo si non* cod. N *ergo quia non*.

[3] Libr. I. in Luc. 3, 21. Cfr. lib. I. in Matth. 3, 13. et in Marc. 1, 9, nec non Homil. 11. in festo Epiphaniae (alias in Octava Epiphan.). Vide infra lit. Magistri, d. III. c. 5. — In fine arg. non pauci codd. omittunt *est*.

[4] Lit. Magistri, c. 1. — Cod. aa cum textu originali et Magistro: *Unde est haec tanta virtus aquae* etc. Circa finem arg. pro *qua abluitur cor*, quod exhibent codd. V aa et ed. 1, codd. H K *quae abluit cor*, alii *qua abluit cor*.

[5] Cfr. infra d. 20. p. I. q. 1. seqq. et d. 44. p. II. a. 3. q. 2. — Inferius post *erit* cod. B addit *ita*, cod. G *similiter*.

[6] Vide infra lit. Magistri, d. IV. c. 5, et Comment. ibid. p. I. a. 1. q. 2.

[7] Ed. 1 falso addit *veteris legis*, Vat. *novae legis*. Pro *volunt* codd. F G *voluerunt*.

[8] Vat. *characterificationis vel characteris*.

[9] Codd. F H Z (V a secunda manu) *est etiam*. Aliquanto inferius pro primo *est iterum* cod. N *est etiam;* subinde ex codd. A G H K N Y (V a secunda manu) *intus operans* substituimus pro *virtus operans*.

[10] Edd. *efficientiae*.

quod non. Quod ergo obiicitur de differentia horum Sacramentorum et illorum [1]; dicunt, quod differentia attenditur ratione *characteristicationis* et ornatus et *efficaciae gratiae.* Et sic respondent ad illud Hugonis, quod de illa sanctificatione intelligitur.

3. Similiter dicunt de eo quod dicit Magister, quod sit [2] causa; tamen si intelligatur quantum ad gratiam gratum facientem, dicunt, quod est causa *sine qua non.* — Aliter etiam dicunt, quod potest dici, quod sit causa *disponens* vel ad hoc, quod *insit,* vel ad hoc, quod *efficax* sit, et hoc ratione operis *operati;* non sic autem erat in illis Sacramentis.

Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod signum ex humana institutione generat cognitionem et affectionem spiritualem; dicunt, quod hoc est solum *dispositive* [3] sive occasionaliter, non *effective;* immo ipsa anima conferendo in semetipsa cognitionem generat et affectionem; sicut patet exemplo manifesto, quod alii vident patibulum et timent, alii non; tamen per hoc non potest ostendi, quod Sacramentum sit causa *efficiens gratiae.*

5. Ad illud quod obiicitur de transfusione culpae mediante carne, dicunt, quod sicut *gratia* non est in aliquo corporali, sic nec *culpa.* Sed tamen *vitiositas* in carne habere potest rationem efficiendi *culpam* in anima; non sic *virtus* Sacramenti *gratiam.* Et causa huius est, quia *gratia* est effectus nobilior omni virtute corporali et fit ex nihilo, et hoc [4] est solius Dei; sed effectus *culpae* dicit ignobilitatem et imperfectionem et defectum. Ideo omnia argumenta illa non valent, quae fiunt per similitudinem gratiae ad culpam.

6. Ad illud quod obiicitur, quod Christus potentior est in bonum; dicunt, quod verum est; nec tamen sequitur ex hoc, quodsi Adam transmittit culpam mediante carne, quod Christus transmittat gratiam mediante Sacramento. Nam istud esset inordinatio; *praeterea,* sicut creatura non potest recipere potestatem creandi, sic nec dandi gratiam [5].

7. Ad illud Anselmi dicunt, quod non intelligitur, quod transfunderet iustitiam carne mediante, sed quod omnes posteri haberent illam iustitiam a Deo, quia non esset impedimentum ex parte carnis.

Resp. ad 1. quaest. lateralem.

Ad illud quod quaeritur, utrum Sacramentum sit causa *disponens;* dicunt, quod sic, sicut tactum fuit [6]; quia disponit ad *efficaciam gratiae,* remittendo fomitem, qui impedit operationem gratiae; vel, sicut tactum fuit [7], disponit ad hoc, quod *gratia insit* animae, quamvis non disponat ad hoc, quod *sit.* Et hoc est dicere, quod gratia comparatur ad *causam efficientem,* comparatur ad *substantiam suscipientem.* Sacramentum autem non disponit a parte *agentis,* qui est Deus, sed a parte *suscipientis,* quod est anima.

Ad argg. pro parte negativa 1. q. lateralis.

2. Et sic patet responsio ad illud quod obiicitur, quod gratia est ex nihilo; dicunt enim, quod Sacramentum non disponit ad gratiam ratione eius *ex quo,* sed ratione eius *in quod* recipitur [8].

1. Ad illud quod obiicitur, quod dispositio praecedit illud, ad quod disponit; dicunt, quod non semper praecedit *tempore,* sicut patet in dispositione, quae est *necessitas* sive in dispositione ultima [9]; sic Sacramentum digne susceptum disponit dispositione ultima, quae simul est *tempore* cum gratia, sed *natura* prior, sicut ex parte illa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod si disponit, influit; dicunt, quod *influit.* — Quod ergo *obiicitur* [10], quod nullum corporale influit in spirituale; dicunt, quod in Sacramento est aliqua *virtus spiritualis,* per quam influit in animam. Tamen illa ratio non valet secundum eos, quia in anima mundanda est considerare ipsam *substantiam* et ipsam *maculam,* a qua mundatur; et licet secundum *substantiam* sit superior omni corpore, tamen ratione *maculae* vel defectus est inferior.

Resp. ad 2. quaest. lateralem.

Ad illud quod quaeritur, utrum sit in Sacramentis ponere virtutem creatam; dicunt, quod sic.

Ad argumenta pro parte negativa.

1. Quod ergo quaeritur, utrum [11] substantia, aut accidens; dicunt, quod *accidens.* — Quod iterum quaeritur, utrum accidens *corporale,* aut *spirituale;* dicunt, quod *spirituale.* — Quod *obiicitur* postea, quod accidens spirituale non est in subiecto corporali; dicunt, quod verum est naturaliter, sed ipsum Sacramentum habet illam virtutem supra naturam secundum ordinem divinae misericordiae, sicut

---

[1] Codd. F H (bb a secunda manu) *de differentia novorum Sacramentorum et veterum.* In fine solut. codd. A E F G I K L V, posito *sic* pro *Et sic,* substituunt *intelligit* pro *intelligitur.*

[2] Simul audi cum codd. F H (I bb a secunda manu) *Sacramentum,* edd. habent *sint.* Circa finem solut. post *operis operati* in codd. G Y Z et ed. 1 additur *quod* (ed. 1 *et*) *habet virtutem a passione Christi,* et subinde cod. Z *in illis primis* pro *in illis.*

[3] Codd. V Z *sola dispositione.*

[4] Scilicet *creare ex nihilo.* — Codd. F G H L *et haec.* Inferius pro *fiunt* cod. I *sunt.*

[5] Cfr. I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. — Pro *creatura* cod. Z *Sacramentum.*

[6] In corp. quaest. principalis. — Superius pro *quaeritur* multi codd. et ed. 1 *obiicitur.*

[7] Quaest. principal. ad 3. — Edd. prosequuntur *quia disponit.* Inferius pro *suscipientem. Sacramentum autem non,* quod habet cod. H, cod. V *suscipientem, sed Sacramentum non,* alii et edd. *suscipientem Sacramentum; non autem.* Post pauca pro *qui est Deus* edd. *quod est Deus.*

[8] Codd. D E I R S T U V W et ed. 1 *quod recipitur (recipit?),* cod. A *quo recipitur,* cod. B *quo recipit,* Vat. melius *in quo recipitur.*

[9] Haec dispositio habetur v. g. respectu combustionis ligni in calore concomitante formam ignis introducti; cfr. tom. II. pag. 471, nota 2. — Ex parte illa, intellige: suscipientis.

[10] Cod. Z *dicitur,* codd. A E G K L V W aa bb *dicit,* codd. F I *dicunt.* Mox pro *quod nullum corporale* plures codd. *quod corporale non.* Circa finem solut. pro *omni corpore* cod. Z *omni corporali.*

[11] Cod. Z supplet *sit.*

virtus est in igne purgatorio secundum ordinem divinae iustitiae supra naturam ignis. Et quod amplius est ex parte hac, quia Sacramentum non est subiectum naturale sive secundum naturam; et ideo non est mirum, si habeat virtutem supra naturam.

2. Ad illud quod quaeritur, utrum sit bonum maximum etc.; dicunt, quod virtus illa ponenda est inter bona *mediocria*, quia est infra gratiam et supra corpus. — *Si obiicias*, quod tale bonum est animae potentiae; dicunt, quod Augustinus non excludit propter hoc, quin alia sint; sed illud dicit exemplando vel arctando bonum ad subiectum humanum [1]. — *Si vero obiicias*, quod non aget vel influet in potentias animae, cum sit *mediocre*, et influxus sit a superiori; dicunt, quod non influit in potentias ratione potentiarum, sed ratione ipsarum deficientium per culpam.

3. Ad illud quod obiicitur de receptione substantiae spiritualis; dicunt, quod non est simile: quia, si substantia *spiritualis* reciperet corporale corporaliter, tunc derogaretur ipsi substantiae nec perficeretur in ipsa receptione; sed si aliquod *materiale* [2] recipiat spirituale spiritualiter, non derogaretur ei in aliquo.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omne quod recipitur, est in recipiente per modum recipientis; dicunt, quod hoc verum est de receptione *naturali;* sed haec est *supra naturam. Praeterea,* ipsum Sacramentum, secundum quod huiusmodi, est medicina spiritualis; et ideo debet habere virtutem spiritualem. In naturalibus autem [3] maxime consideratur *materia,* sed in divinis maxime et principaliter consideratur *finis;* ideo, quia in Sacramentis non consideratur ratio *materiae,* sed *finis,* conveniens fuit secundum ipsos virtutem spiritualem in eis ponere.

Ad aliud [4] secundum eos iam responsum est, quia nobilior est virtus ipsa, minus nobilis anima lapsa, non ratione substantiae, sed ratione lapsus. — Et patent hoc modo cetera obiecta secundum hanc opinionem. Et haec opinio est magnorum [5].

Est etiam aliorum magnorum circa hoc opinio dicentium, quod in Sacramentis non sit *causalitas* neque *virtus* aliqua, nec *effectiva* nec *dispositiva* ad gratiam, quae sit *qualitas* vel proprietas aliqua *absoluta,* sed *per quandam assistentiam.* (Opinio 2. cum conclusione.)

Sacramento enim dicunt assistere divinam virtutem, quae est causa gratiae, et fidem et devotionem suscipientis [6], quae disponit ad gratiam. (Explicatur.) — Et adducunt simile: (Simile.) quoniam ad verbum Elisaei, Naaman se lavante, astitit virtus divina *effectiva* sanitatis et devotio et obedientia Naaman *dispositiva;* nulla tamen causalitas fuit nec in verbo Elisaei nec in aqua Iordanis [7]. Si ergo Dominus ita instituisset, ut ad verbum Elisaei non solum ipse Naaman, sed ceteri accedentes curarentur, et hoc ex quadam pactione, ita quod semper assisteret vis divina; aqua illa diceretur curare et sanare lepram et esse causa curationis et habere virtutem curandi. Sic in Sacramentis dicunt quod ad prolationes verbi assistit virtus divina aquis et infundit gratiam et regenerat, dum homo subiicit se per fidei professionem et obedientiam. Dicunt ergo, quod Sacramenta dicuntur *habere virtutem* et dicuntur *causa* et dicuntur *efficere* secundum communem modum loquendi propter assistentiam divinae virtutis.

Et *si tu quaeras*, utrum habeant virtutem aliquam *creatam* super [8] increatam; respondent, quod praeter virtutem increatam est dicere aliquam virtutem habere Sacramentum, sed *extenso nomine virtutis.* (Quaestio incidens solvitur.) Si enim *virtus* dicat aliquam qualitatem vel naturam sive essentiam advenientem Sacramento, sicut virtus *proprie* dicitur, sic secundum eos non est dicendum, quod habeat *virtutem* [9]; sed *extenditur* nomen virtutis ad *aliquam ordinationem,* ut quando aliquid habet efficacem ordinationem ad aliquid, dicitur habere virtutem respectu illius. — Et ponunt hoc exemplum: (Exemplum.) rex statuit, ut qui habent tale signum, habeant centum libras [10]. Post istam institutionem signum illud non habet aliquam proprietatem *absolutam,* quam non haberet prius; *ad aliquid* tamen est *ordinatum,* ad quod non erat prius. Et quia habet *efficacem ordinationem,* dicitur *habere virtutem*, ut faciat aliquem habere centum marcas; et dicitur illud signum valere centum marcas, et tamen nihil plus habet de bonitate nunc quam prius. *Si ergo quaeras*, quid sit illa virtus in illo signo; dicetur, quod non est aliquid *absolutum*, sed *ad aliquid* [11]. — Sic dicunt, quod Sacramenta sunt talia signa a Deo instituta, ut qui ea susceperit debito modo habeat tantum de gratia vel habeat gratiam ad hunc actum; illa, inquam, *ordinatio efficax* secundum istos *virtus* est Sacramenti,

---

[1] Vide II. Sent. d. 26. q. 3. ad 5. — Vat. *suppositum humanum.* Superius pro *animae potentiae* Vat. *animae potentia.* Subinde pro *exemplando* cod. H *exemplificando.* Post pauca pro *obiiciat* substituimus ex codd. E P Q *obiicias.*

[2] Cod. L *aliquod corporale.*

[3] Pro *autem,* quod non pauci codd. omittunt, codd. F H I *enim*, codd. S T legunt *nam in naturalibus.*

[4] In cod. M suppletur *quod virtus ista est ignobilior anima.*

[5] Edd. hic et paulo inferius addunt *Magistrorum.*

[6] Cod. F H Z (I V a secunda manu) subiungunt *similiter adesse dicunt* (cod. V *dicuntur*). Mox pro *disponit* edd. cum pluribus codd. *disponunt.*

[7] Libr. IV. Reg. 5, 14.

[8] Codd. R S T *praeter.*

[9] Vat. addit *proprie.* Ed. 1 prosequitur *sed quod extendatur nomen* etc. Subinde cod. F *ob aliquam* pro *ad aliquam.*

[10] Codd. K N aa *marcas*, quae lectio convenit cum subnexis, ubi fide codd. bis substituimus *marcas* pro *libras,* quod habent edd. Paulo ante pro *hic exemplum* ex codd. F G H I L posuimus *hoc exemplum.*

[11] Sive relatio. — Cod. Z *non est ibi quid* pro *non est aliquid.*

et ratione illius disponit hominem, ut habeat gratiam, quia efficaciter ordinat ad habendam et suscipiendam gratiam.

Pactio divina.

Rursus dicunt, quod ex tali pactione Dominus astrinxit se quodam modo ad dandum gratiam suscipienti Sacramentum; astringit enim quodam modo Deum ad conferendum, et ideo [1] dicitur *habere virtutem* ad efficiendum et etiam disponendum. Et sicut extenditur *nomen virtutis,* ita *verbum efficiendi,* vel *disponendi,* quia nec efficit nec disponit *influendo*, sed *efficaciter ordinando.* Et sicut haec extenduntur, ita et *nomen causae,* quia non dicitur causa, secundum quod est *principium operandi*, sed secundum quod est *ratio ordinandi.*

Ratio consentit.

Huic positioni *pietas fidei non repugnat,* et *ratio consentit* [2]. — *Consentit* namque *ratio,* quia valde difficile est intelligere, *qualiter* illa virtus detur sicut *qualitas absoluta;* difficilius, *quando* detur; difficile etiam est intelligere, *cui* detur, verbo scilicet, an elemento, quae sunt duo nihil unum facientia; difficile etiam est scire, *quamdiu* duret; difficile est similiter valde intelligere, *quomodo* influat; difficile etiam, *cuius naturae* sit in se ipsa; et multa talia. Alii vero [3] positioni satis faciliter ratio concordat.

Fides non repugnat.

Pietas etiam *fidei non repugnat.* Cavendum est enim, ne, dum nimis damus corporalibus signis ad laudem, subtrahamus honorem gratiae curanti et animae suscipienti. — Haec autem opinio non nimis dat neque subtrahit aliquid honoris debiti. Sicut igitur litterae regiae anulo regis sigillatae magnae sunt dignitatis et virtutis et valoris et magna dicuntur et [4] posse et facere, tamen in eis nulla virtus est *absoluta,* sed sola *ordinatio* per assistentiam virtutis regiae — quod patet, quia, mortuo rege, non plus curatur de litteris suis quam de aliis, tamen nihil absolutum amiserunt — sic intelligendum in Sacramentis, et sic loquuntur Sanctorum auctoritates secundum communem usum.

Quaestio incidens solvitur.

Et rationes ad oppositum patent. — *Et si tu quaeras;* super quid fundatur relatio, et quomodo advenit sine donatione proprietatis? dicendum, quod in *institutionibus signorum;* ut quando nummus fit arrha, nihil datur de novo ipsi nummo [5].

Iudicium auctoris.

Utraque harum positionum satis videtur probabilis, haec tamen mihi videtur ad sustinendum facilior; nescio tamen, quae sit verior, quia cum loquimur de his quae sunt miraculi, non multum adhaerendum est rationi. Concedimus igitur, quod Sacramenta novae legis sunt *causa* et *efficiunt* et *disponunt,* extenso nomine, ut dictum est, et hoc securum est dicere; utrum autem plus habeant, nec volo affirmare nec negare. Et secundum hanc ultimam viam omnia quaesita patent [6].

QUAESTIO V.

De differentia inter Sacramenta vetera et nova.

Quinto quaeritur de differentia Sacramentorum novae legis et veteris; et assignat Magister [7] hanc differentiam: «quia illa tantum promittebant gratiam et non dabant, haec autem dant». Unde communiter assignatur differentia, quod Sacramenta novae legis efficiunt quod figurant, sed veteris non.

Ad oppositum.

1. Contra haec sic obiicit Hugo in libro de Sacramentis [8]: «Sacramentorum alia sub natura, alia sub Lege, alia sub gratia, alia quidem in specie, sed eundem effectum sanitatis habentia».

2. Item, Hugo [9]: «Ex quo homo aegrotare coepit, Deus reparando in Sacramentis suis medicinam praeparavit»; sed impossibile est, mederi Deum sine gratia iustificante: ergo in omnibus Sacramentis est gratia iustificans, et sic nulla differentia.

3. Item, *per rationem* videtur: quia semper decuit, ut curreret medicina cum morbo [10], quia

---

[1] Ex codd. F G H V (I bb a secunda manu) supplevimus *ideo*, pro quo cod. Z *iam.* Paulo superius pro *suscipienti* cod. G *suscipientibus.* Aliquanto inferius pro *Et sicut extenditur* codd. I R cc (K a secunda manu) *Et ideo sicut extenditur,* cod. Z *Et sicut hic extenditur*, qui etiam subinde pro *extenduntur* substituit *extenditur virtus.*

[2] Codd. *pietas fidei consentit, et ratio non repugnat*, quae lectio subnexis non congruit.

[3] Ed. 1 *et huic*, Vat. *et ideo huic.* Paulo superius pro *nihil* cod. X *nihilominus*, cod. Z *hic.* Aliquanto inferius pro *honorem gratiae curanti et animae* permulti codd. et ed. 1 *hominem gratiae et a se* (codd. I W *ad se*).

[4] Codd. A E L M V W aa bb *eo*, mox post *posse* codd. F H S T U omittunt *et.*

[5] August. V. de Trin. c. 16. n. 17: Nummus autem, cum dicitur *pretium*, relative dicitur, nec tamen mutatus est, cum esse coepit pretium; neque cum dicitur pignus et si qua sunt similia etc. Cfr. infra d. 3. p. II. a. 1. q. 2. in fine, et I. Sent. d. 30. dub. 3. — In praecedentibus exhibemus lectionem codd., quam, licet sit brevissima, genuinam tamen esse iudicamus. Post *in institutionibus signorum* supplendum est *fundatur*, cod. G vero supplet *non datur aliquid novum*, edd. glossando habent: *super ipsis signis* (ed. 1 *super eo) fundatur relatio; et hoc modo advenit sine proprietatis donatione.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Hic c. 6.

[8] Libr. I. p. VIII. c. 12: Alia ante Legem, alia sub Lege, alia sub gratia; *diversa* [quod etiam habet cod. Y] quidem in specie, unum tamen effectum habentia et unam sanitatem perficientia. — Pro *Contra haec* plures codd. *Contra hoc*, codd. R T *Quod omnia Sacramenta habeant eundem effectum, hoc.*

[9] Loc. cit., pluribus tamen post verba *Ex quo homo* interiectis. — De *minori*, in qua fide codd. F H substituimus *mederi Deum* pro *mederi Deo*, cfr. II. Sent. d. 26. q. 2, et tom. III. 888, nota 3.

[10] Hugo, loc. cit: Quamdiu morbus est, tempus medicinae est. — Pro *curreret* Vat. *curet*, et contra paulo inferius pro *curet* non pauci codd. et ed. 1 *curreret.*

semper et in omni lege aliqui sunt salvati; sed Sacramentum non est medicina, nisi curet per gratiam: ergo in omni tempore Sacramenta contulerunt gratiam: et sic etc.

4. Item, Sacramenta novae legis non habent efficaciam nisi per gratiam fidei, quia qui infidelis est ficte accedit et non reportat commodum; sed Sacramenta illa coniuncta fidei iustificabant, quia omne opus, nisi sit secundum se malum, quando est a fide operante per dilectionem, fit meritorium [1]: ergo sicut ista iustificant, sic et illa.

Contra: 1. Hugo in libro de Sacramentis [2]: Fundamenta. « Tempore legis naturae relictus est homo sibi, et sibi relictus erravit per ignorantiam, et ideo convictus est de *caecitate;* postmodum data est lex vetus sine gratia, in qua quid esset faciendum cognovit, sed concupiscentia pressus cecidit; et sic est victus de *impotentia;* et tunc venit Christus, de quo Ioannis primo: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est* »: ergo Sacramenta tempore legis veteris non conferebant aliquam gratiam: ergo etc.

2. Item, super illud ad Romanos tertio [3]: *Ex operibus Legis;* Glossa: « Opera Legis dicuntur, quae cum Lege instituta et terminata sunt, quae nunquam iustificare potuerunt, etiam si in fide et caritate fierent ».

3. Item, super illud Isaiae primo [4]: *Sanguinem hircorum nolui;* Glossa: « Praeterito utens, ostendit, se nunquam sacrificia Iudaeorum amasse ».

4. Item, *ratione* videtur: quia lex vetus data est in *onus;* unde Ezechielis vigesimo [5]: *Dedi eis praecepta non bona et verba, in quibus non vivent;* sed si haberent Sacramenta dantia gratiam, alleviarent; et beatus Petrus, Actuum decimo quinto: *Hoc est onus, quod nec nos nec patres nostri portare potuimus:* ergo etc.

CONCLUSIO.

Sacramenta novae legis per se iustificant et gratiam conferunt ex opere operato, quod non faciebant Sacramenta legis veteris nisi per accidens.

Respondeo: Dicendum, quod istam differentiam aliter intellexit Hugo, aliter intellexit Pictaviensis et Magister.

Magister [6] enim, secutus Pictaviensem, dixit, quod Sacramenta veteris legis, excepta circumcisione, instituta essent ad *significandum* tantum in perfectis viris et fidelibus; quia aliis erant instituta vel in *onus*, si duri erant, vel ad *revocandum ab idololatria;* et si ad aliquam fuerunt *efficaciam* ordinata [7], hoc fuit solum, ut absolverent ab irregularitate carnali vel poena temporali, ut baptismata et sacrificia. Et quia solum ad hoc instituta erant, etiam si ex fide et caritate fierent, non erat in eis meritum, quia non se extendebant ultra id, ad quod erant. Unde sicut motus caritatis non erit in patria meritorius, sic tunc non merebantur in opere exteriori, sed tantum in interiori. Et *si tu obiicias* ei de medicina, dicit, quod *fides* Redemptoris fuit medicina pro tempore illo; illa vero non iustificabant nec *per se* nec *per accidens.* Et huius positionis fuit Pictaviensis. — Sed haec positio magistro Hugoni non videbatur rationabilis, quia tunc sacrificia facta a viris sanctis non placuissent Deo nec sacrificium Abel nec Abraham nec Salomonis; quod manifeste falsum est, sicut patet in narratione canonis [8]. Et quid etiam de oblatione sacrae Virginis, cum obtulit *par turturum*, nunquid a merito vacua fuit?

Opinio Magistri.

Non probatur.

Propter hoc aliter Magister Hugo voluit dicere, quod [9] Sacramenta veteris legis, excepta circumci-

Opinio Hugonis.

---

[1] Respicitur Gal. 5, 6: Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet... sed fides, quae per caritatem operatur. — Circa initium arg. ante *qui infidelis est* multi codd. et ed. 1 omittunt *quia*, pro quo Vat. *nam;* codd. A F legunt *qui infidelis est, quia ficte accedit, non reportat commodum,* cod. U *nam si infidelis ficte accedit, non reportat.* — In his respicitur illud C. *Intelleximus* (7), X. libr. II. tit. I. de Iudiciis: Ne videatur de sua malitia commodum reportare.

[2] Libr. I. p. VIII. c. 3, et praesertim libr. II. p. II. c. 1, sed extensius. In fine testimonii allegatur Ioan. 1, 17.

[3] Vers. 20. — Glossa, quae est *ordinaria,* exhibetur a Strabo et Lyrano, ubi textus originalis post *terminata sunt* addit *ut erant caerimonialia et figurativa,* et pro *potuerunt* substituit *valuerunt* (codd. F H Z aa *poterant),* nec non pro *in fide et caritate* exhibet *cum caritate et devotione.*

[4] Vers. 11. — Glossa, apud Strabum et Lyranum *ordinaria,* delibata est ex Hieron. in hunc locum, ubi dicit: Pro eo quod est *nolui* Septuaginta transtulerunt *nolo,* praesens tempus pro praeterito. Porro iuxta Hebraicum nunquam se Deus hostias Iudaeorum voluisse demonstrat etc.

[5] Vers. 25, ubi Vulgata et cod. Z *iudicia,* codd. K aa *iudicia mala* pro *verba.* — Seq. textus est Act. 15, 10: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super cervices discipulorum, quod etc.

[6] Hic c. 4. 6. et 7. — *Pictaviensis* est Gilb. Porretanus, episcopus quondam Pictaviensis. Cfr. tom. I. pag. 575, nota 3. — Superius pro *intellexit Hugo* non pauci codd. cum ed. 1 *intelligit Hugo.*

[7] Codd. H K *habuerunt efficaciam ordinari,* multi alii codd. incongrue *habuerunt efficaciam ordinata.*

[8] Canon Missae, ubi sic habetur: Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech etc. — Cod. F a secunda manu *nec Melchisedech* pro *nec Salomonis.* In lectione codd., si nomine *canonis* non intelligatur sacra Scriptura, sed *canon* Missae, propositio refertur tantum ad Abel et Abraham, quibus adiungitur Salomon, cuius sacrificium Deo placuit, ut colligi potest ex II. Paralip. 7, 1. Pro *narratione canonis* codd. F H *oratione canonis.* — Post pauca respicitur Luc. 2, 24. — Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. XI. c. 1: Si quis igitur Sacramenta priora effectum sanctificationis habuisse negaverit, non mihi recte sentire videretur. De subnexis vide ibidem c. 2. seqq.; p. XII. c. 1. seq.; et Sum. Sent. tr. 4. c. 1. — Post *Et quid* cod. Z supplet *dicetur.*

[9] Codd. F H (I a secunda manu) *scilicet quod.*

sione, instituta fuerunt primo ad *significandum* vel passionem, ut sacrificia, vel etiam nostra Sacramenta, ut baptismus eorum nostrum; et ad *efficiendum* non sunt instituta nisi solum exterius circa carnem. Sed quia significant quod fides credit, in eorum perceptione est professio fidei, non tantum *verbo*[1], sed et *facto;* et quia talis fides disponebat ad iustificationem, ideo Sacramenta illa *per accidens* iustificabant. Sed novae legis Sacramenta non solum ex prima sua institutione ordinata sunt ad *significandum,* sed etiam ad *gratiam obtinendam,* et ideo[2] per se ordinata sunt ad iustificationem; ideo, per se loquendo, ista iustificant, illa non nisi *per accidens.* — Et huius signum est, quod Sacramenta veteris legis principaliter significant id quod credendum est, ut Christi passionem et per posterius iustificationem; excepta sola circumcisione, quae principaliter significat amotionem originalis. Sed Sacramenta novae legis e contrario primo significant *gratiae efficaciam* et per posterius *passionem,* sive id quod est credendum, ut baptismus interiorem ablutionem et passionem. Unde Hugo[3]: « Sacramenta novi Testamenti primo loco spiritualis *gratiae* signa sunt et ad ipsam gratiam sanctificandis conferendam principaliter instituta. Illa vero signa horum tantum erant, et mediantibus his gratiam in sustentationem contulerunt » ; *mediantibus his,* id est fide istorum, quia non erant in re, sed in fide.

Signum huius.

Et has opiniones tanquam rationabiles concordant aliqui magistri moderni temporis dicentes, Magistrum locutum esse, quod illa non iustificabant *per se*[4], sed Hugo *per accidens;* ideo non est contradictio. — Sunt etiam alii, qui dicunt idem ipsum aliis verbis, quod ista iustificant ratione *operis operati,* sed illa ratione *operis operantis,* non operati; et *opus operans* est fides, sed *operatum* exterius est Sacramentum; et quod iustificarent[5], hoc est ratione fidei et caritatis coniunctae.

Opinio 3, concilians.

Sed si quis attendat, hae positiones directe sibi contradicunt. Primum quidem, quia Magister non solum dicit, quod illa Sacramenta non iustificabant, sed etiam, quod non iustificabant[6], etiam si in fide et caritate fierent; et sic nec *per se* nec *per accidens. Rursus,* uterque loquitur de his, in quantum sunt Sacramenta; et constat, quod *opus operans* non est Sacramentum, sed *opus operatum:* ergo uterque intellexit de operato; et illud verum est, et de illo *opere operato* dixit Magister[7], quod solum significabat, non iustificabat, sicut aspersio aquae vel sanguinis. Nunquam enim iustificabat *sanguis hircorum aspersus,* etiam si in fide et caritate fieret, et hoc nec *per se* nec *per accidens;* et hoc satis fuit probabile.

Conciliatio haec reprobatur.

Sed certe multo probabilius est quod magister Hugo posuit, quod cum in illo opere operato esset professio fidei *facto*[8], quod ratione fidei coniunctae erat *in illis* primo et *per illa,* per accidens tamen, iustificatio. Sed in hoc est differentia ipsorum ad nova, quod in Sacramentis novae legis quantum ad opera operata est iustificatio non tantum *per accidens,* sed etiam *per se.* Huius autem signum evidens praeostensum est in modo significandi horum Sacramentorum et illorum. — Si vero quaeratur ratio, unde hoc est; responsio est ex praedictis[9], quia causalitas Sacramentorum non est aliud quam quaedam efficax ordinatio ad recipiendam gratiam ex pactione divina; hoc autem fuit solum in Sacramentis novae legis, et non veteris nisi in circumcisione, quia ibi fuit pactio. — Quare autem in istis est pactio et ordinatio, in illis non; patet: quia tunc fuit tempus figurae et vincendi duritiam[10], modo est tempus gratiae.

Conclusio 1. Conclusio 2. Ratio. Corollarium.

Ex his patent obiecta ad utramque partem; nam illa quae probant, quod non iustificant, intelliguntur *per se loquendo;* alia vero ad oppositum, *per accidens.*

Ad argg.

SCHOLION.

I. Sententia Magistri et Pictaviensis, quod Sacramenta veteris legis nullo modo, id est nec ut opus *operans,* licet fiat in fide et caritate, nec ut opus *operatum* sive vi Sacramenti, fuissent meritoria et iustificantia, communissime ut falsa reiicitur. Sed nec altera opinio Hugonis, quod scilicet utroque modo iustificassent, ita tamen ut ex opere *operato* hoc fieret tantum *per accidens,* quatenus essent figura Christi venturi (unde actualis susceptio erat quaedam professio et veneratio Christi), pluribus auctoribus placet. Nolunt enim hi concedere, eadem per modum *Sacramenti* iustificare, licet fiat *per accidens;* sed

---

[1] Codd. F H *in verbo,* qui etiam subinde cum non paucis aliis codd. substituunt *sed in facto* pro *sed et facto.*

[2] Cod. Z (I primitus) *ad gratiam obtinendam a Deo, per se* (I a secunda manu *unde per se*) etc. Paulo ante pro *ex prima sua institutione* codd. L Z *ex primaria institutione,* edd. *ex prima causa et institutione,* cod. F *ex prima causa instituta et.*

[3] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 5, ubi textus originalis post *conferendam* addit *infusa sibi benedictione,* et subinde post *mediantibus his* interserit *quorum signa fuerunt, ne sine salute essent, qui tempus redemptionis praecesserunt.* — Edd. pro *in sustentationem* substituunt *iustificationis.* Codd. pro *mediantibus his* bis exhibent *mediantibus istis.*

[4] Codd. verbis transpositis *Magistrum locutum esse per se* (codd. F H Z et I bb a secunda manu addunt *cum dixit*), *quod illa non iustificabant.*

[5] Ex codd. F H (I a secunda manu) supplevimus *quod iustificarent.*

[6] Plures codd. omittunt *sed etiam quod non iustificabant,* pro quo edd. *immo.*

[7] Cfr. hic lit. c. 4. — Post pauca respicitur Hebr. 9, 13. — Aliquanto inferius pro *et hoc* (cod. L *et ita*) *nec per se* edd. *et hoc modo nec per se.*

[8] Ita codd. A C F K P Q V W bb cc (I primitus), codd. D H *in facto,* cod. L *factae,* edd. *facta.* Mox post *primo* cod. F addit *significatio* et omittit *per illa* ac *tamen.* Subinde pro *quod in Sacramentis* plurimi codd. *quia in Sacramentis.*

[9] Quaest. praeced. — Inferius respicitur Gen. 17, 10: Hoc est pactum meum... Circumcidetur etc. — Pro *responsio est* edd. *patet responsio.*

[10] Vat. addit *illorum per illa Sacramenta.*

media quadam via inter utramque opinionem incedentes docent, eadem iustificare tantum per modum *operis operantis*, id est per fidem sive suscipientis sive applicantis, dummodo haec non tantum in *signo*, sed etiam in *corde* fuerit (cfr. infra p. II. a. 1. q. 2.). — Plurimi alii autem de circumcisione aliter iudicandum censent, de quo cfr. infra p. II. a. 2. q. 1. — Locutio ex *opere operato*, quam passim irridebant et pessime interpretabantur haeretici, consecrata est a Concilio Trident. (Sess. VII. can. 8.). Participium *operatus* sensu passivo sumtum occurrit iam apud Tertullianum et Lactantium (Forcellini, Lexicon etc.). — Applicatio vocum *materia et forma* ad rem sacramentariam, quae nunc communissima et ab Ecclesia iam seculo XV. in Decreto pro Armenis recepta est, nec in Hugone a S. Victore nec in Magistro invenitur; eam tamen adhibet Guliel. Antissiod. in Summa aurea. Antiquitus cum S. Augustino (Tract. 80. in Ioan.) dicebatur: Accedit *verbum* ad *elementum*, et fit Sacramentum. Distinguebatur etiam *Sacramentum* (scilicet res sensibus obiecta) et *res Sacramenti* (gratia gratum faciens) nec non *signum* et *res sacra* (effectus Sacramenti). Observat tamen Thom. de Argentina (hic a. 1.), terminum *res* Sacramenti interdum largius accipi pro toto effectu Sacramenti in animam recepto, ut comprehendatur etiam *character;* vulgo tamen character vocatur *res et Sacramentum;* gratia vero *res et non Sacramentum* (cfr. infra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 3. S. Thom., hic q. 1. et 2.).

De hac 5. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 3. m. 3. a. 2, m. 4. a. 1. — Scot., hic q. 3. n. 8, et q. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 5; S. I. II. q. 103. a. 2; III. q. 62. a. 6. — B. Albert., hic a. 15. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 7. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 4. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 6.

II. Quoad seq. (6.) quaestionem S. Thom. (S. III. q. 62. a. 2; IV. Sent. d. 7. q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.) docet, gratiam sacramentalem addere supra gratiam sanctificantem et etiam supra gratias virtutum et donorum quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem. Huic satis concordant S. Bonav. aliique posteriores.

De hac quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 4. a. 2. § 2. — Scot., hic d. 2. q. 1. n. 2. seq., q. 6. n. 13. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 8. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO VI.

De gratia in Sacramentis collata.

Sexto et ultimo quaeritur de gratia sacramentali, utrum sit eadem per essentiam cum gratia virtutum. Et quod eadem sit, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia Sacramentorum gratia est gratum faciens, quia facit dignum vita aeterna, ut patet in baptismo; sed in una anima una est gratia gratum faciens[1]: ergo etc.

2. Item, «tantum unum uni opponitur[2]»; sed gratia in virtutibus opponitur peccatis, similiter et gratia in Sacramentis: ergo est una.

3. Item, baptizatus baptismo flaminis, si accedit ad Sacramentum, non recipit aliam gratiam, ut dicit Magister[3]: ergo non est alia gratia in Sacramentis quam in virtutibus, quia iste non habebat nisi gratiam virtutum.

4. Item, idem est quod dirigit separando a termino et inclinando ad terminum[4]; sed Sacramenta sunt complentia animam separando a malo, virtutes ad terminum ordinando: ergo etc.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Omnis qui non accedit ficte, habet gratiam virtutum; qui autem accedit ficte, nullam gratiam recipit in Sacramento[5]: ergo aut alia gratia datur ei quam gratia virtutum, aut Sacramenta nihil dant omnino.

2. Item, quae habent diversas differentias essentialiter sunt essentialiter diversa[6]; sed talia sunt gratia in Sacramentis et virtutibus et donis et beatitudinibus: ergo etc.

3. Item, dona et virtutes et beatitudines essent, si nunquam esset peccatum, non autem gratia Sacramentorum[7]: ergo etc.

4. Item, connexio est in virtutibus[8], non autem in Sacramentis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Gratia sacramentalis est eadem per essentiam cum gratia virtutum, licet gratia sacramentalis plures connotet effectus.

Respondeo: Quidam voluerunt dicere, quod in his et in illis est omnino eadem gratia, differens sola *comparatione*[9] vel *modo participandi*. Illa enim gratia, quae facit, virtutes et dona esse in anima, *sacramentalis* dicitur, secundum quod per Sacramentum datur, aut augetur, vel recuperatur; nec instituta sunt Sacramenta ad aliam gratiam, sed ad illam quaerendam et recuperandam. Opinio 1.

Alia positio est, quod[10] differens est *per essentiam*, sicut probant istae rationes; et sicut in uno homine plures sunt gratiae gratis datae, ita et plures gratum facientes, propter hoc quod ordinant ad diversa. Virtutes enim et dona ordinant ad opera bona, sed Sacramenta curant vitia nec ordinant ad opera bona nisi *ex consequenti;* unde secundum quod multa sunt vitia, multae sunt gratiae sacramentales. Opinio 2.

---

[1] Ut monstratum est II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1.

[2] Aristot., X. Metaph. text. 17. (IX. c. 5.), et I. de Caelo et mundo, text. 10. (c. 2.).

[3] Infra d. IV. c. 5.

[4] Cfr. tom. III. pag. 570, nota 1. — Inferius pro *ad terminum* codd. F H I *ad Deum*, cod. Z legit *ad terminum, id est Deum.*

[5] Vide infra lit. Magistri, d. IV. c. 2, et ibid. Comment. p. I. a. 2. q. 2.

[6] Aristot., I. Topic. c. 13: Eorundem eaedem differentiae. — De *minori* vide III. Sent. d. 34. p. I. a. 1. q. 1.

[7] Cfr. II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1, et a. 3. q. 1. seq.

[8] De quo vide III. Sent. d. 36. q. 1. et 3.

[9] Codd. E L M R S V W *pro comparatione*, codd. A K bb *per comparationem*, cod. F *solum per comparationem.* Mox pro *participandi* cod. H *comparandi.* Inferius post *in anima* Vat. prosequitur *dicitur esse virtutum, sacramentalis vero dicitur.*

[10] In edd. additur *in his et in illis gratia.*

Tertia positio est probabilior et melior, quod *gratia gratum faciens* una est; et huius signum est, quia tollitur uno peccato tota. Sed attendendum, quod cum dico *gratiam virtutum,* dico gratiam gratum facientem et habitum substratum; et gratia gratum faciens una est, sed habitus substratus alius et alius [1]. Similiter cum dico *gratiam sacramentalem,* non tantum dico *gratiam,* sed etiam *effectum curationis;* et *gratia* quidem una est, sed *effectus curationis* plures sunt. Distinguitur ergo gratia in Sacramentis, donis et virtutibus concernendo *effectus* et *habitus substratos.* Unde *sacramentalis* gratia supra gratiam *virtutum* propter peccatum addit aliquem *effectum.* Exemplum in eo qui gratus est et baptizatus: datur illi gratiae *effectus,* quia non tantum absolvitur [2] a *culpa,* sed etiam a *poena;* sicut et in aliis *virtutibus* et *donis* et *beatitudinibus* est differentia penes *habitus substratos,* qui differunt propter differentiam in actibus, ad quos ordinant. Nam *virtutes* ordinant ad opera prima, *dona* ad media, *beatitudines* ad perfecta, ut alibi [3] patet; *Sacramenta* vero addunt remedium curationis. — Et rationes procedunt secundum has duas vias [4].

(Marginalia: Opinio 3. — Conclusio. — Corollarium.)

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de definitione Sacramenti, quam ponit Magister: *Sacramentum est sacrae rei signum.* Videtur enim male assignare, eo quod videtur aliis convenire [5], quae non sunt Sacramenta, et tamen sunt sacrae rei signum, ut est hoc nomen *Deus. Si dicas,* quod sit signum rei sacrae et ut sacrae; tunc hoc nomen *sanctum* et *sanctificans* est Sacramentum. *Si tu dicas,* quod hoc intelligitur de signo visibili; tunc ergo ratio haec non est *convertibilis* [6].

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod Sacramentum accipitur tripliciter, scilicet *communiter* et *proprie* et *propriissime;* et secundum hoc Magister dat tres definitiones. Et prima est Sacramenti *largissime* accepti [7]. — Potest tamen dici secundum Hugonem aliter [8], quod illa non est *definitio,* sed *nominis interpretatio;* et Magister non intendit ibi definitionem Sacramenti ponere, sed nominis interpretationem sive verbi notificationem. Et ex prima interpretatione habetur, quod Sacramentum sit signum rei sacrae; ex secunda, quod sit signum visibile rei sacrae et sanctificantis; ex tertia, quod sit signum [9] rei sacrae et sanctificantis, ita quod ad illam habendum efficaciter ordinat suscipientem; et sic dicitur *proprie* Sacramentum, et ita venatur Magister definitionem Sacramenti. Si ergo prima ratio *determinetur* per has conditiones, tunc dicetur ratio Sacramenti; si autem in sua *generalitate intelligatur,* sic solum est *interpretatio nominis,* non *definitio convertibilis* [10].

(Marginalia: Solutio aliorum. — Solutio Hugonis.)

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma.* Videtur enim non bene definiri: quia corpus Christi verum est Sacramentum [11], character est Sacramentum, et tamen neutrum est visibilis forma. *Si tu dicas,* quod *visibile* sumitur ad visibile *sensu exteriori,*

---

[1] Vide III. Sent. d. 33. q. 5. scholion. — Vat. cum aliquot codd. *habitus substrati alii et alii.*

[2] Codd. A E F H I K V W bb non male *absolvit.* Inferius substituimus maioris claritatis causa ex cod. H *sicut* pro *sic;* ex codd. F H P Q (I a secunda manu) supplevimus *est differentia,* pro quo edd. tantum *est.* Mutavimus etiam omnino interpunctionem.

[3] Libr. III. Sent. d. 34. p. I. a. 1. q. 1.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Edd. cum pluribus codd. *communicare.* Mox pro *sacrae rei signum* codd. F aa (H a secunda manu) *sacrae rei signa.*

[6] Secundum Aristot., VI. Topic. c. 2. (c. 3.), definitio non est bona, quae non est convertibilis cum definito: Nam huiusmodi oratio non *conversim* praedicabitur de re, eo quod non omnibus inest, quae sub eadem specie sunt.

[7] In cod. P secunda manus scribit de praedictis: Respondeo. Ad hoc dicunt aliqui, quod Sacramentum accipitur dupliciter: *active* et *passive. Passive* dictum accipitur impropriissime; *signum* enim proprie dicitur Sacramentum et non *signatum;* et hoc modo passio Christi et resurrectio et huiusmodi dicuntur Sacramenta, quia sunt *sacra signata,* vel dicuntur *effective* Sacramenta, quia ab ipsis habent Sacramenta virtutem. — *Active* vero dictum accipitur tripliciter, scilicet *communiter, proprie* et *propriissime;* et secundum hoc Magister dat tres definitiones. Prima est Sacramenti *largissime* accepti, secundum quod Sacramentum convenit omnibus signis rem sacram, creatam, ordinatam vel ordinabilem ad salutem significantibus, sive ad hoc sint principaliter instituta, sive non; et secundum hoc res significata est visibilis vel invisibilis. Secunda est Sacramenti *proprie* et stricte accepti, secundum quod convenit signis rem sacram significantibus ex institutione, quae res sacra est tantum invisibilis; et haec est communis Sacramentis veteris et novae legis. Tertia est Sacramenti *propriissime* et strictissime accepti quae propria est Sacramentis novae legis.

[8] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2.

[9] Edd. addunt *visibile,* refragantibus plurimis codd. Mox pro *ad illam,* quod habent codd. H I et contextus exigit, alii codd. et edd. *ad illud.* Aliquanto inferius pro *determinetur* codd. A F H Z *determinatur,* et pro *dicetur* edd. cum nonnullis codd. *diceretur.*

[10] Idem dubium solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 1. m. 1, et q. 5. m. 1; B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic q. 1. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1; Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. Locc. citt. solvuntur etiam duo seqq. dubia.

[11] Cfr. infr. lit. Magistri, d. VIII. c. 6. seq., et ibid. Comment. p. II. a. 2. q. 1. — De charactere vide infra d. 6. p. I. q. 1. seqq. — Pro *verum* cod. H *vere.* Inferius post *sumitur* edd. addunt *communiter.*

secundum quod dicitur Genesis tertio [1]: *Vidit igitur mulier;* et ad visibile quantum ad *sensum communem*, secundum quod dicitur Exodi vigesimo: *Cunctus populus videbat voces* etc.; et ad visibile *secundum intellectum*, secundum quod dicitur Genesis primo: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona; obiicitur* contra hoc, quod gratia secundum istum modum videndi [2] non est invisibilis: ergo male dicitur invisibilis gratiae.

Propter hoc quaeritur: quomodo accipitur ibi *visibilis;* et quare magis signi *visibilis* quam *audibilis*, cum vox sit signum magis expressivum? Et iterum, cum Sacramentum sit compositum, quaeritur, quomodo sit forma.

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod *visibile* accipitur ibi pro sensibili *sensu exteriori*, maxime quantum ad duos sensus *disciplinales* [3]*;* unde *visibile* comprehendit *audibile.* Sed magis dicitur visibile quam audibile propter hoc, quod ratio *signandi*, ut infra [4] videbitur, magis residet penes elementum; et hoc est perceptibile visu, et utrumque concurrit ad Sacramentum. — Quod obiicitur de charactere [5], dicendum, quod non est Sacramentum, nisi quia annexum est sensibili sive visibili exteriori, et Magister definit principaliter quod est exterius. — Quod obiicitur de forma, dicendum, quod *forma* uno modo dicitur *perfectio rei;* alio modo *paradigma* sive exemplar [6]; tertio modo dicitur forma quasi *foris manens*, id est aliqua similitudo exterius repraesentans; et sic accipitur in proposito.

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius est signum.* Videtur enim male dicere: quia Sacramentum est res corporalis, et gratia res spiritualis: ergo cum nulla sit convenientia in aliqua qualitate inter illa, non est similitudo [7].

Respondeo: Dicendum, quod *similitudo* duobus modis attenditur: uno modo secundum *unius rationis proprietatem* sive naturae participationem; alio modo secundum *unius formae comparationem.* Prima dicitur similitudo *proportionis*, secunda dicitur similitudo *proportionalitatis.* Sacramentum [8] gerit similitudinem gratiae secundo modo, non primo, pro eo quod, sicut aqua abluit carnem, ita gratia mundat animam; et sicut oleum lenit exterius, ita gratia interius. Et haec similitudo est in quatuor terminis [9].

Duplex similitudo.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, non animae.* Videtur enim falsum dicere, quia immunditia carnis non amovebatur, immo plus [10] caro inficiebatur.

Respondeo: Immunditia carnis dicitur, non quia pure erat carnalis, sed quia erat *irregularitas* contracta ex solo actu carnali; sicut erat tangere mortuum, ex quo dicebatur *immundus*, non quia macula erat [11] in anima vel in carne, sed quia ex hoc aliquam contraxerat irregularitatem, ut non esset idoneus ingredi in templum [12].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sed purificabatur secundum Legem die tertio et septimo;*

---

[1] Vers. 6. — Locus seq. est Exod. 20, 18; tertius Gen. 1, 31. — Secundum locum (Exod. 20, 18.) August., II. Quaest. in Pentateuch. q. 72, sic exponit: Solet quaeri, quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed potius ad auditum pertinere videatur? Sed... *videre* solet pro *generali* sensu poni, non solum corporis, verum etiam animi....... Nam: vide, quid sonet, solemus dicere; audi, quid luceat, non solemus. Cfr. X. Confess. c. 35. n. 54.

[2] Ex codd. H Q supplevimus *secundum istum modum videndi*, pro quo codd. B K aa (D a secunda manu) *secundum hoc.* Post pauca pro *accipitur ibi visibilis*, quod exhibent codd. A H (K a secunda manu), alii codd. cum edd. *accipitur ibi invisibilis*, quae lectio responsioni inferius datae non congruit. Subinde post *vox sit signum* permulti codd. non bene omittunt *magis*.

[3] Scilicet visum et auditum, qui maxime deserviunt ad scientiam sive disciplinam acquirendam. Cfr. III. Sent. d. 24. dub. 2. — Edd. *disciplinabiles*.

[4] Dist. 3. p. I. a. 1. q. 1.

[5] Cod. I a secunda manu *de corpore Christi et de charactere*, et dein *quod non sunt..... nisi quia annexa sunt sensibili.*

[6] Forma enim sive causa formalis dividitur *in intrinsecam* et *extrinsecam*, quae vocatur etiam exemplaris. Cfr. Aristot., VII. Metaph., text 22. seqq. (VI. c. 7.) — De forma tertio modo accepta vide Aristot., Praedicam. c. *de Qualitate*, ubi tanquam quartam speciem qualitatis *figuram* et *formam* recenset; haec tangitur infra d. 6. p. I. q. 1. in corp.; d. 48. a. 2. q. 3. in fine, et d. 49. p. I. q. 1. ad 5. B. Albert., in Praedicam. c. de Qualitate, c. 9. ait: Dicitur enim forma, quasi *foris manens* secundum nomen, et sic modus continentiae in terminatione linearum et superficierum dicitur forma. Et haec forma est species qualitatis. Idem docet Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 1. a. 1, ubi adducit etiam pro hoc illud Rom. 5, 14: *Qui* [Adam] *est forma futuri*, i. e. figura sive similitudo, ut dicit Glossa.

[7] Nam sicut convenientia in *substantia* constituit identitatem, convenientia in *quantitate* aequalitatem, ita convenientia in *qualitate* similitudinem, ut docet Aristot., V. Metaph. text. 16. et 20. (IV. c. 9. et 15.).

[8] Codd. G K V aa addunt *ergo.*

[9] Aristot., I. Magnor. Moral. c. 31. (34.): Proportionale in quatuor nihilominus perficitur; nam quemadmodum A ad B, ita C ad D. Cfr. V. Ethic. c. 3. — De differentia *proportionis* et *proportionalitatis* vide Boeth., II. de Arithmet. c. 40, et I. Sent. d. 1. a. 3. q. 1. ad 1, et ibid. scholion.

[10] Codd. I Z aa *potius.*

[11] Codd. K aa *esset.*

[12] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 3. m. 4. a. 1. ad 8; B. Albert., hic a. 9. seq.; Petr. a Tar., hic circa lit.

unde hoc erat, quod sacerdos erat purificandus [1] secundum Legem, cum idem non debeat esse causa purificationis et inquinationis?

Respondeo: Ratio huius erat *litteralis, allegorica* et *moralis: litteralis,* quia tangebat cinerem animalis mortui, et summus etiam sacerdos in peccato populi communicabat; ideo in poena [2] contrahendi immunditiam communicabat. *Allegorica* ratio est, quia in hoc significabatur, quod immunditia Iudaeorum non erat totaliter auferenda usque ad finem, quando *reliquiae Israel salvae fient,* ad Romanos nono [3]. *Moralis* vero ratio erat, quia illa immunditia significabat, quod homo debeat se reputare immundum; et sacerdos, qui pro aliis purificandis orat, debet se reputare immundum, quia aliena peccata debet reputare quasi sua; vel etiam debet credere, se in illo officio aliquid commisisse, iuxta illud Gregorii [4]: « Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est ».

Ratio triplex.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Mundabant etiam interdum a corporali lepra illa legalia;* quia, si hoc verum erat, tunc ergo illa erant maioris virtutis, quam sint ista.

Respondeo: Dicendum, quod *mundare* dicuntur, quia mundatum ostendebant. — Et *si tu quaeras,* quae utilitas sit; *respondeo:* dicendum, quod magna; quia leprosi eiiciebantur extra castra et non poterant redire, nisi [5] purificarentur et iudicio sacerdotis essent mundi. — Sed tunc *obiicies:* cum lepra sit morbus incurabilis, videtur, quod nullus mundaretur. Dici potest, quod aliqui *radicitus* habebant causam morbi, et isti nunquam mundabantur, nec secundum veritatem nec secundum iudicium sacerdotis. Aliqui vero habebant *signa* [6], et isti mundari poterant, id est mundati ostendi, cum illa signa iam cessabant.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Triplici ex causa instituta sunt Sacramenta.* Videtur enim male dicere: quia unius rei unicus est finis: ergo videtur, quod una sola sit causa principalis.

Respondeo: Dicendum, quod una est causa principalis, scilicet animae ornatus sive reparatio; sed quia anima plures habet potentias, possunt fines plurificari penes illas, uno tamen principali fine existente. Est enim in nobis vis *regitiva* [7], et quantum ad hanc est *eruditio;* est vis *irascibilis,* et quantum ad hanc est *humiliatio;* est *concupiscibilis,* et quantum ad hanc, ne fastidiat, est *exercitatio.* — Vel aliter: *eruditio* quantum ad *cognitivam, humiliatio* quantum ad *affectivam,* sed *exercitatio* quantum ad *operativam* [8].

Notandum.

Aliter.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *dum homo rebus sensibilibus, quae natura infra ipsum sunt, subiicitur.* Videtur enim in hoc perverti ordo: quia anima est supra huiusmodi creaturas: ergo si eis se subiicit, pervertitur in hoc ordo naturalis.

Respondeo: Dicendum, quod subiicere se his rebus potest homo quatuor considerationibus: aut propter *peccati meritum,* aut propter *Dei praeceptum,* aut quia sunt *gratiae signum,* aut quia in eis *statuit summum bonum* et finem ultimum. Primis tribus de causis est meritorium, et nulla inordinatio. Propter *peccati* enim *meritum* est aliquis infra illa, et ita eius subiectio respectu talium est ordinata. Item, qui propter *praeceptum* se subiicit ordinate facit, quia se subiicit magis praecepto quam rei sensibili [9]. Et qui propter *significationem,* magis signato subiicit se quam signo. Sed in quarta consideratione ordo pervertitur, et est peccatum; et sic non spectat ad propositum.

Motiva 4.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Homo, qui ante peccatum sine medio Deum videbat.* Videtur enim dicere falsum: quia qui videt Deum sine medio videt Deum per essentiam, videt etiam *facie ad faciem* [10]; sed omnis talis est beatus: ergo etc.

[1] Ita codd. F H, in ceteris et edd. minus apte *purificans.* Nam sacerdos, qui tetigit cinerem vaccae rufae, immundus fuit et purificandus (Num. 19, 7. 10; 19, 21.), licet ipse alios mundaret.

[2] Ita codd. K V, alii cum edd. *poenam.*

[3] Vers. 27. — Hanc rationem insinuat Raban., II. in Num. 19, 6, ubi de ritu expiationis ex cinere vaccae rufae.

[4] Libr. XI. Registr. Epist. 64. respons. ad 10. interrog. August., ubi textus originalis *etiam ibi aliquo modo culpas suas* pro *ibi culpam.* — Superius post *vel etiam* cod. V repetit *quia.* — De hoc dub. cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 3. m. 4. a. 2; B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 3. ad 2; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. ad 3.

[5] Codd. F H bene *donec.* Paulo ante pro *castra* codd. A E I L V W *castrum.*

[6] Cod. Z supplet *leprae.* — Idem dub. solvit S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[7] Sive rationalis, cuius proprium est, ut ait Aristot., V. Topic. c. 1, *principare* ad concupiscibile et irascibile etc. Cfr. tom. III. pag. 720, nota 1. — Codd. G K aa *cognitiva.* Pro *tamen* cod. cc (K a secunda manu) *tantum.*

[8] Dub. hoc solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 2. a. 3; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3; Richard. a. Med., hic a. 2. q. 1. Locc. citt. solvitur etiam seq. dub.

[9] Ita codd. F H L P, alii codd. et ed. 1, sive in prima sive in secunda propositione praemissa quaedam male omittunt; Vat. legit: Nam cum propter peccati demeritum et Dei praeceptum homo Sacramentis se subiicit, quia sunt gratiae signum, magis praecepto quam rei insensibili se subiicit: et ideo est ordinatio.

[10] Epist. I. Cor. 13, 12. — In Vat. desideratur *videt Deum sine medio.*

Respondeo: Dicendum, quod *videre sine medio* est dupliciter: aut sine medio *adminiculante*, aut sine medio *obumbrante*. Primum medium est speculare, secundum aenigmaticum. Sine primo non erat homo[1], sed erat sine secundo, in quod incidit per peccatum; et ideo, quia caecus erat, indiguit erudiri et manuduci; non sic in statu primo[2].

Distinctio.

Dub. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Propter exercitationem similiter instituta sunt;* quia, si hoc verum est; cum *corporalis exercitatio ad modicum* sit *utilis*[3], cum ergo Sacramenta sint corporales res: ergo ad modicum sunt utilia propter exercitationem.

Respondeo: Dicendum, quod *exercitari*[4] in observantia ipsorum Sacramentorum potest esse dupliciter: aut in *solo* exteriori ritu, et sic ad modicum valet; aut *iuncta* devotione mentis, et sic non est corporalis, sed quodam modo spiritualis, ac per hoc multum utilis[5].

Distinctio.

Dub. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *duo sunt, in quibus consistunt Sacramenta, scilicet res et verba.* Videtur enim, quod *male* dividat, quia omne *verbum* est *res*. — Item, videtur, quod dividat *insufficienter*, quia Hugo[6] dicit, quod consistunt in rebus, dictis et factis.

Respondeo: Dicendum, quod *res* arctatur hic ad visibilia, et Magister strictius accipit Sacramenta, quam Hugo: quia ille accipiebat, quamcumque institutionem honestatis in Dei Ecclesia Sacramentum esse, Magister vero strictius accipit[7].

Dub. XII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quia *promittebant et significabant tantum.* Videtur enim male dicere: quia aut promittebant illis qui erant *illius temporis*, aut *futuris*. *Futuris* non, quia non promittit aliquis aliquid alicui, nisi ille sit. Si illis qui *tunc* erant; constat, quod ad Sacramenta novae legis illi non pervenerunt: ergo decepti erant in promissione.

Respondeo: Dicendum, quod hic accipitur promissio non gratiae iustificantis, sed gloriae; et illa promittebant, sed non dabant, quia ianua nondum erat aperta; haec autem promittunt et dant, cum ianua sit aperta a Christo[8].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM I.

Pars II.

De circumcisione et annexis.

Fuit tamen inter illa Sacramenta Sacramentum quoddam, scilicet circumcisionis.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 9.

DIVISIO TEXTUS.

Post partem prooemialem et principalem Magister ponit hic partem incidentem; et haec pars habet ortum ex differentia praeassignata. Dixerat enim, quod Sacramenta veteris legis non efficiebant sive non praestabant gratiam iustificantem, et hoc habebat instantiam in circumcisione; ideo illam excipit et ostendit circumcisionis efficaciam. Et haec pars habet duas partes. In prima determinat circumcisionis efficaciam. In secunda determinat eius formam sive integritatem et substantiam, ibi: *Hic dicendum est, in quo instituta fuerit.*

Prima pars habet duas partes. In prima ostendit circumcisionis efficaciam. In secunda vero removet et determinat quaestionem annexam, ibi: *Quaeritur autem de viris, qui fuerunt ante* etc., ubi determinat, quod remedium fuerit contra originale ante circumcisionem.

Similiter secunda pars, in qua determinat de his quae spectant ad huius Sacramenti substantiam[9], habet duas partes. In prima determinat sive dicit veritatem. In secunda vero removet dubitationem, ultimo capitulo: *Si vero quaeritur de parvulis.* Subdivisiones partium manifeste apparent in littera.

---

[1] Cod. U *primus homo.* Inferius pro *indiguit* codd. M O *indigebat*, cod. B *indigens*, edd. perperam *indignus erat.*

[2] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3; Alex. Hal., S. p. IV. q. 1. m. 2. a. 1; S. Thom., Petr. a Tar., Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Epist. I. Tim. 4, 8.

[4] Cod. Z *exercitatio.* Circa finem responsionis post *sed*, refragantibus codd. F G H O X, alii et edd. addunt *etiam*, et cod. F substituit *propter hoc* pro *per hoc.*

[5] Hoc dub. solvunt etiam Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 2. a. 3; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1, ad 4.

[6] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 6.

[7] Hoc dub. etiam tractant Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 3; a. 3; B. Albert., hic a. 15; S. Thom., hic q. 1. a. 3; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

[8] Cfr. III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. — Superius pro *gratiae* edd. *gratia.* Subinde pro *et illa* cod. G *quam illa.*

[9] Edd. *formam et substantiam.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de duplici remedio, quod praecessit baptismum:

Et primo de illo, quod praecessit tempore legis naturalis[1].

Secundo de illo, quod praecessit tempore legis scriptae, scilicet de circumcisione.

Quantum ad primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum ad remedium originalis sufficeret[2] fides informis.

Secundo, utrum parvulis et adultis sufficeret virtus solius fidei.

Tertio, utrum adultis esset necessaria virtus sacrificii.

ARTICULUS I.

De remedio contra peccatum originale tempore legis naturalis.

QUAESTIO I.

Utrum ad remedium originalis suffecerit fides informis.

Et quod fides informis non suffecerit, ostenditur sic.

Ad oppositum. 1. Nihil placet Deo nisi ex caritate[3]; sed professio fidei informis est sine caritate: ergo Domino non placebat: ergo propter illam vel meritum illius iustificationem parvulo non infundebat.

2. Item, si aliquis possit mereri alii, tamen efficacius meretur sibi[4]: ergo si parentes per fidem informem non poterant sibi mereri iustificationem, ergo nec parvulo.

Fundamenta. Contra: 1. Per fidem informem meretur quis et facit operationem miraculorum et impetrat alii sanitatem corporalem[5]: ergo si Deus aeque pronus est et magis ad sanandum spiritualiter quam corporaliter, videtur, quod per fidem informem possit spiritualis sanitas impetrari ei saltem, qui non potest se ad sanitatem praeparare.

2. Item, si non posset, tria ex hoc inconvenientia sequerentur. Primum, quia peccatum actuale imputaretur filio, qui alias mundaretur, si essent parentes sine peccato[6]. Secundum, quia, cum nullus sit certus, utrum sit in caritate, nulla ei esset certitudo de curatione parvuli: ergo semper deberet curare et remedium offerre. Tertium, quia potius deberet dici parvulus mundari in caritate parentum quam in fide; quod non dicit Gregorius[7].

CONCLUSIO.

Fides informis parentum in lege naturae probabiliter poterat esse remedium parvulis.

Modus dicendi 1. Respondeo: Ad hoc dixerunt aliqui, quod fides parentum erat remedium parvulo non ratione *actus* credendi principaliter, sed ratione *ipsius crediti*, a quo, in quantum creditum, fluit virtus in omnia Sacramenta. Et quia creditum nunquam est informe, sed uniforme respectu fidei informis et formatae; ideo per fidem quantumcumque informem, dum tamen esset vera, dabatur remedium parvulo.

Modus 2. Aliter tamen potest dici, quod non *ipsum creditum* erat remedium, sed ipsa *fidei professio*, quae vel fit *motu* fidei, vel *actu exteriori*, erat dispositio curationis; et haec est in circumcisione et baptismate, quia est ibi professio fidei ipso *facto;* sed professio fidei, quam faciebant parentes, reputabatur[8] parvulo ex divina misericordia. Et quia professio fidei in habente originale tantum sufficienter disponit ad gratiam, etiam si non fiat in caritate — habens enim originale, cum non teneatur conteri, ex sola voluntate credendi et captivatione intellectus[9] ad gratiam se praeparat; sic et parvulus praeparatur merito congrui; in iustificatione enim

---

[1] Codd. R S X addunt *scilicet de fide.*

[2] Edd. hic et paulo inferius *suffecerit.* Mox Vat. omittit *et adultis.*

[3] Cfr. I. Cor. 13, 1. seqq. — Cod. Z *nisi fiat in caritate.* Superius pro *suffecerit* codd. F G H I Z aa *sufficeret.* Inferius pro primo *ergo* cod. V *ideo.*

[4] Vide Glossam Bedae tom. II. pag. 661, nota 6. — Pro *si aliquis* cod. Q *etsi aliquis,* pro *possit,* quod habent codd. A E G I K V W, in aliis *posset.* In fine arg. pro *ergo nec* cod. Z *ergo multo minus.*

[5] Respicitur I. Cor. 13, 2.

[6] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 1. q. 1, ubi ostenditur, peccata actualia parentum filiis non imputari. — Post pauca respicitur Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — Superius pro *si non posset* non pauci codd. *si non possent.* Subinde post *actuale* codd. F H supplent *parentum.*

[7] Libr. IV. Moral. c. 3. praefationis. Vide hic lit. Magistri, c. 8. — Pro *debere dici* cod. F *diceretur.*

[8] Non pauci codd. *reputatur,* ed. 1 *imputabatur.* Mox pro *parvulo* cod. R *abundans.*

[9] Respicitur II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. — Cfr. infra d. 16. p. II. a. 1. q. 1. — De merito *congrui* et *condigni* in iustificatione vide II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. — Circa finem corp. pro *dico* codd. F H I O R T U X *dicendum,* ed. 1 cum aliquot codd. *dicit,* Vat. *dicitur.* Subinde voci *remedium* cod. Z praemittit *in.*

sive in curatione parvuli potius requiritur meritum *congrui* quam *condigni*, sicut etiam in iustificatione adulti — ideo dico sine praeiudicio, quod fides informis parentum esse poterat remedium parvulo.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod fides informis non placet Deo; dicendum, quod [1] non placet Deo tanquam meritorium *ex condigno*, bene tamen placet sicut dispositivum *de congruo*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod fides informis non sufficit ad remissionem propriae culpae; dicendum, quod illud non valet: quia maior dispositio requiritur ad hoc, ut remittatur actuale quam originale, quia est ex maiori culpa commissum; ideo requiritur attritio cum fide, sed in habente originale sufficit fides [2]. Quando ergo dicit: magis meretur quilibet sibi quam alii; intelligendum est, ceteris conditionibus existentibus paribus.

SCHOLION.

I. In tribus huius articuli quaestionibus agitur de remedio contra peccatum originale, quod Deus iis quibus circumcisio non erat mandata, providit, quod est *fides* in Redemptorem vel propria, vel aliena, parvulis applicata (cfr. infra q. 3.). Certum et receptum principium tenet, ab illo peccato naturae neminem nisi per coniunctionem quandam cum Christo liberari posse. Virtus autem salvandi parvulum oritur non tam ex parte subiecti actum fidei elicientis quam ex parte obiecti crediti, ut docet S. Thomas; alii autem simul urgent meritum de congruo, quod comitatur illam protestationem fidei. Plura dubia circa hoc remedium discutienda sunt, scilicet utrum sufficiebat fides in *habitu* sine actu, item utrum fides *informis*, denique utrum solus actus *internus* fidei sine protestatione vel signo externo. Durandus in nonnullis a ceteris in his recedit.

De 1. quaestione: Alex. Hal., de hac et seq. q. S. p. IV. q. 2. m. 5; cfr. q. 1. m. 5. a. 2. § 1. 2. — Scot., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 7. — S. Thom., hic q. 2. a. 6; cfr. S. III. q. 61. a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. — Durand., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 8. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 9.

II. Primae solutioni 2. quaestionis adhaeret Durand. (loc. cit.), et aliquatenus favet Scotus; ipse etiam S. Thom. in Summa (loc. cit. q. 60. a. 5. ad 3, et q. 70. a. 4. ad 2; de Malo q. 4. a. 8. ad 12.) hanc potius opinionem tanquam probabilem praeferre videtur; sed in Comment. (loc. cit. quaestiunc. 2.) manifeste ob auctoritatem Gregorii cum S. Bonav. secundam declarat probabiliorem.

De eadem tractant praeter laudatos: Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 3.

III. De 3. quaestione similiter fuit duplex opinio: una tenuit, adultis praeter interiorem fidei actum *necessariam* fuisse protestationem fidei per aliqua signa sensibilia determinata; altera vero, tantum interiorem actum fuisse *necessarium*, cultum vero Dei per signa aliqua externa tantum valde *convenientem*, sive, ut dicit S. Bonav., de consilio. Huic sententiae favet etiam S. Thom., hic q. 2. a. 6. quaestiunc. 3; S. I. II. q. 102. a. 1; III. q. 60. a. 5. ad 3, q. 70. a. 2. ad 1. Idem docet Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 1. 2. 3, qui de Sacramentis et sacrificiis legis naturae ibidem et m. 1. et 2. multas solvit quaestiones. — De speciebus *numerorum* cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. scholion.

De eadem quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 8. 11. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 5. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum ad remissionem originalis sufficeret sola fides.

Secundo quaeritur, utrum ad remissionem originalis sufficeret sola fides. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Per verbum Gregorii, quod ponitur in littera [3]: « Pro parvulis sola fides ».

2. Item, Hugo de sancto Victore [4] dicit, quod « tempore legis naturae non fuerunt aliqua Sacramenta in praecepto », ergo sine omnibus poterat homo salvari; sed nullus poterat salvari sine remissione originalis: ergo remissio originalis poterat fieri sine aliquo Sacramento exteriori in sola fide.

3. Item, si tempore illo Sacramenta virtutem totam habebant a fide: ergo tantum faciebat sola fides, quantum fides cum illis Sacramentis: ergo videtur, quod sola fide parentum potuerunt [5] salvari.

Ad oppositum.

Contra: 1. Si parvulis sufficiebat sola fides tunc temporis, et modo non sufficit nec tempore circumcisionis sufficiebat: ergo videtur, quod fides tunc esset maioris virtutis quam post: ergo videtur, post fuisse deterioris conditionis. Sed post non fuit deterioris conditionis [6]: ergo si post non sufficeret, nec prius.

2. Item, si sola fides sufficiebat, ergo parvulus in omni statu salvari poterat: cum ergo nihil oporteret circa corpus pueri fieri, videtur, quod posset [7] iustificari in ventre matris.

3. Item, videtur, quod [8] non posset parvulus mori sine remedio, parentibus existentibus fidelibus; sed modo non sic est, immo possunt et praepediuntur

[1] Cod. Z addit *verum est, quod.*

[2] Vide infra d. 16. p. II. a. 1. q. 1. seq. — Paulo superius pro *quam originale* cod. H *quam ad hoc, ut remittatur originale,* Vat. *mortale,* codd. C D W et ed. 1 pro *actuale quam originale* substituunt *originale,* quorum lectio explicatur a cod. F: *quia maior dispositio ibi requiritur quam ad hoc, ut remittatur originale.* Subinde pro *attritio* codd. F G H *contritio.*

[3] Hic c. 8. Cod. G integrum Gregorii testimonium affert, prout a Magistro loc. cit. exhibetur, cod. Z post *Pro parvulis* addit *remedium erat.* Idem cod. Z superius post *sola fides* adiungit *sine aliis, scilicet sine signo exteriori et motu interiori.*

[4] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 5; cfr. ibid. c. 3.

[5] Codd. F H K *poterant.*

[6] Codd. F H Z (L a secunda manu) *sed hoc est falsum.* Mox pro *non sufficeret* codd. F H I K Z *non sufficit.*

[7] Ita cod. F (E I a secunda manu), in aliis *possit.* Superius pro *oporteret* cod. Z *oportebat.*

[8] Cod. Z supplet *si sola fides informis tunc sufficeret.* Idem ex cod. Z et G (E a secunda manu) substituimus *non posset* pro *non possit.*

etiam nati: ergo sunt peioris conditionis in statu gratiae quam in statu naturae.

CONCLUSIO.

In remissionem peccati originalis parvulis tunc sufficiebat fidei professio, qualitercumque fieret, sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus cum respectu ad parvulum.

Respondeo: Ad hoc est duplex opinio, cum dicitur, quod fides parentum erat in remedium parvulo. Quidam dicunt, quod non *fides — habitus,* sed Opinio 1. *fides ratione actus* et motus sive professionis, et non cuiuscumque professionis, sed eius qua profitebantur, parvulum curandum esse ab eo quem exspectabant[1]. Et de hac professione quidam dicunt, quod oportebat, quod fieret professio non tantum actu *mentis* vel *oris,* sed etiam in *signo visibili,* ut puta in oblatione vel in sacrificio sive decimatione, vel aliquo alio signo; quoniam Ecclesia fidelium semper aliqua signa habuit, in quibus fideles colligebantur et profitebantur fidem in *facto.* Unde Augustinus contra Faustum[2]: « In nullum nomen religionis, sive verum sive falsum, coadunari possent homines, nisi aliquo signorum velut Sacramentorum visibilium consortio unirentur ». Unde dicunt, quod aliquod erat *signum cum fide.* Et quod dicit Gregorius *sola fide* intelligit: fide[3] parentum sine consensu vel Non probatur. fide parvuli. — Sed haec positio non congruit, quia ipse addit in auctoritate: « vel pro maioribus virtus sacrificii ». Quare ergo dicit *sola?* Quia[4], cum de maioribus agit, addit et dicit: *virtus sacrificii; praeterea,* cum nulla[5] essent necessitatis, etsi talis professio de congruo deberet esse cum fide, non tamen necessario. Unde Hugo: « Commonemur, quod illa Sacramenta primi temporis magis ad devotionem proposita fuerunt quam ad obtinendam salutem indicta ».

Propter hoc alia positio dicit, quod professio Conclusio. fidei sufficiebat, qualitercumque fieret, sive signo, sive verbo, sive actu cordis, dum tamen fieret a parentibus, et haberetur respectus ad parvulum.

Si autem quaeratur: quare magis fides *parentum?* Quaestio incidens solvitur. dici potest, quod *parentes* dicuntur hic omnes qui curam gerebant de parvulo; aut si dicantur parentes *proprie,* ratio, quare magis in fide ipsorum, est: quia per ipsos parvulus contraxerat culpam, congruum erat, ut eorum fide mereretur gratiam.

1. Ad illud quod obiicitur, quod videtur fides Solutio oppositorum. deteriorata; dicendum, quod illud non sequitur *simpliciter,* quod fides sit deteriorata, sed quod vel deteriorata est, vel aliquid sit ei adiunctum, quod necessitate servari oportet, sicut sunt instituta Sacramenta sub praecepto. Exemplum de observantia mandatorum in eo qui est liberae voluntatis, et in eo qui intravit religionem: primo sufficit ad salutem, secundo non[6].

2. Ad illud quod obiicitur, quod secundum hoc parvulus in ventre matris posset iustificari; dicendum, quod non habebat efficaciam fides secundum communem legem, nisi quando natus erat ex utero, sicut nec baptismus. Deus enim secundum ius com- Notandum. mune non regenerat nisi prius per naturam natum. Quare autem non, infra dicetur in tractatu de baptismo[7].

3. Sed quod de natis obiicit, dicendum, quod habent se sicut excedentia[8] et excessa. In hoc enim excedit illud, quod parvulo periclitanti facilius poterat subveniri; sed in hoc aliud excedit, quia, parentibus entibus infidelibus, adultus salvari poterat, sed parvulus non; praeterea, dubium est, quin

---

[1] Edd. cum pluribus codd. *exspectabat.*

[2] Libr. XIX. c. 11, cfr. supra pag. 12, nota 1.

[3] Cod. G (K a secunda manu) *de fide.* — Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 4. c. 1: Sed cum pro parvulis sacrificia offerentur, quomodo verum erit quod dicit Gregorius: « Sola pro parvulis fides »? Ad quod potest dici, quod per *sola* non excluduntur sacrificia; sed dicitur *sola fides* i. e. nuda et in mysterio velata tunc fuisse *in parvulis* i. e. in iis quibus non erat revelatio facta futurae incarnationis. *Pro maioribus virtus sacrificii:* quia perfecti, quibus revelatum fuerat mysterium incarnationis, virtutem sacrificiorum intelligebant, quid scilicet significarent illa sacrificia.

[4] Locus in edd. et fere omnibus codd. corruptus. Notavimus 16 diversas lectiones in solis codd., et quidem omnes corruptas vel parum congruas; sequimur cod. cc.

[5] Cod. K (bb a secunda manu) supplet *Sacramenta,* cod. R legit *cum illa sacra non essent,* codd. A M *cum nullius essent.* — Respicitur dictum Hugonis a S. Vict. I. de Sacram. p. XI. c. 3: Illa (Sacramenta sub naturali lege) voluntatis magis esse videntur, ista (Sacramenta sub gratia) necessitatis, illa ex voto celebrata, ista ex praecepto etc. — Seq. Hugonis testimonium habetur ibidem: Unde coniicimus, quod Sacramenta illa prima magis ad exercendam devotionem proposita fuerant, quam etc. — Pro *commonemur* Vat. *commemoremur.*

[6] Praepositivus, S. p. IV. q. 3, ad idem ostendendum utitur argumento de eo « qui hodie fecit votum continentiae; heri sufficiebat fides sine continentia, hodie non sufficit: ergo heri fuit fides maioris efficaciae in eo, quam modo sit ».

[7] Dist. 6. p. II. a. 1. q. 1. — Superius pro *ius commune,* quod praebent codd. D F G H P V, codd. Q aa bb *legem communem,* alii codd. vel cum ed. 1 *secundum visionem,* vel cum Vat. *secundum institutionem.* Aliquanto superius codd. E Z *secundum rationem et legem communem* pro *secundum communem legem.*

[8] Ita codd. F G H P; alii codd. pro *se sicut excedentia* substituunt vel cum edd. *in se opera excedentia,* vel *se opera sicut excedentia.* Superius post *obiicit* in codd. F H Z V (P a secunda manu) additur *quod nunc magis possunt periclitari.* — Seq. propositionem plurimi codd. sic exhibent: *in hoc enim excedit illud, quod parvulo* (codd. M O R T U *parvulus*) *facilius periclitari poterat quam subveniri* (codd. M O R T *sublevari,* cod. U *ei subveniri*). Inferius pro *entibus,* quod ed. 1 cum aliquot codd. omittit, Vat. *existentibus.* Subinde post *adultus* codd. K aa (H a secunda manu) addunt *per propriam fidem.*

oporteret, utrumque esse fidelem; et alia multa bona nunc habentur, quae non tunc[1], ut puta maior certitudo salutis, maius munus gratiae et alia bona, quae proveniunt, scilicet obedientia et humiliatio et consimilia; et ideo non sequitur ex hoc, quod status ille esset melior.

QUAESTIO III.

Utrum in adultis requireretur virtus sacrificii in remedium originalis.

Tertio quaeritur, utrum requireretur virtus sacrificii in remedium originalis in adultis. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa. 1. Per Gregorium in littera[2], qui dicit, quod maioribus necessaria erat non tantum fides, sed virtus sacrificii: ergo cum Gregorius loquatur praecise, determinat, quod est necessarium. *Si dicas,* quod loquitur sine praecisione, ut tangat, quid sit congruum; tunc nulla esset differentia, quia similiter congruebat, pro parvulis offerri sacrificium.

2. Item, plus poterat adultus quam parvulus, et maius debitum peccati habebat: ergo et plus tenebatur facere quam parvulus.

Pro parte negativa. Contra: 1. Tempore legis naturae non fuit praeceptum nisi naturale; sed Sacramenta non sunt naturalia, ut supra[3] patuit: ergo nullum fuit ibi sub praecepto, nullum fuit ergo necessitatis: ergo sine sacrificio poterat esse salus adulto.

2. Item, Hugo de Sacramentis[4] dicit, quod remedium contra originale fuit *decimatio;* Gregorius dicit, quod *sacrificium. Sed contra:* unius generis morbi unum debet esse remedii genus.

3. Item, morbus originalis peccati non iteratur[5], ergo debet habere remedium non iterabile; sed tam sacrificium quam decimatio sunt iterabilia: ergo non sunt convenientia remedia contra originale.

Quaestio incidens. Item, quae erat ista virtus sacrificii? et videtur, quod nullius utilitatis[6], quia huiusmodi oblatio non erat *praeceptum,* quia *bonum,* quia tunc semper esset praeceptum: ergo erat *bonum,* quia *praeceptum;* sed non erat *praeceptum:* ergo non erat *bonum.* — *Si tu dicas,* quod valet ad fidem, Obiectio 1. quae erudiebatur in illo signo; *contra:* ibi fiebat oblatio et fumus materialis: ergo si credebat fumum acceptum a Deo, credebat, Deum odorare[7] materialiter: ergo credebat, eum esse corporeum: ergo videtur, quod potius esset in nocumentum fidei. — *Si dicas,* quod valebat ad excitationem devotionis; Obiectio 2. *contra:* omnis devotio, quae est contra pietatis opus, non potest esse accepta: unde *dona iniquorum non probat Altissimus*[8]*;* sed ista erat contra pietatem, quia consumebat frustra quod erat utile pauperibus: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sacrificia legis naturae nullam de se habebant efficaciam curandi vel iustificandi, sed solum ratione fidei Redemptoris.

Respondeo: Ad horum intelligentiam est praenotandum, quod, sicut dicit magister Hugo[9], « in lege naturae tria fuerunt Sacramentorum genera, scilicet *decimationes, oblationes* et *sacrificia* ». Ad quorum notitiam tria sunt notanda: primo, quae sit *ratio* instituendi illa Sacramenta; secundo, quis *modus;* tertio, quae *efficacia.* Sacramentorum 3 genera et 3 notanda.

Prima ratio est *Dei honorificatio.* — Notandum ergo, quod fides in iustis omni tempore cucurrit, et nullus nisi in fide salvatus est. Tempore igitur legis naturalis haec fides erat, quae fideles illuminabat ad hoc, quod crederent, quod Deus erat *creator,* quod *redemptor,* quod *remunerator*[10]. Ideo fides illuminabat, et dictamen naturae consonabat, ut homo Deo serviret, et sua ab ipso recognosceret, et hoc quod credebat, signo visibili etiam quodam modo *manifestaret.* Ideo *signa* fuerunt tempore legis naturae, in quibus Deus ut *creator*[11] honorabatur, qui omnia creaverat, ut in *oblatione;* similiter honorabatur ut *redemptor,* ut puta in *sacrificio;* ut perfectus *remunerator,* in *decimatione.* — Denarius enim est numerus perfectissimus, quia tres perfectiones habet in se: prima est *unitatis,* secunda *ternarii,* tertia *senarii,* quae simul iuncta[12] faciunt *denarium;* et ideo ibi status est. Propter hoc honorabatur Deus ut *perfectus remunerator. Unitas* est enim perfecta, quia est omnis numeri perfectio;

Ratio 1. instituendi Sacramenta. Articuli 3. Signa horum in oblatione, sacrificio, decimatione. De numero denario.

[1] Ita codd. FH; in aliis codd. et edd. male omittuntur verba *bona nunc habentur, quae non tunc.*

[2] Hic c. 8. — Voci *maioribus* cod. Z praemittit *pro.* Subinde post *sed* codd. G V cc (bb a secunda manu) non male addunt *etiam.*

[3] Partis I. q. 2. ad 5. Vide etiam verba Hugonis a S. Vict. allegata in quaest. praeced. circa finem corp.

[4] Libr. I. p. XI. c. 4. et 6. Cfr. de Sacram. legis naturalis et scriptae (versus finem). — Mox post *remedium* cod. H subiungit *tunc.*

[5] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 1. et d. 33. a. 1. q. 1.

[6] Cod. R brevius *Item, videtur quod ista virtus sacrificii nullius erat utilitatis.*

[7] Permulti codd. et edd. perperam *adorare.* Mox in codd. desideratur *eum.*

[8] Eccli. 34, 23. — Superius pro *excitationem devotionis* codd. F G *exercitationem devotionis.* Cfr. verba Hugonis supra pag. 34, nota 5.

[9] Libr. I. de Sacram. p. XII. c. 4; cfr. ibid. p. XI. c. 3; et de Sacram. legis naturalis et scriptae.

[10] Vide III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. — Superius pro *quae fideles illuminabat* cod. Z *qua fideles illuminabantur.*

[11] Ita cod. H (V bb a secunda manu), cod. F omittit *Deus,* alii cum edd. omittunt *ut creator.*

[12] Cod. bb *qui simul iuncti.*

ternarius, quia constat ex omnibus partibus suis, ex parte aliquota et non aliquota; *senarius* vero, quia constat ex omnibus partibus aliquotis.

Ratio 2.

Secunda ratio est *fidei Redemptoris professio.* Sicut enim nullus *sine fide potest Deo placere* [1], sic nullus sine fide Mediatoris a *peccato resurgere;* et sicut fides simpliciter dictabat *Dei honorificationem,* ita et *hanc professionem.* Et quia tunc *profitetur* homo, quando quod interius credit exterius manifestat; ideo tempore legis naturae fuerunt *signa* ad hoc [2] manifestandum et etiam ad manifestandum Redemptorem.

Tria in redemptione.

In redemptione autem tria considerantur: *redemptum,* et hoc per *decimationem* — homo enim significatur per decimam drachmam perditam [3] — ipse *modus redimendi,* et hoc per *oblationem;* ipsum *pretium,* et hoc per *sacrificium,* in quo erat sanguinis effusio. Et ista *professio* in huiusmodi signis maxime

Notandum.

necessaria erat pro ipsis imperfectis; perfectis enim Deus revelavit Sacramenta fidei, imperfectis celavit. Unde minores adhaerebant fidei maiorum et credebant implicite; et sicut implicite credebant, sic signa data sunt eis a maioribus, in quibus fidem implicite profiterentur [4].

Ratio 3.

Tertia ratio est *vitae agendae institutio.* Sicut enim aliquis non poterat *Deo placere sine fide* nec a *peccato resurgere* sine fide Redemptoris, sic nec *in bono stare* sine bono opere; et ideo fidei adiecta sunt signa, quae significarent ea quae necessaria

Sex cum fide necessaria.

sunt cum fide [5]. Haec autem sunt sex, quorum tria sunt *in corde,* et tria *exterius;* quae his signantur:

Duo signata in decimatione.

in *decimatione* peccati *recognitio* et *eius dimissio;* quia in ea datur Deo quod perfectum et quod bonum est, et remanet nobis quod est imperfectum; unde significatur, quod bona tantum sunt a Deo, sed mala a nobis [6]; rursus, in separatione decimae partis in partem Dei signatur *recessus a peccato.*

Duo in sacrificio.

— In *sacrificio* signatur interna *contritio* — *sacrificium enim Deo spiritus contribulatus* [7] — et exterior *carnis maceratio,* quia occidebatur pecus; unde mortificanda sunt membra nostra, ad Romanos duodecimo: *Exhibeatis corpora vestra hostiam* etc. —

Duo in oblatione.

In *oblatione, mentis devotio* et *exterior bona operatio,* quae, si adsunt cum fide, sufficiunt ad salutem. — Sic igitur patet, quae sit ratio institutionis illorum, scilicet *Dei honorificatio, fidei Redemptoris professio, vitae agendae instructio* [8].

Modus instituendi Sacram.

Secundo debet attendi *modus* instituendi; non enim instituta sunt per modum *praecepti,* ut dicit Hugo [9]: « Primo parvulos consilio nutrivit », loquens

Quaestio connexa.

pro illis qui fuerunt tempore legis naturae. — Et *si quaeras:* quomodo? dicendum, quod fides dictabat, ut visum est, et natura consonabat, et inspiratio auctoritatem dabat; et ideo per modum *consilii* data erant, et hoc per superiores, in quibus erat fides explicita.

Efficacia Sacram. Conclusio.

Tertio attendenda est in his *efficacia.* Et notandum, quod de se nullam habebant efficaciam curandi vel iustificandi, sed solum ratione fidei Redemptoris; non enim erant instituta ad hoc [10], sed ad haec quae praedicta sunt. — Ex his patent obiecta.

Ad argg. pro parte negativa.

1. Quod enim obiicit primo, quod non sunt de necessitate, concedendum est.

2. Ad illud quod obiicitur de Hugone, quod remedium erat decimatio; dicendum, quod nec decimatio nec sacrificium erat *per se* remedium, sed tantum *ratione fidei;* et quia omnia illa tria erant signa redemptionis, ideo indeterminate fides cum quolibet istorum mundare poterat.

3. Ex hoc etiam patet aliud de iteratione, quoniam ideo poterant iterari, quia non erant medicinae ex se impositae [11] contra morbum non iterabilem.

Ad quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur de virtute sacrificii,

---

[1] Hebr. 11, 6: Sine fide autem impossibile est placere Deo. — Aliquanto inferius pro *ita et hanc,* quod habet cod. U (I a secunda manu), cod. A *ita et huius,* codd. R T *ita et eius,* cod. X *ita etiam fidei,* alii codd. et edd. *ita et haec.*

[2] Intellige: nullus sine fide Redemptoris a peccato resurgere potest. — Post *hoc manifestandum* edd. corrupte sic prosequuntur: *Etiam honorabatur ut Redemptor, et hoc modo* tria etc. In codd. sunt 9 diversae lectiones corruptae, quae tamen in hoc conveniunt, quod ob homoteleuton transsiliunt verba *et etiam ad manifestandum,* excepto cod. U; cod. I supplet haec verba sic: *ad profitendum etiam Redemptorem* tria. Pro *In redemptione,* quod habent codd. F G H (V a secunda manu) X, alii *In Redemptore,* et cod. U cum pluribus *Inde.*

[3] Respicitur Luc. 15, 8. Cfr. August., Enarrat. in Ps. 103. serm. 4. n. 2. et in Ps. 138. n. 14, ubi haec parabola eodem modo exponitur.

[4] Vide III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. — Pro *signa* cod. F *Sacramenta.* Mox pro *institutio* Vat. cum aliquot codd. *instructio.*

[5] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 8: Tria sane sunt, quae ab initio, sive ante adventum Christi sive post, ad salutem obtinendam necessaria fuerunt, id est fides, Sacramenta fidei et opera bona. Quae tria ita cohaerent, ut salutis effectum habere non possint, si simul non fuerint etc. Cfr. de Sacram. legis naturalis et scriptae. — Superius post *sine bono opere* cod. Z addit *subsequenti.* Subinde post *Haec autem* supplevimus ex codd. F H (P bb a secunda manu) verba *sunt sex, quorum.* Post pauca pro *quae his* Vat. *quae tria in corde his sequentibus.*

[6] Cfr. tom. III. pag. 84, nota 2, ubi allata sunt verba Hugonis, quibus haec ratio exponitur.

[7] Psalm. 50, 19. — Seq. textus est Rom. 12, 1. Plures codd. *Offeratis* pro *Exhibeatis,* cui voci codd. G I praemittunt *Obsecro vos, ut.*

[8] Cod. K *institutio,* quae lectio congruit cum praemissis.

[9] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 4, ubi ostendit, quod homo divina inspiratione instructus sit ad decimas [quare decimam, non nonam etc.] offerendas et dicit: Primum igitur ante Legem parvulos consilio nutrivit; postea sub Lege exercitatos praecepto tentavit; novissime sub gratia perfectos in libertate spiritus ambulare permittit. — Pro *nutrivit* cod. N *erudivit,* Vat. *erudivit vel nutrivit.*

[10] Cfr. supra p. I. q. 5, ubi simile de Sacramentis veteris legis ostenditur. — Superius ante *notandum* multi codd. omittunt *Et,* codd. A G legunt *Notandum enim,* cod. Z *Notandum tamen.* Subinde pro *curandi* codd. K aa et ed. 1 *mundandi,* Vat. *mundandi seu curandi,* et pro *iustificandi* cod. N *vivificandi.*

[11] Codd. F H *non erant ex se imposita.*

dicendum, quod *virtus sacrificii* vel dicitur hic fides, quae faciebat sacrificium valere, vel dicitur interna mentis contritio, quae faciebat exterius sacrificium virtuosum; et quia adultis necessaria erat contritio propter actuale [1], ideo Gregorius dicit, sacrificium curasse maiores.

Quod obiicitur, quod sacrificium erat via erroris; dicendum, quod verum est illis qui accipiebant ipsum ut *rem*, sed non his qui accipiebant ut *signum;* et quia fideles accipiebant ut signum, ideo eis non erat via erroris.

Solvuntur 2 obiection.

Ad illud quod obiicitur, quod erat contra pietatem; dicendum, quod non est verum, quia adeo abundabant animalia, et pauperes ita pauci erant, quod sufficiebant pietati quantum ad cultum Dei et quantum ad sustentationem proximi.

ARTICULUS II.

De remedio in lege scripta sive de circumcisione.

Consequenter quaeritur de remedio contra originale, quod praecessit baptismum tempore legis scriptae, scilicet de circumcisione. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de institutione circumcisionis.

Secundo quaeritur de forma ipsius sive de integritate.

Tertio de efficacia.

QUAESTIO I.

De institutione circumcisionis.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod remedium circumcisionis congrue sit [2] institutum:

Fundamenta.

1. Primo ratione *significationis,* quia est instituta in Sacramentum, quod est remedium contra originale; sed originale traducitur per propagationem: ergo cum circumcisio fiat ab eo membro, per quod est propagatio, expresse signat originalis curationem [3].

2. Item, hoc videtur ratione *curationis:* quia « contrariis contraria curantur [4] », tam materialiter quam spiritualiter: ergo cum originale contrahatur per delectationem circa membrum illud, in passione illius membri expresse curatio designatur: ergo si Sacramentum est ordinatum ad hoc: patet etc.

3. Item, originale est morbus currens *circulariter,* quia, sicut dicit Anselmus [5], « persona corrumpit naturam, et natura personam »: ergo expresse signatur per ablationem secundum circulum; sed hoc est in circumcisione: ergo etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Deus non delectatur in poenis nostris [6], ergo medicamenta Dei debent esse suavia; sed circumcisio est poenalis: ergo etc.

2. Item, originali non debetur poena sensus [7], ergo in eius ablatione non debet sentiri poena: ergo si circumcisio non est sine sensu poenae, non est congruum remedium.

Quaestio incidens 1.

Item, quaero, ad quod tempus pertineat institutio circumcisionis. Non ad tempus legis *naturae,* quia lex naturae communis est omnibus, sed circumcisio propria est generi Abrahae [8]; nec ad tempus legis *scriptae,* quia lator Legis Moyses circumcisionem non instituit — unde Ioannis septimo: *Circumcisio ex Patribus est, non ex Moyse* — nec ad tempus *gratiae:* ergo nulli tempori convenit eius institutio.

Quaestio incidens 2.

Si dicas, quod pertinet ad legem scriptam, quaero: quare ante dationem Legis fuit instituta, et quare magis Abrahae data quam alii?

Quaestio incidens 3.

Item, quaeritur: quare non fuit in latore Legis confirmata, sed potius accepit Iosue [9] mandatum quam Moyses?

CONCLUSIO.

Circumcisio congrue fuit instituta ad deletionem originalis culpae.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod institutio circumcisionis congrua fuit, quia fuit expressum signum [10] curationis originalis, tum propter ablationem *a membro propagationis,* tum propter ablationem *poenalem,* tum etiam propter ablationem *circularem.*

---

[1] Cfr. infra d. 16. p. II. a. 1. q. 2. et d. 17. p. I. a. 1. q. 2. seq. — Mox pro *sacrificium* codd. F H *virtutem sacrificii.*

[2] Codd. M O *fuit.* Subinde pro *institutum* permulti codd. *constitutum.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 9. — Pro *ab eo* cod. F *in eo.*

[4] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1. Vide tom. III. pag. 261, nota 2. Aristot., II. Ethic. c. 3: Medicationes per contraria fieri consueverunt.

[5] De Conceptu virgin. et pecc. orig. c. 23: Spoliavit persona naturam bono iustitiae in Adam, et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit. Cfr. tom. II. pag. 720, nota 5. — Pro *corrumpit* cod. aa (II a secunda manu) *corrupit,* cod. bb post *personam* addit *corrumpit.*

[6] Tob. 3, 22: Non enim delectaris in perditionibus nostris.

[7] Vide II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq.

[8] Gen. 17, 10. seqq. — Seq. textus est Ioan. 7, 22. — Codd. H L *proprie est generi Abrahae data.*

[9] Ios. 5, 2. — Superius pro *quaeritur, quare* quod habent codd. H K cc (E I a secunda manu), alii et edd. *quare data;* deinde verbo *confirmata* cod. R praemittit *vel,* cod. Z *nec.* Fortasse pro *latore* legendum *latione.*

[10] Cod. Z *quia fuit expressiva.*

Solutio oppositorum. Comparatio triplex poenae.

1. Ad illud quod obiicitur, quod Dominus non delectatur in poenis; dicendum, quod poena comparatur ad *punitum;* et sic non placet Deo, « non enim creavit nos Deus ad puniendum [1] ». Comparatur ad *meritum,* scilicet praeexistentem culpam; et sic est in ea manifestatio iustitiae et ordinis, et sic placet Deo, in quantum iustus. Comparatur ad *finem* vel effectum, ut puta iustificationem rei; et sic placet ei, in quantum misericors; unde in punitione, quae est via ad iustificationem, relucet misericordia et iustitia [2]; et ita est Deo placens, et talis fuit poena circumcisionis. — Quod ergo *obiicitur,* quod non delectatur in poena; dicendum, quod non delectatur in poena, secundum quod *poena,* sed secundum quod *iusta* vel iustificatoria; tamen haec delectatio semper est cum aliquo rigore, et quia lex vetus fuit lex rigoris [3], ideo debuit in ea esse poenalis curatio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod originale non meruit poenam sensus [4]; dicendum, quod verum est de ista quae est poena tantum et nullo modo via ad salutem, ut puta infernalis; sed bene illam meruit, quae potest esse via in salutem, ut puta praesentem.

Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur, cui Legi convenit; dicendum secundum Hugonem [5], quod fuit Sacramentum legis *scriptae,* succedens Sacramentis legis naturae; et hoc quadruplici de causa, scilicet ratione *gravitatis* et *evidentiae,* ratione *certitudinis* et *efficaciae.*

Causae 4.

Gravis est ratione poenalitatis; et debet *sequi,* quia prima aetas fuit quasi infantia, secunda quasi pueritia; et ideo non debuit gravari Sacramento onerante, sed levi manu duci; et etiam quia morbus erat recens, et non erat tanta cognitio peccati. Sed post [6] tertia aetas est sicut iuventus, et magis habuerunt cognitionem peccati; ideo potuerunt magis onerari. — Secunda est *evidentia,* quam ponit Hugo in undecima parte [7], quia « circumcisio fuit signum evidentius ». — Tertia est *certitudinis,* quia, si puer circumcidebatur a quibuscumque, sive parentes essent boni sive mali, mundabatur, et certum erat; sed non sic de *fide,* quia in lege naturae non erat certum, utrum mundaretur, si alter esset infidelis et dedicaret ipsum idolis, et de parentibus poterat dubitari pluribus modis [8]. — Quarta est *efficacia,* quia magis remittebatur fomes in his qui circumcidebantur, quam in his qui solis sacrificiis et fide mundabantur.

Ad 2. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur: quare fuit data ante Legem? dicendum, quod hoc fuit ad praeparandum et segregandum populum, cui danda erat Lex. — Quare autem magis Abrahae? dicendum, quod circumcisio fuit data non tantum in *remedium,* sed etiam in *signum,* in signum, inquam, distinctionis secundum fidem et secundum carnem, secundum quod in illo populo praecipue colendus erat Deus, et ex illo secundum carnem nasciturus erat Christus. Et quia Abraham primus fuit, qui reliquit terram suam propter cultum Dei, et excellens fuit in fide, et sibi facta fuit de Christo promissio; ideo inter Patres praecipue data fuit Abrahae [9].

Alia quaestio.

Ad 3. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur: quare magis confirmata est sub Iosue quam sub Moyse? ratio est ad hoc et *spiritualis* et *litteralis: litteralis,* quia legislator [10] repetiit, quomodo praecepta fuit Abraham pro tota posteritate, et ipsi iam habebant usum nec unquam dimiserant; ideo non oportuit dari a Moyse vel Moysi. Sed tempore Iosue neglexerant circumcisionem in deserto; ideo oportuit, dari mandatum, sicut ibi [11] dicitur. — Alia ratio fuit *spiritualis:* quia, etsi circumcisio significet circumcisionem *praesentem* et *futuram,* tamen illa Abrahae significat *praesentem;* illa autem Iosue in terra promissionis facta post peregrinationem significat *futuram* [12].

Duplex ratio.

SCHOLION.

I. Duplici ex causa circumcisio a Deo convenienter instituta fuit, scilicet tum in remedium peccati originalis, tum in signaculum distinctionis (q. incid. 2.) ad separandum populum fidelem ab infidelibus. Hoc constat; de nonnullis aliis annexis quaestionibus inter doctores disputatur.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 1. 2. — Scot., de hac et 2. seqq. qq. hic q. 6. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 70. a. 2. — B. Albert., hic a. 22. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 6. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 7.

---

[1] Ut dicit Damasc., II. de Fide orthod. c. 29. Cfr. tom. II. pag. 877, nota 8.

[2] Vide II. Sent. d. 36. a. 2. q. 1. seq.

[3] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 1.

[4] Codd. R T *originali non debetur poena sensus.*

[5] Libr. I. de Sacram. p. XII. c. 1: Primus status ab Adam usque ad Abraham magis proprie determinatur. Quamvis enim per Moysen lex scripta data sit, ante Moysen tamen observantia legalis in circumcisione exordium sumsit. Cfr. ibid. c. 3. et p. XI. c. 6, ubi etiam primam seq. rationem insinuans dicit: Amplius autem, quia circumcisio quidem sordes aufert, sed *dolores* infert... idcirco priori populo in timore servienti et sub Lege laboranti circumcisio ad emundationem data est. Vide infra d. 2. a. 1. q. 2.

[6] Cod. F *post hoc,* cod. G *postea.*

[7] Libr. I. de Sacram. c. 6: Eiusdem mundationis forma et similitudo in oblatione quidem occulte invenitur, in circumcisione vero evidentius exprimitur. Cfr. ibid. p. XII. c. 1, ubi ostendit, quod circumcisio instituta sit ad commendandam interiorem unitatem populi fidelis et ad manifestandam distinctionem populi fidelis a ceteris nationibus.

[8] Vide supra a. 1. q. 2. ad 3. et infra d. 4. p. II. dub. 4. — De quarta ratione cfr. infra q. 3.

[9] Gen. 12, 1. seqq.; 15, 6. seqq. et 22, 18. Cfr. hic lit. Magistri, c. 9. — Superius pro *distinctionis,* quod habent codd. A F H K R S V X, alii et edd. *discretionis.*

[10] Cfr. Lev. 12, 3; Ioan. 7, 22. et Hieronym., I. Comment. in Gal. 3, 7. — Propter abbreviationem in multis codd. pro *ratio* legi potest *responsio.*

[11] Ios. 5, 4. seqq.

[12] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. XII. c. 2. et de Sacram. legis naturalis et scriptae (in fine), ait: Tres sunt circumcisiones: una in carne tantum exterius, quae Sacramentum est; duae aliae, quae sunt res et virtus Sacramenti: altera, quae fit in praesenti, quando per depositionem iniquitatis mens circumciditur; altera, quae in futuro fiet, quando per depositionem corruptionis corpus circumcidetur. Prima igitur est in carne, secunda in mente, tertia in corpore.

II. In 2. quaestione solvenda conveniunt doctores in hoc, quod determinatio *diei octavae* non spectet ad essentiam circumcisionis, sed sit *praeceptum* adiunctum, quod vel non obligabat in articulo *necessitatis*, ut vult Magister, vel, si non nisi ex speciali Dei dispensatione licebat terminum hunc praevenire vel differre, tunc supplementum habuit per generale remedium, scilicet fidei. Hanc alteram opinionem tenent Hugo a S. Victore nec non S. Thom. (hic q. 2. a. 3; S. loc. cit. a. 3. ad 3; cfr. ibid. a. 4. ad 3.); cui sententiae S. Bonav. (hic ad 3. 4.) addit restrictionem, quod scilicet non semper in casu necessitatis recursus ad remedium fidei efficax fuerit.

De hac 2. quaestione praeter laudatos: Alex. Hal. loc. cit. m. 4. a. 2. — B. Albert., rem tangendo hic a. 23. in fine. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

III. Circa 3. quaestionem de efficacia circumcisionis sunt plures difficultates et fuerunt variae opiniones. Concedunt fere omnes tanquam certum, per eam primo et principaliter deletum esse peccatum originale et ex consequenti etiam actuale illi annexum (S. Thom., S. III. q. 70. a. 4. ad 5.). Sed disputabatur tum de aliis quibusdam eiusdem effectibus, tum de modo, quo conferebat gratiam. Tres primae opiniones, hic ab auctore nostro relatae — quarum prima insinuari videtur verbis Magistri, tertia vero tenetur a Guliel. Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 1. c. 5. q. 2.) — a S. Thoma aliisque posterioribus tanquam improbabiles reiiciuntur. Quartam opinionem cum S. Bonav. approbaverunt etiam S. Thom. in Commentario (loc. cit. a. 4.) et Petr. a Tar. (loc. cit. quaestiunc. 2.). Sed in Summa (loc. cit. q. 4.) S. Thom., postquam de quarta opinione dixit, idem aliquando sibi visum esse, subiungit: « Sed diligenter consideranti apparet, hoc non esse verum ». Deinde docet, « quod in circumcisione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiae effectus, *aliter* tamen quam in baptismo ». — De hoc igitur *modo* gratiam conferendi et de altera quaestione cum illa cohaerente, utrum circumcisio fuerit verum et proprium Sacramentum, inter subsequentes theologos, praesertim inter Thomistas et Scotistas, controversia fuit. Ili tamen concorditer tenent, circumcisionem non tantum fuisse remedium contra peccatum originale, sed etiam gratiam contulisse cum effectibus eiusdem tam positivis quam privativis. Dissensus igitur circa *modum* efficiendi versatur circa hoc: utrum ex *vi sua* sive ex opere operato, an solum *ratione fidei* operabatur. S. Thom. docet, *baptismum* conferre gratiam « ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum *passionis Christi* iam perfectae; in *circumcisione* autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute *fidei* passionis Christi, cuius signum erat circumcisio » etc. Idem breviter docetur S. c. Gent. IV. c. 57. Sed Scot. (hic q. 6. n. 9. seqq.) vult, circumcisionem causasse gratiam ut signum efficax sive ex operato, et in hoc eam fuisse similem Sacramentis novae legis et *proprie* Sacramentum. Ita docent etiam S. Bonav. (cfr. infra dub. 1. et dist. 2. dub. 2.), Alex. Hal., Richard. a Med., Durand. et non pauci alii, praesertim qui efficaciam physicam Sacramentorum negant. — Multa in hac quaestione a S. Bonav. sumta sunt ex Alexandro Hal.

De hac (3.) quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., loc. cit. m. 7. a. 2. 3. 4. — B. Albert., hic a. 19. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 4. — Durand., hic q. 7.

QUAESTIO II.

De forma sive de integritate circumcisionis.

Secundo quaeritur de forma sive de integritate circumcisionis. Et dicit Hugo in libro de Sacramentis[1], quod tria sunt, quae sunt de integritate eius, scilicet *sexus masculinus, membrum praeputii* et *dies octavus.*

1. Sed ostenditur, quod de integritate huius Sacramenti non debet esse *sexus:* quia remedium debet respondere morbo; sed in morbo non est sexus distinctio nec determinatio, quia communiter est in omni sexu: ergo nec in remedio debet esse distinctio. (Ad opposi-tum.)

2. Item, videtur, quod *membrum praeputii* non debeat esse de substantia Sacramenti: quia Sacramenta sunt in honestatem et decorem; sed illud membrum est verecundum et inhonestum: ergo nullo modo debet fieri circa illud membrum; aut si fit, quaero, quare magis circa illud quam circa aliud?

Item, quod *octavus dies* non sit de substantia Sacramenti, ostenditur: (De die octa-vo.)

1. Quia nec in baptismo nec in sacramentis legis naturae est determinatio temporis: ergo nec in Sacramentis legis scriptae debet esse[2]. (Pro parte ne-gativa.)

2. Item, si tempus illud est de necessitate; si post fiat, Sacramentum nullius est efficaciae: ergo nihil valuit Abrahae nec aliquibus de domo eius[3]; et *iterum,* nihil valuit illis quos circumcidit Iosue; et iterum, nihil valebat proselytis. Et ex hoc sequitur, quodsi aliquis negligebat diem octavum, quod nullo modo posset curari ab originali, quia nec per circumcisionem nec alio modo, quia non erat aliud remedium.

3. Item, si[4] fuit de necessitate: ergo omnes illi viri, qui fuerunt in deserto, fuerunt transgressores, quia nullus eorum fuit circumcisus.

4. Item, si erat de substantia, tunc ergo non debebat praeveniri: ergo parvulum morientem ante octavum diem necesse erat damnari, quia masculus incircumcisus damnabatur[5]; et ante non debebat circumcidi: ergo etc.

Sed contra: 1. Quod sit de *necessitate,* probatur: quia circumcisio est Sacramentum necessitatis, quia cadit sub praecepto; sed omnia ista tria praecepta sunt, Genesis decimo septimo[6]: ergo omnia sunt de necessitate. Ibi enim dicitur: *Masculus,* (De die 8. pro parte affir-mativa.)

---

[1] Libr. I. p. XII. c. 2.

[2] In edd. additur *determinatio temporis, videlicet dies octavus.*

[3] Gen. 17, 23, ubi insinuatur, Abraham filium suum Ismael et omnes vernaculos domus suae circumcidisse. Iosue (5, 2. seqq.) circumcidit omnes qui praeceptum de circumcisione neglexerant. — Superius pro *de necessitate* cod. F de *integritate.*

[4] Edd. supplent *determinatio temporis.*

[5] Cfr. Gen. 17, 14, qui in seq. arg. allegatur. — Conclusionem arg. exhibent edd. sic: *ergo videtur, quod octavus dies non fuit de substantia circumcisionis.*

[6] Vers. 14, ubi Vulgata, quam edd. sequuntur, *delebitur* pro *peribit.* — Seq. textus est ibid. v. 12. — In fine arg. codd. K N aa subiungunt *ergo omnia sunt de necessitate,* edd. *ergo videtur, quod octavus dies sit de necessitate Sacramenti circumcisionis.*

cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit etc.; et iterum: *Infans octo dierum circumcidetur*.

2. Item, quod tempus sit de substantia, ostenditur: quia circumcisio significabat utramque circumcisionem, scilicet primam in anima a *culpa*, et secundam in corpore a *miseria*, quae futura erat in octava resurrectionis: ergo octavus dies erat de integritate significationis, ergo et de integritate Sacramenti [1].

3. Item, praeceptum de circumcisione est praeceptum *affirmativum*, quod obligat ad aliquod tempus, non ad omne, ergo determinato tempore in praecepto, obligat [2] ad illud: ergo cum in praecepto illo sit determinatio temporis, in quo instituitur circumcisio, tempus determinatum est de necessitate circumcisionis.

CONCLUSIO.

De necessitate circumcisionis simpliciter sunt sexus masculinus et membrum; tempus vero necessario observandum erat ob praeceptum.

Respondeo: Dicendum, quod duo ex istis, scilicet *sexus* et *membrum*, sunt de necessitate circumcisionis simpliciter; sed *tempus* uno modo est de necessitate, alio modo non. Est enim in hoc Sacramento tria considerare, scilicet *efficaciam*, *significantiam* et *observantiam*. Quantum ad *efficaciam* nihil facit; quantum ad *significantiam* est de congruitate, quia expressius significat; quantum ad *observantiam* est de necessitate, quia cadit sub praecepto; unde peccat qui negligit observare.

Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod in morbo non est distinctio, ergo etc.; dicendum, quod circumcisio non tantum fuit in *remedium*, sed etiam in *signum distinctionis*, ut gens Iudaeorum ab aliis discerneretur, ex quo Christus debebat ab ea nasci [3]; et quia propagatio et genealogia attenditur penes mares: ideo illis data fuit, non mulieribus.

Solutio primo oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod membrum illud non deberet esse, quia est verecundum; dicendum, quod membrum illud maxime conveniebat *significationi* circumcisionis et *efficaciae*. Circumcisio enim data fuit in *pactum*, sicut dicitur Genesis decimo septimo [4], et hoc pactum est certitudo, quod Christus ex gente illa esset nasciturus. Fuit etiam data in *remedium contra originale peccatum;* unde dicitur Genesis decimo septimo: *Masculus, cuius caro praeputii circumcisa non fuerit, peribit* etc. Fuit similiter data in *meritum obedientiae;* meruit enim Abraham et posteri eius sic Domino obediendo. Fuit etiam data in *signum repressionis concupiscentiae;* unde significat, quid sit agendum, sive a quo sit cessandum. — Et quia per praeputium est *generatio*, et sic convenit *pacto* generationis; est *originalis culpae* [5] *transfusio*, et sic convenit *remedio circumcisionis;* et in praeputio regnat *inobedientia* et *concupiscentia*, ab oppositis per ipsius significationem et ab ipso factam ablationem et meretur obedientia et significatur continentia. Ideo rectissime convenit [6]. — Quod ergo dicit, quod est membrum ignobile; dicendum, quod de sui natura est nobile, sed factum est ignobile propter culpam, unde per remedium nobilitatur; unde primae ad Corinthios duodecimo [7] dicitur, quod *membris ignobilioribus abundantiorem honorem circumdamus;* et hoc intelligitur, dum passionibus et desideriis obviatur.

Notandum.

Ad illud quod quaeritur de tempore, dicendum, sicut dictum est, quod quantum ad *efficaciam* nihil facit; unde aeque bene curabat circumcisio proselytos, ut etiam parvulos, est tamen congruentia quantum ad *significationem*.

Ad quaest. de tempore.

1. Quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod *res* circumcisionis erat circumcisio a *culpa* et a *miseria* [8]. Circumcisio a *culpa* significabatur in actu et materia, sed circumcisio a *miseria* per actum et materiam non significabatur; et ideo congruum fuit *tempus* addere, per quod significaretur. Baptismus autem ratione immersionis et elevationis expresse significat mortem et resurrectionem; ideo non fuit congruum addere. Et sic *dies octavus* est de *bene esse* circumcisionis quantum ad *significantiam;* est tamen de necessitate quantum ad *observantiam*, quia cadit in praecepto [9]. — Et ratio huius fuit: quia Sacramentum illud fuit poenale; ideo oportuit observare tempus, quia, si ante octavum diem circumcideretur, propter teneritudinem posset perire; si ultra differretur, esset periculum propter mortem,

Ad argg. pro parte negativa.

Distinctio.

Ratio.

---

[1] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. XII. c. 2: Octonarius vero in sacra Scriptura aliquando tempus resurrectionis significat, quod post praesentem quae septem diebus currit vitam sequitur; aliquando tempus gratiae, in quo quasi post sabbatum Legis aeterna bona servientibus Deo promittuntur. Merito igitur prima illa circumcisio, quae Sacramentum erat illarum duarum (cfr. supra pag. 38, nota 12.), iussa est fieri *octavo* die, ut ostenderetur, quod in tempore gratiae corda circumcidenda erant per emundationem iniquitatis, et in tempore resurrectionis corpora per depositionem corruptionis. Cfr. hic lit. Magistri, c. 9. — Pro *Sacramenti* cod. Y *circumcisionis,* et pro *de integritate significationis* cod. R *de necessitate significationis.*

[2] Ita bene cod. Z, in aliis *obligabat.*

[3] Cfr. quaest. praeced. ad q. 2. incid. Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. XII. c. 2, censet, hoc ideo esse factum, ut videlicet ostenderetur, quod illa exterior circumcisio animabus [quae in s. Scriptura per masculinum sexum significantur] sanctificationem contulit, sed carni [per muliebrem sexum significatae] non abstulit corruptionem. — Cod. F *ex ea nasci.*

[4] Vers. 10. et 13. — Seq. textus est ibid. v. 14.

[5] Cod. F *est etiam originalis peccati.*

[6] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 30. n. 5; Bernard., Serm. 2. in circumcis. Domini, n. 1. seq.; hic lit. Magistri, c. 9, et II. Sent. d. 31. a. 1. q. 3.

[7] Vers. 23.

[8] Vide supra pag. 38. nota 12.

[9] Cod. E *sub praecepto.* Inferius post *si ultra* cod. F supplet *illum.*

et libenter differrent propter dolorem. Ideo voluit eis Dominus praefigere terminum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod si est de necessitate praecepti, non poterat differri nec praeveniri sine peccato; dicendum, quod circa hoc duplex fuit opinio: una quidem, quod praeveniri non poterat nec differri sine peccato, nisi interveniret *Dei auctoritas*, vel etiam *necessitas*. Et utraque fuit in viris, qui fuerunt in deserto incircumcisi, ut dicunt: *necessitas* propter periculum, quia ad motum nubis movebantur [1], et ideo circumcisionem servare non poterant; *divina* etiam *auctoritas* fuit dispensans, quia in deserto erant, in quo non poterant gentibus commisceri nec indigebant distingui. *Rursus*, Dominus voluit, ob *figuram* circumcisionem differri, ut una generalis circumcisio fieret in terra promissionis in signum illius quae futura erat in patria. Et isti dicunt, quodsi de parvulis timerent, quod tempus circumcisionis poterat et debebat praeveniri; alioquin puer damnabatur, sicut modo damnatur puer non baptizatus. — Sed haec positio, licet probabilis videatur, tamen mori repugnat Iudaeorum, quem nunc observant; et credibile est, quod a Patribus acceperunt. Nullum enim ante octavum diem circumcidunt. — Contrarietatem etiam habet in se ipsa: quia, si ob *necessitatem* infirmitatis poterat differri, cum parvulus erat in gravi infirmitate, non debebat secundum eos circumcidi, sed diutius exspectari; et *iterum*, si non poterat sine peccato *differri*, qualiter poterat *praeveniri*, ex quo Dominus illum [2] praefixerat?

Opinio 1. — Non probatur.

Et ideo alia opinio est et probabilior, quod non debebant praevenire nec differre, nisi Dominus ipse dispensaret, alioquin peccabant. Et *si tu obiicias*, quod tunc puer damnaretur, quia scribitur: *Masculus, cuius caro* etc.; dicendum, quod secundum translationem Septuaginta habetur: *Cuius praeputii caro octava die circumcisa non fuerit;* et quamvis in nostra translatione non repetatur [3], tamen intelligitur repeti sub ea conditione, in qua fuit praeceptum. Et quia [4] non erant obligati, eodem remedio curabantur, quo mulieres. — Sed huic positioni occurrit difficultas: esto enim, quod parvulus ille mundatus illo remedio viveret usque ad octo dies [5] et tunc non circumcideretur, aut *salvatur*, aut *non*. Si *non* salvatur: ergo ex peccato patris amittit gratiam, aut eam non habuit; sed constat, quod propter peccatum patris non potest eam perdere: ergo nunquam habuit. — Si *salvatur;* et non est octavo die circumcisus: ergo non est verum, quod dicit Dominus: *Masculus, cuius caro* etc.

Opinio 2, probabilior. — Difficultas.

Propter hoc igitur respondendum, quod currente circumcisione, alia remedia non disponebant parvulum nisi cum hac conditione, quod ipse esset impossibilis [6] ad implendum mandatum de circumcisione: et ita propter impossibilitatem absolvebatur; et si moriturus erat ante octavum diem, disponebant, et curabatur; sed victurus non curabatur, quousque mandatum esset totum impletum. Et hoc totum est probabile; et ideo hanc opinionem credo saniorem. — Si autem Dominus dispensaret, tunc secus esset; et ita dicunt factum esse circa viros, qui fuerunt in deserto. — Aliqui tamen dicunt, quod peccaverunt, quia ex contemptu dimiserunt [7]; sed tamen illud non est credibile, quod omnes ita mandatum Dei contemnerent.

Solutio auctoris restringens. — De viris in deserto.

Si autem *obiicias* similiter de parvulo, qui praeventus morte non baptizatur, utrum in fide parentum salvetur; dico, quod non, quia baptismus propter suam generalitatem et perfectionem et temporis indeterminationem alia remedia evacuavit; non sic autem circumcisio. — Huius autem positionis probabilitas habetur ex *auctoritate,* quia Proverbiorum quarto [8] dicit Salomon: *Unigenitus eram coram matre mea;* ubi dicitur in Glossa, quod filius Bersabee, alius parvulus, «non fuit nominatus, quia ante octavum diem est mortuus», et ita non fuit circumcisus. Habetur ex *ratione,* quia nullum animal offerebatur Domino ante octavum diem [9]. Habetur etiam ex *more Iudaeorum,* quem modo observant. Et ideo haec positio magis est tenenda [10].

Quaestio incidens solvitur. — Rationes 3 pro 2. opinione.

---

[1] Cfr. Exod. 13, 21. seq. — Damasc., IV. de Fide orthod. c. 25, ex eo, quod circumcisio in deserto facta non sit, post transgressionem vero Iordanis iterum praecepta sit, concludit, finem circumcisionis fuisse, ut Iudaei ab aliis gentibus distinguerentur.

[2] Supple diem, vel cum cod. F (P a secunda manu) *terminum*.

[3] Scilicet *octava die*.

[4] Simul audi cum cod. Z *pueri*. Cfr. Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. XII. c. 2, et hic lit. Magistri, c. 8. et 10. — Mox post *mulieres* Vat. addit *fide et oblatione*. Subinde pro *positioni* non pauci codd. *opinioni*.

[5] Codd. K aa *octavum diem*.

[6] Secundum Du Cange, Glossarium etc., *impossibilis* significat idem ac *impotens*. Vat. substituit *impossibilitatus*. Aliquanto inferius pro *opinionem* cod. F *positionem*.

[7] Ut etiam August., Qq. in Iosue, q. 6. insinuat. Cfr. de hoc Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 4. a. 2. § 2.

[8] Vers. 3. Glossa, quae sumta est ex Beda, in Prov. 4, 4, exhibetur ut *ordinaria* a Strabo et Lyrano his verbis: Quare autem Salomon se *unigenitum coram matre* nominat, quem fratrem uterinum praecessisse Scriptura testatur, nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit? — Post *alius parvulus* Vat. addit *quem habuit ante Salomonem.* Superius pro *evacuavit,* quod praestant codd. F H (I a secunda manu), codd. E G K aa bb *evacuat*, alii cum edd. *evacuaverat*.

[9] Lev. 22, 27: Bos, ovis et capra... die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino.

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

De efficacia circumcisionis.

Tertio quaeritur de efficacia circumcisionis, et quaeritur, utrum Sacramentum circumcisionis sit gratiae collativum. Et quod non:

Ad oppositum.

1. Dicit Magister in littera [1]. Hoc ipsum dicit Glossa ad Romanos quarto super illud: *Signaculum fidei accepit;* Glossa: «In circumcisione tantum peccata remittebantur, sed non gratia per eam praestabatur».

2. Item, hoc videtur *ratione,* quia in Sacramento aeque vel amplius se extendit ratio significandi quam efficiendi; sed ratio significandi in circumcisione solum est in ablatione [2]: ergo et efficacia.

3. Item, sicut se habet culpa ad gratiae amotionem, sic gratia ad remotionem culpae; sed Deus, cum homo peccat, subtrahit gratiam, nec tamen facit culpam [3]: ergo *a simili* possibile est, quod aliquod remedium removeat culpam, quod tamen non dat gratiam: ergo si hoc est possibile, et concordat ratio et auctoritas, in circumcisione non datur gratia.

4. Item, si Deus esset dator formarum, virtus particularis agentis esset solum in abiiciendo, non in ponendo [4]: ergo cum Deus sit dator gratiae, virtus circumcisionis solum erit in amovendo oppositum gratiae.

Fundamenta

Contra: 1. Quod in circumcisione detur gratia, ostenditur: quia eadem vi est corruptio unius oppositi et generatio alterius [5], et eadem vi, qua receditur ab uno oppositorum, acceditur ad reliquum: ergo cum gratia et culpa sint opposita, eadem vi, qua deletur culpa, confertur gratia: ergo si circumcisio est ad delendam culpam, necesse est, in ea conferri gratiam. *Si dicas,* quod hoc non tenet in moribus; hoc nihil est, quia Ambrosius [6] dicit, quod «egressus vitii est virtutis ingressus».

2. Item, accidens corrumpitur dupliciter: aut propter *corruptionem subiecti,* aut propter *inductionem contrarii* [7]: ergo si circumcisio aufert culpam, cum non *corrumpat subiectum,* de necessitate *inducit contrarium;* sed hoc est gratia: ergo etc. *Si dicas,* quod culpa non est accidens, sed privatio; idem sequitur, quia privatio non removetur ab aliquo nisi per positionem habitus: ergo si culpa est privatio gratiae, nunquam delebitur, nisi ponatur gratia.

3. Item, peccatum dicit *non esse* moris [8]; sed impossibile est, quod Deus auferat alicui *non esse* naturae nisi dando *esse,* immo non est intelligibile: ergo impossibile et non intelligibile est, quod auferat *non esse* moris nisi dando *esse;* sed *non esse* moris est per culpam, *esse* per gratiam: ergo etc. *Si dicas,* quod non est simile, quia *esse* et *non esse* sunt immediata; non sic culpa et gratia [9]; *contra* hoc est, quia privatio et habitus circa suum susceptibile sunt immediata, sicut affirmatio et negatio: ergo impossibile est privare unum, quin ponatur reliquum.

4. Item, si circumcisio delet culpam, et gratia delet; aut ergo circumcisio delet per gratiam, aut e converso, aut utrumque simul; sed constat, quod non utrumque simul, quia, cum non sint idem in substantia, non habent eandem operationem immediatam [10]. Item, non gratia per circumcisionem, quia, si non esset circumcisio, gratia per se sufficienter deleret culpam tanquam immediata causa: ergo circumcisio delet per gratiam: ergo per prius ordinatur circumcisio ad gratiam quam ad culpam delendam.

---

[1] Hic c. 9. — Seq. textus est Rom. 4, 11, et Glossa exhibetur a Petro Lombardo in hunc loc. [2] Vide supra q. 1.

[3] Cfr. II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — In codd. M O, finito hoc arg., duo alia subiiciuntur: Item, si conferretur in circumcisione gratia, et auferretur culpa, tunc non excederetur a baptismo, et hinc Sacramenta veteris legis novis aequipararentur. — Item, si temporis illius Sacramenta contulerunt gratiam, sicut huius temporis Sacramenta, quare nunc dicitur tempus gratiae potius quam tunc?

[4] Respicitur opinio Avicennae, qua distinguitur duplex principium formarum, scil. *praeparans* i. e. quod praeviis permutationibus materiam disponit, et *perficiens* i. e. quod tribuit formam constituentem, hocque «est extra naturalia» et vocatur «dator formarum». Vide eius I. Sufficientiae c. 5. et 10, nec non Metaph. tr. 9. c. 5, cuius in tom. II. pag. 198, nota 3. mentionem fecimus. — Pro *particularis,* quod habent codd. A B C E F H P Q Z bb, cod. K *secundi,* alii codd. et ed. 1 perperam *primi,* Vat. *primarii.*

[5] Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 17. (c. 3.): Huius corruptio alterius est generatio, et huius generatio alterius est corruptio. Cfr. etiam III. Sent. d. 26. a. 2. q. 1. arg. 1. ad oppos., ubi affertur exemplum de pondere, per quod corpus recedit ab una differentia positionis et accedit ad alteram. In huius arg. solutione negatur *similitudo* exempli et docetur, quod non valeat in *voluntariis,* sive, ut hic dicitur, *in moribus.* — Mox pro *vi* cod. M (I a secunda manu) *via.*

[6] Libr. II. de Cain et Abel, c. 4. n. 16: Egressus enim malitiae virtutis operatur ingressum. — Pro *est ingressus* cod. G *operatur ingressum.* Non pauci codd. *Boethius dicit* (cfr. III. de Consolat. prosa 4. et in Categorias sive Praedicam. Aristot. c. *de Oppositis*), cod. bb *Hilarius dicit.*

[7] Secundum Aristot., de quo vide tom. II. pag. 192, nota 7. — Inferius pro *sed hoc* plures codd. *sed haec.* Subinde pro *accidens* cod. Z *habitus aliquis.*

[8] Vide tom. II. pag. 640, nota 8. et ibid. d. 35. dub. 6.

[9] Cfr. III. Sent. d. 36. q. 4. ad 6. — De subnexis vide Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis.*

[10] Damasc., III. de Fide orthod. c. 14: Quorum enim substantia est eadem, horum et... actio [ἐνέργεια] eadem; quorum autem diversa substantia, horum et diversa... actio.

CONCLUSIO.

In circumcisione conferebatur gratia, sed tantum parvula respectu magnae gratiae, quae datur in abptismo.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc diversi diversimode senserunt.

Quorundam enim positio fuit, quod originale, Opinio 1. ut est culpa, est concupiscentia cum debito non concupiscendi; et non ideo est culpa, quia *concupiscentia* — haec enim est in iustificatis — sed ideo, quia est *cum debito non concupiscendi.* Cum ergo deletur culpa originalis, quia deletur quantum ad reatum et remanet quantum ad actum [1]; dicunt, quod solvitur *debitum*, id est, non imputatur; et tunc igitur remanet concupiscentia actu *poena.* Hoc igitur est quod dicunt, *originale deleri*, id est, debitum non concupiscendi non imputari; et hoc quidem sine alicuius gratiae collatione fieri potest et fit in Reprobatur. circumcisione. — Sed haec responsio non potest Ratio 1. stare duplici ratione: una quidem, quia, si Deus non imputat hoc debitum ipsi animae, quod prius imputabat; aut ergo aliqua innovatio facta est circa *animam*, aut mutatio circa *Deum;* non mutatio circa *Deum*, ergo innovatio circa *animam:* ergo aut aliquid est ab ea *ablatum*, aut *positum.* Si *ablatum*, aut *bonum*, aut *malum;* non *bonum*, ergo *malum;* non malum *poenae* tantum, ergo *culpae:* ergo si *culpa* est privatio, quae non aufertur, nisi aliquid ibi ponatur; necesse est, aliquid *poni.* Sed nihil ponitur in anima, quod expellat culpam, Ratio 2. nisi gratia [2]. — Alia ratio est: quia, si *debitum* tantum non imputaretur, et gratia non daretur; cum nullus possit videre Deum, quin habuerit gratiam [3], tunc ergo iustus ab originali peccato mundatus per circumcisionem, si moriatur, cum non habuerit gratiam, non videbit Deum: ergo eandem poenam habebit, ac si haberet originale.

Alia positio magis ultra processit et dixit, quod Opinio 2. in circumcisione *dabatur gratia*, et *delebatur culpa;* sed *culpa delebatur* vi circumcisionis, *gratia non dabatur* vi eius, sed ex liberalitate Dei, qui non delet culpam, quin decoret animam et gratam sibi faciat; quamvis *posset* aliter facere, quia secundum naturam medium est inter culpam et gratiam, scilicet ipsa *innocentia*, et delere culpam, hoc est reddere innocentiam; sed Deus nunquam reddit innocentiam, quin superaddat gratiam. Et per hoc respondent ad obiecta de contrarietate et de habitu et privatione, quia *gratia* non est directe et immediate habitus oppositus *culpae*, sed *innocentia.* Ad hanc *innocentiam*, secundum quod est privatio culpae, ordinatur circumcisio disponens ex parte suscipientis, sed gratia ex parte agentis. — Sed Reprobatur. haec positio non potest stare duplici ratione: prima Ratio 1. quidem, quia, si *innocentia* esset medium secundum naturam inter culpam et gratiam, prius naturaliter restitueretur *innocentia*, et expelleretur *culpa*, quam infunderetur *gratia;* sed hoc est manifeste falsum, quia tunc gratia non deleret culpam. Si enim delet, prius naturaliter infunditur [4], quam culpa deleatur. — Alia ratio est, quia, etsi Deus Ratio 2. posset delere culpam sine gratia, non tamen decrevit delere nisi per gratiam [5]: ergo si dat virtutem Sacramento consonantem suo decreto, non dat virtutem ad culpam delendam, nisi disponendo ad gratiam.

Tertia positio est, quod in circumcisione *dele-* Opinio 3. *batur culpa*, et *conferebatur gratia*, et ad utrumque ordinabatur circumcisio; sed gratia quosdam Distinctio. effectus habet *privativos*, quosdam *positivos;* et circumcisio non ordinabatur [6] primo et per se nisi quantum ad effectus *privativos;* et ideo solum significabat *ablationem.* Sed quia effectus *privativi* non sunt sine *positivis*, ex consequenti erant ibi effectus *positivi;* et quia ex consequenti, non oportebat eos significari [7]. Exemplum autem manifestum est in con- Exemplum. versione panis in corpus Christi, in quo est consequenter et sanguis, sed tamen non significatur ibi. Effectus autem gratiae *positivi* sunt sicut habilitare ad bona opera, *privativi*, sicut removere culpam. — Sed ista positio non potest stare duplici ratione: Reprobatur. prima quidem, quia, si vi circumcisionis ponitur Ratio 1. gratia in anima et potentiis, quia delet culpam, quae in his est; cum poni gratiam in anima non sit

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1. et d. 32. a. 1. q. 1. seq. — Post pauca verbis *non imputatur* codd. E G K N Y Z aa bb praemittunt *illud debitum.* Inferius pro *non concupiscendi*, quod habent codd. F H (K a secunda manu), alii codd. cum edd. perperam *concupiscendi.*

[2] Vide II. Sent. d. 26. q. 1. — Ante verba *aliquid poni* cod. Z (bb a secunda manu) repetit *ibi.*

[3] Ut ostensum est II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3, et III. Sent. d. 14. a. 1. q. 1. et 3. — De seq. propos. cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1.

[4] Cod. cc supplet *gratia.* Ed. 1 legit: *Si enim deleret prius innocentia, quam culpa deleretur*, Vat.: *Sic enim prius naturaliter deleretur culpa per innocentiam, quam gratia infunderetur.* Nostra lectio praebetur a codd., quorum tamen aliqui male omittunt *delet* et incongrue substituunt *infundatur* pro *infunditur.* — De hac ratione vide infra d. 17. p. I. a. 2. q. 1.

[5] Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 7. a. 4. § 1: Etsi innocentia sit medium inter gratiam et culpam, habito respectu ad statum naturae *conditae*, non tamen est medium, habito respectu ad statum *lapsus* etc. Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1. ad 6. et d. 29. a. 1. q. 1. ad 6.

[6] Cod. F (V a secunda manu) addit *ad gratiam.* Mox plurimi codd. et ed. 1 *significat* pro *significabat.*

[7] Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 7. a. 4. § 1. supplet *Sacramento circumcisionis.* Vat., interpunctione mutata, *et quia ex consequenti non oportebat eos significari, ideo ablatione culpae privativum effectum solum significabat. Exemplum* etc.

aliud quam *gratificari*, et in potentiis quam *potentias habilitari*: ergo non separantur nec secundum rem nec secundum intellectum: ergo impossibile est ponere vel intelligere, quod circumcisio habeat vim ad unum, quin etiam habeat ad reliquum [1]. — Alia ratio est, quia effectus *positivi* aliqui secundum rem idem sunt cum *privativis*, quia, sicut lumen materiale nunquam delet tenebras nisi illuminando aëra, sic nec lumen [2] gratiae tenebras peccati.

Ratio 2.

Quarta positio fuit, quod in circumcisione datur gratia, sed tamen parvula respectu eius quae datur in baptismo. Et ratio huius videbitur in sequenti distinctione [3], cum de profectu Sacramentorum disputabitur. Et quia gratia quantumcumque parva plenum effectum habet ad delendum omnem culpam mortalem, sed semiplenum ad habilitandum animas et perficiendum; ideo circumcisio dicitur ordinari ad effectum *ablationis culpae*, non quia ipsum solum habeat, sed quia solum habet completum. Et quia Sacramentum non omne significat, quod facit, sed quod plenius et perfectius facit; ideo in circumcisione solum est signum *ablationis* principaliter.

Opinio 4. et conclusio.

Solutio oppositorum.

Et per hoc patent auctoritates et obiecta: 1. quia nec Glossa nec Magister voluerunt negare, quod *nullo* modo daretur gratia habilitans, sed quod ita parum habilitans et ita parum reprimens concupiscentiam, quod solum merebatur dici deletiva culpae, non habilitativa potentiae.

2. Ad illud quod obiicitur de significatione, patet responsio, quod illud debet Sacramentum significare, quod plene et perfecte facit, non omne quod facit ex consequenti sive imperfecte.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus subtrahit gratiam et non facit culpam, ergo etc.; dicendum, quod Deus dicitur subtrahere gratiam, non quia perimat datam, sed quia ultra non apponit; sed homo per culpam perimit datam, et ita non conveniunt in effectu Deus et culpa [4].

4. Ad ultimum dicendum, quod illud nihil valet, quia, sicut solus Deus dat gratiam, ita solus delet oppositum; unde Isaiae quadragesimo tertio [5]: *Ego sum, qui deleo iniquitates* etc. *Praeterea*, si illa positio esset vera, nunquam agens particulare aliquid abiiceret [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit Magister: *Fuit tamen inter illa Sacramenta Sacramentum quoddam* etc. Quare magis excipit Sacramentum circumcisionis quam alia? Videtur enim, quod potius deberet excipere alia; quia, si Sacramenta posterius instituta sunt efficaciora [7], videtur, quod potius deberet excipere Sacramenta, quae instituta sunt in Lege, quam circumcisionem, quae est instituta ante.

Respondeo: Dicendum, quod circumcisio inter omnia Sacramenta Legis fuit efficacius Sacramentum. — *Si quaeras*, quae sit ratio sive causa efficiens; dico, quod pactio divina, quae in hac specialiter fuit, et ideo hoc Sacramentum efficacem habebat ordinationem ad curationem originalis [8]. — Si autem *quaeritur*: quare magis in hoc fuit pactio? dicendum, quod ratio huius est duplex: prima, quia, sicut baptismus est ianua et fundamentum Sacramentorum novae legis, ita in circumcisione vetus lex sumsit fundamentum et exordium. — Alia ratio erat, quia circumcisio erat in remedium originalis peccati, quantum ad quod reus minime est culpabilis, et tamen multum impotens se iuvare, ut patet in parvulis; et ideo decuit divinam misericordiam, ut efficacius remedium praepararet [9].

Quaestiones connexae.

Ratio duplex.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Beda: *Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio* etc.; quia, si hoc verum est, ergo in circumcisione ita datur gratia virtutum adiutrix, sicut in baptismo. *Si tu dicas*, quod non sequitur: *idem*, ergo hoc, immo est ibi *consequens* [10]; hoc non solvit: quia ipse excipit; sed exceptio non fit ab aliquo nisi intellecto *universaliter*; nihil enim est dictum: homo

---

[1] Vide II. Sent. d. 26. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 1. — Superius post *non* [cod. R *nihil*] *sit aliud* cod. Z prosequitur: *quam eam gratificari, et gratiam in potentiis.*

[2] Cod. U addit *spirituale, scilicet lumen.*

[3] Art. 1. q. 2. — Inferius pro *animas* cod. G *animam*, edd. *potentias animae.* Immediate post pro *et perficiendum* plures codd. *et proficiendum*, codd. I V *et ad proficiendum*, cod. A et edd. *ad proficiendum.*

[4] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 4. ad 5, d. 36. a. 3. q. 2. ad 5, d. 37. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1.

[5] Vers. 25. — Inferius pro *particulare* Vat. *principale.*

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Vide infra d. 2. a. 1. q. 2. — Quod circumcisio ante Legem sit instituta, dictum est supra a. 2. q. 1. ad 4. — Superius post *quare* non pauci codd. addunt *ergo.*

[8] Cfr. supra p. I. q. 4. in fine et q. 5. — Superius pro *in hac* cod. Y *in hoc.*

[9] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 7. a. 5. § 1.

[10] Cod. U *fallacia consequentis*, de qua vide tom. I. pag. 628, nota 1. et pag. 691, nota 5. — Mox cod. F *excepit* pro *excipit.*

currit praeter Socratem [1]: ergo intelligitur generaliter de omni remedio. — Item, baptismus ante passionem non aperiebat ianuam: ergo non habebat maiorem efficaciam.

Respondeo: Dicendum, quod facienda est vis in verbo Bedae et quantum ad hoc quod dicit *idem,* et quantum ad hoc quod dicit *curationis.* Quantum ad hoc quod est *idem,* quia dicit convenientiam in *forma,* non in quantitate [2]; quantum ad hoc quod est *curationis;* quia dicit convenientiam in *remedio contra malum,* non prout *habilitat ad bonum.* — Et per hoc solvuntur illa duo obiecta. Vult enim dicere Beda, quod sicut baptismus digne suscipientem mundat ab originali et actuali, sic circumcisio. Unde quantum ad *remotionem culpae* est convenientia, sed non quantum ad *apertionem ianuae* nec quantum ad *habilitatem,* ratione cuius baptismus semper excessit [3].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Tamen in sinu Abrahae post mortem;* quid sit iste *sinus Abrahae.* Et Glossa dicit Lucae decimo sexto [4]: «Sinus Abrahae est requies beatorum pauperum»; sed illa est regnum caelorum, et hoc est visio Dei: ergo circumcisi, qui moriebantur, habebant visionem beatam, cui contradicit sequens littera [5].

Respondeo: Dicendum, quod *sinus Abrahae* potest dici requies, in qua fuit Abraham; et hoc attribuitur Abrahae propter perfectionis fidei exemplum quasi primarium. — Vel *sinus Abrahae* dicitur requies Dei Patris, qui dicitur *Abraham,* quia summus pater est omnium, maxime fidelium [6]. Utroque modo dictus dicit idem, ex diversa tamen ratione dicendi. Dupliciter potest dici *requies:* aut per *ablationem omnis mali,* et sic fuit locus, in quo sancti Patres exspectabant Christum, et ita intelligit hic; aut per *collationem omnis boni,* et sic est locus gloriae et paradisus, ad quem locum nunc optamus et oramus, mortuorum animas pervenire [7].

Aliter.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister: *Nec ei soli praecepta fuit circumcisio, sed et semini eius.* Videtur enim male dicere: quia secundum hoc videtur, quod Ismael [8] et omnes de stirpe Abrahae tenerentur ad circumcisionem. Si *tu dicas mihi,* quod tenebantur illi soli, de quibus nasciturus erat Christus: ergo secundum hoc illi soli de tribu Iuda fuissent obligati. — Item videtur, quod non illi soli, sed omnes: quia, si circumcisio erat in remedium, et tale remedium, quod omnibus proderat, et omnes eo aequaliter indigebant: ergo videtur, quod cum circumcisio non esset bona, nisi quia *praecepta,* quod omnibus esset *praecepta,* cum omnibus prodesset. Sed *contra hoc* est, quod, sicut dicit Hugo [9] et Gregorius super prologum Iob, «Iob non legitur circumcisus, et tamen creditur fuisse de stirpe Esau».

Respondeo: Dicendum, quod in datione circumcisionis duo considerantur, scilicet *institutio* et *praeceptum.* *Institutio* fuit contra morbum originalis peccati, ut esset remedium; et sicut morbus ille omnes respicit, ita et institutio. Sed *praeceptio* fuit in *pactum;* et Dominus pactum fecit cum Abraham de certitudine nativitatis Christi et de terra promissionis [10]: et ideo illi soli intelliguntur *praecepto astricti,* ad quos se extendit pactum, et hi fuerunt omnes filii Israel. Et ideo omnes *poterant* circumcidi, et omnibus erat utilis; sed hi soli *tenebantur,* ad quos se extendit pactum, et qui terram recepturi erant. Et ideo, cum dicit Magister, quod data est

Distinctio notanda.

---

[1] In Tractatu de dictionibus syncathegorematicis (inter opera Petri Hispani), c. *de Dictionibus exceptivis,* circa illud *quod excipitur* datur haec regula: Dictio exceptiva excipit partem *actualiter* existentem in suo toto. Ratio est, quia exceptio est extractio alicuius ab aliquo; sed ubicumque est extractio, ibi est actualiter aliquid quod aufertur, et aliquid quod relinquitur... ideo omnes istae sunt incongruae et falsae: omnis equus praeter Socratem currit, et: homo praeter Socratem currit; quia exceptum non est pars *actualiter* eius, a quo fit exceptio... et licet Socrates sit pars hominis, tamen non est *actualiter* in suppositione hominis, nisi addatur signum universale [omnis] ad hominem; ideo non sequitur: homo currit, ergo Socrates currit.

[2] Vide supra pag. 29, nota 7. — Pro *est idem* plures codd. *dicit idem,* et post *quia* codd. F H repetunt *idem.* Mox pro *quod est* cod. I *quod dicit.*

[3] Cod. E *excellit.* — Cfr. supra a. 2. q. 3. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 7. a. 5. § 2.

[4] Vers. 22. — Glossa, *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, delibata est ex Beda in hunc loc. — Pro *pauperum* Vat., etiam contra textum originalem, *patrum;* quae lectio per se videtur esse magis conveniens.

[5] Scilicet altera pars verbi Bedae hic in lit. Magist., c. 7. allegata: Supernae pacis ingressum spe felici exspectabant.

[6] August., IV. de Anima et eius orig. c. 16. n. 24: Sinum Abrahae intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est Abraham. Et ideo Abrahae dictum, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus [Gen. 17, 5.], quibus est ad imitandum fidei principatu propositus, sicut Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Iacob se Deus vocari voluit [Exod. 3, 6.], cum sit innumerabilium Deus. Cfr. Serm. 14. (alias 110. de Tempore) c. 3. n. 4. — Superius pro *in qua fuit* codd. G I bb (F a secunda manu) *in qua est, vel fuit.*

[7] Cfr. infra d. 45. a. 1. q. 1. seq. — De ipso dubio vide B. Albert., hic a. 20; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[8] Gen. 16, 11. seqq. — Inferius post *obligati* cod. U addit *et non alii.*

[9] Libr. I. de Sacram. p. XII. c. 2: Nam et Iob secundum quosdam de Esau stirpe fuisse creditur, qui tamen circumcisus fuisse non legitur. Gregor., Praefat. in Iob, c. 2. n. 5, tantum dicit, quod Iob fuit «homo gentilis, homo sine Lege».

[10] Gen. 17, 7. seqq.

semini[1] sub praecepto; stricte accipit *semen* pro his qui de Iacob fuerunt generati. — Et sic patet responsio de Iob. Tamen non est omnino certum, de qua stirpe fuerit, quia aliqui dicunt, quod fuit de Nachor[2]. Quod autem Abraham omnes vernaculos et Ismaelem circumcidit, hoc fuit iustitiae *superabundantis*.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *fiebat die octavo*. Videtur enim non bene dictum, quia, dato quod parvulus natus esset in Sabbato, praeceptum Sabbati erat maius, unde et in Decalogo continetur[3]: ergo magis deberent differre quam in Sabbato circumcidere: ergo non in die octavo.

Ad hoc respondent quidam, quod ob reverentiam Sabbati debebat differri, et praeceptum de Sabbato datum praeiudicabat illi. Sed tamen non oportet hic dubitare, quia Dominus dicit Ioannis septimo[4], quod *circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur lex Moysi*. Propter hoc dicendum, quod opus circumcisionis propter curationem mentis erat spirituale, et ita Sabbatum non solvebat nec ei repugnabat, quia prohibebatur in Lege solum *opus servile*[5].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *fiebat cultro petrino*. Videtur enim male dicere, quia in institutione circumcisionis factae ipsi Abrahae nulla fit mentio de cultro petrino[6]. — Item, quae utilitas vel necessitas de cultro petrino, cum ferrum sit multo aptius?

Respondeo: Dicendum, quod culter petrinus est
Notandum. de substantia, sed quantum ad *observantiam*, non quantum ad *efficaciam* nec quantum ad *significantiam*[7]. Et hoc patet, quia, si aliquis circumcideretur cultro ferreo, idem esset effectus; et in huius rei signum non fuit facta mentio in *institutione*, fuit tamen in sequenti *praecepti renovatione* facta sub Iosue, quinto[8]: *Fac tibi cultros lapideos*, in quo significatur, quod per *petram* Christum omnes circumcidendi erant; significatur et duritia ipsorum et duritia Legis. Hoc autem congruitatis erat, non necessitatis; unde dicitur, quod Iudaei non circumcidunt nunc cultris petrinis[9].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *duae sunt res huius Sacramenti*. Videtur enim male dicere: quia, si duae sunt res, ergo videtur, quod duplex sit hic Sacramentum, aut Sacramentum est multiplex.

Respondeo: Dicendum, quod *res* huius Sacramenti duobus modis est: uno modo illa quam *significat et donat;* alio modo illa quam *significat faciendam*. Illa autem res erat propria et principalis, quam *significabat et donabat;* et haec erat una principaliter, scilicet curatio ab originali. Illa vero, quam *significabat faciendam*, contingit esse duplicem secundum duplicem statum, scilicet *viae* et *gloriae*, secundum quod duplex est spiritualis circumcisio, scilicet a *culpa* et a *miseria;* et utraque fit per petram Christum, et sic in octava[10].

Duplex res circumcisionis.

Distinctio.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Abrahae nihil contulit circumcisio*. Videtur enim falsum dicere: quia Abraham melius et fidelius fecit quam alii: ergo videtur, quod aliis nihil tribuat, si sibi non tribuit, de quo magis videtur.

Respondeo: Dicendum, quod *nihil conferre*, hoc potest esse dupliciter: aut quia non est indigentia a parte recipientis, aut quia non est quod adiuvet in ea; et ex prima causa nihil contulit, non quia esset in se inefficax, sed quia Abraham non indigebat[11].

Distinctio.

---

[1] Codd. FH (bb a secunda manu) *semini Abrahae*.

[2] Hieronym., Libr. hebraic. quaest. in Gen. 22, 20: Primogenitus Nachor, fratris Abraham de Melcha uxore eius, filia Aran, natus est Us, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius: *Vir fuit in terra Us, nomine Iob*. Male igitur quidam aestimant, Iob de genere esse Esau; siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur [secundum Septuaginta] *Eo quod de Syro sermone translatus est; et quartus sit ab Esau*, et reliqua quae ibi continentur, in Hebraeis voluminibus non habentur. Cfr. ibid. in 36, 33. Hieronymum sequuntur Isidor., de Ortu et obitu Patrum, c. 24. n. 38; Alcuin., Interrogat. in Gen. interrog. 210. Alteram sententiam tenent praeter Origenem, quem allegat Hieronym., Epist. 72. (alias 126.) n. 2, Athanas., Synopsis Script. 5. n. 25; Chrysost., Homil. 7. de Poenitentia, n. 1; Ambros. in Ps. 36, 29. n. 63, et August., XVIII. de Civ. Dei, c. 47. — Mox respicitur Gen. 17, 23. seqq. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 3. a. 2. § 1. et m. 4. a. 1; B. Albert., hic a. 22; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2.

[3] Cfr. Exod. 20, 8. et Lev. 19, 3.

[4] Vers. 23.

[5] Lev. 23, 3. et 28; Num. 29, 1. — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 6. a. 1; S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. ad 2; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. et circa lit.

[6] Gen. 17, 10. seqq. — Edd. addunt *cum ferrum sit multo aptius*.

[7] Cfr. supra a. 2. q. 2. — Superius pro *est de substantia* plurimi codd. *non est de substantia*, quorum plures subinde pro *sed quantum* substituunt *nec quantum* vel *non quantum* (melius cod. N *nisi quantum... nunquam quantum ad efficaciam*) et pauci tandem *sed quantum ad significantiam* pro *nec quantum ad significantiam*.

[8] Vers. 2. — Mox respicitur I. Cor. 10, 4: *Petra autem erat Christus*, et Act. 7, 51: Dura cervice etc.

[9] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 6. a. 4; S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 6. q. 2.

[10] Cfr. supra pag. 38, nota 12. — Edd. addunt *die*. Aliquanto superius pro *erat propria* codd. K aa *est propria*.

[11] Vide infra lit. Magistri, d. IV. c. 5.7, ubi simile dicit de illis qui iam sanctificati spiritu ad baptismum accedunt.

DISTINCTIO II.

Cap. I.

De Sacramentis novae legis.

Iam ad Sacramenta novae legis accedamus, quae sunt baptismus, confirmatio, panis benedictionis[1], id est eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo, coniugium; quorum alia remedium contra peccatum praebent et gratiam adiutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut coniugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut eucharistia et ordo.

Numerus Sacramentorum. Dubium 1.

Si vero quaeritur, quare non fuerint haec Sacramenta instituta mox post hominis lapsum, cum in his sit iustitia et salus; dicimus, non ante adventum Christi, qui gratiam attulit, gratiae Sacramenta fuisse danda, quae ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt. Christus autem venire noluit, antequam homo de lege naturali et scripta convinceretur, quod neutra iuvari posset.

Tempus institutionis. Dubium 2.

Fuit tamen[2] coniugium ante peccatum institutum, « non utique propter remedium, sed ad Sacramentum et ad officium »; post peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiscentiae corruptelam; de quo suo loco tractabimus.

Cap. II.

De baptismo.

Nunc vero de baptismi Sacramento videamus, « quod inter novae gratiae Sacramenta primum est. Baptismum Christi Ioannes suo baptismo praenuntiavit, qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in Spiritu, sicut ipse ait: *Ego baptizo vos in aqua in poenitentiam.* Sola enim corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat[3] ».

Dubium 3.

Cap. III.

De differentia baptismi Ioannis et Christi.

Baptismus Ioannis erat in poenitentiam, non in remissionem; baptismus vero Christi in remissionem; quia Ioannes baptizans homines ad poenitentiam vocabat, et quos baptizabat poenitere docebat, secundum illud: *Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata sua*[4]. Sed in baptismo Ioannis non dabatur peccatorum remissio, quae data est in Christi baptismo.

Cap. IV.

Quid utilitatis habuit baptismus Ioannis.

« Ad quid ergo utilis erat baptismus Ioannis? Quia homines usu baptizandi praeparabat ad baptismum Christi ». — Sed quaeritur, quare dictus est *Ioannis* baptismus, sicut Veritas dicit[5]: *Baptismus Ioannis unde est?* Quia ibi Ioannis operatio visibilis tantum erat exterius lavantis, non invisibilis gratia Dei interius operantis. Sed tamen et illa Ioannis operatio a Deo erat, et baptismus ille a Deo erat, non ab homine[6]; sed *hominis* dictus est, quia nihil ibi gerebatur, quod non ageret homo.

Quaestio de nomine. Dubium 4.

Cap. V.

Si fuit Sacramentum baptismus ille.

Si vero quaeritur, an Sacramentum fuerit; satis potest concedi ex eo sensu, quo *legalia signa* dicuntur Sacramenta. Significabat enim baptismus Ioannis rem sacram, scilicet baptismum Christi, qui non tantum est poenitentiae, sed et remissionis peccatorum.

Cap. VI.

De forma baptismi Ioannis.

Hic considerandum est, si baptizati a Ioanne iterum baptizati sunt baptismo Christi, et qua forma verborum usus sit Ioannes. — Illi qui baptizati sunt a Ioanne, nescientes, Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi. — Baptismus autem Ioannis *in nomine venturi* tradebatur. Unde Hieronymus[7] super Ioelem: « Qui dicit, se in Christum credere, et non credit in Spiritum sanctum, nondum habet claros oculos. Unde baptizati a Ioanne *in nomine venturi*, id est Domini Iesu, quia dixerunt: *Sed neque, si Spiritus sanctus est, audivimus*, iterum baptizabantur, immo verum baptisma accipiebant ». Illi vero, qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, et Patrem et Filium et Spiritum sanctum

De iteratione, deinde de forma. Dubium 5.

---

[1] Edd., exceptis 1, 2, *benedictio panis*, refragantibus codd.; lectio autem nostra respondet locutioni (I. Cor. 10, 16): *Calix benedictionis*, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, et *panis*, *quem frangimus* etc.? — Quae in hac dist. sequuntur fere totaliter sumta sunt ex Hugonis a S. Vict. I. de Sacram. p. VIII. c. 3, cfr. Sum. Sent. tr. 5. c. 1.

[2] Codd. C D E et ed. 1 *etiam*. — Locus, qui sequitur, est Hugonis ibid. c. 13. — Vat. omittit *ad Sacramentum et*. — Respicitur Gen. 2, 24. — De matrimonio tractatur infra d. XXVI.

[3] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. loc. cit., ubi etiam omnes seqq. loci. — In hoc cap. locus Scripturae est Matth. 3, 11; cfr. Marc. 1, 8; Luc. 3, 16; Ioan. 1, 26; Act. 1, 5. et 19, 4.

[4] Matth. 3, 6; Marc. 1, 5.

[5] Matth. 21, 25.

[6] Vat. cum paucis edd. adiicit *tantum*.

[7] Comment. in Ioel c. 2. Loci Scripturae sunt Act. 19, 4. et 2. Cfr. etiam C. *Aliud est* (39.), de Consecrat. dist. 4. — De impositione manuum super baptizatos vide Act. 8, 17.

credebant, non post baptizati fuerunt[1], sed impositione manuum, ab Apostolis super eos facta, Spiritum sanctum receperunt. Alii vero, qui non ita credebant, baptizati sunt baptismo Christi, ut praedictum est. Unde Hieronymus[2]: « Qui Spiritum sanctum nesciebant, cum baptismum a Ioanne acceperunt, iterum baptizati sunt », ne quis ex Iudaeis vel gentibus putaret, aquam sine Spiritu sancto ad salutem posse sufficere. De hoc etiam Ambrosius[3] in primo libro de Spiritu sancto: « Quidam negaverunt, se scire Spiritum sanctum, cum baptizatos se dicerent Ioannis baptismo, qui in advenientis Iesu, non in suo, baptizavit nomine. Isti ergo, quia nec in Christi nomine nec cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismi Sacramentum; baptizati sunt igitur in nomine Christi, nec iteratum est in his baptisma, sed novatum ».

Hieronymus. Ambrosius.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM II.

De Sacramentis in speciali.

Iam nunc ad Sacramenta novae legis accedamus.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars, in qua Magister agit de Sacramentis in speciali. Et habet haec pars duas partes. In prima determinat quaedam praeambula. In secunda vero determinat de unoquoque per se, ibi: *Post haec videndum est, quid sit baptismus*, distinctione tertia.

Prima pars habet duas partes. In prima parte determinat praeambula ad omnia Sacramenta, scilicet tempus institutionis et numerum. In secunda vero determinat praeambulum specialiter ad baptismum, ibi: *Nunc vero de baptismi Sacramento videamus.*

Prima iterum pars habet duas. In prima determinat numerum. In secunda vero institutionis tempus, ibi: *Si vero quaeritur, quare non fuerunt* etc. — *Nunc vero de baptismi Sacramento* etc. Haec est secunda pars, in qua agit de praeambulo ad baptismum Christi, quod quidem fuit baptismus Ioannis, et habet haec pars tres partes. In prima Magister determinat de utilitate, sive ad quid fuit. In secunda vero de eius institutione sive denominatione, ibi: *Sed quaeritur, quare dictus est baptismus Ioannis.* In tertia vero agit de usu sive de iteratione[1], ibi: *Hic considerandum est, si baptizati* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis[2] distinctionis secundum duo, quae determinat Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de institutione Sacramentorum quantum ad primam partem.

Quantum vero ad secundam quaeritur de baptismo Ioannis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum omne tempus fuerit idoneum ad institutionem Sacramentorum.

Secundo, utrum in diversis temporibus debuerint diversa institui.

Tertio, utrum in tempore gratiae debuerint institui unum, vel plura.

ARTICULUS I.

De tempore institutionis et numero Sacramentorum.

QUAESTIO I.

Utrum omne tempus fuerit idoneum ad institutionem Sacramentorum.

Et quod omne tempus fuerit idoneum ad institutionem Sacramentorum, ostenditur:

1. Et primo de tempore *naturae institutae;* quia tunc institutum est Sacramentum matrimonii[3]: ergo si hoc inter alia Sacramenta minus est efficax, videtur, quod in illo tempore debuerint alia multo

De natura instituta ad oppositum.

---

[1] De hac opinione Magistri communiter reprobata vide Comment. hic a. 2. q. 3.

[2] Epist. 69. (alias 83.) ad Oceanum n. 6. — Edd. in fine huius loci addunt *baptismo Christi, ut praedictum est*, refragantibus codd. et originali.

[3] Cap. c. 3. n. 41. 42, nonnullis mutatis et omissis. — Pro *novatum*, quod habent cum originali codd. A B D E et edd. 2, 7, cod. C et ceterae edd. *innovatum.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Non pauci codd. perperam *narratione*, edd. *variatione*, quae etiam voci *usu* praemittunt *forma.*

[2] Codd. E G I Z *praedictae*, cod. L *sequentis*, edd. *huius.*

[3] Gen. 2, 24; Matth. 19, 5. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. et infra d. XXVI. c. 1, nec non ibid. Comment. a. 1. q. 1, ubi etiam insinuatur instantia, quae paulo inferius fertur et ex verbis Augustini sumta est.

magis institui. *Si dicas*, quod usus matrimonii illi tempori congruebat, quia erat non in *remedium*, sed in *officium*, sed alia instituta sunt in *medicinam*, et ideo non ante lapsum; *contra:* Deus simul, cum condidit Angelum, condidit poenam sive ignem, ut ibi, si peccaret, puniretur, quia eius peccatum est irremediabile[1]: ergo pari ratione, cum condidit hominem, cuius erat peccare remediabiliter, debuit instituere medicinam.

2. Item, Magister dicit distinctione praecedenti[2], quod Sacramentorum usus est « ad humiliationem, exercitationem et eruditionem »; quae non tantum conveniunt aegro, sed etiam sano: ergo etc.

De temporibus post lapsum fundamenta.

1. Item, quod tempus *legis naturae post lapsum* fuerit conveniens, videtur: quia boni et sapientis medici est medicinam usque ad indigentiam differre, et cum adest indigentia, ipsam offerre[3]: ergo si tempus legis naturae fuit tale, tunc sine dilatione et anticipatione debuit Sacramenta instituere.

2. Item, quod tempus *legis scriptae* fuerit magis idoneum, videtur: quia Sacramenta non ideo sunt praecepta, quia bona, sed ideo bona, quia praecepta et instituta; sed talia praecepta maxime conveniunt legi *scriptae*, non *Evangelio* vel *naturae*, quo[4] sunt leges morales: ergo et Sacramentorum institutio.

3. Sed quod tempus *legis evangelicae* fuerit conveniens, videtur: quia « Sacramenta sunt *medicinae*[5] »; sed illud tempus maxime illorum institutioni convenit, in quo advenit medicus; et *iterum*, sunt « *vasa gratiae*[6] »: ergo illi tempori congr uunt quod est tempus gratiae.

De natura institutae fundamentum.

Contra: Quod non congruerint tempori *naturae institutae*, ostenditur: quia qui sperat resurgere facilius dimittit se cadere; ergo si primo homini essent remedia parata[7], data esset ei occasio peccandi: ergo si Sacramenta debent esse via ad resurgendum, non ad cadendum, non debuerunt tunc institui.

De temporibus post lapsum ad opspositum.

1. Item, quod nec tempori *legis naturae*, videtur: quia tempore illo solum cucurrit ius naturale; sed ea quae dictat ius naturale, sunt de se bona, sunt etiam immobilia: ergo si Sacramenta non sunt talia, non conveniunt illi tempori.

2. Item, quod nec tempori *legis scriptae*, videtur; quia lex scripta data est in onus et ad convincendum de impotentia, ut dicit Hugo[8]: ergo si Sacramenta sunt medicinae reparantes virtutem, nullatenus conveniunt legi scriptae.

3. Item, quod non *legi evangelicae*, videtur: quia haec lex est eliminativa figurarum et signorum, quia aperte praedicat veritatem[9]: ergo si Sacramenta sunt figuralia, nullatenus legi evangelicae conveniunt.

4. Item, lex Evangelii est lex libertatis, ad Galatas quinto[10]: *Vos autem fratres in libertatem vocati estis:* ergo ad minus non debuerunt institui Sacramenta sub praecepto, sed solum sub consilio. Et hoc videtur dicere Hugo de Sacramentis: « Primo parvulos consilio nutrivit, secundo provectos praecepto tentavit, tertio perfectos in libertate spiritus ambulare permisit ». Sed hoc non potest stare, quia Ioannis tertio[11] dicitur: *Nisi quis renatus fuerit* etc.

CONCLUSIO.

Tempora legis naturae, legis scriptae et Evangelii conveniunt institutioni Sacramentorum, tamen secundum magis et minus.

Respondeo: Dicendum, quod omnia Sacramenta instituta sunt in *remedium* specialiter et principaliter, excepto matrimonio, quod primo institutum est in *officium;* et quia tempus *remedii* incepit a lapsu et profecit in Lege et consummatum est in Evangelio, ideo ista tria tempora conveniunt institutioni, tamen secundum magis et minus. Conclusio.

Solutio oppositorum de natura instituta.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod conveniat tempus naturae *institutae* propter matrimonium; dicendum, quod tunc est institutum, quia fuit institutum in *officium.* — Ad illud quod obiicitur de poena Angelorum, patet responsio: quia poena vel ignis revocat a culpa, sed medicina occasionem praestat; ideo non sic debebat esse ex sua[12] parte.

2. Ad illud quod obiicitur de usu, dicendum, quod *humiliari* sub creaturis, ab eis *erudiri* et in eis a *fastidio liberari* non est de natura hominis *instituti*, sed potius hoc exigit poena damnati; quia

---

[1] Vide II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. et d. 21. a. 3. q. 2, ubi de peccato remissibili primorum parentum. — Paulo superius pro *in medicinam* cod. Z *in remedium.*

[2] Cap. 5.

[3] Vide supra d. 1. p. I. q. 5. arg. 2. verba ad oppos. Hugonis. — Cod. Z *statim ipsam afferre.* Mox post *naturae* cod. U addit *post lapsum.*

[4] Codd. M O *quo tempore*, plures codd. *quae*, cod. Z legit *nec naturae, cuiusmodi;* edd. omittunt *non Evangelio... morales.*

[5] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 5.

[6] Hugo a S. Vict., loc. cit. c. 4. Vide supra pag. 17, nota 4.

[7] Cod. Z *praeparata.* Superius pro *quia qui* cod. C *quia si*, Vat. *quia ibi.* In fine arg. codd., exceptis O Z, omittunt *tunc*, pro quo edd. *illo tempore.*

[8] Libr. II. de Sacram. p. II. c. 1. Cfr. lib. I. p. VIII. c. 3. et p. XI. c. 4. — Superius post *legis scriptae* ex cod. H supplevimus *videtur.*

[9] Cfr. Ioan. 1, 17. et Hebr. 10, 1. — Superius pro *est eliminativa* plures codd. vel *evacuativa* vel *elucidativa.*

[10] Vers. 13. — Verba Hugonis habentur I. de Sacram. p. XI. c. 4, in quibus cod. F cum textu originali *permittit* pro *permisit.* Cfr. supra pag. 36, nota 9.

[11] Vers. 3.

[12] Codd. F G I X *illa*, codd. U aa *ista*, Vat. *ipsa.*

homo stans erat medius inter creaturas et Deum; in se enim expressius quam in aliis cognoscebat et in ipso delectabatur et varietate rerum ad fugiendum fastidium non egebat [1].

Solutio oppositorum de temporibus post lapsum.

1. Ad illud quod obiicitur de tempore *legis naturae,* dicendum, quod lex naturae quaedam dictat ut *necessaria*, quaedam ut *expedientia;* item, quaedam dictat *ex se*, quaedam *adiuta fide* et inspiratione. Et dico, quod primo modo dictat *praecepta moris;* secundo modo praecepta, quae dictabat *in generali,* ut esset Deo sacrificandum; et haec fides cum inspiratione etiam ulterius *determinabat* [2]. Et sic patet illud.

2. Ad illud quod obiicitur de tempore *legis scriptae,* dico, quod lex scripta a duris observabatur carnaliter et eius Sacramenta, et in talibus nullam habebat efficaciam; sed a spiritualibus observabatur spiritualiter, et non erat in onus praecipue, sed in viam salutis [3]; et talibus Sacramenta illa erant in medicinam.

3. Ad illud quod obiicitur de *Evangelio,* quod evacuat figuras; dicendum, quod quaedam figurae erant tantum ad significandum, quaedam autem sunt ad significandum et sanctificandum. Figuras primas evacuat, sed secundas instituit, quia est lex sanctificationis, non tantum veritatis [4].

4. Ad illud quod obiicitur, quod lex Evangelii est lex libertatis etc.; dicendum, quod praecepta sunt in servitutem timentibus, sed sunt in libertatem amantibus; quia ergo lex evangelica est lex amoris, ideo dicitur *lex libertatis,* non quia non praecipiebat, sed quia non ad timorem, sed ad amorem trahebat [5].

SCHOLION.

I. De 1. et 2. quaestione cfr. d. 1. p. I. a. 1. q. 1, ubi dictum est in scholio, alios commentatores Petri Lombardi has duas quaestiones coniungere cum praedicta; unde vide ibi auctores citatos, et praeterea Alex. Hal., S. p. IV. q. 1. m. 3. a. 3, et q. 2. m. 2. a. 1. 2; S. Thom., S. III. q. 61. a. 2. — Doctores aliquatenus dissentiunt de congruitate Sacramentorum pro statu *innocentiae*, et primo quidem respectu matrimonii iam in paradiso instituti, utrum fuerit institutum tantum in *officium naturae,* non proprie in ratione *Sacramenti* — ut docent cum S. Bonav. S. Thomas, d. 1. q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. loc. cit. ad 3; Scot., d. 1. q. 3. n. 7, d. 26. q. unica n. 11. seqq.; Richard. a Med., d. 1. a. 2. q. 1 — an etiam ut *Sacramentum,* sicut putat Alex. Hal., loc. cit. a. 1. § 1. Attamen multi cum Scoto et Dionysio Carth. putant, probabilius esse, aliqua Sacramenta instituenda fuisse, si status innocentiae diu durasset. De seq. (2.) quaestione, sive de variatione Sacramentorum, plura hic repetita vel excerpta docet Alex. Hal., loc. cit. q. 5. m. 2. a. 2. § 2. et passim in praecedentibus qq.; item cfr. S. Thom., d. 1. q. 1. a. 2. quaestiunc. 4; B. Albert., hic a. 2. — De mundi aetatibus cfr. infra d. 40. dub. 3, et praecipue Hexaëm. Serm. 16.

II. Quoad 3. quaestionem congruitas *septenarii* numeri Sacramentorum novae legis (de quo numero cfr. Conc. Trident. Sess. VII. can. 1.) etiam infra dub. 1. et ab aliis Scholasticis rationibus suadetur, de quo Alex. Hal., loc. cit. q. 5. m. 7. a. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. III. q. 65. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 58. — B. Albert., IV. Sent. d. 1. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum in diversis temporibus debuerint alia et alia Sacramenta institui, vel semper eadem.

Secundo quaeritur, utrum in diversis temporibus debuerint alia et alia Sacramenta institui, vel semper eadem. Et quod non semper eadem, sed quod debuerint mutari, hoc rationabiliter ostendit

Fundamenta.

1. Hugo [6] sic dicens: « Dispensationis ordo et ratio hoc poposcit, ut, sicut ab initio, currente tempore, magis ac magis Salvatoris adventus appropinquavit, sic magis ac magis effectus salutis cresceret et cognitio veritatis; propter quod et ipsa signa salutis per successionem temporum alia post alia mutari debuerunt, ut effectus gratiae divinae in salutem cresceret, simul quoque et ipsa sanctificatio in signis visibilibus evidentior appareret ».

2. Item, hoc ostenditur per *rationem,* quia, variato morbo et conditione aegrotantis, necesse est, variari remedium [7]: ergo cum his temporibus fue-

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. — Superius edd. *institutus* pro *stans,* et perperam *in Creatore enim se* pro *in se enim* (supple: eum). Pro *fugiendum* codd. E I *fugandum,* cod. Z *evitandum.*

[2] Vide supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3. in corp. — Pro *et haec* cod. Z *sed,* et pro *quae dictabat* edd. *quae dictabant.* Superius pro *adiuta fide* edd. *adiuncta fide.*

[3] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 2. — Vat. omittit *praecipue.* Paulo superius post *et eius Sacramenta* cod. X, variata interpunctione, prosequitur: *etiam in talibus nullam habebant efficaciam,* a qua lectione in tantum discedit lectio cod. E, quod secunda manus eliminavit *etiam.* Pro *a duris* cod. Z et ed. 1 *a Iudaeis.*

[4] Vide supra d. 1. p. I. q. 2.

[5] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 1.

[6] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 6, ubi textus originalis circa finem testimonii *ut cum effectus* pro *ut effectus,* et codd. cum edd. *et ipsa signatio* pro *et ipsa sanctificatio.*

[7] Vide verba August. infra pag. 51, nota 8. — Superius pro *variato* cod. Z *variante.* Mox pro *homines,* quod codd. F G H I P Q (V a secunda manu) exhibent, cod. K *aegrotantes,* cod. bb a secunda manu *homines aegrotantes,* edd. *morbi et aegrotantes;* alii codd. omittunt utrumque.

rint homines diversarum conditionum, et morbus invaluerit; necesse fuit, medicamenta alia et alia adhiberi.

Sed contra: 1. Institutio Sacramentorum fuit Ad oppositum. non a quocumque, sed a summo medico, cuius consilium [1] est *immutabile* et est summe *commendabile;* sed si *immutabile:* ergo et Sacramenta secundum illud instituta debent esse immutabilia; si summe *laudabile:* ergo debent esse optima: ergo secundum hoc, cum Sacramenta legis gratiae optima sint, semper illa debuerunt esse, nec ante nec post alia debuerunt institui nec mutari.

2. Item, morbus originalis peccati semper idem fuit, nec crevit nec decrevit [2], et ratio infirmandi semper fuit eadem: ergo videtur, quod medicina correspondens morbo debuerit esse eadem, non mutata.

3. Item, omnia Sacramenta habent efficaciam a passione primo et a fide passionis immediate, et virtus illa est ad sanandum per gratiam: ergo cum passio sit eadem, et fides eadem, sicut dicit Augustinus [3], et gratia similiter eadem: ergo debent esse eadem Sacramenta, non mutata.

CONCLUSIO.

Diversis temporibus diversa debuerunt institui Sacramenta.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est Fines 3 Sacramentorum. notandum, quod Sacramenta sunt in *documentum*, sunt in *medicamentum*, sunt et in *ornamentum;* et secundum *statum perfectum* sunt in *apertum documentum* divini secreti, sunt in *efficax remedium* morbi et in *pulcrum ornamentum* sponsae Christi. De documento ipsorum. — Quoniam igitur *revelatio secretorum* non debet fieri quocumque modo nec in omni tempore, sed illo quo est intellectus hominis capacior; ideo Sacramenta *perfecta* dilata sunt usque ad tempus tale. Sexta aetas. Hoc autem tempus, sicut in *homine* est sexta aetas, quae appellatur senectus, iuxta illud Ecclesiastici vigesimo quinto [4]: *Quam speciosa veteranis sapientia et gloriosus intellectus et consilium;* similiter in *mundo* est sexta aetas, quae est post Christum, in qua aetate homines sunt sapientiores et capaciores. Ideo dilata sunt Sacramenta completa usque ad hoc tempus.

Rursus, quia sunt in *medicamentum* morbi *efficax*, De medicamento. eo tempore debent dari, in quo efficacius curant [5]; sed spiritualis infirmitas efficaciter non curatur, nisi quando cognoscitur et sentitur, alioquin redditur homo ingratus et peiori vulnere infirmatur: ideo necesse fuit, Sacramenta differri, quousque morbus tantum invalesceret, quod homo ipsum cognosceret et remedium quaereret. Hoc autem fuit in tempore gratiae: quia tempore *legis naturae* convictus est esse *caecus;* et tunc venit *Lex* docens et onerans, et tunc convictus est de *impotentia;* tunc ergo restabat tempus *gratiae*, in quo morbus iam cognitus curaretur, et in hoc Sacramenta completa darentur [6].

Rursus, quia sunt in *pulcrum ornamentum*, De ornamento. debuit ea Christus illi sponsae dare, a qua nunquam separari deberet; et quia talis fuit Ecclesia collecta de gentibus, non synagoga, quae ipsum deseruit et negavit: usque ad tempus gratiae *perfecta* Sacramenta non instituit [7]; nihilominus tamen aliqua imperfecta, secundum quod congruebat illis temporibus, in sustentationem dedit. — Et sic patet, quod Conclusio. non semper eadem, sed alia et alia debuerint institui.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de consilio, dicendum, Solutio oppositorum. quod, sicut dicit Augustinus in libro de Vera Religione [8], « sicut unus medicus secundum eandem artem non mutatam pro mutatione morbi mutat remedia »; sic, immo multo fortius, in proposito. — Quod vero addit: quia summe laudabile etc.; dicendum, quod summe laudabilis est divina sapientia in operibus, non quia omnia sunt optima, quae Notandum. facit *in se*, sed *in ordine*. Unde dicit Augustinus, de Libero Arbitrio [9]: Si quis quaerit: quare Deus non fecit duos soles? non videt, quia fuisset superfluum.

---

[1] Cod. F *iudicium;* idem cod. F cum cod. H paulo inferius, verbis transpositis, *ergo cum secundum hoc* pro *ergo secundum hoc, cum*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. seq. — In fine arg. ex codd. F G H I K N U Y supplevimus *eadem.*

[3] Enarrat. in Ps. 50, 14. n. 17; in Ioan. Evang. tr. 45. n. 9; XVIII. de Civ. Dei, c. 47. Cfr. tom. III. pag. 515, nota 2. et ibid. d. 25. a. 2. q. 1.

[4] Vers. 7, ubi Vulgata *gloriosis* pro *gloriosus.* — Sex aetates generis humani describit August., I. de Gen. contra Manich. c. 23. n. 35. seqq., ita ut prima aetas, quasi infantia, tendatur ab Adam usque ad Noe, secunda tanquam pueritia a Noe usque ad Abraham, tertia similis adolescentiae ab Abraham usque ad David, quarta similis iuventuti a David usque ad transmigrationem in Babyloniam, quinta tanquam declinatio a iuventute in senectutem ab hac transmigratione usque ad Christum, sexta, in qua senectus veteris hominis apparet, a Christo usque ad iudicium sive finem mundi.

[5] Cod. F *curarent,* non pauci alii codd. *curent.* Superius ante *eo tempore* omisimus cum codd. E F G L (H I a secunda manu) *etiam.*

[6] Cfr. Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. VIII. c. 3. et II. p. II. c. 1. Vide etiam III. Sent. d. 1. a. 2. q. 4, ubi simile arg. occurrit de tempore incarnationis Christi. — Superius post *in quo* cod. F addit *adiutorium quaereretur et in quo.*

[7] Cod. Z legit: *distulit usque ad tempus gratiae perfecta Sacramenta. Instituit nihilominus* etc. Aliquanto superius pro *deberet* non pauci codd. cum edd. *deberent.*

[8] Cap. 17. n. 34: Ut enim ars medicinae, cum eadem maneat neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen praecepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo, ita divina providentia, cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturae varie subvenit etc. — Superius post *de consilio* cod. H addit *sive incommutabili iudicio.*

[9] Libr. III. c. 9. n. 24: Quodsi non dicit: luna non esset, sed qualem solem videt, talem dicit lunam esse debuisse, non intelligit, nihil aliud se dicere quam: non esset luna, sed essent soles duo. In quo dupliciter errat: quod rerum perfe-

Si quaerit: quare fecit lunam? non videt, quia, si deesset luna, aliquod bonum deesset de ordine. Sic et in proposito attendendum, quia ordinatissime fecit. Sicut enim haec Sacramenta huic tempori conveniunt, ita illa Sacramenta illi tempori congruebant.

2. Ad illud quod obiicitur, quod morbus est idem; dicendum, quod etsi morbus originalis quantum ad essentiam non creverit, tamen crevit in effectu, quia semper magis ac magis homines sequebantur concupiscentiam et de uno errore labebantur in alterum [1].

3. Ad illud quod obiicitur, si fides eadem, et passio etc.; dicendum, quod etsi *passio* eadem sit, Ratio 1. tamen prius fuit *promissa*, et modo est *persoluta*; et ideo, accepta satisfactione, misericordia Dei liberalior fuit ad remittendum, quam cum tantum erat promissa: liberalior, inquam, dico quantum ad *effectum*, cum semper in se sit summe et aequaliter liberalis; ideo effectus maior. *Praeterea*, etsi *fides* Ratio 2. sit eadem, tamen haec est dignior et ad amandum efficacior, quia apertius credimus quam antiqui [2], et fides de passione iam praeterita et solutione facta magis ad amandum incitat quam de promissa. Ideo Deus et merito *fidei* et merito *passionis* iam praeteritae maiorem contulit Sacramentis efficaciam. — Et *rursus*, quia fides est expressior, Sacramenta Ratio 3. sunt evidentiora; sed fides expressa remanet eadem, quia ratio credendi eadem [3]; sed Sacramenta alia, quia signa sunt alia, et signa non numerantur quantum ad significatum, sed quantum ad speciem significantem [4].

QUAESTIO III.

Utrum in tempore gratiae debuerint institui unum, an plura Sacramenta.

Tertio quaeritur de numero Sacramentorum temporis Evangelii. Et quod debuerit esse *unum solum*, videtur:

1. Quia iugum evangelicum est iugum suavitatis Ad oppositum. et onus levitatis [5]; sed levius est observare unum Sacramentum quam plura: ergo cum Deus virtutem omnium Sacramentorum potuerit dare uni, videtur, quod unum tantum debuerit esse.

2. Item, quod cetera [6] praeter unum superfluant, videtur: quia in Sacramento uno, quod est eucharistia, significatur passio, a qua effectum habent omnia Sacramenta; et *rursus*, in illo Sacramento continetur Christus, in quo est omnis gratiae plenitudo [7]: ergo videtur, quod ipsum solum possit omnia efficere, ad quae sunt alia instituta.

3. Item, videtur, quod unum solum faciat, quod omnia alia faciunt; baptismus enim delet omnem culpam, delet etiam omnem poenam culpae debitam, quia statim evolaret baptizatus, si moreretur [8].

4. Item, baptismus dat gratiam, quae sanat animam et habilitat omnes potentias; sed ad aliud non sunt omnia Sacramenta: ergo sufficit baptismus.

Quod autem debuerint esse *plura*, videtur:

1. Quia, sicut dicitur distinctione praecedenti [9], Fundamenta. «contra peccati vulnus Sacramentorum remedia Deus instituit»; sed dicit Hieronymus: «Non sanat oculum quod sanat calcaneum»; cum igitur diversa sint vulnera: ergo diversa debent esse remedia: ergo Sacramenta plura.

2. Item, Sacramenta non tantum sanant, sed etiam significant [10]: ergo si significatio est ex institutione, et quod ad multa instituitur ad significandum est multiplex et dubium: ergo si unum Sacramentum habet plures efficacias et plures significationes, duceret in dubitationem, non in cognitionem.

3. Item, necesse est, quod Sacramentum expressam habeat similitudinem [11]; sed non invenitur species visibilis, quae habeat similitudinem expressam cum omnibus effectibus: ergo necesse est esse plures.

Supposito ergo, quod *plura*, quaeritur: quare tantum *septem*?

1. Quia, cum duo sint vulnera tantum, scilicet Contra numerum septenarium. poenae et culpae; videtur, quod debuerint esse *duo* Sacramenta tantum. *Si dicas*, quod culpa et poena multiplicantur per differentias; *contra:* tunc erunt

---

ctioni et *addere* aliquid cupit, cum desiderat alterum solem, et *minuere*, cum lunam vult detrahi. — Superius pro *laudabilis est divina sapientia* edd. *laudabile est consilium divinae sapientiae.* Subinde post *in operibus* in cod. Z additur *omnibus.* Inferius pro *Si quaerit* (ita codd. G I) cod. F *Si quaerat;* in aliis et edd. *Si quaeras*, quod minus congruit verbis *non videt;* denique post *quare* codd. A H supplent *Deus.*

[1] Vide II. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. ad 3.

[2] Cfr. III. Sent. d. 25. a. 2. q. 2. seq. — Mox pro *incitat* codd. B Z *inducit*, non pauci alii codd. *invitat.*

[3] Vide III. Sent. d. 24. a. 1. q. 3. — Inferius solae edd. *mutantur* pro *numerantur* i. e. alia sunt.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Respicitur Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave etc.

[6] Cod. Z *omnia alia Sacramenta.*

[7] Cfr. Ioan. 1, 14. et 16; Col. 1, 19.

[8] Vide infra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Codd. omittunt *baptizatus.*

[9] Lit. Magistri, c. 1. — Verba, quae sequuntur, sunt in Comment. in Marc. 9, 28. olim *Hieronymo* attributo: Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneo adhibetur. — Inferius post *sed* cod. P addit *sicut.*

[10] Ut ostensum est supra d. 1. p. I. q. 2. Ibid. ad 5. dicitur, quod actualis significatio sit *ex institutione.* — Mox pro *ergo si* codd. F P *sed.* Inferius pro *habet* cod. F *haberet.*

[11] Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 4.

plura quam septem, quia genera peccatorum sunt septem. — Item, poenae sunt multae, sicut irregularitas, sicut concupiscentia circa gustum et sicut circa tactum, contra quae non sunt Sacramenta [1].

2. Item, Sacramenta Evangelii se habent ex additione ad Sacramenta legis scriptae, sicut illa ad Sacramenta, quae sunt in lege naturae: ergo cum plura sint Sacramenta in lege scripta quam in lege naturae, *plura* debent esse in Evangelio quam in Lege [2].

CONCLUSIO.

Numerus septenarius Sacramentorum conveniens est.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut ostensum est, necesse est, esse *plura* Sacramenta: plura quidem, quia sunt ad *exercitandum*, unum enim generaret fastidium; plura etiam, quia sunt ad *erudiendum*, unum enim generaret ambiguitatem [3]. Sed *septem* sunt et non plura, quia sunt ad *medicandum*, quia medicina respicit *vulnera, quae sanat;* et sanando vulnera *adiuvat virtutes;* et adiuvando virtutes munit et *armat contra infirmitates.*

Conclusio.

Triplex effectus.

Secundum igitur quod Sacramenta *sanant infirmitates*, numerus eorum accipitur sic: quia est infirmitas *culpae* et *poenae;* infirmitas *culpae* in generali est peccatum originale, contra quod est baptismus; et peccatum *actuale mortale*, contra quod est poenitentia; et peccatum *veniale*, contra quod est extrema unctio. — *Poenae* autem infirmitas est quadruplex [4], scilicet *ignorantia*, contra quam est ordo, in quo potestas traditur discernendi; secunda, *infirmitas*, contra quam est confirmatio; tertia est *malitia*, contra quam est eucharistia; quarta *concupiscentia*, contra quam est matrimonium.

Congruentia 1.

Secundum autem quod Sacramenta sunt in *adiutorium virtutum*, accipitur numerus sic: quia in adiutorium *fidei*, sic est baptismus, qui est ianua Sacramentorum, sicut fides virtutum [5]; in auxilium *spei*, sic est unctio extrema; in auxilium *caritatis*, eucharistia, quae unit et incorporat; in auxilium *prudentiae*, ordo; in auxilium *iustitiae*, poenitentia; in auxilium *temperantiae*, matrimonium; in auxilium *fortitudinis*, confirmatio.

Congruentia 2.

Secundum vero, quod Sacramenta sunt *armaturae* Ecclesiae militantis, sumitur numerus sic: quia, sicut dicitur Canticorum sexto [6], *ipsa est terribilis ut castrorum acies ordinata; terribilis* est, quia munita et fortis, et hoc per confirmationem; *acies*, quia coniuncta et unita, et hoc per eucharistiam; *ordinata*, per ordinem. Haec acies *variabilis* est tanquam in hac vita consistens, unde ex ea aliqui subtrahuntur per mortem, aliqui prosternuntur per culpam; ideo necessarium est Sacramentum ad *prolem multiplicandam* ad divinum cultum, et hoc est matrimonium; necessarium est etiam ad *resurgendum* post lapsum, et hoc est poenitentia. In hac autem sola acie *salus* est; unde in eam *ingreditur* homo, ut proelietur, ex ea in morte *egreditur*, ut coronetur. Sed nullus *recipitur* ad pugnam, nisi habeat signum et arma Christi; ideo necessarium est Sacramentum, in quo haec conferantur, ut baptismus, et hoc est ianua intrantium; item, ex hac acie nullus *egreditur*, qui recipiatur in triumphante [7], nisi habeat pignus et unctionem Spiritus sancti, in cuius signationem est unctio extrema, quae est Sacramentum exeuntium. — Et sic patet, quod tantum sunt septem, sive considerentur ut medicamenta, sive ut adiumenta, sive ut arma.

Congruentia 3.

Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod deberet esse unum propter facilitatem; dicendum, quod opus divinum debet habere *facilitatem* in signum potentiae, debet habere et *congruitatem* in signum sapientiae, debet etiam habere *utilitatem* in signum bonitatis. Quia ergo, licet via facilior existeret in uno, tamen, quia non ita congrua ut in pluribus; ideo fuerunt plura.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de efficacia eucharistiae, dicendum, quod etsi in eucharistia significetur passio, et contineatur Christus, in quo est gratiae plenitudo; non tamen significatur passio secundum omnem suum effectum, nec continetur gratiae plenitudo ad omnem gratiam effundendam, sed specialiter ad effectum cibationis.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod baptismus directe est contra originale; unde non est iterabile, sed vulnera peccatorum [8] sunt iterabilia. Item, etsi absolvat a poena *satisfactionis*,

---

[1] Explicationem huius arg. praebet Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 7. a. 2: Videtur, quod habeant esse plura, sic: In Lege fuit unum Sacramentum solvens ab irregularitate, scil. aqua expiationis sive lustrationis, de qua Num. 19; sed sicut lex carnalis Sacramento uno solvit ab irregularitate carnali, similiter lex spiritualis debet uno solvere ab irregularitate spirituali... Item, quare non habemus unum Sacramentum in remedium gulae [concupiscentiae circa gustum], sicut in remedium luxuriae [concupiscentiae circa tactum, cfr. II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1, d. 31. a. 1. q. 3, d. 32. a. 2. q. 1. et d. 43. dub. 3. in fine]? — Edd. cum aliquot codd. omittunt duo ultima *sicut*, et pro *contra quae non sunt* non pauci codd. *circa quae non sunt*, edd. cum nonnullis codd. *contra quae sunt*.

[2] Vat. supplet *scripta*.

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 5; ibid. Comment. p. I. q. 1. in corp. et dub. 7. — Inferius pro *munit* et *armat* multi codd. cum ed. 1 *muniunt* et *armant*, tamen antea habent *adiuvat*. Subinde pro *contra infirmitates* cod. H *contra hostes*.

[4] Secundum Bedam, qui a Scholasticis communiter allegatur. Vide II. Sent. d. 22. dub. 2. — De potestate discernendi sive de clave scientiae cfr. infra d. 18. p. I. a. 3. q. 1. — Inferius pro *secunda, infirmitas*, scil. resistendi malo et standi in bono, edd. *secunda est impotentia*.

[5] Cfr. infra d. 3. p. I. a. 1. q. 3.

[6] Vers. 3. et 9.

[7] Verba *qui recipiatur in triumphante* supplevimus ex codd. F H; verba quae sequuntur, respiciunt I. Cor. 1, 21. seq., et Eph. 1, 14.

[8] Codd. F H *aliorum peccatorum*. Mox post *iterabilia* in cod. F additur: *et ideo oportet habere Sacramenta iterabilia.*

non tamen a poena, quae est *sequela culpae;* et contra has poenas sunt Sacramenta, quae non sunt tantum in dimissionem culpae; et ideo non sufficit.

Ad argg. contra numerum septenar. 1. Quod ergo obiicitur, quod debent esse *duo* tantum contra duo, scilicet poenam et culpam; patet responsio. Non enim est standum in *primis* differentiis, quae sunt poena et culpa, quia nimis sunt generales, nec descendendum est ad *speciales;* sed in eis quae univocationem habent, ut puta originale ad omnia originalia, et mortale ad mortalia, et veniale ad venialia. Similiter nec in *differentiis* poenae, sed in *principalibus*[1], quae sunt ratio ducendi in culpam. — Et sic patet de irregularitate; similiter de appetitu gulae, quia sine peccato potest esse in se, nisi deordinetur per nimium desiderium; sed concupiscentia carnis semper manet inordinata, nisi ordinetur.

2. Ad ultimum dicendum, quod Sacramenta legis scriptae addunt super Sacramenta legis naturae quantum ad *certitudinem significationis* et *difficultatem oneris;* ideo sunt evidentiora et plura. Sed Sacramenta Evangelii addunt super Sacramenta legis scriptae quantum ad *expressionem* et *efficaciam* et minuunt oneris duritiam; ideo sunt evidentiora et efficaciora, sed tamen pauciora[2].

ARTICULUS II.

De baptismo Ioannis.

Consequenter quantum ad secundam partem distinctionis quaeritur de baptismo Ioannis. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, a quo fuerit Ioannis baptismus institutus.

Secundo quaeritur, ad quid fuerit institutus.

Tertio quaeritur de usu ipsius sive efficacia.

QUAESTIO I.

Utrum baptismus Ioannis a Deo fuerit institutus.

Et quod fuerit a Deo institutus, videtur:

Fundamenta. 1. Quia ille est institutor rei, qui iubet rem fieri, et cuius auctoritate fit; sed Ioannes auctoritate Domini et mandato baptizabat; unde Ioannis primo[3]: *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit:* ergo Ioannes a Domino missus erat ad baptizandum; et sic etc.

2. Item, baptizator sive baptista nomen est officii et officii honorabilis; sed *nemo assumit sibi honorem,* sicut dicitur ad Hebraeos quinto[4], alioquin non est assumtio, sed usurpatio: ergo Ioannes fuit factus a Domino baptista; et si hoc, ergo et baptismus eius est a Domino institutus.

3. Item, fiat deductio Domini Iesu[5]: *Baptismus Ioannis de caelo erat, an ex hominibus?* Si ex hominibus: ergo non erat ei credendum. Si de caelo: ergo institutus fuit ab ipso Deo.

Contra: 1. Si baptismus Ioannis fuit a Domino institutus; cum ergo debeat a quo instituitur denominari, non deberet dici baptismus Ioannis, sed Dei. *Media* patet, quia baptismus Christi dabatur a Petro et a Paulo, et ab eis non denominabatur, sed tantum a Christo, qui erat institutor. — Iuxta hoc quaeritur, cum Evangelium non tantum denominetur ab auctore principali, sed etiam a scriptore, ut Evangelium Ioannis, quare non similiter baptismus[6]? Ad opposi-tum. Quaestio incidens.

2. Item, quod sit institutus a Ioanne, videtur: quia, si a Deo, staret utique, Ioanne cessante; sed baptismus Ioannis cessavit statim, quando Ioannes missus est in carcerem, sicut dicit Chrysostomus super Ioannem[7]: ergo baptismus eius fuit ab eo tantum institutus, non a Deo.

Inferius post *Sacramenta* Vat. supplet *alia*, deinde ex codd. H O substituimus *quae* pro *quia.* — De duplici hac ratione cfr. infra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. et 2.

[1] Vat. supplet *differentiis, scilicet ignorantia, concupiscentia, malitia et impotentia;* ed. 1, cum pluribus codd. legit incongrue *sed in principali.* Aliquanto superius pro *ad speciales* codd. G Y *usque ad speciales.* — De *irregularitate* ait Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 7. a. 2: Ad illud quod quaeritur de irregularitate, dicendum, quod Sacramenta legis gratiae sunt proprie ad hoc, quod homo sic conservetur in gratia, propter quod sunt in remedium defectuum, qui operantur ad ablationem gratiae; unde sunt instituta in remedium culpae vel poenae *deordinantis* sive *operantis dispositive* ad culpam. Talis non est irregularitas, quae poena est, non deordinans vel operans ad culpam, nisi *negative.*

[2] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 3. in corp. — Vide scholion ad 1. huius art. quaest.

[3] Vers. 33, ubi Vulgata post *baptizare* addit *in aqua.* Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 6. — In fine arg. pro *et sic* edd. *ergo.*

[4] Vers. 4: Nec quisquam sumit etc.

[5] Marc. 11, 30. seqq.; Luc. 20, 4. seqq.; Matth. 21, 25. seqq.

[6] Cod. F subiungit *a ministro.*

[7] Homil. 29. (alias 28.) n. 1, ubi solvit quaestionem: Quare, discipulis Iesu baptizantibus, Ioannes baptizare non destitit, donec in carcerem traderetur? Cfr. infra dub. 5.

CONCLUSIO.

Baptismi a Ioanne denominati principalis institutor fuit Deus, sed Ioannes fuit administrator plenarius et praecipuus.

Respondeo: Dicendum, quod baptismi Ioannis Deus fuit principalis institutor, sicut probant rationes primae; sed Ioannes fuit administrator *plenarius* et *praecipuus: plenarius,* quia Deus nihil ibi faciebat, quod per ipsum non fieret — totum enim administrabat, quia tantum exterius lavabat[1] — *praecipuus* vero, quia Deus per ipsum instituit et ei officium baptizandi commisit, ut nullus baptizaret illo baptismo, nisi ipse, vel aliquis eius auctoritate. Et inde est, quod denominabatur a Ioanne et cessavit, Ioanne cessante[2]. Sed in baptismo Christi nullus erat administrator *plenarius,* quia ibi est interior regeneratio, quae solum fit a Deo, non ministerio humano; nullus etiam *praecipuus,* quia Christus instituit baptisma suum non per aliquem hominem, sed per se ipsum; nulli etiam sic commisit suum officium, ut alii eius auctoritate baptizarent[3]. Ideo non denominatur ab eis baptismus Christi nec cessat, eis cessantibus.

Conclusio 1. / Conclusio 2.

1. Ad illud quod obiicitur de Evangelio, dicendum, quod *Evangelista* fuit administrator plenarius, quia quantum ad *verba* et *intellectum: verba* enim ex se dicebant, non omnino eadem, quae Christus in praedicando dixerat; rursus, *sensum* servabant; sed illi[4] primo illuminati fuerunt et postmodum aliis exprimebant. In *Sacramentis* non sic, quia Apostoli signa ex se non habebant, sed a Domino instituta; rursus, per gratiam, qua erant purgati, alios non purgabant. Ideo non sic dicitur baptismus Matthaei, sicut Evangelium Matthaei dicitur. Ad quaestionem incidentem.

2. Ad aliud patet responsio, quod non ideo cessavit baptismus Ioannis, quia esset principalis institutor, sed quia erat praecipuus administrator. Ad 2. oppos.

SCHOLION.

I. Contra antiquos nonnullos et contra novatores saeculi XVI. omnino tenendum est, quod baptismus Ioannis, de quo agitur in 3 qq. huius articuli, non fuit Sacramentum nisi *improprie,* quatenus ut sacrae rei signum aliquatenus initiavit ipsum baptismum Christi. Ad rem Concil. Trident. (Sess. VII. can. 1.): « Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, a. s. ». Conveniunt autem posteriores doctores in hac tota doctrina, et quoad 3. quaestionem communiter reprobant doctrinam Magistri ibi explicatam (cfr. II. Sent. d. 44. dub. 3.). Iam Guliel. Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 3. c. 1. q. 3.) dicit, magistros in hoc non consentire Petro Lombardo. — Quod Ioannes in baptizando usus sit forma: *in nomine venturi,* ex loco Act. 19, 4. Magister (hic c. 6.) vult concludere, quem sequuntur cum aliis antiquis S. Bonav. (hic dub. 5.) et S. Thomas. Sed Durand. (hic q. 3.) cum Estio aliisque recentioribus probabile esse vult, Ioannem nullam formam aquae ut materiae adjunxisse. — Quoad quaestionem incidentem cfr. hic dub. 4.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 2. 5. 8. — Scot., de hac et 2 seqq. qq. in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 38. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 5.

II. De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

III. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 7. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

QUAESTIO II.

Ad quid fuerit institutus baptismus Ioannis.

Secundo quaeritur, ad quid fuerit baptismus Ioannis institutus. Et quod ad *significandum,* videtur:

1. Per illud quod dicit Hugo[5]: « Inter baptisma Christi et baptisma Ioannis hoc interest, quia ibi solum Sacramentum dabatur, hic Sacramentum et res Sacramenti, scilicet in baptismo Christi » : ergo si Sacramenti est significare, patet, quod ad significandum. Fundamenta.

2. Item, per *rationem* videtur: quia magis conveniebat baptismus Ioannis cum baptismo Christi, quam baptismus legalis; sed ille, ut dicit Hugo[6], significabat baptisma Christi: ergo multo fortius congruit, quod baptisma Ioannis.

Item, quod fuerit institutus ad *efficiendum,* videtur:

1. Quia dicitur Marci primo[7]: *Erat Ioannes* Ad oppositum.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 4, et infra dub. 4. — Pro *quia Deus nihil ibi faciebat* Vat. *quia nihil ibi fiebat.*

[2] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 4. seqq., et V. de Baptismo contra Donatistas, c. 9. n. 10. seq.

[3] Cfr. infra d. 5. a. 3. q. 1.

[4] Plurimi codd. *sed illo,* cod. I a secunda manu *sed ab illo,* codd. F H *secundum quod illo.*

[5] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 6. — Finem arg. codd. M O sic exhibent: *patet quod, cum Sacramentum est sacrae rei signum, quod institutum ad signandum;* cod. X post *patet quod* supplet *sit,* cod. Z *erat.*

[6] Cfr. Sum. Sent. tr. 4. c. 2; I. de Sacram. p. XI. c. 6. et II. p. VI. c. 3, ubi docet, Sacramenta legalia fuisse figuras et et signa veritatis evangelicae.

[7] Vers. 4: Fuit Ioannes in deserto baptizans etc. Non pauci codd. cum ed. 1: *Erat Ioannes baptizans baptismo poenitentiae* etc.

baptizans et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: ergo cum remissio peccatorum non sit sine gratia, videtur, quod dabat gratiam.

2. Item, *ratione* videtur: quia, sicut dicit Hugo[1], « quemadmodum crescit in Sacramentis expressio significationis, crescit efficacia sanctificationis, et hoc secundum quod magis appropinquant ad adventum Christi »; sed baptismus Ioannis expressius signum erat quam circumcisio, et adventui magis appropinquabat: ergo maiorem efficaciam habebat.

3. Praeterea, si nullam habebat interius efficaciam, cum ablutio carnis parvae vel nullius esset utilitatis, non erat acceptandum nec approbandum: ergo stulte fecerunt qui susceperunt; male etiam fecit Christus, qui approbavit, dum ab eo baptizari voluit, sicut dicitur Matthaei tertio[2]: ergo si nec illi faciebant stulte, nec Christus male, ergo aliquam efficaciam habuit.

4. Item, quod maiorem efficaciam habuit quam baptismus Christi, videtur: quia Christus baptizatus est baptismate Ioannis, non suo: ergo ex opere[3] praeposuit illud suo; sed non esset praeponendum, nisi esset maioris virtutis et efficaciae: ergo etc.

Contra: Quod nec ad *significandum* nec ad *efficiendum*[4], videtur:

Opponitur ad utrumque. 5. Quia, si ad *significandum* tantum, ergo fuit Sacramentum legis veteris; si ad *efficiendum*, fuit novae: ergo cum baptismus Ioannis non fuerit Sacramentum legis veteris — quia Ioannes est terminus Legis — nec novae; manifestum est, quod nec *significavit* nec *efficientiam habuit.*

6. Item, quod nihil interius fecerit, videtur: quia Marci primo[5] dicitur: *Ego baptizo vos aqua;* et Ioannis primo: *Propterea veni ego in aqua baptizans;* et Actuum primo: *Quia Ioannes baptizavit aqua.*

7. Item, super illud Ioannis tertio[6]: *Erat Ioannes baptizans* etc; Glossa: « Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptismum Christi »: ergo secundum hoc solum instruebat et nihil gratiae conferebat: patet igitur etc.

CONCLUSIO.

Baptismus Ioannis fuit institutus ad significandum, non ad efficiendum.

Respondeo: Dicendum, quod baptisma Ioannis fuit institutum ad *praesignandum* baptisma Christi, Finis 1. sicut dicit Magister[7], quod « erat sacrae rei signum, quia significabat baptismum Christi », et ratione huius erat quodam modo Sacramentum. — Fuit etiam institutum ad *assuefaciendum* ad baptismum Christi, Finis 2. Matthaei tertio[8]: *Ego baptizo* etc.; Glossa: « Tantum corpora lavo, quia peccata solvere nequeo, ut sicut nascendo et praedicando praecurro, sic baptizando ad baptisma Christi dirigam »; et quantum ad hoc non est Sacramentum, sed sacramentale, sicut torneamentum, in quo milites assuescunt, non est bellum. — Fuit et tertio ad baptismum Christi Finis 3. *initiandum, manifestando* auctorem et *praeparando* materiam, et hoc, cum baptizavit Christum: manifestatus est Christus, Ioannis primo[9]: *Ut manifestaretur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans;* et in illo baptizandi actu « contulit Christus aquis vim regenerativam contactu carnis suae », ut dicit Beda. Et quantum ad hoc, quod fuit initium novae legis, non fuit Sacramentum nec omnino veteris nec omnino novae legis.

Concedendum est igitur, quod fuit institutum ad Conclusio. significandum, non ad efficiendum, sicut dicit Hugo[10]; nec oportet, quod Sacramentum sit veteris legis propter hoc, quod initiabat Sacramentum novae.

Solutio oppositorum. 1. Quod obiicitur de illo verbo: praedicans etc.; Glossa[11] exponit sic: « Poenitentiae baptismum dicit

---

[1] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 6. Cfr. supra a. 1. q. 2. fundam. 1. — Circa finem. arg. post *adventui* edd. repetunt *Christi.*

[2] Vers. 13. seqq. Cfr. Glossa *ordinaria* in hunc loc. — In *maiori*, in qua pro *acceptandum* codd. F V *accipiendum*, respiciuntur verba Chrysostomi, Homil. 16. (alias 15.) in Ioan. n. 3, ubi Ioannes profitetur, baptisma suum parvum et vile esse et praeter aquam nihil amplius habere.

[3] Cod. Z *ex opere suo.*

[4] In codd. F H (bb a secunda manu) additur *institutum fuerit.*

[5] Vers. 8, ubi Vulgata, quam sequitur Vat.: *Ego baptizavi vos aqua.* — Seq. textus est Ioan. 1, 31; tertius Act. 1, 5. — In fine arg. codd. M O addunt: *Item Ioan.* 1. (26.): Ego baptizo in aqua; *Glossa* [ordinaria apud Strabum, de qua cfr. Gregor., Homil. 7. in Evang. n. 3.]: *Quia corpora abluo aqua, non aufero peccata ego in aqua baptizans.*

[6] Vers. 23: Erat autem et Ioannes baptizans. — Glossa invenitur in Comment. Scoti Erigenae in hunc locum: Quantum enim catechumenis nondum baptizatis doctrina fidei prodest, tantum Ioannis baptisma baptizatis in eo, priusquam baptisma Christi subirent, profuit.

[7] Hic c. 5.

[8] Vers. 11. — De Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, cfr. Beda, in Luc. 3, 16, ubi sequitur Gregorium, I. Homil. in Evang. homil. 7. n. 3. De *torneamentis* i. e. militaribus exercitiis ad ostensionem virium, vide Du Cange, Glossarium etc. — Post *assuescunt* cod. G addit *bellare.*

[9] Vers. 31, ubi Vulgata *manifestetur* pro *manifestaretur.* — De sententia Bedae, in qua voci *carnis* codd. G I praemittunt *mundissimae,* vide eius Comment. in Luc. 3, 21, et Homil. 11. in festo Epiphaniae (alias in Octava Epiph.) nec non infra lit. Magistri, d. III. c. 5. — Superius pro *initiandum,* quod exhibet cod. bb a secunda manu, alii codd. cum edd. minus apte *nuntiandum*, cod. A *praenuntiandum;* cfr. finis responsionis. Subinde verbis *manifestatus est Christus* cod. G (K a secunda manu) praemittit *tunc enim.*

[10] Sum. Sent. tr. 5. c. 1. et II. de Sacram. p. VI. c. 6. — Post pauca pro *initiabat* multi codd. *nuntiabat.*

[11] Glossa *ordinaria* apud Strabum, quae delibata est ex Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 2, sic habet: Baptismum poenitentiae dedit, baptismum in remissionem peccatorum praedicavit, tamen non dedit. Cfr. Hieron., Dialog. contra Luciferian. n. 7; August., V. de Baptismo contra Donatist. c. 10. n. 12, et Quaest. ex novo Testam. (inter opera August.) p. II. q. 29. (alias 18.).

in remissionem peccatorum, et hunc tantum praedicavit, non dedit». Unde baptismus ille poenitentiae non erat baptismus Ioannis, quem ipse dabat, sed baptismus Christi, quem Ioannes praedicabat.

2. Ad illud quod obiicitur, quod expressius signum est quam legalia; dicendum, quod circumcisio instituta fuit in remedium, non tantum in signum [1]; sed baptismus Ioannis tantum in signum, non in remedium; quodsi esset in remedium, utique esset efficacius remedium, sicut erat expressius signum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod si nullius utilitatis etc.; dicendum, quod quamvis interius non purgaret, non tamen erat inutile, quia instruebat et assuefaciebat; et quod amplius est, fuit via manifestandi Christum et praeparandi materiam baptismo Christi. Et inde est, quod Christus in eo baptizari voluit, ut se baptizando [2] materiam suo baptismati praepararet sanctificando aquam. — Et sic patet sequens, quia non praeposuit suo, sed ordinavit ad suum baptismum [3].

QUAESTIO III.

De usu sive efficacia baptismi Ioannis.

Tertio quaeritur de usu baptismi Ioannis sive de efficacia, utrum scilicet baptismus Ioannis cum impositione manuum aequipollens esset baptismo Christi. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Ratione: quia ista duo completum faciunt baptisma, scilicet baptizari in aqua et Spiritu [4]; sed per Ioannem baptizati sunt aqua, per manuum impositionem Spiritu: ergo aequipollent ista duo baptismo Christi.

2. Item, hoc videtur ratione alia: quia ad hoc, quod baptismus sit Sacramentum completum, non est necesse, aliquem simul lavari interius et exterius, sed successive, ut patet in accedente ficte [5]: ergo videtur, quod ubi impositio manuum lavit interius per Spiritum, cum ablutione praecedenti exteriori fuit integrum Sacramentum.

3. Item, hoc videtur auctoritate Hieronymi et Magistri [6]. Dicit enim Hieronymus super Ioelem: «Baptizati a Ioanne in nomine venturi, quia dixerunt: *Neque si Spiritus sanctus est, audivimus*, iterum baptizati sunt»: ergo haec est ratio, quia non cognoscebant Spiritum sanctum: ergo si haec est causa recta, oppositum est causa oppositi: ergo si baptizati erant et fidem Trinitatis habebant, non erant rebaptizandi.

4. Item, hoc videtur auctoritate Scripturae. Actuum octavo [7] dicitur de Samaritanis, quod *baptizati erant in nomine Domini Iesu*, et *tunc imponebant manus super eos;* et Apostoli non faciebant aliud nisi imponere manus in nomine Domini Iesu; sed tunc quaero: aut baptismus ille fuit *Christi*, aut *Ioannis*, quo baptizati erant? Non *Christi*, ut patet per textum: *Nondum enim in quemquam illorum venerat* etc.; sed baptismus Christi dabat Spiritum sanctum, et Glossa dicit ibi: «*Baptizati*, tantum aqua tincti, non Spiritu»: ergo fuit baptismus Ioannis: ergo non oportebat nisi manus imponi.

Contra: 1. Legitur Actuum decimo nono [8], quod Paulus rebaptizavit baptizatos baptismate Ioannis: ergo rebaptizandi sunt. *Si dicas,* quod ideo rebaptizavit, quia non habebant fidem Trinitatis; tunc ergo, suppleta fide Trinitatis, non oportuit rebaptizari; sed constat, quod ante instruxit in fide, quam baptizaret: ergo nullo modo debuit baptizare. Fundamenta.

2. Item, Augustinus [9] assignat generalem differentiam inter baptismum Ioannis et baptismum Christi, dicens: «Baptizavit Iudas, et rebaptizatum non est; baptizavit Ioannes, et rebaptizatum est»: ergo generaliter omnes erant rebaptizandi.

3. Item, ratione videtur: quia, sicut dictum est [10], baptismus Ioannis assuefaciebat et dirigebat ad baptismum Christi; unde ipse Ioannes dicebat: *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto:* ergo si frustra assuescit aliquis ad faciendum aliquid, quod non facit; frustra baptizati sunt baptismo Ioannis, nisi baptizarentur etiam baptismo Christi.

4. Item, impositio manuum habebat locum Sacramenti confirmationis; sed confirmationis Sacramentum praesupponit Sacramentum baptismi et alias non valet [11]: ergo si nondum habebant plenum Sacramentum baptismi, nihil faciebat confirmatio sive impositio manuum eis.

---

1 Cfr. supra d. 1. p. II. a. 2. q. 1. seqq.

2 Edd. *baptizato.*

3 Vide scholion ad praecedentem quaest.

4 Ioan. 3, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu etc.

5 Cfr. infra lit. Magistri, d. IV. c. 2, et ibid. Comment. p. I. a. 2. q. 2. seq. — Inferius pro *lavit* edd. falso *non lavit.*

6 Hic c. 6, ubi etiam verba Hieron. super Ioel 2, 29. afferuntur, in quibus allegatur Act. 19, 2. — Inferius respicitur dictum Aristot., IV. Topic. c. 4: Si oppositum in opposito, et propositum in proposito erit.

7 Vers. 16. seq. — Seq. textus est ibid. v. 16. — De Glossa, quam exhibet Lyranus ut *interlinearem,* cfr. Beda, Retract. in Act. Apost. 1, 5.

8 Vers. 5. — De obiectione, quae mox infertur, vide hic lit. Magistri, c. 6.

9 In Ioan. Evang. tr. 5. n. 18.

10 Quaest. praeced. — Textus Scripturae est Marc. 1, 6: Ego baptizavi vos etc. Cfr. Matth. 3, 11; Luc. 3, 16.

11 Ut ostenditur infra d. 7. a. 3. q. 3. — Edd. *et aliis non valet, nisi baptizatis,* multi codd. incomplete *et aliis non valet.* In fine arg. pro *eis* cod. M *in eis.*

5. Item, in baptismo imprimitur character, qui est fundamentum ordinis et aliorum Sacramentorum[1]; sed character non imprimebatur in baptismo Ioannis nec in impositione manuum, quia non habebant cum illo aliquam similitudinem: ergo tales semper carerent charactere: ergo nunquam eis valerent alia Sacramenta.

CONCLUSIO.

Communis opinio contra Magistrum docet, baptizatos baptismo Ioannis omnes rebaptizandos fuisse.

Respondeo: Dicendum, quod duplex fuit super hoc opinio, una videlicet, quod baptizati baptismo Ioannis, si non habebant fidem Trinitatis, rebaptizandi erant; si autem habebant fidem Trinitatis, non oportebat eos rebaptizari, sed sufficiebat, manus imponi. — Et *ratio* huius positionis fuit, quod quia tales habebant ablutionem exteriorem et habebant fidem Trinitatis, qua interius insigniebantur tanquam charactere, et habebant Spiritum sanctum per impositionem manuum; et ideo tales non erant rebaptizandi. — Haec autem opinio roboratur per *auctoritatem:* quia, Actuum octavo[2], non sunt rebaptizati, et decimo nono, sunt rebaptizati; et ideo nec generaliter asserunt nec negant, sed distinguunt ad sustinendum hanc opinionem. Et dicunt, quod pro tempore illo impositio manuum plus valebat, quam nunc confirmatio; dabat enim baptismum flaminis. — Huius opinionis fuit Magister[3] et alii, qui eum sustinent.

Opinio 1. — Ratio. — Confirmatur. — Nota.

Alia opinio est, quod omnes sunt rebaptizandi, quia ille *baptismus Ioannis* solum assuefaciebat, non regenerabat; *impositio manuum* non characteristicabat animam. Et ista est communis opinio modernorum magistrorum.

Opinio 2. et conclusio.

1. 2. Quod ergo obiicitur, quod erat ablutio exterior et interior; dicendum, quod non quaecumque ablutio exterior est Sacramentum, sed in qua imprimitur character[4]; et talis non fuit in baptismo Ioannis. Ideo patet illud.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud Hieronymi dicendum, quod non vult ibi tangere causam rebaptizationis, sed insufficientiam fidei in alteram personarum[5]; et hoc patet, si inspiciantur antecedentia et consequentia.

4. Ad aliud dicendum, quod Samaritani baptizati erant a Philippo baptismo Christi, sicut innuit Glossa[6]. Et quod dicitur, quod non receperant Spiritum sanctum, intelligitur *visibiliter,* quia ille non erat Philippus Apostolus, sed discipulus; et ideo baptizare potuit et praedicare, sed non manus imponere ad dandum Spiritum sanctum visibiliter. Unde Glossa, Actuum octavo[7], super illud: *Miserunt ad illos Petrum et Ioannem:* « Philippus, qui Samariae evangelizabat, unus de septem erat. Si enim Apostolus esset, manus imponere posset, quod solis episcopis convenit ».

Notandum.

Et ita patet, quod haec opinio, quae dicit, quod *non* erant *omnes* rebaptizandi, non habet fulcimentum ex Scriptura nec ex auctoritate evidenti, nec etiam habet rationem cogentem. — Alia vero opinio *auctoritatem* habet, scilicet quod *omnes* sunt rebaptizandi, sicut patet Actuum decimo nono[8]. Et non est ratio, quia defectum haberent fidei; quantumcumque enim aliquis est infidelis, non est rebaptizandus, sed erudiendus: ergo haec erat ratio, scilicet quia ille baptismus non computabatur pro Sacramento. Et habet auctoritatem a Sanctis. Augustinus enim super Ioannem homilia quinta[9] dicit: « Qui baptizati sunt baptismate Ioannis, non eis suffecit; baptizati enim sunt baptismate Christi ». Item Beda: « Ad hoc Ioannes baptizabat, ut ad baptismum Christi dirigeret ». Ad hoc facit Glossa super illud Ioannis tertio[10]: « Quantum catechumenis », et haec supra habita est. — *Rationem* etiam habet propter characterem, qui imprimitur; et quia baptismus Christi erat ianua Sacramentorum; postremo, quia assuefactorius erat, frustra erat, quia *vana* est assuefactio, ubi non consequitur illud, ad quod est. Huic igitur opinioni tanquam securiori et rectiori consentiendum credo[11].

De opinione 1. — Confirmatur conclusio. — Auctoritate. — Ratione.

---

[1] Cfr. infra d. 6. p. I. q. 1. seqq.

[2] Vers. 16. seq. — Seq. locus est ibid. 19, 5. — Pro *rebaptizati* multi codd. perperam *rebaptizandi.* Superius pro *roboratur* cod. H *roborabatur.*

[3] Hic c. 6. Magistrum sequitur Petr. Pictaviensis, V. Sent. c. 7. in fine. — Pro *qui eum* edd. *qui eam.*

[4] Edd. subiungunt: *qui semper manet,* et in fine solut. *Et per hoc patet responsio ad secundum.*

[5] Scil. Trinitatis. Vide hic in lit. Magistri, c. 6. locum Hieronymi et Dialog. contra Luciferianos, n. 7, ubi Hieronymus probat, baptizatos baptismate Ioannis rebaptizatos fuisse. Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 7: Male [Magister] intellexit Hieronymum. Licet enim dixerit Hieronymus, quod illi qui non habuerunt fidem Spiritus sancti, rebaptizandi erant, non propter hoc consequens est, quod illi qui habuerunt, non erant rebaptizandi. Non enim intendebat dicere illud cum praecisione, sed simpliciter.

[6] In Act. 8, 12.

[7] Vers. 14. — Glossa sumta est ex Beda (in hunc locum): Philippus... Si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis pontificibus debetur. Strabus et Lyranus exhibent hanc Glossam ut *ordinariam* in v. 17. — Aliquanto inferius pro *fulcimentum* cod. Z *fundamentum,* et pro *rationem cogentem* ed. 1 cum pluribus codd. perperam *auctoritatem cogentem.*

[8] Vers. 5. — Post *patet* cod. H addit *per exemplum.*

[9] Sive tract. 5. n. 5. — Sententia Bedae invenitur (aliis quidem verbis) in Expositione Evang. Ioan. 1, 31. Cfr. ibid. 3, 27.

[10] Vers. 23: Erat autem et Ioannes baptizans. Vide quaest. praeced. arg. 7. ad oppos. — Inferius respicitur definitio *vani* (frustra), quam dat Aristot., II. Phys. text. 62. (c. 6.): *Vanum* est quod non includit finem, ad quem est. Cfr. tom. III. pag. 830, nota 8. — Post *postremo, quia* codd. F H supplent *baptismus Ioannis,* cod. B autem ponit: *Baptismus Ioannis, qui anterior.*

[11] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *alia in remedium sunt contra peccatum.* Videtur enim male *dividere* haec [1] Sacramenta ab invicem, quia omnia Sacramenta sunt in remedium contra peccatum.

De divisione Magistri. Respondeo: Dicendum, quod Magister non dicit *simpliciter*, quod quaedam sunt in remedium; sed dicit, quaedam sunt in remedium *contra peccatum;* et talia sunt quae gratiam conferunt et ornant animam.

De sufficientia Sacramentorum. Ex hac autem divisione, quam ponit hic Magister, innuitur *sufficientia* Sacramentorum. Quaedam enim est medicina *praeservativa*, quae cavet [2] a morbo, sed non liberat; et talis est matrimonium. — Quaedam est *curativa*, et ista liberat per gratiam; et haec variatur secundum triplicem gratiam, scilicet *baptismalem*, et sic baptismus; *poenitentialem*, et sic poenitentia; *finalem*, et sic unctio extrema. — Quaedam autem est medicina *confortativa.* Duplici autem ex causa indiget homo confortari: vel propter *difficultatem pugnae*, et sic confirmatio; vel propter *lassitudinem itineris*, et sic viaticum eucharistiae [3]; ordo autem est ad ministrandum utrumque et ad confortandum modo utroque. *Aliter.* — Vel sic: *confortatio* et fulcimentum est tripliciter: aut *confortatione virtutis*, et sic confirmatio; aut *subministratione cibi*, et sic eucharistia; aut *fulcimento alicuius subsidii*, et sic est ordo. — Et sic patet, quod divisio Magistri est recta, et patet etiam ex hoc divisio Sacramentorum. Differt iste modus assignandi sufficientiam a praeassignato, quoniam ille accipitur penes *morbos*, hic vero penes *modos curandi.*

De ordinatione. Item, quaeritur: quare Magister [4] sic *ordinat?* Videtur enim, quod ratio sua contradicat enumerationi quantum ad *ordinem.* Si enim matrimonium est medicina praeservativa et prius etiam est institutum, videtur, quod deberet primo de ipso agere. Similiter contra alia potest obiici.

Ratio ordinis in Sacram. Respondeo: Dicendum, quod Magister bene ordinat; et ratio sui ordinis patet sic. Sacramenta enim quaedam respiciunt *communiter omnes*, et sic sunt quinque praecedentia; aut *aliquos specialiter*, et sic sunt duo sequentia, scilicet ordo et coniugium; et sicut commune ante speciale [5], sic prima quinque ante duo ultima. *De communibus.* Ordo enim in quinque primis patet ex se. Baptismus enim est ad vulnerum curationem, confirmatio ad curationis habitae conservationem, eucharistia ad curationis habitae et conservatae promotionem; et quia non omnes qui recipiunt, conservant semper, ideo est poenitentia ad reparationem; quintum est unctio extrema ad ipsius consummationem. Et ex hoc patet ordo et sufficientia illorum quinque, quae respiciunt *communiter* omnes. *De specialibus.* — Quae autem respiciunt *speciales status*, duo sunt: aut enim respiciunt *perfectos*, et sic est ordo; aut *infirmos* secundum congruentiam, et sic est matrimonium; praeponitur autem [6] ordo propter Sacramenti dignitatem. *Aliter.* — Vel, ordo est personarum generantium spiritualiter, matrimonium vero personarum generantium corporaliter; et utraque necessaria est Ecclesiae, sed prima est de principali intentione, secunda ex consequenti. Et ita patet ordo [7].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod haec Sacramenta non debuerunt ante institui, quia *ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt.* Videtur enim male dicere, quia Sacramenta veteris legis et fides totam virtutem iustificandi habebant ex morte Christi [8]. — Item, videtur, quod magis ex resurrectione, quia ad Romanos quarto [9] dicitur: *Resurrexit propter iustificationem nostram.*

Respondeo: Dicendum, quod Sacramenta novae legis magnam habent virtutem, quia eam habent a

---

[1] Ita codd. A E (K a secunda manu), codd. G I W Z *hic Sacramenta,* in aliis tantum *haec.* Mox edd. omittunt *contra peccatum.*

[2] Ita codd. A K, alii codd. *curat*, cod. B *curat vel cavet*, edd. *excusat.* Paulo superius pro *ornant* cod. K *curant*, et codd. F H *innuit sufficientiam* pro *innuitur sufficientia.*

[3] Cfr. infra d. 8. p. I. dub. 2. et 3. — Edd. *id est eucharistia.* Mox pro *ministrandum* codd. H aa *administrandum.* Inferius pro *tripliciter* codd. F G I aa *triplex,* et cod. aa *alieni* pro *alicuius.*

[4] Edd. *magis.* Inferius pro *contra alia* codd. F H (K a secunda manu) *et circa alia*, alii codd. *circa alia.*

[5] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Simul*, I. Phys. text. 57. (c. 7.) et III. text. 2. (c. 1.). — Edd. *et sic aut commune aut speciale. Si respiciunt communiter omnes, sic sunt prima quinque. Ordo enim trium ex quinque prius patet ex se.* Inferius pro *Ordo enim* codd. A V *Ordo autem*, et codd. F H post *in quinque* supplent *Sacramentis.* Subinde cod. Z, substituto *ad obtinendam curationem* pro *ad vulnerum curationem*, prosequitur: *eucharistia ad curationis habitae conservationem, confirmatio ad habitae* etc.

[6] Ita cod. O, cuius lectio confirmari videtur incongrua lectione multorum codd. *principaliter autem;* codd. G I satis bene *praemittitur autem*, codd. K Z aa *praecedit autem;* sed Vat. perperam sic habet: *matrimonium principaliter, aut est ordo* etc. Subinde pro *Vel ordo* codd. G I *Item ordo;* post *matrimonium vero* edd. cum pluribus codd. omittunt *personarum*, et post *utraque* cod. F (a secunda manu) supplet *generatio.*

[7] Cfr. supra a. 1. q. 3. — Idem dub. solvit S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2.

[8] Vide supra d. 1. p. I. q. 5.

[9] Vers. 25. Cfr. tom. III. pag. 400, nota 9.

passione, non tantum promissa, sed etiam persoluta; et persoluta astringit divinam misericordiam, ut liberalius praebeat; et hoc non fuit nisi post mortem.

Quod obiicitur de resurrectione, dicendum, quod meritum principaliter fuit in passione, sed significatio nostrae iustificationis a peccato significatur in morte et resurrectione, ut destruatur homo vetus et fiat novus [1].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Baptismum Christi Ioannes suo baptismo praenuntiavit;* quae necessitas fuerit huiusmodi praenuntiationis. *Si dicas,* ut assuefaceret; quaero similiter: quare alia Sacramenta non habuerunt assuefactoria? *Si dicas,* quod baptismus difficilior est ad credendum; hoc non solvit, quia eucharistia magnae difficultatis est et magnae efficaciae.

Respondeo: Dicendum, quod baptismus congrue Notandum. habuit praeambulum; et ratio huius est, quia est Sacramentum *primum* et *necessarium:* quia enim *necessarium,* oportebat omnes suscipere; quia *primum,* ne homines inhabiles essent et imparati, oportebat, quod praecederet aliquid simile. Non sic autem est in aliis Sacramentis. Baptismus enim susceptus disponit ad cetera alia; et ideo non indigent alia [2], immo assuefactorium baptismi per consequens ad alia assuefacit.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *hominis dictus est, quia nihil ibi agebatur, quod non ageret homo.* Videtur enim, quod ratio illa nulla sit: quia dicitur Evangelium hominis, ut Ioannis et Matthaei, et tamen in Evangelio aliquid agitur, quod non agit homo. *Si dicas,* quod Evangelium dicitur *nuntium* et dicit quid exterius, et hoc est ipsius nuntiantis, non tantum mandantis [3]; *obiicitur* de doctrina, quae dicitur esse docentis; et tamen, ut dicit Augustinus [4], « solus Deus docet intus ».

Respondeo: Dicendum, quod doctrina dicitur Notandum. Petri, non quia Petrus totum agat effective, quod ibi fit, sed quia nihil ibi fit, quod Petrus non faciat vel *effective,* sicut verbum exterius, vel *dispositive,* sicut est eruditio interior. Melius enim docet bonus clericus quam malus; non sic melius baptizat bonus quam malus [5].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Baptismus Ioannis in nomine venturi tradebatur.* Videtur enim falsum, quia Ioannes sciebat, iam Christum venisse, cum baptizavit ipsum [6]: ergo non in nomine *venturi,* sed eius qui venit, potius baptizavit, vel baptizare debuit.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus venisse dicitur quantum ad *assumtionem* carnis; sed *utilitas* vel finis adventus determinatur quantum ad humani generis *redemptionem* et ipsius *manifestationem;* et quoniam, licet Christus tunc assumsisset carnem [7], tamen, quia nondum erat manifestatus, baptizabat in nomine venturi de futuro; et ideo, quando Dominus se coepit per mirabilia manifestare, baptismus eius debuit cessare. Unde et Ioannes in carcere existens, volens ostendere discipulis suis, suum ministerium impletum esse, et baptismum cessasse, misit eos ad Christum, Matthaei undecimo [8]: *Tu es qui venturus es?* ut per verba Domini cognoscant discipuli, venisse illum, in cuius nomine baptizaverat Ioannes, et ideo, cum iam amplius non debeat dici *venturus,* Sacramentum eius cessasse. — Et haec est ratio, quare Ioannes magis baptizavit in nomine *venturi* quam *Christi,* ut ostenderet, baptismum suum ad tempus esse. Nam Christus semper *Christus* est, sed non semper *venturus;* et ideo baptisma Christi, quod debuit semper durare, fuit in nomine *Christi,* vel *Trinitatis,* sed baptisma Ioannis in nomine *venturi* [9]. Notandum.

---

1 Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et d. 20. q. 4. in fine corp.; Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 3. a. 5. § 7.

2 Vat. supplet *assuefactorio.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 1; S. Thom., hic circa lit.

3 Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 5. ad ult.: Evangelium idem est quod bonum nuntium; nuntium relationem ad dominum habet mandantem et nuntium denuntiantem; unde Evangelium ad utrumque habet respectum, propter quod dicitur esse et Christi et Ioannis. — Cod. F *et dicitur quasi exterius.*

4 De Magistro, c. 11. n. 38. seqq.; V. de Gen. ad lit. c. 13. n. 30; in Epist. Ioan. tr. 3. n. 13; Enarrat. in Ps. 118. serm. 18. n. 4. et in Ps. 139. n. 15. Cfr. tom. II. pag. 690, nota 1.

5 Vide supra a. 2. q. 1. in corp.; infra d. 5. a. 2. q. 1. et hic lit. Magistri, c. 4. — Edd. cum aliquot codd. omittunt *non sic melius... quam malus.* — Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 5. ad ult., ubi ait: Aliter operatur Deus in Evangelio, aliter in baptismo. In Evangelio sive doctrina evangelica Deus infudit veritatem in mentem Evangelistae, qui postea eam transfudit in mentes audientium; ipsa igitur veritas evangalica, quia *a Deo erat* in mente Evangelistae, dicitur ibi esse ipsius Dei; quia *denuntiatur ab ipso Evangelista* in mentes audientium, dicitur esse Evangelistae. Non est sic in baptismo; non enim transfunditur munditia primo a Deo in baptizantem et postea ab eo in baptizatum, immo immediate gratia primo et per se purgans transfunditur sive infunditur a Deo. Quia igitur illud quod principale est in baptismo est a Christo immediate, ideo dicitur baptisma Christi, non Petri vel Pauli. — B. Albert., hic a. 5; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3.

6 Cfr. Ioan. 1, 32. seqq. — Mox post *sed* codd. F H repetunt *in nomine.*

7 In edd. desunt verba *sed utilitas... assumsisset carnem.* — In hac propositione vel *quoniam,* vel *quia* abundat. — Post pauca verbis *de futuro* cod. F praemittit *et.* Subinde pro *mirabilia* cod. K *miracula,* et pro *existens* cod. R *positus.*

8 Vers. 3. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 4. n. 14. — Infra pro *cessasse* cod. K *cessare,* codd. M aa *cessare debuit,* codd. R S T X *dicitur cessasse,* edd. *cessavit.*

9 Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 6. m. 3. a. 1. et m. 9; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.

DISTINCTIO III.

Pars I.

Cap. I.

Quid sit baptismus.

Post haec videndum est, quid sit baptismus, et quae sit forma, et quando institutus, et causa institutionis. — Baptismus dicitur intinctio, id est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum praescripta. Si enim fiat ablutio sine verbo, non est ibi Sacramentum, sed accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum; non utique ipsum *elementum* fit Sacramentum, sed *ablutio* facta in elemento. Unde Augustinus[1]: « Verbo baptisma consecratur; detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. Unde est haec tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens ». In duobus ergo consistit Sacramentum baptismi, scilicet verbo et elemento. Ergo etsi alia desint, quae ad decorem Sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum Sacramentum et sanctum, si verbum sit ibi et elementum. Nam et in hoc Sacramento et in aliis quaedam solent fieri ad decorem et honestatem Sacramenti, quaedam ad substantiam et causam Sacramenti pertinentia. De substantia huius Sacramenti sunt verbum et elementum, cetera ad solemnitatem eius pertinent.

(Margin: Dubium 1. — Dubium 2. — Augustinus. — Dubium 3.)

Cap. II.

De forma baptismi.

Sed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit Sacramentum? Veritas[2] te docet, quae huius Sacramenti formam tradens ait discipulis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Invocatio igitur Trinitatis *verbum* dicitur, quo baptisma consecratur; et haec est forma verborum, sub qua traditur baptismus. Unde Bonifacio episcopo Zacharias papa[3] ait: « Firmissime praeceptum est in Synodo Anglorum, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod Sacramentum regenerationis non haberet; quod omnino verum est, quod si mersus in fonte baptismi quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti fuerit baptizatus »..

(Margin: Zacharias.)

Cap. III.

Quod Apostoli in Christi nomine baptizaverunt.

Legitur tamen in Actibus Apostolorum[4], Apostolos baptizasse *in nomine Christi;* sed in hoc nomine, ut exponit Ambrosius, tota Trinitas intelligitur: « Intelligitur enim, cum Christum dicis, et Pater, a quo unctus est, et ipse qui unctus est, et Spiritus sanctus, per quem unctus est ». Unde Nicolaus papa ad consulta Bulgarorum: « A quodam Iudaeo multos baptizatos asseritis; et quid inde agendum sit, consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctae Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizentur, baptizati sunt; unum enim idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius ».

(Margin: Dubium 4.)

Cap. IV.

Si in nomine Patris, vel Spiritus sancti possit tradi baptismus.

Hic quaeritur, an baptismus esset verus, si diceretur in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti, ut cum dicitur *in nomine Christi.* Ambrosius[5] videtur dicere, si fide mysterium Trinitatis teneatur, et una persona tantum nominetur, plenum esse Sacramentum; et e converso, si tres nominentur, et non recte de aliquo illorum sentiatur, vacuum fieri mysterium. Ait enim sic: « Ubi non est plenum baptismi Sacramentum, nec principium nec species aliqua baptismi aestimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium et Spiritum sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et sicut unum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum abneges; plenum est fidei Sacramentum; ita etiam, licet Patrem et Filium et Spiritum sanctum dicas, et Patris et Filii et Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium ». « Cum dicitur *in nomine Christi,* per unitatem nominis impletum est mysterium; nec a Christi baptismate Spiritus separatur, quia Christus baptizavit in Spiritu[6] ».

(Margin: Ambrosius. — Dubium 5. — Dubium 6.)

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3, et de Cataclysmo, c. 3. n. 3; nec non C. *Detrahe verbum* (54.), c. 1. q. 1.

[2] Matth. 28, 19.

[3] Can. *In Synodo Anglorum* (83.), de Consecrat. dist. 4. — Pro *quod si mersus* originale et Vat. cum ed. 8 *quia, si mersus.*

[4] Cap. 8, 12. Locus Ambrosii est I. de Spiritu S. c. 3. n. 44. — Verba Nicolai papae sunt C. *A quodam Iudaeo* (24.), de Consecrat. dist. 4.

[5] Loc. cit. n. 42. Seq. locus est ibid. n. 43, tertius n. 44. — Antequam incipit primus locus, edd., excepta 1, non bene post *fieri mysterium* addunt *Trinitatis* (potius baptismi), refragantibus codd.

[6] Respicitur Ioan. 1, 33, et Act. 1, 5.

Ambrosius. « Nunc consideremus, utrum, sicut in *Christi nomine* legimus baptismi plenum esse Sacramentum, ita etiam, *Spiritu sancto* tantum nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur: qui unum dixerit, Trinitatem significavit; si Christum dicas, et Patrem, a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti. Scriptum est enim [1]: *Hunc Iesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu sancto.* Et si Patrem dicas, Filium eius et Spiritum oris eius pariter indicas, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, Deum Patrem, a quo procedit, et Filium, cuius est Spiritus, nuncupasti. Unde, ut rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto* ». Ex quo indicat, nos recte posse baptizari in Spiritu sancto.

Ex his aperte intellexisti, in nomine Christi verum baptisma tradi; ubi [2] nihilominus insinuari videtur, verum baptisma dari posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti, si tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat, quae Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis, perverse credens et errorem inducere intendens, unum de tribus tantum nuncupet, non implevit mysterium. — Quod vero ait, nominatis tribus, vacuum esse mysterium, si baptizans minuat potestatem Patris vel Filii vel Spiritus sancti, id est, male sentiat de potentia alicuius horum, non credens unam potentiam trium; intelligendum est hoc super eum qui *non intendit nec credit* baptizare, qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. — Qui ergo baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quae ibi intelligitur. Tutius est tamen, tres personas ibi nominare, ut dicatur: in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; non in *nominibus*, sed in *nomine*, id est in invocatione vel in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti; invocatur enim ibi tota [3] Trinitas, ut invisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministrum. Si autem dicatur in *nominibus*, non est ibi Sacramentum, quia non servatur forma baptismi. Interpetratio Magistri.

Pars II.

Cap. V.

De institutione baptismi.

De institutione baptismi, quando coeperit, variae sunt aestimationes. Alii dicunt, baptismum tunc esse institutum, cum Nicodemo Christus ait [4]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc. Alii dicunt institutionem baptismi factam, cum Apostolis dixit [5]: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Sed hoc dixit eis post resurrectionem, praecipiens eis de vocatione gentium, quos ante passionem binos et binos miserat ad praedicandum in Iudaea et ad baptizandum, dicens: *In viam gentium ne abieritis.* Iam ergo institutus erat baptismus, quia baptizabant simul et praedicabant. (De tempore institutionis 2 opiniones. — Dubium 1.)

Si vero quaeritur, in qua forma tunc baptizaverunt; sane dici potest: in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma, in qua baptizaverunt postea gentes; quae ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc illam formam Christus prius tradidit, cum ad evangelizandum gentibus misit; sed quam ante tradiderat, mittens eos in Iudaeam, post iteravit, cum ad gentes misit. — Commodius ergo dicitur institutio facta, quando Christus a Ioanne baptizatus est in Iordane; quod dispensavit, non quia mundari voluerit [6], cum sine peccato fuerit, sed quia « contactu mundae carnis suae vim regenerativam contulit aquis », ut qui postea immergeretur, invocato nomine Trinitatis, a peccatis purgaretur. Tunc igitur institutus est baptismus Christi, in quo Trinitas, cuius mysterium ibi innotuit, interius hominem baptizat. (Alia opinio Magistri. — Beda.)

Cap. VI.

Quare in aqua tantum fiat.

Celebratur autem hoc Sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, ut Christus ait: *Nisi quis renatus ex aqua* etc. Ideoque uniformiter id fieri in aqua praecipitur, ut intelligatur, quod « sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita baptismus maculas animae sordesque vitiorum emundando abstergit [7] ». Vel ideo, ut nullum inopia excusaret; quod posset fieri, si in vino et oleo fieret, et ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes. Quod aqua signavit, quae de latere Christi manavit, sicut sanguis alterius Sacramenti signum fuit. Non igitur in alio liquore potest consecrari baptismus nisi in aqua. (Commentar. — Dubium 2.)

Cap. VII.

De immersione, quoties fieri debeat.

De immersione vero si quaeritur quomodo fieri debeat praecise; respondemus: vel semel, vel tertio [8],

---

[1] Act. 10, 38. Inferius locus Scripturae est Act. 1, 5. — Pro *posse baptizare* ed. 1 *posse baptizari.* — De expositione Ambrosii cfr. Bernard., Tract. de baptismo c. 2. n. 7.

[2] Ita codd. et ed. 1; in aliis *unde,* et inferius Vat. cum paucis edd. *non complet* pro *non implevit.*

[3] Codd. et ed. 1 omittunt *tota.* Deinde pro *ministrum* Vat. *mysterium,* plures edd. *ministerium.* In fine codd. omittunt *baptismi.*

[4] Ioan. 3, 5. Cfr. Hugo de S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 4. — Superius codd. A B C et plures edd. omittunt *baptismum* post *dicunt.*

[5] Matth. 28, 19. — Seq. locus Scripturae est Matth. 10, 5. — Pro *binos et binos* edd., excepta 1, semel tantum *binos,* refragantibus codd.

[6] Ita codd. et ed. 1; in aliis *voluit.* De baptismo Christi cfr. Matth. 3, 16; Marc. 1, 8; Luc. 3, 22; Ioan. 1, 27. — De loco, qui sequitur, cfr. supra pag. 21, nota 3, et C. *Nunquam aquae* (10.), de Consecrat. dist. 4. — In ultima capituli propositione post *Tunc igitur* cum edd. 1, 2, 3, 6, 7 omisimus repetita verba *invocato nomine Trinitatis.*

[7] Comment. in Epist. ad Rom. 6, 4. (inter opera Ambros.).

[8] Plures edd. *ter.* — Locus Gregorii (nonnullis omissis) est I. Epistolar. indiction. 9. epist. 43. (alias 41.), et C. *De trina mersione* (80.), de Consecrat. dist. 4.

Gregorius. pro vario more Ecclesiae. Unde Gregorius: « De trina immersione baptismi nil verius responderi potest, quam quod vos ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit Ecclesiae sanctae consuetudo diversa. Quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo vel ter, vel semel immergere, quia et in tribus mersionibus personarum Trinitas, et in una potest Divinitatis singularitas designari. Nos vero, qui tertio mergimus, etiam triduanae sepulturae sacramentum signamus ». — Secundum hoc licet non modo ter, sed etiam semel tantum mergere. Ibi tamen dumtaxat semel mergere licet, ubi consuetudo Ecclesiae talis existit. Si quis vero id facere incipiat, ubi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum esse asserat, reprehensibilem se constituit. Haymo. Unde Haymo[1]: « In suo sensu abundabat Cyprianus, cum semel mergebat in baptismo parvulos; qui quod intelligebat studiose implebat, bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret. Sed quia bonis operibus abundabat, postea, correptus a Deo, abundavit altiori sensu, ter illos mergendo ». — Ecce habes, quia deliquit qui semel mersit; sed hoc ideo, quia aliter se habebat illius Ecclesiae consuetudo, vel quia unam tantum faciendam mersionem asserebat. De Augustinus. trina mersione Augustinus[2] ait: « Postquam nos credere promisimus, tertio capita nostra in sacro fonte dimersimus, qui ordo baptizandi duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi, quia accepistis baptismum in nomine Christi, qui die tertia resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita immersio typum dominicae exprimit sepulturae ». — Constat ergo, baptizandos tertio debere immergi; et tamen si semel tantum immergantur, verum baptisma accipiunt. Et qui semel immergit tantum non peccat, nisi consuetudo Ecclesiae obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat[3].

Cap. VIII.

Quando circumcisio amisit vim.

Solet etiam quaeri, si circumcisio amisit statim[4] vim suam ab institutione baptismi. — Ad quod dicimus, in Christi morte terminata esse legalia omnia. Ex tunc igitur circumcisio perdidit vim suam, ita quod postea non profecerit; potius obfuit observatoribus suis, sed usque ad oblationem verae hostiae potuit prodesse. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non, ea imminente, vetus pascha cum discipulis manducasset.

Cap. IX.

De causa institutionis baptismi.

Causa vero institutionis baptismi est innovatio mentis, ut homo, qui per peccatum *vetus* fuerat, per gratiam baptismi *renovetur*, quod fit depositione vitiorum et collatione virtutum. Sic enim fit quisque *novus homo*, cum, abolitis peccatis, ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit foeditatem, appositio virtutum affert decorem, et haec est *res* huius Sacramenti, scilicet interior munditia.

Si quaeritur, utrum baptismus aperuerit caelum, quod non aperuit circumcisio; dicimus, quia nec baptismus nec circumcisio aditum regni nobis aperuit, Dubium 3. sed hostia Salvatoris, quae si tempore circumcisionis oblata fuisset, illius temporis homines regnum intrassent. Res igitur huius Sacramenti iustificatio est.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars I.

De baptismo quantum ad ipsum Sacramentum per se.

Post haec videndum est, quid sit baptismus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Determinatis praeambulis ad Sacramenta, in hac parte determinat Magister de Sacramentis singillatim, et habet haec pars septem partes secundum septem Sacramenta. In prima determinat de baptismo. In secunda de confirmatione, infra distinctione septima: *Nunc de Sacramento confirmationis.* In tertia determinat de eucharistia sive de Sacramento altaris, infra distinctione octava: *Post baptismi Sacramentum et confirmationis.* In quarta de poenitentia, infra distinctione decima quarta: *Post haec de poenitentia agendum est.* In quinta de extrema unctione, infra distinctione vigesima tertia: *Praeter praemissa est aliud Sacramentum.* In sexta de ordine, infra distinctione vigesima quarta: *Nunc ad*

---

[1] Exposit. in Epist. ad Rom. 14, 5.

[2] Serm. de Mysterio baptismi (inter eius opera); et C. *Postquam vos* (78.), de Consecrat. dist. 4, ubi cum originali et Hugone pro *nos... promisimus... capita nostra* legitur *vos... promisistis... capita vestra.*

[3] Hoc et praeced. cap. sumtum est ex Hugone a S. Vict., Sum. Sent. tr. 5. c. 4. et 10. mutato interdum ordine.

[4] Codd. et edd. 1, 2, 3, 7 *statum* pro *statim vim suam.* — In sequentibus respiciuntur Matth. 26, 2; Marc. 14, 1; Luc. 22, 1; Ioan. 13, 1.

considerationem sacrae ordinationis. In septima de matrimonio, infra distinctione vigesima sexta: *Cum alia Sacramenta post peccatum* etc.

Prima pars, in qua determinat de baptismo, habet duas partes. In prima determinat de baptismo quantum ad ipsum Sacramentum. In secunda quantum ad Sacramentalia; et incipit pars illa infra distinctione sexta, circa medium, ibi: *Porro cuncti ad baptismum venientes.* Et quoniam Sacramentum baptismi potest considerari in se et per comparationem ad dantes et recipientes; ideo pars ista habet tres partes. In prima agit de baptismo per se. In secunda per comparationem ad recipientes, infra distinctione quarta: *Hic dicendum est, aliquos suscipere* etc. In tertia per comparationem ad dantes, infra distinctione quinta: *Post haec sciendum est, Sacramentum baptismi.*

Prima pars continet praesentem distinctionem et dividitur in duas partes. In prima agit de baptismo quantum ad eius quidditatem sive integritatem. In secunda quantum ad eius institutionem, ibi: *De institutione baptismi, quando coeperit* etc. Prima pars habet duas. In prima ostendit, quod ad *esse* baptismi concurrit verbum et elementum. In secunda vero determinat, quid sit illud verbum, secundo capitulo: *Sed quod est illud verbum.* Et illa pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda vero solvit dubitationem, ibi: *Hic quaeritur, an baptismus esset verus* [1].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de quidditate baptismi. Et circa hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de his quae pertinent ad integritatem Sacramenti.

Secundo de his quae pertinent ad formam verbi.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, quid sit baptismus a parte elementi.

Secundo quaeritur, utrum de integritate eius sit expressio vocalis verbi.

Tertio, utrum necessaria sit ad integritatem baptismi fides alicuius articuli.

ARTICULUS I.

De his quae pertinent ad integritatem Sacramenti baptismi.

QUAESTIO I.

Quid sit baptismus a parte elementi, utrum aqua, vel intinctio in aqua.

Primo ergo quaeritur, quid sit baptismus secundum suam essentiam, utrum *aqua,* vel *tinctio in aqua.* Et quod *aqua* sit, videtur:

Fundamenta. 1. Per definitionem Hugonis [2]: « Baptismus est aqua abluendis criminibus sanctificata ». Similiter per definitionem sui *generis:* « Sacramentum est elementum ex similitudine repraesentans » etc.: ergo si aqua est elementum, Sacramentum baptismi est aqua. *Si dicas,* quod utramque definitionem assignat per *causam materialem,* non per *essentiam; contra:* haec est per essentiam: baptismus est Sacramentum; et haec: Sacramentum est signum; et haec: « Signum est species sensibilis, aliud faciens in cognitionem venire [3] »: ergo haec est vera secundum substantiam: baptismus est species vel forma visibilis rei invisibilis; sed haec forma vel species non est nisi aqua: ergo etc.

2. Item, species panis est Sacramentum in eucharistia, non ipsa panis manducatio, sed magis usus; et hoc, quia similitudinem habet ad significatum ibi contentum [4]: ergo si in baptismo gratia abluens significatur per aquam abluentem, ergo aqua abluens est Sacramentum; sed non aliud quam baptismus: ergo etc.

Quod autem aqua non sit baptismus, sed *tinctio,* videtur:

1. Per illud quod dicit Magister in littera [5], definiens baptismum: « Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma verborum praescripta »; et subdit: « Accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum; non ipsum elementum fit Sacramentum, sed ablutio facta in elemento »: ergo patet, quod baptismus non est aqua, sed ablutio in aqua. Ad oppositum.

2. Item, hoc ipsum patet *ratione,* quia, si baptismus esset aqua, cum aqua sit semper aqua, semper esset baptismus; quod falsum est, quia non

---

[1] Edd. addunt *Subdivisio huius partis patet in littera.* Superius verbo *solvit* codd. F H praemittunt *determinat et.*

[2] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 2. — Seq. definitio Sacramenti est ipsius Hugonis, I. de Sacram. p. IX. c. 2; cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. fundam. 2.

[3] Secundum August., II. de Doctr. christ. c. 1. n. 1. Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 3. Ibid. c. 2. et 4. insinuatur tam praecedens propositio quam sequens.

[4] Cfr. infra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[5] Hic c. 1.

est, nisi dum aliquis baptizatur. Et *iterum*, cum aliquis baptizaretur in mari, tunc mare esset baptismus, et flumen; quod non est rationabile[1].

3. Item, ad Sacramentum baptismi concurrit verbum et elementum[2]: ergo si verbum est necessarium, utpote quod significat, illud proprie est baptismus, ad quod refertur verbum; sed verbum refertur ad actum abluendi, cum dicitur *abluo te*, non ad aquam: ergo baptismus non est aqua.

4. Quod autem nec *aqua* sit nec *tinctio* in aqua; videtur: quia baptismus *manet*, recedente aqua et ablutione, in baptizato: ergo etc. Quod maneat, videtur, quia semper denominat[3] et nunquam iteratur.

CONCLUSIO.

Utrumque, scilicet aqua abluens et ablutio, est Sacramentum, unum tamen.

RESPONDEO: Ad intelligentiam praedictorum est notandum, quod *baptizare* in Graeco tantum valet, quantum *lavare* in Latino; unde Iudith duodecimo[4]: *Descendebat in vallem Bethuliae et baptizabat se.* Ab eo autem quod est *lavare* oritur *lavacrum* et *lotio. Lavacrum* est aqua deputata ad lavandum, sicut balneum est aqua deputata ad balneandum humano artificio. *Lotio* vero est usus vel effectus aquae. — Baptismus igitur accipitur pro *lavacro*, ut Canticorum quarto[5]: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro;* Glossa: « Loti in baptismo ». Et e converso, ad Titum tertio[6]: *Per lavacrum regenerationis et renovationis.* — Accipitur etiam pro *lotione*, Marci septimo: *Tenentes traditionem hominum, baptismata calicum et urceorum*, id est lotiones; similiter *ablutio* pro baptismo, Ioannis decimo tertio: *Qui lotus est non indiget* etc.: *lotus*, id est baptizatus.

(Declaratio terminorum. — Baptismus accipitur dupliciter.)

Cum igitur nomen baptismi aequivaleat *lavacro* et etiam *lotioni*, dixerunt aliqui, quod baptismus, secundum quod est nomen Sacramenti, idem est quod *lavacrum;* alii, quod est idem quod *tinctio.* Primae opinionis videtur fuisse magister Hugo, sed secundae Magister[7].

(Opinio duplex.)

Credo tamen, quod *utroque* modo dictum est Sacramentum: quia secundum quod *lavacrum*, est sacrae rei signum; *aqua* enim abluens signum est gratiae intus mundantis, et *ablutio* signum interioris mundationis; et ita *utrumque* Sacramentum, nec tamen duo Sacramenta, quia unum est propter alterum. *Aqua* enim non est Sacramentum, nisi in quantum *abluens;* et *lotio* non est Sacramentum, nisi quia lotio *aquae* vel in aqua; et ideo unum tantum Sacramentum.

(Conclusio 1. auctoris.)

Si *tamen quaeras*, quod *per prius et proprius* dicitur Sacramentum, utrum baptismus pro *lavacro*, an pro *lotione;* est distinguendum, quod baptismus dicitur Sacramentum *sanctificans*, et sic principalius dicitur de *lotione*, quia immediatius respicit interiorem effectum et verbum[8]; dicitur etiam Sacramentum *significans*, et sic principaliter dicitur de *lavacro*, quia significatum interius proprie et per prius est *gratia* mundans, et per consequens *ipsa lotio.* — Et est exemplum: *circulus* expositus ante tabernam signum est vini vendendi, et *expositio circuli* est signum venditionis; tamen *magis proprie* est signum *circulus* quam *expositio;* sic *aqua* magis quam *ablutio.* — Et concedendae sunt rationes hoc probantes.

(Quaestio connexa. — Distinctio. — Conclusio 2. — Conclusio 3. — Exemplum.)

1. Ad illud autem quod obiicitur in contrarium de Magistro, dicendum, quod ipse fuit alterius opinionis; nihilominus tamen concedendum est, quod baptismus sit *ablutio;* nec ex hoc sequitur, quod non sit aqua abluens. Quod autem dicit, quod elementum non fit Sacramentum; intelligendum, non[9] secundum id quod *est*, sed secundum actum, qui est *lavare.*

(Solutio oppositorum.)

2. 3. Per hoc etiam patet sequens: quia aqua non est Sacramentum secundum quod *aqua* solum,

---

[1] Cod. U *esset baptismus, quod falsum est, quia non est rationabile.*

[2] Vide hic in lit. Magistri, c. 1. allata verba Augustini. — Mox pro *utpote* codd. E F L *ut.*

[3] Simul audi: baptizatum. — Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 1: Baptismus perpetuus manet in baptizato, sed ablutio statim deficit: ergo etc. Quod perpetuo maneat, videtur, quia, cum aliquis baptizatur, recipit Sacramentum baptismi, et quamdiu est baptizatus, habet Sacramentum, sicut, quamdiu est unus albus, habet albedinem; sed semel baptizatus semper est baptizatus: igitur semper habet Sacramentum baptismi.

[4] Vers. 7: Et exibat (Iudith) noctibus in vallem etc.

[5] Vers. 2. — Glossa, quam exhibet Lyranus ut *interlinearem*, delibata est ex expositione in Cantic. (inter opera Isidori), c. 4. n. 3: Id est fonte sacri baptismatis, qui et *tonsi* et *loti* sunt, hoc est nudati renuntiando saeculo et vitae lavacro mundati.

[6] Vers. 5. — Codd. G I glossando clarius habent *Et e converso lavacrum accipitur pro baptismo.* — Seq. textus est Marc. 7, 3. seq.: Tenentes traditionem seniorum... baptismata calicum etc. Multi codd. *Tenentes baptismata hominum, calicum et urceorum*, codd. G I *Tenentes baptismata calicum et urceorum.* — Tertius textus est Ioan. 13, 10, quem Beda ita explicat: Quia qui ablutus est fonte baptismatis in remissionem omnium peccatorum non indiget rursus, immo non potest eodem modo ablui, sed quotidiana tantum mundanae conversationis contagia necesse habet quotidiana sui Redemptoris indulgentia tergantur.

[7] Locc. in argg. allegatis.

[8] Vat. *et baptismus dicitur.* Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 1. eandem quaest. solvens ait: « Respondeo, quod in baptismo tria sunt: ipsum elementum, verbum sanctificans et ipsa tinctio. Dicendum igitur, quod in elemento est virtus regenerativa *potentia* ex contactu carnis Christi; quae potentia reducitur in *actum* per verbum ipsum, sicut color est visibilis potentia et luce efficitur actu visibilis; sed in tinctione virtus regenerativa *effectum* habet in homine. Unde illud quod immediate operatur principalem effectum baptismi, est ipsa tinctio ». Et paulo ante: In forma praescripta a Domino non refertur verbum, a quo est virtus Sacramenti, ad *elementum*, sed ad ipsam *ablutionem* sive tinctionem, quod patet, cum dicitur: Ego baptizo te... debet igitur *ablutio* dici Sacramentum.

[9] Vat. *non esse tantum.*

sed secundum *actum lavandi,* sicut gratia medetur secundum actum purgandi [1]; et ideo non sequitur, quod semper aqua sit Sacramentum, nec quod omnis aqua, sed aqua, quae lavat et quae deputatur ad hoc; et hoc non est totum mare vel fluvius, sed illud aquae, quod de proximo coniungitur corpori lavando. — Ex hoc etiam patet sequens, quia verbum refertur ad aquam, secundum quod Sacramentum in actu, et sic est in quantum lavans.

4. Ad illud quod obiicitur, quod manet; dicendum, quod baptismus proprie, secundum quod Notandum. dicit Sacramentum exterius, non manet *in se,* sed in suo *effectu,* et ratione illius dicitur manere. *Effectus* enim baptismi aliquando dicitur baptismus.

Unde notandum, quod cum in baptismo sint De Sacramento et re Sacramenti. tria: quoddam, quod est *Sacramentum* tantum, ut elementum visibile; quoddam, quod est *res* tantum, sicut gratia curans; quoddam, quod est *Sacramentum* et *res* Sacramenti, ut character. De *re* Sacramenti dicitur [2] *communiter;* de *re* et *Sacramento* dicitur *proprie;* de *Sacramento* autem dicitur *magis proprie;* sed de *lotione* adhuc *magis proprie;* de *elemento* autem sub tali actu *maxime proprie.* Definitiones 4 baptismi. — Et secundum has quatuor acceptiones quadrupliciter definitur. Secundum quod baptismus est nomen *elementi* significantis et sanctificantis virtute verbi, definitur ab Hugone [3]: « Baptismus est aqua Prima. diluendis criminibus sanctificata ». — Secundum quod pro *actu* vel usu elementi, a Magistro: « Baptismus Secunda. est tinctio corporis exterior facta sub forma verborum praescripta ». — Secundum quod accipitur pro *Sacramento* et *re* Sacramenti, quod est chara- Tertia. cter, sic a Damasceno [4]: « Baptismus est vitae spiritualis principium, sigillum et custodia et illuminatio mentis ». Et tangitur quadruplex conditio Notandum. characteris: quia enim praeparat ad gratiam, ideo *principium vitae;* quia distinguit gregem Domini, sic *sigillum;* quia indelebiliter perseverat, sic *custodia;* quia specialiter disponit ad fidem, dicitur *illuminatio mentis.* — Secundum quod accipitur pro *re* Sacramenti, definitur a Dionysio [5]: « Baptismus Quarta. est regenerationis Sacramentum, secundum quod primitus subsistit in anima, spiritualiter formans animales motus ad opportunitatem divinorum eloquiorum et actionum, et ad caelestis quietis anagogen iter faciens ». In hac definitione tangitur *res* huius Sacramenti, quae est gratia [6] animam vivificans, cum dicit: « secundum quod primitus subsistit in anima »; tangitur etiam *habilitatio potentiae* per virtutem, primo ad *activam,* cum dicit: « formans animales motus »; secundo ad *contemplativam,* cum dicit: « ad caelestis quietis anagogen ».

SCHOLION.

I. Iam a tempore S. Thomae distinguitur baptismi materia *remota* et *proxima;* et quod illa sit *aqua,* exclusa qualicumque altera materia, constat magisterio Ecclesiae (Concil. Trid. Sess. VII. can. 2.), quidquid docuerint novatores saeculi XVI. eorumque sequaces. Similiter patet, quod materia *proxima* consistat in applicatione aquae ad baptizandum sive in *ablutione,* quocumque modo fiat. Cum autem *ablutio* intelligi possit sensu et *activo* et *passivo,* « lotio *passiva* immediatius respicit baptismum et praesupponit duplicem lotionem praedictam » etc. (ita hic dub. 2.). Recte igitur cum Richardo a Med. aliisque dici potest, materiam *proximam* consistere in ablutione tam *activa* quam *passiva,* licet non eodem modo concurrant. Alii quidem solam *passivam* lotionem volunt esse materiam proximam, sed vix nisi verbis ab illa sententia recedere videntur. — Etiam duplex modus ille loquendi, hic Hugoni et Magistro tributus, adhibita distinctione materiae *remotae* et *proximae* satis componi potest. — Solutio ad 4. respicit opinionem Gulielmi Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 3. c. 2.), qui, postquam retulit duas opiniones, quarum prima censuit, essentiam baptismi consistere in *aqua ut abluente,* altera vero, consistere in *charactere,* cum sit aliquod *permanens;* deinde resolvit: « Nec sola aqua abluens vel ablutio aquae est baptismus, nec solus character, sed illa duo, ita quod utraque sunt unus baptismus ». Et in solut. ad 1. dicit, quod baptismus transit in quantum aqua abluens, manet in quantum character. — De tota utriusque articuli doctrina cfr. Breviloq. p. VI. c. 7.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 1. et m. 3. a. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 66. a. 1. — B. Albert., de hac et 2 seqq. qq. hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. In duabus seqq. qq. nulla difficultas occurrit.

De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 3. § 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

De 3. quaestione similiter agit: Alex. Hal., loc. cit. m. 7. a. 2. § 2. circa med. Alii paulo aliter et alibi hanc quaestionem ponunt, scilicet utrum in baptizando fides requiratur. Ita S. Thom., IV. Sent. d. 6. q. 1. a. 3; S. III. q. 68. a. 8. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 6. q. 2. a. 2. — Richard. a Med., IV. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. — Dionys. Carth., IV. Sent. d. 6. q. 2.

---

[1] Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 2. § 3. ad 2: Dicendum, quod aqua est Sacramentum, non in quantum est aqua solum, proprie loquendo, sed potius, in quantum illi convenit actus ablutionis; nec res Sacramenti est, proprie loquendo, gratia, sed gratia mundans sive spiritualiter abluens. — Aliquanto inferius pro *sed illud aquae, quod* cod. I *sed aqua, quae.*

[2] Supple cum codd. H P Q *baptismus.*

[3] Loc. cit. — Cod. Z *Secundum quod sumitur pro Sacramento, id est pro elemento, sic definitur baptismus ab Hugone.*

[4] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9. — Pro *quod est character* edd. *quae* [plures codd. *qui*] *est character.* De charactere agitur infra d. 6. p. I. q. 1. seqq. Aliquanto inferius post *ideo* codd. G I Z supplent *dicitur.* Subinde pro *specialiter* codd. G K W *spiritualiter.*

[5] De Eccles. Hierarch. c. 2. p. 1.

[6] Cod. Z addit: *et hoc dupliciter; tangitur enim ut est perfectio substantiae animae, quia est.* Idem cod. Z inferius post *tangitur etiam* subiungit *ut.*

QUAESTIO II.

Utrum expressio verbi vocalis sit de integritate baptismi.

Secundo quaeritur, utrum expressio verbi vocalis sit de integritate baptismi. Et quod sic, patet:

Fundamenta. 1. Ex ipsa Domini institutione, Matthaei ultimo[1]: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:* ergo necesse est, ibi Trinitatem nominari. *Si dicas,* quod debet nominari in corde, et non oportet, quod voce; *contra:* in baptismo, quod est Sacramentum fidei, necesse est esse professionem fidei: ergo cum sit perfectum Sacramentum, debet habere perfectam professionem; sed haec est in verbo, quia dicitur ad Romanos decimo[2]: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem* etc.: ergo necesse est, verbum exprimi.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera[3]: «Verbo baptisma consecratur; detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua»? Aut ergo intelligit de verbo *creato,* aut *increato.* Si de *increato;* sed illud non potest detrahi, quia semper adest: ergo cum intelligat de verbo, quod potest accedere et recedere, et hoc est verbum vocale; videtur, quod sit de integritate baptismi.

Ad oppositum. Contra: 1. Hugo[4]: «Decuit per Verbum, per quod omnia sunt creata, omnia recreari», ideo verbum consonat Sacramento; sed illud fuit Verbum increatum tantum: ergo non requiritur ad essentiam Sacramenti verbum vocale sive creatum.

2. Item, et si creatum; non videtur, quod *vocale:* quia Augustinus dicit, et habetur in littera[5], quod «virtus aquae est a verbo, non quia dicitur, sed quia creditur»: ergo sufficit verbum mentale.

3. Item, si verbum vocale est necessarium: cum Patris et Filii et Spiritus sancti sint tria nomina vocalia, debet ergo baptizari non in *nomine,* sed in *nominibus.*

4. Item, quod non verbum *vocale,* videtur: quia verba vocalia non sunt eadem apud omnes, ergo nec Sacramentum; et hoc falsum est, quia *una fides et unum baptisma,* ad Ephesios quarto[6].

CONCLUSIO.

In baptismo necesse est exprimi verbum vocale.

Respondeo: Dicendum, quod necesse est, exprimi verbum vocale, quia Deus contulit vim verbo; unde sine verbo nullius est efficaciae[7]. — Ratio autem, quare voluit exprimi, est perfecta *fidei professio,* ut sit in *facto* et *verbo.* Est etiam perfecta *signatio;* quia enim facta est regeneratio per Verbum incarnatum; et Verbum incarnatum optime signatur per verbum voce indutum[8]: ideo voluit et instituit, quod esset ibi verbum vocale. Conclusio. Ratio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod omnia sunt creata per Verbum increatum; dicendum, quod per illud, secundum quod incarnatum est, omnia sunt recreata *sufficienter,* sed *efficienter* per fidem et professionem huius; et quia in Sacramento est *efficientia,* ideo est ibi expressio in verbo vocali[9].

2. Ad illud quod obiicitur: non quia dicitur, sed quia creditur; intelligendum est cum *praecisione,* non quia *dicitur tantum,* sed etiam, quia *creditur.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod deberet dici in nominibus; dicendum, quod *nomen* dicitur tripliciter: uno modo *vox* imposita ad significandum aliquem, ut Petrus. Alio modo nomen dicitur *notitia,* ut cum dicitur[10]: *Deus, in nomine tuo salvum me fac,* quia, si esset *vox* tantum, iam non esset salus muto. Tertio modo nomen dicitur *notitia voce expressa,* ut in Psalmo: *Notus in Iudaea Deus, in Israel magnum nomen eius;* ille enim dicitur *magni nominis,* cuius nominis fama percrebuit; et sic accipitur in proposito. Et quoniam una est notitia Patris et Filii et Spiritus Sancti, quia una fides; ideo dicitur in *nomine,* non in *nominibus.* Nomen dicitur tripliciter.

---

1 Vers. 19.
2 Vers. 10.
3 Hic c. 1. — Inferius post *cum intelligat de verbo* cod. U addit *creato.*
4 Libr. I. de Sacram. p. VIII. c. 6. et II. p. VI. c. 2, nec non Sum. Sent. tr. 1. c. 15.
5 Hic c. 1. — Superius post *creatum* cod. Z supplet *verbum requiritur.* In fine arg. edd. addunt *non ergo vocale.*
6 Vers. 5. — Superius respiciuntur verba Aristot., I. Periherm. c. 1: Et quemadmodum nec litterae omnibus eaedem, sic nec eaedem voces.
7 Supple: baptismus.
8 Vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 4, et III. Sent. d. 1. a. 2. q. 3.
9 Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et 2.
10 In Ps. 53, 3. — Seq. textus est Ps. 75, 2. De multiplici *nominis* acceptione cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 2, et Alan. ab Insulis, Distinct. dictionum theolog. — Superius pro *aliquem* edd. cum pluribus codd. *aliquid,* et post *notitia* cod. X supplet *rei significatae.* Mox post *quia, si esset vox* supplevimus ex codd. F H N O X *tantum.* Subinde pro *muto* codd. F H Y *in ipso,* edd. *mundo.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod voces sunt diversae; dicendum, quod etsi diversae sint linguae, tamen conveniunt in intellectu et modo intelligendi, id est *significatione* et *modo significandi;* et quia non requiritur nomen secundum quod vox tantum, sed secundum quod vox sit significans et talem intellectum generans et tali modo; et hoc est idem apud omnes: ideo Sacramentum est idem, sicut *homo* et *anthropos*[1].

QUAESTIO III.

Utrum ad completum et integrum esse *baptismi sit necessaria fides alicuius articuli.*

Tertio quaeritur, utrum ad completum et integrum *esse* baptismi sit necessaria fides alicuius articuli. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quoniam Ambrosius dicit, et habetur in littera[2], quod «baptismus est fidei Sacramentum»: ergo si desit fides, deest illud quod principaliter et specialiter respicit baptismus: ergo non est integrum Sacramentum.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera[3]: «Unde haec tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur»: ergo si necesse est dici, necesse est et credi.

3. Item, ad Romanos sexto[4]: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus;* Glossa: «In morte ipsius dicit nos baptizari, quia mors Christi causa est nostrae purificationis»; sed mors Christi non *est:* ergo si aliquid facit, necesse est, quod faciat per illud quod aliquo modo est. Sed fides est illud, secundum quod manet adhuc passio, quia creditur: ergo ad integritatem baptismi necessaria est fides articuli passionis.

4. Item in actu baptizandi et in verbo est professio fidei[5]; sed professio fidei, quando non est fides, falsa est et inefficax: ergo ad hoc, quod baptismus sit Sacramentum completum et efficax, necessaria est fides.

Ad oppositum. Contra: 1. Baptismus est praevius ad virtutes tanquam primum Sacramentorum, quod imprimendo characterem disponit *ad fidem*[6]; sed prius potest esse sine posteriori: ergo Sacramentum baptismi est integrum cum defectu fidei.

2. Item, cum nobilior sit caritas quam fides et efficacior ad merendum[7]; si baptismus habet efficaciam ab aliqua virtute, potius videtur, quod debeat habere a caritate quam a fide.

3. Item, si fides est de necessitate baptismi ad hoc, quod sit perfectum et efficax Sacramentum; cum et Sacramenta veteris legis efficaciam haberent, cum fides erat adiuncta[8]: videtur, quod non differat baptismus a Sacramentis veteris legis.

4. Item, videtur, quod non sit necessaria fides articuli passionis, sed magis Trinitatis: quia in baptismo exprimitur verbum, in quo est professio fidei Trinitatis[9]: ergo si maxime est necessarium credere quod fides exprimit in illo Sacramento; videtur tunc, quod non fides articuli passionis, sed Trinitatis sit de necessitate baptismi.

Propter hoc igitur est quaestio, quomodo Sacramenta dicantur habere virtutem a fide. Et si alia Sacramenta habent, sicut et baptismus; quare magis ipse baptismus dicitur Sacramentum fidei quam alia Sacramenta? Quaestiones 2 incident.

CONCLUSIO.

Ad baptismum necessaria est fides alicuius articuli, cum in fide Ecclesiae baptismus suscipiatur.

Respondeo: Dicendum, quod fides non tantum necessaria est Sacramento baptismi, sed etiam omnibus Sacramentis, specialiter tamen Sacramento baptismi, quia «omnia Sacramenta virtutem habent a fide», ut dicit Hugo[10]. Conclusio 1.

Huius autem ratio sumitur *generaliter* respectu omnium Sacramentorum, scilicet *necessitatis* et *congruentiae.* Ratio autem *necessitatis* est, quoniam Rationes generales. Ratio 1.

[1] Graece ἄνθρωπος. — Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 1, ubi docet, nec litteras nec voces omnibus esse easdem, et subiungit: « Quarum tamen haec primum notae sunt, eaedem omnibus passiones animae sunt; et quarum hae similitudines, res etiam eaedem. — Post *Sacramentum* supplevimus ex codd. F G H *est.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Hic c. 4. — Inferius verbo *respicit* cod. aa praefigit *requirit baptismus vel.*

[3] Hic c. 1. — De conclusione vide quaest. praeced. ad 2.

[4] Vers. 3. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1.

[5] Cfr. quaest. praeced. et infra p. II. a. 2. q. 1.

[6] Vide supra q. 1. in fine, et infra d. 6. p. I. q. 4. — De *minori* cfr. tom. III. pag. 600, nota 4.

[7] Ut ostensum est III. Sent. d. 27. a. 2. q. 1.

[8] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 5, et III. Sent. d. 40. q. 2. — Pro *cum fides* cod. F *quando fides.*

[9] Vide infra a. 2. q. 2.

[10] Libr. I. de Sacram. p. X. c. 9, ubi ostendit, ex tribus ad salutem necessariis (cfr. supra pag. 36, nota 5.), fidem esse « initium boni et principium restaurationis », quia per fidem homo incipit summum bonum et finem suum iam hic quodammodo videre eique coniungi, ad quam coniunctionem muniendam instituta sunt Sacramenta. Cfr. de Sacram. legis naturalis et scriptae, et III. de Anima (inter opera Hug.), c. 50. — Paulo inferius pro *generaliter* codd. E G L V Z bb et ed. 1 *generalis.* Subinde pro *scilicet necessitatis et* cdd. *non solum necessitatis, sed etiam*, et post *ratio elevandi* codd. F H supplent *potentiam.*

Notandum. Ad quaest. 1. incid. in fide est prima ratio *uniendi* et prima ratio *elevandi* supra naturam. Propter primam rationem *uniendi* necessaria est in Sacramentis [1], quoniam gratia sacramentalis comparatur ad virtutem passionis ut ad meritum, sed ad virtutem Trinitatis sicut ad principium effectivum. Ad hoc autem, quod virtus passionis magis operetur et disponat in Sacramentis quam alibi, necesse est, quod aliquo modo copuletur huiusmodi signis [2]. Hoc autem non potest esse sine eo, in quo est prima unio; et haec est fides, per quam meritum capitis fit membrorum. Dum enim credimus, quod pro nobis passus est, meritum Christi fit Ecclesiae. — Similiter ad hoc, quod virtus divina specialiter et mirabiliter *influat* supra naturam, necessaria est fidei virtus, in qua est prima ratio elevandi potentiam supra naturam; et haec est fides, propter quod etiam maxime attribuitur ei virtus faciendi miracula [3].

Ratio 2. Ratio autem *congruentiae* est: quia, sicut Sacramenta dicunt quoddam *velamen gratiae interioris*, quod tamen aliquo modo illuminat ad cognoscendum; sic fides *velamen dicit futurae contemplationis* et visionis, et tamen hoc velamen potius est illuminans quam obscurans [4]. *Et rursus*, sicut in Sacramentis est aliquid *mysticum* et aliquid *gratuitum;* sic aliquid in fide respicit non tantum *intellectum*, sed etiam *affectum* [5]. — Haec igitur est ratio *generalis*, quare fides necessaria est omnibus Sacramentis.

Specialiter pro baptismo. Sed *specialiter* appropriatur baptismo, quoniam baptismus est *primum* inter Sacramenta et *ianua* Sacramentorum, sicut fides ianua virtutum; *et rursus*, Ad quaest. 2. incid. quia in hoc Sacramento magis explicite est *professio fidei* quam in aliquo alio Sacramento, tum in *actu*, tum in *verbo*, et in *actu* est professio fidei *passionis*, scilicet per immersionem, sed in *verbo* professio fidei *Trinitatis*. Unde et maior efficacia est in hoc Sacramento quam in aliquo alio [6].

Et ex hoc patet, cuius articuli fidei sit necessaria, scilicet *passionis*, a qua est meritum, et *Trinitatis*, quae est principium effectivum. — Concedendae ergo sunt rationes, quae ostendunt, quod ad baptismum necessaria est fides alicuius articuli. Attamen sicut baptismus est Sacramentum non singularis hominis, sed Ecclesiae; sic efficaciam habet a fide Ecclesiae, et hoc per unitatem sponsae et columbae [7]. Conclusio 2. Conclusio 3.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod baptismus est praevius ad virtutes; dicendum, quod quamvis sit praevius respectu suscipientis, non tamen respectu [8] Ecclesiae, in qua suscipitur Sacramentum.

2. Ad illud quod obiicitur de caritate, iam patet responsio: quia non ita congruit sicut fides, rationibus praedictis; et tamen fides Ecclesiae verae non est sine caritate [9].

3. Ad illud quod obiicitur, quod non differt a Sacramentis legis veteris; dicendum, quod immo, quia illa habebant efficaciam a fide *specialis personae*, unde parvulus iustificabatur in fide parentum; haec autem habent a fide *Ecclesiae*. — Alia etiam differentia est, quia illa totam efficaciam habebant a *fide*, haec autem non tantum habent a fide, sed etiam a *pactione* divina, quae ipsum opus operatum ordinavit ad gratiam percipiendam; illa vero solum *per accidens* iustificabant, sola circumcisione excepta, quae virtutem habuit a *fide Ecclesiae* et ex *pactione Dei*. Dominus enim pactum fecit, cum dixit Marci ultimo [10]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* et similiter Genesis decimo septimo: *Ponam pactum meum* etc. Differentia 1. Differentia 2.

---

[1] Simul audi cum codd. H Z *fides*.

[2] In cod. Z additur *id est Sacramentis*. Inferius pro *quod pro nobis* codd. F G I K V et ed. 1 *quae pro nobis*.

[3] Epist. I. Cor. 13, 2: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam. Cfr. Matth. 17, 19. et Marc. 9, 22.

[4] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. X. c. 9: Ipsa enim fides imago est et sacramentum; contemplatio autem futura res et virtus sacramenti. Qui fidem non habent nihil vident; qui fidem habent iam aliquid videre incipiunt, sed imaginem solam. Si enim fidelis nihil videret, ex fide illuminatio non esset, nec dicerentur illuminati fideles; si autem iam ipsam rem viderent et non amplius videndum aliquid exspectarent, non *per speculum in aenigmate*, sed *facie ad faciem* viderent. Ergo qui per fidem vident imaginem vident; qui per contemplationem vident rem vident. Qui fidem habent sacramentum habent; qui contemplationem habent rem habent. Fides ergo sacramentum est futurae contemplationis; et ipsa contemplatio res et virtus sacramenti.

[5] Alex. Hal., S. p. IV. q. 1. m. 5. a. 2. § 1: Sacramentum concernit duo: unum *mysticum* et aliud *gratuitum*, unde signat et efficit. Ratione, qua importat quod est mysticum, perficit intellectum quodammodo; ratione, qua gratuitum, ipsum affectum, quia tollendo culpam; unde oportet, quod virtutem habeat [Sacramentum] a virtute, quae perficit intellectum et affectum; haec est fides, qua anima adhaeret primae Veritati propter se. Cfr. S. Bonav., III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. et supra d. 1. p. I. q. 2. — Paulo post verbis *omnibus Sacramentis* cod. H bene praemittit *in*. Inferius pro *quoniam* cod. F *quia sic*.

[6] Vide infra d. 4. p. I. a. 1. q. 1.

[7] August., in Ioan. Evang. tr. 6, solvens quaestionem, quare Deus per *columbae* speciem ostendere voluerit Spiritum sanctum, n. 6. ait: Per hanc enim *potestatem* [baptizandi], quam Christus solus sibi tenuit et in neminem ministrorum transfudit, quamvis *per ministros* suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiae, quae significatur in *columba*, de qua dictum est: *Una est columba mea, una est matri suae* [Cantic. 6, 8.]. Si enim, ut iam dixi, Fratres mei, transferretur potestas a Domino ad ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent, et iam non staret unitas baptismi etc. Cfr. V. de Baptismo contra Donatistas, c. 21. n. 29, C. *Aliud est* (39.), de Consecrat. dist. 4. et infra lit. Magistri, d. V. c. 2. — Pro *per unitatem* codd. F L *propter unitatem*.

[8] Cod. Z addit *dantis, id est*.

[9] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 1.

[10] Vers. 16. — Seq. textus est Gen. 17, 2. et 7. — De duplici hac differentia vide supra d. 1. p. I. q. 5. et p. II. a. 1. q. 1. seqq. — Aliquanto superius non pauci codd. omittunt *parvulus*, ed. 1 legit *unde iustificabant*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fides Trinitatis magis videtur necessaria; dicendum, quod necessaria est utraque, sicut tactum est, sicut etiam utriusque fit professio; magis tamen appropriatur virtus et efficacia fidei passionis Christi, quoniam ob meritum passionis Christi tota Trinitas est liberalior ad dandam specialem gratiam in baptismo [1]: et hinc est, quod fides passionis exprimitur *facto*, sed fides Trinitatis exprimitur *verbo*. Et sic patet, quae sint necessaria ad integritatem baptismi [2].

ARTICULUS II.

De his quae pertinent ad formam verbi.

Consequenter est quaestio de forma verbi, quae attendenda est in baptismo, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum verbum exprimens actum baptizandi sit de necessitate formae baptizandi.

Secundo quaeritur, utrum expressio totius Trinitatis sit de necessitate baptismi.

Tertio quaeritur de variatione formae.

QUAESTIO I.

Utrum verbum exprimens actum baptizandi sit de necessitate formae baptizandi.

Et quod verbum exprimens actum [3] sit necessarium, videtur:

1. Quia hanc formam servat tota Ecclesia: Ego Fundamenta. te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

2. Item, Alexander tertius [4] dicit: « Si quis puerum ter in aqua merserit dicendo: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nisi dicat: ego baptizo te; talis mersio non potest esse baptismus ».

3. Item, *ratione* videtur, quia nihil est magis necessarium ad baptismum quam intentio baptizantis; aeque enim est necessaria intentio, ut fides [5]: ergo nihil est magis de necessitate formae quam verbum exprimens intentionem; sed tale est hoc verbum *baptizo*: ergo si aliquid est de necessitate formae baptizandi, verbum baptizandi est de necessitate.

Contra: 1. Verba non sunt de necessitate Sa- Ad oppositum. cramenti, nisi illa quibus Dominus contulit virtutem in instituendo; sed cum instituit formam, non dedit virtutem huic verbo *baptizo*: ergo non est de necessitate. Quod non dederit, patet, quia Matthaei ultimo [6] traditur forma: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*: si ergo daretur virtus huic verbo *baptizantes*, non liceret mutare participium: ergo nulla virtus tradita est ei.

2. Item, quod non sit necessarium propter intentionem, videtur: quia *actus* baptizandi aeque bene vel magis exprimit intentionem, ut *verbum*: ergo videtur, quod superfluat, vel saltem non sit verbum necessarium. Quod autem *actus exprimat* [7], patet per simile: quia, cum quis signat se signo sanctae crucis, sufficit dicere: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, nec oportet addere *signo*.

3. Item, si est necessarium exprimere actum [8] in Sacramentis propter intentionem: ergo cum intentio sit necessaria in Sacramento eucharistiae, similiter deberet exprimi in forma, et si non exprimitur, non est Sacramentum; sed hoc est falsum: ergo et primum.

CONCLUSIO.

Verbum exprimens actum baptizandi est de necessitate formae.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit aucto- Conclusio. ritas Alexandri, verbum *baptizandi* est de necessitate formae. Ratio autem, quare est de necessitate, Ratio. est institutio. Ratio autem institutionis est, quia intentio necessaria est Sacramento, et [9] hoc est Sacramentum necessitatis et est ad alterum. Ideo propter periculum defectus intentionis proprio verbo expressa est ibi in forma. — Ex his patent obiecta.

1. Quod enim obiicitur, quod Dominus non Solutio oppositorum. tradidit in forma [10]; dicendum, quod Dominus,

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 20. q. 5. — Superius pro *utriusque* fere omnes codd. *in utrisque*. Inferius pro *quae sint* codd. R S *quod fides sit*. [2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Codd. F H *actum baptizandi*.

[4] Cap. *Si quis puerum*. X. (lib. III. tit. 42.) de Baptismo et eius effectu: Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen, et non dixerit: Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, non est puer baptizatus.

[5] Vide infra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. — Circa finem arg. post *formae* non pauci codd. omittunt *baptizandi*.

[6] Vers. 19. — In fine arg. multi codd. omittunt *est ei*, pro quo edd. *est verbo*.

[7] Cod. O supplet *intentionem*. In fine arg., posito *dicere* pro *addere*, cod. H cum cod. F legit *signo me*.

[8] Codd. M O *verbum*.

[9] Cod. H *et quia*.

[10] Codd. M O *quod verba non sunt de necessitate Sacramenti, nisi illa, quibus Dominus contulit virtutem*, cod. Z *quod Dominus non tradiderit virtutem illi verbo*. In fine arg. codd. C R S addunt *fieri*.

antequam illud diceret, formam instituerat, quam modo servat Ecclesia et accepit ab Apostolis. Illud autem, quod dicitur Matthaei ultimo, fuit commemoratio iam institutae; aut si Christus ipse non instituit, instituit Ecclesia instinctu Spiritus sancti, et hoc tantum est, ac si ipse proprio ore dixisset. Tota enim Trinitas approbat quod ipse Spiritus sanctus inspirat fieri, sicut illud quod Christus instituit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non oportet, quia actus intentionem exprimit; dicendum, quod immo oportet, quia actus potest fieri multiplici intentione; potest enim quis immergere, ut ludat, ut corpus abluat, ut baptizet. Et quia actus multiplici intentione fieri poterat, ideo non determinate intentionem baptizandi exprimebat; sed actus *signandi* una intentione principali consuevit fieri: ideo non est simile [1].

3. Ad illud quod obiicitur de eucharistia, dicendum, quod non est Sacramentum *necessitatis;* et praeterea non est ad alterum; et iterum, cum maiori fit solemnitate: et ideo intentio ibi colligitur, non evagatur tunc; propterea non est necesse exprimi verbo, et ideo non oportuit institui, nec per consequens observari. — Alia ratio est huius, Alia raito. sed infra [2] dicetur, cum agetur de forma eucharistiae.

SCHOLION.

I. Communis catholicorum doctorum doctrina, quae tenet, in forma *actum baptizandi* necessario esse exprimendum, insuper confirmatur decreto Concilii Florentini (pro Armenis) et etiam propositione (27.) ab Alexandro VIII. 7 Dec. 1690 reprobata: « Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo ».

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 3. § 2. — Scot., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 2. — S. Thom., de hac et duabus seqq. qq. hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1-3; S. III. q. 66. a. 5. — B. Albert., de hac et 2 seqq. qq. hic a. 2. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., de hac et 2 seqq. qq. hic a. 2. q. 3. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 2.

II. In seq. (2.) quaestione ad 3. docetur cum S. Thoma omnibusque antiquis Scholasticis, in primitiva Ecclesia ob specialem Dei dispositionem valuisse baptismum collatum in nomine Christi sine expressione Ss. Trinitatis; immo alii pauci, quibus adhaesit Caietanus, asseruerunt, etiam nostra aetate baptismum ita collatum valere, sed non licere. Nititur autem haec opinio quibusdam locis Act. (2, 38; 8, 16; 10, 48.) et praecipue verbis Ambrosii (I. de Spiritu S. c. 3.) et Papae Nicolai I. (ad Bulgaros). Posteriores tamen theologi putant, non *constare de facto,* quod scilicet Apostoli reapse sine consueta nostra formula baptizaverint, immo Estius (hic § 4. 5.) dixit, hanc suppositionem esse *improbabilem.* Melius tamen Catechismus Rom. (p. II. de Baptismo, n. 16.) ita censet: « Quamquam *dubium* fortasse alicui videri potest, an cuiusmodi forma Apostoli aliquem baptizaverint; si Ambrosii et Basilii sanctissimorum et gravissimorum Patrum auctoritatem sequi volumus, qui ita baptismum in nomine Iesu Christi interpretati sunt, ut dixerint, iis verbis significari baptismum, non qui a Ioanne, sed qui a Christo Domino traditus esset; tametsi a communi et usitata forma, quae distincta trium personarum nomina continet, Apostoli non discederent ». — Dici igitur potest, antiquos Scholasticos locutos esse potius *hypothetice* sive in *suppositione* illius facti, quin ipsum *factum* absolute sustinuerint.

Praeter locos citt: Alex. Hal., loc. cit. § 4. — S. Thom., S. loc. cit. a. 6.

III. De 3. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Durand., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum expressio totius Trinitatis sit de necessitate baptismi.

Secundo quaeritur, utrum expressio totius Trinitatis sit de necessitate baptismi. Et quod sic, videtur:

1. Per formam a Domino traditam, Matthaei Fundamenta. ultimo [3].

2. Item, Fulgentius [4]: « Mysterium redemptionis nullo modo habetur, si Patris vel Filii vel Spiritus sancti nomen subtrahatur ».

3. Item, Pelagius [5] Gaudentio episcopo: « Revera si hi de haereticis, qui in locis dilectionis tuae et vicinis commorari dicuntur, solum in nomine Domini se baptizatos fuisse fortasse confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes in sanctae Trinitatis nomine baptizabis »: ergo non fuerunt baptizati.

4. Item, *ratione* videtur: quia necessarium est verbum vocale ad professionem fidei; sed sicut non sufficit credere tantum alteram personarum, sic nec sufficit profiteri: ergo si professio sufficiens est necessaria [6], necesse est totam Trinitatem exprimere in baptismo.

---

[1] Idem pluribus verbis dicit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 3. § 2. — Circa initium solut. post *dicendum, quod* supplevimus ex cod. Z *immo,* pro quo multi codd. corrupte scribunt *non;* codd. H P legunt *quod non sufficit, quia.*

[2] Dist. 8. p. II. a. 1. q. 1.

[3] Vers. 19.

[4] Epist. 8. ad Donatum, c. 9. n. 18: Mysterium autem redemptionis humanae nulla ratione perficitur, si in baptismo vel Filii vel Spiritus sancti vocabulum subtrahatur.

[5] Can. *Si revera* (30.), de Consecrat. d. 4: Si revera hi de haereticis, qui in locis tuae dilectioni vicinis etc.

[6] In edd. desideratur *necessaria.*

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ambrosius dicit in libro de Trinitate, et habetur in littera[1]: « Si unum in sermone comprehendas, vel Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum abneges; plenum est fidei Sacramentum »: ergo videtur, quod non est necesse exprimere totam Trinitatem, sed credere.

2. Item, *ratione* videtur: quia una est potestas et operatio Trinitatis[2]: ergo quod operatur Pater, et tota Trinitas: ergo si dicatur: baptizo te in nomine Patris, tantumdem valet, ac si tota Trinitas exprimatur.

3. Item, Apostoli in primitiva Ecclesia baptizaverunt *in nomine Christi*[3]: ergo si nullo modo licuit eis mutare formam a Domino institutam, ergo ista forma non discordabit ab illa: ergo videtur, quod sufficiat alteram personarum exprimere. *Si dicas,* quod non mutatur propria, sed divina auctoritate; tunc ergo divina auctoritas contulit vim illi nomini: ergo si quod Deus contulit, illud homo auferre non potest, adhuc potest baptizari in nomine Christi. *Si dicas,* quod non fuit collata virtus[4] nisi ad tempus; *quaero:* quare magis collata est virtus simpliciter nomini totius Trinitatis quam nomini Christi? *Et rursus:* quare magis collata est virtus nomini Christi pro illo tempore quam pro nostro? — Et quod simpliciter habeat, videtur: quia baptismus virtutem habet a passione, ergo et a fide passionis[5]: ergo si Christus, non tota Trinitas, fuit passa, potius debet dici: in nomine Christi, quam: totius Trinitatis.

CONCLUSIO.

Expressio verbalis totius Trinitatis in baptismo est necessaria.

Modi 4. Respondeo: Dicendum, quod notitia Trinitatis sive nominatio potest esse in baptismo quatuor modis: aut ita, quod sit *plena* in corde et in ore, et tunc secundum omnes plenum est Sacramentum; aut ita, quod sit *semiplena* in corde et in ore, et tunc secundum omnes non est Sacramentum plenum; aut ita, quod *plena* in ore et *semiplena* in corde; aut ita, quod *plena* in corde et *semiplena* in ore. De primo modo et secundo[6] non est controversia, sed de duobus sequentibus fuit opinio diversa.

Opinio 1. Quia enim baptismus est Sacramentum fidei et virtutem habet a fide, quae in corde est; ideo voluerunt aliqui dicere, quod plenitudo fidei in corde cum qualicumque Trinitatis expressione, sive duae sive una sive tres personae exprimantur, plenum facit Sacramentum, quia fides supplet defectum sermonis; e converso autem, si non est fides in corde, si[7] exprimantur tres ore, non est plenum Sacramentum. Et hoc videtur dicere Ambrosius, et huius opinionis videtur fuisse Hugo[8] et Magister quantum ad primam partem opinionis. — Improbatur. Sed quia, ut determinat Augustinus, baptismus est Sacramentum fidei non singularis personae, sed totius Ecclesiae; ideo fides personae nihil obest, nihil prodest.

Opinio 2. et conclusio. Et ideo determinat alia positio, quod quidquid sit de fide cordis, iudicandum est de baptismate secundum expressionem oris sive sermonis; et ideo, qualitercumque credat, et si totam exprimat Trinitatem, baptizatus est; si autem non totam, non est baptizatus et rebaptizandus est. Et hoc communiter et certitudinaliter asserunt magistri. Nota.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Ambrosio, dicendum, quod verbum Ambrosii est exponendum, ut *sacramentum fidei* ponatur pro ipsa fide: « *plenum sacramentum fidei* », id est ipsa fides, quae significatur per *Sacramentum.* — Aliter. Vel si de *Sacramento* intelligitur, habet locum in *casu;* ut quando puer deficit in manibus sacerdotis, ubi credendum est, quod divina misericordia et summus Sacerdos non dimittat imperfectum quod inchoatum est.

2. Ad aliud dicendum, quod etsi potestas et operatio Trinitatis uniat, tamen fides distinguit; et ideo non sufficit unam personarum credere, sed necesse est credere omnes. Et quia baptismus est Sacramentum plenae professionis; ideo necesse est profiteri omnes personas.

De baptismo in nomine Christi. 3. Ad illud quod obiicitur de nomine Christi, dicendum, quod Apostolis licuit baptizare in nomine Christi divinitus inspiratis[9], sed non licet modo nobis.

Opinio aliorum. Dicunt tamen aliqui, quod verbum illud non amisit virtutem propter constitutionem Ecclesiae ordinantis, quod tantum fiat in nomine Trinitatis; unde etsi peccaret sic baptizans, tamen baptizatum esset. — Sed communis opinio et certior est, quod non esset baptizatum, quia, cum sit unicum baptisma in Ecclesia, ideo unica debet esse forma; et ideo tantum in nomine Trinitatis baptizat tota Ecclesia.

---

[1] Hic c. 4. Liber *de Trinitate* intelligendus est liber I. de Spiritu sancto, c. 3. n. 42.

[2] Cfr. tom. III. pag. 12, nota 2. — Mox post *Trinitas* cod. F addit *operatur,* et post *dicatur* [cod. Z *dico*] codd. AG *Ego.*

[3] Act. 2, 38; 10, 48; 19, 5. — Aliquanto inferius pro *mutatur* cod. G *mutaverunt.*

[4] In cod. F additur *nomini Christi simpliciter.*

[5] Cfr. supra a. 1. q. 3. — Post *virtutem habet* codd. FH supplent *recreandi* [cod. H *regenerandi*] *sive iustificandi.*

[6] Permulti codd. omittunt *et secundo,* edd. substituunt *Primis duobus modis.*

[7] Ita codd. et edd. pro *etsi.*

[8] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 2. — Opinionem Magistri vide hic in lit. c. 4; sententiam Augustini vero in eius Epist. 98. (alias 23.) n. 5. Cfr. etiam infra lit. Magistri, d. V, C. *Si inter bonos* (25. seqq.), de Consecrat. d. 4.

[9] Plurimi codd. *inspirantis,* sed GI addunt *auctoritate Spiritus sancti* ante *divinitus.* Inferius pro *baptizatum* cod. H bis *baptismus,* et pro *unde etsi peccaret sic baptizans* ed. 1 cum pluribus codd. *unde etsi peccator sit baptizans,* cod. F *unde etsi peccatum sic baptizare.*

Quod ergo obiicitur, quod Apostoli baptizabant in nomine Christi; dicendum, quod data fuit virtus illi verbo tempore primitivae Ecclesiae. — Et una ratio fuit, quod nomen Christi implicat et insinuat totam Trinitatem; Christus enim *unctus* dicitur, et ideo *ungentem* et *unctum* et *unctionem* insinuat, et sic cum praedicta forma concordabat [1]. — Alia ratio fuit: quia nomen Christi erat ignotum et contumeliosum, utpote crucifixi, ut nomen publicaretur et in reverentia haberetur, tunc temporis tali forma [2] usi sunt. Et quia cessante causa, cessat effectus, Christi nomine publicato et honorabili facto, amplius nec debuit nec potuit in eo impleri Sacramentum baptismi, quia ad tempus tantum institutum fuit. — Quod ergo obiicitur, quod debuit *simpliciter* institui propter fidem passionis; dicendum, quod *recreator* dicitur dupliciter: vel sicut *auctor*, et sic tota Trinitas; vel sicut *mediator*, et sic Christus [3]. Ad hoc ergo, quod esset plenum Sacramentum, necesse erat fide profiteri *mediatorem* et *auctorem*, sed tamen principalius *auctorem*. Quia ergo per actum immergendi mors Christi intelligitur, et ita *mediator*; necesse fuit, voce exprimi *auctorem*, et ita totam Trinitatem nominari oportuit [4].

Ratio 1. Ratio 2. Distinctio.

QUAESTIO III.

De variatione formae.

Modi 5 variandi formam.

Tertio quaeritur de variatione formae in nominando totam Trinitatem; quod potest fieri quinque modis: *mutando, addendo, corrumpendo, transmutando, interponendo.*

Argg. pro prima parte.

1. *Mutatio* fit, ut quando ponitur nomen pro nomine, utpote si loco *patris* dicatur *genitoris*. — Et quod hoc non impediat, videtur: quia forma baptismi non attenditur in vocibus, secundum quod voces sunt, quia tunc non esset eadem forma apud nos et Graecos, sed in vocibus, secundum quod significativae [5]: si ergo idem significat pater et genitor, idem faciet in forma unum, quod reliquum. — Et praeterea, plus conveniunt pater et genitor, quam nomen patris in Graeco et in Latino, cum sint eiusdem linguae.

2. *Additio* est, quando nomen, quod non est expressum in forma, superadditur, ut si dicatur: in nomine Patris omnipotentis etc. — Et quod hoc non impediat, videtur: quia, cum additur nomen, etsi nihil faciat, manet tamen totum, quod faciebat Sacramentum [6]: et si totum manet, in quo est virtus, ergo est plenum et efficax Sacramentum.

3. *Corruptio* est, quando nominis prolatio est modo minus convenienti, utpote si dicatur: in nomine patrias et filias etc. — Et quod hoc non impediat, videtur: quia Zacharias [7] Bonifacio scribens dicit: « Si contingat, aliquem infringendo linguam propter ignorantiam dicere baptizando: in nomine patria et filia, non est rebaptizandus ». Et huius ratio reddi potest, quia sanus est sensus.

4. *Transpositio* est, quando forma aliter ordinatur, utpote si dicatur primo *in nomine Filii* et post *in nomine Patris*. — Et quod hoc non impediat, videtur: quia « nomina transposita idem significant, ut si dicatur: est homo albus; est albus homo [8] »: si ergo omnino idem est sensus et eadem fidei professio, transpositio non impedit.

5. *Interpositio* est, cum in medio cadit actus, ut sternutatio, vel verbum, ut: in nomine Patris, *et aqua ista est frigida*, et Filii etc. — Et quod hoc non impediat, videtur: quia totum est salvum, quando aliquid interponitur; et aliqui homines ita sunt obliviosi, quod semper interponunt aliquid, antequam possint complere orationem inceptam.

Argg. pro secunda parte.

Contra: 1. Quod *mutatio* impediat, videtur: quia virtus est data illis verbis, et non aliis: ergo etc.

2. Item, quod *additio* impediat, videtur: quia, si nihil licet addere canoni Scripturae, multo fortius nec formae Sacramenti. *Prima* patet per illud quod dicitur Apocalypsis ultimo [9]: *Si quis apposuerit ad haec* etc.

3. Item, quod *corruptio* impediat, videtur: quia verba corrupta aut nihil significant, aut aliud signi-

---

[1] Secundum Ambros. hic in lit. Magistri, c. 5. allegatum.

[2] Ex codd. F H (bb a secunda manu) supplevimus *tali forma*, codd. M O *dicta forma*, Vat. *eo*. — De seq. axiomate (cessante causa, cessat effectus) cfr. Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.), et Avicenna, Metaph. tr. 4. c. 1.

[3] Cfr. III. Sent. d. 19. a. 2. q. 1.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Vide supra a. 1. q. 2. ad 4. — Superius pro *dicatur genitoris* edd. cum pluribus codd. *ponatur genitoris*.

[6] Ex cod. F addidimus *Sacramentum*, qui subinde pro *et si totum manet* substituit *ergo si totum manet*, cod. Q *et sic totum illud*, codd. E M *et Sacramentum manet*, codd. H P *et sic salvum manet*, alii codd. cum edd. *et si salvum manet*. Post *virtus* non pauci codd. cum edd. adiungunt *scilicet verbum*, quo respicitur illud Augustini: Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum.

[7] Can. *Retulerunt* (86.), de Consecrat. d. 4, ubi etiam in nota adiecta dicitur, quod pro *in nomine patria et filia* [et Spiritu sancta] alias legebatur *in nomine patrias et filias* [et Spiritus sanctias], quam lectionem exhibent etiam codd. F G I. Cfr. infra lit. Magistri, d. VI. c. 4. Permulti codd. omittunt *baptizando*. S. Bonav. non ipsa verba, sed sententiam rescripti profert. — Superius pro *patrias et filias* edd. *Patria et Filia*.

[8] Aristot., II. Periherm. c. 1. (c. 10.). — In initio arg. post *Transpositio* edd. adnectunt *sive transmutatio*, et post *quando* ex codd. F H (bb a secunda manu) supplevimus *forma*.

[9] Vers. 18.

ficant: ut patet, cum dicitur *patria;* sed necessaria sunt verba significantia [1]: ergo etc.

4. Item, de *transmutatione* videtur: quia, sicut de integritate fidei est numerus personarum, ita ordo processionis [2]: ergo sicut mutatio numeri impedit, ita et ordinis.

5. Item, de *interpositione* videtur: quia baptizare est unus actus continuus: ergo si discontinuatur, necesse est reincipi, aut non erit unus, et ita nec baptismus.

CONCLUSIO.

Quaedam variatio formae impedit Sacramentum, quaedam vero non.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod qualitercumque fiat variatio, dum tamen omnes personae exprimantur, integrum est Sacramentum. — Aliorum positio fuit, quod necesse est, omnimodam identitatem servari; quantulacumque enim variatio in forma facit, non esse Sacramentum.

Opinio duplex.

Sed utraque istarum positionum respuenda est; quaelibet enim *excedit.* Unde dicendum, quod aliqua variatio impedit, aliqua non. Variatio enim *mutationis* impedit, sive fiat ex certa scientia, sive alio modo. *Mutatio,* inquam, *nominis,* ut si dicatur: in nomine genitoris et geniti, quia alius modus est exprimendi Trinitatem per nomina principalia, alius per nomina non principalia [3]. *Mutatio* etiam *numeri* impedit, ut si dicatur: baptizo te in *nominibus,* quia alia est sententia.

Opinio media et conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod idem significant; dicendum, quod attendendus est *modus* significandi, quia data fuit virtus nominibus exprimentibus Trinitatem, et hoc principaliter secundum omnem linguam. — Quod ergo *obiicit,* quod magis conveniunt, quia in eadem lingua; dicendum, quod etsi magis quantum ad modum *loquendi,* non tamen magis quantum ad modum *significandi.* In *nomine* enim est tria considerare: *vocem, notamen* sive expressionem, et *significationem.* Quantum ad *primum* magis conveniunt [4], sed quantum ad *secundum* minus, quantum ad *tertium* aequaliter. Et virtus regenerationis data est ratione *notaminis* sive quantum ad rationem innotescendi, a qua imponitur nomen; et haec est eadem apud omnes [5].

Ad argg. pro prima parte.

Notandum.

Tria in nomine.

2. De *additione* dicendum, quod aut est additio vocis *distrahens intellectum;* et haec impedit, si oppositum addatur, ut si dicatur *Patris geniti;* aut *salvans,* ut *Patris ingeniti,* et tunc non impedit, nisi velit inducere errorem. — Quod obiicitur de comminatione Apocalypsis, intelligitur de additione *distrahente* [6].

3. Ad illud quod quaeritur de *corruptione,* dicendum, quod corruptio aut est tanta, quod nullo modo tenet sensum, et tunc omnino impedit; aut non est tanta, quin bene maneat [7], sicut de puero balbutiente, qui intelligitur tamen; et tunc dicendum, quod non impedit. — Quod ergo obiicit, quod voces non significant; dicendum, quod etsi non significent ex *institutione,* significant tamen ex *accommodatione* usus, ut *olli* pro *illi* [8].

4. Ad illud quod quaeritur de *transmutatione,* dicendum, quod si fiat simpliciter sine erroris dogmatizatione, non impedit. Et ratio huius est, quia ordo intelligitur in ipsis verbis, quod Filius a Patre procedit; et non sic oportet exprimere ordinem, sicut nomina personarum; et ideo patet quod obiicit.

5. Ad illud quod obiicit de *interpositione* sive intermissione, dicendum, quod aut est tanta intermissio, quod discontinuet intentionem et longam faciat moram: utpote si longum facit sermonem, vel vadit ad urinam faciendam [9]; et tunc necesse est, quod reincipiat. Sed si intervenit parva morula oblivione vel sternutatione, non discontinuatur actus, nec oportet reincipere [10].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Baptismus est tinctio, id est ablutio corporis facta sub forma verborum praescripta.* Videtur enim mala esse ista notificatio: quia notificatio debet convenire notificato praecise [11]; sed haec non est talis, quia, cum lava-

[1] Cod. F (bb a secunda manu) addit *et quod fides credit exprimentia.*

[2] Ita cod. E, alii et edd., contextu repugnante, *professionis.*

[3] Cfr. I. Sent. d. 27. p. I. q. 1. — De seq. proposit. vide supra a. 1. q. 2. ad 3. et hic lit. Magistri, c. 4.

[4] Cod. F (bb a secunda manu) supplet *Pater et genitor.* Paulo superius ex codd. F H U aa supplevimus vocem *tria* ante *considerare.*

[5] Cfr. supra pag. 68, nota 1. — August., de Gen. ad lit. (imperfect. lib.) c. 6. n. 26: Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Unde etiam nomen, quod rem notet, appellatum est *quasi notamen.* Notet autem, id est distinguat et doctitanter ad discernendum adiuvet. Vide I. Sent. d. 22. q. 2. in corp. et ibid. pag. 390, nota 6.

[6] Vide I. Sent. in Prolog. Magistri, dub. 2. — Codd. A E M R S V bb *detrahente.* Superius post *nisi velit* codd. H K aa addunt *per hoc.*

[7] Supple: sensus. — Mox supplevimus ex cod. H *qui intelligitur tamen,* pro *intelligitur,* codd. A G K V W bb *intelligitur tamen.* Post *non impedit* edd. addunt *nisi velit inducere errorem.*

[8] Cod. F glossando *usus eius; exemplum Prisciani olli pro illi.* Priscian., I. Grammat. c. 6: *I* transit... in *o:* patris, patronus et patro verbum, olli pro illi, saxi saxosus. — Superius post *quod voces* in cod. E secunda manus bene addidit *corruptae.*

[9] Ita codd. F H P Q bb, in aliis omittitur *faciendam,* codd. G I substituunt *vineam,* codd. R S T *domum.*

[10] Vide scholion ad 1. huius art. quaest.

[11] Cfr. supra pag. 28, nota 6. — Pro *notificato,* quod cum edd. retinuimus, cod. I a secunda manu *ei cuius est.*

tur pannus, est ablutio corporis, et potest fieri sub forma verborum praescripta, et sic esset baptismus; quod falsum est.

Respondeo: Dicendum, quod *ablutio* antonomastice [1] determinatur ad standum pro ablutione aquae; similiter *corpus* ad standum pro corpore humano, ut sit sensus, quod baptismus est ablutio corporis humani in aqua facta [2] etc.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ablutio facta in elemento fit Sacramentum.* Ex hoc enim videtur, quod ablutio *passive* dicta sit Sacramentum; *contra:* Sacramentum est signum gratiae, quia « est invisibilis gratiae visibilis forma [3] »; sed gratia non est lota, sed lavans: ergo signum non est lotio *passiva,* sed *activa.*

Respondeo: Dicendum, quod in baptismo concurrit *lotio* tribus modis dicta. Nam ille qui mergit, dicitur *lavare* et ideo baptizare; similiter et aqua dicitur *lavare,* et corpus *lavari:* et sic est lotio *hominis* lavantis et *aquae* lavantis et *corporis* loti. — Quia ergo ad baptismum haec triplex lotio necessario concurrit, per illam potissimum describitur, quae alias claudit et praesupponit; et haec est lotio *corporis passiva,* quae immediatius respicit baptizatum [4] et praesupponit duplicem lotionem praedictam, quia facta et ab homine et ab aqua. — Quod obiicitur, quod non est signum gratiae; dicendum, quod haec lotio *passiva* signum est effectus gratiae; nec habet perfectam significationem, nisi prout coniungitur lotioni aquae et ministri; tunc enim signum est, quod anima purificatur a Deo per gratiam [5].

Lotio 3 modis sumitur.

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In duobus consistit Sacramentum baptismi.* Videtur enim falsum dicere, quia, ut dicit Ambrosius [6], « omne Sacramentum est simplex »: ergo non consistit in duobus, quia tunc esset compositum.

Respondeo: Aliqui faciunt vim in hoc, quod dicitur *Sacramentum,* quia non vocat Sacramentum signum exterius, sed effectum gratiae interiorem, qui est gratia simplex [7]. Aliqui vim faciunt in *simplicitate,* quia non dicitur *simplex,* quia non habet partes, sed quia non dividitur in plura Sacramenta. — Sed neutrum istorum est magnum quid dicere; ideo credo, quod vocat Sacramentum *simplex,* quia eius denominatio fit in instanti. Nam si Sacramentum remaneat imperfectum, nihil est factum, nec etiam debet dici *inceptum,* sed totum est reincipiendum. Et hoc patet ex verbis eius infra [8]: « Ubi non est plenum Sacramentum baptismi, nec principium nec species aliqua baptismi aestimatur »; et ideo dicit esse *simplex.*

Solutiones 2 aliorum.

Solutio auctoris.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In nomine sanctae Trinitatis et in nomine Christi... unum et idem est.*

Notandum, quod non vult dicere, quod verba eandem virtutem habeant, nec quod omnino idem sonent, sed quod modus baptizandi in Ecclesia primitiva conformis fuit modo, quem nunc tenet Ecclesia. Nam in *Christo* intellectus clauditur Trinitatis, tamen implicite et remote. — Vel, *idem* est, quia eiusdem virtutis et efficaciae; sed hoc intelligendum est pro tempore illo, in quo nondum erat nomen Christi promulgatum [9].

Aliter.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ubi non est plenum baptismi Sacramentum, nec principium* etc.

Notandum, quod illud est dictum propter characteris impressionem; quousque enim character imprimatur, nihil de Sacramento factum est stabile [10]. Et quoniam character imprimitur in instanti, quando factum est *aliquid, totum* perfectum est. Si ergo non est perfectum, nihil omnino factum est, non quantum ad operationem *exteriorem,* ubi est successio, sed *interiorem,* ubi est subita impressio.

---

[1] Vide tom. III. pag. 220, nota 3. — Edd. cum aliquot codd. falso *auctoritate.*

[2] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 1, ubi etiam de dubio seq.

[3] Ut dicitur supra in lit. Magistri, d. I. c. 2. — Pro *contra,* quod exhibent codd. B I aa, codd. F H *et hoc videtur inconveniens, quia,* cod. U (K a secunda manu) *sed hoc non videtur, quia,* alii codd. *sed,* edd. *quod.*

[4] Ita permulti codd., edd. *baptismum.* Mox pro *quia facta* cod. H *quae facta est.*

[5] Cfr. supra a. 1. q. 1.

[6] Scholastici diversis in locis v. g. in tractatu de eucharistia, de poenitentia, hanc afferunt sententiam; sed iam S. Thom., IV. Sent. d. 16. q. 1. a. 1. ad 1, dicit: « Dubitatur de illa auctoritate, utrum sit Ambrosii ». Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 2. a. 1. § 1. allegat *Dionysium,* qui (de Eccles. Hierarch. c. 3. p. 3. § 3.) de eucharistia notat, quod singulare habeat ac *simplex* compactumque principium.

[7] Ita docet Alex. Hal., loc. in nota 6. cit. — Superius pro qui multi codd. *quia.* Subinde pro *quia non habet* codd. F H *eo quod non habeat.*

[8] Hic in lit. Magistri, c. 4. Cfr. infra dub. 5.

[9] Cfr. supra a. 2. q. 2. ad 3.

[10] Vide infra d. 6. p. I. q. 4; cfr. etiam hic dub. 3.

Dub. VI.

Item quaeritur super hoc quod dicit Ambrosius, quod sufficit aliquam personarum exprimere.

Nota, illud esse intelligendum, non quia ibi sit plena forma — si enim crederet et negligens esset, quod credit exprimere, non sufficeret — et ideo solum *in casu* est credendum, ipsum locutum esse, scilicet si plena sit fides in corde, nec desit aliquid in sermone ex negligentia, sed solum impotentia; tunc supplet divina misericordia et sapientia [1].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM III.

Pars II.

De institutione baptismi.

De institutione baptismi, quando incepit.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 62.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de baptismo quantum ad ea quae spectant ad integritatem Sacramenti. Hic agit de institutione. Et habet haec pars tres partes. In prima agit de modo et tempore institutionis. In secunda de administratione iam instituti, ibi: *De immersione vero si quaeritur.* In tertia vero de causa et ratione, ad quam eius institutio ordinatur, ibi: *Causa vero institutionis baptismi est innovatio.* Quaelibet harum partium duas habet. Nam in illa, in qua determinat de institutione, primo determinat tempus institutionis. Secundo materiam, in qua, ibi: *Celebratur autem hoc Sacramentum* etc.

Similiter pars de usu iam instituti duas habet. In prima determinat, quomodo hoc Sacramentum est administrandum. In secunda vero ostendit, quod in huius Sacramenti institutione et usu evacuata est circumcisio, ibi: *Solet etiam quaeri, si circumcisio amisit* etc.

Similiter tertia pars de causa institutionis duas habet. In prima determinat causam per se ipsius institutionis sive illud, ad quod baptismus ordinatur per se. In secunda vero illud, ad quod ordinatur per accidens; et hoc, ibi: *Si quaeritur, utrum baptismus aperuerit ianuam* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de baptismi institutione.

Secundo de instituti administratione.

Tertio de circumcisionis cessatione sive evacuatione.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, in quo elemento sit Sacramentum baptismi institutum.

Secundo, utrum in institutione sit virtus collata aquis, sicut dicit Magister [2].

ARTICULUS I.

De baptismi institutione.

QUAESTIO I.

Utrum Sacramentum baptismi debuerit institui in aqua.

Primo ergo quaeritur, utrum Sacramentum baptismi debuerit institui in aqua. Et quod sic, ipsum factum Domini ostendit [3].

Sed quod non, videtur *ratione:* 1. Quia baptismus est signum sepulturae Christi, sicut dicitur ad Romanos sexto [4]: *Consepulti enim estis* etc.: ergo **Ad oppositum.**

---

[1] Cfr. supra a. 2. q. 2. in corp. et ad 1. — Pro *et ideo* codd. F H *et illud;* deinde pro *tunc* edd. *quia tunc.*

[2] Hic c. 5.

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[4] Vers. 4.

si sepultura Christi fuit in terra, non in aqua, videtur, quod similiter debuerit baptismus institui in terra.

2. Item, Sacramenta veteris legis fuerunt signa Sacramentorum novae legis, et in illis praefigurata sunt ista; sed Sacramenta veteris legis fiebant vel in eis quae habebant ortum a terra, ut sacrificia et decimationes, vel in aliquo terreo, ut circumcisio, quae fiebat cultello petrino [1]: ergo si fuerunt convenientia signa horum, ergo Sacramenta novae legis, maxime baptismus, debuerunt institui in terra, non in aqua.

3. Item, *si dicas,* quod debet fieri in aqua propter expressam significationem gratiae; sed *contra:* liquor olei expressius significat gratiam [2], quam aqua: ergo magis debuit institui in oleo quam in aqua.

4. Item, dicitur Apocalypsis primo [3]: *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo:* ergo si in baptismo est lavatio a peccatis, et significat illam ablutionem factam per sanguinem Christi, ergo magis debuit institui in sanguine.

Item, quaeritur: quando Dominus instituit Sacramentum baptismi? *Quaestio incidens.*

CONCLUSIO.

Baptismus convenienter in aqua institutus est.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum baptismi est maxime *efficax* et maxime *necessarium* inter alia Sacramenta: *efficax,* quia in eo imprimitur *character,* qui disponit animam ad susceptionem luminis gratiae [4], ut transparentia vitrum ad susceptionem luminis corporalis; datur etiam *gratia* mundificans animam; datur etiam illi gratiae *actus remittendi ardorem concupiscentiae.* Sed quia haec oportuit dari in eo signo, quod sua proprietate multiplici haec omnia designaret; tale autem est aqua, quia transparet et est pervia lumini, et ideo *characterem* significat; et iterum abluit et mundat inter omnes liquores, et ideo significat *gratiam* mundantem; item infrigidat, ideo significat *remissionem ardoris concupiscentiae* [5]: conveniebat ergo maxime aqua baptismatis Sacramento ob *efficaciam.* *Ratio 1. Triplex efficacia. Conclusio.*

Similiter etiam propter *necessitatem.* Quia enim Sacramentum est, a quo nemo absolvitur, et in quo omnes communicant; necesse fuit institui in liquore, qui est communis apud omnes, et in quo abundant pauperes et divites; talis autem liquor est aqua: ideo etc. *Ratio 2.*

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod signat sepulturam; dicendum, quod non tantum signat Domini sepulturam, immo etiam gratiam, quam donat; et quia in immersione in aquam utrumque signatur, in terra autem non signatur gratia mundans, cum sit faex elementorum: ideo etc. *Solutio oppositorum.*

2. Ad illud quod obiicitur de lege veteri, dicendum, quod, sicut dicit Apostolus [6], omnes qui fuerunt *in Lege,* fuerunt *sub maledicto* usque ad adventum Christi, qui *factus est pro nobis maledictum,* ut a maledictione nos liberaret; et quia *terra* fuit maledicta homini, non *aqua,* Genesis tertio; in huius signum Sacramenta illa erant ex his quae sunt ex terra; non sic autem Sacramenta nova, quia ista est lex *benedictionis. Praeterea,* lex vetus et maxime Moysi fuit *onerosa* ad confringendum duros, et ideo in duris, ut in cultello petrino et in effusione sanguinis, remedium habebant; sed lex nova est *suavitatis et amoris:* ideo datus in aqua, quae cedit facile [7]. *Alia ratio.*

3. 4. Ad illud quod obiicitur de oleo et sanguine, patet responsio: quia nec conveniunt *significationi efficaciae,* cum non mundent, nec *necessitati,* cum non omnes eis abundent.

Ad illud quod quaeritur ultimo: quando est institutum? ex Scriptura potest videri, quae de hoc in multis locis loquitur. Propter quod notandum, quod Dominus baptismi Sacramentum primo *insinuavit* instituendum, secundo *instituit,* tertio *confirmavit* institutum. Insinuavit quidem *facto* et *verbo: facto,* cum baptizatus esset a Ioanne in aqua [8], ostendit, ceteros credentes in aqua fore baptizandos. Insinuavit *verbo,* cum praedixit Nicodemo, Ioannis tertio [9]: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* etc. — *Instituit* autem, cum ipse baptizare coepit per discipulos, Ioannis tertio: *Post haec venit Iesus in terram Iudaeam et baptizabat;* et tunc instituit *facto* et *verbo:* quia dicitur ibidem: *baptizabat,* *Ad quaest. incidentem. Notandum. Insinuatio duplex. Institutio duplex.*

---

[1] Vide supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3. et dub. 6.

[2] Arnobius Iunior (claruit circa an. 460), in Ps. 17. ait: Sicut lucerna corporis oculus, ita lucerna animae mens est, in qua nisi oleum gratiae suae Christus infuderit, penitus lumen habere non poterit. Cfr. Isidor., in Exod. c. 44.

[3] Vers. 5.

[4] Cfr. infra d. 6. p. I. q. 2. — Inferius post primum *datur etiam* cod. F addit *in ipso.* Subinde pro *quia haec* cod. I *quia omnia haec,* cod. X *quia haec omnia facit.*

[5] De prima et tertia aquae proprietate vide Aristot., II. de Anima, text. 68. (c. 7.); de Sens. et sens. c. 2. seqq.; II. de Generat. et corrupt. text. 16. seqq. (c. 3. seq.). De secunda cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 14, et hic lit. Magistri, c. 6, ubi etiam de ratione *necessitatis* paulo inferius posita agitur. Cfr. etiam Tertull., de Baptismo, c. 3. — Pro *et iterum* codd. G I *et quoniam,* cod. F vero legit *item aqua est mundans, et propter hoc significat gratiam* etc.

[6] Gal. 3, 10. et 13: Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt... Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum. — Seq. textus est Gen. 3, 17: Maledicta terra in opere tuo etc. — Codd. A H aa *sub Lege* pro *in Lege.*

[7] Cf. supra d. 1. p. II. a. 2. q. 1. ad 1. et dub. 6, nec non III. Sent. d. 40. q. 1. et 3. — Aristot., IV. Meteor. text. 45. (c. 9.): Aqua cedit quidem, sed non secundum partem, sed contra secedit.

[8] Matth. 3, 13. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 4. n. 13. seq. — Cod. F voci *cum* bene praemittit *quia.*

[9] Vers. 5. — Seq. textus est Ioan. 3, 22. Cfr. ibid. 4, 1. seq.: Iesus... baptizat... Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

etsi non ipse in propria persona, tamen discipuli in sua praesentia, secundum quod ipse volebat; et rursus, discipulos misit ad praedicandum et baptizandum *binos,* Lucae decimo, sicut dicit Magister in littera [1]. — *Confirmavit* autem baptismum *facto* et *verbo: facto,* cum de latere eius non tantum profluxit sanguis, verum etiam aqua in ipsa passionis consummatione [2]. *Verbo* autem confirmavit, quando post resurrectionem discipulos ad baptizandum omnes et *singulos* misit, Matthaei ultimo. — Et sic patet, quomodo diversimode loquitur Scriptura.

Confirmatio duplex.

SCHOLION.

I. Rationes probantes, aquam congruentem baptismi materiam esse, receptae sunt etiam a S. Thoma et optime paucis comprehenduntur in Breviloq. p. VI. c. 7. — Circa quaestionem incidentem, *quando* Christus baptisma instituit, olim putavit Alex. Hal. (S. p. IV. q. 8. m. 2. a. 3.), quem sequitur B. Albert. (hic a. 8.), *formalem* institutionem baptismi non esse factam ante, sed post resurrectionem Christi, quando Christus formam et praeceptum baptismi promulgavit (Matth. 28, 19.); *potentialem* vero sive materialem institutionem tunc, quando Christus baptizatus fuit a Ioanne. Sed communiter cum Ss. Bonav., Thoma nec non Scoto tenetur, hoc Sacramentum institutum esse iam ante passionem Christi, sed non ante ipsius baptismum. S. Thom. (S. III. q. 66. a. 2.) vult, in baptismo illo Christi hoc Sacramentum « *vere* institutum » fuisse; sed idem in Comment. (hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 2.) dicit, tunc institutum fuisse quoad *materiam,* formamque aliquo modo fuisse praefiguratam. S. Bonav. et Scot. (hic q. 4. n. 2.) verisimilius esse putant, tunc *proprie* fuisse institutum, cum Christus discipulos miserit ad baptizandum. Ita etiam sentiunt Petr. a Tar. (hic q. 4. a. 1.) et Richard. a Med. (hic a. 5. q. 1.).

De ipsa 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 2. § 1. — Scot., loc. cit. n. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

II. De seq. (2.) quaestione cfr. supra d. 1. p. I. q. 3. 4. et scholion; insuper Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum ex institutione baptismi aliqua vis sit collata aquis.

Secundo quaeritur, utrum ex institutione baptismi in aqua collata sit aliqua vis aquis. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Lucae tertio [3]: *Baptizato Iesu;* Glossa: « Dominus baptizatus est, non mundari indigens, sed tactu mundae carnis suae aquas mundans, ut vim abluendi habeant » : ergo si vis abluendi est aliqua vis, patet, quod aquis collata est aliqua vis.

2. Item, habetur de Consecratione, distinctione quarta [4]: « Nunquam aquae baptismi purgare credentium peccata potuissent, nisi contactu dominici corporis sanctificata fuissent ».

3. Item, *ratione* videtur, quia omnis operatio egreditur a substantia mediante aliqua virtute [5]: ergo cum aqua tangendo corpus abluat animam, hoc est ab aqua virtute aliqua mediante; sed non naturali: ergo data est aquis aliqua virtus in baptismi institutione.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Si data est aliqua virtus aquae, quaero, quomodo data; et dicit Glossa [6], quod « contactu carnis Domini »: si ergo per contactum carnis dominicae, ergo habent ipsam, omni alio circumscripto: ergo si quis immergeretur in aquam sine omni verbo, aqua regenerabit eum; quod falsum est. *Si tu dicas,* quod simul est in aqua et verbo; *obiicitur tunc,* quia haec differunt substantia et natura, ergo operatione et virtute [7]: ergo non potest una virtus esse in utroque.

2. Item, si munda caro Christi contulit illam vim; sed frequenter tetigit aquas, ut quando puer lavabatur, et quando lavabat manus; et ubi eadem causa, ibi idem effectus [8]: ergo ante contulit, quam baptizaretur.

3. Item, si contactu carnis: ergo solum illae aquae virtutem habent, quas Christi caro tetigit, non ergo omnis aqua. *Si dicas,* quod virtus illa derivata est in alias aquas; ergo cum derivatio a corpore in corpus non fiat nisi per continuum [9], nullo modo poterit pervenire ad aquas illis aquis discontinuas: ergo idem inconveniens.

---

[1] Hic c. 1. — Locus Scripturae est Luc. 10, 1.

[2] Ioan. 19, 34. — Seq. loc. est Matth. 28, 19.

[3] Vers. 21. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta est ex Beda in hunc loc. Cfr. supra pag. 21, nota 3.

[4] Can. 10. Verba (olim tributa Chrysostomo) sunt Chromatii, episc. Aquilei. († 407 aut 408), tr. 1. in Matth. 3. n. 1.

[5] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 3. et p. II. a. 1. q. 3. nec non d. 8. p. II. q. 2. Aristot., de Sens. et sens. c. 4. docet, nullam rem agere posse, nisi mediantibus accidentibus.

[6] In 1. arg. allegata. Cfr. Gregor. Naz., Orat. 38. n. 23. et Orat. 39. n. 27; Hilar., in Matth. 3, 13. (c. 2. n. 5.); Ambros., in Luc. 3, 21. — Multi codd. *dicunt Glossae.* Inferius pro *immergeretur,* quod habent codd. M O, alii cum edd. *immergeret,* cui cod. X addit *aliquem.*

[7] Cfr. supra pag. 42, nota 10.

[8] Colligi potest ex verbis Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 86. (c. 13.): Easdem enim eorundem necessarium est esse causas eisdem (Versio Arabico-Latina: Causae enim eaedem et consimiles sunt causatorum consimilium). — In *maiori* post *illam vim* cod. Z supplet *haec fecisset, quandocumque tetigit aquas.*

[9] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 43. seqq. (c. 6. seq.), et V. Phys. text. 21. seqq. (c. 3.).

4. Item, si virtus aliqua collata est, quaero, quid sit: quia, si bonum, aut de bonis *minimis*, aut *maximis*, aut *mediis*. Si de *minimis*, illud est inferius anima: ergo non agit in ipsam. Si de *mediis*: ergo par est animae nec adhuc influit. Si de *maximis*: ergo est data aquis virtus aliqua gratuita [1].

CONCLUSIO.

Probabilis et intelligibilior est opinio, quod aquae baptismali non aliqua proprietas absoluta addita sit, sed tantum ordinatio ad hominem regenerandum.

Respondeo: Dicunt aliqui, quod Dominus contactu mundissimae carnis suae vim contulit aquis, quam non habebant; et vis ista fuit aliqua proprietas *absoluta;* et haec proprietas fuit aquae *melioratio et reductio* ad statum primum [2], in quo erat ante hominis lapsum, quia post lapsum omnia elementa sunt deteriorata, ut habitatio congrueret habitatori deteriorato. Sed quia homo per aquae Sacramentum meliorari debebat et resurgere; ideo aqua meliorata et ad primum statum reducta est; et hanc vocant illam vim. — Sed ista positio non potest stare: primo, quia haec vis dicitur vis ad regenerandum; sed hanc non habebat aqua in statu innocentiae, quia non erat opus regeneratione; unde illa melioratio nihil facit ad rem. *Praeterea,* si aqua est meliorata, et non alia elementa: ergo videtur, quod ordinatio elementorum sit dissipata, cum necesse sit, quod habeant debitam proportionem.

Opinio 1. Improbatur.

Et propterea dicunt alii, quod collatio vis regenerativae non est aquae melioratio vel purificatio, sed alicuius *virtutis supernaturalis collatio,* quae non est data aquae secundum *esse* perfectum, quoadusque veniat verbum; sicut vis immutandi visum non est in colore perfecta, nisi superveniente lumine; et haec supra naturam data est et supra naturam ibi existit, ut effectum habeat supra naturam per voluntatem divinam.

Opinio 2.

Sed quoniam illud difficile est intelligere, quomodo aliquid absolutum, sive secundum naturam, sive supra naturam, sit modo in aqua, quod non erat prius; et quomodo datum sit contactu carnis etiam aquis remotis: propterea dicendum, sicut tactum fuit supra [3], quod vis illa non est aliqua proprietas vel essentia *absoluta,* addita aquae, sed solum *ordinatio* eius ad hoc, quod homo regeneretur. — Prius enim omnes liquores erant indifferentes, et poterat, quantum est de se, in aliquo alio liquore baptizari ut in aqua; sed cum Dominus voluit mergi et baptizatus est in aqua, iam sola *aqua* habuit *ordinationem ad hoc:* et ideo solum in ea potuit fieri baptismus. Sed quia non instituit, baptismum fieri tantum per immersionem, immo etiam per verborum prolationem et talium verborum; similiter et *verba* ad hoc ordinavit. Unde et aqua, in quam mersus est, et verba, quae protulit, ulterius [4] habent vim, nec unum sine altero, quia utrumque insimul ad regenerationem obtinendam ordinavit.

Difficultas. Conclusio. Explicatur.

Et sic patent obiecta ad utramque partem, quia prima procedunt de vi, ut est *ordinatio* ad regenerationem; secunda autem de vi, quae est *qualitas absoluta.* Haec autem vis non est per *transfusionem,* sed per *institutionem.* Unde sicut Dominus non tantum verba, quae protulit, ordinavit et instituit ad regenerandum, sed etiam omnia consimilia; sic non tantum aquam, quam tetigit, sed omnem aquam specie consimilem — «est autem omnis aqua omni aquae specie consimilis [5]» — et ideo omni aquae contulit. — Et est simile: si rex ordinaret, quod litterae suae tantum haberent virtutem et efficaciam, quae scriberentur in pellibus caprinis et quae essent scriptae aliquibus determinatis verbis; et hoc quidem faceret manu sua, scribendo in illo genere pellis: diceretur, quod rex illa manu sua efficaciam dedit illi pergameno et omni pergameno eiusdem speciei, etiam quod futurum est usque ad multa tempora; et hoc per solam institutionem et ordinationem, non per alicuius [6] collationem. Sic intelligendum in proposito: quoniam Dominus tactu carnis mundae dedit vim aquis, non quia munditia transiret a carne in aquam, sed quia, cum Dominus esset mundus, voluit ob nihil aliud in aquam mergi, nisi ut illa immersione aqua haberet istam ordinationem. Unde si aqua crearetur de novo consimilis isti in specie, credo, quod eandem haberet ordinationem et eandem diceretur habere virtutem.

Ad argg. Explicatur. Simile.

Et *si tu obiicias mihi:* omnis *relatio* fundatur super aliquid absolutum, eo quod advenit [7]: ergo si haec ordinatio, quae est *relatio,* advenit, oportuit, aliquid *absolutum* dari; dicendum, quod illud non habet veritatem in relationibus *voluntariis,* quia nummus, ut dicit Augustinus [8], sine sui mutatione fit pignus, et similiter haec vox *buba* sine sui mutatione posset fieri significativa. Similiter et in proposito intelligendum. — Et licet utraque harum

Obiectio solvitur.

---

[1] Vide supra d. 1. p. I. q. 4. lateral. q. 2. arg. 2.

[2] Cod. K *pristinum.*

[3] Dist. 1. p. I. q. 4. in fine.

[4] Cod. X *interius.*

[5] Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.). Vide Tertull., de Baptismo, c. 4.

[6] Edd. supplent *virtutis alterius.* Superius post *quod rex* cod. bb *illam* pro *illa.* Aliquanto inferius permulti codd. *noluit* pro *voluit.*

[7] Ab Aristot., V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.), assignatur triplex fundamentum sive causa relationis, scil. unitas et numerus (convenientia et disconvenientia), actio et passio, mensura et mensurabile. — Vat. perperam *eo quod aliquid absolutum de novo advenit.*

[8] Vide supra pag. 24, nota 5. — Petr. Hispan., Summul. tr. 1, agens de vocibus, ait: Vox non significativa est, quae auditui nihil repraesentat, ut bu ba baf. — Codd. F H (bb a secunda manu) voci *voluntariis* praemittunt *omnino.* Inferius pro *posset fieri* edd. *potest fieri.*

Iudicium de utraque opinione. opinionum sit catholica et probabilis, haec tamen est magis intelligibilis et consona Sanctorum auctoritatibus. Dicuntur enim aquae *mundatae* et *sanctificatae* et *virtuosae effectae* [1], quia ad sanctificationem animae et munditiam efficaciter sunt *ordinatae*, non faciendam ab ipsis, sed suscipiendam et dandam in ipsis a Deo ipsi homini baptizando; et sic exponenda sunt consimilia. Nec est intelligendum, quod aliqua actio sit ab aquis in animam. Sicut enim aquae non habent proprie *virtutem*, ita nec *operationem;* sed earum virtus et actio est efficax ordinatio vel secundum *actum*, vel secundum *habitum*. Et sic non habent calumniam quae circa haec dicuntur [2].

ARTICULUS II.

De baptismi instituti administratione.

Quantum ad secundum articulum quaeritur secundo de baptismi instituti administratione, quae fit in parvuli immersione; et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, quoties oporteat mergi.

Secundo, quantum.

QUAESTIO I.

Quoties baptizandus debeat immergi.

Et quod *semel* tantum sit immergendum, videtur:

1. De Consecratione, distinctione quarta [3], ex Ad oppositum. Concilio Toletano: « Propter vitandi schismatis scandalum, vel haeretici dogmatis usum, simplam teneamus baptismatis immersionem »: ergo videtur, quod haereticum sit ter mergere.

2. Item, *ratione* videtur, quia haec est vera per *essentiam:* baptismus est ablutio vel tinctio in aqua [4]: ergo si fit triplex tinctio, triplex erit baptismus: ergo si nullo modo licet, baptismum iterari, nullo modo licet ter mergi.

3. Item, ista duo sufficiunt, verbum scilicet et elementum [5]; et si mergatur semel, et si proferatur semel, est plenum Sacramentum: ergo si amplius mergitur, superfluit: ergo non debet nisi semel mergi.

Item, quaeritur, quare magis ter quam bis. *Si* Quaestio incidens. *dicas,* quod binarius est numerus *infamis*, quia *recedit* ab unitate [6]; eadem ratione *laudabilis,* quia *accedit* maxime.

Sed contra: 1. Hieronymus super Epistolam ad Fundamenta. Ephesios [7]: « In Patrem et Filium et Spiritum sanctum baptizamur et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat Sacramentum ».

2. Item, Pelagius Gaudentio episcopo, de Consecratione, distinctione quarta [8]: « Evangelicum praeceptum nos admonet, in nomine Trinitatis trina etiam immersione sanctum baptisma cuique tribuere ».

3. Item, de Consecratione, distinctione quarta [9], ex canonibus Apostolorum: « Si quis presbyter aut episcopus non trinam immersionem unius mysterii celebret, sed semel tantum mergat in baptismate, quod dari a quibusdam in morte Domini perhibetur, deponatur »: ergo necessaria est trina immersio.

CONCLUSIO.

Unitas et trinitas immersionum non sunt de necessitate baptismi, sed de congruitate; magis tamen congruit trinitas secundum morem Ecclesiae Romanae.

Respondeo: Dicendum, quod unitas vel multitudo immersionum non est de *substantia* baptismi, Conclusio 1.

[1] Codd. F I *effective*. Circa finem quaest. post *in animam* edd. sic prosequuntur: *aquae enim illae non habent proprie virtutem illam, nec operationem* etc.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Can. *Propter vitandum schismatis* (c. 85.). Cfr. Isidor. Mercator., Collectio Decretal. Concil. Tolet. IV. n. 5.

[4] Vide supra p. I. huius dist. a. 1. q. 1.

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Pro *mergatur* plures codd. *immergatur*.

[6] Vide tom. II. pag. 334, nota 2. Pro *infamis* non pauci codd. et ed. 1 *informis*, Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 3. a. 4. § 3. *infaustus*. Hieronym., I. contra Iovin. n. 16. docet, « non esse bonum *duplicem* numerum, quia ab unione dividat et praefiguret foedera nuptiarum. Unde in arca Noe omnia animalia, quaecumque bina ingrediuntur, immunda sunt. Impar numerus est mundus ». Cfr. Epist. 48. (alias 50.) n. 19, ubi praedicta defendit et affert auctores, qui de hac re scripserunt.

[7] Cap. 4, 6. Edd. *In Patre et Filio et Spiritu sancto*, sed contra textum originalem et contra C. *Eodem modo* (81.), de Consecrat. d. 4, ubi tamen in nota adiecta lectio edd. recensetur. Codd. et edd. falso *Hieron. super Epistolam ad Philippenses*.

[8] Can. *Multi sunt* (82.), qui in nomine solummodo Christi una etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum vero praeceptum, ipso Deo et domino salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet... baptisma unicuique tribuere etc.

[9] Can. *Si quis presbyter* (79.), ubi textus originalis *iubetur* pro *perhibetur*, et in nota adiecta dicitur, quod textus Graecus exhibeat *quae in mortem Domini datur*. Codd. *immergat* pro *mergat*.

sed solum de *bene esse*, quia, quotiescumque immergat, dum tamen debito modo et sine dilatione magna verba [1] proferat, baptismus est et Sacramentum integrum. Etsi non sit ei de *necessitate*, est tamen de *congruitate* propter significationem, cui congruit unitas et trinitas — ut patet in fide *Trinitatis*, quia unitas est in essentia, sed trinitas in personis; similiter in *morte Christi*, quia una est in essentia, sed tribus diebus fuit *in corde terrae* [2]; similiter *gratiae*, quia una est in se, sed triplex in virtutibus unitas et trinitas convenit — sed tamen Conclusio 2. magis trinitas propter expressionem maiorem; et ideo utrumque morem servat Ecclesia. Sed Romana Ecclesia tanquam praecellens trinam servat immersionem, tum propter significationem *Trinitatis*, tum etiam *triduanae sepulturae*, tum etiam *triplicis concupiscentiae* [3], a qua anima liberatur, tum etiam propter *triplicem virtutem*, qua imago in anima reformatur.

Si quaeritur, quoties sit immergendum; responConclusio 3. deo: secundum morem Ecclesiae; qui autem propria auctoritate mutat, peccat. Et ideo dicitur [4], quod deponendus est episcopus, non quia non baptizaret, sed quia propria auctoritate nova introduceret. — Rationes igitur probantes, quod ter mergendum sit, intelligendae sunt secundum morem Ecclesiae Romanae.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur ad oppositum primo, dicendum, quod loquitur secundum morem illius Ecclesiae, in qua tantum solebat semel mergi; sed haeretici inceperunt immutare [5]: ideo statuerunt tenere, ne viderentur haeresi consentire.

2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod baptismus est tinctio; dicendum, quod non est *per essentiam*, nisi addatur forma praescripta; si tamen Notandum. tinctio fiat cum invocatione Trinitatis, baptisma est. Et si in una protulit omnia verba, non debet amplius mergere, quia baptisma consummatum est. Sed quando fit trina immersio, in prima debet nominari *Pater*, in secunda *Filius*, in tertia *Spiritus sanctus*; et [6] tunc nulla superfluit, quia non est completum Sacramentum, quousque terminatum sit verbum; incipitur enim immersio cum verbo et cum illo terminatur. — Sequens patet; similiter, quare magis ter quam bis, et cetera obiecta.

SCHOLION.

I. Circa duas huius articuli quaestiones observandum est, quod consuetudo baptizandi per *ablutionem* vix ante saec. XIII. in Ecclesia Romana latius diffusa est. Magister Sententiarum solius *immersionis* meminit, et B. Albert. (hic a. 5. quaestiunc. 3.) de nunc recepta consuetudine ad mentem S. Bonaventurae ait: «Non mihi videtur esse laudabilis, sed immergendi consuetudo laudabilior est». Adhuc Durandus docet, congruentius baptismum fieri per trinam immersionem. Omnes autem censent, unumquemque debere consuetudinem suae Ecclesiae in ritu baptizandi observare. — Ritum *ablutionis* nunc in Ecclesia Latina communem esse, notissimum est.

De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 4. — Scot., IV. Sent. d. 6. q. 1. n. 2. et passim. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. III. q. 66. a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4 q. 3. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 4.

QUAESTIO II.

Quantum baptizandus debeat immergi.

Secundo quaeritur, quantum oporteat parvulum Argg. pro prima parte. immergi ad hoc, quod sit baptismus. Et quod totum corpus, videtur:

1. Quia signum est passionis et mortis [7]: ergo si Christus totus passus est et mortuus, totus homo necessario immergitur.

2. Item, baptismus est remedium contra concupiscentiam; sed concupiscentia est in toto corpore, quia tota caro est infecta [8]: ergo etc.

3. Item, si sufficeret, aliquam partem mergi, cum pars, per quam transfusum est originale, et in qua viget concupiscentia, sint membra genitalia; magis sufficeret, illam partem immergi quam aliam [9]; sed nullus dicit, quod sufficiat: ergo debet immergi totum.

Pro secunda parte. Contra: 1. Apostoli baptizaverunt tria millia hominum una die [10]; et constat, quod non mergendo, quia non haberent aquam, ergo aspergendo; sed aspergi non potest totus homo: ergo etc.

---

[1] Codd. omittunt *verba*, et cod. H prosequitur *perfectus baptismus est*. Post *debito modo* in cod. Y additur *facta*. Cfr. tamen infra ad 2-4, et Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 4. § 3.

[2] Matth. 12, 40: Sicut enim fuit Ionas... sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7, et Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 2. p. III. § 7.

[3] De qua vide I. Ioan. 2, 16. — Vat. *tum etiam propter triplicis concupiscentiae minutionem*. Inferius pro *qua imago* cod. H *quae per Christum*, ed. 1 cum aliquot codd. *qua Christus*.

[4] In Canone praeallegato. — Paulo inferius pro *nova* codd. D F H *novam consuetudinem*.

[5] Codd. A G H K V aa *mutare*, cod. bb *hoc mutare*. Subinde pro *tenere*, quod codd. E W omittunt, plures codd., contextu repugnante, *ter*, edd. bene *semel*, cod. F legit: *ideo statuit Ecclesia ter, ne viderentur sibi consentire*.

[6] Edd. *quia*. Inferius post *terminatum* edd. subiungunt *non*.

[7] Scil. Christi. Cfr. quaest. praeced. — Superius pro *baptismus* edd. cum aliquot codd. *baptizatus*.

[8] Cfr. Rom. 7, 23. seq.; Gal. 5, 17. seqq.; II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1. et d. 32. a. 2. q. 1.

[9] Vide II. Sent. d. 31. a. 1. q. 3.

[10] Act. 2, 41. — Inferius post *non potest* codd. F G I addunt *omnino*.

2. Item, scribitur in passione beati Laurentii[1], quod Romanus attulit urceum cum aqua; et tunc non fuit immersus, hoc patet: ergo etc.

3. Item, esto quod puer semivivus esset et in periculo mortis, adhuc est de foro nostro: ergo debet baptizari; sed non totus propter periculum[2]: ergo etc.

4. Item, esto quod sit ita parum de aqua, quod non possit mergi nisi una pars; quaeritur, utrum possit baptizari. Quod sic, videtur, quia est ibi verbum et elementum, et elementum habet virtutem regenerativam ut similitudinem[3], ergo et efficaciam: ergo non est necesse, totum immergi.

CONCLUSIO.

Baptismus potest ministrari aspergendo, convenientius autem fit immergendo.

Respondeo: Dicendum, quod praesumitur, quod Apostoli baptizaverunt *aspergendo*, et mos ille servatur adhuc in pluribus Ecclesiis et maxime in Ecclesia Gallicana. (De more in Gallia.) Servari autem *potest* propter hoc, quod est ibi integra ratio Sacramenti; et servari *debet*, cum necessitas imminet, aut propter *infirmitatem baptizantis*, quia manus sunt debiles, vel quia rudis est, et timetur, ne laedat puerum; vel propter *infirmitatem* vel impotentiam *baptizati*, utpote si non esset totus natus; vel propter *penuriam elementi*, ut si sit modicum de aqua. — (De more communi.) Mos tamen communis Ecclesiae est baptizare *immergendo*, secundum quod tangit Magister in littera[4], et Sancti dicunt. — (Modus immergendi.) Et modus est iste: sacerdos enim debet puerum tenere per latera, et versa facie ad aquam debet mergere, ita quod habeat caput primo versus orientem, secundo versus aquilonem, tertio versus meridiem. Haec tamen ad solemnitatem spectant. — (Conclusio.) Potest igitur utroque modo baptizari, tamen convenientius et aptius et securius est baptizare immergendo. Et si est satis de aqua, totum corpus debet immergi; si parum, sufficit, si est tantum, quod immergi possit pars principalis, ut caput et pectus, vel caput tantum vel facies tantum, quia ibi sunt omnes sensus, et ibi maxime viget operatio animae[5], et secundum illam maxime attenditur ratio imaginis secundum corpus, qualecumque sit; et ratione totalitatis sensuum significat totalitatem mortis et curationis; non sic autem est de genitalibus membris. Et sic patet totum[6].

ARTICULUS III.

De cessatione circumcisionis.

Consequenter est quaestio de tertio articulo, scilicet de cessatione circumcisionis; et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum circumcisio debuerit cessare.

Secundo, utrum cessaverit ante promulgationem Evangelii, vel post.

QUAESTIO I.

Utrum circumcisio debuerit cessare.

Et quod non debuerit cessare, ostenditur:

(Ad oppositum.) 1. Primo auctoritate canonis. Dicitur enim Genesis decimo septimo[7] in donatione circumcisionis: *Erit pactum meum in carne vestra in foedus aeternum:* ergo videtur, quod circumcisio aeternaliter debeat durare; sed quod aeternaliter durat, non habet terminum: ergo etc.

2. Item, ad Romanos secundo[8]: *Circumcisio prodest, si Legem observes:* ergo videtur, quod utile sit servantibus Legem servare circumcisionem: non ergò

---

[1] In homilia 91. (inter opera Bedae) de S. Laurentio habetur: Et postquam [Laurentius] verberatus fuit, imperator iussit, ut mitteretur in tormentum unum, quod illi appellabant catasta... sed per voluntatem Dei quidam probus miles, nomine Romanus, de familia imperatoris, vidit Angelum unum in specie pulcherrimi iuvenis, qui stabat iuxta S. Laurentium et sanabat omnia vulnera eius... et dixit ei: Video ante te iuvenem pulcherrimum, festina me baptizare [cfr. Breviar. Romanum, II. Noct. 2. antiph. in festo S. Laurentii], afferens labrum cum aqua, misit ante pedes eius; et postquam baptizatus fuit, clamavit coram omnibus: Christianus ego sum. Imperator autem hoc audiens, iratus valde, iussit eum decollari, et ita martyr factus est. — Pro *urceum* codd. L O R S T V X *vitreum.*

[2] Cfr. C. *Nec quemquam* (127.), de Consecrat. d. 4.

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. 1. c. 4. — In principio arg. pro *possit* non pauci codd. cum ed. 1 *posset.*

[4] Hic c. 7. Cfr. quaest. praeced. — Congruentia modi immergendi secundum Richard. a Med., hic a. 4. q. 3, est in eo, quod oriens, aquilo et meridies designent tres virtutes, scil. fidem *illuminantem*, spem *roborantem* et caritatem *inflammantem*, quibus imago Dei in anima reformatur.

[5] Cfr. III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1. in corp. — Inferius pro *qualecumque* cod. E a secunda manu *qualiscumque.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 13.

[8] Vers. 25. — Seq. textus est Gal. 5, 3: Testificor autem rursum omni... quoniam debitor est etc.

cessavit. *Si dicas*, Apostolum esse locutum pro tempore ante Evangelium; *contra:* ad Galatas quinto, ubi prohibet circumcisionem, dicit: *Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor sit universae Legis faciendae;* sed qui male agit non obligatur ad peius: ergo si circumcisus tenetur ad Legem, circumcidi non est malum: ergo circumcisio non cessavit.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia Christus non tantum verbis instruxit nos, sed etiam factis — unde etiam communis auctoritas[1] dicit, quod « omnis Christi actio nostra fuit instructio » — sed Christus fuit circumcisus, sicut dicitur Lucae secundo: ergo si membra debent assimilari capiti, tunc ergo videtur, quod necessarium sit, et nos circumcidi; videtur enim, quod sicut baptizari voluit, ut formam daret, ita etiam circumcidi.

4. Item, ratio, quare aliqua legalia *cessaverunt,* est, quia significatum eorum impletum est; et ratio, quare aliqua *durant,* est, quia significant quod semper faciendum est, ideo remansit thurificatio[2]; sed significatum circumcisionis non implebitur usque ad octavum resurrectionis ultimae, et iterum significat aliquid, quod semper faciendum est, sicut amotionem superfluitatum: ergo semper deberet durare.

5. Item, sicut Sacramenta legis gratiae succedunt Sacramentis legis scriptae, sic illa Sacramentis legis naturae; sed decimatio, quae fuit remedium contra originale tempore legis naturae[3], simul mansit cum circumcisione: ergo pari ratione circumcisio cum baptismo.

Quaestio incidens. Propter hoc est quaestio: qua necessitate cessavit? Cum enim non habeant repugnantiam haec duo remedia, et aliqui acceptent unum, qui non acceptant reliquum[4], de bonitate divinae misericordiae esset, quod utrumque maneret, ut Deus haberet maiorem populum, et pluribus modis curaretur nostrum vulnus.

Fundamenta. Contra: 1. Quod cessaverit, ostenditur ad Galatas quinto[5]: *Ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.*

2. Item, ad Hebraeos septimo[6]: *Translato sacerdotio, necesse est, ut Legis translatio fiat;* sed oportuit, sacerdotium transferri: ergo et Legem; et si hoc, tunc et Sacramenta legalia. Sed inter haec praecipuum et magis notabile est circumcisio tanquam aliorum fundamentum: ergo etc.

3. Item, circumcisio fuit ad distinguendum populum a populo; sed Christus lapis angularis filios Dei dispersos congregavit in unum et duos parietes iunxit; et unus pastor unum ovile habere debuit[7]: ergo necesse est, in lege nova illud signum aboleri.

4. Item, aut baptismus datus est in remedium *sufficiens,* aut *non.* Si *non:* ergo Sacramenta novae legis sunt imperfecta: ergo et lex nova; quod est inconveniens. Si est *perfectum* remedium contra originale peccatum, et ille morbus est simpliciter non iterabilis[8]: ergo adveniente baptismo, superflua est circumcisio. Si ergo omne superfluum a lege Dei est resecandum, patet etc.

CONCLUSIO.

Cum baptismus loco circumcisionis fuerit institutus, circumcisio debuit cessare.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit canon evangelicae legis[9], non solum circumcisio, sed etiam omnia Sacramenta legalia destiterunt, advenientibus Sacramentis novae legis, eo quod Sacramenta illius temporis huic tempori non conveniebant: tum quia erant *obscura* quantum ad significantiam, erant enim velamen; tum etiam quia *parvae virtutis* quantum ad efficaciam; tum etiam quia *gravia* quantum ad observantiam. Et haec omnia legi illi competebant, quae erat lex figurae et oneris ad confringendam duritiam et superbiam cervicis Iudaicae. Conclusio 1. Rationes.

Lex autem nova oppositas habet conditiones, quia est lex *veritatis* et *gratiae* et *suavitatis. Gratia enim et veritas per Iesum Christum facta est,* sicut dicitur Ioannis primo[10]; nihilominus est onus eius onus suavitatis: *Iugum enim suum suave est,* sicut dicitur Matthaei undecimo. Et ideo debuit habere Sacramenta expressiora ad significandum, efficaciora ad curandum et leviora ad portandum. Et ideo omnia illa Sacramenta cessaverunt, et alia sunt instituta. Unde Augustinus contra Faustum[11]: Conditiones novae legis.

---

[1] Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. 2. n. 6, loquens de Christo ait, quod « nos exemplo suo de omnibus instruxit ». Cfr. I. Homil. in Evang. homil. 17. n. 1. (et II. homil. 21. n. 1.), ubi docet, quod Christus « aliquando nos sermonibus, aliquando vero operibus admonet ». Vide etiam I. Dialog. c. 9. — Seq. locus Scripturae est Luc. 2, 21.

[2] Alex. Hal., S. p. IV. q. 4. m. 9: Idem significat [thurificatio] nunc et tunc, id est devotionem. Ibid. q. 5. m. 7. a. 2: Per thus [significatur] devotio, quae est in opere meritorio. — De *minori* vide supra lit. Magistri, d. I. c. 9, et Comment. p. II. a. 2. q. 1. seq. nec non dub. 7. Vide etiam Rom. 2, 29.

[3] Cfr. supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3. — In *maiori* edd. cum pluribus codd. comparationem invertunt legentes: *Item Sacramenta legis gratiae sic* [*sic* omittitur in codd.] *succedunt... sicut illa.*

[4] Scil. Christiani baptismum, Iudaei circumcisionem.

[5] Vers. 2, ubi Vulgata *quoniam si* pro *si,* codd. F G I *quod si.*

[6] Vers. 12. Vulgata post *ut* addit *et.*

[7] Respicitur Eph. 2, 14. et 20. nec non Ioan. 10, 16. — De *maiori* vide supra d. 1. p. II. a. 2. q. 2. ad 1.

[8] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2. in corp., d. 33. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 2.

[9] Act. 15, 5. seqq., ubi decretum Apostolorum in Concilio Ierosolym. factum exhibetur.

[10] Vers. 17. — Seq. textus est Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est. — Inferius ex cod. H substituimus *nihilominus est onus eius onus suavitatis* pro *et nihilominus omnis suavitatis.*

[11] Libr. XIX. c. 13. Textus originalis post *ablata sunt* addit: *et ideo ablata, quia impleta; non enim venit solvere Legem, sed adimplere.*

« Prima Sacramenta, quae observabantur, praenuntiativa erant Christi venturi, quae cum suo adventu Christus implesset, ablata sunt, et alia instituta, virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora et numero pauciora ». — Ex hoc igitur patet, quod cum Sacramentum baptismi sit institutum loco circumcisionis, quod circumcisio cessare debuit, maxime cum illud Sacramentum sit expressius in significando, efficacius in curando et levius in portando. Hoc autem totum patet respicienti conditiones et proprietates utriusque.

Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod data sunt in foedus aeternum; dicendum, quod illud non oportet intelligi ita *aeternum*, quod careat fine. In eadem enim littera[1] Dominus dicit, quod dabit eis *terram in possessionem aeternam;* et constans est, quod terram promissionis Iudaei non possident; et propter hoc distinguendum est in *aeterno*. Dicitur enim *aeternum* tripliciter: aut quantum ad *durationem*, aut quantum ad *finis indeterminationem*, aut quantum ad *significationem*. Primo modo dicitur dupliciter: aut quia caret *principio et fine*, Ecclesiastici decimo octavo[2]: *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul;* aut quantum ad privationem *termini*, Psalmus: *Statuit ea in aeternum* etc. — Similiter secundo modo dicitur dupliciter: aut quia non ita sit *semel*, quin oporteat fieri *pluries*, et sic dicitur[3]:

Aeternum sumitur tripliciter.

Subdistinctio 1.

Subdistinctio 2.

Serviet aeterno qui parvo nesciet uti;

aut quia non *determinatur terminus*, et sic dicitur sacerdotium aeternum Aaron, quia non determinavit Dominus, quando cessaret. — Tertio modo similiter dicitur dupliciter: aut quia significat *aeternum*, et sic est terra promissionis data in possessionem aeternam, Genesis decimo septimo[4]; aut quia significat et ducit in *cognitionem vitae aeternae*, et sic dicitur circumcisio aeterna. Et isti tres ultimi modi habentur a Glossa super Genesis decimum septimum.

Subdistinctio 3.

2. Ad illud quod obiicitur de hoc quod dicitur ad Romanos secundo[5]: Circumcisio prodest etc.; dicendum, quod hoc dicit Apostolus secundum statum illum, in quo erant Lex et circumcisio observanda. Secundum enim nullum statum profuit circumcisio sine Legis observantia; idem enim ipse, qui praecepit circumcisionem, mandavit et Legem. Si ergo quis servet circumcisionem et contemnat Legem, etiam in tempore Legis non proderat; proderat autem, si utramque servabat non tantum carnaliter, sed spiritualiter.

Quod ergo obiicitur, quod pro tempore evangelico dicit: Testificor omni homini circumcidenti se etc.; dicunt aliqui[6], hoc dixisse Apostolum ad terrorem. Sed tamen illud non sufficit; ideo plus oportet dicere, quod est obligatio ex *divino praecepto*, et est obligatio ex *conscientiae dictamine*. Ex *divino praecepto* nemo obligatur, quia illud est revocatum; sed qui habet conscientiam, se teneri ad circumcisionem, quia adhuc stat divinum mandatum, per eandem rationem necesse est, quod habeat conscientiam observandi omnia mandata Legis. Unde Apostolus facit argumentum *per impossibile*[7] a destructione *consequentis* sic: pseudoapostoli dicebant, quod tenebantur circumcidi, sed non debebant alia legalia observare; et Apostolus dicit, quod si tenentur ad hoc praeceptum, cum ita sint alia praecepta, tenentur ad omnia — « si enim anima Socratis est immortalis, et omnis anima[8] » — tamen utrumque est falsum, et « uno inconvenienti posito, multa sequuntur ». Unde per hoc, quod non erat tota Lex servanda, volebat Apostolus arguere, quod circumcisio non esset servanda.

Solutio 1.

Solutio auctoris.

3. Ad illud quod obiicitur de Christo, quod Christus fuit circumcisus; dicendum, quod Christus omnibus operibus suis nos erudivit; sed tamen non omnia fecit ad imitationem, sicut opera miraculosa, et alia plura. Ratio autem, quare Christus voluit circumcidi, fuit triplex, scilicet in *fidei argumen-*

Notandum.

Ratio triplex.

---

[1] Gen. 17, 8.

[2] Vers. 1. — Seq. textus est Ps. 148, 6.

[3] Ab Horat., Epist. 10, 41. — August., I. Quaest. in Pentateuch. q. 31. (ex quo loco sumta est Glossa, quae in fine solut. huius obiectionis affertur), praenotato, quod nomine *aeterni* significari possit aut hoc saeculum (αἰών), aut res, qua tantum « aeternum aliquid significatur », subiungit: An potius locutionis est Scripturarum, ut *aeternum* appellent, cuius rei finis non constituitur, aut non ita fit, ut deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis; sicut ait Horatius: Serviet aeterno qui parvo nesciet uti. Non enim potest in aeternum servire, cuius ipsa vita, qua servit, aeterna esse non potest. Cfr. Alanus ab Insul., Distinct. dictionum theolog., ubi *aeternum* hoc ultimo modo sumtum « dicitur continuatio vitae temporalis; unde Horatius: Serviet... id est toto tempore vitae suae ». — De sacerdotio aeterno Aaron vide Exod. 29, 9. et 40, 13. Cfr. August., II. Quaest. in Pentateuch. q. 124.

[4] Vers. 8, in quem versum est etiam Glossa (*ordinaria* apud Strabum et Lyranum) paulo inferius allegata. — Mox post *ducit* cod. U prosequitur *et praeparat ad cognitionem* etc. Subinde pro *aeterna* permulti codd. *aeternum.*

[5] Vers. 25. Expositio Bonaventurae convenit cum Glossa *ordinaria* apud Strabum. — In fine solut. pro *non tantum* cod. G *non tamen*

[6] Ut August., Expos. Epist. ad Gal. 5, 3. n. 41, cuius verba exhibentur etiam a Glossa *ordinaria* apud Strabum. — Alteram expositionem dat Hieronym., in hunc loc., contra Ebionitas, qui etiam « post Evangelium credentes in Christo circumcidendos putant », sic arguendo: Ut aut circumcisionem faciant et cetera, quae praecipiuntur in Lege, aut si impossibile est cuncta fieri, cesset et circumcisio, quae cum ceteris quasi inutilis praetermissa est. — Post *evangelico* cod. F (P a secunda manu) addit *quia Apostolus.*

[7] Cfr. Aristot., II. Prior. c. 14. — Inferius edd. *observari* pro *observare* et subinde post *alia praecepta* supplent *ut illud.*

[8] Aristot., II. Topic. 2. (c. 3.): Non sufficit enim ad ostendendum, quod *omni* inest, in *uno* disputasse, ut si hominis anima immortalis est, propter hoc anima omnis immortalis etc.

tum, in *humilitatis exemplum* et in *Legis complementum*. In *fidei argumentum*: quia de Iudaeis [1] erat secundum carnem, et propter ipsum specialiter de illo genere nasciturum significandum instituta est circumcisio, ne videretur dissimilis Patribus et non esse ille qui fuit promissus, et per hoc possent Iudaei suum palliare errorem: ideo debuit circumcidi. — Secundo propter *humilitatis exemplum*, propter quod subiecit se Legi et omnibus legalibus, cum tamen sub nullo esset. — Tertio fuit circumcisus in *Legis complementum*, unde sustinendo circumcisionem implevit Legem [2], et implendo cessare fecit, quia Legem non destruxit, sed complevit, dum veritatem significatam exhibuit. Et hoc est quod dicit Augustinus contra Faustum [3], quod Sacramenta veteris legis in adventu Christi impleta sunt, «et ideo ablata, quia impleta». — Et haec ratio triplex trahitur de homilia Augustini super Lucae secundum [4] de circumcisione pueri; et sic patet, quod Christus noluit, quod alii imitarentur eum in hoc, sed quod magis ex hoc erudirentur.

Prima. Secunda. Tertia.

4. Ad illud quod obiicitur, quod significatum eius nondum est impletum; dicendum, quod circumcisio et habebat *principale* significatum, et hoc erat originalis deletio; et habebat *consequens*, scilicet liberationem a miseria per Christum in octava resurrectionis. Et quoniam impletum est quantum ad *principale* significatum in baptismo, et quantum ad *consequens* in capite nostro Christo, qui resurrexit die octavo; ideo debuit cessare [5]. — Sed quod adiungit, quod debet manere, ut thurificatio; dicendum, quod thurificatio non manet solum propter hoc, quod significet quod faciendum est, sed etiam quia exterior observantia quodam modo *moralis* est [6], et etiam quia *facilis* est; et praeterea Ecclesia non retinuit de Lege, sed instituit, quia alio modo illi thurificabant.

Duplex significatum. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod circumcisio non aufert decimationem; dicendum, quod circumcisio non fuit remedium universale, sed particulare, nec omnes ad illam obligabantur [7]; et ideo decimatio adhuc habebat locum. Sed ad baptismum omnes obligantur, et est remedium universale et sufficiens; et ideo si maneret circumcisio, plus haberet oneris quam utilitatis.

Et sic patet ultimum, quia Dominus noluit [8], quia non competebat huic tempori tum propter *poenalitatem*, tum propter *particularitatem*, tum propter *effectus modicitatem*.

Ad quaestionem incidentem.

SCHOLION.

I. De cessatione legalium in genere et de cessatione circumcisionis in specie optime auctor noster in his 2 qq. disputat, quem Scot. (hic q. 4.) diffuse explicat. Scholastici communiter in hac quaestione opinioni S. Hieronymi praeferunt sententiam Augustini, quod scilicet legalia *post* mortem Christi fuerint quidem subito *mortua*, non tamen subito *mortifera*. — Hoc supposito, adhuc remansit dubium, utrum circumcisio ut remedium contra peccatum originale subito post Christi resurrectionem etiam fuerit *inanis* et inutilis, simulque ante sufficientem promulgationem inceperit universaliter stricta obligatio baptismi, ita ut deinceps nullum aliud remedium contra originale peccatum praeter baptismum esset efficax, licet concedendum sit, quod ignorantia invincibilis a *peccato omissionis* excusaverit. Schola S. Thomae cum B. Alberto hoc affirmat tanquam probabilius; sed schola Scoti cum plurimis recentioribus tenet, obligationem ad baptismum non incepisse nisi post sufficientem promulgationem, scilicet Ierosolymis in die Pentecostes, alibi autem successive, saltem usque ad excidium Ierosolymitanum. Praeter S. Bonaventuram huic sententiae favent S. Bernard., Hugo a S. Vict. (cfr. hic dub. 1.), Alex. Hal., Petr. a Tar., Richard. a Med. aliique; pro qua opinione Scotistae afferunt etiam verba Concilii Trident. (Sess. VI. c. 4), quod iustificatio «post Evangelium *promulgatum* sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest».

De utraque quaestione praeter Scotum: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 2. a. 3. § 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 2., d. 2. q. 1. a. 4. quaestiunc. 3; S. I. II. q. 103. a. 3. 4. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. 3. — Durand., IV. Sent. d. 1. q. 9. — Dionys. Carth., IV. Sent. d. 2. q. 8.

— Seq. axioma proponit Aristot., I. Phys. text. 22. (c. 2.): Uno inconvenienti dato, alia contingunt. Cfr. tom. III. pag. 266, nota 8.

[1] Codd. A E Z *Iudaeus*, codd. F H K L Y aa (bb a secunda manu) post *quia* addunt *enim Christus*, et cod. H post *erat* supplet *nasciturus*. Subinde pro *et* codd. O R T X substituunt *et ideo*. Paulo inferius pro *et* [edd. repetunt *ne*] *per hoc* cod. F *et propter hoc*.

[2] Matth. 5, 17: Non veni solvere, sed adimplere.

[3] Libr. XIX. c. 13. Cfr. supra pag. 83, nota 11.

[4] Vers. 21. — In operibus Augustini *Homilia de circumcisione* non invenitur, et circumcisio Christi tangitur tantum in Serm. 128. (nunc in appendice, alias 13. de Tempore) c. 5. n. 7. his verbis: «Dominus quidem suscepit circumcisionem, ablaturus ipsam circumcisionem; suscepit umbram, daturus lucem; suscepit figuram, impleturus veritatem». Videtur nobis pro nomine *Augustini* substituendum esse nomen *Bernardi*, qui in speciali sermone super Luc. 2, 21. (Serm. 1. in Circumcisione Domini) n. 1. tanquam membra illius sermonis haec proponit: «Habens igitur hic magnum fidei documentum, habes et manifestum humilitatis exemplum». Paulo inferius (n. 2.): Sic et circumcisio veritatem susceptae probat humanitatis... Circumciditur tanquam verus Abrahae filius, Iesus vocatur tanquam verus Filius Dei... Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Cfr. Serm. in Octava Epiphaniae. Alex. Hal., S. p. IV. q. 3. m. 5. a. 2: Sicut habetur in Homilia Circumcisionis, sicut dicit August. in Quaest. novi et veteris Testamenti (I. q. 50. 60. et 69.).

[5] Secundum August., XIX. Contra Faustum, c. 9. — Pro *die octavo* cod. Z *die tertio*, sed vide supra lit. Magistri, d. I. c. 9. Mox pro *debet* idem cod. Z *debuit*.

[6] Cfr. supra pag. 83, nota 2. Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 1. c. 5. q. 4: Circumcisio carnalis facta nihil morale continebat, sed incensum litteraliter aliquid morale habet et non est umbra alicuius futuri; et propter hoc non est simile. — Inferius pro *et praeterea* edd. cum aliquot codd. *et propterea*.

[7] Vide supra d. 1. p. II. dub. 4. et ibid. a. 1. q. 3.

[8] Cod. H (bb a secunda manu) supplet *scilicet circumcisionem manere*.

QUAESTIO II.

Utrum circumcisio cessaverit ante promulgationem Evangelii.

Secundo quaeritur, utrum circumcisio cessaverit ante promulgationem Evangelii. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Matthaei undecimo [1]: *Lex et Prophetae usque ad Ioannem* etc.; aut hoc dictum est *inclusive,* aut *exclusive;* sed quocumque modo hoc dictum est, cum defecerit Ioannes et eius baptismus ante passionem; videtur, quod Lex defecerit et Sacramenta legalia ante promulgationem Evangelii.

2. Item, ratio, quare circumcisio cessavit, fuit Legis impletio et legalium; sed haec omnia impleta sunt in passione, cum dictum est [2]: *Consummatum est,* et *velum templi scissum est:* ergo si hoc fuit ante Evangelii promulgationem, ante defecit — et hoc trahitur ex pluribus locis de libro Quaestionum novi et veteris Testamenti — ut Magister dicit in littera.

3. Item, specialis ratio cessationis circumcisionis fuit institutio nobilioris Sacramenti loco eius; sed baptismus est institutus ante passionem et Evangelii promulgationem [3]: ergo ante cessavit circumcisio.

4. Item, ad hoc est auctoritas Hieronymi ad Augustinum, quae ponitur in Glossa ad Galatas secundo [4]. Dicit Hieronymus: «Ego pronuntio, quod sint utique mortiferae caerimoniae Iudaeorum fidelibus; *finis enim Legis Christus est ad iustitiam*» etc.

Fundamenta. Sed contra: 1. Post passionem Paulus circumcidit Timotheum, Actuum decimo sexto [5], et in hoc non reprehenditur; et servavit votum Nazaraeorum, Actuum vigesimo primo: ergo nondum erat malum, nec circumcisio cessaverat. *Si dicas,* quod fecit propter vitandum scandalum [6]; *contra:* propter vitandum scandalum non est faciendum contra veritatem vitae vel doctrinae: ergo si hoc erat malum de se, nunquam ex hoc excusatur, quod non peccaverit.

2. Item, nullus obligatur ad id quod ignorat et non potest scire [7]; sed multi erant, ad quos non pervenerat institutio baptismi: ergo illi non tenebantur baptizari: ergo si Deus non reliquit eos sine remedio, adhuc post passionem circumcisio habuit effectum et statum.

3. Item, Augustinus ad Hieronymum [8]: Circumcisio et cetera legalia non erant noxia, licet iam non essent significandis futuris necessaria; magis noxium erat ea quasi noxia prohibere.

Est igitur hic quaestio, cum videatur hic esse multiplex contradictio, quid tenendum sit. — Nam Petrus videtur sibi contrarius, qui Actuum decimo quinto [9] dictavit, quod non erant legalia servanda, et postmodum iudaizabat, sicut dicitur ad Galatas secundo. Quaestio de 4 difficultatibus.

Item, Paulus videtur sibi contrarius, qui reprehendit Petrum, et postmodum circumcidit Timotheum et servavit votum Nazaraeorum. De primo habetur Actuum decimo sexto [10], de secundo Actuum vigesimo primo.

Item, Petrus videtur contrarius Paulo, et e converso, quia ad Galatas secundo [11] dicitur, quod Paulus restitit Petro in faciem: ergo dissensio videtur in hoc fuisse inter columnas Ecclesiae.

Item, Hieronymus videtur contrarius Augustino, sicut patet in Glossa ad Galatas secundo [12]; et quod aperte contradicant, illud apparet in eorum Epistolis, quibus sibi respondent. Unde Hieronymus in Epistola ad Augustinum: «Tu dicis legalia observare bonum, ego affirmo malum, non modo eis qui ex gentili, sed etiam qui ex Iudaico populo crediderunt».

CONCLUSIO.

Ante promulgationem Evangelii legalia non cessaverunt quantum ad observantiam nec quantum ad efficaciam universaliter, quia in distantibus probabiliter potuerunt habere efficaciam.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam aperienda est via duplex, quia praecipui doctores, scilicet Duplex via.

---

[1] Vers. 13. — De cessatione baptismi Ioannis cfr. supra d. 2. dub. 5.

[2] Ioan. 19, 30. — Seq. textus est Matth. 27, 51. — De locis, qui pro hac re ex Quaest. veteris et novi Testam. (inter opera August.) allegari possunt, vide supra pag. 85, nota 4. in fine. Sententia Magistri continetur hic in lit. c. 8.

[3] Vide supra a. 1. q. 1. in fine.

[4] Vers. 14. Glossa, quae est *ordinaria,* exhibetur a Petro Lombard. et Lyrano. In textu originali apud Hieronymum, Epist. 112. (alias 89.) n. 14. plura verba adiuncta habentur. Respicitur in ipsa Rom. 10, 4, ubi Vulgata omittit *est.*

[5] Vers. 3. — Seq. locus est Act. 21, 23. seqq. — Inferius post *malum* cod. Z addit *circumcidi.*

[6] Ut dicit Glossa *ordinaria* apud Strabum ex August., Epist. 82. (alias 19.) c. 2. n. 8. seqq., et l. Quaest. veteris et novi Testam. (inter opera August.) q. 60. — C. *qui scandalizaverit,* X. (v. tit. 41. c. 3.) de Regulis iuris. Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda (secundum Bedam, in Marc. 9, 41.).

[7] Regula iuris 13. in VI: Ignorantia facti, non iuris, excusat. Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 5.

[8] Epist. 82. (alias 19.) n. 15. Sententia, non verba Augustini afferuntur.

[9] Vers. 10. — Seq. locus est Gal. 2, 11. seqq.

[10] Vers. 3. — Alter locus est Act. 21, 23. seqq.

[11] Vers. 11.

[12] Vers. 14. apud Petr. Lombard. et Lyranum. — Verba Hieronymi habentur in iam allegata Epist. 112. (alias 89.) n. 16, ubi textus originalis post *malum* addit *et malum,* ac subinde cum cod. K pro *gentili* substituit *gentibus.*

Hieronymus et Augustinus, timuerunt[1] in huius quaestionis determinatione.

Et primo ad intelligendam solutionem Hieronymi sciendum est, quod beatus Hieronymus *duo tempora* intellexit in novae legis datione et Sacramentorum suorum institutione, unum scilicet tempus condendi Evangelium, quod incepit ab adventu Christi usque ad passionis consummationem; aliud fuit promulgationis Evangelii, quod incepit ab adventu Spiritus sancti usque ad finem mundi. Similiter intellexit, quod mandata legalia et caerimonialia dupliciter contingit servare: vel ex *praecepto* tanquam necessaria ad salutem, vel ex *dispensatione*, non quia bona sint, sed quia inde elicitur bonum. — Concessit ergo Hieronymus, legalia, maxime circumcisionem, servari debere, quousque veritas Evangelii promulgaretur, et institutio novae legis aperiretur, et hoc in toto[2] primo tempore. Sed illis incipientibus aperiri, illa cessabant, sicut ista innotescebant, ita ut nulli post acceptam notitiam veritatis liceret servare huiusmodi Sacramenta aliquo modo, nisi illis solum, ad quos non pervenerat praedicatio Evangelii, vel etiam ipsis Apostolis maioribus ex dispensatione et pia quadam simulatione; ceteri autem erant transgressores, qualitercumque servarent.

Via Hieronymi. Duo tempora. Duo modi observationis.

Et ad hoc ponendum movit eum auctoritas *sacrae Scripturae* et auctoritas *Ecclesiae*. Auctoritas *sacrae Scripturae:* nam omnes Apostoli consenserunt, Actuum decimo quinto[3], legalia non esse servanda. Rursus, videbat, Apostolos alicubi post illam sententiam servasse, et dicebat, primam sententiam datam esse secundum rigorem veritatis, sed observationem factam esse secundum simulationem pietatis, secundum quam dicit Apostolus primae ad Corinthios nono[4]: *Omnibus omnia factus sum, Iudaeis tanquam Iudaeus* etc.; et hoc pia quadam simulatione. — Auctoritas *Ecclesiae* movit, quia sancti Patres communiter damnaverunt haeresim Ebionis et Cerinthi, qui dixerunt, legalia cum Evangelio esse servanda; et propter hoc dicebant, pia quadam et dispensatoria simulatione esse servata propter infirmitatem Iudaeorum. Sic dixit Hieronymus, quod Petrus servabat legalia quadam simulatione, secundum quod Apostolus dicit ad Galatas secundo[5], *ita ut et Barnabas duceretur in hanc simulationem.* Et dixit etiam, quod Paulus pia quadam simulatione reprehendit Petrum, qui non peccabat; sicut Petrus condescendebat Iudaeis in legalium observatione, ita Paulus in illius observantiae reprehensione gentilibus[6]. Et ita nec Petrus peccavit in male observando, nec Paulus in procaciter reprehendendo, sicut Porphyrius haereticus Paulum arguebat, quod Apostolorum principi procaciter insultasset. — Ecce haec est positio Hieronymi et ratio positionis.

Rationes Hieronymi. Prima. Secunda. Porphyrius.

Augustinus autem alio modo solvit. Ad cuius solutionem intelligendam notandum est, quod Augustinus *triplex tempus* intellexit, scilicet tempus *condendi* Evangelium et *promulgandi* conditum et *custodiendi* iam promulgatum. Primum tempus fuit ab adventu Christi usque ad passionis consummationem, et in hoc tempore sunt legalia *infirmata* et in morte Christi *mortua*. Secundum tempus fuit a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii in omnes gentes, quando potuit dici: *In omnem terram exivit*[7] etc.; et hoc tempore sunt legalia ad *tumulum deducta*. Tertium tempus fuit ab illo tempore usque ad finem, in quo legalia sunt quasi in *tumulo clausa*.

Via Augustini. Tria tempora.

Ulterius notandum, quod triplici de causa possunt aliqua observari, scilicet propter *salutis necessitatem*, propter *honestatem*, propter *proximi infirmitatem*. — Dixit ergo Augustinus[8], quod primo tempore legalia servari potuerunt tanquam viva propter *salutis utilitatem*. Secundo tempore servari potuerunt etiam ab his qui audierunt Evangelium, propter *honestatem*, quia cum honore adducenda erat synagoga ad tumulum, non quasi idololatra statim abiicienda. Et hoc etiam tempore servari poterant propter *proximi utilitatem*, ne Iudaei a fide revocarentur. Tertio tempore nullo modo sunt servanda, quia qui iam servat non est materni corpusculi honorator, sed sepulturae impudens revelator[9].

Tres causae observationis.

Et ita posuit, quod Petrus et Paulus uterque servaverunt non tantum propter vitandum scandalum proximi, sed etiam ad honorem debitum matri impendendum; et quod non tantum simulatorie, sed etiam veraciter observaverunt, non propter *salutis necessitatem*, quia sciebant, ea non esse ad salutem necessaria. — Similiter posuit, quod Petrus veraciter, non simulatorie, reprehensus fuit a Paulo, non quia legalia servabat, sed quia exemplo suo gentiles iudaizare cogebat[10]. — Ratio autem sua

Corollaria eiusdem. Rationes 3.

---

[1] Vat. et aliquot codd., substituto *quam* pro *quia*, hic ponunt *tenuerunt*.

[2] Cod. U *et hoc est toto*. Inferius pro *acceptam* cod. F *adeptam*.

[3] Vers. 23. seqq.

[4] Vers. 22. et 20. (Cfr. Epist. praeallegata Hieronym. n. 12. et 17.).

[5] Vers. 13. (Vide in praenotata Epist. n. 13. et 15. seqq.).

[6] Ita codd. H Q (I a secunda manu), cod. P a secunda manu *gentilibus condescenderet*, Vat. *gentibus*, in aliis deest dativus. — Impudentia *Porphyrii* reprehenditur in dicta Epist. n. 11.

[7] Psalm. 18, 5. — Cfr. August., Epist. 82. (alias 19.) n. 16. — Pro *divulgationem* codd. F G I *promulgationem*. Inferius pro *usque ad finem* Vat. *usque ad mundi finem*.

[8] Loc. cit. — Inferius voci *utilitatem* Vat. praemittit *necessitatem vel*. Aliquanto post pro *adducenda* cod. F *deducenda*, et pro *proximi utilitatem* cod. U *proximi infirmitatem*.

[9] August. loc. cit.: Non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturae *violator*.

[10] Loc. cit. n. 15. Cfr. lib. contra Mendacium ad Consent. c. 12. n. 26.

haec fuit: nam si fuit ibi tantum *simulatio* in observatione, ergo propter scandalum proximi vitandum liceret relinquere veritatem. Et *iterum;* quare modo non similiter liceret? quod nullus diceret. *Rursus,* de reprehensione Pauli, si *simulate* tantum reprehendit Petrum, falsum ergo dixit et mentitus est, ad Galatas secundo [1], et quod non ambulabat *ad veritatem Evangelii,* et quod *reprehensibilis erat.* Sed quis audeat dicere, quod Paulus in doctrina veritatis dispensatorie sit mentitus [2]? Quod si aliquis det, patebit via haereticis, ut alia dicant simulate dicta.

Et quia ipse Augustinus, doctor egregius, verbis Hieronymi addit — nec mirum, quia non est inconveniens, quod posteriores prioribus addant — ideo modo solvendi Augustini tanquam sufficientiori adhaerent qui melius sentiunt. Unde Hugo de sancto Victore [3] dicit, quod circumcisio et alia legalia quantum ad *efficaciam* cessaverunt post passionem, sed quantum ad *observantiam* cessaverunt post Evangelii promulgationem. Et praeter rationem Augustini aliam rationem assignat, quia nec natura nec ratio sustinet repentinas immutationes; et ne videretur lex nova praecipitanter data, cum maturitate subintravit, et vetera transierunt.

Indicium auctoris.

Ratio 4. Hugonis.

Ex his patet responsio ad primum quod quaeritur. Concedo enim, sicut rationes ostendunt, quod legalia quantum ad *observantiam* non cessaverunt *ante promulgationem;* nec etiam quantum ad *efficaciam universaliter,* quia creditur, sicut dicit Bernardus [4], quod habuerunt efficaciam in his qui distabant et praeceptis adhuc restringi non poterant; in his autem, qui scire poterant, nullam efficaciam habebant.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Lex et Prophetae usque ad Ioannem etc.; dicendum, quod illud intelligitur *inclusive,* non quia tunc statim defecerit, sed quia ex tunc legalis observantia infirmari coepit.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de impletione, dicendum, quod impletio fuit causa cessationis; sed causa ista non ponebat hunc effectum, nisi claresceret [5]; veritas enim excludit umbram tantum, dum clarificatur, quia nullus tenetur ad incognitum.

3. Ad illud quod obiicitur de institutione baptismi, dicendum, sicut tactum est, quod institutio erat *causa* evacuationis, sed *actu* non faciebat cessare, nisi prius pateret Sacramenti utilitas et necessitas. Sed haec non fuit indicta in aperto usque post passionem. Dominus enim dicit Nicodemo [6]: *Nisi quis renatus fuerit* etc.; sed hoc dixit quasi *consilium* in occulto.

4. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, dicendum, quod Augustinus dictis Hieronymi addidit et clarius hoc vidit, et ideo eius dictis standum est. Nam et ipse Hieronymus [7] addendum et corrigendum sibi commisit.

Ex his patent repugnantiae. Nam Petrus primo dictavit, legalia non esse observanda, et ideo non esse gentibus imponenda. Sed tamen postmodum ipse servavit, ostendens, propter statum, in quo aliquando fuerant, esse honoranda. — Idem ipsum de Paulo est dicendum.

Ad 4 difficultates.

De controversia Petri et Pauli dicendum, quod idem senserunt omnino, et tamen Petrus iuste [8] reprehensus est, quia *reprehensibilis erat,* non quia *male* faceret, sed aliquantulum *incaute;* et ille defectus circumspectionis credo quod fuit in eo aliqua culpa, licet non esset mortalis. Et divina dispensatione hoc permissum est, ut, dum Petrus reprehensus non resisteret, clarius veritas pateret; et [9] quod Petrus exemplum imitandi in actu suo nollet dare. Unde erat *reprehensibilis,* id est utilis reprehendi et dignus, quia *ad veritatem Evangelii* non ambulabat, id est non *usquequaque,* quia ex hoc veritas conculcabatur; et ideo Paulus bene fecit et utiliter, qui coram omnibus eum reprehendit. Nec est excusandus Petrus ab una levi negligentia, ne Paulus accusetur gravius mendacii culpa. — Ad ultimam contrarietatem patet responsio ex praedictis [10].

Solutio 3. difficultatis.

---

[1] Vers. 14. et 11.

[2] Ita codd. F L (bb a secunda manu, cod. I autem *dispensative),* quae lectio confirmatur a pluribus codd., qui habent *doctrina,* dum in aliis et edd. legitur *doctrinae veritatis dispensatione.* — De re cfr. August., loc. cit. n. 21. seq., ubi, praenotato, quod *dispensative* mentiri, si quid significet, idem sit ac *officiose* mentiri, et quod de permissione *officiosi* mendacii magna sit quaestio; docet, inconcusse tamen tenendum esse, auctores s. Scripturae in scribendo mendacium non commisisse, « ne dispensatores Christi, de quibus dictum est (I. Cor. 4, 2.): *Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur,* tanquam magnum aliquid sibi fideliter didicisse videantur, *pro veritatis dispensatione* mentiri, cum ipsa *fides* in latino sermone ab eo dicatur appellata, quia *fit* quod dicitur; ubi autem fit quod dicitur, mentiendi utique non est locus » etc. — De seq. proposit. vide ibid. n. 5. seq. — Mox pro *det* codd. F H (I a secunda manu) *dicat,* edd. *diceret.*

[3] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 4, ubi etiam *alia* ratio paulo inferius inducta habetur, de qua cfr. etiam August., loc. cit. n. 15: Sensim proinde atque paulatim etc.

[4] De Baptismo, c. 1. n. 5. et c. 2. n. 6. — Codd. F H *Gregorius.*

[5] Glossa *ordinaria* (ex Rabano) super Iudith 8, 2: Veniente Christo et luce Evangelii clarescente in mundo, omnis illa observantia [legalium] cessit. — Ex codd. F G H I Y voci *effectum* praefiximus *hunc.*

[6] Ioan. 3, 5. Cfr. infra dub. 1, et Bernard., de Baptismo, c. 1. n. 5.

[7] Cfr. eius Epist. 112. (alias 89.) n. 2.

[8] Edd. male *Petrus iste.* Mox post *sed* codd. S T U repetunt *quia.*

[9] Plurimi codd. et ed. 1 omittunt *et,* codd. M O substituunt *quia* pro *et quod.* Cod. O paulo superius post *ut* omittit *dum* (quod etiam plures alii codd. omittunt), subinde post *non resisteret,* pro quo edd. *desisteret,* addit *et.* Aliquanto inferius pro *non ambulabat* cod. I *non recte ambulabat.* Idem cod. I cum pluribus aliis et ed. 1 subinde pro *id est* substituit *et.*

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit Magister: *Iam ergo institutus erat baptismus.* Videtur enim ex hoc, quod cum institutio baptismi cadat sub praecepto, quod ante passionem tenebantur omnes baptizari: ergo omnes erant transgressores; quod videtur iniquum.

Ad hoc respondet Hugo de sancto Victore [1]: Notandum. « Non est culpandus aliquis, nisi ex culpa sua sit ingratus consilii, aut praecepti; fuit autem Nicodemo revelatum tanquam consilium amico. Cum autem dictum est: *Ite, docete omnes gentes baptizantes* etc.; omnibus informandis expositum est praecepto. Unusquisque autem ex eo tempore debitor esse coepit, quo ad ipsum per praedicationem institutio pervenit [2] ».

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *baptismus non potest consecrari in alio liquore nisi in aqua.* Quaeritur ergo, utrum in omni aqua. Et quod sic, videtur: quia « omnis aqua omni aquae est eadem specie [3] »: ergo si data est virtus *speciei* aquae, non huic vel illi speciali; videtur, quod in omni possit fieri baptismus.

Respondeo: Dicendum, quod baptismus institutus est in elemento aquae, quia aqua per suam qualitatem repraesentat gratiam baptismalem [4]. Ad hoc ergo, quod sit baptismus, requiritur, quod salvetur proprietas et species aquae, ut sit aqua naturalis et habens aliquo modo proprietatem lavandi; et hanc etiam habet aqua turbida. Si vero aqua hoc perdat [5], vel quod miscetur cum praedominante et alterante et ducente in alias proprietates; non est dicendum, tunc in illo liquore tradi baptismatis Sacramentum. Et sic patet quod obiicitur [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *nec baptismus nec circumcisio aditum nobis regni aperuit.* Videtur enim male dicere: quia ianuae clausio non fuit nisi per peccatum, et maxime per originale; sed baptismus et circumcisio delebant originale [7]: ergo aperiebant ianuam. — Item, de baptismo videtur dicere falsum, quia super illud Lucae tertio [8]: *Apertum est caelum;* Glossa Bedae: « Dum ille Iordanis aquas subiit, nobis caeli ianuam pandit; et dum caro innoxia frigentibus aquis tangitur, opposita quondam noxiis romphaea ignea exstinguitur; nec Christus caelum tunc aperire coepit, sed his verbis ostenditur virtus baptismi ».

Quaeritur ergo, quae sit illa *ianua*, et *quomodo* sit *aperta*, et *quando*. Videtur enim aperta in *passione*, quia super illud ad Colossenses primo [9]: *Pacificans per sanguinem* etc.; Glossa: « Patet modo introitus in caelum ». — Item, videtur, quod in *resurrectione*, per orationem, quam cantat Ecclesia [10]: « Deus, qui aeternitatis nobis aditum » etc. Quaestiones 3.

Respondeo: Dicendum, quod *clausio ianuae* spiritualis intelligitur prohibentia illa, ob quam nullus poterat ingredi ad Domini aspectum; illa autem prohibentia erat a divina iustitia iuste puniente et a peccato primi hominis promerente [11]. Merebatur originalis culpa, ut homo non compareret coram Deo propter *foeditatem culpae*, propter *offensam Maiestatis divinae* et propter *mortalitatem in carne*, quia vestitus sacco non debebat ingredi in palatium regis Assueri, sicut dicitur Esther quarto [12]. — Istam enim ianuam *aperire* dicitur illud quod removet ista obstacula. Obstaculum *culpae* amovebat baptismus; obstaculum debiti ratione *offensae* amovit passio, ubi fuit facta satisfactio; obstaculum *mortis*, Christi resurrectio. — Et ita ianuae apertio *inchoari* dicitur in baptismo et *profectum habere* in passione, sed *com-* Ad 1. quaest. Ad 2. quaest. Ad 3. quaest.

---

[1] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 5, pluribus tamen interpositis. Pro *expositum est praecepto* [cod. O *sub praecepto*] textus originalis et Vat. *expositum est praeceptum.* Locus Scripturae est Matth. 28, 19.

[2] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 2. a. 3; B. Albert., hic a. 3; S. Thom., hic q. 1. a. 5. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1; Richard. a Med., hic a. 5. q. 2.

[3] Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.). — Inferius pro *speciali* codd. F H aa *specialiter.*

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1. — Pro *suam qualitatem* cod. H *suam naturam*, cod. G *suas proprietates.*

[5] Codd. G I U Y (F a secunda manu) addunt *vel quia* [cod. U *sive quia*] *artificialis* [cod. F *sit aqua artificialis*]. Pro *hoc perdat* edd. *has conditiones perdat.* Mox pro *vel quod* cod. Z *vel quando.* Subinde pro *in illo liquore tradi* codd. K aa *quod in illo liquore tradi possit.*

[6] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

[7] Vide supra d. 1. p. II. a. 2. q. 1. et 3. ac infra d. 4. p. I. a. 1. q. 1.

[8] Vers. 21. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. In ipsa textus originalis substituit *tingitur* pro *tangitur* et pro *nec Christus caelum tunc aperire coepit* ponit *nec ibi Christo caelum aperiri coepit*, quibus verbis exprimit hanc sententiam Bedae (in hunc loc.): Quid enim, nunquid ei tunc caelum apertum est, cuius oculi caelorum interiora cernebant? — Non pauci codd. pro *opposita quondam* substituunt *opposita commoda,* et subinde omittunt *tunc*, cui cod. K praefigit *ibi.* Pro *Christus* cod. V *Christo.*

[9] Vers. 20. — Strabus et Lyranus exhibent Glossam ut *ordinariam.*

[10] In die Paschae, et exhibetur iam in Gregorii libr. Sacrament.

[11] Cfr. III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. — Superius pro *spiritualis* cod. U satis bene *spiritualiter*, et pro *prohibentia* Vat. bis *prohibitio.* Mox post *Merebatur* in codd. G I O additur *enim.*

[12] Vers. 2: Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. — Inferius pro *ratione offensae* codd. F H *id est offensae.* Subinde post *passio* cod. Z supplet *Christi*, et pro *ubi* edd. substituunt *per quam.*

plementum in resurrectione et *manifestationem* in ascensione. Et quoniam haec iam facta sunt, ideo virtus baptismi est ianuam aperire, non per[1] se tantum, sed etiam propter hoc, quod iam facta est oblatio hostiae verae. Ideo magis effectus apertionis ianuae attribuitur baptismo quam circumcisioni, licet utrumque Sacramentum deleat culpam. Et sic patet illud[2].

DISTINCTIO IV.

Pars I.

Cap. I.

De illis qui suscipiunt Sacramentum et rem, et rem et non Sacramentum, et Sacramentum et non rem.

Hic dicendum est, aliquos suscipere Sacramentum et rem[1], aliquos Sacramentum et non rem, aliquos rem et non Sacramentum. Sacramentum et rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in baptismo ab originali mundantur peccato; quamvis quidam diffiteantur, illis qui perituri sunt parvulis in baptismo dimitti peccata, innitentes illi verbo Augustini[2]: Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant; non intelligentes, illud ita esse accipiendum: quia, cum in aliis efficiant remissionem, non eis faciunt hoc ad salutem, sed solis electis. Nam quod omnibus parvulis in baptismo remittatur peccatum, evidenter Augustinus dicit: « A parvulo, inquit, recenter nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo; sed parvuli tantum originali, maiores vero etiam omnibus quae male vivendo addiderunt ad illud[3] », nisi vitae enormitas impediat. Adulti quoque, qui cum fide baptizantur, Sacramentum et rem suscipiunt.

Difficultas solvitur. Augustinus. Augustinus.

Cap. II.

De ficte accedentibus.

Qui vero sine fide accedunt vel ficte, Sacramentum, non rem, suscipiunt. Unde Hieronymus[4]: « Sunt lavacra gentilium, haereticorum, sed non lavant in salutem. In Ecclesia etiam qui non plena fide baptisma accipiunt aquam accipiunt, sed non Spiritum ». Augustinus[5] etiam ait: « Iudaeis omnibus communia erant Sacramenta, sed non communis erat gratia, quae est virtus Sacramentorum; ita et nunc baptismus communis est omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est ipsa gratia ». Idem: « Omnis qui iam suae voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad Sacramentum fidelium, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam non potest inchoare. Ab hac poenitentia[6], cum baptizantur, soli parvuli immunes sunt ». — His aliisque testimoniis aperte ostenditur, adultis sine fide et poenitentia veram in baptismo non conferri gratiam remissionis, quia nec parvulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in baptismo remissio. Si quis ergo ficte accedat, non habens veram cordis contritionem, Sacramentum sine re accipit. — Videtur tamen Augustinus dicere, quod etiam accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipso momento, quo baptizatur, omnia condonentur et post baptismum mox redeant; sed non hoc asserendo dicit, immo hanc opinionem et praemissam sententiam conferendo. Ait enim sic[7]: His qui « ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur — quia *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum* — aut in ipso temporis puncto per vim Sacramenti dimissa iterum per fictionem replicantur; ut etiam illud verum sit: *Quotquot in Christo baptizati estis* etc., et illud: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum;* ut induat eum Christum sanctitas baptismi, exuat eum Christum pernicies fictionis ». « Nam redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, aperte Dominus docet in illo servo, a quo Dominus

Hieronymus. Augustinus. Dubium 1. Dubium 2. Difficultas solvitur. Augustinus.

---

[1] Codd. F H *propter.*

[2] Cfr. supra d. 1. p. II. dub. 2; Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 7. a. 5. § 2. ad 1. et 2; B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Solae edd., excepta 1, addunt *Sacramenti;* tertio loco pro *aliquos* codd. B C D E et ed. 1 *alios.*

[2] Locus videtur esse collectus ex libr. II. de Peccator. meritis et remis. 27. n. 44; sed vera sententia August. exprimitur in seq. loco, Enchirid. c. 43. n. 13; et C. *A parvulo* (134.), de Consecrat. dist. 4.

[3] Vat. et edd. 4, 6 cum originali addunt *quod nascendo traxerunt*, et post *impediat* plures edd. addunt glossam *id est fictio.*

[4] Libr. IV. Commen. in Ezech. c. 16. 4; verbotenus apud Lyranum loc. cit.

[5] Enarrat. in Ps. 77. n. 2. Seq. loc. est Serm. 351. (alias 50. inter Homil.) c. 2. n. 2, et C. *Omnis qui iam* (96.), ibid.

[6] Codd. A B D E et ed. 1 *poenitudine.*

[7] August., l. de Baptismo contra Donatistas, c. 12. n. 19, ubi etiam seqq. loci, nempe primus n. 20, secundus ibid. parum inferius, tertius n. 18, quartus ibid. infra; et loci Scripturae Sap. 1, 5; Gal. 3, 27; Matth. 18, 34. — Tres primi Augustini loci sunt in C. *Quomodo exaudit* (41.), ibid. § 6; seq. locus C. *Ostenditur illas* (32.), ibid. § 2; ultimus C. *Tunc valere* (42.), ibid. — Superius post *quod etiam* plurimae edd. addunt *ficte.*

dimissum debitum petiit, quia ille conservo dimittere Augustinus. noluit ». « Sic non impeditur baptismi gratia, quominus omnia peccata dimittantur, etiam si fraternum odium in eius cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid superest; solvitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismo. Deinceps autem continuo reus esse incipit, non solum consequentium, sed et praeteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quae dimissa sunt ». Hoc autem, ut praediximus, non sub assertione dixit; quod ostenditur ex eo quod ait in eodem libro sic: « Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa; eligant quod voluerint ». — Ecce aperte cernis, si tamen intendis, id dixisse Augustinum non asserendo, sed quaerendo et aliorum opinionem referendo. Idem enim Dubium 3. ait: « Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae, corde in malitia perseverante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri ». Non igitur ficte accedenti peccata dimittuntur.

Cap. III.

Quomodo intelligatur illud: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Quaeritur ergo, quomodo illud accipiatur: *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis*[1]. Difficultas solvitur. — Potest dici, quod qui in Christo, id est in Christi conformitate, baptizantur, ut scilicet moriantur *vetustati peccati*, sicut Christus vetustati poenae, induunt Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. Potest et aliter solvi: Duobus enim modis induere Christum dicimur: vel assumtione Sacramenti, vel rei perceptione. Unde Augustinus[2]: « Induunt homines Dubium 4. Christum aliquando usque ad Sacramenti perceptionem, aliquando usque ad vitae sanctificationem; atque illud primum bonis et malis potest esse commune, hoc autem proprium bonorum est et piorum ». Omnes ergo, qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt vel secundum Sacramenti perceptionem, vel secundum sanctificationem.

Pars II.

Cap. IV.

Quod passio supplet vicem baptismi et fides et contritio.

Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt *rem* et non *Sacramentum*. Qui enim effundunt sangui-Augustinus. nem pro nomine Iesu, etsi non *Sacramentum*, *rem* tamen percipiunt. Unde Augustinus[3]: « Quicumque, non percepto regenerationis lavacro, pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismi ». — Auditis, quod passio pro nomine Iesu suscepta supplet vicem baptismi. Nec tantum *passio* vicem baptismi implet, sed etiam *fides et contritio*, ubi necessitas excludit Sacramentum, sicut aperte docet Augustinus[4] dicens: Idem. « Baptismi vicem aliquando implere *passionem*, de latrone illo cui non baptizato dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*, beatus Cyprianus in libro quarto de Baptismo non leve documentum assumit. Quod ego etiam atque etiam considerans invenio, non tantum *passionem* pro nomine Christi id quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiam *fidem conversionemque* cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim Dubium 1. latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit, passus est, sed dum patitur, credit. Quantum igitur fides valeat etiam sine visibili baptismi Sacramento — quod ait Apostolus: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* — in illo latrone declaratum est; sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit ». « Et baptismus quidem potest esse, Idem. ubi conversio cordis defuerit; conversio autem cordis potest quidem inesse, *non percepto* baptismo, sed *contempto* baptismo, non potest; nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei Sacramentum contemnitur[5] ». — Ecce hic habes, non solum *passionem*, sed etiam *fidem et contritionem* conferre remissionem, ubi non contemnitur Sacramentum, ut in latrone illo ostenditur, qui non per passionem, sed per fidem salvatus est sine baptismo. — Sed dicunt qui- Obiicitur. dam, Augustinum hoc retractasse. Retractavit[6] quidem *exemplum*, sed non *sententiam*. Ait enim sic: « In Idem. quarto libro cum dicerem, vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum, quia, utrum non fuerit baptizatus, incertum est ». Constat igitur, sine baptismo aliquos iustificari et salvari. Unde Ambrosius[7] de Valentiniano: Ambrosius. « *Ventrem meum doleo*, ut prophetico utar eloquio, quia quem regeneraturus eram amisi; ille tamen gra- Dubium 2. tiam, quam poposcit, non amisit ».

His autem videtur obviare quod Dominus ait[8]: Difficultas 1. solvitur. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum caelorum.* — Quod si generaliter verum est, non videntur esse vera superius posita. Sed illud intelligendum est de his qui possunt

---

[1] Rom. 6, 4, deinde alluditur ad Eph. 4, 23.

[2] Libr. V. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. n. 34; et C. *Quomodo exaudit*, ut supra § 1. — Superius pro *assumtione... perceptione* codd. A B C E et ed. 1 *per assumtionem... per perceptionem*.

[3] Libr. XIII. de Civ. Dei, c. 7; cfr. Bernard., tract. de Baptismo, c. 2. n. 8.

[4] Libr. IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 22. n. 29, et C. *Baptismi vicem* (34.), de Consecrat. dist. 4, ubi citantur loci Scripturae Luc. 23, 43, et Rom. 10, 10. Locus Cypriani proprie est in Epist. ad Iubaianum (73.), n. 22.

[5] August., ibid. c. 25. n. 32, et Can. cit. § 4.

[6] Libr. II. Retract. c. 18. Cfr. Hugo de S. Vict., II. de Sacramentis p. VI. c. 7.

[7] De Obitu Valentin. n. 29, ubi citatur Ier. 4, 19: Ventrem meum, ventrem meum doleo; sensus cordis mei turbati sunt in me.

[8] Ioan. 3, 5.

et contemnunt baptizari; vel ita intelligendum est: nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, id est ea regeneratione, quae fit per aquam et Spiritum sanctum, non salvabitur; illa autem regeneratio fit non tantum per baptismum, sed etiam per poenitentiam et Glossa. sanguinem. Unde auctoritas[1] dicit, ideo Apostolum « pluraliter dixisse fundamentum *baptismatum*, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in poenitentia ». Hoc autem non ideo dicit, quod baptismi Sacramentum fiat nisi in aqua, sed quia ipsius virtus et sanctificatio datur non modo per aquam, sed per sanguinem, vel poenitentiam interius. Ratio etiam id suadet. Si enim parvulis non valentibus credere sufficit baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus, sed non Augustinus. valentibus baptizari. Unde Augustinus[2]: « Quaeris, quid sit maius: *fides*, an *aqua*; non dubito, quin respondeam: *fides*. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod maius est? id est *fides*, de qua Christus ait: *Qui crediderit in me, etiam si mortuus* Difficultas 2. solvitur. *fuerit, vivet* ». — Sed dicunt aliqui, nullum adultum in Christum credere vel caritatem habere sine baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino, subdita in- Idem. troducentes testimonia. Augustinus[3] ait: « Ex illo tempore, quo Salvator dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* etc., absque Sacramento baptismi, praeter eos qui in Ecclesia sanguinem fundunt, aliquis vitam aeternam accipere non potest ». Item: « Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defun- Dubium 3. ctum, vitam aeternam habere credimus, excepto martyrio, ubi baptismi tota Sacramenta complentur ». Item: « Baptizatis tantum iter salutis esse credimus ». — Sed quod in his minus dixit, in aliis capitulis supra positis supplevit; et ideo haec sic intelligenda sunt, ut soli habentes tempus[4] excipiantur. Si enim aliquis habens fidem et caritatem voluerit baptizari et non potest, necessitate praeventus, supplet Omnipotentis benignitas quod Sacramento defuerat. Dum enim solvere potest, nisi solvat, tenetur; sed cum iam non potest, et tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam Sacramentis non alligavit. — Quod vero invisibilis sanctificatio sine visibili Sacramento quibusdam insit, Idem. aperte Augustinus tradit, super Leviticum[5] dicens, « invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse et profuisse sine visibilibus Sacramentis; visibilem vero sanctificationem, quae fit Sacramento visibili, sine invisibili posse *adesse*, non posse *prodesse*. Nec tamen visibile Sacramentum ideo contemnendum est, quia contemptor eius invisibiliter sanctificari non potest. Hinc Cornelius et qui cum eo erant, iam spiritu sanctificati, baptizati sunt. Nec superflua iudicanda est sanctificatio visibilis, quia invisibilis praecessit. Sine visibili ergo invisibilis sanctificatio esse potest et prodesse; visibilis autem, quae fit Sacramento tenus, sine invisibili prodesse non potest, cum ista sit omnis illius utilitas. Simoni Mago visibilis baptismus non profuit, quia invisibilis non affuit; sed quibus invisibilis affuit, profuit ». Nec tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Dubium 4. Ecclesiae sine Sacramento, qui, si absque baptismo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptismum, damnabuntur, sicut multis Sanctorum testimoniis comprobatur; ad quod hoc unum sufficiat. Augustinus[6]: Idem. « Firmissime tene, parvulos, qui vel in uteris matrum Dubium 5. vivere incipiunt et ibi moriuntur, vel de matribus nati sine Sacramento baptismi de hoc saeculo transeunt, aeterno supplicio puniendos, quia, etsi peccatum propriae actionis non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt carnali conceptione ». Et sicut parvuli, qui sine baptismo moriuntur, numero infidelium adscribuntur; ita qui baptizantur *fideles* vocantur, qui a fide- Dubium 6. lium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro fidelibus defunctis. Fideles igitur sunt non propter virtutem, sed fidei Sacramentum. Unde Augustinus[7]: Idem. « Parvulum, etsi nondum fides illa, quae in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum, id est baptismus, fidelem facit; sicut *credere* respondetur, ita etiam *fidelis* vocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo ».

Cap. V.

Quid prosit baptismus cum fide accedentibus.

Solet etiam quaeri de illis qui iam sanctificati spiritu cum fide et caritate ad baptismum accedunt, quid eis conferat baptismus. Nihil enim videtur eis praestare, cum, per fidem et contritionem iam remissis peccatis, iustificati sint. — Ad quod sane dici potest, Quid efficiatur. eos quidem per fidem et contritionem iustificatos, id est a macula peccati purgatos et a debito aeternae poenae absolutos, tamen adhuc teneri satisfactione temporali, quia poenitentes ligantur in Ecclesia. Cum autem baptismum percipiunt, et a peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur et ab exteriori satisfactione absolvuntur, et gratia adiutrix omnisque virtus augetur, ut vere *novus homo* tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo Hieronymus[8] dicit, quod fides, quae fideles facit, in Hieronymus. aquis baptismi datur vel nutritur; quia non habenti aliquando ibi datur, et iam habenti, ut plenius habeatur, datur. Sic et de aliis intelligendum est.

[1] Glossa in Hebr. 6, 1. apud Lyranum; sententia sumta est ex Rabano in hunc locum. — Inferius Vat. cum pluribus edd. pro *virtus et* ponit *virtus, id est*, et deinde post *poenitentiam* edd. 1, 2, 3, 7, 8 omittunt *interius*.

[2] Locus in August. non est a nobis inventus; sed apud Hugonem (I. de Sacram. p. IX. c. 5.) est sententia similis. — Locus Scripturae est Ioan. 11, 25.

[3] (Fulgent.) de Fide ad Petr. c. 3. n. 43, ubi citatur Ioan. 3, 5. — Seq. locus est in libro Gennadii de Ecclesiast. Dogmat. c. 41, et C. *Catechumenum* (37.), de Consecrat. dist. 4. — Tertius locus est ibid. paulo superius.

[4] Edd. solae, excepta 1, addunt *baptizandi.*

[5] Libr. III. Quaestion. in Pentateuch. q. 84. (Levit. 21, 15.). Est etiam apud Lyranum ibid. v. 12. — Inferius respiciuntur Act. 10, 44. seqq. et 8, 13. seqq.

[6] De fide ad Petr. c. 27. n. 70, et C. *Firmissime tene* (3.), de Consecrat. dist. 4.

[7] Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifac. n. 10, et C. *Nihil est aliud* (76.), de Consecrat. dist. 4, in quo textu Vat. et ed. 8 cum originali August. addunt *nam* ante *sicut.*

[8] Iam cod. Erf. annotat, hunc locum non inveniri in Hieronymo. — Inferius pro *habeatur, datur* edd., excepta 1, *habeat, datur.* — Ibi respicitur Matth. 25, 29.

CAP. VI.

Quid dimittitur in baptismo iustis.

Qui ergo mundus accedit ibi fit mundior, et omni *habenti ibi amplius datur*. Quod vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius[1] ostendit, super illum locum: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*, dicens: « Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planctum vel aliquod opus, et omnia gratis condonat ». Quod quidem de *exteriori* gemitu vel planctu accipiendum est; nam sine interiori nemo adultus renovatur; sed exteriores satisfactiones et afflictiones, scilicet sordes poenitentium, ibi dimittuntur. Multum ergo confert baptismus etiam iam per fidem iustificato, quia accedens ad baptismum quasi ramus a columba portatur in arcam; ante intus erat iudicio *Dei*, sed nunc etiam iudicio *Ecclesiae* intus est. — Cum vero in baptismo peccatum deleatur, et satisfactio exterior non imputetur; quaeritur, cur poenalitas, cui pro peccato addicti sumus, non tollatur. Hoc ideo fieri tradunt Sancti, « quia, si a poena homines per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi pretium, non aeternum regnum. Ideo, soluto reatu peccati, temporalis poena tamen manet, ut illa vita studiosius quaeratur, quae erit a poenis omnibus aliena[2] ». Ideo etiam manet, ut sit fideli certandi materia et vincendi occasio, qui non vinceret, si non pugnaret; nec pugnaret, si in baptismo immortalis fieret.

Ambrosius. Isidorus. Dubium 7.

CAP. VII.

Cuius rei sit Sacramentum baptismus, quem recipit iustus.

Si quaeritur, cuius *rei* baptismus ille sit Sacramentum, qui datur iam iusto; dicimus, Sacramentum esse et *rei, quae praecessit*, id est remissionis ante per fidem datae, et *remissionis temporalis poenae*, sive *peccati*, si habetur[3] quod interim committitur, et *novitatis* ac omnis gratiae ibi praestitae. Omnis etenim rei signum est, cuius causa est. Nec mireris, *rem* aliquando praecedere Sacramentum, cum aliquando etiam longe post sequatur, ut in illis qui ficte accedunt, quibus, cum post poenituerint, incipiet baptismus prodesse, in quibus fuit baptismus Sacramentum huius sanctificationis, quam poenitendo habent. — Sed si nunquam poeniterent nec a figmento recederent, cuius rei Sacramentum esset baptismus ab illis susceptus? Potest dici: rei, quae ibi fieret, si non eorum enormitas impediret.

Quid significetur.

Solet etiam quaeri, si parvulis in baptismo datur gratia, qua, cum tempus habuerint utendi libero arbitrio, possint velle et currere[4]. De adultis enim, qui digne recipiunt *Sacramentum*, non ambigitur, quin gratiam operantem et cooperantem perceperint, quae *in vacuum* eis cedit, si per liberum arbitrium post mortaliter deliquerint; qui merito peccati gratiam appositam perdunt. Unde et dicuntur *contumeliam facere Spiritui sancto* et ipsum a se fugare. — De parvulis vero, qui nondum ratione utuntur, quaestio est, an in baptismo receperint gratiam, qua ad maiorem venientes aetatem possint velle et operari bonum. Videtur, quod non receperint, quia gratia illa caritas est et fides, quae voluntatem praeparat et adiuvat. Sed quis dixerit, eos accepisse fidem et caritatem? Si vero gratiam non receperunt, qua bene operari possunt, cum fuerint adulti; non ergo sufficit eis in hoc statu gratia in baptismo data, nec per illam possunt modo boni esse, nisi alia addatur; quae si non additur, non est[5] eorum ex culpa, quia iustificati sunt a peccato. — Quidam putant, gratiam operantem et cooperantem cunctis parvulis in baptismo dari in *munere*, non in *usu*, ut, cum ad maiorem venerint aetatem, ex munere sortiantur usum, nisi per liberum arbitrium usum muneris exstinguant peccando; et ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiae, quod mali fiunt; qui ex Dei munere valentes habere usum bonum, per liberum arbitrium renuerunt et usum pravum elegerunt[6].

Quid efficiatur baptismo parvulorum. Resp. 1. Resp. 2.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IV.

PARS I.

De baptismo in comparatione ad recipientes.

Hic dicendum est, aliquos suscipere Sacramentum et rem etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de baptismo secundum se. Haec est secunda pars, in qua agit de baptismo in comparatione ad recipientes. Et dividitur haec pars in duas partes. In prima agit per comparationem ad communiter recipientes. In secunda specialiter quantum ad parvulos, infra capitulo ultimo: *Solet etiam quaeri, si parvulis in baptismo datur gratia* etc. Prima pars habet duas. In prima agit de recipien-

---

[1] Comment. in Epist. ad Rom. 11, 29. (inter opera eius), et C. *Sine poenitentia* (99.), de Consecrat. dist. 4.

[2] Verbotenus apud Isidorum, I. Sent. c. 22. n. 3; secundum sensum apud August., XIII. de Civ. Dei, c. 4.

[3] Codd. A B C D et ed. 1 legunt: *si quod interim committitur, habet* (cod. B et ed. 1 *habetur*).

[4] Respicitur Rom. 9, 16; deinde II. Cor. 6, 1; inferius Hebr. 10, 29. Quid sit *fugare Spiritum S.* dicitur in Glossa ad Eph. 4, 30.

[5] Vat. et ed. 1 omittunt *est*.

[6] Solutionem, quam Magister relinquit non iudicatam, vide in Comment. p. II. a. 2. q. 1. 2.

tibus Sacramentum. In secunda de recipientibus Sacramenti rem tantum, ibi: *Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt rem et non Sacramentum.*

Prima pars habet duas. In prima [1], agit de accipientibus rem et Sacramentum. In secunda agit de recipientibus Sacramentum tantum, ibi: *Qui vero sine fide accedunt.*

Prima pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda dissolvit dubitationem sive removet falsitatem, ibi: *Quamvis quidam diffiteantur, illis* etc. Similiter secunda pars, in qua agit de ficte accedentibus ad Sacramentum, duas habet. In prima determinat veritatem. In secunda vero removet dubitationem, ibi: *Videtur tamen Augustinus dicere, quod ficte accedenti* etc. Et ibi primo determinat dubium ortum [2] ex auctoritate Augustini. Secundo vero determinat dubium, quod habet ortum ex auctoritate Apostoli, ibi: *Quaeritur ergo, quomodo illud accipiatur.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de suscipientibus Sacramentum baptismi digne.

Secundo de suscipientibus ficte.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum baptismus in digne suscipientibus deleat omnem culpam.

Secundo, utrum deleat omnem poenam.

Tertio quaeritur, utrum in omnibus aequalem habeat efficaciam.

ARTICULUS I.

De digne suscipientibus baptismum.

QUAESTIO I.

Utrum baptismus in digne suscipientibus deleat omnem culpam.

Et quod in digne suscipientibus deleat omnem culpam, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Super illud Exodi decimo quarto [3]: *Nec unus ex eis remansit;* Glossa: « Omnia peccata ablata sunt in baptismo, potentia diaboli est submersa ».

2. Item, baptizatus, si statim post baptismum moreretur, evolaret, sicut dicunt Sancti et Beda [4], quod « baptismus aperit caelum »; sed nullus statim evolat, in quo est aliqua culpa, quia perfectio gloriae non compatitur culpam: ergo baptismus delet omnem culpam.

3. Item, quantulacumque gratia delet omne mortale et etiam veniale, de quo est contritio: ergo si Sacramentum baptismi aliquid addit, videtur, quod deleat omnem culpam [5].

4. Item, Sacramentum baptismi est remedium perfectum, cum sit fundamentum legis perfectionis [6]: ergo cum originale peccatum privaverit hominem innocentia directe et principaliter, non delet perfecte originale, nisi restituendo innocentiam. Sed non est innocens simpliciter, nisi qui caret omni culpa: ergo videtur etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Diversorum morborum diversae sunt medicinae, sicut dicit Hieronymus [7]: « Quod non sanat oculum sanat calcaneum »: ergo cum culpae sint diversae, non tantum specie, sed genere, utpote originalis et actualis et mortalis, ergo ad hoc, quod curentur, necesse est, quod diversae adhibeantur spirituales medicinae. Sed baptismus est unicum Sacramentum: ergo non delet omnem culpam.

2. Item, gratia baptismalis est gratia incipientium; sed status incipientium magis est compassibilis culpae quam proficientium et perfectorum, et gratia incipiens magis compatitur culpam quam pro-

---

[1] Edd. addunt *praemissa varia conditione accipientium.*

[2] Codd. omittunt *ortum,* quod claritatis causa cum edd. retinendum esse censuimus.

[3] Vers. 28, ubi Vulgata *superfuit* pro *remansit* (Septuaginta). — Glossa *ordinaria* (ex Isidor. in Exod. c. 19.) apud Strabum et Lyranum: Peccata praeterita in baptismo delentur, et diabolus suffocatur. Cfr. Origen. in hunc loc., et August., Serm. 213. (alias 119. de Tempore) c. 8. n. 8.

[4] Vide supra d. 3. p. II. dub. 3. et in lit. Magistri, d. I. c. 7. — Mox codd. omittunt *baptismus;* primitus fortasse scriptum erat, ut in Alex. Hal. (S. p. IV. q. 8 m. 8. a. 2. § 1.), forma passiva *aperitur caelum.*

[5] Cfr. August., Enchirid. c. 42. n. 13; c. 64. n. 17. et c. 119. n. 31, ubi docet, baptismum in parvulis delere originale peccatum, in adultis et originale et peccata actualia.

[6] Sive legis evangelicae, quia secundum Apostolum, Hebr. 7, 19, lex vetus nihil ad perfectum adduxit.

[7] Vide supra pag. 52, nota 9. — Inferius post *et actualis* in cod. I secunda manus bene addidit *venialis.* Alex. Hal., loc. cit., simpliciter legit *et actualis mortalis.*

ficiens vel perfecta; sed gratia in proficientibus et etiam perfectis compatitur aliquam culpam, scilicet venialem: ergo multo fortius gratia baptismalis.

3. Item, esto quod aliquis accedat ad baptismum cum motu venialis peccati; aut *datur* ei effectus Sacramenti, aut *non*. Si *non:* ergo est *fictus*[1]. Sed quicumque est fictus peccat mortaliter: ergo veniale peccatum illi est mortale; quod stultum videtur, si quis hoc dicit, quia ad nihil novum obligatur. Si autem *non* est fictus, ergo recipit gratiam; et constans est, quod illa non delet culpam, quia tunc simul esset et non esset: ergo gratia baptismalis non delet omnem culpam.

4. Item, si baptismus delet omnem culpam, cum Sacramenta non sint nobis necessaria nisi ad culpam delendam — quia si non esset peccatum, non esset Sacramentum[2] — ergo cetera superfluunt.

Et ideo quaeritur, utrum talis effectus debuerit dari alicui Sacramento, et quare magis Sacramento baptismi quam alicui aliorum. Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

In baptismo digne suscepto deletur omnis culpa, et restituitur homo in pristinam innocentiam quoad animam.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut auctoritates[3] dicunt, et magistri communiter asserunt, in Sacramento baptismi, si plene percipitur eius efficacia et remedium, omnis culpa deletur, et restituitur homo in pristinam innocentiam quantum ad animam. Conclusio.

Si quaeratur ratio huius; dicendum, quod huius ratio causalis fuit divina *liberalitas,* quae tantam huic Sacramento contulit efficaciam. Ratio. Si autem quaeratur ratio *huius,* potest congruitas triplex assignari. Ad quaest. incidentem. — Prima potest esse ex parte eius, *contra quod* baptismus est. Ratio 1. Baptismus enim proprie est contra originale, quod inter omnia peccata peiores in anima reliquit sequelas, et cuius corruptio est universalis et magna; et ideo congruum fuit, ut Deus magnae efficaciae remedium institueret in contrarium; ut, sicut in corruptione illius morbi manifestatur rigor divinae *iustitiae*, sic etiam in remedio manifestaretur dulcedo divinae *misericordiae,* ut non solum ille morbus, sed omnia quae consequuntur annexa, huius remedii virtute deleantur. Et hoc est quod dicitur ad Romanos quinto[4]: *Non sicut delictum, ita et donum* etc.

Secunda congruitas est ratione eius, *ad quod* est, quia scilicet est ad regenerandum. Ratio 2. Unde in hoc Sacramento transfertur homo a *potestate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei,* et maxime aperitur largitas divinae manus in primo reditu et adventu. Et hoc est quod dicitur ad Titum tertio[5]: *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.*

Tertia congruitas est ratione *ordinis*, quia illud est primum inter omnia Sacramenta et fundamentum ad alia; Ratio 3. ideo, ut perfectum sternatur fundamentum, placuit divinae misericordiae huic Sacramento perfectam dare *efficaciam* ad delendam omnem culpam, ut posteriorum oblitus, is qui baptizatus est et quasi novus effectus, omnino ad anteriora extendat se[6]. — Et quia disposuit huic Sacramento dare praecipuam *efficaciam,* Corollarium. et quod virtus passionis specialiter huic Sacramento adesset; ideo dedit etiam expressam *significantiam;* hoc enim inter cetera magis indicat, animam fieri sanctam et puram[7]. — Concedendum est ergo, quod delet omnem culpam.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod diversorum morborum diversae sunt medicinae etc.; Solutio oppositorum. dici potest, quod hoc est verum in corporalibus, in quibus est arctatio virtutis; Solutio 1. in spiritualibus autem, ubi est maior communicatio bonitatis, secus est. — Sed quia hoc diximus[8] verum esse in spiritualibus, Solutio auctoris. propter hoc quod Sacramenta distincta sunt; dicendum, quod remedium potest morbum respicere dupliciter: Distinctio. aut quia *principaliter* fit ad hoc, aut quia hoc curat tanquam *annexum.* Dico ergo, quod secundum quod diversi sunt morbi spirituales, diversae etiam sunt medicinae sacramentales *principaliter ad illos* ordinatae. Si autem morbus habeat alium morbum *coniunctum,* et medicina perfectam habeat virtutem curandi; non tantum curat *principalem,* sed etiam *annexum;* et sic dico facere baptismum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod gratia baptismalis est incipientium; dicendum, quod gratia baptismalis habet duplicem comparationem, scilicet ad *bonum,* ad quod habilitat, et ad *malum,* a quo Distinctio.

---

[1] Cfr. infra a. 2. q. 2. — Inferius post *et non esset* Vat. addit *talis culpa.* [2] Vide supra d. 2. a. 1. q. 1.

[3] Cod. U *auctoritates Sanctorum.* Aliquanto inferius pro *causalis fuit* codd. F H *causalis est.* Subinde verbo *potest* cod. H praemittit *dicendum, quod.*

[4] Vers. 15. — Superius pro *ille morbus* Vat. *illi morbum,* codd. et ed. 1 *illum morbum;* lectiones incongruae.

[5] Vers. 5. seq. Superius respicitur Coloss. 1, 13; Rom. 8, 15.

[6] Phil. 3, 13. seq.: Quae quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero quae sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor etc. — Superius pro *sternatur* codd. A G K aa cum Alex. Hal., loc cit., *statuatur.* Inferius pro *et quod* in codd. F bb secunda manus substituit *eo quod.*

[7] Cfr. supra d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. in corp., et III. Sent. d. 20. q. 4. in fine corp.

[8] Supra d. 2. a. 1. q. 3, ubi etiam in fundam. 1. verbum Hieronymi adducitur. — Quae sequuntur clarius exhibentur ab Alex. Hal., loc. cit.: Potest dici, quod medicina potest referri ad morbum dupliciter: aut ut ad illum, ad quem principaliter et appropriato modo est ordinata, et secundum hunc respectum et relationem diversorum morborum diversae sunt medicinae sacramentales; aut potest referri ad morbum coniunctum illi morbo, ad quem principaliter est ordinata, et secundum hunc respectum et relationem non semper diversorum morborum diversae sunt medicinae etc.

curat, sive ad peccatum. Secundum primam comparationem competit statui incipientium, sed quantum ad aliam comparationem, cum sit perfectum medicamentum, habet vim gratiae perfectae, et hoc ex divina ordinatione, quae in illo Sacramento vult omnia delere et innocentiam perfecte restituere.

3. Ad illud quod obiicitur de motu venialis peccati, quidam respondent, quod veniale tunc efficitur mortale, quia negligit se praeparare et ad Sacramentum disponere, non quia idem peccatum, quod fuit veniale, fiat mortale, sed quia additur contemptus, qui est mortalis [1]. — Sed hic sermo durus est, quia frequenter insurgunt veniales motus, etiam cum spirituales homines sunt, in perceptione divinorum Sacramentorum. — Ideo dicunt alii, quod est fictio dupliciter, scilicet *simpliciter* et *secundum quid:* fictio *simpliciter* aufert totum effectum, et haec est cum voluntate mortaliter peccandi [2]; fictio *secundum quid,* haec est venialis, quae non impedit ingressum gratiae, sed complementum, unde in tali non habet perfectum effectum. — Aliter tamen potest dici, quod motus venialis non facit fictum *simpliciter,* sed *ad tempus,* quia gratiam non expellit, sed retardat, dum non elevat se ad recipiendam divinam gratiam; et quando talis motus cessat, credo, quod statim baptismus plenum effectum habeat et hunc motum et alia peccata deleat, etiam si non superveniat de illo contritio nova.

Solutio 1. Non probatur. Solutio 2. Solutio 3.

4. Quod ultimo obiicitur patet, quia baptismus non est iterabilis. Et *iterum,* aliquae sequelae remanent, quae, quamvis non sint culpa, inclinant [3] ad culpam, et ideo indigent remediis aliis. — Quare autem hoc Sacramentum magis sit efficax quam alia, patet ex iam dictis.

Ad quaest. incid.

SCHOLION.

I. Baptismus « vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae... Huius Sacramenti effectus est remissio omnis *culpae* originalis et actualis, omnis quoque *poenae,* quae pro ipsa culpa debetur » (Concil. Florent. Decret. pro Armenis). Haec *plena* et perfecta peccatorum omnium remissio semper comitatur baptismum, nisi adsit obex. Error contrarius, in saec. XVI. late propagatus, quod peccata baptismo tantum tegantur sive radantur, ast non deleantur, reprobatus est a Leone X. 16 Maii 1520 per Bullam *Exsurge Domine,* prop. 2, et a Concil. Trident., Sess. V. can. 5, qui est contra asserentes, non tolli totum id quod veram et propriam rationem peccati habeat. Plura hic et in seqq. quaestionibus dicta magis explicantur II. Sent. d. 32. a. 1. 2, et ab Alexandro Hal. locc. infra citt.

De hac quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 2. § 1. — Scot., hic q. 5. n. 9, et Report. hic q. 5. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 69. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 57. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. De diversis poenarum speciebus, praesertim de poena *inflicta, acta* et *contracta,* cfr. I. Sent. d. 40. a. 4. q. 1. ad 3. 4; II. Sent. d. 35. a. 1. q. 2. ad 4, nec non infra d. 20. p. I. q. 2. in fine corp. — In hac (2.) quaestione solvenda auctor noster presse sequitur Alexandrum Hal., loc. cit. § 2. in fine.

Praeter Alexandrum cfr. Scot., locc. citt. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. 3; S. loc. cit. a. 2. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 3.

III. In adultis effectum baptismi respectu gratiae infusae inaequalem esse, facile intelligitur, cum causa *disponens* ex parte baptizati passim diversa sit. Remissio peccatorum semper est totalis et sub *hac ratione* aequalis in omnibus, quantumcumque inaequalia ipsa peccata quoad numerum et speciem esse possint. De aequalitate effectus in *parvulis* S. Bonav. cum paucis aliis specialem quaestionem habet infra p. II. a. 2. q. 3.

De hac (3.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. § 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. loc. cit. a. 8. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum baptismus deleat omnem poenam.

Secundo quaeritur, utrum Sacramentum baptismi deleat omnem poenam. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Ad Romanos undecimo [4]: *Sine poenitentia sunt dona Dei;* Glossa: « Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, aut planctum, aut aliquod aliud opus »: ergo videtur, quod baptizatus nullius poenae sit debitor.

2. Item, Augustinus de Cataclysmo [5]: « Baptizatus es, mundatus es, restitutum est corpus tuum ad statum primi hominis »: ergo si primus homo nullius poenae fuit debitor, videtur similiter, quod nec baptizatus.

3. Item, pronior est Deus ad miserandum quam ad condemnandum, et passio Christi plus meruit,

---

[1] Cfr. infra d. 16. p. II. a. 3. q. 1. — Superius voci *Sacramentum* codd. FHY (bb a secunda manu) praemittunt *tantum.* Subinde pro *quod fuit veniale* edd. et pauci codd. *quod est veniale.* Inferius pro *Ideo dicunt alii* codd. EGI *Ideo sunt alii, qui dicunt.*

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 2. et infra a. 2. q. 2. — Edd. *et haec est voluntate mortaliter peccandi.* Vat. deinde prosequitur: *Fictio secundum quid, quae est venialis, non impedit* etc.

[3] Edd. supplent *tamen.*

[4] Vers. 29. — Glossa, quae exhibetur a Petr. Lombard. et Lyrano, sumta est ex Commentario in Epist. ad Rom. olim Ambrosio attributo.

[5] Cap. 2. n. 2: Baptizatus es, mundatus, unctus oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum. — Pro *de Cataclysmo* i. e. de Diluvio (cfr. Eccli. 40, 10.) non pauci codd. falso *de Catechismo.*

quam peccatum Adae demeruit[1]; sed Deus in ultione peccati Adae poenas nobis multiplices inflixit: ergo multo fortius propter meritum passionis Christi non tantum a culpa, sed etiam a poena debet eripere, omni scilicet, quam inflixit.

4. Item, remota causa, removeri debet effectus[2]; sed causa nostrae poenalitatis et mortalitatis fuit culpa: ergo restituta innocentia, iam non debet durare poenalitas aliqua vel mortalitas. *Si tu dicas,* quod culpa fuit causa mortalitatis, non sic innocentia causa contrarii; *contra:* « Si oppositum est causa oppositi, et propositum propositi[3] »: ergo cum culpa sit causa ponens mortalitatem, similiter innocentia ponet impunitatem et immortalitatem: ergo si baptismus reducit innocentiam, videtur, quod tollat omnem poenam.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Videmus, parvulos baptizatos, qui nullam culpam commiserunt, post baptismum multis cruciatibus subiacere; et constat, quod non iniuste: ergo baptismus non absolvit ab omni poena.

2. Item, videtur, quod non debeat ab aliqua poena absolvere, quia Augustinus[4] dicit: « Aut Deus punit, aut homo punit »; et iterum, secundae ad Timotheum secundo: *Iustus est, se ipsum negare non potest:* ergo cum dimittere malum impunitum sit relinquere universum inordinatum, sit etiam facere contra iustitiam; videtur, quod Deus in baptismo non debeat ab omni poena absolvere.

3. Item, baptismus magis est remedium contra originale quam contra actuale[5]; sed non curat a poenis contractis per originale: ergo nec absolvit a poenis debitis actuali: ergo videtur, quod a nulla. — *Si tu dicas,* quod relinquitur ad exercitium[6]; *contra:* maius est exercitium in poenis personalibus, quam sit in naturalibus: ergo potius deberet illas dimittere.

Quaestio incidens.

Propter hoc est quaestio: cum bonus medicus intendat semper radicem morbi curare, et bonum remedium ad hoc feratur; propter quid baptismus relinquit magis poenam fomitis, quae inclinat ad peccatum, quam alias poenas debitas pro peccatis?

CONCLUSIO.

Baptismus absolvit ab omni poena aeterna et assumta, non vero ab omni contracta.

Respondeo: Dicendum, quod distinguendum est in poenis. Quaedam enim poenae sunt *aeternales,* et quaedam *temporales.* Ab omni aeternali absolvit baptismus delendo omnem culpam. In *temporali* vero distinguendum, quia quaedam *contrahuntur,* quaedam *assumuntur*[7]. *Contrahuntur* autem sicut fames, sitis et passiones contemporaneae vitae. Quaedam imponuntur et *assumuntur,* ut ieiunia et corporalia et spiritualia exercitia et laboriosa opera. — Baptismus igitur absolvit ab omni poena *aeternali,* absolvit nihilominus ab omni poena *temporali satisfactoria* sive assumta; non autem ab omni *contracta,* utpote a fame, siti et infirmitate et ceteris poenis spiritualibus[8].

Distinctio cum subdist.

Conclusio.

Ratio generalis.

Ratio autem huius est, quia Deus ad hoc ipsum non ordinavit. Et ratio, quare non ordinavit, est, quia congruum fuit, quod huiusmodi poenalitates in nobis relinqueret, et hoc ad manifestandam *aequitatem divini iudicii,* ad demonstrandum *meritum passionis Christi,* ad promovendum *meritum liberi arbitrii.* — Ad manifestandam *aequitatem divini iudicii,* ut illa sententia, quam dictaverat de morte Adae et posterorum eius, immobilis permaneret; unde ab illa nemo evadit. — Ad ostendendum *fructum passionis Christi:* quia, si Dominus curaret naturam et fomitem, filius nasceretur immunis a culpa nec indigeret regenerari a Christo; ideo, ut omnes se ipsius passione noscant egere, data est virtus Sacramento a passione, sive ad hoc ordinatum est, ut poenas remittat *personales,* non *naturales,* quia remedium respicit personam, non naturam[9]. — Ad amplificandum *meritum liberii arbitrii;* promovent enim ad bonum multiplex huiusmodi poenalitates. Dantur enim propter *humilitatem,* Iob sexto[10]: *Sagittae Domini militant in me, quarum indignatio* etc. Propter *timoris incussionem,* Iob sexto: *Terrores Domini militant contra me.* Propter sui

Congruentiae 3.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Octo fructus poenalitatum.

---

[1] Cfr. Rom. 5, 17. seqq. August., Serm. 18. (alias 220. de Tempore) c. 2. n. 2: Non enim amat Deus damnare, sed salvare. — Pro *miserandum* codd. A G *miserendum.*

[2] Vide Aristot., II. Phys. text. 37. (c. 3.); V. Metaph. text. 3. (IV. c. 2.), et Avicenna, Metaph. tr. 4. c. 1.

[3] Aristot., IV. Topic. c. 4: Si oppositum in opposito, et propositum in proposito erit. — Inferius pro *impunitatem* cod. F *impoenalitatem.*

[4] Enarrat. in Ps. 44, 8. n. 18. et in Ps. 58, 6. serm. 1. n. 13; Serm. 19. (alias 4. ex Sirmond.) n. 2; Serm. 20. (alias 3. ex Sirmond.) n. 2, et Serm. 29. (alias 3. de Diversis) c. 5. n. 6. Cfr. III. de Lib. arb. c. 15. n. 44, ubi de relatione peccati ad divinam iustitiam et ordinem universi (vide tom. II. pag. 770, nota 1.) agitur. — Seq. textus Scripturae est II. Tim. 2, 13.

[5] Vide quaest. praeced.

[6] Ut insinuat Magister, hic in lit. c. 6. — Vat. *relinquuntur poenae contractae ad exercitium.* Mox pro *personalibus* plurimi codd. *poenitentialibus,* quae lectio (ut ex corp. quaest. liquet), licet in textum recipi posset, non tamen ita clare oppositionem membrorum, de qua agitur, exprimit, praesertim cum tam in corp. quaest. quam in solut. ad hanc obiectionem codd. utantur verbo *personalis.* Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 2. § 2. circa finem: Maius est exercitium in poenis *poenalibus* (?) [ita etiam cod. A] quam in poenis naturalibus sive fomitis.

[7] In cod. F a secunda manu additum est *quaedam imponuntur,* Alex. Hal., loc. cit., *sive imponuntur.* Mox pro *contemporaneae* idem cod. F *temporaneae.*

[8] Vat. *poenis talibus.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 2, ubi etiam plura habentur, quae ad solut. obiectionum spectant. — Superius post *a Christo* cod. B cum Alex. Hal., loc. cit., prosequitur *Deo, ut ergo omnes;* eandem lectionem exhibent codd. C E, omisso tamen *ergo.*

[10] Vers. 4: Quia sagittae Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, et terrores Domini militant contra me. — Seq. textus est Iob 6, 4; tertius est Isai. 28, 19; quartus Mich. 2, 10; quintus Zach. 13, 5.

ipsius cognitionem, Isaiae vigesimo octavo: *Tantummodo sola vexatio dabit intellectum* etc. Propter *stimulationem ad bonum,* Michaeae secundo: *Surgite et ite, quia non habetis hic requiem.* Propter *exemplum non peccandi,* Zachariae decimo tertio: *Adam exemplum meum ab adolescentia mea.* In *exercitium virtutum,* Iudicum tertio [1]: *Hae sunt gentes, quas reliquit Dominus, ut erudiret Israel.* Propter hoc, ut sint *signum adoptionis filiorum,* ad Hebraeos duodecimo: *Si extra disciplinam estis* etc. Propter hoc etiam, ut nemo hoc accipiat in *retributionis praemium,* ne scilicet homines propter hoc ad baptismum venirent. Si enim daretur ibi immortalitas, propter hoc plures accederent quam propter gratiam, « nec fides tunc haberet meritum, cui humana ratio praeberet experimentum [2] ». — Prima igitur ratio, quae dicit, quod remanet poena corporalis; concedenda est.

De 1. arg. pro parte negativa.

2. Sed quod dicit Augustinus, quod corpus restitutum est in statum primi hominis; dicendum, quod intelligitur quantum ad *innocentiam,* non quantum ad *naturam.*

Ad argg. pro parte affirmativa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus pronior est ad miserandum; dicendum, quod sic decet Deum misereri, ut tamen [3] inviolabilis maneat sententia veritatis; et ideo patet, quod non debuit sententiam latam contra hominem retractare, sed manente sententia, remedium misericorditer adhibere. Et primum fecit quasi compulsus, secundum vero ex se. *Rursus,* meritum Christi non ordinatur efficaciter nisi his qui ei adhaerent, et ita personas respicit.

4. Ad illud quod obiicitur de causa, dicendum, quod est quaedam causa *efficiens* et *conservans;* quaedam *inducens,* sed *non conservans:* primo modo habet veritatem, secundo modo non. Exemplum horum est in sole et lumine, gladio et vulnere [4]. Primo modo culpa non est causa poenae, sed secundo modo. — Quod tamen obiicitur, quod si oppositum est causa oppositi etc.; dicendum, quod illud est verum, ubi est tota causa [5]. — Potest nihilominus dici, quod innocentia non est *causa* immortalitatis; sed *meritoria,* sicut culpa fuit meritoria mortalitatis; et quamvis mereatur, tamen divina dispensatione, ut dictum est, non redditur statim.

Duplex causa.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aut punit Deus, aut homo; dicendum, quod homo aliquam poenam habuit, cum peccavit; aliquam, cum conteritur; residuum vero solvit Christus de suo, et sic non remanet impunitum.

Ad argg. pro parte negativa.

3. Ad aliud dicendum, quod baptismus est remedium respiciens personam, non naturam; et rationes huius dictae sunt. Ideo poenam *personalem,* non *naturalem* remittit.

Ad illud quod quaeritur de medico, quod curat radicem; dicendum, quod Deus utroque modo curare potuit; sed tamen magis hoc modo curare disposuit, non ut totum genus curetur simul, sed quilibet, qui vellet curari, et quilibet in propria persona; quia magis *adstringebatur* Deo, dum hoc [6] recognoscebat beneficium; et divina etiam *iustitia* hoc exigebat tanquam congruum et decens. Si enim unumquemque nostrum Deus curasset in radice, non sic gratiam Dei cognosceret quilibet nec ita gratus esset de beneficio praestito in alio, sicut de praestito in se ipso [7].

Ad quaest. incidentem.

QUAESTIO III.

Utrum baptismus in omnibus aequalem habeat efficaciam.

Tertio quaeritur, utrum digne recipientes Sacramentum baptismi, omnes et aequaliter recipiant eius efficaciam. Et quod sic, videtur.

1. Augustinus in libro de Unico Baptismo [8]: « Baptizari alius alio magis non dicitur, vel minus »: ergo aequaliter.

Ad oppositum.

---

[1] Vers. 1: Hae sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israel. — Seq. textus est Hebr. 12, 8. — Pro *Propter hoc, ut sint* multi codd. *Propter hoc, ut sit.*

[2] Secundum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1. Ultima haec ratio est August., II. de Peccat. merit. et remiss. etc. c. 31. n. 50, et Anselm., de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 3. c. 9. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 6.

[3] Codd. A E I K N *ut inde.* Pro *miserandum* cod. A *miserendum.* In fine solut. pro *nisi his, qui ei adhaerent* cod. F *nisi in his, qui ei inhaerent.*

[4] Recedente enim sole, recedit lumen sive illuminatio, remoto autem gladio, non removetur sive sanatur vulnus. Cfr. infra d. 27. a. 2. q. 1. ad 2.

[5] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. ad 3. et d. 33. a. 1. q. 2. ad 3. — Inferius pro *sed* cod. U *scilicet;* communis lectio codd. explicatur a codd. K N aa (P a secunda manu) *efficiens, sed.* Vide Alex. Hal., loc. cit., ubi docet, quod gratia et peccatum non sint proprie causae, a quibus immortalitas et mortalitas *corporis* inducantur eo modo, quo ab ipsis vita et mors *animae* praestantur. « Unde mortalitas, quae est ex privatione vitae *corporalis,* magis dicenda est poena hominis ex animadversione divinae sententiae quam ex causatione culpae. Et dico causatione *simpliciter,* non meritorie; per se enim loquendo, culpa est causa *meritoria* mortis corporalis, immo annihilationis simpliciter; non autem est causa sicut privationis vitae animae » etc.

[6] Pro *dum hoc* codd. vel *ut* vel *et.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Sub hoc etiam titulo allegatur opus Augustini, quod nunc inscribitur « de Baptismo contra Donatistas », ut videri potest ex C. *Nunc autem non* (46.). et C. *Quum tantum valet* (47.), de Consecrat. d. 4. (ubi etiam verba, de quibus hic agitur,

2. Item, *ratione* videtur: quia baptismus restituit quemlibet ad plenam innocentiam, ita quod baptizatus statim evolaret, si moreretur; sed unus non est altero innocentior[1]: ergo etc.

3. Item, baptismus habet efficaciam a passione Christi; sed Christus aequaliter se obtulit pro omnibus: ergo et Sacramentum aequaliter habet efficaciam in omnibus.

Item, quaero: in quo maiorem habet efficaciam, Quaestio incidens. aut in eo qui *magis* peccavit, aut in eo qui *minus?* Quod in eo qui *magis*, videtur: quia utrique totum remittitur, et illi magis, qui peccavit amplius. — Sed quod in eo qui *minus*, videtur: quia ille est gratia dignior: ergo etc.

Contra: 1. Dicitur Matthaei vigesimo quinto[2]: Fundamenta. *Dedit unicuique secundum propriam virtutem;* sed unus est plus dispositus quam alter: ergo unus plus accipit a Deo in baptismo quam alter.

2. Item, Damascenus[3]: « Peccatorum omnibus similiter per baptismum venia datur, gratia autem secundum proportionem fidei et praepurgationem ».

3. Item, Deus est dator gratiae in baptismo; constat, quod voluntarius et rationalis; sed ratio dictat, eum qui donat, secundum quod melius invenit aliquem dispositum, plus ei donare: ergo etc.

CONCLUSIO.

Effectus baptismi quoad characteris impressionem et innocentiae restitutionem in omnibus aequalis est; mensura tamen gratiae in adultis secundum eorum dispositionem est maior vel minor, at eadem gratia omnia, etiam plurima, peccata delet.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut supra[4] dictum est, Effectus 3. prima res baptismi est *character*, secunda est *infusio gratiae*, tertia est *restitutio innocentiae*. Conclusio 1. Quantum ad *characterem* non est magis vel minus; unus enim alio non est magis baptizatus. Conclusio 2. Quantum ad tertium, scilicet *innocentiam*, aequaliter, quia unus non est magis innocens alio. Conclusio 3. Quantum ad medium vero, quod est *gratia*, dicendum, quod est *magis* et *minus*. — Sed *gratia* duplicem habet actum, scilicet *delere peccatum* et *habilitare ad bonum*. Conclusio 4. Quantum ad deletionem peccati maiorem habet *effectum* in eo qui plura commisit; sed tamen non propter hoc *est maior*, quia modica gratia potest delere omnem culpam. Conclusio 5. Quantum vero ad *habilitationem ad bonum*, in eo qui magis se disposuit, *maiorem* habet *efficaciam*, et praeterea *ipsa*[5] est maior; quia ex hac parte attenditur *augmentum gratiae.*

Solutio oppositorum. 3. Per hoc patent omnia praeter illud de passione; ad quod dicendum, quod etsi Christus pro omnibus passus est, non tamen habet passio eius in omnibus *efficaciam*, quia non omnes se disponunt; sic, etsi aequaliter passus est, non tamen habet *aequalem* in omnibus efficaciam, quia non omnes aequaliter se disponunt; sed qui propinquius accedit magis accipit, sicut ad ignem[6].

1. 2. Primae duae rationes currunt secundum illam viam, secundum quam est aequalitas, scilicet *characteris* et *innocentiae.*

Ad quaest. incident. Ad illud quod quaeritur, cui plus donat, vel ei qui plus peccat, vel ei qui minus; dicendum, quod quantum ad *remissionem culpae* et *dimissionem poenae* ei qui *plus*. Quantum vero ad *habilitationem ad bonum* potest esse et *sic* et *aliter*, secundum quod magis se disponit, et Deus acceptat; Notandum. quia frequenter, *ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia*[7]. Tamen ceteris paribus minor praeparatio eius qui minus peccavit, pro maiori reputanda est ei; unde credo eum magis dispositum ad gratiam. Et *si tu obiicias: cui plus dimittitur plus diligit,* Lucae septimo[8]; dicendum, quod illud non ponitur, quia ita sit semper, sed quia de bono et aequo debet plus diligere ex dimisso; sed non oportet, quod plus diligat ex bono dato et commisso. — Et sic patent omnia circa haec quaesita[9].

---

afferuntur). In libr. V. huius operis c. 14. n. 16. ait August.: Dici potest alius alio doctior in ipsa doctrina salutari, alius autem alio magis minusve baptizatus dici non potest, sive ab inferiore sive a maiore baptizetur. — Superius post *omnes* codd. T U omittunt *et*, pro quo cod. M *etiam.*

[1] Quia *innocentia* dicit culpae privationem (cfr. II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. ad 3.); privationes autem non recipiunt magis et minus. Vide tom. II. pag. 111, nota 3.

[2] Vers. 15.

[3] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9. Textus originalis, post *gratia autem* addito *Spiritus*, pro *praepurgationem* (cod. U *praeparationem*) substituit *praepurgationis* [τῆς προκαθάρσεως], quod nova versio (ed. Migne) reddit *praeviae purgationis.*

[4] Dist. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4.

[5] Cod. O supplet *gratia.* Pro *praeterea* edd. *propterea.*

[6] Cod. U bene addit: *qui propinquius accedit magis calefit.* Superius cod. F omittit *sic*, quod Vat. cum praecedente propositione coniungit. Subinde substituimus ex codd. H K O R T aa *in omnibus* pro *in omnes.*

[7] Rom. 5, 20. — Superius pro *et sic et aliter* codd. G I *e converso et sic*, edd. omittunt *et sic et.* Inferius auctoritatem sequimur cod. I, substituentes *eius* pro *ei*, simulque addentes *ei* post *reputanda est*, quia ibi etiam codd. A E G H L V addunt *ei.*

[8] Vers. 47: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Cfr. August., Serm. 99. (alias 23. ex homiliis 50.) c. 4. n. 4. seqq., ubi haec verba exponuntur.

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De ficte suscipientibus baptismum.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de ficte accedentibus. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum aliquis invitus sive coactus suscipiat Sacramentum baptismi.

Secundo, utrum fictus recipiat Sacramentum et non rem.

Tertio, utrum, recedente fictione, baptismus habeat in eo plenam efficaciam.

QUAESTIO I.

Utrum aliquis invitus sive coactus recipiat Sacramentum baptismi.

Et quod aliquis invitus non recipiat baptismum, videtur:

Argg. pro parte negativa.

1. Quia dicitur in decretali Innocentii[1], quod « si aliquis omnino recusans immergatur, non est baptizatus ».

2. Item, in Sacramento baptismi contrahitur matrimonium spirituale, et desponsatur anima Deo; sed matrimonium spirituale aut tantum, aut plus exigit de consensu, quam matrimonium carnale: ergo si coactio impedit matrimonium carnale[2], similiter videtur, quod impediat, ne quis suscipiat baptismatis Sacramentum.

3. Item, Sacramentum est donum Dei non solum ratione gratiae gratum facientis, sed etiam characteris impressi; sed Dei gratia non tantum non datur repugnantibus, immo etiam subtrahitur: ergo videtur, quod tali nullo modo conferatur Sacramentum.

4. Item, lex evangelica est lex libertatis[3]: ergo et Sacramenta evangelica sunt libertatis; sed quod libertatis est libere suscipitur a voluntate: ergo videtur, quod nec de iure nec de facto aliquis Sacramentum baptismi recipiat invitus.

Pro parte affirmativa.

Contra: 1. Parvulus et furiosus recipiunt Sacramentum, quantumcumque renitantur, sicut patebit infra[4]: si ergo hoc verum est, ad receptionem eius non concurrit actus voluntatis: ergo ita recipit invitus, ut voluntarius.

2. Item, baptismus est remedium contra originale[5]; sed originale contrahit necessario puer, cum nascitur: ergo videtur similiter, quod ad baptismum possit inferri alicui necessitas violentiae.

3. Item, non potest magis cogi voluntas quam comminando vel intentando mortem; sed si aliquis compulsus timore mortis sacrificet[6], erit idololatra: ergo similiter, si Sacramentum baptismi recipiat timore mortis, Sacramentum verum est.

4. Item, si aliquis baptizatur ex amore male inflammante, baptizatus est de facto: ergo si non minus repugnat baptismo amor male inflammans, quam timor male humilians[7], si hic baptizatus ex malo amore baptizatus est, similiter videtur, quod baptizatus ex timore sit baptizatus.

CONCLUSIO.

Deficiente in adultis penitus intentione, non recipitur Sacramentum, ut in invito ob coactionem sufficientem et in illudente.

Duplex coactio.

Respondeo: Dicendum, quod *coactio* duplex est, scilicet *sufficiens* et *inducens*[8]. Si aliquis mergatur coactione *sufficiente* — utpote quia violenter acceptus est et, ipso renitente manibus et pedibus, mersus est — talis nullo modo baptizatus est, quia Conclusio 1.
nullo modo fuit in eo consensus nec voluntas, immo

---

[1] Innocentius IV, C. *Maiores* (3.) X. (lib. III. tit. 42.) de Baptismo et eius effectu, ubi haec sententia sustinetur respectu illorum qui penitus susceptioni baptismi contradicunt, et respectu dormientium ac amentium, qui, priusquam amentiam incurrerent aut dormirent, in contradictione consistunt: « Et si sic fuerint immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti ». Ipse Innocentius allegat hac de re C. *De Iudaeis* (5.), d. 45. (ex Concilio Tolet. IV. c. 56.). — Pro *recusans* cod. Y *renitens*.

[2] Ut ostenditur infra d. 29. q. 1. — Paulo ante pro *quam* plures codd. *quantum*.

[3] Cfr. Gal. 4, 22. seqq.

[4] In p. II. huius dist. a. 2. q. 1. seq.

[5] Ut ostensum est supra a. 1. q. 1.

[6] Supple cum codd. G I (E bb a secunda manu) *idolis*. Subinde permulti codd. omittunt *baptismi*.

[7] De amore malo inflammante et timore male humiliante vide II. Sent. d. 5. a. 1. q. 1. ad 1, et in d. XLII. lit. Magistri, c. 4. verba Augustini. — Mox substituimus ex codd. B D H K L Q bb *si hic* pro *si sic;* Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 7. a. 2. § 1. ponit *si*, codd. A T U Z *si hic sit (sic?)*.

[8] Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. — Inferius pro *utpote quia* codd. M O U *utpote qui*, edd. *utpote quia, cum*, Alex. Hal. loc. cit. legit: *Sufficiens*, si aliquis immergatur coactione sufficiente, utpote *quando*.

fuit omnino repugnans. — Si autem aliquis immergatur coactione *inducente*, utpote minis vel flagellis, ita quod magis vult se subiicere Sacramento Ecclesiae quam morte perire; dico, quod aut intendit alios *illudere* et mortem evadere, et tunc, quia non est intentio, non est Sacramentum, cum nullus dicatur baptizatus esse, qui consentit, se immergi ad iocum; aut ipse vult, illud quod facit Ecclesia circa se fieri[1] magis, quam velit perire; et tunc, sive credat sive non, sive velit habere gratiam sive non, dicendum, quod recipit Sacramentum, eo quod, quamvis non sit ibi voluntas meritoria, est tamen ibi consensus et voluntas, nec est *simpliciter* involuntarium. Unde quia talis vult exterius Sacramentum recipere, etsi nolit interius aliquid in se fieri[2], fit tamen, propter hoc quod qui subiicit se causae subiicit se necessario annexo: et ideo secundum canones et doctores theologiae talis iudicandus est baptizatus.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

1. Ex hoc patet illud quod primo obiicitur; nam ista est intentio Innocentii.

Ad argg. pro parte negat.

2. Ad illud quod obiicitur de matrimonio carnali, dicendum, quod non est simile: quia enim coacta connubia consueverunt habere malos exitus, ideo sacri canones non indulserunt ipsa. — Alia tamen potest esse ratio huius, ut dicetur infra[3]. Nihilominus tamen illud verum est, quod non tanta voluntas requiritur in aliquo ad susceptionem baptismi, sicut ad contractionem matrimonii. Si enim pater exponat parvulum ad baptizandum, non potest parvulus, cum ad adultam aetatem venerit, revocare[4]; non sic est de matrimonio, quia, quantumcumque pater obliget parvulum, nunquam obligatur, nisi consentiat, cum pervenerit ad annos discretionis.

Alia ratio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Sacramentum est donum Dei; dicendum, quod est donum gratiae gratis datae et gratum facientis; quamvis autem donum gratiae gratum facientis non detur habenti duplex cor et duplicem voluntatem[5], datur tamen donum gratiae gratis datae, quod non exigit tantam dispositionem in suscipiente.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod lex evangelica est lex libertatis; dicendum, quod verum est, quod de *iure* non datur nec dari debet ei qui libera voluntate non accedit; et ius divinum hoc dictat, et Constantinus[6] de hoc legem condidit. De *facto* tamen, si fiat, factum est; hoc tamen habet veritatem in re[7] Sacramenti, quod facit esse in lege libertatis.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod quantumcumque renitenti Sacramentum dari potest, propter parvulum et furiosum; dicendum, quod non est simile: quia illi non habent usum voluntatis, unde non statur appetitui suo, sed voluntati offerentium[8]. — Tamen de *furioso* distinguitur: quia aut *habuit* aliquando usum liberi arbitrii, aut *non habuit.* Si *non habuit,* iudicandum est sicut de parvulo. Si *habuit* et in illo baptizari voluit, iudicandum est, eum baptismum recipere; sed si nullo modo voluit, non est credendum, ipsum recipere Sacramentum.

Ad argg. pro parte affirmativa.

De furioso.

2. Ad illud quod obiicitur, quod originale contrahit quis invitus; dicendum, quod non est simile: quia originalis contractio est quasi *naturalis*, et ideo inevitabilis; sed remedium baptismi non respicit *naturam*, sed potius *voluntatem personae;* et ideo non est simile[9].

3. 4. Ad illud quod obiicitur ultimo de comminatione mortis; dicendum, quod maior potest esse coactio quam haec; nam haec est solum *inducens,* non *sufficiens.* Sed cum accipitur, velit nolit, et immergitur, ibi est *sufficiens* coactio. Quamvis enim voluntas non possit cogi *in volendo,* potest tamen simpliciter homini fieri coactio *in actu exteriori.* Unde voluntas *inducta* voluntas est[10]; et ideo hic imprimitur character, et ibi non. — Et est exemplum in eo qui ponit thura timore mortis, et de eo cuius manus trahitur violenter; primus consentit et peccat et dicitur *sacrificare,* secundus non. Sic qui Sacramentum *inductus* suscipit, dicitur consentire; sive inducatur amore bono vel malo, sive timore bono vel malo, suscipit Sacramentum, quia Sacramenti susceptio est bonis malisve communis[11]. Et ideo talis voluntas sufficit ad Sacramentum, ut seniores dicunt. — Et sic patet, quibus character baptismalis imprimitur.

Notandum.

Exemplum.

---

[1] Multi codd. et ed. 1 incongrue adiiciunt *velle.* Pro *vult* cod. bb *intendit.*

[2] Ita ex parte codd. A G I K O U aa, sed verba *fit tamen* adiecimus ex codd. O U, pro quibus in codd. A aa tantum *fit*, in pluribus aliis vero *tamen.* Cum cod. aa ante *subiicit* addidimus *qui.* Codd. F H bb legunt: *Sacramentum recipere et aliquid in se fieri, et propter hoc* etc.; alii codd. corrupte *Sacramentum recipere, aliquid in se fieri, fit propter hoc* etc.; edd. *Sacramentum recipere, vult aliquid in se fieri, quod fit; et sic propter hoc* etc. Locum ubique corruptum probabiliter sic corrigendum esse putavimus.

[3] Dist. 29. q. 1. — Permulti codd. ante *indulserunt* omittunt *non*, edd. substituunt *interdixerunt.*

[4] Vide infra d. 6. p. II. a. 3. q. 1.

[5] Cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 3.

[6] Vide ipsius Edictum ad provinciales de falso cultu multorum deorum, n. 9. (In Eusebii Pamphili historia de vita Constantini, lib. II. c. 56.). — Codd. F I *Constantius,* plures codd. ob abbreviationem sunt dubiae lectionis.

[7] Scilicet gratia sanctificante; de quo vide supra d. 1. p. I. q. 5. scholion, et passim.

[8] Cfr. infra dub. 2. — Quae dicuntur de *furioso* sunt secundum Innocentium, loc. superius cit.

[9] Vide supra a. 1. q. 2, et Innocent., loc. cit.

[10] Ut docet August., de Spiritu et lit. c. 31. n. 53. Cfr. tom. III. pag. 877, nota 2. Vide etiam II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. — Pro *inducta* cod. M *coacta.*

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

SCHOLION.

I. *Fictus* a Scholasticis communiter definitur esse is qui aliud exterius praetendit, aliud intendit interius. Hoc potest quoad baptismum esse dupliciter: vel quoad *susceptionem* (sive etiam collationem ex parte baptizantis) ipsius baptismi, dum voluntas contradicit ipsi *veritati* Sacramenti, unde collatio est prorsus inanis (cfr. infra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. ad 3.); vel quoad *dispositionem* requisitam, ut *gratia* Sacramenti percipiatur, dum scilicet voluntas contradicit *effectui* Sacramenti. Secunda haec fictio iterum tripliciter esse potest: vel quia fictus accedit *non contritus*, vel *non credens*, vel quia *contemnit* (Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 7. a. 2. § 2; cfr. S. Bonav. infra q. 2.). — De baptismo *parvulorum* vide hic dub. 2, et infra p. II. a. 2. et dub. 4.

Quaestio 1. communissime solvitur secundum distinctionem ab Innocentio IV. (cfr. arg. 1.) factam, scilicet inter modum, quo quis est invitus et non invitus, coactus et non coactus. Caietanus (in S. III. q. 68. a. 7.) tamen opinatur, etiam in adultis sufficere *indifferentiam* voluntatis sive non ponere obicem contrariae voluntatis; quod communiter non approbatur. Quaestio autem de necessitate intentionis in *baptizante* tractatur infra d. 6. p. II. a. 2. — S. Bonav. hic fere repetit dicta Alexandri Hal. — Ut autem praeter characterem etiam *gratia* conferatur (de quo agitur in 2. quaest.), in *adultis,* qui peccata actualia gravia habent, requiritur *attritio,* ut communissime docetur, minime refragante Scoto (cfr. hic q. 5. n. 2. 3.), quid quid nonnulli de eo in contrarium dixerint. Pauci auctores parum probabiliter putant, sufficere attritionem *naturalem.*

Plurimi auctores 1. et 2. quaestionem simul tractant. De utraque: Alex. Hal., loc. cit. § 1. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 5. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 68. a 7. 12, q. 69. a. 9. — B. Albert., hic a. 2. 3. — Petr. a. Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

III. Quoad 3. quaestionem communius cum S. Augustino tenetur, quod recedente fictione, baptismus valeat ad remissionem peccatorum ante baptismum commissorum. Scot. tamen putat, esse probabilius, quod ipsum *peccatum fictionis* non vi baptismi, sed poenitentiae remittatur. Idem affert ibidem etiam duas alias opiniones, sed ut minus probabiles. — Alii cum Vasquez generatim negaverunt, peccata vi baptismi, recedente fictione, remitti, sed hoc tribuerunt subsequenti *poenitentiae,* quae peccatum *fictionis* remittat *per se,* peccata vero baptismum praecedentia *per accidens.* — De expulsione peccati per poenitentiam cfr. hic dub. 3.

De hac 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. in fine. — Scot., hic q. 5. n. 4. seqq. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 3; S. III. q. 69. a. 10. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. — Durand., loc. cit. — Dionys. Carth., hic loc. cit.

QUAESTIO II.

Utrum fictus recipiat Sacramentum et non rem Sacramenti.

Secundo quaeritur, utrum fictus recipiat Sacramentum et non rem. Et quod sic, videtur.

1. Sapientiae primo [1]: *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum.* Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia gratia non stat nec stare potest cum proposito peccandi, immo habita expellitur; sed talis accedit in proposito peccandi: ergo etc.

3. Item, baptismus est Sacramentum fidei: ergo necesse est, accedentem ad ipsum credere, si est in statu, in quo possit. Unde Marci ultimo [2]: *Qui crediderit et baptizatus fuerit* etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Sacramenta novae legis sunt causa [3]; sed « posita causa, ponitur effectus »: ergo si aliquis recipit Sacramentum, etiam si fictus est, recipit et rem. *Si dicas,* quod causa ista potest impediri, ut non *efficiat,* propter malam dispositionem in suscipiente; tamen non potest impediri, quin *significet* [4]: ergo si significat, ibi esse gratiam, et non est, falsum ergo est signum.

2. Item, quaero: quid impedit? et constat, quod nihil magis repugnat gratiae quam culpa; sed culpa non impedit, immo expellitur: ergo a nullo alio potest impediri.

3. Item, si fictio impedit, quaero, quid faciat hominem fictum. Si defectus fidei: ergo eadem ratione defectus caritatis; et tunc omnis non habens caritatem est fictus: ergo nullus recipit gratiam.

CONCLUSIO.

Ficte accedens ad baptismum recipit quidem Sacramentum, sed non rem Sacramenti.

RESPONDEO: Dicendum, quod ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod fictus accedens ad baptismum recipit *Sacramentum* et *rem* pro instanti illo, in quo baptizatur, ut verificetur illud Apostoli [5]: *Quicumque baptizati estis in Christo, Christum induistis;* sed statim post redeunt peccata merito Opinio 1.

---

1 Vers. 5.

2 Vers. 16.

3 Vide supra d. 1. p. I. q. 4. seq. — De *minori* vide Aristot., II. Rhetor. c. 30. (c. 23.); II. Poster. c. 17. (c. 14.); II. Phys. text. 37. (c. 3.); Boeth., III. de Differentiis topic.

4 Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. — Mox pro *ibi esse* cod. K *inesse.*

5 Gal. 3, 27. Cfr. Rom. 6, 3. seq. — Inferius pro *redeunt peccata merito* edd. *recedunt vitio.* — Petr. Pictaviensis, V. Sent. c. 6: *Antiqui* dixerunt, quod ei qui ficte ad baptismum accedit, remittuntur peccata, dum est in aquis baptismi, sed quam cito surgit de aquis baptismi, redeunt peccata. Aliter enim, dicunt, transitus maris rubri non plene typum eius obtineret; ibi

Improbatur. fictionis; et hoc dicunt Augustinum sensisse. — Sed Magister hoc improbat in littera [1] et ostendit, Augustinum sensisse contrarium.

Et propterea aliter est dicendum, quod ficte accedens recipit *Sacramentum* et non *rem*. — *Fictus* autem dicitur ille qui aliud exterius praetendit, aliud habet interius. Talis est qui exterius se corporaliter subiicit, sed interius voluntate adversatur. Unde cum triplex sit potentia interior, tripliciter potest adversari: aut *discredendo* quantum ad rationalem, aut *malum appetendo* quantum ad concupiscibilem, aut *Sacramentum contemnendo* quantum ad irascibilem [2]; et in tali non habet effectum Sacramentum, quia Deus nulli invito dat iustitiam nec gratiam, alioquin non esset iustitia.

Opinio 2. et conclusio.

Triplex fictio.

1. Et per hoc patet quod obiicit de causa. — Ad aliud dicendum, quod Sacramentum significat, se facere in recipiente remissionem, et quantum est de se, semper facit; sed quod non fiat [3], vitium est suscipientis: et ita *veritas* est in Sacramento semper, sed *falsitas* in ficto.

Solutio oppositorum.

2. Ad aliud dicendum, quod gratia expellitur et recipitur in anima secundum conformitatem voluntatis; similiter et culpa. Unde culpa non obsistit gratiae, nisi quamdiu voluntas est illi consentiens, quando autem dolet, tunc consona est. Cum ergo dicitur, quod nihil magis repugnat gratiae quam culpa; intelligendum est, quod *repugnare* potest esse dupliciter: vel quantum ad *resistentiam*, vel quantum ad *oppositionem secundum formam*. Exemplum est de tenebris in aëre et de opacitate respectu lucis: sic dicendum in proposito, quod *culpa* et *gratia* repugnant secundum *oppositionem formae*, sed *fictio* secundum *oppositionem resistentiae*, unde fortius repugnat [4].

Distinctio notanda.

3. Ad illud quod obiicitur de defectu fidei, dicendum, quod necesse est, rationem concordare Sacramento et voluntatem, sed non oportet, quod perfecta concordia, quae est per gratiam gratum facientem, sed ea quae est per gratiam gratis datam. Sed *ratio* non efficitur concors nisi gratia fidei saltem informis; *voluntas* autem efficitur concors attritione; similiter *irascibilis* quadam humilitate sive subiectione: ideo non est simile de caritate. Bene autem opponeret, si intelligeretur de fide formata [5].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum fictus recipiat rem post Sacramentum, recedente fictione.

Tertio quaeritur, utrum fictus recipiat rem post Sacramentum, recedente fictione. Et quod sic, videtur:

1. Quoniam Augustinus dicit, et habetur in littera [6]: « Tunc incipit valere baptismus ad salutem, quando illa fictio veraci confessione de corde recesserit ».

Fundamenta.

2. Item, fictio erat sola causa, quare Sacramentum non habebat efficaciam: ergo illa remota, habet effectum [7].

3. Item, si non haberet effectum; cum Sacramentum non possit iterari [8], et nullus sine efficacia baptismi possit salvari, non pateret huic via salutis.

Contra: 1. Opera mortua non vivificantur [9]; sed iste recipit baptismum extra caritatem; et ita est opus mortuum.

Ad oppositum.

2. Item, necesse est, causam esse coniunctam effectui, alioquin, si causa praeterit et non est, ergo nihil facit [10]; sed ita est in hoc: ergo etc.

3. Item, si aliquis indigne recipit corpus Domini, recedente indignitate, non propter hoc aliquid efficit: ergo etc.

4. Item, quid erit de eo qui medio tempore peccavit? Si enim habet efficaciam, tunc, cum remittat omnem culpam, remittetur fictio et alia peccata; sed hoc non fieret ei, nisi fuisset fictus: ergo reportat commodum de malitia [11].

---

enim submersi sunt Aegyptii, et transierunt Israelitae; nisi ergo semper in baptismo remittantur et deleantur peccata, merserunt Aegyptii cum Israelitis. *Moderni* tamen dicunt, quod nihil prodest baptismus ei qui baptizatur fictus etc.

[1] Hic c. 2.

[2] Haec B. Albert., hic a. 2, complectens dicit: Fictus est, ut dicit Augustinus, qui non credit, vel indevotus accedit, vel qui aliter celebrat Sacramentum, quam institutum est, vel qui contemnit suscipere. — Pro *rationalem* permulti codd. *rationem*.

[3] Codd. M O U *facit*. Mox Vat. omittit *semper*.

[4] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 4. ad 5. — Pro *sic dicendum* cod. F *et sic est*.

[5] Cfr. infra d. 17. p. I. a. 1. q. 2. seq. De fide informi cfr. III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. seqq. — Superius pro *voluntas* Vat. *concupiscibilis*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Hic c. 2.

[7] Cap. *Etsi Christus* (26.) X. (lib. II. tit. 24.) de Iureiurando: Cessante causa, cessat effectus. Cfr. supra pag. 102, nota 3.

[8] Ut ostenditur infra d. 6. p. I. q. 6.

[9] Cfr. infra d. 15. p. I. q. 4.

[10] Aristot., II. Rhetor. c. 30. (c. 23.): Alius locus est *a causa*, ut si causa exstiterit, factum esse dicatur, si non exstiterit, non esse factum; nam simul est causa cum eo cuius est causa, et sine causa nihil est.

[11] Cap. *Intelleximus* (7.) X. (lib. II. tit. 1.) de Iudiciis: Ne videatur de sua malitia commodum reportare. — Superius pro *remittetur fictio* cod. I *remittit fictionem*.

CONCLUSIO.

Character in baptismo impressus, recedente fictione, praecedentia peccata remittit quoad culpam et poenam.

Respondeo: Dicendum breviter, quod Sacramentum baptismi, cum non sit iterabile, imprimit characterem; et ille habet omnem efficaciam, recedente fictione, quam habuisset ante, unde peccata illa remittit quantum ad poenam et culpam, quae praecesserunt; quae autem post commisit, virtute poenitentiae remittuntur, et pro illis est poenitentia imponenda. — Ex his patent omnia.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod opera mortua etc.; dicendum, quod baptismus non est opus hominis, sed Dei, et ideo nunquam potest esse *mortuum*. Illud autem, quod dicitur de operibus mortuis, intelligitur de operibus nostris [1].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod causa debet esse coniuncta effectui; dicendum, quod character semper manet et illud efficit, quod faceret gratia, fictione recedente.

3. Ad illud quod obiicitur de Sacramento eucharistiae, patet responsio, quod non valet: tum quia transit et nihil relinquit gratis datum disponens ad gratiam gratum facientem, tum etiam quia est iterabile.

4. Ad illud quod obiicitur de eo qui medio tempore commisit; dicendum, quod omnia remittuntur ei; sed non reportat commodum, quoniam tam de fictione quam de peccatis postea perpetratis est ei poenitentia imponenda. — Et sic patet totum [2].

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit Augustinus: *Nisi poeniteat eum veteris vitae, novam non potest inchoare.* Videtur enim male dicere, quia, si hoc verum esset, tunc poenitentia deberet praecedere baptismum: ergo baptismus non est primum inter Sacramenta; quod est contra Magistrum [3] et communem opinionem.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus non loquitur de poenitentia-Sacramento, sed de poenitentia-virtute tantum, cuius actus praecedit in adultis baptismi Sacramentum; nec tamen oportet, quod actus poenitentiae *formatae*, qui dicitur contritio, praecedat; sed sufficit, quod actus *informis*, utpote attritio; *atteri* enim poenitere est [4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister, quod *nec parvulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in baptismo remissio.* Videtur enim male dicere, quia secundum hoc, si parentes sint infideles, tunc videtur, quod parvulus damnetur; hoc autem est inconveniens et contra Augustinum. Nam, sicut dicit Augustinus ad Bonifacium [5], esto quod parentes ducant filios suos per ignem, nihil obest parentum infidelitas. *Si tu dicas,* sicut dicit Augustinus ad Bonifacium, quod habet virtutem a fide Ecclesiae, quia adest; esto tunc, quod nullus sit fidelis, videtur, quod Sacramentum nullam habeat virtutem; sed hoc falsum est, quia baptizatus est et nullam fictionem habuit: ergo recipit effectum baptismi.

Respondeo: Dicendum, quod ad salutem parvuli requiritur virtus passionis Christi cum fide proximi, sicut dicit Augustinus, et supra [6] ostensum fuit. Sed tamen non oportet, quod sit fides *offerentium*, sed sufficit, quod sit fides *Ecclesiae*, quae est; vel si haec defecerit, sufficeret meritum fidei, quod fuit in Ecclesia. Sicut enim orationibus Sanctorum in *via* Deus reconciliatur multis peccatoribus, sic meritis Sanctorum, qui sunt in *patria*, multa remittuntur nobis, quia prius meruerunt nobis. Et hoc dicit Augustinus ad Bonifacium [7]: « Offeruntur parvuli ad percipiendam gratiam non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamvis et ab ipsis, si ipsi fideles sunt, quam ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus nam-

Notandum.

---

[1] Vide infra d. 15. p. I. q. 4. ad 2.

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Supra d. II. c. 2. et infra d. XIV, ubi etiam habetur distinctio poenitentiae, prout est *Sacramentum* et *virtus*, in qua fundatur solutio huius dubii.

[4] Cfr. infra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. — Idem dub. solvit S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Epist. 98. (alias 23.) n. 2. seqq., ubi ostendit, quod regeneratio parvulorum fit per aquam et Spiritum sanctum, non ex parentum voluntate, aut offerentium fide; deinde dicit, parentes quidem peccare, « offerentes parvulum atque obligare conantes daemonum sacrilegis vinculis », aut ferentes « non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos, ut gratia spirituali d vitam regenerentur aeternam » (n. 5.); eosdem tamen effectum baptismi non posse impedire nec aufferre. — Ibid. n. 5. occurrit etiam sententia mox adducta, quae inferius in solutione ipsis Augustini verbis proponitur. — Aliquanto inferius pro *quia adest* cod. X *quae adest,* et in fine arg. pro *recipit* Vat. cum pluribus codd. *recepit.*

[6] Dist. 3. p. I. a. 1. q. 3. — August., I. de Peccat. meritis et remiss. etc. c. 25. n. 38: Quod per Sacramentum baptismatis in parvulis fieri non dubitat mater Ecclesia, quae cor et os maternum eis praestat, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad iustitiam nec ore proprio confiteri ad salutem [Rom. 10, 10.]. Nec ideo tamen eos quisquam fidelium fideles appellare cunctatur, quod a credendo utique nomen est; quamvis hoc non ipsi, sed alii pro eis inter Sacramenta responderint.

[7] Epist. 98. (alias 23.) n. 5.

que offerri intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, et quorum sancta atque individua caritate ad communionem sancti Spiritus adiuvantur »; et ita *offerentes* possunt intelligi Sancti, non solum qui sunt in Ecclesia *militante*, sed etiam qui sunt in Notandum. *triumphante.* Nihilominus tamen verum est, quod Sacramentum baptismi prodest parvulis merito fidei Ecclesiae *militantis,* quae, quamvis possit deficere in aliquibus personis specialiter, generaliter tamen nunquam deficit nec deficiet, iuxta illud Matthaei ultimo[1]: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Unde sicut species semper salvatur in aliquo individuorum, sic fides in aliquo fidelium, et hoc, divina providentia faciente. Nec unquam fuit, postquam incepit Ecclesia, quin semper esset aliquis, qui Deo placeret; sic nec unquam erit[2].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *tunc valere incipit* etc., *cum illa fictio veraci confessione recesserit a corde:* quia videtur secundum hoc, quod confessio expellat fictionem; sed hanc non potuit expellere baptismus[3]: ergo maioris virtutis est confessio sive poenitentia quam baptismus.

Respondeo: Dicendum, quod confessio, in quan- Notandum. tum est *sacramentalis,* non expellit fictionem, sed in quantum est *actus voluntarius,* recedens a malo volito vel proposito; et ita non expellit per naturam Sacramenti, sed per naturam libertatis voluntatis cum Sacramento poenitentiae; quae voluntas si adesset in baptismo, omnem culpam deleret: et ita ex hoc non sequitur, quod poenitentia sit maioris virtutis.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Induunt homines Christum usque ad Sacramenti perceptionem.* Videtur enim male dicere, quia nullus induit Christum, in quo non sit renovatio, secundum illud Apostoli ad Ephesios quarto[4]: *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* — Item, *induitio* dicit aliquem habitum[5]: ergo cum in ficto nullus habitus detur de novo, videtur, quod nihil induat.

Respondeo: Dicendum, quod *induere Christum* Notandum. est aliquem habitum accipere, per quem homo fiat aliquo modo conformis Christo. Conformari autem Christo est dupliciter: aut *exterius,* aut *interius;* et Duplex conformatio cum subdist. *interius* dupliciter: aut per *caritatem* unientem et transformantem in eum qui amatur, et *fidem* similiter conformantem; aut per *aliquid gratis datum* ad hoc praeparans et disponens. — Dico ergo, quod viri *sancti,* qui caritatem habent et bona opera et conversationem sanctam, et Sacramentum perceperunt et Christum induerunt quantum ad Sacramenti susceptionem et conformationem in conversatione exterius, et interius similiter[6]. Sed *ficte accedentes,* quia *exterius* suscipiunt signum, vel quod est *signum* passionis et mortis et resurrectionis, et *interius* characterem, qui ad gratiam disponit, Christum aliquo modo induunt, sed *imperfecte:* quia, quamvis non renoventur, tamen novo homini quodam modo similes fiunt. — Et sic patet utrumque obiectum; procedunt enim, secundum quod *induitio* dicit conformitatem secundum habitum perfectum[7].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IV.

Pars II.

De his qui suscipiunt rem Sacramenti tantum.

Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt rem et non Sacramentum.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 91.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de his qui suscipiunt Sacramentum tantum; hic agit de his qui suscipiunt rem Sacramenti. Et habet haec pars duas partes. In prima inquirit Magister, utrum possint habere rem sine Sacramento. In secunda quaerit, utrum post[8] debeant suscipere Sacramentum, ibi: *Solet etiam quaeri de his qui iam sanctificati.*

Prima pars habet duas. In prima determinat

---

[1] Vers. 20. — De salvatione specierum in individuo cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.), et II. de Anima, text. 35. (c. 4.).

[2] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 7. a. 2. § 2.

[3] Cfr. supra a. 2. q. 2. seq. — De conclusione vide supra a. 1. q. 1. seq.

[4] Vers. 24. — Pro *renovatio* cod. L *remotio,* edd. *receptio.*

[5] Cfr. III. Sent. in lit. Magistri, d. VI. c. 5. verba Augustini.

[6] Secundum August. hic in lit. Magistri c. 3. allegatum. — Superius pro *qui caritatem,* quod habent codd. F H Q V, alii codd. *quia caritatem,* cod. W *per caritatem,* edd. *et caritatem.* Eaedem edd. inferius pro *qui ad gratiam disponit* substituunt *quae ad gratiam disponunt.* Cfr. infra d. 6. p. I. q. 2.

[7] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic circa lit.

[8] Ita codd. G I L O S bb (H a secunda manu), alii cum edd. *primo,* cod. aa *potius.*

veritatem. In secunda removet dubitationem, ibi: *His autem videtur obviare quod Dominus dicit.* Et primo removet dubitationem habentem ortum ex verbo Domini in Ioanne. Secundo vero ex verbo Augustini, ibi: *Sed dicunt aliqui, nullum adultum.*

Solet etiam quaeri de his qui iam sanctificati. Haec est secunda pars, in qua Magister determinat, utrum iam habentes rem debeant suscipere Sacramentum, et habet haec pars duas partes. In prima inquirit, quid Sacramentum in his efficiat sive conferat. In secunda vero quaerit, quid in eis significet, ibi: *Si quaeritur, cuius rei baptismus ille sit Sacramentum;* ubi determinat, quid significet.

Solet etiam quaeri, si parvulis in baptismo datur. Haec est secunda pars principalis distinctionis [1], in qua Magister determinat specialiter effectum baptismi in parvulis, utrum scilicet parvuli recipiant dona virtutum. Et habet haec pars duas partes. In prima quaerit. In secunda determinat secundum veritatem et opinionem, ibi: *Videtur, quod non receperint* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae Magister dicit in parte ista, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de sanctificatione adultorum praeter baptismum.

Secundo quaeritur de sanctificatione parvulorum in baptismo.

Circa primum quaeruntur tria; cum enim sanctificatio et purificatio fiat triplici baptismo, ut dicit Magister [2], scilicet fluminis, flaminis et sanguinis; quaeritur de his tribus:

Primo quantum ad efficaciam.

Secundo quantum ad praeeminentiam.

Tertio quantum ad convenientiam.

ARTICULUS I.

De sanctificatione adultorum praeter baptismum.

QUAESTIO I.

Utrum baptismus flaminis sine baptismo fluminis sufficiat ad salutem.

Circa primum sic proceditur et quaeritur, utrum baptismus flaminis sine baptismo fluminis sufficiat ad salutem. Et quod non, videtur:

1. Primo auctoritate Domini Ioannis tertio [3]: *Nisi* Ad oppositum. *quis renatus fuerit* etc.; sed nullus sic renascitur, nisi baptizetur baptismo aquae: ergo nullus intrat in regnum caelorum sine baptismo aquae: ergo baptismus flaminis sive Spiritus non sufficit.

2. Item, hoc ipsum probatur exemplo, quia Actuum decimo [4] dicitur, quod Cornelius et qui cum eo erant prius receperunt Spiritum sanctum, et postmodum baptizati sunt baptismo aquae: ergo videtur, quod baptizati baptismo flaminis tenentur ad baptismum aquae: ergo sine hoc non est salus.

3. Item, si aliquis posset salvari sine baptismo aquae, maxime videtur de parvulo, cui citius debet ex misericordia Dei subveniri; sed parvulus, qui non est renatus aqua, damnatur, sicut dicit Augustinus in libro de Fide ad Petrum, et habetur in littera [5]: « Firmissime tene » etc.: ergo nullus alius sine aquae baptismo, quantumcumque aliter baptizatus sit, salvari potest.

4. Item, si aliter quam per baptismum aquae potest quis salvari, ergo baptismus aquae non est Sacramentum necessitatis: ergo non peccant qui nolunt baptizari; sed hoc est manifeste falsum: ergo sine baptismo aquae non est salus: ergo nullus alius sufficit sine hoc.

Contra: 1. Ioannis undecimo [6]: *Omnis qui* Fundamenta. *vivit et credit in me, non morietur in aeternum;* sed iusti credunt et fideles sunt, antequam baptizentur: ergo si moriuntur in tali fide, non moriuntur in aeternum.

2. Item, Ambrosius dicit, et habetur in littera [7]: « Ille quem regeneraturus eram, gratiam, quam poposcit, non amisit »: ergo ille qui mortuus erat non regeneratus, erat salvus sine baptismo aquae: ergo baptismus poenitentiae sine isto dat salutem.

3. Item, gratia gratum faciens est dispositio sufficiens ad salutem; dispositio autem ad gratiam est toto corde [8] ad Deum redire et ab errore recedere, et hoc totum potest esse per Dei gratiam sine baptismo fluminis: ergo aliquis solo Spiritus sancti baptismate salvari potest.

---

[1] Cfr. supra p. 1, divisio textus.

[2] Hic c. 4.

[3] Vers. 5.

[4] Vers. 44. seqq.

[5] Hic c. 4. circa finem. — Supra codd. G H K V *possit* pro *posset.*

[6] Vers. 26. — Inferius pro *iusti* codd. G K N Y *multi.*

[7] Hic c. 4. Cod. Z voci *gratiam* praemittit *salutis.* — Inferius pro *salvus* cod. X *salvatus.*

[8] Cod. V *contrito corde.*

4. Item, «propter quod unumquodque, et illud magis [1]»; sed baptismus fluminis sive aquae non sanctificat nisi per Spiritum: ergo Spiritus magis sanctificat et facit dignum vita aeterna. Si ergo aliquis habeat baptismum flaminis, habet sanctificationem; et qui hoc habet habet quod sufficit ad salutem: ergo etc. *Si tu dicas,* quod nemo potest habere baptismum flaminis, nisi prius baptizetur baptismo aquae; ostenditur esse falsum: primo, quia «Deus nullum obligat ad impossibile [2]»; et iterum, nulli se negat requirenti ipsum: si ergo aliquis, qui non potest baptizari, ad Deum convertitur, Deus convertitur ad ipsum. Sed hoc non est nisi per collationem Spiritus sancti, et hoc est baptizari baptismo flaminis: ergo ille potest haberi sine alio.

CONCLUSIO.

Baptismi fluminis et flaminis sunt necessarii, ille tantum necessitate praecepti; sed praepediente impossibilitate, sufficit baptismus flaminis.

Respondeo: Dicendum, quod baptismus *flaminis* et baptismus *fluminis* uterque est necessarius ad salutem. Sed primus est necessarius, non quia sit in *praecepto,* sed quia sine illo nullus liberatur a peccato. Et quoniam omnes peccatores nascimur, et nullus salvari potest, nisi liberetur a peccato: ideo nullus sine baptismo *flaminis,* neque parvus neque magnus [3], potest salvari. — Baptismus autem *fluminis* sive aquae est necessarius, quia Deus instituit et quia instituit *sub praecepto;* et quoniam quae praecepta sunt sunt necessaria ad salutem: ideo talis baptismus est ad salutem necessarius. — Sed quoniam «Deus neminem obligat ad impossibile ex suo praecepto», ut dicit Hieronymus [4]; et iterum, quod quis non potest facere, si velit facere, reputatur ei pro facto, sicut dicit Glossa super illud Psalmi [5]: *Etenim in corde iniquitates operamini* etc.: «Quod non potes facere, et vis, Deus factum reputat»: ideo baptismus aquae non sic est necessarius, quin, si adsit voluntas, et desit possibilitas, non salvetur aliquis sine ipso.

Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4.

Epilogus. Concedendum est ergo, quod baptismus *flaminis* sine baptismo fluminis sufficit, dum tamen homo habeat voluntatem et praepediatur, ut ante mortem non recipiat, praepediente necessitate, sicut ostendunt rationes ultimae. Concedendum est nihilominus, quod nullus sine hoc potest salvari, si possit et negligat baptizari. Et hoc est quod dicit Augustinus [6], quod «potest quis salvari, non percepto Sacramento baptismi, sed non potest, Sacramento contempto». Tunc autem contemnit, cum baptizari potest, et locus et tempus se offert, et negligit; et tunc etiam privatur baptismo *flaminis,* quia a gratia cadit.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de Domini mandato, et ad illud de Cornelio, iam patet responsio: quia utrumque intelligitur in eo qui facultatem habet et non praepeditur necessitate. Nam Cornelius locum et tempus habebat, et Domini mandatum *affirmativum* eum qui poterat, obligabat [7].

3. Ad illud quod obiicitur de parvulo, quod tunc maxime parvulus non baptizatus poterit salvari; Notandum. dicendum, quod *parvulus,* si haberet baptismum *flaminis* sine baptismo aquae, nunquam damnaretur. Quod ergo damnatur, hoc est, quia privatus baptismo aquae caret gratia Spiritus sancti; quia aliter ad gratiam non potest disponi, quantum est de iure communi, nisi Deus faciat de privilegio speciali, sicut in sanctificatis in utero. — Sed *adultus* de sententia communi potest per fidem et dolorem de peccatis ad gratiam disponi, secundum illud Ezechielis [8]: *Quacumque hora ingemuerit peccator, vita vivet* etc. Unde non est simile, quia unicuique plus valet fides sua quam aliena; et ita adulto voluntas sua, quam parvulo voluntas aliena. Nec damnatur parvulus propter *transgressionem praecepti,* sed propter *culpam originalis,* quae remanet non deleta.

4. Quod ultimo obiicitur iam solutum est; quia dicitur *Sacramentum necessitatis,* non quia sine ipso non possit homo salvari, sed quia ad hoc tenetur, si potest, et hoc neglecto, non potest salvari.

SCHOLION.

I. Baptismus *flaminis*, qui ab antiquis etiam *baptismus poenitentiae* vocabatur, est perfecta cordis contritio, vel perfecta caritas, quae semper includit, saltem implicite, votum Sacramenti, ut docet Concil. Trid. (Sess. XIV. c. 4.) his verbis: «Ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, *quod in illa includitur,* non esse adscribendam». — Ex ipsa ecclesiastica doctrina constat, baptismum necessarium esse ad salutem (Trid. Sess. VII. can. 4. de bapt.), ita tamen, ut baptismus flaminis in necessitate suppleat vices Sacramenti quoad effectum eiusdem *primarium* (infusionem gratiae), licet non

---

[1] Aristot., I. Poster. c. 2.

[2] Secundum Hieronym., in Explanat. Symboli ad Damasum (inter opera Hieronym.). Cfr. etiam I. Comment. in Matth. 5, 44, et tom. I. pag. 846, nota 2. — Zach. 1, 3: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos. Vide II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 1.

[3] Cod. U *adultus.*

[4] Vide supra nota 2.

[5] Psalm. 57, 2. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, delibata est ex August., in hunc locum: Quidquid vis, et non potes, factum Deus computat.

[6] Libr. IV. de Baptismo contra Donatist. c. 25. n. 32. Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[8] Cap. 33, 12. seqq. Vulgata aliis verbis hanc sententiam refert. — Inferius post *adulto* edd. repetunt *plus.*

imprimat characterem; unde (ibid. can. 4. de Sacramentis in genere) reprobantur docentes, sine Sacramentis novae legis, « aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint ». — De fundam. 2. cfr. hic dub. 2. De diversis baptismorum speciebus diffusam texit disputationem Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 9. a. 1-5.

De hac I. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 4. § 4. — Scot., de hac et seqq. qq. hic q. 6. — S. Thom., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 66. a. 11. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. 3. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 8, et Dionys. Carth., hic q. 6.

II. In 2. quaestione solvenda S. Bonav. sequitur Alexandrum Hal., et consentiunt etiam S. Thom. aliique plurimi. Cfr. Alex. Hal., loc. cit. a. 5. § 1. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 12. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3.

III. Tertiam quaestionem alii auctores plerumque tantum in praecedentibus breviter tangunt (S. Thom., S. loc. cit. a. 11. ad 2.). Diffuse de eadem agit Alex. Hal. loc. cit. a. 4. § 1. 2. 3; breviter Richard. a Med., loc. cit. q. 1.

QUAESTIO II.

Quis baptismus sit dignior, utrum baptismus aquae, an sanguinis.

Secundo quaeritur de praeeminentia istorum, et quaeritur, quis baptismus sit dignior, utrum baptismus aquae, vel sanguinis. Et quod *aquae*, videtur:

1. Quia Damascenus [1] distinguit novem genera baptismatum, ascendendo gradatim, et in ultimo ponit baptismum aquae sive fluminis: ergo si gradatim ascendit, sicut patet in aliis differentiis; videtur, quod illud quod ultimo ponit, est perfectius. Sed ultimo ponit baptismum aquae: ergo etc. *(Ad oppositum.)*

2. Item, baptismus aquae habet efficaciam a passione Christi [2], sed baptismus sanguinis a passione Martyris; sed maior et nobilior est passio Christi et eius virtus quam passio Martyris et eius virtus: ergo maior est efficacia baptismi aquae quam baptismi sanguinis: ergo baptismus aquae nobilior.

3. Item, baptismus aquae tribuit gratiam gratum facientem, per quam acquiritur *aurea;* sed baptismus sanguinis ducit ad *aureolam*, quae est accidentale praemium [3]: ergo si praemium substantiale praecellit accidentale, ergo baptismus ordinatus ad meritum substantiale et praemium praecellit alium; et sic etc.

4. Item, remedium illud, quod plures curat et a pluribus morbis et periculosioribus sanat, melius est et utilius; sed baptismus aquae plures personas sanat et a pluribus morbis quam baptismus sanguinis, quia ab omni culpa tam mortali quam veniali [4]: ergo est remedium melius et utilius, ergo nobilius.

Contra: 1. Iudicum sexto [5] super illud: *Tolles taurum* etc.; Glossa: « Baptismus in sanguine puriores facit, quam baptismus in aqua »; sed baptismus ille est perfectior, qui facit puriorem: ergo baptismus sanguinis est perfectior et nobilior baptismo aquae. *(Fundamenta.)*

2. Item, Damascenus [6] dicit, quod « baptismus sanguinis est valde bonus et venerandus, quia secundis sordibus non inquinatur »; sed baptismus aquae secundis sordibus inquinatur: ergo baptismus sanguinis est perfectior et nobilior baptismo aquae.

3. Item, processus est ab imperfecto ad perfectum [7]; sed a baptismo aquae ad baptimum sanguinis sive martyrii recto ordine proceditur et non retroceditur: ergo ille baptismus, in quo est status perfectionis, est dignior.

4. Item, quod proximius est fini et certius et efficacius et ponit in altiori gradu, illud est simpliciter nobilius et melius [8]; et talis est baptismus sanguinis, quia statim introducit in gloriam sine impedimento, nec tantum acquirit gloriam, immo gloriam eminentem: ergo etc.

CONCLUSIO.

Et in liberando a malo et in ordinando ad bonum baptismus sanguinis excedit intensive baptismum fluminis, sed exceditur extensive.

Respondeo: Dicendum, quod dignitatis praeeminentia in his baptismatibus conspicitur ex consideratione effectuum eorundem. *(Axioma.)* Utriusque autem effectus, scilicet *sanguinis* et *fluminis*, est et in *liberando a malo* et *ordinando ad bonum;* et utroque modo se habent sicut excedentia et excessa. *(Duplex effectus. Conclusio 1.)* — Nam maior effectus sive efficacia in *liberando a malo* potest esse vel *extensive*, vel *intensive*. Si *extensive*, baptismus aquae excedit, quia plures personas liberat et a pluribus morbis, quia a peccato *(Conclusio 2.)*

---

[1] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9. Cfr. quaest. seq. in fine, ubi etiam de ordine agimus, quo Damasc. haec baptismata proposuit. S. Bonav. sequitur Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 9. a. 1.

[2] Cfr. III. Sent. d. 20. q. 4. in fine corp.

[3] De aurea et aureola vide infra d. 23. a. 2. q. 3. in corp.

[4] Cfr. supra huius dist. p. I. a. 1. q. 1.

[5] Vers. 25. — Glossa est sumta ex Origen., in Lib. Iudic. homil. 7. n. 2. — Codd. et edd. allegant Num. 7.

[6] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9.

[7] Vide tom. II. pag. 330, nota 5. locos Aristotelis, qui etiam III. Top. c. 2. ait: Melius autem ut plurimum quod posterius sequitur.

[8] Aristot., III. Topic. c. 1. ait: Duorum quod propinquius est fini [est eligibilius et melius], et omnino quod ad vitae finem expetibilius, quam quod ad aliud aliquid, ut quod ad felicitatem contendit, quam quod ad prudentiam etc. — Vat. post *fini* prosequitur: *est certius et efficacius et quod ponit... et tale est.* Codd. F H L *sed talis est.*

mortali et veniali. Baptismus autem *sanguinis* liberat paucos, et solum a veniali liberat, a mortali non, quia praesupponit caritatem; aliter nihil valeret ad salutem [1]. — Similiter in *ordinando ad bonum* maior potest excessus attendi dupliciter: aut *extensive*, aut *intensive*. Si *extensive*, sic praecellit baptismus aquae, quia dat gratiam gratis datam, scilicet characterem, et gratiam gratum facientem, quae disponit ad gloriam et praemium essentiale. Baptismus autem sanguinis gratiam gratum facientem non tribuit, sed consummat; nec tribuit characterem, per quem distinguitur anima et praeparatur ad gratiam [2].

Conclusio 3.

Utroque modorum praedictorum baptismus sanguinis excedit *intensive*, sicut exceditur *extensive*. Nam efficacius et melius liberat a malo et culpae et poenae, quia omnem resecat et secundum potentiam et secundum actum. Similiter efficacius ordinat ad bonum, quia statim introducit in gloriam et perfectionem, et gloriosiorem hoc baptismo baptizatus consequitur palmam [3]. Respondendum est igitur ad quaestionem praedictam, quod se habent sicut excedentia et excessa. — Si tamen quaeras, quod magis praecellat, credo, quod baptismus martyrii, sicut ostendunt rationes inductae.

Conclusio 4. Conclusio 5.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod Damascenus ultimo loco ponit baptismum aquae; breviter respondendum, quod non ponit ultimo propter hoc, quod sit dignior, sed quia est in intentione tractandi principalior, et quia nomen baptismi magis proprie habet, quia mundat et interius et exterius.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod baptismus aquae habet efficaciam a passione Christi: ergo etc.; dicendum, quod argumentum illud deficit dupliciter. Primo, quia passio Christi non operatur ibi secundum totam suam virtutem. Secundo, etiam quia baptismus martyrii efficaciam habet a passione Christi; nullum enim martyrium efficax est nisi per illam. Unde Apocalypsis septimo [4] scribitur de Martyribus: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni*, non tantum in *suo*, sed etiam *Agni*. — Ratio autem, quare efficaciam habet maiorem, est, quoniam in baptismo sanguinis amplior et plenior est imitatio et professio passionis Christi quam in baptismo aquae. Nam ibi est professio verbo et signo sine actu, hic autem non solum signo et actione, sed et passione. Unde in baptismo aquae mors *significatur*, hic autem *suscipitur*; unde quia expressior est ibi fidei professio, ideo efficacior. Unde Augustinus loquens ad Fortunatum [5] de comparatione horum baptismatum dicit: « Baptizatus confitetur fidem suam coram sacerdote, Martyr coram persecutore. Ille post professionem aspergitur aqua, hic aspergitur sanguine. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum, hic templum efficitur Spiritus sancti ». Et ita patet, quod illud praecellit.

Defectus duplex. Ratio. Notandum.

3. 4. Ultima duo non probant, quod [6] sit efficacius *simpliciter*, sed quod *ad plura*, quia ad gratiam gratum facientem et contra mortem culpae; hic autem, quamvis non det gratiam, tamen ipsam consummat. Quamvis enim baptismus sanguinis non auferat *culpam*, aufert tamen omnem *possibilitatem* ad culpam; et hoc maioris est perfectionis, quam delere culpam et dimittere possibilitatem ad culpam, immo inclinationem [7].

QUAESTIO III.

Utrum baptismus sanguinis saltem sit Sacramentum.

Tertio quaeritur de horum convenientia; et cum baptismus aquae sit baptismus et Sacramentum, quaeritur, utrum baptismus sanguinis saltem sit Sacramentum. Et quod non, videtur:

1. Quia supra distinctione tertia [8] dicit Magister, quod « Sacramentum baptismi celebratur tantum in aqua, non in aliquo alio liquore »; sed sanguis non est liquor eiusdem speciei cum aqua: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, Sacramentum est signum expressivum eius quod fit interius; sed sanguis potius corpus inficit, quam purificet: ergo cum [9] interius anima non

---

[1] Epist. I. Cor. 13. 3.

[2] Vide infra dub. 3. et d. 6. p. I. q. 2. ac 4.

[3] Origen., in Lib. Iudic. homil. 7. n. 2: Illo enim [baptismo aquae] accepto, valde pauci sunt ita beati, qui id immaculatum usque ad exitum vitae servare potuerint; hoc vero baptismo [sanguinis] qui baptizatus fuerit peccare iam ultra non potest... per illud baptisma praeterita peccata purgantur, per istud vero etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimissa sunt, hic exclusa etc. — Aliquanto superius post *resecat* codd. G I supplent *culpam*, cod. X melius *culpam et poenam*.

[4] Vers. 14.

[5] Ita allegatur etiam in C. *Catechumenum* (37.), de Consecrat. d. 4; verba tamen inveniuntur in libro de Ecclesiast. Dogmatibus (Gennadii, inter opera August.), c. 41: Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, et interrogatus respondet; hoc et martyr coram persecutore facit, qui et confitetur fidem suam et interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua vel intingitur, et hic vel aspergitur sanguine vel contingitur igne... hic locutorium [mss. habitaculum] efficitur Spiritus sancti, dum non est ipse qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo.

[6] Supple: baptismus aquae.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest. [8] Cap. 6.

[9] Supplendum est: in Sacramento baptismi. Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. — In *maiori* pro *expressivum* multi codd. cum ed. 1 *expressum*.

inficiatur, sed purificetur, baptismus sanguinis non est Sacramentum.

3. Item, Sacramentum novae legis efficit aliquid sive confert aliquid interius aliquo modo[1]; sed sanguis exterior et persecutio exterior non efficit interius, sed potius recipit bonitatem ab interiori: ergo etc.

4. Item, omne Sacramentum est *institutum,* quia ex institutione significat[2]; hoc autem non est institutum: ergo non est Sacramentum.

Ad opposi-tum. CONTRA: 1. « Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma[3] »; sed hoc est in martyrio, quia est signum gratiae invisibilis in corde, et manifestatur amor Dei per sanguinis effusionem: ergo etc.

2. Item, super illud ad Romanos quinto[4]: *Qui est forma futuri;* Glossa: « De latere Christi dormientis fluxerunt omnia Sacramenta, ex quibus formatur Ecclesia »; et hoc dicit, quia inde fluxerunt *sanguis et aqua:* ergo videtur, quod ita accedit ad rationem Sacramenti sanguis, sicut aqua.

3. Item, « quod participat nomen *speciei* participat nomen *generis*[5] »; sed martyrium sive effusio sanguinis dicitur baptismus: ergo debet dici Sacramentum.

Quaestio incid. prima. Iuxta hoc quaeritur: cum multa sint genera martyriorum, propter quid martyrium vocatur magis baptismus sanguinis quam ignis vel alterius elementi, cum his omnibus[6] sint Sancti passi?

Secunda. Et iterum, cum multa sint genera baptismatum, sicut dicit Damascenus[7], scilicet novem, videtur, quod Magister insufficienter tangat tantum tria, scilicet baptismum *poenitentiae* et baptismum *sanguinis* et baptismum *aquae;* videtur enim, quod aut Magister diminutus est, aut Damascenus superfluus.

CONCLUSIO.

Baptismus sanguinis non est Sacramentum.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod baptismus sanguinis non est Sacramentum; quia deficiunt ei omnia, quae sunt de ratione[8] Sacramenti, scilicet *repraesentatio* ex similitudine, *significatio* ex institutione, *sanctificatio* ex verbi prolatione; quorum quodlibet deficit, ut in opponendo tactum est et inspicienti patet: et ideo Sacramentum non est.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est invisibilis gratiae visibilis forma; dicendum, quod ratio ista est truncata et supplenda est, sicut Magister supplevit supra distinctione prima[9]: « ita quod similitudinem gerat et causa existat », quorum utrumque deficit in proposito.

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod Sacramenta dicuntur profluxisse, dum profluxit sanguis et aqua; dicendum, quod *sanguis* et *aqua* non significabant Sacramentum eiusdem generis, sed diversa; nam *aqua* praesignabat Sacramentum baptismi, et *sanguis* Sacramentum eucharistiae, ubi vere est sanguis Christi; et ideo non oportet, quod verum Sacramentum baptismi sit in sanguine, quia Dominus non instituit in sanguine Sacramentum purgationis, sed cibationis et refectionis, iuxta illud Matthaei vigesimo sexto[10]: *Hic est calix sanguinis* etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod participat nomen speciei etc.; dicendum, quod verum est, secundum quod *baptismus* nominat *speciem Sacramenti;* et hoc quidem facit, dum accipitur pro *signo visibili*[11]. Sed *baptismus* non tantum dicitur ablutio exterior, sed etiam purificatio interior; et haec non est species Sacramenti, quoniam haec est non tantum in baptismo *fluminis,* sed etiam *flaminis* et *sanguinis.* Unde quia uterque purificat, ideo non absurde uterque baptismus dicitur, et hoc auctoritate sacrae Scripturae; nam Lucae duodecimo[12] de baptismo martyrii dicitur: *Baptismo habeo baptizari* etc.; et de baptismo flaminis habetur Actuum primo: *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Ad 1. quaest. incid. Ad illud quod quaeritur: quare martyrium dicitur baptismus sanguinis etc.; dici potest, quod in martyrio ponitur vita carnis, et vita illa in sanguine est, secundum quod dicitur in lege Moysi[13]. — Vel dicendum, quod hoc dicitur, quia omne genus martyrii ibi habet finem. Nam ab omnibus aliis legimus Sanctos interdum liberatos praeterquam a poena gladii. (Aliter.)

Ratio ultimi dicti. Si quaeratur ratio huius, potest dici, quod hoc genus poenae est a mala *voluntate* hominis immediate, sed alia genera poenarum sunt a creaturis operantibus *naturaliter;*; et quoniam Martyr Deo obtemperat, congruum est, ut ei ad manifestationem divinae bonitatis et in testimonium suae virtutis ob-

---

[1] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 4. seq. — De *minori,* in qua cod. aa *sed sanguinis persecutio exterior* etc., cfr. supra pag. 109, nota 1. et infra dub. 1.

[2] Ut monstratum est supra d. 1. p. I. q. 2.

[3] Sicut dicit Magister in lit. d. I. c. 2.

[4] Vers. 14. — Glossam, quae sumta est ex August. (cfr. supra pag. 2, nota 12.), exhibent Strabus et Lyranus ut *ordinariam* et in ipsa pro *formatur* substituunt *salvatur.* Inferius respicitur Ioan. 19, 34. — Finem arg. sic proponunt edd.: *ad rationem Sacramenti baptismus sanguinis sicut aquae.* Plures codd. *sanguinis* pro *sanguis.*

[5] Secundum Aristot. IV. Topic. c. 1: Species quidem participant genera, genera autem species non; nam species suscipit generis rationem, genus autem speciei non.

[6] Ita codd. FHPQ, codd. MR *in omnibus,* alii et edd. *omnibus.*

[7] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9. — Verba Magistri vide hic in lit. c. 4.

[8] Cod. K *de substantia.*

[9] Cap. 4.

[10] Vers. 28. Vulgata: Hic est enim sanguis meus etc. Codd. legunt vel *Hic est calix sanguis* etc., vel *Hic est calix et sanguis,* vel ut cod. Z, quem sequimur, *Hic est calix sanguinis.* — Superius pro *sed diversa* cod. aa *sed diversi.*

[11] Sensus est: Axioma est verum, si intelligitur de baptismo sumto sensu proprio, quo est unum de septem Sacramentis.

[12] Vers. 50. — Seq. textus est Act. 1, 5.

[13] Levit. 17, 11, et 14: Quia anima carnis in sanguine est.

temperent cetera operantia per naturam. Mala autem voluntas contra Deum nititur et Domino resistere vult et iusto Dei iudicio sinitur male agere, cum vult; et ideo nec est congruum, ut Martyri subiiciatur nec quod a malo prohibeatur [1]. Ideo Deus ceteros Martyres huic poenae subiacere disposuit, ut nullus evadat; magis enim congruebat de hac quam de alia. — *Alia ratio.* Vel, quia ab hac Unigenitum non eripuit, quid mirum est, si alios non eripit, ne forte servus videatur maior Domino suo [2]? Prima tamen ratio videtur melior.

Ad 2. quaest. incid. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod Magister tantum ponit tria, et Damascenus novem; dicendum, quod Magister non agit hic nisi de baptismo, qui *purificat;* et hunc comprehendit sub triplici differentia. Damascenus autem accipit differentias baptismi et quantum ad *purificationem* et quantum ad *significationem;* ideo ponit novem [3], quorum sic potest patere sufficientia. *Sufficentia numeri.* Nam baptismata particularia ad *significationem* fuerunt ante legem novam, in lege autem nova ad *purificationem.* — *Quoad significationem.* Prima quatuor sunt secundum quatuor, quae praefigurantur in baptismo. *Quatuor in baptismo praefigurata.* In baptismo enim est *aqua,* est *Spiritus,* est *passionis virtus,* et quarto *baptizandi actus.* *Primum.* Quantum ad *aquam* praecessit figura in baptismo *diluvii,* secundum quod dicitur primae Petri tertio [4]: Quos nunc *similis formae salvos facit baptisma.* Praemiserat enim, quod in diluvio *octo animae salvae factae sunt per aquam.* — *Secundum.* Quantum ad *aquam et Spiritum,* in baptismo *maris rubri;* de quo dicit Apostolus primae ad Corinthios decimo [5], *quod omnes baptizati sunt in nube et in mari,* et nubes illa erat ignea; in quo significatur Spiritus sancti gratiae efficacia. — *Tertium.* Quantum ad *virtutem passionis* praefiguratur in baptismo Legis, ubi erat aspersio per aquam lustrationis; et erat cinis vitulae rufae, in cuius vitulae occisione significabatur passio Christi, ut aqua lustrationis, habens vim ab illo cinere, significet, baptismum habere virtutem a passione Christi. Et de hoc baptismate habetur saepe in Lege et ad Hebraeos nono [6]: *Cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificabat ad emundationem.* — *Quartum.* Quantum ad *actum baptizandi,* in baptismo *Ioannis,* ubi immergebatur quis in *nomine venturi,* in quo praecessit expressa figura quantum ad actum. De hoc baptismate dicitur Matthaei tertio [7] et Lucae tertio, Marci primo et Ioannis primo. Et sic quantum ad *significationem* sunt quatuor.

Quoad purificationem item quatuor. Quatuor autem sunt quantum ad *purificationem.* Est enim purificatio a culpa, et sic baptismus *poenitentiae;* et a culpa et poena satisfactoria, et sic baptismus *aquae;* et a sequela, et sic baptismus in *linguis igneis* [8]; et ab omni miseria, et sic baptismus *sanguinis.* — Et sic patet, quod in lege nova sunt quatuor *purificantia,* et in lege ante novam sunt quatuor *significantia.* *Baptismus nonus.* Et medium iungens haec illis fuit baptismus, quo baptizatus fuit Christus, ubi collata est vis regenerativa aquis, et Spiritus in columbae specie descendit de caelis [9]. — Et sic patet, quod in universo sunt novem et non plura nec pauciora baptismata. Patet etiam, quare Magister tantum tria enumerat, quia solum de his loquitur, quae sunt ad baptismi efficaciam quoad *purgationem a culpa* [10].

ARTICULUS II.

De sanctificatione parvulorum in baptismo.

Consequenter quaeritur de sanctificatione collata parvulis per Sacramentum baptismi. Et circa hoc tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum parvuli in baptismo recipiant sanctificationem.

Secundo, utrum recipiant plene.

Tertio, utrum recipiant aequaliter.

---

[1] Edd. *nec quod carnifex a malo prohibeatur. Vel ideo Deus* etc. Subinde ante *quia* edd. omittunt *Vel,* mutata interpunctione.

[2] Ioan. 13, 16: Non est servus maior domino suo.

[3] In textu Graeco (IV. de Fide orthod. c. 9.) haec baptismata recensentur modo aliquatenus diverso, ac fit a Scholasticis, scil.: Primum baptisma *diluvium* fuit... Secundum illud, fuit quod per *mare et nubem* factum est... Tertium *legale* erat... Quartum *Ioannis* fuit... Quintum *Domini* baptisma, quo *ipse* baptizatus fuit... Baptizamur autem et *nos* quoque perfecto Domini baptismo, per *aquam videlicet et Spiritum.* Porro Christus idcirco *igne* baptizare dicitur, quia Spiritus gratiam in sanctos Apostolos effudit (Act. 1, 5.)... vel etiam ob castigatorium ignis futuri baptismum. Sextum baptisma in *poenitentia et lacrymis* versatur... Septimum est, quod *sanguinis* profusione ac martyrio perficitur... Octavum denique et postremum illud est [ignis infernalis], non iam salutiferum, verum ita malitiam auferens, quando suus iam malitiae et peccato locus non erit, ut tamen sempiternum excruciet ac puniat (ed. Migne). — Mox pro *particularia* Vat. *pertinentia.*

[4] Vers. 21. — Seq. textus est ibid. v. 20.

[5] Vers. 2: Et omnes in Moyse baptizati sunt etc. — De columna nubis et ignis vide Exod. 13, 21. seq. — Inferius pro *in quo* edd. *in qua.*

[6] Vers. 13, ubi Vulgata et codd. F H aa *sanctificat* pro *sanctificabat.* Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 4. — Aliquanto superius ex codd. F H posuimus *ubi erat* pro *ubi est.*

[7] Vers. 11; Luc. 3, 16; Marc. 1, 8; Ioan. 1, 26. Cfr. supra d. 2. a. 2. q. 1. seqq. et dub. 5.

[8] Cfr. Act. 1, 5, et 2, 3. — De efficacia baptismi aquae vide supra huius dist. p. I. a. 1. q. 1. seq., et de effectu baptismi sanguinis cfr. quaest. praeced.

[9] Matth. 3, 16. Cfr. supra d. 3. p. II. a. 1. q. 2. — Inferius pro *solum de his* cod. K *de his solis,* et subinde pro *purgationem* cod. aa *purificationem.*

[10] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

QUAESTIO I.

Utrum parvuli in baptismo recipiant sanctificationem.

Circa primum sic proceditur. Quod parvulus non possit iustificari, videtur:

Ad oppositum. 1. Quoniam Bernardus, de Libero Arbitrio[1], dicit, quod « duo sunt ad salutem necessaria, scilicet dans et liberum arbitrium », et subiungit, quod « tam non potest esse salus nostra sine voluntate consentientis, quam non potest esse sine gratia dantis »; sed in parvulo non est usus liberi arbitrii: ergo non potest esse in eo salus.

2. Item, Augustinus[2]: « Qui creavit te sine te non iustificat te sine te », hoc est sine actu tuae voluntatis; sed parvulus hunc non habet: ergo non potest iustificari.

3. Item, voluntas parvuli non mutatur, ergo semper se habet uniformiter respectu gratiae; sed Deus semper paratus est dare: ergo quod modo dat, modo non, hoc est propter mutationem in voluntate suscipientis: ergo si in parvulo non mutatur voluntas, non recipit rem. *Si dicas*, quod parvulus disponitur non actu suo, sed fide offerentium; esto quod illi essent infideles, tunc ergo parvulus damnaretur[3].

4. Item, in Sacramento significatio antecedit sanctificationem: ergo non existente significatione, non est sanctificatio; sed parvulo Sacramentum non significat, quia nihil facit in intellectum eius venire[4]: ergo parvulum non sanctificat.

Fundamenta. Sed contra: 1. Magis consonat rationi et pietati, quod conditio parvulorum possit ab aliquo iuvari quam laedi; sed parvuli sine suo consensu possunt trahere et trahunt[5] culpam: ergo multo magis gratiam.

2. Item, ad Romanos quinto[6]: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum*, et per unum vita; sed non est minus potens Christus quam Adam, et gratia se magis diffundit quam culpa: ergo si Adam potuit ipsos vitiare sine consensu, multo magis salvare eos potuit Sacramentum Christi.

3. Item, omnis suscipiens Sacramentum suscipit rem, nisi habeat obstaculum; sed parvulus suscipit Sacramentum et non habet obstaculum, quia voluntas non repugnat, nec culpa potest resistere[7]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Parvuli in baptismo recipiunt rem Sacramenti, qua fit remissio culpae originalis.

Respondeo: Dicendum, quod parvuli recipiunt rem Sacramenti, quae est remissio culpae originalis; et hoc merito passionis Christi et alienae fidei et virtute Sacramenti. — Et ratio huius est tum ratione divinae *misericordiae*, tum ratione suae *impotentiae*, tum ratione talis *culpae*. Quia enim per actum alterius fuit culpa contracta, et ipsi non poterant se adiuvare; misericors Deus congruum reputavit, eis per alium subveniri. — Quia enim pro illa culpa nullus satisfacere poterat purus homo, ideo subvenit Deus toti humano generi per passionem Christi. — Et *rursus*, quia passio effectum non habet nisi in his qui volunt fieri membra Christi et consentiunt; et hoc non poterat parvulus velle: ideo subvenit ei voluntas et fides aliena. — Sed quia fides subvenit profitendo, et hoc est in Sacramento, ubi est professio mortis Christi in signo[8]; ideo subvenit per Sacramentum. — Tria igitur sunt disponentia parvulum ad salutem: et primum est passio Christi, secundum fides aliena, tertium vero et immediatum est virtus Sacramenti, quae characterem imprimit, qui ad gratiam disponit[9]. — Et per hoc patent obiecta.

(Conclusio bimembris. — Ratio pro 1. parte. — Pro 3 membris 2. partis. — Corollarium.)

Solutio oppositorum. 1. 2. 3. Nam primum intelligitur de iustificatione a culpa *acta*, non *contracta*[10], secundum

---

[1] Cap. I. n. 2: Tolle liberum arbitrium, et non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici non potest: uno, *a quo* fit; altero, *cui* vel *in quo* fit. Deus auctor est salutis, liberum arbitrium tantum capax; nec dare illam nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo et soli datur libero arbitrio, tam absque consensu esse non potest accipientis quam absque gratia dantis etc.

[2] Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 11. n. 13: Qui ergo fecit te etc.

[3] Cfr. supra huius dist. p. I. d. 2. — Verbo *esto* edd. praemittunt *Contra*.

[4] Respicitur definitio *signi* supra in lit. Magistri, d. I. c. 3. ex Augustino allata. Cfr. de hoc arg. ibid. Comment. p. I. q. 2. arg. 3. ad oppos.

[5] Cod. G *contrahere et contrahunt*.

[6] Vers. 12. seqq. Cfr. Petr. Lombard. in hunc locum, ubi dicitur: Per similitudinem in minori, id est per simile et minus, probare intendit. Sicut enim per Adam, purum hominem, peccatum est et mors, ita per Christum, hominem et Deum, potest esse iustitia et vita etc. — Post *vita* in edd. additur *per Adam peccatum, per Christum vita*. Circa finem arg. pro *salvare eos*, quod in plurimis codd. desideratur, codd. G I *adiuvare*, codd. E F a secunda manu *sanctificare*.

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 1, et supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. ad 2.

[8] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3. et p. II. a. 2. q. 2. — Mox pro *disponentia* non pauci codd. *dispositiva*, et subinde post *passio* plurimi codd. omittunt *Christi*, ac post *fides aliena* Vat. addit *scilicet Ecclesiae*.

[9] Ut ostenditur infra d. 6. p. I. q. 2.

[10] Cfr. tom. II. pag. 767, nota 6. et pag. 826, nota 4. — Paulo inferius retinuimus cum Vat. *et tertium*, quod codd. et ed. 1 omittunt, substituentes subinde pro *Ad quartum* falso

similiter patet et tertium, quia parvulus non disponitur secundum actum suum, sed alienum, quia divina misericordia alienam voluntatem in propriam reputat.

4. Ad quartum dicendum, quod Sacramentum, quantum est de se, semper *significat* et *sanctificat;* sed tamen in parvulo non habet effectum *significandi,* sed *sanctificandi,* quia non est capax doctrinae, est tamen capax gratiae — sicut et culpae — et hoc est ex largitate divinae misericordiae; quamvis enim non significet parvulo, tamen aliis significat gratiam, quam tribuit parvulo [1].

SCHOLION.

I. Error Anabaptistarum, contra quem militat 1. quaestio, perpetua Ecclesiae traditione et Concilii Trid. (Sess. VII. can. 13. de Bapt.) decreto reprobatus est. Sicut S. Bonav. insinuat, consentaneum est, ut qui aliena culpa cecidit etiam resurgat aliena fide, quam Ecclesia, pia mater, accommodat.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 7. a. 1. § 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 3. a. 1; S. III. q. 68. a. 9. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. Ante Concilium Viennense nonnulli docuerunt, parvulis per baptismum remitti quidem peccatum, sed non infundi nec *gratiam* nec *virtutes;* quae opinio quoad *gratiam* manifeste falsa est, cum sine gratia et *inhaerente* iustitia (non sola imputatione iustitiae Christi) nulla possit esse iustificatio, ut declaratum est a Concil. Trid. (Sess. VI. c. 3. 4. 7. et can. 9. seqq.); ubi simul docetur, iustificationem non esse solum peccatorum remissionem, sed et « sanctificationem et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum » (c. 7.). Quod autem haec renovatio et inhaerens iustitia fiat aliqua forma *permanente,* intrinsecus a Deo animae communicata per modum habitus, post Concil. Trid. tanquam omnino certum communissime tenetur. Controvertitur autem, utrum sit stricte de fide, renovationem illam fieri per qualitatem permanentem et creatam per modum habitus et non per motum actualem, quod respectu caritatis Magister docere videtur (cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 1.). — Quoad infusionem *virtutum* in baptismo parvulorum maior fuit antiquitus dubitatio; de quo videsis scholion ad III. Sent. d. 33. q. 5.

De hac 2. quaestione Alex. Hal., loc. cit. m. 8. a. 3. § 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; S. loc. cit. q. 69. a. 6. — B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med. loc. cit. quaestionem tangit. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 4.

III. Quoad 3. quaestionem cfr. supra p. II. a. 1. q. 3, ubi agitur de aequalitate effectus in baptismis adultorum, et notati sunt auctores ibi etiam hanc quaestionem tangentes. — Quoad parvulos S. Thom. docet, semper aequalem eis conferri effectum *vi baptismi.* Tamen restrictio, quam facit S. Bonav. et cum ipso etiam Petr. a Tar. per verba *quantum est de lege communi,* non videtur esse aliena a mente S. Thomae, cum hic distinguat duplicem effectum baptismi: alterum *per se,* alterum *per accidens,* scilicet a divina virtute miraculose collatum. Similiter Scot. (hic q. 7. n. 4. 5.) *possibile* esse dicit, etiam in parvulis inaequalem interdum fieri effectum, tum quia Deus speciali modo applicet virtutem passionis Christi, tum ob meritum de congruo ex parte offerentium. De *facto* autem nihil determinat; unde, teste Estio (hic § 9.), non meretur vituperationem Soti aliorumque.

Specialiter de parvulis quaestionem solvunt S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3, et Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.

QUAESTIO II.

Utrum parvuli in baptismo recipiant plene rem Sacramenti.

Secundo quaeritur, utrum parvuli recipiant plene rem, hoc est gratiam cum habitibus virtutum. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Augustinus, de Baptismo parvulorum [2]: « Parvulos, etsi nondum fides, quae in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei Sacramentum fideles facit »: ergo non habent habitum fidei.

2. Item, *ratione* videtur: quia virtus est habitus; sed habitus reddit potentiam facilem ad opus [3]; sed hoc non est in parvulo: ergo etc.

3. Item, virtus est habitus perfectus, quia « virtus est, quae habentem perficit [4] »; sed perfectio moris praesupponit perfectionem naturae: ergo cum in parvulo non sit perfectio naturae, nec erit in eo perfectio moris, et sic etc.

4. Item, virtus est habitus potentiae motivae [5]; sed cognitiva praecedit motivam: ergo cum parvuli non sint susceptibiles habitus cognitivi, nec erunt motivi.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus ad Bonifacium [6]: « Regenerans Spiritus in maioribus offerentibus et parvulis oblatis communis est »: ergo eundem effectum habet in magnis et parvis.

2. Item, *ratione* videtur, quia baptismus ita facit evolare parvulum, si moriatur, ut adultum;

Ad tertium. In fine solut. pro *in propriam,* quod exhibet cod. F, fere omnes alii codd. cum ed. 1 *ibi propriam,* Vat. cum paucis codd. *sibi propriam.*

[1] Vide supra d. 1. p. I. q. 2. ad 3.

[2] Libr. I. c. 25. n. 38. et c. 33. n. 61; sententialiter, ipsa verba habentur in Epist. 98. (alias 23.) n. 10.

[3] Vide tom. III. pag. 796, nota 4. verba August. et Averrois. — *Maior* est secundum Aristot., II. Ethic. c. 5.

[4] Aristot., II. Ethic. c. 6. Cfr. tom. III. pag. 388, nota 2. et pag. 470, nota 8. Vide etiam II. Sent. d. 27. dub. 3. — Vat. cum aliquot codd. addit *et eius opus bonum reddit.*

[5] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. argg. ad 2. partem. — De *minori* vide ibid. pag. 740, nota 4. — Retinuimus cum edd. *motivae,* pro quo codd. G I bene *affectivae,* alii codd. *effectivae.* Finem arg. cod. R sic sonat: *habitus cognitivae, nec erunt motivae.*

[6] Epist. 98. (alias 23.) n. 2: Regenerans... et parvulo oblato renatoque communis est. — Non pauci codd. *obligatis* pro *oblatis.*

sed virtutes sunt pennae ad volandum in caelum [1]: ergo parvulus habet virtutes, si baptizatur.

3. Item, baptismus delet originale in parvulo; sed originale non solum substantias, sed etiam potentias deformat in pueris [2]: ergo si baptismus est perfectum remedium, reformat potentias. Sed potentiae reformantur habitibus virtutum: ergo baptismus dat parvulis habitus virtutum.

4. Item, baptismus facit parvulum dignum et idoneum ad dotes gloriae, quae sunt visio, dilectio, tentio; sed ad visionem disponitur fide, ad dilectionem caritate, ad tentionem spe [3]: ergo parvulus habet virtutes theologicas et alias per consequens.

CONCLUSIO.

Parvulis in baptismo cum gratia habitus perfecti virtutum conferuntur.

Respondeo: Quidam dixerunt, virtutes parvulis dari quantum ad *radicem,* non quantum ad *habitus,* quia datur eis gratia delens culpam, non ut habilitans potentias; quia potentiae sunt ligatae, unde non sunt natae habilitari; sed cum potentiae solvuntur, gratia ramificatur in habitus virtutum. — Sed haec positio non potest stare, quia tunc aliquis habens virtutes, si ligarentur in eo potentiae per stultitiam vel furiam, amitteret eas; quod stultum est dicere, cum sola culpa perdantur.

Opinio 1. Improbatur.

Alia positio est, quod dantur parvulis quantum ad *habitum,* sed non quantum ad *usum.* — Sed tunc quaeritur: quid vocatur ibi *usus?* aut *facultas utendi* [4], aut *actus.* Si *facultas;* tunc qui habet habitum habet facultatem, nec est distinguere. Si *actus;* sed adulti non semper utuntur virtutibus, ut quando aliis intendunt, tamen complete habent habitus. Si *usus* vocatur quaedam *assuefactio* addita muneri virtutis, sicut patientia dicitur fuisse in Iob; adhuc non solvit, quia haec non est in omnibus adultis bonis.

Opinio 2, non probata.

Tertia positio est, quod dantur eis *habitus,* sed secundum *statum imperfectionis;* unde habitus ille quasi medius est inter potentiam nudam et perfecte dispositam, sicut est visus in oculo canis ante nonum diem [5]. — Sed ista positio non potest stare convenienter, quia perfectio habituum infusorum venit ex parte gratiae; et per id quod habent, absque additione possunt parvuli bene operari, cum creverunt.

Opinio 3. Improbatur.

Et propterea dicendum, quod dantur eis *habitus perfecti* virtutum, sicut et adultis, quamvis per illos non operentur. — Propter quod notandum, quod potentiae animae dupliciter impediuntur, ne debite exeant in actus suos: uno modo a *corporis imperfectione* et corruptione [6]; et sic impediuntur in parvulis et stultis et dormientibus, et contra hoc expeditivum est corporis perfectio et bona dispositio. Alio modo impediuntur ab *habitu malo,* ut a concupiscientia sive a culpa; et sic expediuntur per gratiam sive virtutes [7]. Virtutes ergo reddunt potentias faciles ipsas perficiendo, et hoc removendo culpam; aliam autem expeditionem non faciunt. Unde cum parvulus sit habens utrumque impedimentum, alterum removetur per virtutes, non utrumque; et ideo non est omnino facilis [8].

Opinio 4. et conclusio. Duplex impedimentum potentiae. Notandum.

Huiusmodi autem habitus expeditivus habet triplicem ortum: nam quidam est *innatus,* quidam *acquisitus,* quidam *infusus. Primus* incipit cum natura et ab eius principiis ortum habet; et ideo in natura imperfecta est imperfectus, et cum natura crescente crescit, et cum natura perfecta perficitur, ut patet in naturali iudicatorio [9]. *Secundus* vero, scilicet acquisitus, ortum habet a libero arbitrio, qui non habet usum, donec natura aliquo modo perficiatur; et ideo sequitur naturam perfectam. *Tertius* vero ortum habet a Deo, non a *natura* nec a *libero arbitrio;* et quia non habet ortum a *libero arbitrio,* potest esse in parvulo ante usum liberi arbitrii; quia vero non habet ortum a *natura,* potest esse perfectus, natura existente imperfecta. — Per haec patent obiecta.

Triplex ortus huius habitus.

1. Nam fides aliquid habet infusum, aliquid acquisitum, ut cognitionem substratam; ratione primi est in parvulo, non ratione secundi.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de facilitate, patet responsio, quia habitus ille reddit potentiam facilem, sed non omnino.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus est habitus perfectus etc.; dicendum, quod perfectio moris quaedam est *acquisita,* et haec praesupponit

Duplex perfectio.

---

[1] Gregor., XXIV. Moral. c. 8. n. 19: Quid namque alas animalium nisi virtutes debemus sentire Sanctorum? Qui dum terrena despiciunt, ad caelestia volando sublevantur. Unde recte etiam per Isaiam [40, 31.] dicitur: *Qui confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilae.* Cfr. I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 31.

[2] Vide II. Sent. d. 31. a. 1. q. 2. — De reformatione potentiarum per virtutes cfr. ibid. d. 16. a. 2. q. 3, d. 26. q. 5, et III. d. 36. q. 1. — Pro *substantias* codd. G I *substantiam,* Vat. *animae substantiam.*

[3] Cfr. infra d. 49. p. I. q. 5, et III. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. in corp.

[4] Sive facilitas exeundi in actum. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 3. § 1.

[5] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis* (de privatione et habitu), quod Boeth. exponens ait: Parvos vero catulos, quibus visus non est, non satis digne aliquis caecos esse pronuntiet; eo enim tempore nondum naturaliter visum habere possunt etc. — Pro *visus* cod. Z *virtus.* Inferius pro *cum creverunt* plures codd. *cum creverint.*

[6] Cod. X addit *sive mala dispositione.* Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 6. Inferius pro *expeditivum* edd. cum paucis codd. *impeditivum,* cod. H *impedimentum.*

[7] Edd. *ab habitu malo et a concupiscentia sive* [cod. Y et] *a culpa, et contra hoc impedimentum est gratia sive virtutes, per quas expediuntur ad operandum.*

[8] Vat. supplet *ad operandum.*

[9] Cfr. tom. II. pag. 901, nota 2. et pag. 903, nota 9, nec non tom. III. pag. 500, nota 6. — Inferius pro *sequitur* cod. aa *requirit.*

perfectionem naturae; quaedam *infusa*, et haec non praesupponit necessario [1]. — *Aliter.* Posset tamen dici, quod potentiae naturales in parvulo, in quibus natae sunt inesse virtutes, quantum est de se, perfectae sunt, licet non exeant in actum propter impedimentum corporis. Unde statim, cum anima parvuli soluta est a carne, habet operationes sibi debitas.

4. Ad illud quod obiicitur, quod habitus cognitivi praecedunt etc.; dicendum, quod licet habitus *cognitivi* sint secundum *acquisitionem*, tamen *gratuiti* sunt per *infusionem* [2]. — *Quaestio incid. solvitur.* Sed, cum *cognitivi* possint infundi, quare non dantur? Ratio est, quia sunt ad cognoscendum, et hunc actum non habent ante usum rationis. Sed habitus *motivi* non tantum sunt ad dirigendum, sed ad faciendum dignum gloria et purificandum a culpa [3].

QUAESTIO III.

Utrum aequalis gratia detur omnibus parvulis in baptismo.

Tertio quaeritur, utrum aequalis gratia detur omnibus parvulis in Sacramento. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia quod causa differenter imprimat effectus, hoc non est, nisi vel quia agens est voluntarium, vel quia, si non est voluntarium, tamen differenti modo se habet, vel, si eodem modo, materia recipiens se habet alio modo [4]; sed nec Sacramentum nec virtus passionis est voluntarium agens, nec ipsum diversificatur, nec parvulus unus est magis dispositus quam alter: ergo etc.

2. Item, cum qualicumque dispositione infans nascatur et qualiacumque habeat naturalia, unus non nascitur magis peccator quam alius [5]: ergo pari ratione in regeneratione unus non debet regenerari magis vel melius alio.

3. Item, unus non punitur magis alio [6]: ergo nec remuneratur.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Bonitas naturae dispositio est ad gratiam [7]: ergo ubi melior natura, melior dispositio; sed causa uniformiter agens magis imprimit in magis disposito, ut lux in aëre quam in aqua: ergo cum unus parvulus melius sit dispositus quam alius, patet etc.

2. Item, quia Deus praevidit Iacob futurum bonum, dedit illi gratiam, alteri vero, scilicet fratri, non dedit, quia permansurum vidit in malitia [8]: ergo si parvulorum, qui baptizantur, quosdam praevidet damnandos, quosdam salvandos; videtur, quod salvandis dare debeat maiorem gratiam.

CONCLUSIO.

Deus de lege communi parvulis in baptismo aequalem dat effectum.

Respondeo: *Axioma.* Dicendum, quod gratia mensuratur secundum liberalitatem Dei dantis, non secundum qualitatem suscipientis, nisi *de congruo*, et hoc, secundum quod suscipiens se praeparat, non secundum quod est capax. Quia ergo Deus operatur ibi secundum exigentiam Sacramenti; et *ulterius*, unus non est dispositus magis quam alter: *Conclusio 1.* ideo [9] aequaliter omnibus parvulis dat, quantum est de lege communi. Quia tamen potestas eius non est alligata Sacramento, *Conclusio 2.* non est necesse, quod semper det aequaliter, sed potest facere, cui vult, privilegium speciale.

Ad argg. pro parte affirmativa.

1. 2. Ad illud ergo quod primo obiicitur de agente diversimode, dicendum, quod illud non valet, quia Deus operatur in Sacramento ut agens voluntarium. — Similiter nec secundum valet, quia propagatio libidinosa hoc facit, quae conversa est in naturam, et ideo uniformiter [10].

3. Ad illud quod obiicitur tertio de poena, dicendum, quod illud non valet, quia iustitia respicit meritum praecise, sed misericordia respicit dantis benignitatem.

Ad argg. pro parte negativa.

1. Ad illud quod obiicitur ad oppositum, dicendum, quod bonitas naturae non disponit ad gratiam

---

[1] Vat. repetit *perfectionem naturae.* Mox pro *natae sunt* permulti codd. *innatae sunt*, cod. U *etiam natae sunt.* In fine solut. cod. F *sibi proprias vel debitas.* Cfr. infra d. 50. p. II. a. 1. q. 1. seq.

[2] Sensus est: Dicendum, quod licet habitus cognitivi, in quantum sunt cognitivi, sint per acquisitionem et sub hoc respectu parvulis convenire nequeant, tamen in quantum sunt gratuiti, sunt per infusionem et in parvulis inveniuntur. Cfr. supra ad 1. — Superius post *cognitivi sint* cod. R addit *prius*, Vat. *priores*, et subinde pro *sunt* substituit *praecedunt.* Pro *tamen gratuiti sunt* cod. R *tamen gratuitum.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cfr. Aristot., VIII. Metaph. text. 11 seq. (VII. c. 4.).

[5] Vide II. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. — Superius plurimi codd. omittunt *cum;* codd. B F H L N Z aa *parvulus* pro *infans.*

[6] Anselm., de Conceptu virgin. et orig. pec. c. 27: «Et omnes, qui in illo [originali] solo moriuntur, aequaliter damnari [aestimo]», scil. carentia visionis Dei. Cfr. II. Sent. d. 33. a. 2. q. 1. fundam. 4. et a. 3. q. 1. seq.

[7] Vide Matth. 25, 15, ubi dicitur, quod talenta unicuique dantur secundum propriam virtutem.

[8] Cfr. Rom. 9, 13. — Post *fratri* codd. R X addunt *suo.*

[9] Cod. Z bene supplet *gratiam.* — Cfr. supra huius dist. p. I. a. 1. q. 3, et II. Sent. d. 9. q. 3.

[10] Aristot., Mechanicae, c. 1: Natura etenim eundem semper habet modum. Cfr. supra pag. 14, nota 5. — Cod. K supplet *est.*

ut *necessitas*, nec etiam ut *congruitas*, nisi interveniat praeparatio determinata, ut sic se praeparet, sicut natura nata est capere [1].

2. Ultimum patet, quia virtus Sacramenti non respicit futurum, sed dispositionem praesentem, Deus autem et sic et sic [2].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit: *Neque ille latro pro Christi nomine crucifixus est.* Secundum hoc videtur, quod ille non fuit Martyr, quia « Martyrem non facit poena, sed causa [3] ». *Sed contra:* Hieronymus [4]: « Christus de cruce latronem invitavit ad paradisum, et ne quis putaret, aliquando seram esse conversionem, homicidii poenam fecit esse martyrium ». — Item, actus martyrii est sustinere poenam ex caritate; sed latro sic sustinuit: ergo etc.

Duo requiruntur ad martyrium. Respondeo: Dicendum, quod ad martyrium completum duo concurrunt, scilicet *iusta voluntas* et *iusta causa* [5]. Primum defecit in Innocentibus, secundum vero in latrone; et ita de se neutrum fuit completum martyrium. Sed Dominus in Innocentibus, quia simul cum ipso nati sunt, et propter hoc quod erat coaetaneus illis, supplevit quod deerat ex parte *voluntatis;* sic in latrone, quod deerat ex parte *causae.* Unde optime dicit Hieronymus, quod « *fecit* [6] esse martyrium », quasi Dominus de suo suppleverit. Et sic patet controversia, quia de se non fuit martyrium completum, sed Dominus fecit.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius, quod illum *quem regeneraturus eram, amisi;* quia, si perdidit eum, ergo videtur peccasse. — Item, ipse dolebat aut propter peccatum *illius*, aut propter peccatum *suum.* Non propter peccatum *illius*, quia ipse dicit [7], quod « ille non amisit gratiam, quam poposcit »: ergo propter peccatum *suum.*

Respondeo: Dicendum, quod consuetudo Ecclesiae erat differre baptismum usque ad tempora determinata, nisi immineret periculum mortis, et usque ad eruditionem perfectam; et ideo, quia ibi Ambrosius vidit, non imminere periculum, distulit, et ideo non peccavit; nec ille damnatus fuit, quia petiit; et ita, cum voluntas fuisset [8] in eo, non fuit contemptus, et ideo salvatus est. Nec Ambrosius dolebat de culpa sua nec de damnatione illius, sed dolebat dolore compassionis. Quia enim non fuit baptizatus, ideo de peccatis suis aliquam sustinuit poenam purgatoriam; et ideo Ambrosius compatiebatur ad modum Isaiae [9], qui dicebat: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit.*

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Excepto martyrio, in quo tota Sacramenta baptismi complentur.* Videtur enim falsum dicere, quia in baptismo fluminis imprimitur character, in baptismo sanguinis non [10]: non ergo tota Sacramenta complentur; aut si *tota* complentur, tunc ergo character imprimitur, ubi maxime consistit ratio Sacramenti. *Sed contra:* qui habet characterem non potest recipere characterem eiusdem generis: ergo qui est baptizatus aqua non posset [11] martyrizari. — Item, si *tota* Sacramenta; videtur, quod aut est implicatio falsi, aut baptismus continet plura Sacramenta.

Respondeo: Dicendum, quod baptismus dicitur pluraliter *Sacramenta*, non ratione principalis signi vel effectus, sed ratione effectuum consequentium, quod est purgare a *culpa* et *poena* satisfactoria et *sequela;* quae omnia quia sunt in martyrio, ideo dicit, quod recipit *tota Sacramenta*, id est plenitudinem efficaciae quantum ad rem ultimam; et ideo patet, quod non valet obiectio de charactere. Nam Notandum.

---

[1] Vide II. Sent. d. 9. q. 3. ad 3.

[2] Vide scholion ad I. huius articuli quaest.

[3] August., Enarrat. in Ps. 34. serm. 2. n. 13. Cfr. Gregor., in Registro, Epist. lib. II. epist. 51. (alias 36.).

[4] Epist. 16. (alias 58.) n. 1: Christus in paradisum de cruce latronem *intulit* (Luc. 23, 43.), et ne quis aliquando seram conversionem putaret, fecit homicidii poena martyrium. — Pro *invitavit* codd. F G H I K *vocavit*, iidem codd. cum pluribus aliis in *minori* seq. arg. omittunt *sic.*

[5] Isidor., VII. Etymolog. c. 11. n. 1: *Martyres* Graeca lingua Latine *testes* dicuntur; unde et *testimonia* Graece *martyria* nuncupantur. Testes autem ideo vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt et usque ad mortem pro veritate certaverunt. — Aliquanto inferius post *Sed* codd. F G I bene addunt *sicut*, quod cod. Z subinde pro *sic* substituit.

[6] In cod. F (H primitus, bb a secunda manu) additur *poenam.* Subinde pro *quasi Dominus de suo* edd. *quod Dominus de se.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 9. a. 4. § 4; B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Hic in lit. Magistri, c. 4.

[8] Edd. *fuerit.*

[9] Cap. 16, 11. — Codd. M N O *sonabat*, edd. cum pluribus codd. *stabat.* — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[10] Ut dictum est supra a. 1. q. 2. in corp. — Maior pars codd. non quidem falso, sed argumentationi minus congruenter *in baptismo fluminis non*, et paulo inferius *si tota implentur* pro *si tota complentur* (verbo *implentur* utuntur codd. K V aa tam in verbis Magistri quam in obiect.).

[11] Cod. I *poterit*, edd. cum pluribus codd. *potest.* Inferius pro *falsi* edd. perperam *facti.*

ipse vocat *Sacramenta* hic effectus Sacramenti baptismi, qui sunt res tantum [1].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod *parvuli, si ante baptismum fuerint defuncti, etiam cum ad baptismum deferuntur, damnantur.* Videtur enim male dicere, quia adultus, cum non potest, excusatur a praecepto: ergo multo fortius parvulus. — Item, Dominus fidem parentum reputat, quasi esset parvuli: ergo si mulier ex fide et caritate offerat parvulum, videtur, quod Dominus reputet, illam esse parvuli: ergo non damnatur sine baptismo. — Item, ponatur, quod aliquis occiderit puerum, cum deferretur ad baptismum, ne baptizetur; nunquid dicemus, parvulum damnari, qui propter susceptionem Sacramenti mortuus est? Videtur enim hoc esse magna crudelitas. Quodsi dicamus salvari, non ergo verum dicit Augustinus in littera [2], quod non salvantur, etiam si ad baptismum deferantur. — Item, si damnantur: ergo peiorata est conditio parvulorum respectu status legis naturae, in quo salvabantur sola fide parentum [3].

Respondeo: Dicendum, quod nullus parvulus salvatur nisi virtute Sacramenti, quantum est de lege communi; non quia parvulus teneatur ex praecepto, sed quia sine Sacramento, vel quod aequivaleat Sacramento, Deus non disposuit dare gratiam. Hoc dico, quia qui propter hoc solum occisus est a persecutore, cum portaretur ad baptismum, ne baptizare-
Notandum. tur, moritur pro baptismo; ideo in sanguine suo pie creditur baptizatus. Si autem alia de causa occiditur, quantumcumque deferatur et pro eo ore-
Ratio 1. tur, damnatur. — Ratio autem huius est: quia post passionem Christi formata est Ecclesia, et ecclesiastica Sacramenta [4]; et omnis parvulus, qui salvatur, in fide Ecclesiae salvatur, quantumcumque parentes sint mali. Et ideo nisi opus ecclesiasticum, ut puta sacramentale, fiat circa eum, expers est fidei
Ratio 2. Ecclesiae, ac per hoc et salutis. — Alia etiam ratio est: quia, cum omnes post passionem [5] salventur per fidem passionis iam revelatae; ideo congruebat huic tempori, ut nullus salvaretur, nisi vel in se haberet fidem, vel circa ipsum fieret expressa fidei professio quantum ad mortem Christi. — Ex his patet, quare in Lege sufficiebat sola fides, modo vero non; facit enim hoc certitudo divinae dispositionis [6].

Quod ergo obiicitur de adulto, dicendum, quod uterque excusatur a praecepto, sed adultus habet Notandum.
gratiam poenitentiae, ad quam se disposuit per contritionem, quae disponit ad illam gratiam, et illa supplet locum baptismi; parvulus non potest disponi ad gratiam alterius Sacramenti, antequam ad gratiam baptismi, et ad illam non potest disponi [7] nisi per Sacramentum; ideo moritur sine gratia et moritur in culpa, et ideo damnatur.

Quod obiicitur, quod fidem parentum reputat suam; dicendum, quod non facit nisi virtute Sacramenti. — Ad casum, quem ponit, patet responsio: distinguendum enim est, ut praedictum est.

Ad ultimum, quare antiquitus salvabantur in fide parentum, et non modo; iam patet responsio. Nec sequitur, quod tunc melioris conditionis esset, Notandum.
quia nullus status melior [8] propter generalitatem remedii; particularis autem personae conditio potest esse deteriorata. Deus autem in institutione Sacramentorum statum concernit generalis Ecclesiae, non particularis personae; et quoniam certitudo remedii maior est et communior in Sacramento quam in fidei merito: ideo patet illud [9].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, *parvulos... nondum baptizatos aeterno supplicio cruciandos.* Videtur enim falsum dicere, quia parvuli nihil commiserunt nec actualiter ad aliquid conversi sunt; sed poena ignis debetur delectationi et conversioni [10]: ergo non debetur eis. — Item, parvuli non potuerunt vitare: ergo minime sunt inculpandi: ergo «poena eorum debet esse mitissima [11]».

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicunt magistri, parvuli non habent poenam *sensus* nec quan- Notandum.
tum ad ignem nec quantum ad vermem, sed solum poenam *damni;* et ideo poena erit mitissima. Hanc autem vocat Augustinus *supplicium,* licet improprie,

---

[1] Codd. M Q *sunt tres tantum.* — Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4. et huius dist. p. I. a. 1. q. 1. seq. Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 9. a. 4. § 1. et 3; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Vel potius Magister, deducens hoc ex verbis Augustini, hic in lit. c. 5.

[3] Cfr. supra d. 1. p. II. a. 1. q. 1. seq.

[4] Vide supra pag. 2, nota 12. verba Augustini, secundum quae codd. K aa post *Christi* addunt *de latere eius.* — Cfr. de hac ratione supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3. et d. 4. p. I. dub. 2. — Inferius pro *sacramentale* edd. *Sacramentum tale.*

[5] Cod. G *passionem Christi.* Pro *ratio est* edd. cum non paucis codd. *ratione.*

[6] Cfr. supra d. 2. a. 1. q. 2. ad 3.

[7] Vat. hanc propositionem exhibet ita: *parvulus non; ideo adultus potest disponi ad gratiam... et ad illam non potest parvulus disponi.* Inferius pro primo *moritur* codd. H Y *remanet.*

[8] Edd. *est melior,* cod. X *melior nostro.*

[9] Vide supra d. 1. p. II. a. 1. q. 2. ad 1. et 3. — De hoc dubio Petr. a Tar., hic circa lit.

[10] Scil. ad commutabile bonum, secundum definitionem ab August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53, datam, quod peccatum est, « aversio ab incommutabili bono et conversio ad mutabilia bona ». Cfr. II. Sent. d. 35. dub. 6, d. 36. dub. 1, d. 42. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 2.

[11] August., Enchirid. c. 93. n. 23. — Superius post *non potuerunt* [cod. H *possunt*] *vitare* edd. supplent *culpam.*

non quia urantur igne, vel quia corrodantur verme, sed quia in illis[1] haec ipsa carentia magnum est supplicium. Propter remorsum autem parvuli non dolebunt, quia, divino iudicio et misericordia faciente, statu, quem habebunt, contenti erunt. Sed hoc alibi[2] plenius dicitur.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *A fidelium consortio non separantur.* Videtur enim male dicere, quia non fit oratio nisi pro peccatoribus: ergo si Ecclesia orat pro parvulis, reputat eos peccatores: ergo facit iniuriam Sacramento baptismi, quasi non purificet.

Respondeo: Dicendum, quod non ideo orat pro Notandum. eis, quia[3] ipsi indigeant, sed ut ostendat, quod sunt de eius gremio et eius filii. Nec frustra orat, quia orationes illae pro parvulis sunt *gratiarum actiones;* pro indigentibus vero *suffragia* computantur, quia aliis prosunt[4].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quia, si modo a poena homines liberarentur, ipsam putarent baptismi praemium.* Videtur enim, quod illud nullum sit inconveniens, quia, si baptismus restitueret corpus in omnimodam puritatem, inde haberet homo immortalitatem, et hoc est praemium baptismi et pars beatitudinis.

Respondeo: Dicendum, quod immortalitatem sive sanitatem carnis posset baptismus dupliciter Distinctio. restituere: aut ita, quod ibi daretur gratia consummata; et hoc nihil aliud esset quam dare gloriam, Notandum. quod Dominus non decrevit facere, quia vult, quod voluntas ita perveniat libere, ut instituta est ab initio. Si autem fieret immortalitas in carne, non existente perfecta gratia in anima; tunc posset ibi esse error et ratio deviandi, quia appeteret homo medicinam spiritualem propter remedium corporale; et ita in salute corporis deordinaretur, et infirmaretur spiritus[5]; quod non est conveniens.

DISTINCTIO V.

Cap. I.

Quod baptismus aeque bonus est, a bono, vel a malo datus.

Post haec sciendum est, Sacramentum baptismi a bonis et a malis ministris dari, sicut a bonis et malis sumitur. Nec melior est baptismus, qui per meliorem datur; nec minus bonus qui per minus bonum datur; nec malus qui per malum datur; nec maius munus datur in baptismo a bono dato, nec minus in baptismo dato a malo, sed aequale; quia non est hominis, sed Dei munus. Quod totum subditis declaratur testi- Augustinus. moniis. Augustinus[1] ait: « Baptismus talis est, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur ». Item: « Prorsus fieri potest, ut aliqui verum habeant baptismum, et non habeant veram fidem ». Item: « Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptismus, qui per meliorem datur; nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus aequale est, quia non illorum, sed eius est ». Idem[2]: Augustinus. « Cum baptizat malus, illud quod datum est, unum est nec impar propter impares ministros, sed par et aequale propter hoc: *Hic est qui baptizat* ». Item: « Ego dico, et nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse Dubium 1. per quos baptizatur, iustos oportet esse tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti, si volunt; si autem noluerint esse iusti qui sedent in cathedra Moysi, securum me fecit magister meus, de quo Spiritus sanctus dicit: *Hic est qui baptizat* ». Item: « Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit. Si quos ergo baptizavit Dubium 2. ebriosus, homicida, adulter; si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* ». Item: « Homicida dedit baptismum Christi; quod Sacramentum tam

---

[1] Cod. X a secunda manu *in ipsis adultis;* primitiva lectio videtur fuisse *in aliis.*

[2] Libr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq., ubi etiam in scholio alii auctores allegantur, qui de hac re tractant, quibus adiungendus B. Albert., hic a. 8. — Pro *dicitur* cod. F *dicetur.*

[3] Ita codd. F H, in aliis *ut.*

[4] Secundum August., de quo vide infra lit. Magistri, d. XLV. c. 2. — Cod. H *quia illis prosunt.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Ex codd. F H P Q supplevimus *spiritus,* pro quo cod. G *spiritualiter,* plures alii codd. *scilicet.* Paulo superius pro *homo,* quod exhibent codd. F G H I Q, alii codd. cum edd. *huiusmodi* vel *huius.* — Cfr. supra huius dist. p. I. a. 1. q. 2. in fine corp.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] In Ioan. Evang. tr. 5. n. 6, et C. *Baptismus talis* (26.), de Consecrat. dist. 4. — Seq. locus est in eiusdem libro de Unico Baptismo contra Petilian. c. 11. n. 18. Tertius est III. contra Cresconium Donatistam, c. 6. n. 6. circa finem, et C. *Si inter bonos* (25.), ibid.

[2] In Ioan. Evang. tr. 6. n. 8, et C. *Cum baptizat malus* (27.), de Consecrat. dist. 4; et respicitur Ioan. 1, 33. — Seq. locus ibid. tr. 5. n. 15, et C. *Baptismus talis* (26.), ibid. § 3.

sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur ». Fulgentius. Item [1]: « Si in haeresi quacumque vel schismate quisquam in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptismi Sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accepit; sed salutem, quae virtus est Sacramenti, non habebit, si extra catholicam Ecclesiam ipsum Sacramentum habuerit. Debet igitur ad Ecclesiam redire, non ut Sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere, sed ut in societate catholica vitam accipiat. Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse. Ibi enim cuique prodesse potest baptismus, ubi potest prodesse eleemosyna, scilicet in Ecclesia ». Isidorus. Item Isidorus [2]: « Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat ». In his perspicue cernis, baptismum verum bonis et malis dari a bonis et a malis; et ipsum tamen aeque sanctum esse, et munus eius aequale in bonis, sive a bonis sive a malis baptizentur:

Cap. II.

De potestate baptismi et ministerio.

Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptismi; potestatem enim sibi retinuit. Quod novit Ioannes, cum vidit *columbam descendentem super Christum.* Dubium 3. Unde Augustinus [3]: « Quid noverat Ioannes Baptista? Dominum. Quid non noverat? *potestatem* dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed *ministerium* plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et malos. Non exhorreat columba *ministerium malorum*, respiciat *Domini potestatem.* Quid facit tibi minister malus, ubi bonus est Dominus »? Augustinus. « *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat, Deus.* Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum est. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas; in canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos affert ». — Habent igitur non modo boni, sed et mali ministerium baptizandi, sed neutri potestatem baptismi. Augustinus. « Ministerium enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit, quam si vellet, poterat servis dare, ut servus daret baptismum suum tanquam vice sua. Et potestatem suam poterat constituere in aliquo, vel in aliquibus servis suis, ut tanta vis esset in baptismo servi, quanta est in baptismo Domini; Dubium 4. sed noluit, ne servus in servo spem poneret. Baptizat servus ut minister, baptizat Dominus tanquam potestatem habens, quam si daret servis, ut scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi, Dubium 5. quot servi, ut, sicut dictus est baptismus Ioannis, sic diceretur baptismus Petri vel Pauli. Quod ne fieret, tenuit sibi Dominus potestatem baptismi, servis ministerium dedit. Si ergo servus dicit, se baptizare; recte dicit, sed tanquam minister baptizat; et ideo non differt, sive bonus sive malus baptizet ». Augustinus. « Inde etiam nemo dicit *baptismus meus*, cum tamen dicat *Evangelium meum*, *prudentia mea*, licet haec sint a Deo. In quibus differentia est: alius enim alio melius operatur in evangelizando, et alius alio prudentior est; alius autem alio magis minusve baptizatus, sive ab inferiore sive a maiore baptizetur, dici non potest [4] ».

Cap. III.

Quae fuit potestas baptismi, quam Christus potuit dare servis et non dedit.

Hic quaeritur, quae sit illa potestas baptismi, quam Christus sibi retinuit et potuit dare servis. — Opinio 1. Haec est, ut plurimi volunt, potestas dimittendi peccata in baptismo. — Sed potestas dimittendi peccata, quae est in Deo, Deus est. Opinio 2. Ideo alii dicunt, hanc potestatem non potuisse dare alicui servorum, quia nulli potuit dare, ut esset quod ipse est, vel ut haberet essentiam, quam ipse habet, cui hoc est *esse* quod *posse.* Dicunt etiam: si hanc potentiam alicui dare potuit, potuit ei dare creaturas creare, quia non est hoc maioris potentiae quam illud [5]. — Resp. Magistri. Ad quod dici potest, quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata, non ipsam eandem, qua ipse potens est, sed potentiam creatam, qua servus posset dimittere peccata, non tamen ut *auctor* remissionis, sed ut *minister*, nec tamen sine Deo auctore; ut, sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio haberet interius [6] mundare; et sicut illud fecit, Deo auctore, qui cum eo et in eo operatur illud exterius, ita mundaret interius, Deo auctore, qui eius verbo velut quodam ministerio uteretur. De creatione. Ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tanquam *auctorem*, sed *ministrum*, cum quo et in quo operaretur; sicut in bonis operibus nostris ipse operatur, et nos: nec ipse tantum, nec nos tantum, sed ipse nobiscum et in nobis, et tamen in illis agendis *ministri* eius sumus, non sumus *auctores.* Ita ergo potuit dare servo potestatem dimittendi peccata in baptismo, id est, ut in mundatione interiori servus *cum* Domino operaretur; non servus sine Domino, nec Dominus sine servo; sed Dominus *cum* servo et *in* servo, sicut in exteriori ministerio Dominus operatur *cum* servo et *in*

— Tertius ibid. n. 18, et C. *Dedit Baptismum* (46.), c. 1. q. 1. § 1. Quartus ibid. n. 19. et in eodem canone § 2.

[1] De fide ad Petr. (auctore Fulgentio) c. 3. n. 43. (interpolate). Infra pro *ubi potest* codd. A B C D et ed. 1 *cui potest.*

[2] Can. *Romanus pontifex* (23.), de Consecrat. dist. 4. Sed locus a multis quaesitus in *Isidoro* non potuit inveniri; legitur tamen apud Egbertum Ebor. l. Poenitent. p. I. c. 7, et Algerum, III. de Sacramento c. 6. — Inferius notandum, quod ultima capituli propositio divisione capitulorum incisa est.

[3] In Ioan. Evang. tr. 5. n. 11, et C. *Baptismus talis* (26.), de Consecrat. dist. 4. § 1. Immediate ante respicitur Ioan. 1, 33. — Seq. locus est August., ibid. n. 15, et C. *Si iustus* (30.), c. 1. q. 1, ubi citatur I. Cor. 3, 7. Tertius locus est ibid. n. 7, plurimis a Magistro omissis; in quo pro *tenuit sibi* edd., excepta 1, *retinuit sibi*, refragantibus codd. et originali.

[4] August., V. de Baptismo contra Donatistas, c. 14. n. 16, et C. *Cum tantum* (47.), de Consecrat. dist. 4. § 1.

[5] Cfr. Glossa apud Lyranum Ioan. 14, 12. Superius pro *Dicunt etiam* edd., excepta 1, *Dicunt enim*, refragantibus codd.

[6] Codd. A B E et ed. 1 *intus.*

servo. Unde et Dominus dicitur sanctificare et servus; sed Dominus invisibili gratia, servus visibili Sacramento. Augustinus. Unde Augustinus super Leviticum[1]: « Dominus ait: *Ego Dominus, qui sanctifico;* de Moyse etiam dictum est: *Et sanctificabis eum.* Sed Moyses sanctificat visibilibus Sacramentis per ministerium, Dominus autem invisibili gratia per Spiritum, ubi est totus fructus visibilium Sacramentorum. Sine hac sanctificatione visibilia Sacramenta nihil prosunt ». — Si quis hoc melius aperire poterit, non invideo[2].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM V.

De baptismo per comparationem ad dantes.

Post haec sciendum est, Sacramentum baptismi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de baptismo in se et per comparationem ad suscipientes[1]; hic tertio agit de ipso per comparationem ad dantes; et hi sunt quibus collata est potestas baptizandi. Et dividitur haec pars in duas partes. In prima agit de potestate collata. In secunda agit de his quae hanc potestatem expediunt, vel impediunt, infra distinctione sequenti circa medium, ibi: *Hoc etiam sciendum est, quod licet ter* etc.

Prima pars habet duas. In prima ostendit Magister, quae sit illa potestas, quae ministris est collata. In secunda vero determinat, quibus est collata, ibi[2]: *Nunc quibus liceat baptizare.* Prima pars habet tres partes. In prima parte ostendit, quod potestas baptizandi aequaliter est efficax in omnibus ministris. In secunda vero ostendit, quae sit illa potestas, quoniam est solius ministerii exterioris, ibi: *Quia ministerium tantum habent.* In tertia vero parte ostendit, quae sit illa potestas, quam Dominus potuit dare ministris, sed non dedit, ibi: *Hic quaeritur, quae sit illa potestas,* ubi dicit, quod est potestas cooperationis.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae dicuntur in praesenti distinctione, tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de potestate collata baptizaturis sive baptizantibus quantum ad extensionem.

Secundo de ipsa quantum ad intensionem sive efficaciam.

Tertio quaeritur de ipsa potestate baptizantium per comparationem ad dantem illam.

Circa primum breviter quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum soli sacerdotes sive clerici habeant potestatem baptizandi.

Secundo, dato quod etiam laici, quaeritur, utrum haeretici in potestate illa communicent cum catholicis.

ARTICULUS I.

De extensione potestatis collata baptizantibus.

QUAESTIO I.

Utrum soli sacerdotes sive clerici habeant potestatem baptizandi.

Et quod non tantum sacerdotes, sed etiam laici, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Si baptizaret vetula, servata forma verborum, ille quem baptizat, non rebaptizatur[3]: ergo est baptizatus; sed vetula non baptizaret, nisi haberet potestatem: ergo etc.

2. Item, alia *ratione* videtur: baptismus, quia est Sacramentum necessitatis, ideo institutum est in

---

[1] Libr. III. Quaestion. in Pentateuch. q. 84. Loci Scripturae Levit. 21, 15; Exod. 29, 24. — Pro *Moyses sanctificat* edd., excepta 1, *sanctificabat*, refragante etiam originali, ubi legitur: Quomodo ergo et Moyses sanctificat et Dominus?

[2] De hac Magistri sententia communiter non recepta cfr. Comment. a. 3.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Dist. III. et IV. — Edd. omittunt *in se et,* pro quo codd. H Q *in se, determinavit etiam de baptismo.*

[2] In principio d. VI.

[3] Cfr. infra lit. Magistri, d. VI. c. 2. — Superius post *laici* edd. supplent *possint baptizare.*

elemento omnibus communi [1]; sed elementum non sufficit, nisi adsit qui possit baptizare: ergo potestas baptizandi omnibus debuit conferri, tam clericis quam laicis.

3. Item, Ioannis quarto [2] dicitur, quod Dominus non baptizabat, sed disciMpuli; sed discipulis nondum erat collata potestas sacerdotalis: ergo etc.

Contra: 1. Isidorus [3]: «Constat, baptismum solis sacerdotibus traditum esse, nec ipsis diaconibus eius ministerium esse permissum». Ad oppositum.

2. Item, baptismus est Sacramentum Ecclesiae; sed ordo est in ecclesiastica hierarchia: ergo ab his solis potest tradi, qui ad hoc in Ecclesia sunt ordinati. Sed illi soli sunt, qui habent ordinis Sacramentum: ergo etc.

3. Item, si propter necessitatem solam confertur omnibus: ergo cum Sacramentum poenitentiae sit Sacramentum necessitatis, videtur, quod in casu illo debeat quilibet absolvere, etiam laicus.

4. Item, si in casu necessitatis indultum est, videtur, quod si aliquis laicus baptizet praeter necessitatem, debet rebaptizari.

CONCLUSIO.

Non soli sacerdotes, sed etiam laici non muti neque manci possunt et in casu necessitatis debent baptizare.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum baptismi est Sacramentum *ecclesiasticum, necessarium* et *primum*. Quia *ecclesiasticum*, ideo eius administratio primo et principaliter est commissa clericis et inter hos sacerdotibus. Quia vero *necessarium*, et sacerdos non semper adest; ideo eius administratio se extendit etiam ad laicos, divina misericordia faciente, quae neminem vult perire [4]. Quia vero *primum*, ideo a nullo alio Sacramento dependet; et ideo huius ministerii potestas se extendit ad omnes qui possunt facere ea quae sunt de integritate Sacramenti; et quicumque illa faciat, baptizatum est: ille ergo solus excluditur, qui non potest. (Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.)

Propter quod notandum, quod baptismus, sicut alia Sacramenta, est *Sacramentum*, et *Sacramentum unum* et *verum* et *integrum*. Quia *Sacramentum*, ideo est signum visibile, et ideo debet habere dispensatorem visibilem, ut hominem, non spiritum. Quia vero *unum*, ideo debet tradi ab uno dispensatore, non a pluribus. Quia *verum*, ideo non debet idem esse baptizans et baptizatus, sed alius, quia in forma duplex persona exprimitur, cum dicitur: baptizo te. Quia vero *integrum*, ideo concurrunt in eo necessario duo, scilicet *elementum* et *verbum*. *Verbum* autem debet *dici;* et quia *dicere* est cum intentione proferre [5]: ideo necesse est, quod baptizans habeat *discretionem* et non sit stultus, et oportet, quod habeat *locutionem* et non sit mutus. Quia vero in *elementum* debet mergere, oportet, quod non sit mancus. — Omnis talis *potest* baptizare [6] et in casu necessitatis *debet*, etiam si non habet ordinem; praeter casum necessitatis *solus sacerdos* debet baptizare, et si alius facit, quamvis baptizet, graviter peccat. (Conclusio 4. Conclusio 5. Conclusio 6. Conclusio 7. Conclusio 8. Conclusio generalis.)

1. 2. Patent igitur obiecta, quia Isidorus loquitur secundum *congruitatem* exsequendi, non secundum *potestatem*. — Et similiter patet aliud, quia, etsi sit ecclesiasticum, tamen est necessarium et primum, et ideo etiam secundum rectam ordinationem Ecclesiae competit eius administratio omnibus eis qui possunt exercere quae sunt de integritate Sacramenti. Solutio oppositorum.

3. Ad illud de poenitentia dicendum, quod etsi sit necessarium, non tamen primum, sed eorum qui iam sunt de Ecclesia. *Praeterea*, hoc Sacramentum est tantum adultorum, qui possunt adire sacerdotem interiorem, cum carent exteriori; sed non sic baptismus, quia est remedium parvulorum.

4. Ad ultimum dicendum, quod potestas non tantum *data* est in casu necessitatis, sed [7] tunc *imposita*, ut, si alias fecerit, peccet; tunc vero non peccat, si facit, immo peccat, si non facit; nihilominus tamen si fecerit, factum est. Et sic patet responsio ad illud.

Ex praedictis patent aliqui casus, qui circa potestatem baptizantium possunt quaeri. — Solet enim quaeri, utrum in articulo necessitatis possit aliquis a sathana baptizari, esto quod *se transfiguret in angelum lucis* [8]. Et quod sic, videtur: quia omnia verba potest dicere et omnem actum facere, quem alius potest. Casus 1.

Et ad hoc patet responsio, quod *non*, quia ipsi non competit administratio Sacramenti sensibilis. — Potest autem huius triplex ratio reddi. Prima est, quia spiritus est; administratio autem sive dispensatio Sacramentorum per Christum — hominem instituta est per homines ad salutem hominum dispensandam [9]. — Secunda ratio est, quia spiritus est ita praecisus ab Ecclesia, quod nec est membrum *actu* nec *potentia;* et ideo administratio et potestas, quae descendit a capite Christo, non pervenit ad (Solutio. Ratio 1. Ratio 2.)

---

[1] De quo vide supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1.
[2] Vers. 2.
[3] Libr. II. de Ecclesiast. offic. c. 25. n. 9. Vide infra lit. Magistri, d. VI. c. 1.
[4] Cfr. C. *In necessitate* (21.), de Consecrat. d. 4. — Pro *faciente* codd. T U *favente*.
[5] Vide I. Sent. d. 27. p. II. q. 1, et II. Sent. d. 10. a. 3. q. 1.
[6] Vat. glossando: *omnis ergo talis, qui potest exercere ea quae sunt de integritate Sacramenti, potest baptizare*.
[7] Edd. *sed etiam*.
[8] Epist. II. Cor. 11, 14. — Inferius edd. omittunt *quod non*.
[9] Cfr. Matth. 18, 18. et 28. 19. Vide etiam supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. et d. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine. — De secunda ratione, in quā voci *spiritus* cod. P praemittit *ipse malus* (cod. Z addit *malus*, cod. bb *ille*), cfr. III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1-3.

Ratio 3. ipsum. — Tertia ratio est, quia in omnibus sinistram habet intentionem. «Sicut enim Christus omnia bene fecit, ita diabolus omnia male [1] »; et ideo, etiam si faceret actum et diceret verbum, non intenderet baptizare, sed potius deludere. — Et sic patet, quod non potest baptizare. Prima tamen ratio melius valet [2].

Solet etiam quaeri, utrum aliquis in articulo
Casus 2. necessitatis positus possit baptizare se ipsum. Videtur enim, quod sic, propter statum necessitatis, cum possit se mergere et verbum dicere. Et hoc ipsum videtur Innocentius in quadam decretali [3] dicere, quod « si Iudaeus aliquis aspergat se aqua, utens forma baptismi, non habens qui ei Sacramentum tribuat; evolat et inter fideles computandus est », ut dicit.

Et ad hoc patet responsio, quod nullus potest
Solutio. sibi administrare Sacramentum baptismi [4]. — Et pri-
Ratio 1. ma quidem ratio tacta est, quia non salvatur veritas formae, cum in forma duplex persona exprimatur;
Ratio 2. cum dicitur: baptizo te. — Secunda vero est, quia baptizans pater est spiritualis baptizati: si ergo nemo est filius suus, nemo se ipsum potest baptizare. —
Ratio 3. Postremo, deficit ibi ratio significationis: quia enim significatur ibi mundans et mundatus spiritualiter, et hic non potest esse idem, sed alius; ita necesse est etiam, quod sit in Sacramento. — Prima tamen ratio potior [5] est.

Solet etiam poni talis casus: esto quod aliquis
Casus 3. habeat consortium muti et manci. Alter non potest baptizare, quia deficit ei *verbum,* alter non potest, quia deficit ei *actus;* videtur ergo, quod ambo simul possint totum supplere et baptizare propter necessitatem.

Et ad hoc patet responsio, quod non possunt.
Solutio. Aut enim dicit mancus ille *baptizamus,* aut *baptizo.* Si dicat *baptizamus,* mutat formam. Si dicat *baptizo,* falsum dicit, quia, cum sit mancus, non mergit; et ita non potest ibi salvari quod est de integritate Sacramenti. — Si autem duo baptizent, quorum uterque mergit et verbum dicit; si dicunt ambo *baptizamus,* neuter baptizat, quia formam mutat [6]; si vero dicunt *baptizo,* alter eum baptizat, scilicet qui prius loquitur et complet, alter vero omnino nihil facit.

Solet etiam quaeri: si plures sint in extrema ne- Casus 4.
cessitate, utrum possint simul baptizari. Et quod sic, videtur: quia propter necessitatem indultum est omnibus: ergo videtur, quod unus possit baptizare plures, ubi est periculum mortis.

Et ad hoc aliter respondetur quam ad praedi- Solutio.
cta [7], quod *potest;* et si baptizaret ita: baptizo *vos* in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; baptizatum est. — Et *si tu obiicias,* quod mutat formam, Obiectio solvitur.
sicut si dicatur: *nos* baptizamus; dicendum, quod in *hoc* est mutatio formae. Nam, sicut dicit Priscianus [8], *nos* non geminat singulare suum, ut dicatur *ego et ego,* sed *ego et tu,* vel *ego et ille;* et ideo, si dicatur: *nos* baptizamus, aliquid dicitur a forma extraneum, et forma mutatur. — Sed cum dicitur: baptizo *vos,* sensus est: baptizo *te et te;* et ideo non est formae mutatio, sed geminatio, nec hic introducitur persona alia nisi baptizans et baptizata; non sic est in forma alia, cum dicitur: *nos* baptizamus.

Attendendum tamen, quod si per pluralem nu- Restrictio notanda.
merum non fiat vis aliqua, nisi quae sit secundum cursum solitum loquendi, secundum quod Papa de se unico dicit: nos dicimus, et in vulgari hoc utimur linguagio [9]; non dicerem, tunc formam mutari nec corruptam esse. Sed si istud serio diceretur et cum pondere sui sensus, alium generaret intellectum; et ideo non esset baptismus, quia, sicut praedeterminatum est [10], mutatio formae aufert baptismum. —
Ex praedictis igitur patet, quod unus potest simul Epilogus.
baptizare plures, non plures unum; et ratio est Ratio 1.
mutatio formae in uno, et non in alio. Potest nihi-

---

[1] Secundum Glossam *ordinariam* in Matth. 12, 35. et II. Cor. 6, 15. Cfr. tom. III. pag. 493, nota 1. Edd. *facit* pro *fecit,* quae etiam paulo inferius inter verba *non intenderet* interserunt *tamen.*

[2] Vide Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 4.

[3] Cap. *Debitum* (4.). X. (lib. III. tit. 42.), de Baptismo et eius effectu. Notamus, quod S. Bonav., sicut et Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 8, ad *formandam obiectionem* quasdam tantum propositiones praemissi capituli selegerunt. Nam ibidem ipse Innocentius urget, quod baptizans et baptizatus debent esse distincti, et aliam veramque rationem, cur ille evolasset, subiungit, scilicet quod « protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, etsi non propter fidei Sacramentum ».

[4] In codd. F Q additur: Ad illud Innocentii, quod si Iudaeus se aspergat etc.; dicendum, quod ipse non est baptizatus, quia non servat formam; sed si fecit quod potuit, creditur salvari per baptismum flaminis. Quod autem talis non sit baptizatus, triplex ratio assignatur. — Pro *sibi* cod. H *sibi ipsi.*

[5] Codd. F H Q *efficacior.*

[6] Ita codd. H K *mutant,* cod. F legit *non baptizant, quia formam mutant,* edd. *forma mutatur.* Superius pro *baptizent* codd. A G K W *baptizarent.*

[7] Codd. M O U addunt *et dicitur.* Superius post *necessitate* codd. R S addunt *positi.* Subinde pro *baptizaret* plures codd. *baptizet,* et pro *baptizatum est* cod. H *baptizati sunt.*

[8] Verba Prisciani, ex quibus hoc colligi potest, haec sunt. Libr. V. Grammat. c. 9. numerum singularem describens ait: « Singularis quoque numerus bene dicitur, quod ipse geminatus et multiplicatus facit omnes numeros ». Libr. XII. c. 3. exponens hanc dictionem *nos fecimus* dicit: « *Unusquisque* enim loquentium conceptionem facit eorum qui una secum loquuntur; quippe cum unusquisque pars est totius, qui, si velit ceteros indicare secum loquentes, necessario *secundae* [tu] vel *tertiae* [ille] eos attribuit personae ». Libr. XVII. c. 16. et 19. ponuntur haec exempla: Ego et tu legimus, ego et ille legimus. — Edd. verbis *est mutatio formae* cum aliquot codd. praemittunt *non,* quae lectio non contradicit nostrae, cum referri possit ad superius positam propositionem: Baptizo *vos.*

[9] *Linguagium,* secundum Du Cange, Glossarium etc., idem significat ac idioma, sicut italicum *linguaggio.* — Mox pro *istud,* cui manus secunda in cod. H addit *verbum,* codd. F L substituunt *verbum,* edd. *sermo iste.*

[10] Dist. 3. p. I. a. 2. q. 3. — Pro *aufert* codd. A K *auferret.* Inferius post *ratio est* cod. aa addit *quia est.*

Ratio 2. lominus alia ratio assignari, quia non est necesse, quod simul duo baptizent, si uterque potest verbum dicere et mergere. Sed necessitas et utilitas est, quod simul duo baptizentur, quando sunt in Ratio 3. articulo mortis. — Alia tamen ratio est, quia baptizans minister significat Christum; unde sicut in hoc, quod unus habeat plures uxores, salvari potuit ratio Sacramenti aliquo modo [1], quia Christus est sponsus multarum animarum, sed non e converso; sic in proposito est intelligendum, quia unus est baptizans interius, scilicet Christus Dominus, a quo est unitas in Sacramento baptismi [2].

SCHOLION.

I. Circa 1. et 2. articulum huius dist., scilicet de valore baptismi a malis et haereticis collati, emanarunt multa Ecclesiae decreta. Sufficiat notare decretum Stephani I, qui contra errorem S. Cypriani defendit traditionem Ecclesiae, quod baptizati ab *haereticis* non sint rebaptizandi; et quoad *malos ministros* Bullam Martini V, quae in art. 22. errorem a Wikleff et Huss sparsum damnat et docet « quod malus sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, vere conferat alia Sacramenta ». Idem definivit Concil. Trid. (Sess. VII. de Sacram. in genere, can. 12.). — Etiam in solvendis adiunctis casibus Scholastici satis conveniunt; qui tamen de eis vel in hac vel in seq. dist. agunt.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 1. 4. et de adiunctis casibus a. 4-8. — Scot., in utroque Scripto IV. Sent. d. 6. q. 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. et 3; S. III. q. 67. a. 3. 4. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1-4. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De seq. (2.) quaestione alii Commentores Lombardi solent agere in seq. dist.: cfr. Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — S. Thom., d. 6. q. 1. a. 3. quaestiunc. 2. 3; S. loc. cit. q. 64. a. 9. — B. Albert., d. 6. a. 2. — Petr. a Tar., d. 6. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., d. 6. a. 1. q. 1. — Dionys. Carth., d. 6. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum possint baptizare haeretici.

Secundo dato, quod clerici et laici possint baptizare, quaeritur, si possint baptizare haeretici. Et quod sic, ostenditur:

1. Primo auctoritate Bedae [3]: « Sive haereticus
Fundamenta. sive schismaticus in nomine sanctae Trinitatis baptizat, non valet ille qui baptizatus est, a catholicis baptizari ».

2. Item, Augustinus [4]: « Nulli Sacramento est iniuriandum »; illi autem iniuriantur, qui dicunt, ea pollui per pollutionem ministrorum: ergo haeretici, quamvis polluti, possunt baptizare.

3. Item, « accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum [5] »; sed haereticus dicit verbum et habet elementum: ergo potest conferre Sacramentum.

4. Item, potestas baptizandi non est donum gratiae gratum facientis, sed tantum gratis datae, quia constat, quod mali sacerdotes baptizant [6]: ergo esto quod aliquis sacerdos catholicus fiat haereticus; cum propter hoc non amittat gratiam gratis datam, videtur, quod possit baptizare.

Contra: 1. Cum traditur forma baptismi, praemittuntur duo, scilicet doctrina et fides, Matthaei ultimo [7]: *Docete eos baptizantes in nomine Patris* etc.; et rursus: *Qui crediderit et baptizatus fuerit;* sed doctrina haereticorum non est scientia, sed insipientia, et fides eorum est error, non fides: ergo nec baptismus eorum est baptismus. Ad oppositum.

2. Item, baptismus est Sacramentum fidei: ergo ubi deficit fides, deficit baptismus. *Probatio primae.* Augustinus [8]: « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, non quia dicitur, sed quia creditur »; ergo si non creditur, non est Sacramentum: cum ergo haereticus non credat, non confert Sacramentum.

3. Item, ad baptismum requiritur intentio; sed haereticus non habet intentionem, quia non habet fidem, « quae intentionem dirigit », ut dicit Ambrosius [9]: ergo non potest baptizare.

4. Item, haeresis non est Ecclesia, ergo baptismus haeresis non est baptismus Ecclesiae; sed solus baptismus Ecclesiae est baptismus: haereti-

---

[1] Cfr. infra d. 33. a. 1. q. 2. et dub. 5. — Superius pro *minister* cod. F *qui ministrat,* et pro *habeat* Vat. *habebat.*

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 2. et infra dub. 5.

[3] Comment. in Ioan. 3, 4. Vide infra lit. Magistri, d. VI. c. 2.

[4] Libr. I. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. n. 2.

[5] August., in Ioan. Evang. tr. 80. n. 3. Vide supra lit. Magistri, d. III. c. 1.

[6] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, et infra a. 2. q. 1. — Pro *quia constat, quod* codd. A G V W *quod constat, quia.* Inferius voci *haereticus* edd. praemittunt *schismaticus vel.*

[7] Vers. 19. Cfr. Glossa *ordinaria* et *interlinearis* in hunc locum. — Seq. textus est Marc. 16, 16. — De *minori* vide III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. ad 4. et q. 2. ad 4.

[8] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3. — Superius pro *ubi* codd. F H Z *si.*

[9] Error videtur irrepsisse in codd. et edd.; verba siquidem haec non sunt Ambrosii, sed August., Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 4. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XL, ubi tam Ambrosii quam Augustini verba proferuntur. — De *maiori* vide infra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. seq.

corum [1] igitur, qui non sunt de Ecclesia, non est baptismus.

CONCLUSIO.

Haereticus, observatis observandis, valide baptizat.

Respondeo: Dicendum, sicut dictum est [2], quod ista tria sunt de integritate baptismi, scilicet immersio in aquam, prolatio verbi et intentio faciendi quod facit Ecclesia; et quia haereticus, manens Conclusio. haereticus, potest ista tria habere; potest baptizare et baptizat, quando aliquod istorum non deficit; operatur enim tunc non ut haereticus, sed ut catholicus.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de doctrina et fide, dicendum, quod illa non sunt *necessitatis*, sed *congruitatis*, fides, inquam, baptizantis; nam fides Ecclesiae necessaria est, et haec non deficit [3]. — Et per hoc patet sequens.

3. Similiter ad illud quod obiicitur de intentione, dicendum, quod, sicut patebit infra [4], intentio potest esse respectu *operis*, non respectu *finis;* et sic potest esse recta etiam sine fide.

4. Ad ultimum dicendum, quod illud argumentum non valet; et fert Augustinus [5] instantiam: Aegyptus non est paradisus: ergo fluvius Aegypti non est fluvius paradisi. Et est fallacia *consequentis* — homo non est asinus: ergo genus hominis non est genus asini — possunt enim Ecclesia et haeresis in aliquo communicare, quamvis multum differant.

Casus. Ex his patet casus, qui posset quaeri de haeretico, qui credit, quod Ecclesia nihil faciat; videtur enim, quod cum talis nihil intendat facere, non baptizet.

Solutio. Et ad hoc dicendum, quod haereticus bene intendit aliquando *facere* quod facit Ecclesia, et tamen credit [6], quod Ecclesia nihil faciat, quia respectu Notandum. alterius est *intentio* et *credulitas*. Nam *credulitas* est respectu *effectus*, et ipse credit, quod nullus effectus subsit illi operi; tamen nihilominus intendit facere illud *opus*, non tantum, ut est actus ablutionis corporis, verum etiam, prout est actus quidam consuetus fieri ab Ecclesia; et hoc intendendo facere, quamvis *principaliter* non intendat *effectum*, intendit tamen *ex consequenti*, sicut supra [7] tactum est de eo qui voluntarie se subiicit operi exteriori, per consequens voluntarie se subiicit characteri. Et sic patet totum [8].

ARTICULUS II.

De intensione sive efficacia potestatis baptizantibus collatae.

Quantum ad secundum articulum quaeritur consequenter de potestate baptizantium per comparationem ad effectum, et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum mali ministri, licet catholici, dent Sacramentum et rem.

Secundo quaeritur, utrum haeretici et praecisi ab Ecclesia dent rem Sacramenti, ut Catholici.

QUAESTIO I.

Utrum mali ministri dent Sacramentum et rem Sacramenti.

Et quod mali ministri dent rem Sacramenti:

1. Probatur multis *auctoritatibus*, quae habentur Fundamenta. in littera [9], maxime illa: « Si quos baptizavit ebriosus, homicida, adulter, si baptismus Christi est, Christus baptizat »; sed Christus baptizat sanctificando: ergo et malus minister similiter.

2. Item, *ratione* videtur: quia, si baptismus mali hominis non daret gratiam, tunc salus nostra penderet ex aliena vita; quod si nefarium est dicere et iniustum, patet, quod mali ministri conferunt rem Sacramenti [10].

3. Item, plus pertinet doctrina ad doctorem, quam baptismus ad baptizantem; sed malus doctor dat doctrinam bonam et sanam, quam Dominus prae-

---

1 Codd. M O U supplent *baptismus*. Initium arg. cod. O exhibet sic: *Item, haereticus non est de Ecclesia, ergo baptismus haeretici non est* etc.

2 Quaest. praeced. in corp. et supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. seq., a. 2. q. 1. seqq. ac p. II. a. 1. q. 1. — Inferius pro *verbi* cod. F *verborum*.

3 Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3. et d. 4. p. I. dub. 2.

4 Dist. 6. p. II. a. 2. q. 1. seq.

5 Libr. IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. n. 1. — De fallacia *consequentis* vide tom. I. pag. 628, nota 1. et pag. 691, nota 5. — Inferius post *consequentis* Vat. addit *sicut hic*.

6 Ita codd. K aa, in aliis et edd. *intendit*.

7 Dist. 4. p. I. a. 2. q. 1. in fine corp.

8 Vide scholion ad praecedentem quaest.

9 Hic c. 1. — Seq. auctoritas est August., In Ioan. Evang. tr. 5. n. 18.

10 Cfr. infra dub. 4.

cipit accipere Matthaei vigesimo tertio [1]: ergo multo fortius ille qui baptizat, quamvis malus, potest dare bonum baptismum sive effectum baptismi.

Ad oppositum. Contra: 1. Malachiae secundo [2]: *Maledicam benedictionibus vestris,* dicitur malis sacerdotibus; et Glossa Hieronymi: «Quidquid a vobis benedictum fuerit, a me maledicetur»: ergo qui baptizatur a malo sacerdote maledictus est: non ergo recipit per eius ministerium gratiam.

2. Item, Ecclesiastici trigesimo quarto [3]: *Ab immundo quid mundabitur?* Sed sacerdos malus est immundus: ergo ab ipso vel per ipsum non confertur in baptismo gratia, quae mundat animam.

3. Item, *ratione* videtur: quia, sicut sensus et motus fluunt a capite in membra corporalia et ab uno membro in aliud, ita et in corpore mystico: ergo si membrum aridum non defert sensum, sacerdos, qui est in mortali peccato, baptizando non confert gratiam baptizato [4].

4. Item, oratio vitiatur ex vitio orantis, et potius meretur homo iram quam gratiam — unde Gregorius [5]: «Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur» — ergo baptismus vitiatur ex vitio baptizantis; aut si non vitiatur; cum Deus iudicet de operibus secundum interiora, et sacerdos sit mortuus, et opus eius mortuum, mortuus autem non vivificet: patet, quod malus sacerdos conferre non potest gratiam vivificantem.

Quaestio incidens 1. Item, quaeritur, utrum peccet is qui accedit ad sacerdotem malum. Et videtur, quod sic: quia in Lege [6] praeceptum erat fugere immundum corporaliter: ergo spiritualiter illud debemus observare.

Quaestio incidens 2. Item, esto quod sacerdos petat pretium pro baptismo, nunquid est ei dandum? Si *sic,* cum emat Sacramentum, est simonia. Si *non,* aut [7] remanebit non baptizatus, et hoc est periculum; aut baptizatus sine sacerdote praeter necessitatem.

CONCLUSIO.

Malus sacerdos confert non tantum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod malus sacerdos non tantum Sacramentum, sed etiam rem dat, non ipse, sed Deus, cuius Sacramenta sunt bona et impolluta. In baptismo enim non mundat neque interius baptizat minister, sed Deus. — Sed cum Deus lavet interius, praecedente lotione exteriori, et exterior displiceat, quia lavans displicet; quomodo consequens est, ut, lavante malo sacerdote exterius, Deus lavet interius? Difficultas.

Et ad illud est notandum, quod est *quoddam* opus, quod habet virtutem a caritate interna solum; *quoddam,* quod habet ab institutione divina. *Primum* opus est virtutis et vitii et a Deo pensatur secundum qualitatem voluntatis [8]. *Secundum* est opus Sacramenti, et hoc pensatur secundum meritum et dignitatem Christi instituentis; tale semper remanet efficax et impollutum nec potest aliquo modo pollui, sicut nec meliorari. Habet enim virtutem a Christo, non a ministro; sicut semen iactum in terram aequaliter fructificat, sive sit bonus qui seminat, sive malus; et sic hic. Solutio per distinctionem.

Ex his patent obiecta: nam Sacramenta sunt benedictiones *Dei,* non *malorum.* — Similiter patet sequens, quia immundus ibi non mundat. — Similiter ad illud quod obiicitur de simili a corporali nutrimento [9], patet responsio, quod non est simile, quia Deus immediate dat gratiam baptizato. Solutio obiectorum.

Ad illud quod quaeritur, utrum peccet qui accedit ad malum sacerdotem; dicendum, quod *non,* immo magis peccat ille qui eum recusat, credens, Sacramentum per ipsum dispensatum esse vitiatum, quia facit iniuriam Sacramento [10]. — Nec valet quod obiicit, quia illud intelligitur de tactu per imitationem et consensum in malum; non sic autem tangit qui baptismum recipit. Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod obiicitur de simoniaco, dicunt quidam, quod prius [11] debet quis se baptizari facere a laico. Sed esto quod non esset alius; dicunt, quod non potest dare pretium, ut sacrum emat, sed ut emat aquam. Sed esto, quod aqua sit consecrata; tunc dicunt, quod ante debet dimittere, parvulum mori sine baptismo, quia non sunt facienda *mala, ut eveniant bona* [12]. — Melius tamen est dicere, quod dari potest pretium non ad emendum Sacramentum vel aquam, sed ad redimendam vexationem iuris sui [13]. Et hoc magis videtur consonare pietati et rationi et etiam iuri. Ad 2. quaest. incid. solutio 1. Solutio auctoris.

---

[1] Vers. 3: Omnia ergo quaecumque dixerint [Pharisaei] vobis, servate et facite.

[2] Vers. 2. — Verba Hieronymi, in hunc loc. sunt: Quidquid a vobis benedicetur, a me maledictum erit.

[3] Vers. 4. — In fine arg. cod. Z *quae mundat hominem vel animam.*

[4] Eccli. 34, 30: Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?

[5] Regul. pastoral. p. I. c. 10. Cfr. Gratian. initium dist. 49. — Inferius respicitur I. Reg. 16, 7: Nec iuxta intuitum hominis ego iudico... Dominus autem intuetur cor.

[6] Levit. 5, 2. seq., Num. 19, 11. seqq., ubi etiam (v. 22.) dicitur: Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.

[7] Codd. F H L addunt *ergo.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1, d. 38. a. 1. q. 1. seq. et d. 40. a. 1. q. 1. seq. — Cod. Z *caritatis,* codd. K M aa bb *caritatis et voluntatis,* codd. S T U *caritatis pacis.* Superius post *a caritate* [in cod. E a secunda manu *a qualitate*] edd. subiungunt *vel voluntate.* Subinde verbis *a Deo* cod. Z praemittit *hoc.*

[9] Ita codd. et edd. Vocabulum hoc largiori sensu intelligendum est.

[10] Vide supra a. 1. q. 2. fundam. 2.

[11] Id est *potius,* quod edd. substituunt. Inferius pro *alius* cod. C *laicus,* et pro *potest* cod. P *posset.*

[12] Rom. 3, 8. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXV. c. 4. — Paulo ante pro *debet* codd. A O V *deberet.*

[13] Vide tom. III. pag. 835, nota 11. Cfr. de hac et seq. quaest.

SCHOLION.

1. *Res* Sacramenti intelligitur hic gratia cum remissione peccatorum. De duabus huius articuli quaestionibus a pluribus simul tractatur. Principia iam in praecedenti art. tacta sunt.

De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. et de casibus q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 2, d. 6. q. 1. a. 3. quaestiunc. 3. — B. Albert., hic a. 2. 3. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2, d. 6. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1, d. 6. a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum haeretici dent rem Sacramenti.

Secundo quaeritur, utrum haeretici dent rem Sacramenti. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Augustinus, de Consecratione distinctione quarta [1]: « Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem foris baptismum eius recipere, sed salutem beatitudinis extra eam nec accipere nec habere ».

2. Item, Augustinus [2]: « Qui foris Ecclesiam baptizantur non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes formam baptismi, virtutem eius negantes ».

3. Item, *ratione* videtur: quia, si baptisma haereticorum facit filios Dei, dando gratiam baptismatis; videtur, quod inter haereticos extra Ecclesiam sint filii Dei; hoc autem falsum: ergo etc.

4. Item, si baptisma haereticorum facit remissionem peccatorum, et remissio fit per Spiritum sanctum; ergo inter eos est Spiritus sanctus: ergo haeretici dant Spiritum sanctum; sed hoc est falsum: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Unum est baptisma Christi, Ecclesiae et haereticorum, qui in eadem forma baptizant [3]: ergo eandem efficaciam habent: ergo si in baptismo Ecclesiae datur gratia, et in baptismo haereticorum.

2. Item, baptisma illud est verum Sacramentum; quod patet, quia non est iterandum [4]: ergo si non invenit obstaculum, ita confert gratiam, ut Catholicorum.

3. Item, possibile est, quod ille qui [5] baptizat, sit haereticus, me nesciente: ergo damnum incurram de malitia aliena sine omni mea culpa.

CONCLUSIO.

Baptismus haereticorum in forma Ecclesiae collatus habet efficaciam, nisi obsit obex.

Conclusio 1. Respondeo: Dicendum, quod baptismus, qui datur ab haereticis in forma Ecclesiae, baptismus est et baptismus Ecclesiae, quia regenerat filios Ecclesiae, non haeresi, generat etiam filios in Christo. — Exemplum Augustini contra Donatum [6] est: (Exemplum Augustini.) quia, sicut Iacob semen non tantum genuit per uterum liberarum, sed etiam ancillarum; sic et Christus; unde qui boni baptizantur ab haereticis, comparat eos filiis ancillarum, sed qui mali ab Ecclesia, comparat Esau. Habet igitur semper efficaciam, nisi (Conclusio 2.) habeat obicem in suscipiente; tunc autem habet obicem, quando ille qui baptizatur, consentit haeresi. — Et hoc potest esse tripliciter: aut quando (Quando consentitur haeresi.) est haereticus et favet errori; aut si non est haereticus, tamen vadit ad haereticum praecisum in contemptum Ecclesiae; aut si non est praecisus, vadit tamen ad occultum, quem scit esse haereticum, propter aliquod commodum vel favorem [7]. Et tunc nihil accipit, quia accipit ab haeretico, ut est haereticus. — Sed tunc non consentit, quando habet im- (Quando non consentitur.) potentiam discernendi, ut parvulus; vel quando ille haereticus est occultus et creditur esse Catholicus; aut quando homo est in necessitate constitutus, solo necessitatis intuitu.

Ad argg. Auctoritates Augustini secundum primam viam intelliguntur. Rationes ad oppositum patent: quia quos haeretici baptizant non consentientes haeresi

---

Gratian. C. *Si iustus* (30.) c. 1. q. 1, in qua quasi per totam de hac re tractatur.

[1] Can. 45. sumtum ex August., IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. n. 1. In fine testimonii textus originalis *vel percipere vel tenere.*

[2] In Dialog. Qq. 65 ad Orosium (inter opera August.), q. 59, et refertur C. *Quamvis* (29.), de Consecratione, d. 4. Textus originalis: « Quamvis enim unum baptisma sit et haereticorum, eorum scil... tamen, quia foris Ecclesiam... *habentes nimirum speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes* (II. Tim. 3, 5.) ». In praemisso canone sic legitur: Quamvis... tamen, quia foris et extra Ecclesiam... habentes nimirum formam Sacramenti, virtutem autem eius abnegantes.

[3] Eph. 4, 5: Unus Dominus, una fides, unum baptisma.

[4] Vide infra lit. Magistri, d. VI. c. 2. — Pro *illud* edd. *illorum.*

[5] Cod. I *qui me.* In fine arg. ed. 1 cum pluribus codd. omittit *mea.*

[6] Libr. I. c. 10. n. 14. — Vat. hic et circa finem corp. melius *contra Donatistas.*

[7] Cfr. infra d. 13. dub. 4. — Mox post *nihil* codd. F H bene supplent *gratiae.*

suae, etsi videantur esse de eis, tamen sunt Ecclesiae filii et intra Ecclesiam. Unde Augustinus dicit contra Donatum[1], quod haeretici baptizant non per id quod habent repugnans Ecclesiae, sed per id quod habent communitatem cum ea et unitatem; et ideo, si ille qui baptizatur, nihil recipiat ab haereticis nisi baptisma nec in aliis conveniat, iudicandus est Catholicus, quia cum Catholicis convenit et non habet repugnans; et talis est parvulus. Et ideo, quamvis parvuli baptizentur ab haereticis, non tamen sunt intra haereticos quantum ad *meritum*, sed solum quantum ad *numerum;* et ideo non sequitur, quod sint intra haereticos, secundum quod haeretici sunt, sicut[2] filii Dei; nec etiam, quod inter eos sit Spiritus sanctus, per quem remittuntur peccata[3].

Notandum.

ARTICULUS III.

De potestate baptizantium per comparationem ad dantem illam.

Quantum ad tertium articulum quaeritur[4] de potestate baptizantium per comparationem ad dantem illam. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, quae sit illa potestas, quam Christus dare potuit ministris et non dedit.

Secundo quaeritur, utrum Christo fuerit data potestas dimittendi peccata.

QUAESTIO I.

Quae sit illa potestas, quam Christus dare potuit ministris et non dedit.

Circa primum sic proceditur.

Ad oppositum.

1. Super illud Ioannis primo[5]: *Hic est qui baptizat,* dicit Augustinus, quod Ioannes didicit, quod « Christus potestatem mundandi a peccatis ministris dare potuit, sed non dedit »: ergo videtur, quod illa fuerit potestas cooperationis.

2. Item, quod illam dare potuerit, sed non dedit, videtur per verbum Augustini[6] et Magistri: quia non dedit hanc potestatem, « ne homo spem poneret in homine »; sed propter nullam potentiam homo speraret in homine, nisi homo haberet potentiam dimittendi culpam et dandi gratiam: ergo de illa intelligitur.

3. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione,* quod potuit hanc communicare, per *simile in spiritualibus:* quia Angelo superioris ordinis dedit potentiam purgandi alium, qui est inferioris ordinis[7]: ergo cum ita sit ordo in ecclesiastica hierarchia, sicut in angelica, patet etc.

4. Item, ostenditur etiam per *simile in corporalibus:* quia rebus corporalibus dedit potentiam curandi a morbo corporali: ergo animabus sanctis debuit dare potentiam curandi a morbo spirituali.

5. Item, hoc etiam probatur *a minori*[8]: quia dare potuit ministris Ecclesiae potentiam expellendi daemones: ergo multo fortius seminarium eorum, quod est peccatum.

6. Item, *a minori* videtur alio modo: quia nulla creatura nobilior est anima sancta[9]; sed gratiae dedit potentiam expellendi culpam: ergo et animae dare potuit.

Fundamenta.

CONTRA: 1. Augustinus[10]: « Maius est iustificare impium quam creare caelum et terram »; sed potentiae creandi non est capax creatura: ergo nec potentiae iustificandi sive dimittendi peccata.

2. Item, omnis actio est per coniunctionem agentis; sed solus Deus potest illabi animae[11]: ergo solus potest purgare.

3. Item, purgatio a culpa est a superiori; sed solus Deus est supra liberum arbitrium[12]: ergo solus Deus potest culpam dimittere, quae est in libero arbitrio.

---

[1] Loc. cit. in nota penultima. — Superius pro *et intra Ecclesiam* Vat. *et filii intrant Ecclesiam.* Inferius pro *conveniat* et *convenit* cod. N bis *communicat.*

[2] Codd. R S (F I a secunda manu) omittunt *sicut,* pro quo cod. II (F primitus) *si sunt,* Vat. *sed sicut.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Plurimi codd. addunt *tertio,* cod. II *scilicet,* codd. F Q *de tertio, scilicet.*

[5] Vers. 33. — Verba August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 7, sunt: Et potuit hanc potestatem servis dare et noluit. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Codd. et ed. 1 omittunt *Christus.*

[6] Loc. cit. — Magister, hic c. 2.

[7] Secundum Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 3. § 2. seq. et pluribus aliis locc., de quo vide tom. II. pag. 127, nota 2. et pag. 267, nota 4. Cfr. etiam de Div. Nom. c. 4. § 2.

[8] Cfr. tom. I. pag. 835, nota 5. Cod. bb *per locum a minori,* cod. W *a maiori.*

[9] Vide August., de Quantitate animae, c. 34. n. 78. Cfr. etiam tom. II. pag. 45, nota 5.

[10] In Ioan. Evang. tr. 72. n. 3.

[11] Ut ostensum est II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. Cfr. August., I. de Ordine, c. 4. n. 10., et Bernard., Serm. in Cantic. serm. 5. n. 8. ac serm. 31. n. 6. — De *maiori* vide Aristot., III. Phys. text. 16. seq. (c. 2.); VII. Phys. text. 9. (c. 2.); I. de Generat. et corrupt. text. 43. seq. et text. 54. (c. 6. seq.).

[12] Cfr. tom. II. pag. 45, nota 5.

4. Item, interius baptizare est gratiam infundere, et gratiam infundere est ipsam creare; sed solius Dei est creare gratiam: ergo ipsius tantum est interius baptizare sive a culpa purgare.

CONCLUSIO.

Potestas, de qua loquitur Augustinus, est potestas cooperationis talis, ut homo non efficiendo, sed impetrando baptizato gratiam obtineat.

RESPONDEO: Dicendum, quod circa baptismum possunt sex potestates annotari, ut videamus, quam dare potuit Dominus, et non dedit. — Prima est *auctoritatis;* haec est, qua Deus a se ipso, non aliunde, habet potestatem interius mundandi a culpa. — Secunda est *cooperationis,* ut homo, accepta divinitus potentia, in tali actu esset cooperator [1]. — Tertia est *excellentiae,* ut secundum abundantiorem gratiam existentem in baptizante maiorem conferret gratiam in baptizato. — Quarta est *invocationis,* ut homo in nomine Petri baptizari possit, sicut in nomine Christi, vel etiam Trinitatis. — Quinta est *institutionis,* ut, sicut Christus habuit potestatem instituendi baptismum in aqua, ita alius haberet in aqua, vel alibi. — Sexta est *ministerii,* qua dat [2], ut per hominem possit exterius ministrari et verbum et elementum.

Sex potestates. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

Primam nec *dare potuit* nec *dedit,* ultimam *dare potuit* et *dedit.* De omnibus intermediis dicunt Magistri, quod dare potuit, sed non dedit. — Secundam enim et tertiam non dedit, ne spes in homine poneretur; quia, si unus homo posset alium sanare spiritualiter, vel suis meritis plus de gratia dare; speraret homo ab homine gratiam et veniam. Quartam vero et quintam non dedit, ne tot essent baptismi, quod baptistae; quia numeratur baptismus et denominatur ab eo, in cuius nomine fit, et ab eo qui instituit; et ideo, ne multi essent baptismi, sed unus solus, instituit, ut unus solus invocaretur. — De potestate vero *cooperationis* controversia est, quia Magister [3] dicit, quod illam *dare potuit;* hoc tamen communiter negatur.

Conclusio 1. Conclusio 2. de potestate cooperationis.

Sed quia Augustinus videtur hoc dicere, propter hoc notandum, quod *cooperari* alii est dupliciter: vel per modum vere [4] *efficientis,* sicut natura cooperatur Deo in productione naturalium, et liberum arbitrium gratiae in faciendo opus meritorium; secundo vero per modum *disponentis,* sicut cooperatur homo Deo quantum ad gratiam, quia se disponit. Primo modo, quidquid videatur dicere Magister, Deus *dare non potuit,* quia creatura capax non fuit; nec hoc modo intellexit Augustinus. Sicut enim tactum fuit in primo libro, distinctione decima quarta [5], et per obiectiones ostensum, *dare gratiam* est potentiae infinitae et potentiae supra mentem humanam, quae immediate est in Deum. — Secundo vero modo *dare potuit,* ut homo secundum actum interiorem baptizato gratiam obtineret, non gratiam *efficiendo,* sed ipsam *impetrando;* sicut dedit homini virtutem faciendi miracula, non quia ipse ea efficeret, sed virtute sibi a Deo data, quoties vellet, impetraret. — Sed hanc *non dedit* homini, scilicet ut tantum posset interius in sanando [6] animam, sicut exterius virtute miraculorum sanat corpora. Tunc enim ad eos recurreretur pro salute animae, sicut ad Deum. Dominus autem quantum ad hanc potentiam omnes fecit aequales, ut salutem animae a se solo doceat requirendam. Omnes enim aequaliter purgant, qui Sacramentum administrant; et ita non est efficacia in actu mentis [7] baptizantis, sed solum in administratione Sacramenti. — Et per hoc manifesta est solutio obiectorum.

Duplex cooperatio. Conclusio 3. Ratio. Conclusio 4. Notandum. Ad opposita.

3. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Angelus superioris ordinis purgat etc.; dicendum, quod illud est intelligendum quantum ad *cognitionem,* et hoc solum *dispositive.* Sed maius est purgare *affectivam,* quia magis est Deo coniuncta [8]; praeterea, habitus, qui reformat *affectivam,* est habitus magis deiformis. — Nihilominus tamen dicit Augustinus [9], quod solus Deus est doctor, sicut solus baptizat interius. Sed in hoc non contradicit Dionysio; non enim vult excludere *dispositionem doctoris exterioris,* quae est per modum cuiusdam extensionis; sed vult, quod habitus a solo Deo infundatur; nec in hoc excludit *cooperationem luminis naturalis.* Aliqua enim sunt, quae possumus cognoscere per lumen naturaliter inditum; similiter aliqua bona sunt, ad quae possumus assuefieri per rectitudinem naturaliter insertam. Et sicut ad ea quae *supra*

Notandum. Restrictio notanda.

---

[1] Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 5. a. 1: Potestas scil. cooperationis, qua scil. homo cooperari dicitur Deo in ablutione *interiori,* id est in remissione peccati et infusione gratiae, sicut cooperatur homini in ablutione exteriori. — Superius pro *a culpa* cod. K *peccata.* Inferius pro *in baptizato,* quod habent codd. F H W (bb a secunda manu) et ed. 1, alii *in baptizando* (edd. omittunt *in*), cod. K *in baptismo.*

[2] Cod. G *quae dat,* cod. Z *qua datur.*

[3] Hic c. 3. — Sententiam August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 7, vide hic in lit. Magistri, c. 2. — Aliquanto superius pro *baptistae* codd. G H *baptizantes.* Subinde non pauci codd. omittunt *in cuius nomine fit, et ab eo.*

[4] Cod. A (H a secunda manu) *naturae.* Inferius pro *secundo vero* edd. *vel* et post *ad gratiam* Vat. addit *recipiendam.*

[5] Art. 2. q. 2. — Post pauca pro *quae* cod. F *quia,* et pro *in Deum* edd. *in Deo.* Subinde pro *baptizato* codd. G K W *baptizando.*

[6] Ex codd. F H K substituimus *sanando* pro *salvando.*

[7] Codd. R T (P a secunda manu) *meritis;* cod. U *meriti;* sed in aliis et edd. bene *mentis.* In fine corp. voci *obiectorum* edd. praemittunt *duorum primorum.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 10. a. 2. q. 1. seq.

[9] Vide supra pag. 60, nota 4. — De Dionysio cfr. supra pag. 127, nota 7. — Cod. U *solus Christus est doctor interius, sicut* etc. Codd. K T V W X aa exhibent *Christus* pro *Deus.*

naturam sunt, solus Deus elevat *cognitivam,* infundendo habitum cognitivum, utpote illustrationem prophetiae vel fidei [1]; sic, cum gratia gratum faciens et caritas elevent *supra* naturam, non insunt ibi nisi per infusionem. Et sicut *cognitiva,* Deo cooperante, potest se perficere aliquo habitu *naturali,* utpote cognitionis naturalis, aliquo vero non, utpote *infusae;* sic ex parte *affectivae* est intelligendum quantum ad habitus *morales* et *infusos;* et quia gratia gratum faciens naturam supra se elevat, habitus est infusus, et ideo ab illo solo est, qui [2] potest illabi animae. — Quamvis autem utrumque sit a Deo, tamen in habitu *cognitionis* doctor praeparat non solum verbo exteriori, sed etiam per habitum interiorem; et ita unus est melior doctor quam alter. Ita Deus potuisset facere in baptismo, sed noluit, ut ei soli omnipotentia, honor et gloria attribuatur [3].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de medicina corporali, patet responsio, quod non est simile, quia medicinae sanitatem non *efficiunt,* sed *disponunt* adiuvando naturam. Non est etiam simile, quia corporalia *mutuo* agunt et patiuntur; non sic autem anima influit in animam; et ratio huius assignata fuit in primo libro [4].

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de expulsione daemonum, dicendum, quod illud non est maius, sed minus, quia *daemon* potest expelli sine melioratione et infusione gratiae, sed non *culpa;* daemon enim potest expelli, quia potest arctari per contrariam potestatem.

6. Ad illud quod obiicitur de gratia, dicendum, quod gratia expellit *informando,* non *efficiendo* [5]; et quia anima non potest animam informare, ideo nec actum illum communicare; *effective* autem solus Deus est, qui potest gratiam dare.

Epilogus.

Patet igitur, de qua potestate Augustinus intellexerit, scilicet de potestate *cooperationis,* qua dicitur aliquis cooperari, non quia *simul cum illo efficit,* sed quia aliquo dono sibi dato *aliquid facit,* quo facto Deus facit, scilicet *solo nutu mentis* sine actu Sacramenti. Unde sicut beatus Petrus dicitur mortuos suscitasse et infirmos curasse, et habere virtutem curandi et gratiam sanitatum, non quia *ipse faceret,* sed quia *Deus nutu suo faciebat* sine aliquo visibili Sacramento; sic diceretur aliquis purgare et purificare et Deo cooperari, si data esset ei consimilis gratia ad animas purgandas; quod noluit Deus, sicut dicit Augustinus. Ideo etiam non dedit, quod unus baptizaret *melius* quam alter. — Et si Magister ita intellexit, bene intellexit, et rationes inductae ad oppositum non sunt contra ipsum. Verumtamen ipse in littera [6] multum exprimit; et ideo in parte ista non est ei usquequaque consentiendum. — Et ita patet solutio obiectorum. Ad hoc problema terminandum valent quae scripta sunt de donatione gratiae, decima quarta distinctione libri primi [7].

Notandum.

SCHOLION.

I. Cum S. Augustinus (cfr. hic argg. 1. 2. ad oppos.) dixerit, Christum aliquam potestatem circa baptismum sibi retinuisse, quam tamen communicare potuerit; Magister (hic c. 3.), quaerens, quae sit talis potestas, resolvere videtur, quod minister per virtutem divinitus datam Deo possit proprie *cooperari* in interiore baptizati sanctificatione, sicut in bonis operibus liberum arbitrium cooperatur gratiae. Simul addit, etiam in *creando* similem cooperationem a causa secunda, Deo dante, fieri posse. Assertio Magistri, sic intellecta, a ceteris Scholasticis improbatur (cfr. II. Sent. d. 44. dub. 3.). — S. Bonav. enumerat sex potestates circa baptismum; sed Alex. Hal. (S. p. IV. q. 8. m. 5. a. 1.) quinque tantum recenset, omittens scilicet potestatem *institutionis.* S. Thom. (hic q. 1. a. 1, et S. III. q. 64. a. 3. 4.) uno nomine potestatis *excellentiae,* quam tribuit Christo, comprehendit quatuor species (2. 3. 4. et 5.) hic relatas. Idem potestatem *cooperationis,* de qua est tota controversia, iterum quadrupliciter distinguit in Comment. (ibid. a. 2.): « Uno modo, sicut *adiuvans* ei cui auxilium praebet, cooperatur; alio modo, sicut *consilium praebens;* tertio modo, sicut quo mediante agens primum suum effectum inducit, sicut cooperantur *instrumenta* principali agenti; quarto modo, sicut *disponens* materiam ad effectum agentis principalis suscipiendum ». Deinde dicit, quod quarto modo tum ex opere operante tum ex opere operato minister Deo in remissione peccatorum cooperari possit. Tertio vero modo, licet in aliquibus actionibus homo Deo cooperatur ut instrumentale agens, non tamen cooperatur in remissione peccatorum. In Summa vero (loc. cit. a. 3.) ipse dicit, quod Christus, « secundum quod est *homo,* operatur ad interiores effectus Sacramentorum *meritorie* et *efficienter,* sed instrumentaliter » (cfr. d. 1. p. I. q. 3. scholion).

II. De sententia Magistri praedicta et de contraria communiter sustenta, quod talis potestas cooperationis non possit ministro conferri, S. Thom. (hic q. 1. a. 3.) dicit, quod « utraque opinio aliquo modo sustineri potest. Cooperatur enim aliquid Deo *instrumentaliter* duobus modis: uno modo ita, quod per virtutem aliquam habentem *esse absolutum et completum* in natura operetur ad effectum aliquem producendum, non solum *secundarium,* sed *principalem...* et hoc modo accipiendo cooperationem, non poterat conferri homini, ut Deo cooperaretur in interiore mundatione, quae fit per gratiam.. Alio modo ali-

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 4. — Superius pro *insertam* cod. F *insitam.* Mox post *elevent* cod. X bene supplet *affectivam.* Post pauca pro *aliquo vero non,* quod exhibetur in cod. I (a secunda manu), alii codd. perperam *aliquo modo non,* edd. *aliquo non.*

[2] Non pauci codd. et ed. 1 *quod.* Inferius post *et ita* cod. F addit *sicut.*

[3] Epist. I. Tim. 1, 17: Soli Deo honor et gloria. Cfr. Iudas 1, 25.

[4] Dist. 14. a. 2. q. 2. in solut. argg. — De *prima* ratione cfr. August., VIII. de Gen. ad lit. c. 9. n. 18. — Pro *libro* cod. N *articulo,* forsan intelligitur d. 1. p. I. q. 4.

[5] Vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. ad 2, et II. Sent. d. 26. q. 2. ac q. 4. ad 5. — Inferius post *ideo* supple: Deus; subinde cod. F omittit *est, qui.*

[6] Hic c. 3. — Superius pro *purgandas* cod. K *purificandas,* cod. V *curandas.*

[7] Art. 2. q. 2.

quid cooperatur Deo non per virtutem, quae habeat *esse perfectum* in natura, neque ad *ultimum* principalem effectum [scil. gratiam] pertingendo ». Deinde asserit, ultimum hunc modum pertinere ad potestatem *excellentiae,* quae fuit in Christo homine; unde, absolute loquendo, etiam aliis potuisset a Deo dari. — Hinc patet, quae sit differentia inter opinionem SS. Thomae et Bonaventurae aliorumque. — De quaestione, utrum creatura instrumentaliter concurrere possit ad *creationem,* cfr. II. Sent. d. 1. p. I. a. 2. q. 2.

III. De hac 1. quaestione praeter locos citatos: Alex. Hal., loc. cit. a. 1. et 2. — Scot. rem tangit IV. Sent. d. 1. q. 3. n. 5. 6. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

IV. De seq. (2.) quaestione cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et scholion. S. Thom. (hic q. 1. a. 1.) de potestate *excellentiae,* quae soli Christo secundum naturam humanam competit, ad mentem S. Bonaventurae docet, quod « attenditur quantum ad tria: primo, quantum ad hoc quod ex *merito passionis* eius baptismus efficaciam habet... Secundo... quod Christus sine Sacramento Sacramentorum effectum conferre poterat quasi dominus et institutor Sacramentorum... Tertio. . quod ad invocationem nominis eius dabatur remissio peccatorum in baptismo in primitiva Ecclesia » [de quo vide supra d. 3. p. I. a. 2. q. 2.]. — De virtute illa absoluta, quam idem in Summa humanitati Christi ut *instrumento coniuncto* tribuit, cfr. S. III. q. 62. a. 5. et q. 48. a. 6.

De eadem quaestione agunt etiam: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1. — Durand., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum Christo data sit potestas dimittendi peccata.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum Christo data sit potestas dimittendi peccata. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Ante resurrectionem enim dicit, Matthaei nono [1]: *Ut autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata;* post resurrectionem etiam dicit, Matthaei ultimo: *Data est mihi omnis potestas* etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia Christus est redemptor, secundum quod homo, et mediator, sicut dicitur in libro tertio Sententiarum distinctione decima nona [2]; sed maius est redimere genus humanum quam peccata dimittere: ergo etc.

3. Item, humana natura est unita divinae in unitate personae [3], ergo multo fortius in unitate operationis: ergo quamvis sit Dei solius, est tamen hominis Christi etiam dimittere peccata.

Fundamenta.

Contra: 1. Ille solus potest peccata dimittere, qui potest animas vivificare; sed solius Dei, et non alterius, est animas vivificare, sicut dicit Augustinus [4]: ergo etc.

2. Item, quamvis homo ille sit Deo unitus, tamen homo est et creatura, ergo finitae potentiae; sed animam recreare, cum sit facta *nihil* per peccatum [5], est infinitae potentiae: ergo illud non potest Christus, secundum quod homo.

CONCLUSIO.

Christo, secundum quod est homo, competit potestas dimittendi peccata dispositive *sive per modum meriti, non vero* effective.

Respondeo: Dicendum, quod, si hoc intelligatur de potestate *effectiva* dimittendi peccata, sic solius Dei est, non hominis, quia Christus interius baptizat, non secundum quod homo, sed secundum quod Deus [6]. Conclusio 1.
Si autem de potestate *dispositiva,* utpote per modum *meriti;* sic Christus meruit nobis dimittere peccata et quantum ad *poenam* et quantum ad *culpam.* Unde quia *Deus, dedit dona hominibus* [7] et condonavit culpam; quia vero *homo* innocens, *accepit* in nobis *dona,* id est meruit, ut nos acciperemus. Conclusio 2.

Corollarium de Christi potestate excellentiae.

Meruit autem Christus nobis remissionem culpae et relaxationem poenae sua passione, quae fuit Deo gratissima et in se fuit acerbissima, nullo modo ex delicto suo, immo propter solvenda debita nostra [8]; et in hoc habet Christus *excellere,* in quantum homo, in potestate dimittendi poenam, quia per se potest totum condonare; sicut et fecit mulieri in adulterio deprehensae, et nunc etiam potest

---

[1] Vers. 6. — Seq. textus est ibid. 28, 18.

[2] In lit. Magistri, c. 5. seqq. Cfr. ibid. Comment. a. 2. q. 1. seq. — Post *mediator* cod. F addit *secundum quod homo,* cod. H perperam *secundum quod Deus.*

[3] Vide III. Sent. d. 6. a. 2. q. 1. — Arg. fundatur in axiomate: Operari sequitur esse, et: Actiones sunt suppositorum.

[4] In Ioan. Evang. tr. 19. n. 15: Animas ergo resuscitat Deus per Christum Filium Dei, corpora suscitat Deus per eundem Christum filium hominis. Et infra n. 16: Hora nunc est, ut resurgant mortui, hora erit in fine saeculi, ut resurgant mortui; sed resurgant nunc in mente, tunc in carne; resurgant nunc in mente per Verbum Dei, Filium Dei, resurgant tunc in carne per Verbum Dei carnem factum, filium hominis. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in Ioan. 5, 25. Vide etiam August., Enarrat. in Ps. 70. serm. 2. n. 3.

[5] August., In Ioan. Evang. tr. 1, n. 13: Peccatum quidem non per ipsum [Verbum] factum est; et manifestum est, quia peccatum *nihil* est, et *nihil* fiunt homines, cum peccant. Et de Verbis Apostoli, serm. 176. (alias 20.) c. 5. n. 5: Nemo recreat, nisi qui creat; nemo reficit, nisi qui fecit. Cfr. tom. II. pag. 633, nota 3.

[6] Glossa *ordinaria* apud Strabum in Marc. 2, 10. (secundum Bedam in hunc loc.): Solus *Deus* dimittit peccata; et Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: ergo idem Deus et filius hominis est. Ita homo Christus per divinitatem dimittit peccata, per humanitatem pro peccatoribus potest mori.

[7] Eph. 4, 8. — Ps. 67, 19: Accepisti dona in hominibus.

[8] Cfr. III. Sent. d. 20. q. 5. — De muliere in adulterio deprehensa vide Ioan. 8, 3-11. — De clavibus agitur infra d. 18. p. I. per totam et d. 19. a. 1. et 2. — Pro *immo* non pauci codd. *et ideo,* cod. F *sed.*

sine clave aliqua. Alii autem homines si possunt, hoc est potestate[1], per quam Dominus eis commisit suae passionis thesaurum et meritum dispensandum, quasi custodibus thesauri. Ideo ampliori modo nobilitatis attribuitur Christo, etiam secundum quod homo, potestas dimittendi peccata quam aliis; non quod ipse *deleat culpam*, sicut ostendunt rationes, quia, sicut probatum est in primo libro[2] et in praecedenti problemate, talis deletio fit per gratiae infusionem et creationem, et iste est actus potentiae infinitae; creatura autem potentiae *infinitae* non est capax, nec per potentiam *finitam* potest continuari potentiae agentis actu infinito: et ideo nullo modo nec unitae nec non unitae creaturae alicui convenit potestas baptizandi interius sive remittendi peccata *effective*, sed solum *dispositive*, et hoc competit *merito Christi;* vel tantum *formaliter*, et hoc competit *gratiae*, quam impetrat Christus.

Notandum.

1. Ex his patent obiecta. Quod enim dicitur in Matthaeo, intelligitur secundum *idiomatum communicationem*[3], non quod, secundum quod homo, hoc possit. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de redemptione, dicendum, quod in redemptione duo sunt: est enim ibi *solutio pretii*, pro quo eramus obligati, et *donatio gratiae*, per quam sumus reconciliati. Primum quidem est minoris potentiae, secundum maioris; et ratione primi dicitur Redemptor, scilicet ratione humanitatis, ratione secundi quantum ad divinitatem; nec humanitas suffecisset, nisi Deitati unita esset. Duo in redemptione.

3. Ad aliud dicendum, quod unitas operationis non sequitur unitatem *personae*, sed *naturae*. Et quia Patris et Filii una est natura, quamvis duae sint personae, ideo unam habent operationem. Quia vero humanitas et divinitas in Christo sunt diversae naturae, ideo diversas operationes habent[4].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Augustinus: *Iustos oportet esse per quos baptizatur;* quia secundum hoc videtur, quodsi aliquis sacerdos sit in peccato mortali et baptizet, quod mortaliter peccet. Sed *contra:* facit id, ad quod tenetur: ergo baptizando non peccat.

Respondeo: Dicendum, quod iste qui baptizat, aut est in peccato *notorio*, aut *occulto;* sive sic, sive sic, distinguendum est: quia aut est[5] necessitas, et timetur scandalum; et tunc non peccat baptizando, sed in hoc, quod negligit se praeparare et cum timore et reverentia ad Sacramentum accedere. — Si autem non est necessitas, nec timetur scandalum, si non baptizet; non debet baptizare, nisi prius se praeparet ad iustificationem; quod si non facit, non tantum peccat negligendo, sed, in quantum est de se, Sacramento contumeliam faciendo et usurpando id, ad quod non est idoneus[6]. — Si autem *notorius* est, peccat scandalizando. Et ideo dicit Augustinus, quod «mundos oportet esse ministros». — Patet igitur responsio ad obiectum. Non enim peccat, quia facit *quod* non debet simpliciter, sed *ut* non debet[7].

Distinctio cum subdistinctione.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si quos baptizavit ebriosus* etc. Videtur enim male dicere, quia ebrietas aufert vim rationis et intentionem; sed intentio necessaria est ad baptismum[8]: ergo si ebriosus caret intentione, non baptizat. — Item, quaeritur, si aliquis est ita ebrius, quod non est omnino in eo ligata ratio, quin possit aliquid dicere, sed tamen balbutiendo dicit, utrum sit baptizatus quem talis baptizat. Quod *non*, videtur: quia ligatio linguae signum est ligationis rationis; et necesse est, rationem esse solutam ad ea quae spectant ad ministerium Sacramenti: ergo etc. Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod differentia est inter *ebrium* et *ebriosum*. *Ebrius* enim dicitur in actu, sed *ebriosus* in consuetudine[9]; et bene potest aliquis consuetus inebriari aliquando sobrius esse in actu, ita quod non biberit multum; et tunc, si baptizat, baptizatum est. Distinctio.

Quod quaeritur de ebrio, dicendum, quod si habeat ligatam rationem adeo, quod tollatur intentio baptizandi, quia nescit, quid faciat; tunc non baptizat. Si autem ratio soluta est tantum, quod scit, quid facit, tamen non omnimode est bene compos Ad quaest. incidentem.

---

[1] Cod. Z supplet *clavis*. Codd. T U (K a secunda manu) *ex potestate*, edd. *per potestatem, qua*.

[2] Dist. 14. a. 2. q. 2.

[3] Cfr. tom. III. pag. 14, nota 3.

[4] Vide Damasc., III. de Fide orthod. c. 14. seqq.; et III. Sent. d. 17. a. 1. q. 1. — In principio solut. post *unitas* edd. cum pluribus codd. addunt *quae est*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] In cod. X secunda manus bene addidit *occultus et est*.

[6] August., II. contra Epist. Parmeniani, c. 13. n. 29: Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est... Illicitam autem usurpationem corrigit reminiscentis et poenitentis affectus. Quodsi non correxerit, manebit ad poenam usurpatoris quod datum est... non tamen pro non dato habebitur. — Seq. textus August. est in Ioan. Evang. tr. 5. n. 15: Iustos oportet esse tanti iudicis ministros. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[7] Cod. I (a secunda manu) *sed quia facit, ut non debet*, edd. *sed non facit, ut debet*. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 2. § 2; B. Albert., hic a. 1. quaestiunc. 1; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 4; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 4.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

[8] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 1. et infra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. seq. — Cod. F *ad baptizandum*.

[9] Vide Isidor., I. Differentiar. n. 183.

sui; tunc iudicandum est, quod sit baptizatus[1], etiam si lingua aliquo modo balbutiat, quia illud non est signum ligaminis rationis semper efficax. Multi enim sunt, qui ex modico vino balbutiunt, et habent usum rationis. — Distinguendum tamen est in ligamine linguae: nam si format verba intelligibiliter[2], licet non omnino perfecte, baptizatus est parvulus; si autem ita corrupte, quod intelligi non potest, profert et formam ita infringit, ut convenienter intelligi non possit, est rebaptizandus[3].

Restrictio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quid noverat Ioannes Baptista? Dominum* etc. Videtur enim dicere contra Hieronymum[4] et Chrysostomum, qui dicunt, quod non noverat, eum esse Christum, et ita videtur contrarietas. Quaeritur ergo, quis melius inter eos senserit. Et videtur, quod *Augustinus:* quia, quando Iesus ad Ioannem venit, tunc dixit Ioannes: *Ego a te debeo baptizari,* sicut dicitur Matthaei tertio[5]: ergo cognoscebat, ipsum esse Christum. — Quod autem *Chrysostomus* melius dicat, videtur: quia Ioanni, quando missus est, dictum fuit: *Super quem videris Spiritum descendentem, hic est qui baptizat:* ergo antequam veniret ad eum, sciebat, quod solus ipse esset, qui baptizaret interius, sed tamen non cognoscebat exterius ipsum.

Respondeo: Dicendum, quod utrumque verum fuit, sicut docet nos intelligere Chrysostomus. Primo enim Ioannes novit Christum in infantia notitia corporali, postmodum recessit in desertum; et tunc post longum tempus, quando missus est ad baptizandum, dictum est ei, quod Christus potestatem baptizandi sibi retineret; sed iam oblitus est propter magnam moram, quis vel qualis esset Christus in persona; et indicio columbae utrumque didicit, quia per hoc scivit, quod ipse esset Christus, et quod ipse esset qui peccata dimitteret et Spiritum sanctum daret. Utrumque ergo prius sciebat in generali, sed postmodum didicit in speciali; prius tamen cognovit, quis esset, quam cuius potestatis esset. Primum enim scivit per conversationem infantiae, secundum per revelationem prophetiae. Et sic patet utrumque[6].

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de ratione ista, quam assignat Magister: *Ne servus poneret spem in homine;* quia illud nullum videtur inconveniens, quia possumus in orationibus Sanctorum confidere; unde clamamus de beata Virgine: «Vita, dulcedo et spes nostra, salve[7]».

Respondeo: Dicendum, quod est spes *auxilii,* et est spes *praemii.* Dicendum ergo, quod si potestas dimittendi peccata esset data homini, iam posset homo sperare ab homine gratiam et veniam, et ita per consequens gloriam, ad quam gratia est velut dispositio necessaria; sed haec ab homine sperari non potest nec debet. — Sed cum homo possit orationibus adiuvare quadam *congruitate,* potest homo sperare in aliquo Sancto tanquam in *adiuvante,* non tanquam in *relevante,* quia hoc est gratia specialis solius Christi[8]. Et sic patet illud.

Duplex spes.

Dub. V.

Item quaeritur de alia ratione, quam assignat, cum dicit: *Ne tot essent baptismi, quot baptistae*[9]. Videtur enim ratio non esse bona: quia aut intelligit tot *numero,* aut tot *specie.* Non tot *specie;* constat, quia consimilis forma et consimilis effectus est in omnibus: si tot *numero,* nullum esset inconveniens.

Respondeo: Dicendum, quod intelligitur, quod tot essent *denominatione;* et ita scissura esset in Ecclesia, quia unus posset dicere[10]: *Ego sum Pauli,* alius autem: *Ego sum Apollo;* et sic non perfecta esset unitas in Ecclesia, cuius unitatis perfectio fundamentum habet in uno baptismo.

Notandum.

---

[1] Supplendum, ut ex subnexis colligitur, *parvulus,* vel legendum *baptizatum.*

[2] Cod. F pro *intelligibiliter* substituit *ita quod intelligitur,* edd. *intelligibilia.*

[3] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 6. a. 5; B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic d. 6. q. 1. a. 2. ad 3; Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Exposit. in Evang. secundum Ioan. (inter opera), ubi ad 1, 33. ait: « *Et ego nesciebam eum,* ostendit Ioannes, non scire, per baptismum Christi redemptum esse mundum; nam sciebat, eum Filium Dei esse et natum in carne ». Haec verba referuntur etiam a Glossa *ordinaria* in praedictum loc. apud Strabum et Lyranum nec non ab Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 5. a. 4. Sententia Chrysostomi, quae infra in solut. plenius exponitur, habetur in ipsius Comment. in Ioan. 1, 33. seq. (homil. 17. alias 16. n. 2. seq.). Ab hac tamen sententia Chrysostomi S. Bonav. recedit in suo Commentario in Ioannem 1, 31. Cfr. tom. I. Prolegom. LXIII. col. 2, et III. Sent. d. 25. dub. 3. — Inferius post *videtur* cod. bb supplet *esse.*

[5] Vers. 14. — Seq. textus est Ioan. 1, 33, in quo Vulgata post *descendentem* addit *et manentem super eum.* — Inferius post *quando missus est* edd. cum uno alteroque cod. addunt *ad baptizandum.*

[6] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 5. a. 4; B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic circa lit.

[7] In antiphona ad Completorium: Salve Regina.

[8] Cfr. supra a. 3. q. 2, et I. Sent. d. 1. dub. 9. — Pro *relevante* cod. F *remunerante,* et pro *gratia* codd. F L *gloria.* — Idem dub. solvunt Petr. a Tar. et Richard. a. Med., hic circa lit.

[9] Cod. H *baptizantes,* Magister, hic in lit. c. 2, *servi.* — De diversitate numerica et specifica cfr. Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.); V. Metaph. text. 12. et 16. (IV. c. 6. et c. 9. seq.).

[10] Epist. I. Cor. 1, 12. — Pro *scissura* codd. A F G I *schisma.* — Idem dub. solvit S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

DISTINCTIO VI.

Pars I.

Cap. I.

Quibus liceat baptizare.

Nunc, quibus liceat baptizare, addamus. De hoc Isidorus. Isidorus[1] ait: « Constat, baptisma solis sacerdotibus esse traditum, eiusque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi, his procul absentibus, ultima languoris cogat necessitas; quod etiam laicis fidelibus permittitur ». Item, Concil. Carthagin. ex Concilio Carthaginensi quarto[2]: « Mulier, quamvis sancta, baptizare non praesumat, nisi necessitate cogente ».

Cap. II.

Si rebaptizandi sunt ab haereticis baptizati.

De illis vero, qui ab haereticis baptizantur, utrum Determinatio. rebaptizandi sint, quaeri solet. — Ad quod breviter dicimus, quia quicumque sit qui baptizet, si servatur forma a Christo tradita, verum baptismum dat; et ideo Beda. qui illum sumit non debet rebaptizari. Unde Beda[3]: « Sive haereticus sive schismaticus sive facinorosus quisque in confessione sanctae Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est, a bonis Catholicis rebaptizari, Dubium 1. ne confessio et invocatio Trinitatis videatur annullari ». Augustinus. Item Augustinus[4]: « Quamvis unum sit baptisma et haereticorum, scilicet eorum qui in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizant, et Ecclesiae catholicae; tamen qui foris Ecclesiam baptizantur non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, *habentes formam* Sacramenti, *virtutem autem eius abnegantes;* et ideo Ecclesia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, et ipsa est forma Sacramenti ». Item: « Rebaptizare haereticum, qui haec sanctitatis signa perceperit, omnino peccatum est; Catholicum vero, immanissimum scelus est ». Dubium 2. — Ex his aperte colligitur, quod qui etiam ab haereticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt, sed tantum manus impositione reconciliandi, ut Spiritum sanctum accipiant, et in signum detestationis haereticorum.

Sunt tamen nonnulli doctorum[5], ut Cyprianus et Removetur falsitas. alii quidam, qui dicere videntur, ab haereticis non posse tradi baptismum, et eos esse rebaptizandos, cum veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizati. — Sed hoc de illis verum est, qui extra formam Ecclesiae baptizare praesumunt. Cyprianus[6] tamen ibi a Cyprianus. veritate deviasse videtur, qui ait de haeretico: « Quo- Dubium 3. modo sanctificare aquam potest, cum ipse immundus est, et apud quem Spiritus sanctus non est; cum Dominus dicat in Lege[7]: *Quaecumque tetigerit immundus, immunda erunt?* Quis potest dare quod ipse non habet »? Hoc vero ex ignorantia eum dixisse, Augustinus innuit dicens: « Martyrem gloriosum Cyprianum, Augustinus. qui apud haereticos vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta eius merita usque ad triumphum martyrii secuta sunt, ut et caritatis qua excellebat luce obumbratio illa fugaretur, et si quid purgandum erat, passionis falce Dubium 4. tolleretur. Nec nos, qui baptismi veritatem et haereticorum iniquitatem agnoscimus, ideo Cypriano meliores sumus, sicut nec Petro, quia gentes iudaizare non cogimus ».

Pars II.

Cap. III.

Quod nullus in materno utero baptizatur.

Hoc etiam sciendum est, « quod licet ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur[8] ». De idoneitate subiecti baptizandi. — Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest, etiam si mater baptizetur. Unde Isidorus[9]: « Qui in Isidorus. maternis uteris sunt baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est secundum Christum non potest renasci, neque regeneratio in eum dici potest, in quem generatio non praecessit ». Item, Augusti- Augustinus. nus[10]: « Non potest quisquam renasci, antequam natus sit ».

Si vero opponitur de Ieremia[11] et de Ioanne Ba- Solvitur dubium. ptista, qui ab utero sanctificati leguntur, quod etiam

---

[1] Libr. II. de Ecclesiast. Officiis, c. 25. n. 9; C. *Constat, baptisma* (19.), de Consecrat. dist. 4.

[2] Num. 99. et 100; C. *Mulier* (20.), ibid.

[3] Homil. aestiv. de Temp. in festo Invent. S. Crucis; C. *Sive haereticus* (51.), ibid.

[4] Dialogus quaestion. 65 q. 59. (inter eius opera); C. *Quamvis unum* (29.), ibid. Ibi respicitur II. Tim. 3, 5. — Seq. locus est August., Epist. 23. (alias 203.) ad Maximin. n. 2; C. *Rebaptizare haereticum* (108.), ibid. — Pro *sanctitatis signa* edd. plurimae *sanctificationis signa.*

[5] Cfr. August., VI. et VII. contra Donatistas, aliique auctores de historia ecclesiast. tractantes.

[6] Epist. ad Iubaianum eiusque episc., Acta etc.

[7] Num. 19, 22. Seq. locus August. est de Unico Baptismo contra Petilian. c. 13. n. 22.

[8] Hieron., II. Comment. in Epist. ad Eph. (4, 5.); C. *Eodem modo* (81.), ibid.

[9] Libr. I. Sent. c. 22. n. 5; C. *Qui in maternis* (115.), ibid.

[10] Epist. 187. (alias 57.) ad Dardan. c. 9. n. 31.

[11] Ier. 1, 5; de Ioanne cfr. Luc. 1, 15.

de Iacob quidam putant; dicimus, si *sanctificatio* ibi accipitur interior emundatio, in miraculis divinae potentiae esse habendum, ut Augustinus[1] ait, ambigue super hoc loquens: «Si usque adeo, inquit, in illo puero acceleratus est usus rationis et voluntatis, ut intra materna viscera iam posset agnoscere et credere quod in aliis parvulis exspectatur aetas ut possint, in miraculis est habendum divinae potentiae, non ad humanae trahendum exemplum naturae. Nam quando voluit Deus, etiam iumentum locutum est». Idem: «De Ieremia legitur: *Priusquam exires de ventre, sanctificavi te;* illa tamen sanctificatio, qua efficimur templum Dei, non nisi renatorum est». «*Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur». «Unde illa sanctificatio potest secundum praedestinationem accipi». — Ecce dubitanter videtur loqui, qui etiam in eodem dicit: «Non dictum est, quia *credidit* infans in utero, sed *exsultavit;* nec Elisabeth dicit: exsultavit in fide, sed, exsultavit in utero meo. Et potuit esse haec sanctificatio tantae rei a maiori cognoscendae indicium, non a parvulo cognitae». — Absque assertione de hac sanctificatione loquitur, non definiens, qualiter intelligenda sit illa sanctificatio, an signum futurae rei, an veritas iustificationis per Spiritum factae. Sed melius est, ut dicamus, illos praeter communem legem in uteris iustificatos et gratia praeventos, dimissis omnibus peccatis; quod et multis Sanctorum testimoniis[2] edocetur.

(Margin: Augustinus. — Dubium 1. — Explicatur.)

Cap. IV.

Utrum baptismus sit, cum verba corrupte proferuntur.

Quaeri etiam solet, si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit. — De hoc Zacharias[3] Bonifacio scribit: «Retulerunt mihi nuntii tui, quod fuerit sacerdos in eadem provincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nescius Latini eloquii, infringens linguam diceret: baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu sancta; et propter hoc considerasti rebaptizare. Sed si ille qui baptizavit, non errorem introducens vel haeresim, sed pro sola ignorantia Romanae locutionis infringendo linguam baptizans dixisset; non possumus consentire, ut denuo baptizetur».

(Margin: De rebaptizandis. Zacharias. — Dubium 2.)

Praeterea sciendum est, quod illi, «de quibus nulla exstant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos, a quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur, quia non temeritas intervenit praesumtionis, ubi est diligentia pietatis[4]».

(Margin: Dubium 3. Leo.)

Cap. V.

De illo qui pro ludo immergitur.

Solet etiam quaeri de illo qui iocans sicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis, immergitur, utrum baptizatus sit. — Hoc autem Augustinus[5] non definit, ita inquiens: «Si totum ludicre et mimice et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus, qui sic daretur; divinum iudicium per alicuius revelationis miraculum oratione implorandum esse censerem». Videtur tamen sapientibus non fuisse baptisma; ut cum aliqui in balneum vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non est tamen baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc et in aliis Sacramentis, sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda. «Illud etiam non te moveat, quod quidam non ea fide parvulos ad baptismum ferunt, ut per Spiritum ad vitam regenerentur aeternam, sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur[6]».

(Margin: De necessitate intentionis. — Augustinus. — Dubium 4. — Determinatio. — Augustinus.)

Agnoscendum est etiam, in baptizandis electis duo tempora esse servanda, id est Pascha et Pentecosten, ut in Sabbato Paschae vel Pentecostes baptismi Sacramentum celebretur. Qui vero necessitate mortis vel periculi urgentur omni tempore debent baptizari.

(Margin: Dubium 5. — De opportunitate temporis.)

Cap. VI.

De responsione patrinorum.

Porro cuncti ad baptismum venientes fidem suam profiteri debent et exponere, quid[7] petere venerint ad Ecclesiam. Unde et a baptizando quaeritur: Quid venisti ad Ecclesiam petere? Qui si adultus est, pro se respondet: fidem, id est Sacramentum fidei, et doctrinam. Ita etiam per singula interrogatus, respondet, se credere in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui, alius pro eo respondet. Unde Isidorus[8]: «Parvuli, alio profitente, baptizantur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt, sicut etiam pro aegris, mutis vel

(Margin: De sacramentalibus, primo de catechismo. — Isidorus. — Dubium 6.)

---

[1] Epist. cit. c. 7. n. 24, ubi pro *exspectatur* edd., exceptis 1, 4, minus bene *exspectat,* refragantibus codd. et originali. De illo iumento cfr. Num. 22, 28. — Seq. locus ibid. c. 10. n. 32, ubi respiciuntur Ier. 1, 5; Ioan. 3, 5.; tertius ibid. n. 33; quartus c. 12. n. 37; ultimus c. 7. n. 23.

[2] Cfr. Ambros., super Luc. libr. I. c. 1. n. 26; Beda, ibid., et Homil. in solemnit. Deiparae, quando salutavit Elisabeth; Bernard., Epist. 174. n. 3.

[3] Apud Isidor. Mercatorem; C. *Retulerunt* (86.), ibid.

[4] S. Leo, Epist. 167. (alias 2.) ad Rustic. Narbonens., inquisitio 16. 17; C. *Si nulla* (113.), ibid. — Pro *a quibus* codd. A B C D et ed. 1 *quibus.*

[5] Libr. VII. de Baptismo contra Donatistas, c. 53. n. 102; C. *Solet etiam quaeri* (31.), ibid. — De eo quod sequitur, cfr. Hugo de S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 13.

[6] August., Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifac. n. 5; C. *Non illud te moveat* (33.), ibid. — In hoc loco edd., excepta 1, pro *retinere vel recipere* habent *accipere,* refragantibus codd. et originali. — Quoad duo tempora baptizandi cfr. Leo, Epist. 16. ad universos episc. per Siciliam constitutos c. 5; et C. *Duo tempora* (12.), ibid.

[7] Vat. et edd. 4, 6 *ad quid petendum,* codd. A B cum pluribus edd. *quid petendum.*

[8] Libr. II. de Ecclesiast. Officiis, c. 25. n. 7; C. *Parvuli* (74.), ibid.

surdis alius profitetur, dum baptizantur». Sic et de poenitentibus agendum est. «Si vero pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet; sicut dictum est: *Aetatem habet, pro se loquatur*[1] ». (Augustinus.)

Si vero quaeritur, ex quo sensu pro parvulo dicatur: credo, vel fidem peto; dicimus, de Sacramento fidei id esse intelligendum, quod respondetur *petere*, cum defertur ad Ecclesiam, et *habere*, cum baptizatur; ut sit sensus, cum dicitur: *fidem peto*, id est, Sacramentum fidei praesto sum recipere; *credo*, id est, Sacramentum fidei suscipio; quod est: hic parvulus praesto est Sacramentum fidei accipere. Unde Augustinus[2]: «Nihil est aliud credere quam fidem habere; et ideo, cum respondetur credere parvulus, qui fidei nondum affectum habet, respondetur, *fidem habere* propter fidei Sacramentum, et *convertere se ad Deum* propter conversionis Sacramentum». (Solvitur dubitatio 1. — Augustinus.)

Sed adhuc quaeritur, ex quo sensu parvulo respondeatur: credo in Deum Patrem et in Iesum Christum et in Spiritum sanctum. Nunquid de *Sacramento fidei*, an de *fide mentis* ibi agitur? Si de *Sacramento*, cur nominatim distinguuntur personae? Si vero de *fidei affectu*, quomodo verum est, cum eo[3] careat parvulus? An illud facturus parvulus spondetur, cum creverit? sicut et omnibus pompis diaboli spondetur abrenuntiare; quod si non servaverit factus adultus, tenebitur ipse, vel sponsor? — Sane dici potest, ibi sponderi pro parvulo, quod ad maiorem aetatem si venerit, et pompis diaboli renuntiabit et sanam fidem tenebit, cuius tunc Sacramentum recipit. Hac autem sponsione parvulus, pro quo fit, tenebitur, non sponsor; si tamen, ut cautio impleatur, quantum in se est, operam[4] dederit; quia exigitur a patrino, ut sit diligens circa eum, pro quo spopondit, sollicitudo. De hoc Augustinus: «Certissimam emisistis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli spopondistis». (Solvitur dubitatio 2. — Augustinus.)

Cap. VII.

De catechismo et exorcismo.

Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in *catechismo*[5]; cui et additur *exorcismus*. Ante baptismum enim fit catechismus et exorcimus; post catechismum sequitur exorcismus, ut ab eo qui iam instructus est, adversaria virtus pellatur. *Exorcismus* de Graeco in Latinum dicitur adiuratio; *catechismus*, instructio; *catechizare* est instruere, ut de Symbolo ac rudimentis fidei; *exorcizare* est adiurare, ut: exi ab eo, spiritus immunde; *Symbolum* dicitur signum, vel collatio: *signum*, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur; *collatio*, quia ibi totius fidei sufficientia et integritas collata est. — Catechismus et exorcismus neophytorum sunt magisque sacramentalia quam Sacramenta dici debent. *Neophytus* novitius interpretatur vel rudis; et dicitur *neophytus* nuper ad fidem conversus, vel in disciplina religiosae conversationis rudis. — Haec igitur praecedunt baptismum, non quod sine istis non possit esse verus baptismus, sed ut baptizandus de fide instruatur et sciat, cui debitor fiat deinceps, et ut diaboli potestas in eo minuatur. Unde Rabanus[6]: «Ante baptismum catechizandi debet in homine praevenire officium, ut fidei catechumenus accipiat rudimentum et sciat, cui debitor deinceps fiat». Item, Augustinus[7]: «Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis potestas diaboli», «ne iam contendant eos subvertere, ne baptismum consequantur». «Non ergo in infantibus creatura Dei exsufflatur vel exorcizatur, sed diabolus, ut recedat ab homine». (Dubium 7. — Sacramentalia. — Rabanus. — Augustinus. — Rabanus. — Augustinus.)

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VI.

Pars I.

De his quibus est collata potestas baptizandi.

Nunc, quibus liceat baptizare, addamus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, quae sit potestas collata ministris. Hic secundo determinat, quibus est collata. Et habet haec pars duas partes. In prima determinat, quibus liceat baptizare, ostendens, quod omnibus in casu necessitatis. In secunda vero quaerit et determinat, utrum baptizatos ab haereticis

---

[1] August., IV. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. n. 31, ubi citatur Ioan. 9, 21; C. *Cum pro parvulis* (77.), ibid.

[2] Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifac. episc. n. 9; C. *Nihil est aliud* (76.), ibid.

[3] Ita codd. A B D E et ed. 1, in aliis non bene *ea*.

[4] Codd. A B E et edd. 1, 5, 6, 9 praefigunt *et*. Circa rem cfr. Hugo, II. de Sacram. p. VI. c. 12. — Seq. locus sumtus est secundum sensum ex 1. Serm. ad Neophytos (inter opera August.), verbotenus ex C. *Prima igitur* (73.), ibid.

[5] Ita cod. C (a secunda manu) et Vat. cum edd. 4, 6; in aliis minus apte *catechumeno;* deinde eaedem edd. omittunt *et* ante *additur*. — Quod sequitur sumtum est ex Hugone, II. de Sacram. p. VI. c. 8. 9. 10.

[6] Libr. I. de Institutione clericorum, c. 25. C. *Ante baptismum* (54.), ibid.

[7] De Symbolo ad catechum. serm. 1. c. 1. n. 2; C. *Sicut nostis* (62.), ibid. Seq. locus est apud Raban., ibid. c. 27; tertius est August., de Symbolo, loc. cit., ubi pro *in infantibus* codd. A E et edd., excepta 1, habent *ab infantibus*, refragante etiam originali.

liceat rebaptizari, ibi: *De illis vero, qui ab haereticis baptizantur.*

Et ista pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda vero removet falsitatem, ibi: *Sunt tamen nonnulli doctorum* etc., ostendens, quod Cyprianus, qui dixit, baptizatos ab haereticis esse rebaptizandos, non recte sensit.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Quia supra[1] quaesitum est de potestate baptizandi, ad intelligentiam huius partis quaeritur hic de iteratione baptismi. Et quia causa, quare non potest iterari baptismus, est character, quem imprimit; ideo quaeritur primo hic de charactere. Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo quaeritur de charactere, quid sit secundum essentiam.

Secundo quaeritur, ad quid sit.

Tertio, in quo sit sicut in subiecto.

Quarto quaeritur, per quid character imprimatur.

Quinto, qualiter imprimatur, utrum delebiliter, an indelebiliter.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum baptismus debeat iterari.

ARTICULUS UNICUS.

De charactere.

QUAESTIO I.

Quid sit character secundum essentiam.

Circa primum sic proceditur et ostenditur primo, quod character sit *habitus:*

Fundamenta. 1. « Quia tria sunt in anima, scilicet *potentiae, passiones* et *habitus*[2] »; sed character non est *potentia,* quia non est in omnibus; nec *passio,* quia secundum ipsum anima non patitur: ergo est *habitus.*

2. Item, constat, characterem esse aliquam qualitatem spiritualem animae; sed « nihil est in genere aliquo determinato, quod non sit in aliqua eius specie[3] »: cum ergo qualitas spiritualis sit in prima specie qualitatis, et illa est *habitus,* vel *dispositio:* ergo character est *habitus,* vel *dispositio.* Sed non est *dispositio,* quia non est facile mobilis: ergo *habitus.*

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus de Bono coniugali[4]: Habitus est, per quem aliquis aliquid agit; sed charactere non agit homo aliquid: ergo character *non est habitus.*

2. Item, si character est habitus, aut est *naturalis* sive innatus, aut *acquisitus,* aut *infusus.* Non *innatus,* hoc constat: ergo *acquisitus,* vel *infusus;* sed omnis talis habitus, cum sit in anima per modum perfectionis, est *scientia,* vel *virtus*[5]; character autem nihil horum est: ergo non est habitus.

CONCLUSIO.

Character est habitus large sumtus, scilicet quaedam qualitas spiritualis, animam non omnino perficiens, sed disponens ad ulteriorem perfectionem.

Respondeo: Ad hoc dixerunt aliqui, quod characteristicatio non est aliud quam *consignatio,* et character idem est quod *signum;* et hoc signum nihil addit supra potentias animae, quod sit quid Opinio 1.

---

[1] Dist. praeced. [2] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 5.

[3] Ut docet Aristot., II. Topic. c. 2. (c. 4.) et IV. c. 1. Cfr. tom. II. pag. 299, nota 6. — Multa, quae sequuntur, supponunt doctrinam Aristot., de Praedicam. c. *de Quali,* qui quatuor species qualitatis distinguit, scil. habitum et dispositionem, potentiam et impotentiam, passionem et patibilem qualitatem, figuram et formam. Differt habitus a dispositione, quod haec quidem facile mobilis sit, ille vero diuturnior et difficilius mobilis... Aliud vero genus qualitatis est, secundum quod... quaecumque secundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur... Tertium vero genus qualitatis est passibiles qualitates et passiones; sunt autem huiusmodi, ut dulcedo et amaritudo et austeritas et omnia his cognata, amplius et calor et frigus et albedo et nigredo... Passibiles vero qualitates dicuntur, non quod ea quae illas susceperint qualitates, aliquid patiantur, neque enim mel, quoniam aliquid passum sit, dicitur dulce... sed quoniam secundum sensus unaquaeque dictarum qualitatum passionis effectiva est, passibiles qualitates dicuntur; dulcedo enim passionem quandam secundum gustum efficit... Quartum vero genus qualitatis est figura, et circa unumquodque constans forma. — In fine arg. codd. M R U supplent *est.*

[4] Cap. 21. n. 25, ubi habitum definit: « quo aliquid agitur, cum opus est; cum autem non agitur, potest agi, sed non opus est. Cfr. tom. III. pag. 796, nota 4.

[5] Duplex hic habitus respondet duplici potentiae animae; scil. rationi et voluntati. Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1.

absolutum, sicut nec signatio in circulo [1]; sed fundatur supra potentias animae nudas et est ibi secundum institutionem et actum consignantis, nulla facta mutatione; unde est pura *relatio*, ut paternitas. Et dicunt, quod verbum Philosophi [2] intelligitur de illis quae dicunt aliquid *absolutum*. Et ponunt exemplum, quod character est in anima sicut consecratio in Ecclesia, in qua consecratione Ecclesiae non datur nova qualitas, sed solum ordinatio ab eo qui potest, ad sacra ibidem celebranda; sic dicunt, quod character est quoddam animae signaculum, in quo dicitur anima sanctificari, ut Deus in ea habitet ut in templo. Et hoc dicunt sensisse Dionysium in libro de Ecclesiastica Hierarchia [3], ubi dicit: Character est signum sanctum cognitionis vel communicationis fidei et sacrae ordinationis, datum accedenti ab hierarcha. — Sed illud non potest stare: quia character dicit aliquam *assimilationem* et configurationem ad Christum, sicut character bestiae ad diabolum, de quo Apocalypsis decimo quarto [4]; sed *assimilatio* fundatur super qualitatem: ergo si de novo fit similis Deo, et non fit mutatio ex parte alterius extremi secundum qualitatem; videtur, quod necesse sit dare animae aliquam qualitatem.

Exemplum. — Improbatur.

Propterea dixerunt aliqui, quod etsi character dicat *relationem*, dicit nihilominus *qualitatem* aliquam, super quam fundatur; et illa qualitas est sicut dispositio ad recipiendum lumen et calorem gratiae, sicut siccitas in ligno ad calorem, et pervietas in vitro ad lumen. Et ideo posuerunt characterem in *secunda specie qualitatis* [5]. — Sed illud non potest stare, quia illa est naturalis *potentia*, vel *impotentia*, quae consequitur naturam. Et *praeterea*, siccitas et pervietas sunt *impotentiae* resistendi: ergo character esset *impotentia*; quod stultum est dicere.

Opinio 2. — Improbatur.

Propterea alii dixerunt, quod character non tantum est ad *disponendum*, sed etiam ad *distinguendum*; et est sicut quaedam qualitas animam fidelem decorans et ornans, per quam ab infideli distinguitur [6]; unde infert sensui spirituali *passionem mulcebrem*, et ideo est *passibilis qualitas* et in *tertia specie* qualitatis. — Sed illud non potest stare, quia non dicitur *passibilis qualitas*, quae infert passionem sensui *interiori* vel intellectui. Cum enim omnis veritas sit obiectum intellectus, tunc omnia essent in tertia specie qualitatis [7]; quod stultum est dicere: ergo similiter est de charactere.

Opinio 3. — Improbatur.

Propterea alii dixerunt, quod character, quantum est de suo nomine, importat *configurationem* — unde ubi nos habemus, ad Hebraeos primo [8], *figura substantiae*, alia translatio dicit *character substantiae* — et ideo character est in *quarta specie*, quae « est *forma* et circa aliquid constans *figura* ». — Et *si tu obiicias*, quod *figura* est in quantitate et *quantitas* in corpore; dicunt, quod sicut duplex est *quantitas*, scilicet *spiritualis* et *corporalis* sive molis [9]; sic duplex est *figura*. — Sed istud non videtur posse stare, quia *figura* est clausio terminorum, secundum quod est *quarta species*. Sed in *spiritualibus* configuratio non est similis terminorum clausioni, sed est similitudinis impressio sive assimilatio. Item, si *figura* ponatur in spiritualibus, non est nisi *translative;* sicut ergo quantitas *virtutis* non ponitur in genere quantitatis naturae [10], sic nec *figura* in specie figurae. Et *iterum*, quomodo secundum qualitatem virtutis actu dicitur clausio terminorum? Et *iterum*, super quid fundatur illa clausio? Si super virtutem *datam*, vel *innatam*, oportet ad aliam speciem recurrere: ergo cum *figura spiritualis* non habeat convenientiam cum illa, videtur, quod character non dicat figuram sive *configurationem* in quarta specie.

Opinio 4. — Improbatur tripliciter.

Propterea alii se extendentes dicunt, quod non est in aliqua specie qualitatis a Philosopho assignata, quia ipse non assignat nisi solum species qualitatis *innatae*, vel *acquisitae*, non *infusae;* et

Opinio 5.

---

[1] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. in fine corp. — Superius pro *characteristicatio* ed. 1 cum pluribus codd. *characteris institutio*, Vat. *characterificatio.*

[2] Hic in fundam. 2. allatum. — Paulo ante pro *consignantis* Vat. *consignandi.*

[3] Cap. 2. p. II. § 4. Edd. in fine definitionis *accedenti ad hierarchiam.* B. Albert., hic a. 4, ait: « Dicunt autem quidam, beatum Dionysium in Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. ita definire: Character est signum sanctum communionis fidei et sacrae ordinationis datum accedenti ab hierarcha. Licet autem ita dicant, tamen in nulla Dionysii translatione invenitur haec definitio, nec per verbum nec per sensum. Et hoc scit bene, quicumque litteram Dionysii inspicit ». Quod diffusius prosequitur ibid.

[4] Vers. 9. et 11. — De assimilatione sive similitudine cfr. quaest. seq. et supra pag. 29, nota 7. — Inferius pro *non fit* cod. F *non fuit.* Subinde pro *aliquam qualitatem,* quod habent codd. O T X (F a secunda manu), in aliis et edd. *aliam qualitatem.*

[5] Cfr. quaest. seq.

[6] B. Albert., hic a. 4, et S. Thom., d. 4. q. 1. a. 2. quaestiunc. 2, hanc magistralem definitionem characteris afferunt: Character est distinctio a charactere aeterno impressa animae rationali secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti et recreanti, et distinguens a non consignatis secundum statum fidei. Cfr. quaest. seq., ubi allegatur Damasc. — De *passione mulcebri* vide tom. III. pag. 651, nota 3. Sub hoc respectu passionem laetitiae definit Cassiodor. in Ps. 31,16: Laetari est enim tacitae mentis suavitate mulceri, exsultare est concitati animi fervore gaudere.

[7] Idem dicit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 1. § 1.

[8] Vers. 3. Petr. Lombard., in hunc locum: *Et* est *figura* vel character *substantiae eius.* — Seq. testimonium est Aristot., de Praedicam. c. *de Quali,* superius iam a nobis relatum.

[9] Secundum August., de Quantitate animae, c. 3. n. 4. Cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 1. in corp.

[10] Boeth. haec verba Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto:* « Propriae autem quantitates hae solae dicuntur, quas diximus, alia vero omnia secundum accidens », exponens ait: Haec enim omnia quae dicta sunt, id est linea, superficies, corpus, numerus, oratio, tempus, *per se et secundum propriam naturam* quantitates dicuntur; si qua vero alia dicuntur secundum aliquam quantitatem, non per se, sed secundum accidens nominantur etc. — Vat. cum aliquot codd. *quantitatis vere.*

hoc etiam ipse Philosophus innuit, cum dicit[1]: « Fortassis et alii apparebunt qualitatis modi ». Et dicunt, characterem sub *alia specie* contineri, ut scilicet (Improbatur.) una species qualitatis sit *qualitas infusa*. — Sed illud videtur quaerere fugam, quia nos *virtutes* theologicas et alias virtutes, quae sunt infusae, in *prima specie qualitatis*[2] collocamus; quare ergo non similiter *characterem?*

Et ideo dicendum, quod character, cum sit in (Opinio 6. et conclusio 1.) anima et sit *qualitas spiritualis*, quod est *habitus*, non *passio* nec *potentia*. — Sed notandum, quod (Distinctio.) *habitus* accipitur dupliciter: uno modo *proprie*, prout distinguitur contra *dispositionem* per perfectum et imperfectum; alio modo *communiter*, prout *utrumque* comprehendit, scilicet omnem qualitatem animam disponentem, sive facile mobilem sive difficile, sive perfectam sive imperfectam[3]. Et sic accipitur, cum dicitur: tria sunt in anima: *potentia*, *passio* et *habitus;* nam *dispositio* est in anima et non est *potentia* nec *passio.*

Dicendum igitur, quod si accipiatur habitus (Conclusio 2.) *large*, sic character est habitus; si autem *stricte*, sic, quia character est perpetuus, ideo *habitus;* sed quia non perficit, sed disponit ad ulteriorem perfectionem, scilicet gratiae, quantum ad hoc est *dispositio*. (Similia.) — Similiter est in oculo corporali, quia ibi est *lumen* connaturale, inseparabile, sed insufficiens ad videndum, nisi veniat spiritus visibilis a nervo optico[4]. Similiter in intellectu est *lumen* connaturale, inseparabile, non sufficiens ad dirigendam cognitionem, nisi superveniat *habitus scientiae*. — Secundum rem igitur character est quaedam qualitas (Definitio.) animam non omnino perficiens, sed disponens ad ulteriorem perfectionem, scilicet gratiae. Unde potest esse, quod sit quoddam *lumen spirituale* semiplenum et quidam *calor* gratis datus; et illud lumen dicitur *signaculum* animae vel *signari* in anima, secundum illud quod dicitur in Psalmo[5]: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine;* signatum, inquam, per *naturam*, sed specialius per *Sacramenta* divina, specialissime per *dona* Spiritus sancti gratuita.

Duo igitur obiecta solvuntur, quia intelligun- (Ad opposita.) tur de habitu *perfecto*, qui plene rationem habitus habet. Nam ille habilitat ad opus aliquod de se, et sic vel habilitat *cognitivam*, et est *scientia;* vel *motivam*, et est *virtus;* non autem est verum de habitu, qui est *imperfectus*, disponens ad alium, sicut lumen naturale ad scientiam et lumen oculi ad habitum videndi. Sic intelligendum est in charactere; nihilominus et aliquem *actum* habet, sicut patebit in sequenti problemate.

SCHOLION.

I. Contra errorem a Wikleff et posterioribus haereticis sparsum, quod nullatenus per quaedam Sacramenta imprimatur character, antiqua Ecclesiae doctrina, explicata a Concil. Florent., postea definita est a Concil. Trident. (Sess. VII. de Sacram. in genere can. 9.) sic: « Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, a. s. ».

Totam de charactere doctrinam miro modo exhibet Breviloq. p. VI. c. 6. — Quid autem proprie sit character, in scholis antiquitus dubium esse videbatur. Primam opinionem hic relatam secutus est Guliel. Parisiensis (De Sacram. c. 3.), qui dicit, eundem esse sanctitatem quandam, « cuius exemplum et figura est sanctitas basilicarum consecratarum et vasorum ». Cui fere consentit Durand. (IV. Sent. d. 4. q. 1.), qui, postquam multa contra positiones S. Thomae arguit, concludit, quod « character non est aliqua natura absoluta, sed est sola *relatio rationis*, per quam ex institutione vel pactione divina deputatur aliquis ad sacras actiones ». De hac autem opinione, quod character non sit aliqua entitas realis, iam Thom. de Argentina recte pronuntiavit, quod « a nullo Catholico videtur esse tenenda »; de quo post Concilia Florent. et Trident. non potest esse dubium. — Scot., qui « propter solam auctoritatem Ecclesiae » ponendum esse dicit, characterem imprimi (hic q. 9. n. 14.), resolvit, eum esse quidem *reale* aliquid (hic q. 10. n. 13.), et vel *realem* relationem, vel aliquid absolutum; tamen ibi non determinat, quid duorum proprie sit; praestantiores tamen et plures eius discipuli docent, eum magis propendere in formam *absolutam*, quae plures involvat respectus, quatenus est *signum* et *configurativum* et *distinctivum*. Quod autem character sit aliquid *reale* et *absolutum*, et quidem in genere qualitatis, est sententia communissima; licet doctores non conveniant, in qua sit *specie* qualitatum ab Aristotele positarum (cfr. pag. 136. nota 3). S. Thom. (S.. III. q. 63. a. 2; cfr. IV. Sent. d. 4. q. 1. a. 1. 2.) docet, eundem non esse proprie in genere vel specie, sed reduci ad *secundam* speciem qualitatis, scilicet *potentiam*, cum importet quandam potentiam spiritualem, ordinatam ad ea quae sunt divini cultus; hanc autem potentiam esse *instrumentalem* et *quiddam fluens et incompletum* (sicut est virtus physica, quae secundum ipsum est in Sacramentis; cfr. supra d. 1.

---

[1] De Praedicam. c. *de Quali:* Fortasse quidem igitur alius quispiam modus apparuerit qualitatis, sed fere qui maxime dicuntur, hi sunt. — Inferius pro *una species* codd. A E G I K M O R S *alia species.*

[2] Scil. habitus. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3, nec non III. Sent. d. 23. seqq., ubi de virtutibus theologicis, et d. 33, in qua de cardinalibus agitur.

[3] Sub primo respectu de habitu agit Aristot., de Praedicam. c. *de Quali* (cfr. supra), sub secundo autem in V. Metaph. text. 25. (IV. c. 20.) dicens: Alio modo habitus dicitur *dispositio*, secundum quam bene vel male disponitur dispositum, et aut secundum se, aut ad aliud, ut sanitas quidam habitus est; dispositio etenim talis est. Item habitus dicitur, si particula talis dispositionis sit; quare partium quoque virtus quidam habitus est.

[4] In libr. de Differentia animae et spiritus, auctore Costa-Ben-Lucae (ed. a Barach, Innsbruck 1878), datur in cap. 1. haec definitio *spiritus:* « Spiritus est quoddam corpus subtile, quod in humano corpore oritur ex corde et fertur... in venis pulsus ad vivificandum corpus... Et similiter oritur ex cerebro et nervis, et operatur sensum et motum »; quae in cap. 2. fusius explicantur. — Inferius pro *rem* codd. R S *hoc.*

[5] Psalm. 4, 7. — Inferius verbis *per naturam* cod. X praemittit *specialiter*, Alex. Hal., loc. cit., *generaliter.*

p. 1. q. 3. scholion). — Alex. Hal., quem sequuntur S. Bonav. et B. Albert., eum reducit ad *primam* speciem qualitatis, (scilicet *habitum); Scotus* ad *primam simul et secundam*. Petr. a Tar. dubius inter opinionem S. Thomae et Bonaventurae haeret; quod etiam de Richardo a Med. dici potest. — In 2. quaest. ad 1. 2. docetur, characterem non sua sola natura, ut quidam putant, sed ex *institutione* Dei esse signum traditae potestatis.

De hac I. quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., p. IV. q. 8. m. 8. a. 1. § 1. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 5. q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., IV. Sent. d. 5. a. 2. q. 1. — Dionys. Carth., omnes de charactere quaestiones in fine d. 6. q. 4. simul tractat.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — Scot., hic q. 10. n. 12. — S. Thom., loc. cit. a. 2; S. loc. cit. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 4. 8. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., loc. cit.

III. Quoad seq. (3.) quaestionem negari non potest, *radicale* subiectum characteris esse animam; sed quaestio remanet, quid sit *immediatum* et *proximum* eiusdem subiectum. Quod non ipsa *essentia* animae, sed eius *potentiae*, quatenus in eis est imago Dei, sint proximum characteris subiectum, antiqui Scholastici concorditer resolvunt. Iterum autem quaeritur, in *qua* principaliter sit potentia. S. Thom., cui favent B. Albert., Petr. a Tar. et Richard., docet, eum esse in potentia cognitiva, « quia ex memoria et intelligentia oritur voluntas; unde tota imago est in intellectiva parte sicut in radice » (Comment. loc. cit. a. 3. quaestiunc. 3.); Scot. vero pro eo assignat *voluntatem;* S. Bonav. cum Alexandro vult, eum esse in tribus animae potentiis, quatenus sunt imago, et per *appropriationem* tantum specialiter tribui potentiae *cognitivae*.

De hac 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — Scot., hic q. 11; Report. hic q. 10. — S. Thom., loc. cit. a. 3; S. loc. cit. a. 4. — B. Albert., hic a. 4. quaestiunc. 9. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Ad quid sit character.

Secundo quaeritur de charactere quantum ad utilitatem, ad quid videlicet character sit utilis. Et cum sit signum sacramentale, dicitur, quod est ad *signandum*, nec tantum ad hoc, sed etiam ad *disponendum;* est etiam ad *assimilandum* et *distinguendum*.

De 1. actu. Quaeritur ergo primo de *signatione*.

Ad oppositum. 1. Et cum signum sit « quod se offert sensibus [1] », videtur, quod character non sit signum, cum sensibus se non offerat.

2. Item, si est signum, aut ergo est *naturale*, aut *voluntarium* [2]. Si *voluntarium:* ergo diversificatur apud diversos; quod stultum est. Si *naturale:* ergo habet esse a natura; quod est stultum similiter dicere.

Quaestio incidens 1. Item, si est signum, quaeritur: quid significat? Si *gratiam; contra:* multi habent characterem, qui nec habent nec habuerunt nec habebunt gratiam.

De 2. actu. De secundo actu, qui est *disponere,* quaeritur similiter; et quod non sit ad disponendum, videtur:

3. Quia, cum Deus sit agens potentiae infinitae, non indiget dispositione praevia ad imprimendam formam: ergo non est necesse, quod character, vel aliquid aliud disponat ad gratiam.

4. Item, si est ad disponendum, quaeritur ergo: ad quid disponit? Si ad *gratiam; contra:* gratia habetur in baptismo flaminis sine charactere [3]: ergo non indigemus dispositione media.

5. Item, gratia unitur gloriae sine dispositione media [4]: ergo videtur similiter, quod natura uniatur gratiae: ergo non est necessaria alia dispositio.

De 3. actu. De tertio actu, qui est *assimilare,* quaeritur: cui character assimilat? et constat, quodsi alicui, quod ei, a quo imprimitur: ergo assimilat Deo.

6. *Sed contra:* « Similitudo est rerum differentium eadem qualitas [5] »; sed Creatori et creaturae nihil est commune: ergo etc.

7. Item, character stat cum culpa, quae omnino est Deo dissimilis; sed similitudo expellitur per dissimilitudinem: ergo culpa expelleret sive deleret characterem; quod falsum est: ergo etc.

Quaestio incidens 2. Item, cum assimilet toti Trinitati — quia quidquid assimilat uni personae, et omnibus — quaeritur: cui per *appropriationem?* Et quod *Patri,* videtur: quia est Sacramentum regenerationis [6]; sed eius est regenerare, cuius est generare: cum ergo generare sit proprium Patris, patet etc. — Et quod *Filio,* videtur: quia Filius dicitur esse character aeternus [7]. — Sed quod *Spiritui sancto,* videtur: quia character signum est praeparans ad gratiam et donum gratuitum gratis datum; sed gratia appropriatur Spiritui sancto: ergo etc.

De 4. actu. De quarto etiam actu, scilicet de *distinctione,* quaeritur: quos distinguit? Et dicit Damascenus [8], quod character baptismalis distinguit fidelem ab infideli.

---

[1] Cfr. supra in lit. Magistri, d. I. c. 3, ex August. allata definitio signi.

[2] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 4. — Inferius post *stultum est* in cod. aa additur *dicere,* et subinde pro *habet esse* cod. F *debet esse*. [3] Vide supra d. 4. p. II. a. 1. q. 2. in corp.

[4] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. — Mox post *gratiae* Vat. supplet *sine dispositione praevia*.

[5] Secundum Aristot., de Praedicam. c. *de Quali;* V. Metaph. text. 16. et 20. (IV. c. 9. et 15.). Boeth., III. de Differentiis topic. hanc definitionem iisdem verbis exhibet. Cfr. in II. Topic. Cicer.: Similitudo est unitas qualitatis.

[6] Tit. 3, 5: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis etc. — De *minori* cfr. supra pag. 30, nota 5. — Superius pro *uni personae* plurimi codd. *uni perfecte*.

[7] Hebr. 1, 3: Qui cum sit splendor gloriae et figura [character] substantiae eius etc.

[8] Supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4 hanc baptismi definitionem ex Damasc., IV. de Fide orthod. c. 9, sumtam: « Ba-

8. *Sed contra:* Multi sunt fideles, qui non habent characterem, et multi infideles, qui habent: ergo etc.

9. Item, si distinguit, quaeritur: cui? aut enim *Deo,* aut *nobis: Deo* non, quia ipse non indiget; *nobis* non, quia non videmus, utrum aliquis habeat characterem; quodsi *Angelis* vel Beatis, superfluit, quia bene sine hoc cognoscunt.

CONCLUSIO.

Character est ad signandum, disponendum, configurandum et distinguendum.

Respondeo: Dicendum, quod character est *signaculum sacramentale* a Deo impressum. Quia Conclusio 1. *signaculum sacramentale,* ideo *gratiam* significat, et non tantum significat, immo aliquo modo *praeparat;* quia usus Sacramentorum non tantum est in *significando*[1]. Et quia gratiam significat et ad gratiam disponit; ideo habet aliquam similitudinem cum Conclusio 2. gratia, quae est similitudo Dei; ideo aliquo modo configurat *Deo.* Et quia omnes configurat uni, assimilat etiam *gregem Domini inter se;* et per hoc Conclusio 3. *distinguit* ab his qui non sunt de grege, vel etiam distinctionem facit in eodem grege secundum aliam et aliam rationem assimilandi[2].

Solutio oppositorum. De 1. actu. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur *primo,* quod non est visibile; dicendum, quod character cum exteriori signo facit unum Sacramentum; unde non est in eo ratio significandi per se tantum, sed per coniunctionem cum exteriori elemento; et ratione illius est visibile et unum, sicut elementum unum[3]. Et ratione eius est *voluntarium,* sicut elementum significat ex institutione; nec est tamen diversum apud diversos, quia instituitur auctoritate magistri universalis.

Ad quaest. incid. 1. Ad illud quod quaeritur, quid significet; dicendum, quod gratiam; et quod ibi non sit, ut supra[4] habitum est, hoc est ex defectu suscipientis tantum.

De 2. actu. Ad illud quod quaeritur de *secundo* actu, dicendum, quod *disponit* sicut quoddam lumen et calor datus[5]. Dispositio autem illa non est *necessitatis,* quod agens non possit aliter agere, vel suscipiens capere, sed tantum *congruitatis.* Quia enim natura corrupta est per peccatum et indisposita ad gratiam, congruum fuit, quod intercidat dispositio media; non sic gratia ad gloriam.

3. 4. 5. Et sic patet responsio ad tria obiecta: ad primum, quia non est dispositio propter agentis indigentiam; ad secundum, quia non est dispositio necessaria; ad tertium, quia non est similis dispositio in natura peccatrice ad gratiam, sicut gratiae ad gloriam.

Ad illud quod quaeritur de *assimilatione,* dicendum, quod est assimilatio per unius qualitatis *participationem,* vel *imitationem,* vel omnimodam *indivisionem*[6]. *Prima* est *creaturae* ad *creaturam; secunda* est *creaturae* ad *Deum;* tertia est *Dei* ad *Deum* sive unius personae ad alteram. Assimilatio autem *creaturae* ad *Deum* vel est *perfecta,* vel *sufficiens,* vel *ad sufficientem disponens.* Prima est in *gloria,* et haec non compatitur dissimilitudinem aliquam nec culpae nec miseriae; secunda in *gratia,* et haec compatitur dissimilitudinem miseriae, sed non culpae; tertia in *charactere,* et haec compatitur utramque, quia solum est gratiae gratis datae, et multum longinqua. De 3. actu. Assimilatio triplex. Subdistinctio.

6. 7. Et sic patet responsio ad duo de assimilatione.

Ad illud quod quaeritur: cui *principaliter* assimilat? dicendum, quod *appropriate* ipsi *Filio,* qui *character* dicitur; vel etiam, quia baptizati dicuntur induere Christum[7], quia ipse est caput et dux exercitus; et quia, sicut patebit, character per *appropriationem* respicit fidem. Ad quaest. incid. 2.

8. De *distinctione* solvunt quidam, quod character distinguit eos qui sunt de Ecclesia[8], numero ab his qui non sunt numero quantum ad meritum. — Sed hoc nihil est, quia haereticus praecisus habet characterem, nec tamen est de Ecclesia. De 4. actu solutio 1.

Alii dicunt, quod character distinguit percipientes Sacramenta ab his qui perceperunt tantum signum comparticipationis Sacramentorum, et per consequens distinctionis quantum ad non participantes[9]. — Sed tunc videtur, quod idem esset signum sui ipsius. Solutio 2.

Et propterea dicendum, quod ratio *distinguendi* in charactere venit ex ratione *significandi;* character autem significat gratiam fidei secundum Solutio auctoris.

ptismus est vitae spiritualis principium, *sigillum* » etc., exponens, ait S. Bonav.: « Quia distinguit gregem dominicum, sic sigillum ». Damasc. loc. cit. c. 11. de *cruce* dicit: Haec nobis signi loco in fronte data est, haud secus ac circumcisio Israeli. Per hanc nos fideles ab infidelibus distinguimur atque agnoscimur etc. (ed. Migne). Cfr. Basil., Homil. 13. in s. baptism. n. 2. et 4; August., Enarrat. in Ps. 39. n. 1. et VI. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. n. 1.

[1] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. et 4. — Cod. O (X a secunda manu) addit *sed etiam ad gratiam disponendo,* edd. cum Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 1. § 2, *sed in efficiendo quodam modo.*

[2] Vide infra q. 4. — Superius verbis *configurat uni* cod. F praemittit *Deo,* et post *Domini* cod. Z addit *ad Dominum, assimilat et gregem Domini.*

[3] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4. et infra p. II. a. 2. q. 1. — De seqq. vide supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. — In fine solut. pro *instituitur* edd. *institutum est.*

[4] Dist. 4. p. I. a. 2. q. 2. ad 1. Cfr. ibid. p. II. a. 2. q. 1. ad 4.

[5] Ut dictum est quaest. praeced. circa finem corp.

[6] Cfr. I. Sent. d. 31. p. I. q. 3. et d. 35. q. 1.

[7] Gal. 3, 27: Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Cfr. supra d. 4. p. I. dub. 4. — Quod character respicit fidem, ostenditur paulo inferius et infra q. 4.

[8] Vat. cum uno alteroque cod. *Ecclesiae.*

[9] Vide supra lit. Magistri, d. IV. c. 3, et ibid. Comment. p. I. dub. 4. — Vat. *percipientes.*

aliquem statum, unde distinguit vel fidelem ab infideli, vel fidelem a fideli; et quod permiscentur, hoc non est ex vitio *signi*, sed *signatorum*.

9. Et per hoc patet sequens, quia signum est *nobis* non *per se*, sed ratione *coniunctionis cum elemento*. — Et est exemplum, si aliquis assumeret arma regis, signum esset, quod esset de exercitu regis; potest tamen nihilominus esse ex parte contraria, et arma semper significarent, quod sit ex parte alia[1]; et non est falsitas in *signo*, sed in *accipiente*. Sic in proposito intelligendum: quoniam, sicut arma fiunt ad distinguendum exercitus, et tamen ut plurimum confunduntur, quando sunt in bello; sic etiam est in nobis, quamdiu sumus in conflictu huius vitae praesentis miseriae. — Exemplum est de habitu religionis, qui est signum bonitatis; tamen communicant etiam[2] boni cum malis, et carnales cum spiritualibus, et amantes mundum cum contemnentibus[3].

(Exemplum 1.) (Exemplum 2.)

QUAESTIO III.

In quo sit character sicut in subiecto.

Tertio quaeritur, in quo sit character sicut in subiecto. Et quod in *tota anima*, videtur:

(Ad oppositum.)

1. Quia character distinguit ovem Christi a non ove, et membrum Christi a non membro[4]; sed anima non dicitur ovis nec membrum secundum potentiam, sed secundum substantiam: ergo character secundum substantiam distinguit.

2. Item, cuius est dispositio, et habitus; sed character disponit ad gratiam et remissionem originalis, quod respicit totam animam[5]: ergo character est in animae substantia.

Sed, quod sit tantum in *potentia cognitiva*, videtur:

3. Quia omne quod est in anima pertinens ad cognitionem, est in potentia cognitiva; sed character pertinet ad cognitionem, cum sit signum[6]: ergo etc.

4. Item, in una anima est unus character per unum Sacramentum; sed omnis habitus est in potentia ut in subiecto[7]: ergo cum accidens sit in uno subiecto, character est in una potentia. Sed potentia, quae maxime huic convenit, est cognitiva: ergo etc.

Sed quod sit in *tota imagine*, videtur.

(Fundamenta.)

1. Character est quaedam configuratio[8]; sed configurari dicitur anima Trinitati secundum tres potentias, non unam tantum: ergo etc.

2. Item, character disponit principaliter ad imaginis reformationem; sed reformatio imaginis attenditur quantum ad informationem ipsarum potentiarum, ut convertuntur ad Deum[9]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Character est in anima secundum totam imaginem, appropriatur tamen potentiae cognitivae.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc triplex fuit opinio.

Quidam dixerunt, quod character est in *tota* anima propter rationes praedictas, quia distinguit ovem ab ove, vel ab ea quae non est ovis; et hoc respicit animae substantiam. (Opinio 1.)

Quidam, quod in *cognitiva* propter rationem signandi, et quoniam signum, quod est ratio cognoscendi, respicit potentiam cognitivam. (Opinio 2.)

Quidam, quod in *tota imagine* propter rationem configurandi. Et quia actus characteris, a quo nomen accepit, et principalis[10] est *configurare*; ideo haec tertia melior est, quod sit in anima secundum *imaginem* secundum *proprietatem* et *veritatem*. Sed quia imago, etsi sit in tribus, tamen *appropriatur cognitivae*, secundum quod dicitur in libro de Spiritu et anima[11], quod « *imago* est in potentia cognoscendi, *similitudo* in potentia diligendi »: ideo per *appropriationem* est in potentia *cognitiva*. (Opinio 3.) (Conclusio 1.) (Conclusio 2.)

(Solutio oppositorum.)

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod distinguit animam: ergo est in anima; verum est, sed non oportet, quod sit in *tota* anima, sicut color distinguit corpus, sed tamen primo modo est in superficie[12].

---

[1] Edd. *quamvis arma significent, quod sit ex parte illa.* August., Serm. ad Caesar. Ecclesiae plebem, Emerito praesente (ed. Migne tom. IX. pag. 689 seqq.), n. 2: In errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris.

[2] Edd. addunt *in hoc*, pro quo secunda manus in cod. I substituit *in eo;* Alex. Hal., loc. cit., legit: *Exemplum etiam est de... tamen illum etiam communicant et boni cum malis.* Superius substituimus ex codd. F G I Z *in nobis* pro *nobis;* subinde post *huius vitae* cod. I addit *et.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cfr. supra pag. 139, nota 8.

[5] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 1. q. 2. — Quod character disponit ad gratiam, probatum est duabus quaest. praeced. Cfr. etiam supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4. et d. 4. p. I. dub. 4. — *Maior* colligitur ex Aristot., de Praedicam. c. *de Quali.*

[6] Cfr. quaest. praeced.

[7] Vide Aristot., I. Ethic. c. ult.; II. c. 5. et VI. c. 1. seqq. — De eo, quod accidens sit in uno subiecto, cfr. tom. II. pag. 119, nota 8.

[8] Cfr. supra q. 1. et 2.

[9] Vide I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4. et q. 2. — Pro *informationem* Vat. *reformationem*, et pro *convertuntur* cod. G *convertantur.*

[10] Vat., omisso cum paucis codd. *et,* substituit *principaliter.* Superius ante *quoniam* codd. E F (a secunda manu) omittunt *et.*

[11] Cap. 10. Cfr. ibid. c. 39. Vide II. Sent. d. 16. a. 2. q. 3.

[12] Aristot., VII. Phys. text. 27. (c. 4.); V. Metaph. text. 23. (IV. c. 18): *Secundum quod* multipliciter dicitur: uno modo,

2. Ad illud quod obiicitur: cuius est dispositio, et habitus; dicendum, quod verum est de illa dispositione, quae fit habitus; sed de alia non sic, quia habitus unius potentiae disponit ad habitum alterius, ut habitus fidei ad habitum caritatis[1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod spectat ad cognitionem; dicendum, quod verum est, si sit *habitus* cognoscendi. Et *praeterea,* non tantum[2] ad cognitionem spectat, sed etiam ad gratiam reformantem totam imaginem.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est unum in anima una; dici potest dupliciter: quod unum accidens est in pluribus, sicut una gratia in pluribus potentiis, et una sanitas in pluribus membris[3], quando accidens non respicit determinate unam potentiam, sed eas secundum quod fundantur in uno. — Vel aliter: *imago* una est, et tamen in tribus potentiis, quia dicit relationem ad unum; similiter dici potest in *charactere.* Quia enim *imago* importat distinctionem, ideo comparatur ad plura sicut ad unum subiectum. Et exemplum est in numero: ternarius enim unus est in tribus hominibus, et unus est, quamvis illi sint plures in se, qui sunt unum subiectum ternarii, et nullus eorum per se tantum est subiectum. Ita et in charactere intelligendum est, quod dicit, sicut praetactum est[4], quandam *configurationem* animae ad beatam Trinitatem, mediam inter configurationem animae quantum ad *naturam,* et configurationem eiusdem quantum ad *gratiam* gratum facientem[5].

Alia solutio

QUAESTIO IV.

Per quid character imprimatur.

Quarto quaeritur, per quid character imprimatur, et quaeritur, utrum imprimatur per *virtutes,* sicut per Sacramenta. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia character est signum conformativum sive configurativum; sed per virtutes configuratur anima Deo[6]: ergo per virtutes imprimitur character.

2. Item quaero, utrum imprimatur per *Sacramenta veteris Testamenti.* — Et videtur, quod sic: quia character est signum distinctivum, distinguens populum a non-populo; sed Dominus tempore Legis habuit populum, qui debuit distingui, sicut et modo: ergo si distinguebantur per Sacramenta[7], patet, quod in illis imprimebatur signaculum distinctivum; hoc autem est character: ergo etc.

3. Item quaero, utrum per *omnia Sacramenta novi Testamenti.* — Et videtur, quod sic: quia quod potest in maius potest in minus[8]; sed omnia dant gratiam, quae maior est quam character: ergo etc.

4. Item, character disponit ad gratiam[9]: ergo cum omnia Sacramenta dent gratiam et disponant ad illam, omnia dant characterem.

Fundamentum.

Contra: 1. Character est signum indelebile[10], ergo omne illud et solum est impressivum characteris, quod non iteratur circa subiectum; sed tantum tria sunt Sacramenta non iterabilia, ut baptismus, confirmatio et ordo: ergo tantum illa tria imprimunt characterem.

Quaestio incidens 1.

Quaeritur ergo ulterius gratia huius — cum omnis passio[11], quae inest aliquibus, insit per aliquam naturam communem — quae sit illa *natura communis* reperta in his tribus, et non in aliis. Et constat, quod non est *materia,* quia non est communis; nec *forma,* quia nec illa est communis. — Et *si dicas,* quod conveniunt in *invocatione Trinitatis,* et quia est unus *efficiens*[12]: similiter et in aliis est *invocatio Trinitatis* et *efficiens,* quia ille est unus

forma et substantia cuiuscunque rei... alio, in quo primo fieri aptum est, ut color in superficie. Cfr. ibid. VII. text. 11. (VI. c. 4.). — Edd. omittunt *modo,* et Vat. superius post *quod sit* addit *primo.*

[1] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. seq., d. 27. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — Pro *quia* cod. F *quando.*

[2] Edd. *character non tantum.*

[3] Secundum August., Epist. 187. (alias 57.) c. 4. n. 13. Cfr. tom. I. pag. 171, nota 10. De *una* gratia vide II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. seq., et III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. — Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. a. 1. § 3: Dicendum, quod nihil impedit, unum accidens esse in pluribus, quando illa radicantur sive fundantur in uno, sicut una gratia in pluribus potentiis, et una sanitas in pluribus membris. Potest ergo unum accidens esse in pluribus potentiis, quando illud accidens non respicit unam potentiam, sed eas, secundum quod fundantur sive uniuntur in uno. — Superius pro *quod unum* codd. F H *aut unum,* Vat. *primo quod unum.*

[4] Quaest. 1. et 2.

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Aristot., VII. Ethic. c. 1: Ex hominibus, sicut dicunt, ob virtutis excellentiam divini efficiuntur.

[7] Cfr. supra d. 1. p. II. a. 2. q. 2. ad 1.

[8] Nam ut dicit regula iuris 35. in VI: Plus semper in se continet quod est minus. Cfr. ibid. regula 53. — De *minori* cfr. supra q. 2. solut. ad obiect. de assimilatione.

[9] Ut ostensum est supra q. 1. et 2. — De seq. proposit. vide supra d. 1. p. I. q. 4.

[10] Probatur quaest. seq. — De tribus Sacramentis, quae iterari nequeunt, cfr. q. 6.; lit. Magistri, d. VII. c. 5, et ibid. Comment. dub. 6. nec non d. 24. p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[11] Graece πάθος, quod in recentioribus versionibus operum Aristotelis latine redditur *affectus* (affectio), significat generaliter praedicatum sive attributum sive proprietatem [quae sensu stricto accepta i. e. conveniens omni et soli speciei et semper, dicitur *propria passio*]. Cfr. Aristot., I. Poster. c. 7; VI. Topic. c. 3. (c. 6.); I. de Generat. et corrupt. text. 11. (c. 3.), et III. de Caelo et mundo, text. 7. (c. 1.). — De ipsa proposit. cfr. tom. II. pag. 26, nota 5.

[12] Supplevimus ex codd. G I *et quia est unus efficiens,* quod in aliis codd. desideratur, pro quo Vat. *ut efficientis.* Cod. Z legit planius: *in invocatione Trinitatis. Similiter et in aliis est invocatio Trinitatis: ergo si haec esset causa, omnia*

in omnibus Sacramentis. Necesse igitur est, quod illa natura sumatur ex parte *finis.* Sed hoc non videtur, quia in fine *communi* videntur omnia convenire; in finibus autem *proximis* omnia differunt. — Et *si dicas*, quod hoc est, quia ista tria Sacramenta sunt respicientia statum fidei determinatum; ergo cum fides sit eadem secundum diversos status, videtur, quod in omnibus istis Sacramentis unus imprimatur character. Sed constat, quod multi sunt characteres, alioquin non posset quis ordinari, si non esset confirmatus.

Quaestio incidens 2. Quaeritur ergo, quae sit *ratio multitudinis;* et videtur, quod *superfluant*, cum sufficienter per unum possint distingui. Quod autem sint *multi;* videtur, quia character interior similitudinem habet cum signo exteriori; sed signa sunt dissimilia et diversa: ergo et characteres.

CONCLUSIO.

Character imprimitur non in virtutibus, sed in Sacramentis novae legis, ast tantum in tribus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod character est *signum interius distinctivum.* Quia ergo *signare* non convenit ei nisi ratione signi visibilis; ideo solum in *Sacramentis*, non in virtutibus, imprimitur. (Conclusio 1.) Quia vero *interius spiritualiter distinguens;* ideo in Sacramentis, quae sunt non carnalis populi, sed spiritualis: ideo imprimitur in Sacramentis novae legis, non veteris. (Conclusio 2.) Quia distinctivum non *unius*, sed *multorum;* ideo *unitivum* multorum in uno statu fidei: ideo in his Sacramentis solum imprimitur, quae respiciunt *statum fidei* determinatum. (Conclusio 3.) — Tres autem sunt status fidei, scilicet *genitae, roboratae* et iam *multiplicatae;* et secundum hoc attenditur triplex distinctio in populo, scilicet *bonorum* a malis, *fortium* ab infirmis, *clericorum* a laicis. (Secundum tres status fidei distinctio populi.) — Et haec triplex distinctio praecessit in figura in populo Israel: prima, cum *omnes* sunt distincti ab Aegyptiis ad veniendum in terram promissionis; secunda, cum *fortes* ab infirmis ad pugnandum in bello; tertia, cum *levitae* ab alio populo ad ministrandum in templo [1]. (Corollarium de 2 figuris.) — Similiter triplex fuit distinctio in domo David: prima, *domus* eius ab infidelibus; secunda, quia erant ibi specialiter *pugnatores;* tertia, quia *levitae* et *sacerdotes* et *scribae* ab aliis etiam distincti erant, et etiam *duces* et *principes* habebant [2].

Quia ergo tria tantum sunt Sacramenta, quae respiciunt *statum fidei determinatum:* baptismus, primum quia ibi *fides gignitur,* et *homo* ab Aegyptiis separatur; confirmatio, secundum, quia ibi *fides roboratur,* et ut pugil inungitur *homo* ad proeliandum et ab infirmis discernitur; et ordo, tertium, quia ibi *virtus* multimoda datur, et *homo* ut sanctus ad ministerium templi a laicis separatur: ideo ista tria tantum imprimunt characterem. (Conclusio 4.)

Natura ergo *communis*, reperta in his et non in aliis, est, quia sunt signa visibilia interius operantia, respicientia statum fidei determinatum. (Ad quaest. incid. 1.) Et quia distinctio *populi* a non-populo praecedit alias distinctiones; ideo baptismalis character praecedit alios de necessitate. Sed distinctio *fortium* ab infirmis praecedit distinctionem aliam solum de congruo, non de necessitate. — Ex hoc igitur patet *ordo* characterum; patet et *numerus*, quia tres sunt secundum tres status et tres distinctiones et tria Sacramenta; (Ad quaest. incid. 2.) patet etiam *ratio* imprimendi. Praesupposita namque identitate ex parte *materialis* elementi, ratione cuius competit significatio, sumitur ratio principalis ex parte *finis.* Quia tamen *finis* movet *efficientem*, et *efficiens* secundum exigentiam finis introducit *formam* in materiam [3]; (Notandum.) concurrit triplex ratio: et prima est status fidei determinatio ex parte *finis;* ex parte *efficientis* institutio, qui ad talem finem ordinans dedit talem virtutem, ut in his imprimeretur character; ex parte vero *formae* est sanctae Trinitatis invocatio. Et sic patent omnia.

(Solutio oppositorum.) 1. Quod enim primo obiicitur de virtutibus, iam patet: quia non est *configuratio*, secundum quam attendatur signum distinctivum, eo quod non est signum sensibile [4] extra.

2. Ad illud quod obiicitur de Sacramentis veteris legis, similiter patet responsio: quia ibi erat tantum configuratio exterius in carne, quia erant Sacramenta populi carnalis.

3. Ad illud quod obiicitur: quod potest in maius potest in minus; dicendum, quod istud non est generaliter verum, quia frequenter virtus creaturae ordinatur ad maius, non ad minus; homo enim potest generare hominem, non festucam [5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnia Sacramenta disponunt ad gratiam; dicendum, quod actus disponendi ad gratiam non est *proprius* characteris, sed magis qui praedeterminatus est.

Quod postmodum quaeritur, satis patet et melius patet [6], si brevius resumantur praedicta. —

Sacramenta conferrent characterem. Nec potest sumi natura communis ex parte efficientis; quia ille est unus in omnibus Sacramentis.

[1] De prima vide Exod. 11, 7. seq.; de secunda cfr. Num. 1, 3. seq., 31, 3. seqq. et Deut. 20. 8; de tertia vide Exod. 18, 1. et Num. 1, 49. seq. — Pro *ab alio* permulti codd. *ab illo.*

[2] B. Albert., hic a. 6, pro prima affert Ps. 77, 70. seq., pro secunda II. Reg. 23, 8. seqq.; de tertia cfr. ibid. 15, 24, et 20, 25. seq., IV. Reg. 19, 2; 23, 4, et 25, 18. seq. — Pro *et etiam* plures codd. *ut etiam.* Inferius post *baptismus* cod. Z subiungit *respicit.*

[3] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 29. (c. 3.), et V. Metaph. text. 2. seq. (IV. c. 2.). — Plures codd. *in materia.* Inferius pro *qui* edd. *quae,* cod. S *quia.*

[4] Cod. N bene *visibile.*

[5] Vide infra d. 25. a. 1. q. 1. ad 4; I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1. ad 6; II. Sent. d. 8. p. I. a. 2. q. 1. ad 5; d. 27. a. 2. q. 1. ad 2; III. Sent. d. 14. a. 3. q. 3. ad 3.

[6] Fide codd. BFHKQ aa supplevimus *et melius patet.*

Epilogus. Ordo enim et summa praedictorum est, quia character est signum interius *distinctivum* pariter et *unitivum* in aliquo fidei statu; ideo imprimitur a signo visibili, interius operante, respiciente statum fidei determinatum. Status ergo fidei determinatus est prima ratio *imprimendi*. Quia « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem [1] », ideo, quia ille instituit ad hunc finem Sacramenta, dedit *virtutem* et *formam* verborum congruam. — Est etiam ratio *multiplicandi*. Quia enim tantum tres status fidei sunt et tres distinctiones [2], ideo tantum tres characteres. — Est etiam ratio *ordinandi*. Nam fidei generatio praecedit confirmationem, et confirmatio multiplicationem; sed primum de necessitate praecedit secundum et tertium, et secundum praecedit tertium de congruo. Talis *ordo* est in distinctionibus populi: nam primo est separatio *fidelis* populi ab Aegyptiis vel malis; secundo, *fortium* ab infirmis; tertio, *sanctorum* et perfectorum ab aliis. Et sic est *ordo* in characteribus.

(Margin: Ratio distinguendi. — Ratio multiplicandi. — Ratio ordinandi.)

SCHOLION.

I. In hac quaestione solvenda omnes satis conveniunt. Attamen Scot. (hic q. 9. n. 21.) putat, posse concedi, quod in circumcisione imprimeretur aliquis character imperfectus.

De eadem Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 1. § 4. 7. — S. Thom., IV. Sent. d. 4. q. 1. a. 4; S. III. q. 63. a. 1. 6. — B. Albert., hic a. 5. quaestiunc. 2. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 5. q. 2. a. 3. — Richard. a Med. rem tangit IV. Sent. d. 5. a. 2. q. 4. — Durand., IV. Sent. d. 4. q. 1.

II. Quoad seq. (5.) quaestionem tum Eugenii IV. Decretum pro Armenis tum Concil. Trident. (Sess. VII. de Sacram. in generali can. 9.) characterem dicunt esse indelebilem; quod secundum Scot. (loc. cit. n. 20.) intelligendum est non respectu potentiae Dei *absolutae* (« quia nulla forma potest esse in anima, quam non possit Deus de potentia absoluta delere »), sed de potentia *ordinaria*. Quod character sit indelebilis etiam in altera vita (hic ad 4.), communi theologorum suffragio probatur. — Rationem, quare character sit indelebilis, S. Thom. (S. loc. cit. a. 5.) in eo ponit, quod « anima sit subiectum characteris secundum *intellectivam* partem »; sed (ibid ad 2.) addit: « propter immobilitatem principalis moventis ». S. Bonav., vix ab illo recedit, nisi quod doceat, ut diximus, *imaginem* esse eiusdem subiectum (supra q. 3.).

Praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. § 5. — S. Thom., Comment. loc. cit. quaestiunc. 4. — B. Albert., hic a. 7. quaestiunc. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

III. De 6. quaestione cfr. infra d. 23. a. 2. q. 4, et Concil. Trident., Sess. VII. de baptismo can. 11, qui definit, verum et rite collatum baptismum non esse iterandum.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 12. — Scot., hic q. 7. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 66. a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 4 q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO V.

Utrum character imprimatur delebiliter, vel indelebiliter.

Quinto quaeritur, utrum character imprimatur delebiliter, vel indelebiliter. Et quod *indelebiliter*, videtur:

Fundamenta. 1. Quia Sacramenta, in quibus imprimitur character, nullatenus iterantur [3]; sed si deleretur, possent et deberent iterari: ergo non deletur.

2. Item, character stat cum *culpa*, sicut patet in sacerdote malo, ergo non repugnat culpae; stat etiam cum *ignorantia*, ut in parvulo baptizato [4], ergo videtur, quod non habeat contrarium, per quod deleatur; et est in subiecto perpetuo: ergo eius impressio est indelebilis.

Ad oppositum. Contra: 1. Possibile est, aliquem baptizatum habere characterem bestiae, de quo habetur Apocalypsis decimo quarto [5]; sed nullus simul potest placere Deo et diabolo: ergo nullus simul potest habere signum huius et illius: ergo unus character potest alterum delere et destruere.

2. Item, character bestiae est delebilis, quia nullus est adeo malus, quin possit fieri bonus [6]: ergo a simili character Christi, cum ille qui bonus est, possit malus fieri.

3. Item, si character est indelebilis, quaero, unde illud habeat. Si ab *efficiente;* sed gratia gratum faciens est a Deo, et tamen delebilis. Si a *subiecto:* ergo quidquid est in anima, est indelebile. *Praeterea,* quod magis sit delebilis ratione *subiecti,* videtur: quia voluntarie recipitur; sed quod subiacet voluntati est variabile [7]: ergo etc.

4. Item, quod post hanc vitam deleatur, videtur in Beatis: quia est *ex parte* [8], multo enim magis est imperfectum lumen quam fides: ergo si fides excidit, et character.

5. Item, quod in damnatis deleatur, videtur: quia character aliquo modo habilitat ad gratiam [9];

---

[1] Secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.).

[2] Cod. Z supplet *populi*.

[3] Cfr. quaest. seq., lit. Magistri, d. VII. 5, ibid. Comment. dub. 6, lit. Magistri, d. XXV. c. 1; nec non d. 24. p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[4] Vide supra q. 2. solut. ad obiect. de assimilatione.

[5] Vers. 9. et 11.

[6] Hinc August. dicit, de nemine desperandum esse, dum est in via. Cfr. tom. III. pag. 584, nota 8.

[7] Cfr. Damasc. I. de Fide orthod. c. 3. et II. c. 27. seq. — Superius post *indelebile* codd. M addit *quod falsum est*.

[8] Epist. I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est evacuabitur quod ex parte est. Cfr. III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. — De charactere, in quantum est lumen, vide supra q. 1. circa finem corp.

[9] Cfr. supra q. 2.

sed tunc erunt ipsi omnino inhabiles: ergo carebunt charactere.

CONCLUSIO.

Character est signum indelebile, quia est habitus in subiecto perpetuo impressus ad distinguendum.

Respondeo: Dicendum, quod communis opinio est, quod character est[1] proprietas indelebilis. Sed in huius indelebilitatis *causa* differenter sentiunt diversi.

Conclusio.

Quidam enim dicunt, quod quia character est in anima secundum *substantiam* vel essentiam, et ipsa est perpetua et invariabilis; ideo et character. — Sed istud supra[2] improbatum est.

De causa opinio I. non probata.

Alii dicunt, quod quia est in anima secundum potentiam *cognitivam*, quae non subiacet variabilitati, ut voluntas — quaedam enim cognoscimus, etiam voluntate nolente — ideo invariabilis. — Sed hoc non valet, quia per ignorantiam expelluntur habitus cognitivi[3], sed non character.

Opinio 2. Improbatur.

Tertii dicunt, quod sicut ex matrimonii obligatione contrahitur vinculum insolubile, quamdiu vivitur, ita ex consimili in susceptione Sacramenti; scilicet quia ibi est quoddam *matrimonium spirituale;* et quoniam tam Deus quam anima sunt perpetuam durationem habentia; ideo character semper durat. — Sed quamvis istud possit dici de baptismo, ubi est quaedam contractio matrimonii[4], non tamen in aliis Sacramentis.

Opinio 3. Improbatur.

Et propterea dicendum aliter, quod perpetuitas characteris principaliter sumitur ab eius *conditione* et natura. — Unde notandum, quod est habitus *innatus*, et hic est indelebilis omnino; et est habitus *acquisitus*, et hic, quia est ex acquisitione, perdi potest; et est habitus *infusus* vel datus; et hic est duplex. Quidam est *datus ad dirigendum*, et quia potentiae possunt obliquari, ideo est delebilis — potest enim invenire repugnantiam in subiecto — et alius *impressus ad distinguendum*, et huic directio[5] vel obliquatio potentiae non repugnat. Si enim aliquid repugnaret, hoc solum esset opposita consignatio; sed opposita non potest esse, quia solus Deus potest imaginem suam consignare: ideo, si debet opposito signo signari, a solo Deo fiet. Sed ipse nunquam imprimit signum sibi contrarium; ideo necesse est, quod character aeternaliter perseveret. Quoniam igitur character proprietas est existens in subiecto perpetuo, in quo non potest habere repugnantiam; ideo eius impressio est perpetua.

Opinio auctoris. Triplex habitus. Subdistinctio.

1. 2. Ad illud quod obiicitur de charactere bestiae, dicendum, quod character bestiae non dicitur aliquod signaculum, quod diabolus animae impresserit, sed culpa secundum eius voluntatem perpetrata, in qua est anima per obstinationem disposita ad perpetuitatem; et ideo non est omnino simile[6].

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod quaeritur, unde hoc habeat; dicendum, quod a sui *conditione*, subiecto concordante, non repugnante; et *efficiente* non producente contrarium nec subtrahente[7].

5. Ad illud quod obiicitur de damnatis, dicendum, quod in damnatis manet ad confusionem, in Beatis ad quantulumcumque decorem.

4. Quod obiicitur, quod est ex parte; dicendum, quod imperfectio characteris compatitur secum perfectionem gloriae[8]; non sic autem est de imperfectione *fidei*, quia fides, secundum quod est virtus, dicit aenigma et absentiam rei creditae, et hoc repugnat statui gloriae; et ideo evacuatur, non secundum quod lumen tantum, sed secundum quod habet annexum aenigma et absentiam rei in se, quod est essentiale fidei, secundum quod virtus; alioquin, si videret certitudinaliter, non esset meritum[9]. Non autem est simile de *charactere*, quoniam dicit quandam consignationem et lumen quoddam; et illud non habet oppositionem ad lumen perfectum nec habet oppositionem ad tenebram poenae propter lucis modicitatem: ideo nec ibi evacuatur nec hic exstinguitur[10].

Notandum.

---

[1] Cod. U addit *perpetuus et.* Mox pro *sentiunt* cod. G *senserunt.*

[2] Quaest. 3.

[3] Aristot., de Longitud. et brevit. vitae, c. 2: Ignorantiae quidem corruptio reminiscentia et disciplina, scientiae autem oblivio et deceptio.

[4] Per actum renuntiandi diabolo et credendi in Deum. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. — Superius pro *scilicet quia*, quod habent codd. G I, cod. F (E a secunda manu) *quia*, alii codd. et ed. 1 *sed quia*, Vat. *et quia.*

[5] Edd. *indirectio*, cod. A *distinctioni.*

[6] Beda, II. in Apoc. 14, 11: *Bestiam* sanctus Augustinus [inter opera eius, Expos. in Apoc. hom. 11.] impiam civitatem, *imaginem* vero eius simulationem avis [ita edd. pro *Agni*] id est fallaci imagine christianos, *characterem* autem notam criminis interpretatur, quam adorari et subiici ei et consentiri dicit. — Pro *in qua*, quod habent codd. E F, alii et edd. *in quo.*

[7] Supple cum Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 8. a. 1. § 5, *adminiculum.*

[8] Permulti codd. et ed. 1 omittunt *gloriae*, et pro *quod imperfectio characteris* substituunt vel *quod imperfectio caritatis* vel *quod sua imperfectio*, cod. G legit bene: *quod sua perfectio, sicut et perfectio caritatis, compatitur secum imperfectionem.* Subinde auctoritate codd. A bb et Alex. Hal., p. IV. q. 8. a. 1. § 5, nec non contextu exigente, substituimus *de imperfectione fidei* pro *de perfectione fidei.*

[9] Cfr. III. Sent. d. 24. a. 2. q. 1. et d. 31. a. 2. q. 1. — Pro *videret certitudinaliter* Vat. *videretur praesentialiter.*

[10] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

QUAESTIO VI.

Utrum baptismus possit et debeat iterari.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum baptismus debeat iterari. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quoniam possibile est, aliquem baptizari, qui nihil gratiae percipit per baptismum [1]: ergo si non debet esse sibi via salutis praeclusa, debet et potest iterari isti baptismus.

2. Item, duo dantur in baptismo, scilicet character et gratia [2]; sed quamvis character sit indelebilis, tamen gratia est delebilis: ergo saltem ratione gratiae potest et debet iterari.

Fundamenta. Contra: 1. Si baptismus posset iterari: ergo posset quilibet impune peccare, cum ibi fiat remissio culpae et poenae.

2. Item, si *effectus* non potest iterari, nec *causa*: ergo si character non potest iterari, nec signum visibile sive baptismus.

Quaestio incidens. Item, multa non debent fieri de iure, quae, si fiunt de facto, facta sunt: ut sacerdos praecisus non debet conficere, sed si conficit, confectum est [3]; quaeritur ergo, utrum in hoc casu aliquid fiat. Et quod sic, videtur: quia « accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum [4] ».

CONCLUSIO.

Baptismus nec debet nec potest iterari.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod baptismus nec *debet* nec *potest* iterari. Quia non *potest*, ideo qui iterat nihil facit; quia vero non *debet*, qui scienter iterat gravissime peccat.

Ratio triplex pro primo. Ratio autem, quare non *debeat* iterari, triplex est. Prima est ratione *morbi*, quem curat, scilicet peccati originalis, qui non potest *iterari* [5]. Secunda est ratione eius quod principaliter *significat*, ut passionem et resurrectionem, quam impossibile est iterari. Tertia est ratione *efficaciae* in curando, quia absolvit a poena et a culpa [6]; et tunc mali non essent puniti, si semper, cum peccarent, deberent baptizari.

Ratio duplex pro secundo. Ratio, quare non *potest*, est *characteris impressio*, qui, ex quo semel imprimitur, amplius imprimi non potest; et ille est effectus Sacramenti primus, sine quo nihil facit Sacramentum. — Alia est *divina institutio*, quia Dominus instituit, ut perfectam et unicam haberet efficaciam et semel tantum fieret; si ergo fit secundo, nihil fit in anima, et ita cassatur Sacramentum scienter. — Corollarium. Et propter hoc iterans baptismum nihil facit omnino et magis peccat quam ille qui ficte accedit, quia facit contra ordinationem divinam; facit etiam contumeliam Sacramento; facit et contumeliam Christo, quia, quantum est de se, Filium Dei crucifigit sibi et ostentui habet [7], cum unicum sit baptisma et unicam efficaciam habeat perfectam a passione unica. Et ideo sancti Patres gravem poenam imposuerunt rebaptizantibus et rebaptizatis scienter propter gravitatem culpae; quia rebaptizatio aut sapit haeresim, aut si non sapit, gravissimum contemptum Dei et Sacramenti inducit, et ideo graviter debet puniri.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur de fictione, dicendum, quod fictione recedente, character totum supplet, quod Sacramentum sine fictione faceret [8].

2. Ad illud quod obiicitur de gratia, dicendum, quod gratia non est effectus immediatus, sed mediante charactere [9]; et ideo nihil fit, quando non imprimitur character.

Ad quaest. incid. Ad ultimum dicendum, quod qui iterat baptismum nec de facto nec de iure Sacramentum tradit, quia ille non est susceptibilis; sed [10] quando exterius abluit, si scienter vel negligenter facit, graviter peccat; si vero diligentia adhibita, etsi nihil faciat interius, tamen non peccat [11].

---

[1] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. seq. — Post *aliquem* edd. subiungunt *ficte accedentem*.

[2] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 4. — De *minori* cfr. quaest. praeced.

[3] Ut ostenditur infra d. 13. a. 1. q. 1.

[4] August., in Ioan. Evang. tr. 80. n. 3.

[5] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 1. in principio corp.

[6] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Mox pro *puniti* edd. *puniendi*. Inferius post *non potest* edd. addunt *iterari*, cod. X *est duplex, una*.

[7] Respicitur Hebr. 6, 6: Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes. Cfr. Alcuin., in hunc loc., et infra dub. 1. seq. — Canon Apostol. 46: Episcopus aut presbyter, si eum qui verum baptisma habeat, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitor, ut qui crucem et mortem Domini derideat neque descernat etc. — De poenis scienter rebaptizatorum cfr. C. *Eos quos* (118.), de Consecrat. d. 4.

[8] Vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3. — Superius pro *de fictione* edd. *de ficte accedente*.

[9] Cfr. supra q. 2, et Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 12. — Vat. addit *infunditur a Deo*.

[10] Vat., post *tradit*, addito *vel recipit*, hic legit: *sed tantum exterius abluit. Et si scienter* etc., cod. F *scilicet quando*, codd. A H K *sed quoniam*.

[11] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Beda: *Ne confessio sanctae Trinitatis et invocatio videatur annullari.* Videtur enim sua ratio non valere, quia, quando aliquis plus et pluries invocat Trinitatem et confitetur, non annihilat, sed potius honorat. — Item, si haec ratio bona est, tunc nullum opus debet iterari, in quo fit invocatio Trinitatis; quod manifeste falsum est.

Respondeo: Dicendum, quod ista non est ratio Bedae, quia *invocetur* Trinitas, sed quia invocetur ad talem *effectum,* qui iterari non potest, sicut ad impressionem characteris [1]; et ideo, si secundo invocat aliquis; cum non possit habere effectum, vel iam annihilat invocationem praecedentem, vel consequentem; hoc autem non semper est in aliis generibus operum vel Sacramentorum, nisi eorum, quae characterem imprimunt. Ideo patet, quod non est simile.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Rebaptizare haereticum, qui haec sanctitatis signa perceperit* etc.; cum haereticus det ita verum baptisma, ut Catholicus, et similiter recipiat [2]; quare maius peccatum, et magis immane scelus est rebaptizare Catholicum?

Respondeo: Dicendum, quod quando haereticus baptizatur et iterum baptizatur, non est tantum peccatum, quantum est de Catholico. Et huius ratio Duplex ratio. est tum a parte *rei* Sacramenti, tum a parte ipsius *Sacramenti.* A parte *rei* Sacramenti: quia eam non recipit haereticus [3]; et ideo, si iterum baptizatur, propter hoc efficacia non geminatur. A parte *Sacramenti:* quia dubium fuit, et probabiliter moti sunt, quod haeretici carentes fide non baptizent; et ubi dubitatio est, potest in casu quis rebaptizari. Et ideo nec omnino facit iniuriam *rei* nec omnino *Sacramento* secundum *certam scientiam.* Sed nunc [4] determinatum est, quod Sacramentum recipit et characterem et rem, nisi sit obstaculum fictionis; et ideo peccatum est, quia ignorantia iuris non excusat a toto [5]; et hic est ignorantia iuris. — Cum autem rebaptizatur Catholicus, de quo constat, quod recepit *Sacramentum,* et probabiliter creditur, quod receperit *rem* Sacramenti; tunc ex *certa scientia* fit iniuria Sacramento et Christo: quia effectum unicae passionis, scilicet remissionem peccatorum omnium, vult iterare; et quantum in se est, Christum iterum crucifigere; et Sacramentum irritat: ideo gravissime peccat [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Cyprianus: *Quomodo sanctificare aquam potest, cum ipse immundus sit?* quia secundum hoc videtur, quod baptismus non fiat nisi in aqua sanctificata: ergo si aliquis baptizetur in aqua fluminis, est rebaptizandus. — Item, qualiter solvitur ad eius argumenta, ad quae Magister [7] non respondet? Si enim nulla est sanctificatio nisi per Spiritum sanctum; et hunc haereticus non habet: ergo nihil sanctificat.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est sanctificatio: quaedam, quae spectat ad *solemnitatem;* quaedam ad *necessitatem.* Illa quae est ad *solemnitatem* est facta a praelato Ecclesiae per orationem; sed haec non addit aliquid nec adimit baptismo. Alia est per verbum adveniens ad elementum, per verbum, inquam, quod est de integritate formae Sacramenti; et quoniam istud non habet efficaciam a dicente, sed potius ab instituente: ideo sanctificat et est efficax non virtute ministri, sed Christi [8]. Sicut notarius odiosus et malus scribit litteras, quas mandat regi filius eius; et quamvis notarius non placeat nec aliquid, quod sit in ipso, ipsi regi; placet tamen littera filii, et ideo [9] efficax est apud regem; sic intelligendum est in proposito.

Duplex sanctificatio. Exemplum.

Et sic patet, quod obiectio sua non valet, quia non sanctificat Sacramentum spiritus baptizantis, sed spiritus Christi. Et hoc est quod Cyprianum decepit: quia baptismi potestatem ministro traditam non bene consideravit et de *Sacramento* secundum quod de eius *efficacia* iudicavit; et si quis hoc diceret, in errorem manifestum, si vellet hoc defendere, perveniret, quod nullus nisi sanctus posset Sacramenta ecclesiastica dispensare; quod modo tenent quorundam haereticorum sectae [10].

---

[1] Cfr. supra q. 5. et 6.

[2] Vide supra d. 5. a. 1. q. 2.

[3] De quo cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. — Inferius post *moti sunt* cod. G addit *qui dixerunt.*

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[5] Cfr. supra pag. 86, nota 7. — Inferius pro *recepit* plurimi codd. *recipit.*

[6] Cfr. Alcuin., Comment. in Hebr. 6, 1. seqq., qui illa verba Apostoli eodem modo exponit. — Pro *irritat* edd. *iterat.*

[7] Hic c. 2. — Inferius pro *hunc* codd. F H *hanc.*

[8] Cfr. supra lit. Magistri, d. III. c. 1, et Comment. p. I. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. seqq. nec non d. 5. a. 1. et 2.

[9] Ita codd. F I, in aliis et edd. *omnino.*

[10] Inter quas sunt Waldenses; cfr. Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 5. seqq. — Superius pro *manifestum* cod. F *maximum.*

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur.* Videtur enim male dicere: quia haeresis est, quod baptizatus sit rebaptizandus, et grave peccatum est rebaptizare: ergo si hoc faciebat Cyprianus [1], erat haereticus; sed si haereticus patiatur, non propter hoc salvatur: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod Cyprianus hoc non dixit asserendo nec defendendo, sed opinando; et ideo non fuit haereticus, quia non erat in Ecclesia determinatum. *Praeterea,* zelus fidei [2] et detestatio haereticorum, quae multum vigebat in eo, faciebant, ipsum ex humana infirmitate excedere; et ideo venialiter credendus est peccasse, si peccavit. Similiter Petrus amore quodam speciali movebatur erga gregem; et ideo, si ex hoc malum exemplum gentibus dedit, non graviter, sed venialiter credendus est peccasse. Et hoc innuit Augustinus [3], cum dicit, quod « non sumus eis meliores »; quia propter veniale peccatum non est quis minus praeferendus alii. Venialia enim omnia resecantur falce martyrii. Notandum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VI.

Pars II.

De annexis potestati baptizandi.

Hoc etiam sciendum est, quod licet ter immergatur etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 133.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de potestate baptizandi; hic agit de annexis illi potestati [4]. Et quoniam tria sunt *annexa:* ex parte baptizati idoneitas, ex parte baptizantis intentio, ex parte temporis opportunitas [5]; ideo primo determinat, quis potest baptizari. Secundo, utrum intentio sit necessaria ad baptismum, ibi: *Solet quaeri de illo qui iocans* etc. Tertio de opportunitate temporis, ibi: *Cognoscendum est etiam, in baptizandis electis* etc.

Duabus partibus remanentibus indivisis, prima dividitur in duas. In prima determinat, quis baptizari possit. Secundo, quis baptizari debeat, ibi: *Quaeri etiam solet, si corrupte verba proferantur.* Prima pars dividitur in duas. In prima determinat veritatem. In secunda solvit dubitationem, ibi: *Si vero opponitur de Ieremia* etc.

Secunda similiter dividitur in duas. In prima determinat, si ille qui baptizatus est corrupta forma, debeat rebaptizari. Secundo, utrum ille, de quo nulla est certitudo, possit vel debeat baptizari. Primum, ibi: *Solet quaeri, si corrupte* etc. Secundum facit ibi: *Praeterea sciendum est, quod illi, de quibus* etc.

Porro cuncti ad baptismum venientes. Supra [6] egit Magister de Sacramento baptismi. Haec est pars, in qua agit de sacramentalibus, et duo principaliter sunt, scilicet catechismus et exorcismus. Ideo haec pars habet duas partes. In prima agit de catechismo, in secundo de exorcismo, ibi: *Illa autem interrogatio et responsio* etc. Prima pars habet duas partes. In prima determinat veritatem. In secunda solvit dubitationem, ibi: *Si vero quaeritur, ex quo sensu pro parvulo* etc.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi praemissum verbum Augustini affertur contra Cyprianum. — Mox pro *patiatur* Vat. *tolleretur.*

[2] Cod. N *et eius fides.* Superius pro *quia non* cod. Y *quia nondum.*

[3] Hic in lit. Magistri, c. 2. in fine, ubi etiam in verbis Augustini tangitur factum Petri, de quo vide supra d. 3. p. II. a. 3. q. 2.

[4] Edd. in hac divisione textus multa mutaverunt et perperam, cum non attenderint, ultimam partem de sacramentalibus, quae incipit: *Porro cuncti,* supra d. 3, divisio textus (pag. 64) declaratam esse secundam principalem partem totius tractatus de baptismo. Edd. igitur hic sic prosequuntur: Et dividitur haec pars in duas. In prima agit de *annexis* Sacramento baptismi. In secunda de *sacramentalibus,* ibi: *Illa autem interrogatio* etc.

[5] Edd., posito superius *quatuor* pro *tria* et *intentionis conformitas* pro *intentio,* hic addunt: *et ex parte levantis responsionis fidelitas*, et inferius post *electis* etc. subiungunt: *Quarto de levati responsione, ibi: Porro cuncti.*

[6] Edd. legunt: Item, quarta pars habet duas. In prima determinat veritatem quantum ad baptizantis interrogationem, vel baptizandi, si adultus est, vel patrini, si parvulus est, responsionem. In secunda solvit dubitationem, ibi: *Sed adhuc quaeritur, ex quo sensu* etc. Similiter secunda pars, in qua agit de sacramentalibus, exorcismo scilicet et catechismo, habet duas. In prima ponit ordinem in exorcizando et catechizando parvulum, et horum nominum et aliorum quorundam notificationem. In secunda ponit exorcismi efficaciam, ibi: *Parvuli exsufflantur* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de idoneitate ex parte baptizati.

Secundo de intentione ex parte baptizantis.

Tertio vero de sacramentalibus annexis baptismo.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum aliquis possit in utero baptizari, sicut et sanctificari.

Secundo, utrum sanctificati in utero debeant baptizari.

ARTICULUS I.

De idoneitate ex parte baptizati.

QUAESTIO I.

Utrum aliquis in utero possit baptizari.

Et quod aliquis possit baptizari in utero, ostenditur sic.

[Ad oppositum.] 1. Maior est gratia sanctificationis quam gratia baptismalis; sed parvulus in utero est susceptibilis gratiae sanctificationis, sicut patet de Ioanne Baptista et Ieremia: de Ioanne, Lucae primo[1]: *Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.* Si ergo parvulus in utero est capax gratiae sanctificationis, videtur similiter, quod et gratiae baptismalis.

2. Item, pronior est Deus ad miserandum quam ad condemnandum[2]; sed parvulus in utero non tantum est susceptibilis culpae, sed etiam poenae: ergo videtur, quod Deus debeat in utero remedium praeparare. Sed remedium contra culpam originalem est baptismus: ergo videtur, quod homo possit in utero baptizari.

[Fundamenta.] Sed contra: 1. Augustinus dicit, et habetur in littera[3]: «Non potest quis renasci, antequam sit natus»; sed baptizari est renasci: ergo non potest baptizari, antequam nascatur.

2. Item, originalis culpa contrahitur ex carne corrupta[4]: ergo quamdiu parvulus est coniunctus carni corruptae, est coniunctus causae morbi, quia semper nutritur sanguine menstruo: ergo non debet quis purificari in loco infectionis, nisi separetur: ergo non debet baptizari, antequam nascatur et a matre separetur.

3. Item, baptismus est Sacramentum exterius[5], et omne aliud Sacramentum: ergo nullus est susceptibilis baptismi, nisi exterius prodeat in lucem: non ergo baptizabilis est, quamdiu in utero latet.

CONCLUSIO.

Baptismus non potest dari existentibus in utero.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod ratio, quare quis non purificatur nec baptizatur in utero, est divina institutio, quae sic instituit. [Conclusio.] Ratio autem divinae institutionis assignatur *congruitatis*, non necessitatis, quia posset utique aliter esse, si Deus vellet. [De rationibus congruitatis.] Et secundum diversos plures et diversae congruentiae assignantur.

[Opinio 1.] Fuerunt enim qui dixerunt, quod ratio sumitur ex parte *aequitatis divini iudicii*, quae[6] nec parvulum nec adultum iustificat sine aliquantula poena; et ideo debuit circa parvulum aliquid fieri poenale ad hoc, ut iustificaretur; et illud dicunt fuisse omni tempore. — [Non probatur.] Sed ista ratio non videtur conveniens, quia non est generalis. Nam tempore legis naturae, ut dicit Gregorius[7], iustificabantur in sola fide parentum. *Praeterea,* esto quod parvulus baptizetur in aqua calida sive tepida, potius esset ei solatium quam poena, et ita haec ratio non sufficit.

[Opinio 2.] Fuerunt alii, qui dixerunt, quod ratio sumitur ex parte *Sacramenti.* Quia enim in originali peccato et est caro infecta et anima deformata; ideo

[1] Vers. 15. — Edd. post *matris suae* addunt *De Ieremia: Antequam exires de vulva, sanctificavi te* [Ier. 1, 5.].

[2] Cfr. tom. II. pag. 784, nota 6. verba Augustini. — Pro *miserandum* cod. K *miserendum.* In solut. edd. cum pluribus codd. eandem lectionem habent.

[3] Hic c. 3.

[4] Vide II. Sent. d. 31. a. 2. q. 1 seqq.

[5] Cod. aa *visibile.* Idem cod. tam in hoc arg. quam in praecedenti plura mutat et addit, quae nullius sunt valoris.

[6] Codd. H Z *qua.*

[7] Libr. IV. Moral. in praefat. c. 3. Vide supra lit. Magistri, d. 1. c. 8, et Comment. ibid. p. II. a. 1. q. 2.

Sacramentum baptismi duo habet, scilicet aquam et Spiritum, ut dicit Damascenus[1], et quodam modo est ibi purificatio et generatio carnis et spiritus: et ideo non tantum praesupponit nativitatem *in* utero, quae est in infusione animae, verum etiam nativitatem *ex* utero, quae est in egressu. — Et ista quidem ratio bona est, sed particularis, quia non valet ad remedium legis naturae, quod non respiciebat parvuli carnem[2].

Non sufficit.

Fuerunt et alii, qui sumserunt rationem ex parte *culpae*. Quia enim culpa originalis contracta est ex carne infecta et ex carne parentum secundum actum generationis; totum tempus generationis et cibationis ex illa carne infecta, ut puta ex sanguine menstruo, est tempus deputatum peccato, non remedio: et ideo ante necesse est, a carne matris parvulum separari, et totam generationis actionem consummari, quam superveniat benedictio, quoniam illud totum est tempus maledictionis. — Et ista quidem ratio bona est, nisi etiam repugnaret sanctificationi, quoniam ibi datur gratia mundans a culpa originali.

Opinio 3. Non sufficit.

Fuerunt et quarti, qui dixerunt, quod ratio est ex parte *gratiae*. Quia enim gratiae est dare *esse* ordinatum et gratiae est regenerare; et *esse* ordinatum praesupponit *esse* distinctum[3], et renasci praesupponit nasci: ideo necesse est, quod ante baptismum parvulus nascatur, ut sit *perfecte natus* secundum carnem, sit etiam *distinctus*, quoniam, quamdiu est in ventre, coniungitur matrici per umbilicum, unde recipit alimentum. — Et haec quidem ratio bona est, maxime quia consonat et ortum habet a verbis Sanctorum[4]; tamen adhuc per istam rationem posset ostendi, quod parvulus non deberet sanctificari in utero, sicut nec baptizari.

Opinio 4. Non sufficit.

Et propterea est dicendum, quod ratio sumenda est ex parte *sacramentalis remedii*. Quia enim sacramentale remedium respicit operationem Ecclesiae; et operatio Ecclesiae non se extendit ad parvulum nisi extra uterum: ideo nullo tempore nec fide parentum nec aliquo Sacramento iustificatus est parvulus, antequam natus, quantum est de lege communi; quia Deus decrevit salvare puerum per Sacramentum, vel aliquid, quod sit loco Sacramenti.

Ratio auctoris.

Ad hoc autem intelligendum est notandum, quod triplex status distinguitur in homine post animae infusionem: primus est in utero; secundus extra uterum in statu infantiae; tertius in statu naturae adultae. In primo statu manifestus est *Deo;* in secundo manifestus est *nobis;* in tertio manifestus est *sibi.* — In *primo* igitur statu, cum soli *Deo* sit notus, potest per eius voluntatem[5] sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro Ecclesiae. In *secundo* statu, quia notus est *Deo* et *Ecclesiae,* remedium potest habere a Deo, cooperante adiutorio alieno, non suo. In *tertio* statu, cum sit omnibus modis notus, scilicet *Deo* et *sibi* et *Ecclesiae*, potest omnibus his modis adiuvari, ut non tantum Deus sua virtute faciat, sed adiuvet fides aliena quantum ad Sacramentum et fides et devotio propria. — *Prima* igitur sanctificatio est per divinam voluntatem et pertinet ad singulare privilegium. *Secunda* vero est per legem datam, sicut patet in circumcisione, patet etiam in baptismate, cum dictum est Ioannis tertio[6]: *Nisi quis renatus fuerit* etc. *Tertia* est per legem inditam, quam Deus indidit, ut ad Deum recurrat homo petere veniam pro offensa. — Et *prima* quidem est paucorum, ut puta illorum quos deputat ad aliquod magnum officium, et est praeter legem communem. Ita enim decrevit divina iustitia, ut, quantum est de lege communi, non relevetur qui cecidit, nisi aliqua dispositio occurrat; et *parvulus* quidem, sicut per alium cecidit, ita potest per alium relevari *disponendo,* ut puta per fidem alienam; *adultus* autem per propriam, sicut per propriam voluntatem peccavit. — Quia vero in utero non potest per fidem alienam vel per[7] Sacramentum adiuvari, quoniam non est de foro Ecclesiae nec nobis notus; et hoc decrevit Deus de lege communi: ideo nullus in ventre purificatus est nisi de privilegio speciali. Quoniam igitur baptismus respicit legem communem et legem datam; ideo non debet quis[8] in utero baptizari. Et haec ratio communis est omnibus Sacramentis secundum omne tempus.

Triplex status hominis. Notandum. Corollarium 1. Corollarium 2. Confirmatur ratio auctoris. Notandum.

1. Et patet responsio ad illud quod obiicitur de sanctificatione. Concedo enim, quod Deus posset dare gratiam, si vellet, parvulo; sed per Sacramentum baptismi vel aliud[9] ecclesiasticum non debet fieri, non quia maius sit, sed quia alius est modus, qui non competit illi statui.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus pronior est ad miserandum; dicendum, quod verum est;

---

[1] Libr. IV. de Fide orthod. c. 9: Quoniam enim duplex homo, ex anima et corpore, duplicem dedit nobis purgationem, per *aquam* et *Spiritum: Spiritu* quidem quod secundum imaginem et similitudinem est renovante, *aqua* autem per Spiritus gratiam corpus a peccato purgante et a corruptione liberante etc.

[2] Nam, ut paulo superius dictum est, *sola fide* parentum parvuli iustificabantur.

[3] Cfr. tom. III. pag. 638, nota 7.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Post *consonat* in cod. bb secunda manus addit *rationi.*

[5] Cod. Z *potestatem.*

[6] Vers. 5. — De circumcisione cfr. Gen. 17, 10. seqq. — Pro *dictum est* edd. *dictum sit.* Eaedem edd. aliquanto superius post *sed* addunt *etiam.* Inferius post *legem communem* in cod. F subiungitur *Secunda est multorum.*

[7] Cod. X *nec per,* codd. HK, omisso *vel per,* pro *Sacramentum* substituunt *Sacramento,* cod. T *Sacramenti.*

[8] Plurimi codd. omittunt *quis.* Deinde post *baptizari* Vat. addit *nec potest.*

[9] Cod. aa *vel aliquod Sacramentum.*

sed tamen cum misericordia currit iustitia: et ideo, quia iustitia dictabat, ut aliqua *satisfactio*, vel aliquod *praeparatorium* fieret sibi pro parvulo, ideo ante non remittebat culpam; tamen non *continet misericordiam suam in ira*[1]; quia hoc ipsum, quod conservat in utero et praeparat remedium extra, misericordiae est; et si retribuisset Adae secundum peccatum suum, totam posteritatem eius delesset. Notandum.

SCHOLION.

I. Haec quaestio est de infantibus nullo modo natis. De natis secundum aliquam partem corporis consule casuistas. — Conclusio in genere constat. Etiam S. Thomas reiicit rationes a S. Bonav. reprobatas. — De sanctificatis in utero cfr. hic dub. 1.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., p. IV. q. 8. m. 7. a. 1. § 2. 3. 4. — Scot., IV. Sent. d. 4. q. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 68. a. 11. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 2. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De sequenti (2.) quaestione cfr. lit. Magistri, d. IV. c. 6. Item: Alex. Hal., loc. cit. § 6. — Scot., loc. cit. q. 6. — S. Thom., IV. Sent. d. 4. q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3. — Dionys. Carth., IV. Sent. d. 4. q. 7.

QUAESTIO II.

Utrum sanctificatus in utero debeat baptizari.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum sanctificatus in utero debeat baptizari, cum natus est. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia talis per sanctificationem non habet characterem[2]; sed debet signo Christi consignari, quod fit in baptismo: ergo debet baptizari.

2. Item, baptizati baptismo flaminis baptizantur aqua et tenentur baptizari, ut patet de Cornelio, Actuum decimo[3]; sed *sanctificari* non est aliud quam gratiam Spiritus sancti recipere: ergo sanctificati tenentur baptizari.

3. Item, nullus quantumcumque magnus absolvitur a divino mandato; sed Dominus mandatum dedit de suscipiendo baptismum[4]: ergo ita tenetur ad hoc sanctificatus, ut alius.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Vigor singularis privilegii semper transcendit beneficium commune[5]: ergo in sanctificatione datur gratia curans, sicut in baptismo, et maior et efficacior; sed *ordo* non est a maiori perfectione ad minorem, sed e converso: ergo sanctificatus non tenetur baptizari.

2. Item, si sanctificatus baptizatur, videtur, quod sit *vanitas*, quia quod potest sufficienter fieri per unum frustra fit per duo in natura[6]: ergo si «natura non facit frustra», multo minus nec gratia; sed gratia sanctificans sufficit ad curationem, alioquin Deus agit imperfecte: ergo etc.

3. Item, videtur, quod sit ibi *contemptus*: quia qui baptizatus est, si iterum baptizetur, facit contumeliam Sacramento, quia primum remedium reputat insufficiens[7]: ergo pari ratione qui baptizatur post sanctificationem iniuriatur sanctificationi.

CONCLUSIO.

Sanctificatus in utero debet baptizari.

Respondeo: Dicendum, quod sanctificatus baptizari debet baptismo aquae, sicut baptizatus baptismo flaminis[8]. — Et est ratio triplex: prima propter *bonum obedientiae*, quia Deus praecipit, ut omnes qui nascuntur, renascantur aqua; secunda propter *humilitatem*, quia debet se reputare peccatorem et indigere Christi redemptione; tertia propter *unitatem*, ut ab aliis membris Christi non discordet. Non ergo baptizatur propter hoc, quod sanctificatio non sufficiat, sed propter rationes praedictas. Propter quarum exempla danda Christus fuit circumcisus: ut scilicet obediret Legi, subiecit se signo peccatoris, quo non ipse se peccatorem, sed alios se peccatores profiteri doceret; postremo, ut Patribus non esset dissimilis[9]. Conclusio. Ratio triplex. De circumcisione Christi.

Patet igitur responsio, quod sanctificatus non recipit baptismum in *remedium* — quod si faceret, Corollarium.

---

[1] Psalm. 76, 10: Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? — Inferius pro *peccatum* cod. aa *meritum*.

[2] Cfr. supra d. 4. p. II. a. 1. q. 2. in corp. — De *minori* vide supra p. I. q. 4.

[3] Vers. 22. et 48.

[4] Ioan. 3, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.

[5] Isidor., V. Etymolog. c. 18: Privilegia autem sunt leges *privatorum*, quasi *privatae leges*. Nam privilegium inde dictum, quod in privato feratur. — De recto ordine cfr. tom. II. pag. 330, nota 5. in fine.

[6] Secundum Aristot., de quo vide tom. III. pag. 277, nota 1. — Seq. testimonium est Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.), et III. de Anima, text. 45. (c. 9.).

[7] Ut ostensum est supra p. I. q. 6. et dub. 2.

[8] Cfr. supra d. 4. p. II. a. 1. q. 1. — Inferius post *ut omnes* ex codd. F H supplevimus *qui nascuntur*.

[9] Vide supra d. 3. p. II. a. 2. q. 1. ad 4. — Inferius pro *faceret* cod. F *fieret*.

esset *inordinatio, vanitas* et *contemptus* — sed in *signaculum,* quod habet *tria bona* coniuncta, scilicet *obedientiam, humilitatem* et *unitatem*, quantum ad unitatem characteris.

Solutio oppositorum. Notandum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sanctificatio transcendit; dicendum, quod quamvis hoc verum sit quantum ad *gratiam,* quae delet culpam et habilitat ad bonum; tamen non transcendit quantum ad *characterem,* quia illum non imprimit; et ideo ratione illius adhuc baptismus debet recipi.

2. Ad illud quod obiicitur, quod superfluit; patet responsio: quia non recipit [1] ad idem, ad quod praecessit sanctificatio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod rebaptizatus [2] iniuriatur baptismo; dicendum, quod hoc verum est, quia iterat idem remedium et ad idem; non sic est in proposito. Et sic patet totum [3].

ARTICULUS II.

De intentione baptizantis.

Quantum ad secundum articulum quaeritur [4] de intentione baptizantis, et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum intentio sit de necessitate baptismi.

Secundo quaeritur, utrum recta intentio sit de integritate [5] baptismi.

QUAESTIO I.

Utrum intentio in conferente sit de necessitate baptismi.

Et quantum ad primum, quod intentio sit de necessitate baptismi, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo per auctoritatem Magistri in littera [6]: «In hoc et in aliis Sacramentis, sicut forma servanda est, ita intentio conferendi illud est habenda»; sed forma est de necessitate: ergo et intentio.

2. Item, forma verborum est de necessitate, non secundum quod cogitantur, sed secundum quod dicuntur [7]; sed *dicere* est cum intentione proferre: ergo intentio est necessaria ad baptismum. *Si tu dicas,* quod ex hoc non sequitur, quod oporteat habere intentionem talem et talem, sed sufficit, quod intendat aliquid, ut puta ludere; *ostenditur,* quod necesse est habere intentionem dandi Sacramentum: quia opera, quae sunt secundum artem vel rationem, ut ratio est, recipiunt denominationem ab eius intentione — quoniam si intendit ludere, ludus est [8] — ergo si non intendit administrare Sacramentum, non est Sacramentum.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus dicit, et habitum est supra distinctione tertia [9]: «Accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum»: ergo si ista duo adsint, Sacramentum est integrum, maxime cum in datione formae intentio non tangatur.

2. Item, ad baptismum concurrit fides, cum sit Sacramentum fidei; sed fides Ecclesiae sufficit, cum baptizans est infidelis [10]: ergo videtur similiter, quod intentio Ecclesiae suppleat intentionem baptizantis.

3. Item, baptismus ita respicit recipientem sicut dantem; sed non est necessaria intentio in recipiente, ut patet in parvulo et furioso [11]: ergo nec in dante; et sic etc.

4. Item, videmus opera spiritualia, quae Dominus facit per ministros aliud intendentes, ut puta probat iustos per daemones [12], qui probationem non intendunt; similiter in operibus corporalibus, qui percutit vulnere lethali, etsi non intendat occidere, homicidium facit: ergo videtur similiter in proposito, quia, licet quis non intendat baptizare, tamen si facit quod requiritur ad baptismum, baptizat.

5. Item, si intentio est necessaria, ergo quilibet est incertus, utrum sit baptizatus: ergo si non debet se committere discrimini: semper tenetur rebaptizari, cum nunquam possit certificari de intentione baptizantis.

---

[1] Cod. M *respicit.*

[2] Cod. E *rebaptizans.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Plurimi codd. addunt *secundo.*

[5] Ita fere omnes omnes codd.; edd. *necessitate.*

[6] Hic c. 5. — De *minori* cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 3.

[7] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. seqq. nec non d. 5. a. 1. q. 1. in corp., ubi etiam *minor* insinuatur.

[8] Permulti codd. omittunt in hac propositione *vel rationem,* pro quo cod. L, omisso *secundum artem,* substituit *a ratione.* Cod. H omittit *ut ratio est,* pro quo codd. M X ponunt *in ultimo.* Post *intentione* edd. subiungunt *qui operatur.*

[9] Lit. Magistri, c. 1.

[10] De duplici hac proposit. cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3, d. 4. p. I. dub. 2. et d. 5. a. 1. q. 2.

[11] Vide supra d. 4. p. II. a. 2. q. 1. seq.

[12] Edd. *Item, videmus, quod opera... aliud intendentes, approbat, ut puta tentari iustos per daemones.* Edd. omittunt paulo inferius *qui* ante *percutit.*

CONCLUSIO.

Intentio requiritur ad conferendum omne Sacramentum.

RESPONDEO: Dicendum, quod in omni Sacramento necessaria est intentio. — Ratio autem huius est, quia Sacramentum non habet *esse* suum a natura, sed ab *institutione;* unde si ante institutionem immersisset quis in aquam sub forma verborum, non esset Sacramentum.

Conclusio.

Dicunt ergo quidam, sicut magister Hugo de sancto Victore, quod Sacramenta instituta sunt, ut fiant *rationabiliter* et ex intentione; et ideo, si non sit intentio, non est Sacramentum. Ait enim sic [1]: «Sacramenta Dei non sic instituta sunt, ut operandi nullam rationem admittant, sed tumultuosa quadam et violenta atque irrationabili pertinacia sine omni intentione aut voluntate operantium ad effectum procedant». «Vide igitur et considera, quod rationabile oportet esse opus ministrorum Dei, nec propter solam formam praeiudicare, ubi agendi intentio nulla est».

Ratio 1.

Potest tamen et alia ratio assignari: quia ad Sacramentum necessaria est *intentio* et *institutio.* Ad hoc enim, quod sit Sacramentum, necesse est, quod forma et elementum ad unum ordinentur; hoc autem non est *ex se*, cum forma et elementum indifferentia sint ad multa; ideo supervenit *institutio Christi*, quae formam et elementum ordinavit ad aliquem effectum et significatum. Sed tamen *institutio*, etsi verba *ordinavit* ad unum, non tamen *arctavit*, quia ad alios usus possunt sumi et sumuntur [2]; et ideo ad hoc, quod *ordinentur,* necessarium est, intervenire intentionem ministri, qua intendit illo actu et verbo talem effectum dare, vel saltem quod facit Ecclesia facere, vel saltem quod Christus instituit dispensare; alioquin verbum et elementum ut disiuncta, vel ad aliud iuncta, non faciunt Sacramentum.

Ratio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo: Accedit verbum ad elementum etc.; dicendum, quod non accedit unum ad alterum, nisi adsit intentio iungens.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de fide, quod sufficit fides Ecclesiae; dicendum, quod *fides* est sicut agens *universale;* sed *intentio* est agens *particulare*, applicans fidem ad hoc vel ad illud [3]: et ideo *fides* salvatur in generalitate Ecclesiae, sed *intentio* est necessaria, qua copulatur actus ille fidei Ecclesiae, tanquam actus particularis et actualis in ministrante. *Virtus* igitur Sacramenti est a fide Ecclesiae, sed *dispensatio* est ab actione ministri; et quoniam ministratio respicit intentionem dantis, ideo non sic requiritur *fides* in dispensante, ut *intentio.*

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de suscipiente, dicendum, quod si suscipiens sit adultus et nullo modo intendat, sibi fieri quod facit Ecclesia, sed tantum iocum; non credo, quod reciperet [4] Sacramentum, si nihil intendat nisi ludere et lavari.

Ex hoc patet illud quod consuevit quaeri, utrum *aliqua fictio* impediat susceptionem Sacramenti. Si enim fictio illa non removeat intentionem hanc, videlicet suscipiendi quod Ecclesia dat vel intendit dare; quantacumque sit fictio, non impedit susceptionem Sacramenti. Si vero ita sit fictus, quod non habeat intentionem recipiendi vel fiendi circa se quod Ecclesia facit vel intendit facere, sed solum intendit ludere vel alios illudere; non video, quomodo iste suscipiat Sacramentum, vel rem [5].

Quaest. incid. 1. solvitur.

4. Ad illud quod obiicitur de operibus, dicendum, quod opera illa *de se* sunt ordinata ad illum finem, ut gravis percussio ad occisionem et poena ad bonorum probationem; sed ablutio et Trinitatis invocatio sunt ordinata ad multa: et ideo non faciunt Sacramentum sine intentione. Et sic patet illud.

5. Ad illud quod obiicitur, quod semper oportet rebaptizari, cum non constet de intentione baptizantis; dicendum, quod non oportet, quia fecit quod in se est [6] et debitam adhibuit diligentiam; et ideo amplius non tenetur, maxime si defectus intentionis non potuit cognosci ex aliquo signo.

Utrum autem sit *baptizatus*, vel *non;* hic est duplex opinio. Una est, quod Deus reputat illum baptizatum, non tantum Ecclesia. Et rationem huius sumunt ex illo verbo Isidori [7]: «Quacumque arte verborum quis iuret, Deus sic accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit». — Sed illud intelligitur quantum ad *culpam*, non quantum ad *rationem voti* vel *Sacramenti*, et hoc est manifestum in matrimonio et voto [8].

Quaest. incid. 2. Opinio 1.

Non probatur.

[1] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 13: Eiusmodi est, quod quidam imperiti existimant verba illa... qualicumque intentione super panem et vinum prolata, effectum consecrationis et sanctificationis habere, quasi Sacramenta Dei sic instituta sint, ut nullam operandi rationem admittant etc. — In secundo testimonio, quod habetur ibid., multi codd. *nec per* pro *nec propter*, et pro *praeiudicare* edd. *possunt dare,* contradicente textu originali, qui cum nostra lectione concordat solumque substituit *ministeriorum* pro *ministrorum.*

[2] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 1. ad 2. — Superius post *effectum* edd. addunt *determinatum.* In fine corp. pro *Sacramentum*, quod plures codd. omittunt, edd. *talem effectum*, cod. M legit: *non sufficiunt vel non faciunt.*

[3] De agente sive causa universali et particulari cfr. I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp.

[4] Ita codd., ed. 1 *recipiet,* Vat. *recipiat.* Pro *iocum* codd. F H *lotionem.*

[5] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. Vide etiam ibid. q. 1. in fine corp.

[6] Codd. E F H *fuit.*

[7] Libr. II. Sent. c. 31. n. 8, et C. *quacumque arte* (9.) c. 22, q. 5. Textus originalis plura verba interserit; cfr. tom. III. pag. 874, nota 4. — Pro *Isidori* codd. G I *quod dicit Glossa super Isaia.* Superius pro *non tantum* Vat. et aliqui codd. *non tamen.*

[8] Vide infra d. 27. dub. 2.

Et ideo dicunt alii, quod non est Sacramentum, Opinio 2. quamvis ibi sint verba: quia, ut dicit Gregorius in Moralibus [1], « non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni », et hoc maxime habet locum in Sacramento. Et ideo non baptizatur, quantum est per id quod per hominem gestum est.

Quaest. incid. 3. solvitur. Si quaeras, an aliter [2] *salvetur;* dicendum, quod si *adultus* baptizatur, ut debet, fides interior supplet; si *parvulus,* pium est credere, quod summus sacerdos suppleat; si tamen non faciat, iuste facit; et nos esse voluit incertos de salute ad deponendam superbiam et excitandam diligentiam, ut attentius et a personis dignioribus et securioribus [3] requiramus; credo tamen, vel quod Deus revelet, vel integre suppleat, nisi peccata nostra praepediant. — Hoc igitur habendum est pro regula ad omnia sequentia, quod ad omnium Sacramentorum dispensationem necessarium est habere intentionem vel *actu* vel *habitu*, vel *implicite* vel *explicite.* Regula.

SCHOLION.

I. Ab omnibus de re morali tractantibus nunc recepta est multiplex intentionis distinctio, scilicet in *actualem* (quae iterum dividitur in *expressam* et *implicitam*), *habitualem* et *virtualem;* item in *absolutam* et *conditionatam;* iterum in *directam* et *indirectam* sive interpretativam. Iam notavimus (II. Sent. d. 41. a. 1. q. 3. in scholio n. 2.), S. Bonaventuram cum S. Thoma aliisque illius aetatis auctoribus non raro vocare *habitualem* eam, quae post Scotum ab ipsa distinguitur nomine *virtualis.* — Communiter quoad modum intentionis ex parte baptizantis docetur, non requiri intentionem *actualem*, non sufficere *habitualem* nec *interpretativam*, sed sufficere *virtualem.*

II. Ex parte *obiecti voliti* intentio potest versari circa Sacramentum tantum *materialiter* (id est circa actiones physicas, quibus fit positio materiae et formae), vel *formaliter,* (quatenus actiones illae sunt sacrae, vel sacramentales), vel circa *effectus* per easdem conferendos. Extra controversiam est, quod intentio *effectuum* non requiratur, dummodo non positive et absolute excludantur. Item de fide est, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, requiri « intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia » (Concil. Trident. Sess. VII. de Sacram. in genere can. 11.). Insuper notanda est propositio 28, ab Alex. VIII. an. 1690 prohibita: « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: non intendo quod facit Ecclesia ». — Nihilominus post Concil. Trident., duce Catharino, nonnulli theologi voluerunt tenere, sufficere ad valorem Sacramenti, si illud tantum intendatur *materialiter.* Sed communissima sententia theologorum docet, requiri intentionem *formalem,* saltem implicitam et aequivalentem. Ita cum Hugone a S. Victore, Magistro, Praepositivo docent Alex. Hal., S. Bonav., B. Albertus, Scot., Petr. a Tar., Richard. a Med. ceterique Scholastici, non excepto S. Thoma, licet contrariae opinionis defensores conati sint ipsum in suam partem trahere, afferentes duos locos obscuros, scilicet hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. ad 2; et S. III. q. 64. a. 8. ad 2. Sed genuinum eorum sensum bene interpretatus est Caietanus ad Summae locum cit. — Rationes ab auctore hic insinuatae optime in Breviloq. (p. VI. c. 5.) proponuntur, quod scilicet « rectitudo iuris exigit, ut opera hominis, secundum quod *homo* non fiant praecipitanter, et opera hominis ut *ministri Christi* aliquo modo referantur ad Christum, et opera hominis ut *ministri salutis* aliquo modo referantur ad salutem, vel in generali vel in speciali; et dispensatio Sacramentorum est opus hominis ut *rationalis*, ut *ministri Christi* et ut *ministri salutis:* hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere quod Christus instituit ad humanam salutem, vel saltem facere quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio praedicta » etc. — Efficacia huius rationis et causa, quare Ecclesia in administratione Sacramentorum urgeat necessitatem intentionis respectu *operis voliti*, facile intelligitur, si quis attendat, Sacramentis hoc esse proprium et singulare, quod praeter actionem et locutionem externam (quae iam requirunt intentionem *operis materialis)* ex institutione Christi habent non tantum determinatam *significationem*, sed etiam *causalitatem* supernaturalem, ad quam aliquatenus intentio se extendere debet; et cum non nisi in nomine Christi Sacramentum efficaciam habere possit, dispensator eius intentione saltem implicita ut *minister Christi* « signum Dei exercere » debet (Scot., hic q. 5. n. 4.).

De hac (1.) quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 1. § 1. 3. 4. — Scot., quaest. cit. — S. Thom., praeter artt. citt. Opusc. (4.) de Sacram. Eccles.; IV. Sent. d. 30. q. 1. a. 3. ad 3. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 2, et Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Sequentis (2.) quaestionis solutio nititur in distinctione duplicis intentionis, scilicet vel *operis*, vel *operantis*, ut vulgo dicitur, quae aliis verbis explicantur in corp. Quaestio proprie ponitur de intentione *operantis.*

De eadem: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — Scot., hic q. 5. n. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. III. q. 64. a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. ad 1.

QUAESTIO II.

Utrum recta intentio sit necessaria ad baptismum.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum recta intentio sit necessaria ad baptismum. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia ad baptismum requiritur intentio [4]: ergo ad recte baptizare requiritur recta intentio.

2. Item, minus malum est nihil intendere in

[1] Libr. XXVI. c. 10. n. 15; quo ex loco Gratianus hanc sententiam formavit. Cfr. tom. III. pag. 874, nota 8.

[2] Pro *an aliter* cod. E *qualiter.* Mox post *adultus* cod. B prosequitur: *baptizatur, sic; quia fides* etc.

[3] Ita codd. K O T U W; codd. A H L omittunt *et securioribus*, pro quo alii codd. cum edd. *et superioribus.* Subinde substituimus ex cod. H *credo tamen* pro *credo bene.*

[4] Ut ostensum est quaest. praeced.

opere, quam malum finem intendere: ergo si defectus intentionis non potest stare cum baptismo, multo minus obliqua intentio.

3. Item, opera, ad quae necessaria est intentio, ab ipsa denominantur[1]: ergo cum ad baptismum necessaria sit intentio, si ergo intentio recta, et baptismus; et si obliqua, et baptismus; sed non est baptismus nisi rectus: ergo etc.

Contra: 1. Supra[2] probatum est, quod haereticus baptizat; sed haereticus semper habet obliquam intentionem, quia vult trahere ad suam haeresim: ergo non est ad baptismum necessaria recta intentio. *Fundamenta*

2. Item, mala voluntas in baptizante non nocet: ergo nec obliqua intentio.

3. Item, baptismus est opus Dei, non humanum: ergo non potest esse obliquum; sed intentionis rectitudo exigitur propter rectitudinem operis: ad baptismum ergo non est necessaria recta intentio.

CONCLUSIO.

De necessitate Sacramenti est tantum intentio operis, non recta intentio operantis, nisi de congruitate.

Respondeo: Dicendum, quod *intentio* idem est quod voluntas ratiocinata, prout dirigitur in *finem*[3]. Sed *finis* duplex est: est enim finis, qui est rei *terminus* vel complementum, et est finis, qui est rei *utilitas*. Sic in Sacramento duplex est finis; unus scilicet, qui est *complementum*, scilicet quod ibi sit unio verbi et elementi; et finis *utilitas*, scilicet baptizati, vel baptizantis. — Secundum hunc duplicem *finem* duplex est *intentio:* sicut aliquis, qui fundat domum, intendit eam *consummare* et intendit *inhabitare;* sic in Sacramento intendit quis *prima* intentione Sacramentum Ecclesiae ministrare, *consequenter* vel intendit suam utilitatem, vel parvuli salutem, vel quidquid illud sit. — *Prima* intentio est de *necessitate* Sacramenti; secunda tantum de *congruitate*. Prima intentio non habet rectum et obliquum, sed secunda est quae habet rectum et obliquum. — Unde patet responsio, quod ad Sacramentum baptismi nihil facit intentio recta, nec aliquid obstat intentio non recta quantum ad *substantiam Sacramenti*, nocet tamen, vel prodest *habenti.* *Quid intentio. Finis duplex. Conclusio.*

1. Argumenta igitur, quae probant, quod ad baptismum requiritur intentio recta, supponunt, ad baptismum requiri intentionem, quae est intentio *utilitatis;* et ideo omnia super falsum fundantur, ut patet de primo. *Solutio oppositorum.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod melius est nihil intendere quam male; dicendum, quod defectus intentionis non impedit Sacramentum propter culpam, sed propter illius actus necessariam exigentiam[4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod opera denominantur ab intentione; dicendum, quod hoc verum est de operibus, ad quorum informationem[5] necessaria est intentio finis, ut est utilitas. — Notandum tamen, quod quamvis non sit necessarium intendere efficaciam baptismi *in se* et *principaliter,* tamen intenditur in quolibet baptizato vel *in generali* vel *in speciali,* vel *in se* vel *in annexo,* vel *propter se* vel *propter aliud.* Ad hoc enim, quod quis baptizetur, oportet, si est adultus, quod intendat, quod fiat in se vel circa se quod facit Ecclesia; similiter intendat baptizans facere. Actui autem exteriori, ut est Ecclesiae, iunctus est character interior; sic enim, et non aliter, est actus sacramentalis[6]. *Notandum. Explicatur conclusio.*

ARTICULUS III.

De sacramentalibus annexis baptismo.

Consequenter est tertio loco quaestio de sacramentalibus, et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur de catechismo.
Secundo de exorcismo.

QUAESTIO I.

Utrum parvuli baptizandi debeant catechizari.

Et cum *catechismus* dicatur instructio[7], quaeritur ergo, utrum parvuli debeant catechizari. Et quod sic, videtur:

1. Quia, ubi unum tantum Sacramentum est, et unus ritus debet observari; sed magni catechizantur: ergo et parvuli. *Fundamenta.*

---

[1] Ambros., I. de Officiis, c. 30. n. 147: Affectus tuus nomen imponit operi tuo; quomodo a te proficiscitur, sic aestimatur.

[2] Dist. 5. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 2, nec non ibid. lit. Magistri, c. 1, ubi etiam duo seqq. argg. tanguntur.

[3] Vide II. Sent. d. 38. a. 2. q. 2, d. 40. a. 1. q. 1. — De duplici fine cfr. Aristot., II. de Anima, text. 35. et 37. (c. 4.), et V. Metaph. text. 22. (IV. c. 17.).

[4] Ut ostensum est quaest. praeced.

[5] Cod. II *consummationem,* in cod. bb secunda manus addit *vel consummationem.* [6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

2. Item, forma a Deo tradita est observanda generaliter; sed Christus, in ultimo[1] Matthaei, baptismo praemittit doctrinam, cum dicit: *Ite, docete omnes gentes* etc.

3. Item, ad hoc facit mos et consuetudo universalis Ecclesiae, quae cum faciat recte catechizando pueros; videtur etc.

Ad oppositum.

SED CONTRA: 1. Stultum est instruere eum qui non est capax doctrinae: ergo baptizans stulte agit, cum catechizat parvulum[2].

2. Item, videtur, quod assistentes falso respondeant: aut enim respondent in persona *parvuli,* aut in persona *sua.* In persona *sua,* non, quia sacerdos quaerit a parvulo. Si in persona *parvuli:* ergo falsum dicunt, cum dicunt *credo.*

Quaest. incid. 1.

Item quaero, utrum in illa responsione obligentur patrini. Et quod sic, videtur: quia Augustinus in quodam sermone[3]: «Volo, quod omnes cognoscatis, tam viri quam mulieres, vos parvulis, quos suscepistis, fideiussores apud Deum exstitisse». Sed tunc videtur, cum nemo sciat de alio, qualis sit futurus, quod stulte promittat et in discrimine se ponat.

Quaest. incid. 2.

Item quaero, utrum parvuli obligentur. Et quod sic, videtur. Dicit Dionysius[4], quod sensus verborum, quae dicunt patrini, est, quod puer ille, cum in sensum venerit, tenebit sacras confessiones; obligant ergo parvulum. Si enim obligari potuerit parvulus per carnales parentes ad malum: ergo per spirituales ad bonum multo fortius. *Sed contra:* si parentes promittant pro filio, quod filius intrabit religionem, ille non obligatur nec tenetur: ergo similiter in proposito.

Quaest. incid. 3.

Item quaero, si obligatur, utrum illa obligatio sit votum. Et quod sic, videtur: quia votum est spontanea promissio melioris boni, deliberatione et obligatione firmata[5]. *Contra:* secundum hoc duplici peccato peccaret baptizatus, quia transgressor est voti ac praecepti.

CONCLUSIO.

Etiam in baptismo parvulorum congruit praemittere catechismum.

RESPONDEO: Dicendum, quod catechismus in *adultis* praecedebat baptismum propter duas causas: ut baptizandi *instruerentur* de credendis et ut se *obligarent* voluntarie ad Dei imperia facienda, quasi non coacte, sed voluntarie illa impleturi[6]. *Parvuli* quidem, etsi non possunt *doceri,* possunt tamen per patrinos *obligari.* Ideo fit in eis catechismus et propter *rationem obligandi* et propter *uniformitatem,* ut consimiliter omnes baptizentur, sicut consimilem effectum recipiunt. — De adultis. — Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de doctrina, iam patet responsio[7]. Similiter ad illud quod obiicitur de respondentibus, dicendum, quod respondent in persona parvuli, et est sensus: *credo,* id est Sacramentum fidei percipio, vel suscipere praesto sum. Et non est sermo falsus nec inconsuetus, quia, sicut dicit Augustinus in epistola ad Bonifacium[8], frequenter signum accipitur pro re; sicut dicimus: cras erit resurrectio Domini, et videns fumum dicit, se videre ignem. — Vel potest esse sensus: *credo,* id est ad credendum me obligo. — Aliter.

Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur, utrum patrini obligentur; dicendum, quod si non haberent[9] alium doctorem, obligantur ad instruendum ipsum in his quae sunt de necessitate fidei et morum, vel ad hoc, quod facerent instrui, vel ad hoc, quod ille crederet vel servaret. Nunc autem, quia multos habent doctores, non tenentur.

---

[1] Vers. 19. — Post *sed* ex codd. F I supplevimus *Christus.* Cod. aa legit: *sed ipse, quando dedit formam, praemisit instructionem, ultimo Matthaei, cum dicit.* Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 9.

[2] Cod. aa subiungit aliud arg.: Item, Hugo [II. de Sacram. p. VI. c. 10.]: «Ad hoc est catechismus, ut homo promoveatur ad fidem proprio libertatis arbitrio»; sed parvulus non habet usum liberi arbitrii: ergo etc.

[3] Ex Sermone S. Augustini post Pascha, qui sic incipit: *Hodiernus dies.* Ita allegatur C. *Vos ante omnia* (105.), de Consecrat. d. 4. Sententia haec habetur in pluribus sermonibus, qui nunc in appendice sermonum Augustini inveniuntur v. g. in Serm. 168. (alias 163. de Tempore) n. 3; Serm. 265. (alias 215. de Tempore) n. 2, et Serm. 267. (alias 116. de Tempore) n. 5.

[4] De Ecclesiast. Hierarchia, c. 7. circa finem: Neque enim hoc ait sic: Pro puero ego abrenuntiationes aut sacras confessiones facio, sed quia puer abrenuntiat, hoc est confiteor, puerum credere in sacrum sensum venientem [εἰς νοῦν ἱερὸν ἰόντα] nostris anagogis [ταῖς ἐμαῖς ἐνθέοις ἀναγωγαῖς i. e. nostris (sive meis) divinis institutionibus], abrenuntiaturum quidem universaliter contrariis, confiteri autem et operari divinas confessiones [versio Scoti Erigenae]. — Pro *in sensum* permulti codd. et edd. *in senium.*

[5] Guliel. Antissiodor., S. p. III. tr. 28. q. 1, votum definit: Votum est boni propositi conceptio animi, deliberatione firmata, de his quae ad religionem pertinent, secundum quam conceptionem aliquis se obligat Deo. Cfr. infra d. 38. a. 1. q. 1. seq. — Superius pro *illa* codd. A V W Z bb *sua.*

[6] Plures codd. et edd. *impleturi erant.*

[7] Cod. aa hic addit solut. ad aliud arg. ab ipso propositum: quia, licet parvulis non faciat catechismus, ut instruantur de fide; fit nihilominus propter secundam rationem, quae dicta est; et per hoc solvitur illud Hugonis. Nam similiter arguit de adultis, qui in fide deberent instrui, antequam baptizentur. Ad illud ergo quod obiicitur etc. Mox plurimi codd. omittunt *ad illud.* Inferius pro *percipio* cod. H *recipio.*

[8] Epist. 98. (alias 23.) n. 9: Nempe saepe ita loquimur, ut, Pascha propinquante, dicamus, crastinam vel perendinam Domini passionem... ipso die dominico dicimus, hodie Dominus resurrexit.

[9] Cod. I *haberet,* scil. parvulus. Subinde pro *obligantur* cod. F *obligarentur.*

Ad illud quod quaeritur de parvulis, utrum obligentur; dicendum, quod sic, quia ibi non requiruntur nisi ea, ad quae tenentur de iure naturali, nulla autem supererogationis[1]; ideo non est simile de ingressu in religionem.

Ad 2. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur, utrum talis obligatio sit votum; dicendum, quod non proprie, quia votum[2] est de eo quod supererogationis est; tamen, extenso nomine, est votum, quia voluntaria obligatio. Nec facit duplex peccatum, quia non obligatur magis quam prius de necessitate, sed de bono et aequo.

Ad 3. quaest. incid.

SCHOLION.

I. De ritibus, qui baptismum solemnem comitantur, pauca Magister (hic c. 6. 7.), sed multa tum secundum Dionysium Areop. tum secundum Rabanum (de Institutione clericorum) affert Alex. Hal., (S. p. IV. q. 7. m. 1-3. et q. 8. m. 10. a. 1-5.), quae succinctius etiam a S. Thom. tractantur.

De 1. quaestione cum incidentibus quaestionibus cfr. S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. III. q. 71. a. 1. 4. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 14. 15. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1-4. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1. 2. 3. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3. post med.

II. Circa seq. (2.) quaestionem est notandum, quod et prima opinio et secunda (quam tenuit Praepositivus, cfr. pag. 158, nota 2.) etiam a S. Thoma aliisque communiter reprobantur.

De eadem quaestione: Alex. Hal., locc. citt. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. loc. cit. a. 2. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1. 2. 3. — Durand., hic q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum exorcismus habeat aliquam efficaciam in parvulo, vel adulto.

Secundo quaeritur circa hoc de exorcismo, utrum habeat aliquam efficaciam in parvulo vel adulto. Et dicitur, quod habet potestatem ad expellendum daemonem. Et quod istud sit verum, videtur:

Fundamenta.

1. Per Augustinum in libro de Symbolo[3]: « Parvulus exorcizatur, ut potestas diaboli expellatur ».

2. Item, Rabanus[4]: « Exsufflatur a parvulo saeva potestas per pium sacerdotem ».

3. Item, quod habeat efficaciam, videtur *ratione:* quia sacerdos dicit exorcizando[5]: « Exi ab eo, immunde Spiritus »: ergo si non frustra hoc instituit Ecclesia, diabolus exit, sicut imperat.

4. Item, exorcismi Salomonis pellebant daemones, et aliqui mali pellebant ad invocationem Christi[6]: ergo si ille habet exorcizandi officium et habet exorcismos efficaciores, patet etc.

Ad opposi- tum.

Contra: 1. Cyprianus[7]: « Diaboli potestas non minuitur ante baptismum ».

2. Item, quod nullius sit efficaciae, videtur: quia si pellit daemones, aut *spiritualiter*, aut *corporaliter*. Non *spiritualiter*, quia tunc expellitur spiritualiter, quando expellitur culpa. Si quantum ad *corporalem* laesionem[8]: ergo solum daemoniacis et obsessis deberet fieri exorcismus.

3. Item, si alium effectum non habet nisi daemonem pellere; cum multo efficacius pellatur in baptismo, deberet statim baptizari et nullo modo exorcizari. *Si dicas*, quod *disponit*, ut habeat maiorem effectum baptismus; *contra:* aut hoc facit *disponendo subiectum*, aut *fortificando baptismum*. Non *disponendo subiectum*, quia, si disponit, aut minuendo *culpam*, aut *poenam*; neutrum potest, cum non pos-

---

[1] Supple: requiruntur. — Cod. F legit *ad illa autem, quae sunt supererogationis, non tenentur;* codd. G I *multa autem sunt* [*G non sunt*] *supererogationis;* cod. U *non autem ad opera supererogationis*. Pro *tenentur* non pauci codd. et edd. *tenetur*.

[2] Ita codd. A B (E a secunda manu) F G I, in aliis et edd. deest *votum*, cod. X a secunda manu *votum proprie*. Mox pro *est votum* cod. A *dicitur votum*, codd. G I (F a secunda manu) *potest dici votum*, cod. aa *voti pro voluntaria obligatione ad implendum ea, ad quae tenetur homo de necessitate, potest ibi esse votum. Nec facit duplex* etc. Superius pro *quaeritur* codd. et ed. 1 *obiicitur*.

[3] Sive Serm. (I.) de Symbolo ad catechum. c. 1. n. 2. Vide hic lit. Magistri, c. 7.

[4] Libr. 1. de Institut. cleric. c. 27: Exsufflatur ab eo saeva potestas, ut per pium sacerdotis mysterium (?) Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus. Cfr. C. *Postquam se* (61.), de Consecrat. d. 4, ubi recte ponitur *ministerium* pro *mysterium*.

[5] Secundum Rituale Roman. (de Baptismo).

[6] Matth. 7, 22: Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne... in nomine tuo daemonia eiecimus etc.? — Petr. Comestor., Histor. scholast. libri tertii Regum, c. 7, loquens de Salomone haec mira dicit: Excogitavit etiam adiurationes, quibus aegritudines solent mitigari; alias quoque, quibus daemones eiicerentur, et alias, quibus obstricti non redirent. Excogitavit etiam characteres, qui inscribebantur gemmis, quae posita in naribus arreptitii cum radice Salomoni monstrata, statim eum a daemonibus liberabat (sic)... Iosephus [Flavius] quoque testatur, se vidisse quendam Eleazarum exorcistam coram Vespasiano etc. Cfr. in appendice operum Mich. Pselli, opusculum intitulatum: Testamentum Salomonis (Migne, Patrol. Graec. tom. 122. col. 1315). — In fine arg. cod. aa addit: *maioris efficaciae sunt exorcismi Ecclesiae quam Salomonis, sed per exorcismos Salomonis expellebantur daemomones: ergo* etc.

[7] Epist. 76. ad Magnum, n. 15: Sciat, diaboli nequitiam pertinacem usque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero omne nequitiae suae virus amittere.

[8] Cod. aa legit: *Non spiritualiter; quia sic expelleretur culpa, quod solum fit per baptismum; nec corporaliter, quia hoc modo solum expellitur ab obsessis a daemonibus*. Vat. paulo superius post *culpa* subiungit *ergo tunc ante baptisma expelleretur culpa*. Multi codd. omittunt *laesionem*.

sit minui poena sine culpa[1]. Non *fortificando baptismum*, quia nondum est, quando exorcismus fit.

4. Item, decedat aliquis exorcizatus ante baptismum; quaero, utrum aliquid conferat exorcismus. Si *nihil*, stultum est exspectare; si *aliquid*, quaero: quid? Si minores tenebras[2]; *contra:* tenebrae sunt carentia visionis divinae; hac autem omnes sunt similiter privati.

Quaestio incidens. Item, si dicas, quod fiat ad solemnitatem baptismi; quaero: quare magis baptismus habet solemnitatem quam alia Sacramenta? et *quae* et *quot* sunt illa quae attenduntur ad eius solemnitatem?

CONCLUSIO.

Exorcismus fit tum ad solemnitatem baptismi, tum ad cohibendum diabolum.

Respondeo: Aliqui dixerunt, quod exorcismus solum fit ad solemnitatem et ad expressiorem significationem; nec aliquid ibi efficitur, sed solum significatur quod efficitur in baptismo. (Opinio 1.)

Alii autem dixerunt, quod non tantum fiat ad solemnitatem, immo habeat effectum spiritualem, licet semiplenum ad *disponendum* ad baptismum. Unde parvuli non baptizati, sed exorcizati morientes sustinent minores tenebras. (Opinio 2.)

Primi nimis parum dixerunt, et Sanctorum auctoritates plus dicunt; secundi nimis dixerunt. Ideo tenendum est medium, quod est[3] ad solemnitatem et ad cohibendum diabolum, ut non possit occidere parvulum nec ita fortiter vexare adultum, ut retrahat a baptismo. Unde non est contra vexationem, quam *faciat* in corpore, sed quam *faceret*, quia diabolus, ex quo videt, hominem praeparari ad baptismum, ipsum vexaret. Unde Gregorius[4] dicit, quod « illos pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit; sed quando videt, se deseri, tunc provocatur ». (Opinio media et conclusio.)

1. 2. Ad prima duo obiecta patet responsio, quia Cyprianus intelligit de potestate spirituali. Et illud de vexatione similiter patet. (Solutio oppositorum.)

3. 4. Ad illud quod obiicitur: quare non statim datur baptismus? dicendum, quod propter solemnitatem et propter hoc, quod baptismum debet praecedere doctrina sive catechismus; ut ergo diabolus arceatur a catechismo, annectitur exorcismus. Nec fit propter aliquam efficaciam gratiae in anima, sed solum ad significantiam et ad arcendam potestatem contrariam.

Ordo autem eorum quae sunt ad solemnitatem baptismi, secundum *morem Ecclesiae usitatiorem* hic est. Primo, exsufflatur, et hoc, ut virtus diaboli exterior expellatur et interior expellenda significetur. — Secundo, signum crucis fit in pectore et in fronte, ut daemon cognoscat se expellendum tam in occulto cordis quam in aperto confessionis. — Tertio, sal in ore ponitur, ut significetur, quod per baptismum sapor sapientiae praeparetur et foetor fomitis restringatur. — Quarto, fit linitio aurium et narium cum sputo, ut significetur gratia ad discernendum et ad obediendum. — Quinto, fit inunctio in pectore et spatulis[5], ut significetur gratia unctionis ad Deum amandum et eius onera portanda. — Sexto, post baptismum fit inunctio chrismatis in vertice, ut significetur apertio mentis imputribilis ad contemplandum aeterna. Chrisma enim confectum est ex oleo lucente et balsamo conservante. — Septimo, vestitur vestimento mundo et albo, ut significetur candor innocentiae et stola resurrectionis. — Ultimo ponitur cereus in manibus, ut sit *lucerna pedibus* eius *verbum* Domini et *lumen semitis* eius[6]. (Ad quaest. incid. solutio 1.)

Secundum Hugonem vero de sancto Victore « forma exorcismi et aliorum sacramentalium in baptismo ita perficitur. Puer primo signatur crucis signaculo in fronte, in pectore, in oculis, in naribus, in ore, in auribus, ut totius corporis sensus hoc signaculo muniantur, cuius virtute omnia Sacramenta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur ». Unde Rabanus de Institutione clericorum[7]: « Ut ab eo diabolus expellatur, in vase suo pristino suae interemptionis signum cognoscens; iam sibi deinceps illud fiat alienum. — Postea da- (Solutio 2. Primo. Secundo.)

---

[1] Cfr. supra d. 4. p. I. a. I. q. 2. in corp.

[2] Ut tenet Praepositivus, S. p. IV. c. *de Exorcismo*, ubi dicit, « quod minorem poenam patitur exorcizatus, quam ille qui decedit sine exorcismo; etsi carentia visionis Dei sit mitissima poena, unus tamen eandem poenam potest habere mitiorem quam alius. Carentia enim visionis Dei nihil aliud est quam ignorantiae tenebrae; et quidam profundiores tenebras patiuntur aliis ». — Post *Si* cod. A addit *dicas, quod patietur*. Inferius pro *similiter privati* cod. aa, posito *aequaliter privati*, deinde prosequitur: *Item, non diminuitur poena, culpa eadem manente; sed eadem manet culpa non diminuta: ergo et poena.*

[3] Cod. aa supplet *exorcismus*.

[4] Libr. XXIV. Moral. c. 11. n. 27: Eos enim pulsare... se sentit. Contra nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro quasi ex iure propriae habitationis expellitur. — Superius pro *ipsum vexaret* cod. aa *vel ad aliud bonum, tunc ad iracundiam provocatur*. Idem cod. aa pro verbis, quibus ad prima duo obiecta respondetur, alia, fusiora quidem, sed minus apta et congrua substituit.

[5] Ita codd.; cfr. Du Cange, Glossarium etc., ubi notatur, quod ille terminus idem significat ac *latus* (gallice: épaule); Vat. hic sicut et infra *scapulis*.

[6] Psalm. 118, 105. — Verba Hugonis habentur in II. de Sacram. p. VI. c. 10.

[7] Libr. I. c. 27. Locus est corruptus; cfr. C. *Postea signatur* (63.) et seqq. de Consecrat. d. 4, ubi sic legitur: Postea signatur baptizandus signaculo sanctae crucis tam in fronte quam in corde, ut ab eo *tempore* ipse apostata diabolus in vase suo pristino suae interemptionis cognoscens signaculum, iam sibi deinceps illud *sciat* esse alienum. *Ex hinc iam dicuntur super eum orationes, ut fiat catechumenus.* Tunc datur baptizando sal etc. — In hoc testimonio codd. A H K W et ed. 1, concordante textu originali, omittunt *expellatur*, pro quo alii codd. *pellatur*, et pro *fiat* cod. Z *sciat*. Pro *interemptionis* plurimi codd. *interpretationis*.

tur sal benedictum in os eius, ut sapientia conditus careat foetore iniquitatis et ultra non putrescat a vermibus vitiorum ». Sal[1] conservat carnem a foetore et putrefactione; sic sapientia per ipsum significata spiritum conservat, ne solvatur in vitia et foeteat per infamiam. — Tertio. « Deinde exsufflatur malignus foris, ut spiritus spiritu pellatur[2] », scilicet Spiritu sancto malignus, quia Spiritus sanctus per flatum significatus est, Ioannis penultimo: *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum* etc. — Quarto. « Postea tanguntur ei aures et nares cum saliva, ut tactu supernae sapientiae et aures aperiantur ei ad audiendum verbum Dei et nares similiter ad discernendum odorem vitae et mortis. Hoc significavit Dominus, cum dixit in sanatione surdi et muti, Marci septimo[3]: *Ephpheta* » etc.; Glossa: « Sputum de capite Domini est divina sapientia, quae solvit labia, ut dicat: Credo in Deum ». — Quinto. Post haec introducitur baptizandus in ecclesiam. — Sexto. « His habitis et completis, venit sacerdos ad fontem, et consecratur fons in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut sanctitas Sacramenti non ex eo qui ministrat, constare sciatur, sed ex eo qui sanctificat. — Septimo. Post haec traditur novae vitae auditoribus catechumenis Symbolum fidei, in quo apostolicae doctrinae forma consistit[4] ». Hoc non dicitur in moderno ordinali, ut credo. — Nono. « Post haec oblatus ad baptismum parvulus et interrogatus a sacerdote, si abrenuntiet satanae et omnibus pompis eius et omnibus operibus eius; per ora gestantium respondet, ut aliena iniquitate obligatus, aliena fide et confessione solvatur. — Decimo. Postea inungitur oleo sacro in pectore, tanquam muniatur adversus hostem, ne ei deinceps immunda et noxia persuadere possit. Ungitur et inter spatulas, ubi vigor portandi oneris est, ut fortitudinem accipiat ad portandum onus[5]. — Undecimo. Deinde interrogatur, si credat in Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum et vitam aeternam; et sub hac fidei responsione trina immersione a sordibus vetustatis abluitur, novum indutus hominem. — Duodecimo. Deinde, postquam baptizatus a fonte ascendit, sacro chrismate in vertice ungitur, ut spiritum Christi participando merito deinceps *Christianus* appelletur, coheres regni et gloriae sacra unctione effectus. — Decimo tertio. Deinde traditur Christiano vestis candida, ut qui primae nativitatis decorem vetustatis pannis obfuscaverat, habitu regenerationis gloriae praeferat indumentum. Tegitur etiam caput sacro velamine post unctionem sacram, ut intelligat, se diademate regni et sacerdotali dignitate potiri. — Decimo quarto. Ad ultimum cereus accensus datur in manu eius, quo implere doceatur illud evangelicum, Matthaei quinto[6]: *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Hanc lampadem si inexstinguibilem servaverit, inter virgines sapientes cum sponso caelesti ad nuptias introibit ». — Et statim, si adest episcopus, confirmatur; et datur ei eucharistia post confirmationem, si sit adultus, ut Christo incorporetur[7].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Augustinus: *In illo puero acceleratus est usus rationis,* utrum beatus Ioannes in utero habuerit usum liberi arbitrii. Et quod sic, videtur: quia exsultavit ad vocem beatae Mariae, sicut dicitur in textu[8]; sed talis exsultatio non fuit nisi per apprehensionem rei amatae; res autem non apprehendebatur nisi ratione, nec amabilis erat nisi voluntate rationata[9], scilicet praesentia Christi vel eius Matris: ergo videtur, cum

---

[1] Edd. *Sicut enim sal.*

[2] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 10. — Seq. textus Scripturae est Ioan. 20, 22.

[3] Vers. 34. seq. — Verba sunt Hugonis, loc. cit., qui sequitur hic et in seqq. Rabanum, loc. cit. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in v. 33: Spuma de *carne* Domini, divina sapientia, quae solvit ignorantiam humani generis, ut dicat: Credo in Deum Patrem omnipotentem etc. Cfr. Beda, in v. 34: Sputum namque Domini saporem designat sapientiae... Sputum etenim, quod ex *capite* Domini descendit, divinam eius naturam etc. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 20: Saliva nobis est ex ore Redemptoris accepta sapientia in eloquio divino. Saliva quippe ex *capite defluit* in ore etc.

[4] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VI. c. 14. Post *sanctificat* textus originalis plura adiungit. — Mox pro *ordinali* codd. F G I *ordinario.*

[5] Textus originalis Hugonis, loc. cit., addit *Domini,* edd. *Christi.* Paulo inferius post *indutus hominem* in textu originali plura adiiciuntur.

[6] Vers. 16. — Subinde respicitur parabola de decem virginibus, Matth. 25, 1. seqq. — De ultima propos. cfr. Dionys. de Eccles. Hierarch. c. 2. p. III. § 8, et Gennad., de Eccles. dogmat. c. 22. et 41.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Luc. 1, 41. et 44. — Glossa *ordinaria* apud Strabum: Ipso momento, quo vox intrat ad aures corporis, virtus spiritualis cor intrat audientis et non solum matrem, sed etiam sobolem *amore* advenientis accendit. — Isidor., I. Differentiar. n. 329: « *Laetitia* est mentis gaudium, *exsultatio* vero verborum atque membrorum. Rursus *exsultatio* a *iubilatione* distinguitur. Ubi enim verba sufficiunt laetitiae, et lingua idonea est mentis gaudium explicare, *exsultatio* est; ubi vero non potest quisque conceptum gaudium verbis annuntiare, sed ipsam animi effusi laetitiam in vocem quandam exsultationis erumpit, *iubilatio* est ». Cassidor., in Ps. 9, 2: *Exsultare* est enim animi et corporis maiore motu iucundissima libertate gaudere. Cfr. supra pag. 137, nota 6, et S. Thom., IV. Sent. d. 49. q. 3. a. 1. quaestiunc. 4.

[9] Cfr. tom. III. pag. 717, nota 4. — Superius pro *res autem* codd. E F G H I *res enim.*

usus liberi arbitrii sit secundum actum rationis et voluntatis, quod simpliciter habuit usum. Sed *contra:* Augustinus ad Dardanum[1]: «Non est dictum, quia *credidit* infans»; ergo si motus fidei primus est inter motus virtutum, videtur, quod non habuerit actum alicuius virtutis: ergo cum hoc non fuerit propter defectum gratiae, fuit ergo propter defectum liberi arbitrii.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex fuit opinio; et Augustinus loquitur dubie. Fuerunt enim qui dicerent, Ioannem non habuisse motum liberi arbitrii, nec exsultationem illam fuisse *ab eo,* sed magis *in eo,* non per naturam, sed supra naturam; sicut asina Balaam locuta est, et tamen non intellexit[2]; sic dicunt Ioannem motum fuisse a Spiritu sancto ad adventum Domini, et illum motum fuisse ad modum exsultantis, non quia ipse perciperet, sed quia volebat Dominus, ut mater motu pueri Dominum perciperet et Matrem eius, et ut hoc esset futurorum praesagium. Et huic opinioni verba consonant Augustini. (Opinio 1.)

Fuerunt alii, qui dixerunt, Ioanni statim datum motum liberi arbitrii et illustrationem cognitionis, qua cognovit Dominum praesentem et gavisus est supra naturam. Et *si tu obiicias,* quod Dominus non subtrahit dona, et ita post semper habuit usum liberi arbitrii, quod nec creditur nec est probabile; propterea breviter respondetur, quod sicut Dominus gratiam raptus alicui dat ad unam horam; sic etiam Deus fecit hoc supra naturam ob specialem causam. — Utraque positio probabilis est nec potest de facili improbari[3]. (Opinio 2. — Iudicium auctoris.)

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Zacharias: *Si ille qui baptizavit, non errorem introducens* etc. Videtur enim dicere, quodsi vellet errorem introducere, quod non esset baptismus. Sed *contra:* fides, vel haeresis baptizantis nihil facit ad hoc, quod non sit baptismus[4]: ergo videtur, quod idem sit iudicium, sive intendat errorem introducere, sive non.

Respondeo: Ad hoc dixerunt aliqui, quod quamvis infidelitas circa alios articulos nihil faciat ad baptismi integritatem, tamen infidelitas circa baptismum multum facit. — Sed si attendamus: cum fidelitas comprehendat omnem articulum; et fidelitas circa aliquem articulum cum infidelitate circa alium non sit fides nec pars fidei[5]: nihil facit ad hoc, ut videtur, ratione eius, qua est fidelitas, vel infidelitas. (Solutio aliorum. — Non probatur.)

Ideo dicendum, quod nulla infidelitas aufert baptismum, dum tamen intentio sit salva, faciendi scilicet quod facit Ecclesia; et quoniam iste qui intendit introducere haeresim, intendit novam formam cudere[6] et quod facit Ecclesia infirmare: ideo non est salva intentio, ac per hoc nec baptismus. (Solutio auctoris.)

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Leo papa: *De illis, de quibus nulla exstant indicia inter propinquos, agendum, ut renascantur.* Videtur enim male dicere, quia ita magnum peccatum est rebaptizare baptizatum, sicut omittere baptismum: ergo qui baptizat illum, de quo nulla exstant indicia, committit se periculo et discrimini, quia nescit, utrum rebaptizet baptizatum; sed omnis talis peccat: ergo etc.

Iuxta hoc quaeritur, utrum aliquis possit baptizari dormiendo; et videtur, quod sic, quia de lethargico, qui non potest evigilare, videtur, quod debeat baptizari. (Quaest. incid.)

Respondeo: Dicendum, quod ignorantia *facti,* adhibita debita diligentia, excusat a toto[7]; et quoniam, si aliquis baptizet aliquem, de quo non potest cognosci per aliquem, quod fuerit baptizatus, ignorat, eum esse baptizatum, et adhibet diligentiam, si requirat a notis; ideo non peccat. *Rursus,* quia illud est signum probabile, quod non sit baptizatus; tenetur et debet baptizari: et ita patet, quod baptizando non committit se discrimini[8]. (Notandum.)

Quod quaeritur de dormiente, dicendum, quod si est adultus, aut prius *consensit* et voluit, aut *noluit* et renuit. Si *consensit* et voluit; si baptizatur, baptizatus est. Aut si[9] prius *negavit* et renuit, baptizatus non est. Si autem *indifferenter* se habuit quantum ad id quod exterius est; non potest sciri nisi per ipsum; et si prius voluit, baptizatus est; si noluit, non; quia oportet, quod sit aliqualis consensus in adulto, vel coactus vel spontaneus[10]. (Ad quaest. incid., distinctio.)

Si quaeratur, quid *debeat* fieri; dicendum, quod nullus debet aliquem baptizare dormiendo, nisi praesumatur, quod non evigilet ante mortem, et nisi praesumatur de eius praesenti voluntate per signa vel verba, saltem quia de Christianis natus. In hoc (Quoad praxim.)

---

[1] Epist. 187. (alias 57.) c. 7. n. 23. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Quod actus fidei sit primus inter actus virtutum, ostensum est III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp. et d. 27. a. 2. q. 1.

[2] Num. 22, 28. seqq. — Inferius pro *exsultantis* cod. Z *exsultationis,* et in fine proposit. pro *futurorum praesagium* codd. *futurum praesagium.*

[3] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic circa lit.

[4] Ut dictum est supra d. 5. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 2.

[5] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. ad 4. et q. 2. ad 4. — Verba *et infidelitas circa aliquem articulum* supplevimus ex codd. F G I, et subnexa *cum infidelitate circa alium* exhibent omnes codd., edd. autem substituunt *et in infidelitate.*

[6] Codd. A U W *tradere.* Cum edd. et aliquot codd. superius post *et quoniam iste* retinuimus *qui.* — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[7] Vide supra pag. 86, nota 7.

[8] Cfr. C. *Parvulos* (110.) et seqq., de Consecrat. d. 4. — Superius pro *quia illud* edd. *quia aliquod.*

[9] Pro *Aut si* cod. L *si autem,* codd. F G I *Sed si.*

[10] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1.

casu his concurrentibus, debet baptizari, et nisi fuerit *fictio* in anima ipsius ante dormitionem; tunc recipit Sacramentum et rem, ut dicit Innocentius[1]. Si autem fuerit *fictio*, sed tamen *voluntas ad baptismum;* recipit Sacramentum et non rem. Omnino eodem modo dicendum est de furioso.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Si totum mimice et ioculariter ageretur, implorandum esset* etc. Videtur enim male dicere, quia intentio est de necessitate baptismi[2]: ergo si totum factum est ioculariter, non est baptismus: ergo non est implorandum divinum consilium, sed baptizandus; quia in his, in quibus certi sumus et habemus humanum consilium, non oportet confugere ad Deum.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Hugo[3],
Notandum. ludus non semper excludit intentionem, sed compatitur, sicut patet. Et Hugo ponit exemplum: quia
Distinctio. velle *dare* ludicre est duobus modis: *uno* modo velle ludere ita, quod nullo modo dare; *alio* modo ita, quod vult ludere, et nihilominus vult dare. Et *primo* quidem modo excludit intentionem, et qui sic dat ludendo non dat; *secundo* modo ponit intentionem dandi et vere dat. Sic in proposito intelligendum. Unde potest esse intentio cum ludo. Et ideo dicit Augustinus[4], «implorandum esse divinum consilium». Quod si Dominus non revelat, rebaptizandus est, tamen sub conditione. Et hoc est quod dicitur, quaestione prima[5], de casu, qui ibi proponitur, quod puer Athanasius, simulans, se esse episcopum, baptizavit quosdam pueros ludicre, qui postmodum consilio Alexandri episcopi non sunt rebaptizati: quia inferius subditur, quod idem episcopus supervenit et quaesivit de intentione et cognovit per verba iuvenis, quod habuit intentionem; et ideo non debuerunt rebaptizari. Et quod habuit intentionem, coniicitur[6], quia non baptizavit nisi catechumenos. Et sic patet intellectus verbi Augustini.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cognoscendum, duo tempora in baptizandis electis esse servanda.* Videtur enim, quod magis competeret dies Epiphaniae, quia Dominus fuit in illo baptizatus.

Respondeo: Dicendum, quod die Epiphaniae non fit ita solemniter propter haeresim exstirpandam, quae dixit, solum illa die aquas posse regenerare. Fit autem aliis duobus diebus, quoniam in Paschate *lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*[7], in Pentecoste baptizavit Spiritu sancto; et quia baptismus hunc duplicem effectum habet; ideo tunc generaliter omnibus datur, sed specialiter datur cuilibet, quando timetur de morte[8].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister, quod *parvuli, alio profitente, baptizantur;* utrum ille qui profitetur, debeat dici *patrinus.* Et quod sic, habet communis usus. Sed in contrarium videtur, quia *pater* dicitur solum qui generat aliquo modo, vel spiritualiter, vel carnaliter; sed talis neutro modo. — Item, quaeritur, utrum possint esse Quaestio 2.
plures.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Hugo de sancto Victore[9], «patrini vocantur qui parvulos ad baptismum offerunt, quia regenerandos ad novam vitam offerunt, et in oblatione et in responsione quodam modo faciunt ad ipsorum regenerationem»; et ideo recte patrini dicuntur. — Et post sub- Ad 2. quaestionem.
iungit: «Placuit Patribus, ut per singulos baptizandos patrini singuli admitterentur, id est unus tantum vir, sive mulier, propterea fortassis, ne spiritualis cognatio, cui reverentia debetur, passim diffusa in matrimonii copulam obesse potuisset. Sed quaedam Ecclesiae hanc consuetudinem non servant, plures ad susceptionem parvulorum admittentes».

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Exorcismus fit post catechismum.* Videtur enim, quod male ordinet: quia exorcismus est ad expulsionem mali, sed catechismus ad institutionem boni; sed prius est malum expellere quam bonum inserere: ergo prius fuit agendum de exorcismo.

Respondeo: Dicendum, quod ista duo possunt Triplex ordinatio.
tripliciter ordinari: aut ratione eius, *ad quod* sunt; aut ratione eius, *a quo* dispensantur; aut ratione eius, *in quem* fiunt. Si ratione eius *ad quod;* sic, quia catechismus est ad perfectionem intellectus, et

---

[1] Cap. *Maiores,* X. (libr. III. tit. 42.) de Baptismo et eius effectu. Cfr. supra pag. 100, nota 1. — Aliquanto superius edd., omisso *praesenti,* post *vel verba* addunt *vel parentum.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 7. a. 2. § 3; B. Albert, hic a. 10.

[2] Vide supra a. 2. q. 1.

[3] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 13.

[4] Prosequendo verba textus huius dubii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5; in originali vero S. Augustini legitur *iudicium* pro *consilio.*

[5] Cap. *Spiritus sanctus* (58.) c. 1. Cfr. Rufin. Aquilei., I. Hist. eccles. c. 14, et Sozomen., II. Hist. c. 17.

[6] Cod. Z addit *ex hoc.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 8. m. 3. a. 1. § 1; B. Albert., hic a. 11; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Apoc. 1, 5. — Act. 1, 5: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Cfr. ibid. 2, 3. seq. — Pro *in Paschate* codd. A O R T V *in passione,* codd. E I L bb et ed. 1 *in baptismate.*

[8] Cfr. Leo I, Epist. 16. universis episc. per Siciliam constitutis, ex qua sumtum est C. *Proprie* (13.) et seq., de Consecrat. d. 4. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 12.

[9] Libr. II. de Sacram. p. VI. c. 12, pluribus tamen verbis adiunctis. Ibid. invenitur seq. testimonium, in quo textus originalis cum edd. *copula* pro *copulam.* — Cfr. C. *Non plures* (101.), de Consecrat. d. 4.

exorcismus ad id quod respicit affectum, quia ad suggestionem diaboli expellendam; catechismus praecedit, et sic ante exorcismum est catechismus [1]. — Si ratione eius *a quo;* quia instructio est ab ordine lectorum, et exorcizatio ab exorcistis, et lectorum ordo praecedit [2]; sic ante exorcismum est catechismus. Si ratione eius *in quem;* sic dicendum est, quod si *adultus* est, prius est capax doctrinae quam gratiae, *parvulus* e contrario; et ideo in *adultis* praecedit catechismus, in *parvulis* e contrario exorcismus. Et ideo ordo mutatus est secundum aliquas Ecclesias, nec servatur ille qui consuevit esse in primitiva Ecclesia, quia tunc baptizabantur *adulti*, nunc autem *parvuli* [3]. Notandum.

DISTINCTIO VII.

Cap. I.

De Sacramento confirmationis.

Nunc de Sacramento confirmationis addendum est, de cuius virtute quaeri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba, quae dicit episcopus, cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate.

Cap. II.

Quod non nisi a summis sacerdotibus tradi potest.

Quod [1] Sacramentum ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum, nec ab aliis, quam qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter praesumtum fuerit, irritum habetur et vacuum nec inter ecclesiastica reputabitur Sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte.

Cap. III.

Quae sit virtus huius Sacramenti.

Virtus vero huius Sacramenti est donatio Spiritus
Dubium 2. sancti ad robur, qui in baptismo datus est ad remis-
Rabanus. sionem. Unde Rabanus [2]: « A summo sacerdote per impositionem manus Paraclitus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum sanctum ad praedicandum aliis illud quod ipse in baptismo consecutus est ». Item [3]: « Omnes fideles per manus impositionem episcoporum post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur ».

Cap. IV.

Utrum hoc Sacramentum sit dignius baptismo.

« Scitote, utrumque magnum esse Sacramentum, sed unum maiori veneratione tenendum, sicut a maio- Dubium 3.
ribus datur [4] ». — Ecce *maius* dicit Sacramentum confirmationis; sed forte non ob maiorem virtutem vel utilitatem, quam conferat, sed quia a dignioribus datur et in digniori parte corporis fit, id est in fronte; Dubium 4.
vel forte, quia maius virtutum augmentum praestat, licet baptismus ad remissionem plus valeat. Quod videtur innuere Rabanus [5] dicens, « in unctione bapti- Rabanus.
smi Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam. In hac vero eiusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem ». — Hoc Sacramentum tantum *a ieiunis* Dubium 5.
et *ieiunis* tradi debet, sicut et baptismus, nisi aliter cogat necessitas.

Cap. V.

Utrum possit iterari.

Nec debet iterari, sicut nec baptismus vel ordo. Dubium 6.
Nulli enim Sacramento facienda est iniuria; quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. — Sed utrum aliqua vel nulla iterari possint, quaestio est. Nam de baptismo et ordine, quod non debeant iterari, aperte Augustinus [6] dicit: « Utrumque Sacramentum est et Augustinus.
quadam consecratione datur: illud quidem, cum baptizatur; illud vero, cum ordinatur. Ideoque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterari », quia neutri

---

[1] Codd. E F G H I bb omittunt *et sic... catechismus.* Aliquanto superius post *ad quod* in codd. E F G I (bb a secunda manu) additur *sunt.*

[2] Cfr. infra d. 24. p. II. a. 1. q. 3. in corp. et a. 2. q. 4.

[3] Vide supra a. 3. q. 1. seq. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 7. m. 1; B. Albert., hic a. 15; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Edd., excepta 1, et cod. B *hoc.* — Locus iste sumtus est ex Hugone a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 1, et C. *Manus quoque* (4.), de Consecrat. dist. 5. — Ante *qui locum* codd. A C et ipse canon cum plerisque edd. addunt *ab illis,* refragante ed. 1 et Hugone. Ultima verba capituli 2. sunt in C. *Presbyteris* (119.), de Consecrat. dist. 4.

[2] Libr. I. de Institutione clericorum, c. 30.

[3] Can. *Omnes fideles* (1.), de Consecrat. dist. 5. — In fine huius capituli codd. B D E et ed. 1 subiungunt notulam: *Gregorius ita* etc., ab aliis in fine dist. positam.

[4] Can. *De his vero* (3.), de Consecrat. dist. 5.

[5] Loc. cit., et C. *Novissime* (5.), ibid. — Deinde ante *et ieiunis* solae edd., excepta 1, male addunt *accipi.* — Quoad ieiunium cfr. C. *Ut ieiuni* (6.) et *Ut episcopi* (7.), ibid., nec non Hugo, II. de Sacram. p. VII. c. 5.

[6] Libr. II. contra Epist. Parmeniani, c. 13. n. 28, et C. *Quod quidam* (97.), c. 1. q. 1. § 1.

facienda est iniuria. Quod indubitanter etiam de confirmatione tenendum est; de aliis vero, utrum iterari valeant vel debeant, postea disseremus.

Gregorius. *Notula.* Gregorius [1] ita scribit Ianuario episcopo: « Pervenit ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt, prohibuimus; et nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus. Sed si omnino de hac re aliqui contristantur; ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus ». « Sed istud pro scandalo sedando semel mihi concessum esse aestimatur ». Dubium 1. Gratianus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VII.

De confirmatione.

Nunc de Sacramento confirmationis addendum est.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars huius partis, in qua Magister agit de Sacramentis secundum septem differentias. Supra enim egit de baptismo, qui est primus inter Sacramenta; hic agit de confirmatione. Et quoniam tria est considerare circa hoc Sacramentum: primo ea quae spectant ad integritatem [1], secundo ad efficaciam, tertio vero ad usum; ideo pars ista tres habet particulas. In prima parte agit de hoc Sacramento quantum ad integritatem. In secunda quantum ad efficaciam vel virtutem, ibi: *Virtus autem huius Sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur.* In tertia quantum ad usum sive modum sumendi [2], ibi: *Hoc Sacramentum tantum a ieiunis* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam illorum trium, quae Magister agit de Sacramento confirmationis, tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de hoc Sacramento quantum ad integritatem.

Secundo, quantum ad virtutem vel efficaciam.

Tertio, quantum ad usum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de confirmatione quantum ad formam.

Secundo, quantum ad materiam.

Tertio, quantum ad dispensatoris potentiam.

ARTICULUS I.

De confirmatione quoad integritatem.

QUAESTIO I.

Utrum in confirmatione sit necessaria forma verborum.

Et quod necessarium sit in hoc Sacramento habere formam verborum, ostenditur:

Fundamenta. 1. Per *simile* in aliis Sacramentis: quia, si in aliis forma verborum est necessaria [3], videtur, quod et in isto.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per aliam *rationem:* quia forma verborum est sanctificans elementum; sed « Sacramentum est ex sanctificatione sanctificans », secundum quod dicit Hugo [4]: ergo necesse est, quod formam verborum habeat, cum per ipsam sit sanctificans elementum.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Christus fuit institutor formae Sacramentorum; sed formam confirmationis non legitur instituisse, immo pueris tantum manus imposuisse, Matthaei decimo nono [5]: ergo non est necessaria, cum Christus instituerit, quod pertinet ad ne-

[1] Libr. IV. Regist. indict. 12. epist. 26, et C. *Pervenit* (1.), dist. 95. Seq. locus exhibet verba Gratiani super C. *Presbyteros* (2.), ibid.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. *ad ministri dignitatem.*

[2] Codd. F I *suscipiendi.*

[3] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 2.

[4] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 2. Cfr. ibid. p. IX. c. 2.

[5] Vers. 15.

cessitatem et formam aliorum Sacramentorum, et non huius.

2. *Si tu dicas,* quod reliquit Apostolis formam; *contra:* Actuum octavo[1] legitur, quod impositione manuum dabant Spiritum sanctum; sed quod est de necessitate Sacramenti est invariabile ut Sacramentum: ergo etc.

Quaestio incidens 1. Item, de forma quaeritur, quae est haec[2]: « Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen ». Primo videtur, quod superfluat hoc verbum *signo,* quia sufficit actu signare[3]. *Si tu dicas,* quod hoc est propter intentionem; tunc ergo, sicut in baptismo dicitur *baptizo,* et non dicitur alius actus; ita in confirmatione sufficit dicere *confirmo.*

Quaestio incidens 2. Item, quaeritur: quare potius fit mentio in forma de *cruce* quam de incarnatione, vel resurrectione?

Quaestio incidens 3. Item, quaeritur: quare potius in hoc Sacramento *materia* nominatur, cum dicitur: « Confirmo te chrismate », quam in baptismo, ut dicatur: « Baptizo te in aqua »?

CONCLUSIO.

Forma confirmationis est de necessitate Sacramenti.

Conclusio. Respondeo: Ad hoc dicendum, quod forma praedicta est de necessitate huius Sacramenti, sicut probant rationes ad hoc inductae.

Solutio oppositorum. Opinio 1. 1. Ad illud autem quod obiicitur in contrarium de eius institutione[4], diversificantur doctores. Quidam enim dicunt, quod formam illam Christus instituit et Apostolis tradidit, et Apostoli postmodum aliis reliquerunt, licet hoc non sit scriptum in canone Scripturae. Ipse tamen forma illa non fuit usus imponendo manus pueris, quia hoc faciebat ut Dominus, non ut minister. — Opinio auctoris. Aliter potest dici et melius, credo, quod illud Sacramentum Christus nec *dispensavit* nec *instituit,* quia post ascensionem suam decebat Apostolos confirmari, et Spiritum ad robur dari. Unde Ioannis septimo[5]: *Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus;* non, inquam, datus *in plenitudine,* vel *ad robur;* sed hoc quidem fecit die Pentecostes. Unde confirmati sunt a Spiritu sancto *immediate* sine ministerio et Sacramento; et ideo ipsi etiam alios confirmabant etiam sine verbo. Sed postquam bases Ecclesiae, Apostoli scilicet, qui a Deo, non per homines, erant ordinati praelati et confirmati, defecerunt; instituit Spiritus sanctus huius Sacramenti formam, cui etiam virtutem sanctificandi dedit. Et per hoc patet responsio ad primum.

2. Ad illud quod obiicitur de forma: quare scilicet Christus non instituit, et quare Apostoli non[6] instituerunt et posteris tradiderunt? ratio praedicta est. — Aliae rationes. Possunt tamen et aliae rationes congruentiae assignari: quia enim minuebatur in dispensantibus sanctitas, in suscipientibus idoneitas; ideo opportunum fuit instituere verbum sanctificans. Alia est etiam ratio, sed haec patebit infra[7].

Ad 1. quaest. incid. Ad illud quod ultra quaeritur de forma, dicendum, quod in hoc Sacramento datur gratia ad robur fidei quantum ad *confirmationem* in corde et quantum ad *confessionem* liberam in ore: et quia difficillimum et arduissimum erat Christum crucifixum confiteri, tum propter *opprobrium,* secundum quod dicitur primae ad Corinthios primo[8]: *Praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam;* tum propter *periculum,* quia adversarii tales nitebantur occidere, Ioannis decimo quinto: *Haec facient vobis propter nomen meum:* hinc est, quod decuit, duplicem actum in forma poni, unum: qui respicit liberam Crucifixi *confessionem,* quasi eam semper ferret in fronte, alterum, *cordis stabilitionem.*

Ad 2. quaest. incid. Ex hoc patet, quare magis fit mentio de *cruce,* quia illud est arduissimum et ignominiosum confiteri. — Ad 3. quaest. incid. De *materia* vero, quare hoc fit, iam videtur[9]; et ratio est, quia consecrata est, non sic in Sacramentis aliis. — Aliter. Aliqui tamen dicunt, quod hoc est propter praecipuam efficaciam huius Sacramenti et gratiam specialem et singularem, quae datur in hoc Sacramento ad pugnam[10].

SCHOLION.

I. In solvenda ipsa principali quaestione non est difficultas; sed ea quae dicta sunt in solut. ad 1. de *determinatione formae,* sive, ut ait, de *institutione* huius Sacramenti, et in seq. quaestione de *determinatione materiae,* continent obsoletam sententiam Hugonis, Magistri (infra d. 23. c. 3.) et Alex. Halensis, eaque non tantum explicatione, sed etiam correctione egent, ut iam diximus tom. I. Prolegom. LXIII. § 5. Profecto non amplius sustinendus est modus loquendi, quod duo Sacramenta confirmationis et extremae unctionis non instituta sint ab ipso Christo, quamvis satis appareat, illos hoc intellexisse tantum quoad in-

---

[1] Vers. 17.

[2] Secundum Pontificale Romanum.

[3] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 1. arg. 2. ad oppos.

[4] In cod. R additur *dicendum, quod.*

[5] Vers. 39. — Inferius pro *fecit* Vat. *fuit.* Subinde post *et ideo ipsi* ex plurimis codd. adiecimus *etiam,* et pro *etiam sine* codd. V W Z exhibent *et sine.*

[6] Plurimi codd. et ed. 1 omittunt *non,* quae lectio principali obiectioni non correspondet; cod. aa *sed post confirmationem Apostoli instituerunt.* Mox pro *et posteris* Vat. *nec posteris.*

[7] In corp. quaest. seq.

[8] Vers. 23. — Seq. textus est Ioan. 15, 21.

[9] In fine corp. quaest. seq.

[10] Cfr. C. *Spiritus sanctus, qui* (2.), de Consecrat. d. 5. infra a. 3. q. 2. allegatus.

stitutionem *immediatam*. Nam. Alex. Hal. (S. p. IV. q. 9. m. 2. a. 2. § 1. ad 1.) inter alia docet, illud Sacramentum esse institutum « *non immediate* a legislatore, sed mediante Spiritu S. cooperante ». Nec hanc opinionem idem profert nisi per modum *probabilitatis;* insuper ipsa quaestio, si *sensum* attendamus, proprie tantum respicit *distinctam determinationem* materiae et formae huius Sacramenti, prout in Ecclesia Latina adhibetur. De hac igitur re dicit (loc. cit. m. 1.): « *Sine praeiudicio* dicendum » quoad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem sanctificandi, hoc Sacramentum institutum fuisse « Spiritus S. instinctu in Concilio Meldensi » (!); Apostolos autem, sicut « confirmati sunt a Spiritu S. immediate, sine ministerio et Sacramento », sic etiam alios confirmasse tantum « manuum impositione, non ministrando Sacramentum confirmationis » (in corp. et ad 3.). — Quoad hanc rem S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. ad 1.) refert, circa *institutionem* confirmationis tres esse opiniones, quarum prima ponat, hoc Sacramentum nec a Christo nec ab Apostolis, sed processu temporis in quodam Concilio institutum esse; quam sententiam reprobat tanquam absurdam; secundam, ait, ponere, illud fuisse institutum non quidem a Christo, sed ab Apostolis; quam iterum non approbat, et prosequitur: « Et ideo probabilior videtur aliorum opinio » etc., scilicet opinio nunc communis.

II. Ut vera a falsis et certa ab incertis secernantur, haec notamus.

1. Fide constat ex Concilio Trident. (Sess. VII. de Sacram. in genere, can. 1.), *omnia* Sacramenta a Iesu Christo instituta fuisse; nec sine temeritatis nota negari posset, intelligendum esse hoc de institutione *immediata*. Cum autem ipsum Concilium a vocabulo *immediata* consulto abstinuerit, sententia aliquorum theologorum, quod *haeretica* sit opinio illa antiquorum Scholasticorum, communius non probatur. — Idem Concil. Trident. (Sess. XIV. c. 1. et cfr. can. 1.) de extrema unctione dicit, quod « *instituta* est tanquam vere et proprie Sacramentum novi testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem *insinuatum*, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac *promulgatum* ». — Apta haec distinctio inter *institutionem, insinuationem* et *promulgationem* a pluribus antiquis neglecta esse videtur.

2. Licet post Concil. Trident. theologi concorditer doceant, Christum *immediate* septem Sacramenta instituisse, remanet tamen dissensus opinionum circa quasdam annexas quaestiones e. g. quid proprie requiratur ad *institutionem* alicuius Sacramenti; item, utrum Christus *omnium* Sacramentorum materiam et formam determinate in sua *specie*, an aliquorum (ut confirmationis et ordinis) tantum in *genere* constituerit, ita ut Ecclesiae specialiora reliquerit determinanda. Primae opinioni cum Ss. Thoma et Alphonso multi adhaerent; sed etiam secunda ut probabilis sustinetur a magnis theologis recentioribus (cfr. Natalis Alexandri Theolog. dogmat. tom. I. libr. II. De Sacram. in genere, c. 3. prop. 2.); pro qua sententia praeter Hugonem, Magistrum, Alexandrum Hal., Bonaventuram allegant etiam Innocentium IV. (in C. *Presbyter* (3.) X. de (tit. 16.) Sacram. non iterandis); et praecipue urgent hanc rationem, quia alias vix possibile esset differentiam explicare, quae inter Latinam et Orientalem Ecclesiam est in administrandis ordinibus nonnullis et confirmatione. Hi igitur theologi distinguunt institutionem immediatam, Christo tribuendam, a *determinatione specifica* materiae et formae, quae Ecclesiae deputata fuerit. — Item, de *tempore* et de *modo*, quo Christus confirmationem et extremam unctionem instituit, disputant theologi, utrum scilicet benedictio parvulorum cum impositione manuum (Marc. 10, 16.) et unctio infirmorum (Marc. 6, 13.) fuerint proprie Sacramenta; quod non tantum S. Bonaventura cum praedictis antiquis, sed etiam multi recentiores negant « non sine gravi fundamento », ut dicit Benedictus XIV. (VIII. de Synodo dioecesan. c. 1.). — Quoad haec aliasque de materia et forma huius Sacramenti opiniones et controversias consulantur auctores recentiores.

III. His praesuppositis, quoad S. Bonaventuram observandum est, eum in Breviloquio (p. VI. c. 4.) disertis verbis docere, Christum *septem* Sacramenta legis gratiae instituisse *in verbis et elementis*... tamen « *diversimode* », ut ibi diffusius explicatur. De duobus autem Sacramentis, scilicet confirmatione et extrema unctione, ait: « Christus solum initiavit et insinuavit *confirmationem*, manum parvulis imponendo et praedicendo, discipulos baptizandos Spiritu S. »; *unctionem* vero *extremam*, « discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur in Marco (6, 13.). Haec bene conveniunt cum doctrina Concilii Trident. Quando S. Bonav. distinguit inter modum instituendi « complete et clare » sive « distincte et integre », qui competit baptismo, eucharistiae et ordini, et modum per *insinuationem* et *initiationem*, hoc intelligendum est, ut explicat illa secunda opinio. — Similia docet Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1.): « *Christus* instituit confirmationem praefiguratione, inspiratione et auctoritate; *Apostoli* traditione, et *Ecclesia* determinatione et approbatione. Est enim institutio duplex: *tacita* et *expressa*, et haec duplex: expressione *facti*, vel *praecepti*. Christus ergo instituit innuendo, imprimendo et praefigurando; Apostoli faciendo; Ecclesia praecipiendo ».

Non defuerunt qui cum Barth. de Barberiis (Cursus theolog. p. IV. de Sacram. disp. 1. q. 5. n. 25.) etiam verba in hac et seq. quaestione a S. Bonav. prolata ita interpretati sint, ut, ab aliis male intellecta, reapse eundem sensum habeant, qui in Breviloquio manifestatur. Praedictus auctor enim putat, *institutionem* Sacramentorum S. Bonaventurae idem esse ac eorundem *promulgationem*, sicut *leges* dicuntur institui, quando *promulgantur* (cfr. S. Thom., S. I. II. q. 90. a. 4.). Sed huic interpretationi praeter alia obstat, tum quod, hoc sensu supposito, *omnia* Sacramenta dici possint post missionem Spiritus S. esse instituta, unde inanis esset distinctio eorum quoad institutionis tempus; tum quod S. Bonav. (infra d. 23. a. 1. q. 2.) eandem praecise aliorum interpretationem refert eamque ut *minus probabilem* non acceptat. — Concedendum tamen est, citato loco auctorem nostrum mitius loqui magisque accedere ad sententiam in Breviloquio expositam. Dicit enim: « Haec duo Sacramenta esse a Christo insinuata, sed post a Spiritu S. instituta... Nec sunt duo legislatores Christus et Spiritus S... Unde Sacramentorum institutionem non attribuimus nisi Deo vel per Filium, vel per Spiritum S... Sic institutio Sacramentorum respicit Deum ut auctorem, et Apostolos respicit *ut ministros in promulgando* ». — Praecipue tamen observandum esse nobis videtur, quod in his duabus de confirmatione quaestionibus proprie sermo est de *determinatione specifica* formae et materiae, quae, licet ab auctore nostro et ab Alexandro confundatur cum *institutione*, tamen, salva fide, ab eadem cum non paucis theologis distingui et separari potest. Reiecto igitur nomine *institutionis*, verbisque ad praedictam determinationem restrictis, illa antiqua assertio vix differret a supra relata sententia recentiorum auctorum, quod scilicet Christus materiam et formam aliquorum Sacramentorum tantum in *genere* determinaverit. — Nihilominus opinamur, S. Bonav. ea quae hic in iuventute, auctoritate fretus magni sui magistri aliorumque, minus correcte scripserit, in Breviloquio suo correxisse et aliquatenus retractasse, sicut etiam S. Augustinus in multis assertionibus et S. Thomas in nonnullis fecerunt. — Quoad seq. quaestionem notandum, in ed. Vat. textum in corp. aliquatenus mutatum esse. Lectio codicum a nobis recepta eundem praebet sensum, quem expressit Alex. Hal., loc. cit. m. 2. a. 1. § 1. ad 1.

IV. De hac et seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 1. et 2. a. 1. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2. 3; S. III. q. 72. a. 1-4. — B. Albert., hic a. 1-3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1-3.

V. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 1. — Scot., hic q. 1. n. 4. seqq. — S. Thom., hic q. 3. a. 1; S. loc. cit. a. 11. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 3. 4. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum materia confirmationis sit necessaria.

Secundo quaeritur de materia, utrum sit necessaria; et videtur primo, quod istud Sacramentum indigeat necessario materia:

Fundamenta. 1. Quia, sicut dicit Hugo [1], « Sacramentum est elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repraesentans »; sed repraesentatio est per materiam: ergo materia est necessaria.

2. *Praeterea,* supra [2] habitum est, quod Dominus potestatem mundandi non tradidit homini per se, sed per elementum, ne poneretur spes in homine: ergo pari ratione potestatem confirmandi non debuit dare homini nisi mediante elemento.

Ad oppositum. Contra: 1. Apostoli sola manus impositione confirmabant [3]: ergo videtur, quod successores eorum sola manus impositione hoc possint, si transmiserunt potestatem, quam habebant.

2. Item, materia aliorum Sacramentorum fuit instituta a Christo, ut patet in baptismo et eucharistia, et Christus etiam ea suscepit: ergo videtur pari ratione, quodsi hoc Sacramentum haberet materiam, quod Christus instituisset Sacramentum suscipiendo. — *Si tu dicas,* quod non decebat eum confirmari; *obiicitur tunc,* quia similiter nec circumcidi nec baptizari; sed fecit propter auctoritatem Sacramenti et humilitatis, ut habitum est [4], exemplum: ergo etc.

Quaestio incidens 1. Item, quaero, utrum materia huius Sacramenti debeat esse *consecrata,* et videtur, quod *sic:* quia est chrisma, quod consecratur a Pontificibus determinato tempore anni [5]. — Sed videtur, quod *non,* cum alia Sacramenta possint fieri sine consecratione, ut patet in baptismo, qui antecedit, et eucharistia, quae sequitur baptismum: ergo et in confirmatione.

Quaestio incidens 2. Item, quaero: cum alia Sacramenta habeant elementa simplicia non mixta, quare hoc Sacramentum habet *mixta?* Et videtur, quod non deberet habere, quia dicitur Ecclesiastici vigesimo quarto [6]: *Quasi balsamum non mixtum odor meus;* hoc dicit Sapientia de se.

Quaestio incidens 3. Item, quaero: quare magis assumitur *balsamum* quam aqua? Et videtur, quod aqua magis, quia morbo generali debet respondere elementum *commune et generale;* sed balsamum est pretiosum et rarum [7], aqua communis est omnibus: ergo etc.

Quaestio incidens 4. Item, quare magis *oleum* quam vinum? Et videtur, quod vinum magis, quia facit hominem audacem et disertum; et hic est huius Sacramenti effectus.

CONCLUSIO.

Materia consecrata est de integritate confirmationis.

Respondeo: Sicut tactum est prius [8], Christus hoc Sacramentum non instituit, quia credentes post eius ascensionem erant confirmandi. Unde nec *materiam* nec *formam* Apostoli dispensaverunt, sed *rem* huius Sacramenti sine *forma,* a Spiritu sancto immediate confirmante, et sine *elemento* vel materia, quia in datione Spiritus sancti signa visibilia apparebant [9]; et ideo non erat opus elemento. Sed post a successoribus institutis dandus erat vi verborum et invisibiliter; ideo oportuit, institui sensibile elementum.

Institutum est igitur hoc *elementum,* Spiritu sancto dictante, ab ipsis Ecclesiae rectoribus; et quia Christus non instituerat nec vim ei dederat, secundum quod ipse « contactu mundissimae carnis dederat *aquis* [10] », et ut ipse, conficiendo corpus suum, instituit elementum sive materiam eucharistiae, ut *panem* vel *vinum:* ideo episcopi non valentes se ipsis materias consecrare, consecrari per benedictionem instituerunt. Et ideo materia huius Sacramenti debet esse *consecrata.* Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur: quare *mixta* in isto, et non in aliis? dicendum, quod, sicut dictum est [11] de *forma,* quia erat ad duplicem actum arduum, ideo *duplex actus* exprimitur in forma; et ideo et Ad 2. quaest. incid.

---

[1] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2. Cfr. supra pag. 13, nota 2.

[2] Dist. 5. a. 3. q. 1.

[3] Act. 8, 17, ubi Glossa *interlinearis* (apud Lyranum): Ecce exemplum confirmationis. — In fine arg. non pauci codd. *transmiserint* pro *transmiserunt.*

[4] Supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 3, ubi triplex ratio adducitur, scilicet in fidei argumentum, *humilitatis exemplum* et Legis complementum. Cfr. etiam d. 6. p. II. a. 1. q. 1. — Supplevimus ex cod. N *humilitatis, ut,* quod male deest in aliis codd. et in edd.

[5] Scil. secundum antiquum morem *in Coena Domini,* ut insinuatur C. *Litteris vestris* (18.), de Consecrat. d. 3. Cfr. C. *Presbyteri, qui per dioeceses* (4.), d. 95, et Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 4. per totum.

[6] Vers. 21. — Pro *deberet* codd. F G I *debeat.*

[7] Codd. A G *carum.*

[8] Quaest. praeced. ad 1.

[9] Cfr. Act. 19, 6. — Paulo superius post *materia* cod. aa non male supplet *conferebant,* et pro *sine forma* plurimi codd. perperam *sive formam.* Vat. hanc propositionem, utpote a communi doctrina alienam, mutavit sic: *sine forma a Spiritu sancto immediate acceperunt. Nam immediate ab ipso confirmati fuerunt et quidem sine elemento* etc. Mox pro *Sed post* [cod. H *potius*] *a successoribus* edd. *Sed postea successoribus.*

[10] Secundum Bedam, supra pag. 21, nota 3. allegatum. — Superius pro *hoc elementum* cod. U *hoc Sacramentum.* Infra pro *episcopi* cod. aa *ipsi.*

[11] Quaest. praeced. — Pro *de forma* edd. et plurimi codd. *in forma;* qui error forte irrepsit ex seq. *in forma.* — Mox post *arduum* codd. M O addunt *sive difficilem,* codd. K L aa *difficilem.*

duplex elementum, consonans illi duplici actui et rei, commiscetur: *oleum* olivarum propter nitorem signat interiorem fidem ex bona conscientia; *balsamum* propter odorem dignam et laudabilem confessionem [1]. Et ex hoc patet, quare haec duo elementa magis quam alia.

Ad illud quod obiicitur de *generalitate,* dicendum, quod hoc verum esset, si esset Sacramentum necessitatis, et salvaretur in *aqua* completa ratio signandi [2]. — De *vino* similiter dicendum, quod non convenit propter hoc, quod audacem et fortem faciat obnubilando rationem: ideo non convenit, quia fortitudo spiritualis est ex ratione recta et pura, non ex ratione obnubilata [3]. Ad 3. et 4. quaest. incid.

QUAESTIO III.

Utrum quilibet possit dispensare confirmationem, saltem in necessitate.

Tertio quaeritur de potentia dispensandi hoc Sacramentum; et videtur, quod quilibet possit hoc Sacramentum dispensare, saltem in necessitate:

1. Quia, si baptizat quis, baptizatum est: cum Ad opposi- igitur baptismus maximae efficaciae sit inter Sacratum. menta [4], et quod potest in maius potest in minus; ergo si potest quilibet baptizare, potest etiam confirmare.

2. Item, in naturis sic est, quod ubi res est, ibi operatur, non ubi debet esse et non est: ergo si Spiritus sanctus est in laico bono et non in episcopo malo; videtur, quod magis confirmet per laicum.

3. Item, simplex sacerdos inungit chrismate in vertice [5]; aut tunc *aliquid* facit, aut *nihil.* Si *nihil,* tunc frustra facit; si *aliquid* facit, pari ratione potest inungere in fronte; sed hoc est confirmare: ergo etc.

4. Item, si solus episcopus hoc potest, aut hoc est propter *ordinem,* aut propter *iurisdictionem.* Si propter *ordinem,* cum alium ordinem non habeat quam sacerdos [6]: ergo et sacerdos; si propter *iurisdictionem:* ergo electus non consecratus hoc potest.

Contra: 1. Magister dicit in littera [7], quod « hoc Fundamenta. Sacramentum a solis summis sacerdotibus datur, alioquin non est inter Sacramenta Ecclesiae computandum, immo irritum habendum »: ergo a nullis aliis potest dari.

2. Item, Rabanus [8] dicit: « Per impositionem manus summi sacerdotis Paraclitus traditur baptizato »; et vocat summum sacerdotem episcopum: ergo si alius inungat et verba dicat, hoc Sacramentum non tribuit.

3. Item, *ratione* videtur: quia, Actuum octavo [9], dicit quaedam Glossa, quod Philippus ille, ad cuius praedicationem Samaritani crediderant, non poterat manus imponere, quia non erat Apostolus: ergo solum Apostolis hoc concessum erat.

CONCLUSIO.

Confirmatio nec potest nec debet dispensari nisi ab episcopis.

Respondeo: Dicendum, quod illud Sacramentum Conclusio. nec potest nec debet per alios [10] dispensari, et si alii praesumunt, nihil faciunt. — Et ratio huius est, Ratio. quia auctoritas Ecclesiae fuit derivata ad membra secundum *ordinem* Ecclesiae *primum;* unde sicut soli Apostoli hoc poterant, sic nunc soli eorum successores possunt.

Sed tunc est quaestio: *quare* hoc Sacramentum Quaest. incid. solvitur. et ordinis a solis episcopis traditur et solis episcopis fuit commissum? Dicendum, quod ratio [11] huius est, quia ipsi et eorum successores sunt praelati in Ecclesia principales; praelati autem duplex est offi- Duplex officium praelati. cium, scilicet inferiores in gradu suo statuere et collocare in ordine, et murum ponere se sive gregem suum defendere: ideo ipsi soli ordines faciunt et corroborant [12].

Aliter dicunt aliqui, quod in his duobus Sacra- Ratio aliorum. mentis datur gratiae plenitudo; ideo ab his debent dari, qui habent plenitudinem auctoritatis, ab aliis

---

[1] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XV. c. 1: Unde et propter abundantiam gratiae [chrisma] duos liquores mixtos habet: oleum scilicet et balsamum. Oleum conscientiae, balsamum famae; oleum, quo intus conscientia perungitur, balsamum, cuius odore foris proximi resperguntur; oleum intus ad pacem cum Deo, balsamum foris ad exemplum cum proximo. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXIII. c. 1.

[2] Cfr. infra a. 3. q. 2. et supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vide supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. — De seq. proposit. cfr. supra pag. 142, nota 8. — Quod *quilibet* possit baptizare, ostensum est supra d. 5. a. 1. et 2.

[5] Ut dictum est supra d. 6. p. II. a. 3. q. 2. circa finem.

[6] Secundum opinionem Scholasticorum. Cfr. infra d. 24. p. II. a. 2. q. 3.

[7] Hic c. 2.

[8] Libr. I. de Instit. cleric. c. 30. Vide hic lit. Magistri, c. 3, et C. *Novissime* (5.), de Consecrat. d. 5.

[9] Vers. 17. Glossam Bedae vide supra pag. 58, nota 7.

[10] Simul audi: nisi per episcopos. Vide tamen huius sententiae restrictionem infra dub. 1.

[11] Pro *dicendum, quod ratio* codd. *et ratio.*

[12] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXIV. c. 14. seq. — De seq. ratione vide hic lit. Magistri, c. 4, et infra d. 25. a. 1. q. 1. — Pro *murum ponere* edd. *murum opponere,* quae lectio congruit Ezech. 13, 5.

non. Propter hanc eandem rationem consecrare ecclesias et abbates, quia sunt opera excellentiae, solis episcopis sunt concessa, pro eo quod habent excellentem auctoritatem.

Ratio 3. Alia ratio potest reddi, quod ipsis episcopis est cura de subditis et maxime de clericis, cum curam habeant de omnibus; licet aliis commissa sit custodia [1], tamen placuit Spiritui sancto, ut aliquod Sacramentum *omnes subditi* a praelato reciperent *immediate;* similiter, quod clerici aliquod; et illud est duplex Sacramentum, in quo duplex imprimitur signaculum. Unde et Apostolus, primo [2] ad Romanos: *Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis spiritualis gratiae ad confirmandos vos.* — Multae possunt hic rationes assignari et convenientiae, quia in talibus magis locum habet *congruitas* quam *necessitas*, quia *institutio* necessitatem facit praecipue [3]. (Notandum.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod non est simile: quia enim baptismus est Sacramentum necessitatis, ideo potestas eius omnibus est concessa; non sic autem est de confirmatione.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus sanctus operatur, ubi est; dicendum, quod gratia Spiritus sancti, per quam dicitur in nobis operari, duplex est, scilicet *gratum faciens*, et sic operatur opera nostra [4] ad salutem eius, in quo est; et *gratis data*, et per hanc operatur salutem in altero; et haec manet in homine, gratia gratum faciente recedente, ex dispensatione divina, ut subditi salus non impediatur malitia praelati. (Duplex gratia.)

3. Ad illud quod obiicitur de sacerdote, quod ungit in vertice; dicendum, quod nihil efficit; et tamen non frustra fit, quia *instruit* et coniunctum *efficit*, scilicet baptisma [5]. *Praeterea*, si aliquid facit, non tamen ut Sacramentum confirmationis.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur: unde habet hoc episcopus; dicendum, quod nec a *iurisdictione* nec ab *ordine sacerdotali*, sed *auctoritate et dignitate episcopali;* et haec dicit ordinem in eminentia. Haec autem eminentia confertur episcopo, cum consecratur; et ideo si renuntiet iurisdictioni, adhuc potest confirmare [6]. Quamvis igitur non habeat ex ordine sacerdotali nec ex iurisdictione temporali, habet tamen ex aliquo, quod superexcellit utrumque. — Aliqui tamen dicunt, quod hoc habet ratione institutionis [7]. (Notandum.) (Aliter.)

ARTICULUS II.

De confirmatione quoad efficaciam.

Quantum ad secundum articulum quaeritur de virtute sive efficacia Sacramenti confirmationis, et circa hoc tria quaeruntur.

Primo supposito quod det gratiam, cum sit Sacramentum novae legis, quaeritur, utrum det gratiam gratum facientem.

Secundo, utrum eadem gratia detur in baptismo et confirmatione.

Tertio, utrum copiosius munus gratiae conferatur in confirmatione quam in baptismo.

QUAESTIO I.

Utrum confirmatio conferat gratiam gratum facientem.

Et quod conferat gratiam gratum facientem, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo per auctoritatem Rabani [8]: «Per impositionem manus summi sacerdotis Spiritus sanctus traditur baptizato»; sed non dicitur dari Spiritus sanctus, nisi quando datur gratia gratum faciens: ergo in Sacramento confirmationis gratia gratum faciens datur.

2. Item, *ratione* videtur: quia hoc Sacramentum confirmat in bono; sed sicut solius gratiae gratum facientis est revocare a malo, ita et confirmare in bono: ergo etc.

---

[1] Cod. aa, post *clericis* addito *corporaliter et spiritualiter*, hic subiungit *laicorum*.

[2] Vers. 11. — Inferius pro *et convenientiae* permulti codd. *et conveniens est*, codd. M S *ut conveniens est.*

[3] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 1: Ex quo enim quodlibet Sacramentum contra institutionem celebratur, irritum deputatur.

[4] Cod. H *opera meritoria*, cod. bb a secunda manu *opera interiora nostra.*

[5] Cfr. supra d. 6. p. II. a. 3. q. 2. circa finem, ubi proponitur significatio huius unctionis, quae immediate post trinam immersionem datur baptizato. — Pro *coniunctum* ed. 1 *coniunctim.* Mox pro *non tamen* plures codd. *non tantum*, edd. *tamen non tantum.*

[6] Vide infra d. 24. p. II. a. 2. q. 3. in corp. et d. 25. a. 1. q. 1.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Libr. I. de Instit. cleric. c. 30. Vide hic lit. Magistri, c. 3, in cuius principio insinuatur etiam *maior* arg. seq., de qua Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VII. c. 3: Illic [in baptismo] gratia attribuitur ad remissionem peccatorum, hic [in confirmatione] gratia datur ad confirmationem.

3. Item, gratia collata in hoc Sacramento est completiva et confirmativa et augmentativa gratiae baptismalis, sicut dicit Magister[1], quia «maius augmentum virtutum praestat»; sed gratia gratis data nec complet nec confirmat nec auget gratum facientem: ergo non confertur in Sacramento confirmationis talis gratia, sed potius gratum faciens.

Contra: 1. Habens gratiam gratum facientem, accedens ad baptismum, ipsam non suscipit[2]: ergo si omnis accedens digne ad confirmationem habet gratiam gratum facientem: ergo non dat eam confirmatio. Ad oppositum.

2. Item, *esse* spirituale potest esse sine *esse* robusto, sicut et naturale *esse* potest esse sine robusto *esse*, quia hoc est *bene esse;* sed omne illud, sine quo potest stare *esse* spirituale, est gratia gratis data, non gratum faciens; ergo cum confirmatio conferat tale *esse*, non confert nisi gratiam gratis datam.

3. Item, inter hanc gratiam et illam hoc interest, quod gratia gratis data respicit poenam, sed gratum faciens culpam; sed confirmatio est contra poenam[3]: ergo etc.

4. Item, videmus, Christum libere confiteri multos in mortali peccato, actus ergo ille potest esse a gratia gratis data: si ergo ad hoc confertur confirmatio, non est necesse, quod det gratiam gratum facientem.

CONCLUSIO.

Confirmatio gratiam gratum facientem confert, scilicet secundam.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut innuit Rabanus, et Magister dicit, et communiter concordant doctores, confirmatio dat gratiam gratum facientem. Conclusio 1. Sed notandum, quod gratia gratum faciens dupliciter dicitur: aut gratum faciens de *non grato*, et talis est gratia baptismalis et poenitentialis; aut magis gratum faciens de *iam grato;* et talis est gratia confirmationis, quae gratiam acceptam ampliat et confirmat. Distinctio. Conclusio 2.

1. Et per hoc patet responsio ad primum obiectum in contrarium: quia, quamvis baptizatus habeat gratiam gratum facientem, non tamen habet ad illum effectum nec in illo statu, in quo habet post confirmationem; et ideo recipitur hoc Sacramentum ad perfectionem illius gratiae et confirmationem, et hoc per gratiam in hoc Sacramento collatam, quae nondum habetur. Non sic est de gratia *baptismali*, quia baptismus *flaminis* dat primam gratiam iustificantem, sicut baptismus *fluminis*. Nihilominus tamen non est negandum, quod in baptismo *fluminis* tribuatur gratia gratum faciens etiam prius grato, non ad iustificandum, sed ad augendum[4]; et hoc principaliter est in confirmatione. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod *esse* spirituale est sine gratia confirmationis; dicendum, quod gratia augmentans utique gratum faciens est; et tamen sine ea est *esse* spirituale: et ideo illa propositio[5] est falsa: omne illud etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod gratia gratum faciens est contra culpam; dicendum, quod non tantum est contra culpam, sed etiam contra poenam, eatenus qua ordinata est ad culpam; et talis est pusillanimitas.

4. Ad ultimum dicendum, quod quamvis possit aliquis Christum confiteri sine gratia confirmationis, non tamen ita faciliter nec ita utiliter nec ita salubriter, sicut cum gratia gratum faciente, quoniam ex ipsa est confessio laudabilis et Deo accepta.

SCHOLION.

I. In solvendis tribus huius articuli quaestionibus auctores nunc satis conveniunt. — De *charactere* indelebili, quem confirmatio imprimit, cfr. supra d. 6. p. I. q. 1-5. — *Gratia* confirmatione collata est *sanctificans,* sed *secunda,* quae praehabitam auget et specialiter confortat. — Quoad seq. (2). quaestionem cfr. supra d. 1. p. I. q. 6.

De utraque quaestione antiqui Scholastici plerumque simul agunt. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 3. a. 2. § 1. — S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. 2. 3; S. III. q. 72. a. 7. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Dionys. Carth., de his et 3. q. hic q. 4.

II. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 2. — Scot., hic q. 3. — S. Thom., hic loc. cit. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum eadem gratia conferatur in baptismo et in confirmatione.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum eadem gratia conferatur in baptismo et confirmatione. Et quod *alia,* videtur:

1. Quia baptismus et eius effectus praecedit Sacramentum confirmationis tempore et natura; sed quod praecedit alterum tempore et natura differt ab eo essentialiter[6]: ergo differens gratia confertur in hoc Sacramento et in illo. Fundamenta.

[1] Hic c. 4.

[2] Vide supra lit. Magistri, d. IV. c. 5. et 7.

[3] Cfr. infra q. 3. fundam. 1. — Cod. aa addit *quae remanet post baptismum.*

[4] Vide supra lit. Magistri, d. IV. c. 5. seq.

[5] Scil. *minor* obiectionis.

[6] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Priori;* VII. Topic. c. 1, et V. Metaph. text. 16. (IV. c. 11.).

2. Item, signa sunt similia et proportionabilia signatis; sed aliud signum est in baptismo et alius character [1]: ergo alius effectus et alia gratia.

3. Item, si omnino daretur eadem gratia, ergo qui haberet baptismum haberet confirmationem: ergo ulterius frustra confirmaretur.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Utraque gratia est gratum faciens [2]; sed in una anima est una gratia gratum faciens, quia duo accidentia et maxime accidentia simplicia in eodem subiecto esse non possunt, cum sunt eiusdem speciei: ergo constat, quod una numero.

2. Item, eadem per essentiam est virtus debilis et robusta: ergo gratia baptismalis similiter et gratia confirmationis eadem.

3. Item, gratia praeveniens et subsequens, sicut dicit Magister, secundi libri distinctione vigesima septima [3], est eadem per essentiam; sed sic se habet gratia baptismalis et confirmationis, quia baptismalis praevenit, ut homo iuste velit, confirmationis confirmat, ne frustra velit: ergo etc.

CONCLUSIO.

Gratia baptismi et confirmationis est una, in quantum gratum faciens, sed diversa respectu effectus.

RESPONDEO: Cum quaeritur, utrum gratia, quae datur in Sacramento baptismi et confirmationis, sit eadem, vel alia; ista quaestio dupliciter potest intelligi: vel quod in Sacramento confirmationis non *conferatur* aliqua gratia nec aliquis character, sed solum baptismalis *confirmetur* sine alicuius appositione; et hoc quidem est quaerere, utrum in confirmatione conferatur aliqua gratia. — Si enim *confertur;* cum non conferatur quod collatum est, patet, quod ista quaestio ex praecedenti quaestione soluta est: quia ibi datur gratia, ut dicit Rabanus, Hugo et Magister [4], cum dicunt, ibi gratiam *augeri,* ac per hoc et *novam conferri.* Quidquid enim voluerunt aliqui dicere, credo illud verum. — Vel potest quaeri, utrum sint *eaedem;* esto quod in utroque detur gratia, ita quod ex his *una gratia per essentiam* fiat, sicut fit de eo quod auget, et eo quod augetur. Et hic [5] sunt tres positiones.

(Modus intelligendi 1.) (Modus intelligendi 2.)

Quidam enim dicunt, quod *differunt essentialiter,* sicut *virtutes* et *dona;* quia in *baptismo* datur gratia, quae influens in potentias facit *virtutes,* in *confirmatione* gratia, quae influens in potentias facit *dona,* in *ordine,* quae facit *beatitudines.* — Etsi pulcra videatur haec positio, tamen veritatem non habet, quia in *virtutibus* et *donis* ponit gratiam *essentialiter* differre [6]. *Rursus, connexionem* illorum dissolvit; in Sacramentis enim non est connexio, ut in virtutibus et donis.

(Opinio 1. de hoc.) (Non probatur.)

Opinio 2. Alia positio est, quod gratia haec et baptismalis, etsi sint gratum facientes, *differunt* tamen *essentia,* sicut *morbi,* contra quos ordinantur; et distinguuntur in *subiecto,* quia in diversis partibus animae potentialibus [7]: ut, sicut partes animae partes corporis, sic partes gratiae partes animae sive potentias perficiant. Unde dicunt, quod *distinctae* manent in anima, nec una auget aliam nec confirmat nisi *per accidens,* scilicet quia confirmat hominem.

Alia principia ponuntur. Tertio modo potest dici, quod gratia gratum faciens in anima est *una,* quia una est anima, quae gratificatur et uni [8]; et *rursus,* tota gratia tollitur unico peccato. — Propter hoc dicendum aliter, sicut in *virtutibus gratuitis,* quod est ibi *gratia* et *habitus substratus,* et *gratia una* in omnibus, sed *habitus substrati alii et alii;* sic in *sacramentali* etiam gratia et est *gratia gratum faciens* et *effectus specialis,* quem habet virtute Sacramenti. Et in quantum *gratum faciens, una est,* sed ratione *effectuum distinguitur* [9]; et quia Sacramentum significat gratiam ut in tali effectu, ideo signa et Sacramenta sunt diversa. — Concedendum est ergo, quod gratiae baptismali *superadditur* gratia confirmationis, quae habet alium effectum, scilicet ablationem pusillanimitatis; et hoc probant tres primae rationes. Concedendum est etiam, quod *cedit in unam,* sicut probant tres sequentes rationes. — Quamvis enim *gratia* per essentiam sit eadem, tamen *effectus,* ad quem ordinatur, est alius et alius; et ideo non est repugnantia inter rationes illas. Gratia enim in anima una est gratum faciens, sed effectus sunt multi et varii; et quoniam signa sacramentalia ordinantur ad gratiam secundum *effectus curationis:* ideo sunt varia signa et Sacramenta, et non solum signa *exteriora* et visibilia, sed etiam *interiora,* ut puta sunt characteres, qui sunt signacula distinctiva [10].

(Opinio 3.) (Conclusio.) (Ad argg.) (Corollarium.)

---

[1] Ut dictum est supra d. 6. p. I. q. 4. — Cod. F *et alius effectus: ergo alia gratia.*

[2] Vide quaest. praeced. — *Minor* ostensa est II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. De ratione *minori* addita cfr. ibid. pag. 119, nota 8.

[3] Cap. 1, ubi etiam dicit, gratia praeveniente voluntatem praeparari, *ut bonum velit,* gratia subsequente eam adiuvari, *ne frustra velit.* — Inferius pro *confirmationis confirmat* cod. U *confirmationis gratia subsequitur.*

[4] Verba Rabani et Magistri allegata sunt fundam. 1. et 3. quaest. praeced.; verba Hugonis vide supra pag. 168, nota 8.

[5] Permulti codd. *hinc.*

[6] De hac et seq. ratione vide supra d. 1. p. I. q. 6, ubi et de *tertia* positione. — Mox pro *connexionem* ed. 1 cum pluribus codd. *connexiones.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1; d. 27. a. 1. q. 2, et ibid. pag. 600, nota 4. — Cod. Z supplet *sunt.* Subinde post *corporis* cod. aa bene addit *perficiunt.* Aliquanto inferius pro *quia confirmat* ed. 1 cum pluribus codd. *qua* [codd. F G I *in quantum*] *confirmat.*

[8] In codd. W Y additur *scilicet Deo.* Cfr. supra d. 6. p. I. q. 2. in corp.

[9] Ita codd. E K W, in aliis et edd. *distinguuntur.*

[10] Cfr. supra d. 6. p. I. q. 4.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud tamen quod obiicitur, quod non sunt duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto; dici potest, quod [1], in quantum sunt sacramentalia, non sunt eiusdem speciei, sed diversae.

2. Ad illud quod obiicitur, quod eadem est virtus debilis et roborata; dicendum, quod non solum differunt per *debile* et *roboratum* gratia baptismalis et confirmationis, sed etiam per *morbum*, contra quem sunt et quem curant.

3. Ad illud quod obiicitur de gratia praeveniente et subsequente, dicendum, quod non est simile: quia ad eundem effectum ordinantur gratia praeveniens et subsequens, non sic gratia Sacramentorum istorum; nihilominus tamen concedo, quod illa gratia gratum faciens, secundum quod huiusmodi, *cedit in unum* cum gratia baptismali et illam auget: ideo prima ratio non valet, quod quae habent ordinem temporis non sunt idem. Illud enim fallit in his quorum unum se habet per additionem ad alterum [2]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum copiosius munus gratiae conferatur in confirmatione quam in baptismo.

Tertio quaeritur, utrum copiosius munus gratiae conferatur in confirmatione quam in baptismo. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa. 1. *Ratione effectus:* est enim haec ad *confirmandum*, illa ad *iustificandum;* illa est ad *credendum*, haec ad *confitendum* [3]: si ergo maioris gratiae est *confirmatum esse* quam *iustificari*, maioris etiam publice *confiteri* quam occulte *credere;* videtur, quod gratia confirmationis sit copiosior.

2. Item, *ratione alia* videtur: quia signum [4] in hoc Sacramento est pretiosius et carius: ergo et gratia signata pretiosior et maior in confirmatione, cum signum in Sacramentis debeat respondere signato.

3. Item, *ratione dispensationis:* quia non ideo maius est Sacramentum, quia a maioribus, sed quia maius, ideo est eius dispensatio commissa maioribus [5]; sed dispensatio huius Sacramenti est maioribus commissa quam baptismi: ergo etc.

4. Item, hoc ipsum ostenditur *auctoritate* Rabani [6]: «In baptismo Spiritus sanctus descendit ad habitationem Deo consecrandam, in hac vero eiusdem septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venit in hominem»: patet ergo, quod confert maius munus.

Pro parte negativa. Contra: 1. Gratia baptismalis est contra culpam originalem et *omnes* eius sequelas, sed confirmationis contra *unam* sequelam, ut puta pusillanimitatem [7]; sed congruum est, contra morbum maiorem et efficaciorem dari medicinam: ergo etc.

2. Item, ratione effectus primi videtur: quia maius donum est de inimico fieri amicum quam de amico magis amicum; sed in baptismo fit homo amicus, in confirmatione autem magis [8]: ergo in baptismo confertur maius donum.

3. Item, baptismus facit hominem innocentem et statim aperit caelum [9]; sed hoc non facit confirmatio nec aliud Sacramentum: ergo baptismus est efficacius Sacramentum.

4. Item, ad hoc est auctoritas Magistri in littera [10]: «Maius est hoc Sacramentum, non ob maiorem virtutem, vel utilitatem, quam conferat, sed quia a dignioribus datur»: ergo etc.

CONCLUSIO.

Gratia confirmationis non praecise, sed cum praesuppositione dici potest maior gratia baptismali.

Axioma. Respondeo: Dicendum, quod gratia confirmationis praesupponit gratiam baptismalem, sicut *bene esse* supponit *esse.* Quando igitur fit comparatio harum gratiarum, potest fieri dupliciter: uno modo *cum praesuppositione;* et sic omnino maior est gratia confirmationis quam baptismalis; sicut «*bene* et *perfecte vivere* melius quam *vivere* [11]», quia hoc addit ad illud et complet. Conclusio 1. — Si autem intelligatur *praecise*, ut scilicet haec gratia, quae additur, sit maior, vel minor; dicendum sine dubio, quod non est tantae efficaciae, ut patet, quia vivificare mortuum maior gratia est et potentia, quam iam vivificatum sanare vel fortificare, *praecise* loquendo; sed *cum praesuppositione* maius est esse vivum et sanum quam vivum tantum. Conclusio 2.

---

[1] Supple: gratia baptismi et confirmationis.

[2] Aristot., II. Topic. c. 4. (c. 11.): Si id, ad quod est appositum aliquid, facit magis tale, quale erat, et ipsum erit eiusmodi. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Cfr. supra q. 1. seq.

[4] Scil. chrisma. Cfr. supra a. 1. q. 2. q. incid. 3.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 4. — *Minor* ostensa est supra a. 1. q. 3. — Inferius post *quam* edd. supplent *dispensatio.*

[6] Libr. I. de Instit. cleric. c. 30. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[7] Sive infirmitatem, secundum Bedam, de quo vide supra pag. 53, nota 4. — De effectu gratiae baptismalis cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Subinde ante *morbum* codd. E I L U interserunt *maiorem;* deinde edd. ante *efficaciorem* omittunt *et.*

[8] Vat. addit *amicus.*

[9] Cfr. supra d. 3. p. II. dub. 3.

[10] Hic c. 4. — Pro *conferat* cod. K *confert.*

[11] Aristot., III. Topic. c. 2.

Ad argg. Rationes ergo probantes, quod confirmationis gratia maior est, intelliguntur *cum praesuppositione,* quia auget gratiam baptismalem; sed rationes probantes contrarium, intelliguntur *cum praecisione,* hanc gratiam illi cui additur, comparando; et hoc patet per singulas rationes cuilibet inspicienti [1].

ARTICULUS III.

De confirmatione quoad usum.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de usu Sacramenti confirmationis, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de usu quantum ad generalitatem.

Secundo, quantum ad necessitatem.

Tertio, quantum ad modum dispensandi et ordinem.

QUAESTIO I.

Utrum usus Sacramenti confirmationis debeat esse generalis.

Et quod non debeat eius usus esse generalis, videtur:

Ad oppositum. 1. Et primo, quod debeant excludi *mulieres:* quia hoc Sacramentum ordinat ad pugnam [2]; sed mulieres excluduntur a bello: ergo debent excludi ab hoc Sacramento.

2. Item, videtur, quod debeant excludi *parvuli,* per eandem rationem, cum non sint apti ad portandum arma.

3. Item, videntur [3] excludi illi qui sunt in *periculo mortis:* quia illi exeunt extra omnem pugnam: ergo liberi sunt a Sacramento pugnae.

4. Item, videtur, quod hoc Sacramentum non competat *mutis:* quoniam hoc Sacramentum est ad liberam nominis Christi confessionem [4]; sed muti non possunt confiteri ore: ergo frustra recipiunt qui hoc recipiunt.

5. Item, aut ab hoc Sacramento excluduntur *aliqui,* aut *nulli.* Si *aliqui:* non ergo est omnium generaliter; si *nulli* excluduntur: ergo character impressus distinguit solum ab infidelibus: ergo a tot et eisdem, a quot et quibus character baptismalis: ergo videtur, quod alter istorum superfluat; quod est inconveniens [5].

Fundamenta. Contra: 1. Quod istud Sacramentum competat *omnibus,* videtur: quia, sicut dicit Magister et Rabanus [6], in hoc Sacramento datur septiformis gratia Spiritus sancti; sed iste effectus est omnibus generalis: ergo et hoc Sacramentum.

2. Item, quod conveniat *omni sexui,* videtur, et maxime muliebri: quia *omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur* [7], ergo et sexus infirmus; sed infirmo, qui persecutionem patitur, sunt maxime necessaria arma fortitudinis: ergo cum haec dentur in confirmatione, videtur, quod mulieres maxime indigeant hoc Sacramento.

3. Item, quod sit necessarium *omni aetati* et maxime puerili, videtur: quia discreti ducis est armare milites suos ante pugnam et ante laesionem; sed pugna et laesiones et ictus [8] statim incipiunt in annis discretionis: ergo competens est, Sacramentum confirmationis ante annos discretionis dari.

4. Item, videtur, quod *omni statui:* quia *certum* est de *viventibus,* et hoc *ostenditur* de *morientibus* auctoritate Hugonis, qui dicit in libro de Sacramentis [9]: « Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret »; et ita morienti etiam opportunum est.

CONCLUSIO.

Sacramentum confirmationis competit omnibus.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod illud Sacramentum omnibus competit propter gratiae ampliationem, quae ibi datur [10], sed maxime competit his qui sunt de acie pugnantium in bello spirituali; et quia hoc competit omni sexui, ideo et hoc Sacramentum omnibus competit.

---

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Cfr. infra q. 3. in corp. — Mox plurimi codd. *excludebantur* pro *excluduntur.* [3] Cod. aa *videtur, quod debeant.*

[4] Ut ostensum est supra a. 1. q. 1. ad q. incid. 1. — In fine arg. codd. K N W Y aa addunt *Sacramentum.*

[5] Cfr. supra d. 6. p. I. q. 4.

[6] Hic in lit. Magistri, c. 4.

[7] Epist. II. Tim. 3, 12, ubi Vulgata post *in Christo* addit *Iesu,* et pro *patiuntur* substituit *patientur.* Plurimi codd. et ed. 1 omittunt *in Christo.*

[8] Vat. *lucta,* ed. 1 cum pluribus codd. *iocus,* aliquot codd. *locus.*

[9] Libr. II. p. VII. c. 3: In gestis pontificalibus legitur, quod Sylvester papa constituit, ut baptizatum presbyter in vertice chrismate liniat propter occasionem quidem mortis, ne forte per absentiam episcopi et difficultatem eum consequendi, sine manus impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret; quod quidem omnino periculosum esset. — Pro *contingeret* cod. Z *contingerent.*

[10] Vide supra a. 2. q. 1. seqq.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de *mulieribus*, patet [1]: quia, licet non competat bellum *materiale*, competit tamen *spirituale*. Multae enim in hoc bello strenues fuerunt, ut patet de sacris Virginibus, quae martyrizatae sunt pro confessione et nomine Christi.

2. Ad illud quod obiicitur de *parvulis*, dicendum, quod parvuli non armantur pro statu illius aetatis, ut tunc pugnent, sed ut postmodum sint pugnaturi. Sed nec hoc fit nisi convenienter, quia arma illa non sunt aggravantia, sed alleviantia; nec solum sunt defendentia, sed praemunientia [2]; et melius est, hominem muniri ante laesionem quam post.

3. Ad illud quod obiicitur de his qui sunt in *periculo mortis*, patet responsio: quia non recipiunt Sacramentum ad pugnam et conflictum, sed ad meritum obedientiae et virtutis augmentum; quod est eis utile et bonum.

4. Ad illud quod obiicitur de *mutis*, dicendum, quod Sacramentum istud est ad corroborationem fidei in corde; et hoc ita indiget mutus ut disertus; nec tantum in corde, verum etiam in nutu et passione potest Christum profiteri: et ideo hoc Sacramento indiget, sicut et alii.

5. Ad illud quod ultimo quaeritur de charactere, dixerunt aliqui, quod *unus* est character, differens solum secundum *statum;* ideo non est superfluitas, quamvis ab eisdem distinguat. — Sed tamen illud non est conveniens dicere, quod *idem* sit character, cum aliud sit signum exterius, cum etiam non confirmatus possit ordinari [3].

Solutio aliorum. Non probatur.

Et ideo dicendum est aliter, quod *alius* est character et ab eisdem distinguit; sed tamen non superfluit, quia secundum alium et alium statum distinguit. Quamvis enim omnis Christianus sit Christi pugil, tamen ex gratia in alio et alio *statu* dicitur *Christianus* et *pugil;* et secundum alium et alium *actum*, scilicet confessionem exteriorem et credulitatem interiorem. Et quia secundum aliud *distinguit* character et ad alium actum gratiae *disponit* [4], ideo non superfluit; et cum alius sit *status fidei*, et character *statum* respiciat, quamvis *fides* sit eadem; character est alius, sicut signum exterius.

Solutio auctoris.

SCHOLION.

I. Quoad hanc et seq. quaestionem omnino constat, confirmationem ad salutem non esse necessariam necessitate *medii;* item communiter tenetur, in quibusdam circumstantiis, ut si instat fidei periculum ob persecutionem, eandem esse necessariam necessitate praecepti divini, graviter obligantis. Quod autem generaliter omnes, etiam secluso contemptu et scandalo, gravi praecepto divino vel ecclesiastico teneantur hoc Sacramentum vel in re, vel in voto suscipere, a multis auctoribus negatum est. S. Alphonsus, Theol. moral. libr. VI. tr. 2. c. 2. dub. 3. n. 182, resolvit, negantem hanc opinionem post Benedictum XIV. (in Bulla *Etsi pastoralis*) hodie videri non esse satis probabilem.

De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 3. a. 1. — Scot., in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2. 3; S. III. q. 72. a. 8. — B. Albert., hic a. 1. 8. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. et a. 5. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 5. et 2. circa finem.

II. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 2. § 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 6. — B. Albert., hic a. 9. quaestiunc. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3.

QUAESTIO II.

Utrum gratia confirmationis sit de necessitate salutis.

Secundo quaeritur de huius Sacramenti necessitate, et quaeritur, utrum gratia confirmationis sit de necessitate salutis; et quod sic, videtur.

Ad argg. pro parte affirmativa.

1. Rabanus [5]: « Omnes fideles per manus impositionem episcoporum accipere debent Spiritum sanctum, ut pleni Christiani inveniantur »; sed nullus salvatur, nisi sit plenus Christianus: ergo similiter nullus salvatur sine Sacramento confirmationis.

2. Item, Hugo [6]: « Quid prodest, quod per baptismum a lapsu erigeris, nisi etiam per confirmationem ad standum confirmeris »? quasi dicat: nihil.

---

[1] Cod. R bene addit *responsio.*

[2] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 1. ad 4.

[3] Idem habetur supra d. 6. p. I. q. 4. q. incid. 1. — Ibid. in corp. quaest. explicata sunt ea quae sequuntur.

[4] Ita codd. F I, alii codd. et edd. *Et quia secundum aliud distinguit et character ad alium statum gratiae disponit.* Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 5. a. 2. § 1: *Et quia secundum aliud distinguit character confirmationis et character baptismatis et ad alium statum gratiae disponit.* In fine solut. post *character est* edd. adiungunt *tamen.*

[5] Haec sententia communiter a Scholasticis tribuitur *Rabano;* occasionem forsan praebuit Magister, hic in lit. c. 3. Gratianus, C. *Omnes fideles* (1.), de Consecrat. d. 5, allegat pro ipso *Urbanum.*

[6] Libr. II. de Sacram. p. VII. c. 3.

3. Item, Hugo[1]: « Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret » ; sed non esset omnino periculosum, nisi necessarium ad salutem: ergo etc.

4. Item, ad Romanos decimo[2]: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* utrumque ergo est ad salutem necessarium; sed nullus salvatur, nisi credat, vel habeat fidei Sacramentum: ergo nullus salvatur, nisi confiteatur, vel habeat Sacramentum ad hoc ordinatum.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Baptismus delet culpam[3], ergo dat gratiam; sed habens quantulamcumque gratiam habet quod necessarium est ad salutem: ergo non est ulterius necessaria sibi confirmatio, vel aliquid aliud. *Si dicas,* sufficere ad *salutem,* si moritur, sed non ad *pugnandum,* si vivit; *contra:* in baptismo datur gratia cum omnibus virtutibus, sicut dicit Magister distinctione prima[4]; sed qui habet virtutes habet arma sufficientia ad pugnam: ergo etc.

2. Item, nullus cadit nisi volens: ergo ex quo habet gratiam ipsum statuentem, potest stare: ergo non necesse est cadere[5]: ergo gratia confirmationis non est necessaria.

3. Item, magna caritas sufficit ad tolerandam mortem; sed possibile est, eum qui baptizatur, antequam hoc Sacramentum percipiat, per bona opera ad caritatem magnam pervenire: ergo sine hoc Sacramento est salus pugnantibus.

CONCLUSIO.

Sacramentum confirmationis est necessarium non simpliciter, sed ex conditione; qui autem negligendo illud contemnit periculo se exponit.

Duplex necessitas. Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod est necessitas *simpliciter,* et est necessitas *conditionata*[6]. *Simpliciter* non est gratia confirmationis necessaria, sed necessaria *ex conditione,* scilicet pugnanti et vincere volenti, sicut *comedere* necessarium est vivere volenti. Unde Melchiades papa dicit, et habetur de Consecratione distinctione quinta[7]: « In hoc mundo tota aetate victuris inter hostes invisibiles et pericula gradiendum est; et baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam »; quia omnes viventes in pugna vivunt, quia *militia est vita hominis super terram*[8].

Conclusio 2.

Ex institutione ergo Ecclesiae est, quod nullus ab hoc Sacramento excipitur, sed omnes suscipere debent, ut sint strenui pugnatores; et ideo, si quis, cum habet locum et tempus et opportunitatem, negligendo contemnit, periculo se exponit.

Ad argg. pro parte affirmativa.

1. 2. 3. Rationes igitur probantes, quod *simpliciter* necessarium sit, non valent. Et primo, auctoritas Rabani intelligitur de plenitudine *copiae,* non *sufficientiae,* vel de plenitudine non in *esse,* sed in *robore*[9]. Auctoritas Hugonis intelligitur de eo qui vivere debet in pugna. Sequens auctoritas intelligitur ratione negligentiae et contemptus institutionis Ecclesiae.

4. Ad illud quod obiicitur de confessione fidei, dicendum, quod illud non est simile: quia credere necessarium est cuilibet[10], ex quo est adultus; sed confiteri non tenetur nisi pro loco et tempore.

Ad argg. pro parte negativa.

1. Ad illud quod obiicitur ad oppositum, quod non est necessaria *simpliciter;* verum est, quia morienti et non contemnenti sufficit gratia baptismalis.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod non est necessaria ad *pugnam;* dicendum, quod quamvis liberum arbitrium non cogatur, tamen ita infirmatum est pusillanimitate, quod nunquam staret, nisi gratia fortificante sustentaretur, et illa infirmitas curaretur: et ideo necessaria est ad statum[11] non propter impellentem tantum, sed propter interiorem debilitatem.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod magna caritas potest augeri; dicendum, quod sicut in baptismo contingit, quod homo bene se praeparando habet gratiam, quae datur in baptismo, antequam baptizetur; sic potest esse in gratia confirmationis; et tamen Sacramentum baptismi est necessarium, non superfluum, quia illam gratiam efficacius dat[12] et illis dat, qui non per se poterant se sufficienter disponere sine Sacramento: per hunc igitur modum intelligendum est in confirmatione. — Est igitur necessaria gratia confirmationis, non sine qua simpliciter non sit salus, sed sine qua, vel per Sacramentum, vel alias accepta, pugnando non pervenitur ad salutem[13].

Epilogus.

---

[1] Loc. cit. Cfr. supra pag. 172, nota 9. — Inferius post *nisi* cod. H (bb a secunda manu) bene supplet *esset.*

[2] Vers. 10.

[3] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. — De connexione inter deletionem culpae et gratiam cfr. supra d. 1. p. II. a. 2. q. 3. in corp., et C. *Per aquam* (9.), de Consecrat. d. 4, ubi ex Ambrosio (I. de Sacram. c. 4. n. 12.) habetur: Per aquam baptismi transitus est a terrenis ad caelestia... a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam etc.

[4] Cap. 9. in fine.

[5] Codd. F G I *eum cadere.*

[6] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 87. seqq. (c. 9.), et V. Metaph. text. 6. (IV. c. 5.).

[7] Can. *Spiritus sanctus, qui* (2.). Cfr. Isidor. Mercator. (ed. Migne, Patrol. Lat. tom. 130. col. 241). Pro *et baptismo* textus originalis et edd. *in baptismo.*

[8] Iob 7, 1. — Mox post *sed* cod. R suplet *hoc.*

[9] Melchiad., loc. cit., ait: Spiritus sanctus... in fonte *plenitudinem* tribuit *ad innocentiam,* in confirmatione augmentum praestat ad gratiam... Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia etc.

[10] Non pauci codd. *alicui.*

[11] Vat. *standum.*

[12] Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 9. in fine et d. IV. c. 5. seqq. — Inferius pro *poterant* edd. *possunt.*

[13] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum Sacramentum confirmationis possit dari ante baptismum.

Tertio quaeritur de modo sumendi istud Sacramentum et de ordine. Et ostenditur, quod istud Sacramentum non possit dari ante baptismum.

1. Et primum ostenditur per hoc, quod baptismus est *fundamentum* et *ianua* Sacramentorum: ergo si quis recipit aliud de facto; cum non intret per ianuam nec habeat fundamentum, nihil habet. — *Si tu dicas*, quod baptismus sit fundamentum de congruo; *contra*: Innocentius dicit in quadam decretali [1], quod non baptizatus, qui fuit ordinatus et promotus in sacerdotem, iterum erat rebaptizandus et ordinandus; sed ordo non potest iterari, sive recipiatur ab eo qui potest dare de facto, sive ab eo qui potest dare de iure: ergo si non potuit recipere ordinem, pari ratione nec confirmationem.

Fundamenta.

2. Item, confirmatio respicit aliquid praeexistens, quia quod non *est* non potest confirmari; sed nullum Sacramentum necessario praeit confirmationem aliud a baptismate: si ergo aliquid praesupponit, videtur, quod baptismum.

Contra: 1. Posterius est Sacramentum eucharistiae quam confirmationis; sed Sacramentum eucharistiae potest sumi ante baptismum de facto: ergo et confirmationis, ut videtur.

Ad oppositum.

2. Item, video, quod aliquis non baptizatus potest mori pro Christo et confiteri Christum: ergo non baptizatus potest habere *rem* huius Sacramenti ante baptismum: ergo pari ratione et *Sacramentum*.

3. Item, quamvis ordines in Sacramento ordinis ordinati sint, tamen qui recipit superiores ordines, negligendo inferiores, non est reordinandus, immo est ordinatus [2]: ergo si ibi est *ordo* etiam quantum ad characteres, et *comparatio* secundum maiorem convenientiam; multo fortius videtur in proposito, quod non baptizatus possit confirmari.

CONCLUSIO.

Non baptizatus non potest confirmari, nisi prius baptizetur.

Respondeo: Dicendum, quod non baptizatus non potest confirmari, nisi prius baptizetur. — Ratio autem huius venit ex duplici re huius Sacramenti: primo ex parte *gratiae:* quia ibi datur gratia *iustificans*, hic *roborans*, et ista praesupponit illam. Alia ratio venit ex parte *characteris:* quia character ille fundamentum est aliorum [3], ideo, illo non impresso, alii non possunt imprimi; et quoniam, cum in Sacramentis non imprimitur character, in quibus aptus natus est imprimi, dicitur nihil fieri: et ideo non baptizatus non potest in tali statu confirmari; et concedo rationes ad hoc. — Quomodo autem character baptismalis *fundamentum* sit, patet: quia ille respicit *fidem* sive inchoationem fidei, et alii respiciunt *statum fidei;* et sicut se habet *fides* ad *statum*, vel alii *status* ad *initium;* sic character ad characterem.

Conclusio. Ratio duplex. Corollarium.

1. Ad illud quod obiicitur de eucharistia, iam patet responsio: quia ibi character nullus imprimitur, et ita non habet adeo essentialem ordinem [4], sicut confirmatio et ordo.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod potest confiteri et mori; dicendum, quod verum est sine *Sacramento*, sed non sine *re illius Sacramenti;* et sicut res huius non potest haberi sine re illius Sacramenti, sic nec character sine charactere [5].

3. Ad illud quod obiicitur de ordinibus, dicendum, quod non est simile: quia, sicut patebit, non est ita essentialis comparatio ordinum superiorum ad inferiores propter diversitatem ministeriorum. Sed hoc melius patebit suo loco [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit Magister, quod *pro scandalo semel tantum concessisse aestimatur.* Videtur enim non fuisse recta talis concessio, quia scandalum de veritate vitae vel doctrinae nihil immutat [7]; si ergo solus episcopus potest confirmare, videtur, quod propter scandalum non debuit illud permittere.

[1] Cap. *Si quis presbyter*, (I.), X. (lib. III. tit. 43.) de presbytero non baptizato: Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum; baptizetur et iterum ordinetur. — De *minori* vide infra d. 24. p. II. a. 1. q. 1. et d. 25. a. 1. q. 2.

[2] Cfr. C. *Sollicitudo* (I.), d. 52, ubi Alexander II. docet, quod qui, praetermisso subdiaconatus ordine, ad maiorem ordinem ascenderit, tamdiu a maioribus abstineat, quousque congruo tempore praetermissum accipiat.

[3] Vide supra d. 6. p. I. q. 4. in fine. — Aliquanto inferius ante *concedo* cod. G omittit *et*.

[4] Cod. G *ordinationem*.

[5] Cfr. supra d. 4. p. II. a. 1. q. 2. et dub. 3.

[6] Dist. 24. p. II. a. 1. q. 3. — Vide scholion ad I. huius articuli quaest.

[7] Cfr. supra pag. 86, nota 6. in fine.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis sacerdos non possit propria auctoritate, tamen pro causa necessaria summus Pontifex, in quo est plenitudo potestatis, potest alii quam episcopo [1] committere; et ille non facit auctoritate sua, sed auctoritate sibi commissa, unde ille potius facit, cuius auctoritate fit: unde non est dubium, quin pontificalis auctoritas sit de necessitate huius Sacramenti. — Aliqui tamen dicunt, quod non concessit eis conferre *Sacramentum*, sed solum *aliquod sacramentale*, sicut aliquando datur laicis panis benedictus loco corporis dominici [2].

Notandum. Solutio aliorum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *virtus huius Sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur;* quia, si hoc verum est, *contra* hoc est, quia eucharistia confirmat, unde in Psalmo [3]: *Panis cor hominis confirmat.*

Respondeo: Ad hoc multipliciter respondetur. Primo modo sic, quod istud Sacramentum ordinatur ad robur *per se*, sed eucharistia *per accidens* [4]. Sed hoc non solvit, quia, sive per se sive per accidens, dum tamen habeant effectum eundem; videtur, alterum superfluere. — Secundus modus dicendi est, quod confirmatio confirmat *contra malum*, sed eucharistia *in bono*. Sed nec illud sufficit, quia omne Sacramentum, cum sit remedium, est *contra malum*, et ita eucharistia. — Alii dicunt, quod duo sunt nobis necessaria, scilicet *fides* et *mores;* et unum confirmat in *fide*, scilicet confirmatio, sed eucharistia quantum ad bonos *mores;* quia, ut dicit Bernardus [5], eucharistia non solum delet venialia, sed etiam consensum fortificat, ne inclinetur ad mortalia. — Alii dicunt, quod utrumque fortificat fidem; sed duo necessaria sunt ad fidem firmam, scilicet *corde credere* et *ore confiteri* [6]; et eucharistia confirmat quantum ad *fidem in corde*, sed confirmatio quantum ad *confessionem* sive prolationem in ore. — Alii dicunt, quod utrumque fortificat caritatem, quia ab eius fortitudine pendet fortitudo omnium. Sed caritas potest deficere dupliciter, scilicet per *defectum alimenti*, vel per *actionem contrarii*, sicut patet in igne materiali [7]; et contra *primum* est eucharistia, quae cibat; contra *secundum* confirmatio, ut impugnantibus resistat. — Alii dicunt aliter et probabilius, quod confirmatio est ad corroborationem *fidei*, sed eucharistia *caritatis;* et hoc patet, quia hic est signum confessionis fidelis, ibi signum unionis. — Et si quaeratur: quare magis confirmantur hae duae virtutes quam aliae? dicendum, quod quia in his duabus pendet fortitudo spiritualis aedificii [8] quantum ad intellectum et affectum; et quia in *fide* est prima elevatio, in *caritate* elevatio summa, et utrobique difficultas; et quia pronitas est ad contrarium: ideo magis confirmantur [9].

Resp. 1. non probata. Item nec resp. 2. Resp. 3. Resp. 4. Resp. 5. Distinctio. Resp. 6. et probabilior. Quaest. incid. solvitur.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Rabanus [10], quod *hoc Sacramentum maiori veneratione tenendum est, sicut a maioribus datur.* Videtur enim secundum hoc, quod amplior gratia in eo datur.

Et dicendum, quod communiter dici consuevit, quod unum Sacramentum dicitur maius alio quinque modis. Primo modo propter *significationem;* sic matrimonium dicitur maius, quia *significat* unitatem naturarum in Christo [11]. Secundo modo propter *continentiam;* et sic eucharistia dicitur maius. Tertio, propter *efficaciam;* et sic baptismus. Quarto, propter *dignitatem ministrantium* sive dispensantium; et sic dicitur confirmatio maior, quia datur a summis sacerdotibus sive episcopis [12]. Quinto, propter hoc, quod *ponit in nobiliori gradu;* et sic dicitur ordo maius Sacramentum.

Quinque modi.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In digniori parte corporis fit.* Videtur enim falsum dicere, quia *vertex* est dignior quantum ad *situm*, et *cor* quantum ad *virtutem:* ergo potius debet dari in *capite*, vel in *corde*. — Item, videtur, quod in *lingua*, quia ibi est confessio.

---

[1] Cod. Z addit *sed non inferiori quam presbytero*. Inferius pro *sua* codd. F G I *propria*.

[2] Vide supra a. 1. q. 3. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 5. a. 1. § 3; B. Albert., hic a. 4. quaestiunc. 3; S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. ad 1.

[3] Psalm. 103, 15.

[4] Cfr. Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 4. c. 1.

[5] Serm. in Coena Domini, n. 3: Duo enim illud Sacramentum [eucharistia] operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Cfr. infra d. 12. p. II. a. 1. q. 3.

[6] Rom. 10, 10: Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. — Pro *firmam* cod. W *firmandam*. Inferius post *prolationem* cod. K supplet *verborum*.

[7] Hoc docet Aristot., de Iuventute et senect. etc. c. 3. (c. 5.) cfr. de Longitud. et brevit. vitae, c. 2. (c. 3.).

[8] Cfr. tom. III. pag. 604, nota 9. — Post *quod* codd. F G I omittunt *quia*.

[9] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 3. a. 2. § 2; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[10] Ita quidem codd., sed edd., omisso *Rabanus*, infra post *secundum hoc* addunt *verba Melchiadis* cui attribuitur canon supra pag. 162, nota 4. citatus.

[11] Vide III. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. Cfr. etiam infra d. 26. a. 2. q. 1. — De eucharistia vide dist. seq. dub. 2; de efficacia baptismi cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq.

[12] Cfr. supra a. 1. q. 3. et a. 2. q. 3. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 4. a. 3; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.

Respondeo: Dicendum, quod pars dignior quantum ad virtutem et operationem est *cor*, sed tamen occulta est et latet interius[1]. Inter partes vero, quae se offerunt sensibus nostris, *caput* est dignius, et in capite *facies*, scilicet anterior pars: et ideo hoc Sacramentum datur in *facie*, sed magis in *fronte*, quia ibi est sedes verecundiae[2]. Unde quia hoc Sacramentum est contra confusionem et verecundiam confitendi nomen Christi, quae linguam contrahit, ne aperte dicat, debet hoc Sacramentum in *fronte* dari. *Frons* quidem pars est faciei eminentior. Unde dixerunt quidam, quod in nova lege fit prima unctio in *capite* ratione virtutis, secunda vero in *fronte*, tertia iterum in *capite*. Et prima fit in baptismo; secunda vero in confirmatione; tertia vero in episcopi consecratione[3]. — Et prima signata est in prima unctione David, primi Regum decimo sexto[4]; secunda vero in unctione David super duas tribus, secundi Regum secundo; tertia vero in unctione David super cunctum regnum, secundi Regum quinto. Et satis possunt aptari istis, si quis inspiciat. In prima enim David non habuit potentiam; in secunda habuit potentiam et resistentiam; in tertia habuit potentiam et praesidentiam super gentem suam[5].

Notandum.

Figurae harum.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Hoc Sacramentum tantum a ieiunis et ieiunis[6] tradi debet.* Videtur enim, quod quia est ad robur, quod cibus non impediat; cibus enim corporalis non repugnat fortitudini spirituali.

Respondeo: Dicendum, quod in hoc Sacramento datur *gratia*, et gratia *corroborans;* et iterum, contrahitur *affinitas* quaedam. Ideo ista tria statuta fuerunt[7] ab antiquis Patribus in Sacramento servari tanquam *congrua:* ut ieiuno stomacho propter gratiam Spiritus sancti suscipiendam; ut confirmandus ab alio *portetur* vel teneatur, qui sit confirmatus, in signum debilitatis et imbecillitatis; ut sit *consimilis sexus* propter periculum affinitatis[8].

Notandum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *nec debet iterari, sicut nec baptismus.* Videtur enim, quod possit iterari, quia morbus pusillanimitatis potest iterari, contra quem est: ergo et Sacramentum. *Si tu dicas,* quod non potest propter characterem; tunc videtur, quod character praeiudicet morbo: si ergo non est curatio morbi propter characterem, sed magis e converso, patet etc.

Respondeo: Dicendum, quod illud Sacramentum non *potest* iterari propter *characterem*, qui imprimitur in eo indelebiliter. Non *debet* etiam tum ratione *morbi*, quem curat, tum ratione *effectus*, quem donat, tum ratione *rei*, quam allegorice significat. Ratione *morbi*, quia est poena *contracta;* haec autem, secundum quod huiusmodi, non iteratur, sed si iteratur, hoc est solum, secundum quod *acta*[9]. Ratione *effectus*, quem donat, qui est plenitudo gratiae ad robur; et quia integer effectus, ideo status. Ratione *rei*, quam allegorice significat, quia significat adventum Spiritus sancti de caelo in Apostolos in die Pentecostes[10], qui postquam advenit, nunquam ab eis discessit. Et sic patet illud.

Notandum.

DISTINCTIO VIII.

Pars I.

Cap. I.

De Sacramento altaris.

« Post Sacramentum baptismi et confirmationis sequitur eucharistiae Sacramentum. Per baptismum mundamur, per eucharistiam in bono consummamur[1] ». Baptismus aestus vitiorum exstinguit, eucharistia spiritualiter reficit. Unde excellenter dicitur eucharistia, id est bona gratia, quia in hoc Sacramento non modo est augmentum virtutis et gratiae, sed ille totus sumitur, qui est fons et origo totius gratiae.

Dubium 1.

Dubium 2.

---

[1] Cfr. tom. III. pag. 289, nota 1. et pag. 290, nota 1. 2.

[2] Secundum Glossam *ordinariam* in Rom. 10, 10, apud Petr. Lombard. et Lyranum.

[3] Vide Innocentii III. C. *Cum venisset* X. (libr. I. tit. 15.), de sacra unctione.

[4] Vers. 13. — Secundus locus est II. Reg. 2, 4, ubi Vulgata, quam sequitur Vat. et ed. 1, *super domum Iuda* pro *super duas tribus;* tertius est ibid. 5, 3.

[5] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 5. a. 6; B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1.; Richard. a Med., hic a. 6. q. 2.

[6] Cfr. C. *Ut jejuni* (6.) et C. *Ut episcopi non nisi ieiuni* (7.), de Consecrat. d. 5, ubi praecipitur, quod confirmandi sint ieiuni, et quod « traditionem Spiritus sancti a ieiunis Pontificibus convenit celebrari ».

[7] Vat. *consueverunt.* Subinde pro *Patribus* cod. S *possunt igitur.* Inferius pro *confirmatus* codd. F U *confirmando.*

[8] Vide infra d. 42. a. 1. q. 1. — De ipso dubio cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 5. a. 5. § 1. ad ult.; B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic circa lit.

[9] De poena *contracta* et *acta* cfr. tom. II. pag. 826, nota 4. — Permulti codd. perperam *aucta*, cod. M *ducta vel acta.* — Idem dicit Alex. Hal., S. p. IV. q. 9. m. 5. a. 7. § 1. — De seq. ratione vide verba Rabani allegata hic in lit. Magistri, c. 4.

[10] Cfr. Act. 2, 1. seqq. — Praeter Alex. Hal., loc. cit., cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic q. 2. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 2.; Richard. a Med., hic a. 6. q. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 2.

Cap. II.

Quod huius Sacramenti in veteri testamento figura praecessit, sicut et baptismi.

Cuius figura praecessit, « quando *manna* pluit [Ambrosius.] Deus Patribus in deserto, qui quotidiano caeli pascebantur alimento; unde: *Panem Angelorum manducavit homo.* Sed tunc panem illum qui manducaverunt mortui sunt. Iste vero panis vivus, qui *de caelo descendit,* vitam mundo tribuit [1] ». « *Manna* illud *de* caelo, hoc *super* caelum; illud scaturiebat [2] vermibus, in diem alterum reservatum; hoc ab omni corruptione alienum quicumque religiose gustaverit, corruptionem non videbit ». Illud datum fuit antiquis post transitum maris rubri, ubi, submersis Aegyptiis, liberati sunt Hebraei [3]; ita hoc caeleste manna non nisi renatis praestari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit; haec esca caelestis fideles huius saeculi desertum transeuntes in caelum [Dubium 3.] subvehit. Unde recte *viaticum* appellatur, quia, in via nos reficiens, usque in patriam deducit. Sicut ergo in *mari rubro* figura *baptismi* praecessit, ita in *manna* significatio *dominici corporis.* Haec duo Sacramenta demonstrata sunt, ubi de latere Christi sanguis et aqua profluxerunt [4]; quia Christus per sanguinem redemptionis et aquam ablutionis nos redimere venit a diabolo et a peccato, sicut Israelitas per sanguinem agni paschalis ab exterminatore et per aquam maris ab Aegyptiis liberavit. — Huius etiam Sacramenti ritum Melchisedech ostendit, ubi panem et vinum Abrahae obtulit. Unde, ut ait Ambrosius [5], intelligi datur, « an- [Ambrosius.] teriora esse Sacramenta Christianorum quam Iudaeorum ».

Cap. III.

De institutione huius Sacramenti.

Hic inter [6] alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet *institutio, forma, Sacramentum* et *res.* Sacramentum Dominus *instituit,* quando post typicum agnum [Dubium 4.] corpus et sanguinem suum discipulis in Coena porrexit. Unde Eusebius Emisenus [7]: « Quia corpus assum- [Eusebius.] tum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat, ut die Coenae Sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret, ut coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium ».

Pars II.

Cap. IV.

De forma.

Forma vero est, quam ipse ibidem [8] edidit dicens: *Hoc est corpus meum;* et post: *Hic est sanguis meus.* Cum enim haec verba proferuntur, conversio fit panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi. Re- [Ambrosius.] liqua ad Dei laudem dicuntur. Unde Ambrosius [9]: « Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione Verbi caelestis. Consecratio quibus fit [Dubium 1.] verbis? Attende, quae sunt verba: *Accipite et comedite ex eo omnes; hoc est corpus meum;* et iterum: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est sanguis meus* ». « Per reliqua omnia, quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus ». Item, Augustinus [10]: « Credendum est, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur; reliqua omnia nihil aliud sunt quam laudes vel obsecrationes fidelium et petitiones ». — Ecce, quae sit institutio et forma huius Sacramenti.

Cap. V.

Quare Christus post alium cibum dedit hoc Sacramentum discipulis.

Ubi consideratione dignum est, quare illud Sacramentum post coenam dedit discipulis. Dominus igitur Iesus ad invisibilia paternae Maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis et vini corpus et sanguinem suum [11] eis tradidit, ut ostenderet, legis veteris Sacramenta, inter quae praecipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac novae legis Sacramenta substitui, in quibus excellit mysterium eucharistiae. Ideo etiam post alia dedit, ut hoc unum arctius memoriae discipulorum infigeretur et ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, ut post alios cibos sumatur; potius a ieiunis sumi oportet, sicut Apostolus [12] docet, ut singulari reverentia *diiudicetur,* id est, discernatur ab aliis cibis; quod Dominus Apostolis *disponendum* reliquit. Unde Augustinus [13]: [Augustinus.]

---

[1] Ambros. de Mysteriis, c. 8. n. 47, ubi etiam seq. locus n. 48, et uterque in C. *Revera* (69.), de Consecrat. dist. 2. Loci Scripturae, qui respiciuntur, vel citantur, sunt (de manna) Exod. 16, 15; Ps. 77, 25; Ioan. 6, 41.

[2] Vat. et ed. 8 *scatebat vermibus,* sed teste Forcellino, Lexicon etc., *scaturire* saepe eodem sensu usurpatur.

[3] Respicitur Exod. 16, 14; deinde ibid. 14,–25. seqq.

[4] Codd. *fluxerunt;* et respicitur Ioan. 19, 34, inferius Exod. 12, 13; de Melchisedech cfr. Gen. 14, 18.

[5] Loc. cit. c. 8. n. 44, et IV. de Sacram. c. 3. n. 10.

[6] Ita cod., D codd. A B C et ed. 1 *ante;* aliae edd. *etiam.*

[7] Homil. de Corp. et sang. Christi, n. 1. inter opera Hieron. (Epist. 38.); eadem est inter opera Isidori, Serm. 4. de corp. etc. n. 2. et C. *Quia corpus* (35.), de Consecrat. dist. 2.

[8] Matth. 26, 26. 27, qui locus et infra citatur.

[9] Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 14. seqq.; seq. locus ibid., cfr. C. *Panis est* (55.), ibid.

[10] Invenitur praecise apud Paschasium Radbert. de Corp. et sang. Domini, c. 15. n. 1, et C. *Utrum sub figura* (72.), ibid. § 2. 3. — De sequentibus cfr. Glossa ad I. Cor. 11, 23. 24, apud Lyranum.

[11] Solae edd., excepta 1, adiiciunt *ita.*

[12] Respicitur I. Cor. 11, 22, et deinde alluditur ad v. 34. — Paulo superius ante *potius* cum codd. et ed. 3 omisimus *sed.*

[13] Epist. 54. (alias 118.) ad Ianuar. c. 6. n. 7. 8, et C. *Liquido* (54.), ibid. Ibi pro *Apostolus arguit* cod. B et edd., excepta 1, habent *Apostolus redarguit.*

Dubium 2. « Apparet, cum primo acceperunt discipuli eucharistiam, non eos accepisse ieiunos. Non ideo tamen calumniandum est universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper sumitur. Placuit enim Spiritui sancto, ut in honore[1] tanti Sacramenti prius in os Christiani dominicum corpus intraret quam alii cibi; ideo ubique mos iste servatur. Non enim, quia post cibos Dominus dedit, ideo pransi vel coenati illud accipere debent, ut illi faciebant, quos Apostolus arguit. Nam Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reservavit docendum ».

Cap. VI.

De Sacramento et re.

Nunc, quid ibi sit *Sacramentum*, et quid *res*, videamus. De significatione. Augustinus. « *Sacramentum* est invisibilis gratiae visibilis forma[2] »; forma ergo panis et vini, quae ibi videtur, est Sacramentum, id est « signum sacrae rei, quia praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire ». Tenent ergo « species vocabula rerum, quae ante fuerunt, scilicet panis et vini ».

Cap. VII.

Quod res Sacramenti duplex est.

« Huius autem Sacramenti gemina est res, una Glossa. scilicet *contenta et significata*, altera *significata et non contenta*. Res *contenta et significata* est caro Christi, quam de Virgine traxit, et sanguis, quem pro nobis fudit; res autem *significata et non contenta* est unitas Ecclesiae in praedestinatis, vocatis, iustificatis et glorificatis[3] ». Haec est duplex caro Christi et sanguis. Hieronymus. Unde Hieronymus: « Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi et sanguis: vel illa quae crucifixa est et sepulta, et sanguis, qui militis lancea effusus est, vel spiritualis illa ac divina, de qua ipse ait[4]: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus;* et: *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis* ». « Sunt igitur hic tria distinguenda: unum, quod tantum est *Sacramentum;* alterum, quod est *Sacramentum et res;* et tertium, quod est *res et non Sacramentum. Sacramentum et non res* est species visibilis panis et vini; *Sacramentum et res* caro Christi propria et sanguis; *res et non Sacramentum* mystica eius caro. — Porro De similitudine unius ad alterum. species illa visibilis Sacramentum est geminae rei, quia utramque rem significat et utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis prae ceteris cibis corpus reficit et sustentat, et vinum hominem laetificat atque inebriat; sic caro Christi interiorem hominem plus ceteris gratiis spiritualiter reficit et saginat; unde: *Calix meus inebrians quam praeclarus est*[5]*!* Habet etiam similitudinem cum re mystica, quae est unitas fidelium: quia, sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit; sic ex multis fidelium personis unitas ecclesiastica constat». Unde Apostolus: *Unus panis et unum corpus multi sumus.* Unde Augustinus[6]: « Unus panis et unum cor- Augustinus. pus Ecclesia dicitur, pro eo quod, sicut unus panis ex multis granis, et unum corpus ex multis membris componitur; sic Ecclesia ex multis fidelibus, caritate copulante, connectitur ». « Hoc mysterium pacis et unitatis nostrae Christus in sua mensa consecravit. Qui accepit hoc mysterium unitatis, et non tenet vinculum pacis, non accipit hoc mysterium pro se, sed contra se ». « Cuius etiam Sacramentum est corpus Christi pro- Glossa. prium de Virgine sumtum; quia, ut corpus Christi ex multis membris purissimis et immaculatis constat, ita societas ecclesiastica ex multis personis, a criminali macula liberis, consistit. In cuius rei typo facta est arca Domini *de lignis Sethim*[7], quae sunt imputribilia et albae spinae similia ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VIII.

Pars I.

De antecedentibus Sacramentum eucharistiae.

Post Sacramentum baptismi et confirmationis sequitur eucharistiae Sacramentum.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est tertia pars huius partis totalis de Sacramentis, in qua Magister tertio loco agit de Sacramento eucharistiae. Dividitur autem haec pars in tres partes. In prima agit de eucharistia secundum se. In secunda per comparationem ad suscipientes sive manducantes, infra distinctione nona: *Et sicut*

[1] Sola ed. 8 usitatius in *honorem.*

[2] August., X. de Civ. Dei c. 5, et Epist. 105. (alias 166.) ad Donatistas, c. 3. n. 12.; cfr. C. *Sacrificium* (32. § 1.), ibid. — Seq. locus est II. de Doctr. christiana, c. 1. n. 1, et C. *Signum* (33.), ibid. Tertius est in C. *Specie* (34.), ibid.

[3] Ex Glossa ad I. Cor. 11, 23, apud Lyranum, ubi etiam habentur verba Hieronymi, Comment. in Eph. 1, 7, (cfr. C. *Dupliciter* (49.), ibid.) et tertius locus.

[4] Ioan. 6, 56; deinde ibid. 54.

[5] Psalm. 22, 5. — De unitate fidelium cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 15 et 17. — Locus Scripturae est I. Cor. 10, 17; cfr. ibid. Lyranus.

[6] Tract. cit. in Ioan., verbotenus autem apud Lyranum, loc. cit. — Seq. loc. est C. *Quia passus* (36.), ibid. § 1. — Tertius est apud Lyranum, I. Cor. 11, 24.

[7] Respicitur Exod. 25, 10.

duae sunt res huius Sacramenti. In tertia per comparationem ad dispensantes sive conficientes, infra distinctione undecima: *Si autem quaeritur, qualis sit illa conversio* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat de his quae antecedunt *esse* huius Sacramenti. In secunda de his quae integrant *esse* huius Sacramenti, scilicet quae sunt forma verbi et elementum, et hoc ibi: *Forma vero, quam ipse ibidem edidit* etc.

Prima pars habet duas, quoniam antecedens hoc Sacramentum est duplex: quoddam, quod nihil confert ad *esse*, sed ad *manifestum esse*, et hoc est praefiguratio et nominatio; quoddam, quod confert ad *esse*, ut institutio; ideo prima pars habet duas partes et duo capitula. In prima determinat Magister de huius Sacramenti praefiguratione. In secunda de institutione, ibi: *Hic etiam inter alia consideranda occurrunt.* In prima parte primo ponit rationem nominandi et modos figurandi, ostendens, quatuor praecessisse figuras.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae Magister determinat, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de figura Sacramenti eucharistiae.

Secundo de institutione.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Sacramentum eucharistiae debuerit praefigurari.

Secundo quaeritur de numero figurarum et sufficientia.

Tertio quaeritur de figurarum praeeminentia.

ARTICULUS I.

De praefiguratione Sacramenti eucharistiae.

QUAESTIO I.

Utrum Sacramentum eucharistiae debuerit praefigurari.

Et quod hoc Sacramentum *sit praefiguratum,* patet per illud Apostoli, primae ad Corinthios decimo [1]: *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt;* et post: *Haec omnia contingebant illis in figura.* Et quod *ita debuerit,* apparet:

Fundamenta. 1. Quia, si lex vetus fuit nobis futurorum figura, et quae erant digniora magis debent praefigurari, cum hoc Sacramentum sit dignissimum, maxime debuit praefigurari.

2. Item, *ratione* alia ostenditur: quia congruum erat, ut processus a tenebris ad lucem fieret mediante umbra et figura, quia, sicut natura non sustinet repentinas immutationes, sic nec anima [2]; sed in hoc Sacramento est ipsa lux praesens: ergo debuit praefigurari.

3. Item, hoc Sacramentum est difficillimum ad credendum; sed ad difficilia paulative est infirmus promovendus: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. « Mutationis non est mutatio [3] »: ergo nec signi signum; sed Sacramentum hoc, eo ipso quod Sacramentum est, est signum et figura: ergo non debuit praesignari nec praefigurari.

2. Item, confirmatio et extrema unctio sunt novae legis Sacramenta et non habent figuras in veteri — quia, si dicas de unctione regum [4], illud nihil est, quia illud speciale, hoc universale — ergo nec hoc debuit habere.

3. Item, baptismus habuit figuram, quae non tantum fuit figura, sed etiam remedium, ut puta circumcisionem [5]; sed nihil praecessit Sacramentum altaris, quod haberet eius remedium: ergo hoc Sacramentum est sine figura.

CONCLUSIO.

Eucharistiae Sacramentum praefigurari conveniens fuit ratione tum suae dignitatis, tum difficultatis in credendo.

Respondeo: Dicendum, quod istud Sacramentum praefiguratum est et praefigurari debuit tum ratione suae *dignitatis,* tum ratione *difficultatis:* ratione *dignitatis,* quia praedicandum et exspectandum erat sicut donum Dei excellentissimum [6]; ideo figurae Conclusio. Ratio 1.

---

[1] Vers. 3. et 11. — Inferius post *Et quod ita* codd. G X supplent *esse.*

[2] Cfr. supra pag. 88, nota 3.

[3] Aristot., V. Phys. text. 10. et 13. (c. 2.), nec non XI. Metaph. c. 11. (X. c. 12.). — *Minor* ostensa est supra d. 1. p. I. q. 2.

[4] Cfr. I. Reg. 10, 1. et 16, 13. — Inferius post *ergo* codd. H L P Q Y supplent *si illa duo non habuerunt* [cod. L addit *figuram*].

[5] Vide supra d. 1. p. II. a. 2. q. 1. et 3.

[6] Cfr. Breviar. Roman. antiphonae in festo Corp. Christi, quae sumtae sunt ex Psalmis ibi occurentibus. — Ex codd. H K

huius Sacramenti praeire debuerunt, et in quibus refocillaretur exspectatio fidelium, et dignitas huius Sacramenti famosior ostenderetur; unde figurarum praemissio non fuit aliud quam famae eius divulgatio. — Ratio 2. Ratione *difficultatis*, quia hoc [1] inter *Sacramenta* cetera est difficillimum ad credendum, immo inter cetera *credibilia*; ideo debuerunt homines ad hoc assuefieri quadam figurarum manuductione.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur primo in contrarium, quod signi non est signum; dicendum, quod illud signum habet veritatem coniunctam [2]; unde non tantum est signum, sed etiam ratione coniuncti est veritas; et quoniam veritatis potest esse signum et figura, ideo Sacramentorum novae legis potest esse signum et figura, et maxime huius.

Solutio 1.

2. Ad illud quod obiicitur de confirmatione et extrema unctione, multipliciter respondetur. — Quidam enim dicunt, quod omnia Sacramenta in veteri lege sunt praefigurata, quoniam *rota erat in rota*, in visione Ezechielis [3]. Et quod obiicitur de duobus Sacramentis, solvunt *per interemptionem*: quoniam tres unctiones legis novae praefiguratae sunt per tres unctiones David, de quibus primi Regum decimo sexto [4], et secundi Regum secundo et quinto, et ita *per interemptionem* respondent.

Solutio 2. distinguens 3 genera.

Alii dicunt aliter, quod illa Sacramenta non fuerunt praefigurata propter suam perfectionem; unde distinguunt tria genera Sacramentorum. Quaedam enim sunt *suprema*, ut illa quae dant gratiam perfectam vel ad *pugnandum*, vel ad *egrediendum*; et talia sunt confirmatio et extrema unctio, quae de ratione sua perfectionem dicunt; et quoniam *Lex neminem ad perfectum duxit* [5], ideo haec duo sunt propria novae legis. — Alia sunt quasi *media*, quae gratiam magnam dant, ideo pertinent ad legem novam; tamen, quia non dicunt perfectionem, possunt praesignata esse in veteri testamento, et haec, ut dicunt, sunt duo, scilicet baptismus et eucharistia. — Quaedam sunt *infima*, ut matrimonium, ordo et poenitentia; et haec non sunt propria [6], immo communia, nec tantum praesignata, immo inchoata et in nova perfecta. — Tamen praeferre alia Sacramenta duobus, quae praefigurata sunt, videtur valde absurdum, cum sint haec duo Sacramenta, baptismus et eucharistia, famosissima. Non probatur.

Solutio auctoris. Notandum.

Et ideo aliter dicendum, quod quamvis omnia aliquo modo praefigurata sint, haec duo tamen pluribus et expressioribus figuris, tum propter *difficultatem in credendo*, quae est in baptismo, quia *primum* Sacramentum, in eucharistia, quia *summum*; tum propter *dignitatem*, quae est in baptismo quantum ad *efficaciam*, in eucharistia quantum ad *continentiam*; tum propter *Ecclesiae unitatem*, quae est in baptismo quantum ad *inchoationem*, in eucharistia quantum ad *consummationem*, vel in baptismo quantum ad *signaculum christianitatis* [7], in eucharistia quantum ad *cultum Deitatis*. Unde quamvis alia habeant figuras aliquo modo, non tamen ita praecipue nec ita expresse.

Ratio duplex.

3. Ad illud quod obiicitur, quod baptismus habuit figuram sanctificantem; dicendum, quod ratio huius est duplex. Prima est, quia baptismus est remedium contra morbum perniciosum et mortiferum; et est remedium parvulorum, qui se non possunt iuvare; et quoniam qui minus se possunt iuvare maiori indigent auxilio: ideo *Sacramentum* praecessit baptismum, quod de se haberet efficaciam [8]. Non sic est de eucharistia, quoniam est Sacramentum iam viventium et adultorum, qui se possunt iuvare auxilio fidei et motu liberi arbitrii; unde supplet in eis fides quod deerat a parte Sacramenti. Et sic patent quaesita.

SCHOLION.

I. De *nomine* huius admirabilis et ineffabilis Sacramenti, quod est *eucharistia*, cfr. infra dub. 2; de *essentia* eiusdem infra p. II. a. 2. — De *figuris* huius Sacramenti cum ceteris Scholasticis S. Thom. idem docet in Commentario et brevius in Summa (III. q. 73. a. 6.). Tres huius articuli quaestiones a multis una quaestione absolvuntur, sed ab Alex. Hal. (S. p. IV. q. 10. m. 1. a. 1-3), adiectis aliis quaestionibus, diffuse exponuntur.

De tribus igitur his qq. praeter locos citt. S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1-3. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

L N Y substituimus *praedicandum et exspectandum* pro *praedicatum et exspectatum*. Inferius pro *refocillaretur*, quod praebent codd. E F G I, alii *refulciretur*, Vat. legit *ut et in his praefulciretur*, et pro *famosior* codd. R S T *firmior*.

[1] Cod. H *quia non tantum*.

[2] In cod. bb secunda manus in margine addidit: *Vel dicendum, quod verum est, per se loquendo. Sacramentum autem duo concernit: signum et rem signi. Unde etsi Sacramentum non praefiguratur ea parte, qua signum est, praefiguratur tamen ratione rei, qua veritas est, sive ratione veritatis coniunctae.* Hoc additamentum sumtum est ex Alex. Hal., S. p. IV, q. 10. m. 1. a. 1. § 1.

[3] Cap. 1, 16. et 10, 10: Quasi sit rota in medio rotae. Cfr. tom. III. pag. 545, nota 10, ubi verba Gregorii allata sunt. — De solutione *per interemptionem* sive per negationem vide tom. I. pag. 87, nota 4.

[4] Vers. 13. — Seq. loc. est II. Reg. 2, 4; tertius ibid. 5, 3. Cfr. supra d. 7. dub. 4. in fine.

[5] Hebr. 7, 19: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex. — Pro *ad perfectum* codd. F H *ad perfectionem*. Paulo ante voci *perfectionem* codd. F G I praemittunt *plenam*, et pro *dicunt* cod. G substituit *dant*. Aliquanto superius pro *propter suam* cod. F *propter summam*. Inferius pro *non dicunt* cod. G et ed. 1 *non dant*.

[6] Supple: novae legis. — Paulo inferius pro *in nova* cod. G *in novo* [testamento].

[7] In cod. X secunda manus posuit *Christi humanitatis*.

[8] Cfr. supra d. 2. dub. 3. — Codd. T X *ideo Sacramentum baptismi praecessit aliquid, quod de se haberet* etc. Infe-

QUAESTIO II.

De numero et sufficientia quatuor figurarum.

Secundo quaeritur de numero et sufficientia figurarum huius Sacramenti; et Magister [1] assignat quatuor, scilicet agnum paschalem, manna, sacrificium Melchisedech et sanguinem, qui profluxit de latere Christi. Sed videtur, quod Magister assignet *insufficienter:*

Ad oppositum. 1. Quia aliae figurae praecesserunt in sacrificiis et oblationibus diversorum, ut in hoedo, quem obtulit Manue, Iudicum decimo tertio [2], et favo mellis, primi Regum decimo quarto.

2. Item, videtur *falsus* in assignando *manna* pro figura: quia habuit *omnem* saporem [3]; sed hoc non habet eucharistia, quia tunc alia Sacramenta superfluerent.

3. Item, obiicitur de *oblatione Melchisedech:* quia ipse obtulit et dedit Abrahae [4]; sed Sacramentum eucharistiae offertur Deo: et ita non videtur figura.

4. Item, obiicitur de *agno paschali* et eius sanguine: quoniam praecessit transitum maris rubri [5], ergo figuram baptismi; et ita videtur, si recta fuit figura, quod et eucharistia fuit ante baptismum; quod absurdum est.

5. Item, obiicitur de *sanguine,* qui fluxit de latere Christi [6]: quia ille idem est in hoc Sacramento secundum *veritatem* et est *signatum* in hoc Sacramento: ergo idem est figura sui, et idem est signum et signatum respectu eiusdem; quod est omnino inconveniens.

CONCLUSIO.

Sufficienter a Magistro assignantur quatuor figurae eucharistiae.

Conclusio. Ratio 1. Respondeo: Dicendum, quod Magister sufficienter assignat figuras in hoc Sacramento, habito respectu ad *omnes leges.* Nam in lege *naturae* ponit figuram sacrificium Melchisedech, et in lege *Moysi* similiter agnum et manna, et in lege *gratiae* sanguinem passionis. — Similiter sufficientes sunt figurae, Ratio si attendamus ad ea quae *praesignantur.* Nam in hoc Sacramento est *visibilis forma,* et haec praesignata est in sacrificio Melchisedech; et est *res contenta* [7], et haec in agno paschali; et *res signata* tantum, et haec in manna; et *virtus* dans efficaciam, et haec in sanguine, qui fluxit de latere Christi. — Unde tres primae tenent rationem *figurae,* Corollarium. sed ultima magis tenet rationem *causae,* nihilominus tamen habet rationem *figurae,* pensatis circumstantiis, quod de passo et iam mortuo profluxit *sanguis et aqua* [8].

Solutio oppositorum. 1. Quod ergo obiicitur de sufficientia, iam patet: quia aliae figurae reducuntur ad has; omnes enim oblationes et omnia sacrificia ad agnum paschalem, et omnes cibi ad manna reduci possunt.

2. Ad illud quod obiicitur de *manna,* dicendum, quod *omnem* tantum valet dicere quantum *perfectum;* vel si *omnem* distributive dicatur, intelligitur quantum ad *rem contentam* [9]*;* vel si intelligatur quantum ad *effectum,* facienda est vis in sapore quantum ad *actum cibandi;* et tunc alia non superfluunt.

3. Ad illud quod obiicitur de *sacrificio Melchisedech,* dicendum, quod peroptime praefiguratum est ibi et in manna Sacramentum eucharistiae: quo- Notandum. niam hoc Sacramentum nobis profertur ad esum et Deo offertur ad cultum; et ideo datur nobis divinitus, et nos Deo offerimus; et hoc signatum est in manna, quod repositum fuit in urna coram Domino [10], quia datum fuit de *caelo ad esum,* et iterum *coram Domino repositum;* taliter datur hoc Sacramentum, si quis inspiciat diligentius: quia de caelo nobis datur, et nos sumimus, tamen nihilominus Deo offerimus.

4. Ad illud quod obiicitur de *agno paschali,* dicendum, quod agnus ille proprie significabat Chri- Notandum. sti passionem [11], quae erat radix et fundamentum

---

rius pro *iam viventium* cod. F *iam iuvenum.* Secundum Du Cange, Glossarium etc., *vivere* idem etiam est ac *vim habere, alicuius esse virtutis.*

[1] Hic in lit. c. 2.

[2] Vers. 19. — Seq. loc. est I. Reg. 14, 27.

[3] Sap. 16, 20: Omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem.

[4] Cfr. Gen. 14, 18. seqq.; Hebr. 7, 1. seqq.

[5] Vide Exod. 12, 3. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Inferius ante *eucharistia* codd. omittunt *et.*

[6] Ioan. 19, 34.

[7] Codd. K aa addunt: *ut est corpus Christi, quod traxit de Virgine.* Inferius post *res signata tantum* in cod. L subiungitur *scilicet corpus Christi mysticum.* Cfr. de his infra p. II. huius dist. a. 2. q. 1.

[8] Ioan. 19, 34. — Vide inferius solut. ad 5.

[9] Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 1. a. 2, adiungit: Ut enim dicit Augustinus, ultimo de Civ. Dei [XXII. c. 30. n. 1.], ipse est « quaecumque ab hominibus honeste desiderantur ».

[10] Hebr. 9, 4: In qua [arca] urna aurea habens manna.

[11] Cfr. August., de Cataclysmo, c. 4. n. 5. seq.; Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 22. n. 7. seqq., ex quo sumtus est C. *Quid sit sanguis* (73.), de Consecrat. d. 2; Raban., I. Comment. in Exod. 12, 1. seqq., ex quo plura refert Glossa *ordinaria* apud Strabum. — Inferius post *quia* edd. addunt *tamen.*

virtutem praebens omnibus Sacramentis, et ideo omnia praecessit. Et quamvis omnia Sacramenta efficaciam habeant a passione; quia in hoc Sacramento veraciter continetur Christus passus, ideo esus et usus illius agni praecipue hoc Sacramentum signabat, et ideo figuram baptismi praecedebat non ratione, qua illud Sacramentum praefigurabat, sed ratione, qua praefigurabat passionem.

5. Ad ultimum dicendum, quod *sanguis Christi*, qui fluxit de latere Christi, non habuit, proprie loquendo, rationem *figurae*, quia ibi erat veritas; tamen ratione *modi* emanandi, quia profluxit de latere mortui, habuit rationem quodam modo praefigurandi, maxime ratione annexi, scilicet aquae; et istud melius tactum fuit in principio huius libri[1]. Et sic patet solutio obiectorum[2]. Notandum.

QUAESTIO III.

De figurarum praeeminentia.

Tertio quaeritur circa hoc de figurarum praeeminentia, et quaeritur, quae figura sit expressior, utrum illa quae fuit tempore legis *naturae*, an illa quae fuit tempore legis *Moysaicae*, an illa quae fuit tempore legis *gratiae*. Et quod illa quae fuit tempore legis *naturae*, videtur:

Argg. pro 1. parte. 1. Auctoritate Ambrosii de Sacramentis[3]: « Aparet, anteriora fuisse Sacramenta Christianorum quam Iudaeorum »; sed hoc non dicitur nisi ratione legis naturae: ergo aliquo modo magis fuerunt Sacramenta Christianorum in illo tempore; sed non quantum ad veritatem vel efficaciam: ergo quantum ad expressionem figurae.

2. Item, lex naturae magis convenit cum lege gratiae sive Evangelii quam lex Moysi, quia ius evangelicum plus habet de naturali dictamine quam de institutione, econtra est in lege Moysi[4]: ergo et Sacramenta expressius figurant, ut videtur.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia Melchisedech obtulit sacrificium in pane et vino[5], et in eisdem speciebus modo offertur et celebratur Sacramentum altaris: ergo cum non possit expressius figurari quam in simili secundum speciem; videtur, quod tunc praecessit figura expressissima.

Ad oppositum 1. arguit Hugo de sancto Victore[6]: Pro 2. parte. Sicut appropinquavit passio Salvatoris, ita signa debuerunt esse evidentiora; et ratio eius est, quia crevit cognitio veritatis: ergo cum tempore legis scriptae creverit cognitio veritatis, et appropinquaverit passio Salvatoris; videtur, quod figurae fuerunt expressiores.

2. Item, hoc videtur ad litteram in manna: quia cibus ille erat de caelo aequaliter omnes reficiens et omnibus communis et omnem suavitatem habens[7]; sed panis et vinum ipsius Melchisedech de terra erat, et hoc Sacramentum *est panis de caelo descendens:* ergo videtur, quod figura mannae fuerit expressior.

CONCLUSIO.

Figurae illae diversarum legum in expressione mutuo se excedunt.

Respondeo: Dicendum, quod figurae illarum legum secundum diversas considerationes mutuo se excedunt in expressione, sicut ostendunt rationes inductae. — Potest enim Sacramentum hoc praefigurari quantum ad *ritum*, vel quantum ad *effectum*, sive quantum ad *signum*, vel quantum ad *signatum*. Si quantum ad *ritum*, sic expressior figura praecessit in *sacrificio Melchisedech*, sicut probant rationes inductae; et hoc patet. Si autem quantum ad *effectum*, sic expresse praesignabatur in *manna*, sicut ostendunt rationes praedictae; et sic patet responsio ad utramque partem. Conclusio. Explicatur. Ad argg.

Sed tamen adhuc restat quaestio: quare expressior praefiguratio praecessit in lege *naturae* quantum ad *ritum?* Et ad hoc dicendum, quod quia Dominus instituit legem scriptam ut implendam et evacuandam, sicut veritas evacuat umbram; ideo, ne videremur iudaizare, disposuit figuras in lege Moysi dare expressas[8], sed tamen differentes quantum ad ritum, ut manifeste ex earum institutione ostenderetur legis illius evacuatio et imperfectio; et ideo magis se dicit Christus sacerdotem secundum ordinem *Melchisedech* quam *Aaron*, ut ostendatur ibi legis et sacerdotii translatio, sicut ostendit Apostolus ad Hebraeos[9]. Et sic patet totum. Quaestio incid. solvitur. Notandum.

---

[1] Edd. subiungunt *scilicet in prooemio.* Cfr. etiam infra d. 11. p. II. a. 1. q. 3. ad 5. — Alex. Hal., loc. cit., praeter illam expositionem, secundum quam sanguis fluens de latere Christi potius sit causa demonstrativa suum effectum quam figura demonstrans figuratum, adhuc aliam adducit, scil. quod sanguis ille *visibilis* fuerit figura sanguinis *invisibiliter* in Sacramento contenti; de quo vide infra lit. Magistri, d. X. c. 1, et ibid. Comment. p. I. dub. 4.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Libr. IV. c. 3. n. 10. et 11. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — Inferius ex codd. B F H aa substituimus *non dicitur* pro *non videtur.*

[4] Cfr. supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3, et III. Sent. d. 40. q. 1. ad 3.

[5] Gen. 14, 18.

[6] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 6. Verba ipsius vide supra d. 2. a. 1. q. 2. fundam. 1. — Inferius pro *ergo cum... crevit... appropinquavit* substituimus ex codd. H Z aa *ergo cum... creverit... appropinquaverit.*

[7] Exod. 16, 14. seqq., et Sap. 16, 20. seq. — Seq. textus est Ioan. 6, 50: Hic est panis de caelo descendens.

[8] In cod. E manus secunda supplevit *quantum ad effectum.*

[9] Cap. 7, 11. seqq. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De institutione Sacramenti eucharistiae.

Quantum ad secundum articulum consequenter quaeritur de institutione Sacramenti eucharistiae. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum a principio debuerit institui.

Secundo, supposito quod in lege Evangelii; quaeritur, quando: utrum ante passionem, an post.

Tertio quaeritur de modo et ordine instituendi.

QUAESTIO I.

Utrum Sacramentum eucharistiae debuerit institui a principio.

Et quod a principio debuerit institui, videtur:

1. Quia hoc Sacramentum est viaticum, quia praebet alimentum itineranti [1]: ergo tunc institui debuit, quando homines itinerare coeperunt ad patriam; sed hoc statim fuit post lapsum: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, hoc Sacramentum est Sacramentum unionis corporis Christi mystici [2]: ergo tunc debuit institui, quando fuit corpus mysticum; sed hoc fuit a principio: ergo etc.

3. Item, Sacramentum matrimonii non cessavit propter lapsum, immo quod erat in *officium* factum est in *remedium;* sed esus ligni vitae datus erat homini, ut dicit Augustinus [3], in Sacramentum: ergo non debuit cessare, quin sacramentaliter ederet. Sed non debuit lignum comedere, quod daret vitam corporalem, quia morti corporali obligatus erat: ergo lignum vitae, quod daret vitam spiritualem; sed hoc est eucharistia: ergo etc.

4. Item, sicut poenitentia est contra mortale, ita eucharistia contra venialia [4]; sed ab initio cucurrit veniale peccatum, ut mortale: ergo pari ratione eucharistia cum poenitentia.

Contra: 1. Hoc Sacramentum est maxime gratiae contentivum, unde et ab hoc nomen accepit [5]: ergo tantum tempore legis gratiae debuit institui. Fundamenta.

2. Item, hoc Sacramentum est contentivum secundum veritatem corporis Christi, quod traxit de Virgine [6]: ergo non potuit esse, antequam esset hoc corpus: ergo tantum in novo testamento.

CONCLUSIO.

Eucharistiae Sacramentum tantum statui gratiae congruit.

Respondeo: Dicendum, quod hoc Sacramentum congruebat legi tantum gratiae, tum propter rem contentam, quae est corpus Christi verum, tum propter efficaciam, quae est caritatis vinculum, quae in nova lege apparere et abundare debuit, in anterioribus autem imperfecte possideri; ut ita gradus sit in mundo, sicut in uno homine [7]. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de viatico, dicendum, quod non valet: quia aliquod debuerunt habere sustentaculum, non perfectum cibum; et ita aliquam figuram, non rem ipsam. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod est signum corporis mystici; dicendum, quod non tantum est signum *eius,* immo corporis Christi *veri,* et illius est signum immediatius; et ideo, quamvis corpus Christi mysticum coeperit ab *Abel* [8], non tamen corpus Christi proprium, ideo nec hoc Sacramentum.

3. Ad tertium dicendum, quod matrimonium quantum ad *officium* omni statui conveniebat, quantum autem ad *remedium* non. Esus autem *corporalis* illius ligni conveniebat statui immortalitatis, esus istius ligni *spiritualis* omni statui, sed *sacramentalis* post istius ligni nativitatem et fructum.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 2, et infra dub. 3.

[2] Ut exponitur infra p. II. huius dist. a. 2. q. 1. — Edd. *corporis Christi veri et mystici.*

[3] Libr. VIII. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8: Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem Sacramentum. Cfr. ibid. XI. c. 32. n. 42. et c. 40. n. 54; XIII. de Civ. Dei, c. 20, et VI. Oper. imperf. contra Iulian. c. 30. Explicationem huius sententiae vide II. Sent. d. 19. dub. 4. — De *maiori,* in qua post *erat* cod. O addit *prius,* cfr. infra d. 26. a. 1. q. 1. — Pro *sed esus* edd. *et etiam esus.*

[4] Cfr. infra d. 12. p. II. a. 1. q. 3. — Cod. P et ed. 1 *veniale.*

[5] Vide infra dub. 2. — Post *unde* ex codd. F G I L supplevimus *et.*

[6] Cfr. infra d. 10. p. I. q. 1. seqq.

[7] Vide supra pag. 51, nota 4.

[8] Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 2. m. 4. a. 1, ubi asserit, quod Ecclesia non ab Adam coepit, sed ab Abel, utpote quia de eius fide tanquam de sacro signo ex parte hominis primo in Scriptura (Gen. 4, 4.) legatur, quia semper sanctus exstiterit, nec non tres status Ecclesiae, scil. martyrum, virginum et pastorum seu fidei doctorum in se gesserit. Vide I. de Mirabilibus sacrae Script. (inter opera August.) c. 3, ubi verba Christi Matth. 23, 35: *A sanguine Abel iusti* etc., ita exponuntur: Tota enim iustitia haec est: virginitas, sacerdotium et martyrium. Quae triplex iustitia in Abel primo fuit, qui et munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in saeculo non reliquit et martyrii coronam sanguinis effusione promeruit. Cfr. etiam August., Enarrat. in Ps. 61. n. 6. seqq., et XV. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. — Superius post *immo* codd. H L addunt *etiam.*

Est enim eius manducatio secundum etiam assumtam humanitatem, quam exposuit pro nobis in *pretium* et nunc exponit in *cibum,* Ioannis sexto [1]: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

4. Ad illud quod obiicitur de eucharistia, quod est remedium contra venialia; dicendum, quod tripliciter deficit ista ratio: primo, quia morbus venialis non est ita periculosus, ut mortalis; secundo vero, quia per poenitentiam veniale poterat habere remedium, ut mortale; tertio, quia illud Sacramentum non est principaliter contra venialia ordinatum, ut infra [2] videbitur.

SCHOLION.

I. De convenientia institutionis *ipsius Sacramenti* eucharistiae pro more sapientissime auctor noster loquitur in Breviloq. p. VI. c. 9; cfr. hic dub. 2, infra d. 12. p. II. passim. — De congruentia *temporis* institutionis agitur hic q. 1. et 2, approbantibus aliis Scholasticis.

De 1. et 2. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 2. a. 1. § 1. 2. 3. — Scot., in utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2. 3; S. III. q. 73. a. 5. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

II. Quoad 3. quaestionem sententia, quam S. Bonav. cum S. Thoma et Scoto probabiliorem esse censet, post Concilium Trid. (cfr. Sess. 13. c. 1.) communiter tanquam certa tenetur, licet idem Concilium ab eadem definienda abstinuerit.

De eadem: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 2. § 2. — Scot., hic q. 2. n. 11. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. ad 1; S. III. q. 78. a. 1. ad 1. — B. Albert., hic a. 6. quaestiunc. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. ad 5. — Durand., hic q. 2. circa finem. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum Sacramentum eucharistiae debuerit institui ante passionem.

Secundo quaeritur circa hoc, quando debuerit institui, et quod ante passionem, videtur:

Fundamenta.

1. Quia hoc Sacramentum est relictum a Domino in viaticum, ergo tunc debuit institui, quando Dominus fuit viator. *Si dicas,* quod non sequitur, quia non dicitur viaticum, quia *a viatore,* sed quia *detur viatori; obiicitur* tunc, quod ipse Dominus non tantum formam instituendo, sed etiam exemplum praebendo dedit [3].

2. Item, videtur, quod iuxta passionem: quia hoc Sacramentum datum est in signum amoris; sed Dominus in fine ostendit specialia signa amoris ad discipulorum consolationem, Ioannis decimo tertio [4]: *Cum dilexisset suos, in finem* etc.

3. Item, hoc Sacramentum est cibus reficiens [5]: ergo si tempus institutioni, et institutio debet esse concors effectui; videtur, quod debuerit institui in hora Coenae.

4. Item, hoc Sacramentum impletivum erat eius quod praefiguratum erat in agno paschali [6]: ergo si veritas debuit supponi umbrae, videtur, quod debuit institui post esum agni, et ita in coena paschali.

Ad oppositum.

Contra: 1. Christus *conficiendo* dedit formam conficiendi [7], ergo *dando* dedit formam dandi vel communicandi; sed post Coenam non est tempus conveniens sumendi: ergo videtur, quod Dominus inordinate dederit. Hoc autem est inconveniens: ergo tunc non dedit.

2. Item, hoc Sacramentum sequitur baptismum, ergo debuit institui post baptismum; sed baptismus institutus est post resurrectionem, Matthaei ultimo [8]: ergo etc.

3. Item, in hoc Sacramento continetur Christus sacramentaliter, ut qui non est nobiscum sensibiliter saltem sit sacramentaliter; et in ascensione recessit a discipulis corporaliter [9]: ergo tunc debuit instituere hoc Sacramentum.

4. Item, hoc ipsum videtur, quia est signum memoriale; sed talia melius memoriae imprimuntur, cum ultimo exhibentur, sicut dicit Augustinus in quadam homilia [10]: ergo inter omnia quae fecit, istud debuit esse ultimum. Sed multa fecit coram discipulis post resurrectionem: ergo hoc Sacramentum debuit post omnia instituere.

---

[1] Vers. 52. — Superius multi codd. omittunt *corporalis,* et pro *et fructum* cod. bb *vel fructum,* aliquot codd. vel *ut fructum* vel *ut finitum,* Vat. *ut finitum vel fructus.*

[2] Dist. 12. p. II. a. 1. q. 3.

[3] Cfr. infra dub. 3. et d. 9. a. 1. q. 4. — Pro *quod ipse* codd. *quia ipse.*

[4] Vers. 1.

[5] Ambros., VIII. in Luc. 17, 35. n. 51: Est ergo cibus refectionis, est cibus sanguinis etc. Cfr. August., Serm. 131. (alias 2. de Verbis Apostoli) c. 1. n. 1.

[6] Vide Bedam, VI. in Luc. 22, 15. seqq., Hug. a S. Vict., Quaest. in Epist. 1. Cor. q. 86, et supra a. 1. q. 2. nec non hic lit. Magistri, c. 4.

[7] Cfr. quaest. seq.

[8] Vers. 19.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[10] Quaenam illa sit *homilia,* ignoramus; sententia haec invenitur in *Epist.* 54. (alias 118.) c. 6. n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 5.

CONCLUSIO.

Eucharistiae Sacramentum congruenter in ultima Coena paschali institui debuit.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum illud, cum sit visibile, continet corpus Christi verum, et vere est ibi *cibus* et praecipuum *signum amoris*[1]: cibus, inquam, *reficiens*, et ideo tempore refectionis instituit; cibus etiam *paschalis*, et ideo in *paschali Coena*. Quia vero erat *signum amoris;* et in recessu debet homo ostendere amoris signa et memoriale, ut arctius in memoria maneat: ideo in *ultima Coena*.

Conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod si tunc institutum est, tunc deberemus illo uti; dicendum, quod hora illa conveniens fuit *primae institutioni;* sed *usui nostro* non convenit, quia *institutio* respicit effectum Sacramenti[2], sed *usus* ulterius idoneitatem suscipientis; et quia homo satur non est idoneus ad spiritualia peragenda: ideo non servat hoc Ecclesia nec debet servare. *Si obiicias,* quod tunc Apostoli primo indebite acceperunt; dicendum, quod ipsi sobrie comederant exemplo Magistri; et *iterum*, comederant cibum paschalem, qui erat quodam modo spiritualis propter significantiam[3].

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad aliud de baptismo dicendum, quod non est credibile, quod tunc esset forma instituta, sed quod alias instituit ibi confirmavit et publicavit. Similiter subdidit de hoc Sacramento: *Ecce ego vobiscum sum*[4] etc.

3. Ad aliud de recessu dicendum, quod Christus recessit in passione, unde ille fuit transitus et via; et[5] transitus ille fuit ad nostram salutem, ideo tunc instituit cibum paschalem; sed in ascensione fuit ad suam gloriam.

4. Ad aliud de memoria dicendum, quod ante passionem fuit cum eis ut *socius;* et ideo tunc reliquit signa amoris; sed post resurrectionem fuit ut *dominus* et quasi extraneus; unde dicebat[6]: *Hoc est quod dicebam, cum adhuc essem vobiscum;* et ideo recessus ille debuit explicare signum et Sacramentum amoris[7].

QUAESTIO III.

Utrum Dominus eucharistiae Sacramentum prius confecerit, quam verbum protulerit.

Tertio quaeritur de modo instituendi Sacramentum eucharistiae. Et cum institutio huius Sacramenti fuerit in institutione verbi, quaeritur, utrum prius confecerit, quam verbum protulerit. Et quod sic, ostenditur:

Ad oppositum.

1. Ex textu Evangelii. Matthaei vigesimo sexto[8] scribitur: *Coenantibus illis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit ac dedit discipulis suis dicens: Accipite* etc.; et post: *Hoc est corpus meum.* Ex hoc verbo duplex elicitur ratio: prima, quia *prius benedixit,* quam verbum proferret; sed benedictio fuit consecratio[9]: ergo prius benedixit et consecravit, quam verbum proferret.

2. Item, arguitur ex alio verbo: quia *prius fregit,* quam verbum proferret; sed fractio consequitur confectionem in hoc Sacramento, sicut patet[10]: ergo prius confecit, quam proferret verba: ergo non instituit verba conficiendo.

Fundamenta.

Sed contra: 1. Si verba non protulit conficiendo, aut confecit *aliis verbis*, aut *sine verbo*. Si confecit *aliis verbis:* ergo illa maxime debent habere virtutem; si *sine verbo:* ergo videtur, quod Ecclesia non imitetur summum magistrum in conficiendo; quod videtur inconveniens, cum in isto Sacramento praecipue summus sacerdos formam et exemplar dederit consecrandi.

2. Item, si non confecit his verbis, ergo verba in ore Christi fuerunt tantum significativa, ergo non habuerunt virtutem neque efficaciam: si tunc non habuerunt, videtur ergo, quod nunquam habeant, quia non habent nunc, nisi propter illud quod factum est tunc.

---

[1] Plurimi codd. omittunt *amoris.* Mox pro *instituit* cod. H melius *institutum,* Vat. *institui debuit.*

[2] Cod. P (D a secunda manu) addit *vel unionem*, cod. E *vel potentiam*, cod. bb et Vat. *sive* [Vat. *vel*] *quod efficit.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[4] Matth. 28, 20. Vide supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine. — Superius pro *esset* cod. H *fuerit*:

[5] Cod. H *et quia*. Pro *et via* cod. R *in via*, cod. M *ad vitam*, Vat. *ex via*. — Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 2. a. 1. § 3: Recessus Domini in passione fuit transitus ad humanam salutem, in quantum homo erat viator; propter quod conveniebat, quod tunc institueretur cibus paschalis; in ascensione non fuit sic, sed transitus ad gloriam.

[6] Luc. 24, 44: Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Vers. 26: Coenantibus autem eis, accepit... deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum.

[9] Communiter allegatur I. Cor. 10, 16: Calix benedictionis, cui benedicimus etc., Cfr. Chrysost., S. Remigius (cuius Commentarii in ed. Migne *Haymoni* attribuuntur), S. Bruno in hunc loc., nec non Ambros., de Mysteriis, c. 9. n. 50. Vide etiam C. *Ante benedictionem* (40.) et C. *Non omnis panis* (61.), de Consecrat. d. 2.

[10] Cfr. infra d. 10. p. I. q. 5, et Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 6.

CONCLUSIO.

Dominus conficiendo verba formae instituit et proferendo verba confecit.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc sunt tres opiniones satis probabiles.

Prima est, quod Dominus prius confecit, quam Opinio 1. verbum instituerit, sicut prius baptizatus est, quam formam baptismi institueret. Et ratio eorum est, quia ipse, qui est Verbum Patris, confecit se ipso sine verbo; nobis autem, qui indigemus virtute Verbi, dedit formam post consecrationem [1].

Alia opinio est, quod Dominus confecit simul Opinio 2. et verba protulit, sed bis protulit: primo in *occulto* ad conficiendum, secundo in *aperto* ad formam institutam manifestandam. Primum quidem intelligitur fecisse, cum dicitur: *Benedixit et fregit;* et exponunt: *Benedixit,* scilicet occulte dicendo: *Hoc est corpus meum;* et post *fregit* et distribuendo dixit aperte illud verbum: *Hoc est corpus meum.*

Tertia opinio est, quod Dominus simul confecit Opinio 3. et verbum instituit; et sicut semel tantum confecit, ita semel tantum verba protulit; et illud videtur convenientius. Ad quid enim toties verba proferret, cum bene posset facere semel proferendo? *Ulterius,* quamvis posset [2] conficere sine verbo, debuit tamen conficere verbum dicendo, ut Apostolis formam traderet; quia Dominus non tantum ibi suam potentiam ostendebat, sed etiam discipulos informabat. — Et haec positio est communior et probabilior. Hanc sustinendo, dicendum est, quod Dominus conficiendo verba instituit, quia verba proferendo post confecit [3]. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod prius benedixit; dicendum, quod benedictio illa non fuit consecratio, sed fuit quaedam praeparatio vel magis quaedam orationis sive gratiarum actionis praemissio, in qua ostendit, nobis nullum cibum attrectandum, nisi praevia benedictione. Unde mos est ecclesiasticorum virorum ad omnem cibum praemittere benedictionem [4]. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de fractione, dicendum, quod duplici de causa potest esse fractio: vel ad *figurandum*, vel ad *distribuendum;* ad *figurandum*, sicut sacerdos frangit in altari, et haec sequitur confectionem. Alia vero est ad *distribuendum,* et sic, si aliquis conficeret pro multis, ita quod haberet unum panem, non hostias distinctas, congrue posset prius frangere. Et sic fecit Dominus; unde fregit, ut inter discipulos distribueret [5].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Post Sacramentum baptismi et confirmationis.* Videtur enim non bene ordinare Sacramenta; prius enim est *cibare,* quod est eucharistiae, quam *confirmari,* quia parvulorum est *cibari.*

Respondeo: Dicendum, quod quamvis eucharistia sit cibus communis omnium bonorum, tamen dicit Augustinus [6], quod est cibus grandium et perfectorum; et ita sequitur illa duo Sacramenta. *Praeterea*, secundum consuetudinem modernae Ecclesiae prius confirmatur parvulus, quam communicetur [7].

Dub. II.

Item quaeritur: quare hoc Sacramentum potius dicitur *eucharistia* [8], cum in omnibus detur *gratia bona*, et in baptismo maxime detur *magna gratia?*

---

[1] Innocent. III, loc. cit., relatis illis opinionibus, quas S. Bonav. secundo et tertio loco allegat, dicit: « Sane dici potest, quod Christus virtute divina confecit et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent. Ipse namque per se virtute propria benedixit; nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis ». Eandem opinionem tuetur Praepositivus, Sum. p. IV. S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1, censet: « Innocentius autem loquitur opinionem narrando, vel tangendo ordinem, quo virtus consecrationis a Christo, in quo primo erat, ad verba derivata est ». Secundam explicationem praefert Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 2.

[2] Codd. F G I U *quamvis bene posset.* Inferius pro *communior* cod. U *certior.*

[3] Cfr. Damasc., IV. de Fide orthod. c. 13; C. *Quia corpus* (35.) § 1., de Consecrat. d. 2. et C. *Panis est* (55.), ibid. — Vat. omittit *post*, pro quo codd. L P *primo.*

[4] Chrysost., in Matth. 14, 19. homil. 49. (alias 50.) n. 2: Cur respexit in caelum et benedixit?... simul haec quae dixi probans, simulque erudiens nos, ne ante mensam attingamus, quam gratias egerimus ei qui nobis escam praebet.

[5] Tertull., IV. adversus Marcion. c. 40: Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus illum suum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Libr. VII. Confess. c. 10. n. 16. loquens de aeterna *Veritate* ait: « O aeterna Veritas... reverberasti infirmitatem aspectus mei, radians in me vehementer... tanquam audirem vocem tuam de excelso: Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me; nec tu me in te mutabis sicut cibum carnis tuae, sed tu mutaberis in me ». Iam Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 5. in principio, haec verba adaptavit Sacramento eucharistiae. — Mox pro *sequitur* non pauci codd. falso *sequuntur.* Edd. pro *et ita* substituunt: *et quia, sicut praecedentia duo Sacramenta sunt parvulorum, et parvuli prius sunt quam grandes et perfecti, ideo.* Subinde pro *Praeterea* edd. *et ita.*

[7] Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[8] Graece εὐχαριστία compositum ex verbis εὖ i. e. bene (bona), et χάρις, i. e. gratia. — De gratia baptismali vide supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. — In cod. aa hic additur *quam aliquod aliorum.*

Respondeo: Dicendum, quod hoc proprie dicitur de eucharistia, tum quia principaliter est ibi ratio *boni,* tum etiam quia ratio *gratiae:* ratio *boni,* quia « bonum est diffusivum et communicativum [1] ». Unde cibus, qui communicat se *pluribus* et per partes, est bonus; qui communicat se *pluribus totum* et *successive,* est melior, ut verbum Dei, quod praedicatur; qui vero communicat se *pluribus* et *totum* et *simul,* iste est optimus; et talis est iste cibus [2]. Hic etiam est ille cibus, qui est summum bonum, scilicet Christus Dominus; et sic praecipue reperitur ratio boni. — Reperitur etiam ibi principaliter ratio *gratiae* tum per modum *contentivi,* tum per modum *effectivi* [3]. Per modum *contentivi,* quia hoc est solum Sacramentum, quo ipsa gratia est contenta secundum veritatem, immo plenitudo gratiae; unde assimilatur ipsi caritati, quae unit fini et habet idem pro obiecto et pro fine [4]. Ratione *effectivi,* quoniam hic est *carbo ignitus,* caro scilicet Christi, quae inflammat et beatificat, non tantum gratificat, sed et multipliciter adiuvat. Primum quidem, quia est cibus *incorporans* capiti, Ioannis sexto [5]: *Qui manducat carnem meam in me manet.* Secundo, quia *fortificat,* Psalmus: *Panis cor hominis confirmat.* Tertio, quia *delectat,* Sapientiae decimo sexto: *Panem de caelo dedisti eis omne habentem delectamentum* etc. Quarto, valet *ad augmentum fidei,* sicut dicitur infra distinctione duodecima [6]. Quinto, *ad sublevationem spei,* Matthaei ultimo: *Ecce ego vobiscum* etc. Sexto, *ad dilatationem caritatis,* quia est memoriale amoris: *Hoc quotiescumque feceritis* etc. Septimo, *ad remissionem venialium,* sicut dicit Innocentius [7].

Ratio boni.

Ratio gratiae dupliciter.

Septem effectus.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *recte dicitur viaticum, quia nos in via reficit* etc.; quia, si dicitur *viaticum,* quia est viatorum; pari ratione et alia Sacramenta.

Respondeo: Dicendum, quod *viaticum* dicitur triplici ex causa. Prima est, quia est cibus itinerantium, quia datur transeuntibus de hac vita ad patriam [8]. Secunda, quia institutus est a Christo ut itinerante sive transeunte. Tertia, quia signum est transitus Christi, sicut phase [9].

Triplex ratio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod hoc *Sacramentum Dominus instituit,* quare magis Dominus ipse per se sive in propria persona hoc Sacramentum et baptismum instituit?

Et ad hoc dicendum, quod quia in baptismo est inchoatio, et in hoc consummatio; ideo illud instituit in principio suae praedicationis, istud in fine et in recessu a discipulis; et ideo haec duo confirmavit, Matthaei ultimo [10].

---

[1] Secundum Dionys., de Caelest. Hierarch. c. 4. § 1. et de Div. Nom. c. 4. § 1. seq. Cfr. Eccles. Hierarch. c. 3. p. I, ubi de *eucharistia.*

[2] Cfr. C. *Qui manducant* (58.) et C. *Invitat Dominus* (70.) ac C. *Qui manducat me* (75.), de Consecrat. d. 2.

[3] Edd. hic et paulo inferius *affectivi.*

[4] Vide III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. ad 5; a. 2. q. 1. et d. 36. q. 6. — Similitudo de *carbone ignito,* Ss. Patribus Graecis familiaris, refertur a Damasc., IV. de Fide orthod. c. 13: Accedamus ad eum ardenti desiderio... Crucifixi corpus suscipiamus... divinum carbonem sumamus, ut desiderii nostri ignis, accepto carbonis ardore, peccata nostra comburat et corda illuminet, divinique adeo ignis commercio inardescamus et in deos evadamus. Carbonem vidit Isaias [6, 2.]. Carbo non est simplex lignum, sed igni unitum; sic quoque panis communionis non simplex est panis, sed divinitati unitus etc. Cfr. infra d. 10. p. I. q. 1. ad 4. et d. 12. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 4.

[5] Vers. 57, ubi Vulgata: *meam carnem et bibit meum sanguinem.* — Seq. textus est Ps. 103, 15; tertius Sap. 16, 20: Paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem.

[6] Cap. 1, et Comment. p. I. a. 1. q. 2. in corp. — Seq. textus Scripturae est Matth. 28, 20; tertius est secundum Luc. 22, 19, et I. Cor. 11, 24. seq. Codd. allegant *Matth. 26,* ubi v. 26. seqq. institutio eucharistiae quidem proponitur, sed verba praedicta non inveniuntur; ipsa habentur in forma consecrationis (Missale Romanum). Cfr. infra d. 10 p. I. q. 1.

[7] Libr. IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 44. Verba vide infra d. 12. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 1. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 1. et 3. nec non in prooemio Tractatus de Sacramento eucharistiae; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 2. Locc. citt. solvitur etiam seq. dub.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[9] Exod. 12, 11: Est enim phase, id est transitus Domini.

[10] Vers. 19. seq. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 5. m. 3. a. 2. § 3. seq.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM VIII.

PARS II.

De integrantibus Sacramentum eucharistiae, de verbo scilicet et elemento.

Forma vero est, quam ipse ibidem edidit etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 178.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de antecedentibus Sacramentum eucharistiae. Hic agit de integrantibus ipsum, quae sunt duo, scilicet verbum et elementum sive visibile signum; et haec pars habet duas partes. In prima agit de forma verbi. In secunda vero de significatione sive continentia [1] signi, ibi: *Nunc, quid ibi sit Sacramentum.*

Utraque pars habet duas. Nam in prima determinat primo, quae sit forma. Secundo, qualiter est utendum ea, utrum scilicet sicut instituta est quantum ad tempus; et hoc facit ibi: *Ubi consideratione dignum est.*

Similiter secunda pars, in qua agit de ratione significandi, habet duas. In prima determinat, quid sit ibi signum et quid signatum. In secunda determinat similitudinem et convenientiam unius ad alterum, ibi: *Porro illa species visibilis.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae determinat hic Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de forma verbi in Sacramento eucharistiae.

Secundo, de significatione ipsius Sacramenti.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur de forma verbi super panem.

Secundo, de forma verbi super vinum.

ARTICULUS I.

De forma verbi in Sacramento eucharistiae.

QUAESTIO I.

De forma verbi super panem.

Quantum ergo ad formam panis, quae est: Hoc est corpus meum, quaeritur primo quantum ad *subiectum*, scilicet quoad pronomen.

Ad oppositum.

1. Cum enim *hoc* sit pronomen et non *relativum*, est *demonstrativum*, quia aliter esset casum, ut dicit Priscianus [2]: si igitur demonstrat, aut ad *intellectum*, aut ad *sensum*. Si ad *intellectum*; tunc quaero: quid? Non potest dici nisi corpus Christi verum: ergo sensus est: corpus meum est corpus meum; hoc nihil videtur, quia nullam rationem

De pronomine *hoc*.

---

[1] Edd. cum paucis codd. *convenientia.* Utraque lectio defendi potest. Inferius post *forma* cod. B addit: *et de eius virtute sive efficacia, et sic secundo tangitur ratio institutionis quantum ad tempus, quae duplex est: prima est cessatio legalium Sacramentorum; secunda, impressio illius memoriae discipulorum; tertio removetur incidens, ibi: Sed non exinde.*

[2] Libr. XII. Grammatic. c. 1; XVII. c. 9. seqq. et de XII versibus Aeneidos principal. c. 10. — Idem XVII. c. 9. ait: Quoties vero *ille* vel *hic* non ostendendum ante oculos aliquid referunt, oportet intelligere, quod eorum demonstratio ad intellectum refertur. Itaque quaedam sunt oculorum demonstrativa, ut *ego* et *tu*, quaedam et oculorum et intellectus; oculorum, ut *hic vir*, hic est tibi quem promitti saepius audis; intellectus, ut, *hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?* etc. Cfr. Scot., Grammat. speculat. c. 22. et 24. — Inferius post *Si ad sensum* cod. aa addit: *quia ibi quoad sensum non est nisi panis, vinum vel species visibilis.*

operandi dicit. Si ad *sensum:* ergo sensus est: panis est corpus meum; sed hoc simpliciter falsum: ergo neutro modo potest accipi.

2. Item, hoc pronomen importat demonstrationem non ut *conceptam*[1], sed ut *exercitam;* sed demonstratio non *exercetur* nisi circa illud quod actu est tempore prolationis: ergo si, cum profertur pronomen, non est ibi nisi panis; demonstratur ergo panis: ergo idem quod prius.

3. Item, « regula est, quod terminus supponens verbo de praesenti, non habenti vim ampliandi, supponit pro eo quod actu est[2] »; sed actu non est ibi nisi panis: ergo supponit pro pane. Sed illi non convenit praedicatum: ergo locutio falsa.

Quaeritur etiam de *compositione*[3], scilicet de
De verbo *est*. hoc verbo *est*.

4. Et cum ista forma sit forma *operativa*, videtur, quod deberet ibi poni verbum operativum; sed hoc verbum est verbum *apracticon*, id est extra operationem: ergo nullo modo deberet ibi poni.

5. Item, hoc verbo Christus confecit, et sacerdos intendit conficere, sicut Deus Verbo increato creavit: ergo si ad prolationem huius verbi statim fit, verbum illud est imperiosum: ergo videtur potius utendum verbo imperativo, ut diceretur sic: fiat corpus meum, sicut in creatione non dicitur *fit*, sed *fiat lux*[4].

6. Item, subiectum et praedicatum[5] dicunt formas incompossibiles; sed verbum substantivum praesentis temporis dicit *simultatem* formarum praedicati et subiecti: ergo non debet dici de praesenti *hoc est*, sed *hoc erit*.

De praedicato. Quaeritur etiam de hoc praedicato *corpus meum.*

7. Videtur enim, quod deberet magis dici *caro,* quia caro magis est conveniens cibationi, unde Ioannis sexto[6]: *Caro mea vere est cibus.*

8. Item, si ista verba proferuntur a conficiente, ergo cum conficiens loquatur de Christo ut de tertia persona, non debet dici *meum*, sed *Christi.* — *Si dicas,* quod Christus vim dedit his verbis, sicut vim dedit in nomine suo daemonia expellere, cum dixit: *In nomine meo daemonia eiicient,* Marci ultimo[7]; et tamen eiicientes dicebant: In nomine Christi.

9. Item, cum de forma aliorum Sacramentorum sint actus pertinentes ad *intentionem* et *usum* sive ad consecrantem[8]: ergo videtur, quod illud quod antecedit: *Accipite et comedite*, et hoc quod sequitur: *In mei memoriam facietis,* sit de forma.

Quaeritur ergo, quae sit forma praecise; et Quaestio. quare non ponatur in verbo exprimente[9] actum ministri.

CONCLUSIO.

Conveniens est forma, qua consecratur panis.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio.

Quidam enim dicunt, quod verba illa dicit sa- Opinio 1. cerdos non ut sua, sed ut Christi, unde *materialiter* tenentur[10]; nec tunc est quaerere, quid ibi *demonstretur* per pronomen, vel quid *copuletur* per verbum. — Sed hoc non sufficit dicere: primo Non sufficit. quidem, quia, etsi verba in persona alterius proferantur, non propter hoc omnino *materialiter* tenentur, sed *significative,* cum recitentur in eo sensu, in quo ille dixit. *Praeterea*, similiter possumus quaerere, secundum quod a *Christo* prolata sunt[11].

Alii dicunt, quod verba tenentur *significative;* Opinio. 2. sed oratio non habet veritatem pro tempore, in quo

---

[1] Si enim importaret demonstrationem ut *conceptam*, tunc pronomen *hoc* sumeretur « ut res quaedam et non ut habens ordinem ad rem aliam, ut si diceretur: hoc pronomen hoc » (S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 4). Cfr. I. Sent. d. 4. dub. 1. — Post *hoc pronomen* codd. H L P Q supplent *hoc.*

[2] Haec regula colligitur ex illa, quam Petr. Hispan., Summul. tr. *de Ampliatione*, dat: De ampliatione autem, quae fit ratione temporis, talis datur regula: Terminus communis supponens vel apponens [i. e. positus in subiecto vel positus in praedicato] verbo habenti vim ampliandi quoad tempus supponit pro his quae sunt, quae erunt vel fuerunt, ut homo necessario est animal; ibi tam homo quam animal tenetur pro his quae sunt et erunt. Cfr. ibid. tr. *de Restrictione.* — Post *ampliandi* cod. Z addit *non ex se, non ex alio.* Cod. aa hic prosequitur: *sed iste terminus* hoc *supponit hoc verbo* est *non habenti vim ampliandi: ergo supponit pro his quae sunt in actu; sed actu non est ibi nisi panis* etc. Idem cod. aa inferius post *praedicatum* supplet *scilicet corpus Christi.*

[3] Scilicet quatenus est medium sive copula coniungens composita. Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 3, ubi dicit, quod verbum [*est*] « consignificat compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere ». — Inferius pro *apracticon* codd. scribunt vel *epracticon* (Vat. *expracticon*), vel perperam *empracticon* (ἐμπρακτικόν i. e. operativum sive efficax), ed. 1 *prohaereticum* (cfr. tom. I. pag. 739, nota 8.). Priscian., VIII. Grammat. c. 10. refert, quod Graeci verbum *sum* vocant ὑπαρκτικόν, « quod nos possumus *substantivum* [cfr. infra arg. 6.] nominare; id enim omnium semper est perfectissimum, cui nihil deest ».

[4] Gen. 1, 3. — De *maiori* cfr. supra p. I. a. 2. q. 3, d. 3. p. I. a. 1. q. 2. — Pro *fit* plures codd. *sit*, cod. A *sit vel est*, edd. *est.* Edd. superius post *statim fit* supplent *transsubstantiatio.*

[5] Scil. panis et corpus Christi.

[6] Vers. 56. — Pro *magis est conveniens* codd. *dicit* [cod. aa *dicitur*] *magis conveniens.*

[7] Vers 17.

[8] Sive conficientem. Fortasse post *et usum* exciderunt verba: similiter videtur, quod in hoc Sacramento sint actus pertinentes ad intentionem et usum. — Vocibus *actus pertinentes* secunda manus in cod. E praemisit *verba exprimentia.*

[9] Cod. aa et edd. *in forma* [edd. *ibi*] *verbum exprimens.*

[10] Guliel. Mara, hic q. 1. addit: Sicut si dicam: Petrus dixit de Ioanne: iste cucurrit, ly *iste* in ore nihil demonstrat. — Post pauca pro *copuletur* edd. *completur.*

[11] In cod. aa subiungitur: *quid demonstret hoc pronomen* hoc, *et quid copulet verbum* est. — Praepositivus, Sum. p. IV, ait: Ad hoc respondemus, quod *hoc* non accipitur demonstrative, sed repraesentative. Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 17.

profertur, sed pro tempore, in quo *prolata est*, ut haec oratio: ego bibo, non est vera pro tempore prolationis, sed pro tempore sibi coniuncto. — Sed illud non solvit: quia aut demonstratur ibi *panis*, aut *corpus* Christi. Si *panis*, nullo tempore est oratio vera; si Christi *corpus*, est omni tempore vera [1].

Non solvit.

Alii dicunt, quod tenetur *significative* oratio, et vera est etiam pro tempore, in quo *profertur;* sed non demonstratur ibi aliquid ad *sensum*, sed ad *intellectum*, ad *intellectum*, inquam, non sicut *simile in simili*, ut cum dicitur: haec herba crescit in horto meo, sed sicut *signatum in signo*, ut sit sensus: *hoc*, id est signatum per hoc [2], *est corpus meum*. Et haec significatio orationis vera est, etiam si nihil fieret; sed *rursus*, quia significationi verae addita est ex institutione divina virtus efficacissima, ulterius oratio illa et ex Domini institutione et ex sacerdotis intentione est *conversiva*, ut sit sensus: significatum per hoc quod est convertendum [3] in corpus meum, est corpus meum. — Et haec opinio probabilior est praedictis; adhuc tamen illud non plene satisfacit. Si enim, ut dicit Augustinus [4], verbum debet accedere ad *elementum*, ut fiat Sacramentum; et *elementum* non est ibi *significatum*, sed magis illud quod in corpus convertitur: non demonstratur ergo *corpus Christi*, sed *substantia panis* sub accidentibus, quae possunt oculis conspici. Et hoc quidem verum est, maxime cum *intentio* conficientis super *panem* feratur, ut convertatur in corpus, et illud *demonstrat*, super quod fertur sua intentio.

Opinio 3.

Non plene satisfacit.

Et propterea notandum, quod ista oratio singularis est inter omnes orationes; aliae enim sunt *indicativae veritatis* sive existentiae, haec autem id ipsum quod figurat [5], *facit*. Unde est verbum *operativum*, et operativum non operatione *successiva*, sed *instantanea;* et operativum non alicuius rei novae vel non existentis, sed terminus eius est *ens actu* completum et non mutatum; et ad illud quidem terminatur, ut est alterius *signum*, id est corporis Christi mystici; et hoc totum facit *virtute Verbi increati*, adiuncta ministro circa materiam *nihil agenti*.

Oratio duplex.

Sex conditiones huius verbi.

Ex his sex conditionibus patet *ratio* omnium dictorum in hac forma, si quis inspiciat. Quia enim hic sermo *conversivus* et transitivus sive ad transsubstantiationem [6] ordinatus est *operativus;* et operatio est circa *substantiam panis:* ideo pronomen demonstrat *panis substantiam* sub accidentibus, quae oculis conspici possunt, et tangitur illud *quod* convertitur, per *subiectum*, sicut illud in *quod*, per *praedicatum*. — Quia vero terminus operationis est *actu ens*, non innovatum: ideo debet poni ibi verbum *essendi*, non *fiendi*, ut significetur conversio esse sine mutatione termini, scilicet in eo quod est. — Quia *subito*, ideo simul est *fieri* et *factum esse*, ideo *praesens* verbum instantaneum et non *futurum;* et tale est *praesens* huius verbi *est* [7]: ideo melius dicitur *est* quam *erit*. — Quia vero operatio terminatur ad corpus Christi verum *ut signum mystici* [8], in quo est diversitas operationum: ideo dicitur *corpus*, non *caro*, quia *corpus* commune est ad totum *heterogeneum* et *homogeneum*, *caro* autem dicit *homogeneum*. — Quia vero hoc operatur virtute Verbi increati *coniuncta* et ut coniuncta, ideo dicit *meum;* loquitur enim sacerdos in persona Christi: ideo pro *Christo* dicit *meum*. — Quia vero minister *nihil operatur circa materiam* nec immutat: ideo nihil plus est de forma; etenim, si minister non tangat nec frangat, dum tamen intendat et verba dicat, confectum est; non sic est in baptismo.

Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Conclusio 5. Conclusio 6.

1. 2. 3. 4. 5. 6. Ex his patent omnia obiecta, hoc solo excepto, scilicet de *veritate locutionis*. Quomodo enim est locutio vera, si demonstratur substantia panis, cum haec sit semper falsa: panis est corpus Christi, cum sint formae incompossibiles? Et *si tu dicas*, quod hoc verbum *est* non dicit ibi *inhaerentiam*, sed potius *conversionem;* tunc ergo secundum hoc potius competeret verbum *imperativum*.

Solutio oppositorum.

Et propterea notandum, quod sicut in Verbo aeterno, Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, est *veritas* et *omnipotentia;* sic in verbo suo, ab *ipso* prolato, est *veritas* et *efficacia*, ut tale verbum Sacramentis novae legis competat; ideo debuit ita dicere verbum *enuntiativum veritatis*, sicut est ipsa veritas, ac per hoc indicativum. Et quia non esset

Principia.

De verbo in ore Christi.

---

[1] Idem est dictu *Hoc est corpus meum*, ut ait Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 3, et corpus meum est corpus meum... sed haec: corpus meum est corpus meum, semper fuit vera etc.

[2] Cod. aa *per hoc pronomen* hoc, *scilicet panis*. Idem cod. aa mox post *fieret* addit: *quia panis similitudinem habet ad significandum corpus Christi.*

[3] Cod. aa *significatum per hoc pronomen* hoc, *scilicet panis, qui est convertendus*. Superius pro *significationi verae* Vat. *significationi vocis*.

[4] In Ioan. Evang. tr. 80. n. 3. Cfr. supra lit. Magistri, d. III. c. 1.

[5] Cod. P *haec autem oratio conversiva, unde id ipsum quod significat*. Pro *id ipsum* codd. A H V aa et ed. 1 *ad ipsum*. Verbo *indicativae* cod. Y praemittit *tantum*, plures alii codd. *duae*.

[6] Ita fere omnes codd., ut A C D E F G H I L P Q Z bb, edd. *transitionem*, cod. aa *translationem*. Pro *transitivus* in cod. bb secunda manus substituit *transsubstantivus*.

[7] Cfr. infra d. 11. p. I. q. 6. — In cod. aa additur *quia nunc temporis dicitur*. Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 89. seqq. (c. 10.) et VIII. text. 11. (c. 1.); August., XI. Confess. c. 14. n. 17. seqq. — Superius pro *ideo* edd. *ideo est*, cod. P a secunda manu *esse debet*.

[8] Vide infra a. 2. q. 1. — De seqq. cfr. I. Cor. 12, 12. seqq.; Aristot., I. de Histor. animal. c. 1, et II. de Partib. animal. c. 1.

verum simplici *enuntiatione;* ut non esset falsus [1], iunxit verbo *efficaciam ore suo.* — Et quia mandavit aliis facere et dicere; et ipse non iubet, aliquem esse falsum: ideo in ore eorum, quibus dedit mandatum, dedit *verbo efficaciam.* Et ideo hoc verbum *est* in hac oratione non *identitatem* nec *simultatem* significat, sed hoc esse corpus, hoc est, ad huius verbi prolationem hoc totum transire in corpus. Unde oratio ista in ore alterius quam in ore sacerdotis falsa est, quia non *convertit* neque transsubstantiat hoc in illud; nec vera est per *identitatem.* — Et hic sensus, quamvis sit huic orationi proprius, et similiter formae sanguinis; tamen non est alienus a ratione, pensatis conditionibus superius assignatis.

In ore sacerdotis.

Notandum.

Ex quibus alia obiecta patent. Nec videatur inconveniens dicere, quod hoc verbum *est* non *identitatem* dicit, sed potius *conversionem* in hac oratione, quae non tantum est *significativa*, sed etiam *operativa.* Magis tamen debuit poni verbum essendi quam operandi, quia magis competebat formae, ut simul esset efficacia cum veritatis enuntiatione, simul etiam notaretur termini immutabilitas cum conversione.

De aliis oppositis.

SCHOLION.

I. Circa hunc articulum iuvat tria praenotare.

1. Consecrationem panis fieri quatuor verbis formae in Missali positae (exclusa particula *enim*), omnino post Concil. Florent. tenendum est, cum etiam Concil. Trident. (Sess. XIII. c. 3.) doceat, corpus Christi sub specie panis et sanguinem sub specie vini existere « *vi verborum* », scilicet sub specie panis vi verborum: hoc est corpus meum. Reiiciendus igitur est (praeter varias novatorum saec. XVI. assertiones) etiam error, inter Graecos schismaticos propagatus, quod oratio post consecrationem, quam vocant ἐπίκλησιν, vel sola, vel simul cum praedicta forma vim habeat consecratoriam. Nec a plerisque probabilis esse censetur opinio Scoti (hic q. 2. n. 4. 5.), quod *fortasse* (nam hoc non asserit determinate) verba: Qui pridie quam pateretur etc., ad validam consecrationem requirantur, non quidem ut *consecratoria*, sed propter hanc rationem, ut sacerdos apte loqui possit in persona Christi, sicut requiritur intentio. — De verbis formae in Scriptura relatis cfr. hic dub. 1. 2.

2. Etiam opinio plurium auctorum, ut Innocentii III. et Praepositivi (cfr. pag. 190, nota 11.), quod sacerdos proferat formam tantum *recitative* (materialiter), non *assertive* (significative), cum Ss. Bonav., Thoma Scotoque nunc communiter non probatur (est opinio 1. in corp. relata), sed tenetur, verba proferenda esse *recitative* simul et *assertive* sive significative. Et sic vera sunt in rigore sermonis et omnimode congruentia, quamvis corpus Christi non sit sub speciebus nisi in ultimo instanti prolationis.

3. De modo autem probandi, locutionem esse veram et optime congruentem, et speciatim de significatione pronominis *hoc,* ortae sunt diversae sententiae hic allatae. Res non spectat ad fidem, in qua omnes illae opiniones conveniunt, sed potius, ut etiam observat Scotus, ad logicam et grammaticam. Quia autem, ut bene hic dicit S. Doctor, « ista oratio *singularis* est inter omnes orationes », et regulae communes plene ad eam explicandum non sufficiunt; non est mirum, quod diversae viae ad eundem finem tentatae sint et probabiliter iniri possint. Tamen opiniones 1. et 2. hic relatae etiam a S. Thoma aliisque posterioribus communiter reiiciuntur. Tertiam opinionem S. Thomas accuratius explicat et approbat. Vult enim, pronomen *hoc,* substantive sumtum, demonstrare nec *substantiam panis* nec *corpus* Christi nec *speciem panis,* sed indeterminate et in generali substantiam contentam sub illis speciebus. — S. Bonaventura non negat, hanc opinionem esse probabilem, sed putat, aliam opinionem, quam ingeniose explicat, magis satisfacere; etiam Richard. a Med. et Thom. ab Argentina pluribus argumentis praedictam opinionem S. Thomae evertere conantur.

II. Ut perspiciatur via ac ratio S. Bonaventurae ad hanc difficultatem solvendam, quae valde probabilis est, licet sit a pluribus male intellecta, plura supponenda et observanda sunt.

1. In hoc differt propositio speculativa a practica, quod illa supponit existentiam rei significatae, haec vero, cum ordinata sit ad aliquid efficiendum, significando facit vel indicat quod fit: unde, ut talis locutio sit vera, sufficit, ut sit vera in consignificato ultimo instanti prolationis.

2. Locutio consecrationis est *practica* et operativa *virtute divina,* ita ut non solum *significet,* sed etiam *efficiat* quod significat; unde verba a sacerdote in persona Christi prolata continent simul summam veritatem et summam efficaciam. Hinc arguitur, quod cum verba illa simul habeant rationem *causae,* ipsa significatio sub hac ratione praecedere debet saltem *natura* prius terminum productum.

3. Cum transsubstantiatio fiat in instanti, ideo simul tempore est ibi *fieri* et *factum esse;* unde ista propositio, cum vere indicet et efficaciter transsubstantiando panem in corpus Christi, operetur, significat, hoc *fieri* simul et *esse* in instanti, quo producit suum effectum.

4. Operatio transsubstantiationis versatur circa substantiam panis. Quatenus igitur illa locutio est *operativa* et conversiva, respicit substantiam panis. Unde concludit S. Bonaventura, pronomen *hoc* (sive subiectum) indicare et demonstrare substantiam panis sub accidentibus sive speciebus sensibilibus, sed ut *convertendam* in id quod praedicatum dicit. Cum autem locutio sit non tantum *significativa*, sed etiam *operativa*, et cum operetur in ultimo instanti prolationis, in quo simul est *fieri* et *factum esse;* enuntiatio veritatem dicit operando quod exprimit, et exprimendo quod operatur. Hinc coincidunt in hac singulari locutione *veritas* et *operatio*, ita ut *veritas* in significando dependeat ab eiusdem efficacia, et *efficacia* in operando a veritate in significando. — Ita S. Bonaventura suo modo explicat antiquam opinionem multorum Scholasticorum, quod demonstrativum *hoc* dicatur partim ad *sensum,* partim ad *intellectum,* quia scilicet, per sensibile *signum,* quod est panis convertendus in *signatum* est intelligibilis demonstratio *signati.*

Eandem sententiam antiquam recipiunt etiam Alex. Hal., B. Albert., Petr. a Tar. et Richard. a Med. Sed Richard. alio modo eam explicat, dum alii praedicti satis faveant expositioni S. Bonaventurae. Contra Richardum a Med. arguit Scot. (hic q. 2. n. 12. seq.); qui tandem, multis recensitis solutionibus, in

---

[1] Teste Forcellini (Lexicon etc.), adiectivum *falsus* saepe transit in nomen et significat eum qui decipit. Hic refertur ad *Christum.* — Cod. aa *filius mendax.* Superius pro *ita dicere* cod. H *ita esse.* Subinde voci *verum* cod. Z praemittit *verbum.* Mox pro *ore suo* codd. F G I *ore proprio.*

re principali convenit cum S. Thoma; in hoc autem concordat cum S. Bonav., quod verba consecrationis vim habeant operativam et conversivam, praecise quatenus *significativa*, non quatenus *vera*, licet sint vera in fine prolationis; sive aliis verbis, quod sint causa conversionis ratione *significationis*, non vero ratione *veritatis*, cum natura prius intelligatur *conversio*, quam intelligatur oratio veritatem habere.

De hac I. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 1. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3. 4; S. III. q. 78. a. 1. 2. 5. — B. Albert., a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5.

III. In 2. quaestione agitur de forma consecrationis calicis. Sententia, quam S. Bonav., Alex. Hal., Petr. a Tar., Richard. a Med., Scot., Henr. Gand. tanquam probabiliorem tenent, quod speculative loquendo, sola verba: hic est calix sanguinis mei (vel sanguis meus), sint forma essentialis, nunc fere communiter tenetur. Attamen S. Thom. (hic q. 2. a. 2; S. loc. cit. a. 3; ut eius verba exprimere videntur et antiqui eius discipuli eum interpretati sunt) putavit, etiam verba, quae in Missali sequuntur usque ad: Haec quotiescumque (exceptis, ut nonnulli volunt, verbis: mysterium fidei), « ad substantiam » et essentiam formae pertinere. Duce vero Caietano, plures recentiores Thomistae, inter quos est Gotti, aliam sui magistri interpretationem, quae convenit cum communi opinione, tentaverunt, distinguentes inter esse *de essentia* et esse de *substantia* (scilicet integritate); quae explicatio quomodo applicari possit verbis in Comment. cit. prolatis, aliis discutiendum relinquimus.

De hac 2. quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., loc. cit. § 4. — Scot., hic q. 2. n. 6. seqq. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. — Henr. Gand., Quodl. 9. q. 10. — Dionys. Carth., hic q. 6

QUAESTIO II.

De forma verbi supra vinum.

Secundo quaeritur de forma verbi super vinum, et haec habetur in canone[1]: « Hic est calix sanguinis mei » etc. Sed videtur, haec non *esse* forma:

Ad oppositum. 1. Propter hoc quod Magister[2] dicit, quod haec est forma: « Hic est sanguis meus »: cum ergo non sint duae, patet etc.

2. Item, in nullo Evangelistarum habetur haec forma, quia in Matthaeo[3] et Marco dicitur: *Hic est sanguis meus;* in Luca: *Hic est calix in meo sanguine:* si igitur non debet credi alicui, quod non sit in novo vel veteri testamento, sed novo et veteri simpliciter est credendum: ergo ista forma est abiicienda, et forma, quae in Evangelio traditur, est tenenda.

Item, quaero de huius formae *congruentia.*

3. Et cum in forma non debeat poni, nisi quod spectat ad essentiam Sacramenti; et *calix* non sit nec de materia nec de forma, sed vas continens: ergo non debet in forma poni.

4. Si dicas, quod tenetur *transsumtive,* quaero: *ad quid?* Si ad *passionem,* ergo sensus est: haec est passio sanguinis; si ad *potum*, ergo sensus est: hic est potus; sed sicut sanguis est potus, sic corpus est cibus: ergo si in forma panis non dicitur: hic est cibus corporis, nec in forma vini debet dici: hic est potus sanguinis.

5. Item, ubi est sermo *translatus,* est improprietas, et ubi est improprietas, est occasio erroris; et omnis talis excludenda est[4]; ergo etc.

6. Item, ubi *transsumtio,* ibi plures intellectus, scilicet proprius et transsumtus; sed multiplicitas intellectuum est ratio evagandi, quod specialiter debet esse alienum a dispensante et conficiente hoc Sacramentum: ergo etc.

7. Obiicitur autem ultra de hoc quod est *sanguinis*: si enim hoc est principale in Sacramento, videtur, quod debeat exprimi in recto potius quam in obliquo.

8. Item, si *calix* stat ibi pro contento, et contentum non differt a *sanguine,* et *obliqui* sunt *transitivi*[5]: non ergo debet poni in *obliquo.*

9. Quaeritur etiam ultra de hoc quod dicit: *novi et aeterni testamenti:* quia, si testamentum *novum,* non ergo *aeternum:* ergo male coniungitur unum cum altero.

10. Item, videtur, quod non deberet poni: *Mysterium fidei,* quia in aliis Sacramentis est mysterium fidei[6]; et tamen non ponitur: ergo nec in isto.

11. Item, additur: *Qui pro vobis et pro multis effundetur*[7]*;* quare similiter non dicitur de corpore *tradetur?*

12. Item, quare *distinguit?* Cum enim aequaliter pro omnibus sit effusus, videtur, quod non deberet dicere: *pro vobis et pro multis,* sed *pro omnibus.*

CONCLUSIO.

Forma, qua consecratur calix, videlicet: hic est calix sanguinis mei, est certa, congrua, et ut videtur, tota.

Respondeo: Dicendum, quod haec forma: « Hic est calix sanguinis mei », est forma *certa*[8], forma Conclus. 1. 2. 3.

---

[1] Missalis Romani.

[2] Hic in lit. c. 4.

[3] Cap. 26, 28: Hic est enim sanguis meus. — Marc. 14, 24. — Luc. 22, 20: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo.

[4] Cfr. Aristot., VI. Topic. c. 2.

[5] Vide Priscian., V. Grammat. c. 13. et XVIII. c. 1.

[6] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3.

[7] Multi codd. et ed. 1 *tradetur.*

[8] Ita cod. L, cuius lectio cum subnexis, ubi etiam alii codd. exhibent *forma certa* [edd. *forma recta*], congruit; alii codd. et ed. 1 *recta*, Vat. hic et in fine corp. *recta et certa.*

congrua; sed utrum sit *tota*, an quod sequitur sit de integritate, dubium est; creditur tamen, quod est *tota.* Tamen quod sequitur non est frustra additum, nec debet aliquid resecari.

Quod autem ista sit forma *certa*, patet per hoc, quod ipsam tenet Romana Ecclesia, quae fuit ab Apostolorum principibus edocta. *(Conclusio 1. confirmatur.)* Unde Innocentius [1]: « Romana Ecclesia illud semper integra fide servavit, quod ab ipsis Apostolis, qui eam praesentialiter factis et doctrinis ecclesiasticos ritus docuerunt, accepit; ab ipsis Apostolis Petro et Paulo, quos vivos auctores habuit et defunctos custodit, hunc ritum sacrificii accepit, quem hactenus immobili cultu servavit ». Accipienda est igitur forma a *canone,* quia illa traditur non per modum narrationis, sed institutionis; *Magister* autem non intendit dare *formam,* sicut nec in aliis Sacramentis fecit, sed illi consimilem insinuare. Accipienda est ab ipsis *Apostolis,* non ab *Evangelistis,* quia Apostoli Ecclesiam instituerunt, secundum quod a Domino acceperunt; Evangelistae vero divina verba et opera narraverunt, attendentes ad *intellectum,* non ad *vocem.* Ideo nec Evangelistae in forma conveniunt, quia formam fortassis tradere non intendunt; sed conveniunt in sensu, quem narrare volebant [2]. Et sic patet, quod haec est forma.

(Corollarium.) Utrum autem illa quae traditur in Evangeliis, sit forma, in qua conficiatur; quis audeat negare, aut quis praesumat asserere, cum nesciamus, an ipsi intenderint formam describere, an verba narrare? Quod si *intenderunt* formam dare, forma in illis verbis omnibus [3] salvatur, et modica variatio verbi, salvo sensu, formam non mutat; et ita ex hoc non habetur, quod ista quae habetur in canone, non sit forma, immo vere est forma, cum in sensu cum aliis conveniat. Quod si *non intendant,* tunc restat, quod ista est forma; ac per hoc haec forma est *certa.*

(Solutiones ad 1. 2.) 1. 2. Et patet responsio ad obiecta duo prima.

Est etiam *congrua*, quia in hoc Sacramento significatur sanguis Christi ut *effusus* in pretium et ut *administratus* in potum; *(Conclusio 2 confirmatur.)* *sanguis* autem neutrum dicit de se expresse, sed per coniunctionem cum *calice,* quia sanguis in calice ut *effusus* et *potandus proponitur.* Ideo *calix* in Scriptura significat aliquando *passionem*, ut Matthaei vigesimo [4]: *Potestis bibere calicem, quem* etc. Significat et *potus refectionem* per transsumtionem, ut in Psalmo: *Calix inebrians quam praeclarus est!* Propter hunc duplicem tropum melius dicitur *calix sanguinis* quam *sanguis* per se. *(Ad 3.)* — Si ergo quaeratur: ad quid transsumitur? dico, quod ad *contentum.* *(Ad 4.)* Unde dicitur *calix sanguinis,* sicut calix vini, cum dicitur: bibe calicem. — *Si quaeras:* quare non de corpore dicitur *cibus corporis?* dicendum, quod *corpus* Christi de se panis [5] est; sed *sanguis* non dicitur potus, nisi prout propinatur in calice passionis.

(Ad 5. 6.) 5. 6. Ad illud ergo quod obiicitur de *transsumtione,* quod est occasio erroris et evagationis; dicendum, quod hoc verum est, ubi est transsumtio occulta, impropria et inconsueta; sed sic [6] non est hic.

(Ad 7. 8.) 7. 8. Ad illud quod ultra quaeritur: quare *sanguis* ponitur in obliquo? dicendum, quod in *recto intelligitur,* nec obliquus et rectus construuntur *transitive* ut diversa, sed identitas est, sicut cum dicitur *potus vini*, vel *creatura salis* [7]. Et sic patet, quod est forma *congrua.*

(Conclusio 3. confirmatur.) Est etiam *tota* et perfecta; sufficiens enim est ad significandum transsubstantiationem vini in sanguinem Christi. Unde quod additur est de *bene esse,* quia in sequentibus describuntur *effectus* sanguinis in hoc Sacramento significati et in passione effusi, qui triplex est. — *(Effectus 1.)* Unus est *testamenti innovatio* et innovati *confirmatio,* quia in morte confirmatur testamentum et novum efficitur; quia vetus, quod in sanguine taurorum fuerat confirmatum, ibi est evacuatum [8].

(Ad 9.) 9. Ideo dicit: *Novi et aeterni testamenti.*

(Effectus 2.) Alius effectus effusionis sanguinis est *fidei manifestatio,* quia quod erat sigillatum et secretum in passione Agni est apertum [9].

(Ad 10.) 10. Ideo dicit: *Mysterium fidei,* id est secretum; hoc enim erat in fide secretissimum, et hoc revelato, revelata est fides; vel quia difficilius ad credendum.

(Effectus 3.) Tertius effectus est *salus* quorundam Iudaeorum et multorum gentilium.

(Ad 11. 12.) 11. 12. Ideo dicit: *Qui pro vobis*, per Apostolos intelligens Iudaeos; *et pro multis*, per hoc intelligens gentiles. — *(Aliter.)* Vel ideo dicit, quia in hoc Sa-

---

[1] Libr. IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 4: Romanam autem Ecclesiam... nulla prorsus haereticae pravitatis procella potuit conquassare. Sed illud semper integra fide servavit, quod ab ipsis accepit Apostolis, qui praesentialiter eam sacris vel instituere doctrinis et ecclesiastici ritus regulam docuere. Ab ipsis ergo beatis Apostolis Petro et Paulo, quos et vivos habuit et defunctos custodit, hunc sacrificii ritum accepit, quem hactenus inviolabili cultu servavit. — In nonnullis codd. inveniuntur lectiones, quae cum textu originali magis conveniunt, ipsum tamen integrum non exhibent, ideoque vel incongruae vel minus congruae sunt; sic pro *factis* cod. F substituit *sacris*, cod. A *sacris et*, cod. E *factis et sacris*; post *doctrinis* plures codd. subiungunt *et.*

[2] Cfr. Innocent. III, loc. cit. c. 5, et C. *Cum Marthae* (6.), X. (lib. III. tit. 41.), de Celebrat. Missarum.

[3] Cod. aa *verbis tribus.* Pro *intenderunt* codd. A E *intendunt,* econtra inferius pro *non intendant* cod. U *non intendebant.*

[4] Vers. 22. — Seq. textus est Ps. 22, 5.

[5] Vat. *cibus.*

[6] Pro *sic*, quod plurimi codd. omittunt, codd. H L *hoc.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. dub. 3. — Pro *ut diversa* cod. W *ut sit diversitas.*

[8] Vide Hebr. 9, 15. seqq., et Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 28.

[9] Cfr. Apoc. 5, 6. seqq., et III. Sent. d. 25. a. 2. q. 1. seqq.

cramento sacerdotes debent pro se specialiter et pro aliis rogare; ideo dicit: pro *vobis* sacerdotibus, et pro *multis* subditis, per vos convertendis [1].

De variatione formarum.

Posset hic quaeri de harum formarum *variatione* quantum ad additionem, diminutionem et cetera consimilia; et de hoc sentiendum est, quod dictum est circa formam baptismi. Hic enim sunt diversae opiniones; nam quidam dicunt, quod qualiscumque variatio, salvo sensu, non tollit efficaciam formae; alii vero dicunt, quod minima mutatio tollit, quia his verbis sic ordinatis data est virtus. — Sed sicut tactum fuit supra distinctione tertia [2], melius est viam mediam tenere; unde quae ibi dicta sunt hic etiam supponenda sunt [3].

ARTICULUS II.

De significatione Sacramenti eucharistiae.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de Sacramento eucharistiae quantum ad significationem, et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, quid sit ibi res, et quid Sacramentum.

Secundo quaeritur de unitate huius Sacramenti.

QUAESTIO I.

Quid in eucharistia sit res, et quid Sacramentum.

Circa primum proceditur sic. Magister [4] dicit, quod « aliquid est ibi *Sacramentum* tantum, ut species visibilis, et aliquid *res* tantum, ut corpus Christi mysticum, et aliquid *res* et *Sacramentum*, ut corpus Christi verum », quod est *res* primi et *Sacramentum* tertii. Et videtur primo, quod *species* visibilis non sit *Sacramentum* corporis:

Ad oppositum.

1. Quia Sacramentum naturalem debet habere similitudinem ad rem [5]; sed species non habet similitudinem, quia tam corpus Christi verum quam mysticum est totum *heterogeneum*, sed species *homogeneum:* ergo etc. — *Si dicas*, quod species componitur ex pluribus granis [6]; hoc nihil est, quia illa non sunt heterogenea, sed uniformia. *Praeterea*, species est accidens, ergo non componitur [7].

2. Item, Sacramentum novae legis efficit [8]; sed species nullam habent omnino operationem respectu contenti: ergo non sunt Sacramentum.

Item, quod *corpus Christi verum* non sit *Sacramentum* corporis mystici, videtur:

3. Quia Sacramentum est signum, signum autem est, quod se offert sensibus [9]; sed corpus Christi, ut est sub illis speciebus, non offert se sensibus: ergo etc.

4. Item, si est Sacramentum, ergo signum « ex institutione significans [10] »; sed corpus Christi verum non est institutum ad significandum mysticum, nec debet institui, quia nobilius est, sicut caput toto corpore: ergo non est Sacramentum.

Item, obiicitur de *mystico*, quod non sit *res:*

5. Quia res cuiuslibet Sacramenti est aliqua gratia, quia dicitur « Sacramentum invisibilis gratiae visibilis forma [11] »: ergo cum corpus mysticum non sit gratia, non est *res* huius Sacramenti.

6. Item, *res* cuiuslibet Sacramenti novae legis est effectus eius; sed corpus Christi mysticum non est effectus huius Sacramenti, quia effectus non praecedit causam [12]; sed corpus mysticum praecedit Sacramentum: ergo etc.

---

[1] Paschas. Radbert., de Corp. et sang. Domini, c. 15. n. 3, ubi ostendens, quod Christus dixerit *pro vobis* et *pro multis*, ait: « Quia hic sanguis et pro Apostolis et pro multis, qui credituri erant per verbum eorum, effusus est ». Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 41, utitur distinctione, quam etiam Magister (III. Sent. d. XX. c. 5.) exhibet: Pro solis praedestinatis effusus est quantum ad *efficientiam;* sed pro cunctis hominibus est effusus quantum ad *sufficientiam*. Cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. ad 1. et q. 3. in corp.

[2] Partis I. a. 2. q. 3. Vide etiam Innocent. III, loc. cit. c. 18.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Hic in lit. c. 7.

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 4. — De *speciebus* visibilibus i. e. accidentibus, vide infra d. XII. p. I. per totam. — Mox post *similitudinem* codd. A R U supplent *ad rem*, et voci *homogeneum* codd. K L (F a secunda manu) praemittunt *totum*.

[6] Ut dicitur hic in lit. Magistri, c. 7, secundum Augustinum.

[7] Nam si componeretur, componi deberet ex materia et forma, adeoque non esset accidens, sed substantia. Cfr. Aristot., VII. Metaph. text. 7. seqq. (VI. c. 3.).

[8] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 4. et 5. — Codd. U aa addunt *quod figurat.*

[9] Secundum August., hic in lit. Magistri, c. 6. allegatum. Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 2. et 3.

[10] Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 2. Vide supra d. 1. p. I. q. 2. fundam. 2. et ad 5.

[11] Hic in lit. Magistri, c. 6. et supra d. I. c. 2. Vide etiam C. *Sacrificium visibile* (32.), de Consecrat. d. 2. § 1.

[12] Cfr. supra pag. 15, nota 1.

CONCLUSIO.

In Sacramento eucharistiae species visibilis est signum corporis Christi veri et mystici; corpus verum est res speciei et signum et causa corporis mystici; hoc autem est res corporis veri et veritas signi sensibilis.

Respondeo: Sicut dicit Magister [1], tria sunt in hoc Sacramento: *species* visibilis, *corpus* Christi *verum* et *corpus mysticum*. Et secundum quod dicit Conclusio. Hugo [2], « primum est signum secundi et tertii; secundum est res primi et signum et causa tertii; et tertium est res secundi et veritas primi ». Unde reperitur hic ratio *efficiendi* et *significandi*, unde est verum Sacramentum novae legis.

1. Ad illud quod obiicitur, quod debet habere Solutio oppositorum. similitudinem; dicendum, quod species comparationem habet ad *materiam* componentem, sive ex qua Notanda distinctio. constat, quia est ex granis; et comparationem ad *effectum* consequentem, sive quem dat, qui est *cibare*. Si ad *materiam*, sic est ex granis purissimis ad invicem unitis; et sic habet similitudinem cum *corpore mystico*, quod constat ex fidelibus puris, fide et caritate copulatis [3]. Et *si obiicias*, quod est diversarum operationum; non valet, quia uniuntur ut consimiles in unitate fidei et caritatis. — Si autem comparetur ad *effectum*, qui est *cibare*, tunc habet similitudinem ad *corpus* Christi *verum*, quod est vere cibus.

Potest tamen dici, quod ad utrumque compare- Alia solutio. tur ratione eorum, *ex quibus* conficitur, quia corpus Christi verum est « ex purissimis sanguinibus [4] », et corpus Christi mysticum ex puris fidelibus. Quod autem hic membrorum significetur varietas, hoc est *per accidens*, scilicet ratione corporis Christi, quod traxit de Virgine, quod est corpus organicum. — Et *si obiicias*, quod species non componitur nec reficit; dicendum, quod retinent idiomata substantiae, quae prius ibi fuit [5], et ratione illius sunt signa convenientia.

2. Ad illud quod obiicitur de causalitate, dicendum, quod illud quod est Sacramentum tantum, Notandum. si comparetur ad *medium*, per se non habet rationem efficiendi aliquam vel causandi, nisi adiuncto verbo, ut patet in aqua respectu characteris; sic in speciebus respectu corporis. Similiter, si comparetur ad *tertium*, habet rationem efficiendi *mediante secundo*, ut ablutio exterior cum charactere [6]; similiter hic species exteriores ratione corporis Christi veri interius contenti, quod unit et incorporat.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de *corpore vero*, dicendum, quod ex se habet naturalem *aptitudinem* Notandum. ad repraesentandum. Quod autem *repraesentet*, hoc non convenit ei *secundum se*, sed prout *subest speciebus* visibilibus institutis; et quantum ad hoc est signum visibile et voluntarie institutum in altero, non in se ipso; nec ad *significandum* est institutum in se, sed ad *efficiendum* in se tanquam nobilius, ad *significandum* vero, ut est contentum *in altero;* et hoc nihil derogat sibi [7].

5. 6. Ad illud quod obiicitur de *corpore mystico*, quod non est res; dicendum, quod *res* huius Sacramenti non dicitur corpus mysticum ratione Notandum. *partium*, sed ratione *unionis;* et illa unio est gratia et effectus Sacramenti. — *Si obiicias*, quod effectus sequitur causam; dicendum, quod unio in corpore mystico potest esse dupliciter: vel ab uni- Distinctio. tate virtutum compingentium [8], vel a gratia sacramentali, secundum quam sumentes magis Christo incorporantur, et sic per consequens magis ad invicem uniuntur. Prima praecedit et non est *res;* secunda sequitur et est *effectus* et *res* huius Sacramenti. Et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Auctoritate Concilii Trident. (Sess. XIII. can. 4.) constat, eucharistiam non consistere in solo « usu, dum sumitur; sed ante vel post et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt », esse verum corpus Christi. Hinc concludere licet, essentiam eucharistiae consistere in *re permanenti*, et *sumtionem* eiusdem nec esse Sacramentum ab illa re permanenti distinctum, nec partem ipsius integralis, sed potius applicationem huius Sacramenti. Variae tamen de essentia huius Sacramenti in scholis exortae sunt sententiae; communius autem non approbatur opinio quorundam, quod

---

[1] Hic in lit. c. 7.

[2] Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 8: Et sic quidem, cum tria in uno ibi sint, in primo quidem signum invenitur secundi, in secundo autem causa tertii, in tertio vero virtus secundi et veritas primi; et haec tria in uno sunt et unum Sacramentum. — Hoc testimonium iisdem verbis (incipiendo a *in primo*) exhibetur a cod. aa textui nostro adiunctum. Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 36.

[3] Cfr. hic in lit. Magistri, c. 7, verba Augustini. — De seq. obiectione vide Rom. 13, 4. seq., et I. Cor. 12, 12. seqq.

[4] Damasc., III. de Fide orthod. c. 2. et IV. c. 14. Cfr. tom. III. pag. 86, nota 5, et hic lit. Magistri, c. 7. in fine. — Cod. aa *ex quibus conficitur, scilicet ratione materiae, quia sicut illae species ex purissimis granis, ita corpus Christi verum ex purissimis sanguinibus vel membris.*

[5] Sive ut hic in lit. Magistri, c. 6, dicitur: Tenent species vocabula rerum, quae ante fuerunt, scilicet panis et vini.

[6] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. I. — In fine solut. cod. aa addit: *in corpus mysticum, sunt quasi causa ad ipsum.*

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 7, et infra d. 10. p. I. dub. 2. — Cod. aa praemissa sic exhibet: et quantum ad hoc est signum visibile, sicut de charactere dictum est [d. 6. p. I. q. 2. ad 1. arg.], qui est visibilis respectu exterioris [elementi]. Vel potest dici, quod illa definitio datur de signo, quod est signum tantum et quod non continet rem.

[8] Cod. M *coniungentium*, edd. perperam *contingentium*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

consistat vel in *verbis* consecrationis, vel in ipsa *actione* consecrativa (cui secundae opinioni prius favit S. Thom. in Comment., quam reliquit in Summa). S. Bonaventura tenet, species consecratas, prout et connotant et continent corpus et sanguinem Christi, constituere essentialiter Sacramentum eucharistiae; ita ut species illae et corpus Christi completam habeant rationem Sacramenti, et species visibiles significent primario corpus Christi et secundario gratiam sacramentalem (cfr. infra d. 10. p. I. dub. 3. 4.). Idem in re docent Alex. Hal., S. Thom. in Sum., Scot. aliique communius, si praescindimus a quibusdam rebus secundariis.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 3. a. 3. — Scot., hic q. 1. circa finem. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 73. a. 1. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. Licet eucharistia, cum sub utraque specie verum sumatur Sacramentum (cfr. Concil. Trident. Sess. 21. c. 3.), *materialiter* et *physice* dici possit esse *duplex* Sacramentum, revera tamen est *unum* specie infima Sacramentum, « unitate integritatis, non indivisibilitatis », ut dicit Scot. (hic q. 1. n. 4.). Exceptis paucis antiquis doctoribus, ita cum Ss. Bonav., Thoma, nec non Alexandro et Catechismo Rom. (p. II. c. 4. q. 10.) tenet communissima sententia.

De hac 2. quaestione praeter Scotum: Alex. Hal., loc. cit. a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

De unitate Sacramenti eucharistiae.

Secundo quaeritur de unitate huius Sacramenti. Et quod sit unum Sacramentum, probatur:

Fundamenta. 1. Quia Ambrosius [1] dicit, quod simplex est Sacramentum; sed hoc est Sacramentum: ergo simplex, ergo unum.

2. Item, *ratione* videtur: quia hoc Sacramentum unius effectus est causa et ad unum ordinatur: ergo est unum, et non plura.

3. Item, tantum septem sunt Sacramenta; sed si hoc non esset unum, essent Sacramenta plura septem [2]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. In Collecta [3]: « Purificent nos, quaesumus Domine, Sacramenta, quae sumsimus », et in multis aliis locis: ergo etc.

2. Item, significata in hoc Sacramento sunt plura, scilicet corpus Christi *verum* et corpus Christi *mysticum* [4], quae omnino habent differentem unitatem — nam corpus Christi *verum* est unum unitate *integritatis,* sed corpus *mysticum* est unum unitate *formae aggregationis* — ergo etc. — *Si dicas,* quod sunt ad *invicem ordinata,* ita quod unum per alterum [5]; *obiicitur,* quia plura sunt significata immediate et ex aequo, ut corpus et sanguis. — *Si dicas,* quod sunt *annexa;* hoc non solvit, quia secundum veritatem Sacramenti non sunt ut annexa.

3. Item, Sacramentum est signum essentialiter [6]; sed plurificato superiori, plurificatur inferius; sed in eucharistia sunt plura signa: ergo et plura Sacramenta. *Si dicas,* quod plura sunt signa ratione *specierum,* sed unum significatum, et ideo unum Sacramentum; *contra:* in nomine est vox et significatum, sicut in Sacramento; sed Marcus et Tullius, etsi idem significent, tamen diversa sunt nomina: ergo et in Sacramento isto, etsi idem sit res, plura tamen debent dici Sacramenta.

4. Item, ista duo constituunt Sacramentum: verbum et elementum, et elementum in ratione *materialis,* verbum in ratione *formalis* [7]: ergo ubi plura verba et elementa, ibi plura Sacramenta; sed sic est in proposito. — *Si dicas,* quod ordinata sunt ad unum, et ideo sunt unum; *contra:* causa universalis et particularis ad unum effectum ordinantur, nec tamen sunt unum, sed plures causae [8]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Eucharistiae Sacramentum non est unum unitate simplicitatis, sed integritatis et in comparatione, quia signum ordinatur ad unum ratione naturae et institutionis.

Respondeo: Dicendum, quod unitas Sacramenti non est unitas *simplicitatis* — constat enim ex verbo et elemento — sed *integritatis;* nec *integritatis absolutae,* sed in *comparatione,* quia non uniuntur in tertio tanquam in *forma,* sed tanquam in *signo.* Quoniam igitur hoc Sacramentum, quamvis duo signa contineat et duo verba, quia tamen Distinctio. Conclusio 1.

[1] Vide supra pag. 75, nota 6.

[2] Vat. *quam septem.*

[3] In Missal. Roman. inter Orationes diversas, scil. Oratio pro vivis et defunctis, quae etiam ponitur in IV. feria Cinerum. — Aliam Collectam vide infra lit. Magistri, d. IX. c. 3. Cfr. etiam Postcommunio in Missa pro S. Nicomede M. (15. Sept.), in IV. feria Cinerum et feriae IV. in hebdomada 4. Quadrages., quae a Gregorio in lib. Sacrament. exhibentur.

[4] Ut ostensum est quaest. praeced.

[5] Respicitur illud Aristot., III. Topic. c. 2: Ubi unum propter alterum, ibi tantum unum. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2. — Cod. S *ad alterum,* cod. bb *post alterum.*

[6] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. — *Minor* colligitur ex dicto Aristot., supra pag. 110, nota 5. — In fine arg. edd. *ista* pro *isto* et *sint res* pro *sit res.*

[7] Vide supra d. 1. p. I. dub. 11. et d. 3. p. I. a. 1. q. 2.

[8] Exemplum continetur illis verbis Aristot., II. Phys. text. 26. (c. 2.): Homo [causa particularis] enim hominem generat et sol [causa universalis]. Cfr. I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp. — Pro *sunt unum* edd. *sunt una causa.*

ex his *perfectum* resultat signum et *ordinatum ad unum*, scilicet ad unionem corporis *mystici;* ideo est unum Sacramentum [1].

Ratio autem talis *integritatis* et *ordinationis* unius dispositive venit a *natura* — quia nec panis est per se plene reficiens nec vinum, sed utrumque; una enim plena refectio in natura venit ex utroque, et ita disposita sunt ad unam refectionem significandam — sed completive venit ab *institutione* divina, quae una institutione haec duo signa ordinavit ad significandam unam perfectam refectionem; Conclusio 2. et ideo unum est Sacramentum ratione *naturae* et *institutionis divinae.* Unde quia ex pluribus *integratur,* ideo Gregorius [2], materialiter loquendo, dicit *Sacramenta;* quia vero una ordinatione *ordinatur,* ideo statim dicit: «et praesta, ut hoc tuum Sacramentum» etc.

Solutio oppositorum. 1. Et sic patet illud Gregorii.

2. Ad illud quod primo obiicitur, quod plura sunt significata; dicendum, quod unum est propter alterum et per alterum, quia *verum* [3] significat *mysticum.* — Ad illud autem quod obiicitur de sanguine, dicendum, quod *annexa* sunt. Unde sicut oblatio agni et eius sanguinis non sunt duae oblationes vel sacrificia [4]; sic in proposito intelligendum. — Et si illud non sufficit, dicendum, quod ordinantur ad unum significatum ultimum [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod sunt plura signa; dicendum, quod *integraliter* loquendo et *materialiter,* verum est, quia plures species; sed tamen unum signum integrum, sicut ostensum est. Notandum. Non sic diversae voces sunt unum nomen, immo diversas rationes habent innotescendi et diversas institutiones, ideo plura nomina [6]; si autem unam haberent institutionem, unum esset nomen, sicut hoc nomen *Bonaventura* vel hoc nomen *Bonushomo.*

4. Ad aliud similiter patet responsio: quia, quamvis sint duo verba et elementa, unum tamen sunt Sacramentum, quia verbum et elementum non Notandum. conveniunt ad unum Sacramentum nisi ratione institutionis ordinantis ad unum [7]; quia ergo hic est institutio illa, plura ad unum ordinans; ideo unum Sacramentum. — Per hoc patet, quod non est simile de causa universali; quia non tantum ad unum effectum causae particularis ordinatur universalis, sed ad multos alios; sed haec duo ad unum perfectum Sacramentum ordinantur, perfectum, inquam, dico quantum ad *significationem,* quia in neutro salvatur ratio perfectae refectionis naturalis per se, sed in utroque simul, ut tactum est [8].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Attende, quae sunt verba: Accipite et comedite;* quia videtur hic innuere Magister, quod haec sit forma. Sed *contra* hoc est, quia Ecclesia his verbis non utitur: ergo non conficit: ergo Ecclesia aut male facit, aut Magister falsum dicit.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc sunt Opinio 1. duae opiniones. — Aliqui dicunt, quod quia vis est data verbis, quod solum his verbis fit confectio, quae dicit Ecclesia; et si verba mutantur, quantumcumque sit sensus idem, non conficitur; et ideo dicunt, quod in his verbis non fit confectio sive consecratio; et dicunt, quod Magister non dat hic formam. Opinio 2. — Alii dicunt aliter, quod mutatio in modo enuntiandi, dum tamen servetur sensus, non impedit consecrationem. Unde in forma, quam ponit Magister, ita bene est consecratio, sicut in forma, quae ponitur in canone.

Iudicium auctoris. Verumtamen hoc asserendum est, quod in forma, quae in canone scribitur, conficitur Sacramentum; de *hac* utilius est dubitare. Quis enim potest scire, utrum Evangelistae et ipse Apostolus formam intenderent describere? Ideo melius est hic pie dubitare quam praesumtuose definire. — Credo tamen, Notandum. quod si quis ita conficeret, non esset parvipendendum, immo honor et reverentia exhibenda propter periculum, et propter hoc quod non possumus discernere; quia maius periculum est in contemnendo hostiam consecratam, quam non consecratam venerari pro consecrata: ut puta, si non consecrata commisceatur aliis consecratis, a quibus non possit discerni, melius est totum venerari quam despicere aliquam ex eis, cum non possit cognosci. Si quis tamen formam Ecclesiae ex certa scientia mutat, graviter peccat [9].

---

[1] Cfr. Boeth., de Unitate et uno, ubi etiam divisiones unitatis exhibentur. Vide tom. III. pag. 896, nota 2. — Pro *unionem* cod. II *unitatem.* Inferius post *una* ex eodem cod. II supplevimus *enim,* pro quo cod. aa *inde.*

[2] Vide supra pag. 197, nota 3. Cfr. Innocent. III. IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 38, ubi diversae opiniones de hac quaestione recensentur. — Post *loquendo* edd. addunt *in Collecta.*

[3] Codd. O U supplent *corpus.*

[4] Anselm., ad Waleranni querelas responsio (de Sacram. diversitate), c. 2: Sicut unus est Christus, qui se ipsum obtulit pro nobis, ita una est oblatio et una hostia in pane et vino, quam offerimus.

[5] Scilicet unam perfectam refectionem.

[6] Cfr. supra pag. 74, nota 5. — Inferius pro *vel* edd. *et.*

[7] Vide supra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. in corp.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Cfr. supra a. 1. q. 2. in corp. et d. 3. p. I. a. 2. q. 3. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 1; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non ideo tamen calumniandum est universae Ecclesiae.* Videtur enim, quod immo valde calumniandum: quia servandum est et imitandum tam factum quam verbum; et *iterum*, magis quod dicit Dominus, quam quod dicit servus; sed Dominus confecit post coenam[1]: ergo quamvis Apostolus dicat contrarium, videtur, quod magis post coenam conficiendum sit.

Respondeo: Dicendum, quod in his quae Dominus praecepit[2], magis obediendum est Domino quam alicui alii; sed tamen non omne factum Domini est praeceptum, quia non omnia fecit ad imitationem, sed quaedam fecit ad significationem et manifestationem veritatis; sicut dicitur fecisse Dominus, quando fuit circumcisus, quia hoc non fecit ad imitationem, sed potius ad instructionem alicuius rei cognoscendae, vel spiritualiter faciendae[3]. Sic cibum illum instituit post coenam in significationem effectus, vel etiam aliorum, quae tanguntur in littera[4]. Notandum.

DISTINCTIO IX.

Cap. I.

De duobus manducandi modis.

Et sicut duae sunt res illius Sacramenti, ita etiam Glossa. «duo modi manducandi: unus *sacramentalis*, scilicet quo boni et mali edunt; alter *spiritualis*, quo soli Augustinus. boni manducant[1]». Unde Augustinus: «Quid est Christum manducare? Non est hoc solum in Sacramento corpus eius accipere — multi enim indigne accipiunt — sed in ipso manere et habere ipsum in se manentem. *Spiritualiter* enim manducat qui in unitate Christi et Ecclesiae, quam Sacramentum significat, manet». Augustinus. «Nam qui discordat a Christo nec carnem Christi manducat nec sanguinem bibit, etsi tantae rei Sacramentum ad iudicium sui quotidie accipiat». *Spiritualem* manducationem Augustinus[2] distinguens a *sacramentali*, ait: «Ut quid paras dentem et ventrem? Dubium 1.2. Crede, et manducasti». «Credere enim in eum, hoc est manducare panem et vinum; qui credit in eum manducat eum». Item: «Quomodo manducandus est Christus? Quo modo ipse dicit: *Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum in me manet, et ego in eo.* Si in me manet, et ego in eo, tunc bibit; qui Dubium 3. vero non in me manet, nec ego in illo, etsi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum». Item[3]: Beda. «Nulli ambigendum est, tunc quemque corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si, antequam panem illum edat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat; quia illius Sacramenti beneficio non privatur, quando ille habere hoc quod illud Sacramentum significat, invenitur». In illo enim Dubium 4. Sacramento corpus et sanguinem suum commendavit nobis, quod et fecit nos ipsos. Nam et nos *corpus ipsius* facti sumus. Item[4]: «Qui discordat a Christo non Augustinus. manducat carnem eius nec sanguinem bibit, etsi tantae rei Sacramentum ad iudicium sibi quotidie accipit».

Cap. II.

De errore illorum qui dicunt, tantum corpus Christi a bonis sumi.

Haec verba et alia huiusmodi, ubi de *spirituali* manducatione agitur, quidam, obtuso corde legentes, erroris caligine involuti sunt, adeo ut dicere praesumserint, corpus et sanguinem Christi a bonis tantum sumi et non a malis. — Sed indubitanter tenendum Refutatur. est, a bonis sumi non modo *sacramentaliter*, sed et *spiritualiter;* a malis vero tantum *sacramentaliter*, id est sub Sacramento, scilicet sub specie visibili, carnem Christi de Virgine sumtam et sanguinem pro nobis fusum sumi, sed non *mysticam*, quae tantum bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis. Gregorius[5]: «Est quidem in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, sed essentia, non salubri efficientia». Item, Augustinus[6]: Augustinus. «Multi indigne accipiunt corpus Domini, de quibus ait Apostolus: *Qui manducat et bibit calicem Domini* Dubium 5.

---

[1] Matth. 26, 26. — De doctrina Apostoli vide I. Cor. 11, 20. seqq.

[2] Codd. A E F G I K bb *praecipit.*

[3] Ut dictam est supra d. 3. p. II. a. 2. q. 1. ad 4. et d. 6. p. II. a. 1. q. 2. in corp.

[4] Hic c. 5. — Cfr. supra huius dist. p. I. a. 2. q. 2. ad 1; Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 2. a. 1. § 3. ad ult.; B. Albert., hic a. 9. seq.; S. Thom., hic q. 1. a. 4; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Glossa ad I. Cor. 11, 29, apud Lyranum, ubi etiam duo seqq. loci August., primus Serm. 71. (alias 11. de Verbis Dom.) c. 11. n. 17; C. *Quid est Christum* (46.), de Consecrat. dist. 2; et alter libr. Sentent. Prosperi (inter opera August.) n. 341; C. *Qui discordat* (65.), ibid.

[2] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12; C. *Ut quid paras* (47.), ibid.; seq. locus ibid. tr. 26. n. 1, et in can. eodem (August.: *panem vivum* pro *panem et vinum*); tertius locus ibid. n. 18; C. 46. supra cit., qui integre legitur apud Bedam in I. Cor. 11, 27, in quo loco citatur Ioan. 6, 57.

[3] Beda in I. Cor. 10, 16; C. *Quia passus* (36.), ibid. § 1.

[4] August., in Sent. Prosperi, vide supra nota 1; in quo textu plures codd. et edd. omittunt *bibit.* — In eodem loco bis relato et edd. et codd. has habent lectiones variantes: *sui* pro *sibi* (apud Prosp. *suae praesumtionis*), nec non *accipiat* pro *accipit* (in paucis edd. *accepit*).

[5] Locus non est Gregorii, sed Lanfranci, de Corpore et sang. Dom. c. 20.

[6] Collectus est ex tr. 6. in Ioan. Evang. n. 15. et tr. 62. n. 1; C. *Et sancta* (66.), ibid.; ubi citatur I. Cor. 11, 29.

indigne iudicium sibi manducat et bibit. Per quod docemur, quam sit cavendum male accipere bonum. Dubium 6. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum; sicut econtra Apostolo factum est bonum, cum bene accipitur malum, scilicet dum stimulus satanae patienter portatur. Ergo et mala prosunt bonis, sicut angelus satanae Paulo; et sancta obsunt malis: bonis sunt ad salutem, malis ad iudicium. Unde qui manducat et bibit indigne iudicium sibi manducat et bibit, non quia res illa mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est». Augustinus. Idem [1]: «Indigne quis sumens corpus Christi non efficit, ut, quia malus est, malum sit quod accipit; vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim et sanguis Domini nihilominus erat in illis quibus ait Apostolus: *Qui manducat indigne*» etc. — His aliisque pluribus aperte ostenditur, quod etiam a malis verum corpus Christi et sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

Cap. III.

De intelligentia quorundam verborum ambiguorum.

Secundum hos duos modos sumendi intelligentia quorundam verborum ambigue dictorum distinguenda est. Ait enim Augustinus [2]: «Bonus accipit *Sacramentum* et *rem Sacramenti;* malus vero *Sacramentum* et non *rem*». Augustinus. *Sacramentum* hic dicit corpus Christi proprium, de Virgine natum; *rem* vero spiritualem Christi carnem. Bonus ergo utramque Christi carnem accipit, malus vero tantum *Sacramentum*, id est corpus Christi sub Sacramento, et non *rem spiritualem.* — Item [3]: «Non manducans manducat, et manducans non manducat; quia non manducans *sacramentaliter* aliquando manducat *spiritualiter*», et e converso. Et qui manducant spiritualiter *veritatem* carnis et sanguinis dicuntur sumere, «quia ipsam efficientiam habent, id est remissionem peccatorum [4]», pro qua videtur orari, cum dicitur: «Perficiant in nobis, Domine quaesumus, tua Sacramenta quod continent; ut quod nunc specie gerimus rerum veritate capiamus». *Rerum veritatem* dicit ipsam efficientiam, quasi: per haec Sacramenta praesta, ut sicut sacramentaliter carnem Christi sumimus, ita spiritualiter sumamus. Vel petit sacerdos, ut Christus, qui nunc sub specie panis et vini sumitur, manifesta visione, sicut in essentia divinitatis est, quandoque capiatur. — Constat igitur, a bonis et a malis sumi corpus Christi, sed a bonis ad salutem, a malis ad perniciem.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM IX.

De Sacramento eucharistiae respectu suscipientium.

Et sicut duae sunt res illius Sacramenti etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de Sacramento eucharistiae in se; hic incipit agere per comparationem ad manducantem. Et quoniam circa manducationem eucharistiae dupliciter fuit erratum, et quantum ad manducantem et quantum ad cibum, qui manducatur [1]; ideo haec pars habet duas partes. In prima Magister excludit errorem quantum ad manducantes, quia dixerunt aliqui, malos non manducare verum corpus Christi. In secunda excludit errorem quantum ad cibum, quia dixerunt alii, quod a nullis sumitur verum corpus Christi, et hoc facit in distinctione decima: *Sunt item alii praecedentium insaniam* etc.

Prima pars habet tres partes secundum tria capitula. In prima parte Magister dicit veritatem. In secunda manifestat mentientes, ibi: *Haec verba et alia huiusmodi.* In tertia dissolvit ex his locutiones multiplices, ibi: *Secundum hos duos modos sumendi* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae Magister determinat in praesenti distinctione, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de manducatione in generali.

Secundo, in speciali per comparationem ad malos.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur de modis manducandi, quos

---

[1] Libr. V. de Baptismo contra Donatistas, c. 8. n. 9; C. *Sicut Iudas* (68.), ibid.

[2] Ex locis citt. collectus; verbotenus in Glossa ad I. Cor. 11, 24, apud Lyranum. — Inferius pro *natum* codd. et ed. 1 *ductum*.

[3] In Glossa cit.

[4] Apud Lanfranc., ut supra, et C. *Species et similitudo* (34.), ibid. Seq. Oratio habetur in Gregorii Libr. Sacrament. n. 487; cfr. Guitmund., II. de Corporis et sang. Dom. veritate.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Non pauci codd. omittunt *qui manducatur*.

ponit Magister [1], duos scilicet, sacramentalem et spiritualem.

Secundo, quid sit manducare spiritualiter, sive pro quanto dicatur quis manducare spiritualiter.

Tertio, quid sit manducare sacramentaliter, sive pro quanto quis dicatur manducare sacramentaliter.

Quarto, utrum Christus manducaverit utroque modo.

ARTICULUS I.

De manducatione eucharistiae in generali.

QUAESTIO I.

De duplici modo manducandi eucharistiam.

Quantum ergo ad primum proceditur sic. Quod *duo* debeant esse modi manducandi, scilicet «sacramentalis et spiritualis», secundum quod Magister [2] dicit, ostenditur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate canonis, Ioannis sexto [3]: *Qui manducat me vivit propter me,* hic tangitur modus spiritualis; sed primae ad Corinthios undecimo: *Qui manducat indigne iudicium sibi manducat,* et hic tangitur alius modus, qui non est spiritualis: ergo manducatio corporis Christi multiplex est.

2. Item, auctoritate Augustini [4]: «Spiritualiter manducat qui in unitate Christi et Ecclesiae, quam Sacramentum significat, manet»; «qui autem discordat a Christo nec carnem Christi manducat nec sanguinem bibit, etiam si tantae rei Sacramentum ad iudicium quotidie accipit».

3. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione:* quia, cum duae sint tantum res huius Sacramenti [5], et possibile sit, unam accipere sine alia: ergo sunt duo modi distincti.

4. Item, manducatio dicit usum Sacramenti: ergo cum hic sit Sacramentum interius et exterius, patet, quod sunt duae manducationes [6].

Ad oppositum. Contra: 1. Videtur, quod non nisi *una:* quia «ubi unum propter alterum, ibi unum tantum [7]»: ergo si sacramentalis est propter spiritualem, vel ad spiritualem, sicut signum ad signatum: ergo una tantum manducatio.

2. Item, *caro* Christi *vere est cibus* [8], ergo sicut lucis est illuminare, ita carnis illius est cibare; sed non corporaliter, ergo spiritualiter; sed qui recipit sacramentaliter recipit carnem, et sic cibatur spiritualiter: ergo unus tantum est modus manducandi, scilicet spiritualis.

3. Item, ostenditur, quod sint *plures* modi: quia, sicut dicitur supra distinctione quarta [9], quidam recipiunt in baptismo rem tantum, quidam Sacramentum tantum, quidam utrumque: ergo tres modi: eadem ergo ratione et hic sunt tres manducationes.

4. Item, triplex est unio [10]: in natura, in fide et in caritate; sed unioni fidei respondet manducatio sacramentalis: ergo et unioni caritatis spiritualis: ergo erit tertius modus respondens unioni in natura.

5. Item, triplex est in nobis virtus theologica, et quaelibet suo modo unit: ergo cum aliquis modus manducandi respondeat fidei, aliquis caritati; aliquis respondebit spei.

CONCLUSIO.

Eucharistia duplici modo manducatur, scilicet sacramentaliter et spiritualiter.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est modus manducandi. Cuius distinctio a triplici oritur principio, videlicet a *dispositione sumentium:* quia quidam accedunt male dispositi, et hi manducant sacramentaliter; quidam bene, et hi spiritualiter. — Ulterius oritur distinctio secundo a *modo sumendi:* Conclusio. Rationes tres distinctionis.

[1] Hic in lit. c. 1.

[2] Hic in lit. c. 1.

[3] Vers. 58: Qui manducat me, et ipse vivet propter me. — Seq. textus est I. Cor. 11, 29: Qui enim manducat et bibit indigne etc.

[4] Integra haec Augustini sententia exhibetur in Glossa apud Petrum Lombard. et Lyranum (Glossa *ordinaria).* Prima eius pars insinuatur ab August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 13. 15. 17. seq. et tr. 27. n. 6. Cfr. Serm. 71. (alias 11. de Verbis Domini) c. 11. n. 17; C. *Credere in Iesum Christum* (59.), et C. *Hoc Sacramentum* (63.), seq., de Consecrat. d. 2. Secunda pars invenitur in libro Sententiarum, quas S. Prosper ex operibus Augustini collegit, n. 341. (alias 339.), et insinuatur ab Augustino, in Ioan. Evang. tr. 26. n. 18. Cfr. C. *Qui discordat* (65.), de Consecrat. d. 2. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — In fine testimonii pro *accipit* Vat. *accipiat.*

[5] In cod. aa subiungitur *scilicet corpus Christi verum et mysticum.* Cfr. supra lit. Magistri, d. VIII. c. 7, et ibid. Comment. p. II. a. 2. q. 1.

[6] Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 14.

[7] Secundum Aristot., III. Topic. c. 2. Cfr. tom. II. pag. 639, nota 2. — Post *vel* cod. aa addit *se habet.*

[8] Ioan. 6, 56.

[9] Lit. Magistri, c. 1.

[10] Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 1. a. 1, supplet *qua unitur homo Deo.* Vat. omittit primum *ergo.*

quia quidam suscipiunt *ore corporis*, et hi sacramentaliter; quidam vero *ore cordis*, et hi spiritualiter; unde secundum duplex os [1] duplex est manducatio. — Tertio oritur ab *ipso Sacramento:* quia duplicem habet rem, quarum una potest recipi sine altera; ita sicut duplex est baptismus, scilicet fluminis et flaminis a duplici re [2], sic etiam duplex modus manducandi. — Et hoc ultimum est et completum, quia una res potest sumi sine altera.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod ubi unum propter alterum; dicendum, quod hoc verum est, si sit ibi unum propter alterum, quod non queat separari; sed cum separatur, iam non remanet unum [3].

2. Ad illud quod obiicitur, quod caro semper cibat; dicendum, quod actus ille semper respicit dispositionem suscipientis, sicut *illuminare;* unde sicut geminatur dispositio, sic et modus manducandi.

3. Ad illud quod obiicitur, quod tres sunt modi in baptismo, et sic etc.; dicendum, quod ille tertius modus non distinguitur nisi *materialiter* tantum ab aliis duobus.

4. Ad illud quod obiicitur de unione naturae, dicendum, quod manducatio respicit actum *personae,* ideo secundum *naturam* non est manducatio, sed praesupponitur [4].

5. Ad illud quod obiicitur de spe, dicunt quidam, quod non unit, quia spes proprie est futuri [5]; tamen dicendum, quod istae manducationes non distinguuntur secundum *virtutes* — quia manducatio spiritualis est secundum fidem *et* caritatem — sed secundum *res* Sacramenti. Unde omne Sacramentum, quod quidem habet res duas, potest recipi sacramentaliter et spiritualiter. Solutio 1. Solutio auctoris.

SCHOLION.

I. S. Augustini distinctio duplicis modi manducandi hoc augustissimum Sacramentum, de qua agitur in his 4 quaestionibus, communiter recepta est tanquam divisio adaequata. Non tamen unus modus excludit alterum, immo de iure cum sacramentali manducatione, quae fit ore corporis, coniuncta esse deberet spiritualis, quae fit ore cordis. In usu autem ab invicem separari possunt et separantur. Non tamen manducatio, quae fit solo ore corporali, semper est *sacramentalis* ex parte manducantis, quando scilicet utitur speciebus, non quatenus sunt Sacramentum, sed pure *materialiter;* ita qui nescit, species esse consecratas, Sacramentum non sumit sacramentaliter, quia non nisi *per accidens* illud sumit (cfr. infra q. 3.). — Etiam *spiritualis* manducatio variis modis fieri potest. Hinc S. Thom. (S. III. q. 80. a. 1. ad 3.) docet, illud spiritualiter manducari non tantum ob desiderium sumendi hoc Sacramentum iam *institutum,* sed etiam «propter figuram [eiusdem], sicut dicit Apostolus I. Cor. 10, 3. 4, quod antiqui Patres... *spiritualem escam manducaverunt et spiritualem potum biberunt*». Idem tamen in Comment. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4.) distinguit inter *manducare spiritualiter Christum* et *manducare spiritualiter hoc Sacramentum;* quo supposito, dicit (ad 2.), «quod antiqui Patres non manducaverunt spiritualiter *hoc Sacramentum,* quia nondum erat institutum... manducaverunt tamen spiritualiter *Christum*». Idem docent Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 1, et B. Albert., hic a. 5. Agitur autem in his magis de nomine quam de re. — Scot. (IV. Sent. d. 8. q. 3. n. 2.) dicit, quadruplici modo percipi posse hoc Sacramentum, scilicet nec sacramentaliter nec spiritualiter [nempe pure materialiter]; vel sacramentaliter, sed non spiritualiter; vel sacramentaliter et spiritualiter; vel tantum spiritualiter et non sacramentaliter.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 1. a. 1. 2. — Scot., in utroque Scripto quaest. cit. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; S. art. cit. — B. Albert., hic a. 1. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — De hac et seqq. qq. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Alii auctores rem tangunt locc. citt.

III. Quoad 3. quaestionem communiter approbatur, tum quod non sumit sacramentaliter ille qui species consecratas sumit tantum ut *rem,* non ut *signum,* tum quoad Angelos, quod «licet spiritualiter manducent *Christum,* non tamen convenit eis spiritualiter manducare hoc *Sacramentum*» (S. Thom., S. loc. cit. a. 2.).

De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 1. a. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 3. ad 2. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

IV. In solvenda 4. quaestione posteriores Scholastici in hoc conveniunt, quod Christus in sacra Coena eucharistiam *sacramentaliter* sumserit, non autem cum *effectu* spirituali manducationis, qui est augmentum habitualis gratiae. Hinc Alex. Hal. (loc. cit. m. 2. a. 1. § 1. et 2.), licet concedat, Christum recepisse illum effectum spiritualis manducationis, qui est *delectatio spiritualis;* tamen vult, eum non proprie spiritualiter manducasse; quod approbant etiam S. Bonav. (2. concl.) nec non Petr. a Tar. Sed S. Thom. (IV. Sent. d. 11. q. 3. a. 1. ad 4; S. III. q. 81. a. 1. ad 3.) dicit, Christum tunc manducasse tum *sacramentaliter* tum *spiritualiter,* aliter tamen quam ceteri. Quaestio haec et differentia est tantum de nomine.

De eadem quaestione praeter artt. citt.: B. Albert., IV. Sent. d. 12. a. 15. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 11. q. 2. a. 6. — Richard. a Med., IV. Sent. d. 11. a. 4. q. 1.

---

[1] De quo vide August., de Continentia, c. 1. n. 2. seqq., et de Mendacio, c. 16. n. 31. seq. Cfr. etiam Gregor., XX. Moral. c. 2. n. 5.

[2] Nempe gratia et charactere. Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. in fine; d. 4. p. I. a. 1. q. 3. in corp., a. 2. q. 3. et p. II. a. 1. q. 1. seq. — Inferius pro *completum* edd. cum pluribus codd. *completivum.*

[3] Vide infra d. 28. q. 4. ad 3, et III. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 4. — Superius post *ibi* codd. I Y supplent *ita.*

[4] Sive, ut infra q. 3. dicitur, praeexigitur «cibi existentia et eius ad cibatum naturalis convenientia». Cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2, ubi de baptismo dicitur, quod ipse sit remedium respiciens personam, non naturam.

[5] Cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. 4.

QUAESTIO II.

Quid sit manducare spiritualiter.

Secundo quaeritur, quid sit *manducare spiritualiter,* sive pro quanto dicatur quis manducare spiritualiter. Et quod *credere* sit spiritualiter manducare, videtur:

Fundamenta. 1. Auctoritate Domini, Ioannis sexto[1]: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis;* et Ioannis undecimo: *Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:* si igitur vita spiritualis non est sine manducatione spirituali, et *vivere* est in nobis per fidem: ergo vel *credere* est manducare, vel non sine manducatione.

2. Item, hoc videtur expressius auctoritate Augustini, quam etiam Magister ponit in littera[2]: «Crede, et manducasti»; sed constat, quod hoc non intelligit sacramentaliter: ergo spiritualiter, et sic etc.

3. Item, quandocumque aliquis interius lavatur, dicitur spiritualiter baptizari: ergo a simili, quandocumque aliquis spiritualiter masticat et reficitur, spiritualiter manducat; sed hoc est per actum fidei devotae, ubi est discussio et spiritualis refectio[3]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Si credere est spiritualiter manducare; cum multi peccatores et credant et aliquam devotionem habeant, videtur, quod secundum hoc spiritualiter manducent; hoc autem est contra Augustinum[4], qui dicit, quod nullus spiritualiter manducat, nisi qui est membrum Christi et manet in Christo.

2. Item, si actus fidei etiam cum caritate[5] sufficit ad spiritualem manducationem, ergo omne quod credimus et diligimus, manducamus: ergo cum multa alia credamus quam hoc Sacramentum vel rem huius Sacramenti; videtur, quod manducatio spiritualis sit omnium articulorum — quod nemo sanae mentis concederet — et quod manducatio non sit huic Sacramento et rei propria.

3. Item, manducatio spiritualis est dicta ad similitudinem materialis; sed qui comedit materialiter incorporat sibi cibum, qui autem credit et diligit Christum incorporatur Christo: ergo potius manducatur, quam manducet: ergo videtur, quod manducatio spiritualis, qua quis manducat, in actu fidei et caritatis non consistat.

CONCLUSIO.

Ad spiritualem manducationem requiritur recogitatio fidei quasi masticatio, et affectio caritatis quasi incorporatio.

Respondeo: Dicendum, quod manducatio primo et proprie in corporalibus invenitur et ab his ad spiritualia est translata; et ideo, si velimus accipere rectam manducationem *spiritualem,* necesse habemus ad propriam acceptionem vocabuli nos transferre. Notandum igitur, quod licet multiplex actus sit in manducatione corporali *annexus* et consequens, iste tamen duplex est, qui est de *integritate, masticatio* scilicet et *incorporatio,* ut patet aspicienti. — Si ergo ratio manducationis congrue transfertur ad spiritualia, oportet haec duo reperire, et secundum ea, in quibus haec duo consistunt, manducatio *spiritualis* attenditur. Spiritualis *masticatio* est recogitatio cibi, scilicet carnis Christi pro nobis expositae in pretium ad redimendum et in cibum ad reficiendum[6]. *Incorporatio* vero attenditur, dum recogitans caritatis amore ei quod cogitatur, iungitur et sic incorporatur, et dum incorporatur, reficitur et magis assimilatur. (Quid manducatio corporalis.) (Applicatio ad spiritualia.)

Ad hoc ergo, quod quis spiritualiter manducet, requiritur *recogitatio fidei* et *affectio caritatis.* In primo est *masticatio,* in secundo *incorporatio;* et ex his duobus integratur *spiritualis manducatio.* — Concedo ergo, quod non sufficit qualiscumque fides, sed necessario fides operans per dilectionem[7]. Et de hac currunt tres rationes ad primam partem. (Conclusio.) (Corollarium.)

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in oppositum de fide informi, dicendum, quod verum est, quod illa non sufficit. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod secundum hoc omnes articulos manducamus; dicendum, quod

---

[1] Vers. 54, ubi Vulgata post *hominis* addit et *biberitis eius sanguinem.* — Seq. textus est Ioan. 11, 25.

[2] Hic c. 1.

[3] Guliel. Antissiodor., S. p. IV. tr. 5. c. 3: Masticatio spiritualis, quae est diiudicatio corporis Christi, de qua loquitur Apostolus [I. Cor. 11, 29.], redarguens eum qui indigne accipit... diiudicare enim debemus, quale corpus sit Christi, quam nobile, quam vivificativum... Secundum est delectatio [refectio], qua delectamur in Christo... Diiudicatio autem illa proprie est per fidem, similiter et delectatio; dicit enim Augustinus, quod in cognitione est tota delectatio etc.

[4] Vide supra pag. 201, nota 4.

[5] Non pauci codd. et ed. 1 perperam *charactere.*

[6] Cfr. August., Serm. 131. (alias 2. de Verbis Apostoli), c. 1. n. 1, quod etiam allegatur C. *Qui manducant* (58.), de Consecrat. d. 2. — De *incorporatione* cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 25. n. 12. et 18, tr. 26. n. 13. et tr. 27. n. 6.

[7] Respicitur Gal. 5, 6: Nam in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet... sed fides, quae per caritatem operatur. — Post *sed necessario* [cod. U *sed motus*] cod. O supplet *requiritur.*

proprie loquendo, non quaecumque discussio et recogitatio fidei dicitur *masticatio*, sed illa quae est *cibi*; et ideo non quilibet actus credendi manducare nos facit, nisi ille sit, qui est ipsius carnis Christi pro nobis ad *redimendum* expositae, ubi fuit eius decoctio, et ad *reficiendum*, ubi vera consistit refectio [1]. (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur de assimilatione, dicendum, quod non est *omnimoda similitudo*, est tamen similitudo sufficiens ad translationem: quia, sicut hic corporaliter est masticatio et incorporatio, ita in manducatione spirituali. Sed in hoc est *dissimilitudo*: quia in corporali manducans convertit in se cibum, quia dignior et nobilior est cibo; in spirituali est e contrario, quia cibus est nobis dignior et perfectior et completior; ideo potius in ipsum mutamur et incorporamur, quam e converso [2]. — Ratio igitur non valet, quia non est omnino simile; et in translatione non oportet omnimodam attendi similitudinem, sed sufficit reperire aliqualem [3]. (Notandum.)

QUAESTIO III.

Quid sit manducare sacramentaliter.

Tertio quaeritur, quid sit *manducare sacramentaliter*, sive pro quanto aliquis dicatur manducare sacramentaliter; et quaeritur, utrum sufficiat sola actio corporalis. Et quod sic, videtur:

(Ad oppositum.) 1. Per simile: qui enim mergitur, forma Sacramenti baptismi servata, si non habeat aliquid resistens, baptizatur sacramentaliter [4]: ergo videtur similiter, quod manducet sacramentaliter qui recipit corporaliter ipsum Sacramentum.

2. Item, sola spiritualis masticatio et incorporatio rei facit manducationem spiritualem [5]: ergo videtur, quod sola degustatio sive masticatio specierum facit manducationem sacramentalem.

3. Item, minima dispositio, quae possit haberi ad hoc Sacramentum, est fides informis; sed sine hac potest manducari sacramentaliter: ergo videtur, quod sola actio corporalis sufficiat. *Probatio minoris:* haereticus sacerdos potest conficere, sicut infra [6] videbitur; sed non minus est conficere quam sacramentaliter sumere: ergo haereticus potest sacramentaliter sumere: ergo sine fidei actu potest sacramentaliter manducari: ergo sola actione corporali.

4. Item, quaecumque inseparabiliter sunt unita, quamdiu sunt, in nullo actu separantur: ergo qui sumunt et manducant unum, et alterum; sed species continent corpus Christi veraciter [7]: ergo qui species comedit comedit corpus Christi. Sed non comedit ex hoc spiritualiter: ergo sacramentaliter saltem.

(Fundamenta.) Contra: 1. Ad actum sacramentalem requiritur intentio, sicut supra [8] probatum est, et si quis verba diceret et non intenderet consecrare, non conficeret: ergo qui manducat, si non intendit, sacramentaliter non manducat.

2. Item, fides est fundamentum omnium Sacramentorum, maxime huius, quia in forma huius dicitur: *Mysterium fidei* [9] etc.: ergo si aliquis degustat et non credit, non sumit sacramentaliter.

3. Item, duo sunt de integritate Sacramenti, scilicet significatio et sanctificatio [10]: ergo ad hoc, quod aliqua ratio Sacramenti salvetur, necesse est, aliquod istorum reperiri; sed ei qui non credit, Sacramentum nec significat nec efficaciam sanctificationis praestat: ergo talis nullo modo manducat.

4. Item, si sola masticatio corporalis sufficeret, tunc mus et Angelus, assumto corpore, et homo ignorans sacramentaliter sumerent; quorum quodlibet est inconveniens [11]: restat ergo, quod non sufficit.

Est igitur quaestio, quid requiratur. (Quaestio.)

CONCLUSIO.

Sacramentalis manducatio est manducare Sacramentum cum intentione sumendi illud ut Sacramentum.

(Conclusio 1.) Respondeo: Dicendum, quod *sacramentaliter manducare* est manducare Sacramentum et ut Sacra-

---

[1] In opusculo, cui titulus Vitis mystica (inter opera Bernardi), c. 43. n. 148. legitur: Ecce, ipso [Iesu] teste, *panis vivus, qui de caelo descendit* [Ioan. 6, 33. seqq.], decoctus duplici igne caritatis et passionis, odorem suum longe lateque dispergit. Quis hunc non sequatur?... Sed praeterire non possumus, quod transituri mare panem bis coctum necessarium habent. Quicumque ergo se in hoc mari magno huius saeculi esse cognoverit... si securus vult esse, habeat hunc panem coctum fortissimum, Iesum in nave crucis suae, quem comedat, quem adoret, quo reficiatur etc. Cfr. Meditatio in passion. et resurrect. Domini (inter opera Bernardi), c. 12. n. 31. — Post *expositae* Vat. addit ex Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 1. a. 3, *in cruce* et post *ad reficiendum* subiungit *in altari*.

[2] Cfr. supra pag. 187, nota 6.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. IV. c. 1. seqq.

[5] De quo vide quaest. praeced.

[6] Dist. 13. q. 1. — Finem arg. cod. W exhibet sic: *ergo sola actio sive masticatio corporalis sufficit ad manducationem sacramentalem.*

[7] Ut ostenditur infra d. 10. p. I. q. 1.

[8] Dist. 6. p. II. a. 2. q. 1. — Inferius post *manducat* cod. B addit *corporaliter*, codd. F G I *spiritualiter, vel corporaliter.*

[9] Vide supra d. 8. p. II. a. 1. q. 2. — Inferius post *non sumit* non pauci codd. repetunt *ergo*, pro quo cod. H *hoc.*

[10] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. et 3.

[11] Vide infra lit. Magistri, d. XIII. c. 1. in fine, et Comment. a. 2. q. 1.

mentum. Quoniam enim *sacramentaliter* manducare est dispositio actus manducandi, ideo ad hoc, quod actus sit *sacramentalis*, necesse est, quod respiciat ipsum Sacramentum ut Sacramentum. Ad hoc autem, quod aliquis manducet *Sacramentum* manducando species, duo exiguntur, scilicet cibi existentia et eius ad cibatum naturalis convenientia. Primum exigitur, quia, si non praecessit Sacramenti confectio, non potest sequi manducatio. Secundum exigitur, quia cibus iste solis hominibus est concessus; unde sicut homo solus baptizatur [1], ita corpus Christi sacramentaliter a solo homine manducatur; et sicut solus homo suscipit Sacramentum baptismi, ita solus homo suscipit Sacramentum eucharistiae. — Ad hoc vero, quod manducet *ut Sacramentum*, necessaria est *intentio* et intentionis *regulatio* vel secundum fidem, quae est in *ipso*, vel secundum fidem, quae est in *altero*. *Intentio*, inquam, necessaria est; nam si quis iret ad mensam et intenderet corpus reficere, et aliquis pro pane communi Sacramentum sibi sicut panem offerret, et ipse intenderet omnino cibum corporalem sumere [2]; nemo diceret, eum sacramentaliter manducasse. — Necesse est etiam, quod illa intentio *dirigatur* vel secundum fidem, quae est in *ipso*, vel in *altero*, quia vel oportet, quod credat, quod sub illa specie aliquid spirituale lateat, quod sumere intendat; vel oportet, quod saltem intendat sumere quod alios credere aestimat, quamvis ipse non credat. Unde credo, quod si aliquis haereticus intendit accipere quod aestimat Ecclesiam credere esse corpus Christi, quamvis non credat, sacramentaliter comedit; quia, quamvis intentio sua non copuletur [3] nec attingat rem Sacramenti per *propriam fidem*, attingit tamen *mediante fide aliena*. Unde sacramentaliter comedit, quamvis non ita attingat, sicut ille qui credit fide propria.

Duo requiruntur.

Conclusio 2.

Explicatur.

Corollarium.

Et sic patet, pro quanto dicatur sacramentaliter manducare, scilicet quia Sacramentum primum vere existit, et ipse qui manducat illud ut Sacramentum sumere intendit; sive quia credit, esse verum Sacramentum, sive quia aestimat, alios credere.

Epilogus.

Ad illud quod obiicitur, quod sufficit sola manducatio corporalis; dicendum, quod falsum est, sicut ostendunt rationes ad oppositum, immo quatuor exiguntur, sicut tactum est.

De assertione opposita.

1. Ad illud quod obiicitur de mersione, dicendum, quod non sufficit in adulto, sicut prius [4] dictum fuit, nisi adsit intentio regulata a fide vel in se, vel in alio; sic in proposito.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de spirituali manducatione, dicendum, quod non est simile: quia in actu fidei et caritatis semper res spiritualis attingitur, et ita res spiritualis non frustratur. Sed cum quis manducat *corporaliter*, potest esse, quod non attingat aliquid, quod spiritualiter subest, nec intellectu nec affectu, nec per se nec per alterum; et ita non manducat ut Sacramentum. Et sic patet illud.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de fide informi, dicendum, quod falsum est, quia minor est cognitio aestimationis quam fidei [5], et minus est intendere facere quod alius facit, quam intendere quod credit; et quia dispositio aliqua est, ideo aliquo modo est manducatio sacramentalis, quamvis non ita plene.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de inseparabilitate, dicendum, quod inseparabilia sunt quantum ad *situm*, non tamen sunt inseparabilia quantum ad *actum* [6]. Potest enim quis percutere et perforare et frangere speciem, et tamen nihil facit circa rem; ita et manducare. Et quoniam Sacramentum dicit comparationem ad rem, nihil dicitur attingere sacramentaliter, nisi etiam attingat rem; et hoc potest esse, sicut visum est: et ideo non sufficit solum *speciem* manducare ad manducationem sacramentalem, nisi attingat *rem* per intentionem regulatam aliquo genere cognitionis, scilicet vel aestimationis, vel fidei informis, vel fidei formatae, vel etiam scientiae certae, ut in Christo [7].

Distinctio.

QUAESTIO IV.

Utrum Christus manducaverit utroque modo.

Quarto quaeritur, utrum Christus manducaverit quolibet supra dictorum modorum. Et quod *sacramentaliter*, videtur.

1. Levitici octavo [8]: *Cumque de sanguine arietis;* Glossa Hesychii: « Primo sacerdos, deinde filii sanguine intingebantur, quia Christus in Coena prius

Fundamenta.

---

[1] Cfr. supra pag. 121, nota 9.

[2] Permulti codd. *assumere*.

[3] Cod. G *compleretur*. Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 1. a. 4. *reguletur*. Paulo ante post *sacramentaliter* edd. supplent *tamen*.

[4] Dist. 4. p. I. a. 2. q. 1. et d. 6. p. II. a. 2. q. 1. ad 3.

[5] Vide III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. ad 4. et q. 2. ad 4.

[6] Alex. Hal., loc. cit.: Dicendum, quod etsi inseparabilia sunt quantum ad simultatem *essendi*, quamdiu enim species est, simul sunt; non tamen sunt inseparabilia quantum ad simultatem *patiendi*.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Vers. 24. — Verba Hesychii sunt: Primus sacerdos sanguine et post eum filii eius secundum Legem ungebantur; quia et ipse Dominus primus in Coena mystica intelligibilem [cfr. infra lit. Magistri, d. X. c. 1.] accepit sanguinem, atque deinde calicem Apostolis dedit. — Ibid. etiam seq. Glossa habetur super haec verba: *De sanguine reliquum fudit super altare per circuitum*. Quod et Christum fecisse invenimus; bibens enim ipse et Apostolis bibere dans, tunc intelligibilem sanguinem super altare, videlicet suum corpus, effudit. Corpus autem Christi Ecclesia est etc.

sanguinem accepit, deinde discipulis dedit ». Et rursus ibidem dicit Glossa: « Bibit et aliis bibere dedit ».

2. Item, *ratione* videtur, quia baptismum accepit in exemplum [1]: ergo si hoc Sacramentum est magis arduum, ergo de hoc magis exemplum dare debebat.

Item, quod *spiritualiter manducaverit*, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia spiritualiter manducatur per cognitionem et dilectionem [2]: sed Christus summe se cognoscebat et diligebat: ergo etc.

2. Item, Christus adhuc erat viator, ergo adhuc debebat uti viatico; sed corpus Christi spiritualiter est viaticum [3]: ergo etc.

Contra, quod *non manducaverit spiritualiter*, videtur:

Fundamenta.

3. Quia ubi est spiritualis manducatio, ibi unio [4]; ubi autem unio, ibi diversitas nonnulla: ergo cum idem non differat a se, patet, quod Christus non comedit *spiritualiter*, cum fuerit idem sibi.

4. Item, ubi est spiritualis manducatio, Sacramentum habet spiritualem effectum [5]; sed in Christo non habuit talem effectum manducatio: ergo etc.

Item, quod *non sacramentaliter manducaverit*, videtur:

Ad oppositum.

3. Quia manducare sacramentaliter est manducare sub velamine; sed Christus sub velamine non manducavit: ergo etc. *Minor* patet, quia aperte totum cognoscebat.

4. Item, si sacramentaliter tantum; cum iste sit modus debitus malis [6], ipse autem aut sumsit optimo modo, aut nullo modo sumsit; et iste modus non est optimus: ergo non convenit ei.

CONCLUSIO.

Christus eucharistiam sacramentaliter, non spiritualiter sumsit.

Opinio 1.

Respondeo: Dicendum, quod quidam dicere voluerunt, quod *nullo* modo sumsit, quia sibi non competebat. Verumtamen nunc communiter dicunt, quod Christus manducavit *sacramentaliter*, sicut dicit Chrysostomus [7], quod primus bibit, ne alii potum sanguinis abhorrerent.

Opinio 2. et conclusio 1.

De spirituali manducatione opinio 1.

Sed de *spirituali* quidam dicunt, quod sic; dicunt enim, quod fuit ibi unio per actum amoris, et effectus fuit non in se, sed in membris, ut, sicut Christus non sibi meruit, sed nobis, sic virtute illius manducationis meruit, ut membra corporis sui magis unirentur sibi. — Sed si istud verum esset, tunc haberet effectum in non manducante et etiam [8] in dormiente. *Amplius*, ipso baptizato, non sunt alii baptizati. *Postremo*, *spiritualis* manducatio dicit intentionem unionis manducantis ad manducatum actu vel habitu; quorum neutrum fuit in Christo.

Non probatur.

Conclusio 2.

Propterea dicendum, quod sicut baptismum *tantum sacramentaliter* suscepit et non rem; sic et hoc Sacramentum; et hoc quidem in exemplum fecit.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *manducavit spiritualiter,* quia fuit in eo *cognitio* et *dilectio;* dicendum, quod hoc non *sufficit*, nisi etiam sit ibi *incorporatio*, quae non potuit esse in ipso, quia non erat diversus ab eo cui incorporat ista manducatio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod erat viator; dicendum, quod verum est; sed nihilominus erat comprehensor perfectissimus et nullatenus poterat proficere, nec habitu [9] nec fervoris motu. Unde esto, quod aliquis quantumcumque perfectus — etsi non beatus — recipiat digne Sacramentum; intenditur in eo caritas motu, vel habitu.

3. Ad illud quod obiicitur, quod *non manducavit sacramentaliter,* quia non sub velamine; dicendum, quod ad plenam rationem sacramentalis manducationis non oportet quod veniat signum tanquam *velans*, sed sufficit, ut veniat tanquam *significans;* quod autem *velet*, hoc est *per accidens*, quia oculus videns non est illuminatus plene; unde velando illuminat et illuminando velat [10].

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod mali tantum comedunt sacramentaliter; dicendum, quod aliquis

---

[1] Ut dictum est supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. ad 3. et d. 6. p. II. a. 1. q. 2. in corp. Cfr. etiam tom. III. pag. 201, nota 8. — Cod. aa, post *quia* addito *Christus*, hic subiungit *non in [co]medium.*

[2] Cfr. supra q. 2.

[3] Vide supra d. 8. p. I. dub. 3.

[4] Cfr. supra q. 2. — Cod. aa addit: *sed Christus, cum esset Deo unitus in summo, non poterat uniri: ergo non comedit spiritualiter.* Subinde pro *nonnulla: ergo* cod. A *unitorum; sed*, et pro *ergo cum* codd. R S T *cum tamen.* — Hoc arg. utitur Petr. Pictav., V. Sent. c. 13.

[5] Vide supra q. 1.

[6] Cfr. supra q. 1.

[7] In Matth. 26, 26. seqq. homil. 82. (alias 83.) n. 1: Et ipse quoque ex illo bibit. Ne enim haec audientes dicerent: Quid ergo? sanguinemne bibimus et carnem manducamus? et ne turbarentur; nam cum hac de re verba faceret, de ipsis verbis multi offensi sunt; ne itaque tunc turbarentur, primus ipse hoc facit, ut illos ad mysteriorum participationem tranquillo animo subeundum induceret. Ideo ergo suum ipse sanguinem bibit. — Edd. cum pluribus codd. *Hesychius*, cuius verba iam attulimus. — Petr. Pictav., V. Sent. c. 13: Dicimus ergo, quod nunquam *sacramentaliter* accepit [Christus] etc.

[8] Ex codd. E F G I K supplevimus *etiam.* — De praedicta opinione cfr. Guliel. Antissiodor., S. p. IV. tr. 5. c. 3.

[9] Vat. supplet *caritatis.* Eadem Vat. seq. proposit. sic exhibet: *Unde est, quod quis quantumcumque perfectus, dum tamen non sit beatus, si recipiat* etc.

[10] Cfr. supra pag. 69, nota 4. Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 1. § 1: Dicendum, quod licet omnia mirabilia huius Sacramenti, quae alios latent, Christus aperte videbat, nihilominus corpus suum sumebat sub velamine, scil. speciei panis etc.

sacramentaliter tantum recipit, quia non est idoneus ad spiritualem efficaciam. Sed hoc potest esse Distinctio. duplici de causa: aut propter *gratiae plenitudinem*, et hoc perfectionis est et in solo Christo fuit; aut hoc est propter *ipsius ineptitudinem et indignitatem*, et sic est in peccatoribus. Et sic patet illud [1].

ARTICULUS II.

De manducatione in comparatione ad malos.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de manducatione in speciali sive de manducatione malorum. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum mali sumant veraciter corpus Christi.

Secundo, utrum ille qui est in peccato ex certa scientia, manducet damnabiliter.

Tertio, utrum semper mortaliter peccet.

Quarto quaeritur, utrum peccet damnabiliter qui corpus Domini dat ei quem scit esse peccatorem.

QUAESTIO I.

Utrum mali sumant veraciter corpus Christi.

Et quod mali sumant corpus Christi veraciter, videtur:

1. Quia ipse est in speciebus individualiter [2]: Fundamenta. ergo cum sumant species, sumunt verum corpus Christi.

2. Item, in baptismo qui tantum exterius abluitur et nihil interius accipit nullo modo baptizatur: ergo si mali rem interiorem aliquam non percipiunt, nullo modo percipiunt Sacramentum; sed percipiunt Sacramentum [3]: ergo etc.

3. Item, aeque effugit Dominus peccatum consecrantis, ut manducantis; sed non subtrahit se propter peccatum consecrantis [4]: ergo nec propter peccatum manducantis.

4. Item, non magis est nobilis Filius Dei in carne humana quam in propria natura; sed in propria natura non effugit malum hominem, immo etiam in quolibet est: ergo nec in humanitate.

Contra: 1. Sapientiae primo [5]: *Spiritus sanctus* Ad oppositum. *disciplinae effugiet fictum;* sed non magis est mundus Spiritus sanctus quam Christus: ergo et Christus effugit fictum sive malum.

2. Item, Sapientiae primo [6]: *In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis:* si ergo corpus peccatoris est tale, non ergo introducit Christum.

3. Item, Exodi decimo sexto [7], manna scaturiebat in vasis eorum qui indebite colligebant: ergo si veritas debet respondere figurae, cum Christus non computrescat, saltem abscedit.

4. Item, *ratione* videtur: quia Christus secundum suam veritatem non est cibus ventris, sed mentis, ut dicit Magister [8], et Sancti: ergo cum non intret mentem peccatoris nec ventrem, videtur ergo, quod peccator nullo modo sumat.

5. Item, summe sapiens nihil facit indecens; sed indecens et inordinatum est, quod tam nobile corpus intret in tam vile hospitium: ergo etc.

6. Item, quod Christus patitur, se sumi a peccatore, aut est opus *iustitiae*, aut *misericordiae; iustitiae* non, quia peccator non est dignus [9]; *misericordiae* non, quia misericordia facit quod homini salubrius est: ergo cum omne quod Deus facit, sit misericordia et veritas; videtur, quod peccator nullo modo sumit.

CONCLUSIO.

Mali vere sumunt corpus Christi, sed sine unione in corpore mystico.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tangit Magister in littera [10], aliqui voluerunt « dicere, corpus Opinio falsa. Christi verum a malis non sumi », quia non decet tantam maiestatem et carnem tam sanctam et puram in corpus peccatis subditum introire. Unde volebant dicere, quod corpus Christi verum a speciebus abscederet, ex quo peccator ipsum labiis et ore polluto contingeret. — Sed quoniam hoc in errorem Reprobatur. ducit et manifeste est contra auctoritates Sanctorum;

---

1 Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

2 Cfr. d. 10. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Codd. L M U *indivisibiliter*.

3 Cfr. I. Cor. 11, 27, de quo hic in lit. Magistri, c. 2. Explicationem arg. dat Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 2: Quantumcumque sit *malus*, si secundum intentionem Ecclesiae suscipiat baptismum, suscipit characterem baptismalem; a simili videtur in proposito, quod quantumcumque sit malus aliquo modo sumit huius Sacramenti rem. Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1. in corp.

4 Vide infra d. 13. a. 1. q. 1. et 4.

5 Vers. 5.

6 Vers. 4.

7 Vers. 20: Et scatere coepit vermibus atque computruit. — Pro *scaturiebat* edd. *scatebat;* cfr. supra pag. 178, nota 2.

8 Hic in lit. c. 1, ubi August. allegatur.

9 Cod. aa addit *tanto munere*. In fine arg. sola Vat. *sumat*.

10 Hic c. 2, ubi etiam afferuntur testimonia Patrum, ad quae paulo inferius S. Bonav. recurrit.

Conclusio 1. communiter tenent doctores fideles tanquam certitudinaliter verum, quod in *re media* [1], quae est corpus Christi verum, non est differentia inter iustum et impium; quia ipse Dominus utrisque se offert nunc, sicut pro omnibus se obtulit in cruce. — Sed Conclusio 2. quantum ad *ultimam*, scilicet unitionem in corpore *mystico*, multum refert, quia boni recipiunt inde fructum, mali non, immo potius damnum. — Unde concedendum, quod recipiunt rem Sacramenti, quae est corpus Christi verum, quod natum est de Virgine, quod pependit in cruce, quod a mortuis resurrexit et est in caelis.

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod Spiritus Solutio oppositorum. sanctus effugit, et sapientia [2]; dicendum, quod illud intelligitur quantum ad *effectum* gratiae gratum facientis, non quantum ad *substantiam*.

3. Ad illud quod obiicitur de manna, dicendum, quod illud praefigurabat malum, quod consequuntur suscipientes indigne [3], non aliquid, quod sit circa Sacramentum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est cibus mentis, non ventris; dicendum, quod hoc non dicit [4], quia non inferatur in ventrem, sed quia venter ex illo non cibatur, quia non digeritur corporaliter Christi caro, ut exinde alimentum ad membra singula dirigatur, sicut carnales discipuli intellexerunt; sed veraciter reficitur bonus. Sed peccator quidem, licet verum Sacramentum recipiat, spiritualiter non reficitur; sicut fictus baptizatur, sed tamen non abluitur interius [5].

5. Ad illud quod obiicitur, quod indecens est, quod intret in peccatorem; dicendum, quod decentissimum [6] et summae misericordiae et dignationis est; et quamvis indecens videatur esse *maiestati*, non tamen Christi *humilitati*; ob quam in cruce decentissime fuit. *Praeterea*, non inquinatur propter hoc, nec etiam est in ipso peccatore, nisi quia est in speciebus sanctissimorum symbolorum. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, utrum sit misericordiae etc.; dicendum, quod misericordiae. — Quod *obiicitur*, quod est recipienti malum; dicendum, quod sicut Dei benignitas occasionaliter ratione duritiae peccatoris convertitur in iram; sic in proposito, licet sit misericordia, tamen peccator in iram convertit, sicut dicitur ad Romanos secundo [7]: *An ignoras, quod benignitas Dei* etc.

SCHOLION.

I. Error conclusioni 1. oppositus et a Wikleff renovatus manifeste derogat veritati ss. Sacramenti, et teste Dionysio Carthusiano, iam antiquitus in scholis censebatur inter haereses.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 2. — Scot., IV. Sent. d. 8. q. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; S. III. q. 80. a. 3. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. In duabus seqq. (2. 3.) quaestionibus solvendis Scholastici concordant. — De solutione ad 4. in 2. quaestione Guiel. Antissiodor., Sum. p. IV. tr. 5. c. 5. q. 3; Alex. Hal., loc. cit. a. 4. § 2, et S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 6, specialiter tractant aliosque etiam casus ad dispositionem recipientis eucharistiam spectantes in medium afferunt.

De utraque (2. 3.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2-4. — Scot., hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. loc. cit. a. 4. — B. Albert., loc. cit. et a. 9. 12. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 2. 3. 4.

III. Quaestio 4. communiter solvitur, ut dicatur, tum peccatori occulto et in occulto petenti tum peccatori publico quocumque modo petenti denegandam esse communionem. Hanc regulam Alex. Hal., loc. cit. a. 3. § 1, et S. Thom. in Comment. (hic a. 5. quaestiunc. 1.) respectu peccatoris occulti in occulto exigentis extendunt etiam ad casum, quando « sacerdos peccatum alicuius, qui eucharistiam petit, sciat *per confessionem*, vel alio quolibet modo ». Sed S. Thom. in Sum. (loc. cit. a. 6.) ita loquitur, ut adhaerere videatur nunc communi sententiae, quod confessarius post confessionem scientia per confessionem acquisita nullatenus uti possit ad communionem denegandam, etiam si sit solus cum solo confesso. — Reiicienda omnino est obsoleta paucorum opinio, quod in pluribus casibus hostia non consecrata dari debeat loco consecratae; quam opinionem Guiel. Antissiodor. (Sum. loc. cit. q. 4.) in genere quidem reprobat, sed pro uno solo casu concedit, suis principiis non constans.

Praeter locos citt.: Scot., in locis collectis apud Hieronym. de Montefortino, tom. IV. p. III. q. 80. a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 6.

QUAESTIO II.

Utrum peccator, qui est in peccato ex certa scientia, manducet corpus Christi damnabiliter.

Secundo quaeritur, utrum peccator, qui est in peccato ex certa scientia, manducet corpus Christi damnabiliter. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios undecimo [8]: *Iudicium sibi manducat et bibit,* de malis loquitur; et iterum: *Reus est corporis et sanguinis Domini:* ergo graviter peccat.

---

[1] Vide supra lit. Magistri, d. VIII. c. 7, et ibid. Comment. p. II. a. 2. q. 1. Locc. citt. agitur etiam de re *ultima,* de qua paulo inferius. — Post pauca verbis *se obtulit* edd. interserunt *tunc.*

[2] Edd. cum uno alteroque cod. *et de sapientia.* — De solut. cfr. hic lit. Magistri, c. 2. verba Gregorii.

[3] Glossa *ordinaria* apud Strabum in Exod. 16, 20: Manna computrescet et vermibus scatebit, id est poenam eis aeternam generabit.

[4] Supple: Magister. — De hac solut. cfr. infra d. 13. a. 2. q. 2.

[5] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3.

[6] Plures codd. et ed. 1 *decentissime (decentissimae).*

[7] Vers. 4: An... ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?

[8] Vers. 29. — Seq. textus est ibid. v. 27: *Reus erit* etc.

2. Item, Augustinus[1]: « Et mala prosunt bonis, ut angelus satanae Paulo; et sancta obsunt malis »: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia qui proiiceret corpus Domini in sterquilinium gravissime peccaret; sed non est maius sterquilinium quam homo peccator[2]: ergo etc.

4. Item, in hoc Sacramento Deus offert gratiam homini; sed peccator accipiens in peccato opponit se gratiae; sed qui repellit gratiam Dei peccat: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Sacramentum illud est de bonis nobilissimis; sed « nobilissimis bonis sive maximis, sicut dicit Augustinus de Libero Arbitrio[3], non contingit male uti »: ergo nec hoc Sacramento: ergo peccator non peccat sumendo.

2. Item, *non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent*[4]: ergo cum peccator male habeat, peccator indiget hac medicina; sed qui accedit ad medicinam, qua indiget, non errat; et si non errat, non peccat: ergo etc.

3. Item, nullus faciendo illud, ad quod tenetur, peccat; sed peccator aliquo tempore tenetur manducare[5]: ergo non peccat. — *Si dicis*, quod peccat, quia non debite facit; *contra:* actus est in praecepto, non modus manducandi: ergo etc.

4. Item, si manducare est peccatum; sed sicut peccator est indignus *manducare,* ita et *videre:* ergo peccat videndo.

CONCLUSIO.

Peccator sumendo corpus Christi committit grave peccatum omissionis et contemptus.

Respondeo: Dicendum, quod peccator sumit
Conclusio 1. sibi corpus Christi ad damnationem, non quia ipsum corpus aliquam maculam det animae, sed quia peccator ipsum contemnit, dum se praeparare, quem immundum scit[6], negligit et Dominum in tam foedum
Conclusio 2. hospitium introducit. Et est ibi peccatum *omissionis* in hoc, quod se non praeparavit tanto hospiti suscipiendo; et peccatum *contemptus,* quia Christo, quantum in se est, contumeliam facit. Ideo dicit Apostolus, quod *reus est corporis et sanguinis Domini,* quia ei contumeliam facit et contemnit.

1. Ad illud quod obiicitur, quod hoc Sacramento non contingit male uti; dicendum, quod falsum est, quia non solum Sacramento, sed Deo contingit male uti, cum ipse diligitur propter aliud. Quare autem *virtutibus* non contingit male uti, patet, quia ipsae sunt *boni usus,* et quibus utitur homo *formaliter;* contingit tamen male uti ut *obiecto*[7]; sic in proposito intellige.
(Solutio oppositorum. — Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur de medicina, dicendum, quod sicut corporalis medicina nocet *imparato,* sic spiritualis est imparato occasio nocumenti; quia medicina quaerenda est *cum praeparatione,* non tantum corporalis, sed etiam spiritualis, illa scilicet, quae nobilissima est.

3. Ad aliud autem dicendum, quod non peccat ratione actus, sed circumstantiae; sicut si aliquis eleemosynam daret in contemptum Dei, sic et ille peccat, quia bonum malo modo facit[8]. — Ad illud quod subditur, quod modus non est in praecepto; dicendum, quod etsi non sit expressus aliquo praecepto, maxime tamen est attendendus, sicut patet per Apostolum. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod videre sit peccatum, sicut manducare; dicendum, quod non est simile: primo quidem, quia non est tantae irreverentiae *videre,* sicut *manducare;* secundo vero, quia manducando Sacramentum sumitur et gratia offertur; et quando peccator perseverat in peccato tempore, quo Dominus ipsum visitat personaliter, non tantum vocaliter, auget contemptum: ideo peccat mortaliter. (Ratio duplex.)

Unde dicendum, quod est peccatum in *gustu* propter duo, scilicet propter *irreverentiam* et propter *negligentiam,* quia debebat se praeparare ad gratiam; in *visu* quantum ad neutrum est peccatum; in *tactu* vero est medio modo. Nam si est peccatum, hoc est solum propter irreverentiam, quia non est ordinatum Sacramentum, ut tactu det gratiam; sed qui est immundus et foetidus spiritualiter peccat, si tangit, quia tantae rei, quantum in se est, facit iniuriam. Distinguitur tamen in *tactu:* quia aut praevenitur, et necessitas urget, quia corpus Christi in locum immundum caderet, nisi colligeret; et hoc modo si tangit, non peccat, quia non est irreverentia; alias peccat. — *Et si tu obiicias,* quod semper est peccatum, quia *Bethsamitae* videntes arcam sunt interfecti, primi Regum sexto[9]; et similiter *Oza* percussus est, quia arcam tetigit
(De tribus sensibus respectu peccati. — Distinctio. — Bethsamitae et Oza.)

---

[1] In Ioan. Evang. tr. 62. n. 1. Vide hic lit. Magistri, c. 2.
[2] Cfr. Gregor., XV. Moral. c. 4. n. 5.
[3] Libr. II. c. 19. n. 50. Cfr. supra pag. 20, nota 12.
[4] Luc. 5, 31.
[5] Cfr. C. *Etsi non frequentius* (16.) et seqq., de Consecrat. d. 2.
[6] Ita cod. H, cod. U *cum sciat se immundum*, in ceteris et edd. *cum immundus sit.* Nostra lectio confirmatur verbis Alexandri Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 2.
[7] De ratione, quare virtutibus per se non possit quis male uti, vide I. Sent. d. 1. a. 1. q. 2. seq., a. 3. q. 2. ad 4. et dub. 16, nec non II. Sent. d. 27. dub. 3. — Mox pro *intellige* codd. H K N aa *est intelligere.*
[8] Cfr. supra d. 5. dub. 1. — Pro *quia* codd. F G H I Z (V primitus) *qui.* Solutio *Ad illud quod subditur* etc. desideratur in codd. et ed. 1; retinuimus ipsam cum Vat., quae sequitur Alex. Hal., loc. cit., cum alias ad obiectum deesset solutio. In fine respicitur I. Cor. 11, 27. seqq.
[9] Vers. 13. et 19. — Seq. loc. est II. Reg. 6, 6. seq. — Aliquanto inferius pro *curiositatem* codd. G I *temeritatem,* ed. 1 cum pluribus codd. *timorositatem,* Vat. *tumorositatem.* Cfr. Prov. 25, 27: Qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.

Notandum. secundi Regum sexto; dicendum, quod hoc non fuit *figura* videntium et tangentium Christum; sed *Bethsamitae* figuram gerunt simplicium huius Sacramenti arcana videre volentium, qui propter curiositatem frequenter in fide pereunt et moriuntur; et *Oza* figuram gerit sacerdotum carnalium, qui in peccatis existentes ad conficiendum accedunt. Nam aliqui dicunt, quod nocte cum uxore iacuit [1]. — *Litteralis* autem ratio, quare illi interfecti sunt, est, quia contra Domini mandatum fecerunt, quia Dominus praeceperat, quod nullus de plebe videret arcam. Praeceperat etiam, ut sacerdotes eam ferrent [2]; et quia utrique contra praeceptum Domini fecerunt, ideo percussi sunt.

Nunc autem dicendum est, quod quia *gustus* facit irreverentiam simpliciter, peccat qui gustat. Quia vero in *tactu* est irreverentia, licet non semper nec tanta, ideo non tantum peccat, et potest esse, quod sine peccato faciat. Quia in *visu* irreverentia non est, ideo nulla est culpa, nisi aliqua conditio superaddita faciat culpam ex sua deformitate [3]. Epilogus.

QUAESTIO III.

Utrum peccator sumendo corpus Christi semper mortaliter peccet.

Tertio quaeritur, utrum peccator sumendo corpus Christi semper mortaliter peccet. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia inter dignum et indignum nihil est medium; sed nullus peccator accedit digne: ergo omnis peccator accedit indigne; et omnis talis peccat [4]: ergo peccator semper peccat sumendo.

2. Item, omnis qui accedit, tenetur se ipsum praeparare, quia dicit Apostolus primae ad Corinthios undecimo [5]: *Probet autem se ipsum homo;* sed si praeparat se, facit quod in se est; et si hoc, tunc Deus facit quod in se est, et tunc non est peccator: ergo si est peccator et accedit, non se praeparavit, ergo omnis talis peccat.

3. Item, omnis accipiens Sacramentum et non rem ficte accedit [6]; sed omnis peccator manens in peccato mortali, qui accipit Sacramentum, accipit illud sine re: ergo ficte accedit. Sed qui ficte accedit peccat mortaliter: ergo etc.

4. Item, sicut dicitur in Glossa, primae ad Corinthios undecimo [7]: «Indigne manducat qui accedit infidelis vel indevotus»; sed omnis peccator est indevotus, quia caritas facit devotum, qua caret peccator: ergo omnis peccator indigne accedit.

5. Item, si peccator, qui habet peccati mortalis conscientiam, peccat mortaliter accedendo; aut ergo quia habet *peccatum*, aut quia *conscientiam*. Non quia *conscientiam*, quia hoc non est malum cognoscere suum peccatum: ergo quia habet *peccatum;* et sic semper mortaliter peccat.

6. Item, qui peccat et ignorat minus est dispositus ad medicinam — unde Ambrosius [8] dicit, quod «peccat gravissime qui ignorat» — si ergo peccat qui accedit cum peccato ignoranter, multo fortius qui accedit cum peccato scienter.

7. Item, iustus credens, se esse in peccato mortali, peccat, si accedat; sed iustus est magis dispositus quam quilibet peccator: ergo multo magis peccat peccator.

Contra: 1. Si omnis peccator damnabiliter manducat, cum nullus sciat, se esse iustum [9], omnis homo exponit se discrimini sumendo. Fundamenta.

2. Item, Apostolus [10]: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum;* sed non tenetur homo amplius se disponere, quam quod non habeat remorsum conscientiae: ergo si per hoc non est iustificatus, et qui accedit non iustificatus peccat; tunc quilibet sumendo peccat.

CONCLUSIO.

Qui minus sufficienter, scilicet tantum secundum probabilitatem, se praeparat ad sumendam eucharistiam non mortaliter peccat.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam dicendum, quod in hoc Sacramento tenetur percipiens

---

[1] Petr. Comest. († 1178.), Histor. scholast. libr. II. Reg. c. 9: Dicit Iosephus [VIII. Antiq. c. 4.] eum percussum, quia tetigit arcam, « cum sacerdos non esset ». Alii dicunt, quia posuerat arcam super plaustrum, cum humeris portare debuisset. Hebraei tradunt, quod ea nocte dormierat cum uxore sua. Cfr. II. de Mirabilibus s. Script. (inter opera August.) c. 12.

[2] Cfr. Num. 4, 15, ubi praecipitur, quod arca ab Aaron et filiis eius non nuda, sed *involuta* detur filiis Caath ad portandum. Vide etiam I. Paralip. 15, 14. seq.: Sanctificati sunt ergo *sacerdotes* et levitae, ut portarent arcam Domini Dei Israel. Et tulerunt filii Levi arcam Dei... humeris suis in vectibus. — Pro *etiam* plurimi codd. et ed. 1 incongrue *enim.* Inferius post vocem *simpliciter* codd. H K addunt *ideo.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vide quaest. praeced.

[5] Vers. 28, super quam Glossa apud Petr. Lombard. dicit: Id est examinet, purget se ipsum.

[6] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. seq. — *Minor* ostensa est supra q. 1. — Ante *accipiens* edd. et plures codd. omittunt *omnis.*

[7] Vers. 27. Verba Glossae vide infra dub. 5. Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 2. hanc etiam Glossam refert: Si desit fides vel caritas, iudicium sibi manducat et bibit.

[8] In Glossa super Rom. 2, 4, collecta ex iis quae habentur in Comment. ad hunc loc. olim Ambrosio attributo. Cfr. tom. II. pag. 526, nota 1.

[9] Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. — In cod. H additur *certitudinaliter.*

[10] Epist. 1. Cor. 4, 4, in quem locum Petr. Lombard. hanc refert Glossam: Id est, in nullo me remordet conscientia... non ideo me iustum puto, quia potest esse quod nescio.

se praeparare, quia Deus venit ad habitandum in homine. Praeparatio autem non semper est sufficiens; sed haec est sufficiens, quando inimicus Domini expellitur de hospitio per veram examinationem et contritionem sive iudicium poenitentiae. *Rursus,* quia divina Maiestas summa se dignatione humiliat, et divina Bonitas offert gratiam; debet homo cum metu reverentiae et cum dilectione accedere, ad hoc quod digne manducet. *Digne* igitur *manducare* est sufficienter se praeparare, scilicet peccati omnis expulsione, reverentia et dilectione.

Duplex praeparatio.

Quidam igitur sunt, qui se *sufficienter* praeparant secundum *veritatem;* quidam autem *non sufficienter* secundum *veritatem,* sufficienter tamen secundum *probabilitatem;* quidam autem *neutro modo* se praeparant, immo contemnunt. Qui ergo *sufficienter* se praeparat [1] manducat digne; qui se *nullo modo* parat manducat indigne; qui autem *minus sufficienter* se parat, scilicet secundum *probabilitatem* potius quam secundum *veritatem,* non manducat *digne,* quia non se praeparavit *sufficienter;* nec *indigne,* quia se praeparat *probabiliter;* talis, quamvis non recipiat gratiam, non tamen incurrit offensam.

Distinctio triplex accedentium. Conclusio.

1. Et sic patet illud quod obiicit de digne et indigne sumente: quia est ibi *medium,* quamvis non sit medium inter dignum et indignum.

Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur de praeparatione, dicendum, quod nullus tenetur ad hoc sufficienter praeparare se, quia nullus potest scire, utrum hoc faciat; sed quod se praeparet secundum sufficiens dictamen conscientiae; et in hoc contentus debet esse probabilitate.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de indevoto, dicendum, quod *indevotus* ibi dicitur *contrarie,* qui accedit cum peccandi proposito, sicut ibi patet in Glossa [2].

5. 6. Ad illud quod obiicitur de eo qui habet conscientiam peccati; dicendum, quod non dicitur quis peccare, quia recognoscit peccatum suum, sed quia cognoscit peccatum et de illo non poenitet et cum illo accedit; hoc autem non potest esse sine contemptu; secus est, quando ignorat. — Similiter patet sequens, quod ignorans minus est dispositus, *ceteris paribus;* sed ignorans *proponens* poenitere et volens sciente [3], qui vult in culpa persistere, non minus, sed magis est dispositus; unde ignorantia peccati non excusat ratione *ignorantiae,* sed ratione *probabilitatis,* quod sit in gratia.

7. Ad ultimum dicendum, quod iustus ex tali conscientia reddit se magis inhabilem, non propter *culpam,* sed propter *conscientiam erroneam,* quae quidem, quamdiu persistit, obligat, ut non recipiat, propter hoc quod non potest cum hac conscientia recipere, quin contemnat [4].

QUAESTIO IV.

Utrum peccet damnabiliter ille, qui corpus Christi dat ei, quem scit esse peccatorem.

Quarto quaeritur, utrum peccet damnabiliter ille, qui corpus Domini dat ei, quem scit esse peccatorem. Et quod sic, videtur.

1. Matthaei septimo [5]: *Nolite sanctum dare canibus;* et decimo quinto: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus.*

Ad oppositum.

2. Item, Cyprianus [6]: «Quod histrionibus sacra communio debeat dari, puto nec Maiestati divinae nec evangelicae disciplinae congruere».

3. Item, *ratione* videtur: quia medicus, qui daret aegroto medicinam, de qua sciret eum moriturum, peccaret mortaliter: ergo similiter sacerdos peccat, qui dat peccatori corpus Christi, cui scit cedere in mortem [7].

4. Item, quicumque daret corpus Domini alicui, ut proiiceret in latrinam; non tantum proiiciens, sed et dans peccaret mortaliter: ergo similiter in proposito. — *Si dicas,* quod ipse non dat, sed reddit; *contra:* si furiosus peteret gladium suum, ut se interficeret; qui illi redderet mortaliter peccaret: ergo etc.

5. Item, si peccator peteret in occulto, peccaret qui ei daret: ergo similiter in manifesto. *Si dicas,* quod non, propter scandalum; *contra:* hoc est contra veritatem vitae; sed nihil contra veritatem vitae faciendum est propter scandalum [8]: ergo etc.

6. Item, aliter potest vitare scandalum, ut si pro hostia daret panem benedictum: ergo propter scandalum non tenetur.

Contra: 1. Dominus dedit corpus suum Iudae, ne proderet peccatum Iudae [9]: ergo similiter et sacerdos ei quem scit esse in peccato, debet dare.

Fundamenta.

---

[1] Plures codd. *parat,* et etiam inferius pluries cdd. et codd. dissentiunt in usu utriusque verbi.
[2] Vide infra dub. 5.
[3] Vat. *poenitere, et volens scire* (pauci codd. *scienter,* cod. A *consciente*), *qui non.*
[4] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.
[5] Vers. 6. — Seq. textus est ibid. 15, 26, ubi Vulgata *mittere* pro *dare.*
[6] Epist. 61. ad Euchratium, n. 1. Cfr. C. *Pro dilectione* (95.), de Consecrat. d. 2.
[7] Cfr. hic in lit. Magistri, c. 2, verba August. et Innoc. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 13.
[8] Vide supra pag. 86, nota 6. in fine, Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 5, et Glossa *ordinaria* in Matth. 18, 6.
[9] Cfr. infra d. 11. p. II. dub. 8, et Qq. ex utroque Testamento mixtim (inter opera August.), q. 102.

2. Item, Augustinus, de Consecratione, distinctione secunda[1]: « Non prohibeat dispensator peccatorem mensam Domini manducare, sed exactorem moneat timere ».

3. Item, *ratione* videtur: quia ipse est dispensator; ergo non est suum quod dat, sed reddit alienum: ergo in facie Ecclesiae tenetur dare. Sed non peccat faciendo quod tenetur[2]: ergo etc.

4. Item, non debet salvare ita animam unius, quod perdat animas multorum; sed multi possent scandalizari, si non daret: ergo etc.

5. Item, si non dat, prodit crimen et revelat confessionem, quod tenetur non facere[3].

6. Item, si non dat, ille[4] nihilominus tamen peccat, quia facit totum quod in se est.

7. Item, si dat simplicem hostiam, ille nihilominus peccat, et est ibi simulatio in Sacramento veritatis[5]: ergo si hoc nullo modo est faciendum, patet etc.

CONCLUSIO.

Sacerdos debet dare eucharistiam peccatori occulto publice petenti, non vero peccatori publico.

Respondeo: Dicendum, quod sacerdos debet Conclusio 1. et 2. dare illi quem scit esse peccatorem, si petat in *aperto*, si sit *occultus* peccator, et ipse solus scit; si *manifestus*, nullo modo debet dare, sive petat sive non, sicut dicit Dominus, et Cyprianus de histrio- Rationes. nibus[6]. — Ratio autem, quare debet dare, est multiplex. Prima est, quia nescit, utrum Deus occulte operetur. Secunda est, ne prodat crimen eius. Tertia est, ne alios scandalizet. Quarta, quia ille ius habet in facie Ecclesiae, et tunc tenetur illi ius suum petenti reddere.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, dicendum, quod Dominus prohibet, ut non *dent*, id est non offerant, non quin reddant. Solutio oppositorum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de medicina, et de illo qui proiicit: patet responsio, quia ipse non *dat*, sed *reddit* ut alienum. — Ad illud quod obiicitur, quod non est reddendus gladius furioso; dicendum, quod in iudicio teneretur reddere, si non constaret, eum esse furiosum; et quia hic peccator in iudicio et facie Ecclesiae petit, et non apparet suum peccatum: ideo debet ei dare.

5. 6. Ad illud quod obiicitur de occulto, dicendum, quod peccator indignus est et *in veritate* non habet ius; habet tamen ius *secundum iudicium Ecclesiae*, quia non constat de peccato nec constare potest; et ideo, quando operatur secundum veritatem et iudicium *suum*, non tenetur dare; quando secundum iudicium *Ecclesiae*, tenetur. Et ex hoc patet, quod non facit *contra* veritatem, sed *secundum* veritatem. Iudex enim in foro Ecclesiae iudicat secundum ea quae patent, non secundum ea quae latent; unde scandalum non est *tota* causa. — Ultimum patet: quia non deberet dare hostiam[7]; nihilominus peccaret ille, et *ipse* simulando; nisi fortassis ipse peccator hostiam peteret ob vitandam infamiam et in dominici corporis reverentiam[8]. Distinctio. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Augustinus: *Crede, et manducasti.* Cum enim summa unio et incorporatio sit in caritate[9], videtur potius, quod deberet dicere: *dilige*, et manducasti, quam *crede.*

Respondeo: Dicendum, quod ipse intelligit de *fide operante per dilectionem.* Ratio autem, quare Ratio 1. magis dicit de *fide*, duplex est: quia fides respicit intellectum et affectum[10], et ita utroque modo unit. Ratio 2. — Item, alia ratio est: quia, licet *caritas* perfectius dicat *unionem*, tamen proprietas *manducationis* magis in actu *fidei* invenitur, quia credens masticat recogitando, sed diligens non incorporat, sed incorporatur[11].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Credere in eum, hoc est comedere panem et vinum.* Videtur enim falsum dicere, quia illud est spirituale, scilicet credere, hoc est corporale: ergo unum non est alterum.

Respondeo: Dicendum, quod hoc non est dictum per omnimodam identitatem, sed per aequi-

---

[1] Can. *Non prohibeat* (67.) dispensator manducare pingues terrae in mensa Domini, sed etc. Cfr. Glossa *ordinaria* in Ps. 21, 30.

[2] Vel supplendum est *facere*, vel pro *quod* substituendum est cum cod. II *ad quod.*

[3] Cfr. C. *Si peccaverit* (19.), c. 2. q. 1, et infra d. 21. p. II. a. 2. q. 1.

[4] Scil. peccator indigne accedens.

[5] Sensus est: peccator indigne accedens nihilominus peccat, et insuper est ibi impia simulatio.

[6] Vide argg. 1. et 2. — Permulti codd. et ed. 1 *de histrione.* Inferius pro *ne prodat* cod. aa *ne pandat.*

[7] Supple cum edd. *non consecratam.* Edd. substituunt *nam si daret* pro *nihilominus*, cui codd. A G K V W bb addunt *enim.* Paulo ante pro *deberet* codd. A B H aa bb bene *debet.* In fine solut. codd., exceptis paucis, omittunt *in* ante *dominici;* codd. P V W habent *reverentia* (ablativus), pro *reverentiam*, cod. Y, bene *et... irreverentiam* (scilicet vitandam).

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. in corp. et dub. 1, nec non August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 13.

[10] Vide III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. — Superius respicitur Gal. 5, 6: Fides, quae per caritatem operatur. — Mox Vat. omittit *unit.*

[11] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. ad 3.

potentiam in effectu, quia idem facit; vel per expressionem significationis, quia hoc significat illud; et sic patet obiectio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui non manet in me, nec ego in illo, etsi accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum.* Videtur enim male dicere, quia, cum nemo sciat, utrum maneat in eo; ergo nemo scit, utrum peccet, quando accipit Sacramentum: ergo quilibet, quando accipit, committit se discrimini.

Respondeo: Verbum illud intelligendum est de eo qui scit, se esse extra Christum, ita quod plura signa et fortiora habeat ad oppositum quam ad propositum. Notandum. Nam si probabilia signa habeat de gratia, sufficit sibi ad hoc, quod peccatum non incurrat, quia non incurrit contemptum, quamvis non tantum se disponat, quod Deus acceptet omnino [1].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In illo Sacramento corpus et sanguinem suum commendavit, quod et fecit nos ipsos.* Videtur enim male dicere: quia, si nos sumus *res* Sacramenti: ergo cum recipimus *rem* Sacramenti, manducamus nosmetipsos; quod est omnino inconveniens, ut videtur.

Respondeo: Dicendum, quod nos sumus *res* Notandum. huius Sacramenti non *simpliciter*, sed in quantum sumus membra [2], sive in quantum sumus uniti ipsi capiti; unde Sacramentum illud significat unionem corporis Christi per comparationem membrorum ad invicem et ad caput. Quando ergo nos sibi univit, fecit *nos*, id est ipsam unionem, *rem* huius Sacramenti, quia [3] nobis *rem* Sacramenti tribuit; quae unio quotidie in nobis crescit et melioratur, secundum quod devotius Sacramentum suscipitur.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicitur: *Qui manducat et bibit indigne;* quid sit manducare indigne.

Respondeo: Dicendum, quod triplex est indignitas, secundum quod distinguit Glossa, primae ad Corinthios undecimo [4], quae facit hominem accedere indigne: «Indignus est, inquit, qui aliter celebrat mysterium, quam a Domino institutum est, et qui non devota mente accedit ad eucharistiam, vel in voluntate peccandi manet». Et ex hoc elicere possumus triplicem indignitatem: una quarum est in memoria; secunda in voluntate; tertia in opere. Prima respicit peccatum *praeteritum*, de quo non poenitet; et haec vocatur indevotio. Secunda respicit peccatum *futurum*, quod proponit facere, et hanc vocat voluntatem peccandi. Tertia respicit peccatum *praesens;* et haec est, quando aliter celebrat mysterium, ita quod actu peccat, dum conficit. Et haec indignitas secundum triplicem differentiam inducit contemptum, ac per hoc facit accedere indigne, et ita actu peccare [5].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Factum est malum, dum male accipitur bonum.* Videtur enim male dicere, quia corpus Christi et ipse Christus est bonum *secundum se:* ergo non potest fieri malum aliquo modo.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum dicitur fieri malum *non in se*, sed *isti*, et ita ut comparatum ad hoc; et comparatur per sumtionem et manducationem. Et ita vult dicere, quod sumere corpus Christi, quod erat bonum in genere sive in se, per circumstantiam factum est malum, non, inquam, *ipsum* quod sumitur, sed *actus* sumendi [6].

DISTINCTIO X.

Pars I.

Cap. I.

De haeresi illorum qui dicunt, corpus Christi non esse in altari nisi in signo.

Sunt item alii praecedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradicunt asserentes, in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis et sanguinis converti; sed ita Christum dixisse [1]: *Hoc est corpus meum,* sicut Apostolus dixit: *Petra autem erat Christus.* Dicunt enim, ibi esse

---

[1] Vide supra a. 2. q. 3. — Superius pro *probabilia* cod. G *probabiliora.* [2] Cod. bb supplet *Christi.*

[3] Multi codd. *quasi,* cod. A *quod.* Paulo ante pro *univit, fecit nos* cod. F *unit, facit nos.* Inferius pro *devotius* cod. E *melius,* edd. *devote.* — Hoc dub. solvit S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit. Cfr. etiam supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[4] Vers. 27. — Glossa, quae est apud Petr. Lombard. et Lyranum *ordinaria,* sumta est ex Comment. olim Ambrosio attributo. In ipsa substituitur *quam a Christo traditum est* pro *quam a Domino institutum est,* et *manens* pro *manet.* Cfr. supra pag. 103, nota 2. — Inferius pro *una quarum* edd. *Prima, quae.*

[5] Cfr. supra a. 2. q. 3. ad 4, et scholion, in quo allegantur alii auctores, qui de hac re scripserunt.

[6] Vide supra a. 1. q. 1. ad 2. — Cod. Z addit *Sic patent quae sunt in littera.* Pro *inquam* edd. *in quantum.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Matth. 26, 26; deinde I. Cor. 10, 4.

corpus Christi tantum in Sacramento, id est in *signo*, et tantum in signo manducari a nobis. Qui errandi occasionem sumunt a verbis Veritatis, unde[1] « prima haeresis facta est in discipulis Christi. Cum enim diceret: *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit vitam aeternam;* illi non intelligentes dixerunt: *Durus est hic sermo; quis potest eum audire? et abierunt retro.* Illis discedentibus, instruxit duodecim, qui remanserant: *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat; caro nihil prodest. Verba, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Intellixisti *spiritualiter?* Spiritus et vita sunt. Intellixisti *carnaliter?* Etiam sic spiritus et vita sunt, sed *tibi* non sunt. Spiritualiter intellige[2] quae locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos; caro autem non prodest quidquam ». — Sunt etiam alia illorum insaniae fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus[3]: « Donec saeculum finiatur, sursum est Dominus; sed tamen etiam hic nobiscum est Veritas, Dominus. Corpus enim, in quo resurrexit, in uno loco esse oportet; veritas autem eius ubique diffusa est ». Item[4]: « Una persona est Deus et homo, ubique per id quod est Deus, in caelo per id quod homo est ». Christus etiam dicit: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* His aliisque utuntur praefati haeretici in assertione sui erroris. — Quae ex eadem ratione omnia accipienda sunt. Non enim his negatur, verum corpus Christi a fidelibus sumi vel in altari esse; sed his Veritas Apostolos et in eis nos instruxit, quod ipsius corpus non per partes discerptum, ut putaverunt illi discipuli, qui retro ierunt, sed integrum; nec visibiliter in forma humana, sed invisibiliter sub forma panis et vini corpus et sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus[5] confirmat dicens: « Ipsum quidem et non ipsum corpus, quod videbatur, manducatur: ipsum *invisibiliter*, non ipsum *visibiliter* ». Item: « Etsi necesse est, illud visibiliter celebrari, necesse est tamen, invisibiliter intelligi ». Ita etiam intelligendum est, *corpus* Christi esse in uno loco, scilicet visibiliter in forma humana; *Veritas* tamen eius, id est Divinitas, ubique est, eius veritas etiam, id est verum corpus, in omni altari est, ubicumque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*, secundum corporalem praesentiam scilicet, qua cum eis conversabatur. Similiter per id quod *homo* est, in caelo est, visibiliter scilicet, invisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis et vini operitur. Unde et *invisibilis* caro eius dicitur, quae vere est in altari; sed quia non in sua specie apparet, *invisibilis* dicitur. Ait enim Augustinus[6]: « Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus: sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Iesu Christi carne et sanguine; *Sacramento* et *re Sacramenti*, id est corpore Christi; sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum Christus sit verus Deus et homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiae duobus: *Sacramento* et *re Sacramenti*, id est corpore Christi. Est igitur *Sacramentum* et *res Sacramenti*, id est corpus Christi ». — Ecce *invisibilem* dixit carnem Christi, quia forma panis operta sumitur et tractatur. Idem corpus Christi dixit esse *Sacramentum* et *rem;* ex quo confirmatur quod supra[7] diximus. Deinde addit quod magis movet lectorem: « Caro, inquit, eius est, quam sub forma panis opertam in Sacramento accipimus; et sanguis eius, quem sub vini specie ac sapore potamus. *Caro* videlicet carnis, et *sanguis* Sacramentum est sanguinis; carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili, spirituali, significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina Maiestate ».

Attende his diligenter, quia *tropo* quodam utitur hic Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula, quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine *carnis*, et visibilis species vini nomine *sanguinis*. *Invisibilis* vero et *intelligibilis* dicitur caro Christi, quia secundum illam speciem non videtur caro, sed intelligitur; ita et sanguis. *Caro* ergo *invisibilis* dicitur esse Sacramentum carnis visibilis, quia species panis, secundum quam illa non videtur caro, est Sacramentum carnis visibilis, quia carne invisibili, id est specie, secundum quam caro Christi non videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile et palpabile, ubi in sua forma apparet. Ita et de sanguine accipi debet. Quem sensum confirmat Augustinus[8] aperiens, qualiter praedicta intelligenda sint — quia obscure dixerat — consequenter dicens, ita *panem* vocari corpus Christi, cum vere sit Sacramentum corporis Christi, quod in cruce positum est; sicut ipsa immolatio, quae fit manibus sacerdotis, vocatur Christi *passio*, non rei veritate, sed significandi mysterio, et sicut « Sacramentum fidei dicitur *fides* ».

Occasio errandi. Augustinus. Augustinus. Interpretatio Magistri. Confirmatur per Augustinum. Augustinus. Dubium 1. Dubium 2. Dubium 3. Dubium 4. Explanatio. Dubium 4. Augustinus.

---

[1] Quod sequitur sumtum est ex C. *Prima quidem* (44.), de Consecrat. dist. 2; qui collectus est ex August., Enarrat. in Ps. 54. n. 23, et in Ps. 98. n. 9.; verbotenus autem legitur in Algero, l. de Sacram. corp. et sang. Dom. c. 11. Loci Scripturae sunt Ioan. 6, 54. 61. 67. 64.

[2] Codd. et ed. 1 *intelligite*.

[3] In Ioan. Evang. tr. 30. n. 1; cfr. etiam tr. 50. n. 12. seq., et can. cit. § 1. — Pro *in uno loco* codd. B C D E et ed. 1 *uno loco*.

[4] August., Epist. 187. (alias 57.) ad Dardan. c. 3. n. 10. — Post *persona* codd. A B et plures edd. omittunt *est*. — Seq. locus Scripturae est Matth. 26, 11; Marc. 14, 7.

[5] Ita C. *Non hoc corpus* (45.), ibid., et invenitur apud Algerum, loc. cit. c. 9. — Seq. locus est August., Enarrat. in Ps. 98. n. 9, et Can. cit.

[6] Non invenitur in Augustino, sed in Lanfranco, de Corp. et sang. Dom. c. 10, ut iam notavimus tom. III. pag. 144, nota 9. Est in C. *Hoc est quod dicimus* (48.), ibid.

[7] Dist. VIII. c. 7. — Locus seq. est in can. cit. et in Lanfranco, loc. cit. c. 14.

[8] Scilicet can. cit., sed § 2. Ultimus huius capituli locus est August., Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifac. episc. n. 9. — Pro *significandi mysterio* codd. B C E (A a prima manu), ed. 1 et can. cit. *significante mysterio*.

PARS II.

Satis responsum est haereticis et obiectionibus Dubium 1. eorum qui negant, verum corpus Christi in altari esse, et panem in corpus, vel vinum in sanguinem mystica consecratione converti, dicentes: quis audeat manducare Dominum suum? Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Christi de materia vel substantia, quae non fuit caro Virginis?

CAP. II.

De Sanctorum testimoniis, quibus probatur, verum corpus Christi esse in altari.

Haec et his similia obiiciunt illi, in divino mysterio legem naturae sectantes; quorum perfidiam subdita convincunt testimonia. Ait enim Veritas[1]: *Accipite,* Dubium 2. *hoc est corpus meum.* Item, Ambrosius: « Si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret; non valebit tantum sermo Christi, ut substantias mutet? De totius mundi operibus legitur: *Quia ipse dixit, et facta sunt* etc. Sermo igitur, id est Filius[2], qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est creare quam mutare novas naturas rebus ». Ambrosius. Item: « Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consueverat. Liquet igitur, quod praeter naturae ordinem Virgo generavit; et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid ergo hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse partus ex Virgine? » — Item: « Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem *corpus* significatur. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem *sanguis* nuncupatur. Tu dicis *Amen,* hoc est, verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat ». Item, Augustinus[3]: « In specie panis et vini, quam Augustinus. videmus, res invisibiles, id est carnem et sanguinem, honoramus; nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur, ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero car- Dubium 3. nem Christi et sanguinem, quod benedictio consecravit ». Item, Ambrosius[4]: « Panis est in altari usitatus Ambrosius. ante verba sacra; ubi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Quomodo autem potest quod panis est esse corpus Christi? Consecratione, quae fit Christi sermone ». Item: « Si tanta vis est in sermone Domini, ut inciperent esse quae non erant; quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat; et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione verbi caelestis ». Item, Augu- Augustinus. stinus[5]: « Sicut per Spiritum sanctum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et vini idem corpus Christi et sanguis consecratur. Corpus Christi et veritas est et figura: veritas, dum corpus Christi et sanguis virtute Spiritus ex panis vinique substantia efficitur; figura vero est id quod exterius sentitur ». Item, Eusebius Emissenus[6]: « Invisi- Eusebius. bilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat ». — Ex his aliisque pluribus constat, verum corpus Christi et sanguinem in altari esse, immo integrum Christum sub utraque specie, et substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM X.

PARS I.

Solvuntur sophisticae rationes haereticorum, qui negant, corpus Christi esse in altari.

Sunt item alii praecedentium insaniam transcendentes.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, corpus Christi verum sumi. In hac parte ostendit, corpus Christi verum esse in altari, procedens a destructione minoris erroris ad destructionem maioris. Et dividitur haec pars in duas partes. In prima Magister respondet sophisticis rationibus illorum qui dicebant, corpus

[1] Matth. 26, 26. Locus Ambrosii est de Mysteriis, c. 9. n. 52; seq. locus ibid. n. 53; tertius n. 54; qui tres loci sunt in C. *Revera mirabile* (69.), ibid. § 2. Loci Scripturae sunt (de Elia) IV. Reg. 1, 14; deinde Ps. 148, 5.

[2] Codd. B D E et ed. 1 omittunt *id est Filius,* pro quo codd. A C ponunt *Christi.*

[3] Can. *Nos autem* (41.), ibid.; cfr. Lanfranc., loc. cit. c. 13.

[4] Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 14; seq. locus ibid. n. 15; qui duo loci sunt in C. *Panis est* (55.), ibid. — Pro *inciperent esse* edd., excepta 1, *incipiant esse,* refragantibus codd. et originali.

[5] Can. *Utrum sub figura* (72.), ibid.; cfr. Paschasius Radb., de Corp. et sang. Christi, c. 4. n. 1.

[6] Can. *Quia corpus* (35.) ibid. Verbotenus est in Serm. 4. de Corp. et sang. Dom. n. 3. (inter opera Isidori et Hieronymi; cfr. supra pag. 178, nota 7.).

Christi verum in altari non esse. In secunda veritatem confirmat multiplici auctoritate ostendens, quod corpus [1] verum est in altari, et qua virtute hoc fiat, ibi: *Satis responsum arbitror esse haereticis.*

Prima pars habet duas. In prima ponit auctoritates et rationes. In secunda subiungit expositiones et determinationes, ibi: *Quae ex eadem ratione omnia accipienda sunt.* Et illa similiter duas habet. In prima exponit et determinat quasdam auctoritates, quas illi male intelligendo depravabant [2]. In secunda vero quasi incidenter exponit quandam locutionem tropicam Augustini, quae posset alicui ministrare fomentum erroris, ibi: *Attende his diligenter, quia tropo quodam* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeruntur quinque.

Primo quaeritur, utrum corpus Christi sit in altari secundum veritatem.

Secundo, utrum sit ibi secundum quantitatem.

Tertio, utrum sit ibi definitive.

Quarto, utrum dimensive.

Quinto, utrum totum sit in qualibet parte hostiae.

ARTICULUS UNICUS.

De veritate et modo praesentiae Christi in Sacramento altaris.

QUAESTIO I.

Utrum Christus sit in Sacramento altaris secundum veritatem.

Et quod sit in altari secundum veritatem, videtur:

1. Quia Dominus [3] dixit: *Hoc est corpus meum:* Fundamenta. ergo si mentiri non potuit, quod demonstravit fuit corpus suum; et dedit illum ritum, secundum quem ipse confecit: ergo cum modo conficitur secundum illum ritum, verum corpus Christi est in altari. *Si dicas,* quod illud non intelligitur per *identitatem,* sed per *significationem,* sicut illud [4]: *Petra est Christus;* ergo secundum hoc per *significationem* similiter posset dici de manna, agno paschali et sacrificio Melchisedech: tunc ergo non erit differentia inter Sacramentum novae legis et veteris.

2. Item, primae ad Corinthios decimo [5]: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* ergo etc. *Si dicas,* quod hoc similiter dicitur per significationem; *contra:* Apostolus postea infert undecimo capitulo: *Itaque qui manducat et bibit indigne reus est corporis et sanguinis Domini.* Sed si hoc verum esset, quia *signum;* tunc similiter, quia haec vox *Christus* est *signum,* qui pronuntiaret in peccato, esset reus corporis et sanguinis; quod falsum est.

3. Item, Matthaei ultimo [6]: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Constat, quod hoc non dicit quantum ad Apostolos, quia ante sunt mortui: ergo quantum ad credentes; sed non quantum ad effectum divinitatis et gratiae — quia secundum divinitatem est cum omnibus hominibus, secundum gratiam non est semper cum fidelibus omnibus — intelligit ergo secundum humanitatem. Sed hoc non visibiliter, sed sub Sacramento: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia *caro* Christi *vere est cibus* [7]; sed cibus, qui non exponitur ad cibandum, est frustra: ergo si caro Christi non est frustra, exponitur ad cibandum. Sed non in se nec visibiliter, ne generet horrorem: ergo est vera caro Christi sub Sacramento.

5. Item, Christus pro salute nostra carnem suam veram exposuit ad patiendum, cum adhuc essemus iniusti [8]: ergo si multo magis debet diligere iustos, carnem ergo suam veram exponet ad reficiendum, non tantum signa: ergo etc.

6. Item, « ars et virtus circa difficile [9] », et quanto difficilius est credere, tanto magis merito-

---

[1] Codd. G H M U Z *corpus Christi.*

[2] Plurimi codd. male *damnabant.*

[3] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19. — Inferius post *dedit* codd. W Y addunt *illis* (Alex. Hal. *aliis*). Cfr. supra d. 8. p. I. a. 2. q. 3.

[4] Epist. I. Cor. 10, 4: Petra autem erat Christus. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — De seqq. vide supra d. 8. p. I. a. 1. q. 2.

[5] Vers. 16. Plurimi codd. cum edd. *Panis, quem frangimus, corpus Domini est.* — Seq. textus est ibid. 11, 27: Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis etc.

[6] Vers. 20, ubi Vulgata post *vobiscum sum* addit *omnibus diebus.* — Inferius post *Apostolos* cod. X subiungit *tantum;* subinde ex codd. B E F G K L aa supplevimus *ante,* pro quo alii codd. vel *autem,* vel *quandoque,* vel *aliquando.*

[7] Ioan. 6, 56. — Inferius pro *nec visibiliter* Vat. *scilicet visibiliter.*

[8] Vide Rom. 5, 6. seqq. et I. Petr. 3, 18. — In fine arg. pro *signa* aliquot codd. *signum,* edd. *in signum.*

[9] Aristot., II. Ethic. c. 3. — In fine arg. pro *esset meritorium* codd. A E F G L V *esset meritum* [cod. U *ad meritum*].

rium: sed quod Christus sit in Sacramento sicut in signo tantum, nullam habet difficultatem; quod autem sit in Sacramento veraciter, sicut in caelo, hoc maximam habet difficultatem: ergo hoc maxime meritorium est credere. Ergo si debuit facere, quod magis esset meritorium; patet etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Ostenditur, quod non sit ibi secundum veritatem, primo per *impossibilitatem:* quia corpus Christi non ante erat in altari, et nunc est: ergo aliquo genere motus est mutatum; sed non mutatione locali, quia tunc a caelo recederet[1]: ergo aliquo alio genere mutationis. Sed aliae species motus solum cadunt circa mutabile et alterabile; corpus autem Christi glorificatum impossibile est variari: ergo etc.

2. Item, nihil est nec potest esse extra terminum substantiae suae[2]; sed corpus Christi in caelo existens habet ibi terminum suae substantiae: ergo impossibile est, quod sit alibi quam in caelo: ergo impossibile est, quod sit secundum veritatem in hoc Sacramento: ergo si est ibi, est solum sicut in signo.

3. Item, hoc ipsum ostenditur propter *congruitatem:* quia Sacramenta instituta sunt propter humiliationem, ut homo in inferioribus se quaereret et inveniret salutem[3]: ergo cum corpus Christi verum non sit inferius, non congruit Sacramento.

4. Item, omnia Sacramenta sunt ad Dei honorificationem et reverentiam; sed si corpus Christi verum esset ibi; cum reverentia sit a loco, in quo est, se elongare, sicut dictum est Moysi, Exodi tertio[4]: *Solve calceamentum* etc., nullus deberet ad hoc Sacramentum accedere. Si ergo institutum est, ut homo accedat, salva reverentia; non est ibi corpus verum.

5. Item, hoc ipsum ostenditur etiam propter *inutilitatem:* quia Ioannis sexto[5] dicitur: *Caro non prodest quidquam:* ergo caro secundum sui veritatem non reficit: ergo si non debet in hoc Sacramento esse aliquid, quod non prosit, non ergo est ibi Christus secundum carnem.

6. Item, gratia, quae datur in hoc Sacramento, est a Deo; sed Deus Christus aeque bene operatur ubi non est secundum praesentiam corporis, sicut ubi est, — sicut patet in filio reguli, unde reprehenditur regulus, quia corporalem praesentiam quaerebat[6] — ergo nulla esset ibi utilitas.

CONCLUSIO.

Christum esse in Sacramento altaris secundum veritatem, et fidei pietas docet et Sacramenti dignitati congruit.

Opinio haeretica.

Respondeo: Sicut tangit Magister[7], opinio quorundam fuit et error pessimus, quod Christus non esset in altari nisi tantum sicut in *signo;* et dicitur *manducari,* quia signum eius accipitur et manducatur. Et hoc quidem volunt habere per simile in aliis, quia in aqua baptismi non est gratia sicut contenta, sed tantum sicut in *signo.* Et ad hoc quidem videntur pietate moveri, quasi nemo sit dignus tangere, nedum comedere veram carnem Dei. — Sed iste est error pessimus et contra *pietatem fidei,* quae tantum sibi beneficium a Deo datum recognoscit et gratias agit, quod in carne sua et natura propria nobiscum sit. — Est etiam contra *Sacramenti dignitatem* et excellentiam, in quo relucet divina *potentia, sapientia* et *bonitas* altius ceteris Sacramentis; unde cetera Sacramenta excellit et quasi consummativum est aliorum omnium[8], sicut caritas omnium virtutum.

Reprobatur dupliciter.

Conclusio.

Ratio 1.

Primum igitur hic manifestatur Dei *potentia* in operis singularitate. Cum enim panis in Christi corpus verum et integrum in multis altaribus convertitur, nullo remanente communi[9], et subito hoc fit: ostendit se Deus posse supra omnem potentiam *operativam* in conversione, supra *imaginativam* in hoc, quod idem est in pluribus locis, supra *intellectivam* in hoc, quod tam magnum et integrum in tam parva specie facit existere non contractum[10].

Ad 1. oppos.

1. Ex hoc patet responsio ad illud quod obiicitur de *impossibilitate.* — Dicendum enim est, quod quamvis natura hoc non possit facere neque ratio intelligere, tamen Deus potest multa in corpus Christi convertere; et ex hoc corpus Christi est in multis locis, non per mutationem, quae fit in Christo, sed in pane, qui convertitur in ipsum[11].

---

1 Ut docet Damasc., IV. de Fide orthod. c. 13. — Aliae species motus sunt « generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio », quae enumerantur ab Aristot., de Praedicam. c. *de Motu.* Cfr. tom. I. pag. 664, nota 4, et tom III. pag. 111, nota 11.

2 Aristot., IV. Phys. text. 14. (c. 2.): Si igitur locus est quod primum continet unumquodque corpus, terminus utique erit; quare videbitur species ac forma cuiusque locus esse, quo terminatur magnitudo et materia magnitudinis; haec [aliae versiones: *hic*] enim est uniuscuiusque terminus.

3 Ut dictum est supra lit. Magistri, d. I. c. 5, et Comment. p. I. q. 1. in corp. necnon dub. 8. — Superius pro *congruitatem* cod. X melius *incongruitatem.*

4 Vers. 5. — Superius pro *honorificationem* codd. F G I L *honorem,* cod. H *honorationem,* cod. aa *honorificentiam.*

5 Vers. 64. Cfr. hic lit. Magistri, c. I.

6 Ioan. 4, 48: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 28. n. 1.

7 Hic in lit. c. 1. Cfr. etiam Innoc. III., IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 35, et C. *Ego Berengarius* (42.), de Consecrat. d. 2.

8 Ut docet Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 3. p. I. — Post *omnium virtutum* in cod. aa subiungitur *unde sicut caritas habet idem pro obiecto et pro fine* [cfr. III. Sent. d. 36. q. 6.], *sic in hoc Sacramento est idem significatum et contentum.*

9 Cod. O supplet *subiecto* [materia corporibus communis *subiectum* vocatur ab Aristot., VII. Metaph. text. 7. seq.], quod codd. T U substituunt pro *subito,* ita legentes *communi et subiecto, sic ostendit* etc. Cfr. infra d. 12. p. I. a. 1. q. 1. seqq. Edd. omittunt *hoc fit.*

10 Cfr. Innocent. III., loc. cit., c. 7, et Alanus ab Insulis, I. Contra Haereticos, c. 62.

11 Cfr. Alan. ab Insulis, I. contra Haereticos, c. 58, ubi

Ad 2. oppos. 2. Similiter patet aliud. Quamvis enim corpus Christi terminum[1] habeat in caelo quantum ad existentiam naturalem, non tamen habet quantum ad potestatem conversionis, secundum quam alibi potest corpus converti in ipsum; et ideo illa virtute supernaturali fit alibi, qua aliud convertitur in ipsum; et hoc melius patebit in tertio problemate.

Relucet autem *sapientia* in congruitate. Christus

Ratio 2. enim Dominus noster satis magnum populum Domino acquisierat, ipsos in suo corpore mystico uniendo. In hoc autem corpore, quod est Ecclesia, sunt *multi* et diversi, sunt *viatores* et infirmi, sunt etiam *quotidianis peccatis circumdati*. Quia sunt *multi* in uno corpore, indigent *connexione;* quia *viatores,* indigent *refectione;* quia *quotidianis peccatis implicati,* indigent *oblatione*[2]*;* et haec quidem non tantum *interius* fienda erant per gratiam virtutum, sed

Congruitas 1. *exterius* per gratiam Sacramentorum. — Congruum ergo fuit, ut haberent unum *exterius connectens,* sicut habebant unum *interius;* sed illud unum debuit esse ubi erant membra, et ita, cum in multis locis sint membra, debuit tale esse, quod congrueret esse in multis locis. Sed hoc non est nisi Deus, vel Divinitati unitum; sed Deus est interius, Divinitati unitum est corpus Christi: ergo corpus Christi debuit dari in Sacramento exteriori, quod est unum, in quo omnes fideles uniuntur in manducando unam

Congruitas 2. et *candem escam*[3]. — Congruebat etiam, ut haberent *exterius reficiens* in Sacramento; sed reficiens animam non est nisi Deus, vel Deo unitum; et hoc est corpus Christi verum: et ita congruum fuit, ut corpus Christi verum in Sacramento isto esset. —

Congruitas 3. Congruebat etiam ut haberent *oblationem exteriorem;* sed Dominus unica oblatione offerendo se omnes alias oblationes evacuaverat: ergo si non debuit reficere quod destruxerat, debuit dare nobis illam eandem, quam obtulit, et non aliam[4]. Ergo sicut corpus Christi verum fuit oblatum in cruce, ita sacrificatur in altari.

Ad 3. oppos. 3. Et ex hoc patet, quod non valet, quod obiicit propter *congruitatem.* — Quod[5] obiicit, quod homo non humiliatur in hoc Sacramento; dicendum, quod immo, quia in signo exteriori visibili est humiliatio. *Praeterea,* in hoc super omnia humiliatur et captivatur hominis intellectus[6], quia credere compellitur quod nullatenus potest comprehendere. Praeter hoc etiam in hoc Sacramento est exemplum totius humilitatis, quia Dominus maiestatis tam modico et paupere pallio adhuc in exemplum humilitatis et paupertatis vestitur.

4. Ad illud quod obiicitur de reverentia, dicendum, quod reverentia non tantum fit Deo[7] recedendo, sed etiam humiliter ad ipsum accedendo, maxime, cum ipse vocat, quia, si homo non iret, cum vocatur, non esset reverentia, sed stultitia. Ad 4. oppos.

Apparet etiam tertio divina *bonitas* in utilitate. Ratio 3. Nam ex hoc, quod Christus est ibi corporaliter praesens, *fidei* meritum augetur, dum hoc credit quod nullatenus ratione cognoscit. *Caritatis* etiam devotio inflammatur, quando sentit Dominum sibi praesentem in carne; sicut enim ad praesentiam ignis expellitur frigus, sic ad praesentiam carnis Christi expellitur tepor. Unde Damascenus[8] dicit, quod « caro Christi est tanquam carbo ignitus ». Item, *spei* fiducia sublevatur; dum enim ipsum eundem offert Patri, qui oblatus est in cruce; quis est, qui non confidat exaudiri?

5. Per hoc etiam patet, quod obiicit de *inutilitate,* quia quod dicit Dominus: *Caro non prodest quidquam,* intelligit: carnaliter intelligenti[9]. Ille autem intelligit carnaliter, non qui intelligit carnem esse praesentem, sed qui intelligit, Christum manducari, secundum quod comeditur caro cuiuslibet animalis per frusta. Sed tamen multum prodest eam veraciter assumenti sub Sacramento. Ad 5. oppos.

6. Similiter patet aliud, quia praesentia corporis non auget Dei virtutem; sed congruum est, quod Dominus ex sua praesentia corporali aliquod munus specialius tribuat; et licet non valeat illi qui credit, eum non posse operari, nisi ubi est corporaliter; credenti tamen multum valet, sicut multum valuit Zachaeo praesentia corporis[10]. Ad 6. oppos.

SCHOLION.

I. Inter plures antiquos haereticos, qui veram realemque Christi in ss. Sacramento praesentiam impugnarunt, famosus est Berengarius Turonensis († 1088); quem errorem etiam pleraeque sectae saeculi XIII. cum Waldensibus, et saeculi XVI. cum Carlestadio et Calvino professi sunt. Contra istos veritas catholica multis Ecclesiae decretis definita est (cfr. contra Berengarium retractatio eius apud Denzinger, *Enchiridion,* n. 298, item contra Wikleff et Huss artic. Martini V, n. 560, 551, et

---

ostendit, quod haec mutatio non sit alteratio, nec alteritas, sed transsubstantiatio. Idem docetur infra d. 11. p. I. q. 1. seqq.

[1] Cod. B addit *suae substantiae,* codd. F G I K V legunt *corpus Christi tantum habeat esse in caelo.*

[2] Vat. hic addit *multiplici,* et inferius post *sed* cum ed. 1 *etiam.* Aliquanto superius pro *ipsos* Vat. *ipsum.*

[3] Epist. I. Cor. 10, 3: Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt.

[4] Edd., omisso *dare,* hic addunt *instituere oblationem.* — Cfr. Innocent. III, loc. cit. c. 44.

[5] Cod. L addit *enim,* edd. *autem.*

[6] Respicitur II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

[7] Cum codd. A F G (H a secunda manu) I V omisimus *a* ante *Deo,* pro quo cod. E *ab eo.*

[8] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13. Cfr. supra pag. 188, nota 4. — Cod H *idem ipse offertur* pro *ipsum eundem offert.*

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Vat. *intelligitur de carnaliter intelligente.*

[10] Vide Luc. 19, 9. — Edd. *corporis Christi.*

praecipue Concil. Trident. Sess. XIII. c. 1. et can. 1. seqq. — Hanc saluberrimam veritatem Seraphicus Doctor hic etiam rationibus congruentiae praeclaris defendit.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 3. § 1-3. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; S. III. q. 75. a. 1; S. c. Gent. IV. c. 62. seqq. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. Quoad 2. quaestionem notandum est, fide constare (cfr. Concil. Trident. loc. cit. can. 1. 2.), sub utraque specie non tantum *corpus* Christi, sed *totum* Christum, scilicet corpus anima vivificatum et Divinitati hypostatice unitum, realiter, et substantialiter in hoc ss. Sacramento contineri; item, esse « corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie *ex vi verborum;* ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque *vi naturalis illius connexionis et concomitantiae,* qua partes Christi Domini... inter se copulantur » etc. (ibid. c. 3; cfr. Bonav., infra d. 11. p. 1. q. 4; S. Thom., S. III. q. 76. a. 1.). Hinc concludit S. Thom. (loc. cit. a. 4.), quod tota quantitas dimensiva est in hoc Sacramento vere, sed non vi Sacramenti, sed vi realis concomitantiae, et « non secundum *proprium modum* [ut scilicet sit tota in toto, et singulae partes in singulis partibus], sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto et tota in qualibet parte » (ibid. ad 1.). Reprobatur autem communiter tanquam erronea opinio Durandi (hic q. 2.), qui cum prima opinione in corp. relata impugnat conclusionem, hoc falso principio innixus, quod *primarius* quantitatis effectus sit extensio in loco. Plures etiam Nominales, sed alio fundamento et explicatione usi, praedictae falsae opinioni favent.

Praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. § 4. — Scot., loc. cit. n. 13. seqq. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 4; S. c. Gent. IV. c. 54. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum corpus Christi sit in altari secundum suam naturalem quantitatem, an sit ibi a quantitate abstractum.

Secundo quaeritur, utrum corpus Christi sit in altari secundum suam naturalem quantitatem, an sit ibi a quantitate abstractum. Et quod magis *abstractum*, videtur.

Ad opposi-tum.

1. Augustinus de Consecratione, distinctione secunda[1]: « Corpus, in quo resurrexit, uno tantum loco esse oportet; veritas autem eius ubique diffusa est »: ergo in Sacramento est veritas, non tamen est sua corporeitas sive quantitas.

2. Item, videtur *ratione:* quia in hoc Sacramento solum est Christus ut cibus spiritualis; sed quantitas nihil facit ad *esse* cibi spiritualis: ergo etc.

3. Item, impossibile et non intelligibile est, duas dimensiones esse simul[2]: ergo si divina Maiestas contemperat se nostrae infirmitati in hoc Sacramento, ergo non debet facere hoc, scilicet ut corpus Christi sit cum quantitate, cum abstractio sit magis rationabilis et magis intelligibilis, et Deus faciat quod rationabilius est.

4. Item, multo congruentius est, separari substantiam ab accidente quam e converso; sed in hoc separatur accidens a substantia in speciebus[3]: ergo in re contenta substantia a quantitate.

Fundamenta.

Contra: 1. Augustinus de verbis Evangelii[4]: « Totus per partes manducatur in Sacramento, et manet integer totus in caelo »; sed totus et pars dicunt quantitatem: ergo etc.

2. Item, corpus Christi est vivens, et si vivens, organicum, et si organicum, quantum[5]: ergo si in altari non abstrahitur a vita, nec a quantitate.

3. Item, corpus Christi sive Christus ibi videt et audit, quamvis non loquatur, ne deprehendatur; sed sensus exteriores praesupponunt quantitatem[6]: ergo est ibi secundum quantitatem.

4. Item, si non esset ibi quantitas, deponeret quantitatem; sed depositio accidentis absoluti inducit transmutationem secundum formam[7]: ergo corpus Christi glorificatum transmutatur.

CONCLUSIO.

In Sacramento altaris non tantum est corporis Christi veritas, sed etiam quantitas.

Opinio 1.

Respondeo: Quidam dixerunt, quod in Sacramento altaris est Christus, non tantum ut significa-

---

[1] Can. *Prima quidem* (44.). § 1. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Non pauci codd. omittunt *eius.*

[2] Secundum Aristot., III. Metaph. text. 9. (II. c. 2.). Cfr. tom. II. pag. 324, nota 9, ubi allegavimus locos, in quibus Aristot. docet, quod impossibile sit, duo corpora esse simul in eodem loco. — Inferius pro *cum quantitate* cod. O *in quantitate ibi, immo cum abstractione,* cod. H *cum quantitate in Sacramento.* Subinde pro *et Deus faciat* cod. A *et ideo videtur, quod facit Deus.*

[3] De quo cfr. infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2. seq. — De *maiori* vide Aristot., I. Phys. text. 39. (c. 4.), et VII. Metaph. text. 3. (VI. c. 1.). — Post *in hoc* Vat. supplet *Sacramento.*

[4] Ita allegatur in C. *Invitat Dominus* (70.), de Consecrat. d. 2; et secundum Ivon. Carnot. incipit: Veritas, quae est Christus, dum in C. *Qui manducant* (58.) citatur sermo 2. de Verbis Apostoli [in ed. Maur. serm. 131. de verbis Evang. Ioan. 6. n. 1.], et in C. *Qui manducat* (75.) dicitur: « Augustinus ex sermone de Verbis Domini ». Habetur etiam in Glossa *ordinaria* super I. Cor. 10, 16, sumta ex Beda in hunc loc. [ed. Migne hunc Comment. attribuit *Floro* Diacono, et citatur *Sermo de pers. Evang.*]. Cfr. infra lit. Magistri, d. XII. c. 3.

[5] Vide Aristot., II. de Anima, text. 3. seqq. (c. 1.).

[6] Aristot., III. de Anima, text. 7. (c. 4.): Sensitivum enim non sine corpore est.

[7] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 18. seq. (c. 2.), et I. de Generat. et corrupt. text. 23. seqq. (c. 4.), ubi agit de mutatione secundum quantitatem et qualitatem (accidentium absolutorum).

tus, sed etiam contentus; sed tamen non est secundum suam quantitatem nec etiam secundum alia accidentia, quia ista nihil faciunt ad finem huius Sacramenti, qui est cibare [1]. Et rationem huius habent ex hoc, quod ibi est corpus Christi, quia transfertur aliquid in ipsum; sed illud est pure substantia et non accidens, quia alia accidentia manent: ideo transsubstantiatur in substantiam, ita quod est abstracta ab omnibus accidentibus. — Sed haec positio, quamvis non sit erronea, sicut praedicta [2], est tamen errori propinqua, ideo quia, etsi substantia corporea possit intelligi *esse* sine quantitate et aliis accidentibus, nunquam tamen intelligitur *bene esse*. Si ergo non habet, tunc male est. Et *rursus*, quamvis substantia possit abstrahi a quantitate, tamen quod corpus *vivat* et sit organicum et non sit quantum, hoc nec esse nec intelligi potest; et ideo ex hoc sequitur, corpus Christi nec *bene ibi esse* nec *vivere;* quod nefas est dicere.

Reprobatur.

Propterea dicendum, quod in altari non tantum est corporis Christi veritas, immo etiam quantitas.

Conclusio.

Et ad intelligentiam obiectorum notandum, quod etsi in hoc Sacramento fieri debeant miracula, non tamen debent fieri, nisi quae congruant Sacramento. Sacramentum autem illud est mysterium fidei; et ideo est *verum* et *occultum*. Quia *verum*, ideo, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*, panis [3] transit in corpus Christi, et hoc ubicumque dicatur. Et ex hoc oritur duplex miraculum: primum, quia panis transit in corpus Christi integrum et perfectum; et aliud, quia corpus Christi integrum est, ubicumque fit haec transsubstantiatio, ita *totum* et perfectum in parvo loco [4], et *unum* in pluribus locis. — Quia vero *occultum*, ideo debent manere species et omnia sensibilia, ipso non apparente. Et ex hoc est duplex miraculum: unum, quia accidentia sunt sine subiecto; alterum vero, quod est ibi corpus clarissimum et est praesens et non videtur. Ex his patent obiecta.

Axioma. Notandum. Duplex miraculum.

1. 2. Primum enim, quod dicit Augustinus, quod veritas ubique etc.; non distinguit *veritatem* contra *quantitatem*, quae est de veritate corporis, sed contra *apparitionem sensibilem*, quia tantum in uno loco apparet. — Patet etiam sequens, quia quantitas facit ad Sacramenti veritatem et perfectionem, ut corpus contentum sit habens omnem perfectionem.

Solatio oppositorum.

3. Ad aliud dicendum, quod Divinitas nostrae infirmitati se contemperat, salvata integritate Sacramenti. Et *praeterea* sic se contemperat, ut intellectum excedat, et fides locum et meritum habeat.

4. Ad ultimum dicendum, quod etsi Deus utrumque faciat [5], tamen nulla esset utilitas nec quantum ad veritatem nec quantum ad celationem, si corporis Christi veritas a quantitate abstraheretur; et propterea non valet, quia non debet hic fieri, nisi quod congruit Sacramento [6].

QUAESTIO III.

Utrum corpus Christi sit sub speciebus definitive.

Tertio quaeritur, utrum corpus Christi sit sub speciebus definitive. Et quod non, videtur:

1. Quia illud loco definitur, quod est in uno solo loco; sed corpus Christi sub Sacramento est in pluribus locis: ergo etc. *Probatio minoris:* omne quod est, ubicumque consecratur, si in pluribus locis consecratur [7], in pluribus locis est; sed corpus Christi est tale: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, omne illud, in quod possibile est plura in pluribus locis converti, possibile est in pluribus locis esse; sed corpus Christi est huiusmodi: ergo etc. Sed nullum tale habet esse definitum [8]: ergo etc.

3. Item, ubicumque se extendit virtus verbi et elementum, se extendit etiam Sacramentum; sed virtus verbi non est determinata ad locum, sicut patet; similiter nec elementum, quod est panis: ergo nec hoc Sacramentum, ergo nec corpus Christi interius contentum.

4. Item, quod est in uno loco et potest sine sui mutatione esse in alio non est ibi definitive; sed corpus Christi est huiusmodi, quia est in caelo et potest sine mutatione sua esse in loco alio, ut in altari: ergo etc.

CONTRA: 1. Omne individuum est *hic et nunc* [9]; sed corpus Christi est individuum: ergo est *hic et nunc*. Sed quod est *hic et nunc* est in loco definitive: ergo etc. *Si dicas*, quod corpus Christi, quamvis sit individuum, tamen est unitum substan-

Ad oppositum.

---

[1] Vide Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.), et I. de Generat. et corrupt. text. 41. (c. 5.), ubi docet, quod nihil *cibat* sive nutrit nisi secundum id quod est *substantia*, nec *auget* nisi secundum quod est substantia *quanta*. Cfr. infra d. 12. p. I. a. 2. q. I.

[2] In corp. quaest. praeced. — De diversitate substantiae et accidentium agitur infra d. 12. p. I. a. I. q. I. — Aliquanto inferius post *tunc male est* [codd. P T *esse*] in codd. T bb (P a secunda manu) additur *patet ergo, quod incongrue illud dicitur.*

[3] Edd. cum aliquot codd. *corpus panis*. Mox post *Christi* cod. O prosequitur *integrum et perfectum, et hoc ubicumque* etc.; pro *et hoc* Vat. *et hic et.*

[4] In codd. I X secunda manus addidit *sicut in magno.*

[5] Sola Vat. *faceret.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Ex codd. W Y supplevimus *si in pluribus locis consecratur.*

[8] Codd. E O T U *definitivum.*

[9] Secundum Aristot., I. Poster. c. 24. (c. 31.), ubi etiam docet, *universale* esse quod semper et ubique est.

tiae immensae et ratione illius unionis habet, quod sit in pluribus locis; si ista est sufficiens ratio: ergo ab instanti conceptionis fuit in pluribus locis; quod stultum est dicere. *Praeterea*, illa unio non aufert ei, quin sit individuum: ergo non aufert esse *hic et nunc* nec esse definitum [1].

2. Item, si Christus in Sacramento potest esse in pluribus locis, esto quod tantum tria loca sint, in illis possibile est esse corpus Christi: ergo possibile est esse ubique; sed hoc, cum sit solius Dei, impossibile est alteri convenire [2]: ergo etc.

3. Item, quod est in aliquo, ita quod movetur ad motum illius, est in illo definitive; sed Christus movetur ad motum totalis speciei: ergo etc. *Probatio minoris:* cum transfertur species, vere dicitur transferri corpus Christi verum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Corpus Christi est sub speciebus sacramentaliter, non proprie definitive.

Respondeo: Sicut dicit Innocentius [3], « quemadmodum Dei Filius secundum Divinitatem habet triplicem modum essendi: in omnibus per *essentiam,* in iustis per *gratiam,* in Christo per *unionem;* sic corpus Christi *localiter* est in caelo, *personaliter* in Verbo, *sacramentaliter* in altari ». Hoc tertio modo dicit « ipsum reperiri in pluribus locis », quia plures sunt species continentes. Unde per se loquendo, est in uno loco tantum, in quo *definitur,* sicut individuum; quia vero multa in ipsum convertuntur, quae sunt in diversis locis; et ipsum per consequens est in diversis locis secundum illum modum, secundum quem multa in ipsum convertuntur, et hoc sub Sacramento.

Conclusio.

Unde notandum ad intelligentiam obiectorum, quod corpus Christi est *individuum* [4], et individuum, in quod *plura convertuntur* secundum se. Quia *individuum,* est in caelo tantum in proprio et *definito* loco. Quia vero in ipsum *plura convertuntur,* non habet terminum substantiae limitatum ad unum locum, sed extendit se ad locum conversionis [5]. Et quia loca conversionis non possunt esse *omnia* nec *unum solum,* immo *plura;* quantum ad hoc nec *immense* est, sicut Deus, nec omnino *definitive,* sicut aliquod individuum, sed *medio modo,* sicut Deus secundum modum essendi per *gratiam* non est in omnibus, sed in pluribus.

Distinctio.

Si ergo quaeratur ratio, quare corpus Christi est in pluribus locis; credo, quod haec sit ratio, quia *plura* convertuntur in ipsum totum et in *pluribus locis.* — Si quaeratur, quare *plura;* dicendum, quod Dominus instituit. Et si quaeratur *ratio institutionis;* dicendum, quod quia cibus spiritualis est et communis, ideo natum est cibare plures, et ideo plura convertuntur in ipsum; *aptitudinem* autem cibandi spiritualiter habet ex unione cum Divinitate, *actum* vero ex existentia sub Sacramento: et ideo institutum est, ut plura in illud corpus convertantur, et hoc sub Sacramento [6].

Ratio praesentiae in pluribus locis.

1. Quod obiicitur primo de individuo, patet: quia ultra rationem individui habet, quod plura in ipsum convertantur in diversis locis. Unde sicut individuum, in quod alia possunt converti secundum partem, potest esse in *maiori* loco; sic illud, in quod alia convertuntur totaliter in diversis locis, potest esse in *pluribus* locis.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad aliud patet responsio, quia non in omnibus potest esse conversio, quia sacerdos non haberet locum, ad cuius ministerium fit. Posito autem per impossibile, quod tantum essent tria loca; tunc dicendum, quod esset ubique, sed non sicut Deus, quia Deus est ubique propter sui immensitatem, unde nulli potest abesse; sed corpus Christi esset [7] ubique propter locorum paucitatem.

3. Ad illud quod obiicitur de motu translationis, dicendum, quod corpus Christi medium tenet inter esse *immensum* et esse *definitum;* et ideo quodam modo est *immotum,* et quodam modo *mobile:* *mobile* quidem in uno loco et *immotum* in alio; et in eadem hostia non movetur ad motum partium, nec *per se* nec *per accidens* [8], nisi transferatur tota hostia. Si ergo *simpliciter* mutaretur et omnino, bene argueret; sed hoc non habet veritatem.

Notandum.

SCHOLION.

I. Ut intelligantur haec et duae sequentes quaestiones, plura supponenda sunt, quae in philosophia scholastica disputantur de *loco,* de distinctione inter *ubi* extrinsecum et intrinsecum, de variis *modis,* quibus aliquid potest esse praesens ad locum sive habere, ut dicunt, *ubicationem.* De his multa inveniuntur hic et I. Sent. d. 8. p. II. q. 3, sed praecipue d. 37. passim, II. Sent. d. 2. p. II. a. 2. q. 1-3, d. 49. p. II. princip. 2. a. 3. art. q. 1. ad 4. 5. — Quoad S. Bonaventuram tria observamus.

1. *Ubi* intrinsecum ab ipso passim vocatur nomine *praesentialitatis;* attamen I. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 2. arg. 1. pro

---

[1] Plures codd. et Vat. *definitivum.*

[2] Cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 1. — Cod. F *communicari.*

[3] Libr. IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 44. Cfr. tom. III. pag. 454, nota 10, ubi allegatur c. 8. et 27.

[4] Sola Vat. hic addit *secundum se,* iisdem verbis paulo post omissis, ubi opponuntur locutioni *secundum partem* (cfr. ad 1.).

[5] Cfr. supra q. 1. ad 2. — Pro *terminum substantiae* codd. K aa (A a secunda manu) *tantum esse.* Inferius post tertium *sicut* cod. H addit *etiam.*

[6] Cfr. supra q. 1. et I. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 1. ad 4.

[7] Non pauci codd. cum ed. 1, perperam *est.*

[8] Haec divisio motus exhibetur ab Aristot., IV. Phys. text. 32. (c. 4.), V. text. 1. seq. (c. 1.), et I. de Anima, text. 37. seqq. (c. 3.). — Superius pro *definitum* nonnulli codd. *definitivum.*

parte negativa dicit: « *Ubique* praesupponit *ubi*, et *ubi* praesupponit locum »; distinguit enim cum sententia communi duplicem terminum rei locatae, scilicet *locum* ut quid extrinsecum, quod circumscribit rem locatam, et cui competunt quatuor proprietates, scilicet *continere, mensurare, conservare* et *terminare* (I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. q. 2.); et *ubi* ut quid intrinsecum, quod ab eodem etiam vocatur nominibus *mensurae intrinsecae* (IV. Sent. d. 49. p. II. art. princip. a. 3. q. 1. ad 4.), vel *continentiae passivae, indistantiae, praesentiae.*

2. Quoad *ubi intrinsecum* S. Bonav. cum communi sententia (contra Nominales) tenet, illud esse quid *reale*, distinctum a loco et re locata; dum autem Scot. putat, illud esse tantum *realem relationem*, S. Bonav. cum S. Thoma docere videtur, esse in *creatura* quid *absolutum*, sed cum relatione transcendentali, quae oritur ex aliqua praecedenti mutatione (cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 2. q. 2. ad 4, et II. Sent. d. 1. p. I. a. 3. q. 1. fundam. 5.).

3. *Esse circumscriptive* in loco et *esse ibi dimensive* auctori nostro idem est; sed termini *conterminative* et *localiter* ab ipso sumuntur in duplici sensu, ut explicatur q. 4. ad 3. et 4.

II. Distinctio corporis Christi ratione, qua est individuum, et qua in ipsum convertuntur alia, iam ab Alexandro Hal. supposita, recepta est a S. Thoma; qui etiam cum S. Bonaventura docet (S. III. q. 75. a. 2-4.), *rationem*, quare corpus Christi praesens sit in pluribus locis, petendam esse praecise a conversione substantiali elementorum. Hanc conversionem assignat etiam Alexander (loc. cit. § 6. in fine) saltem ut partialem causam eiusdem; Scotus vero (hic q. 1. n. 5. seqq. et q. 3.) multis argumentis hoc reprobare nititur quod docens, haec praesentia in pluribus locis, licet fiat in transsubstantiatione, non tamen fiat *formaliter* per ipsam, sed necesse esse ponere « aliquam mutationem in corpore Christi acquisitivam illius praesentiae novae, quae tamen non sit propria mutatio localis ». — Plura de hac et de vera sententia S. Bonaventurae occurrunt infra d. 11. p. I. q. 1. — Etiam in hoc recedit Scotus (hic q. 2.) a S. Thoma (S. III. q. 76. a. 4.), B. Alberto (hic a. 1. ad. 2. 6.) et Henr. Gand. (Quodl. 9. q. 32.), quod docet cum suis, non esse impossibile potentiae Dei absolutae facere, ut idem corpus sit in pluribus locis distinctis modo *naturali et dimensivo*, non tantum modo *sacramentali*. Cum Scoto sentiunt Richard. a Med. (hic a. 2. q. 2.) et plurimi recentiores cum Bellarmino et Suarez. Attamen S. Bonav. a parte S. Thomae stare fere communiter asseritur; pro qua assertione afferuntur nonnulli loci, imprimis IV. Sent. d. 49. loc. cit. a. 3. q. 1. ad 5, et quod docet (II. Sent. d. 2. p. II. a. 2; d. 23. a. 2. q. ult.), scilicet Angelos non posse esse simul praesentes in diversis locis. Sed hi loci apte exponi possunt cum restrictione: *secluso miraculo;* econtra alii loci ita generaliter loquuntur et talia principia ponunt, ut P. Barth. de Barberiis (Cursus theolog. p. IV. disp. 8. q. 8, et in suo opere: Flores et fructus philosophici, ex seraphico paradiso excepti, Lugduni 1677, p. II. lib. 4. tr. 1. q. 6.), nec non P. Galitius Min. Cap. (Sum. totius philos. ad mentem S. Bonav., Romae 1635, tom. II. pag. 812 seq.) *probabiliter* oppositam sententiam S. Bonaventurae vindicare potuerint (cfr. I. Sent. d. 37. p. II. dub. 4, d. 42. q. 3. in corp., d. 44. a. 1. q. 1. ad 3; hic q. 4. ad 2, et infra d. 11. p. II. a. 2. q. 2.).

III. De hac et seq. (4.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 6. 7. — Scot., locc. citt. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 76. a. 5. — B. Albert., IV. Sent. d. 13. a. 13. — Petr. a Tar., hic a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 2.

IV. Respectu 5. quaestionis est notandum, quod opinio primo loco posita cum exemplo sumto a speculo fuit Gulielmi Antissiod. (S. p. IV. tr. 5. c. 4.), cui favere videtur B. Albert. (IV. Sent. d. 13. a. 11.). Haec nunc communiter iudicatur erronea vel saltem errori proxima. — Quod ad validam *consecrationem* huius Sacramenti requiratur saltem tanta quantitas, ut remaneat sensibilis et in eo salvetur « species totius », extra controversiam est (cfr. S. Thom., S. III. q. 74. a. 2. ad 1.). — Disputatur autem inter theologos, utrum Christus, cum etiam ante divisionem hostiae in qualibet parte sit totus, actu habeat ibi *unicam* tantum praesentiam, ut vult S. Bonav. (hic ad 2. et infra d. 12. p. I. dub. 4.), an *plures*, quibus ad singulas partes hostiae totus referatur, ut dicunt plures Scotistae. — Mirum est, eximium Suarez (in III. Sum. disput. 52. sect. 2.) carpere S. Bonaventuram, imponendo ipsi et Alexandro Hal. singularem opinionem, « quod ante divisionem sit Christus totus in toto et totus in singulis partibus, quae tantam habent quantitatem, ut, si separentur a toto, posset in eis consecrari substantia panis; in illis vero partibus minimis semel tantum esse Christum, totum in toto et *partem in parte minore minime separabili* ». Sed manifestum est, quod in quaestione *principali* S. Bonav. minime recedat a sententia communi, nec ullibi dicit verba illa ultima a Suarez relata. Quoad *aliam* vero quaestionem (ad 2.), utrum ibi *infinities* sit, negative respondet; quia sub speciebus ita est, sicut fuit substantia panis, praesens tota toto, et tota singulis partibus *unica* praesentia, per se quidem praesens in omnibus partibus capacibus, ut habeant formam panis, in illis autem partibus indivisibilibus, si dantur, praesens tantum, quatenus comprehenduntur in toto (cfr. Richard. a Med., hic a. 6. q. 2, qui negat, in *puncto indivisibili* praecise esse corpus Christi). — Controvertitur etiam, utrum corpus Christi speciebus praesens sit per aliquam *unionem physicam*, ut dicunt Thomistae, vel potius *moralem* (ita Scot., hic. q. 6.), vel *effectivam* (Suarez). Cum autem haec unio sit prorsus singularis, res est exigui momenti.

De hac 5. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 3. § 5. — Scot., hic q. 1. n. 13. — S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 3; S. III. q. 76. a. 3. — B. Albert., loc. cit. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO IV.

Utrum corpus Christi sit dimensive sive circumscriptive sub illis speciebus.

Quarto quaeritur, utrum corpus Christi sit dimensive sub illis speciebus sive circumscriptive. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia omne quod habet extensionem sive dimensionem et ab illa non abstrahitur, si est alicubi, est ibi dimensive[1]; sed corpus Christi sub Sacramento non abstrahitur a dimensione, cum sit organicum ibi et habeat partem extra partem: ergo est ibi dimensive sive circumscriptive.

2. Item, corpus Christi non abstrahitur a suis proprietatibus; sed sicut dicit philosophus in Sex principiis[2]: « Proprium est positionis primo loco

[1] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto*. — *Minor* ostensa est supra q. 2.

[2] Scil. Gilbert. Porret., qui in libro de Sex principiis, c. 6, ait: Magis autem proprium videtur esse positionis, substantiae proxime assistere, omnibus quidem aliis formis suppositis.

adhaerere substantiae », ergo si non abstrahitur ab aliis proprietatibus magis remotis, nec a positione. Sed positio est ordinatio partium in loco: ergo etc.

3. Item, omne corpus, quod est alicubi localiter, est ibi circumscriptive; sed corpus Christi in Sacramento est localiter, quia dicit Innocentius[1], quod « in pluribus locis existit »; sed hoc non est nisi sub Sacramento: ergo etc.

4. Item, omne corpus, quod est alicubi, ita quod nec excedit nec exceditur ab eo, in quo est, non est tantum localiter, sed etiam[2] circumscriptive et dimensive; sed corpus Christi taliter est sub Sacramento: ergo etc.

Contra: 1. *Esse definitive* est superius ad esse *circumscriptive;* sed corpus Christi non est definitive sub Sacramento, ut probatum est[3]: ergo etc. (Fundamenta.)

2. Item, omne quod est dimensive alicubi, aequatur illi, in quo est: ergo si dimensive est, aequatur hostiae; scindatur ergo hostia, et tunc similiter aequabitur parti: ergo unum et idem est aequale parti et toti; quod quidem Deus non potest facere, quia tunc idem esset maius et minus se ipso, et duo contradictorie opposita simul vera, et bicubitum aequale monocubito[4].

3. Item, omne quod est in aliquo conterminative, si sit dimensive, necesse est esse configurative; hoc patet: ergo cum corpus Christi sit ibi conterminative, quia nec excedit nec exceditur; si est dimensive, est eiusdem figurae: ergo orbicularis et subtilis.

4. Item, omne quod est alicubi inseparabiliter, si est ibi dimensive, movetur ad motum eius, in quo est, sive transferatur, sive transvertatur; sed corpus Christi est in hostia inseparabiliter: ergo si est ibi dimensive, sicut hostia vertitur, ita et corpus, et ita habebit aliquando caput superius, aliquando pedes. — Si ad haec omnia respondeas *per miraculum*, quia illud esset verum, si esset per naturam; hoc non solvit: quia per miraculum nunquam separatur definitio a definito; sed istae rationes procedunt non secundum accidentales proprietates, sed per proprias rationes sive definitiones.

CONCLUSIO.

Corpus Christi, habens suam propriam dimensionem, non dimensionem hostiae, non est in ea dimensive.

Respondeo: Dicendum, quod illud dicitur esse *dimensive* alicubi, quod ita est in illo, quod totum in toto et pars in parte secundum commensurationem; et huiusmodi non debuit esse corpus Christi sub Sacramento, quia tunc necessarium esset illi aequari et configurari, sicut probant rationes praedictae. Sed hoc non congruebat veritati Sacramenti, quia, sicut supra[5] probatum est, ad veritatem Sacramenti requiritur, quod sit ibi in *quantitate sua;* et si aequaretur hostiae, non esset ibi in sua quantitate, sed conformaretur non in sua figura; et ideo hoc non debuit fieri, sed debuit fieri, ut corpus habens suam perfectionem esset in illa hostia; et ita habens *suam dimensionem,* non esset *ibi dimensive.* — Concedendae ergo sunt rationes ad hoc inductae. (Definitio.) (Conclusio.)

1. Ad illud quod obiicitur, quod habet dimensionem est dimensive; dicendum, quod hoc verum est, si sit ibi sicut locatum in loco; sed non est ibi sic, sed tanquam significatum contentum in signo[6]; et quia eodem modo significatur in parva hostia ut in magna, eodem modo continetur. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod non abstrahitur a proprietatibus; dicendum, quod proprietates corporis Christi sunt duplices: quaedam *absolutae,* ut esse bicubitum et talis figurae; quaedam *relatae,* ut videri et tangi et tantum locum occupare. Ab *absolutis* non abstrahitur, sed a *comparatis* abstrahitur, tum propter veritatem Sacramenti, qua oportet, ut magnum corpus sit in parva specie, tum propter utilitatem fidei, qua oportet occultari[7]. Secundum hoc sciendum, quod *positio* est ordinatio partium in *toto,* et ab hac non abstrahitur — de hac loquitur philosophus — et partium in *loco,* et ab hac abstrahitur propter Sacramenti veritatem. (Distinctio proprietatum.) (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi localiter; dicendum, quod aliquid dicitur *esse localiter,* aut quia est secundum *corporalem praesentiam,* aut quia secundum *commensurationem corpori debitam.* Primo modo est ibi localiter, secundo modo non, immo tantum in caelo; unde Innocentius[8] distinguit *esse localiter* contra *esse sacramentaliter.* (Localiter sumitur dupliciter.)

4. Ad illud quod obiicitur, quod conterminative est ibi; dicendum, quod *esse conterminative* dicitur dupliciter: uno modo *privative,* quia nec excedit nec exceditur; et sic ex hoc non sequitur esse dimensive; alio modo *positive,* quia primum respondet primo, et postremum postremo, et medium medio, et quod sic est, est ibi dimensive. Sed sic non est ibi corpus Christi; et ideo non est ibi dimensive sive circumscriptive, quamvis nec excedat nec excedatur, quia medium medio non respondet[9]. (Item conterminative.)

---

[1] Vide supra pag. 221, nota 3. — De *maiori* cfr. Gilbert. Porret., loc cit. c. 5. de *Ubi.*

[2] Vat. addit *conterminative, et per consequens.* Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 33. seqq. (c. 4.).

[3] Quaest. praeced. — Cfr. Petr. Pictaviensis, V. Sent. c. 12. — Pro *non est* codd. H K P Q *non potest esse.*

[4] Sive illi quod est unius [μόνος] cubiti. — Cfr. I. Sent. d. 42. q. 3, ubi de potentia Dei respectu impossibilium.

[5] Quaest. 2.

[6] Cfr. supra lit. Magistri, d. VIII. c. 7, et Comment. p. I. a. 2. q. 1.

[7] Vide supra q. 1. et infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2. — Gilbert. Porret., qui hic *philosophus* vocatur, in libro de Sex principiis, c. 6, positionem ita definit: Positio est quaedam partium situs et generationis ordinatio, secundum quam dicuntur stantia vel sedentia, vel aspera vel lenia, vel quomodolibet aliter disposita; *sedere* autem et *iacere* positiones non sunt, sed denominative ab his dicta sunt. Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto.* — Inferius post *positio est* codd. H L bene addunt *duplex, scilicet.*

[8] Vide supra pag. 221, nota 3.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO V.

Utrum corpus Christi sit in qualibet parte hostiae.

Quinto quaeritur, utrum corpus Christi sit in qualibet parte hostiae. Et quod sic, videtur:

1. Quia ita dicit Hilarius, et habetur de Con-
Fundamenta. secratione [1]: « Ubi pars est, ibi totum »: ergo cum in qualibet parte hostiae sit aliquid de Christo ponere: ergo in qualibet parte est totum ponere.

2. Item, signemus unam partem aeque magnam; impossibile videtur, quod sit ibi pes, sicut quod sit totum corpus: ergo cum maioris nobilitatis sit totum continere quam partem, et non sit maius impossibile; videtur, quod hoc sit tenendum.

3. Item, constat, quod post fractionem est totus Christus in singulis partibus, in quotcumque fiat partitio; sed per fractionem nihil novum ibi efficitur: ergo ante fractionem erat totum in qualibet parte [2]. *Si dicas,* quod hoc est *ex consequenti,* sicut in speculo; non valet, quia in speculo generatur species in singulis partibus ab obiecto; sed ibi non est aliquid amplius bis faciens corpus Christi de novo venire, quia verba longo tempore sunt ante dicta: ergo *semper* est ibi tantum.

4. Item, corpus Christi sub Sacramento sublimatur ad excellentiorem modum essendi quam spiritus — spiritus enim tantum in uno loco est, sed corpus Christi praesens est pluribus [3] — ergo si spiritus est ita in toto, quod in qualibet parte, multo fortius corpus Christi.

5. Item, in conversione panis est totum homogeneum, ergo quaelibet pars habet rationem totius: ergo cum non sit maior ratio, quare *ista* pars convertatur in hanc partem quam illa [4], qua ratione in unam, et in omnes: ergo si quaelibet pars in totum, patet etc.

6. Item, hoc ipsum ostenditur per *impossibile.* Signemus aliquam partem hostiae [5], aut ibi est *totum,* aut *pars.* Si *totum,* habeo propositum; si *pars,* tunc dividatur hostia; hic aut est *pars,* aut est *totum.* Si *pars,* ergo Christus est divisus; si *totum,* et prius non erat: ergo plus continet haec *pars* hostiae quam prius: ergo de necessitate aliquid est ibi conversum in partes, quod prius non fuerat; et ulterius, locus est mutatus, quia pars illa cessit aliis partibus, quae de novo esse ibi incipiunt.

7. Item, esto quod fieret consecratio in pane, qui esset maioris quantitatis quam corpus Christi; tunc vel aliqua *pars* hostiae esset *vacua* a continentia corporis Christi, aut *corpus* Christi est ibi *maius,* quam sit per naturam, aut est in *qualibet parte.* Sed primum est contra perfectionem Sacramenti [6]; secundum contra perfectionem corporis Christi: ergo tertium est ponendum.

Sed contra: 1. Si ubi pars, ibi totum [7]: ergo Ad oppositum. ubi una pars, ibi quaelibet: ergo pars non est a parte distincta: ergo corpus Christi est ibi confusum.

2. Item, si totum est in qualibet parte: ergo cum possibile sit, hostiam dividi in infinitum, videtur, quod corpus Christi erit ibi infinities.

3. Item, tantundem facit, si est in toto totum, quantum si est in qualibet parte totum: ergo ponere, quod sit in qualibet parte [8], est ponere superfluitatem.

4. Item, ad hoc Sacramentum concurrit verbum et elementum et intentio [9]; sed intentio ministri est, quod sub totali specie totus sit Christus, nec fertur intentio eius super partes, quia partes sunt innumerabiles: ergo in illis non est totus.

CONCLUSIO.

Corpus Christi ita est in toto, ut sit totum in qualibet parte, in qua salvatur species totius.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est hic positio.

Aliquorum enim positio est, quod sub totali Opinio 1. specie sit totum corpus, ita quod sub nulla parte totum ante fractionem, sed post fractionem est in qualibet parte totum; et hoc dicunt venire non a *virtute convertendi,* quia hoc non est per conversionem, sed per *inseparabilem unionem.* Sicut enim ubi corpus, ibi anima Christi propter coniunctionem;

---

[1] Can. *Ubi pars est* corporis, est et totum (78.), d. 2. Auctor huius canonis est Hilarius papa (461-467.). Edd. addunt *corporis* post *pars,* nec non *et* post *ibi.*

[2] Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro altaris Mysterio, c. 8, ubi etiam impugnat exemplum de *speculo.* Exemplum ipsum ab Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 3. § 5, et a S. Thom., hic a. 3. quaestiunc. 3, attribuitur August., qui ipso, ut notat S. Thom., utitur « in quodam sermone de verbis Evangelii »; forsan in illo, de quo supra pag. 219, nota 4, et qui in operibus Augustini non invenitur. — Mox post *sicut* cod. X addit *species.* Inferius pro *bis* codd. M Q *vis,* Vat. *his.* In fine arg. post *tantum* (intellige: semper, i. e. ante fractionem, quantum post fractionem), pro quo edd. *totum,* cod. O addit *semel.*

[3] Vide supra q. 3. — Quod anima sit ita in toto corpore, quod in qualibet parte, ostensum est I. Sent. d. 8. p. II. q. 3, et de Angelis II. Sent. d. 2. p. II. a. 2. q. 1.

[4] Ita plurimi codd.; edd. etiam recte *quam in illam.*

[5] Plurimi codd. *partem esse ibi.* — Inferius respicitur I. Cor. 1, 13: Divisus est Christus?

[6] Vide supra q. 1. et infra d. 11. p. I. q. 1. seq.

[7] Respiciuntur verba Hilarii in 1. fundam. posita.

[8] Cod. L supplet *totum.*

[9] Vide supra d. 6. p. II. a. 2. q. 1.

sic, cum haec pars hostiae[1] contineat aliquam partem corporis et inseparabiliter; rursus, illa pars non possit dividi ab aliis — quia corpus incorruptibile — propter coniunctionem; qui separat partem hostiae ab hostia totum trahit secum. — Et ponunt exemplum in speculo: quia imago habet *esse* spirituale, quod non potest dividi, et in altera parte speculi remanet pars imaginis, similiter et tota. Simile etiam dicunt in anima sensibili[2], quae nata est esse in corpore anuloso propter consimilem rationem in partibus et toto; unde quando dividitur pars a toto, remanet in ea tota anima. Sic suo modo in proposito. Unde quia non est ponendum in hoc Sacramento, nisi quod necesse est; et ratio cogit, post fractionem esse in partibus divisis hostiae, ante fractionem autem ponere esse in omnibus partibus non cogit: nolunt amplius ponere.

Exempla.

Aliorum opinio est, quod corpus Christi ita est in toto, quod in qualibet parte, in qua salvatur species totius[3]. Et hoc quidem ponunt non propter *necessitatem*, sed propter *rationem inducentem* et in *conversione* et in *fractione*. In *conversione*, quia, cum totum sit homogeneum, non est maior ratio, quare magis una pars in unam partem quam in totum convertatur; ex quo non requiritur determinata pars. Unde Innocentius[4]: « Ego sane concesserim, quod totalis panis in totale corpus convertitur, ita tamen, quod nulla pars panis in aliquam partem corporis transit ». — In *fractione* similiter videmus, quod qua ratione *post* in qualibet parte totus, eadem ratione similiter et *ante*. Unde Innocentius: « Reor, salva fide Maiestatis, quod ubi est panis consecratus, totum in singulis partibus continetur; quod inde coniicio, quoniam in quotcumque partes species dividantur, in singulis est totus Christus ».

Opinio 2. Ratio 1. Ratio 2.

Et haec positio est probabilior, et huic magis consentio, quia facit ad *veritatem Sacramenti* et *utilitatem fidei*: ad *veritatem*[5], quia Christus ibi continetur ut signatum in signo, et quia ratio signandi uniformiter est in partibus et in toto; ad *veritatem Sacramenti* spectat, quod uniformiter sit in partibus et in toto. — Ad *utilitatem fidei* facit, quia phantastica imaginatio multum impedit nos ab elevatione ad contemplandum credenda. Sed si corpus Christi ponatur ibi, ita quod pars in parte, et totum in toto; non est omnimoda abstractio ab imaginatione[6]. Sed quando ita ponitur, quod totus sub qualibet parte, hoc nullatenus cadit sub imaginatione. Unde multum sublevatur homo ad puritatem intelligentiae.

Conclusio. Ratio 1. Ratio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod ibi est confusio; dicendum, quod non est: quia, etsi partes non distinguantur secundum positionem in *loco*, distinguuntur tamen secundum positionem in *toto*; et ideo non est ibi confusio, quia est ibi positio, quae est ordinatio partium in *toto*[7].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod infinities esset; dicendum, quod quamvis anima sit in qualibet parte corporis, tamen semel est, quia unum est corpus; similiter in una hostia, quamvis in omnibus partibus[8], est ibi tamen semel; nec hostia est divisibilis in partes infinitas, ita quod ratio *totius*, scilicet panis, vel *proprietatis consequentis* salvetur, quia in divisione continui est status naturalis, quantum ad partes secundum formam[9].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de superfluitate, patet responsio ex iam dictis. Quod enim corpus Christi sit in singulis partibus, hoc facit ad *Sacramenti veritatem* et facit ad *fidei utilitatem* in promovendo ipsum intellectum, et ideo non superfluit.

4. Ad illud quod obiicitur de intentione, dicendum, quod non oportet, quod specialiter et discrete feratur intentio ministri super omnes partes, sed quia omnes partes habent rationem totius, sufficit, quod super totum; et sic in qualibet parte[10] quod in toto[11].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Augustinus: *Sacramentum Ecclesiae duobus constare* etc. Videtur enim male dicere, quia ex corpore Christi et signo visibili nihil fit unum.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis non fiat

---

[1] Ex codd. H L (F P Q bb a secunda manu) supplevimus *hostiae*. Inferius pro *qui separat*, quod habent codd. H M O P Q T X aa, alii codd. et edd. *quia separat*.

[2] De hoc exemplo cfr. Aristot., I. de Anima, text. 68. et 93. (c. 4. seq.); II. text. 20. (c. 2.), et VII. Metaph. text. 56. (VI. c. 16.).

[3] Sive forma totius; quaelibet enim pars panis est panis.

[4] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 8. — Ibid. habetur etiam seq. textus: Reor autem, salva *fidei maiestate*, quod ubi panis est consecratus, sub tota specie totum corpus existit. Sicut enim miraculose tam magnum corpus sub tam parva forma concluditur, ita miraculose totum corpus in singulis... sub singulis partibus totus est Christus.

[5] In cod. bb secunda manus addidit *Sacramenti spectat*.

[6] Cod. aa subiungit *quia imaginationem turbare posset homo quaerendo, ubi pes, ubi manus* etc.

[7] Cfr. quaest. praeced. ad 2.

[8] Codd. L P Q supplent *sit*.

[9] Aliis verbis: quia licet continuum *mathematice* sive secundum meram quantitatem acceptum sit divisibile in infinitum (cfr. I. Sent. d. 43. q. 3. arg. 6. ad oppos.), tamen in quantum est corpus *naturale* i. e. constans ex materia et forma, non est divisibile in infinitum, quia forma naturalis requirit determinatam quantitatem, qua destructa, et ipsa destruitur. Cfr. Aristot., I. Phys. text. 36. seqq. (c. 4.); VI. text. 91. (c. 10.), et II. de Anima, text. 41. (c. 4.).

[10] Cod. aa subiungit *est*.

[11] Vide scholion ad 3. quaestionem.

unum per essentiam, fit tamen unum Sacramentum, quia Sacramentum non dicit aliquid *absolutum*, sed magis *ad aliquid* [1]. Unde dicuntur facere unum Sacramentum, non quia fiant *unum*, sed quia *ad unum*.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sicut persona Christi constat et conficitur ex Deo et homine.* Videtur enim *improprie* loqui, quia persona Christi est simplicissima: ergo non habet compositionem aliquam [2]. — Item, nulla videtur *similitudo,* quia est unio in persona et unio omnino sempiterna et inseparabilis; haec autem ad modicum tempus est.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod *similitudo* attenditur quantum ad duo: et quantum ad *ea quae* dicuntur componi, et etiam quantum ad *modum* compositi. Quantum ad *eà quae* dicuntur componi, quia, sicut est ibi aliquid spirituale et invisibile, ut divina natura, et aliquid corporale et visibile; sic et in proposito. Quantum ad *modum* compositi [3], quia, sicut divina natura et humana dicuntur componi, non quia ex eis constet *unum,* sed quia uniuntur *in uno,* scilicet in una persona Christi; sic in proposito dicuntur componi, quia ad unum.

Quod ergo obiicit de compositione, dicendum, quod *large* dictum est, personam Christi constare et confici duobus [4], quia illas duas naturas in se habet. Unde dicitur *composita,* quia cum alio posita, non ex aliis confecta. — Quod obiicitur de inseparabilitate, dicendum, quod quantum ad hoc non attenditur similitudo [5].

Dub. III.

Item quaeritur ulterius de hoc quod dicit: *Conficitur Sacramentum Ecclesiae duobus,* cum illud Sacramentum dicatur constare ex carne et sanguine, et ex specie vini et panis, similiter ex specie et vero corpore; quaeritur: quomodo differenter? — Item, Quaestio. cum conficitur ex *Sacramento et re* [6]; quaeritur, quomodo se habeant per modum partium: aut enim sunt partes *subiectivae,* aut *integrales.* Non *subiectivae,* quia ex eis non constaret. Si *integrales;* sed pars integralis non recipit denominationem totius: ergo Sacramentum non habet confici ex Sacramento et re.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum novae legis duo habet, scilicet quod est *figura* et *causa* [7]. Quoniam ergo illud Sacramentum habet rationem *significandi* a specie exteriori, sed rationem *dandi gratiam* a carne Christi vera; ideo signanter dicit Augustinus [8], quod Sacramentum Ecclesiae duobus conficitur, scilicet *Sacramento,* id est signo, cui appropriat rationem Sacramenti propter significationem, et *re Sacramenti,* quae efficit. Duo in Sacramento.

Et per hoc patet illud, quod quaeritur: quia aliter sunt partes species duae [9], scilicet panis et vinum, quam species cum re, quia solum quantum ad alterum, scilicet quantum ad rationem significandi completam, sicut tactum est supra. Ad quaest.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Caro carnis et sanguis Sacramentum est sanguinis.* Videtur enim male dicere, quia nihil idem est signum sui ipsius. *Si tu dicas mihi,* quod idem sub diversis statibus potest esse signum et signatum, ut caro, prout est sub Sacramento, sit signum sui, prout est in caelo, quod videtur dicere littera sequens [10]; *contra:* signum debet esse notius sensibus, quam signatum; sed caro, prout est sub Sacramento, est invisibilis et impalpabilis, in caelo visibilis et palpabilis: ergo non est signum eius. *Si tu dicas,* sicut dicit Magister [11], quod caro accipitur pro signo carnis, scilicet pane; *contra:* species panis est visibilis et palpabilis; sed Augustinus dicit, quod carne invisibili significatur caro visibilis.

Respondeo: Dicendum, quod tropologicus est sermo, nec tantum uno tropo, sed duplici, quia quod est *signi* attribuitur signato, et quod est *signati* attribuitur signo. Species enim panis est signum, quoniam est visibilis; sed caro interius contenta est signatum, quia est invisibilis [12]. Dicere ergo, quod caro invisibilis signat, hoc est dicere, quod species panis, quae est signum carnis invisibilis, signat corpus Christi visibile et palpabile; et illa species panis est caro invisibilis, non quia non videatur, sed

---

[1] Verbis *ad aliquid* (πρός τι) utitur Aristot., de Praedicam. c. *De his quae ad aliquid,* et V. Metaph. text. 20. (IV. c. 15.), ad designanda *relativa.* — Cfr. de hoc dub. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 2; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[2] Vide III. Sent. d. 6. a. 1. q. 2. — Ibid. a. 2. q. 1. seqq. insinuatur ratio seq. — Mox post *quia* codd. F H I addunt *ibi.*

[3] Codd. omittunt *compositi.*

[4] Ex cod. H supplevimus *duobus.*

[5] De eodem dubio Petr. a Tar., hic circa lit.

[6] Ut habetur hic in lit. Magistri, c. 1. — De partibus *subiectivis* etc. cfr. tom. II. pag. 598, nota 9. — Paulo superius pro *differenter* edd. *differunt,* pauci codd. *differentur.*

[7] Nam, ut supra lit. Magistri, d. IV. c. 1, ex August. dicitur, « Sacramenta... efficiunt quod figurant ». Cfr. etiam supra d. 1. p. I. q. 4. seq. — Edd. *quod est signum et res.*

[8] Hic in lit. Magistri, c. 1, ex quo textus huius dubii sumtus est, ubi pro *Sacramentum* habetur *sacrificium.* — Inferius pro *et re* edd. cum pluribus codd. *et rem.*

[9] Pro *duae* edd. *sine re.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 4.

[10] Hic in lit. Magistri, c. 1. in verbis Augustino attributis: Carne et sanguine, utroque invisibili... significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina Maiestate. — De seq. propos. cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 3. et d. VIII. c. 6.

[11] Hic in lit. c. 1. in fine. — Verba August. vide in nota praeced.

[12] Edd. addunt *gratiae,* omisso subinde *dicere.*

quia contentum eius, quod est caro, est invisibile et intelligibile eatenus, qua ibidem continetur; quasi vellet Augustinus dicere: caro Christi visibilis et palpabilis signatur et continetur a specie panis invisibiliter et intelligibiliter [1].

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Significatur corpus Christi, quod est visibile et palpabile in sua forma.* Videtur enim male dicere, quia Gregorius in homilia paschae [2]: « Quod palpari potest corrumpi necesse est »: ergo si corpus Christi est incorruptibile, est impalpabile.

RESPONDEO: Dicendum, quod Gregorius intelligit de palpabilitate secundum tactum corporis non glorificati, et de palpabilitate, qua aliquid dicitur palpabile [3] ex necessitate, non potestate, quo modo est palpabile corpus Christi glorificatum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM X.

PARS II.

Veritas fidei, quod corpus Christi vere est in altari, confirmatur.

Satis responsum est haereticis et obiectionibus eorum etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 215.

DIVISIO TEXTUS.

Supra reprobavit Magister errorem ponentium, corpus Christi non esse vere in altari, et hoc respondendo eorum sophisticis obiectionibus; in parte ista veritatem fidei confirmat, multiplici auctoritate ostendens, quod corpus Christi vere est in altari, et simul cum hoc ostendens, qua virtute sit ibi. Et habet haec pars tres partes. In prima resumit errorem superius positum cum sua ratione, ut ipsum infringat veritatis ostensione. In secunda manifestando veritatem convincit errorem, ibi: *Haec et his similia obiiciunt* etc. In tertia concludit veritatem iam probatam, ibi: *Ex his aliisque constat* etc.

Prima parte et ultima remanentibus indivisis, media dividitur in duas. In prima ostendit duplici auctoritate, quod corpus Christi vere potest esse in altari. In secunda vero ostendit, quod non solum potest esse, immo vere est post consecrationem, ibi: *Item ante benedictionem alia species nominatur*. Et utraeque auctoritates habent secum rationes coniunctas. Nam primae duae dicunt, quod virtus Verbi, quae potuit creare [4], et virtus Spiritus sancti, quae potuit in utero Virginis mirabiliter et praeter ordinem naturae corpus Christi formare, potest similiter, immo multo fortius, substantias in id quod iam erat, mutare. Similiter duae sequentes dicunt, quod panis convertatur in verum corpus [5], et ibi sit corpus, ubi erat panis. Hoc fit secreta potestate et virtute Spiritus sancti.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de Sacramento eucharistiae per comparationem ad virtutem transsubstantiantem.

Secundo, per comparationem ad virtutem apprehendentem.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur de virtute transsubstantiandi per comparationem ad virtutem creandi.

Secundo, per comparationem ad virtutem concipiendi.

Tertio, per comparationem ad verbum.

Quarto, per comparationem ad elementum.

---

[1] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 5; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Libr. II. homil. in Evang. homil. 26. n. 1: Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur.

[3] Ita codd. GH, edd. *palpari*, plures codd. *palpare*. — Cfr. de hoc dubio infra d. 49. p. II. art. princ. 2. a. 3. q. 2; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Edd. omittunt *quae potuit creare*.

[5] Cod. B supplet *Christi*.

ARTICULUS I.

De eucharistia respectu virtutis transsubstantiantis.

QUAESTIO I.

Utrum aequalis, vel maioris virtutis sit panem in corpus Christi convertere, quantae est aliquid de novo creare.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum aequalis virtutis, vel maioris sit panem in corpus Christi convertere, quantae est aliquid de novo creare. Et quod non sit aequalis virtutis, videtur:

Fundamenta. 1. Per verbum Ambrosii, quoniam Ambrosius[1] arguit sic: « Si sermo Christi potuit facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare quod non erant »? quasi dicat: potest; sed ista ratio nihil valeret, nisi illud esset maioris potentiae: ergo potentia creandi est maioris potentiae quam transsubstantiandi.

2. Item, *ratione* videtur, quia ubi est maior distantia, ibi maior virtus reducens; sed inter ens et non-ens est maior distantia, quam inter ens et ens: ergo maior est virtus in creatione, in qua de nonente fit ens[2].

3. Item, maior est virtus, quae agit paucioribus mediis et auxiliis; sed virtus, quae producit ex nihilo, sibi sola sufficit, quae vero ex aliquo, aliam rationem[3] praesupponit: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. « Maius est de impio facere pium quam creare caelum et terram[4] »; sed transsubstantiatio panis in corpus Christi multo maior est quam impium iustificare: ergo illud maioris virtutis est quam creare.

2. Item, illud est impossibilius, quod mens bene disposita difficilius iudicat; sed omnis mens facilius credit, aliquid de novo fieri, quam aliquid in aliud transmutari sine illius augmento et aliqua mutatione[5]: ergo illud difficilius.

3. Item, ubicumque est finita distantia inter extrema, aliquid manet commune; sed in transsubstantiatione nihil commune manet[6]: ergo inter extrema est distantia infinita; et si hoc, transsubstantiatio talis est a virtute infinita, et sic non est maioris potentiae illud quam istud.

4. Item, maioris potentiae est facere, quod unum sit in pluribus locis, quam quod unum sit; sed haec virtus, quae facit, corpus Christi esse in altari, facit, ipsum in pluribus locis esse[7]: ergo istud est maioris virtutis.

CONCLUSIO.

Maius est quoad effectum creare quam transsubstantiare; sed quatenus corpus Christi superexcellit omnem creaturam, prout est cum anima et Divinitate, effectus transsubstantiationis excellit omnem rei alterius creationem.

Respondeo: Dicendum, quod si loquamur de virtute creante et transsubstantiante, quae maior sit quantum *ad se*, non est differentia, quia una est, Conclusio 1. nec intensa nec remissa[8]. — Si autem quantum *ad effectum*, quis sit indicativus maioris potentiae, sive magis declarativus potentiae divinae; dicendum, quod in qualibet harum operationum est considerare Tria consideranda. *principium initiale, distantiam mediam* et *terminum finalem.* Quantum ad *principium initiale* maioris virtutis est attestativum *creare* quam *transsubstantiare,* quia ibi ex nihilo, hic operatur in aliquid[9]. Conclusio 2. — Quantum vero ad *distantiam mediam,* est aequalis virtutis, quia utrobique nihil commune reperitur, nec manet secundum *genus subiectum,* licet secundum *genus praedicabile* in altero[10]. Conclusio 3. — Quantum vero ad *terminum finalem,* quia ibi in crea- Conclusio 4. tione fit, ut quod *non erat* sit, in transsubstantia-

---

[1] De Mysteriis, c. 9. n. 52. Cfr. IV. de Sacram. c. 4. n. 15. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — Superius pro *quantae est* cod. L *quam est.*

[2] Cfr. tom. I. pag. 767, nota 2.

[3] Codd. H N Y *causam,* scil. materiam, Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 6: *aliquam* [quod habent etiam codd. H aa] *rem praesupponit; unde indiget aliquo: ergo* etc.

[4] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 72. n. 3.

[5] B. Albert., hic a. 8, hoc probat ex eo, quod philosophi creationem deprehenderunt, non autem transsubstantiationem. Cfr. S. Thom., hic d. 11. q. 1. a. 3. quaestiunc. 3. arg. 1. ad oppos.

[6] Ut ostenditur infra d. 11. p. I. q. 2. — Finem arg. cod. L exhibet sic: *potentiae hoc* [scil. transsubstantiatio] *quam illud* [creatio] etc., permulti codd. *potentiae quam illud.* Cod. Z addit *et sic etc.,* cod. bb *ergo etc.*

[7] Cfr. supra p. I. q. 1. seqq. — Superius post *quam quod unum sit* cod. X addit *in uno.*

[8] Quia est divina. — Post *una est* in cod. H additur *numero.*

[9] Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 7: Certe maius est *creare* quod non est, quam *mutare* quod est; ac longe maius, quod non est de nihilo procreare, quam quod est in aliud transmutare. — Edd. subiungunt *et ex aliquo.*

[10] Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 6. hoc declarat his verbis: In hac transmutatione non remanet aliquid commune, quod est sustentans [i. e. materia] ipsam transmutationem... Si dicatur, quod ibi est *corpus* commune. Hoc verum

tione fit, ut *quod erat* alicubi sine sui mutatione sit alibi, illud quidem est maius, sed hoc rarius [1]; et illud maius *est*, sed istud maius *videtur*. Quantum ergo ad terminum finalem maius *est* creare, sed maius *videtur* transsubstantiare.

Ad fundam. Rationes igitur primae verae sunt, quia maior effectus est creare et quantum ad terminum finalem et quantum ad principium initiale. In hoc tamen, quod corpus Christi superexcellit omnem creaturam, prout est cum anima et Divinitate; et transsubstantiatio facit, ut illud corpus sit in altari, non de alio: ideo excellit omnem *alterius* rei creationem, non tamen *sui* formationem, sicut videbitur [2]. Conclusio 5.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod maius est de impio facere pium etc.; dicendum, quod illud dicitur maius, salvo libero arbitrio, quia hic ex parte liberi arbitrii est resistentia, ibi [3] nulla; non sic in proposito.

2. Ad illud quod obiicitur de iudicio mentis dispositae, dicendum, quod faciliora iudicat usitatiora et quae magis apparent, quamvis maiora [4] sint; unde non valet.

3. Ad illud quod obiicitur de distantia, dicendum, quod hoc concedendum est quantum ad hoc, quod nihil commune remanet, sed non quantum ad distantiam in ratione *generis praedicabilis* [5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod maius est facere, quod in pluribus locis etc.; dicendum, quod cum aliquid non-ens fit, aut *est in potentia*, ut sit, aut *nullo modo*. Si aliquo modo *est in potentia*, ut sit; tunc bene concedendum est, quod maius est facere, quod in pluribus locis sit, quam quod sit, quia est in potentia ad *esse*, non ad *plura loca* simul. Sed quando *nullo modo est in potentia*, ut sit, et congruitatem habet ad hoc, ut in pluribus locis sit, primum est maius; et sic in proposito, quia illud quod creatur, nullam habet potentiam nec ordinationem ad hoc, ut sit. Sed corpus Christi iam conditum et perfectum idoneitatem habet ad hoc, ut sit in pluribus locis sub Sacramento [6]. Distinctio. Notandum.

SCHOLION.

I. De 1. et 2. quaestione alii Lombardi commentatores breviter et concorditer agunt (in seq. dist.) unica quaestione; sed diffusius Alex Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 2. § 6. Cfr. S. Thom., d. 11. q. 1. a. 3. quaestiunc. 3; S. III. q. 75. a. 8. ad 3. — — B. Albert., d. 11. a. 4. — Petr. a Tar., d. 11. q. 1. a. 5. — Richard. a Med., d. 11. a. 1. q. 6. — Dionys. Carth., d. 11. q. 2. circa med.

II. In 3. quaestione redeunt eaedem controversiae et eadem principia, de quibus actum est supra d. 1. p. 1. a. 1. q. 3. 4. (cfr. ibi scholion) et d. 5. a. 3. q. 1. Cfr. etiam infra d. 13. a. 1. q. 3.

De eadem quaestione hic non agunt explicite nisi Alex. Hal., loc. cit. § 6, et B. Albert., hic a. 7. 8.

III. Circa solutionem 4. quaestionis opinio media, quam cum S. Bonav. ut probabiliorem tenuerunt Alex. Hal., et Petr. a Tar., nunc est obsoleta. Communiter enim recepta est sententia S. Thomae, quod quaecumque maxima materia, dummodo consecranti sit *moraliter praesens*, possit consecrari *valide*, quamvis non licite. Nam « quantitas materiae huius Sacramenti determinatur per comparationem ad usum fidelium; sed non ad usum fidelium, *qui nunc occurrunt*... (sed) *absolute*. Numerus autem fidelium est indeterminatus; unde non potest dici, quod quantitas materiae huius Sacramenti sit determinata » (S. Thom., S. III. q. 74. a. 2; cfr. IV. Sent. d. 11. q. 2. a. 1. quaestiunc. 3.).

De eadem quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., loc. cit. § 6, *Consequenter quaeritur*. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1. — Durand., IV. Sent. d. 11. q. 6. — Dionys. Carth., hic q. 6.

QUAESTIO II.

Utrum virtus transsubstantiandi sit nobilior virtute concipiendi Christum.

Secundo quaeritur de virtute transsubstantiandi per comparationem ad virtutem concipiendi. Et quod virtus transsubstantiandi sit nobilior, ostenditur sic.

Ad oppositum. 1. Nobilitas et magnitudo virtutis per actum dignoscitur, et actus per terminum; sed virtus conceptionis in Virgine terminata est ad corpus Christi passibile et mortale, transsubstantiatio autem ad corpus impassibile et immortale, et hoc, prout est in perfecta aetate et substantia et quantitate [7]: ergo etc.

2. Item, quanto illud, ex quo incipit actio, minorem habet dispositionem ad terminum actionis,

---

est eo modo, quo *logicus* sumit commune, non eo modo, quo actio creaturae requirit commune. Cfr. infra d. 11. p. I. q. 2. ad 4. et q. 6. et Aristot., XI. Metaph. c. 8. (X. c. 9.) — Pro *secundum genus subiectum* cod. aa *secundum generis substantiam*.

[1] August., in Ioan. Evang. tr. 24. n. 1: Illud [saturatio quinque millium hominum de quinque panibus] mirantur homines, non quia *maius* est, sed quia *rarum* est. — Mox post *maius est* cod. aa addit *secundum veritatem*, et post *videtur* subiungit *quia rarius quotidie est creatio in rebus, sed non ita consecratio.*

[2] In seq. quaest. — Superius edd. omittunt *non de alio.*

[3] Scil. in creatione caeli et terrae. — Cod. B *ibi nullius*. Cod. K subinde omittit *non*, referendo ultima verba solutionis ad *ibi nulla*.

[4] Ita cod. F a secunda manu et edd.; codd. *minora*.

[5] Sensus est: licet transsubstantiatio et creatio in eo conveniant, quod nihil *commune* in terminis *a quo* et *ad quem* inveniatur, tamen in transsubstantiatione habetur quodammodo terminus *a quo* et *in quem (panis* convertitur in *corpus Christi)*, ratione cuius dici (praedicari) potest *corpus* convertitur *in corpus;* hoc autem non est in creatione. — Pro *praedicabilis* plurimi codd. *principalis.*

[6] Cfr. supra p. I. q. 1. [7] Cfr. supra p. I. q. 1. seq.

tanto virtus reducens est excellentior et virtuosior; sed panis minorem habet dispositionem ad carnem Christi quam caro beatae Virginis: cum igitur virtute transsubstantiationis panis transeat in carnem, et virtute conceptionis caro beatae Virginis facta sit caro Christi; videtur, quod virtus transsubstantians sit dignior et excellentior.

3. Item, quanto virtus magis se diffundit et communicat, tanto potentior et melior, quia « bonum est communicativum sui [1] »; sed virtus transsubstantiandi est communis toti mundo et Christi carnem facit esse, ubicumque fideles sunt; virtus autem concipiendi solum fuit in Virgine et Christum solum in uno loco fecit esse: ergo haec virtus, scilicet transsubstantiandi, est nobilior et excellentior.

Contra: 1. Illa virtus est dignior, quae subiectum suum facit dignius et excellentius; sed virtus concipiendi data Virgini Mariae fecit eam multo digniorem, quam virtus sive potestas consecrandi data sacerdoti vel verbo [2]: ergo virtus concipiendi est excellentior. Fundamenta.

2. Item, opus illud est maius et excellentius, de quo tenetur quis secundum rectam rationem plus laudare Deum et ei regratiari; sed magis tenemur laudare Deum de conceptione gloriosae Virginis, quam de consecratione, quam facit sacerdos in altari: ergo etc.

3. Item, illa virtus est potentior et maior, quae potest in plus; sed beata Virgo unica conceptione concepit illud idem et tantum, quantum omnes sacerdotes omnibus consecrationibus conficiunt a principio mundi usque ad finem; et *praeterea*, novum aliquid, quod non erat, nobis concepit; sed sacerdos non conficit nisi quod erat: ergo virtus conceptionis ad maiorem effectum sive terminum se extendit: ergo nobilior.

CONCLUSIO.

Virtus concipiendi Christi nobilior est virtute transsubstantiandi tum quoad manifestationem divinae potentiae, qua laudatur divina Maiestas, tum quatenus consideratur communicata beatae Virgini.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de utraque harum virtutum: aut prout sunt in suo fonte et *primo principio*, ut dicatur *virtus concipiendi*, quae operata est conceptionem et principaliter et propria auctoritate, et similiter *virtus transsubstantiandi*; et sic non est comparatio secundum maius et minus *in se* [3]; sed si comparentur ad *manifestationem factam per effectus*, iudicandum est, quod se habent sicut excedentia et excessa. Licet enim utrumque sit nobilissimum et ostendat, Dei potentiam esse summam; in illo tamen magis laudatur Maiestas divina, et in hoc captivatur magis ratio nostra [4]. Distinctio. Conclusio 1.

Alio modo possumus loqui de hac duplici virtute, prout dicitur *communicari creaturae*, secundum quod dicitur, quod Virgini data est potestas concipiendi et sacerdoti per verbum potestas conficiendi; et sic loquendo *simpliciter* virtus concipiendi est dignior et excellentior, quia *subiectum* [5] magis nobilitat — maius enim est *esse matrem Dei* quam *esse sacerdotem* — quia etiam *actio* singularior et praeclarior — maius enim est *concipere* quam *conficere* — quia *terminus* actionis plus accipit a concipiente Matre quam a conficiente sacerdote. Accepit enim a Matre humanitatem et *esse*, non tantum *esse hic* vel *esse ibi;* in consecratione vero, sicut melius patebit [6], corpus Christi non incipit esse. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de nobilitate corporis Christi, iam patet responsio. Nam corpus Christi in consecratione non *fit;* quod si fieret, tunc utique bene concederem rationem, sed certe tunc non fit eius *humanitas*, quia facta est in conceptione; non fit *gloria corporis*, quia facta est in resurrectione; non fit *perfecta aetas*, quia triginta annorum spatio est perfecta. Unde argumentum deficit, quia arguit, ac si faceret [7]. Sed per consecrationem nihil novum fit, sed hoc solum fit, ut quod erat in caelo perfectum et gloriosum virtute transsubstantiandi idem sine mutatione sit in altari. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod minor est dispositio; dicendum, quod ex utraque parte erat potentia *obedientiae*. Verumtamen esto, quod minor sit dispositio, tamen virtus data verbo vel sacerdoti non efficit vel reducit ad actum, sicut virtus conceptionis data Virgini [8]; et hoc melius patebit in tertio problemate.

3. Ad illud quod obiicitur de communicatione, quod nobilior est virtus, quae se magis communicat; dicendum, quod hoc verum est, ceteris aliis paribus; sed non sic in proposito. Nam beatissima Virgo Maria tantam habuit divinitus sibi collatam virtutem, quod recte *Mater Domini* dicitur et est verissime [9]; sacerdos autem — nec verbum — nec pater nec mater Christi potest dici, quamvis ad eius ministerium convertatur panis in beatissimum corpus Christi [10]. Notandum.

---

[1] Secundum Dionys.; cfr. supra pag. 188, nota 1.

[2] Vide quaest. seq.

[3] Quia scilicet utraque est ipsa virtus Dei infinita.

[4] Respicitur II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. — Edd. *captivat.*

[5] Cod. Z (E a secunda manu) addit *suum*, plures alii *secundum.* Inferius post *actio* edd. subiungunt *Virginis est gloriosior*, et subinde pro *accipit* substituunt *accepit.*

[6] In solut. ad 1. et d. 11. p. I. q. 1. seqq.

[7] Supple: consecratio praedicta. — Edd. planius *fieret.* Inferius post *sine* [codd. R S T omittunt *sine*] *mutatione* cod. O addit *sui.*

[8] Cfr. III. Sent. d. 4. a. 3. q. 1. seq. — De *potentia obedientiae* cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2.

[9] Ut ostensum est III. Sent. d. 4. a. 3. q. 3.

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum virtus transsubstantiandi sit data verbo prolato, an solum sit virtus Verbi increati.

Tertio quaeritur de virtute transsubstantiationis per comparationem ad verbum; et quaeritur, utrum virtus transsubstantiandi sit data verbo prolato, an solum sit virtus Verbi increati. Et quod verbo prolato, videtur.

Ad oppositum. 1. Ambrosius[1]: «Sermo Christi creaturam mutat»; sed omnis actio, quae est ab aliquo, est mediante virtute, sed haec mediante verbo prolato: ergo etc.

2. Item, Eusebius[2]: «Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbi sui secreta potestate commutat».

3. Item, *ratione* videtur, quia omne adveniens alicui, quod est in sola potestate ad aliquid, et faciens ipsum esse in actu, habet virtutem aliquam[3]; sed verbo adveniente ad elementum, statim transit in corpus Christi: ergo in verbo est aliqua virtus ad hoc.

4. Item, cum non sit virtus in speciebus; si non est virtus in verbo, tunc ergo non est Sacramentum novae legis, cuius est «efficere quod figurat[4]».

5. Item, in omni naturali opere, ubi Deus operatur mediante creatura, data est virtus creaturae, per quam operatur[5]: ergo simili ratione in opere miraculi: ergo si illud operatur per verbum, patet, quod verbo collata est virtus.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus de Verbis Domini[6]: «Sicut de Virgine per Spiritum sanctum Christi caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et vini idem corpus Christi mystice consecratur»; sed illud fit solum virtute increata: ergo et istud.

2. Item, Ambrosius[7]: «Sermo Christi creaturam mutat»; «quis Sermo? Hic, per quem omnia facta sunt»; sed illud Verbum est increatum, non creatum: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur, quia corpus Christi est nobilissimum inter creata; sed potentia transsubstantiandi potest in illud, quia convertit aliud in ipsum; sed nihil potest supra aliud, nisi quod est nobilius[8]; et nihil creatum est ipso nobilius: ergo nulla virtute creata fit: ergo nec virtute verbi prolati.

4. Item, si virtus est data verbo a Christo, aut verbo in *mente*, aut in *scripto*, aut in *prolatione*. Non in *mente* nec in *scripto:* ergo in *prolatione;* sed verbum, quod *Christus* protulit, nunquam potest resumi[9]: ergo dicitur *aliud.* Sed illud nunquam fuit nisi nunc: ergo nec data est ei potestas sive virtus.

5. Item, si datur in prolatione; aut *subito,* aut *successive.* Si *successive,* ergo successive operatur, quod stultum est dicere, ut manifestum est. Non enim dare est, quod una pars *panis* primo transsubstantietur quam alia, cum verbum respiciat aequaliter totum; nec quod una pars *Christi* prius sit ibi quam alia, quia tunc partes corporis Christi glorificati essent separabiles; quod stultum est dicere[10]. Si *subito,* aut in *principio,* aut in *medio,* aut in *fine.* Si in *principio,* et statim cum est, operatur: ergo in principio fit transsubstantiatio: ergo si non compleret verba, factum esset. Similiter de *medio.* Si in *fine;* sed verbum in fine non est: ergo datur non-enti. Item, si in *fine;* constat, quod desinente verbo, desinit et virtus: ergo in eodem instanti virtus incipit et desinit, et est et non est.

6. Item, si datur virtus, aut *toti,* aut *alicui parti.* Si *toti:* ergo aut quaelibet pars habet *totam* virtutem, aut *partem.* Si *totam:* ergo quaelibet pars facit; si *partem* virtutis; cum partes non sint simul, nec erit virtus simul nec operatio simul. Si *alicui parti,* quaero, cui?

7. Item, si Deus dat virtutem verbo in prolatione; tunc, cum verbum prolatum deficiat, videtur similiter, quod illa nobilis virtus statim desinat esse; et inconveniens esset, quod Deus sic tam nobilem virtutem daret, quae statim desinat esse.

---

1 Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 17. Cfr. de Mysteriis, c. 9. n. 52. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

2 Invenitur hoc testimonium in Epist. 38. seu homilia de corpore et sanguine Christi (inter opera Hieronymi), c. 2, quae alias Eusebio Emisseno (cfr. C. *Quia corpus* (35.), de Consecrat. d. 2). attribuebatur, secundum Oudinum autem Fausti Rhegiensis episcopi esse dicitur. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *verbi sui* textus originalis et edd. *verbo suo.*

3 Vide Aristot., IX. Metaph. text. 12. seqq. (VIII. c. 7.). — Superius pro *omne* multi codd. et ed. 1 *esse.*

4 Secundum August. supra in lit. Magistri, d. IV. c. 1, allegatum. Cfr. etiam d. 1. p. I. q. 4. et 5.

5 Cfr. tom. I. pag. 746, nota 6, et tom. II. pag. 198, nota 3.

6 De hac auctoritate, quae C. *Utrum sub figura* (72.), de Consecrat. d. 2, tribuitur Augustino, sed quae est Paschasii Radberti, vide hic lit. Magistri, c. 2.

7 Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 17. et 15. Cfr. de Mysteriis, c. 9. n. 52. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

8 Aristot., III. de Anima, text. 19. (c. 5.): Semper enim honorabilius est agens patiente, et principium materia. Cfr. August., de Immortal. animae, c. 8. n. 14. et IV. de Musica, c. 5. n. 8.

9 Cod. aa subiungit *quia quod semel dictum est, amplius non potest sumi,* et mox omittit *dicitur.* Superius post *Non* codd. H L supplent *verbo.*

10 Cfr. infra d. 11. p. I. q. 5. — De seqq. rationibus vide supra d. 1. p. I. q. 4. circa finem, et III. Sent. d. 40. dub. 3.

8. Item, si corrumpitur, quaero: in quid cedit? aut in *aliquid*, aut in *nihil*. In *aliquid* non, quia non ex aliquo; si in *nihil*, tunc videtur contra communem sententiam et Sanctorum et philosophorum [1], quae est, quod nihil quod corrumpitur, cedat omnino in non-ens.

CONCLUSIO.

Intelligibilior est opinio, quod non sit data verbo aliqua qualitas, quae operetur transsubstantiationem, sed tantum efficax ordinatio ad hoc.

Respondeo: Ad hoc dicendum, quod hic est duplex opinio, sicut tactum est supra distinctione prima [2].

Quidam enim ponunt, quod datur verbis aliqua Opinio 1. *virtus spiritualis*, per quam operantur transsubstantiationem, Deo nihilominus intime operante. Et haec virtus verbi habet *posse* et respicit *panem*; non enim se extendit ad *corpus Christi*. — Et est Exemplum. exemplum: si esset dator formarum, sicut aliqui [3] posuerunt, agens particulare solum operaretur per comparationem ad terminum *a quo*, non *ad quem*. Et datur haec virtus verbo *supra naturam* et *supra intellectum* et datur *subito*, ut dicunt. Sed non oportet, quod *operetur* statim, cum datur, quia operatur secundum nutum dantis. Et est virtus *simplex*, operans *instantanee*; et tamen est in *subiecto composito* et *successivo*, quoniam est ibi supra naturam.

Sed quia difficillimum et non intelligibile videtur, quando illa virtus datur verbo, utrum *tunc* detur, vel *ante* sit data, et *quomodo* et *qualiter datur*, et *quomodo operatur*, si ponatur esse aliqua Opinio. 2. qualitas in verbo; propterea est alia via, quod *virtus verbi* extenso nomine dicitur, non quia aliqua qualitas sit data verbo, per quam operatur, sed ex divina institutione hoc firmatum est, ut, isto verbo prolato a sacerdote super panem cum intentione conficiendi, panis transsubstantietur. Unde ad prolationem illius verbi Verbum increatum facit. Illa ergo *ordinatio* verbi infallibilis ad talem effectum *virtus* dicitur, quae non est aliqua qualitas data verbo nec aliquid de novo creatum.

Et ex hoc patent rationes ad utramque partem, Ad argg. quia primae procedunt de virtute *communiter* dicta, praeter ultimum. Ad quod dicendum, quod non Ad 5. oppos. est simile, quia natura est agens praecipuum [4] et efficiens, sed hic solus Deus est influens.

Rationes ad oppositum patent, quia concedo, Ad 1. 2. fundam. quod sicut rerum creatio est a sola virtute increata, sic et transsubstantiatio. Sed in hoc est hic additio, quia hoc fit ad prolationem verbi creati, illud sine aliquo ministerio.

Aliae rationes omnes patent, quia nihil *absolutum* est verbis datum, sed Christus unica Conclusio. institutione non tantum verbum, quod protulit, sed omne consimile prolatum a sacerdote supra naturam ordinavit, ut statim, ipso prolato, ipse sacerdos invisibilis assistens converteret. Unde nihil datur verbo de novo, quando sacerdos illud pronuntiat. Sed illa institutione primaria efficacem habuit ordinationem ad hoc; propter quod non immerito dicitur *habere virtutem*. — Per hunc etiam modum intelligo, Sa- Notandum. cramenta novae legis esse *causam* et *efficere*, sicut supra [5] determinatum est: non quia gratiam donent, sed quia efficacem ordinationem habent ex divina pactione ad gratiam. Non sic Sacramenta veteris legis, excepta circumcisione [6]. — Habet tamen nihilominus hoc Sacramentum causalitatem ratione *rei contentae*, scilicet carnis Christi, quae ad gratiam disponit. — Et haec positio magnorum est et bene intelligentium [7].

QUAESTIO IV.

Utrum virtus verborum possit convertere quantamcumque materiam.

Quarto quaeritur de virtute transsubstantiante per comparationem ad *elementum*, et quaeritur, utrum virtus verborum possit convertere quantamcumque materiam. Et quod sic, videtur:

1. Quia aeque *difficile* [8] est convertere unam Ad oppositum. hostiam, sicut duas, et ita duas, ut tres, et sic procedendo: ergo pari ratione aeque *facile* est convertere magnam et parvam quantitatem.

---

[1] August., II. de Moribus Manichaeor. c. 6. n. 8. seq.; Damasc., Dialectica, c. 61, et III. de Fide orthod. c. 28; Aristot., I. Phys. text. 82. (c. 9.), V. text. 7. seq. (c. 1.); I. de Caelo et mundo, text. 20. (c. 3.), et I. de Generat. et corrupt. text. 17. (c. 3.). — Inferius pro *cedat* codd. F G et ed. 1 *cedit*, codd. A E K L V Z aa *secedit*.

[2] Part. I. quaest. 4. Cfr. d. 3. p. II. a. 1. q. 2. et infra d. 13. a. 1. q. 3. — Inferius pro *non enim* cod. II (bb a secunda manu) *non autem*.

[3] Ut Avicenna; cfr. supra pag. 42, nota 4. — Verbis *esset dator* edd. praemittunt *Deus*.

[4] Codd. *praecipuus*. Inferius post *patent* codd. B M Q (bb a secunda manu) addunt *primo*, cod. H *ergo*. Subinde post *quia* ex codd. B H L Q (E bb a secunda manu) interseruimus *concedo* [codd. L Q *concedunt*], *quod*. Post pauca pro *creati*, quod habent codd. H L N Y (bb a secunda manu), edd. *prolati*.

[5] Dist. 1. p. I. q. 4. in fine. Cfr. etiam d. 3. p. II. a. 1. q. 2. — Pro *donent* codd. E K O R S T W Z *tenent*, quae lectio respondet supra propositis d. 1. p. I. q. 3.

[6] De quo vide supra d. 1. p. I. q. 5. in fine.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Vat. cum uno alteroque cod. *facile*.

2. Item, conversio illa est a virtute immensa[1]; sed illa virtus potest super quantamcumque materiam: ergo etc.

3. Item, unus sacerdos toti mundo posset conficere; eadem ratione, si duplo plures essent, et sic ascendendo: ergo etc.

4. Item, panis est totum homogeneum, ergo eiusdem naturae est in toto et in partibus; et si secundum *hanc* partem convenit ad conversionem, et secundum *omnem:* ergo si adsit verbum et elementum, cum ista faciant Sacramentum[2], patet etc.

5. Item, sicut medium corrumpitur per superfluum, ita per diminutum[3]; sed in quantacumque parva quantitate potest verbum convertere: ergo in quantacumque magna.

Fundamenta. Contra: 1. *Omnia* creavit Deus *in numero, pondere et mensura*, sicut dicitur Sapientiae undecimo[4]: ergo in hoc Sacramento concernitur determinata mensura: non ergo potest in quantamcumque materiam.

2. Item, baptizans, si intenderet verbo consecrare totum mare, non tamen consecraret nisi eam partem, quae venit in usum[5]: ergo videtur similiter, quod nec hic totum panem.

3. Item, virtute Sacramenti non debet fieri aliquid, quod sit in contumeliam Sacramenti; sed si virtute verbi hoc fieret, posset stultus sacerdos conficere totum panem de foro, et sic hoc Sacramentum veniret in contumeliam: ergo etc.

4. Item, «natura nihil facit frustra[6]», ergo multo minus nec Deus; sed si in quantalibet quantitate fieret consecratio, esset frustra: ergo etc.

CONCLUSIO.

Probabile esse videtur, quod virtus verborum non se extendat nisi ad tantam materiam, quanta congruit sumi in usum fidelium.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui dicere, Opinio 1. quod nedum[7] panem de foro, immo etiam, nisi servetur ritus ab Ecclesia institutus, non conficit sacerdos; quia, sicut non potest conficere nisi sacerdos, sic nec ipse sacerdos conficit, nisi modum sacerdotum et ritum servet in conficiendo. Et hoc dicunt fuisse revelatum. Qui autem aliter facit, non sacerdos, sed Sacramenti temerator secundum iudicium eorum reputatur. — Sed haec positio est nimis arcta, quia, sicut dicit Augustinus, et habetur distinctione octava[8], forma verborum, in quibus consistit vis conficiendi, valde modica est; et constat addita esse huiusmodi ad solemnitatem. Non probatur.

Alia positio est, quod si adsit intentio et verbum et elementum, est Sacramentum in quantacumque materia. Unde si sacerdos totum panem de foro intenderet conficere, confectum esset, et similiter totum vinum de cellario. — Sed haec positio nimis ampla est; et dum nimis tribuit verbo et ministro, infert contumeliam Sacramento. Nec credendum est, quod Christus hoc daret, cum nec sapiens homo dictaret, hoc esse dandum; et ipse sapientissime omnia fecit[9] et maxime sapienter hoc instituit Sacramentum. Opinio 2. Non probatur.

Et propterea dicendum sine praeiudicio, quod non fit virtute verborum conversio, nisi adsit intentio et intentio concors institutioni et intentioni Ecclesiae; quia, sicut dicit Hugo[10], «omne Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebratur». Intentio autem Ecclesiae et instituentis est convertere ad usum fidelium. Unde cum virtus verborum secundum intentionem reguletur, ad tantam materiam se extendit, ad quantam potest sacerdos coniicere, quod debeat et congruat sumi in usum fidelium. Opinio 3. Conclusio.

1. Et per hoc patet, quod sacerdos volens conficere totum panem de foro, nihil facit. Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod illa virtus potest super quantamcumque materiam; dicendum, quod verum est; sed hoc[11] non venit ex impotentia verbi, sed ex defectu intentionis. — Similiter patet sequens: quia, si tot essent fideles, quibus necesse esset habere tantum de hostiis, quantum de pane in foro, tunc ordinata intentione posset conficere.

4. 5. Ad aliud dicendum, quod non est defectus ex parte materiae, sed intentionis ordinatae, ut dictum est, non, inquam, ad *finem,* quia talis ordinatio non facit ad hoc, quod fiat conversio, vel non. Si enim aliquis conficit intentione *lucri,* nihilominus conficit[12]; sed si aliquis conficeret non ad *usum,* sed ut proiiceret in latrinam, dicitur ab aliquibus, quod nihil faceret. Quidquid sit de hoc, tamen illud verum est, quod oportet, quod habilitas sit ad usum secundum probabilitatis iudicium; et ideo non potest confici in quantacumque quanti- Notandum. Dubium aliud.

---

[1] Cfr. supra q. 1. seq.

[2] Secundum August., supra lit. Magistri, d. III. c. 1. allegatum. — De propos. praecedentibus cfr. supra p. I. q. 5.

[3] Nam, ut insinuat Aristot., II. Ethic. c. 6, medium est *aequale* inter excessum et defectum sive aeque distat ab utroque extremo. Cfr. etiam IV. de Caelo et mundo, text. 34. (c. 4.)

[4] Vers. 21: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.

[5] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. ad 2. — In cod. bb secunda manus addidit *baptismi.* Pro *venit* cod. E *veniret.* In fine arg. cod. F subiungit *de foro.*

[6] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.), et III. de Anima, text. 45. (c. 9.).

[7] In edd. additur *non totum.*

[8] Cap. 4, ubi dicit, quod in verbis Christi conficiatur, reliqua omnia nihil sint quam laudes etc.

[9] Psalm. 103, 24: Domine, omnia in sapientia fecisti. — Pro *omnia* codd. H L *cetera.*

[10] Sum. Sent. tr. 6. c. 1. Vide supra pag. 168, nota 3.

[11] Scil., quod non conficiatur. — Infra post *intentionis* cod. U addit *ordinatae.*

[12] Cfr. supra d. 6. p. II. a. 2. q. 2. in corp.

tate, propter hoc quod quantitatis nimietas aufert utendi idoneitatem ex parte materiae. — Sed quantumcumque sit parva quantitas, sine indecentia potest venire ad usum; et ideo quantitas parva non impedit, quia quantumcumque modica potest venire in usum [1].

ARTICULUS II.

De eucharistia per comparationem ad virtutem apprehendentem.

Consequenter quaeritur de virtute apprehendente existentiam Christi veram in altari. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum talis existentia sit supra intellectum viatoris.

Secundo quaeritur, utrum sit supra sensum comprehensoris.

QUAESTIO I.

Utrum existentia corporis Christi in Sacramento sit supra intellectum viatoris.

Et quod sit supra intellectum viatoris, ostenditur sic.

Fundamenta. 1. Omnis cognitio intellectiva secundum naturam convenientem nostro intellectui incipit a sensu — propter quod etiam dicit Philosophus [2], quod « nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu » — sed corpus Christi esse sub illis speciebus est tale quid, quod nunquam fuit in aliquo sensu, nec in se nec in simili: ergo etc.

2. Item, quod est supra experientiam est supra intelligentiam humanam — quoniam cognitio generatur in nobis per experientiam, ut dicit Philosophus [3]: « Ex multis sensibus fit una memoria » etc. — sed existentia corporis Christi sub Sacramento est supra experientiam, quia « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum »: ergo supra intelligentiam nostram.

3. Item, intellectus noster supponit hoc tanquam principium per se notum, cui non potest contradicere ad interius-rationem [4], quod omne continens corpus maius est vel aequale illi quod continet; sed species sive hostia nec est maior nec aequalis, sicut dicit fides: ergo si intellectus hoc ponit, ponit ergo contra se.

4. Item, omnis intellectus humanus hoc dicit, quodsi aliquid est in aliquo toto et fiat in minori, quod necesse habet contrahi, aut illud excedit simpliciter; sed fides nostra dicit, quod in hoc Sacramento corpus Christi est in magna hostia, et iterum in medietate hostiae ita magnum et non contractum [5]: ergo intellectus hoc non potest capere.

Ad oppositum. Contra: 1. Nullus tenetur ad impossibile [6]: ergo si hoc est omnino supra *posse* nostri intellectus, nullus tenetur credere: ergo qui non credit, ibi esse corpus, sicut fides praedicat, non peccat.

2. Item, Augustinus [7] dicit: « Quod credimus, debetur auctoritati; quod intelligimus, rationi »; sed multas rationes habemus ad monstrandum, quod ibi sit *verum* corpus Christi, et quod, si est verum, est *integrum* et *vivum*: ergo videtur, quod intelligamus.

2. Item, quod est supra intellectum est supra verbum et sermonem, quia sermo ortum habet ab intellectu [8]: ergo non videtur, quod aliquis possit de hoc Sacramento loqui.

Quaestio incidens 1. Quaeritur etiam iuxta hoc: si totum est fidei, quod est in hoc Sacramento; videtur, quod peccat quicumque se intromittit disputare de ipso.

Quaestio incidens 2. Et *iterum*, cum alii articuli fidei sint supra intellectum, propter quid magis dicitur de isto quam de aliis?

CONCLUSIO.

Existentia corporis Christi in Sacramento altaris est supra vel contra intellectum, ut est humanus; *sed intellectus* fidelis *sufficit in assentiendo et concordat in ratiocinando, licet non comprehendat.*

Opinio 1. Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt hic subtiliari et dicere, quod hoc aliquo modo erat intelligibile. Et quamvis existentia talis sit supra

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Vide tom. II. pag. 904, nota 2.

[3] Libr. II. Poster. c. 18. (c. 15.), et I. Metaph. c. 1; cfr. III. Sent. d. 14. a. 3. q. 2. arg. 3. ad oppos. — Seq. testimonium est. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[4] Hac formula utitur Aristot., I. Poster. c. 8. (c. 10.): Πρὸς τὸν ἔσω λόγον. Cfr. tom. I. pag. 155, nota 10, et tom. III. pag. 250, nota 7. — Edd. *ad minus ratione.*

[5] Cfr. supra p. I. q. 5. — Superius pro *excedit* codd. E F G I L *excedet.*

[6] Sive, ut dicit Regula iuris 6. in VI: Nemo potest ad impossibile obligari. — Inferius post *corpus* ex codd. F G I L supplevimus *Christi.*

[7] De Utilitate credendi, c. 11. n. 25. — Inferius pro *vivum* edd. *unum.*

[8] Cfr. Aristot., I. Periherm. c. 1. (ex quo supra pag. 67,

naturam corporis humani non glorificati, non est tamen supra naturam corporis *glorificati*, quia corpus illud habet proprietates lucis et nobilitates lucis [1]; corpus autem lucis tantae nobilitatis est per naturam, quod in maiori spatio et minori potest esse, ita quod ipsum nec sit maius nec minus. — Exemplum autem dant sic: si lux candelae sive lumen sit in magna domo et postmodum transferatur in parvam, lux candelae tanta est in parva [2], quanta in magna, non rarior nec densior; similiter radius, si dirigatur in propinquum et in longinquum. Similiter volunt dicere in corpore glorioso, et maxime in corpore Christi. — Sed ista manuductio ad intelligendum potius intellectum obfuscat, quam aperiat: primum, quia exemplum non est conveniens *in se;* « lumen enim non est corpus nec defluxus corporis [3] » nec rarefit nec condensatur. *Rursus,* non est conveniens *ad propositum,* quia diffusio luminis, quia arctatur secundum spatium, *configuratur* secundum illud, in quod diffunditur. Si ergo corpus Christi sic esset in hostia, oporteret, quod figura nasi et aliorum membrorum configuraretur planitiei hostiae. Et *iterum,* non potest intelligi, quod *contrahatur,* quin una pars corporis intret sub alia; ac per hoc non manet corporis quantitas et figura, et multa inconvenientia ad hoc sequuntur.

Exemplum.

Improbatur tripliciter.

Ideo dicendum aliter, quod est supra naturam corporis glorificati, nec possunt proprietates illae convenire alicui per naturam; et si conveniant, hoc solum est per miraculum; et ideo non est quaerendum *simile,* per quod capiatur.

Opinio 2. et conclusio 1.

Si ergo quaeratur ratio, per quam intelligatur, vel utrum sit intelligibile; dicendum, quod est loqui de intellectu nostro, ut est *humanus,* vel ut est *fidelis.* Si ut est *humanus;* sic *intelligit* conversus ad imaginationem et sensum et *iudicat* secundum causas intrinsecas et inferiores. Et ideo *deficit in assentiendo,* quia non assentit nisi secundum manuductionem, quae ortum habet ab imaginatione et sensu. Item, quia *iudicat* secundum causas intrinsecas et creatas, et ita comparando potentiam continendi [4] ipsius hostiae ad potentiam continendi passive ipsius corporis; et quia invenit repugnantiam et improportionabilitatem: ideo *contradicit in ratiocinando.* Et ita iste articulus dicitur esse *supra* intellectum et *contra* intellectum, secundum quod est intellectus *humanus.* — Si autem loquamur de intellectu, secundum quod est *fidelis;* sic dicendum, quod *assentit* secundum dictamen fidei et secundum regulam veritatis aeternae; ideo *sufficit in assentiendo* et *concordat in ratiocinando.* Intellectus enim fidem habens statim *credit,* ex quo hoc propositum est sibi, scilicet quod Christus esset [5] sub speciebus illis, et hoc adiutus lumine fidei. Similiter *concordat in ratiocinando,* quia aspicit ad causas superiores. Sic enim dicit intellectus: Deus potest facere omne quod est congruum; et fides assumit: congruum est, quod caro Christi exponatur in cibum; et ideo ratio concludit, quod Deus hoc possit ibi facere. Item, intellectus dicit, quod Veritas non potest dicere falsum; et fides assumit: Veritas dixit: *Hoc est corpus meum* [6], et praecepit, ut diceretur: ergo dixit verum.

Duplex intellectus.

Primus deficit dupliciter.

Secundus sufficit et concordat.

Conclusio 2.

Cum ergo sit in nobis duplex intellectus, scilicet *fidelis* et *humanus;* ideo sentimus in nobis aliquando colluctationes; *fidelis* tamen intellectus praevalet sibi, ut est *humanus,* quia elevat ipsum extra animalitatem [7]; attamen non ita elevat, quod comprehendat, ut meritum fidei integrum maneat. Et hoc patet: quia intellectus *humanus* dicit, quod impossibile est, quod maius contineatur a minori; et *fidelis* respondet, quod verum est *localiter,* et corpus Christi magnum non est ibi *localiter,* sed *sacramentaliter;* et quamvis illud sit impossibile [8], tamen potest esse *Deo* possibile. Et quia nescimus, quid Deus possit, mutato modo essendi; ideo, licet intellectus sibi praevaleat, tamen nondum comprehendit.

Conclusio 3.

Et sic patent rationes ad utramque partem. Primae enim procedunt de intellectu, secundum quod *humanus,* et secundae de intellectu, secundum quod *fidelis* [9].

Ad argg.

Ad illud tamen quod quaeritur, quare plus hoc dicitur esse supra intellectum; dicendum, quod in hoc quodam modo communicat nostra imaginatio, cum corpus Christi sit imaginabile; et quoniam illuditur ei, quia, ut est sub Sacramento, subterfugit imaginationem, immo *supra* ipsam est, ut prae-

Ad quaest. 2.

---

nota 6. et pag. 68, nota 1. quaedam attulimus) et Boeth. in hunc Aristotelis locum, nec non Damasc., II. de Fide orthod. c. 21, ubi verbum nominatur « cogitationis animi nuntius (ἄγγελος νοήματος) », de quo vide tom. III. pag. 844, nota 7. In libro de Causis, propos. 6. dicitur: Narratio non fit nisi per loquelam, et loquela per intelligentiam, et intelligentia per cogitationem, et cogitatio per meditationem, et meditatio per sensum.

[1] Vide infra d. 49. p. II. art. princ. 1. a. 2. q. 1. et a. 2. princip. a. 2. q. 1. seq.

[2] Cod. H supplet *domo.*

[3] Aristot., II. de Anima, text. 69. (c. 7.). Cfr. II. Sent. d. 13. a. 3. q. 1. seq. — Mox pro *rarefit* codd. F G I L (bb a secunda manu) *rarescit.* Inferius pro *quia arctatur* cod. F *quae arctatur,* et pro *in quod* codd. G H aa *in quo.*

[4] Vat. addit *active,* et verbis *ipsius corporis* praemittit *Christi,* ed. 1 cum permultis codd. *et* (plures horum codd. subinde ante *quia* omittunt *et*). Superius pro *assentiendo* et *assentit* codd. L W aa *ascendendo* et *ascendit.* Inferius pro *improportionabilitatem* codd. F G H I *improportionem.*

[5] Vat. cum nonnullis codd. *est.*

[6] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22.

[7] Epist. I. Cor. 2, 14: Animalis autem homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei etc. — Pro *praevalet sibi, ut* Vat. quidem planius, sed modo loquendi a S. Bonav. usitato minus conformiter (cfr. paulo inferius) *praevalet ei, qui.*

[8] Supple: secundum causas inferiores, sive, ut Vat. addit, *per naturam.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 24. p. II. a. 1. q. 1. in corp., et III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. ad 4.

habitum fuit, cum accipiat modum essendi, quem habet spiritus: ideo, cum repugnet imaginatio, magis est *contra* intellectum[1]. Sed in articulis aliis, scilicet Divinitatis, omnino deficit et non adeo repugnat.

Ad illud quod quaeritur, quare disputatur de Ad quaest. 1. hoc Sacramento, cum totum sit fidei; dicendum, Notandum. quod non ad *generandam* fidem, sed ad *nutriendam*, ne propter ignorantiam aliquis concedat repugnans fidei, vel neget consequens ad fidem; et hoc perutilissimum et necessarium est, quia multa ponuntur in hoc Sacramento ab incautis, in quibus est periculum in asserendo. Unde disputamus, non ut melius credamus, sed ut fidem illibatam servemus, dum, ipsa cognita, errores caveamus et cavendo in veritate persistamus[2].

SCHOLION.

I. Inter omnes constat, quod intellectus humanus, dum *sensibus alligatus* est, non nisi supernaturali lumine illustratus existentiam Christi sub speciebus Sacramenti possit cognoscere. Sed de intellectu *separato*, praesertim Angelorum, docet contra ceteros antiquos (cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 3. § 8.) Scotus cum Nominalibus, quod *naturali vi* possit cognoscere hanc praesentiam; quam doctrinam nonnulli limitant excludendo *modum* huius praesentiae. — Attentione digna hic est distinctio duplicis intellectus et modus explicandi, quomodo uterque in hac materia se habeat tum circa *assensum*, tum circa *ratiocinationem*.

De eadem quaestione: Alex. Hal., de hac et seq. q. loc. cit. — Scot., hic q. 8. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 4. 5; de hac et seq. q. S. III. q. 76. a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 4, et Dionys. Carth., hic q. 4.

II. Ad 2. quaestionem soli Nominales respondebant *negative*, opinantes, solummodo propter impedimentum velantium specierum corpus Christi ibi non posse videri. — Dissentiunt autem theologi, utrum saltem supernaturaliter per potentiam Dei hoc fieri possit, quod affirmat Scotus, quoad ipsam *existentiam* corporis Christi, sed negat quoad *modum* ibi existendi indivisibilem. Hoc confirmat S. Thom. (S. loc. cit. ad 2.) dicens: Oculus *corporalis Christi* videt se ipsum sub Sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum *modum* essendi, quo est sub Sacramento; nec tamen est simile de *alio* oculo glorioso »; quae restrictio videtur esse intelligenda de *facto*, non de potentia Dei absoluta. — Attamen hoc nec per *miraculum* fieri posse, absolute asserunt Richard. a Med. (loc. cit. q. 2.), et etiam Henr. Gandav. (Quodl. 1. q. 7.), qui addit: « Corpus Christi, ut est sub speciebus Sacramenti, neque se neque aliud videt, nec a se neque ab alio videtur oculo, dico, *corporali* ». Huic sententiae favent hic in corp. verba S. Doctoris: *Nullo modo* etc., nec non alii theologi posteriores, eamque etiam Suarez aestimat esse probabilem. Cfr. infra d. 11, p. II. a. 2. q. 2. — De miraculosis Christi in Sacramento apparitionibus specialiter tractat S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 8.

De ipsa 2. quaestione praeter supra citatos: Scot., hic q. 9. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1.

QUAESTIO II.

Utrum existentia Christi sub Sacramento sit supra sensum comprehensoris.

Secundo quaeritur, utrum existentia Christi sub Sacramento sit supra sensum comprehensoris. Et quod non, videtur:

1. Quia Magister dicit in sequenti distinctione[3], Ad opposi-tum. quod haec est ratio, quare sub alia specie traditur corpus Christi, « ut fides habeat meritum »; sed in Beatis fides non habet locum: ergo videtur, quod debeat eis apparere in propria specie.

2. Item, quamvis status gratiae sustineat aliquod velamen et compatiatur, tamen statui gloriae omne velamen revelatur: ergo si corpus Christi velatur sensui nostro propter[4] speciem, videtur, quod Beatis sit revelatum.

3. Item, sensus decipiuntur propter hoc, quod ibi latet Christus sensus nostros; sed in Beatis nulla cadit deceptio: ergo nullo modo potest latere sensum Beatorum.

4. Item, claritas corporis non gloriosi non potest latere visum non gloriosum[5], ergo nec claritas corporis gloriosi visum gloriosum; sed corpus Christi est clarissimum: ergo etc.

Contra: 1. Existentia illa et modus existendi Fundamenta. est supra intellectum[6]; sed nunquam sensus elevatur supra intellectum: ergo est supra omnem sensum quantumcumque glorificatum.

2. Item, corpus Christi sub Sacramento habet modum existendi elevatum ultra modum existendi spiritus creati, pro eo quod est in qualibet parte totum, et pro eo quod in pluribus locis simul[7]; sed nunquam oculus gloriosus videt spiritum: ergo nec corpus Christi, prout ibi existit.

3. Item, sensus gustus est in Beatis, ut dicit Augustinus de Quinque Responsionibus[8], et infra patebit; sed esto, quod Beatus sumeret Christi corpus, constat, quod gustus non sentiret saporem carnis: ergo pari ratione nec visus percipit, ut est ibi.

4. Item, regula est in perspectiva, quod quando duae magnitudines videntur in aequali spatio, maior

---

[1] Vide supra p. I. q. 1. et q. 5.

[2] Cfr. I. Sent. Prooem. q. 2.

[3] Cap. 3. — *Minor* ostensa est III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. Cfr. etiam supra pag. 69, nota 4.

[4] Vat. cum aliquot codd. *per*.

[5] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 66. seqq. (c. 7.)

[6] Ut ostensum est quaest. praeced. — De *minori* cfr. Aristot., III. de Anima, text. 4. seqq. (c. 4.).

[7] Vide supra p. I. q. 3. et 5.

[8] Sive Hypognosticon (inter opera August.), in quo tamen nihil hac de re invenimus; Vat. (secuta Alex. Hal., S. p. IV.

magnitudo videtur sub angulo maiori — videre enim est secundum triangularem directionem radiorum, ita quod basis est res visa, et angulus intelligitur fieri circa pupillam — ergo cum corpus Christi maius sit ista specie, si videt[1] intra speciem maiorem magnitudinem, maior angulus est infra minorem. Sed hoc non potest esse nisi per miraculum: ergo impossibile est, quod per naturam corporis glorificati videat, immo videre ita est miraculum, sicut existere.

CONCLUSIO.

Visus quantumcumque gloriosus ad hoc non attingit, ut videat corpus Christi sub Sacramento altaris, sicuti est, etiam si praesens est.

Respondeo: Dicendum, quod existentia corporis Christi sub Sacramento est sublimata supra modum essendi et omnis corporis et omnis rei corporalis et dimensivae. Unde cum visus non abstrahat a quantitate, quia est commune sensatum[2], et percipere habeat corpus secundum modum existendi corporalem; dicendum est, quod nullo modo visus quantumcumque gloriosus ad hoc attingit, ut videat ibi Christum, sicuti est, etiam si praesens sit. — Et si alicui miraculose ostensum est, nunquam tamen ostensum fuit in forma, quam ibi habet, ut communiter dicitur; quia ostensum fuit in forma parvuli, et ipse est ibi secundum eandem quantitatem, quam habet in caelo, et sic est in qualibet parte[3]; et iste modus existendi abstrahit ab omni sensu. Unde concedendae sunt rationes ad hoc.

Conclusio. Corollarium.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de merito fidei, et de velatione, dicendum, quod quamvis sensus non percipiat, tamen intellectus hoc clare novit. *Ulterius*, etsi visus non videat, hoc non est, quia velatur illa specie, sed quia est ibi per modum alium, quam sit corpus, ut est sensibile. — Credo tamen, quod aliquibus certis indiciis cognosceret quodam modo sensus, ibi esse corpus Christi, id est intellectus conversus ad sensum; sicut ponit Augustinus exemplum in ultimo de Civitate Dei[4] de visu glorioso, utrum videat Deum; ubi dicit, quod intellectus per sensum comprehendit, quod « Deus est omnia in omnibus »; sicut ego per visum cognoscere dicor, quod aliquis sit vivus et habeat animam, quando video eum loqui.

Solutio oppositorum. Notanda restrictio.

3. Ad illud quod obiicitur de deceptione, dicendum, quod in hoc Sacramento nullus sensus decipitur nec aliquid, quia est Sacramentum veritatis[5]. Sed quod dicuntur sensus decipi, hoc dicitur, quia sunt via, ut opinio in nobis fallatur, quae iudicaret, ibi esse subiecta specierum, nisi intellectus fidelis purgaret errorem; multo magis in Beatis purgat et praevenit, ut non decipiantur.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de claritate corporis non glorificati, dicendum, quod neutra latet sensum, dum tamen corpus habeat modum existendi debitum corpori; quemadmodum corpus Christi passibile sub Sacramento datum fuit impassibiliter, quamvis secundum veritatem esset passibile ante passionem[6]; per hunc modum et visibile et sensibile est insensibiliter ratione modi essendi ibi. In hoc autem nolo praeiudicare sensui Beatorum, sed opus Dei in hoc Sacramento mirificum praedicare[7].

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Satis responsum est haereticis* etc.; quia his duabus obiectionibus ipse[8] non respondit, scilicet de manducatione Domini nostri, quod videtur esse irreverentiae; et de formatione corporis Christi, quod videtur esse dementiae.

Respondeo: Dicendum, quod solutio huius secundi articuli patebit in sequenti distinctione[9] de conversione; alterius vero, scilicet de irreverentia,

q. 10. m. 7. a. 3. § 8.) *de Quinque sensibus* [ignoramus quis sit iste liber], dum in margine allegat *Lib. de Diligendo Deo* (inter opera August.), ubi in fine c. 18. dicitur, quod in gloria erit « intellectus sine errore, memoria sine oblivione... *sensus* sine offensione » etc. Cfr. infra d. 49. p. II. art. 1. princip. a. 3, ubi ostenditur, quod anima in gloria [post resurrectionem] habebit omnes sensitivas *potentias*, licet non omnes sint in actu. Vide etiam d. 50. p. II. a. 1. q. 1.

[1] Supple: oculus. — Inferius pro *corporis glorificati* edd. *corpus glorificatum*, cod. X *videatur* pro *videat*.

[2] Aristot., de Sens. et sens. c. 8. (c. 7.), hanc propositionem: « Sensibile omne magnitudo est et non est indivisibile sensibile » demonstrat, et II. de Anima, text. 64. (c. 6.) magnitudinem exhibet inter sensibilia communia i. e. obiecta plurium sensuum. — Plures codd. *ratione sensatum*, quam lectionem mutaverunt edd. in *de ratione sensatorum*. Plurimi codd., exceptis codd. H P Q, omittunt *Unde* (pro quo Vat. *et ideo)*, et inferius omnes codd. eliminant *dicendum est*, quae lectio recipi posset, si in principio corp. post *Dicendum, quod* adiungeretur *quia*, quod fortasse in codd. excidit.

[3] Cfr. supra p. I. q. 2. et 5. — Paulo inferius pro *abstrahit* edd. cum pluribus codd. *abstrahitur*.

[4] Cap. 29. n. 6. Cfr. Serm. 277. (alias 102. de Diversis) c. 13. n. 13. seqq. — Edd. omittunt *sensus* et *id est* (pro quo plures codd. perperam *ibi)*. In principio solut. pro *velatione* codd. F G *velamine*.

[5] Cfr. supra p. I. q. 4. in corp. — Post *nec aliquid* in edd. additur *aliud*. Inferius pro *subiecta* cod. F *substantiam*.

[6] Vide infra d. 11. p. II. a. 2. q. 2. et d. 49. p. II. a. 2. princip. a. 2. q. 2.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Hic in lit. c. 1. in fine.

[9] Lit. Magistri, c. 1. seq. — Cod. L addit *ubi agetur*. Mox pro *praecedentibus* (scil. lit. Magistri, d. IX. c. 1. seq., et Comment. a. 1. et 2) edd. *sequentibus*.

patet ex praecedentibus: quia non manducatur manducatione carnali, sed spirituali, sicut medicina salutifera; et hoc non est irreverentia, immo magis[1] irreverentia Domini contemnere medicinam.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius: *Si tantum valuit sermo Eliae* etc.: unde hoc habuit sermo Eliae? Aut *a se,* aut *aliunde.* Non *a se,* constat; non *aliunde,* ut videtur, quoniam appetere vel petere consumtionem aliorum non est caritatis, cum caritas dictet contrarium; sed si non est ex caritate, non est exaudienda petitio[2]: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod sermo Eliae dicitur valuisse, non quia potentia fuerit in Elia vel eius sermone ad illud faciendum, sed quia ad eius petitionem astitit vis superior; et hoc non fuit tantum ratione caritatis, quae erat in eo, sed potius ratione gratiae miraculorum, quae potissime vigebat in eo. Nec peccavit in hoc Elias, immo digne fecit, quia illi confidentes in multitudine comitum irreverenter loquebantur, contemnentes virtutem Dei, quae erat in eo; et ideo iuste experti sunt Dei iudicium iustum et potentiam viri sancti; et nos etiam instructi sumus, quantam servis suis velit Deus reverentiam exhiberi[3].

Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Post consecrationem carnem Christi et sanguinem, quod benedictio consecravit.* Videtur enim male dicere: quia in substantia formae nihil est pertinens ad benedictionem, sed totum per modum narrationis; quod patet, cum dicitur: *Hoc est corpus meum*[4].

Respondeo: Dicendum, quod verba, in quibus consistit vis consecrandi, dicuntur *benedictio* tum ratione benedictionis praecedentis, tum quia ad eorum prolationem Dominus benedicit, quia convertit[5] in corpus, quod super omnia benedixit, ditando perfectis donis gratiarum animam, et sanctificatione et puritate carnem illam sanctissimam.

DISTINCTIO XI.

Pars I.

Cap. I.

De modo conversionis.

Si autem quaeritur, qualis sit illa conversio, an *formalis,* an *substantialis,* vel *alterius generis;* definire non sufficio. *Formalem* tamen non esse, cognosco, quia species rerum, quae ante fuerant, remanent et sapor et pondus. Quibusdam videtur esse *substantialis,* dicentibus, sic substantiam converti in substantiam, ut haec essentialiter fiat illa; cui sensui praemissae[1] auctoritates consentire videntur.

Sententia plurium.

Sed huic sententiae sic opponitur ab aliis: si substantia panis, inquiunt, vel vini convertitur *substantialiter* in corpus vel sanguinem Christi, quotidie fit aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quae ante non erat; et hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat; et quotidie augetur corpus Christi atque formatur de materia, de qua in conceptione non fuit factum. — Quibus hoc modo responderi potest: quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici verbo caelesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum deinceps formetur; sed quia substantia panis vel vini, quae ante non fuerat corpus Christi vel sanguis, verbo caelesti fit corpus et sanguis. Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi et sanguinem, quia eorum ministerio substantia panis fit caro, et substantia vini fit sanguis Christi; nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis.

Opponitur.

Replicatur.

Cap. II.

Quomodo dicitur corpus Christi confici de substantia panis.

« Si vero quaeris *modum,* quo id fieri possit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest[2] ». Quod ergo corpus Christi panis mutatione in id non augmentatur, nec sanguis ex vini conversione, eius voluntati et potentiae adscribatur, qui idem corpus eduxit de Virgine; fit ergo substantia illa ista sine huius augmento. Nec tamen con-

Dubium 1.

---

[1] In codd. L aa suppletur *esset.* — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic circa lit.

[2] Cfr. tom. III. pag. 104, nota 9. et pag. 373, nota 5. — Paulo inferius pro *sermo Eliae,* quod habent codd. F G H I, alii codd. et edd. falso *sermo Dei.*

[3] Cfr. II. de Mirabilibus sacrae Script. (inter opera August.) c. 20. et Ser. 275. (in Append. serm. August., alias 38. ex Vignerian.) n. 2. — Superius pro *iuste* cod. R *recte.* Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic circa lit.

[4] Vide supra d. 8. p. II. a. 1. q. 1. — Post *sed* edd. addunt *dicitur.*

[5] Codd. H L supplent *panem,* et mox post *corpus* cod. H addit *Christi.* —

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Dist. X. c. ult.

[2] Cfr. Algerus, l. de Sacram. c. 9. Quod sequitur excerptum est ex Sum. Sent. (Hugoni tributa) tr. 6. c. 4.; ubi pro *sine huius* pleraeque edd. *sine eius,* et pro *sit caro* perperam *fit caro.*

Opinio 1. cedunt quidam, quod substantia panis aliquando *sit* caro Christi, etsi *fiat* caro Christi; sicut farina facta est panis, et aqua facta est vinum, nec tamen dicitur: farina est panis, et aqua est vinum. — Alii vero concedunt, illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem; nec tamen sequitur: panis est caro Christi, vel vinum est sanguis, quia *substantia* panis vel vini, postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro et sanguis. Ideo distinguendum videtur, cum dicitur: *substantia* panis, vel id quod *erat* panis, modo est corpus Christi — manens enim panis non est corpus Christi — sed mutata[1], id est, id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus, substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis, quia non de ea ut de materia formatur corpus; sed ipsa formatur in illud et efficitur illud. Unde Augustinus[2]: « Corpus Christi dicimus illud quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum sumimus in memoriam dominicae passionis. Quod cum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur, ut sit tam dignum Sacramentum, nisi operante invisibiliter Spiritu Dei ».

Opinio 2. Dubium 2. Augustinus.

Quidam vero sic dicunt conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen, ut non eis afficiatur[3]. Et sic asserunt, dictum panem transire in corpus Christi, quia, ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini? Illi dicunt, vel in praeiacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. — Alii vero putaverunt, ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem; et hac ratione dici, illam substantiam fieri istam, quia, ubi est haec, est et illa; quod mirum est; et ipsam *substantiam* panis vel vini dicunt esse Sacramentum. — Sed quod non sit ibi substantia nisi corpus Christi et sanguis, ex praedictis et subditis aperte ostenditur. Ait enim Ambrosius[4]: « Panem istum, quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo, qui manu sancti Spiritus formatus est in utero Virginis et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum; unde[5] ait: *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi;* et iterum: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ex his namque duabus sententiis aperte datur intelligi, quia panis ille et iste non duo; sed unus panis et una caro proculdubio unum efficitur corpus, illud vere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod resurrexit et in caelum ascendit ». Item Gregorius[6]: « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa et ima sociari, unum quid ex invisibilibus atque visibilibus fieri ». Idem[7]: « Eodem momento et in caelum rapitur, ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur. Sicut Divinitas Verbi totum implet mundum, ita multis locis illud corpus consecratur; nec tamen sunt multa corpora Christi, sed unum corpus et unus sanguis. Ideoque sive plus, sive minus quis inde percipiat, omnes aequaliter corpus Christi integerrime sumunt ». — Post consecrationem igitur non est ibi substantia panis vel vini, licet species remaneant. Est enim ibi species panis et vini, sicut et sapor; unde aliud videtur, aliud intelligitur.

Aliae opiniones. Error. Refutatur. Ambrosius. Gregorius. Dubium 3. Dubium 4.

Pars II.

Cap. III.

Quare sub alia specie.

Sub alia autem specie tribus de causis carnem et sanguinem tradidit Christus et deinceps sumendum instituit, ut fides scilicet haberet meritum, quae est de his quae non videntur; quia « fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum[8] ». Et etiam ideo, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in usu carnem crudam et sanguinem comedere. Quia ergo Christum vorari dentibus fas non est, in mysterio carnem et sanguinem nobis commendavit. Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni christianae insultaretur. Unde Augustinus[9]: « Nihil rationabilius, quam ut sanguinis similitudinem sumamus, ut ita et veritas non desit, et ridiculum nullum fiat a paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus ». Ne igitur hoc fieret, « et ne veluti quidam horror esset cruoris; in similitudinem accipimus Sacramentum ». — Ex praemissis iam liquet, quare sub alia specie, et quare sub ista hoc Sacramentum Dominus celebraverit et celebrari a nobis instituerit.

Dubium 1. Augustinus. Ambrosius.

Cap. IV.

Quare sub duplici specie.

Sed quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? « Ut ostenderetur, totam

Glossa.

---

1 Vat. supplendo praefigit *substantia;* deinde pro *id est, id* edd. 2, 4, 5, 6, 8, 9 ponunt *in id.*

2 Libr. III. de Trin. c. 4. n. 10; et C. *Corpus et sanguinem* (60.), de Consecrat. dist. 2.

3 Cod. Erf. annotat: Id est, ut non insint corpori, sicut insunt accidentia subiecto.

4 Locus collectus est ex libro de Mysteriis c. 9, et IV. de Sacram. c. 4; verbotenus in C. *Omnia quaecumque* (74.). Cfr. etiam Petr. Chrysolog., Serm. 67. n. 10. — Loci Scripturae sunt Ioan. 6, 51. et 52.

5 In solis edd., excepta 1, suppletur *Veritas.*

6 Libr. IV. Dialog. c. 58; et C. *Quid sit sanguis* (73.), ibid. § 1, ubi § 2. etiam seq. locus.

7 Invenitur apud Alcuinum, de Divinis Officiis c. 40, qui citat Gregorium, in quo saltem verba non inveniuntur.

8 Gregor., II. Homil. in Evang., homil. 26. n. 1; in quo pro *cui* edd., excepta 1, *ubi.* Cfr. Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 4.

9 Can. *Utrum sub figura* (72.), ibid. § 2., sumtus ex Paschas. Radb., de Corp. et sang. Dom. c. 13. Seq. sententia sumta est ex C. *Panis est* (55.), loc. cit., ex Ambros., IV. de Sacram. c. 4. n. 20, ubi pro *accipimus* edd. A B D *accipis.*

humanam naturam assumsisse, ut totam redimeret. Dubium 2. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animae a physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut animae et carnis susceptio in Christo et utriusque liberatio in nobis significetur [1] ». Valet Ambrosius. enim, ut Ambrosius [2] ait, « ad tuitionem corporis et Dubium 3. animae quod percipimus; quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur, sicut praefiguravit Moyses: Caro, inquit, pro corpore nostro Hugo. offertur, sanguis vero pro anima »; sed tamen « sub utraque specie sumitur, quod ad utrumque valet, quia sub utraque sumitur totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est corporis vel animae, non utriusque pariter tuitionem valere significaretur. Sub utraque tamen specie totus sumitur Christus; nec plus sub utraque, nec minus sub altera tantum sumitur ». « Eadem enim ratio est, ut ait Hi- Hilarius papa. larius [3], in corpore Christi, quae in manna praecessit; de quo dicitur: *Qui plus collegerat non habuit amplius, nec qui minus paraverat habuit minus* ». Et licet sub utraque specie totus Christus sumatur, tamen non fit conversio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem; nec debent dici *duo* Sacramenta, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur; neque *iterari* [4] Sacramentum, quia benedictio non repetitur super eandem speciem; neque aliae substantiae in sacrificium veritatis offerri debent, quia de aliis non potest consecrari corpus Christi vel sanguis.

Cap. V.

Quare aqua admisceatur.

Aqua vero admiscenda est vino, quia aqua po- Dubium 4. pulum significat [5], qui per Christi passionem redem- Canon. ptus est. « Calix ergo dominicus iuxta canonum praeceptum aqua et vino mixtus debet offerri; quia videmus, in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Cum igitur in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei, in quem credit, copulatur; quae copulatio aquae et vini Dubium 5. sic miscetur in calice Christi, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis ».

Si vero quaeritur, an irritum sit quod geritur, si aqua praetermittatur; audi quod sequitur in eodem canone: « Non potest, inquit, calix Domini esse aqua sola, Canon. aut vinum solum, nisi utrumque misceatur ». Item Cypria- Cyprianus. nus [6]: « Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur; sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, nec aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum et panis unius compage solidatum ». Si quis tamen, non intendens introducere haeresim, oblivione vel ignorantia aquam praetermiserit, non videtur esse irritum Sacramentum; sed ille graviter est corripiendus; nam et Graecorum Ecclesia non apponere aquam dicitur. Quod etiam ex dictis Cypriani videtur posse colligi. Ait enim: « Si quis de Item. antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc servaverit, quod nos Dominus facere et exemplo et magisterio docuit; potest simplicitati eius indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non po- Dubium 6. test ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus ». — Ex hoc videtur, quod si quis simpliciter vel ignoranter vinum offerat sine aqua, Sacramentum conficiat. Aqua vero nullatenus Dubium 7. sine vino potest offerri in sacrificium, nec panis nisi de frumento, nec granum frumenti, nisi redactum fuerit in panem, quia Christus et *panem* se dicit et *grano frumenti* se comparat [7]. Quod ergo supra dictum est, non posse vinum solum offerri, determinari oportet; recipit enim exceptionem: *non potest*, nisi simpliciter vel ignoranter fiat; vel *non potest*, id est non debet. Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum.

Cap. VI.

Quale corpus dedit Christus discipulis in coena.

Colligitur etiam ex praedictis, quod Christus vinum aqua mixtum dedit discipulis. Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit, id est mortale et passibile; nunc vero sumitur a nobis immortale et impassibile; nec tamen maiorem habet efficientiam. Eucharistia quoque intincta non debet dari populo pro supplemento communionis [8], quia non legitur Christus alicui discipulorum praebuisse panem intinctum nisi Iudae. Tunc vero non accepit Iudas corpus Christi, sed tantum panem, corpus vero et sanguinem Christi ante Dubium 8. cum aliis discipulis perceperat.

---

[1] Glossa ad I. Cor. 11, 26, apud Lyranum.

[2] Comment. in I. Cor. 11, 26; ubi respicitur Deuter. 12, 23 (cfr. Levit. 17, 11.): Cave, ne sanguinem comedas; sanguis enim eorum pro anima est. Deinde pro *utrumque valet*, plurimae edd. non bene *utramque valet*, refragante etiam Hugone, loc. cit. c. 6, unde ista sumta sunt.

[3] Can. *Ubi pars* (78.), ibid.; eadem sententia invenitur apud Isidor., Serm. 4. de Corp. et sang. Dom. n. 8. — Locus Scripturae est Exod. 16, 18.

[4] Cod. E et edd., excepta 1, praefigunt *debet*. Sententia est ex Hugone, loc. cit.

[5] Apoc. 17, 15. Locus seq. est C. *Cum omne* (7.), ibid. § 1; cfr. Innoc. III., libr. IV. de Sacro Altaris mysterio c. 29.

[6] Epist. 63. n. 13, et C. *Sic in sanctificando* (2.), ibid. Inferius verba sunt eiusdem ibid. n. 17, et Can. seq.

[7] Ioan. 6, 48. et 12, 24.

[8] Ex C. *Cum omne* (7.), ibid. § 1. De Iuda cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 62. n. 3, et Hugo loc. cit. c. 9.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XI.

Pars I.

De eucharistia per comparationem ad conficientem.

Si autem quaeritur, qualis sit illa conversio, an formalis etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de Sacramento eucharistiae in se et in comparatione ad manducantem. In hac parte agit de ipso per comparationem ad conficientem [1]. Et dividitur haec pars in tres partes. In prima parte agit de ipsa confectione. In secunda de consequentibus ad confectionem, infra distinctione duodecima, ibi: *Si autem quaeritur de accidentibus, quae remanent* etc. In tertia agit de potestate conficientis, infra distinctione decima tertia: *Solet etiam quaeri, utrum pravi sacerdotes* etc.

Prima pars habet duas partes. In prima parte agit de ipsa confectione quantum ad actum transsubstantiandi; in secunda quantum ad materiam, ibi: *Sub alia autem specie tribus de causis.* Prima pars habet duas partes. In prima determinat veritatem. In secunda reprobat falsas opiniones, ibi: *Quidam vero sic dicunt conversionem illam* etc. Prima pars habet duas. Primo enim determinat, quid sentiendum; secundo vero, quid loquendum, ibi: *Nec tamen concedunt aliqui* etc.

Similiter secunda pars habet duas. In prima ponit opiniones. In secunda reprobat, ibi: *Sed quod non sit ibi substantia nisi corpus Christi* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis sex quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in hoc Sacramento sit aliqua conversio panis in corpus Christi.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, utrum totus panis convertatur, an aliquid remaneat praeter accidentia.

Tertio, dato quod convertatur totus, quaeritur, utrum talis conversio panis possit dici annihilatio.

Quarto, dato quod non, quaeritur, utrum panis convertatur in totum Christum, id est in animam et Divinitatem, sicut in carnem.

Quinto, utrum haec conversio sit subita, an successiva.

Sexto et ultimo quaeritur, quibus verbis sit exprimenda illa conversio.

ARTICULUS UNICUS.

De transsubstantiatione.

QUAESTIO I.

Utrum in Sacramento eucharistiae sit vera conversio panis in corpus Christi.

Circa primum sic proceditur, et quod sit ibi vera conversio panis in corpus Christi, videtur:

Fundamenta. 1. Primo per ipsam formam: quia, cum dicitur: *Hoc est corpus meum* [2], aut falsum dicit Veritas, aut panem convertit in corpus; sed non dixit falsum: ergo etc.

2. Item, hoc ipsum probatur auctoritate Doctorum, auctoritate Ambrosii scilicet et Eusebii et Augustini et Damasceni [3]: panis et vinum supernaturaliter in corpus et sanguinem transit.

3. Item, *ratione* videtur, quia constat et verum est, quod corpus Christi secundum veritatem est in altari; et prius non fuit: ergo secundum aliquam mutationem *sui*, vel *alterius*. Non *sui*, quia est immutabile. Non *alterius* nisi panis [4]: ergo etc. *Si dicas,* quod corpus Christi est mutabile secundum

---

[1] Codd. A H R S T *efficientem.*

[2] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19.

[3] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13, ubi ostendit, corpus Christi constitui in eucharistia non adductione, « sed quia panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur ». Verba Ambrosii, Eusebii et Augustini vide supra lit. Magistri, d. X. c. 2, ad quod respicientes plures codd. verbis *auctoritate Ambrosii* interserunt vel *dicta*, vel *praedicta*, cod. F *beati*, cod. Q (I a secunda manu) *Doctorum.*

[4] Cfr. supra d. 10. p. I. q. 1. arg. 1. ad oppos. eiusque solut. — Seq. obiectio fundatur in doctrina Aristot., VIII. Phys. text. 57. (c. 7.), ubi ad ostendendum motum localem ceteris

locum, quia haec est mutatio entis completi, et haec est in corpore Christi; *contra:* omne quod mutatur secundum locum, si accedit ad unum, recedit ab altero; ergo secundum hoc Christus recedit a caelo. *Praeterea,* nihil quod mutatur secundum locum, simul tendit ad differentias diversas positionum; sed simul consecratur corpus Christi Romae et Parisius: ergo si corpus Christi movetur Romam, non ergo Parisius: ergo etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Gregorius dicit, et habetur in littera[1]: « Quis fidelium habere dubium possit, in hora immolationis caelos aperiri, summa et ima sociari »: sed haec non fierent, si aliquid in corpus Christi converteretur, immo videtur secundum Gregorium, quod descendat: ergo ibi non est conversio.

2. Item, Damascenus[2]: « Quia consuetudo est hominibus comedere panem et bibere vinum, coniugavit eis Divinitatem et fecit ea Sacramentum corporis et sanguinis sui ». Si coniugavit illis Divinitatem, ergo salvantur in sua natura: non ergo convertuntur in aliud.

3. Item, *ratione* videtur: quia, si aliquid convertitur in corpus Christi; aut quod *est*, aut quod *non est*[3]. Si quod *non est,* ergo corpus de novo fit: ergo plura corpora simul. Si quod *est;* sed quandocumque aliquid convertitur in id quod est, augetur: ergo corpus Christi consecratione sive conversione fit maius.

4. Item, in nullo alio Sacramento elementum convertitur in id quod significat, sed sufficit illud adesse: ergo videtur, quod similiter debeat esse in hoc Sacramento.

5. Item, miracula non sunt ponenda, ubi aeque bene potest fieri sine miraculo; sed corpus Christi, cum sit gloriosum, simul cum pane potest esse, et idem faciet, ac si panis converteretur; quod non potest esse sine miraculo: ergo etc.

6. Item, in nullum corpus convertitur cibus, nisi quod indiget refectione; sed corpus Christi non est tale: ergo etc. *Si dicas,* quod non absorbet ut terra, sed ut radius aquam, scilicet non indigentia, sed potentia[4]; *contra:* radius non convertit aquam in se: ergo nec Christus panem in corpus suum.

CONCLUSIO.

In Sacramento eucharistiae est conversio panis in corpus Christi, non in partem, sed in totum.

Opinio 1. RESPONDEO: Sicut dicit Magister[5], quorundam fuit positio, quod non est ibi aliqua conversio, sed ad invocationem verborum sine conversione fit divina virtute, ut corpus Christi sit ibi. — Improbatur dupliciter. Sed haec positio contraria est Sanctorum *auctoritati* et *rationi. Rationi* quidem, quia aufert Sacramenti Ratio triplex. *veritatem, congruitatem* et *utilitatem: veritatem,* quia ponit ex hoc falsitatem in forma; ponit etiam mutationem circa Christi substantiam, sicut probatum est in opponendo[6]. *Congruitatem* tollit, quia, cum manet ibi panis, non est adeo ductivum in alterum, sicut cum manent sola accidentia, quae dependent et per se stare non possunt. *Utilitatem* etiam, quia, dum possibilitatem et rationem quaerit, minuit meritum fidei.

Conclusio. Propter hoc igitur haec positio est reprobanda et neminem habet ex doctoribus defensorem; immo communiter tenet Ecclesia, quod est ibi conversio panis in corpus Christi, non, inquam, in partem corporis, sed in totum[7].

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo de verbo Gregorii, dicendum, quod sermo ille est tropicus, et dicuntur caeli *aperiri,* quia divina Notandum. bonitas large nobis tunc tribuit panem caelestem. Summa etiam et ima dicit *sociari* propter corporis Christi praesentiam. Et *rursus,* per manus Angelorum dicitur *deferri* quantum ad devotionem offerentis, qui mittit sacrificium et orationem in caelum, quam ad Angelos spectat Domino praesentare; sed hoc in litteralibus patebit[8]. — Quod autem dicit Damascenus intelligendum est quantum ad continentiam specierum visibilium, vel in ratione conversionis substantiae panis: quia panis convertitur in corpus Divinitati unitum, et species post conversionem continent illud, et sic Divinitas utrisque dicitur *coniugari.*

3. Ad aliud patet responsio: quia totum in totum convertitur, ideo nec fit novum nec fit maius; illud autem intelligitur, si in parte converteretur[9].

4. Ad illud quod obiicitur de aliis Sacramentis, patet similiter responsio, quod non est simile: quia

---

motibus esse priorem, etiam hoc arg. affert, quod « latio [i. e. motus localis] iam perfectorum motus est ». De duplici responsione ad hanc obiect. cfr. loci Aristot. tom. II. pag. 324, nota 8. allegati. — In fine arg. pro *Romam* edd. *Romae.*

[1] Hic c. 2.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13. Pro *et bibere vinum* textus originalis *aquam et vinum bibere.*

[3] Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 5. a. 3. § 1: aut *in* quod est, aut *in* quod non est. Si *in* quod non est... si *in* quod est etc. Edd. *aut convertitur corpus Christi, quod est, aut non est.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[4] August., Epist. 102. (alias 49.) q. 1. n. 6: Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia. — Permulti codd. et ed. 1 omittunt *aquam.*

[5] Hic in lit. c. 2, ubi etiam haec positio auctoritate Ambrosii et Gregorii improbatur.

[6] Scilicet in fundam. 3. — Cfr. de his rationibus supra d. 10. p. I. q. 1. et infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2. — Paulo superius ante *utilitatem* edd. et non pauci codd., sed refragantibus codd. G H I O S Y, addunt *miraculi.* Inferius pro *potestatem,* quod habent edd. et plures codd., ex cod. Y substituimus *possibilitatem.*

[7] Cfr. infra q. 4.

[8] Infra dub. 3. et 4. — Superius pro *large* codd. F G H *largiter,* plures alii *largum.*

[9] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 9: Conversio autem ipsa non secundum *unionem,* sed secundum *transitionem* credenda est; quoniam nequaquam essentiae in augmentum accidit, ut per id quod accedit, maius fiat, sed transitione, ut id quod accedit, cum illo ad quod accedit, unum fiat. Nec

hoc est maius quantum ad rem contentam [1]. *Praeterea*, in aliis *res* est gratia, quae creatur; sed corpus Christi non creatur tunc in Sacramento.

5. Ad illud quod obiicitur de miraculo, patet similiter: quia miraculum ponitur hic propter veritatem Sacramenti et congruitatem et etiam utilitatem, sicut visum est.

6. Ad ultimum quod obiicitur de cibo et cibabili, dicendum, quod panis non convertitur in corpus Christi, sicut cibus in cibabile; nec corpus Christi convertitur in se, sed Deus convertit [2], ut ubi erat panis, qui est cibus corporalis, sit corpus Christi, non per transmutationem in corpore factam, sed in pane in ipsum prius existens transeunte.

SCHOLION.

I. Catholica doctrina de *transsubstantiatione* elementorum in eucharistia definita est (an. 1079) contra Berengarium, qui profitere debuit, « panem et vinum *substantialiter* converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem D. N. Iesu Christi »; item contra Wikleff, (Concil. Constant. artic. 1. 2, et Martini V. artic. 16.); et a Concil. Florent. in Decreto pro Armenis; sed praecipue a Concil. Trident., Sess. 13. c. 4. et can. 2; cfr. etiam Pii VI. Bulla *Auctorem fidem* n. 29. Ipsum vocabulum *transsubstantiatio*, aptissimum ad exprimendam veram doctrinam, iam adhibuit Innocentius III, libr. III. Decret. tit. 41. c. 6.

II. Licet in substantia huius dogmatis Scholastici conveniant, tamen in eodem explicando et subtilius determinando variae fuerunt opiniones, immo etiam errores, ut ex sequentibus patebit. Hanc autem conversionem prorsus esse *singularem* (ita Concil. Trident. can. cit.) et ab omni alia naturali conversione atque ab omni alia divina actione distinctam, communiter tenebatur cum S. Bonav., qui (infra q. 2. in corp.) sapienter verum conceptum eiusdem ita describit, ut principales Scholastici cum ipso satis conveniant. Tamen in non paucis subtilioribus de *modo* transsubstantiationis quaestionibus, magis curiosis quam utilibus, valde dissentiunt auctores sive ipsa re, sive in modo loquendi. Sufficiat hoc loco commemorare differentiam magis notabilem inter opinionem, quam sustinet Scotus (hic q. 1. et 3. n. 22. seqq.) cum non paucis eximiis theologis, et opinionem, quam secundum S. Thomam Thomistae defendunt, scilicet utrum haec conversio dicenda sit cum Scoto *adductiva*, an potius *productiva*. Conveniunt omnes in hoc, quod transsubstantiatio non sit conversio *accidentalis*, sed *substantialis;* nec substantialis *incompleta* (remanente materia ut subiecto communi, quae proprie est *transformatio*), sed *completa*, quae, manentibus dumtaxat speciebus, *totam* substantiam convertit. Pro utraque sententia explicanda notamus:

1. Scoti sectatores *conversionem transsubstantiationemque* distinguunt ab *actione* conversiva, ita ut illa respiciat ipsum subiectum vel substantiam (scilicet desinentem ut terminum *a quo* et succedentem ut terminum *ad quem*, cum ordine successionis unius ad alterum), econtra *actio conversiva* praecise respiciat agentem; quam actionem volunt esse per se nec *productivam* nec *adductivam*, sed exprimere tantum ordinem et relationem mutationis. Quatenus autem haec actio habeat ut quid concomitans rationem *praesentialitatis*, potest esse vel *productiva*, quae est cum successione in ipso *esse* simpliciter, vel *adductiva*, quae non producit novum *esse* termini *ad quem*, sed tantum iam praeexistentis successionem *in praesentia*. His suppositis, iidem distinguunt, sicut duplicem actionem, ita duplicem *terminum* transsubstantiationis, scilicet *formalem*, qui est ipsa corporis Christi praeexistens substantia, et *concomitantem*, qui est *relatio praesentiae* ipsius termini *ad quem* per actionem *adductivam*. Haec, ut dicunt, minime confundenda est cum ipsa conversione transsubstantiante, quae dici debet proprie *substantialis*. Ipsa enim formaliter habet pro termino *a quo* substantiae panis desitionem et pro termino *ad quem* corpus Christi, in quo tamen nihil *substantiale* de novo acquiritur, sed tantum nova *praesentialitas;* unde ratione termini *ad quem* actio dicitur *adductiva* concomitanter. Ita fere Scotum exponunt plures Scotistae cum Mastrio (cfr. praecipue Rada, Controvers. p. IV. controv. 6.).

2. Quod autem transsubstantiatio implicet conversionem *productivam*, tenent discipuli S. Thomae, ut vindicent actioni transsubstantianti rationem actionis *substantialis*, etiam a parte termini *ad quem*. Attamen ipsi in expositione huius sententiae satis difficilis diversas vias ingrediuntur, de quibus consulantur recentiores auctores. Licet S. Thom. non utatur vocabulo *productiva*, tamen principium fundamentale huius sententiae adhibet passim in S. III. q. 75, praesertim a. 4, quod scilicet nihil possit alicubi esse de novo nisi vel per loci mutationem, vel per conversionem alicuius in ipsum; et cum primum hic non habeat locum, alterum necessario ponendum esse. Hanc rationem Scot. (hic d. 10. q. 1. 3, et d. 11. q. 1. 3.) pluribus argumentis evertere nititur.

3. S. Bonav. supra d. 10. p. I. q. 3. et alibi rationem praesentiae corporis Christi cum S. Thoma petit ex eo, quod plura convertuntur in ipsum (cfr. ibi scholion n. II.); sed in explicatione huius rei alibi aliquatenus Scoto favet. Praeter ea quae hic q. 2. dicit, in d. 10. p. II. a. 1. q. 1. transsubstantiationem ponit tantum in eo, quod corpus Christi sine sui mutatione sit *alibi;* infra q. 6. docet, locutionem: corpus Christi *fit*, esse impropriam, propriam vero esse: *fit hic;* denique I. Sent. d. 44. a. 2. q. unica in corp. dicit: « Facere quod factum est nihil est facere ». Attamen cum ipso Scoto et communi manifestaque sententia asserit (hic q. 2), hanc praesentiam non esse per mutationem proprie *localem*, cum non recedat a priori loco.

III. Quoad 1. quaestionem et 1. fundam. observamus, Scotum (hic q. 3. n. 9.) et Durandum non concedere, ex verbis consecrationis *stricte* concludi posse, quod non remaneat substantia panis. Sed Concil. Trident. Sess. 13. c. 4. eodem argumento Scripturae utitur.

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 5. a. 3. § 1. — Scot., de hac et seq. q. hic q. 3, et cfr. q. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 75. a. 4. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

---

sic in pane corpus Christi consecrari dicimus, ut de pane corpus Christi *esse* accipiat, nec quasi novum corpus subito factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatam essentiam.

[1] Vide supra d. 7. dub. 3. et d. 8. p. I. dub. 2. — De seq. ratione cfr. supra d. 8. p. II. a. 1. q. 1. in corp.

[2] Cfr. supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3. — Inferius post *in corpore* Vat. supplet *Christi*.

QUAESTIO II.

Utrum totus panis convertatur in corpus Christi, an aliquid remaneat praeter accidentia.

Secundo quaeritur, utrum totus panis convertatur in corpus Christi, an aliquid remaneat praeter accidentia. Et quod totus non convertatur, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia « nihil est in genere, quod non sit in aliqua eius specie [1] »; sed transsubstantiatio est mutatio, et in omni specie motus aliquid manet: ergo etc.

2. Item, sicut in naturali mutatione est potentia *materiae,* sic et in hac potentia *obedientiae* [2]; sed ex parte transmutati, ubi est potentia *materialis,* non omnino tollitur, et ideo remanet illud, in quo fundatur: ergo videtur, quod similiter in ista aliquid remaneat, in quo fundatur *obedientiae* potentia.

3. Item, de ratione mutationis est, quod illud quod mutatur, aliter se habet nunc quam prius [3]; sed panis mutatur in corpus Christi: ergo aliter se habet nunc quam prius. Sed quod aliter nunc quam prius est aliquo modo manet: ergo et panis secundum aliquid sui manet.

4. Item, quandocumque aliqua [4] duo extrema communicant in aliquo, illud, in quo communicant, manet idem in tota transmutatione; sed panis et corpus Christi communicant in materia: ergo materia manet.

Contra: 1. Virtute verbi fit transsubstantiatio [5]; Fundamenta. sed verbum demonstrat substantiam sub accidentibus, totam, inquam, substantiam panis: ergo totam convertit.

2. Item, convertit in totum corpus Christi: ergo convertit et totum panem: quia, si tantum materiam panis, tunc videretur, quod esset conversio in solam materiam [6].

3. Item, si manet aliquid de pane, aut ut *commune* in transmutatione, aut *non* ut commune. Si ut *commune* [7]: ergo corpus Christi haberet aliam materiam, vel aliam formam; quod stultum est. Si *non* ut commune; tunc videtur, quod remaneat materia sine forma, vel forma sine materia. Sed utraque istarum per se est otiosa; sed in Sacramento nihil omnino est otiosum: ergo neutrum manet.

4. Item, si convertitur secundum partem suae essentiae, quaero: secundum quam? et ostenditur, quod secundum *formam,* quia illa est magis idonea conversioni [8]. Et *praeterea,* Sacramentum est institutum non ratione materiae, quae in omnibus communis est, sed ratione formae: si ergo verba respiciunt magis formam, tunc illam convertunt. Sed *contra:* tunc remanet materia incompleta [9]; sed divinae virtutis non est incompleta facere, sed potius incompleta complere: ergo etc.

CONCLUSIO.

Totus panis convertitur in corpus Christi, solis accidentibus remanentibus.

Respondeo: Dicendum, quod opinio aliquorum fuit — quam tamen Magister non ponit, quia modernorum est, vel etiam, quia non multum est probabilis — quod non totus panis secundum substantiam transit, sed aliqua pars essentialis remanet. Constat enim, quod accidentia remanent secundum *esse* et *operationem.* Quia *videtur,* quod remanent secundum *esse,* fuerunt qui dicerent, quod remanet etiam *materia,* quae illa sustinet, et transit forma. — Sed hoc nihil est, quia materia non est nata sustinere accidentia nec esse in actu nisi cum forma [10]. Opiniones falsae. Opinio 1. Reprobatur.

Alii *videntes,* quod accidentia habent *operationem,* et omnis operatio ortum habet a forma substantiali [11], dixerunt, quod transit materia et remanet *forma.* — Sed hoc iterum nihil est, quia forma non operatur nisi in materia. Opinio 2. Reprobatur.

Propter hoc, quamvis istud Sacramentum sit plenum miraculis, quia tamen non ponuntur esse nisi quae faciunt ad Sacramenti veritatem et eius occultationem; ideo ponunt communiter doctores, quod totum transit in totum, solis accidentibus Conclusio.

---

[1] Secundum Aristot., de quo vide supra pag. 136, nota 3. — Ea quae de mutatione (motu) eiusque speciebus tum in argg. tum in corp. huius quaest. ponuntur, Aristoteles insinuat in lib. de Praedicam. c. *de Motu;* I. Phys. text. 82. (c. 9.), V. text. 7. seqq. (c. 1. seqq.); I. de Generat. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3. seqq.), et XI. Metaph. c. 10. (X. c. 11.). — Inferius post *mutatio* in cod. aa additur *ergo est in aliqua specie motus.*

[2] Vide supra d. 10. p. II. a. 1. q. 2. ad 2.

[3] Non pauci codd. addunt *est.*

[4] Ex codd. A G H K V aa supplevimus *aliqua. Minori* cod. aa subiungit rationem; *quia omnium corporalium eadem est materia.* Cfr. tom. II. pag. 95, nota 8. et pag. 97, nota 2. necnon pag. 302, nota 9.

[5] Vide supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3.

[6] Supple: corporis Christi. — De *maiori,* in qua verbo *convertit* edd. cum aliquot codd. praemittunt *si,* cfr. infra q. 4.

[7] Sive, ut supra arg. 4. ad oppos. dicitur, quod « manet idem in tota transmutatione ». — Inferius pro *tunc videtur, quod* edd. *tunc quaeritur, utrum* (cod. O *an,* codd. R S T U X *quid).*

[8] Sicut ipsa [corporalis] etiam naturaliter magis idonea est generationi et corruptioni. Cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1.

[9] Vide II. Sent. d. 12. a. 1. q. 1.

[10] Cfr. tom. II. pag. 96, nota 5. — Aliquanto superius plures codd. snbstituunt *Quia vero* [codd. F et I a secunda manu omittunt *vero*] pro *Quia videtur, quod.* Subinde pro *quod remanet etiam materia* codd. N aa *quod remanet panis secundum materiam.*

[11] Vide tom II. pag. 300, nota 1.

remanentibus causa necessaria et utili [1]. Et propterea, relicta prima opinione, quae tollit conversionem *materiae*, relicta alia, quae tollit conversionem *formae;* magis catholicam tenemus, quod totus panis in corpus Christi convertitur, et optimo modo ista conversio *transsubstantiatio* dicitur.

Quaestio incidens solvitur. Si autem quaeras, sub quo genere motus vel mutationis continetur; dicendum, quod haec est mutatio *singularis*, quae nullum simile plenum habet; Notandum. assimilatur tamen in aliquo. Quia enim in hac mutatione nihil commune manet; assimilatur *creationi*. Quia vero principium initiale non est nihil, sed aliquid; ideo dissimilis est *creationi* et similis *generationi* [2]. Quia vero terminum finalem non habet aliquid de novo factum, sed prius existens; ideo est dissimilis generationi et similis *augmento*. Quia vero corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis existit; ideo dissimilis augmento et similis *loci mutationi*. Quia vero in alio loco existit et a proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit; ideo omni motui et mutationi dissimilis est et est prorsus mutatio *singularis*. — *Corruptioni* vero et *diminutioni* nullo modo assimilatur, quia operationes sunt imperfectae, quae non decent divinam virtutem hic operantem. *Rursus*, quia in *alteratione* variantur accidentia sensibilia, et hoc non contingit huic Sacramento propter fidem; nec illi assimilatur. Corollarium.

Solutio oppositorum. 1. 2. 3. Ex his patet primum et secundum et tertium, quia illud est verum de mutatione, in qua habent aliquid commune termini; sed hic nihil habent.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod habent commune; dicendum, quod commune habent secundum naturam *praedicationis*, sed non secundum naturam *mutationis* [3]. In illa enim mutatione nihil possunt habere commune, quia corpus Christi non potest habere nec novam materiam nec novam formam; et si aliquid maneret, impossibile esset, quod corpus Christi esset idem omnino; cum autem totum transit, nulla omnino innovatio nec formatio fit circa corpus Christi. Unde illud argumentum locum habet in naturali mutatione.

SCHOLION.

I. Conclusio S. Doctoris a Concilio Trident. (Sess. 13. c. 4.) approbata est. Hinc prima opinio in corp. relata, quam postea recepit Durandus, est erronea. Obsoletae etiam sunt aliae nonnullae opiniones, quod scilicet remaneat vel *subsistentia* panis (Godofredus), vel *existentia*, non essentia eiusdem (Bannez), vel saltem aliquid panis sit in eo, in quod transsubstantiatum fuit; quod videtur docere Henr. Gand. (Quodl. 9. q. 9, et 11. q. 4.). Loco cit. ultimo idem, postquam dixit, panem non esse annihilatum, sed conversum, esse ergo *aliquid*, addit: « Ut videlicet id, in quod conversum est; ut verum sit dicere, quod id quod fuit substantia panis, sit corpus Christi; aut si hoc non concedatur, saltem oportet concedi, quod secundum aliquem modum mirabilem et forte nobis pro hac vita non intelligibilem, verum sit dicere, quod id aliquid, quod est corpus Christi, sive aliquitas [sic] corporis Christi, ut ita liceat loqui, sit aliquid eius, quod fuit substantia panis; et per hoc etiam esse corporis Christi sit secundum eundem modum eius quod erat substantia panis ». — Specialis tamen difficultas est de conversione *formae substantialis* panis, imprimis in doctrina S. Thomae, quod tantum unica cuiuslibet rei sit forma substantialis. Nequit enim dici, quod illa convertatur in *animam* Christi, ut est perfectio totius. Cfr. S. Thom. hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. ad 2; S. III. q. 75. a. 6. ad 2, ubi docet, formam panis converti in formam corporis Christi, « secundum quod dat *esse corporeum*, non autem secundum quod dat *esse animatum tali anima* ». — Aliis autem placet recurrere pro solvenda hac difficultate ad doctrinam de pluralitate formarum substantialium. Ita Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc 2. ad 2.) dicens: « Quamvis unius sit una forma *ultima completiva*, tamen multae sunt formae *materiales disponentes*. Unde quamvis anima sit ultima forma humani corporis, in quam non transit panis; habet tamen formam aliam corporalem complexionis sive mixtionis, et in hanc transit forma panis ». Similia docent Richard. a Med. (hic a. 1. q. 2.), Henr. Gand. (Quodl. 11. q. 8.) et Scot. (hic q. 3. n. 25. seqq.). S. Bonaventuram quoad principia circa formarum pluralitatem consentire Petro a Tar., dictum est in scholio ad d. 13. a. 2. q. 2.

De hac 2. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 5. a. 3. § 2. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 1. 3; S. loc. cit. a. 2. 6. — B. Albert., hic a. 2. 3. 8. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 5. — Durand., hic q. 3.

II. Substantiam panis in transsubstantiatione annihilari, de quo tractat q. 3, docuerunt Nominales, et paulo aliter etiam Durandus (loc cit.), refragantibus principalibus Scholasticis. Scotus autem videtur esse in hoc ambiguus. De hac quaestione cfr.: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — Scot., hic q. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3.

QUAESTIO III.

Utrum ista conversio sit annihilatio.

Tertio quaeritur, utrum ista conversio sit annihilatio. Et quod sic, videtur:

1. Quia omne illud quod sic mutatur, quod nihil de ipso remanet, annihilatur; sed taliter est de substantia panis in proposito: ergo est annihilatio. Ad oppositum.

---

[1] Ut ostenditur infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2. Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 9. — Inferius pro *tenemus* codd. F G I L bb *teneamus*. Subinde verbis *in corpus* cod. aa interserit *totum*.

[2] Cfr. supra d. 10. p. II. a. 1. q. 1. — Aliquanto superius pro *quae nullum simile plenum habet* cod. aa *quae nullam similitudinem plenam habet cum speciebus motus*, et post *in aliquo* Vat. supplet *aliis*.

[3] Vide supra pag. 228, nota 10.

2. Item, succedens *generatio* non aufert corruptionem praecedentem [1]: ergo succedens *conversio* non aufert corruptionem praecedentem; sed hic corrumpitur materia et forma, et ita totum: ergo quidquid succedat, nihilominus est annihilatus panis.

3. Item, esto quod pari virtute converteretur totum universum in corpus Christi, ipsum esset annihilatum. *Probatio:* toto universo cedente in nihil, solo Christo manente, nil minus remanet, quam si converteretur totum in Christum, quia tantum Christus est: ergo si ibi esset annihilatio, et hic.

4. Item, argumentum hoc est necessarium: A non est B nec pars B nec aliquid eius nec aliquid aliud; et fuit: ergo est annihilatum. Sed panis non est Christus nec pars Christi nec aliquid aliud: ergo etc.

Contra: 1. Nihil quod convertitur in rem digniorem se, annihilatur; sed panis convertitur in rem multo digniorem se: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, actio penes terminum denominatur: ergo cum annihilatio denominetur ab hoc quod est *nihil*, et annihilatione nihil fit; sed nihil non habet aliquid de bono: ergo nec annihilatio. Sed nulla actio est a summo Bono nisi bona [2]: ergo etc.

3. Item, a summo Bono nunquam id quod est bonum, fit malum: ergo a simili nunquam id quod est ens, fit non-ens sive nihil [3].

4. Item, Augustinus [4]: «Conditor naturae nihil facit contra naturam»; sed omnis natura appetit *esse*, sicut dicit Philosophus: «Naturam, inquimus, desiderare quod melius est, et melius est *esse* quam *non esse*».

5. Item, in Sacramento debet salvari ratio signi sive conveniens significatio [5]; sed hoc Sacramentum non est corruptivum, sed conservativum et meliorativum: ergo in ipso non debet esse annihilatio.

CONCLUSIO.

Transsubstantiatio non est annihilatio, sed in meliorem substantiam commutatio.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tangit Magister in littera [6], quorundam positio fuit, quod esset annihilatio panis, cum nihil de eo remaneat, vel quia videbatur indignum dicere, quod aliquid extraneum in corpus Christi transiret; ideo rationabilius videbatur eis, quod panis corpori Christi cederet, non mutando locum, sed desinendo esse, et Christi corpus superveniret. — Sed haec positio stare non potest, cum hoc non deceat Deum facere, qui est tota causa in hac conversione, nec deceat Sacramentum opus tam vile. Opinio 1. Non probatur.

Ideo communiter ponunt omnes, quod non est annihilatio panis, immo in meliorem substantiam commutatio; et ideo *transsubstantiatio*, non annihilatio, talis conversio est et sic appellari debet [7]. *Amplius*, si panis non converteretur in corpus Christi, non esset intelligere, quomodo corpus Christi inciperet esse in altari sine sui mutatione, sicut prius [8] ostensum fuit; propter quod *conversio* panis, non *annihilatio* dicenda est. Opinio 2. et conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur: Nihil remanet de pane, ergo annihilatur; dicendum, quod istud non sequitur, quia annihilatio est non tantum *nihil de re remanere*, sed illud *in nihilum cedere;* sed hic non cedit in nihil, immo in aliquid melius. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod posterior generatio non tollit priorem corruptionem etc.; dicendum, quod verum est, quia forma corrumpitur, quae non cedit in formam contrariam [9]; sed si forma illa converteretur in contrariam, non diceretur *omnino corrumpi*, sed *in aliud transire*.

3. Ad illud quod obiicitur de universo, dicendum, quod propter hoc non annihilatur omnino. — Quod obiicit: Non plures res remanent, quam si nihil [10]; verum est *non plures res*, sed tamen *Christus* fit in pluribus locis et sub omnibus speciebus et locum omnium substantiarum supplet, et illa accidentia ex praesentia dominici corporis habent operationem, quam haberet substantia, sicut patebit infra [11]. Et cum destruitur aliqua operatio conveniens speciei, eodem miraculo redit forma panis et eius materia, sicut melius patebit infra; ideo nil *perit* propter hoc in natura, sed quodam modo ad tempus *cessat*.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, dicendum,

---

[1] Codd. N aa subiungunt *immo corruptio manet, sicut quando fit mutatio aëris in ignem, non ideo remanet, quin forma aëris corrumpatur.*

[2] Vide tom. II. pag. 113, nota 7. verba Dionysii. — De *maiori* cfr. Aristot., V. Phys. text. 7. et 48. (c. 1. et 5.).

[3] August., 83 Qq. q. 21: Esse autem et in nullo deficere bonum est, et malum est deficere. At ille, ad quem *non-esse* non pertinet, non est causa deficiendi, id est tendendi ad *non-esse;* quia, ut ita dicam, essendi causa est. Boni igitur tantummodo causa est etc.

[4] Libr. XXVI. contra Faustum, c. 3: Deus autem, creator et conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit. — Verba Aristot. habentur in II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.); in ipsis, originali textu concordante, ex codd. F G I K aa supplevimus alterum *melius est.*

[5] Ut ostensum est supra d. 1. p. I. q. 2.

[6] Hic c. 2; secundam rationem, scil. *vel* [edd. omittunt *vel*] *quia videbatur* etc., tangit hic in lit. c. 1. — Aliquanto inferius post *superveniret* Vat. ex Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. n. 5. a. 3. § 3, addit *quam quod panis in ipsum* [Alex. Hal. *in corpus Christi*] *converteretur.*

[7] Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 9.

[8] Quaest. 1. fundam. 3. — Pro *intelligere* cod. Z substituit *intelligibile.*

[9] Vide Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.), et I. de Generat. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3.).

[10] Vat. *quam si in nihil vel nullam cederet.*

[11] Dist. 12. p. I. a. 2. q. 1. ad 1, ubi etiam de seq. propositione. Cfr. ibid. q. 3. — Post pauca ex cod. H (E a secunda manu) substituimus *destruitur* pro *dicitur*, et pro *cedit* ex cod. E *redit.* (cfr. d. 12. p. I. a. 2. q. 1. ad 1.).

quod illa divisio est insufficiens, quia non sequitur, quod sit annihilatum, si non est hoc nec aliud; quia haec habet duas causas veritatis [1]: non est hoc nec aliud: aut quia cessit in nihil, aut quia transit in aliud; et ratione *huius* est vera, et hoc non est *annihilari* [2].

QUAESTIO IV.

Utrum panis convertatur in totum Christum.

Quarto quaeritur, utrum panis convertatur in totum Christum. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia ad id se extendit *conversio,* ad quod *continentia* — species enim non continent nisi virtute conversionis — sed ibi continetur totus Christus [3]: ergo panis convertitur in totum Christum.

2. Item, quod specialiter panis convertatur in *Divinitatem,* videtur: quia intentio consecrantis est, ut cibus corporalis convertatur in spiritualem; sed cibus spiritualis est Deus, qui est cibus sanctorum spirituum [4]: cum ergo conversio elementi sequatur intentionem, videtur, quod conversio sit in Deum.

3. Item, quod in *animam,* videtur: quia anima Christi in uno loco est per naturam, sicut corpus: ergo si corpus Christi non fit in multis locis, nisi aliquid convertatur in ipsum [5], pari ratione nec anima Christi. Sed anima est sub Sacramento, alioquin corpus esset exanime, quod est inconveniens: ergo etc.

4. Item, quod *sanguis* sit ibi, videtur: quia aut conversio panis *exspectat* conversionem vini, aut *non.* Si *non exspectat;* ergo ante conversionem vini virtute huius verbi: *Hoc est corpus meum,* est ibi sanguis. Sed ad id extendit se elementum *passive,* ad quod verbum *operative:* ergo elementum panis convertitur in sanguinem. Si *exspectat;* ergo est ibi successio: ergo non deberet elevari corpus in conspectu populi ante consecrationem vini, quod est contra communem ritum totius Ecclesiae; tunc enim tota Ecclesia facit, quantum in se est, simplices idololatrare, cum nondum sit ibi Christus.

Sed quod in solum *corpus* convertatur et non in *Divinitatem,* videtur: Fundamenta.

1. Quia, si in Divinitatem, tunc creatura posset fieri creator; quod est inconveniens.

2. Item, Divinitas est ubique [6], ergo ex conversione non potest de novo in aliquo loco esse: si ergo conversio facit de novo esse, ubi res convertitur; ergo non convertitur nisi in corpus unitum.

Item, quod non in *animam, videtur:*

3. Quia Sacramentum habet rationem significandi et efficiendi, et ratio significandi tantum vel amplius se extendit, quantum ratio efficiendi [7]; sed constat, quod panis non habet similitudinem ad Christi animam: ergo nec habet converti in ipsam. — *Praeterea,* si in animam converteretur; cum illa pars sit dignior, ab illa deberet denominari [8]: ergo deberet dici: *haec est anima mea.*

Item, quod non in *sanguinem,* videtur:

4. Quia, si panis converteretur in sanguinem, sicut in carnem; frustra ergo sub duabus speciebus fieret hoc Sacramentum [9]. — *Praeterea,* istae duae orationes: *Hoc est corpus meum, hic est calix sanguinis mei,* habent distinctas significationes: ergo et efficacias.

CONCLUSIO.

Panis convertitur praecise in corpus Christi, non in Divinitatem nec in animam nec in sanguinem, quae tamen ibi sunt per concomitantiam.

Respondeo: Dicendum, quod praecise panis in id convertitur, cum quo habet similitudinem; super hanc enim similitudinem fundatur *institutio,* et advenit *verbi sanctificatio* [10]. Quia ergo panis habet similitudinem tantum ad corpus, ideo est *institutum* tantum converti in corpus; et verbum sanctificans, scilicet: *Hoc est corpus meum, significat* converti in *corpus;* non in Divinitatem nec in animam nec in sanguinem aliquid panis convertitur. — Nec tamen est sub Sacramento corpus sine istis, quia [11] non sunt ibi propter conversionem, sed propter inseparabilem coniunctionem sive indivisionem. Sanguis enim est ibi ratione *commixtionis,* anima ratione *coniunctionis,* sed Divinitas ratione *unionis.*

Axioma. — Conclusio 1. — Conclusio 2.

---

[1] Cfr. tom. III. pag. 252, nota 7. — Inferius verbo *transit* cod. Y praemittit *omnino.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vide supra d. 10. p. I. q. 2. fundam. 1.

[4] Psalm. 77, 25: Panem Angelorum manducavit homo. Cfr. C. *Sicut verus est* (84.), § 1. de Consecrat. d. 2; hic lit. Magistri, c. 2, et supra pag. 187, nota 6.

[5] Vide supra d. 10. p. I. q. 3. in corp.

[6] Cfr. I. Sent. d. 37. p. I. a. 1. et 2. — In fine arg. pro *unitum,* scil. *Divinitati,* quod certo habent codd. A E X, edd. *unicum,* plures codd. dubiae sunt lectionis.

[7] Vide supra d. 1. p. I. q. 2. et 4. seq.

[8] Aristot., II. de Anima, text. 49. (c. 4.): A fine appellare omnia iustum est.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. et infra p. II. a. 1. q. 2. — De seq. ratione, in qua codd. omittunt *mei,* vide supra d. 8. p. II. a. 1. q. 1. seq.

[10] Respiciuntur verba Hug. a S. Vict. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. relata. — Inferius verbis *non in Divinitatem* Vat. praemittit *ideo.*

[11] Intellige; quia, etsi non sunt... sunt tamen propter inseparabilem coniunctionem etc.

Solatio oppositorum.

1. Ex his patent obiecta: quia, etiamsi totus Christus *contineatur* [1], non tamen in totum est *conversio;* unde falsum est, quod quidquid continetur in Sacramento, est ratione conversionis, immo ratione *conversionis* vel *indivisionis.*

2. 3. Ad aliud patet responsio, quia corpus est cibus ratione unionis cum Divinitate. — Similiter aliud de anima patet, quia corpus est in pluribus locis ratione conversionis, sed anima consequenter ratione unionis sive perfectionis [2].

4. Ad illud quod obiicitur de sanguine, similiter dicendum, quod illae conversiones non se exspectant, sed utrobique est totum [3]. Panis tamen et virtus suae formae ordinatur ad corpus primo, ad cetera sicut ex consequenti; similiter dicendum de conversione vini, sicut et panis.

SCHOLION.

I. Conclusio huius 4. quaestionis et distinctio illa inter id quod in hoc ss. Sacramento est *vi verborum,* et quod est ratione *concomitantiae,* a Concilio Trident. consecratae sunt (cfr. supra d. 10. p. I. q. 1. scholion).

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. a. 3. § 5. — S. Thom., IV. Sent. d. 10. q. 1. a. 2; S. III. q. 76. a. 1. — B. Albert., hic q. 1. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 10. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Durand., IV. Sent. d. 10. q. 2. — Dionys. Carth., IV. Sent. d. 10. q. 1.

II. In conclusione 5. quaestionis omnes doctores tenent, quod transsubstantiatio fiat in *instanti,* non successive; sed valde laborant et dissentiunt in solutione arg. 4. ad oppos. Desitio enim panis et positio corporis Christi nec possunt dici fieri in *unico* instanti intrinseco, quia tunc simul essent panis et corpus; nec, si in *duobus* instantibus fieri dicuntur, evitari posse videtur, quin sint secundum *successionem,* cum inter quaelibet duo instantia consequenter se habentia sit tempus medium. Eadem difficultas occurrit generatim in desitione et inceptione formarum substantialium. — Primam hic relatam opinionem tenet cum Scoto (Quodl. 12. n. 16.) multisque aliis S. Thom. (S. III. q. 75. a. 7; cfr. hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2.), qui distinguit instans *intrinsecum,* in quo fit introductio novae formae, et *extrinsecum,* quod est *in tempore,* deinde ibi concludit: « Et ideo est quidem dare *primum instans,* in quo est corpus Christi; non est autem dare *ultimum instans,* in quo sit substantia panis, sed est dare ultimum *tempus* ». Aliter S. Bonav., cum doceat, dari et *primum* et *ultimum instans* in *fieri,* licet non in *facto esse;* istos autem motus et incipere et desinere per indivisibilia sive in *instanti intrinseco.* Concedit quidem, duo indivisibilia in eodem *continuo* non posse esse *immediata,* cum inter unum et alterum sit tempus (nam continuum non componitur ex indivisibilibus mathematicis); sed illud negat quoad *contigua* propriam mensuram intrinsecam habentia, ut accidit in generationibus et corruptionibus. Illa autem duo instantia indivisibilia respiciunt unicum instans *extrinsecum* sive temporis, cui coëxistunt. Exemplum est in duabus semihoris sibi succedentibus cum duobus motibus. Licet motus non fiat in instanti, tamen unusquisque horum habet suum terminum intrinsecum. Si igitur istae duae semihorae conferantur cum una hora temporis continui communis, cui coëxistunt; tunc ista duo instantia non coëxistunt nisi unico illius continui instanti temporis. Eadem principia S. Doctor docet infra d. 17. p. I. a. 2. q. 1. ad 4; d. 49. p. II. art. princip. 2. a. 3. q. 1. in corp., nec non I. Sent. d. 19. p. I. a. unic. q. 4. ad 2; II. Sent. d. 1. p. I. a. 1. q. 2. ad 3. 4; III. Sent. d. 2. a. 3. q. 2. ad 5. — Cfr. etiam de *tempore* I. Sent. d. 37. p. II. a. 2. q. 2. ad 3. 5. et dub. 3; II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 2, a. 2. q. 1. et d. 7. p. II. a. 1. q. 2. ad 3.

De hac 5. quaestione praeter citatos: Alex. Hal., loc. cit. m. 5. a. 3. § 7. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 1. circa med.

III. De 6. quaestione sive de locutionibus variis, quibus hoc mysterium exprimi potest, diffuse disputat Alex. Hal., loc. cit. m. 6. a. 1-3. Cfr. Scot., hic q. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 4; S. III. q. 75. a. 8. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO V.

Utrum haec conversio sit subita, vel successiva.

Quinto quaeritur, utrum haec conversio sit subita, an successiva. Et quod sit *subita,* videtur:

Fundamenta.

1. Quia successio est per resistentiam suscipientis, ut patet in diffusione lucis in aëra, quia nihil resistens [4]; sed ex parte panis nulla est resistentia: ergo nec successio aliqua.

2. Item, « quantum operatio est a virtute potentiori, tanto velocior », ut patet in sexto Physicorum [5]; sed haec est a virtute infinita: ergo est in instanti.

3. Item, non ob aliud est successio in operatione nisi propter praeparationem et inductionem proprietatum [6]; sed hic nulla est praeparatio: ergo nulla successio.

4. Item, si successio, aut haec est, quia *panis* successive abiicitur, aut quia *corpus* successive

---

[1] Cod. N supplet *sub Sacramento.*

[2] Sive in quantum anima est corporis forma (ἐντελέχεια i. e. forma, actus, perfectio). Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 4. seqq. (c. 1.). — De praeced. solut. vide supra d. 10. p. I. q. 1.

[3] In Vat. additur *sive totus Christus.*

[4] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 71. (c. 8.), ubi maiorem et minorem velocitatem motus repetit ex maiori et minori resistentia sive impedimento, quod praebet vel *medium* pertranseundum, v. g. aqua et aër, vel ipsum *corpus* movendum v. g. gravius et levius. — Post *in aëra* cod. aa subiungit *quae est subita.* Post *nihil* edd. supplent *est ibi.*

[5] Colligi potest ex text. 11. seqq. (c. 2.). Cfr. VIII. text. 79. seq. (c. 10) iam tom. I. pag. 662, nota 3. allegati. — Pro *quantum* codd. G H aa *quanto.*

[6] Vide Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 25. seqq. (c. 4.).

introducitur. Non quia *panis* [1]; quia non est ponere, quare citius convertatur una pars quam alia, nec materia quam forma. Nec quia Christi *corpus;* quia illud non potest habere nisi *esse* perfectum et integrum.

Ad oppositum. Contra: 1. Etsi divina virtus ibi immediate operetur, operatur tamen ad verbi prolationem [2]; sed verbi prolatio est successiva: ergo et conversio.

2. Item, *si dicas,* quod non operatur *per* sermonem; tamen *simul* operatur *cum* sermone, quia nec ante nec post; sed [3] sermonis prolatio est successiva: ergo cum successivum non sit simul cum instantaneo, patet etc.

3. Item, si conversio est in instanti, quaero, in illo instanti, in quo est mutatio, quid sit; aut *panis,* aut *corpus* [4]. Non *panis,* quia panis est terminus *a quo;* non *corpus,* quia est terminus, *ad quem* est mutatio; nec *aliquid aliud:* ergo nihil; sed hoc est impossibile: ergo mutatio non fit in instanti.

4. Item, panis in illa conversione habet *esse* ultimum, similiter corpus Christi primum; aut in *eodem instanti,* aut in *alio.* Si in *eodem:* ergo simul est panis et corpus. Si in *alio et alio;* sed inter quaelibet duo instantia cadit tempus medium [5], et in illo medio est conversio: ergo etc.

CONCLUSIO.

Conversio panis in verum Christi corpus fit in instanti, non successive.

Respondeo: Dicendum, quod haec conversio est subito et in instanti. (Conclusio.) Quamvis enim fiat ad verbi prolationem, non tamen per verbum sicut per effectivum principium, sed per Verbum increatum [6], quod operatur in instanti. (Ad arg. 1. ad oppos.)

2. Quod ergo obiicit, quod non sunt simul; dicendum, quod successivum non est simul cum instantaneo secundum *totum* nec secundum *partem,* sed tamen secundum *aliquid sui,* ut puta factum vel dictum esse, quod est vel in ratione *medii,* vel *principii,* vel *finis.* Unde certum est, quod quando totum dictum est, totum factum est; sed *quando* Dominus facit, ipse novit [7]. (Solutio oppositorum.)

3. Ad illud vero quod obiicitur de illo instanti, utrum sit panis; dicendum, quod in mutatione subita simul est *fieri* et *factum esse,* et simul *desinere* et *desiisse;* quia ergo in instanti desinit esse panis, non est panis. *Rursus,* quia [8] incipit esse corpus vel convertitur in corpus, est corpus Christi. (Notandum.)

4. Ad illud vero quod quaeritur de ultimo *esse* panis, multiplex est positio.

Quidam enim dicunt, quod quia panis habet *esse* temporale, sed corpus Christi *esse* aeternum, quod ultimum *esse* panis non est nisi in tempore, primum *esse* corporis in instanti. Unde sicut instans copulatur ad tempus, ita quod nihil est medium [9]; sic et in proposito habere se dicunt. (Opinio 1.) — Sed hoc est fuga: primum, quia, si panis nunquam haberet *esse* in instanti, maneret obiectio, et non est hic solutio. Secundo, quia quod corpus Christi sit in altari vel sub speciebus, hoc est temporale. Tertio vero, quia utrumque habet *esse* permanens, et ideo *esse* utriusque est in instanti. (Non probatur.)

Propterea est alia positio, quod in eodem instanti est ultimo *esse panem* et primo *esse corpus,* eodem, inquam, secundum *substantiam,* differente secundum *rationem;* quia secundum quod est mensura ultimi *esse panis,* est terminus *praeteriti,* secundum quod primi *esse corporis* [10], est principium *futuri.* (Opinio 2.) — Sed haec positio non potest stare, quia quaecumque sit diversitas in ratione in uno instanti, nunquam *contradictoria* sunt simul vera in eodem: ergo nec *disparata* de eodem. Et *praeterea,* si *praeteritum* in sui termino esset, et *futurum* esset in sui initio; nunquam continuarentur per unum instans, immo essent simul. (Improbatur.)

Propterea est tertia positio, quod [11] est in uno instanti secundum *rem,* sed plura secundum *virtutem.* Sicut enim unus punctus fit duo puncta divisione lineae et commensuratione, ut puta si duarum linearum fiat contiguatio super lineam continuam substratam; ille unus punctus, ad quem contiguantur, aequivalet duobus: sic in instanti, quamvis non multiplicetur, quia tempus non dividitur, tamen duobus aequivalet propter commensurationem duorum ultimorum, durationis scilicet panis et corporis. (Opinio 3.) — Sed illud non potest stare, quia in *contiguis* [12] ultima simul sunt; sed in *durationibus,* quae se habent secundum prius et posterius, (Improbatur.)

---

[1] Supple (cum Alex. Hal.): *successive abiicitur.* — Aliquanto inferius post *Christi corpus* bene addit cod. aa (bb a secunda manu) *successive introducitur* (Alex. Hal.).

[2] Cfr. supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3, ubi etiam *maior* seq. arg. insinuatur.

[3] Edd. *quia.*

[4] Scilicet corpus Christi. — Inferius post secundum *quia* codd. H L P Q aa (I a secunda manu) repetunt *corpus.*

[5] Aristot., VI. Phys. text. 2: Inter puncta autem semper est linea, et inter ipsa *nunc* [instantia] tempus. — Finem arg. sic exhibent codd. N aa *ergo non in instanti.*

[6] Ut dictum est supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3.

[7] His ultimis verbis tangit S. Doctor difficultatem, quam movit supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 5. seqq., et III. Sent. d. 40. dub. 3.

[8] In cod. aa additur *in eodem instanti.*

[9] De relatione, quae invenitur inter *instans* et *tempus,* cfr. Aristot., IV. Phys. text. 103-107. (c. 11.) et text. 121-126. (c. 13.). — Paulo inferius, suffragantibus codd. II V Y (L a secunda manu) et contextu (arguitur enim ex suppositione huius opinionis), supplevimus *nunquam.* Subinde pro *est hic* multi codd. *est haec,* alii *est hoc,* et pro *vel sub speciebus* codd. A E F K L V *ut sub speciebus,* cod. G *et sub speciebus,* cod. Y *velut sub speciebus.*

[10] Edd., post *secundum quod* repetito *est mensura,* hic addunt *Christi, ut hic.* — De *disparatis* cfr. tom. III. pag. 226, nota 1.

[11] Codd. II L supplent *conversio.* Subinde post *sed* addunt codd. F G I *fit,* pro *sed plura* cod. O bene *sed in pluribus.*

[12] Plurimi codd. et ed. 1 *continuis,* sed perperam, ut patet

impossibile est, quod ultima sint simul; unde in illa *contiguatione* punctus substratus non *fit duo*, sed duo puncta *uniuntur in uno*, nec tamen *cedunt* in unum propter distinctionem corporum, in quibus sunt. Et *iterum*, quantumcumque illud verum sit, quod duo *indivisibilia* sint simul, nunquam tamen verum est, quod duo *contradictorie opposita* simul insint eidem, quia sunt incompossibilia; nec etiam ea quae necessario requirunt ordinem, non tantum *causaliter* sive secundum naturam, sed etiam secundum *esse* in actu et durationem actualem.

Propterea est quarta positio, quod est in *alio* Opinio 4. *et alio* instanti secundum *rem*, eo modo, quo in *tempore* est ponere instantia multa; quia *unum* est secundum suam *essentiam*, cuius fluxus est continuus; unde non [1] est ponere plura instantia, ut *consequenter* se habentia *secundum se;* sed tamen, secundum quod *mensurat* duas actiones discontinuas, est in eo duo signare; sicut si linea secet aliam, signat duo puncta. — Improbatur. Sed illud non potest stare, quia in nullo *continuo* nec esse nec intelligi nec signari possunt vere *duo indivisibilia*, ipso manente *continuo*, quae se habeant *consequenter*, alioquin intelligitur de necessitate ut multiplicatum. Si ergo tempus manet non intercisum, patet etc.

Et ideo dicendum est ultimo, quod *tempus* sive Opinio 5. *instans* mensura ultimi *esse* panis et primi *esse* Distinctio. corporis, potest dupliciter accipi: vel in *duratione propria* uniuscuiusque, sicut dicit Philosophus [2], quod « unumquodque propria periodo mensuratur », quae quidem cum re incipit et desinit; et sic sunt *diversae mensurae discontinuae* et *diversa instantia consequenter se habentia,* sicut sunt duo *esse*, *esse* scilicet panis et corporis. Si autem accipiatur instans secundum *communem mensuram*, quae est *tempus continuum*, non intercisum, ut est mensura motus primi mobilis, vel etiam ut tempus consideratur secundum *essentiam*, non secundum *esse* [3]*;* tunc accipit *determinatum instans* secundum nostram signationem. Signetur ergo unum instans *in tempore,* in quo ultimo est *panis;* signetur et aliud instans, in quo primo est *corpus?* Ego dico, non signetur, quia [4] non est signare *duo instantia consequenter* se habentia in *continuo*, manente continuo; unde quodlibet horum *per se* signari potest, sed duo *simul* impossibile est signare. Et sic patet, quod in alio et alio instanti habet *esse* panis et corpus secundum *rem*, et secundum quod est *mensura realis et propria;* licet secundum *mensuram communem* duo instantia immediate signare non contingat. — Hic autem modus solvendi rationabilior et certior Indicium auctoris. videtur omnibus praedictis, quoniam supra tria principia certa fundatur. Primum est, quod in eodem Tria principia. *instanti simplici* impossibile est contradictoria esse, quantumcumque instans habeat diversitatem secundum considerationem. Secundum est, quod in *continuo,* manente continuo, impossibile est instantia esse *consequenter* nec vere signari. Tertium est, quod inter *esse panem* et *corpus* Christi, vel inter duo contradictoria nihil est medium [5].

QUAESTIO VI.

Quibus verbis illa conversio debeat exprimi.

Sexto et ultimo quaeritur, quibus verbis debeat exprimi ista conversio. Et ostenditur, quod per verbum *substantivum*, ut dicatur: Panis erit corpus Fundamenta 4 positionum. Christi; et quod fuit panis etc.; et hoc *auctoritate* et *ratione.*

1. *Auctoritate:* quia Ambrosius [6] dicit: « Quod erat panis ante consecrationem est corpus Christi post consecrationem ».

2. Item, *ratione* videtur: quia ubi totum transit in totum, fit maior unio, quam ubi pars in partem; sed ubi pars in partem, vera est [7], ut puta secundum *accidens* album erit nigrum, et secundum

---

ex Aristot., VI. Phys. text. 1: *Continua* quidem, quorum ultima sunt unum; *tangentia* [sive contigua] vero, quorum [ultima sunt] simul; *consequenter* autem, inter quae nihil est eiusdem generis. Cfr. ibid. V. text. 21. seqq. (c. 3.), et de Praedicam. c. *de Quanto*, ubi haec fusius explicantur.

[1] Fere omnes codd. cum ed. 1 perperam omittunt *non*, quod iam secunda manus in cod. E supplevit, cod. A legit: *unde est ponere plura instantia, nec consequenter* etc.

[2] Libr. II. de Generat. et corrupt. text. 57. (c. 10.): Tempus et vita uniuscuiusque habet numerum... Omnium enim est ordo; et omne tempus et vita mensuratur periodo; sed tamen non eadem omnes, sed hi quidem minori, hi autem maiori; his annus quidem enim; his autem maior, aliis autem minor periodus est mensura (ed. Veneta Bernardini de Tridino, 1489). — Pro *periodo* codd. R S T *mensura*, cod. bb *modo vel mensura*. Superius pro *duratione*, quod exhibent codd. E L (bb a secunda manu), alii codd. et edd. *divisione*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Antiqua manus in margine cod. P hoc posuit exemplum: *Unus est radius solis secundum* essentiam, *qui transit per diversa corpora transparentia et habet ibi diversa* esse, *secundum quod illa corpora diversimode sunt colorata.* Mox pro *accipit* Vat. *accipitur*. Subinde pro *unum instans* permulti codd. et ed. 1 *ultimum instans*, cod. A *primum instans.*

[4] Ita fere omnes codd., cod. H, omisso *non, signetur, quia,* codd. F G I *quod non signetur, quia;* edd. brevius *dico, quod non est signare.*

[5] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[6] Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 16. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Supple: propositio.

substantiam, ut quod fuit sub forma ignis modo est sub forma aëris: ergo multo fortius hic, ubi *totum* transit in totum.

Item, quod in verbo *mutandi,* videtur.

3. Damascenus[1]: « Panem et vinum fecit ea corpus et sanguinem suum ».

4. Item, *ratione* videtur: quia quod mutatur, et non annihilatur, non fit nihil, sed aliquid[2]; sed panis mutatur, et non annihilatur nec fit aliud quam corpus: ergo etc.

Item, quod cum verbo *possendi:*

5. Ambrosius[3]: « Quod est panis potest esse corpus consecratione, quae fit Christi sermone ».

6. Item, *ratione* videtur: quia omne quod mutatur in aliquid, habet *posse* ad illud, quia omnem actum antecedit potentia aliqua[4]; sed panis mutatur in corpus Christi: ergo etc.

Item, quod cum *praepositione:*

7. Ambrosius, de Sacramentis[5]: « Ubi accessit consecratio, de pane fit corpus Christi ».

8. Item, *ratione* videtur: quia hic est transsubstantiatio; aut ergo de *aliquo,* aut de *nihilo.* Non de *nihilo:* ergo de *aliquo:* ergo de pane, cum non sit dare de alio.

Ad opposi-tum. CONTRA: 1. Hoc verbum *est* notat identitatem[6]; sed panis ad corpus non est identitas nec in forma nec in materia: ergo talis locutio, scilicet cum verbo *substantivo,* quod notat identitatem, est falsa.

2. Item, omne *fieri* terminatur ad *factum esse*[7]; sed in hoc Sacramento nihil factum est, quia corpus non est nunc factum: ergo nec *fieri* est ibi: ergo sunt falsae cum verbo *fiendi.*

3. Item, omnis potentia aut est *activa,* aut *passiva*[8]; in pane non est *activa* nec etiam *passiva,* quia tunc esset ad actum: ergo cum hoc verbo *potest* est falsa locutio.

4. Item, haec praepositio *de* et *ex* dicit *causalitatem,* aut *ordinem,* ut de mane fit meridies[9]. Hoc non potest stare, secundum quod dicit *causalitatem,* nec secundum quod dicit *ordinem,* quia tunc est sensus: post *panem* est corpus; pari ratione posset dici de *verbo:* corpus post *verbum.*

CONCLUSIO.

Illa tantum propositio est vera et propria, in qua verbum significat non identitatem neque innovationem neque ordinationem naturalem; sed solum conversionem cum praepositione importante transitum, non causam.

RESPONDEO: Dicendum, quod ista conversio est singularis, quia totum in totum transit, et hoc virtute supra naturam[10]; ideo panis ad corpus non est *identitas,* non est *causalitas,* in Christi corpore nulla est *innovatio,* in pane nulla est secundum causas inferiores *ordinatio.* Ex his eliciuntur quatuor regulae. Conclusio 1.

Regula prima. Prima est, quod omnia verba significantia *identitatem* panis ad corpus Christi faciunt sermonem falsum. Unde omnes tales locutiones *impropriae* sunt et exponendae: panis erit corpus Christi, vel, quod fuit panis est corpus Christi, id est, conversum est in corpus[11]; *simpliciter* non sunt recipiendae cum relativo et verbo substantivo. — Et ideo non valet ratio, quam adducit. Quia enim totum in totum transit, non est maior identitas, immo minor, immo nulla. Ad fundam. 2.

Secunda. Secunda regula est, quod omnia verba significantia *innovationem* circa corpus Christi sunt falso dicta; quae autem significant *conversionem* et transitum vere dicuntur. Et quia *generari* dicit *innovationem, fieri* potest dicere *transitum,* ut cum dicitur: hoc fit illud; ideo cum verbo *fiendi* potest concedi, non cum verbo *generandi.* — Et concedendae sunt rationes ad hoc. — Ratio ad oppositum non valet, quia obiicit de *fieri,* prout dicit alicuius *generationem;* sed non sic accipitur hic. Unde haec est magis propria: *panis* fit corpus, quam[12]: *de pane* fit corpus; et haec simpliciter est impropria: corpus Christi fit, sed conceditur: *fit hic.* Ad arg. 2. ad oppos.

Tertia. Tertia regula est: quia non est *ordinatio* panis ad corpus Christi secundum causas *inferiores*[13]; ideo verba hoc significantia, sicut hoc verbum *potest,* absolute dictum, faciunt locutionem falsam, ut

---

[1] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13. — Pro *mutandi* Vat. cum aliquot codd. *fiendi.*

[2] Cfr. Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.). — De *minori,* in qua codd. *ut panis* pro *sed panis,* vide supra q. 3.

[3] Libr. IV. de Sacram. c. 4. n. 14. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Cfr. Aristot., IX. Metaph. text. 13. seqq. (VIII. c. 8.).

[5] Libr. IV. c. 4. n. 14. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[6] Cfr. supra pag. 190, nota 3.

[7] Vide Aristot., VI. Phys. text. 59. (c. 6.). — *Minor* ostensa d. 10. p. II. a. 1. q. 2. ad 1.

[8] Ut docet Aristot., V. Metaph. text. 17. (IV. c. 12.) et IX. text. 2. (VIII. c. 1.). — Inferius post *tunc esset* cod. aa supplet *ordinatio.*

[9] Aristot., I. de Generat. animal. c. 18, recensens modos, quibus aliquid ex alio fit, ait: Alio enim modo, cum ex die noctem fieri dicimus, aut ex puero virum, quoniam *hoc post hoc* [sive dicit: ordinem], alio cum ex aere statuam, aut ex ligno lectum, et quaecumque ex materia [sive causa materiali] fieri dicimus, ut ex aliquo, quod insit et formetur, totum sit etc. Cfr. II. Metaph. text. 7. (I. brevior, c. 2.), V. text. 29. (IV. c. 24.) et VIII. text. 11. (VII. c. 4.). Vide etiam I. Sent. lit. Magistri, d. XXXVI. c. 5. — In fine arg. codd. N aa addunt *quia panis et verbum sunt de integritate.*

[10] Cfr. supra q. 1. seqq. et d. 10. p. II. a. 1. q. 1. — Post pauca Vat., verbis *innovatio* et *causalitas* transpositis et interpunctione mutata, legit: *non est innovatio in Christi corpore, nulla est causalitas in pane, nulla* etc.

[11] In Vat. desideratur *id est, conversum est in corpus.* Immediate post voci *simpliciter,* cui Vat. cum paucis codd. praemittit *et,* codd. H P Q subiungunt *etiam,* cod. M *tamen.*

[12] Codd. R S supplent *haec.* Iidem codd. cum cod. T superius pro *ideo cum* substituunt *neque cum.*

[13] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 4.

si dicatur: panis potest esse corpus. Sed si dicatur ordinatio secundum causas *superiores;* tunc est in locutione veritas, ut si dicatur: panis potest converti a Deo. — Et sic dicit Ambrosius, et ratio concludit, quia actus ille est a potentia superiori.

Ad fundam. 5.

Quarta regula est: quia nulla est *causalitas,* sed solum *transitus* panis in corpus Christi; quod omnes praepositiones *causalitatem* importantes reddunt locutionem impropriam. Unde *impropriae* sunt cum hac praepositione *de* vel *ex,* secundum quod dicunt *causalitatem;* sed cum est aliqua acceptio *ordinis,* sustineri potest [1], nec tamen secundum illam omnino propria. — Et dicendum, quod illa est *vera* et *propria,* in qua verbum significans non *identitatem* nec *innovationem* nec *ordinationem naturalem,* sed solum *conversionem* cum praepositione importante *transitum,* non causam. Unde haec est propria: panis convertitur in corpus Christi [2].

Quarta.

Conclusio 2.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo de hoc quod dicit Magister: *Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest.* Videtur enim secundum hoc, quod omnes peccent graviter, qui disputant de his quae ad fidem spectant.

Respondeo: Dicendum, quod facienda est vis tam in hoc quod dicit *mysterium fidei,* quam in verbo *investigandi. Mysterium* enim secretum est, et illud non est *investigandum,* ut homo velit ratione comprehendere, quod Dominus voluit occultare; et qui aliter facit peccat et praesumtuosus est, dum se elevat ad id, ad quod non potest pertingere [3]. Qui autem disputat de fide non ad mysterii investigationem, sed potius ad defensionem, ille non facit contra hoc quod dicit Augustinus et Magister [4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod haec concedenda est: *Illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem est corpus Christi.* Videtur enim falsum dicere, quia *quod* est relativum identitatis [5]; sed ibi nihil manet commune: ergo talis locutio est falsa. *Praeterea,* quaero: pro quo supponit, cum dicitur: quod erat panis? Aut pro supposito *panis,* aut *Christi.* Si pro supposito *panis;* contra: isti nunquam convenit praedicatum. Si pro supposito *corporis:* ergo implicatio est falsa, quia corpus Christi nunquam fuit panis.

Respondeo: Dicendum, quod proprie loquendo — cum hoc relativum *quod* sit relativum identitatis, et suppositum non sit idem cum praedicato — quod simpliciter loquendo, proprie falsa est; nec Magister [6] dicit concedendam secundum opinionem suam. Si autem legatur a Sanctis, exponendam esse credo. Unde cum Augustinus [7] dicit, quod « corpus Christi dicimus illud quod ex fructibus terrae collectum » etc.; dicendum, quod illud dictum est quantum ad *signum exterius,* et secundum metaphoram est intelligendum illud, secundum quod *signum* pro *signato* ponitur; et vocatur hic *corpus Christi* Sacramentum corporis Christi [8].

Dub. III.

Item quaeritur: quid est quod dicit Gregorius, *in ipsa immolationis hora caelos aperiri?* Videtur enim male dicere, quia, si aperiuntur; quaero, ad quid? Si ut descendat, videtur falsum, quia potest descendere sine apertione caelorum. Et *iterum,* ad quid descendit, si panis convertitur [9] in corpus suum hic inferius? *Si dicas,* hoc dictum tropice; quaero, quo tropo?

Respondeo: Dicendum, quod panis iste, qui in altari conficitur, est panis caelestis; caelum autem dicitur *aperiri,* quando vehemens fit influentia de supernis. Quoniam igitur immolationis hora nobis panis caelestis et supersubstantialis tribuitur; hinc est, quod Gregorius caelos dicit *aperiri;* sicut in eius nativitate dicitur, quod « per totum mundum

Notandum.

---

[1] Ex cod. L supplevimus *sustineri potest,* scil. locutio. Inferius verbis *Et dicendum* Vat. cum uno alteroque cod. interiicit *ideo.*

[2] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[3] Prov. 25, 27: Qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria.

[4] Algerus, I. de Sacram. c. 9, verba, de quibus agit hoc dubium (lit. Magistri, c. 2.), attribuit *Augustino* « in libro Sententiarum Prosperi », in quo tamen ea non invenimus. — Cfr. supra d. 10. p. II. a. 2. q. 1. in fine. — Idem dub. solvit S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Petr. Hispan., Summul. tr. *de Relativis:* Relativum *substantiae* est quod refert eandem rem in numero cum suo antecedente, ut *qui, ille.* Item relativorum substantiae quaedam sunt relativa *diversitatis,* ut *alius;* et est illud quod refert eandem rem in numero et supponit pro alia, ut Socrates currit, et alius disputat. Quaedam vero sunt relativa substantiae *identitatis,* ut qui, ille, idem; unde relativum substantiae identitatis est quod refert et supponit pro eodem in numero, pro quo supponit suum antecedens, ut Socrates currit, qui disputat; ibi hoc relativum *qui* refert et supponit pro Socrate etc. — De *minori* cfr. supra q. 2. — Aliquanto inferius pro *Christi* codd. F G I *corporis Christi.*

[6] Hic in lit. c. 2. Cfr. supra q. 6.

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[8] Cfr. supra d. 10. p. I. dub. 3. et 4.

[9] Ita codd. H I Z, cod. K *convertatur,* cod. L *convertetur,* alii cum ed. 1 *converteretur,* Vat. legit *scilicet ut panis converteretur.* Mox pro *hic inferius* permulti codd. *hic et inferius.* Subinde ante *quo tropo* cum codd. F G H L omisimus *in.*

melliflui facti sunt caeli [1], quia datus est nobis ille qui dulcior est *super mel et favum.*

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In caelum rapitur, ministerio Angelorum consociandum corpori Christi.* Videtur enim falsum dicere, quia illud corpus sumitur a sacerdote, ergo non *rapitur* ministerio. — Item, quomodo consociatur corpori Christi, cum idem sit corpus? — Item, quaeritur: quomodo intelligitur illud quod scribitur in canone [2]: *Iube haec perferri per manus sancti Angeli tui?* quid est quod perfertur? et quis est Angelus, qui perfert?

Respondeo: Dicendum, quod sicut praedicta verba circa confectionem figurative et secundum tropum intelligenda sunt, sic et ista. Unde sicut *manus* Angelorum non intelliguntur corporaliter, sic nec *rapi* hoc Sacramentum intelligendum est localiter vel corporaliter; similiter nec *consociari* situaliter. Sed hoc intelligendum est, quod sicut Angeli intelliguntur Deo offerre *orationes nostras* et petitiones, similiter et *desideria* — non propter ignorantiam Dei, sed propter commoditatem nostram; quia suis sanctis affectibus puris nos adiuvant et merita nostra in conspectu Dei replicant, ut ex eorum puritate sancta et affectione ferventi ratione dignitatis nuntii sint acceptabilia — sic intelligendum est offerre *sacrificia,* quia sacris mysteriis assistentes una nobiscum precantur, ut nostra munera sint accepta, et una nobiscum reverentur sanctissimum corpus Christi, sicut in caelo. Ideo dicuntur in caelum *rapere* et *consociare* quantum ad hoc, quod reputant honore dignum in altari, ut in caelo. Per hunc etiam modum intelligenda est oratio canonis: quia, sicut exponit Innocentius [3], *Angelus* ille magni consilii est Christus; per *manus* illius oramus sacrificium perferri, id est ipsius meritis et precibus nostrum sacrificium Deo acceptari. Unde ipse est *pontifex et advocatus noster* et apparet continue *vultui Dei ad interpellandum pro nobis.* Et sic patent quaesita.

Notandum.

Notandum.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XI.

Pars II.

De materia, in qua fieri debet confectio eucharistiae.

Sub alia autem specie tribus de causis carnem et sanguinem tradidit etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 239.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confectione quantum ad transsubstantiationem sive conversionem; hic agit secundo, in qua specie vel substantia debeat fieri talis confectio. Et habet haec pars duas partes. In prima determinat, in qua specie vel substantia nunc conficere debeat Ecclesia. In secunda ostendit, quod sic fuerit in confectione prima, quae fuit in Coena, ibi: *Colligitur etiam ex praedictis, quod Christus* etc., ubi ostendit, in quibus [4] substantiis confecit et quale corpus discipulis dedit.

Prima pars habet tres partes. In prima ostendit, quare illud Sacramentum sive Christi corpus datur sub alia specie. In secunda, quare sub duplici specie, ibi: *Sed quare sub duplici specie sumitur* etc. In tertia vero determinat, quod aqua vino commiscenda est, ibi: *Aqua vero admiscenda est vino.* Et illa pars duas habet. In prima ostendit modum commiscendi. In secunda vero inquirit, utrum hoc spectet ad Sacramenti necessitatem, ibi: *Si vero quaeritur, an irritum sit quod geritur, si aqua* etc.

---

[1] Gregor., Libro Responsal., in festo Nativ. Domini, I. Nocturn. resp. lect. 2. — Seq. text. Scripturae est Ps. 18, 11. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 5. a. 1. § 1; B. Albert., hic a. 9; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit. — Locis citt. solvitur etiam dub. seq.

[2] Missalis Romani, post consecrationem. — Superius post *ministerio* codd. R S T supplent *Angelorum,* cod. U *angelico.* Paulo inferius ex codd. F G H L P Q V supplevimus *quod perfertur.*

[3] Libr. V. de Sacro Altaris mysterio, c. 5; sed aliam interpretationem ibi affert dicens: Salvo tamen occulto caelestis oraculi sacramento, possunt haec verba, licet simplicius, tamen securius, sic intelligi: *Iube haec,* vota fidelium videlicet et preces, *perferri per manus sancti Angeli,* hoc est per ministerium Angelorum, secundum illud quod ait Angelus ad Tobiam (12, 12.): *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. In sublime altare tuum,* hoc est in conspectum divinae Maiestatis tuae. Vide infra lit. Magistri, d. XIII. c. 1, et Comment. dub. 3. Cfr. etiam C. *Utrum sub figura* (72.) § 2, de Consecrat. d. 2; Petr. Pictav., V. Sent. c. 12, ubi quatuor expositiones affert; Praepositivus, Sum. in penultima quaest. tr. de eucharistia. — Dictio *magni consilii Angelus* habetur in translatione Septuaginta, Isai. 9, 6. In fine dubii respicitur I. Ioan. 2, 1; Hebr. 9, 24: Ut appareat nunc [codd. G V *quotidie*] vultui Dei pro nobis; et ibid. 7, 25: Semper vivens ad interpellandum pro nobis. Alii recentiores illum *Angelum* volunt esse Spiritum S.

[4] In codd. R S T Y bb non bene additur *verbis vel.* Subinde post *dedit* edd. subiungunt *et quale nos sumimus.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae determinat Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo ad intelligentiam primi quaeritur de speciebus, in quibus nunc conficit Ecclesia.

Secundo quaeritur de modo, quo confecit Christus.

Circa primum quaeruntur breviter quatuor.

Primo quaeritur, utrum hoc Sacramentum confici debeat in specie panis et vini.

Secundo, utrum utraque harum specierum sit de integritate Sacramenti.

Tertio quaeritur, utrum aqua sit de integritate Sacramenti.

Quarto, utrum in omni pane et vino possit confici Sacramentum hoc.

ARTICULUS I.

De speciebus, in quibus nunc conficit Ecclesia.

QUAESTIO I.

Utrum eucharistia confici debeat in specie panis et vini.

Fundamentum. Et quod istud Sacramentum debeat confici in specie panis et vini, ipsa Domini institutio sive consecratio [1] et Ecclesiae catholicae observatio sufficientem praebet auctoritatem et rationem. — Sed quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia secundum quod dicit Hugo [2], « crescente veritatis cognitione, signa debuerunt esse evidentiora »: ergo cum panis et vinum fuerint Sacramenta legis naturae, nullo modo debent esse Sacramenta legis gratiae, in qua tantum concurrit cognitio veritatis.

2. Item, lex scripta plus cognitionis dabat et habebat quam naturalis: ergo eius signa erant certiora et expressiora: ergo magis lex nova debuit conficere in Sacramentis sive signis traditis tempore legis scriptae quam tempore legis naturae, de quibus sunt species panis et vini.

3. Item, hoc ipsum videtur, quia in lege scripta agnus et eius sanguis offerebatur [3]; sed caro magis exprimit carnem, et sanguis sanguinem: ergo magis in illa specie debet confici Sacramentum eucharistiae quam in ista.

4. Item, species Sacramenti naturaliter habent repraesentare [4]; sed panis et vinum fiunt artificio: ergo non congruunt Sacramento.

5. Item, hoc specialiter ostenditur de *pane,* quia in hoc Sacramento specialiter debet significari Christus passus, unde ipse dicit [5]: *Hoc facite in meam commemorationem;* sed panis integer non significat passionem: ergo non congruit huic Sacramento.

6. Item, in hoc Sacramento continetur Christus ut cibus parvulorum, qui prius erat cibus Angelorum; sed cibus parvulorum est lac [6]: ergo in lacte deberet confici.

7. Item, obiicitur de *vino:* quia hic significatur Christus ut cibus sive potus sanans; sed vinum non datur infirmis: ergo non debet in vino confici hoc Sacramentum, quod est sanativum infirmitatis spiritualis.

8. Item, effectus istius Sacramenti est exstinguere morbum concupiscentiae; sed vini est accendere, Proverbiorum vigesimo [7]: *Luxuriosa res est vinum:* ergo etc.

CONCLUSIO.

Panis et vinum congrue exprimunt duplicem rem huius Sacramenti.

Respondeo: Dicendum, quod istius Sacramenti duplex est res, scilicet corpus Christi *verum* et *mysticum* [8]; et quia signa sunt instituta propter expressionem rei significatae, talia debuerunt esse, quae de sui natura nata essent utrumque exprimere. — Et quoniam corpus *mysticum* est ex multis aggregatis in unum, talia elementa esse debue- Duplex res Sacramenti.

---

[1] Cfr. Matth. 26, 26. seqq. Vide etiam supra pag. 194, nota 1.

[2] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 6. Verba vide supra d. 2. a. 1. q. 2. fundam. 1. — Quod panis et vinum fuerint Sacramenta legis naturae, insinuatur supra d. 8. p. I. a. 1. q. 2. — In fine arg. pro *concurrit* codd. E F G L *crevit.*

[3] Cfr. supra d. 8. p. I. a. 1. q. 2.

[4] Ut ostensum est supra d. 1. p. I. q. 2.

[5] Luc. 22, 19.

[6] Epist. I. Cor. 3, 1. seq.: Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. — In *maiori,* quae est secundum August., Enarrat. in Ps. 33. enarrat. 1. n. 6, post *parvulorum* Vat. addit *et humilium.*

[7] Vers. 1.

[8] Cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

runt, quae ex multis facerent unum; tale autem est panis, quia est ex multis granis puris; tale etiam est vinum, quod est ex multis acinis puris[1]: ideo recte unionem corporis *mystici* significant.

Conclusio 1.

Corpus autem Christi *verum* continetur in hoc Sacramento ut *cibus* — quia propter hoc institutum est Sacramentum[2] — et ut cibus non qualiscumque, sed ut cibus *conveniens*, cibus *efficax*, cibus *sanans*, cibus omnibus *communis*: ideo debuit institui signum, quod quidem esset cibus habens istas proprietates. Cibus autem magis *conveniens* est panis de frumento et vinum; et huius signum est, quod naturae non generat ex frequentatione fastidium, quod non convenit de aliquo alio cibo. — Est etiam *efficax* in confirmando, quia panis confortat, et vinum laetificat[3]. — Est etiam *sanus*, sicut dicit Isaac in Dietis[4], quod uterque ad sanitatem facit. — *Ulterius* est cibus *communis* et usitatus, maxime inter gentes rationabiliter viventes. Unde Damascenus[5]: « Consuetudo est hominibus panem comedere et bibere vinum; ideo coniugavit eis Dominus Divinitatem et fecit ea corpus et sanguinem suum, ut per haec quae sunt secundum naturam consueta, in quibus vita conservatur, ad ea quae sunt supra naturam, anima transferatur ».

Proprietates 4. Conclusio 2. Confirmatur.

1. Ex his patent obiecta. Quod enim obiicit, quod Sacramenta in nova lege sunt evidentiora; dicendum, quod evidentius factum est[6] ratione *verbi* additi: *Hoc est corpus meum;* sed non oportuit a parte *elementi,* quia sufficiebat illa evidentia.

Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur de signis legis scriptae, dicendum, quod evidentiora signa erant *passionis*, quia, sicut supra[7] dictum est, ad illam significandam principaliter ordinabantur, sed non evidentiora quantum ad expressionem *gratiae sacramentalis;* et hoc principaliter significatur in Sacramentis novae legis. — Et per hoc patet de carne, quia non significatur caro ut *caro,* sed ut *reficiens.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod sunt ab artificio; dicendum, quod *habilitas* est a natura, sed *perfectio* ab opere humano[8]; sic et Christus a sua origine habuit cibandi *habilitatem*, sed *actu* est cibus effectus decoctione in igne passionis et compressione in torculari crucis; sic est in ipso signo, scilicet pane et vino.

Notandum.

5. Et per hoc patet sequens, quod obiicit, quod non significat passionem; dicendum enim, quod falsum est, immo significat per decoctionem, vel etiam compressionem. — Posset tamen dici, quod non exprimitur Christus ut passus principaliter, sed ut cibus.

Aliter.

6. Ad illud quod obiicitur, quod est cibus parvulorum; dicendum, quod est cibus parvulorum et humilium, eorum tamen, qui aliquo modo creverunt, non accedentium ad fidem. Unde Augustinus[9]: « Cibus sum grandium, cresce, et manducabis me » etc. Et ideo in pane, non in lacte, fuit institutum.

7. Ad illud quod obiicitur de vino, quod non sanet; dicendum, quod vinum datur iam convalescentibus et non actu infirmantibus; in quo significatur, quod istud Sacramentum dari debet iam confidentibus per bonam conscientiam, non iacentibus in lecto peccati[10].

8. Ad illud quod obiicitur, quod auget luxuriam; dicendum est, quod hoc facit, quando sumitur ad ebrietatem, non quando sumitur ad refectionem et iucunditatem, servata sobrietate.

SCHOLION.

I. De materia eucharistiae, de qua tractant haec et tres seqq. quaestiones, agit Decretum pro Armenis Eugenii IV. in Bulla *Exsultate Deo.*

De congruentia utriusque speciei agunt: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 3. a. 2. — Scot., de hac et seqq. qq. hic q. 6. et 7. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 74. a. 1. —

---

[1] Vide supra lit. Magistri, d. VIII. c. 7. — Superius pro *facerent unum,* quod habent codd. HPQ, codd. EL aa *essent unum (*codd. E aa *in unum),* alii codd. tantum *in unum,* edd. *aggregantur in unum.*

[2] Cfr. Ioan. 6, 27. seqq. — Immediate post cod. aa addit *ut sit cibus.*

[3] Respicitur Ps. 103, 14. seq.: Ut educas panem de terra, et vinum laetificet cor hominis... et panis cor hominis confirmet.

[4] Florentiae in bibliotheca Laurentiana habetur opus huius auctoris in cod. (Plut. LXXIII. n. XLII. membr. in fol. parv. saec. XIV. ineunt.), qui fol. 1. exhibet librum *Dietarum universalium,* cuius initium est: *Quoniam imprimis coegit antiquos disputare de naturis.* In dicto cod. fol. 14. v. haec leguntur: « Cibaria subtilia sunt triplicia... aut in passione et substantia subtilia, sicut *panis de grano* bene coctus et carnes perdicum... propterea quia actioni naturae obedientia, et laudabilissimus sanguis est, quem generant... ideoque hoc cibarium utilissimum in sanitate sanis custodienda et infirmis reddenda » etc. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 1. § 7. inter alias rationes pro congruentia *vini de vite* ad Sacramentum hanc affert, « quae habetur ab Isaac in *Dietis particularibus:* vinum bonum dat nutrimentum corpori, sanitatem reddit et custodit, si accipiatur, secundum quod oportet». Cfr. cod. Vat. Reg. 1304 (Romae) fol. 79. et fol. 105-108. Praedicta duo opera Isaaci (Ishâk), filii Salomonis, arabico idiomate scripta, in Latinum transtulit Constantinus Africanus (XI. saeculo), et impressa sunt Lugduni 1515.

[5] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13, ubi textus originalis *aquam et vinum* pro *vinum* substituit, et verba *in quibus vita conservatur* omittit.

[6] Codd. N aa *evidentiora facta sunt,* quibus verbis cod. aa addit *in lege gratiae.*

[7] Dist. 1. p. I. q. 5; d. 2. a. 1. q. 2. ad 3. et dub. 2; d. 3. p. II. a. 3. q. 1. in corp. et d. 8. p. I. a. 1. q. 2. ad 4.

[8] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. — De seq. propos. vide supra pag. 204, nota 1; Tertull., IV. Contra Marcion. c. 40, et hic lit. Magistri, c. 2.

[9] Libr. VII. Confess. c. 10. n. 16. Verba vide supra pag. 187, nota 6. — Pro *creverunt* codd. RS *crediderunt.*

[10] Cfr. supra d. 9. a. 2. q. 2. ad 2. et infra d. 12. p. II. a. 1. q. 2. seq.

B. Albert., IV. Sent. d. 12. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 3.

II. Respectu 2. quaestionis certum nunc est apud omnes (contra nonnullos antiquos), consecrationem utriusque speciei non esse de necessitate *ipsius Sacramenti*, scilicet ut *valide* consecretur, esse tamen de necessitate *praecepti divini*.

De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1. § 1. — S. Thom., IV. Sent. d. 8. q. 2. a. 4. quaestiunc. 1, et hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. ad 4; S. III. q. 78. a. 6. — B. Albert., loc. cit. a. 2. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 8. q. 3. a. 4. quaestiunc. 1. 3.

III. Quaestionem 3. concorditer solvunt: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1. § 5. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. III. q. 74. a. 6. 7. 8. — B. Albert., hic a. 9. 10. 11. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. 2. 4. — Durand., hic q. 5.

IV. Circa 4. quaestionem Catechismus Rom. (de eucharist. n. 13.) docet, quod « nullus panis nisi triticeus apta ad Sacramentum materia putandus est ». Dubitatur autem de quibusdam speciebus frumenti, ut de spelta vel farre, utrum specifice, an tantum accidentaliter a tritico differant, de quibus vide S. Thom., loc. cit. q. 3. ad 2. et casuistas.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. loc. cit. a. 3; S. c. Gent. IV. c. 69. — B. Albert., loc. cit. a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum utraque harum specierum sit de integritate Sacramenti.

Secundo quaeritur, utrum utraque harum specierum sit de integritate Sacramenti. Et quod sic, videtur:

1. Quia Dominus, cum illud Sacramentum tradidit, in utraque specie confecit[1]; sed non est Sacramentum completum, nisi secundum quod ipse instituit: ergo etc. *Fundamenta.*

2. Item, forma verbi est de integritate Sacramenti[2]; sed forma corporis non est nisi super panem, et forma sanguinis non est nisi super vinum: ergo utraque species est de integritate.

3. Item, nullum Sacramentum est iterandum, quamdiu manet: ergo nec consecratio supra consecrationem est addenda, cum est perfecta[3]; sed ad consecrationem panis additur consecratio vini: ergo nondum est perfecta: ergo etc.

4. Item, in hoc Sacramento exprimitur mysterium nostrae redemptionis; sed hoc non fit in solo pane, sive in corpore, sed etiam in sanguine[4]: et sic etc.

Contra: 1. In hoc Sacramento quantum ad speciem panis totus Christus continetur, nec aliquid amplius in duobus quam in uno, nec aliud, sed omnino idem: ergo videtur, quod non sit de integritate species vini; quia, illa remota, remanet totum completum. *Ad oppositum.*

2. Item, fideles integrum et perfectum Sacramentum recipiunt, nec recipiunt nisi in altera specie tantum: ergo etc.

3. Item, quaero: quae necessitas est in hoc Sacramento sanguinem Christi significari? Si quia de integritate; multo magis anima: ergo anima multo magis debet significari. *Si dicas*, quod in hoc significatur anima, quia « sedes animae est in sanguine », ut dicit Magister[5]; *contra:* anima ut perfectio est in toto corpore et in singulis partibus, non ergo in sanguine. *Praeterea*, quaedam animalia sunt sine sanguine.

4. Item, baptismus est Sacramentum valens ad remedium corporis et animae[6]; et tamen non est ibi signum nisi unicum: ergo nec hic.

CONCLUSIO.

Utraque species est de integritate Sacramenti eucharistiae quoad significantiam, sed non quoad efficaciam.

Respondeo: Dicendum, quod in Sacramento duo sunt, scilicet *efficacia* et *significantia*. Esse igitur de integritate Sacramenti dupliciter est: aut quantum ad *efficaciam;* et sic neutra species est de integritate, sed in qualibet totum[7], quod habet efficaciam; aut quantum ad *significationem*, et sic sunt de integritate, quia in neutra per se exprimitur res huius Sacramenti, sed in utraque simul. Et hoc patet sic. *Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.*

Hic significatur Christus cibus perfecte reficiens manducantes *sacramentaliter* et *spiritualiter;* perfecta autem refectio non est in pane tantum nec in vino tantum, sed in utroque: ideo non in uno tantum perfecte significatur ut reficiens, sed in utroque[8]. — Reficit autem hoc Sacramentum non quoscumque, sed manducantes *spiritualiter*. Manducare *Congruentia probatur.*

---

[1] Vide Matth. 26, 26. seqq. — Superius voci *Sacramenti* codd. R S bb praemittunt *huius*.

[2] Ut habetur supra in lit. Magistri, d. III. c. 1, et Comment. p. I. a. 1. q. 2.

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. circa finem.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 4, in quo etiam 1. arg. ad oppos. insinuatur.

[5] Hic c. 4. — Quod anima sit tota in toto corpore et in qualibet parte eiusdem, ostensum est I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. — Post *significatur anima* cod. L addit *ratione vini significantis sanguinem*.

[6] Hilar., Comment. in Matth. c. 10. n. 24, dicit, quod baptismi lavacro simus « anima et corpore innovati ». Cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. ad 2.

[7] Scil. totus Christus. — Pro *in qualibet* cod. W et edd. *quaelibet* (edd. addunt *est*).

[8] Cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 2, et Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 3.

autem spiritualiter est recognoscere et affici circa eius passionem, quae fuit in corporis eius multiplici afflictione et sanguinis effusione; in quo manifestatur immensa *Dei caritas*, et in hoc anima perfecte reficitur et delectatur [1]; et ideo utrumque distincte significatur, scilicet corpus et sanguis.
Alia ratio. — *Rursus*, delectatio et refectio non est in passione, quia *passio*, sed quia nostra *redemptio;* ibi etiam mira *nostra utilitas* nos delectat, et quia redempti sumus in corpore et anima — ad hoc [2] est perfecta redemptio et Christus exposuit *corpus* et *animam* — et ideo, ut perfecta esset vel significaretur *redemptio*, et ex hoc perfecta *refectio;* debuit significari *corpus* in pane et *anima*, cuius sedes est in sanguine, in vino [3].

Epilogus. Ratio igitur integritatis est *significantia* Christi nos perfecte reficientis in meditatione suae amantissimae *passionis* et nostrae *iucundae redemptionis*, quae non per alterum horum perfecte significari potuit, sed per utrumque. — Rationes autem ad primam partem procedunt quantum ad significantiam.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud quod obiicitur primo ad oppositum, patet [4], quia, etsi totum in utraque specie contineatur, non tamen per alterum perfecte significatur. Et ideo fideles perfectum Sacramentum recipiunt, quia ad *efficaciam* recipiunt; sed quantum ad *significantiam* sufficit, quod Ecclesia faciat in eorum praesentia; nec oportet, quod ipsi recipiant, propter periculum effusionis et propter periculum erroris, quia non crederent simplices, in altera specie totum Christum recipere. — Exemplum. Exemplum patet de eo cui exivit sanguis ab hostia, quia non credebat, quod esset sanguis in specie corporis.

3. Ad illud quod obiicitur tertio: quae necessitas est, quare oporteat, sanguinem significari; dicendum, quod hoc est tum propter *passionem*, tum propter *animae redemptionem*. Notandum. Anima enim, cum sit spiritualis, non potuit in se significari, sed in annexo, ut puta in sanguine, in quo est sedes animae, non quia in solo sanguine, sed quia anima rationalis unitur mediante potentia sentiendi, et illa mediante potentia vegetandi, et illa, cum habeat tres virtutes [5], prima, fundamentum omnium, est nutritiva et nutrimentum sanguinis, vel aliquid loco eius: ideo etc.

4. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod baptismus principaliter significat mortem et sepulturam [6], sed hoc Sacramentum significat Christum *passum;* Notandum. et quoniam passus est in anima et in carne, passus corporis afflictione et sanguinis effusione: ideo utrumque hic significari debet. Unde non est simile; tamen ista non est *tota* causa nec *principalis*, sed *principalis* est [7] significatio *refectionis perfectae* secundum statum viae. — Causae congruentiae accipiuntur dupliciter. Causae autem *congruentiae* multae sunt et accipiuntur tum ex *propria* rei significatione, quam efficit Sacramentum, et haec est nostra refectio; tum rei, quam significat *allegorice*, et haec est Christi passio [8]. — Prima significatio iterum dupliciter. *Refectio* autem potest significari ut *perfecta;* et sic significatur per haec duo quantum ad modum duplicem, quia alii *suaviter*, alii cum *maiori labore* reficiuntur; prima significatur per sanguinem et speciem vini, secunda per speciem panis [9]. Vel quantum ad *effectus:* quia *confortat*, et hoc per speciem panis; et *laetificat* sive delectat, et hoc per vinum [10]. — Secunda. Quantum ad significationem *allegoricam* debet significari corpus et anima, quia Christus utramque assumsit et in utraque passus est et utramque redemit. — Et haec omnia ad *congruitatem* faciunt; et *institutio*, quae praeexigit congruitatem, superveniens inducit *necessitatem* [11].

QUAESTIO III.

Utrum aqua sit de integritate Sacramenti eucharistiae.

Tertio quaeritur, utrum aqua sit de integritate Sacramenti eucharistiae. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Cyprianus [12]: «Sicut in sanctificando calicem Domini offerri sola aqua non potest, sic nec vinum solum potest»; sed vinum est de integritate, et sine illo non potest esse Sacramentum: ergo nec sine aqua.

---

[1] Ut ostensum est supra d. 9. a. 1. q. 2.

[2] Ita edd. et plurimi codd., cod. II *ad hoc enim etiam*, cod. X *et hoc*, cod. O *hoc*. — Post *Rursus* fortasse excidit *quia*.

[3] Haec ratio affertur etiam ab Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 21. — Inferius voci *reficientis* cod. Z praemittit *redimentis et*. Subinde pro *amantissimae* codd. M O S X *amarissimae*.

[4] Edd. supplent *responsio*, et paulo inferius post *perfectum Sacramentum* addunt *sub una specie*.

[5] In edd. subiungitur glossa *scilicet generativam, augmentativam et nutritivam*. Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 27. seqq. (c. 3.).

[6] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 1, et a. 2. q. 1. seq. — Mox ex codd. E F substituimus *Christum* pro *eum* (cod. aa *tantum*).

[7] Plurimi codd. pro *est* ponunt *ut puta*. Paulo ante pro *tamen* edd. *quia*.

[8] Vide infra dub. 2.

[9] A B. Alberto, hic d. 12. a. 2, applicantur duplici huic modo versus Ps. 35, 9: Inebriabuntur ab ubertate domus tuae etc., Ps. 79, 6: Cibabis nos pane lacrymarum, et Ps. 126, 2: Qui manducatis panem doloris (poenitentiae).

[10] Vide supra pag. 255, nota 3. — In seq. propos. pro genere feminino *utramque* cod. H melius ter *utrumque* substituit, et Vat. finem ipsius sic exhibet: *et similitudo, quae praeexigitur, congruitatem, superveniens institutio inducit necessitatem*.

[11] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[12] Epist. 63. n. 13. Cfr. C. *Sic in sanctificando* (2.), de Consecrat. d. 2. — *Minor* ostensa est supra q. 1. 2.

2. Item, *ratione* videtur: quia Sacramentum corporis non potest fieri in sola farina, nisi per commixtionem aquae fiat panis: ergo nec Sacramentum sanguinis sine commixtione aquae [1].

3. Item, aut Dominus *posuit* [2], aut *non posuit;* si *posuit,* et quod ipse instituit est de integritate Sacramenti, quia qui aliter facit nil facit: ergo etc. Si *non posuit:* ergo praesumtio fuit ponere.

4. Item, quod significat aliquid, quod est de substantia et principaliter in Sacramento, est de eius substantia; sed unio aquae cum vino significat unionem ad caput, ut dicit Beda [3], et habetur in littera.

5. Item, vinum significat sanguinem, qui fluxit de latere Christi; sed non tantum sanguis fluxit, immo *sanguis et aqua* [4]: ergo imperfectum est Sacramentum, nisi utrumque apponatur.

Fundamenta. SED CONTRA: 1. Nihil est de substantia Sacramenti huius materialiter, quod non remanet neque secundum substantiam neque secundum accidentia; sed aqua est huiusmodi [5]: ergo etc.

2. Item, elementum, quod est de substantia unius Sacramenti, non est de substantia alterius, cum sint Sacramenta distincta; sed aqua est materia baptismi: ergo non est de necessitate huius Sacramenti.

3. Item, omne quod est de substantia, aut est quantum ad *significantiam,* aut quantum ad *efficaciam;* non quantum ad *significantiam* [6], quia debent significari corpus Christi verum et mysticum; et sanguis sufficienter significatur per vinum, et similiter unio corporis mystici. Nec quantum ad *efficaciam,* quia sine aqua est transsubstantiatio.

De congruitate. Item, quidquid sit de *integritate,* quaero de *congruitate;* et videtur, quod non sit *congruum,* aquam apponi:

Ad oppositum. 6. Quia hoc Sacramentum est rei habentis *omnis saporis suavitatem* [7]; sed aqua est insipida: ergo non congruit.

7. Item, pani nihil additur, ergo nec vino; vel si additur, quaeritur: quare?

8. Item, Dominus non legitur apposuisse: ergo videtur, quod non peccat qui non apponit, sed multo magis qui apponit.

De praecepto. Quod autem sit de *necessitate* et *congruitate praecepti:*

Cyprianus [8]: « Nobis ignosci omnino non potest, qui admoniti sumus, ut calicem Domini cum vino et aqua mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus ».

Quaestio incidens. Quaestio ergo est, si mortaliter peccat qui omittit.

CONCLUSIO.

Admixtio aquae non est de integritate, sed de congruitate Sacramenti eucharistiae.

De integritate sunt 4. RESPONDEO: Dicendum, quod de *integritate* Sacramenti huius sunt quatuor, scilicet *materia* et *forma* et *ordo* et *intentio consecrantis;* de *congruitate* autem et *bene esse* sunt quae sunt his *annexa.* Aqua ergo, cum non sit aliquid horum, non est de *necessitate,* sed *annexum* est materiae, scilicet vino, quia adiungitur vino et in ipsum convertitur et postmodum in sanguinem; et ideo est de *congruitate.* — Ratio autem huius connexionis est expressior significatio: quia aqua significat populum et per coniunctionem sui cum vino significat unitatem capitis cum membris; per vinum autem significatur unio membrorum ad invicem [9]. — Rationes igitur ostendentes, quod aqua non sit de substantia Sacramenti concedendae sunt. Conclusio. Ratio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Cypriano, dicendum, quod Cyprianus dicit, illud non posse fieri, quod non *bene* potest, vel non *de iure* potest. Unde Alexander [10], ubi Cyprianus dicit *potest,* dicit *debet.*

2. Ad illud quod obiicitur de farina, dicendum, quod non est simile, quia farina non commixta sive per se non est cibus, sed vinum potus est per se.

3. Ad illud quod obiicitur, utrum Dominus apposuerit; dicendum, quod sic [11], sed non tanquam *necessarium,* sed tanquam *congruum;* et hoc patet, quia vinum erat, ex quo confecit: ergo aqua transierat in vinum, antequam conficeret; et quia apposuit, peccat qui non apponit, tamen nihilominus conficit.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de unione, dicendum, quod illa unio significatur per vinum, quia significatur unio membrorum ad invicem, et per consequens ad caput, non tamen ita expresse; ideo con-

---

[1] Arg. est secundum Cyprianum, hic in lit. Magistri, c. 5, relatum.

[2] Cod. X supplet *aquam.*

[3] Expos. in Marc. 14, 23: Quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vino dominici calicis aqua miscetur; attestante enim Ioanne (Apoc. 17, 15.), *aquae populi sunt.* — In lit. Magistri, cfr. hic c. 5. — Post *unionem* cod. L addit *corporis,* edd. *membrorum.*

[4] Ioan. 19, 34.

[5] Cfr. infra dub. 5, et Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 29, ubi dicit: Oportet quidem, quod tantum vini ibi ponatur, quod aqua commixtum saporem vini retineat.

[6] Supple: aqua est de substantia Sacramenti. — De hac propos. cfr. supra q. 1. seq., et de ultima huius arg. vide hic lit. Magistri, c. 5. — Superius post *de substantia* codd. O X supplent *Sacramenti.*

[7] Sap. 16, 20.

[8] Epist. 63. n. 17. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[9] Cfr. supra q. 1.

[10] In C. *In Sacramentorum oblationibus* (1.), de Consecrat. d. 2: Non enim *debet,* ut a Patribus accepimus, et ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. Cfr. infra dub. 6, et Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 32.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5, verba Cypriani et infra ad 8. — Pro *apposuerit* permulti codd. et ed. 1 *posuerit.*

gruit. — Similiter quod dicitur, quod fluxit simul; dicendum, quod per aquam illam non significatur aqua ista, nec e converso; sed aqua illa aquam baptismalem significat [1]. — Vel potest dici, quod ex hoc innuitur, commiscendam aquam vino; unde illud fuit figura huius, non hoc Sacramentum illius; hic enim sanguis, non ille tantum, sed totus, qui fluxit de corpore, significatur et continetur [2].

Aliter.

Ad illud quod quaeritur de congruitate, dicendum, quod est de congruitate.

De congruitate.

6. Quod dicit de *insipiditate*, dicendum, quod significat populum, qui est insipidus et sapidus fit per coniunctionem cum Sapientia, Christo [3], sicut aqua, cum adiungitur vino.

7. Ad illud quod obiicitur, quod non commiscetur aliquid pani; dicendum, quod non est simile: quia non potest ei sic aliquid commisceri, ut transeat in ipsum, quia durius; propterea non habet virtutem conversivam, ut vinum. *Praeterea* [4], principalius refertur ad significandam nostram redemptionem.

8. Ad aliud, dicendum, quod Dominus apposuit; et quidam hoc coniiciunt propter Domini sobrietatem, quod non biberit vinum purum, maxime forte, tale quale est in terra promissionis. Sed haec coniectura debilis est. — Sed scimus, quod Apostoli, qui Coenae Domini interfuerunt, ita Ecclesiae reliquerunt [5]. Nec obiectio valet de Evangelio: quia non omnia scripta sunt; et ratio, quare de aqua non est scriptum, est, ne putetur *de substantia* Sacramenti; ne autem putetur *praeter necessarium,* fuit in passione Domini insinuatum, cum *exivit sanguis et aqua* [6].

Ratio quorundam.

Ratio auctoris.

Notandum.

Et ideo peccat qui omittit, et qui ex haeresi, vel contemptu omitteret, peccaret mortaliter: Qui enim negligit ex hoc, quod nullam habet diligentiam, peccat mortaliter; qui negligit ex hoc, quod habet diligentiam semiplenam, peccat venialiter, sed tamen graviter peccat, quia hoc Sacramentum cum omni diligentia est consecrandum. Et quantum istud opus et hoc Sacramentum praecellit alia opera, tantum negligentia in hoc praeponderat aliis negligentiis [7].

Ad quaest. incidentem.

QUAESTIO IV.

Utrum Sacramentum eucharistiae possit confici in omni pane et vino.

Quarto quaeritur, utrum hoc Sacramentum possit confici in *omni pane et vino.* Et quod sic, videtur:

1. Quia est cibus communis: ergo debet fieri in materia communi, sicut baptismus, propter excusationem pauperum [8]: ergo in omni pane et in omni vino, quae habent rationem reficiendi et potandi.

Ad oppositum.

2. Item ostenditur, quod possit confici in pane et vino *corrupto,* quia dicit Innocentius [9]: « Etsi diligenti studio vinum optimum sit quaerendum, vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti »; eadem ratione nec panis: ergo etc.

3. Item ostenditur, quod in pane et vino *mixto:* quia, sicut vino commiscetur aqua, ita granis frumenti commisceri possunt alia grana; sed in vino mixto aqua fit et debet fieri Sacramentum [10]: ergo similiter in frumento potest.

4. Item, quod in *omni aqua,* videtur: quia omnis aqua potest converti in vinum, et [11] conversa potest converti in sanguinem: ergo etc.

Contra: 1. Quod *non in omni* pane, videtur: quia, sicut Dominus baptizando « dedit vim regenerativam aquis [12] », ita consecrando instituit huius Sacramenti materiam; sed consecravit in pane de frumento, quia ille est solum cibus paschalis, et in vino vitis: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, quod nec in vino nec in pane *corrupto,* videtur: quia vinum corruptum non est vinum, sicut homo mortuus non est homo — unde « acetum, ut dicit Philosophus in octavo Metaphysicae [13], nec est vinum nec potest esse » — similiter de pane: ergo etc.

3. Item, quod nec de *mixto,* videtur: quia « mixtio est miscibilium alteratorum unio [14] », unde in mixtione transmutantur formae mixtorum, et resultat tertium: ergo vinum mixtum non est vinum, et similiter panis: ergo etc.

---

[1] Hanc rationem tangit Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 29. — Superius post *fluxit simul* codd. O X supplent *aqua.*

[2] Vide supra d. 8. p. I. a. 1. q. 2. in fine corp. et ad 5.

[3] Cfr. I. Cor. 1, 20. seqq., et Hebr. 2, 14.

[4] Codd. L Y *Est etiam alia ratio, quia vinum* [conversum in Christi sanguinem, cuius effusione redempti sumus; cfr. Eph. 1, 7, et I. Petr. 1, 19.]. — Pro *durius* edd. *durior.*

[5] Cfr. Liturgiae tum Iacobi sive Hierosolymitana, tum Marci sive Alexandrina. Vide etiam supra pag. 194, nota 1. — Inferius respicitur Ioan. 20, 30. et 21, 25. — Paulo superius pro *biberit* non pauci codd. *biberet.*

[6] Ioan. 19, 34.

[7] Vide infra dub. 6. — De ipsa quaestione vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Cfr. supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine corp. et hic q. 1.

[9] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 29.

[10] Ut ostensum est quaest. praeced. — Inferius post *frumento* edd. cum pluribus codd. addunt *mixto.*

[11] Cod. F *et in vinum.*

[12] Secundum Bedam, supra lit. Magistri, d. III. c. 5, allegatum. — Superius post *in omni pane* Vat. addit *et vino.*

[13] Text. 14. (VII. c. 5.), ubi docet, vinum et acetum se habere sicut habitum et privationem, sive acetum esse corruptionem vini, quemadmodum et mortuum sit corruptio vivi; acetum non fieri *ex* vino, sed *post* vinum, eo modo, quo dicimus, ex die fieri noctem, neque denuo fieri posse vinum, nisi tota series naturalium transmutationum absolvatur, scil. ut acetum transmutetur in aquam, aqua per vitem in vinum.

[14] Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 90. (c. 10.).

4. Item, quod non in *aqua non naturali*, videtur: quia baptismus, qui est Sacramentum necessitatis, non potest[1]: ergo nec illud, quod debet fieri solemnius.

CONCLUSIO.

Eucharistiae Sacramentum non potest confici in alio pane quam de tritico, nec in alio vino quam de vite.

Respondeo: Dicendum, quod materia congrua huic Sacramento de natura sua est panis de frumento et vinum de vite; propter hoc quod iste cibus inter omnes cibos, et potus ille inter omnes potus est *convenientior*, *efficacior*, *sanior* et *communior*. (Proprietates 4.) Et ideo Dominus se grano frumenti comparavit, Ioannis duodecimo[2]; et ligno vitis, Ioannis decimo quinto; et ex hac causa in his duabus speciebus confecit et conficiendo instituit. Ideo in alio pane quam de frumento, vel in alio vino quam de vite non potest confici; (Conclusio 1.) et hoc determinavit Concilium Carthaginense[3]. In omni autem pane de frumento, sicut in omni vino de vite, (Conclusio 2.) sive ibi sit differentia *accidentalis*, sive *specifica*, ut dicunt quidam, potest confici, salvata specie illius panis et illius vini.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de omni pane propter communitatem; (Solutio oppositorum.) dicendum, quod non tantum *communitas*, sed etiam *congruitas* est hic consideranda. *Praeterea*, baptismus est Sacramentum necessitatis, sed illud non; ideo non est simile. *Praeterea*, « omnis aqua naturaliter omni aquae est eadem specie[4] », non sic omne bladum.

2. Ad illud quod quaeritur de corruptione, dicendum, quod est quaedam corruptio a *statu optimo*, (Duplex corruptio.) non tamen ab *esse simpliciter*, ut puta quando vinum turbatur vel acescit; quaedam est corruptio ab *esse simpliciter*, ut quando simpliciter desinit habere formam panis et vini, ut quando perfecte conversum est in acetum. Prima corruptio non tollit potentiam conficiendi, sed secunda tollit. Haec autem corruptio poterit discerni per gustum ab illis qui noscunt naturas rerum.

3. Ad illud quod obiicitur de mixtione, dicendum, quod mixtio dicitur dupliciter, scilicet *communiter* et *proprie*: (Duplex mixtio. Prima.) *communiter*, quando miscetur aliquid alicui alterius naturae, quod tamen non habet proportionem, sed illud tanquam praedominans solvit speciem et convertit in se; et tunc non est mixtio *proprie*, et talis potest esse in hoc Sacramento. Et de hac dicitur in fine primi de Generatione[5], quod si « gutta aquae misceatur amphorae vini, non est mixtio, quia solvitur species ». — Est (Secunda.) alia mixtio, *proprie* dicta « miscibilium alteratorum unio »; et haec repugnat. Unde tot grana possunt commisceri granis frumenti, et tantum de aqua vino, quod alterant[6] a suis naturalibus saporibus; et haec mixtio tollit potentiam conficiendi. Et ideo frumenti grana diligenter sunt secernenda, et valde parum de aqua est apponendum, maxime quando vinum est debile.

4. Ad illud quod ultimo quaeritur de aqua, dicendum, quod non aqua rosacea, nec artificialis, sed solum naturalis, quae dicitur aqua viva, est apponenda; et si apponatur alia aqua, ut transeat in vinum, fit Sacramentum; sed ille qui apponit, peccat, sicut ille qui omittit ponere aquam. Quod enim aqua significat populum[7], hoc est ratione multitudinis; et talis est aqua non artificialis, sed naturalis[8].

ARTICULUS II.

De modo, quo Christus confecit.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de modo, quo Christus confecit. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur de modo conficiendi quoad signum exterius.

Secundo, quoad contentum interius.

QUAESTIO I.

Utrum Christus confecerit in azymo, an in fermentato.

Quaeritur ergo primum, utrum confecerit in azymo, an in fermentato. Et quod in azymo, videtur:

1. Matthaei vigesimo sexto[9]: *Prima autem die azymorum.* (Fundamenta.)

2. Item, Marci decimo quarto[10]: *Et primo die azymorum:* et Lucae vigesimo secundo: *Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha;* sed isto die non reperiebatur fermentatum

[1] Cfr. supra d. 3. p. II. dub. 2.

[2] Vers. 24. — Seq. loc. est Ioan. 15, 1. Cfr. supra q. 1.

[3] Carthag. III. (a. 397) c. 24. Cfr. C. *In Sacramento* (5.), de Consecrat. d. 2.

[4] Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.). — Edd. *naturalis* pro *naturaliter*.

[5] Text. 88. (c. 10.). Vide infra dub. 5. — Superius post *proportionem* edd. addunt *in quanto*.

[6] Ita edd. et plurimi codd.; supple: *ea*. Cod. H *alteratur*, codd. X aa melius *alterantur*, alius Oxoniensis *alteratur in*.

[7] Cfr. supra q. 3, et hic lit. Magistri, c. 5. — Paulo ante pro *ut transeat* cod. aa *si transeat*.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Vers. 17. — Plurimi codd. falso *Venit prima dies azymorum*.

[10] Vers. 12. — Seq. textus est Luc. 22, 7. — De *minori*

in omnibus finibus Israel: cum ergo existens in domo Iudaeorum comederit pascha, non potuit conficere nisi in azymo.

3. Item, *ratione* videtur: quia Dominus non venit *solvere Legem, sed adimplere*[1] mandata Legis; sed praeceptum erat, Exodi duodecimo et Deuteronomii decimo sexto, quod comederent pascha cum azymis: ergo comedit azyma. Sed de illo pane confecit, quem in Coena comederat: ergo etc.

4. Item, Dominus debuit eo modo conficere, quo magis Sacramento conveniret; sed azymum ratione integritatis magis convenit huic Sacramento: ergo in pane azymorum debuit conficere; unde primae ad Corinthios quinto[2]: *Non in fermento veteri, sed in azymis.*

Ad oppositum.

1. Contra hoc est, quod Dominus *praevenit* diem azymorum; sed ante illum diem non comedebant azyma: ergo etc. Quod autem *praevenerit,* ostenditur: quia, si figurae debet veritas respondere; cum agnus, qui erat figura huius, immolaretur decima quarta luna[3]; Christus fuit crucifixus decima quarta luna; sed ante diem crucifixionis confecit: ergo in fermento.

2. Hoc ipsum probatur *auctoritate,* quia dicitur Ioannis decimo octavo[4]: *Non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha:* ergo ante ductus est ad passionem, quam manducaretur pascha: ergo praevenit: ergo idem quod prius.

3. Item, dies festus paschae dicitur prima dies, in qua manducabatur pascha; sed Ioannis decimo tertio[5] *ante diem paschae* dicitur quod fecit coenam cum discipulis suis: ergo etc.

4. Item, hoc ipsum probatur per Lucam, vigesimo tertio[6], ubi dicitur, quod mulieres in die crucifixionis *aromata paraverunt,* in sequenti quieverunt; et Glossa dicit, quod non licebat aliquid parare secundum Legem: ergo magnus dies festus fuit in sequenti crucifixionis; sed magnus dies festus erat prima dies azymorum: ergo etc.

5. Item, *ratione* videtur: quia, si Dominus noluit, nos ritum Iudaeorum servare; videtur, quod nec ipse servaverit: ergo non confecit in azymis.

Quaestio incidens 1.

Iuxta hoc quaeritur de controversia Graecorum et Latinorum, unde venerit; et videtur, quod non poterit esse; quia ipsi acceperunt ab Apostolis, et Apostoli ab uno[7] Domino: ergo vel Apostoli erraverunt, vel Graeci finxerunt. — Quaeritur etiam, qui melius faciunt; et utrum utrique bene faciant, cum aliqui modum Domini non teneant.

Quaestio incidens 2.

CONCLUSIO.

Christus consecravit in pane azymo, non in pane fermentato.

Respondeo: Ad primum dicendum, quod Dominus pascha celebravit decima quarta luna; unde non praevenit, sicut expresse tres Evangelistae concordant, nec praevenire debuit. Si ergo manducatio agni typici est evacuata per manducationem Agni veri[8], manducatio Agni veri debuit illam sequi, non praeire. Unde quia in luna decima quarta pascha fecit, quando tantum comedebantur azyma; patet, quod in azymo confecerit.

Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod *praevenit,* quia crucifixus est decima quarta luna; respondent quidam, quod luna decima quarta est crucifixus, quia solemnitates durant a sero usque ad aliud sero[9]; unde primo sero comedit agnum, et antequam veniret alterum sero, est crucifixus. — Aliter dicitur et melius, quod passio eius inchoata est statim post Coenam, quia fuit in agonia et fuit comprehensus etc.; unde optime est factum, quod agni comestio et ipsius immolatio facta est decima quarta luna, non quia consummata, sed inchoata[10].

Solutio melior.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non introierunt praetorium, ut non contaminarentur; dicendum, quod *pascha* tribus modis accipitur. Uno modo pascha *cibus paschalis* dicitur, ut azyma, quae per septem dies comedebantur a Iudaeis[11]. Alio modo pascha dicitur *agnus paschalis,* Lucae vigesimo secundo: *In qua necesse erat occidi pascha.* Tertio modo dicitur pascha *Agnus verus,* primae ad Corinthios quinto: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Et primo modo accipitur in Ioanne.

Pascha dicitur tripliciter.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de die festo, didicendum, quod illi septem dies omnes erant dies festi; sed *primus* erat per excellentiam festus dies, hoc est decima quinta; amplius maiori excellentia *Sabbatum,* quod erat inter illos dies festos, in quo

Notandum.

cfr. Exod. 13,7. — In fine arg. pro *existens,* quod praebent codd. H P Q (V primitus) Y, alii codd. et edd. *conficiens,* et pro *comederit* plures codd. *comedit,* edd. *voluit comedere.*

[1] Matth. 5, 17. — Seq. loc. est Exod. 12, 8, et Deut. 16, 3. seqq.

[2] Vers. 8.

[3] Exod. 12, 6: Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Cfr. supra d. 8. p. I. a. 1. q. 2.

[4] Vers. 28. — De hac et seqq. obiectionibus cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio; c. 4, et Alger., II. de Sacram. c. 10, nec non Humbert. cardinalis († 1064), Adversus Graecor. calumnias.

[5] Vers. 1.

[6] Vers. 56. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum, sumta est ex Beda, in hunc locum, qui dicit, quod propter mandatum Sabbati observandi mulieres, sepulto Domino, erant occupatae in unguentis praeparandis, quamdiu licebat operari, scil. « parasceve usque ad solis occasum, et transacto Sabbato, occidente sole, ut mane venientes ungerent eum ».

[7] Vat. cum pluribus codd. *ab ipso.* Inferius post *aliqui* cod. X addit *illorum.*

[8] Edd. *est figura manducationis Agni veri.*

[9] Cfr. Levit. 23, 32: A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Vide etiam Exod. 12, 18.

[10] Ita exponitur a Glossa *ordinaria* (ex Beda) apud Strabum, in Luc. 22, 7.

[11] Ut praecipitur Exod. 12, 18. — Seq. textus est Luc. 22, 7; tertius I. Cor. 5, 7.

nihil debebant parare, tum propter suam celebritatem, tum propter azyma. Quod ergo dicit Ioannes, loquitur de die decima quinta, ante quam facta est coena. Quod autem dicunt Iudaei: *Non in die festo* [1]; intelligitur de Sabbato. — Similiter, quod mulieres quiescunt, hoc est ob reverentiam *Sabbati,* non quia *primus* dies, quia in primo die aliquid parare [2], sed in Sabbato parare nil licebat.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Dominus non debuit facere nos iudaizare; dicendum, quod Dominus de Lege non retinuit, sed de novo instituit; sicut patet de baptismo, quia illi aqua lustrabantur, et nos aqua lustramur; et hoc instituit, quia Sacramento congruebat [3].

Ad quaestiones incidentes.

Ad illud quod quaeritur de controversia Graecorum et Latinorum, dicendum, quod, sicut dicit Leo Papa [4], antiqui Patres propter Iudaeorum institutionem, et quando error ille vigebat de legali observantia, decreverunt ex consilio Spiritus sancti cessare, quousque error ille minueretur, sicut decreverunt in Christi nomine baptizare. Unde omnis Ecclesia primo in azymis conficiebat, postmodum ex hac causa in fermentato. Sed cessante iam illa causa, rediit iam Romana Ecclesia ad ritum pristinum; Graeci vero, tanquam superbi, noluerunt ad ritum primum redire. Et ideo ex hoc ita coacti sunt defendere, primo dicentes, se ita accepisse; secundo vero, quia hoc non sufficiebat, addiderunt rationem: propter hoc, ne iudaizarent; tertio, quia hoc non sufficiebat, si Dominus in azymis confecisset, ausi sunt hoc dicere, quod Dominus confecit de fermentato. Et quia Evangelistae dicunt contrarium, ausi sunt dicere, quod falsum dixerunt et a Ioanne [5] correpti sunt. — Ecce, quomodo « error parvus in principio, multus est in fine [6] ». Tamen tam ipsi conficiunt quam nos; hoc enim non est de *substantia* Sacramenti, sed de *congruentia.* Et hoc patet ex imitatione vel institutione Sanctorum.

Quomodo Graeci se defendunt.

Notandum.

SCHOLION.

I. Circa 1. quaestionem praenotanda est doctrina Ecclesiae de usu panis azymi et fermentati, quam proponit Concil. Florent. in Decreto unionis Graecorum his verbis: « In azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici; sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive occidentalis, sive orientalis, consuetudinem ». Econtra Graeci schismatici, odio excaecati, consecrationem in azymo invalidam esse, irrationabiliter blaterant. — Deinde observandum est, etiam inter doctos Catholicos de tribus quaestionibus hic tactis et inter se cohaerentibus controversias exstitisse et adhuc existere:

1. Quo praecise die Christus ultimum pascha celebraverit et eucharistiam instituerit. Communius et probabilius Catholici Latini ab antiquo respondebant, hoc factum esse iuxta morem Iudaeorum, agnum paschalem edentium luna 14. mensis Nisan desinente et 15. inchoante. Hoc ipsa verba Scripturae apud Matth. 26, 17; Marc. 14, 12; Luc. 22, 7. satis clare indicant. Graeci autem volunt, Christum anticipasse diem a Lege praescriptam et eucharistiam instituisse die 13, pro quo afferunt verba Ioannis 18, 28. (qui locus aliter et rationabiliter explicari potest; cfr. hic ad 2.), adduntque hanc rationem, quod hoc supposito, Christus mortuus sit eodem die, quo agnus paschalis solebat occidi.

2. Utrum ipse Christus confecerit eucharistiam in *azymo,* ut dicunt Latini, an in *fermentato,* ut contendunt Graeci, qui hac praecipue ratione praenotatam opinionem de tempore institutionis defendunt; cui opinioni favet etiam Abaelardus (Serm. 11.).

3. Quis fuerit quoad utramque speciem panis usus antiquus utriusque Ecclesiae. Praeter opinionem in resp. ad qq. incidentes positam et historice valde dubiam, quae ob haeresim Ebionitarum ritum mutatum esse dicit, quam cum ceteris Scholasticis etiam S. Thom. (hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3.) tenet, a viris in historia doctissimis tres aliae opiniones magno conatu studioque propugnatae sunt. Nam Iac. Sirmundus cum aliis propugnat usum *fermentati* in utraque Ecclesia usque ad ortum schismatis Graeci; post eum Mabillon (Dissertatio de pane eucharistico, rursus impressa apud Migne, Patrol. Lat. CXLIII. col. 1219, in appendice ad opera Humberti) defendit usum solius *azymi* in Ecclesia Romana a primis saeculis; denique Card. Bona, usum *utriusque* obtinuisse a tempore Apostolorum. Adhuc sub iudice lis est; tamen pro antiquo usu azymi gravissima argumenta militant. — De verbis Leoni papae tributis cfr. nota 4. ad calcem. Quod hic dicitur de *Leone* Martinus Polonus in Chronico attribuit Alexandro I. (?) (cfr. Michaelis Lequien Ord. Praed. Dissert. 6. in libros Ioannis Damasc. apud Migne, Patrol. Graeca XCIV. col. 397 n. 36. seq.).

De ipsa quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 1. § 3. — Scot., hic q. 6. n. 4. seqq. — S. Thom., loc. cit.; S. III. q. 74. a. 4. — B. Albert., IV. d. 12. a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Durand., hic q. 4. n. 10. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. Circa 2. quaestionem est notandum, quod opinio Hugonis, ab Alex. Hal. intellecta ut consentiens communi, a Gulielmo Antiss. aliisque reiicitur. — Circa quaestionem de casu, quando in triduo post mortem Sacramentum fuisset reservatum; responsio S. Bonaventurae ab aliis Scholasticis approbatur; cfr. Alex. Hal., loc. cit. q. 11. m. 2. a. 1. § 5. 6; Scot., IV. Sent. d. 10. q. 6. n. 7. seqq., q. 4. n. 10. seqq.; S. Thom., hic q. 3. a. 4. S. III. q. 81. a. 4; B. Albert., hic a. 14.

De ipsa 2. quaestione: Alex. Hal., q. 11. m. 2. a. 1. § 3. — Scot., qq. citt. — S. Thom., hic q. 3. a. 3; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., IV. Sent. d. 12. a. 13. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 6. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. et 4. — Dionys. Carth., hic q. 7.

---

[1] Matth. 26, 5; Marc. 14, 2.

[2] Supple cum cod. H *licebat;* secunda manus in codd. E I addidit *poterant.* — Exod. 12, 16: Dies prima erit sancta atque solemnis et dies septima..., nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad vescendum pertinent.

[3] Cfr. Anselm., de Azymo et ferment. c. 3, et Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 4.

[4] Leo IX., qui primo huius controversiae meminit, hanc sententiam non habet, immo in epistolis ad Michaelem, Constantinopolitanum patriarcham (in ed. Migne epist. 100. n. 5. et 102.), et ad Constantinum Monomachum contrarium docet, arguens ipsum Michaelem hac in re tanquam novum Ecclesiae Latinae reprehensorem. Cfr. Innocent. III, loc. cit.

[5] Cfr. supra solut. ad 2. et 3. — Superius pro *ne iudaizarent* cod. R *ne iudaizare viderentur.*

[6] Secundum Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 33. (c. 5.). — In fine solut. codd. B L omittunt *vel institutione,* et edd. male substituunt *Sacramentorum* pro *Sanctorum.*

QUAESTIO II.

Quale corpus Christus in Coena dederit discipulis.

Secundo quaeritur de modo, quo Christus confecit quoad contentum interius; et quaeritur, quale corpus dedit discipulis in Coena. Et quod *impassibile et immortale* videtur.

Ad oppositum. 1. Matthaei decimo septimo[1]: *Transfiguratus est ante eos;* Glossa: «Illud corpus, quod habuit per naturam, dedit discipulis suis in Coena, non mortale, non passibile».

2. Item, *ratione* videtur: quia omnis caro passibilis est convertibilis: ergo si corpus passibile dedit, fuit convertibile in manducantes; quod est inconveniens.

3. Item, omni passibili potest inferri passio, et omne illud cui potest inferri passio, laeditur per contactum fortem agentis: si ergo Christus sub forma panis fuit passibilis[2], tunc ergo percussione dentium et masticatione poterat laedi.

4. Item, si passibile et mortale — esto quod esset reservatum in triduo; tunc ergo moreretur; et si hoc, non esset ibi anima: ergo nec plenum Sacramentum. Cum ergo hoc non sit ponere, constat, quod non moreretur: ergo etc.

5. Item, esto quod aliquis consecrasset in triduo, constat, quod verba eandem haberent virtutem; sed virtute verborum est ibi modo totus Christus[3]: ergo totus Christus esset ibi: ergo simul esset *vivus* et *mortuus, vivus* sub Sacramento, *mortuus* extra: ergo pari ratione *immortale* sub Sacramento, *mortale* extra.

6. Item, quod illud nullum sit inconveniens, videtur: quia, si aliquod corpus esset in pluribus locis, simul posset moveri et quiescere, et simul moveri et non moveri[4]: ergo eadem ratione simul pati et non pati, mori et non mori: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Primae ad Corinthios undecimo[5] dicit Glossa: «Solet quaeri, quale corpus discipulis suis dedit Dominus»; et respondet: «Tale, quale erat, quia passibile et mortale».

2. Item, si dedit impassibile et immortale; cum haberet in se[6] passibile et mortale: ergo aliter dedit in signo quam in se: ergo fuit ibi fictio.

3. Item, si immortale — esto quod reservaretur, simul esset vivus et mortuus: ergo simul viveret et non viveret; et si hoc, duo contradictorie opposita essent simul vera de eodem; quod non potest credi nec intelligi[7].

4. Item, cum dicitur: *Hoc est corpus meum,* panis solum convertitur in corpus; sed anima est ibi solum per concomitantiam[8]: ergo si in triduo fuisset confectum, esset mortuum corpus, cum anima esset separata: ergo similiter, si esset reservatum: ergo passibile et mortale.

CONCLUSIO.

Corpus Christi in Coena discipulis datum erat sub speciebus passibile et mortale, sed ibi erat impassibiliter.

Opinio 1. Respondeo: Circa hoc duplex est opinio: una magistri Hugonis[9] et suorum sequacium, quod Christus corpus suum immortale et impassibile dedit sub Sacramento. Et non est inconveniens, quod sit habens alterum et alterum modum essendi *habitu* et *actu. Habitu* quidem erat mortale, sed ex aliqua causa sumsit ad tempus immortalitatem; sicut subtilitatem in nativitate, agilitatem in mari, claritatem in monte[10], sic immortalitatem sub Sacramento. Nec est ibi contradictio vera, quia corpus Christi ex hoc, quod in pluribus locis est, oppositas habet proprietates, sicut *portare* et *portari, quiescere* et *moveri;* sic *pati* et *non pati.* Quantum enim ad hoc accipit rationem *universalis,* licet vere sit *singulare*[11]. Et secundum opinionem istorum, si reservatum fuisset, non esset mortuum in pyxide. — Non probatur. Sed quia haec opinio simul contradictoria ponit dici de eodem, secundum quod idem; et hoc non est necessarium ponere in hoc Sacramento: ideo minus est rationabilis.

Opinio 2. Propterea est alia opinio Magistri[12] et Innocentii et sequacium, quod «dedit tale corpus discipulis, quale habuit». Quamvis enim corpus Christi simul

---

1 Vers. 2. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

2 Ex codd. B F G R Z bb supplevimus *passibilis* [codd. B Z omittunt *tunc*].

3 Cfr. supra p. I. q. 4. — Superius post *virtutem* in cod. X additur *sicut modo.*

4 Vide supra d. 10. p. I. q. 3. ad 3.

5 Vers. 24. — Glossam exhibet Petr. Lombard. in hunc locum, quam sumsit ex Hugonis loco infra nota 9. cit. — Edd. ante *Tale* addunt *Dicimus;* textus originalis habet *Dicemus,* et pro *quia* substituit *id est.*

6 Cod. Y hic et paulo inferius *in re.*

7 Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 9. seqq. (III. c. 3. seqq.).

8 Ut dictum est supra p. I. q. 4.

9 Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 3.

10 Respiciuntur dotes corporis glorificati, de quibus infra d. 49. p. II. a. 1. princip. a. 2. q. 1. Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 12.

11 Vide supra pag. 220, nota 9. Cfr. d. 9. a. 1. q. 3. ad 4. et d. 10. p. I. q. 3. ad 3. — Pro *portare et portari* cod. G *portari et non portari.*

12 Hic in lit. c. 6; Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 12.

virtute Sacramenti sit in pluribus locis, easdem tamen habet *absolutas* proprietates, tanquam unum numero.

Et propterea ad intelligentiam obiectorum in contrarium dicendum, quod duplex est proprietas, quae convenit corpori Christi: quaedam *absoluta*, quaedam *relata ad locum*[1]. Proprietas *absoluta*, quae convenit corpori Christi, ut in uno loco est, cum sit una, convenit tamen ut in omnibus. Sed proprietas *relata ad locum*, cum sit in diversis locis, etsi conveniat ei in uno loco, non tamen oportet, quod in omnibus. Unde non oportet, quod — si corpus Christi sit in multis locis — quodsi moveatur in uno, moveatur in altero. Similiter non oportet, quodsi aliquis percutit ipsum in uno loco, quod in alio similiter percutiat, quia talis operatio respicit praesentiam localem agentis. Ita similiter non oportet, quodsi videatur in uno loco, quod in alio videatur, quia hoc respicit praesentiam visibilis.

Explicatur.

Duplex proprietas.

Concedendum ergo, quod Christus corpus passibile et mortale habebat sub Sacramento, sed tamen non poterat ibi sibi passio inferri, quantumcumque homo percuteret. Unde dicendum, quod sub speciebus illis erat passibilis, sed erat ibi impassibiliter. — Unde loquendo de passione illata, si quaeratur, utrum posset ibi pati; ista distinguenda est: aut enim hoc quod est *ibi* determinat *actum*, aut *compositionem intellectam circa subiectum*. Si determinat *actum;* falsa est, quia sensus est, quod sub Sacramento poterat ei passio inferri; et hoc est falsum, quia, sicut ibi non poterat sentiri[2], ita nec poterat ei passio inferri. Si autem determinat *compositionem intellectam circa subiectum;* sic locutio est vera, et est sensus: *existens ibi* poterat pati; quia, si passio in alio loco ei inferatur, etiam ibi passionem sentiret et moreretur. Unde si fuisset reservatum corpus illud, habuisset plagas sub Sacramento, sicut extra; sed tamen non esset illi illata passio sub tali modo existendi. Propter hoc dicunt magistri, quod ibi existens erat passibilis passione illata sibi alibi, tamen erat impassibiliter. — Et si hoc magister Hugo intellexit[3], habet veritatem; sed tunc illa adaptatio de *dotibus* non valet. Si enim *dotes* dicunt *qualitates* aliquas[4], non video, quomodo corpus non sit alteratum, saltem ad tempus. Constat autem, quod quando dedit Sacramentum, corpus eius *actu* et *habitu* habebat proprietatem passibilitatis: ergo non habebat oppositum; *modum* tamen existendi in alio alium habebat, qui modus sublimabat ipsum supra *habere positionem*[5], ac per hoc supra possibilitatem sentiendi, ut erat ibi, vel contingendi. Unde quamvis esset passibile, tamen nunquam poterat palpari ibi; similiter nec passio ibi inferri.

Conclusio.

Corollarium cum distinctione.

De opinione Hugonis.

1. 2. Ex hoc patent obiecta, quia Glossa dicit, quod dedit immortale et impassibile, quia ibi passio ei non poterat inferri vel mors, tamen alibi sic. — Patet similiter sequens, quare ibi non poterat converti, quia non erat ibi passibile[6].

Solutio oppositorum.

3. Similiter patet tertium, quia passio poterat ei inferri, sed non secundum omnem statum, ut puta secundum illum, secundum quem est insensibile.

4. 5. 6. Ad illud quod quaeritur, si in triduo fuisset reservatum; dicendum, quod mortuus esset sub speciebus; et similiter, si aliquis conficeret[7], non esset ibi nisi corpus mortuum. — Quod obiicit, quod tunc imperfectum esset etc.; dicendum, quod Sacramentum esset *perfectum ab efficacia*, quia corpus erat unitum Divinitati, *perfectum a significantia*, sed tamen *non a continentia*. Et ratio huius est, quia imperfectio erat in ipso significato, quia corpus erat mortuum. — Similiter dicendum, quod non est ibi anima[8] *virtute verborum*, sed *propter coniunctionem*. Unde quia in triduo non erat coniuncta, ideo non esset ibi, non propter virtutem verborum, quae modo sit maior, sed propter alium statum corporis; verba autem sacramentalia sunt ordinata ad convertendum in corpus, quale erat secundum statum prolationis verborum.

Notandum.

Sed nunquid poterat Christus facere, si corpus erat mortuum sub Sacramento, quod anima, egrediens de corpore pendente in cruce, intraret corpus sub Sacramento, et ita simul esset vivum et mortuum? Dicendum, quod hoc facere nil aliud esset quam redire, unde exierat; unde hoc esset corpus suum vivificare, quia omnino unum est; et ideo est ibi imaginatio mala, quia imaginatur, corpus Christi unicum esse ut diversa corpora, et quod unum sit et perfectum et vivum, et aliud non. Hoc autem non debet intelligi, quia unum tantum est corpus[9].

Quaestio incidens solvitur.

---

1 Cfr. supra d. 10. p. I. q. 4. ad 2. — Inferius post *ut in omnibus* cod. aa addit *locis, sicut esse talis quantitatis,* et post *in diversis locis* subiungit *et etiam ratione diversorum locorum.*

2 Vide supra d. 10. p. I. q. 2. in fine corp.

3 Ut probare vult Alex. Hal., loc. in scholio cit.

4 Quae scil. pertinent ad proprietates *absolutas*, de quibus superius agebatur.

5 Ita maior pars codd., cod. A *potentiam*, Vat. *passionem*, ed. 1 legit *supra hanc passionem*, cod. H *supra hanc, per hoc* etc. Paulo ante post *in alio* cod. aa addit *sicut sub Sacramento.* In fine corp. verbo *inferri* cod. V praemittit *ei.*

6 Cod. Y *passibiliter.*

7 Edd. *confecisset.*

8 Cod. F G H L U aa *quod non esset ibi tunc anima,* edd. *quod non est esse ibi animam.*

9 Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Ne abhorreret animus quod cerneret oculus.* Videtur enim nulla esse sua ratio: quia non est faciendum aliquid in solatium sensus, quod praeiudicet intellectui; sed sicut horridum est sensui comedere carnes, ita difficile est intellectui credere oppositum eius quod sentit: ergo videtur, quod melius esset, horrorem generari in sensu, ut certa[1] veritas manifestaretur in intellectu.

Notandum. Respondeo: Dicendum, quod ista non est *tota* ratio, quare sub specie velatur, quia fit in sensus solatium; sed quia fit in *sensus solatium* et in *fidei meritum,* in quo captivatur et illuminatur intellectus[2]. Si autem occultaretur sensui et intellectui non revelaretur per fidem, tunc aliquod praeiudicium fieret intellectui. Nunc autem non est ita, et ideo non valet[3].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *vinum refertur ad animam* etc. Videtur enim male dicere: quia regula est in alia scientia[4], quod *termino* semel posito non est utendum aequivoce: ergo similiter nec *signo.* Si ergo vinum significat *sanguinem* Christi, non significat *animam* Christi; vel si significat animam *Christi,* non ergo animam *nostram.*

Duplex significatio. Respondeo: Dicendum, quod sicut in *signis vocalibus*[5] duplex attenditur significatio, scilicet *propria* et *allegorica;* ita et in hac duplici significatione simul accipitur in theologia. Simile potest esse in *signis sacramentalibus,* quod unam rem significent *proprie,* scilicet vel rem, quam continent, vel effectum, quem tribuunt; aliam *allegorice,* scilicet rem, a qua virtutem trahunt, sicut a passione et eius fide[6]. Et sicut fallit regula sophistarum in primis signis, quia in theologia dictio simul accipitur *moraliter* et *litteraliter* et *allegorice;* sic fallit in his signis, quia unum principaliter et *proprie* significant et aliud *allegorice.* — Posset tamen dici, quod unum significat per alterum, ut animam per sanguinem; et sic nullum est inconveniens. Aliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius, quod *caro Christi pro salute corporis offertur.* Secundum hoc enim videtur, quod istud Sacramentum sanet corporaliter; et hoc etiam videtur Apostolus dicere primae ad Corinthios undecimo[7]: *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi;* loquitur de indigne accipientibus. Sed *contra:* est cibus spiritualis et remedium contra peccatum: ergo non videtur, quod sanitatem corporis tribuat. — Item, si tribuat sanitatem corporalem, ergo videtur, quod, corpore existente sano, non deberent homines recipere nisi sanguinem; quod non est dicendum.

Respondeo: Dicendum, quod Ambrosius loquitur de salute corporum, non quae est in *via,* sed quae erit in *patria,* quae annexa est spirituali; et Apostolus de infirmitate loquitur *spirituali.* — Si quis autem de *corporali* velit intelligere, hoc solum referendum et intelligendum est *per accidens* et valde ex consequenti; non enim[8] ad hoc nec propter hoc est institutum. Aliter.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *aqua est admiscenda;* utrum sufficiat, si admiscetur in dolio. Et videtur, quod sic, quia ante inceptionem Missae misceri potest et admixta transferri in vinum. Sed *contra* hoc est, quia talis admixtio nihil faceret ad Sacramentum.

Respondeo: Dicendum, quod admixtio aquae cum vino est *sacramentalis* — unde solius est sacerdotis — et est ad *significationem;* et ideo tunc debet poni, quando iam inchoantur sacra mysteria; et in Missa solemni poni debet post offertorium, in Missa autem privata in principio, propter periculum oblivionis; et propterea, ut forte diuturno tempore

---

[1] Edd. *et ita.* Mox pro *in intellectu* cod. M *intellectui.*

[2] Respicitur II. Cor. 10, 5: In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, et infra d. 12. p. I. a. 1. q. 2. in corp. — Inferius pro *et intellectui,* quod habent codd. F G P, in aliis *et intellectus.* In fine responsionis codd. F G addunt *illud.*

[3] Idem dub. solvit B. Albert., d. 12. a. 1.

[4] Edd. *in philosophica scientia.* Aristot., Rhetor. ad Alexandrum, c. 24. (c. 25.), monet, quod in ambiguis « nominibus semper id complectamur, quod proprium est significatum », et VI. Topic. c. 5. (c. 10.), agens de aequivocis, dicit, « quod nominatione quidem oportet uti, quae tradita est et quae sequitur, et non dimovere quae talia sunt ». — Inferius post *animam Christi* ex codd. D F H Q U V Y supplevimus *vel si significat animam Christi.*

[5] Ita codd. F G U (E I Q a secunda manu), cod. O *moralibus,* cod. bb a secunda manu *materialibus,* alii codd. et edd. male *vitalibus.* Subinde pro *Simile* cod. aa *Similiter.*

[6] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 4, d. 3. p. I. a. 1. q. 3. in corp., et III. Sent. d. 20. q. 4. in fine corp. — Paulo inferius vox *sophista* sumitur sensu largiori, scil. pro *erudito in logica.* Cfr. tom. I. pag. 380, nota 8.

[7] Vers. 30.

[8] Pro *non enim* edd. *quia nec.* — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

bene commisceatur, securius est ponere statim, cum ponitur vinum in principio Missae[1]. — Quod ergo obiicit de lymphatione in dolio, dicendum, quod illa non est sacramentalis; et ideo nihil facit ad Sacramentum[2].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut mixtio illa non possit separari.* Videtur enim, quod possit separari, quia experimentum est probatum, quod quantumcumque aqua misceatur, quod iuncus appositus attrahit aquam et segregat: ergo videtur, quod nunquam ita possit misceri, ut Magister dicit.

Respondeo: Sicut dicit Philosophus[3], « quando Opinio 1. praedominatur vinum, solvitur species aquae; et cum soluta est et conversa in vinum, totum est vinum »; et sic converti potest, non enim converti Opinio 2. potest nisi panis, vel vinum. — Aliqui tamen volunt dicere, quod aqua non convertitur in Sacramento, sed tenet semper rationem aquae; et est ibi propter significationem solum, sicut si superinfunderetur aqua post transsubstantiationem sive conversionem vini. — Hanc duplicem opinionem ponit Innocentius in decretali quadam de corpore Domini[4]. Primam tamen magis approbat, et magis videtur approbanda. Vinum enim potest convertere aquam in se in parva quantitate, ut Philosophus dicit in fine primi de Generatione[5].

Fuerunt etiam aliqui dicentes, aquam converti Opinio 3. in alios humores, et vinum in sanguinem. Sed hoc nihil est, cum solum substantia panis et vini possit transsubstantiari; unde si aliquis puram aquam in calicem poneret, omnino nihil conficeret; non sic de vino. — Et ideo prima opinio tanquam probabilior est tenenda.

Quod ergo obiicit de iunco, dicendum, quod non separat aquam mixtam, sed per naturam convenientem aquae attrahit partes vini aquosas, totius, inquam, vini; non quia ibi sit aqua, sed partes debiles vini, quae minus habent de virtute[6].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit Cyprianus: *Nobis ignosci non potest* etc.; aut enim hoc dicit, quia tale peccatum est *irremediabile*[7], aut quia *culpabile.* Si quia *irremediabile;* hoc falsum est. Si quia *culpabile;* sed similiter fuit in ignorantibus, quia ignorantia iuris non excusat: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod hoc dicit, non quia peccatum sit in nobis *irremediabile,* sed quia non habet colorem excusationis, si fiat ex certa scientia; sed qui ex ignorantia faciebant habebant excusationem, quae tamen non excusabat a *toto,* sed a *tanto,* quia forte non erat in eis mortale. Nec erat simpliciter ignorantia *iuris,* immo quodam modo dici poterat ignorantia *facti*[8], quia Dominum fecisse nesciebant, cum non habeatur ex Scriptura, coniicitur tamen ex hoc, quod de latere eius *exivit sanguis et aqua*[9]; ubi etiam quodam modo praefigurata sunt Sacramenta.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Aqua vero sine vino nullatenus potest offerri.* Ponatur ergo, quod aliquis decipiatur credens, aquam esse vinum, et percipiat hoc tempore perceptionis Sacramenti; quid faciendum est ei?

Respondent quidam, quod debet vinum ponere Resp. 1. et non debet consecrare, sed panem frangere et mittere in vinum. — Sed ad quid hoc faceret? Si enim vinum non consecratum non est maioris efficaciae quam aqua, sufficit aquam ponere vel positam tenere.

Et ideo dicunt alii, quod debet formam verbi Resp. 2. super vinum dicere, ut plenum sit Sacramentum, si percipit hora debita, tum propter significationem, tum etiam[10], quia credo, quod sanguis aliquo modo addat ad efficaciam. Sed tamen consulendum esset tali, quod prius contereretur et doleret de negligentia.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Iudas corpus Christi et sanguinem cum aliis discipulis percepit.* Videtur enim male dicere: quia peccator erat et malus; et hoc Dominum non latebat: ergo tantum Sacramentum non debebat ei conferre, cum non debeat dari nisi digne accedentibus et sine pec-

---

[1] Loquitur S. Doctor secundum ritum suo tempore et nunc in quibusdam tantum particularibus liturgiis usitatum. — Superius post *privata* ex codd. F G supplevimus *in principio,* pro quo codd. H bb habent *potest poni prius* [bb *primo*]; cdd. utrumque omittunt.

[2] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 4. a. 1. § 5; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4; Richard. a Med., hic a. 3. q. 6.

[3] Lib. I. de Generat. et corrupt. text. 88. (c. 10.): Activorum autem et passivorum quaecumque sunt facile divisibilia, multa quidem paucis et magna parvis composita non faciunt mixtionem, sed augmentationem dominantis; mutatur enim alterum in dominans: ideo gutta vini decem millibus congiis aquae non miscetur; solvitur enim forma et mutatur in universam aquam. — Inferius pro *volunt* codd. F G *voluerunt.*

[4] Cap. *Cum Marthae* X. (III. tit. 41. c. 6.), de Celebrat. Missarum. Cfr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 29. et 31.

[5] Text. 88. (c. 10.). Vide supra 3. notam.

[6] De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. IV. m. 4. a. 1. § 5; B. Albert., hic d. 12. a. 11; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2. ad 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

[7] Codd. G H hic et in seqq. *irremissibile.*

[8] Cfr. supra pag. 86, nota 7, et II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3.

[9] Ioan. 19, 34. Vide supra Prooemium, in fine. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. m. 4. a. 1. § 6. ad 1; S. Thom., hic circa lit.

[10] Cod. R addit *propter hoc.* Inferius pro *contereretur et doleret* codd. F H *conteratur et doleat.* — Solutio huius dubii

cato. — Item, Ioannis decimo tertio[1]: *Cum introisset satanas;* Glossa: « Non, ut quidam putant, Iudas tunc recepit corpus Christi ».

Respondeo: Dicendum, quod Dominus dedit corpus Iudae, ne eum proderet, ut formam sacerdotibus daret[2]. — Et quod obiicitur de Glossa, dicendum, quod Glossa hoc non negat, sed negat, quod non dedit *tunc,* quando dedit ei buccellam intinctam[3].

DISTINCTIO XII.

Pars I.

Cap. I.

Ubi illa accidentia fundentur.

Si autem quaeritur de accidentibus, quae remanent, scilicet de speciebus et sapore et pondere, in quo subiecto fundentur; potius mihi videtur fatendum, existere sine subiecto, quam esse in subiecto; quia ibi non est substantia nisi corporis et sanguinis dominici, quae non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem habet in se formam, sed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium, quibus corpus Christi, habens formam et naturam suam, tegitur[1].

Cap. II.

De fractione et partibus.

Solet etiam quaeri de fractione et partitione, quae ibi videtur fieri, utrum vera sit; et si vera fractio est, cuius rei sit, vel in qua re fiat. Cumque non sit ibi Difficultas. alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. — Sed econtra, cum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Nam et Christus redarguit[2] carnalem sensum discipulorum, qui putabant, Christi carnem sicut aliam in partes dividendam et morsibus dilacerandam. Ideo Opinio 1. quibusdam placet, quod non sit ibi fractio, sicut videtur; sed dicitur *frangi,* quia videtur frangi. — Quibus Refellitur per Ambrosium. obiicitur quod ait Ambrosius[3]: « Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum praestigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est ». — Ad hoc illi dicunt: Non Replicatur. fallit nos visus nec fallitur; quod esset, si crederetur ita frangi, ut videtur; nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit; sicut et Christus se Dubium 1. ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini, nec in eo tamen talis forma erat, sed *oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* — Alii vero dicunt, Opinio 2. quod sicut ibi species panis est, et non est ibi res, cuius vel in qua sit illa species; ita est ibi fractio, quae non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur; quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi sit fractio, ubi nihil frangitur.

Cap. III.

De confessione Berengarii.

Alii tradunt, corpus Christi essentialiter frangi et Opinio 3. dividi, et tamen integrum et incorruptibile existere. Quod se colligere asserunt ex confessione Berengarii, qui confessus est coram Nicolao Papa et pluribus episcopis[4], « panem et vinum, quae in altari ponuntur, Confessio Berengarii. post consecrationem non solum Sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse; et sensualiter, non solum Sacramento, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari et frangi et fidelium dentibus atteri ».

Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane Sententia Magistri. dici potest fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentali fieri, ut vera fractio et partitio sit ibi, quae fit non in substantia[5], sed in Sacramento, id est, in specie. Ne autem mireris vel insultes, si accidentia videantur frangi, cum ibi sint sine subiecto, licet quidam asserant, ea

---

est secundum Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 24, ubi iudicat, hanc secundam sententiam tanquam tutiorem esse praeferendam. — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[1] Vers. 27: Et post buccellam introivit in eum satanas. — Glossa, quae est secundum Bedam in hunc loc., exhibetur a Strabo et Lyrano ut *ordinaria* in v. 26.

[2] Cfr. supra pag. 211, nota 9, et August., Epist. 44. (alias 163.) c. 5. n. 10; Enarrat. in Ps. 3. n. 1. et Ps. 10. n. 6.

[3] Strabus, loc. cit., ex Beda Glossam sic refert: Non, ut quidam putant, nunc Iudas corpus Christi accepit. Sciendum est enim, quod iam omnibus Dominus distribuerat Sacramentum corporis et sanguinis, inter quos et Iudas fuit; deinde per buccellam intinctam exprimitur ipse traditor etc. Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 13. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 1. § 4; S. Thom., hic q. 3. a. 2; Richard. a Med., hic a. 4. q. 3.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cap. 1. excerptum est ex Hugone, Sum. Sent. tr. 6. c. 4, et seq. capitulum ex c. 8.

[2] Ioan. 6, 62. — Pro *dilacerandam* codd. ACDE et ed. 1 *lacerandam.*

[3] In Glossa ad I. Cor. 11, 24, apud Lyranum. — De duobus discipulis cfr. Luc. 24, 16.

[4] Can. *Ego Berengarius* (42.), de Consecrat. dist. 2, et Lanfranc., de Eucharistiae Sacram. c. 2.

[5] Edd., excepta 1, addunt *corporis.*

fundari in aëre! Est ibi vera fractio et partitio, quae fit in pane, id est in forma panis — unde Apostolus[1] ait: *Panis, quem frangimus* — quia forma panis ibi frangitur et in partes dividitur, Christus vero integer manet et totus est in singulis. Unde Augustinus: « Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen Veritas invitans nos ad manducandum ait: *Qui manducat me vivit propter me*. Nec occiditur Christus, ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur; reficit, non deficit; vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec, quando manducamus, partes de illo facimus, et quidem in Sacramento sic fit ». Item[2]: « Norunt fideles, quomodo manducent carnem Christi; unusquisque accipit partem suam, unde et ipsa gratia *partes* vocantur. Per *partes* manducatur, et manet integer totus; per *partes* manducatur in Sacramento, et manet integer totus in caelo, manet integer totus in corde tuo ». — « Ideo ista dicuntur *Sacramenta*, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur »; videtur panis et calix, quod et oculi renuntiant, quod autem fides postulat instruenda: panis est corpus Christi, calix est sanguis. — Ex his satis datur intelligi, quod fractio et partes, quae ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, id est in specie visibili. Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut « sensualiter, non modo Sacramento, sed in veritate, dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum, frangi vero et atteri dentibus », *vere* quidem, sed *in Sacramento tantum*. Vera igitur est ibi attritio et partitio, sed in singulis partibus totus est Christus. Unde Hieronymus[3]: « Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis ». Item Hilarius: « Ubi pars est corporis, est et totum ».

Beda. — Dubium 2.3. — De Berengarii confessione. — Dubium 4. de Hilario.

Cap. IV.

Quid illae partes significent.

Quid autem partes illae significent, Sergius[4] Papa tradit inquiens: « Triforme est corpus Christi: pars oblatae in calicem missa corpus Christi, quod iam surrexit, monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad finem Missae remanens, corpus iacens in sepulcro, quia usque in finem saeculi corpora Sanctorum in sepulcris erunt ». Et sicut *partes* illae mysticam tenent significationem, ita etiam et *fractio* passionis Christi et mortis est repraesentatio. Unde ipse ait: *Hoc facite in meam commemorationem*[5], id est « in memoriam passionis et mortis meae ». Nam, ut ait Ambrosius, « quia in morte Christi liberati sumus, huius in edendo et bibendo carnem et sanguinem memores esse debemus ». — Sed caveat quisque, ne indigne percipiat, quia *iudicium sibi manducat*. « Non est enim panis iste, qui vadit in corpus, sed panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit[6] ». « Sic igitur vive, ut quotidie merearis accipere », nec accedas indignus. « Indignus est qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit », vel qui habens mortale peccatum accedit. « Ergo etsi sint peccata quotidiana vel non sint mortifera; antequam accedatis, dimittite debitoribus vestris. Si dimittis, dimittetur tibi, et sic securus accede. Panis enim salutaris est et non venenum ». Si ita accedis, spiritualiter manducas; « spiritualiter enim manducat qui innocentiam ad altare portat ».

Sergius. — Ambrosius. — Dubium 5. — Augustinus.

Pars II.

Cap. V.

Si Christus immoletur in altari quotidie, et an sit sacrificium quod a sacerdote geritur.

Post haec quaeritur, si quod gerit sacerdos proprie dicatur *sacrificium* vel *immolatio*; et si Christus *quotidie* immoletur, vel *semel* tantum immolatus sit. — Ad hoc breviter dici potest, illud quod offertur et consecratur a sacerdote, vocari *sacrificium* et *oblationem*, quia memoria est et repraesentatio veri sacrificii et sanctae immolationis, factae in ara crucis. Et semel Christus mortuus est in cruce ibique immolatus est in semetipso; quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius quod factum est semel. Unde Augustinus[7]: « Certum habemus, quia *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur* etc.; tamen, ne obliviscamur quod semel factum est, in memoria nostra omni anno fit, scilicet quoties pascha celebratur. Nunquid toties Christus occiditur? Sed tantum anniversaria recordatio repraesentat quod olim factum est; et sic nos facit moneri, tanquam videamus Dominum in cruce ». Item[8]: « Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in

Dubium 1. — Augustinus.

[1] Epist. I. Cor. 10, 16. — Locus seq. non invenitur in August., sed in Beda, I. Cor. 10, 16, et in Glossa Lyrani; insuper in C. *Invitat Dominus* (70.), ibid. Locus Scripturae est Ioan. 6, 58.

[2] Ex eisdem et C. *Qui manducant* (58.), ibid., ubi § 2. etiam seq. locus invenitur.

[3] Can. *Singuli accipiunt* (77.), ibid., et apud Algerum, I. de Sacram. etc. c. 15, quod sumtum est ex Gregor., libr. Sacrament. Praefatio Dom. 5. post Theophaniam n. 174; in quo loco pro *per singulas* codd. D E et edd., exceptis 1,6 et Vat., *per singulos*. Seq. locus est C. *Ubi pars* (78.), ibid.

[4] Can. *Triforme* (22.), ibid., ex Glossa ad I. Cor. 11, 24, apud Lyranum et Hugonem, loc. cit. c. 9. — Pro *pars oblatae*, quod cum codd. et edd. 2, 5, 7, 9 Algerus (loc. cit.) et Correct. Romani approbant, in aliis edd. *pars oblata*.

[5] Epist. I. Cor. 11, 24; verba adiecta habentur in Glossa, ibid., et locus Ambrosii in Comment. ad eundum locum v. 26; cfr. C. *Quia morte* (50.). ibid. — Mox citatur I. Cor. 11, 29.

[6] Ambros., V. de Sacram. c. 4. n. 24; secundus ibid. n. 25. (cfr. C. *Non iste panis* (56), ibid.; tertius in Comment. cit. v. 27; sequentes sunt August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 11, et C. *Panem caelestem* (64.), ibid.

[7] In Ps. 21. enarrat. 2. n. 1, et C. *Semel Christus* (51.), de Consecrat. dist. 2, ubi citatur Rom. 6, 9. — Superius post *in cruce* codd. A C D et ed. 1 subiungunt *scilicet*.

[8] Can. *Semel immolatus est* (52.), ibid., et apud Alger., I. de Sacram. c. 16, qui sententiam illam sumsit ex August., Epist. 98. (alias 23.) ad Bonifac. episc. n. 9. — Pro *distinctione membrorum* sola ed. 1 *distensione membrorum*, refragante etiam originali Algeri.

Sacramento; quod sic intelligendum est: quia in manifestatione corporis et distinctione membrorum semel tantum in cruce pependit, offerens se Patri hostiam redemptionis efficacem, eorum scilicet, quos praedestinavit ». Item Ambrosius [1]: « In Christo semel oblata est hostia ad salutem potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Etsi quotidie offeramus, ad recordationem mortis eius fit; et una est hostia, non multae. Quomodo una et non multae? Quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius; idipsum et semper idipsum offertur, proinde hoc idem est sacrificium; alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Non, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens et illic plenus; sicut quod ubique offertur unum est corpus, ita et unum est sacrificium. Christus hostiam obtulit, ipsam offerimus et nunc; sed quod nos agimus recordatio est sacrificii ». « Nec causa *suae* infirmitatis repetitur, quia perficit hominem, sed *nostrae*, quia quotidie peccamus ». — Ex his colligitur, *sacrificium* esse et dici quod agitur in altari, et Christum semel oblatum et quotidie offerri, sed aliter tunc, aliter nunc; et etiam, quae sit virtus huius Sacramenti, ostenditur, remissio scilicet venialium peccatorum et perfectio virtutis.

Rabanus. Dubium 2. Dubium 3.

Cap. VI.

De causa institutionis.

Institutum est enim hoc Sacramentum duabus de causis: in *augmentum virtutis*, scilicet caritatis, et in *medicinam quotidianae infirmitatis.* Unde Ambrosius [2]: « Si, quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur; debeo semper accipere: qui semper pecco, debeo semper habere medicinam ». Item Augustinus [3]: « Iteratur quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus sit; quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice pro nobis immolatur ». « Dedit enim nobis hoc Sacramentum salutis, ut, quia nos quotidie peccamus, et ille iam mori non potest, per hoc Sacramentum remissionem consequamur. Quotidie comeditur ipse et bibitur in veritate, sed integer et vivus manet ». Item: « Mysterium fidei dicitur, quia credere debes, quod ibi salus nostra consistat ».

Ambrosius. Paschasius. Dubium 4. Canon.

Si autem quaeritur, utrum quotidie communicandum sit, audi, quid inde tradit Augustinus [4]: « Quotidie, inquit, eucharistiam accipere nec laudo nec vitupero; omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico eucharistiae perceptione quam purificari. Et licet quis peccato mordeatur; si peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem et satisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus, sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant ». — « Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis criminalibus impediatur, in Pascha scilicet et in Pentecoste et in Natali ». « Omnes ergo communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

De frequentatione communionis Gennadius. Canon.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XII.

Pars I.

De accidentibus et fractione specierum.

Si autem quaeritur de accidentibus, quae remanent etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confectione sive consecratione. In hac distinctione agit de consequentibus. Et quoniam duo sunt consequentia, scilicet fractio et iteratio sive frequentatio; ideo distinctio ista dividitur in duas partes. In prima agit de fractione, in secunda de huius Sacramenti frequentatione, ibi: *Post haec quaeritur, si quod gerit sacerdos.*

Et quoniam fractio illa non potest esse nisi circa illud quod remanet post transsubstantiationem; et haec sunt accidentia: ideo primo quaerit, utrum ibi sint accidentia in se ipsis subsistentia. Secundo vero quaerit, utrum ibi sit fractio vera, ibi: *Solet etiam quaeri de fractione.*

Et illa pars habet tres partes. In prima determinat quaestionem secundum aliorum opinionem. In secunda secundum veritatem et opinionem propriam, ibi: *Sed quia corpus Christi incorruptibile est,* ostendens, quod fractio illa est vera, et tamen est tantum circa accidentia. In tertia vero ostendit, quid partes illae significent, ibi: *Quid autem partes illae significent.* Subdivisiones partium manifestae sunt in littera.

---

[1] Can. *In Christo semel* (53.), ibid., et apud Rabanum Comment. in Epist. ad Hebr. 10. 1; cfr. etiam Chrysost., hom. 13. in eund. locum n. 3. Seq. locus est apud Lyranum, ibid. v. 3.

[2] Libr. IV. de Sacram. c. 6. n. 28, et C. *Si quotiescumque* (14.), ibid.

[3] Can. *Utrum sub figura* (72.), ibid. § 1, et apud Paschas., de Corpore et sang. Dom. c. 9. Seq. locus est C. *Quid sit sanguis* (73.), ibid. § 4. Tertius ibid., immediate supra.

[4] (Gennad.) de Ecclesiast. Dogmat. c. 23, et C. *Quotidie* (13.), ibid. Seq. locus est C. *Etsi non frequentius* (16), ibid. Tertius C. *Peracta consecratione* (10.), ibid.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis tria principaliter quaeruntur.

Primo de existentia specierum sive accidentium sine subiecto.

Secundo de actione ipsorum, sive transmutatione.

Tertio de fractione.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum sit possibile, quod accidens sit sine subiecto, etiam per miraculum.

Secundo, utrum sit congruum.

Tertio, utrum sit verum sive verificetur in hoc Sacramento.

ARTICULUS I.

De existentia accidentium sine subiecto.

QUAESTIO I.

Utrum accidentia possint esse sine subiecto.

Circa primum proceditur sic et ostenditur, quod accidentia sit *possibile* esse sine subiecto.

Fundamenta. 1. Basilius in Hexaëmeron [1]: « Cum enim Deus possit plus facere, quam intellectus intelligere »; et intellectus intelligat accidens praeter subiectum: ergo Deus potest hoc facere, quod accidens sit sine subiecto.

Ad opposi-tum. Contra: 1. Per miraculum non potest separari definitum a definitione, vel a partibus definitionis, unde non potest fieri, quod aliquid sit homo et non sit animal rationale et mortale; sed accidens habet definiri per subiectum [2]: ergo non potest per miraculum esse sine subiecto.

2. Item, accidens habet definiri per comparationem ad *subiectum* et in comparatione ad suam *operationem* [3] — et constat, quod prior est comparatio accidentis ad subiectum quam ad operationem, quia ab illo recipit *esse* — sed non potest aliquod accidens separari a definitione in comparatione ad *actum* per miraculum; unde non potest fieri, quod sit albedo et quod non sit color disgregativus visus: ergo nec a definitione per *subiectum* potest separari per miraculum.

3. Item, sicut se habet *esse* ad ens, ita *inesse* ad inhaerens, quia accidentis *esse* est *inesse* [4]; sed *esse* non potest separari ab ente, ut sit ens et non sit: ergo nec *inesse* ab inhaerente: ergo cum accidens sit inhaerens, impossibile est, quod *sit* et non *insit*.

4. Item, facere, quod aliquid *non participans* rationem alicuius fiat *participans*, est hoc transmutare in illud; sed ratio substantiae est ens per se [5]: si ergo accidentia per miraculum fiant entia per se, hoc est facere, quod sint substantiae: ergo species illae fiunt substantiae: cum ergo sint accidentia — illud constat — simul ergo sunt substantiae et accidentia, quod nequaquam potest capere intellectus.

5. Item, eadem est oppositio distantium specierum, quae est differentiarum [6], sicut patet: quia quae est oppositio hominis ad asinum, eadem est rationalis ad irrationale; *rursus*, sicut opponitur asinus homini, sic opponitur rationali; unde sicut non potest fieri, quod idem sit homo et asinus, ita nec, quod sit asinus et sit rationalis: ergo a simili, immo multo fortius, non potest fieri, quod idem sit *accidens* et *ens per se*, sicut nec, quod idem sit substantia et accidens.

CONCLUSIO.

Per miraculum fieri potest, quod accidentia sint sine subiecto.

Respondeo: Dicendum, quod per miraculum potest fieri, quod accidentia sint sine subiecto sive substantia. Cum enim differant *per essentiam* [7], potest Deus sine omni inconvenientia per virtutem suam illa separare. Conclusio.

---

[1] De hac sententia vide tom. I. pag. 750, nota 7. — Inferius post *subiectum* cod. Z addit *secundum essentiam scilicet.*

[2] Ut docet Aristot. VII. Metaph. tex. 12. et 19. (VI. c. 4.). Ad hunc locum revocat etiam cod. M, qui, praemissis ex Porphyrio (de Praedicab. c. *de Accidente*) et Augustino (V. de Trin. c. 4. n. 5.) definitionibus accidentis, subiungit *et VII. Metaphysicae dicit Aristoteles, quod subiectum ingreditur definitionem accidentis.* — Pro *aliquid* cod. F *aliquis.*

[3] Cfr. supra pag. 78, nota 5. — De albedine, in quantum est color disgregativus visus, vide tom. II. pag. 643, nota 9. — In fine arg. pro *per subiectum* cod. M (I a secunda manu) *per comparationem ad subiectum,* cod. U *in comparatione ad subiectum.*

[4] Vide supra pag. 20, nota 9. — Inferius post *et non sit* Vat. cum uno alteroque cod. addit *ens.*

[5] Cfr. tom. I. pag. 407, nota 1.

[6] Cod. G *diversarum differentiarum.*

[7] Cfr. Aristot., III. Metaph. text. 17. (II. c. 5.), et VII. text. 8. (VI. c. 3.).

Ad rationes ad oppositum respondent quidam, quod *esse per se* et *esse in alio* dicunt rationem substantiae et accidentis quoad *modos consequentes,* qui sunt inseparabiles secundum potentiam naturalem — ideo per huiusmodi habent notificari — possunt tamen per potentiam supra naturam auferri. Et sic respondent ad obiecta [1], quia oppositiones currunt quoad rationes dicentes *essentiam.* Similiter de oppositione quoad differentias essentiales.

Explicatio aliorum.

Potest tamen dici aliter, quod accidens et est *accidens,* et iterum est accidens secundum *species* sive differentias *speciales.* Nam in quantum comparatur ad *subiectum,* habet dici *accidens* [2]*;* in quantum ad *operationem,* habet dici *hoc.* — Notandum igitur, quod sicut comparatio accidentis ad *operationem* est dupliciter, scilicet secundum *actum* et secundum *aptitudinem;* ita etiam ad *subiectum.* Comparatio vero accidentis ad propriam *operationem* secundum *aptitudinem est essentialis* et *inseparabilis;* unde non potest esse, quod sit albedo et non sit disgregativa [3]. Comparatio secundum *actum consequitur essentiam;* unde posset accidens separari ab *actuali* operatione, unde albedo non semper disgregat. — Sic dicendum, quod comparatio accidentis ad *subiectum* secundum *aptitudinem* est essentialis; et haec nunquam privatur ab accidente nec ab illis speciebus; verum est enim dicere, quod sunt natae esse in subiecto. Comparatio vero *actualis,* quamvis semper insit actu secundum naturam, tamen *sequitur essentiam,* et ideo ab isto [4] potest separari sine aliquo inconvenienti potentia supra naturam. His visis, patet responsio ad obiecta.

Explicatio auctoris. Duplex comparatio. Applicatio notanda.

1. 2. Quod enim obiicit, quod definitum non potest separari a definitione; dicendum, quod nomina in definitione posita, similiter et verba dicunt [5] *aptitudinem,* non semper *actum;* et ideo dico, quod accidens, quamvis non sit in subiecto, non tamen separatur a sua definitione, immo ei convenit, quia *aptum* est esse in subiecto. — Patet etiam responsio ad sequens de operatione, quia illa definitio, si intelligatur secundum *actum,* est separabilis; si secundum *aptitudinem,* neutra est separabilis.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de *esse,* dicendum, quod non est simile: quia *esse* dicit actum entis absolute, sed *inesse* actum accidentis in comparatione ad rem alterius generis [6]; et quia res alterius generis diversa est, potest circumscribi intellectus eius a re illa sive separari; non sic *esse* ab ente.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de substantia, dicendum, quod accidentia illa nunquam participant rationem *substantiae;* nam *substantia* dicitur res per se existens, ita quod nata est per se existere et nullo modo in alio; hoc autem nullo modo convenit illis accidentibus, immo nata sunt esse in alio.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de oppositione, dicendum, quod differentiae debent dicere *aptitudinem,* sicut et definitiones. Si igitur accipiantur secundum *aptitudinem naturalem ens per se,* id est, quod natum est esse per se, similiter *ens in alio,* id est, quod natum est esse in alio; sicut accidens nunquam participat nomen substantiae, ita nec differentiam dicto modo. Dicitur autem accidens *ens per se* quantum ad *actum* [7]*;* et sic non dicit *differentiam essentialem,* sed *modum consequentem essentiam;* et in talibus differentiis non tenet obiectio.

SCHOLION.

I. Quoad quaestiones huius articuli notanda est propositio (2.) Ioannis Wikleff, a Concilio Constant. damnata: « Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento » (cfr. alia Ecclesiae decreta superius pluries citata, praecipue Sess. 13. Concilii Trident.). Nihilominus prodierunt ex schola Cartesii plures, qui, cum negarent, accidentia physica realiter a substantia esse distincta, posuerunt, *species* huius Sacramenti, de quibus loquitur Concil. Trident., non esse nisi intentionales sive quasdam similitudines et apparitiones accidentium; quae opinio recte a catholicis theologis iudicatur esse falsa in philosophia et prorsus reiicienda in theologia.

II. Communiter Scholastici distinguunt duplex specierum subiectum, scilicet alterum substantiale et remotum, quod est *substantia,* alterum accidentale et proximum, quod est *quantitas,* quae ipsa immediate inhaeret substantiae simulque proximum subiectum est aliorum accidentium. Hinc iidem docent, *omnia* accidentia in Sacramento esse sine subiecto *substantiali,* sed *plura* accidentia, ut qualitates, cum alias naturaliter insint substantiae mediante quantitate (cfr. infra a. 2. q. 3. in corp. et fundam. 5; S. Thom., S. III. q. 77. a. 2.), etiam in Sacramento *de facto* non esse sine subiecto suo *proximo* (quantitate), sicut ante consecrationem. Hoc tamen negant Nominales dicentes, quantitatem non distingui realiter a re quanta. — Sed si quaeratur de *possibili,* sunt multi, qui cum Richardo, Aegidio et Durando dicunt, non *omnia* accidentia posse esse sine subiecto, praesertim relativa, de quo diffuse agit Scot., hic q. 2. et q. 1. n. 5. seqq. — Controvertitur etiam inter scholam Scoti et S. Thomae, utrum accidentibus remanentibus divinitus detur modus quidam *positivus et permanens,* quo sint per se, ut videtur docere S. Thom. (S. III. q. 77. a. 1. ad 4, a. 2. ad 1. et hic q. 1. a. 2.), an, ut sint, tantum habeant dependentiam continuam a virtute Dei per modum efficientis ea conservante; quod fuse docet Scot. (hic q. 1.), cui favere videtur modus loquendi a S. Bonaventura passim usurpatus.

---

[1] Fide codd. D E F G H (I a secunda manu) L P Q aa, et contextu exigente, supplevimus verba *possunt tamen* usque ad *et sic respondent ad obiecta.*

[2] Simplicius (Comment. operum Aristot. saeculo 6. post Christum), I. de Anima, text. 5: Accidens quasi cum alio cadens appellatur. Cfr. Isidor., II. Etymolog. c. 26. n. 12. — Superius pro *et iterum est accidens* cod. F *et est hoc accidens.*

[3] Cod. Z addit *habitu,* edd. supplent *visus.*

[4] Scilicet accidente. — Pro *ab isto,* quod Vat. omittit, codd. B Y *ab ista.*

[5] In edd. additur *interdum.*

[6] Scilicet substantiae.

[7] Nempe quantum ad actum existendi, quem, si separatur a substantia, per potentiam Dei obtinet.

III. In 1. quaestione agitur de *possibilitate* conclusionis, in 2. q. de *congruentia,* in 3. q. de *facto,* quam distinctionem quaestionum, duce Alexandro Hal., etiam S. Thom. in Comment. adhibet. Alii vero una, vel duabus quaestionibus totam hanc rem absolvunt. Hinc locos auctorum, qui de tribus huius articuli quaestionibus agunt, hic simul referimus, scilicet: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 1. § 1. 2. 3. — Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. 2. 3; S. III. q. 77. a. 1.; S. c. Gent. IV. c. 65. — B. Albert., hic a. 16. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth. hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum in Sacramento eucharistiae congruat species esse sine subiecto.

Secundo quaeritur, utrum *congruat,* quod in hoc Sacramento sint species sine subiecto. Et quod non sit inconveniens, immo conveniens, patet:

Fundamenta. 1. Quia, si esset ibi subiectum, nequaquam tanta esset dependentia specierum ad contentum, sicut est; et ita nunquam esset signum ita ductivum [1].

Ad oppositum. Contra: 1. Minus inconveniens est, corpus non glorificatum simul esse cum glorificato, quam accidens esse praeter subiectum [2]: si ergo corpus glorificatum esset simul cum pane, multo minus esset inconveniens, quam accidentia esse praeter subiectum, et magis credibile: ergo magis congruebat, accidentia manere in subiecto quam separari.

2. Item, accidentia illa ducunt ad intelligendum, quod ibi sit substantia panis, quia sunt propria accidentia panis et signa substantiae [3]: ergo in hoc Sacramento, cum non sit substantia, est aliqua falsitas; sed non decet, in Sacramento veritatis esse falsitatem: ergo etc.

3. Item, opere miraculi non debet fieri praeiudicium naturae rei; sed cum res ponitur in loco, qui suae naturae non convenit, quamvis sit nobilior, tamen fit ei praeiudicium, ut si vermis poneretur in caelo [4], vel pes in scapulis: ergo similiter, quando datur ei proprietas, quae naturae suae non convenit. Sed esse sine subiecto est proprietas nullo modo conveniens naturae accidentis: ergo non congruit, hoc per miraculum sibi dari.

4. Item, infirmior est intellectus ad credendum contrarium eius quod sentit, quam sensus ad recipiendum aliquod horribile [5] sibi — nam sensus hoc potest sine gratia, sicut patet in eo qui comedit medicinam, sed intellectus non — sed non debet fieri aliquid in solatium minoris infirmitatis, quod fiat in praeiudicium maioris: si ergo velatio accidentium occultat intellectui quod ibi est, nullo modo debuerunt ibi accidentia remanere.

CONCLUSIO.

Congruum est, in eucharistia accidentia remanere, et quidem sine subiecto.

Respondeo: Dicendum, quod congruit, ibi accidentia remanere; quia sunt, ut dicit Hugo [6], in solatium sensus et in fidei meritum. Dum enim velatur verum corpus carnis, et *fides* magis meretur credendo quod non videt, et *sensus* libentius recipit. Conclusio 1. Ratio duplex.

Congruum autem est, quod sola remaneant *sine subiecto:* propter *efficaciorem significationem,* quia efficacius et perfectius ducunt in significatum, cum non habeant ibi stabiliens per naturam. — Propter *convenientem cibationem;* quia enim iste cibus spiritualis est, ideo oportet, animam sublevari a carnalitate sensus per fidem et carnali delectatione [7] per caritatem; et ideo non debuit ibi remanere panis materialis. — Propter *fidei promotionem;* dum enim sublevatur intellectus ad intelligendum quod est supra naturam, scilicet accidentia esse sine subiecto, fit habilior ad credendum quod est supra se ipsum, quod totus Christus sit in tam parva hostia [8]. — Quarta ratio, propter *divinorum operum perfectionem,* quae debet in hoc Sacramento reperiri, cum sit perfectissimum. Et attenditur duplex perfectio in hoc Sacramento: prima est in hoc, quod *accidentia* accipiunt modum nobilissimum essendi, scilicet esse per se [9]; et in hoc, quod *substantia* illa, quae suberat, cum esset materialis et corruptibilis, transsubstantiatur in substantiam sive in corpus spirituale et incorruptibile et in corpus Divinitati coniunctum et gloriosum. Conclusio 2. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3. Ratio 4. Perfectio duplex.

---

1 Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 3. — Codd. N aa subnectunt *ad cognitionem alterius,* cod. bb a secunda manu *in suum signatum, sicut est.*

2 Vide infra d. 49. p. II. art. 2. princip. a. 3. q. 1. — In fine arg. pro *separari* plurimi codd. *separata,* cod. R *separata esse.*

3 Aristot., I. de Anima, text. 11. (c. 1.): Accidentia conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum ipsum *quid est.*

4 Cod. E *ut manus, si poneretur in oculo;* sed cfr. tom. I. pag. 787, nota 1. verba August. de *vermiculo.*

5 Codd. L bb *terribile,* plures codd. cum ed. 1 *occurribile,* Vat. *occurribile nocibile.*

6 Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 8: Sic sumendam proposuit, ut sensus in uno foveretur, et fides in altero aedificaretur. Fovetur enim sensus in uno, dum solita tantum et consueta percipit; aedificatur autem fides in altero, dum in eo quod videt, quale sit illud quod non videt, agnoscit. Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 34. — Inferius pro *corpus carnis* codd. B H Q *corpus Christi* [cod. B addit *et sanguis*]. Aliquanto post pro *Congruum autem est* cod. O *Congruum tunc est,* cod. M *Congruum etiam est,* codd. R S *Congruum est.*

7 Ita codd. H I K, alii codd. cum edd. *dilectione* (propter scripturam abbreviatam plures codd. sunt dubiae lectionis).

8 Cfr. supra d. 10. p. I. q. 1. et 5. nec non p. II. a. 2. q. 1.

9 Vide quaest. praeced. — Inferius pro *corruptibilis* codd. A F G H I K *corporalis.*

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod minus est inconveniens; dicendum, quod hoc non est inconveniens isti Sacramento, immo valde conveniens.

2. Ad illud quod obiicitur de falsitate, dicendum, quod non est consentiendum sensui, sed fidei; et ideo nihil omnino falsitatis est ibi, sed veritatis.

Duplex rerum ordo.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non debet fieri praeiudicium naturae rei; dicendum, quod duplex est ordo rerum, unus scilicet *universalis*, alius *particularis*, qui debetur isti rei, vel illi. Dico igitur, quod per miraculum non debet fieri aliquid in praeiudicium ordinis *universalis;* quia, si pes esset in capite, esset in praeiudicium toti corpori; similiter nec quod sit in praeiudicium totius universi. Sed licet alicuius rei natura melioretur et statum recipiat maioris quam naturae suae competat nobilitatis, dummodo fiat ordinatio conveniens secundum ordinem universi; convenienter fit[1]; et sic in proposito, quia haec ordinantur ad hominis utilitatem. — Vel dicendum, quod competit naturae uniuscuiusque rei obedire Creatori, et illud est conveniens suae naturae, quod Creator iusserit, quod, si prius non sit conveniens, postea fit conveniens. Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur de infirmitate intellectus, dicendum, quod hoc verum esset, nisi aliud daretur medicamentum ipsi; et hoc est gratia fidei, qua fortificatur intellectus ad credendum sine dubio quod non videt[2].

QUAESTIO III.

Utrum sit verum, accidentia ibi esse sine subiecto.

Tertio quaeritur, utrum sit verum, accidentia ibi esse sine subiecto. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia *movere* et *operari* debetur substantiae, quae est *hoc aliquid*[3]*;* sed accidentia illa habent *movere* et *operari:* ergo sunt in substantia.

2. Item, nullum accidens extenditur nisi in materia, quia omnis forma de se simplex est[4]; sed constat, quod accidentia illa habent extensionem et maiorem possunt habere: ergo sunt in materia.

3. Item, miraculum non aufert operationem; sed albedo est lux incorporata[5]: cessante ergo materia corporali, manet pura lux: ergo albedo per se deberet movere visum.

Fundamenta.

Contra: 1. Omne accidens, quod est in subiecto aliquo, denominat illud vel *simpliciter*, vel *secundum quid*[6]*;* sed hoc non faciunt illae species, quia nec denominant panem nec corpus Christi nec aërem: ergo etc.

2. Item, accidentia naturalia non consequuntur materiam secundum *essentiam*, sed solum secundum *esse* ut sub forma completiva, nec aliter materia est accidentium subiectum[7]; sed materia non est ibi sub forma panis — hoc constat — sed sub forma substantiali carnis; sed tales proprietates non sunt natae esse in carne Christi: ergo etc.

3. Item, quandocumque in aliqua mutatione salvatur accidens secundum *esse*, quod habet in subiecto; necesse est, quod sit commune ei quod mutatur, et in quod mutatur, ut si de aëre fiat ignis, manet calidum[8]; sed panis convertitur in corpus

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 3. circa finem; d. 44. a. 1. q. 3. — De secunda solut. cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5; d. 25. p. II. q. 5. ad 4. et d. 36. a. 3. q. 1. ad 3. — Superius pro *maioris* edd. *magis nobilem*, omisso subinde *nobilitatis*, et infra pro *si prius* cod. U *etsi prius*.

[2] Vide III. Sent. d. 23. dub. 1. — De ipsa quaestione vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Aristot., I. Elench. c. 6. (c. 7.), docet, quod « unum et substantiam maxime videtur sequi id quod est *hoc aliquid* [τόδε τι] et ens »; et in Lib. de Praedicam. c. *de Substantia*, distinguens substantiam in *primam* (singularem) et *secundam* (genus et speciem) dicit: « In primis igitur substantiis indubitabile et verum est, quod *hoc aliquid* significant; individuum enim et unum numero est quod significatur. In secundis vero substantiis videtur quidem similiter... sed magis *quale aliquid* significant ». Cfr. tom. II. pag. 109, nota 7; pag. 197, nota 3. et pag. 375, nota 6. In II. de Anima, text. 2. (c. 1.) ait: « Dicimus itaque unum quoddam genus eorum quae sunt, substantiam. Huius autem aliud quidem sicut materiam, quod secundum se quidem non est *hoc aliquid*, aliud autem formam et speciem, secundum quam iam dicitur *hoc aliquid*, et tertium quod ex his ». Quae verba exponit S. Thom. (lect. 1.) sic: « Materia quidem est, quae secundum se non est *hoc aliquid*, sed in potentia tantum, ut sit *hoc aliquid.* Forma autem est, secundum quam iam est *hoc aliquid* in actu. Substantia vero composita est, quae est *hoc aliquid.* Dicitur enim esse *hoc aliquid*, id est aliquid demonstratum, quod est completum in *esse* et specie; et hoc convenit soli substantiae compositae in rebus materialibus » etc. Si praedictis adiungitur quod dicit Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 53. (c. 9.): « Materiae est *pati* et *moveri*, *movere* autem et *facere* alterius potentiae [scil. formae]», sensus propositionis est: Movere et operari debetur singulari substantiae, et quidem ratione formae.

[4] Gilbert. Porret., de Sex Principiis, c. 1: « Forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens ». Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto*, recensens ea quae secundum accidens dicuntur quanta, ait: Album quantum quid sit assignans, superficie definiet; quanta enim fuerit superficies, tantum album esse dicit. Cfr. V. Metaph. text. 18. (IV. c. 13.).

[5] Cfr. II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2.

[6] Pro exemplo communiter illud adducitur, quod ponit Aristot., I. Elench. c. 4. (c. 5.), scil. Aethiops est albus secundum dentes (secundum quid).

[7] Aristot., VII. Metaph. text. 8. (VI. c. 3.): Dico autem materiam, quae per se ipsam [secundum *essentiam*] neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur. Cfr. II. Sent. d. 3. p. I. a. I. q. 2. — Superius pro *ut sub,* quod habet cod. O, cod. A *in,* alii codd. *ut*, Vat. legit *scilicet ut forma completur.* In fine arg. post *Christi* cod. N addit *quia albedo panis non est albedo carnis Christi.*

[8] Cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 25. (c. 4.), ubi ostendit elementorum, quae cognationem habent ad invicem, velociorem esse transmutationem: « Ut ex igne quidem

Christi, et color et sapor et odor non sunt communia utrisque: ergo vel non manent, vel non remanent in subiecto; sed manent: ergo sunt sine subiecto.

CONCLUSIO.

In eucharistia accidentia sunt sine subiecto, non in aëre circumfuso.

Opinio 1. reprobatur 4 rationibus.

RESPONDEO: Aliqui voluerunt dicere, quod species illae erant in aëre circumfuso. — Sed illud manifeste falsum est, tum propter hoc quod non denominant accidentia aërem circumiacentem; tum etiam, quia impossibile est, accidens transmutare subiectum[1]; si ergo fuerunt in pane, non possunt esse in aëre. Et *iterum*, aëre mutato, transferuntur de uno loco ad alium. *Item*, locum replent et aërem expellunt; sed nullum locatum comparatur ad locum ut ad suum subiectum[2], et nullum accidens expellit subiectum proprium.

Conclusio.

Propter haec et his similia communiter tenent magistri, quod accidentia sunt ibi sine subiecto.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur de operationibus, dicendum, quod quaedam sunt ibi operationes *naturales*, quaedam *supra naturam*, quaedam *partim sic, partim sic*, et ideo ex operationibus nihil potest concludi; sed quae operationes sunt ibi naturales, infra[3] patebit. Attamen sicut miraculum est, quod accidentia *sunt* sine subiecto; ita miraculum est, ut *operentur* per se.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de extensione, dicendum, quod quantitas, *formaliter* loquendo, habet extensionem de natura sui generis[4]; unde cum salvatur quantitas, et extensio; sed tamen *causaliter* habet a substantia, et ideo, quia *esse* quantitatis et natura ortum habet a substantia. Sed divina virtus facit, quod sit quantitas vere et sine substantia; et hoc faciendo necesse est, extensionem salvari sine materia; et hoc miraculi est, non naturae.

3. Ad illud quod obiicitur de albedine, quod est lux incorporata; potest responderi dupliciter: Resp. 1. primo, quod non est in *actu*, sed in *potentia;* et ideo, adhuc cessante corpore, manet adhuc in potentia[5]. — Resp. 2. Secundo, quia non *omnino* cessat corpus, immo quamvis cesset substantia, manet dimensio, superficies et terminatio, et ideo albedo secundum illum actum solum, quem prius habebat[6].

ARTICULUS II.

De actione et transmutatione accidentium.

Quantum ad secundum articulum, scilicet de actione et mutatione illorum accidentium, quaeruntur similiter tria.

Primo quaeritur, utrum illa accidentia possint converti in alimentum.

Secundo, utrum possint alias species sive naturas convertere in Sacramentum.

Tertio, utrum aliquas operationes habeant per naturam, an aliquas habeant per miraculum.

QUAESTIO I.

Utrum species illae possint converti in alimentum.

Primo igitur quaeritur, utrum species illae sive accidentia possint converti in alimentum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Per textum et Glossam, primae ad Corinthios undecimo[7], ubi dicitur: *Unusquisque coenam suam praesumit ad manducandum; et alius qui-*

---

erit aër, altero transmutato; illud enim erat calidum et siccum, hoc autem calidum et humidum; quapropter, si vincatur siccum ab humido, aër erit ».

[1] *Vel*, ut Vat. exponit, *transmigrare de subiecto in subiectum.* Cfr. tom. I. pag. 462, nota 11. verba Boethii; cod. aa addit: *quia secundum Boethium accidentia indignantis naturae sunt, perimi possunt, permutari autem nequaquam.* Paulo inferius pro *aëre mutato* eadem Vat. *aëre non mutato.*

[2] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 23-31. (c. 3.).

[3] Art. seq. q. 3.

[4] Scilicet extensionem partium extra partes in ordine ad se. Cfr. supra d. 10. p. I. q. 4. ad 2.

[5] Sensus est: Sicut, existente substantia panis, color (lux incorporata) per se est tantum in potentia ad movendum visum, nisi lux exterior (non incorporata) accedat; ita et, cessante substantia panis, color erit tantum in potentia etc.

[6] Supple: manet, scil. ut apta movere visum. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 1. § 2, ubi eandem obiectionem solvens, ait: « quod lux, prout est de *esse* albedinis, non est in actu suo... est enim albedo naturaliter ex incorporatione lucis cum subiecto albedinis, subiecto, dico, *substantia*, non quantitate sola. Sed virtute mirabili est incorporatio lucis, quae est de *esse* albedinis, in specie panis in subiecto, scilicet in *quantitate*, et ex illa incorporatione est consimili modo potentia, quae ante fuit ex incorporatione in subiecto substantia etc. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaestionem.

[7] Vers. 21. — Glossa Strabi, quae est *ordinaria*, non praecise eundem sensum habet. Verba eiusdem sunt: Notat illos qui munera, quae offerebant altaribus pro sacrificio conficiendo, peracto illo, sibi resumebant, nec aliis non habentibus communicari sinebant, sed soli sumebant, ita ut inde etiam inebriarentur, aliis esurientibus. Petr. Lombard., in hunc loc., eandem Glossam paulo fusius proponit, eo quidem modo, quod magis conveniat cum verbis S. Bonaventurae.

dem esurit, alius autem ebrius est; et Glossa hoc exponit de divitibus, qui offerebant panem ad consecrandum in magna abundantia et aliis non dabant: ergo si panis et vinum non solum reficere poterant, verum etiam inebriare post consecrationem: ergo et in alimentum cedere.

2. Item, sicut calor ignis ordinatur ad convertendum in cinerem illud quod offertur in pabulum, sic calor naturalis ad convertendum in carnem et sanguinem [1]; sed species proiecta in ignem comburitur et convertitur in cinerem, agente exteriori calore: ergo pari ratione in sanguinem potest converti, agente calore interiori.

3. Item, sicut putrefactio ordinatur ad generationem vermis, sic digestio ad generationem humoris et carnis; sed species illae convertuntur in vermes, si putrefiant, sicut experimento patens esset, si quis probare vellet — et credo, quod per negligentiam aliquando contingit — ergo pari ratione in carnem.

4. Item, hoc probatur deducendo ad inconveniens duplex: primum, quod illud Sacramentum est in praeiudicium *naturae,* quia, quoties fit transsubstantiatio, perit cibus naturalis irrevocabiliter, ex quo nullo modo convertitur in aliquid, quod natum sit cibare. Secundum inconveniens est, quod illud Sacramentum, si est ita, est in praeiudicium *fidei:* si enim accidentia non habent operationem substantiae, deprehendi potest illud Sacramentum sensibili experimento, et ita meritum fidei evacuari [2]. Sed utrumque horum est maximum inconveniens et contra illud Sacramentum, cum sit in meritum fidei institutum.

Inconveniens 1.

Inconveniens 2.

Sed contra: 1. « Ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus », sicut dicit Philosophus [3]; sed non sumus ex accidentibus, sed ex substantiis: ergo cum species illae sint accidentia, patet, quod non nutriunt. *Si dicas,* quod miraculose convertuntur in substantiam; *contra:* si convertuntur in substantiam; cum sint multa accidentia, ergo in multas substantias debent converti: ergo quot accidentia sunt ibi, tot substantiae debent generari. *Si tu dicas,* quod *quantitas* convertitur in substantiam, quae est aliorum fundamentum; ergo si convertitur in substantiam, desinit esse quantitas: ergo desinit esse quantum. Sed omne alimentum auget per naturam quanti [4]: ergo illud alimentum non poterit augere; illud etiam alimentum generatum carebit quantitate; quod est impossibile.

Ad oppositum.

2. Item, Sacramentum istud est cibus spiritualis; et ideo etiam est una *ratio congruitatis,* quare substantia transit, ne quaeratur refectio corporalis [5]: ergo si ob hanc causam transeat, non videtur, quod ultra remaneat illa virtus.

3. Item, si cibus est corporalis, ergo sacerdos, qui cantavit unam Missam, non poterit cantare aliam, quia frangit ieiunium; quo fracto, licitum non est cantare; unde dicitur [6] sacerdotibus, ut eo die, quo plures Missas cantare debent, in prima non faciant purificationem; quodsi ita esset, quod species istae alerent, nulla videretur esse haec institutio.

4. Item, hoc probatur auctoritate Ambrosii [7], qui dixit de hoc Sacramento, quod « non est cibus ventris, sed mentis »; sed si converteretur in alimentum, vere esset cibus ventris: ergo etc.

CONCLUSIO.

Species illae possunt converti in alimentum.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex fuit opinio.

Aliqui dixerunt, quod accidentia illa non reficiunt nec convertuntur in alimentum, quia nec accidentia possunt [8], nec huic competit Sacramento; tamen species habent odorem et saporem; et odor, quamvis sit accidens, tamen immutando aëra et cerebrum inebriat, sicut patet, quod multi inebriantur ex odore vini. Et sic dicunt intelligendum esse verbum Apostoli et Glossae. Opinio 1.

Sed quoniam manifeste apparet in combustione specierum, quod resolvuntur in cineres; et si non alerent, non appareret, quomodo hoc Sacramentum latere possit, immo necesse esset deprehendi: ideo communior est opinio, quod percipiens Sacramentum alitur et nutritur; et illud satis probari potest ad sensum. Manifestum enim est percipienti, quod per sumtionem vini sive illius speciei sitis exstinguitur. Non probatur. Opinio 2. et conclusio.

1. Ad illud autem quod obiicitur in contrarium, quod alimentum est substantia; diversimode respondetur a diversis. — Aliqui enim dicunt, quod virtute supra naturam accidentia convertuntur in substantiam. Ille enim, qui virtute increata potens est supra naturam accidentia illa sustentare sine materia, ille virtutem [9] dat, ut, desinentibus proprietatibus, non in nihil, sed in substantiam convertantur, in quam converteretur ipsa panis substantia, si adesset. Et hoc dicunt ipsum Sacramentum exigere, ne

Solutio oppositorum. Solutio 1.

---

[1] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 50. (c. 4.). — Inferius post *in sanguinem* cod. aa addit *et carnem hominis.*

[2] Vide supra a. 1. q. 2, et Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 12. — Superius pro *irrevocabiliter* cod. bb *inevitabiliter.*

[3] Libr. II. de Generat. et corrupt. text. 50. (c. 8.).

[4] Cfr. supra pag. 220, nota 1.

[5] Ut dictum est supra a. 1. q. 2. in corp. — Pro *transeat,* quod habent codd. M X, in aliis et edd. incongrue *transeunt.* In fine arg. cod. N addit *scilicet reficiendi corporaliter.*

[6] Cod. H *interdicitur.*

[7] Libr. V. de Sacram. c. 4. n. 24. haec sententia, licet aliis verbis, invenitur et a Magistro, hic in lit. c. 4, allegatur. Cfr. de Mysteriis, c. 9. n. 58: Non ergo corporalis esca, sed spiritualis est. — Finem arg. cod. R exhibet sic: *in alimentum, non esset cibus mentis; ergo* etc.

[8] Supple: reficere.

[9] Cod. I substituit *illa virtute* pro communi lectione *ille virtutem,* pro qua suffragatur Alex. Hal.

deprehendatur, et fides amittat meritum; ne etiam Sacramentum faciat aliquod naturae praeiudicium. — Et *si tu obiicias,* quod incineratio non est a virtute supra naturam, sed naturali, similiter nec inebriatio nec combustio, immo sunt a virtutibus naturalibus, maxime cum fiant ab *exteriori* virtute, fiant nihilominus *successive, terminentur* etiam ad rem minus perfectam; ipsi dicunt, quod ibi est potentia *activa* et potentia *passiva;* potentia *agens* est naturalis, sed potentia *passiva* in accidentibus est supra naturam quantum ad hoc, scilicet ut in substantiam convertantur. Nam residuum, quod fit ante conversionem, et quod fit post conversionem, totum potest esse a potentia naturali, tam *agente* quam *patiente.* Et hi dicunt, quod primum accidentium[1] convertitur in substantiam, non quia de quantitate fiat *substantia* tantum, sed quia fit *substantia quanta.* — Et haec opinio satis est probabilis. Iudicium.

Solutio 2. Aliorum opinio est, quod suscipiens species alitur, non quia *accidentia in substantiam convertantur,* sed quia *substantia revertitur,* quae prius ibi fuerat; ut sicut in aliis miraculis et apparitionibus dicitur, quod in praeiacentem materiam resolvuntur et redeunt, sicut dicitur de columba et de stella[2] et consimilibus: sic etiam dicunt, quod sicut panis convertitur in corpus, ut sit Sacramentum; sic, peracto officio Sacramenti, ex quo desinit esse Sacramentum, desinit ibi esse corpus Christi; et ideo, sicut mirabiliter prius substantia panis convertitur, ita etiam miraculose revertitur.

Innocentius. Et ista fuit positio Innocentii in libro suo, quem fecit de Ecclesiasticis Officiis, ubi dicit in libro tertio, capitulo de fractione[3]: «Si ergo quaeritur, quid a mure comeditur, cum Sacramentum corroditur, vel quid incineratur, cum Sacramentum crematur; respondendum, quod sicut miraculose substantia panis convertitur in corpus dominicum et incipit esse sub Sacramento; sic ipsa quodam modo miraculose revertitur, cum ipsum ibi desinit esse». — Iudicium cum monito. Hunc autem modum dicendi credo probabilem et securum, maxime cum tanti viri habeat auctoritatem. Caveat tamen quisque, qualiter intelligit, quia in hoc secretum fidei latet. — Sed secundum hanc positionem patet responsio ad quaestionem.

Applicatio. Concedendum enim est, quod recipiens hoc Sacramentum alitur et nutritur, non quia *accidens* in substantiam convertatur, sed[4] *aliquid* convertitur in substantiam comedentis, non, inquam, accidens, sed substantia. Et sic non est contra illud Philosophi, quod ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus.

2. Ad illud quod obiicitur, quod est cibus spiritualis; dicendum, quod illud verum est, quamdiu salvatur ratio Sacramenti; non enim cibat carnaliter in quantum Sacramentum[5], sed ad cibationem spiritualem est ordinatum; et cum incipit cibare corporaliter, desinit esse Sacramentum. — Et ita patet, quod ratio illa bona est. Ratio congruitatis bona est. Cum enim sit ibi, quamdiu est Sacramentum, corpus Christi verum; et hoc non alit corporaliter, et accidentia similiter non alunt: ideo Sacramentum recte dicitur spiritualis cibus, quamvis, recedente ratione et officio Sacramenti, cibus corporalis incipiat esse, sicut fuerat ante.

3. Ad illud quod obiicitur, quod solvit ieiunium; dicendum, quod non solvit: tum quia Sacramentum, dum sumitur, non est cibus corporalis, tum etiam ratione corporis Christi interius contenti, qui[6] tantum est cibus mentis. Et ideo non est simile de vino, quod recipitur ad purificationem. Et ideo patet illud.

4. Patet etiam sequens. Ambrosius enim loquitur de corpore Christi; et hoc est tantum cibus mentis, non ventris.

Uterque praedictorum modorum dicendi satis probabilis videtur nec facile est improbare, quia Sancti non multum de hoc loquuntur. Iterum iudicatur de 2 solutionibus. Nec rationi hic multum innitendum est, quia utraque opinio fundatur hic supra miraculum et potentiam operantem supra naturam. Quis autem scit, utrum Deus sic vel sic faciat, cum uterque modus dicendi satis sit rationabilis? Nec videtur omnino improbabile, quod aliquod accidens in substantiam convertatur in hoc Sacramento, cum accidens hic subsistat sine subiecto; nec videtur improbabile, quod sicut substantia panis convertitur, ita revertatur. Cum enim in substantiae panis conversione corpus Christi non Notandum. generetur nec fiat, sed tantum sub illis speciebus esse incipiat, sicut tenet fides recta[7]; quis audeat hoc tanquam irrationabile repudiare, ut, corpore Christi non corrupto, sed desinente esse sub speciebus, substantia illa, quae sustentabat accidentia, revertatur, cum accidentia illa non sint ob aliud sine subiecto nisi ob dignitatem et praesentiam contenti? — Quodsi *quaeras,* utrum sit *creatio,* vel Quaest. incid. solvitur.

---

[1] Scilicet *quantitas.* Dicitur autem *primum* accidentium, quia sequitur materiam, quae est primum subiectum in substantia composita, dum *qualitas* se tenet ex parte formae, quae est in materia, ut in suo subiecto. — Non pauci codd. *principium accidentium.* Superius pro *post conversionem* edd. cum aliquot codd. *per conversionem.*

[2] Ita tenet Glossa *ordinaria* apud Strabum in Matth. 2, 2. et 3, 16; idem refert Petr. Comestor, Histor. evangel. c. 7. et c. 34. Cfr. I. Sent. d. 16. q. 3. ad 3. et 5.

[3] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 11. ubi textus originalis post *convertitur* legit: *cum corpus dominicum incipit esse sub Sacramento, sic quodam modo* etc.

[4] Edd. *sed quia.*

[5] Secuti sumus in hac propos. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 2. § 2. ad 2; codd. enim fere omnes legunt *non enim cibat spiritualiter, nisi* [pauci codd. omittunt perperam *nisi*] *in quantum Sacramentum,* quae lectio, etsi sit in se vera, non tamen est congrua propter sequentem particulam *sed,* pro qua codd. E F minus bene *et,* edd. autem *quia.* Subinde post *incipit cibare* ex cod. H (F a secunda manu) substituimus *corporaliter.* Vide infra d. 13. a. 2. q. 2.

[6] Cod. F *quia.*

[7] Vide supra lit. Magistri, d. XI. c. 1. seq., et Comment. d. 10. p. II. a. 1. q. 2. ad 1.

generatio vel *alia mutatio;* sane potest dici, quod sicut conversio est mutatio singularis [1], sic et reversio. Quidquid autem horum dicatur, dum tamen non asseratur pertinaciter, nullum est ibi periculum; solum hoc caveatur, ut nostrae capacitatis intelligentia totaliter in Christi obsequium captivetur [2].

SCHOLION.

I. Experientia constat, in Sacramento accidentia, licet a substantia panis et vini sint separata, eosdem producere effectus sensibiles, tum in *agendo* tum in *patiendo*, quos coniuncta cum substantia antea habebant (cfr. infra q. 3.). Axioma autem est Scholasticorum, non tamen eodem modo ab omnibus explicatum, quod accidentia agant *in virtute substantiae;* « sicut enim accidens non *est* per se, ita non habet virtutem *operandi* per se, sed per virtutem substantiae » (ita I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 3. ad 5.). Hinc explicatu difficile est, quomodo accidentia, sua naturali substantia privata, possint effectus habere quoscumque; praesertim vero, et quomodo convertantur in substantiam alimenti, et quomodo, corruptis speciebus, cedant in aliam substantiam qualemcumque. Cum de *facto* constet inter omnes, de *modo* variae sententiae sunt exortae. Nec mirum, quia res est de miraculo singularissimo et ab observatione sensuum penitus remoto; insuper Scholastici in solvenda generali quaestione philosophica de *modo,* quo formae substantiales generantur et corrumpuntur, diversis viis incedunt. — S. Bonaventura etiam hoc loco non recedit ab his duobus principiis, quae alibi contra alios professus est.

1. Sicut *nullum agens creatum* producere potest *materiam,* sic nec alterum rerum corporearum principium intrinsecum, scil. *formam substantialem,* nisi ea iam aliquatenus, id est secundum *essentiam* (non existentiam), praeexistit in suis rationibus seminalibus (ita II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1. 2; d. 18. a. 1. q. 2. 3; cfr. I. Sent. d. 42. a. unic. q. 4; II. Sent. d. 1. p. I. a. 3. q. 1, d. 30. a. 3. q. 1; III. Sent. d. 14. a. 3. q. 3. — Aliis modis rem tentant explicare plurimi Scholastici, inter quos sunt S. Thom. et Scotus.

2. Accidens nec virtute propria nec ut instrumentum substantiae videtur *proprie* attingere ad productionem substantiae; sed tamen *dispositive* illam producit, quod approbat Scotus. Unde (infra q. 3. quaesit. 2.) docetur, quod si « datur accidentibus potentia convertendi in substantiam, cum desinunt esse... talis potentia *omnino est supra naturam* »; et II. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. fundam. 4: « Nullum accidens est causa substantiae »; quod etiam supponitur d. 29. a. 1. q. 2. ad 3. Cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1, ubi concludit, quod « agens creatum nullam *quidditatem*, nec substantialem nec accidentalem, *omnino* producit, sed entem sub una dispositione facit esse sub alia ». — Ast S. Thom. (S. III. q. 77. a. 3. ad 3.) docet, quod accidentia sive qualitates activae et passivae agere possint ad formam substantialem *instrumentaliter,* scilicet non quidem virtute propria, sed virtute formae substantialis ut principalis agentis; quam doctrinam S. Bonav. non commemorat, sed Scot. (hic q. 3. n. 4. seqq.) diffuse impugnat.

II. Conclusio 1. quaestionis negata est a pluribus antiquis (Algero, Guitmundo et Gulielmo Paris.), qui primam opinionem hic relatam posuerunt. — Tota et magna difficultas consistit in solvendo 1. arg. ad oppos.; de quo plures ab antiquo opiniones circumferuntur. Opinio Innocentii III. (2.), quam sequitur Alex. Hal., a Scoto (hic q. 7.) reiicitur, sicut et plures aliae. Ipse (ibid. n. 11. seqq.) vult, quod immediate a Deo redit substantia composita, non quidem panis, sed talis, ad quam accidentia corrupta disponunt. — S. Thomae (S. loc. cit. a. 5. 6.) non placent duae hic relatae opiniones; unde (a. 5.) docet: « Melius videtur dicendum, quod in ipsa *consecratione* miraculose datur quantitati dimensivae panis et vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum; hoc autem est proprium materiae: et ideo ex consequenti datur praedictae quantitati dimensivae omne illud, quod ad materiam pertinet ». Sed etiam haec verba, saltem si ad litteram intelliguntur respectu formarum *substantialium,* involvunt graves difficultates et varias provocaverunt interpretationes. In Comment. vero (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4. ad 4.) idem dicit: « Oportet ponere, aliquid in hac generatione esse miraculosum, et aliquid naturale; reditus enim substantiae, vel creatio materiae, vel conversio dimensionum in materiam est miraculosum; sed quod materia iam existens recipiat talem formam, cuius dispositiones praecesserunt in dimensionibus, hoc est naturale ». — De doctrina in 3. fundamento tradita, quae supponit *generationem aequivocam,* et quidem valde extensam, alii Scholastici specialiter agunt.

II. De eadem quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 1. § 2. — B. Albert., de hac et seqq. qq. hic a. 16. in solut. oppos. et d. 13. a. 9. 10. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Henr. Gand., Quodl. 8. q. 36. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 2.

III. Quoad 2. quaestionem est sententia nunc communis, quod per species consecratas non *convertatur* ipse liquor superfusus, etiam si sit eiusdem speciei; hinc posteriores solvunt concorditer quaestionem *principalem.* — Quoad *adiunctam* quaestionem, utrum admixtione alicuius liquoris non consecrati cesset Sacramentum; tenetur communiter hoc principium, quod manet sanguis Christi sub speciebus, donec ipsae remanent integrae; et quod recedit, si elementa in sua *specie* corrumpuntur, quod *certe* fit admixtione alterius liquoris in maiore quantitate. Sed de casu, quando non species, sed *quantitas* tantum mutatur, sive quando vinum non consecratum apponitur consecrato, Durandus (hic q. 3.) cum multis aliis recentioribus docet, non desinere praesentiam Christi appositione etiam maioris quantitatis vini non consecrati; quod probabile esse censet Richard. a Med. (hic a. 4. q. 1.), et favet Scot. (hic q. 4.). Sed S. Thom. (S. loc. cit. a. 8.) cum Petro a Tar. (hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2.) hoc non concedit, nisi vinum adiunctum esset « tam parvae quantitatis, quod non posset perfundi per totum », hac scilicet ratione, quia tunc species non remaneant eaedem *numero,* sed tantum *specie.* Eandem doctrinam praefert Alex. Hal. (loc. cit. ad. 3. 4.) docens, etiam parvam quantitatem liquoris non consecrati additam, dummodo *sit divisa secundum partes speciei continentis,* facere, ut cesset Sacramentum; hoc autem esse, quando in illa una quantitate non « est distinguere secundum aliquam naturam, vel proprietatem partem a parte »; completam enim esse mixtionem, « quando non est assignare aliquam partem secundum existentiam veritatis in mixto secundum *materiam* neque secundum *speciem,* quae sit differens ab alia ». — S. Bonav. (ad 5.) favere videtur potius Durando, et sic intelligitur a Suarez aliisque. — Post solutionem ad 1. incidit alia quaestio, quid fiat de *aqua* vino consecrato admixta; circa quod supponendum est quod dicitur supra d. 11. p. II. q. 4. ad 3. et dub. 5; III. Sent. d. 6. a. 2. q. 1.

IV. In solvenda 3. quaestione auctores in genere conveniunt; sed circa quaedam specialia differunt in modo vel solvendi, vel explicandi, et quidem secundum diversa principia superius (n. I.) commemorata. — Notatu digna est triplex distinctio actuum ibi in corp.

De eadem quaestione plerique commentatores Lombardi in locis ad 1. quaestionem citt. passim agunt (Scot., hic q. 3. 6.); sed specialem quaestionem de ipsa instituunt: Alex. Hal., loc. cit. § 1. 4, et Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

---

[1] Ut ostensum est supra d. 11. p. I. q. 2.

[2] Respicitur II. Cor. 10, 5. Cfr. supra pag. 230, nota 4.

QUAESTIO II.

Utrum accidentia habeant potentiam convertendi alia in Sacramentum.

Secundo quaeritur, utrum accidentia habeant potentiam convertendi alia in Sacramentum, utpote si vino consecrato apponatur aqua. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia aequalis, vel maioris virtutis est consecratio in hoc Sacramento quam benedictio in aqua; sed aqua benedicta iuncta aquae non benedictae facit, totam esse benedictam: vinum ergo non consecratum, iunctum consecrato, fit consecratum: ergo habet potentiam convertendi [1].

2. Item, quando apponitur aqua, vel vinum, species illae occupant maiorem locum [2]: ergo sanguis Christi est sub maiori specie; sed sanguis Christi non est sub maiori loco, nisi quia aliquid in ipsum convertitur: ergo illud quod apponitur, convertitur in ipsum sanguinem: ergo species, quae est Sacramentum, aliud in Sacramentum convertit.

3. Item, hoc ostenditur *ratione,* quia accidens cum substantia non occupat maiorem locum nec facit maius [3], similiter nec corpus glorificatum cum non glorificato; sed in calice non est nisi substantia sanguinis glorificati sive corporis Christi et accidens: ergo si illud quod apponitur, manet in substantia; videtur, quod in eodem loco esse potest, ita quod non occupat maiorem locum; quod est manifeste falsum, ut patet inspicienti. Restat igitur, ut illud quod apponitur, non salvetur in ratione substantiae, sed solum speciei, sicut species, quae est ibi: ergo necessario est ibi conversio.

4. Item, si apponatur alius liquor, ut aqua in magna quantitate, totum converteretur [4] in substantiam aquae, ita quod vere est aqua: ergo pari ratione, si ita parum ibi apponatur, quod species praedominetur; videtur, quod convertatur in verum Sacramentum, cum non consecratum non plus possit supra consecratum, quam e converso.

5. Item, hoc ipsum ostenditur per *impossibile:* quia, quando apponitur vinum, vel aqua, fit una Quaestio incid. superficies: quaero ergo: aut illa superficies est *in subiecto*, aut *sine subiecto?* Si *in subiecto:* ergo si modicum quid apponatur, desinit esse Sacramentum. Si *sine subiecto:* ergo totum est Sacramentum. Si *sine subiecto* et *in subiecto:* ergo duo contradictorie opposita sunt vera de eodem, quod nunquam fit. *Si dicas mihi,* quod secundum unam partem est *in subiecto,* secundum aliam *extra subiectum; contra:* esto quod apponatur aqua, et misceantur usque ad minima; tunc non est assignare diversas partes: ergo necesse est, quod saltem tunc convertatur.

Contra: 1. Nihil convertitur in sanguinem nisi Fundamenta. per transsubstantiationem; sed virtus transsubstantiandi non est in elemento, sed in verbo [5]: ergo quantumcumque addatur elementum aliud speciei, non fit transsubstantiatio: ergo manet substantia cum accidentibus: ergo non convertitur in Sacramentum.

2. Item, si convertitur; aut ergo virtute *sanguinis,* aut virtute *vini.* Virtute *sanguinis* non, quia sanguis ille est glorificatus, ergo non habet potentiam convertendi aliquid in se. Item, non virtute *vini,* quia vinum, quod convertitur, ratione *substantiae,* non ratione *proprietatum* convertitur; et ibi non est substantia vini: ergo nulla vis est, quae possit convertere.

3. Item, aqua non est nata de se converti in sanguinem: ergo si apponatur vino consecrato, non transit in sanguinem: ergo manet substantia eius, et sic etc.

CONCLUSIO.

Accidentia non habent virtutem convertendi aliam substantiam admixtam in Sacramentum.

Respondeo: Dicendum, quod accidentia non Conclusio. habent virtutem convertendi aliam substantiam in Sacramentum.

Et ratio huius est, quia in hoc Sacramento est Ratio 1. transsubstantiatio; transsubstantiatio autem non fit sine verbo: ideo, quantumcumque apponatur aliud

---

[1] Ex codd. N aa supplevimus ultimam conclusionem arg. Sola Vat. hic subiungit alterum arg., quod sumtum est ex Alex. Hal., S. p. IV. m. 7. a. 2. § 3, excepta ultima propos., quae ideo ab ipsa videtur esse addita, ut arg. correspondeat responsioni in solut. ad 1. contentae. Arg. est hoc: Item accidentia in hoc Sacramento habent eandem virtutem, quam haberent in *esse* proprio et naturali; unde Innocentius [IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 37. sententialiter; verbotenus Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 12.]: « In quo similitudo deficeret, in eo Sacramentum non esset »; scilicet [? sed] in *esse* proprio et naturali haberent potestatem convertendi in sui naturam; cum ergo conversio naturaliter fiat, videtur, quod appositum debet converti potius in simile convertenti, quam in vinum; scilicet [? sed] in purum accidens non possunt haec accidentia illud appositum convertere, nisi fiat illius transsubstantiatio. Saltem quaeritur, si aqua modica convertitur in vinum a specie vini.

[2] In cod. aa adiicitur: *quia diffusio fit specierum per calicem.* Inferius pro *sub maiori loco* edd. *in maiori loco.*

[3] Per quantitatem enim substantia constituitur in loco et accipit extensionem. — Inferius pro *sed* plurimi codd. et ed. 1 perperam *ergo,* nisi adiungatur *cum.* Subinde post *in eodem loco esse potest* [plurimi codd. incongrue *possunt,* edd. *possint*] codd. H L Y prosequuntur *et ita non occupat* etc.

[4] Codd. aa bb *convertetur.*

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. VIII. c. 4.

elementum, nisi adsit verbum, non fit Sacramentum. Et *si tu obiicias*, quod aqua benedicitur per aquam, et oleum per oleum benedicitur[1]; respondetur, quod non est simile: quia consecratio in oleo et benedictio in aqua non ponit nisi *accidens* aliquod et proprietatem quandam sanctificationis; sed hic consecratio ponit conversionem *in veram substantiam* et continentiam eiusdem, quae est a sola virtute increata assistente ipsi verbo[2].

Alia est etiam ratio: quia aqua benedicta tota
Ratio 2. attingitur, et secundum totum, quod habet in se, commiscetur aquae supervenienti, et oleum benedictum oleo; sed sanguis ibi contentus nulli humori commiscetur, pro eo quod non est ibi diffusus, sed est sanguis glorificatus, intra venas contentus, et ideo a nullo liquore attingitur; et ideo nihil per commixtionem vel contactum potest in ipsum converti. Si ergo aliquid convertatur, necesse est, quod per transsubstantiationem et novam consecrationem convertatur.

Concedendum est ergo, quod species vini iuncta alii liquori non convertit in Sacramentum.

1. Et patet responsio ad primum obiectum,
Solutio oppositorum. quod non est simile tum ratione eius, quod est hic conversio in substantiam, tum quia non est mixtio talis nec tanta, sicut in aqua benedicta.

Ad illud quod obiicitur, quod aqua modica con-
Quaestio incid. solvitur. vertitur a specie vini; respondetur dupliciter secun-
Solutio 1. dum diversos[3]: uno modo, quod non convertitur, ita quod *solvatur forma substantialis* aquae, sed *converti* ibi est solum *alterari*, quia mutatur sapor et color et odor, et participat proprietates vini; et ideo quantum ad sensum nostrum conversa est[4]. Et talis conversio disponit ad conversionem in Sacramentum, si adesset verbum; sed cum non adsit, non convertitur, sed manet substantia habens proprietatem vini per *actum et virtutem* illius speciei. —
Solutio 2. Alius modus dicendi est, quod aqua convertitur in vinum, et hoc virtute illarum specierum; non, inquam, in vinum, quod sit vinum secundum *speciem*, sed est vinum solum secundum *materiam*, sicut caro secundum *speciem* convertit in carnem secundum *materiam*[5]. — Et *si tu obiicias*, quod «nihil dat quod non habet»; verum est secundum *substantiam*, vel secundum *virtutem;* et species illae, quamvis non habeant *substantiam* vini, habent tamen *virtutem* et operationem: et ideo, sicut verum vinum solveret speciem aquae modicae et converteret[6] secundum veritatem, ita intelligendum est in proposito. — Uterque modus dicendi est proba- Iudicium.
bilis satis, et quocumque horum modorum dicatur, non sequitur, quod aqua iuncta vino fiat Sacramentum et consecretur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod corpus Christi est sub maiori specie; dicendum, quod non est sub maiori specie, quia aliquid sit appositum speciei, ita quod sit *in illo;* sed quia species illa ma- Notandum.
gis est diffusa; sicut si species vini, quae est in calice profundo, ponatur in calice latiori, magis dilatatur species. Sic intelligendum in proposito: quia, cum miscetur alius liquor, partes illius speciei magis diffunduntur, maxime si liquor ille[7] penetrat et dividit et separat partes speciei ab invicem.

3. Ad illud quod obiicitur, quod accidens non occupat maiorem locum cum substantia; dicendum, quod istud verum est de accidente secundum *exi-* Notandum.
stentiam naturalem; tale enim accidens in subiecto est et non ponit in numerum cum illo[8]. Sed sicut dimensio in illis speciebus locum habet naturalem, pro eo quod non tantum est ibi *mathematica,* immo etiam *naturalis* dimensio, licet sit supra naturam praeter subiectum; sicut locum occupat, ita cum alia dimensione occupat maiorem locum quam per se solam, non per naturam *substantiae,* sed *dimensionis naturalis.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod alius liquor potest facere, quod non sit Sacramentum; dicendum, Notandum.
quod non est simile, quia «facilius est destruere quam construere[9]». Mus enim et quodlibet aliud manducans potest facere, quod desinat Sacramentum; sed nullus potest facere, quod illud sit, nisi adsit verbum et sacerdotale ministerium.

5. Ad illud quod obiicitur, quod fit una superficies; dicendum, quod liquor additus, quamvis non

---

[1] Ita cod. O; recole arg. 1. ad oppos.; plurimi codd. *per verbum* pro *per aquam,* et omittunt *per oleum;* cod. X *et similiter oleum benedicitur;* edd. hic addunt *et tamen, si non benedictum proportionaliter apponatur, efficitur benedictum.*

[2] Cfr. supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3. — Aliquanto inferius post *venas* Vat. supplet *Christi,* quae etiam in fine corp. cum ed. 1 perperam substituit *convertitur* pro *convertit.*

[3] Vide supra d. 11. p. II. a. 1. q. 4. ad 3. et dub. 5.

[4] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 85. seq. (c. 10.).

[5] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 3. q. 2, ubi haec distinctio carnis explicatur. — Axioma: Nihil dat quod non habet, insinuatur ab Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.). — Codd. F O *convertitur in carnem secundum materiam,* edd. *convertit carnem secundum materiam.* Superius pro *illarum specierum* multi codd. *aliarum specierum.*

[6] Fere omnes codd. et ed. 1 *converteretur,* scil. aqua; cod. Y *converteretur in vinum.*

[7] Cod. F *alius,* qua lectione explicatur lectio non paucorum codd. *illius.*

[8] Cfr. tom. II. pag. 106, nota 1. verba Aristotelis. — Pro intelligentia seq. propos. notamus, quod *mathematica* non solum abstrahit ab ipsa *materia* sensibili, sed etiam a sensibilibus corporum *accidentibus* v. g. duritie, mollitie, actione, caliditate etc., reservans sibi *quantitatem secundum se* sive *materiam intelligibilem;* dum *physica* sive scientia naturalis considerat *materiam sensibilem* etc.; *metaphysica* tandem, supra duplicem hanc materiam se elevans, considerat *ens in quantum ens.* Vide Aristot., II. Phys. text. 16. seqq. (c. 2.); VI. Metaph. text. 1. seqq. (V. c. 1.) et XI. c. 1. seqq. (X. c. 1. seqq.). — Inferius pro *mathematica* non pauci codd. *metaphysice,* sed cfr. q. seq. in fine.

[9] Ut dicit Aristot., supra pag. 19, nota 7, allegatus. — Mox post *aliud* codd. F G addunt *animal,* et post *desinat* codd. E F G L supplent *esse.*

faciat unam *substantiam*, tamen dimensio continuatur dimensioni, et ita fit *dimensio una* et quantitas una.

Si ergo quaeras, utrum sit *in subiecto*, vel *praeter subiectum;* respondeo: Non dividis sufficienter, quia partim est *in subiecto*, partim *extra subiectum;* et illud non est inconveniens: sicut una pars superficiei potest esse nigra, et alia alba; sic in proposito intelligendum, quod pars speciei consecrata est *sine subiecto*, reliqua vero *in subiecto*. — *Et si obiicias:* ponatur, quod perfecte misceatur, cum mixtio sit usque ad minima; tunc sequitur inconveniens, quod idem sit *in subiecto* et *praeter subiectum;* dicendum, quod mixtio liquoris cum liquore non est usque ad minima secundum *quantitatem*, sed intelligitur secundum *virtutem*, quia ita est in aliis mixtionibus[1]; et ipse obiicit, quod sit usque ad minima secundum *quantitatem*. — Si autem talis sit mixtio, quod fiat in speciebus *universalis alteratio*, vel etiam quod species illae vini transfuderentur in liquorem *consimilem*, sed *praedominantem*, ita quod nulla esset distinctio, quod hic esset species consecrata, et ibi non consecrata, nec secundum *naturam*, nec secundum *virtutem*[2], sicut est in mixtione naturali; tunc dico, quod desineret esse Sacramentum, sicut desinit per aliam transmutationem, et totum esset unum corpus et esset una superficies secundum partes et totum existens in unico subiecto. Quando autem hoc fiat, difficile est discernere[3].

Ad quaest. incid.

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum accidentia illa operationes habeant per naturam, an per miraculum.

Tertio quaeritur de operationibus, quas habent illa accidentia, utrum habeant per naturam, an per miraculum. Et quaeritur primo de *immutationis operatione*, quae est illarum specierum, utrum sit *naturalis*, vel *miraculosa*. Et quod *naturalis*, videtur:

Quaesitum 1. de operatione immutationis.

Fundamenta.

1. Quia quod per se inest alicui non solum inest illi coniuncto materiae, sed etiam abstracto et separato; sed movere sensus per se inest sensibilibus[4]: ergo per se inest illis a materia separatis; sed quae per se insunt naturaliter insunt: ergo etc.

2. Item, forma substantialis nunquam movet sensum separata a formis accidentalibus[5]: ergo forma substantialis nihil facit, nihil privat, quin accidentia moveant sensum, dummodo accidentia habeant *esse:* ergo per naturam movent.

3. Item, sensus est susceptivus specierum praeter materiam, tamen sub conditionibus materialibus *hic et nunc*[6]: si ergo est aliqua species sensibilis sine materia, habens tamen materiales conditiones; illa maxime habet movere sensum: ergo cum huiusmodi sint istae species: patet etc.

4. Item, hoc patet per *simile:* si idolum[7] relinqueretur in speculo, abstracto corpore obiecto, moveret visum, et tamen idolum in speculo habet *esse* spirituale: ergo videtur, quod species illae, cum sint ibi relictae sine materia, quod habent naturaliter immutare.

5. Item, si navis per miraculum levaretur in aëra, licet existentia navis in aëre esset miraculosa, tamen existentia nautae in navi esset naturalis, et operationes consequentes illam existentiam essent naturales: cum igitur accidentia fundentur in quantitate, et quantitas in materia[8]; sublevatio quantitatis a materia est miraculosa; sed existentia aliorum accidentium est naturalis: ergo operatio in sensus consequens illam existentiam est naturalis.

Ad oppositum.

Contra: 1. Philosophus in primo de Anima[9]: « Recto, in quantum rectum, contingit tangere aeneam sphaeram secundum punctum, tangit autem nunquam separatum », quia aenea sphaera non est nata tangi nisi a naturali: si ergo rectum separatum tangeret aeneam sphaeram, hoc esset *supra* naturam, vel *contra*. Cum igitur sensus particularis non sit natus immutari nisi a specie existente in materia; si immutetur a separata, immutatio ista non est naturalis.

2. Item, sicut se habet sensus interior ad speciem sine materia, sic exterior ad speciem in materia; et permutatim, sicut interior ad speciem in materia, sic exterior ad speciem sine materia; sed

---

[1] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 85. seqq. (c. 10.), ubi improbat opinionem, secundum quam mixtio fit ex minimorum secundum *quantitatem* (sive quoad sensum nostrum, sive quoad naturam) coniunctione; non enim esset vera mixtio, sed compositio. — Superius pro *cum mixtio sit* edd. *cum mixto, sic*.

[2] Sive proprietatem. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 2. § 3, relatus in scholio. Permulti codd. *veritatem*.

[3] Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 31. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vide Aristot., II. de Anima, text. 63. seqq. (c. 6.). — De *maiori* cfr. Aristot., I. Poster. c. 4. — Cod. aa legit *inest accidentibus: ergo movere sensus per se* etc.

[5] Substantia enim *per se* est obiectum intellectus (Aristot., III. de Anima, text. 9. seqq. et text. 38. seq.) et a sensu non percipitur nisi *per accidens* « ut si album sit Diaris filius; secundum accidens enim hoc sentit, quoniam accidit albo hoc quod sentit » (Aristot., II. de Anima, text. 65.).

[6] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 121. (c. 12.); I. Poster. c. 14. et 24. (c. 18. et 31.), de quo vide supra pag. 220, nota 9.

[7] A voce graeca εἴδωλον i. e. imago, simulacrum, species.

[8] Cfr. supra pag. 276, nota 1. — Inferius ex cod. H substituimus *in sensus*, pro *in sensibus*.

[9] Text. 13. (c. 1.): Recto, in quantum rectum, multa accidunt, ut tangere etc.

interior nunquam naturaliter apprehendit speciem in materia, sed abstractam [1]: ergo nec exterior speciem separatam a materia.

3. Item, formae convenit esse *hic et nunc* ratione materiae [2]; sed per eam naturam, per quam est *hic et nunc*, habet movere sensum: ergo cum hoc sit a materia, naturaliter ergo habet movere: ergo si fiat separatio a materia, iam non movebit naturaliter.

4. Item, illa species motiva sensus habet triplicem comparationem, ad *subiectum* scilicet, ad *medium* et ad *organum* [3], et sunt istae comparationes ordinatae: ergo destructa prima, et destruuntur aliae consequenter: ergo si habeat species illa comparationes duas sequentes sine prima, non habet naturaliter, sed miraculose.

Secundo quaeritur de *opere transmutationis*, et maxime de *putrefactione*, utrum scilicet sit *naturalis*. Et quod sic, videtur:

Quaesit. 2. De transmutatione.

1. Quia quod convenit alicui naturaliter, salvata natura, adhuc illi convenit; sed speciebus illis naturaliter convenit corrumpi et deficere propter defectum virtutis naturalis, et quia causantur a contrariis qualitatibus [4]; et constat, quod illae species salvantur in eadem natura: ergo etc.

Argg. pro 1. parte.

2. Item, corruptio per contrarietatem est naturalis, hoc patet; sed species illae ibi existentes habent vere naturam contrarietatis: ergo sunt corruptibiles naturaliter. *Minor* patet sic: ubi contraria sunt secundum *esse spirituale*, simul possunt esse in eodem et secundum idem, ut in eodem medio, ut in sensu et intellectu contrarii colores [5]: cum ergo hic non possint esse contrarii colores nec sapores simul, immo mutuo se expellunt; habent igitur naturam verae contrarietatis.

3. Item, ubi sunt species secundum *spirituale esse*, excellentia talis speciei non est corruptiva [6]: si ergo in speciebus sacramentalibus excellentia sensibilium contristat sensum: ergo est ibi species habens naturam verae contrarietatis. Sed quod sic est corruptibile est naturaliter: ergo etc.

4. Item, Anselmus, de Conceptu virginali [7], distinguit triplicem cursum: *naturalem, voluntarium* et *mirabilem*, et dicit, quod *mirabilis* a Deo administratur immediate: cum igitur Deus nihil immediate corrumpat, illa corruptio sive putrefactio non est a Deo immediate: ergo non est mirabilis, ergo est *naturalis*, vel *voluntaria*; sed non *voluntaria*: ergo *naturalis*.

Contra: 1. « Forma de sui natura est in simplici et invariabili essentia consistens [8] »: si ergo accidat ei variatio, hoc est per materiam: ergo separata a materia est invariabilis per naturam. Si ergo varietur, hoc est *supra naturam*: ergo etc.

Pro 2. parte.

2. Item, ad transmutationem physicam concurrunt tria principia, scilicet subiectum et duo contraria [9]: ergo ubi deficit materia, non est intelligi mutationem physicam; sed hoc est in huiusmodi speciebus: ergo putrefactio illa non est physica.

3. Item, « sicut a forma est *agere*, ita est a materia *pati* [10] »; sed non contingit *agere* physice nisi per formam: ergo nec *pati* nisi per materiam: ergo ubi deficit materia, manifestum est, quod non est *passio* physica: ergo nec transmutatio.

4. Item, non est vere contrarietas sine subiecto; sed materia prima est subiectum omnis contrarietatis corporalis [11]: ergo ubi deficit prima materia, non est vera contrarietas. Sed actio naturalis est per veram contrarietatem: ergo etc. Similiter posset argui de *contactu*, quod est formae in materia, et *actio* et *passio* per contactum.

Tertio quaeritur de *opere nutritionis*, utrum sit naturalis, vel supernaturalis [12].

Quaesit. 3. De nutritione.

CONCLUSIO.

Duplici via probatur, operationes immutationis, transmutationis et nutritionis partim esse naturales, partim miraculosas.

Respondeo: Dicendum ad intelligentiam praedictorum secundum *unum modum* dicendi satis probabilem [13] ex comparatione *virtutis* ad *operationes*

Via prima.

---

[1] Vide Aristot., II. de Anima, text. 136. seqq. (III. c. 2. seq.), ubi agit de interioribus sensibus, scil. sensu communi, imaginatione etc.

[2] Cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 92. (c. 9.); II. Sent. d. 3. p. I. a. 1. q. 1. fundam. 3. et a. 2. q. 3. — infra post *a materia* (vel *naturaliter*) supple: a materia; quod in codd. et edd. excidisse videtur. In fine arg. Vat. *movebitur* pro *movebit*.

[3] De quo vide Aristot., II. de Anima, text. 73. seqq. (c. 7.).

[4] Cfr. Aristot., de Longitud. et brevit. vitae, c. 2; de Iuvent. et senect. etc. c. 3. (c. 5.). Vide tom. II. pag. 192, nota 7. — Vat., voci *propter* praemisso *vel et* pro *et quia* substituto *vel quia*, hic addit *et habent contraria*.

[5] Vide Aristot., III. de Anima, text. 37. seq. (c. 8.).

[6] Aristot., II. de Anima, text. 123. et 143, nec non III. text. 7. (c. 2. et 4.), constituit differentiam sensus et intellectus in eo, quod sensus per excellens sive forte sensibile tristatur et laeditur, intellectus vero per excellens intelligibile fortificatur. Cfr. tom. I. pag. 38, nota 5. et pag. 39, nota 5.

[7] Cap. 11. Vide tom. II. pag. 346, nota 1. — Quod Deus nihil immediate corrumpat, insinuat August. supra pag. 246, nota 3.

[8] Ut dicit Gilbert. Porret., de Sex Principiis, c. 1. Cfr. supra pag. 273, nota 4.

[9] Vide Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 23. seqq. (c. 4.); VIII. Metaph. text. 4. (VII. c. 1.), et XII. text. 6. seqq. (XI. c. 2.). — Inferius pro *intelligi* cod. F *intelligere*, et pro *sed hoc* cod. A *sed non*.

[10] Secundum Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 53. (c. 9.). Vide supra pag. 273, nota 3. — Inferius pro *manifestum est, quod* cod. B. *ibi*, Vat. *per consequens, ibi*.

[11] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 81. seq. (c. 9.); I. de Generat. et corrupt. text. 43. seqq. (c. 6.), ubi etiam agitur de contactu, actione et passione, quae mox nominantur.

[12] Codd. et ed. 1 non bene omittunt totam hanc propositionem.

[13] Secunda manus in cod. P addidit *qui sumitur*. Edd. legunt: *secundum unum modum dicendi est, quod ex satis pro-*

ex virtute egredientes. *Operationes* enim habent regulari secundum *potentias et virtutes*, a quibus egrediuntur.

Propter quod notandum, quod aliquando datur alicui potestas conformis suae naturae; et egressus ab illa potentia est *naturalis*, sicut cum caeco redditur potentia videndi. — Aliquando datur potestas alicui partim conformis naturae et partim supra naturam; et tunc actus egrediens quodam modo est *naturalis*, quodam modo *supra naturam*, sicut caeco videre de nocte. — Aliquando vero datur potestas omnino supra naturam; et tunc actus egrediens ab illa potentia est *miraculosus simpliciter* et supra naturam, sicut Virgini data est potestas pariendi [1].

Species 3 actuum.

Considerandum est igitur, quod in hoc Sacramento est haec omnia reperire. Nam primo *quantitas* naturaliter habet substare aliis accidentibus, et alia accidentia naturaliter sustentari [2] ab illa. Si ergo detur quantitati potentia sustentandi alia accidentia, illorum existentia in quantitate est naturalis, et operatio consequens habet potentiam naturalem. Unde

Conclusio 1. dico, quod *operationes* illarum specierum *in sensus* sunt naturales, quia in quantitate habent *esse* conveniens immutationi sensuum.

Omnes igitur rationes hoc ostendentes sunt concedendae.

Ad oppositiones manifesta est responsio: quia

Ad obiecta. *quantitas* est ibi loco materiae, et per illam sunt *hic et nunc* et habent *esse* materiale et conveniens immutationi sensuum, et *accidentia* primo sunt in quantitate; et hoc potest satis videri per exemplum supra de navi positum. — Quod vero datur ulterius

Notandum. quantitati illi potentia sustinendi transmutationes [3] illarum formarum; talis potentia partim est *conformis naturae*, partim *supra naturam*. *Conformis* est quantum ad subsistentiam contrarietatis, quia quantitati per se insunt contraria; sed *supra* quantum ad hoc, quod manet eadem secundum se, facta fractione: hoc enim est proprium solius *substantiae* [4], et ita supra naturam *quantitatis*.

Ad illud ergo quod quaeritur de *transmutatione*,

Resp. ad 2. quaesitum. utrum sit naturalis, vel miraculosa; dicendum, quod ratione naturarum illarum specierum, quae habent naturam contrarietatis, illa transmutatio est *naturalis*, sed ratione sustinentis [5], secundum hoc est supra naturam; et ita partim *naturalis*, partim *supra naturam*. Conclusio 2.

Rationes igitur ad partem oppositam factae in secundo problemate currunt secundum has duas vias. Nam quae probant, quod sunt *naturales*, sumuntur a natura contrarietatis formarum illarum; quae vero probant, quod sunt *supra naturam*, procedunt secundum viam sustinentis. — Et sic patet secundo quaesitum de *transmutatione*. Si vero datur illis accidentibus potentia convertendi in substantiam, cum desinunt esse, et cum corpus Christi ibi desinit esse; talis *potentia* omnino est *supra naturam*, et ideo talis *actus* omnino *supra naturam* est et miraculosus. Ad argg. Conclusio 3.

Ad illud quod quaeritur de *nutritione*, dicendum, quod ibi triplex est operatio [6]. Prima est, quod species illae per actionem virtutis agentis transmutantur; et haec partim est *naturalis*, partim *supra naturam*. — Secunda est, quod in fine transmutationis cedunt in substantiam, ita quod in illam convertuntur, sicut converteretur substantia panis, si esset praesens; et haec est *miraculosa* [7]. — Tertia est, quod substantia illa postea convertitur in carnem; et haec est simpliciter *naturalis*. Resp. ad 3. quaesit. cum distinctione. Conclusio 4. Conclusio 5. Conclusio 6.

Sed quamvis iste modus dicendi probabiliter possit sustineri, *aliter* potest dici et securius et brevius, quod *operationes* accidentium sive *virtus operans* habet comparari et ad illud, *a quo egreditur*, et ad illud, *in quod operatur*. Si loquamur per comparationem ad illud *a quo;* sic dico, quod cum per naturam omnis virtus operans vel *sit substantialis*, vel saltem *ab illa dependeat* et *reguletur;* quod substantia circumscripta, si ulterius accidens operetur, ita miraculum est, quod *operetur* per se, sicut miraculum est, quod per se *manet;* et ita omnis operatio est *miraculosa*. — Si autem loquamur per comparationem *ad obiectum*, sive sit [8] organum sensus, sive aliud quodcumque corpus; sic dico, quod accidentia multas habent ibi operationes *naturales;* unde quod albedo movet visum, et sapor gustum, hoc non est *supra* naturam nec Via secunda. Duplex comparatio. Conclusio 7. Conclusio 8.

---

babile comparatione... egredientes operationes habent regulari etc. Aliquanto inferius pro *et egressus* eaedem edd. *et actus egressus*.

[1] Cfr. I. Sent. d. 42. q. 4.

[2] Codd. plerique *substantificari*, quod explicari posset, cum secundum Dionysium dicatur: Malum substantificatur in bono; (cfr. tom. II. pag. 812, nota 6.). Vide supra pag. 276, nota 1.

[3] Codd. R S *sustentandi transmutationes*, edd. *subsistendi transmutationibus*.

[4] Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia:* Maxime vero proprium substantiae esse videtur, cum unum et idem numero sit, contrariorum susceptivum esse; quare in aliis quidem non habet quisquam quod proferat tale, quaecumque non sunt substantiae, quod cum sit unum numero, susceptibile contrariorum sit, velut color, qui est unus et idem numero, non dicitur albus et niger... substantia vero, cum unum et idem numero sit, susceptiva contrariorum est, ut quidam homo, cum unus et idem sit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger etc. — Pro *facta fractione* (cfr. a. 3. q. 2. ad 2; Scot. hic q. 5.), cui codd. N aa subnectunt *scilicet et sine subiecto*, cod. O *facta transsubstantiatione*, edd. *facta mutatione*. Mox pro *quantitatis* edd. *contrarietatis*.

[5] Scilicet subiecti. — Codd. H aa *subsistentis;* ed. 1 *substantialitatis*, Vat. *subsistentialitatis* (idem recurrit aliquanto inferius). Immediate post ex cod. aa supplevimus *secundum hoc*, pro quo alii codd. vel *hic*, vel *haec*, vel *hoc*.

[6] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 31. seqq. (c. 5.), et II. de Anima, text. 42. seqq. (c. 4.).

[7] De quo vide supra q. 1.

[8] Cum codd. F G L bb omisimus *ad*, quod in aliis additur. Inferius pro *movet* cod. L *immutet*.

contra, sed *secundum* naturam. Quoniam ergo albedo non separatur ibi, ut habeat *esse* mathematicum, sed salvatur *esse* naturale et singulare [1]; ideo illae operationes, quae inerant albedini et aliis accidentibus, adhuc naturaliter insunt.

Concedendum ergo, quod *immutatio* et *transmutatio* quodam modo naturalis est in relatione ad *obiectum*, quia salvatur ibi natura accidentium; quodam modo est *supra naturam* in comparatione ad *subiectum*, quia accidentia per se agunt. — Et secundum hoc currunt rationes ad partes oppositas adductae [2]. Epilogus.

ARTICULUS III.

De fractione specierum.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de fractione illarum specierum. Et circa hoc tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum vera fractio sit in corpore Christi.

Secundo, utrum sit in speciebus.

Tertio quaeritur, quid partes significent.

QUAESTIO I.

Utrum corpus Christi verum in eucharistia frangatur.

Et quod corpus Christi verum frangatur, videtur

Ad oppositum. 1. Augustinus [3] dicere: « Norunt, inquit, fideles: quando manducant carnem Christi, unusquisque accipit partem suam »; quod si verum est: ergo dividitur.

2. Item, ostenditur ex confessione Berengarii [4], quae acceptata fuit a Nicolao Papa; confessus est enim, « corpus Christi verum sacerdotis manibus attrectari et frangi »: ergo si ista confessio ut fidelis acceptata est, patet etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia corpus Christi verum manducatur [5]; sed quod manducatur atteritur, et quod atteritur frangitur: ergo etc.

4. Item, hoc Sacramentum est memoriale passionis, et ita memoriale, quod hic non tantum est signum, sed etiam veritas; sed in passione vere fuit corpus Christi fractum et divisum: ergo in hoc Sacramento vere frangitur [6].

5. *Si dicas*, quod est incorruptibile, ideo non potest frangi [7]; hoc nihil est, quia corpus Christi, quod natum est esse in uno loco, est in pluribus per miraculum: ergo similiter per miraculum potest incorruptibile frangi.

Fundamenta. Sed contra: 1. Corpus animatum, quod dividitur, corrumpitur: ergo cum corpus Christi sit animatum, si frangitur et dividitur, corrumpitur; et si corrumpitur, non manet verum Sacramentum: ergo etc.

2. Item, si potest frangi et masticari, ergo eadem ratione et digeri: ergo et eadem ratione et in secessum emitti; quod nefas est dicere [8].

3. Item, de manna, quod fuit figura huius Sacramenti, *nec qui plus colligebat habuit plus, nec qui minus habuit minus* [9]: si ergo fuit vera figura, corpus Christi tantum est in parva parte hostiae quantum in utraque, vel in magno pane: ergo non dividitur.

CONCLUSIO.

Corpus Christi verum in eucharistia non frangitur.

Opinio falsa. Respondeo: Quidam dixerunt, quos tangit Magister in littera [10], quod corpus Christi verum frangitur in Sacramento, et tamen non corrumpitur; et hoc quidem fit per virtutem supra naturam, sicut factum est, quod corpus Christi passibile datum est discipulis, et tamen non est ab eorundem dentibus passum. Et in assertionem suae positionis habere

---

[1] Cfr. supra q. 2. ad 3. — Pro *mathematicum* cod. H *metaphysicum*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Augustino tribuuntur haec verba a C. *Qui manducant* (58.), de Consecrat. d. 2; sed cfr. hic lit. Magistri, c. 3, et supra pag. 219, nota 4. — Pro *quando manducant* [permulti codd. *manducent*] textus originalis *quemadmodum manducent*.

[4] Relata in C. *Ego Berengarius* (42.), de Consecrat. d. 2. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Pro *ostenditur* codd. A I K Z et ed. 1 *hoc consequitur*.

[5] Ioan. 6, 55: Qui manducat meam carnem etc.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 4. — Pro *minori* communiter allegatur Ioan. 19, 34: Sed unus militum lancea latus eius aperuit.

[7] Ut dicitur hic in lit. Magistri, c. 2. — De propos. seq. cfr. supra d. 10. p. I. q. 1. seqq. — Pro *quod natum est esse* non pauci codd. *natum esse*, codd. R S T *animatum, quod potest esse;* ed. 1 legit: *quia si possibile est corpus Christi animatum esse in uno loco et in pluribus* etc. Cod. X post *in uno loco* addit *naturaliter*.

[8] Cfr. infra d. 13. a. 2. q. 2. fundam. 1. et 4.

[9] Exod. 16, 18. — Mox post *figura* edd. addunt *necesse... esse*. Post pauca pro *magno pane* edd. *magna parte*.

[10] Hic c. 3. — Quod Christus dedit discipulis in Coena corpus passibile quidem in se, sed non quatenus fuit in Sacramento, docet Magister dist. praeced. c. 6. Cfr. ibid. Comment. p. II. a. 2. q. 2.

Reprobatur. voluerunt confessionem Berengarii. — Sed haec positio non potest stare: quia, si est incorruptibile, non dividitur; si frangitur, dividitur: ergo simul dividitur et non dividitur: tunc ergo Deus faceret, duo contradictorie opposita simul esse vera; quod nunquam faciet.

Conclusio. Propter hoc dicendum, quod corpus Christi verum non frangitur, immo in quotcumque partes dividitur hostia, est totum et integrum [1].

Solutio oppositorum. Notandum. 1. 2. Quod ergo obiicitur de confessione Berengarii et verbo Augustini, dicendum, quod utrumque dictum est ratione *specierum exteriorum,* circa quas contingit esse attritionem, fractionem et masticationem. Nec modus iste loquendi est tenendus. Recepit [2] tamen Ecclesia confessionem Berengarii et publicavit, quamvis nimis expressam, ad elidendum suum errorem, qui non concedebat, corpus Christi verum ibi esse nisi sicut in signo. Unde propter hoc recepit, ut intelligeretur ibi *vere esse,* non *vere dividi.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod corpus Christi verum manducatur; dicendum, quod in manducatione tria sunt: *masticatio,* in ventrem *traiectio* et *incorporatio;* et haec tria respondent tribus, quae sunt in Sacramento. Nam *masticatio* est specierum tantum; *incorporatio* est quantum ad corpus Christi mysticum [3]; in ventrem *traiectio* est non solum specierum, sed etiam corporis Christi veri, quod ibi est, quamdiu species panis. Non ergo dicitur corpus Christi verum vere *manducari* corporaliter, quia corporaliter *masticetur;* sicut enim non frangitur, sic nec masticatur. Tria in manducatione.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est signum passionis; dicendum, quod non est signum passionis, quae *tunc sit,* quia tunc semper pateretur Christus; sed passionis, quae *semel fuit* [4]. — Et quod obiicit, quod est ibi veritas; dicendum, quod non est ibi veritas passionis, sed veritas eius qui est passus.

5. Ad illud quod dicitur, hoc posse fieri per miraculum; dicendum, quod non est simile de *esse in pluribus locis,* quia ibi nulla est contradictio, hic autem sic.

SCHOLION.

I. Opinionem hic primo loco positam et manifeste falsam commemorat Magister (hic c. 3.); similiter etiam prima et secunda opinio seq. (2.) quaestionis recte improbatur.

De utraque quaestione concorditer agunt: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 9. a. 1. 2. — Scot., hic q. 4. n. 25. seqq.; Report. hic q. 5. n. 18. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. 2; S. III. q. 77. a. 7. — B. Albert., IV. Sent. d. 13. a. 1. 2. 4. 6. 7. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 3.

II. Explicatio mystici sensus huius fractionis in 3. quaestione excerpta est ex Alex. Hal. (loc. cit. a. 4.), quam approbat S. Thom. in Comment. loc. cit. quaestiunc. 3.

De eadem 3. quaestione: B. Albert., IV. Sent. d. 13. a. 14. 15. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum in speciebus sit vera fractio.

Secundo quaeritur, utrum in speciebus sit vera fractio. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia quod vere fit in signo significatur fieri in signato; sed in signato non est fractio, ut probatum est [5]: ergo nec in signo.

2. Item, omnis actio terminatur ad *hoc aliquid* [6]*;* sed non est ibi aliqua substantia nisi substantia corporis Christi: ergo non frangitur ibi aliquid. Et videtur frangi: ergo est ibi tantum fractio apparens.

3. Item, licet videantur ibi esse accidentia in subiecto, tamen in nullo subiecto sunt; nec est ibi falsitas aliqua [7]: ergo videtur similiter, quod quamvis videatur ibi esse fractio, si non sit, non est ibi falsitas.

Fundamenta. Contra: 1. Dicitur in Evangeliis Matthaei, Marci et Lucae [8], quod *benedixit et fregit;* sed ibi fuit vera benedictio: ergo et vera fractio; alioquin ipsa Veritas in Sacramento veritatis et Evangelium veritatis narrat quod apparet verum, et est falsum.

2. Item, species illa panis alba est vere et vere potest denigrari: ergo eadem ratione vere potest dividi.

3. Item, divisio sequitur quantitatem [9]: ergo si est ibi vera quantitas, ergo et vera divisio et fractio: non ergo tantum apparens.

---

[1] Vide Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 11. seq.

[2] Non pauci codd. *Recipit,* quod etiam circa finem solut. pauci codd. exhibent, substituto subinde *ut intelligatur* pro *ut intelligeretur.* Edd. et plurimi codd. *minus* pro *nimis.*

[3] Cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1. ad 5; d. 9. a. 1. q. 2. De seq. propos. agitur infra d. 13. a. 2. q. 2. — In principio solut., omisso *corpus Christi verum,* plures codd. pro *manducatur* perperam substituunt *masticatur,* et pro *in manducatione* cum ed. 1 *in masticatione.*

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 4. seq.

[5] Quaest. praeced.

[6] Sive ad substantiam singularem. Vide tom. II. pag. 197, nota 3. Cfr. etiam supra pag. 273, nota 3. — Cod. aa addit ex Gilbert. Porret., de Sex Principiis, c. 2, *quia est actio, secundum quam in id quod subiicitur, agere dicimur,* et paulo inferius post *Christi* subiungit *quae non frangitur.*

[7] Ut dictum est supra a. 1. q. 2. ad 2.

[8] Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; Luc. 22, 19.

[9] Aristot. VI. Phys. text. 37. (c. 4.) dicit, quod divisio est « *quantitatis* quidem secundum se, *qualitatis* autem secundum accidens ». Cfr. V. Metaph. text. 18. (IV. c. 13.).

4. Item, si tantum apparens: ergo non oportet, aliquam violentiam digitis fieri nec aliquo actu corporis uti, sed solus actus animae sufficeret: cum ergo oporteat, violentiam digitis inferri, patet, quod est ibi vera divisio.

CONCLUSIO.

In fractione eucharistiae est vera divisio, et quidem in speciebus.

Respondeo: Quorundam opinio fuit, quod ibi
Opinio 1. non est *vera* divisio, sed tantum *apparens;* nec tamen est ibi falsitas vel deceptio, quia non fit ad fallendum, sed ad instruendum; sicut etiam Dominus alio modo apparuit, quam esset, discipulis euntibus in Emmaus [1], nec ulla fuit ibi falsitas. — Sed ista opi-
Reprobatur. nio stare non potest: quia, si non est ibi vera fractio, ergo nec vere masticantur species, et ita totum videtur esse fictio.

Propter hoc fuit alia opinio, quae dixit, quod
Opinio 2. homo *frangit,* quia actus est a parte hominis; sed tamen nihil ibi *frangitur,* quia accidentia frangi
Reprobatur. per se non possunt. — Haec etiam positio non potest stare: quia actio, si completur, infert passionem necessario [2].

Et propterea est alia positio rationabilis, quod divisio est ibi *vera* et *in speciebus,* quia manet vera quantitas et vera soliditas; et quia divisio consequitur quantitatem per se; sicut est ibi vera quantitas, ita et vera fractio. Opinio 3. et conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est fractio in signato; dicendum, quod fractio illa non significat *fractionem* corporis Christi ibi contenti, sed significat *passionem,* quae praeteriit [3]. Solutio oppositorum

2. Ad illud quod obiicitur, quod actio terminatur ad substantiam; dicendum, quod verum est *per naturam;* sed si accidens posset per se stare, utique *susceptivum esset actionis,* nunc autem miraculo stat; et ideo accidens est *actionis susceptivum* [4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod sicut accidentia apparent etc.; dicendum, quod illud est *ex consequenti,* sed *divisio* primo apparet. Unde accidentia *apparent* et *per consequens ducunt* in cognitionem subiecti, et antequam veniatur ad hoc, potest fides obviare. Sed *ibi prima fronte* apparet divisio, et ideo necesse esset *ibi* esse deceptionem sine aliqua veritate, ex *alia parte* veritatem [5] esse sine deceptione [6]. Notandum.

QUAESTIO III.

Quid significent partes hostiae fractae.

Tertio quaeritur, quid significent partes; et earum significatio his versibus continetur:

> Hostia dividitur in partes: tincta beatos
> Plene, sicca notat vivos, servata sepultos.

1. Obiicitur primo contra *significationem divi-*
Ad oppositum. *sionis:* quia in corpore Christi mystico non est divisio, sed unio [7]: ergo si Sacramentum est verum signum, in Sacramento divisio fieri non debet; aut si fit, falsum significat.

2. Item, videtur, quod sufficeret in *duas* tantum partes dividere, quia Ecclesia sufficienter dividitur in vivos et mortuos. *Si dicas,* quod mortui sunt in duplici differentia, quia quidam in purgatorio, quidam in paradiso: hoc non solvit, quia Beati non indigent sacrificio: ergo non debent in nostro sacrificio significari.

3. Item, videtur, quod in *plures* partes; quia vivi sunt in multiplici differentia. Quidam enim sunt *activi,* quidam *contemplativi;* quidam *praelati,* quidam *subditi;* quidam sunt *boni,* quidam *mali;* sed si debent significari vivi, sicut mortui: ergo multo plures debent esse partes. *Si dicas,* quod *mali* non debent [8]; *contra:* Christus pro omnibus se obtulit in cruce; sed haec oblatio est rememoratio illius: ergo etc.

4. Item, obiicitur contra hoc quod dicitur, quod pars *intincta* significat Beatos. *Sed contra:* calix significat passionem [9]: ergo nullo modo congruit ad significandum Beatos.

5. Item, dicitur, quod pars *comesta* significat ambulantes super terram [10]. *Sed contra:* illa pars comesta incorporatur; sed ambulantes minime possunt incorporari: ergo per illam non debent significari.

6. Item, dicitur, quod pars *servata* significat mortuos. *Contra:* pauci, aut nulli reservant: ergo nulli perficiunt Sacramentum.

---

[1] Luc. 24, 15. Vide hic lit. Magistri, c. 2, ubi haec et seq. opinio proponitur.

[2] Gilbert. Porret., de Sex Principiis, c. 2: Naturalis vero actionis proprietas est passionem ex se in id quod subiicitur, inferre; omnis enim actio passionis est effectiva, et omne passionem inferens actio est. Cfr. Aristot., III. Phys. text. 18. seqq. (c. 3.). — Inferius edd. omittunt *et in speciebus, quia manet.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 4. seq. et quaest. seq.

[4] Cfr. supra a. 2. q. 3.

[5] Permulti codd. incongrue *veritas,* nisi pro *esse* ponatur *est;* cod. aa *veritas esset.* Cfr. Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 9. seq.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vide supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1. ad 1. et 5.

[8] Vat. supplet *significari.*

[9] Matth. 20, 22: Potestis bibere calicem etc., et 26, 39: Transeat a me calix iste.

[10] Secundum Sergium Papam, hic in lit. Magistri, c. 4,

CONCLUSIO.

Fractio significat passionem Christi, partes fractae vero partes corporis mystici.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister [1], ipsa fractio significat passionem, sed partes fractae significant partes corporis mystici; et quia in corpore mystico sunt in triplici differentia — quidam enim regnant in paradiso, quidam securi exspectant in sepulcro, quidam autem pugnant in merito: — ideo tantum tres partes fiunt in hoc Sacramento.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod falsa est *divisio;* dicendum, quod non est, immo significat divisionem, quae fuit in passione.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse tantum *duae* partes; patet responsio; quia mortui sunt in duplici differentia, unde duae partes sunt ad significandum illos. — Ad illud quod obiicitur, quod non deberet esse pro Beatis; dicendum, quod hoc sacrificium non tantum offertur in expiationem, sed etiam in gratiarum actionem [2]; et ideo pro miseris et Beatis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod vivi sunt in multiplici differentia, sicut mortui; dicendum, quod non sunt in *tanta* differentia, quia omnes vivi indigent sacrificio *expiante a culpa,* quidam autem mortui *liberante a poena,* alii solum *laudis memoria.* — Ad illud quod obiicitur de malis, dicendum secundum Augustinum [3], quod sacrificium corporis Christi solum pro his offerri debet, qui sunt de corpore Christi. Nec valet, quod Christus pro omnibus est oblatus, quia hic non significantur omnes, pro quibus est oblatus, sed tantum illi qui sunt de corpore mystico.

4. Ad illud, quod calix significat passionem; dicendum, quod alia proprietas est, scilicet facilis sumtionis, per quam Beati significantur, qui sine aliqua retardatione degustant.

5. Ad illud quod obiicitur, quod comestio dicit incorporationem; dicendum, quod non tantum incorporationem dicit, sed etiam deperditi restaurationem, et per hoc significat ambulantes.

6. Ad ultimum dicendum, quod modo non reservatur propter periculum [4]; nihilominus tamen in divisione trimembri triplex status membrorum Christi significatur, et reservatio partium solum ad evidentiam est [5].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *Christus se ostendit duobus discipulis in specie peregrini.* Videtur enim in hoc multiplicari inconveniens, non solvi: quia Christus, qui est Veritas, nullam falsitatem habere potuit in verbo, ergo pari ratione nec in facto: ergo cum non esset peregrinus, non debuit se in illa specie ostendere. *Praeterea,* corpus Christi erat gloriosum, ergo non erat visibile nec illius [6] coloris: ergo videtur, quod aliter se monstraverit, quam fuit: ergo videtur, quod in opere mendacium commisit.

Respondeo: Dicendum, quod Dominus ostendit se in specie peregrini, non ut ostenderet, se esse peregrinum, sed ut « talem se exhiberet oculis corporis, sicut dicit Gregorius [7], qualis erat coram oculis mentis ». Unde Dominus aliquando ostendit se dilectis suis sub diversis modis apparendi, non ut talis esse credatur, sed ut potius homini manifestetur in ea forma, in qua potest percipere; vel etiam, ut potius occultetur. Dicendum ergo, quod in ista ostensione nulla fuit deceptio. Sensus enim exterior formam videbat veram, interior non *decipiebatur,* sed *claudebatur,* sicut dicitur in Littera [8]: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent;* et ideo ista non fuit *deceptio,* sed *veritatis occultatio;* et veritatem occultare non est mentiri. Unde non est simile in proposito: quia, cum tactus apprehendat partitionem et numerum partium, sicut sensatum *commune* et *per se* [9], et sensus communis necessario sequatur ad completam apprehensionem sensus particularis, non posset hoc esse sine deceptione. Et

Notandum.

---

allegatum, qui etiam exhibet significationem in seq. arg. adductam. Cfr. etiam Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. VIII. c. 10, et Innocent. III, VI. de Sacro Altaris mysterio, c. 3.

[1] Hic in lit. c. 4. — Edd. pro *partes fractae* substituunt *partes istae* et post *corporis* supplent *Christi.*

[2] Vide infra lit. Magistri, d. XLV. c. 2. verba Augustini.

[3] Libr. I. de Anima et eius orig. c. 9. n. 10. Verba vide infra p. II. a. 1. q. 2. fundam. 1.

[4] In cod. bb secunda manus notavit: Olim reservabatur usque ad gratiarum actionem, scil. ad collectas ultimas; sed postea multae factae sunt negligentiae circa partem reservatam, quia quidam ponebant librum desuper: ideo modo sumitur cum aliis.

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Edd. *ullius.*

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 23. n. 1: Hoc ergo egit foris Dominus in oculis corporis, quod apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. — Inferius pro *percipere* codd. G H aa *recipere.*

[8] Luc. 24, 16. Cfr. III. Sent. d. 38. q. 2. ad 3.

[9] Aristot., II. de Anima, text. 63. seqq. (c. 6.), distinguit sensibilia in sensibilia *per se* et *per accidens* [scil. ipsam substantiam]; sensibilium *per se* aliud est *proprium* uniuscuiusque sensus, aliud autem *commune* plurium sensuum. « Communia autem motus, quies, *numerus,* figura, magnitudo; huiusmodi enim nullius sunt propria, sed communia omnibus » etc. — De *sensu communi* i. e. interna organica potentia perceptiva et discretiva sensibilium et sensationum exteriorum, cfr. Aristot., loc. cit. text. 136. seqq. (III. c. 2.), et de Somno et vigilia, c. 2.

ideo quod inducunt pro simili non est simile, sed dissimile [1].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Manet integer totus in caelo.* Videtur enim falsum: quia, sicut aliqui dicunt, adhuc Domini praeputium est in terra [2]; et aliqui dicunt, se habere de sanguine Domini: non ergo totus est in caelo.

Respondeo: Dicendum, quod in Christo resurrexit totum, quod fuit de veritate humanae naturae et quod spectat ad decentiam [3]; et ideo dicitur totus esse in caelo. — Quod ergo obiicit de praeputio, dicendum, quod vel non fuit de carne *secundum speciem*, sed divina dispensatione parum de carne *secundum materiam* ibi fuit, ut daretur nobis in devotionem, sicut reliquiae — et sic dicendum est de sanguine — vel aliquid fuit de *veritate*, et illud resurrexit cum Christo et est in caelo, et residuum mansit. — *Aliter.* Aliqui tamen dicunt, quod circumcisi resurgent sine praeputio, quia illud signaculum est ad decorem. — Et *si tu obiicias*, quod totum resurget; dicunt, quod verum est: totum, quod spectat ad *esse*, vel pulcritudinem; et ideo non est instantia de praeputio. — Quod autem horum sit verius, difficile est scire; tamen quocumque modo dicatur, verum est, quod totus Christus, id est perfectus, quantum ad *esse* et *bene esse* in caelo est.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Manet integer totus in corde tuo.* Videtur enim male dicere: quia corpus Christi non intrat *cor tuum*, cum sit quid corporale, quia solus Deus illabitur animae [4]: ergo si Christus integratur ex anima et corpore, non potest esse in corde nec manere.

Respondeo: Dicendum, quod Christus habitat *Notandum.* *in cordibus nostris* non *corporaliter*, sed *spiritualiter* sive *per fidem*, sicut dicitur ad Ephesios tertio [5]. Hinc est, quod Christus dicitur *manere integer in corde*, quia, quantumcumque species frangatur, cor fidele credit, corpus Christi manere integrum et illibatum, non quod corpus secundum veritatem animam ingrediatur.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hilarius, quod *ubi pars ibi totum.* Videtur enim secundum hoc, quod cum plures sint ibi partes, quod Christus sit ibi pluries; et cum infinitae, infinities; quod non videtur esse conveniens.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod corpus *Solutio 1.* Christi est in illa specie *semel* tantum, et tamen concedunt, esse *infinities* quantum ad *modum;* et ponunt exemplum in figura incisionis, quae est in cera una et semel, quia una imago potest fieri ex frusto uno cerae, tamen infinitis modis potest formari. Nam in qualibet parte cerae est oculus, et in qualibet est manus, et in qualibet est caput. Dicunt enim, in cera esse quidquid manus artificis potest facere. Et ad hoc est auctoritas philosophi in Sex Principiis [6], qui dicit, « quod in huiusmodi formis *esse* est a natura, *sentiri* vero ab actu ». Et ad hoc etiam est auctoritas Hieronymi super prologum Bibliae [7]: « Mollis cera et ad formandum facilis, etiam si artificis manus cesset, tamen intus virtute est quidquid potest esse ». — Sed licet exemplum illud *Non probatur.* aliquid videatur superficietenus habere similitudinis, plus habet dissimilitudinis; quia tota imago non est in qualibet parte cerae, sicut in tota cera; hic autem, quantumcumque parva pars significetur, tantum est, quantum est in hostia tota. *Praeterea*, quidquid dicatur ibi esse a natura, nunquam est in actu, nisi ars faciat, est tamen [8] in potentia. Et ideo dicit Hieronymus, quod « intus est *virtute* »; hic autem totus Christus in qualibet parte hostiae.

Ideo dicendum aliter, quod corpus Christi cum *Solutio auctoris.* sit in Sacramento non quasi in *loco*, sed ut in *signo*, non tantum signante, sed etiam continente veraciter; et ratio continentiae non discedat a ratione Sacramenti: sicut quaelibet pars potest significare et significat, sicut totum, sic quaelibet pars significat et continet totum. Et quoniam, quantumcumque partes significent, tamen unum sunt cum toto, unum, inquam, signum, non plura, nisi dividantur; hinc est, quod tantum semel continent, et Christus totus semel continetur. Nec [9] potest inveniri exemplum in *De exemplo.* *corporalibus*, immo potius inveniretur contrarium;

---

[1] Idem dub. solvit B. Albert., hic d. 13. a. 3; S. Thom., hic circa lit.

[2] In cod. Y secunda manus addidit: *quod Romae in ecclesia Lateranensi ostenditur.* Vide Innocent. III, IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 30, ubi etiam docet, Christum resumsisse sanguinem effusum, qui fuit de veritate naturae.

[3] Cfr. infra d. 44. p. I. a. I. q. 1. seq. — Ibid. a. 2. q. 1. habetur etiam de distinctione carnis *secundum speciem* et *secundum materiam*, de qua vide etiam II. Sent. d. 30. a. 3. q. 2.

[4] Ut ostensum est II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. — Inferius post *esse* cod. H addit *integer*.

[5] Vers. 17. — Idem dub. solvit B. Albert., hic d. 13. a. 12. quaestiunc. 2. seq.; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Cap. I. ubi Gilbert. Porret. ait: In quibusdam [formis] autem dubitatio est, utrum a natura, an ab actu [i. e. artis operatione] incipiant esse, ut in figura incisionis; nam nihil additionis fit, sed separatio quaedam partium. Dico autem figuram [i. e. materiam figurae] esse a natura, sentiri [figuram apparere et visu percipi] vero ab actu; sed quae coniunctionis est, ab actu est, ut domus. Cfr. B. Albert. in hunc loc. tr. I. c. 5. — Superius pro *Dicunt enim* edd. *Debet enim.*

[7] Qui continet Epist. 53. (alias 103.) ad Paulinum, ubi sub n. 3. textus originalis post *si artificis* legit: *et plastae cessent manus, tamen* τῇ δυνάμει [*virtute*] *totum est, quidquid esse potest.* Unus alterve tantum cod. pro *intus* exhibet cum textu originali et edd. *totum.* Idem recurrit aliquanto inferius.

[8] Cod. X *sed est tantum.*

[9] Edd. *quod cum semel contineant, et... continetur non.*

sed exemplum quaerendum est in *spiritualibus,* non quia corpus Christi non sit vere corpus, sed modum essendi habet ibi supra naturam corporum. Sicut ergo in unico corpore est unica anima, et tamen in singulis membris existens tota, et est semel, quia unum est perfectibile; sic et corpus Christi semel tantum in uno est Sacramento [1].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Indignus est qui aliter celebrat mysterium, quam Christus tradidit.* Videtur enim male dicere, quia omnes aliter celebramus; constans enim est, quod Christus nec tot orationes nec tot crucis signationes fecit, quot nos facimus. *Si tu dicas,* quod hoc intelligitur quantum ad ea quae sunt de substantia Sacramenti;

Quaest. incid. quaeritur: quare Ecclesia addit istas solemnitates et tot crucis signationes?

Respondeo: Dicendum, quod quaedam spectant ad huius Sacramenti *necessitatem* et integritatem, et talia Christus per se tradidit: quaedam ad *solemnitatem,* et haec Ecclesia superaddit; haec autem non sunt diminuentia, sed salvantia illa quae sunt de integritate Sacramenti [2]: et ideo non aliter celebrat, sed ita servat. Si quis vero mutaret formam Christi, vel ea quae tradita sunt ab Ecclesia, mutaret; utique talis esset indignus; et de tali loquitur.

Ad illud quod quaeritur, quare Ecclesia addit

Ad quaest. incid. huiusmodi solemnitates; dicendum, quod additio harum solemnitatum est pro *excitanda devotione* et *arctanda intentione,* est etiam tertio propter *ex-*

Ratio 1. *pressiorem significationem.* Unde adduntur orationes ad *excitandam devotionem* in sacerdotibus et ad docendum, quid debeant petere. Unde sicut institutae sunt horae canonicae, ne propter negligentiam pertranseat hora, in qua non laudetur Deus, et ut populus accendatur ad devotionem; sic et in proposito est intelligendum [3]. — Propter *intentionem* vero Ratio 2.

fiunt crucis signationes, ut sacerdos actu cordis et manuum convertatur supra Sacramentum; ideo quando nominat, signat. — Propter *expressiorem si-* Ratio 3.

gnificationem: illae enim crucis signationes, quae ibi fiunt, quae sunt *viginti quinque,* et fiunt in *septem* vicibus, significant expresse passionem Christi, sicut tradit Innocentius [4]: « In *prima* vice fiunt *ter,* Innocentius.

ad significandam trinam traditionem Christi, scilicet a Deo, Iuda et Iudaeo. — In *secunda* vice fiunt *quinquies,* ad significandum quinque personas, quae in traditione Christi fuerunt, scilicet personam traditi, tradentis Iudae et ementium, qui fuerunt tres, scilicet pontifices, scribae et pharisaei. — In *tertia* fiunt *bis,* ad significandum conversionem duplicis elementi, scilicet panis et vini. — In *quarta* fiunt *quinquies,* ad significandum quinque plagas. — In *quinta* fiunt *bis,* ad significandum vincula, quibus corpus fuit ligatum, et flagella, quibus sanguis allisus. — In *sexta* fiunt *ter,* propter crucifixionem factam in linguis Iudaeorum, quando ter dixerunt: *Crucifige eum* [5]. — In *septima quinque,* ter de corpore super calicem et bis a latere, ut significentur tres cruciatus, scilicet passionis, propassionis et compassionis [6], et propter aquam et sanguinem, quae de latere Christi fluxerunt. — Hae omnes sunt viginti quinque, qui est numerus quadratus respectu quinarii super se reflexi, ut designetur, quod quantumcumque multiplicetur sacrificium, semper est unum » [7]. Et sic patet, quod nihil vacat a mysterio.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XII.

Pars II.

De frequentatione eucharistiae.

Post haec quaeritur, si quod gerit sacerdos etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 268.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de fractione, hic agit de frequentatione. Et quoniam hoc Sacramentum frequentari contingit et a sacerdote conficiente et a populo, et utraque frequentatio respicit suum finem — nam sacerdotalis praecipue respicit significationem, sed populi frequentatio respicit sanationem — ideo pars haec duas habet partes. In prima determinat, quare sacerdos frequenter conficit. In secunda

[1] Cfr. supra d. 10. p. I. q. 5; Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 7. a. 3. § 5. ad 1; B. Albert., hic d. 13. a. 13.

[2] Vid. supra lit. Magistri, d. III. c. 1. — Mox pro *mutaret formam,* quod habent codd. B F G H L Q bb, cod. I *non teneret formam,* cod. K *imminuet formam,* alii codd. et edd. *vitaret* [*vitiaret?*] *formam.*

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. VIII. c. 4.

[4] Libr. V. de Sacro Altaris mysterio, c. 14. In seqq. verbis textus originalis plura interserit.

[5] Marc. 15, 13. seq.; Luc. 23, 21. seq. — Superius pro *allisus,* quod habet etiam textus originalis, multi codd. *illisus,* cod. Y *fusus,* edd. *effusus.*

[6] Vide III. Sent. d. 15. dub. 4. et d. 16. a. 2. q. 3.

[7] Innocent. III, loc. cit., praedicta recolligens ait: Quae

determinat, quare fideles frequenter recipiunt, ibi: *Institutum autem est hoc Sacramentum* etc.

Prima pars habet duas. In prima movet quaestionem. In secunda determinat, ibi: *Ad hoc breviter dici potest.*

Similiter secunda pars duas habet. Primo determinat huius Sacramenti efficaciam. Secundo vero movet quaestionem de frequentia, ibi: *Si autem quaeritur, utrum quotidie communicandum.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae determinat hic Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de huius Sacramenti efficacia.

Secundo quaeritur de frequentatione.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum hoc Sacramentum habeat efficaciam in quolibet viro iusto.

Secundo, utrum habeat efficaciam in aliquo peccatore, existenti scilicet in mortali peccato.

Tertio quaeritur de ipsa efficacia in se.

ARTICULUS I.

De efficacia huius Sacramenti.

QUAESTIO I.

Utrum hoc Sacramentum habeat efficaciam in quolibet viro iusto.

Circa primum ostenditur, quod habeat efficaciam in quolibet viro iusto:

1. Quia Sacramentum habet efficaciam, nisi habeat obicem; sed in nullo viro iusto habet obicem: ergo in quolibet habet efficaciam. (Ad oppositum.)

2. Item, sacramentalis manducatio, quando coniuncta est spirituali, semper habet efficaciam; sed semper coniuncta est spirituali in viro iusto, quia « spiritualiter manducare est in ipso manere », ut dicit Augustinus[1]; sed omnis iustus manet in ipso: ergo etc.

3. Item, Damascenus[2] dicit, quod « caro Christi est sicut carbo ignitus »; sed habens sensum corporalem semper calefit per contactum carbonis materialis: ergo similiter habens sensum spiritualem per contactum carbonis spiritualis. Sed omnis iustus sensum habet spiritualem: ergo etc.

Item, si aliquid requiritur ultra caritatem in suscipiente, quaeritur, quid sit illud, et quae et quot. (Quaestio incid.)

Contra: 1. Baptismus non habet efficaciam in adulto, nisi se praeparet: ergo a simili nec hoc Sacramentum habet efficaciam in iusto, nisi se praeparet; et ad hoc facit verbum beati Pauli primae ad Corinthios undecimo[3]: *Probet autem se ipsum homo.* (Fundamenta.)

2. Item, possibile est, quod iustus habeat conscientiam, se graviter peccasse vel esse in gravi peccato, quia frequenter peccatum veniale perpetratum reputatur mortale a perfectis, propter hoc tamen non cadit a iustitia; sed si talis accedit, accedit indigne, et talis non recipit efficaciam: ergo etc.

3. Item, efficacia huius Sacramenti consistit in deletione venialium et augmento virtutum[4]; sed venialia non dimittuntur, nisi homo se praeparet per contritionem, cum ex actu nostro sint commissa; similiter nec virtutes augentur: ergo non in omni iusto habet efficaciam.

CONCLUSIO.

Eucharistia non habet efficaciam nisi in digne accedente et debito modo praeparato.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum hoc non habet efficaciam in aliquo nisi in digne accedente; digne autem accedere in hoc consistit, quod homo se praeparet, sicut debet. (Conclusio 1.) — Tantum enim Sacramentum recipere, sicut recipitur alius cibus, non est congruum nec fructuosum; et quia in hoc Sacramento praesens est divina Maiestas, et summa (Ratio.)

---

sunt simul viginti quinque, qui numerus per se ductus semper in se ipsum reducitur, si ducatur in infinitum. Quantumlibet enim multiplicetur eucharistiae Sacramentum, semper est idem sacrificium. — Pro numerus *quadratus respectu quinarii super se reflexi,* quod praebent codd. D F G H (I a secunda manu) Q U (aa addit perperam *cubicus*), cod. B *quadratus*, alii codd. et edd. *cubicus*, sed falso. Cfr. I. Sent. d. 2. q. 4. scholion, ubi numerus cubicus vocatur *quadratus solidus*, et S. Bonav., Hexaëm. serm. 4, ubi, recensens primos numeros *cubicos*, dicit, « scilicet 8 et 27, quia bis duo bis octo faciunt; ter tria ter sunt 27 ». — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[1] In Ioan. Evang. tr. 26. n. 18. Vide supra lit. Magistri, d. IX. c. 1, et pag. 201, nota 4. Cfr. etiam XXI. de Civ. Dei, c. 5. n. 2. seqq.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13. Verba relata sunt supra pag. 188, nota 4.

[3] Vers. 28. — De prima propos. arg. cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 1. seqq. — Pro secunda propos., quae in multis codd. desideratur, codd. F G substituunt: *ergo similiter nec in isto Sacramento.*

[4] Ut insinuatur hic in lit. Magistri, c. 6. Cfr. infra q. 3. — *Minor* exponitur infra d. 21. p. I. a. 1. q. 2.

exprimitur caritas: ideo debet recipi cum honore et devotione. Et quia cum honore et devotione non suscipitur tam nobilis hospes in immundo hospitio; necesse est, quod homo hospitium Deo paret per sui diiudicationem. Et quia non parat hospitium hospiti, nisi ipsum cognoscat; necesse est, quod cibum istum ab aliis discernat. — Ad quaest. incid. Ad hoc ergo, quod Sacramentum hoc habeat in aliquo efficaciam, primo oportet cibum istum ab aliis discernere per *fidem;* secundo, hospitium parare per *sui ipsius probationem;* Confirmatur. tertio, in hospitium paratum recipere cum *honore et devotione.* — Et primum et secundum habemus ab Apostolo primae ad Corinthios undecimo[1]; secundum ibi: *Probet se ipsum homo;* primum ibi: *Non diiudicans corpus Domini;* de tertio habemus exemplum in Zachaeo. Et quia multi recipiunt hoc Sacramentum, qui se non debite parant; *ideo multi imbecilles et infirmi, et dormiunt multi.*

Ad illud quod quaeritur, utrum vir iustus Conclusio 2. recipiat efficaciam; dicendum, quod si se debite praeparet, recipit; alioquin, si ex quodam torpore, vel ex distractione non se debite praeparet, aut nullam, aut modicam reportat efficaciam, quamvis non incurrat mortalem offensionem.

1. Ad illud quod obiicitur de obice, dicendum, Solutio oppositorum. quod ad illud Sacramentum requiritur liberi arbitrii cooperatio; et ideo *omissio* obex est, non tantum *peccatum,* verum etiam *sollicitudo* vel *distractio.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod manducat spi- Notandum. ritualiter; dicendum, quod vir iustus non semper manducat spiritualiter, ut puta quando dormit, vel quando distrahitur per cogitationes extrinsecas; sed tunc spiritualiter manducat, quando movetur motu fidei et caritatis, quia tunc masticat et incorporatur[2]; et ideo, si negligit, non reportat effectum.

3. Ad illud quod obiicitur de carbone ignito, dicendum, quod operatur in sensum ratione *organi;* sed si operaretur in sensum ratione *sui,* tunc sensus occupatus circa aliud non sentiret nec calefieret[3]. Huius autem exemplum est in visu, quando quis dormit, vel occupatur alibi. Si ergo sensus mentis nostrae vult ab hoc carbone inflammari, necesse habet ad ipsum converti et dirigi; converti autem ad ipsum debet sicut ad *memoriale passionis vivum.* — Triplex enim habemus *memoriale* Triplex memoriale passionis. *passionis,* scilicet in *scripto,* in *verbo* et *Sacramento.* In *scripto,* ut quando passio describitur vel Primum. narratur per scripturam, vel quando imaginibus exprimitur; et hoc est *memoriale quasi mortuum* et habet fieri ad *visum,* qui apprehendit magis de longinquo. — In *verbo,* utpote cum aliquis verbo- Secundum. tenus narrat passionem Christi; et illud *partim est vivum, partim mortuum. Vivum* est in corde bonorum praedicatorum, sed *mortuum* in corde tepidorum et malorum; vel *vivum* in corde et cogitatione, *non vivum* in voce; et hoc est ad *auditum*[4], auditus autem non ita apprehendit de longinquo. — In *Sacramento* vero est memoriale, cum ipsum cor- Tertium. pus Christi significatur et continetur in specie panis, et sanguis in specie vini; et hoc est memoriale *vivum,* quia ipse Christus se ipsum ibi praebet, offerens nobis corpus, quod pro nobis fuit occisum, et sanguinem, qui pro nobis fuit effusus; et hoc est ad *gustum,* qui de proximo apprehendit, ut iam non quasi speculatione, sed quadam experientia passionis eius memores simus.

Si ergo accendit affectum nostrum passio *de-* Notandum. *scripta,* et amplius ferventer *praedicata;* multo magis inflammare et afficere debet in hoc *Sacramento expressa.* Et hoc absque dubio facit, si quis sensum habet et illum convertit ad hoc Sacramentum. Ille ergo est, qui ex hoc Sacramento efficaciam reportat, qui se convertit[5]; ille vere audit Missam, non qui tantum verba dicit vel audit sine devotione, sed qui ad hoc memoriale totam mentis intentionem convertit.

SCHOLION.

I. Doctrina huius articuli illustratur a Concilio Trident. (Sess. 13. can. 5.): « Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, a. s. ». Recte igitur docetur communiter, *augmentum* gratiae, non *primam* gratiam, esse per se et principaliter effectum huius ss. Sacramenti; *per accidens* tamen interdum primam gratiam peccatori bonae fidei et attrito conferri, tenent principales Scholastici contra paucos. Hoc non omnino negat S. Bonav., qui verbis amplioribus utitur quam Alexander Hal., infra ad 2. quaestionem citatus, ut patet ex conclusione sequentis quaestionis, licet contrarium asserat Suarez (in S. p. III. disp. 63. sect. 1.). Nec rem dirimunt alia verba supra d. 9. a. 2. q. 3. in fine corp. prolata et a praedicto auctore obiecta: « Quamvis non recipiat gratiam, non tamen incurrit offensam », quia non inepte respicere possunt casum, quo peccator bonae fidei non est sufficienter dispositus. De hac dispositione cfr. infra d. 17. p. I. a. 1. q. 3. — Plura ad rem spectantia vide supra d. 9. a. 1. q. 2. et d. 12. p. I. a. 3. q. 1. ad 3, infra d. 13. a. 2. q. 2, nec non III. Sent. d. 9. dub. 4.

II. Quoad 1. quaestionem communiter antiqui Scholastici

---

[1] Vers. 28. — Secundus textus ibid. v. 29; tertius ibid. v. 30: Ideo inter vos multi etc. De Zachaeo vide Luc. 19, 6: Et festinans descendit et excepit illum gaudens. — Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 3. — Edd. pro verbo *parare* constanter utuntur *praeparare.* Cum Vat. retinuimus: *secundum ibi: Probet se... primum ibi: Non dijudicans* etc., licet codd. erronee, ut videtur, legant: *primum ibi: Probet se... secundum ibi: Non* etc.

[2] Vide supra d. 9. a. 1. q. 2. — Edd. *incorporat.*

[3] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 114. seqq. (c. 11.). Vide etiam tom. II. pag. 741, nota 2.

[4] Plurimi codd. *est audiendum,* codd. FG *est ad audiendum.*

[5] Cfr. Sermo de excellentia ss. Sacram. etc. (inter opera Bernardi) n. 6. — Cod. Y *qui se sic convertit.* Ex eodem cod. cum codd. FGH inferius post *sed* supplevimus *qui.*

docent, requiri, saltem in adultis, aliquam *positivam* dispositionem actualis devotionis, ut augmentum gratiae percipiatur (cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 8. a. 3. § 2; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. quaestiunc. 2.); quod plures recentiores non concedunt. — In solut. ad 3. tangitur doctrina gravissima de ss. Sacrificio Missae; de quo cfr. etiam infra dub. 1-3, d. 13. dub. 1-3.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. et a. 1. § 2. et a. 2. — Scot., IV. Sent. d. 8. q. 1; cfr. etiam q. 3. — S. Thom., hic loc. cit.; S. III. q. 79. a. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 4; Dionys. Carth., hic q. 4.

III. De seq. (2.) quaestione Alex. Hal. (loc. cit. a. 3. § 1. in fine) post plura dicit, quod hoc Sacramentum « non habet efficaciam nisi in iustis. Quia tamen largitas divina non est limitata, neque virtus est alligata ipsis Sacramentis, pie potest supponi, quod gratiam aliquam vel donum assequatur a Domino », scilicet peccator bonae fidei non habens voluntatem peccandi. Attamen (etiam in hoc recedit ab aliis) asserit, hoc non esse « *de virtute ipsius Sacramenti* »; cfr. etiam ibid. a. 1. § 2. Loquitur autem Bonav. de *propria* ordinatione eucharistiae.

De eadem 2. quaestione: Scot., in utroque Scripto IV. Sent. d. 9. q. unica. — S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. et d. 9. a. 3. quaestiunc. 2; S. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 16. 18. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

IV. Circa 3. quaestionem notamus, quod conclusio confirmatur doctrina Concilii Trident. loc. cit. c. 2, et Catechismi Rom. (de eucharistia n. 52.). Nonnulli recentiores theologi docent, remissionem venialium fieri tantum *mediate*, scilicet auxiliis ad eliciendos actus venialibus contrarios; alii communius putant, hoc fieri etiam *immediate* (cfr. infra d. 21. p. I. a. 1. q. 2.).

De hac 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 1. § 1. — Scot., locc. citt. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1, a. 2. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 4. — B. Albert., hic a. 25. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med. rem tangit hic a. 5. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum hoc Sacramentum habeat efficaciam in aliquo peccatore.

Secundo quaeritur, utrum habeat efficaciam in aliquo peccatore, videlicet qui est in mortali peccato. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per illam Collectam[1]: « Sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium »; sed scelera non dicuntur nisi magna peccata: ergo etc.

2. Item, Damascenus[2]: « Corpus Christi omnis laesionis est unctio; omnis sordis purgatio »: ergo sordis mortalis.

3. Item, Iulius Papa, de Consecratione, distinctione secunda[3]: « Omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deletur »; sed crimen pro maioribus peccatis accipitur: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia illud Sacramentum est expressivum signum passionis: ergo cum efficacia sequatur significantiam, et omnia Sacramenta efficaciam habeant a passione[4], hoc habebit potissimam: ergo si baptismus et poenitentia habent efficaciam in peccatore, videtur similiter, quod et illud.

5. Item, in Sacramento isto realiter continetur auctor et mediator et fons gratiae; quod in nullo alio[5]: ergo videtur, quodsi aliquod Sacramentum potest fugare culpam, quod hoc multo magis; sed aliquod potest, ut baptismus: ergo etc.

6. Item, esto quod aliquis peccator attritus accedat ad hoc Sacramentum, non tamen sufficienter; si talis accederet ad baptismum et poenitentiam, iustificaretur, quia non habet obicem[6]: ergo pari ratione, cum non habeat obicem, iustificatur in hoc Sacramento.

7. Item, accedens fictus ad baptismum, fictione recedente, habet efficaciam[7]: ergo similiter videtur, quod istud Sacramentum, et ita est utile peccatori.

Fundamenta.

Contra: 1. Augustinus ad Renatum[8]: « Quis offerat corpus Christi, nisi pro his qui sunt de corpore Christi »; sed nullus peccator est talis: ergo pro eo non debet offerri.

2. Item, Ambrosius[9]: « Spiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat »; sed nullus existens in mortali portat innocentiam: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia accedens ad hoc Sacramentum aut accedit *digne*, aut *non*. Si *digne* accedit: ergo dignus est, et ita non habet culpam; si *non* digne: ergo non reportat efficaciam[10]: ergo non habet efficaciam in peccatore.

4. Item, hoc Sacramentum habet efficaciam mediante manducatione spirituali; sed manducatio spiritualis fit mediante caritate[11]: ergo praesupponit caritatem: ergo qui accedit sine caritate non reportat efficaciam.

---

[1] Quae incipit: Purificent nos etc., et de qua vide supra pag. 197, nota 3.

[2] Libr. IV. de Fide orthod. c. 13.

[3] Can. *Cum omne crimen* (7.)... deleatur etc.

[4] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 3, et III. Sent. d. 20. q. 4. in fine corp. — Superius pro *expressivum* Vat. *expressissimum*.

[5] Supple: est. — Cfr. supra d. 8. p. I. dub. 2.

[6] Vide infra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. et p. II. a. 2. q. in corp.

[7] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3.

[8] Sive I. de Anima et eius orig. (hoc opus misit Renato) c. 9. n. 10.

[9] Potius *Augustinus*; occasio erroris videtur fuisse lit. Magistri, in qua (hic c. 4.) haec verba verbis Ambrosii connectuntur. Dicit *August.*, in Ioan. Evang. tr. 26. n. 11: « Videte ergo, fratres, panem caelestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate ». Mutata propositione, C. *Panem caelestem* (64.), de Consecrat. d. 2. legit: Panem caelestem spiritualiter manducare est innocentiam ad altare apportare.

[10] Cfr. I. Cor. 11, 27.

[11] Ut ostensum est supra d. 9. a. 1. q. 2.

CONCLUSIO.

Licet Deus in hoc Sacramento facere possit et aliquando faciat remissionem omnis culpae; tamen de communi lege illud non habet effectum nisi in iustis.

Respondeo: Non limitamus largitatem Dei, quin in hoc Sacramento *possit* et *aliquando faciat* remissionem omnis culpae; sed secundum forum commune et generalem rationem institutionis Sacramenti, dicendum, quod istud Sacramentum datum est in cibum illis qui sunt de corpore Christi; et omnes tales habent caritatem: ideo effectum habet in solis iustis. Effectus autem in iustis est *liberando a culpa veniali* et *praeservando a mortali,* ut patebit [1].

Conclusio.

1. 2. 3. Ex hoc patet responsio ad tria prima: quia illud intelligitur per praeservationem, vel quantum ad aliquas reliquias [2].

Solutio oppositorum.

4. 5. 6. Ad tria sequentia dicendum, quod Sacramentum tantam habet efficaciam, quantam congruit habere his quibus datur; et hoc solis iustis datur: ideo non valet de baptismo et poenitentia. — *Si ergo obiicias*, quod nobile est illud Sacramentum inter cetera; dicendum, quod nobile est ratione *contenti,* non ratione *effectus* prae ceteris aliis [3].

Sed *tunc obiicitur,* quia adhuc non videtur solvi: cum enim Christus sit hic praesens, videtur, quod abundantius congrueret, hic gratiam eius communicari. Nam in adventu Christi abundanter gratia collata est. — Et ad hoc dicendum, quod hoc spectat ad nobilitatem Sacramenti, quod non deletur ibi culpa mortalis; tam enim est nobile Sacramentum et tam nobilis panis, quod non debet dari nisi filiis et iam iustificatis [4]; et qui tales sunt non habent culpam mortalem. Ideo de speciali dignitate huius Sacramenti est, quod non *ordinatur* contra mortalem culpam. Et sic patet responsio ad illa tria.

Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur de recessu fictionis, dicendum, quod non est simile, quia in baptismo manet character, ex quo est susceptibilis gratiae; non sic in proposito [5].

QUAESTIO III.

Quae sit efficacia huius Sacramenti.

Tertio quaeritur, quae sit efficacia huius Sacramenti. Et dicit Magister [6], quod est venialium remissio et augmentatio virtutum. Et quod ita sit, videtur.

1. Innocentius [7]: « Eucharistia liberat a malo et conservat in bono, delet venialia et cavet mortalia ». « Huius etiam virtute Sacramenti universae virtutes augentur, et omnium gratiarum fructus exuberant ».

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia hoc dicitur esse *Sacramentum unionis;* aut ergo quia *de novo unit,* aut quia *magis unit.* Non quia *de novo unit* [8]*:* ergo quia *magis unit;* sed si magis unit: ergo auget virtutes.

3. Item, si magis unit, ergo repugnat ei quod minus; sed hoc est veniale, quia Augustinus [9]: « Minus te amat qui tecum aliquid amat », et hoc dicitur de veniali: ergo etc.

4. Item, « caro Christi est sicut carbo ignitus [10] »; sed carbonis igniti est pellere frigus et intendere calorem: ergo hoc Sacramentum reprimit motus frigidos culpae et intendit motus vivos gratiae: ergo delet et auget.

5. Item, hoc Sacramentum quotidie offertur: ergo si non frustra est, dat ergo aliquid, quo quotidie indigemus; sed illud quo quotidie indigemus, est liberatio a veniali malo et profectus in bono, quia caritas aut deficit, aut proficit [11]: ergo etc.

Contra: 1. Unius Sacramenti unus debet esse effectus praecipuus: ergo non est ad hos duos effectus praedictos.

Ad oppositum.

Item, quod non sit ad *remissionem venialium,* ostenditur:

Contra primum.

2. Primo: quia qui accedit ad hoc Sacramentum aut accedit *contritus,* aut *non.* Si *contritus*: ergo remissa est sibi culpa; si *non contritus:* ergo remanet culpa: ergo nullum habet eucharistia effectum super venialia. *Si dicas,* quod contritio non semper sufficit; esto quod tanta sit, quod sufficiat, tunc non habebit hoc Sacramentum effectum, et tamen melius est dispositus.

3. Item, si effectus huius Sacramenti est dele-

---

[1] Quaest. seq. — Pro *liberando* et *praeservando* codd. R S *liberatio* et *praeservatio*, cod. aa *liberandi* et *praeservandi.*

[2] Supple: peccatorum. — In cod. I secunda manus post *vel* addidit *liberationem.*

[3] Vide supra d. 7. dub. 3. — Permulti codd. et edd. omittunt *prae,* et pro *effectus* codd. I K substituunt *efficaciae.* Inferius ex codd. F G H aa posuimus *communicari* pro *comitari.*

[4] Respicitur Matth. 15, 26: Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus. Cfr. ibid. 7, 6.

[5] Vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3. ad 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Hic in lit. c. 6.

[7] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 44, ubi textus originalis *et confirmat* pro *et conservat.* Secundus textus habetur ibid. paulo superius: Per huius ergo Sacramenti virtutem universae... fructus *exuberant.* — Plurimi codd. *exuberat.*

[8] Vide quaest. praeced.

[9] Libr. X. Confess. c. 29. n. 40.

[10] Ut dicit Damasc., IV. de Fide orthod. c. 13. Cfr. supra pag. 188, nota 4.

[11] Bernard., Serm. 35. de Diversis, n. 2. dicit, quod « unum necesse sit e duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere ». Cfr. tom. III. pag. 661, nota 6. De ipso arg. vide hic lit. Magistri, c. 6.

tio venialium: ergo qui peccat venialiter irritat effectum eius, sicut qui peccat mortaliter irritat effectum baptismi; sed homo habet necesse peccare venialiter[1], ergo et hoc Sacramentum irritare: ergo nunquam accipi debet, quia nunquam debet quis contumeliam huic Sacramento inferre.

Item, quod *augmentum virtutum* non sit effectus huius Sacramenti, videtur:

Contra secundum.

4. Quia, si hoc, tunc ergo valde cito fieret aliquis perfectus, qui hoc Sacramentum quotidie recipit; sed hoc videmus esse falsum: ergo etc.

5. Item, augmentum virtutum est effectus baptismi et confirmationis, sicut supra dixit Magister[2], et similiter remissio venialium: non ergo huius Sacramenti.

CONCLUSIO.

Efficacia huius Sacramenti est unitos magis unire triplici modo.

Respondeo: Dicendum, quod cum hoc Sacramentum sit *unionis*, effectus eius primus aut est *unire*, aut *magis unire;* sed non de *novo unire*, ut supra[3] ostensum est, sed iam unitos *magis unire*. *Magis* autem *unire* est tripliciter: aut quia quis unitur *maiori* vinculo, ut ille magis unitur, qui maiorem habet caritatem; aut quia *eodem* vinculo unitur *strictius*, ut ille qui secundum eundem habitum ferventius amat; aut quia *eodem firmius*, ut ille qui in eodem habitu est magis radicatus[4].

Conclusio 1.

Dicitur ergo hoc Sacramentum *magis unire*, quia digne accedentem reddit *ferventiorem*, ut carbo ignitus; et iterum, reddit *fortiorem*, ut bonus cibus. Et ex hoc, quod reddit caritatem *magis ignitam*, adiuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem; ex hoc quod magis *firmat*, adiuvat ad vitandum omnia scelera; et ratione *utriusque* valet ad augmentum virtutum, et maxime caritatis, quae est vinculum[5], non quantum ad *essentiam*, sed quantum ad *fervorem*, vel *radicationem*. *Fervor* enim minuitur quotidie per venialia et *radicatio;* ideo oportet, per hunc cibum restaurari deperditum. — Ex his patent obiecta. Nam rationes ad primam partem sunt concedendae.

Conclusio 2.

1. Quod vero obiicit, quod unius Sacramenti[6] unus est effectus; dicendum, quod verum est, *primus;* et ille est *magis unire*, et per illum habet hos duos consequentes.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod venialia delentur in contritione; dicendum, quod iste non est effectus *primus*, sed *ex consequenti* fit, quando homo indiget; ut puta quando fervor caritatis per se non est ita intensus, quod peccata venialia deleat, adiungitur carbo divinus, per quem vigoratur, et vigorata delet venialia; nihilominus tamen, si non habet venialia, caritatis fervor vigoratur.

Notandum.

3. Ad aliud dicendum, quod non irritatur huius Sacramenti effectus per aliquod veniale: quia veniale non tollit gratiam, sicut mortale tollit; et possibile est, unum veniale remitti, altero non remisso[7]. Unde veniale nec irritat *antecedenter* faciendo fictum, nec *consequenter* evacuando fructum; nec oportet, alia venialia deleri, sed secundum quod homo melius se disponit, et caritas contra illa vigoratur; unde plus et minus in diversis.

4. Ad illud quod obiicitur de augmento, dicendum, quod *augmentum* intelligitur quantum ad *fervorem*, non quantum ad *essentiam*. Et quantum ad *fervorem* non omnes ita procedunt propter multa venialia, quae committunt, quae illum diminuunt.

5. Ultimum manifestum est, quia neuter horum est *primus et proprius* effectus huius Sacramenti, sed magis *unire*, ut visum est[8].

ARTICULUS II.

De frequentatione huius Sacramenti.

Consequenter quaeritur de huius Sacramenti frequentatione. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum necesse sit accedere ad hoc Sacramentum, sive utrum teneamur accedere.

Secundo quaeritur, quid sit melius habenti libertatem accedendi, scilicet frequentare, an tarde accedere.

Tertio, utrum homo debeat se retrahere ab hoc Sacramento propter immunditiam corporalem.

---

[1] Cfr. infra dub. 4. nec non II. Sent. d. 36. dub. 4, et magis explicite d. 41. a. 2. q. 1. — Finem arg. insinuat August., I. de Baptismo contra Donatistas, c. 1. n. 2: Nulli enim Sacramento iniuria facienda est.

[2] Dist. III. c. 9; d. IV. c. 5. et d. VII. c. 4.

[3] Quaest. praeced.

[4] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.

[5] Col. 3, 14: Vinculum perfectionis. — De modo, quo caritas augetur et minuitur, cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 2. seq.

[6] Ex codd. F G H U supplevimus *unius Sacramenti*.

[7] Cfr. infra d. 15. p. I. q. 2. ad 5; d. 21. p. I. a. 1. q. 1. ad 4. et q. 2. ad 5. — In fine solut. cod. H, variata interpunctione, legit: *vigoratur secundum plus et minus in diversis.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

QUAESTIO I.

Utrum teneamur accedere ad Sacramentum eucharistiae.

Circa primum ostenditur, quod sit necesse ad hoc Sacramentum accedere, hoc modo:

Ad oppositum. 1. Ioannis sexto[1]: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis* etc.

2. Item, Ecclesia excommunicat non accedentes ad hoc Sacramentum determinatis temporibus[2]; sed non excommunicat pro veniali culpa vel levi: ergo gravis culpa est non accedere; et si hoc, necesse est accedere.

3. Item, Innocentius[3]: « Necessario manducandus est Agnus, ut a vastante Angelo protegamur; nec exire possumus de Aegypto, nisi celebrando phase paschalem Agnum comedamus ». Et ante hoc dicit, quod necesse est, quod homo se praeparet, ne cessando sumere incurrat periculum.

4. Item, de *sacerdote specialiter* ostenditur, ut dicit Ambrosius[4] in quadam oratione: « Grave est, quod ad mensam tuam mundo corde et innocentibus manibus non venimus; sed gravius est, si, quia peccata metuimus, sacrificium non reddamus »; sed primum mortale: ergo et secundum.

5. Item, *ratione* videtur: quia sacerdoti impositum est officium; sed officium sine usu est otiosum; et *amplius*, qui habet talentum, tenetur illo uti, ne damnetur cum servo nequam[5]: ergo tenetur sacrificium offerre. Et est exemplum: si aliquis habet officium praedicandi sibi impositum et videret, expedire exsecutionem, et negligeret; graviter peccaret. (Exemplum.)

Contra: 1. Augustinus[6]: « Quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti »: si ergo sufficit ad manducationem *credere*, non ergo tenemur sumere Sacramentum. (Fundamenta.)

2. Item, effectus huius Sacramenti est deletio venialium et augmentum virtutum[7]; sed neutrum est de necessitate salutis: ergo etc.

3. Item, si necesse esset accedere: ergo parvuli, qui non accedunt nec manducant, omnes damnarentur.

CONCLUSIO.

Eucharistiae sumtio non est de necessitate, quantum est de sua institutione; est tamen necessaria ex officio assumto, vel ex praecepto superaddito.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum hoc non est de necessitate, quantum est de sua *institutione;* sed si est, hoc est ex *assumto officio*, vel *mandato superaddito:* ex *assumto officio*, quod scilicet necessarium est exsequi, ut cum sacerdos vivit de altari, ut parochianus[8], debet servire altari; si autem non vivat de altari, sed in libertate sua remaneat, non tenetur magis quam alius homo ex debito, sed magis de bono et aequo. Ex *mandato superaddito,* quod instituit Ecclesia, ut fideles communicarent semel in anno et in morte. Unde si quis negligit, non est sine contemptu; ideo peccat mortaliter. (Conclusio.)

Ratio autem, quare Ecclesia instituit, est, quia hoc Sacramentum est salubre, et multi erant negligentes de sua salute. Institutio autem Ecclesiae fuit sub praecepto, ut patet in Decretali de Poenitentiis, libro ultimo[9]: « Omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, recipiat reverenter ad minus in Pascha eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab eius perceptione ad tempus duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura ». Constat autem, quod haec est poena excommunicatorum. — Ex his patent obiecta. (Ratio praecepti.)

1. Nam verbum Ioannis, sive Domini in Ioanne intelligitur de manducatione *spirituali*, quae est per (Solutio oppositorum.)

---

[1] Vers. 54.

[2] Vide C. *Saeculares, qui in* (19.), de Consecrat. d. 2. et C. *Omnis utriusque sexus* (12.), X. de Poenitentiis et remission. (libr. V. tit. 38.).

[3] Libr. IV. de Sacro Altaris mysterio, c. 42, ubi, praemissis verbis Domini, Ioan. 6, 54: *Nisi manducaveritis* etc., et Apostoli I. Cor. 11, 29: *Qui manducat et bibit indigne* etc. ac v. 28: *Probet autem se ipsum* etc., deinde ait: Ingens itaque nobis videtur vel indicitur bene vivendi necessitas, ne corpus Domini vel indigne sumendo sumamus iudicium, vel sumere cessando nihilominus incurramus periculum. Necessario quippe sumendus est Agnus... paschalem Agnum edamus (Exod. 12, 11.).

[4] Oratio, ex qua verba subnexa sunt sumta, non est Ambrosii, sed *Anselmi;* inter cuius orationes invenitur sub n. 33: Si tantum, Domine, reatum nostrae delinquentiae cogitamus, deputatum observationis ministerium non implemus; grave est enim, quod ad mensam... sed gravius est, si, dum peccatum metuimus, etiam sacrificium non reddamus.

[5] De quo Luc. 19, 22. seqq. Cfr. Matth. 25, 26. — Glossa *ordinaria* sumta ex Beda exponit hunc versum de praedicatoribus Evangelii. — Inferius pro *habet* codd. G H *haberet.*

[6] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12. Cfr. supra lit. Magistri, d. IX. c. 1.

[7] Ut ostensum est art. praeced. q. 3.

[8] Edd. *ut parochianis prosit.*

[9] Sive lib. V. tit. 38. c. 12, ubi textus originalis post *pervenerit* subiungit praeceptum *confitendi* semel in anno peccata sua proprio sacerdoti.

fidem et caritatem, sine qua nemo adultus salvatur; et haec etiam est in parvulo aliquo modo quantum ad incorporationem [1].

2. 3. Ad illud quod obiicitur de Ecclesia, patet responsio: quia Ecclesia instituit, et ut institutio esset firma, addidit poenam. — Similiter illud Innocentii intelligitur aut de manducatione *spirituali*, aut de *sacramentali* ratione institutionis Ecclesiae.

4. Ad illud quod quaeritur de sacerdote, dicendum, quod si sacerdos est, qui habet curam [2], tenetur, nisi alius eius defectum suppleat. — Ad illud quod obiicitur de Ambrosio, dicendum, quod loquitur de talibus, qui tenentur; vel si de omnibus, tunc loquitur de immunditia veniali, non mortali.

5. Ad aliud dicendum, quod officium sacerdotale non imponitur, ut homo *necessario* exsequatur, sed pro *loco et tempore*, ut sibi videbitur expedire; et ideo, si conscientia dictat, quod sit abstinendum ob sui indignitatem et reverentiam Sacramenti, non peccat; nec etiam *praedicator*, nisi quando videt imminere periculum, vel officium per obedientiam est ei iniunctum [3], ut illud exsequatur.

SCHOLION.

I. Hic agitur de sumtione *sacramentali* eucharistiae; de sumtione sive manducatione *spirituali* cfr. supra d. 9. a. 1. q. 1-3. — Ad solvendam hanc I. quaestionem supponenda est distinctio inter necessitatem *medii* et necessitatem *praecepti*. Haec iterum duplex est, secundum quod praeceptum vel est *divinum*, vel *ecclesiasticum*. Quod autem sumtio eucharistiae sacramentalis non requiratur *necessitate medii* ad obtinendam, vel augendam gratiam, patet (cfr. supra scholion ad a. 1. q. 1.); nec requiritur, *absolute* loquendo, ad perseverandum in gratia. Quoad parvulos generatim dicit Concil. Trident. (Sess. XXI. can. 4.): « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse eucharistiae communionem, a. s. ». — De praecepto *ecclesiastico* quoad *adultos* non est dubium; sed utrum praeceptum *divinum* eosdem obliget ad *realem* eucharistiae sumtionem, fuit quaestio controversa. S. Bonav. (ad 1.) hoc vult negare; quod etiam cum pluribus antiquis docuerunt Alex. Hal. et ipse S. Thomas in Comment. (hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. et d. 9. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2.), atque Dionys. Carth. Sed S. Thom. (S. III. q. 80. a. 11.) hanc sententiam retractavit, recte arguens: « Frustra esset *votum*, nisi impleretur, quando opportunitas adesset. Et ideo manifestum est, quod homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solum ex statuto ecclesiae, sed ex mandato Domini... Ex statuto autem Ecclesiae sunt determinata tempora exsequendi Christi praeceptum ». Conveniunt Richard. a Med. (hic a. 6. q. 1.), Scot. (IV. Sent. d. 13. q. 2. n. 20.), Durand. (IV. Sent. d. 13, q. 2.). Sententia nunc communis docet, lege *divina* praecipi adultis, ut eucharistiam sumant interdum, saltem instante morte.

De hac I. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 4. § 1. in fine. — S. Thom., S. III. q. 73. a. 3. — Petr. a Tar., IV. Sent. d. 9. q. 1. a. 3. — Dionys. Carth., IV. Sent. d. 9. q. 1.

II. Ad seq. (2.) quaestionem Scholastici antiqui communiter respondent, quod perfecte *disposito* magis expediret communicare, etiam singulis diebus, quam a communione abstinere; simul laudant humilitatem, qua quis ob reverentiam interdum eam omittit. Quoad praxim notum est, frequentem communionem illa aetate non fuisse ita in usu, sicut in primitiva Ecclesia et nostris temporibus respectu eorum qui pietatem profitentur. Hinc B. Albert. (IV. Sent. d. 13. a. 28. ad ult.), postquam dixit, devotas mulieres, etiam in matrimonio viventes, quae se praeparant, non esse prohibendas a *frequenti* communione, addit: « praecipue de mense ad mensem secundum solemnitates maiores, quia iniuste arcentur qui digni sunt ».

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 1. in principio. — S. Thom., hic q. 3. a. 1; S. III. q. 80. a. 10. — B. Albert., a. cit. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 5.

III. De seq. (3.) quaestione alii commentatores Magistri solent tractare supra in d. 9, qui in doctrina satis conveniunt.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. § 3. — Scot. rem tangit infra d. 32. n. 7. — S. Thom., d. 9. q. 1. a. 4; S. loc. cit. a. 7. — B. Albert., d. 9. a. 10. 11. — Petr. a Tar., d. 9. q. 2. a. 3. — Richard. a Med., d. 9. a. 2. q. 3. — Dionys. Carth., d. 9. q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum habenti libertatem accedendi sit melius frequentare, an tarde accedere.

Secundo quaeritur de habente libertatem accedendi, quid sit ei melius, frequentare, an tarde accedere. Et quod *frequentare*, videtur:

Fundamenta. 1. Quia in primitiva Ecclesia, secundum quod dicitur Actuum secundo [4], quotidie communicabant: ergo si optime fuit ab Apostolis instituta, videtur, quod eorum exemplo melius sit quotidie communicare.

2. Item, ostenditur auctoritate Domini [5]: Dominus enim docuit nos orare et petere quotidie *panem supersubstantialem*, et alius Evangelista nominat ipsum *quotidianum;* et Ambrosius dicit: « Panis iste quotidianus est; quotidie accipe, ut quotidie tibi prosit »: ergo videtur auctoritate Domini et Ambrosii, quod quotidie sit melius.

3. Item, *ratione* videtur: quia hoc Sacramentum est in remissionem venialium; sed semper peccamus venialiter: ergo debemus quotidie accipere. Et hoc est quod dicit Ambrosius [6]: « Cum sanguis

[1] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 26. n. 15; I. de Peccator. mer. et remiss. etc. c. 20. n. 26. seq., et III. c. 4. n. 7. seq. Vide etiam supra lit. Magistri, d. IX. c. 1, et de eadem re Comment. a. 1. q. 2; d. 4. p. I. dub. 2. et p. II. a. 2. q. 1. seqq.

[2] Cod. H (F a secunda manu) supplet *animarum*. Mox post *alius* cod. F addit *esset qui*.

[3] Edd. *vel negligit officium per inobedientiam; est enim ei iniunctum.*

[4] Vers. 42. et 46.

[5] Matth. 6, 11; Luc. 11, 3. — Verba Ambrosii habentur in V. de Sacram. c. 4. n. 25. Cfr. Serm. 84. in appendice sermonum August. (alias 28. de Verbis Domini) n. 3, et hic lit. Magistri, c. 4.

[6] Libr. IV. de Sacram. c. 6. n. 28: Si, quotiescumque ef-

Christi effunditur, in remissionem peccatorum effunditur; semper ergo accipere debeo, quia semper pecco».

4. Item, alia *ratione* videtur: quia Sacramentum illud auget in homine virtutem et caritatem; sed quanto haec magis augentur, tanto melius est homo dispositus, et quanto melius dispositus, tanto frequentius debet accedere: ergo *a primo*[1], ad Sacramentum hoc semper est accedendum.

Ad opposi-tum. Contra: 1. Augustinus, de Ecclesiasticis Dogmatibus[2]: « Quotidie Eucharistiam accipere nec laudo nec vitupero »; sed si semper deberet percipi, laudaret: ergo etc.

2. Item, Augustinus[3]: «Quid paras dentem et ventrem? Crede tantum, et manducasti»: ergo nulla est utilitas in accipiendo corporaliter, quia, si aliqua esset utilitas, male ergo diceret Augustinus: «Quid paras dentem et ventrem»? quia diceretur ei: propter utilitatem.

3. Item, *ratione* videtur: quia possibile est manducare *spiritualiter* non accedendo, et non est ibi periculum; sed accedendo, nisi homo sit bene paratus, est periculum[4]: ergo si via securior est eligenda, tunc ergo raro est communicandum sacramentaliter et saepe spiritualiter.

4. Item, gloria Dei nostro commodo est praeferenda; sed qui dimittit accedere propter Sacramenti dignitatem principaliter dat gloriam Deo, qui autem accedit propter Sacramenti efficaciam attendit proprium commodum: ergo melius facit qui cessat, quam qui accedit.

Quaestio incid. Iuxta hoc quaeritur de diversitate institutionis, quia, secundum quod dicitur de Consecratione, distinctione secunda[5], Anacletus instituit, quod *quandocumque* venirent ad Ecclesiam; Fabianus, quod *ter* in anno; Soter Papa, quod in *Coena Domini*; et Decretalis dicit, quod *semel in anno*.

CONCLUSIO.

Frequens sumtio eucharistiae bona est recipienti eam cum mundo corde et caritate ardente; sed frigido expedit raro accedere; medio modo se habenti convenit modo accedere, modo abstinere.

Conclusio 1. Respondeo: Dicendum, quod si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc Sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum et spiritualiter comederet hunc cibum cum honore et devotione[6]. Quia igitur tempore Ecclesiae primitivae erant *mundi* per baptismi innocentiam et *caritate ardentes* per donationem Spiritus sancti; ideo congruebat eis quotidie communicare. — Quia vero postmodum caritas refriguit[7], et per peccata munditia baptismalis ut in pluribus perdita est; relictum fuit iudicio et conscientiae uniuscuiusque, ut reciperet, quando se dispositum videret, ne aliter manducaret ad suam damnationem. — Et quia homines inceperunt fieri negligentes; oportuit, ut iterum institueretur a Summo Pontifice frequentatio. — Sed quia frequentabant multi et non bene se praeparabant; instituit Fabianus, ut tribus anni solemnitatibus, in quibus homines melius parantur et quas desiderabilius exspectant, communicarent, scilicet Natali, Paschate et Pentecoste. — Et quia homines adhuc processu temporis in his tribus temporibus negligenter se praeparabant; ideo hoc ad extremum est ad Pascha reductum, quod praecedit tempus praeparationis, scilicet Quadragesima. (Ad quaest. incid.)

Si ergo quaeritur, utrum expediat frequentare alicui; dicendum, quod si se videat esse in statu Ecclesiae primitivae, laudandum est quotidie communicare; si autem in statu Ecclesiae finali, utpote frigidum et tardum, laudandum est, quod raro; si autem medio modo, medio modo se debet habere, et aliquando debet cessare, ut addiscat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore; quia tali hospiti debetur honor, debetur et amor; et tunc secundum illam partem, secundum quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet, quod homo solum experientia discit[8]. — Omnes igitur rationes ad primam partem intelliguntur, salva debita praeparatione, quae in paucissimis est ut semper. (Conclusio 2.)

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod Augustinus non laudat, sed relinquit conscientiae; dicendum, quod hoc dicit, quia quibusdam, ut tactum est, magis est utile frequentare, quibusdam autem raro; quia maiorem efficaciam, credo[9], recipit homo in una Missa vel manducatione cum bona praeparatione, quam in multis, si non se praeparet diligenter. (Solutio oppositorum.) (Notandum.)

2. Ad aliud dicendum, quod illud dicit Augustinus, non quia manducatio sacramentalis non sit

---

funditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco semper debeo habere medicinam. — *Maior* probata est art. praeced. q. 3, ubi etiam *maior* seq. arg. ostensa est.

[1] Vat. addit *ad ultimum*. Pro *debet* cod. I *potest*.

[2] (Gennadius) c. 23. Vide hic lit Magistri, c. 6.

[3] In Ioan. Evang. tr. 25. n. 12. Vide supra lit. Magistri, d. IX. c. 1.

[4] Vide supra pag. 294, nota 3.

[5] Can. *Peracta consecratione* (10.), omnes communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt [cfr. Can. Apostol. 8.], et sancta Romana tenet Ecclesia. — Fabian., C. *Etsi non frequentius* (16.), saltem in anno ter laici homines communicent, nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur; in Pascha videlicet et Pentecoste et Natali Domini. — Soter, C. *In Coena Domini* (17.) a quibusdam perceptio eucharistiae negligitur etc. — Decretalis *Omnis utriusque sexus* vide in corp. quaest. praeced.

[6] Vide art. praeced. q. 1.

[7] Respicitur Matth. 24, 12: Refrigescet caritas multorum.

[8] Cfr. August., Epist. 54. (alias 118.) c. 3. n. 4, ex qua refert C. *Quotidie* (13.) § 1, de Consecrat. d. 2: Dixerit quispiam, non quotidie accipiendam eucharistiam, alius affirmet, quotidie; faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum etc. Vide infra solut. ad 4.

[9] Codd. F G U bb *ut credo*, Vat. cum aliquot codd. legit *credo, quod recipiat*.

fructuosa, sed contra illos qui carnaliter hunc cibum spiritualem comedebant, quia nullum fructum reportabant.

3. Ad illud quod obiicitur, quod securius est; dicendum, quod quamvis istud sit securius, tamen illud est utilius: quia, sicut plus prodest baptismus sanguinis et fluminis quam sanguinis tantum [1]; sic plus manducatio spiritualis, quando coniuncta est sacramentali, quam quando est per se.

4. Ad aliud dicendum, quod uterque dat gloriam Deo, et qui manducat cum reverentia, et qui ex reverentia dimittit. Sicut enim dicit Augustinus [2], et centurio Dominum honoravit, cum noluit, quod domum eius intraret; et Zachaeus, qui in domum introduxit [3]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum homo debeat se retrahere ab hoc Sacramento propter immunditiam corporalem.

Tertio quaeritur, utrum homo debeat se retrahere ab hoc Sacramento propter immunditiam corporalem. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia in Lege mulier, quae menstrua patiebatur, reputabatur immunda; similiter vir, qui patiebatur seminis fluxum, Levitici decimo quinto [4]; similiter mulier post partum, Levitici duodecimo; et propter istas immunditias arcebatur ab ingressu in templum et esu agni: ergo videtur, quod multo fortius ab esu Agni veri homines arceri debent propter immunditiam corporalem.

2. Item, dicitur de Consecratione, distinctione secunda [5]: «Omnis homo ante sacram communionem abstinere debet ab uxore propria tribus diebus»; sed quilibet potest coniungi cum uxore propria sine immunditia mentis: ergo illud dictum est tantum propter immunditiam corporis, et sic etc.

3. Item, Gregorius [6] dicit, quod «pollutus ex cogitatione praecedenti non debet accedere»; aut ergo hoc est propter immunditiam *corporalem*, aut *spiritualem*. Non *spiritualem*, quia propter illam cogitationem, si non esset secuta pollutio, non impediretur: ergo propter immunditiam *corporalem*.

4. Item, Deuteronomii vigesimo tertio [7]: *Habebis locum* etc.; Glossa: «Munditiam corporalem diligit Deus; ideo praecipit, nihil foedum manere in castris»: ergo etc.

5. Item, *ratione* videtur: quia, si aliquis immundis manibus consecraret, peccaret utique, quantumcumque sanctus: ergo etc.

6. Item, in hoc Sacramento non tantum est quid spirituale, sed etiam corporale: ergo debet esse munditia corporalis.

Fundamenta. Contra: 1. Iste cibus «non est cibus ventris, sed mentis [8]»: ergo retrahi debet aliquis sola immunditia mentis, non carnis.

2. Item, magis displicet Deo immunditia peccati venialis quam quaelibet immunditia corporalis; sed propter peccatum veniale commissum non debet quis se retrahere: ergo nec propter aliquam immunditiam corporalem.

3. Item, immunditia corporalis, ut pollutio, non impedit manducationem *spiritualem*, quae est nobilior: ergo multo minus nec *sacramentalem*.

CONCLUSIO.

Corporalis immunditia, coniuncta cum spirituali, arcet a communione; aliae immunditiae species non impediunt nisi de congruo secundum gradus.

Quadruplex immunditia. Respondeo: Dicendum, quod immunditia corporalis quadruplex est. Quaedam est *coniuncta spirituali* secundum *veritatem*, ut pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula. Quaedam est *coniuncta spirituali* secundum *conformitatem*, ut pollutio veniens ex diabolica illusione, vel ex naturae superfluitate, in qua sentitur pruritus et delectatio inordinata. Quaedam vero *non* [9] *est coniuncta spirituali*, tamen est generans horrorem immunditiae in anima, ut pollutio veniens ex infirmitate. Quaedam autem est *pure corporalis*, nullum horrorem immunditiae in anima generans, ut immunditia in pede.

Conclusio 1. Prima immunditia impedit, propter hoc quod homo debet reputare se immundum. Unde non recipit Sacramentum cum reverentia qui sic immundus est, nisi necessitas compellat; et propter irre-

---

[1] Vide supra d. 4. p. II. a. 1. q. 2. et dub. 3. — Plurimi codd. perperam *flaminis* pro *fluminis*. In fine solut. Vat. addit *solum*.

[2] Epist. 54. (alias 118.) c. 3. n. 4: Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri praeposuit, Zachaeus et ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum [Luc. 19, 6.], alter dixerit: *Non sum dignus, ut intres sub tectum meum* [Matth. 8, 8.]: ambo Salvatorem honorificantes diverso et quasi contrario modo; ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Cfr. Serm. 62. (alias 6. de Verbis Domini) c. 1. n. 3. — Pro *honoravit* cod. I *honorificavit*.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 2. et 18. Secundus locus est ibid. 12, 2. seqq. — Inferius post primum *agni* cod. X addit *typici*, edd. *abstinebant*.

[5] Can. (Concilii Eliberitani) *Omnis homo* (21) ... tribus, aut quatuor, aut octo diebus. — Circa finem arg. ex codd. F G L N aa bb (E a secunda manu) recepimus *tantum* pro *ante*.

[6] Libr. XI. Regist. Epist. indict. 4. epist. 64. ad 11. interrogationem Augustini, Anglorum episcopi. Cfr. C. *Testamentum* (1.), d. 6.

[7] Vers. 12. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

[8] Cfr. supra pag. 275, nota 7. et infra d. 13. a. 2. q. 2.

[9] Ed. 1 cum multis codd. perperam omittit *non*.

verentiam privatur fructu et incurrit damnum. —
Conclusio 2. Secunda immunditia, quae est in illusione diabolica, arcere debet ex *congruo;* quoniam, quamvis non sit certum, quod sit anima ibi maculata, tamen probabiliter potest dubitari; et ideo qui se reputat immundum bene facit. Unde Isidorus, distinctione sexta[1]: « Quisquis nocturna illusione polluitur, quamvis extra memoriam turpium cogitationum sese praesentiat inquinatum; tamen hoc, ut tentaretur, culpae suae attribuat suamque immunditiam statim
Conclusio 3. fletibus tergat ». — Tertia immunditia est *indifferens,* quia tantum est poena; et ideo non arcet. Si tamen ratione horroris abstineat, devotio et reverentia est laudanda; unde nec mulier menstruata arcetur nec etiam mulier post partum, sicut dicunt iura. De primo reperies in Decreto, distinctione quinta[2]; de secundo, Extravagantium libro tertio,
Conclusio 4. de Purificatione post partum. — Quarta *simpliciter* est *indifferens* inter omnes has immunditias. Prima magis impedit, ultima nullo modo; omnes tamen impediunt de congruo secundum gradus.

Unde si quis quaerat, utrum semper, quando
Corollarium. polluitur corporaliter, cessare debeat; dicendum est, quod si sentit, inquinationem illam multum animam inclinasse, quia in actu illo fit homo caro, sive in somnis sive in vigiliis, consulendum esset ei facere reverentiam Sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam, et ulterius devotio trahat ad perceptionem, et solemnitas etiam[3] trahat, vel aliquid, quod multum recompenset; tunc arbitrarer, ipsum sine remorsu
Epilogus. posse accedere. — Concedendum ergo, quod solum propter carnis immunditiam non impeditur, sed quia haec immunditia coniuncta est immunditiae mentis; nec solum propter immunditiam mentis, quia cogitatio cito transit, sed immunditia carnis horrorem relinquit et diutius durat et inordinat: et ideo, quamvis pollutio sit peccatum veniale, magis tamen impedit quam aliud veniale, propter horroris diuturnitatem et maiorem deordinationem.

1. Ad illud quod obiicitur, quod immunditia corporalis, quia corporalis, impedit per Legem; dicendum, quod non valet, quia Lex data est in onus et in figuram, et per illas immunditias significabantur spirituales immunditiae[4]. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de coniunctione cum uxore, dicendum, quod raro contingit, quod homo coniungatur secundum illum actum, debitum *exigendo,* quin sit ibi aliqua culpa; si autem solum *reddendo* debitum, non credo, quod debeat retrahi nisi de congruo, vel etiam causa prolis; et hoc dicit Gregorius, et habetur Causa trigesima tertia, quaestione quarta[5]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quare pollutio impedit; dicendum, quod ratione pollutionis carnis coniunctae pollutioni mentis, quia ex hac pollutione se immundum et indispositum reputare debet ad hoc Sacramentum ratione praedicta.

4. 5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod diligit Deus munditiam corporalem; dicendum, quod verum est eatenus, qua excitat devotionem mentis; e contrario abominatur immunditiam corporalem, quae est via ad irreverentiam mentis; et talis bene impedit. — Et per hoc patet sequens, quia immundis manibus non tractat Christi corpus nisi homo, qui modicam aut nullam adhibet reverentiam. Notandum.

Ad illud de immunditia veniali, patet solutio: quia non ita durat, nec ita mens abhorret, nec ita deordinat. Ad 2. fundam.

Ad ultimum dicendum, quod in manducatione *sacramentali* venit Christus corporaliter in hominem, non in *spirituali;* ideo non est simile[6]. Ad 3. fundam.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *in hoc Sacramento fit memoria illius quod factum est semel.* Si enim hoc verum est, ergo tantum semel deberet fieri ab uno sacerdote et semel manducari. — Item, baptismus, quia significat passionem Christi, non iteratur[7]: ergo nec illud Sacramentum.

Respondeo: sicut dicit Magister in littera[8], hic significatur passio Christi tanquam in *signo* et tanquam in signo *rememorativo;* et quoniam frequenter rememorari debemus Christi semel passi: ideo illud Sacramentum iteratur pluries. — Sed *si tunc obiicias* de Sacramento baptismi; dicendum, quod non est simile: quia baptismus significat passionem, prout *nos* per illam morimur peccato originali, quod traximus ab Adam; et hoc non facit passio in quolibet nisi semel; hinc est, quod baptismus non potest iterari, et si quis iterat, facit contumeliam Sacramento. Notandum.

---

[1] Cap. *Non est peccatum* (3.) § 1. Verba sumta sunt ex Isidor., III. Sent. c. 6. n. 14, ubi melius habetur *persentiat* pro *praesentiat.* — Codd. et Vat. falso *Isidorus, de Consecratione, dist. 2.* (Vat. *6.*).

[2] Cap. *Ad eius vero* (4.) § 1, sumtum ex Gregor., loc. paulo superius cit., ad 10. interrogationem. — Secundus locus est C. *Volens* (1.) tit. 47. Innocentii III. — Codd. perperam *reperies de Consecratione, dist. 5.*

[3] Ita codd. E H L Y Z, codd. F G *vel etiam solemnitas,* edd. *et solemnitas.* Aliquanto superius pro *inclinasse* cod. O *maculasse,* cod. U *infamasse.* Inferius pro *arbitrarer, ipsum* codd. R S T *arbitramur,* qui codd. etiam subinde post *posse* addunt *nihilominus.*

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 4, et III. Sent. d. 40. q. 3.

[5] Cap. *Vir cum propria* (7.), sumtum ex Gregor., loc. supra cit., ad 10. interrogationem.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Vide supra d. 6. p. I. q. 6.

[8] Hic c. 5.

In hoc autem significatur *Christus* passus ut nos reficiens; et quoniam saepe reficit in omni [1] memoratione, ideo saepe iteratur illud Sacramentum sine Notandum. contumelia; nec dicitur proprie *iterari* Sacramentum, sed *frequentari;* quoniam unum et idem continetur in hostia hesterna et hodierna; tunc autem *iteraretur,* si super eandem hostiam fieret iteratio formae [2]; et hoc non posset fieri scienter absque peccato.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quotidie offerimus ad recordationem mortis.* Est enim instantia in die Veneris sancto, quando sacerdos non conficit nec sacrificium offert [3]; et videtur, quod tunc magis deberet. Si enim hoc est *memoriale passionis:* ergo cum illo die specialiter *memoria* habeatur, videtur, quod tunc magis esset conficiendum.

Item, quaeritur iuxta hoc: quare Sacramentum Quaestio incid. reservatur sub forma panis, non vini?

Et respondetur ad primum, quod aliud est *conficere* sive consecrare, aliud est *offerre;* et quamvis Notandum. in illo die non fiat *confectio,* fit tamen *oblatio,* quia sacerdos corpus in praecedenti die consecratum offert in altari. — Si vero *quaeras:* quare fit *oblatio,* et non *consecratio?* respondetur, quod *oblatio* sive sumtio fit a sacerdote, ne oratio dominicalis, quae dicitur quotidie et illo die ab Ecclesia, in qua petitur: *Panem nostrum quotidianum* [4] etc., vacua fiat. — Sed *consecratio* non fit, sed reservatio propter hoc, quod in illo die fuit Dominus passus in propria effigie, non in signo. Et quia *tota* dies est memoriale passionis et totum officium; ideo non fit consecratio a Coena usque ad Sabbatum, in quo est memoria resurrectionis; unde cantatur Missa de resurrectione.

Quod quaeritur de sanguine: quare non reservatur? Ad quaest. incid. resp. 1. aliqui dicunt, quod non oportet, quia vinum, quod sacerdos ponit in calicem, per appositionem corporis consecratur. Improbatur. — Sed illud non potest habere veritatem, sicut probari potest de facili, quia nullo modo fit transsubstantiatio sine verbo [5].

Et ideo dicunt alii, quod triplici de causa non Resp. 2. reservatur: una est propter periculum effusionis; alia propter verbum Domini, quod dixit super calicem [6]: *Non bibam de hoc genimine* etc., et ideo non sumit sanguinem sacerdos a Coena usque ad resurrectionem; tertia est, quia sacerdos magis sumit ad refectionem quam ad significationem, et quia totus Christus est perfecte sub specie panis, quamvis non perfecte significetur; ideo solum in specie panis sumit, et solum sacrificium sive Sacramentum corporis reservatur [7].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *semel immolatus est Christus.* Si enim semel immolatus est Christus, videtur, quod saltem in die non liceat sacerdoti pluries conficere. — Quaeritur ergo, Quaestio incid. quomodo liceat sacerdoti pluries conficere et sumere in eodem die, cum populo non liceat nisi semel; et videtur, quod magis sit licitum populo, cum minus sit horum alterum, scilicet *sumere,* quam utrumque, scilicet *conficere* et *sumere.*

Respondeo: Dicendum, quod propter reverentiam Sacramenti sunt duo instituta circa modum Duo praecepta. sumendi hoc Sacramentum, scilicet quod sumatur *ieiuno stomacho,* et quod tantum *semel,* ut ab aliis cibis discernatur. In primo communicat sacerdos et populus; oportet enim, quod sacerdos ieiunus sit sicut populus; et hoc habetur in quadam Decretali de Celebratione Missarum [8]: *Ex parte vestra;* et infra: «Semper sacerdos vino perfundere debet, postquam accepit totum eucharistiae Sacramentum, nisi cum eodem die aliam Missam celebrare debuerit, ne, si forte vinum perfusionis acciperet, aliam celebrationem impediret». — Sed in alio differt, quia alicui [9] bis communicari non licet, sed licitum est sacerdoti, Ad quaest. incid. propter hoc quod est persona *communis* et debet celebrare Missam omni populo. Et quia potest esse, quod unus sacerdos propter tenuitatem et vicinitatem deservit duabus ecclesiis, vel quia in eadem ecclesia propter solemnitatem officii oportet plures Missas cantari, sicut in Nativitate Domini; et quandocumque celebrant, tenentur communicare: ideo indultum est eis, plures Missas celebrare in eodem die et pluries hoc Sacramentum sumere [10].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod *quotidie peccamus peccatis, sine quibus haec mortalis infirmitas duci non potest.* Videtur enim

---

[1] Cod. U *quoniam nos saepe reficit in sui.*

[2] Ut docet supra Magister in lit., d. XI. c. 4. in fine. — Idem dub. solvit B. Albert., hic d. 13. a. 23; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Cod. O *offertur,* edd. omittunt *nec* et *offert.*

[4] Luc. 11, 3. — Paulo ante pro *et illo die,* quod habent codd. F G H, in aliis et edd. male tantum *in illo die.*

[5] Vide supra p. I. a. 2. q. 2.

[6] Marc. 14, 25. Cfr. Matth. 26, 29.

[7] Cfr. supra d. 11. p. II. a. 1. q. 2. — Idem dub. solvit B. Albert., hic d. 13. a. 24; Petr. a Tar., hic circa lit.

[8] Hoc decretum Innocentii III. ad clericos s. Petri in Magdalona, quod incipit: *Ex parte vestra* (Migne, Patrol. Lat. tom. 215. col. 442 n. 150. alias 401.), duas partes habet, quarum prima invenitur in C. *Ex parte vestra* (1.) X. (libr. III. tit. 46.) de Observ. ieiun.; secunda vero [ideo hic dicitur *et infra*] in X. (libr. III. tit. 41.) c. 5: *Ex parte vestra,* et infra: Postulationi vestrae taliter respondemus, quod semper sacerdos... acceperit [ed. Migne *perceperit*] etc.

[9] Edd. addunt *de populo.* Aliquanto inferius pro *tenuitatem* cod. aa *communitatem.*

[10] Cfr. decretum Innocentii III. in C. *Consuluisti* (3.) X. (libr. III. tit. 41.), de Celebrat. Missar. — Idem dub. solvit B. Albert., hic d. 13. a. 24.

male dicere: quia «nullus peccat in eo quod vitare non potest[1]»: ergo talia non videntur esse peccata.

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc potest dupliciter responderi: Resp. 1. uno modo, quod quamvis non possint vitari *generaliter* et universaliter, possunt tamen vitari *particulariter* hoc et illud; et ponitur exemplum in navi, in quam ingreditur aqua[2]. — Non sufficit. Sed quomodo possunt vitari motus, qui veniunt ex surreptione, etiam in *particulari*, difficile est dicere. — Resp. 2. Et ideo alius modus est dicendi, quod est distinguendum in *necessitate* et in *peccato*. Est enim necessitas ex *naturae institutione*, et est necessitas ex *corruptione*. Prima est *data*; secunda est, quam incurrit homo *ex culpa*. Prima necessitas omnino excludit culpam; secunda vero excludit culpam *actualem mortalem*, non tamen *venialem*. Unde, sicut vult Augustinus de Perfectione iustitiae hominis[3], «quia homo noluit vitare peccatum, cum potuit; inflictum est ei *non posse*, cum velit».

DISTINCTIO XIII.

Cap. I.

Si hoc Sacramentum conficiatur ab haereticis, vel excommunicatis.

Solet etiam quaeri, utrum pravi sacerdotes hoc Sacramentum conficere queant. — Ad quod dici potest, quod aliqui, licet sint pravi, consecrant vere, scilicet qui intus sunt nomine et Sacramento, etsi non vita; quia non in merito consecrantis, sed in verbo Augustinus. efficitur Creatoris. Unde Augustinus[1]: «Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Domini Dubium 1. nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et virtute Spiritus sancti. Credendum est enim, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum suam efficit carnem Gregorius. et sanguinem». Item Gregorius[2]: «Putant quidam, communionem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu, in quam magnum laqueum incidunt, ut divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus idemque Spiritus sanctus in tota Ecclesia invisibiliter ea mysteria et ope- Mysterium. rando sanctificet et sanctificando benedicat! *Mysterium* ideo dicitur, quod secretam et reconditam habeat di- Sacrificium. spensationem; *sacrificium* vero, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memo- Sacramentum. riam dominicae passionis. *Sacramentum* est in aliqua celebratione, cum res ita fit, ut aliquid significatae rei accipiamus. Sacramenta sunt: baptisma, chrisma, corpus Christi, quae ideo *Sacramenta* dicuntur, quia sub tegumento visibilium rerum divina virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur; unde a secretis virtutibus vel sacris *Sacramenta* dicuntur. Panis et calicis Sacramentum Graece *eucharistia* dicitur, Eucharistia. latine *bona gratia* interpretatur; et quid melius corpore et sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, Sacramentum tamen est, quia Spiritus sanctus vivificat; nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur nec ma- Dubium 2. lorum attenuatur. Hoc de corpore Domini, hoc etiam de baptismate et chrismate dicendum est et tenendum; quia virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo est haec virtus sive potestas, non humanae efficaciae».

Illi vero, qui *excommunicati* sunt, vel *de haeresi manifeste notati*, non videntur hoc Sacramentum posse Opinio Magistri erronea. conficere, licet sacerdotes sint; quia nemo dicit in ipsa consecratione *offero*, sed *offerimus*, quasi ex persona Ecclesiae. Et ideo, cum alia Sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Quod etiam Augustinus[3] tradere videtur dicens: «Recolite Dubium 3. August. falso allegatus. nomen et advertite veritatem! *Missa* enim dicitur, eo quod caelestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, iuxta dictum sacerdotis dicentis: «Omnipotens Deus, iube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum» etc. Idcirco, nisi Angelus venerit, *Missa* nequaquam iure vocari potest. Nunquid enim, si hoc mysterium haereticus ausus fuerit usurpare, Angelum de caelis mittit Deus oblationem eius consecrare; maxime cum eisdem per Prophetam comminatus sit dicens: *Maledicam benedictionibus ve-*

---

[1] August., III. de Lib. Arb. c. 18. n. 50: Quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?

[2] Cod. II (bb a secunda manu) addit: *per multa foramina, licet non posset homo unus evitare* (cod. bb *obturare*) *omnia universaliter, potest tamen hoc et hoc etc. particulariter* (cod. bb *hoc et illud*). Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 1, ubi hic modus dicendi exhibetur, et in solut. ad 1. idem exemplum proponitur. — Superius post *quamvis* edd. supplent *peccata*.

[3] Cap. 4. n. 9. sententialiter; verba ipsa potius habentur III. de Lib. Arb. c. 18. n. 52. Cfr. tom. II. pag. 949, nota 1. De hoc secundo modo vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXXVI. c. 6, et Comment. dub. 4. Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 3. a. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Intra catholicam* (77.), C. 1. q. 1, et apud Algerum, III. de Sacram. c. 8. — Superius post *nomine* codd. A B C D et edd. 1, 6 omittunt *et*. Supple: sacerdotes.

[2] Can. *Multi saecularium* (84.), ibid. — Maior pars huius loci invenitur apud Isidor., VI. Etymolog. c. 19. n. 38. seqq., ordine vero immutato.

[3] Non est Augustini, qui potius cum communi sententia contrarium docet. Unde Magister sumserit hunc locum, non invenimus. Oratio citata habetur in canone Missae post consecrationem; locus Scripturae Mal. 2, 2.

stris. Quod si *benedictionibus* eorum se asserit maledicturum Veritas, quid erit de *hostia?* Ergo dicemus, illam posse benedici ab illo quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit [1], et simoniacus benedixerit; quis eorum praevalebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei »?

Magistri opinio. Ex his colligitur, quod haereticus a catholica Ecclesia [2] praecisus nequeat hoc Sacramentum conficere, quia sancti Angeli, qui huius mysterii celebrationi assistunt, tunc non adsunt, quando haereticus, vel simoniacus hoc mysterium temerarie celebrare praesumit. Non enim dubitari licet, ubi corporis dominici et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus. In huius autem mysterii expletione sicut *formam* servari, ita *ordinem* haberi, scilicet ut sit sacerdos, et *intentionem* adhiberi oportet, ut illud facere intendat. — Quaestio. Sed si non credit de illo mysterio, sicut veritas habet, nunquid potest *intendere* illud conficere? Resp. Et si non *intendit*, nunquid conficit? — Aliqui dicunt, etiam non recte de illo mysterio sentientem posse *intendere*, non quidem illud *conficere*, quod iam esset recte credere, sed *id agere*, quod geritur ab aliis, dum illud conficitur, et sic adhibetur intentio; etsi intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen, ex quo intendit ea dicere et agere, quae ab aliis geruntur, impletur mysterium. — Alius casus. Illud etiam sane dici potest, quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, quid manducat? Deus novit. — De hoc caelesti mysterio aliqua perstrinximus, a Catholicis fideliter tenenda; qui enim his contradicit, haereticus iudicatur.

Cap. II.

Quid faciat haereticum, et quid sit haereticus.

Ne autem ignores, quid *haereticum* faciat, vel quid sit *haereticus;* audi breviter, quid inde sancti Doctores tradant. Dubium 4. Hilarius [3] ait: « Exstiterunt plures, qui caelestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolutionem, susceperunt, aliter interpretantes, quam dictorum virtus postularet. De *intelligentia* enim haeresis, non de *Scriptura* est; et *sensus*, non *sermo*, fit crimen ». Idem libro septimo: « Intelligentiae sensus in crimine est ». Hilarius. Hieronymus [4] dicit, quod « ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis ». Hieronymus. Augustinus definiens, quid sit haereticus, ait: « Haereticus est qui pro alicuius temporalis commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones vel gignit, vel sequitur [5] ». Augustinus.

Notula 1. « Maledicam benedictionibus vestris — id est, his quae eis benedictionibus possidetis, vel quidquid a vobis benedicitur — vel quoniam non benedicunt sanctis ex vero corde, vel quia qui inique agunt benedicuntur ab eis, adulanturque peccatoribus, dummodo divites sint ». Item: « Maledicam benedictionibus vestris, id est, quidquid a vobis benedicetur, per me erit maledictum ». Hieronymus.

Notula 2. Gregorius super Ezechielem: « Qui in expositione sacri Eloquii, ut auditoribus placeat, aliquid fingit, sua verba loquitur, non Dei; qui autem in verbis dominicis aliter, quam is qui protulit, senserit, etsi sub alio intellectu, tamen aedificationem caritatis tendit »; Domini sunt verba, quae dicit. Gregorius.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIII.

De potestate conficiendi et sumendi.

Solet etiam quaeri, utrum pravi sacerdotes etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confectione, hic agit de potestate conficiendi. Et dividitur haec pars in tres partes. In prima quaerit Magister et determinat, qui possint conficere. In secunda, qui possint sumere, ostendens, quod soli homines, ibi: *Illud etiam sane dici potest, quod a brutis animalibus* etc. In tertia vero incidenter determinat, pro quanto dicantur aliqui errare sive haeresim incurrere, ibi: *Ne autem ignores, quid faciat hominem haereticum.*

Prima pars habet duas. In prima determinat sive tangit, quae sunt necessaria ad conficiendum hoc Sacramentum *licite.* In secunda tangit illa quae sunt de *necessitate* huius Sacramenti simpliciter, quae scilicet sunt intentio et ordo, ibi: *In huius*

[1] Cod. B et edd., excepta 1, subiungunt *benedictionibus haereticorum*, deinde sola Vat. *schismaticus* pro *simoniacus.* — Plures edd. hic interserunt notulas in fine distinctionis positas.

[2] Cod. A *unitate*, ed. 1 *fide catholica.* Porro ante *praesumit* codd. et edd. 1, 2, 3, 7 omittunt *celebrare*, ed. 6 *temerare praesumit.* — De seqq. cfr. Beda, super Lucam 24, 4.

[3] Libr. II. de Trin. n. 3. — Seq. locus est eiusdem in VII. n. 83, ubi ipsa verba inveniuntur; codd. et edd. citant VIII, (n. 4. et 11.), ubi similis sententia est. Iam cod. Erf. correxit numerum librorum.

[4] In Glossa ad Osee 2, 16, apud Lyranum; in Comment. Hieronymi non invenitur. Locus August. est in libro de Utilitate credendi, c. 1. n. 1.

[5] Cod. C hic ponit duas notulas, quae in plerisque edd. et nonnullis codd. ponuntur ad marginem, attamen non ab omnibus eodem loco. — In 1. notula locus 1. sumtus est ex C. *Multi saecularium*, supra pag. 300, nota 2. citato § 5, et seq. locus ex Hieron. in Mal. 2, 2. — Notula 2. sumta est ex Gregor., in Ezech. hom. 10. n. 14.

autem mysterii expletione etc. Quamvis enim *bonitas* sit necessaria sacerdoti ad hoc, quod conficiendo non peccet, saltem quod probabiliter sit bonus; sed tamen [1] non est necessaria ad hoc, quod conficiat. Sed *ordo* et *intentio* ad conficiendum simpliciter sunt necessaria; altero enim deficiente, non conficitur, sed deficiente bonitate, sic. Et sic duo determinantur in hac distinctione: primum spectat ad conficiendi potestatem, secundum vero ad sumtionem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de potestate conficientis.

Secundo quaeritur de sumente.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum omnis sacerdos possit conficere.

Secundo, utrum soli sacerdotes.

Tertio quaeritur, in quo resideat maior potestas ad consecrandum, in sacerdote, an in verbo.

Quarto quaeritur, utrum melior sit Missa boni sacerdotis quam mali.

ARTICULUS I.

De potestate conficientis.

QUAESTIO I.

Utrum omnis sacerdos possit conficere.

Circa primum sic proceditur.

Ad oppositum. 1. Augustinus, in libro Sententiarum Prosperi [2]: « Non est locus veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam »; sed haereticus est extra catholicam Ecclesiam: ergo in eo non est verum sacrificium, et sic etc.

2. Item, Hieronymus [3]: « Panem pollutum comedunt haeretici »; sed panis iste non potest pollui: ergo non comedunt hunc panem.

3. Item, idem Hieronymus [4]: « Odit Deus sacrificia haereticorum, detestatur foetorem »: ergo non mittit nec se nec Angelos, nec ipsi per consequens mittunt in caelum: ergo non conficiunt nec Missam dicunt et falso dicunt: Ite, Missa est.

4. Item, Cyprianus [5]: « Haereticorum Sacramenta sacrilegia sunt »; sed iste panis sanctus est: ergo etc.

5. Item, ex Concilio Laodicensi [6]: « Non oportet haereticorum benedictiones accipere; sunt enim magis maledictiones ».

6. Item, *ratione* videtur: quia hoc Sacramentum est Sacramentum unionis: ergo qui separati sunt ab Ecclesia omnino alieni sunt ab hoc Sacramento; et si hoc, non possunt conficere [7].

7. Item, qui separati et haeretici sunt, quamvis habeant ordinem, non possunt solvere et ligare; et si solvunt, nihil faciunt [8]: ergo eadem ratione nec conficere.

8. Item, « privilegium meretur amittere qui concessa sibi abutitur potestate [9] »; sed haereticus et schismaticus abutuntur potestate conficiendi: ergo sicut Deus dedit potestatem, ita et debet auferre.

9. Item, potestatis superioris est compescere inferiorem, si ordinatae sunt potestates: ergo si Papa, vel episcopus vetat sacerdoti, ne conficiat, amplius non potest conficere. *Si dicas,* quod non potest de *iure,* potest tamen de *facto; contra:* hoc solum potest homo apud Deum, quod de iure potest; sed potestas conficiendi est potestas quantum ad Deum: ergo si non potest de iure, nullo modo potest.

CONTRA: 1. Augustinus ad Parmenianum [10], loquens de haereticis et schismaticis: « Sicut in eis Fundamenta.

---

[1] Cod. H, voci *saltem* praemisso *vel,* hic supplet *bonitas.*

[2] Num. 15. Cfr. C. *Extra catholicam* (71.), C. 1. q. 1.

[3] Comment. in Osee, 9, 3: Et in Assyriis pollutum comedit. Et in Aggaeum, 2, 11. seqq., ubi ait in fine: Quamvis enim sancta videantur specie sui quae offeruntur a talibus, tamen, quia tacta sunt ab eo qui pollutus in anima est, omnia polluentur. Vide C. *Sic populus* (61.), C. 1. q. 1.

[4] Comment. in Amos, 5, 22; quod etiam allegatur in *Odit Deus* (62.) C. 1. q. 1. C. sacrificia haereticorum et a se proiicit, et quotiescumque sub nomine Domini fuerint congregati, detestatur foetorem eorum etc. — De aliis propos. arg. vide hic lit. Magistri, c. 1, et infra dub. 3.

[5] Epist. ad Magnum, n. 1. Cfr. C. *Si quis, inquit* (70.), § 1. C. 1. q. 1.

[6] Allegatur C. 1. q. 1. C. *Non oportet haereticorum* (66.) benedictiones accipere, quoniam magis sunt maledictiones quam benedictiones.

[7] Cap. *Audivimus, quod* (4.), C. 24. q. 1. Gratianus sub § 1. ait: Quicumque ergo ab unitate Ecclesiae, quae per Petrum intelligitur, fuerit alienus, exsecrare potest, consecrare non valet.

[8] Cfr. infra d. 19. a. 2. q. 2.

[9] Cap. *Tuarum* (11.), X. de Privileg. et excess. privileg. (lib. V. tit. 33.) et ibid. C. *Ut privilegia* (24.); suntque Innocent. III. — Post *Item* cod. G addit *Gregorius,* scil. IX, in suis Decretal., loc. cit.

[10] Sive contra epist. Parmeniani, lib. II. c. 13. n. 28, ubi textus originalis post *integra* prosequitur: *quia* in praecisione

mansit baptismus, sic et ordinatio integra; in praecisione fuerat vitium, quod in unitate pacis est correctum, non in Sacramentis, quae ubicumque sunt, ipsa vera sunt ».

2. Item, Causa prima, quaestione prima [1]: « Sacramenta in modum lucis ab immundis coinquinari non possunt ».

3. Item, sacerdos conficit, aut quia *bonus*, aut quia *sacerdos*. Si quia *bonus*; sed non est certus de bonitate: ergo nec certus est, utrum conficiat. Si quia *sacerdos*; cum propter haeresim non desinat esse sacerdos, patet etc.

4. Item, ad Sacramentum ex parte dispensantis non plus requiritur quam « ordo et intentio et actio [2] »; sed haec omnia sunt in praeciso: ergo etc. *Si dicas*, quod requiritur bonitas; tunc salus nostra in manu alterius est posita [3].

CONCLUSIO.

In omni sacerdote rite procedente salvatur veritas Sacramenti, non autem eius utilitas conficienti malo, vel excommunicato.

Respondeo: Aliqui voluerunt distinguere, ex quibus videtur fuisse Magister [4], quod sacerdotes mali quidam *occulte* sunt mali et de Ecclesia, saltem numero et quoad exteriorem faciem; et tales possunt. Alii vero sunt *manifeste* mali et ab Ecclesia praecisi; et tales non possunt. — Sed haec positio videtur consonare positioni Cypriani, qui posuit, quod haeretici non habeant vera Sacramenta; quod satis improbat Augustinus [5].

Opinio falsa cum distinctione. Reprobatur.

Propter hoc dicendum aliter, quod in Sacramento duo attenduntur, scilicet Sacramenti *veritas*, quae consistit quantum ad rem primam [6]; et Sacramenti *utilitas*, quae consistit quantum ad rem ultimam, quae est incorporatio vel unio quantum ad corpus mysticum. Si de *veritate* Sacramenti loquamur, *veritas* salvatur, ubi est ex parte ministr *ordo* et *intentio* et *verbi prolatio*, cum adest debitum *elementum*. — Si autem loquamur quantum ad *utilitatem*, dicendum, quod sacerdos *bonus* conficit ad utilitatem suam et assistentium; *malus occultus* ad damnum suum, nihilominus tamen ad utilitatem assistentium, qui cum fide et devotione Missam audiunt; sed *praecisus et haereticus* ad damnationem suam et omnium assistentium [7]. — Quia ergo in praecisis et haereticis manifestis privatur Sacramentum omni fructu, quamvis sit ibi corpus Christi verum; ideo loquuntur sacri canones et auctoritates Sanctorum, ipsorum sacrificia detestantes, non ratione *operis operati*, sed *damni*.

Duo attendenda. Conclusio 1. Conclusio 2. triplex. Corollarium.

1-5. Et sic solvuntur auctoritates, et sic credendum est intellexisse Magistrum [8].

Solutio oppositorum.

6. Ad illud autem quod obiicitur, quod non possunt praecisi, quia est Sacramentum unionis; dicendum, quod Sacramentum unionis est ratione efficientiae [9], et praecisi sine efficacia et fructu conficiunt.

7. Ad illud quod obiicitur, quod non possunt solvere; dicendum, quod non est simile: quia potestas solvendi est potestas ad alterum ordinata, quae non tantum consistit in *ordine*, sed in *iurisdictione*, quam non habet haereticus [10].

Notandum.

8. Ad illud quod obiicitur, quod privilegium debet amittere; dicendum, quod dignus est de se, sed tamen Dei largitas non subtrahit quod imprimit ut perpetuum; et quia talis est character sacerdotalis [11], ideo manet ad divinae largitatis gloriam et malorum perpetuam damnationem et ignominiam, et per consequens ad manifestandam Dei iustitiam.

Notandum.

9. Ad illud quod obiicitur, quod superior potestas potest cohibere inferiorem; dicendum, quod secundum illud potest cohibere, secundum quod superior; sed non est superior quantum ad potestatem conficiendi — omnes enim sacerdotes aequaliter possunt conficere — sed quantum ad debitam et ordinatam exsecutionem est superior, et quantum ad hanc bene cohibet. Unde si praecisus vel excommunicatus conficiat, facit quidem hoc, ad quod habet potentiam, sed tamen non facit debite et ordinate, immo ad damnationem suam [12].

Distinctio.

SCHOLION.

I. Opinio, cui favet Magister (hic c. 1.), quod sacerdotes excommunicati non possint valide eucharistiam consecrare, est prorsus erronea et obsoleta; quam etiam nonnulli antiqui doctores, ut Geroch Reichersbergensis († 1169, de quo vide Dr. Bach, Dogmengeschichte des Mittelalters, I. pag. 435 seqq.), Petrus Cellensis et Petrus Pictaviensis, discipulus Magistri, tenuerunt.

---

fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est... ipsa sunt. Cfr. C. *Quod quidam* (97.), C. 1. q. 1, ubi legitur tam *in unitate pacis* quam *ipsa vera sunt*.

[1] Cap. *Remissionem* (39.), cui Gratianus haec verba subiungit.

[2] Hug. a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 4.

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, et supra d. 5. a. 2. q. 1. fundam. 2.

[4] Hic in lit. c. 1.

[5] Vide supra lit. Magistri, d. VI. c. 2; et in Decretal. Causa 1. q. 1; Causa 24. q. 1; de Consecrat. d. 4.

[6] Codd. N aa addunt *scilicet corpus Christi verum* (cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.). Inferius post *corpus mysticum* iidem codd. N aa subiungunt *vel remissio venialium et augmentum virtutum* (cfr. supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3.).

[7] Cod. M *scienter assistentium*. Cfr. C. *Si quis dederit* (41.), C. 24. q. 1, et infra q. 4.

[8] Vide ea quae Gratianus ad C. *Quod quidam* (97.), C. 1. q. 1. sub § 5. seqq. notat.

[9] Codd. F I K *efficaciae*, econtra mox pro *efficacia* codd. G H *efficientia*. Cfr. supra lit. Magistri, d. IX. c. 2. seq.

[10] Codd. Naa subiungunt: *sed conficiendi est potestas absoluta*. Vide infra d. 19. a. 2. q. 2.

[11] Cfr. supra d. 6. p. I. q. 4. seq.

[12] Vide Gratian., loc. superius cit. § 3. et C. *Miramur, quomodo* (37.), § 1. C. 24. q. 1.

In eundem scopulum impegit Hugo a S. Vict., qui in *Quaestion. in Epist. S. Pauli* (q. 102.) ait: « Qui autem excommunicati sunt non videntur hoc [consecrare] posse ». Idem in opere ipsi a plerisque tributo *Sum. Sentent.* (tr. 6. c. 9.) eandem opinionem praefert, quod scilicet, « cum alia Sacramenta extra Ecclesiam possint fieri; haec nunquam extra ». Hic error eliditur duplici principio: primo scilicet, quod « Christus non deserit Sacramentum, etiam si habuerit malum instrumentum »; altero vero, quod potestas *ordinis,* distincta a potestate *iurisdictionis,* fundatur in sacerdotali charactere prorsus indelebili. Cfr. supra d. 5. a. 1, ubi in scholio citantur decreta Ecclesiae, quae generaliter de ministris Sacramentorum loquuntur, praesertim Concilii Trident. (Sess. VII. de Sacram. in genere can. 12, et de baptism. c. 4; item Sess. XIV. can. 10.). — Ultima propositio responsionis respicit sacerdotem excommunicatum et *vitandum* et leges disciplinares ea aetate vigentes; cfr. S. Thom., S. loc. infra cit. a. 9.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. m. 5. a. 1. § 4. 5. 6. — Scot., de hac et seqq. qq. hic in utroque Scripto q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. 4; S. III. q. 82. a. 7. 8. — B. Albert., hic a. 29. 30. — Petr. a Tar., hic q. unica a. 2. 3. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — De hac et seqq. qq. Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Quoad seq. (2.) quaestionem cfr. definitio Concilii Trident. (Sess. XXII. c. 1, can. 2, et Sess. XXIII. can. 1.) nec non Lateranensis IV. c. 1.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. 3. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

III. In 3. quaestione solvenda S. Doctor repetit cum summa moderatione eadem principia, quae posuit supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3, et quae saepius explicavit, praesertim supra d. 1. p. I. q. 3. 4, et III. Sent. d. 40. dub. 3. — De hac quaestione non invenimus explicite tractantes nisi Alexandrum Hal., loc. cit. q. 10. m. 4. a. 2. § 6. (quaestio: de comparatione ad ordinem sacrum).

IV. Quoad 4. quaestionem Innocentius III. in professione fidei praescripta Waldensibus docet: « In quo [sacrificio] nihil a bono maius, vel a malo minus perfici credimus sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus S. »; cfr. Magister, hic c. 1, supra d. 5. a. 2. q. 1; Breviloq. p. VI. 5. — Distinctio inter *opus operatum* et *opus operantis* est ab omnibus recepta.

De eadem quaestione: Alex. Hal. rem tangit loc. cit. m. 5. a. 1. § 4. 5. 6. — Scot., loc. cit., et Quodl. 20. praesertim n. 20. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 5; S. III. q. 82. a. 6. — B. Albert., hic a. 31. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. ad 5.

QUAESTIO II.

Utrum soli sacerdotes possint conficere.

Secundo quaeritur, utrum soli sacerdotes possint conficere. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia dicit Hugo[1]: « Ad istud Sacramentum concurrit ordo, intentio et actio ». Et hoc etiam dicit Magister, et habet consuetudo sanctae Ecclesiae.

2. Item, *ratione* videtur: quia in veteri testamento, ex quo templum est factum, solis sacerdotibus licebat offerre sacrificium[2]: ergo si figura fuit vera, et debet ei veritas respondere: patet etc.

3. Item, hoc Sacramentum est habendum in magna reverentia: ergo eius dispensatio non omnibus debuit concedi, ergo aliquibus est concessa, ergo alii non habent potestatem; sed illos quibus haec potestas data est, dicimus *sacerdotes:* ergo etc.

4. Item, Apostolus ad Hebraeos quinto[3] dicit, quod *pontifex constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis:* ergo qui non est sacerdos constitutus non potest.

4. Item, in omni gente, etiam inter idololatras, in quibus ponitur cultus, aliquibus personis specialiter committitur potestas offerendi, qui *sacerdotes* dicuntur: ergo si Ecclesia est ordinatissima, ergo videtur, quod Christus aliquibus hoc officium debuit dare. Sed distributio officiorum in Ecclesia debet esse ordinata ad unum: ergo hi solum hoc possunt, qui ad hoc per principes et pontifices Ecclesiae ordinantur; sed hi sunt sacerdotes[4]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Etsi solis sacerdotibus ex officio competat baptizare, tamen si laicus baptizat, baptizatum est[5]: ergo similiter, si conficit, confectum est.

2. Item, magis dignus est ministrare Deo bonus laicus quam impius sacerdos: ergo si ad sacerdotis mali invocationem Dominus convertit panem in corpus, multo fortius ad verbum laici boni[6].

3. Item, sicut Dominus solis discipulis dixit[7]: *Accipite,* et: *Quotiescumque feceritis* etc., ita dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes;* sed potestas baptizandi est concessa omnibus: ergo a simili et potestas conficiendi.

4. Item, beatus Petrus, primae Canonicae secundo capitulo[8]: *Vos estis gens sancta, regale sacerdotium;* loquitur ad omnes bonos: ergo etc.

---

[1] Sum. Sent. tr. 6. c. 4, ubi textus originalis *necessaria sunt* pro *concurrit.* — Magister hoc insinuat hic in lit. c. 1.

[2] Libr. II. Paralip. 26, 18, seqq., ubi sacerdotes regi Oziae restiterunt atque dixerunt: Non est tui officii, Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum etc. Cfr. ibid. 23, 18; 29, 21; 30, 16, et Hebr. 5, 4.

[3] Vers. 1.

[4] Cfr. C. *In novo Testamento post* (2.), d. 21.

[5] Ut ostensum est supra d. 5. a. 1. q. 1.

[6] Vide Alan. ab Insulis, II. contra Haereticos, c. 8: Dicunt [Waldenses], etiam se posse consecrare, ligare et solvere, quia *meritum* dat potestatem, non officium... Itaque non solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum [cuius virtute consecratio fit] in se ipso habet et eius figuram gerit per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est, ut benedictionem praestet.

[7] Matth. 26, 26. — Seq. textus est I. Cor. 11, 25. seq.; cfr. Luc. 22, 19; tertius est Matth. 28, 19.

[8] Vers. 9: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.

CONCLUSIO.

Soli sacerdotes possunt conficere eucharistiam.

Respondeo: Dicendum, quod soli sacerdotes possunt conficere, et si alii faciunt, nihil omnino faciunt. Et hoc quidem docet nostra *fides*, quam ab Apostolis percepimus, et ipsi a Domino; unde ordinaverunt Ecclesiam secundum Dei institutionem. Et quia Apostoli et eorum postmodum successores potestatem conficiendi personis specialibus contulerunt, quos et sacerdotes appellaverunt; ideo solum illis tenet fides licitum esse [1].

Conclusio.

Huic consonat *ratio:* quia Sacramentum illud, quod in magna reverentia habendum fuit, specialibus personis commissum est et committi debuit; aut ergo ratione *sanctitatis*, aut ratione *auctoritatis*. Si *sanctitatis*, ut dicunt haeretici; tunc ergo nemo est certus, utrum conficiat, et salus nostra pendet ex aliena bonitate. Si *auctoritatis;* et auctoritas potest tam bonis quam malis concedi, et hanc vocamus ordinem sacerdotii: constat ergo, quod illi soli possunt.

Ratio. Distinctio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod non est simile: quia illud est Sacramentum primum et necessarium [2] nec in tanta veneratione habendum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod bonus laicus est magis dignus; dicendum, quod non consideratur in potestate conficiendi *dignitas*, sed tantum *auctoritas*, quae est in sacerdotibus ratione characteris.

3. Ad illud quod obiicitur, quod solis Apostolis dictum est: *Accipite et comedite;* similiter: *Ite et baptizate;* patet responsio: sicut enim ipsi exposuerunt facto, aliter est *hoc* commissum, aliter *illud*. Sicut enim in Ecclesia instituerunt, patet, quod *indifferenter* baptizari [3] permiserunt, et specialem potestatem et auctoritatem personis *specialibus* contulerunt, maxime ad hoc Sacramentum conficiendum; hanc autem dicimus *ordinem*, et personae potestatem illam habentes vocantur *sacerdotes*.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod Sancti dicuntur *sacerdotes;* dicendum, quod non dicuntur *sacerdotes* ab oblatione corporis Domini, sed sui, quia unusquisque corpus suum offert *hostiam viventem*, ad Romanos duodecimo [4].

QUAESTIO III.

Utrum potestas consecrandi magis resideat circa sacerdotem, an circa verbum.

Tertio quaeritur, cum potestas sacerdotalis concurrat ad consecrandum et verbi virtus; quaeritur: circa quod magis residet potestas, an circa verbum, an circa sacerdotem? Et quod maior potestas circa *ministrum*, videtur:

Argg. pro 1. parte.

1. Quia Deus communicat virtutem rebus secundum congruentiam ipsarum; sed anima ministri, cum sit spiritualis et Dei imago, maioris virtutis est capax quam verbum sensibile [5]: ergo penes ipsum magis residet virtus.

2. Item, sacerdos operatur per verbum sicut per instrumentum; sed nobilior est potentia agentis quam instrumenti, sive virtus operandi magis est penes agentem quam penes instrumentum [6]: ergo etc.

3. Item, verbum est effectus sacerdotis; sed effectus non est maioris virtutis quam causa, quia « causa prima plus influit quam secunda [7] »: ergo sacerdos plus influit quam verbum, cum sit causa verbi.

Pro 2. parte.

Contra: 1. Sacerdos non potest nisi per virtutem *verbi;* sed « propter quod unumquodque, et illud magis [8] »: ergo etc.

2. Item, sacerdos non recitat illud verbum sicut suum, sed sicut Christi; sed verbum Christi plus potest [9] quam minister Christi: ergo magis residet penes verbum.

3. Item, verbum est de Sacramento isto; sed ordo est aliud Sacramentum: ergo Sacramentum [10] magis *per accidens* respicit consecrationem quam verbum; et si hoc, patet etc.

CONCLUSIO.

Secundum opinionem probabilem dici potest, unam esse potestatem conficiendi eucharistiam, consistentem in ministro et in verbo, ac potestatem sacerdotis quoad substratum esse nobiliorem.

Ad hanc quaestionem dupliciter respondetur secundum duplicem opinionem de virtute verbi [11]. —

[1] Cod. H supplet *conficere*. Quoad praecedentia cfr. Ioan. 20, 21; Matth. 28, 18. 19; Act. 20, 28; II. Cor. 13, 10.

[2] Vide supra d. 5. a. 1. q. 1. ad 2.

[3] Codd. O U *baptizare*. In fine solut. pro *potestatem illam* codd. F G *illum* [ordinem], plures alii *usum illum*.

[4] Vers. 1. Cfr. Ambros., V. in Luc. 6, 3. n. 33, IV. de Sacram. c. 1. n. 3; et August., XX. de Civ. Dei, c. 10, nec non Beda, in I. Petr. 2, 9. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Cfr. tom. II. pag. 398, nota 11. — De *maiori* vide Matth. 25, 15.

[6] Vide Aristot., II. Phys. text. 29. (c. 3.); V. Metaph. text. 2. (IV. c. 2.); VIII. Ethic. c. 11, et I. Polit. c. 3. (c. 2.).

[7] Secundum auctorem libri de Causis, propos. 1.

[8] Aristot. I. Poster. c. 2.

[9] Codd. R S T bb et ed. 1 *habet*, Vat. *potest vel habet*.

[10] Cod. E bene supplet *ordinis*.

[11] Supra d. 10. p. II. a. 1. q. 3. relatam.

Opinio 1. Quidam enim dicunt, quod verbum habet virtutem quandam, quae est *qualitas absoluta* et est sicut causa *efficiens* consecrationis. Et hi ponunt, quod potestas conficiendi principaliter residet penes *verbum*, et verbum illam virtutem habet, quia est verbum Christi. Et est exemplum de praecone sive nuntio, qui compellit populum per edictum regis; potestas quidem compellendi consistit principaliter in edicto [1]; et hanc habet, quia exit a rege. — Per hoc patent obiecta ad oppositum.

Opinio 2. Alia positio est, quod virtus verbi non est aliqua qualitas absoluta, sed solum *ordinatio ad talem effectum*, ut ad eius prolationem fiat, non ad prolationem factam a quolibet, sed ab habente Christi signaculum. **Conclusio 1.** Et secundum hanc positionem dicendum, quod *una* est potestas conficiendi, consistens in ministro et in verbo, sicut in litteris papalibus.

Quaestio circa exemplum. — Si quaeratur: ubi est maior vis, in verbo sive in scripto, an in sigillo? dicendum, quod *una* vis est in utroque, quia unum dat vim alii. Nam charta scripta sine sigillo non habet aliquam vim, similiter nec charta sigillata sine scripto. — **Ad argg.** Rationes autem ad utramque partem procedunt, ac si essent diversae potestates omnino.

Quaestio incidens solvitur. Et si quaeras: quomodo est *una* potestas in duobus? dicendum, quod *una* ordinatio est et virtus, et potestas illa est per ordinationem ad hunc effectum; nihilominus tamen haec tria quasi una ordinatione concurrunt, scilicet *ordo, verbum* et *elementum*. Penes *elementum* est ordinatio per modum potentiae *passivae;* penes *verbum* ordinatio per modum potentiae *activae;* similiter penes *sacerdotem,* sed in *sacerdote* potestas est ad modum *generalis* et primae [2], in *verbo* per modum *specialis* et immediatae. Cum enim potestas sit in *sacerdote* ad conficiendum et absolvendum; *verbo* tamen cum intentione prolato arctatur ad hoc, ut conficiat. Potestas autem illa in *sacerdote* ponit characterem, qui est qualitas absoluta nobilitans animam sacerdotis; in *verbo* secundum hanc opinionem nihil ponit novum, quod sit aliquid absolutum, sed *ad aliquid* [3]. Et ideo si quantum ad *substratum* loquamur, posset dici, quod nobilior est potestas sacerdotis, quantum ad id quod est in eo. **Conclusio 2.**

Ad 1. arg. pro 2. parte. Et quod obiicit in contrarium, quod non potest nisi per virtutem verbi; dici potest, quod verbum prolatum et habet *ordinationem* et habet *virtutem divinam assistentem.* Ratione *primi* se habet ad sacerdotem sicut instrumentum; ratione vero *virtutis assistentis* sicut agens nobilius; et de *illa virtute* concedo, quod nobilior est. **Notandum.** Sed tamen propter hoc non sequitur, quod *verbum* sit *nobilius;* bene tamen conceditur, quod *immediatius.*

Indicium de utraque opinione. Sic igitur duobus modis respondetur secundum duas opiniones. Quae autem harum opinionum verior sit, difficile est diiudicare, et difficilius videtur aliquam harum improbare. Nam prima, quae dicit, quod in verbo est virtus divinitus, dicit, hoc esse supra naturam secundum immensitatem divinae potentiae; et quis potest negare, quin Deus possit hoc facere? Et si potest, quis neget, quod det Sacramentis, si placet? Et etiam multae auctoritates [4] videntur hoc dicere. — Similiter quis audeat alteram improbare, quae dicit, quod in verbo est efficax ordinatio, et amplius ibi esse asserere non praesumit? Et hoc quidem verum est. Quis autem audeat arguere, si amplius non vult asserere, cum nec fides cogat, nec auctoritas compellat amplius dicere, maxime adhuc perspecta [5], quae non possit satis exponi hoc modo sine sensus distorsione? Et ideo, quia magis est sobria et magis intellectui consona, potest cui placet huic positioni satis adhaerere secure [6].

QUAESTIO IV.

Utrum melior sit Missa boni sacerdotis quam mali.

Quarto quaeritur, utrum melior sit Missa boni sacerdotis quam mali. Et quod non, videtur.

Argg. pro parte negativa. 1. Augustinus in libro de Corpore Christi [7]: « In mysterio corporis et sanguinis Domini nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote ».

2. Item, *ratione* videtur: quia unus non baptizat melius quam alius; nulli enim data est potestas *excellentiae* [8]: ergo pari ratione nec melius conficit.

3. Item, nihil quod in bonitate non potest crescere nec decrescere, fit a bono melius vel a malo peius; sed corpus Christi in bonitate non potest crescere nec decrescere: ergo Sacramentum est aequale a bono et a malo ministratum.

4. Item, si Missa dicitur melius ab uno quam ab alio, videtur secundum hoc, quod spes possit poni in homine; quod est inconveniens [9].

Pro parte affirmativa. CONTRA: 1. « Plura bona paucioribus bonis sunt

[1] Cod. aa addit *non in praecone*, et paulo superius post *regis* subiungit *ire alicubi.*

[2] Edd. *mediate.*

[3] Vide supra pag. 226, nota 1. — Superius post *characterem* cum codd. E aa substituimus *qui* pro *quae.* Cfr. supra d. 6. p. I. q. 1.

[4] Supra d. 1. p. I. q. 4. et d. 10. p. II. a. 1. q. 3. relatae. — Superius pro *divinitus* cod. O *divinitus data,* codd. R S *divina,* et pro *Sacramentis* Vat. *sacerdotibus.*

[5] Id est, (ut videtur) etiam si quam maxime perspiciatur.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Ita allegatur in C. *Intra catholicam* (77.), C. 1. q. 1, et ab Algero (cfr. hic lit. Magistri, c. 1.), sed est Paschasii Radberti, lib. de Corp. et sang. Domini, c. 12. n. 1.

[8] Ut ostensum est supra d. 5. a. 3. q. 1.

[9] Ier. 17, 5: Haec dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine. Cfr. supra d. 5. dub. 4.

meliora[1] »; sed in Missa mali sacerdotis hoc solum acceptat Deus, scilicet Christi corpus, in Missa boni acceptat omnes orationes et devotiones: ergo Missa boni est melior.

2. Item, melius est quod est fructuosius[2]; sed Missa boni sacerdotis est fructuosior, quia melius exauditur, et magis in ea ad devotionem homines provocantur: ergo est melior.

3. Item, si aeque bona est, ergo male prohibent sacri canones audire Missam ab haereticis et schismaticis et simoniacis et fornicariis notoriis[3].

Propter hoc quaeritur: quare magis horum Missam prohibent? et qui dicuntur *notorii fornicarii?* Quaestiones incid.

CONCLUSIO.

Quoad substantiale non differunt Missae sacerdotis boni, vel mali, sed tantum quoad aliqua circumadiacentia Missa mali minus valet.

RESPONDEO: Dicendum, quod de Missa est loqui quantum ad *substantiale,* quod est ibi, et hoc est confectio corporis et sanguinis Domini; et quantum ad hoc aequalitas est in omnibus, quia unum et idem ab omnibus fit. Sunt etiam in Missa aliqua *circumadiacentia,* sicut petitiones, orationes, obsecrationes et devotus modus[4] et affectus; et quantum ad hoc melius valet Missa boni sacerdotis, quia magis provocat ad devotionem. Et si quis libentius audiat Missam sacerdotis devotioris; credo, quod bene facit, dum tamen credat, ipsum in substantiali non superexcedere peccatorem; alioquin periculose erraret. — Rationes procedunt ad partes oppositas secundum has duas vias. (Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.)

Ad illud vero quod quaeritur: quare quorundam Missae audiri prohibentur? dicendum, quod hoc est in poenam peccati eorum, quia non sunt digni conficere; et si conficiunt, non sunt digni audiri. — Alia ratio est, ut confusi de culpa, redeant ad gratiam. — Tertia ratio est, ut alii retrahantur ab eorum imitatione[5]. Unde hoc est opus iustitiae, misericordiae et providentiae. (Ad 3. arg. pro parte affirm. Rationes 3.)

Ad illud quod quaeritur, quare magis illa quatuor genera peccatorum; dicendum, quod hoc est, quia directe repugnant Sacramento huic. Nam in hoc Sacramento est *secretum fidei,* et ideo repelluntur *haeretici;* est *vinculum caritatis,* ideo *schismatici;* est *vas gratiae,* unde *eucharistia*[6] dicitur, ideo *simoniaci,* qui gratiam emunt et vendunt; est *elevans* hominem *ad statum spiritualem,* ideo repelluntur *notorii fornicarii,* qui omnino sunt carnales. (Ad 1. quaest. incid.) — Et dicuntur *notorii fornicarii* non propter suspicionem, vel alia signa probabilia, sed secundum ordinem iuris condemnati de tali crimine, vel sponte in iudicio confessi, vel canonice convicti, vel etiam propter evidentiam facti sive sceleris. Et voco *evidentiam,* quando factum ita notorium est, quod non indiget testibus, cum nulla possit tergiversatione celari. Et hoc dicitur in quadam decretali de Cohabitatione clericorum et mulierum, *Vestra;* et infra[7]: « Sine dubitatione teneatis, quod a clericis et presbyteris fornicariis, quamdiu tolerantur nec habent operis evidentiam, licite divina mysteria audiantur, et alia recipiantur ecclesiastica Sacramenta ». — Ex hoc patet, quod omnes tales, quando conficiunt, peccant; et similiter, qui praeter necessitatem audiunt, quia faciunt contra Ecclesiae statuta[8]. (Ad 2. quaest. incid.)

ARTICULUS II.

De sumente eucharistiam.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de sumente.

Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum corpus Christi traiiciatur in ventrem muris.

Secundo quaeritur, utrum descendat in ventrem hominis.

QUAESTIO I.

Utrum corpus Christi traiiciatur in ventrem muris.

Et quod mus traiiciat in ventrem, videtur:

1. Quia qui sumit aliquid sumit et illud quod inseparabiliter est unitum; sed mus sumit species, et in illis speciebus est corpus Christi inseparabiliter: ergo etc. (Ad opposi-tum.)

2. Item, Deus magis refugit peccatum quam

---

[1] Aristot., III. Topic. c. 2.

[2] Cfr. Aristot., loc. cit., c. 1. et 4, ubi docet, utilius esse melius sive magis eligendum.

[3] Vide C. *Nullus Missam* (5.) et C. *Praeter hoc* (6.), d. 32. De haereticis, schismaticis et simoniacis agitur C. 1. q. 1. et C. 24. q. 1.

[4] Edd. *motus.* Inferius pro *devotioris* ed. 1 cum codd. R S bb *devoti.* Subinde pro *peccatorem* edd. *peccatoris Missam.*

[5] Secunda et tertia ratio insinuatur a Gratiano in C. *Praeter hoc* (6.), § 2. d. 32: Attamen decessores nostri Nicolaus et Gregorius a Missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut et peccandi licentiam ceteris auferrent et huiusmodi ad dignae poenitentiae lamenta revocarent. — Pro *providentiae* codd. E M *prudentiae.*

[6] Cfr. supra d. 8. p. 1. dub. 2.

[7] Cap. *Vestra duxit devotio* (7.), X. lib. III. tit. 2, ubi textus originalis, quem edd. sequuntur, voci *fornicariis* praemittit *quamquam.*

[8] Cfr. supra q. 1. in fine corp. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

creaturam quamlibet; sed corpus Christi traiicitur in ventrem peccatoris, si peccator sumit [1]: ergo et muris.

3. Item, quaero: quid mus comedit? aut *substantiam,* aut *accidentia.* Si *substantiam;* sed non est ibi nisi substantia corporis Christi: ergo manducat corpus Christi. Si *accidentia;* sed accidentia non sunt sine subiecto, nisi quamdiu est ibi corpus Christi: ergo si in ventrem muris descendunt accidentia, similiter videtur quod et corpus Christi.

4. Item, quid esset hoc inconveniens, cum videamus, corpus Christi ita esse in vase polluto, sicut in mundo [2]?

Contra: 1. Magister dicit in littera [3], quod non sumit corpus Christi.

2. Item, *ratione* videtur: quia qui masticando traiicit in ventrem aliquem cibum illum manducat: ergo si mus in ventrem traiicit, manducat; sed non *sacramentaliter* nec *spiritualiter* [4]: ergo nullo modo.

3. Item, si mus baptizetur in nomine Trinitatis, nihil reciperet magis, quam si in aqua simplici lavaretur, quia non est susceptibilis Sacramenti: ergo pari ratione nihil plus sumit, quam si comederet panem simplicem [5].

CONCLUSIO.

Praefertur opinio, quod casu illo occurrente, corpus Christi non descendit in ventrem muris.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duae fuerunt opiniones.

Quidam enim dicunt, quod corpus Christi continetur in illis speciebus inseparabiliter, quamdiu sunt Sacramentum. Sacramentum autem sunt per naturam panis et per naturam consecrationis verbi; et ideo, cum consecratio non dimittat hostiam, quamdiu salva est forma panis; tamdiu Sacramentum est, quamdiu forma panis salva est. Et ideo, cum Sacramentum sit contentivum veri corporis, secundum quod Sacramentum; tamdiu continet, quamdiu salva est species panis in modica parte. Et isti dicunt, quod ubicumque ponantur species, sive in loco mundo sive immundo, sive in ventre muris sive in loco alio, dicunt, quod ibi est corpus Christi. Et quia videntur corpori Domini derogare et Sacramento; dicunt, quod hoc potius est in laudem utriusque. Nam corpus Christi non patitur iniuriam aliquam, cum sit glorificatum et inquinari nullo modo possit. Sacramentum etiam laudatur, quod adeo est sacrum et rei nobili coniunctum, quod non potest separari vel auferri sibi continentia ex aliquo [6], dum salva sit forma. Et quia ubicumque est Sacramentum, et species illae sunt sanctissimorum symbolorum, in quibus est Christus; ubicumque est, nobiliter est. Dicunt etiam, quod nos in hoc reprehendimur, quod loca humilia despicimus et vestimenta mutamus, cum Christus, ubicumque collocetur illa species, esse habeat; cum etiam non relinquat illud operimentum, quousque sit corruptum. — Et *si tu obiicias tunc,* quod mus manducat; respondent, quod falsum est, quia nec *sumere* debet dici corpus Christi nec *manducare,* cum nullo modo ipsum attingat, nec per convenientiam in natura [7] nec per cognitionem quantulamcumque nec per dilectionem. — Quantumcumque autem haec opinio muniatur, nunquam tamen adeo munitur, quin aures piae hoc abhorreant audire, quod in ventre muris, vel in cloaca sit corpus Christi, quamdiu species ibi subsistunt.

Opinio 1. Obiicitur. Non probatur.

Propter hoc est alia opinio, quod corpus Christi nullo modo descendit in ventrem muris. — Ratio autem, quae hos movet, est: quia Christus non est sub illo Sacramento nisi eatenus, qua ordinabile est ad usum humanum, scilicet ad manducationem; sed sicut mus rodit, ita et inhabile facit, et ita Sacramentum esse desinit, et corpus Christi ibi esse desinit, et substantia panis redit; sicut Innocentius dicit, et auctoritas supra habita est distinctione praecedenti [8], ubi quaesitum est, utrum accidentia nutriunt. Et haec opinio communior est et certe honestior et rationabilior.

Opinio 2. et conclusio. Ratio. Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod inseparabiliter est unitum speciebus; dicendum, quod verum est, quamdiu habent rationem Sacramenti et sunt habiles ad usum humanum; hoc autem non est, cum mus comedit.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis detestatur peccatum; dicendum, quod in peccatore et est *natura* et est *culpa;* et quamvis *culpa* displiceat, tamen *naturam,* quam fecit, non odit; immo tantum diligit, quod paratus est remittere culpam, si ipse consentiat [9]; et ratione habilitatis naturalis idoneus est peccator sumere magis quam mus —

Notandum.

---

[1] Cfr. quaest. seq. et supra d. 9. a. 2. q. 1. — In conclusione lectioni codd. *ergo et mus* substituendum duximus *ergo et muris;* edd. *ergo et in ventrem muris, si voret et sumat.*

[2] Praepositivus, S. p. IV. tr. de euchar. circa finem, simile arg. tribuit *Magistro Oddoni.*

[3] Hic c. 1. in fine.

[4] Vide supra d. 9. a. 1. q. 2. seq. — Vat. post *traiicit* addit *aliquem cibum, illum manducat: ergo si mus in ventrem corpus Christi traiicit.* Post *sed non* codd. F G supplent *manducat.*

[5] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 3. in corp.

[6] Edd. *ab aliquo.* Mox pro *dum* cod. K (I a secunda manu) *dummodo.*

[7] Vide supra d. 9. a. 1. q. 3. in corp.

[8] Partis I. a. 2. q. 1. ad 1. — Permulti codd. et ed. 1 *distinctione prima* [codd. F G congruentius *proxima*] *praecedenti.*

[9] Sap. 11, 24. seq.: Sed misereris omnium... et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. — Superius post *displiceat* cod. X supplet *Deo.*

quamvis mus non sit peccator — quia nunquam peccatum ita vitiat nec corrumpit naturam rationalem, quin sit nobilior quam irrationalis [1].

3. Ad illud quod quaeritur: quid comedit? respondetur dupliciter secundum duas opiniones: vel quod comedit *accidentia,* quae sunt virtute supra naturam possibilia converti in substantiam; vel quod comedit *substantiam panis,* quae redit, sicut superius [2] tactum fuit.

Quaest. incid. solvitur. Si *quaeras:* quid fit de corpore Christi? Nunquid evolat? dicendum, quod sicut in panis conversione corpus Christi non descendit *localiter* nec mutatur aliqua mutatione, sed sola panis conversione incipit esse sub illis speciebus; sic sola panis reversione desinit esse ibi, ita quod nulla fit in eo mutatio, nec localis nec alia. Notandum. *Qui potest capere capiat* [3], et qui non, credat, et hoc sibi sufficiat.

4. Ad illud quod obiicitur de vase polluto, dicendum, quod non est simile; quia adhuc pollutio vasis non aufert habilitatem ad usum, ac per hoc non aufert, quin sit Sacramentum, et ita non tollit contentum [4].

SCHOLION.

I. Opinionem 1. hic relatam cum B. Alberto et Scoto defendit S. Thom. (IV. Sent. d. 9. q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; S. III. q. 80. a. 3. ad 3.), eamque veriorem esse iudicant Alex. Hal., Petr. a Tar. et posteriores communiter, ita ut alia antiqua opinio, quae fuit Magistri, dici possit obsoleta.

De hac 1. quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 2. § 1. — Scot., Report. IV. Sent. d. 8. q. 3. n. 2. — B. Albert., hic a. 38. et d. 9. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. unica a. 6. — Richard. a Med., IV. Sent. d. 9. a. 1. q. 3. — Durand., IV. Sent. d. 9. q. 3. — Dionys Carth., IV. Sent. d. 9. q. 1.

II. Etiam in seq. (2.) quaestione S. Doctor recedit ab aliis, cum praeferat secundam opinionem ac censeat, primam, quae videtur esse nunc communis, sicut et quartam, esse minus probabilem; non tamen hoc docet cum assertione explorata, sed secundum probabilitatem; immo supra d. 12. p. I. a. 3. q. 1. ad 3. potius primam opinionem docere videtur. — Tangitur hic etiam alia quaestio, scilicet *quo tempore* eucharistia producat effectum suum principalem, qui est augmentatio gratiae; de quo variae fuerunt opiniones. Supra d. 12. p. I. a. 3. q. 1. ad 3. (cfr. d. 9. a. 1. q. 2.) docetur, manducationem non esse completam, nisi postquam fuerit traiectio in stomachum, et cum hac coniungi incorporationem.

De hac (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 4. § 3. — Aliorum mens patet ex solutione praecedentis quaestionis et ex locis, ubi loquuntur de manducatione corporali eucharistiae (supra d. 9.) et de praesentia Christi sub speciebus, donec hae non sint corruptae.

QUAESTIO II.

Utrum corpus Christi descendat in ventrem hominis.

Secundo quaeritur, utrum corpus Christi descendat in ventrem hominis. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Auctoritate: de Consecratione, distinctione secunda [5]: «Qui residua corporis dominici, quae in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad percipiendos communes cibos conveniant, ne putentur sacrae participationi commisceri»; sed hoc non diceret, nisi descenderet in ventrem: ergo etc.

2. Item, Beda ibidem [6]: «Si quis per voracitatem vel edacitatem eucharistiam vomuerit, quadraginta diebus poeniteat»; sed non vomitur, nisi quod traiicitur: ergo etc.

3. Item, corpus Christi coniunctum est illis speciebus, quamdiu manent sub formis suis; sed non statim transmutantur, immo descendunt in ventrem sub suis proprietatibus: ergo et corpus Christi cum eis.

4. Item, corpus Christi aut vadit in *ventrem,* aut in *mentem;* non in *mentem,* quia solus Deus illabitur [7]: ergo in *ventrem.*

5. Item, pro quanto dicitur corpus Christi manducari sacramentaliter? Si propter *masticationem* tantum; ergo si quis masticaret species et spueret, diceretur sacramentaliter manducasse; quod falsum est: ergo oportet, quod non tantum fiat masticatio, sed etiam incorporatio. Sed si species sine contento transmittuntur in ventrem, desinunt habere Sacramenti rationem: ergo propter hoc non erit manducatio sacramentalis: necesse est ergo, quod manducet corpus verum [8].

6. Item, quod inconveniens est, si descendat in ventrem? Videmus enim, corpus lucis per omnia transire incoinquinatum nec aliqua refugit, nec

---

[1] August., de Quantit. animae, c. 34. n. 78: Et si quando est aliquid horum [quae Deus creavit] melius [anima humana], hoc peccato eius fit, non natura. Quo tamen non usque adeo fit deterior, ut ei pecoris anima praeferenda aut conferenda sit.

[2] Hic in corp. et supra d. 12. p. I. a. 2. q. 1. ad 1.

[3] Matth. 19, 12.

[4] Can. *Qui bene* (94.), de Consecrat. d. 2. illi, ex cuius negligentia Sacramentum a mure comeditur, poenitentia 40 dierum infligitur.

[5] Can. *Tribus gradibus* (23.), § 1, ubi textus canonis in fine legit: *ne putent sanctae portioni miscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur* (Vat., quae sequitur textum canonis, *effunditur*). Non pauci codd. *nec putentur* pro *ne putentur.*

[6] Can. *Si per ebrietatem vel voracitatem eucharistiam* (28.). Habetur in libro de Remediis peccatorum (inter opera dubia Bedae), c. *de Ebrietate.*

[7] Vide supra pag. 287, nota 4, et tom. III. pag. 643, nota 4. — De *maiori* cfr. supra pag. 275, nota 7. — Vat. cum uno alteroque cod. supplet *menti.*

[8] Cfr. supra d. 9. a. 1. q. 3. — Edd. *manducetur corpus Christi verum.*

munda nec immunda: ergo similiter, immo multo fortius, Christi corpus gloriosum[1].

Ad oppositum.

Contra: 1. Matthaei decimo quinto[2]: *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur;* sed corpus Christi non emittitur in secessum: ergo constat, quod ab ore non vadit in ventrem.

2. Item, Ambrosius[3]: «Non est iste panis, qui vadit in corpus, sed panis vitae aeternae, qui animae substantiam fulcit».

3. Item, *ratione* videtur: quia constat, quod corpus Christi non est cibus ventris, sed mentis[4]: ergo non transit in ventrem, sed in mentem.

4. Item, si transit in *ventrem,* vadit ad officia ventris, quae sunt digerere et distribuere et ad singulas partes transmittere, vel emittere in secessum; sed hoc falsum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Relatis quatuor opinionibus, securior declaratur ea quae asserit, quod corpus Christi manet in stomacho sub speciebus, quamdiu hae sunt sub propria forma et habent rationem reficiendi.

Respondeo: Dicendum, quod *in ventrem ire* est dupliciter: aut quantum ad *substantiam,* aut quantum ad *cibandi efficaciam*[5]. Primo modo descendit aliquod corpus in ventrem, etiam si non sit cibus; secundo modo non nisi cibus. — Similiter *in mentem ire* est dupliciter: aut quantum ad *substantiam,* et sic vadit illud quod illabitur animae, et hic est solus Deus; aut quantum ad *efficaciam,* et sic dicitur *ire in mentem* quod ipsam reficit. — Si ergo loquamur quantum ad *cibandi efficaciam;* sic certum est, quod corpus Christi non vadit in ventrem, sed in mentem, quia caro Christi non reficit ventrem, sed mentem, sicut ostendunt quatuor rationes ultimae. — Si autem loquamur quantum ad *substantiam;* sic certum est, quod non vadit in mentem. Sed utrum vadat in ventrem, dubium est propter diversitatem opinionum. Unde notandum, quod quatuor fuerunt hic opiniones.

(Distinctio 1. — Distinctio 2. — Conclusio 1. — Conclusio 2.)

Opinio 1. Aliqui enim dixerunt, quod non solum in ventrem, sed etiam vadit quocumque illae species deferuntur, salva illarum natura, sive in ventrem muris sive in locum immundum[6].

Opinio 2. Aliqui dixerunt, quod non solum in ventrem hominis vadit, sed ibi manet, quamdiu species illae sunt ordinabiles ad refectionem. Unde dixerunt, quod in ventrem vadit et moratur, quousque refectionis operatio compleatur.

Opinio 3. Aliqui dixerunt, quod ad ventrem pervenit, quousque sint in *sumtum esse*[7], et amplius non moratur.

Opinio 4. Aliqui dixerunt, quod solum est cum illis speciebus, quamdiu sunt cum aliquo sensu, ut visu, vel gustu. Et hoc dicunt quod sensit Hugo[8], qui dicit: «In visu, tactu et sapore tecum est; quamdiu sensus corporalis afficitur, praesentia corporis non aufertur; postquam autem sensus corporalis percipiendo deficit, deinceps corporalis praesentia quaerenda non est, sed spiritualis retinenda: dispensatio completa perfectum est Sacramentum, virtus manet, Christus de ore transit ad cor; melius est, ut eat in mentem tuam quam in ventrem».

Ratio harum opinionum. Ratio autem diversitatis harum opinionum haec est: omnes enim in hoc consentiunt, quod tamdiu est corpus Christi in illis speciebus, quamdiu est ratio Sacramenti. Dicunt igitur primi, quod species panis consecrati tamdiu est Sacramentum, quamdiu *est species panis,* cum virtus consecrationis ipsam respiciat, secundum quod est panis; ideo nunquam desinit[9], illa proprietate salva. Et ex hoc oritur positio prima. — Alii vero dicunt, quod ratio Sacramenti tantum salvatur, quamdiu species *habilis est ad refectionem humanam;* ideo enim instituta est et ad hoc ordinatur, et hoc habet, quando est extra et in stomacho, quia reficit. Et ex hoc oritur secunda positio. — Tertii dicunt, quod tamdiu salvatur, quousque recipiatur in *usum manducationis;* et quando manducatio completa est, iam Sacramentum non est, sed fuit. Et ex hoc habet ortum tertia positio. — Alii dicunt, quod quia Sacramentum est signum, et signum est quod se offert sensibus[10], quod tamdiu species est Sacramentum, quamdiu *nata est sentiri ab aliquo sensu;* et ideo, cum deficit perceptio sensuum, deficit ratio Sacramenti et praesentia corporalis.

(Pro 1. opinione. — Pro 2. opinione. — Pro 3. opinione. — Pro 4. opinione.)

Iudicium de 1. opinione. Quid autem in tanta diversitate tenendum est, difficile est iudicare. Videtur tamen prima opinio,

---

[1] Similitudine lucis utitur etiam respectu huius Sacramenti August., in Ioan. Evang. tr. 5. n. 15.

[2] Vers. 17.

[3] Libr. V. de Sacram. c. 4. n. 24. Cfr. supra lit. Magistri, d. XII. c. 4.

[4] Vide supra pag. 275, nota 7.

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. IX. c. 2. verba Gregorio tributa.

[6] Vide quaest. praeced. — Inferius post *sed* edd. supplent *etiam.*

[7] Scilicet quousque species sumtae (manducatae) sint, sive ut Vat. (secuta Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 4. § 3.) legit *quousque sumtio compleatur;* cfr. inferius iudicium Bonav. de hac opinione. Ed. 1 *quousque incipiant consumi.* Eadem ed. 1 cum non paucis codd. *perveniunt* pro *pervenit* (corpus Christi), et mox cum fere omnibus codd. *morantur* pro *moratur.* Alex. Hal., loc. cit., habet: Aliqui dixerunt, quod ad ventrem pervenit et manet ibi, usquequo sumtio completa sit, et amplius non moratur.

[8] Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 13: In visu, in tactu, in sapore corporaliter tecum est. Quamdiu sensus corporaliter afficitur... sensus corporalis in percipiendo... Melius est tibi, ut eat etc.

[9] Cod. O *deficit,* plurimi codd. *deserit.* Inferius pro *tantum* edd. *tamdiu.*

[10] Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 3. verba Augustini.

quae dicit, quod defertur, quocumque[1] *species deferantur,* nimis ampla; quia tunc et mus in ventrem traiiceret, et in cloacam descenderet; quod aures piae abhorrent; et si diceremus, haeretici et infideles deriderent nos et irriderent. — Similiter (De 4. opinione.) quarta opinio, quae dicit, quod deficit, deficiente sensu illarum specierum, videtur esse nimis arcta. Nunquam enim secundum hoc posset dici, corpus Christi *sumi* vere, cum non dicatur sumtus esse cibus, qui non percipitur nec pervenit usque ad stomachum. Unde nec verbum Hugonis intelligendum est quantum ad *actum* sentiendi, sed quantum ad *idoneitatem.* Et *praeterea,* sensus non tantum est in gustu linguae, sed etiam sentit homo descensum cibi, quousque quiescat in stomacho.

De duabus positionibus mediis, quae sit verior, (De 2. et 3. opinione. Conclusio 1.) non est facile iudicare, cum utraque multum sit probabilis. Probabile enim est, quod sumtione completa et manducatione, cum iam Sacramentum habuit finem suum, propter quem erat, desinit esse Sacramentum; et hoc dicit Hugo de sancto Victore[2] et videtur hoc sensisse. Dicit enim sic: «Postquam manducasti, si corporalem praesentiam Christi quaeris, in caelo quaere, ibi est ad dexteram Patris»; et hoc videtur satis probabile. Quamdiu enim Christus est sub speciebus illis, est adorandus; sed stultus esset qui adoraret Christum in ventre manducantis.

Secundum hanc positionem satis patet responsio ad obiecta, exceptis his quae de *commixtione* et (Ad 1. et 2. fundam. secundum 3. opinionem.) *vomitu* obiiciunt, ad quae potest responderi: primum, quia decretum non dicit, quod *commisceantur,* sed *commisceri putentur.* Secundo vero, quod dicit Beda, quod aliquis *vomit,* hoc dictum est[3], et poena imposita, non nisi quia species illae fuerunt contentivae dominici corporis; et ideo in magna reverentia sunt habendae, maxime quia fuerunt sanctissimis symbolis consecratae; et ideo comburuntur, et cinis debita reverentia reservatur. Ille autem, qui vomit, graviter punitur, quia, quantum in se est, vomit corpus Christi; et sic de illo dicendum esset, qui[4] proiiceret in cloacam. — Sic potest ista opinio satis probabiliter sustineri.

Nihilominus tamen alia videtur *securior* et (Conclusio 3.) auctoritatibus magis concordare, quod corpus Christi cum illis speciebus descendit ad stomachum et sub illis est, quamdiu illae sunt sub propria forma et habent rationem reficiendi, quia secundum ordinationem ad refectionem humanam Sacramentum erant[5]; unde concedunt, quod corpus Domini est in stomacho, quia ibi sunt species ut cibus; et ideo, si evomuntur species, evomitur eucharistia, et si species possit ab aliis discerni, sumenda esset. Si autem species illae transeant stomachum indigestae per aliquam infirmitatem, tunc sunt extra proprietatem refectionis; et ideo, si vadant in secessum, non est ibi corpus Domini. — Utrum autem hoc sit (Iudicium auctoris.) *verum,* nescio; tamen *securum* mihi videtur, quod si quis evomat species perceptibiles, magna reverentia est exhibenda; et magna diligentia adhibenda, ne quis evomat; et periculum est ei dare, de quo praesumeretur, quod non possit tenere. — Secundum hanc positionem satis patet responsio ad obiecta. Poena autem imponenda evomentibus determinatur satis de Consecratione, distinctione secunda[6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Augustinus: *Nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote.* Videtur enim ex hoc, quod malus sacerdos aequaliter perficiat ea quae spectant ad Missam, ut bonus; et ita videtur, quod sicut bonus sacerdos non peccat, ita nec malus.

Quaeritur ergo de sacerdote, qui scienter ma- (Casus 1.) lus est et tenetur conficere, propter hoc quod habet parochiam: quid debet facere? Si dimittit, peccat; si conficit, facit contra conscientiam; et ita videtur esse perplexus. — Quaeritur etiam de sacerdote, (Casus 2.) qui non tenetur celebrare, si, postquam indutus fuerit, occurrat ei remorsus de aliquo mortali, utrum debeat desistere, an procedere.

Respondeo: Dicendum, quod sacerdos aut *tenetur* ad celebrandum, aut *non.* Si *non tenetur,* (Ad 2. casum.) credo, quod non debet accedere, nisi prius fuerit contritus et etiam confessus; et quantumcumque contritus sit, nisi prius confiteatur, si[7] mortale est, non credo, quod bene faciat celebrando sive accedendo. — Si autem occurrat ei aliquis casus in

---

[1] Ex cod. aa suffecimus pro *quousque,* suffragante Alexandro Hal., *quocumque.* Cfr. supra de 1. opinione.

[2] Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 13: «Quid factum est de corpore Christi, postquam illud sumsi et manducavi? Audi ergo. Corporalem praesentiam Christi quaeris? In caelo quaere. Ibi Christus est ad dexteram Dei Patris sedens [Marc. 16, 19]». In fine cap. ait: Post haec ergo si corporalem praesentiam Christi quaeris, in caelo quaere. Ibi quaere, ubi et prius fuit etc.

[3] Edd. addunt *de specierum vomitu.* Superius pro *primum* et *Secundo* edd. *Ad primum* et *Ad secundum.*

[4] Edd. *ac si.*

[5] Scilicet species. — Edd. cum pluribus codd. *erat.* Superius pro *quia secundum* edd. *et secundum.* Aliquanto inferius pro *per aliquam* Vat. *propter aliquam.*

[6] Can. *Si per ebrietatem* (28.)... evomuerit, 40 diebus poeniteat, si laicus est; clerici vel monachi, seu diaconi et presbyteri 70 diebus poeniteant; episcopi 90. Si pro infirmitatis causa evomuerint 7 diebus poeniteant. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vat., omisso *confessus; et,* hic legit: *si remorsus est de mortali. Si autem non est de mortali, credo* etc. Aliquanto inferius pro *in tali statu* codd. F G aa *in tali casu.*

Missa, vel mortale peccatum, de quo non fuit contritus; in tali statu potest occurrere, quod si habet sacerdotis copiam, debet confiteri, si habet aptitudinem horae, utpote ante canonis inchoationem. Si non habet, dixerunt aliqui, quod si adest populus, sufficit contritio cum proposito confitendi, quia scandalizaret populum, si dimitteret; si autem non timeret scandalum, consulunt dimittere, maxime cum nihil cogat. — Verumtamen credendum est, quod sine peccato potest quod inchoatum est perficere; si propositum confitendi habet cum contritione [1], totum suppletur; nec video ibi contemptum.

Aliorum solutio.

Solutio auctoris.

Si autem *tenetur* cantare et non habet copiam sacerdotis; dico, quod tenetur se praeparare per contritionem et propositum confitendi; et ita sufficit ad hoc, quod non peccet, si accedat cum verecundia et reverentia. — Si autem non se praeparet, et cantat; dico, quod peccat peccato *omissionis*, cum omittit conteri; alio etiam peccato, si est *occultus simoniacus* [2]; si *manifestus*, dico, quod *scandalizat;* si autem *prohibitus ab Ecclesia*, peccat omnibus his modis et peccato transgressionis. — Sed intelligendum est semper, quod unum est peccatum, et reliqua omnia sunt sicut annexa sive circumstantiae aggravantes, sicut si aliquis occidat homines propter lucrum [3].

Ad 1. casum.

Notandum.

Sed quid dicemus de eo cui accidit remorsus de irregularitate? Tunc ibi non est remedium contritionis nec etiam confessionis.

Casus 3.

Ad hoc respondent aliqui, quod cum irregulari sit prohibitum conficere hoc Sacramentum, et cum irregularitas non deleatur per contritionem, sed solum per dispensationem, quod quantumcumque adsit populus, et scandalum timeatur — cum « non sit faciendum contra veritatem vitae propter scandalum [4] » et contra praeceptum — quod tenetur aut deponere conscientiam irregularitatis, aut dimittere Missam; et hoc, dico, ante consecrationem, et maxime ante inchoationem canonis.

Resp. 1.

Aliqui dicunt, quod prohibitio propter irregularitatem ad ipsum non se extendit, maxime cum accessit sine conscientia irregularitatis. Unde propter reverentiam Sacramenti et scandalum populi dicunt, quodsi dolet et libenter faceret quod in se esset, dicunt, a Domino esse dispensatum *ut tunc*.

Resp. 2.

Si vero quaeritur de illo qui inciperet [5] habere conscientiam, quod non esset sacerdos; hic dicendum dupliciter; quod aut debet dimittere Missam ante consecrationem, aut conscientiam; et debet fingere infirmitatem. — Ideo sanum consilium est, quod homo se ante diligenter praeparet et in Missa non cogitet de se, sed magis de Sacramento.

Casus 4.

Notandum.

Dub. II.

Item super hoc quod dicit: *Nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur*, quaeritur: quis magis peccat, utrum scilicet sacerdos malus, qui conficit et non sumit, an ille qui utrumque facit? Et videtur, quod ille magis, qui utrumque facit, quia plus praesumit, et maior est irreverentia. — Item, quaeritur, quis plus peccet, utrum ille qui propter timorem et reverentiam nihil audet facere, an ille qui conficit. Et videtur, quod magis ille qui conficit, quia facit maiorem contumeliam Sacramento, alter reverentiam. — Similiter quaeritur de illo qui tantum sumit corpus et non sanguinem.

Quaestio 1.

Quaestio 2.

Quaestio 3.

Respondeo: Dicendum, quod gravius peccat ille qui simulat se facere, quam ille qui conficit et non sumit; et gravius ille qui conficit et non sumit, quam ille qui conficit et sumit; et gravius ille qui conficit et sumit partem, quam ille qui conficit et sumit totum [6].

Ad 2. quaest.

Ad 1. et 3. quaest.

Et ratio huius est, quia irreverentia potest fieri Sacramento uno modo, quia ille qui ministrat, est indignus, nihilominus tamen facit, sicut Ecclesia instituit; alio modo, quia non solum est indignus, sed etiam in ipsa celebratione non servat ritum, quem debet; et tunc non solum exhibet *irreverentiam*, sed etiam facit *contumeliam*, quia Sacramentum non perficit, sed dimittit incompletum. Et ideo ordinatum est, ut nullus se simulet celebrare, in decretali de Missarum celebratione, libro tertio [7] *De homine*, et infra: « Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere qui fraudulenter illud praesumserit simulare, cum ille in solius Dei misericordis manum incidat, iste vero non solum Deo, cui non veretur illudere, sed populo, quem decipit, se astringat ». Ordinatum etiam est, ut qui conficit communicet, de Consecratione, distinctione secunda [8], ex Concilio Toletano: « Certum est, quod hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici

Distinctio.

---

[1] Plures codd. addunt *et* ante *cum*, edd. *et si* cod. U habet *et contritionem*, post *suppletur* addito *per hoc;* quae lectiones propositionem conditionalem coniungunt cum praecedente.

[2] Ex codd. F G supplevimus *simoniacus*, cum lectio edd. manifeste sit incompleta.

[3] Cfr. infra d. 17. p. III. a. 2. q. 3.

[4] Vide supra pag. 86, nota 6. in fine.

[5] Edd. *solet*, quae subinde post secundum *aut* perperam prosequuntur, *debet conscientiae fingere infirmitatem*. Circa finem solut. pro *se ante* non pauci codd. *tantum*, cod. X *se ante Missam tantum;* post *praeparet* cod. H *ut et in Missa*.

[6] Ultimum membrum *et gravius ille* usque *totum* desideratur in edd.

[7] Tit. 41. c. 7. Decretum est Innocentii III. Cfr. tom. III. pag. 211, nota 8.

[8] Can. *Relatum est nobis, quosdam* (11.), qui est Concilii Toletani XII. (an. 681). Textus originalis (quem Vat. et ed. 1 sequuntur) post *dominici Sacramenti* prosequitur: Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privavit gratia communionis anno uno repulsum se noverit.

Sacramenti et ab ipsa qua se indecenter privaverunt gratia communionis uno anno se repulsos noverint». Ordinatum est etiam, ut sanguinem sumant; unde de Consecratione, distinctione secunda [1], Gelasius Papa: «Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia divisio unius et eiusdem mysterii sine grandi non potest sacrilegio provenire».

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Recolite nomen et veritatem advertite. Missa enim* Quaestio 1. *dicitur* etc.: quare scilicet *Missa* sic nominatur; et si in omni sacrificio mittitur hostia? — Item Quaestio 2. quaeritur: quare non dicitur: *Ite, Missa est,* in qualibet Missa? — Quaestio 3. Item, quaeritur de hoc quod dicit, *quod caelestis missus adveniat ad consecrandum corpus.* Ex hoc enim Augustini verbo videtur, quod Angelus consecret corpus Domini et conficiat. — Contra hoc est, quod actio ista est omnino supra naturam angelicam.

Ad quaestiones 1. et 3. Respondeo: Dicendum, quod, sicut tangitur in littera [2], *Missa* dicitur, quia mittitur caelestis missus. Caelestis iste missus, sicut exponit Innocentius, est *magni consilii Angelus.* Iste, inquam, mittitur ad consecrandum, quia iste est sacerdos invisibilis, qui consecrat et conficit hoc Sacramentum, ubicumque conficiatur [3]. — Unde non valet illa ratio in contrarium, qua obiicit de angelico ministerio; non tantum enim est *haec* missio, sed etiam est missio sacrificii ad Deum *per summum Angelum,* scilicet Christum, assistentibus magnis Angelis. Propter quod in fine dicitur: *Ite, Missa est;* et propter hoc *Missa* recte appellatur. Unde Hugo [4]: «Ipsa hostia sacra *Missa* vocari potest, quia transmissa est primum, scilicet a Patre, ut esset nobiscum; postea a nobis Patri, ut apud Patrem pro nobis intercederet: primum a Patre nobis per incarnationem; secundum a nobis Patri per passionem. Similiter in Sacramento primum a Patre nobis per sanctificationem, qua nobiscum esse incipit; postea a nobis Patri per oblationem, qua pro nobis intercedit».

Sed tunc est quaestio: quare non dicitur in Ad quaest. 2. fine cuiuslibet Missae: *Ite, Missa est?* Respondeo: Dicendum, quod etsi quaelibet Missa totum corpus Christi mysticum respiciat, sicut patet per triplicem hostiae partitionem [5]; tamen secundum istam differentiam triplicem contingit Missas tripliciter appropriari. (Triplex appropriatio.) Quaedam enim celebrantur specialiter ad honorem Sanctorum; et quia ipsi sunt in tuto iam et sunt coram Deo, ideo in talibus licentiatur populus et dicitur: *Ite, Missa est,* quasi: festinate *ingredi in illam requiem* [6]. — Quaedam specialiter ad salutem vivorum; et quia non sumus certi de salute nostra, ideo debemus continue solliciti esse, ne per nostram ignaviam in nobis Missae efficacia evanescat. Ideo dicitur in Missa in fine omni tempore: *Benedicamus Domino,* secundum illud Prophetae [7]: *Benedicam Dominum in omni tempore.* — Quaedam specialiter ad requiem defunctorum, et in illis dicitur: *Requiescant in pace.*

Dub. IV.

Item super hoc quod dicit Magister: *Ne autem ignores, quid faciat haereticum,* quaeritur, unde dicatur et pro quanto dicatur *haereticus.* Si enim dicas, quod *haereticus* dicitur, quia errat; hoc est contra Augustinum, qui dicit primo de Trinitate [8]: Errare potero, sed haereticus esse non potero. *Si tu dicas,* quod *haereticus* dicitur, quia divisus a communione fidelium; ergo excommunicatus et schismaticus dici debet *haereticus.* — Quaeritur ergo, pro quanto quis dicatur *haereticus;* (Quaestiones 1. et 2.) et in quo differant *haeresis, secta* et *superstitio.*

Respondeo: Sicut dicit Isidorus in libro Etymologiarum [9]: (Ad 1. quaest.) «Haereticus dicitur ab *haeresis* Graece, quod est *electio* Latine»; et quamvis electio sit bonis malisque communis, tamen haereticus ipse non ex dono Dei, sed ex propria auctoritate et ex proprio sensu accipit aliquam sententiam falsam. Nam «omne verum a Spiritu sancto est, a quocumque dicatur [10]». Hanc autem non dicitur eligere, quandocumque *opinatur* aliquod falsum, sed quando falsum *praeoptat* et *pertinaciter credit* et *paratus est defendere,* sive ipse finxerit, sive alius. Unde talis definitio potest dari: haereticus est qui divinae legis ignorantia vel contemptu, pertinax inventor proprii erroris, aut alieni sectator, catholicae (Definitio haeretici.)

---

[1] Can. *Comperimus autem* (12), in cuius fine plurimi codd. cum edd., textu originali contradicente, *ministerii* pro *mysterii.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 11. m. 2. a. 4. § 2.

[2] Hic c. 1. — De expositione Innocentii cfr. supra pag. 253, nota 3.

[3] Vide supra lit. Magistri, d. X. c. 2. verba Eusebii, et Comment. p. II. a. 1. q. 3. — Mox pro *non valet* edd. cum uno alteroque cod. *valet.* Post pauca pro *haec missio* edd. *hic missio.*

[4] Libr. II. de Sacram. p. VIII. c. 14. Cfr. Innocent. III, VI. de Sacro Altaris mysterio, c. 12.

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. XII. c. 4, et Comment. p. I. a. 2. q. 3.

[6] Hebr. 4, 11: Festinemus ergo ingredi etc.

[7] Psalm. 33, 1. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. in fine tractatus de officio Missae; B. Albert., hic a. 34; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[8] Colligi potest ex c. 1-4, praesertim ex c. 3. n. 5. Cfr. praefatio in libr. de Haeres., ubi dicit, quod non omnis error haeresis est, quamvis omnis haeresis, quae in vitio ponitur, nisi errore aliquo haeresis esse non possit.

[9] Libr. VIII. c. 3. n. 1. Cfr. Hieronym., III. Comment. in Epist. ad Gal. 5, 20: Αἵρεσις autem Graece ab electione dicitur, quod scil. eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.

[10] Ut habetur in Comment. super I. Cor. 12, 3, olim Ambrosio attributo. Cfr. tom. I. pag. 817, nota 10.

veritati mavult adversari quam subiici. Et haec ratio concordat rationi et dicto Augustini. Unde Augustinus, Causa vigesima quarta, quaestione tertia[1]: «Qui sententiam suam, quamvis perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, corrigi parati, nequaquam sunt inter haereticos computandi». (Notandum.)

Et differt *haeresis* a *schismate*, quia haec est contra fidem, schisma contra mores vel vinculum caritatis[2]. — Sententia autem contra fidem ratione adinventionis dici potest *superstitio*, id est superflua institutio; ratione adhaesionis *haeresis*; ratione defensionis *secta*, loquendo per appropriata. — Vel *haeresis*, quia contra veritatem; *secta*, quia contra communitatem; *superstitio*, quia contra utilitatem, quasi superflua institutio. — Vel *haeresis* ab eligendo, *secta* a sequendo, *superstitio* a superstando[3]. Unde *haeresis* dicit praesumtuosam et deliberatam falsi adinventionem, *secta* superaddit imitationem, *superstitio* diuturnitatis inveterationem. Sicut senes superstites delirant, sic et haeretici; ideo dicitur *superstitio*, quia vetustati et superstiti concordat. Prius autem superstitio dicitur quasi a *superstando*; nam sicut in fide intellectus captivatur[4], ita in errore inflatur et elevatur. (Ad 2. quaest. Resp. 1. — Resp. 2. — Resp. 3.)

DISTINCTIO XIV.

Pars I.

Cap. I.

De poenitentia, et unde dicitur poenitentia.

Post haec de poenitentia agendum est. Poenitentia longe positis a Deo necessaria est, ut appropinquent. Est enim, ut ait Hieronymus[1], «secunda tabula post naufragium»; quia, si quis vestem innocentiae in baptismo perceptam peccando corruperit, poenitentiae remedio reparare potest. Prima tabula est *baptismus*, ubi *deponitur vetus homo, et induitur novus;* secunda, *poenitentia*, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reversa repellitur, et novitas perdita resumitur. *Post* baptismum prolapsi per poenitentiam renovari valent, sed non *per* baptismum. Licet homini saepius poenitere, sed non baptizari. Baptismus tantum est Sacramentum, sed poenitentia dicitur et *Sacramentum* et *virtus mentis*. Est enim poenitentia *interior* et poenitentia *exterior: exterior* Sacramentum est, *interior* virtus mentis est; et utraque causa salutis est et iustificationis. — Utrum vero omnis *exterior* poenitentia sit *Sacramentum*, vel si non omnis, quae hoc nomine censenda sit, consequenter investigabimus[2]. — A poenitentia coepit Ioannis praedicatio dicentis: *Poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum.* «Quod autem praeco docuit, illud post Veritas praedicavit, exordium sermonis sumens a poenitentia». (Dubium 1. — Dubium 2. — Dubium 3. — Glossa.)

Cap. II.

Quid sit poenitentia et poenitere.

«Poenitentia dicitur a *puniendo*, qua quis punit illicita, quae commisit. Poenitentiae virtus timore concipitur». Unde Isaias[3]: *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis.*

«Est autem poenitentia, ut ait Ambrosius[4], mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere». Item Gregorius: «Poenitere est ante acta peccata deflere et flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest, si peccata luxuriae quis defleat et adhuc avaritiae aestibus anhelat?» (Dubium 4. Ambrosius et Gregorius.)

---

[1] Cap. *Dixit Apostolus* (29.), sumtum ex August., Epist. 43. (alias 162.) c. 1. n. 1. Textus originalis voci *perversam* praemittit *falsam atque* et post *defendunt* plura addit, quem sequitur cod. aa. Cfr. loc. cit. C. *Haereticus est* (28.) et C. *Qui in Ecclesia* (31.).

[2] Vide Hieronym., Comment. in Epist. ad Tit. 3, 10, relatum in C. *Inter haeresim* (26.), C. 24. q. 3. De superstitione cfr. August., II. de Doctr. christ. c. 20. n. 30.

[3] Cfr. Isidor., VIII. Etymolog. c. 3. n. 1. seqq., ubi triplicem derivationem vocis *superstitio* insinuat, scil. sic dicta est eo quod *superflua* aut superinstituta observatio. Alii dicunt a *senibus*, quia multis annis *superstites* per aetatem delirant et errant superstitione quadam, nescientes, quae vetera colant, aut quae veterum ignari asciscant. Lucretius autem superstitionem dicit *superstantium* rerum, id est caelestium et divinarum, quae *super* nos *stant;* sed male dicit.

[4] Vide supra pag. 218, nota 6. — Superius pro *concordat* codd. G R U *concordatio*, alii *concordant*. Subinde pro *Prius* codd. G U planius *Proprius*. Inferius pro *ita in* edd. *sic in superstitione*. — De hoc dubio cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 163. seq.; B. Albert., hic a. 39; S. Thom., hic q. 2. a. 1; Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 1. 2; Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Epist. 130, ad Demetriadem (alias 8.) n. 9; cfr. quoad haec et alia, quae sequuntur, Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 10. Inferius respicitur Eph. 4, 22. 24.

[2] Dist. XXII. c. 2. — Seq. locus Scripturae est Matth. 3, 2. Verba *exordium sermonis* respiciunt ibid. 4, 17. — Quod sequitur usque ad locum Ambrosii est ex Glossa *ordinaria* ibid. — Pro *illud post* codd. et ed. 1 *idem post*.

[3] Cap. 26, 18.

[4] (Inter opera) Serm. 25. (de s. Quadrag. 9.) n. 1; C. *Poenitentia est* (1.), de Poenitentia dist. 3. — Locus Gregorii est II. Homil. in Evang., hom. 34. n. 15; C. *Poenitentiam agere* (6.), ibid., ubi ed. 1 pro *tamen alia* habet *alia iterum*.

Pars II.

Opinio erronea. His verbis quidam vehementius inhaerentes, contendunt, vere poenitentem ultra non posse[1] peccare damnabiliter; et si graviter peccaverit, veram non praecessisse poenitentiam; quod etiam aliis muniunt testimoniis. Isidorus. Ait enim Isidorus[2]: «Irrisor est, et non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet. Nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus: *canis reversus ad vomitum*, et poenitens ad peccatum. Multi lacrymas indesinenter fundunt, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad poenitentiam cerno, et affectum poenitentiae non habere, quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt; nunc, reviviscente usu, ea quae fleverunt iterando committunt. Isaias de peccatoribus dicit: *Lavamini, mundi estote.* Dubium 1. Lavatur et mundus est qui et praeterita plangit et flenda iterum non committit. Lavatur, et non est mundus, qui plangit quae gessit, nec deserit et post lacrymas ea quae fleverat, repetit». Augustinus. Item Augustinus[3]: «Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat. Dubium 2. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam a malis poscere et mala denuo iterare». Gregorius. Item Gregorius: «Qui admissa plangit, nec tamen deserit, poenae graviori se subiicit». Dubium 3. Ambrosius. Item Ambrosius[4]: «Reperiuntur qui saepius agendam poenitentiam putant, qui luxuriantur in Christo. Nam si vere in Christo poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent; quia, sicut unum baptisma, ita est una poenitentia». — His aliisque pluribus utuntur in assertionem suae opinionis. Ambrosius. Sed Ambrosius dicit: «Haec vera poenitentia est cessare a peccato». Et iterum: «Magni profectus est renuntiasse errori». «Imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare virtutis est perfectae et caelestis gratiae».

Et ideo sane ita definiri potest: poenitentia est Dubium 4. virtus vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus et plangenda ulterius committere nolumus; quia poenitentia vera est in animo dolere et odire vitia. — Unde illa verba Praedicta explicantur. praemissa: poenitere est ante acta deflere et flenda non committere, recte sic accipi possunt, ut non ad *diversa* tempora, sed ad *idem* referantur, ut scilicet tempore, quo deflet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda. Quod innuitur ex verbis consequentibus: «Nam qui sic alia deplorat» etc. Hinc Augustinus. Augustinus[5] ait: «Cavendum est, ne quis existimet, infanda illa crimina, qualia qui agunt *regnum Dei non possidebunt*, quotidie perpetranda et eleemosynis quotidie redimenda. In melius est enim vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur». Item Pius Papa[6]: «Nihil prodest homini ieiunare et orare Pius. et alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate revocetur». — Qui ergo a malis sic mentem revocat, ut Epilogus Magistri. commissa plangat et plangenda committere non velit nec satisfacere negligat, vere poenitet. Nec ideo non vera est poenitentia, quia forte post non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit. Ille autem irrisor est, et non poenitens, qui sic commissa plangit, ut plangenda *voluntate* vel *opere* committere non desinat. Ille etiam, qui post lacrymas repetit quae flevit, lavatur ad tempus, sed non est mundus, id est, illa munditia non est ei sufficiens ad salutem, quia est momentanea, non perseverans. Item illud: Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat, sic intelligendum est: *Inanis* est, scilicet carens fructu illius poenitentiae, quam sequens culpa non coinquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennae et adeptio gloriae. Mortificatur enim illa poenitentia, et alia ante acta bona, per sequens peccatum, ut non sortiantur mercedem, quam meruerunt, cum fierent, et quam haberent, si peccatum non succederet. Sed et, si de Dubium 5. peccato succedenti poenitentia agatur, et poenitentia, quae praecessit, et alia ante acta bona reviviscunt; sed illa tantum, quae ex caritate prodierunt. Illa enim sola viva sunt, quae in caritate fiunt; ideoque, si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem poenitentiam reviviscere possunt. Quae vero sine caritate fiunt mortua et inania generantur; et ideo per poenitentiam reviviscere non valent. Similiter intelligendum est illud: Nihil prosunt lamenta etc., et illud: Nihil valet etc. Si enim replicentur peccata, nihil valet ad salutem vel ad veniam in fine praecedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitae munditia; quia aut peccata dimissa redeunt, ut quibusdam placet, cum replicantur; vel si non redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitudinem ita reus et immundus constituitur, cum adhuc in expiandis implicatur, ut si iam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, post plenius agemus[7]. Similiter nihil valet ad salutem obtinendam vel ad munditiam vitae habendam veniam de malefactis poscere et mala denuo iterare.

---

[1] Codd. omittunt *posse*, similiter Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 12.

[2] Libr. II. Sent. c. 16. n. 1; C. *Irrisor* (11.), ibid.; in textu infra respiciuntur II. Petr. 2, 22, et Prov. 26, 11, deinde Isai. 1, 16. — Pro *non committit* codd. B C D E et ed. 1 *non admittit*, refragante etiam Hugone et canone.

[3] Potius Isidor., I. Synonym. n. 77; C. *Inanis* (12.), ibid. — Locus Gregorii est in Regula pastor. p. III. c. 30; C. *Qui admissa* (14.), ibid. — Pro *Qui admissa* edd., excepta 1, *Qui commissa.*

[4] Libr. II. de Poenitentia, c. 10. n. 95; C. *Reperiuntur* (2.), ibid. — Seq. locus est inter opera eiusdem, super II. Epist. ad Cor. 2, 7; tertius Ambros., Exposit. in Ps. 118, serm. 22. n. 2; quartus ibid. n. 3.

[5] Enchirid. c. 70. n. 19; C. *Sane cavendum est* (18.), ibid. — Pro *infanda* solae edd. *nefanda*, refragante etiam originali. Ibi respicitur I. Cor. 6, 9. 10.

[6] Epist. 1, et C. *Nihil prodest* (21.), ibid. — Sequentia sumta sunt ex Hugone a S. Vict., loc. cit.

[7] Dist. XXII. c. 1.

Augustinus. — Ita etiam intelligendum est illud quod idem Augu- Dubium 6. stinus[1] alibi ait: « Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse ». Et infra: « Continue dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. *Poenitere* enim est *poenam tenere*, ut semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. Ille *poenam tenet*, qui semper vindicat quod commisisse se dolet. Poenitentia igitur est vindicta semper puniens in se quod commisisse dolet ». « Quid restat nobis, nisi dolere in vita? ubi enim dolor finitur, deficit et poenitentia. Si vero poenitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a poenitentia. Dicit enim Dominus[2]: *Vade, et amplius noli peccare.* Non dixit: ne pecces, sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo servabitur, nisi dolor in poe- Dubium 7. nitentia continue custodiatur? Hinc semper doleat et de dolore gaudeat; et non sit satis, quod *doleat*, sed *ex fide doleat* et non semper doluisse doleat ».

De poenitentia perfectorum vel ad salutem sufficienti intelligendum est quod supra dixit, scilicet: Poe- Dubium 8. nitentia est vindicta semper puniens quod commisit; et alia huiusmodi. Illud vero: Si poenitentia finitur, nihil de venia relinquitur, dupliciter accipi potest. Si enim iuxta quorundam intelligentiam peccata dimissa *redeunt*, facile est intelligere, nihil de venia relinqui; quia peccata dimissa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex servitute in libertatem manumittitur, interim[3] vere liber est, et tamen propter offensam in servitutem postea revocatur; sic et poenitenti peccata vere dimittuntur, et tamen propter offensam, quae replicatur, iterum redeunt. — Si vero *non redire* dicantur, sane potest dici, etiam sic nihil de venia relinqui; non quod dimissa peccata iterum imputentur, sed quia propter ingratitudinem ita reus[4] et immundus constituitur, ac si illa redirent.

Cap. III.

De solemni et unica poenitentia.

Illud autem, quod Ambrosius ait: Reperiuntur etc.; et: Sicut unum baptisma, ita et una poenitentia, non secundum *generalem*, sed secundum *specialem* morem Ecclesiae de solemni poenitentia dictum intelligitur, quae apud quosdam semel celebrata non iteratur. Item Ambrosius. illud aliud Ambrosii[5]: « Poenitentia semel usurpata nec vere celebrata et fructum prioris aufert et usum sequentis amittit »; de solemni intelligitur. Solemnis vero Dubium 9. poenitentia, ut Ambrosius in eodem ait, est quae fit extra Ecclesiam in manifesto, in cinere et cilicio, quae pro gravioribus horrendisque ac manifestis delictis tantum imponitur. Et illa non est iteranda pro reverentia Sacramenti, et ne vilescat et contemptibilis fiat hominibus. Unde Augustinus[6]: « Quamvis caute et salubri- Augustinus. ter provisum sit, ut locus illius humillimae poenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis vel minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere: Quare huic homini, qui post poenitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis »? Origenes[7] quoque de Origenes. hac solemni poenitentia, quae pro gravioribus criminibus iniungitur, ait: « Si nos aliqua culpa mortalis invenerit, quae non in crimine mortali, vel in blasphemia fidei, sed in sermonis vel in morum vitio consistat; haec culpa semper reparari potest, nec interdicitur aliquando de huiusmodi poenitentiam agere; sed non ita de gravioribus criminibus. In gravioribus enim criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus. *Communia*, quae frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt et semper redimuntur ». — *Communia* dicit peccata venialia et forte mortalia quaedam aliis minus gravia, quae, sicut saepe committuntur, ita frequenter per poenitentiam redimuntur. Sed de gravioribus criminibus semel tantum agitur poenitentia, scilicet solemnis. Nam et de illis, si iterentur, iteratur poenitentia, sed non solemnis. Quod tamen in quibus- Dubium 10. dam Ecclesiis non servatur.

Cap. IV.

Quod peccata saepe dimittuntur per poenitentiam.

Quod vero poenitentia non semel tantum agatur, Dubium 11. sed frequenter iteretur, et per eam frequenter iterum venia praestetur; pluribus Sanctorum testimoniis probatur. Ait enim Augustinus[8], scribens contra quosdam Augustinus. haereticos, qui peccantibus post baptismum semel tantum dicebant utilem esse poenitentiam, ita: « Adhuc instant perfidi, qui *sapiunt plus quam oportet*, non sobrii, sed excedentes mensuram; dicunt enim: Etsi semel peccantibus post baptismum valeat poenitentia, non tamen saepe peccantibus proderit iterata; alioquin remissio ad peccatum esset incitatio. Dicunt enim: Quis non semper peccaret, si semper redire posset? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, si semper poenitentibus subvenit; et ei peccata placere, quibus semper praesto est gratia. Errant autem. Constat enim, ei multum peccata displicere, qui semper praesto est ea destruere; si ea amaret, non ita semper ea destrueret ». Idem ad Macedonium[9]: « In tantum hominum iniquitas Augustinus. aliquando progreditur, ut etiam post peractam poeni-

---

[1] De Vera et falsa Poenitentia (inter eius opera), c. 8. n. 22; seq. loc. ibid. c. 19. n. 35; uterque locus C. *Poenitentia est* (4.), ibid. Tertius ibid. c. 13. n. 28; C. *Si Apostolus* (5.), ibid. — In 1. loco cod. B et edd., excepta 1, post *vindicta* addunt *semper*, refragante originali, et pro *commisisse* codd. et ed. 1 *admisisse*.

[2] Ioan. 8, 11.

[3] Edd. 1, 8 *iterum*, et etiam Gratianus in C. *Quamvis caute* (22.), ibid., ex quo tota haec explicatio excerpta est.

[4] Codd. A C D E et ed. 1 subiungunt *est*.

[5] Libr. II. de Poenitentia, c. 11. n. 104; C. *In salicibus* (37.), ibid.; cfr. Hugo de S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 12.

[6] Epist. 153. (alias 54.) ad Macedonium, c. 3. n. 7; C. *Quamvis caute*, supra cit.

[7] Homil. 15. in Levit. (25, 29.) n. 2; Magister, pluribus aliis omissis, adiecit verba: sed non ita de gravioribus criminibus.

[8] Libr. de Vera et falsa Poenitentia, c. 5. n. 11; C. *Adhuc instant* (32.), ibid. Respicitur Rom. 12, 3. In hoc textu Vat. cum pluribus edd. ante *redire* praefigit *per poenitentiam*, et pro *poenitentibus* ponit *peccantibus*; denique in fine eaedem omittunt *ita*, refragante etiam originali.

[9] Loc. cit. supra in nota 6, et C. *In tantum* (33), ibid. Respicitur Matth. 5, 45. — Pro *ille poenitentiae* ed. Maurina Augu-

tentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant. Et tamen Deus facit, etiam super tales *oriri solem suum*, nec minus tribuit, quam ante tribuerat, largissima munera vitae et salutis. Et quamvis eis in Ecclesia locus ille poenitentiae non concedatur; Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat: Dicite mihi, utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si me poenitendo vehementius quam prius excruciavero, si uberius flevero, si melius vixero, si pauperes largius sustentavero, si caritate ardentius flagravero; quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi ista in posterum proderunt? Vade, saltem vitae huius suavitate fruere. Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam ». Item, Ioannes Chrysostomus[1] de reparatione lapsi: « Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei: nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur; etiam si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad virtutis viam; suscipit libenter, amplectitur, facit omnia, quatenus ad priorem revocet statum. Quodque est adhuc praestantius et eminentius, etiam si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen et quamlibet brevi tempore gestam non respuit poenitentiam; suscipit etiam ipsam nec patitur, quamvis exiguae, conversionis perdere mercedem ». Exemplis etiam hoc idem astrui potest. David[2] enim per poenitentiam adulterii simul et homicidii veniam impetravit; et tamen graviter postea deliquit in populi enumeratione, quod populi multitudo prostrata ostendit. « Illud autem mirabile est, quod Angelo ferienti plebem se obtulit dicens: *Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me et in domum patris mei.* Quo facto statim dignus sacrificio iudicatus est qui absolutione aestimabatur indignus. Nec mirum, si tali sua oblatione pro populo peccati sui adeptus est veniam; cum Moyses, offerendo se pro plebis errore, peccata diluerit[3] ».

(Chrysostomus.) (Dubium 12.) (Dubium 13.)

His aliisque pluribus testimoniis evidenter ostenditur, per poenitentiam non semel tantum, sed saepius nos a peccatis surgere, et veram poenitentiam saepius agi. *Voluntarie enim peccantibus nobis*, ut ait Apostolus[4], *non relinquitur hostia pro peccatis*, secunda scilicet, quia semel tantum Christum oportuit pati; nec relinquitur secundus *baptismus*; relinquitur vero secunda *poenitentia* et tertia et deinceps, ut Ioannes Chrysostomus super hunc locum ait: « Sciendum, inquit, quod hic quidam exsurgunt, horum verborum occasione poenitentiam auferentes, quasi per poenitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo et tertio et deinceps. Verum etiam in hoc *poenitentiam* non excludit nec propitiationem, quae saepe fit per poenitentiam, sed secundum *baptismum* et *hostiam* ».

(Epilogus.) (Chrysostomus.)

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIV.

PARS I.

De poenitentia in generali.

Post haec de poenitentia agendum est.

DIVISIO TEXTUS.

Terminatis tribus partibus principalibus, in quibus Magister egit de tribus Sacramentis, hic incipit quarta pars, in qua agit de Sacramento poenitentiae. Dividitur autem haec pars in duas. In prima parte agit de poenitentia in generali. In secunda agit specialiter de eius partibus, infra distinctione decima sexta: *In perfectione autem poenitentiae tria observanda sunt.*

Prima pars habet duas. In prima Magister determinat veritatem. In secunda elidit duos errores circa poenitentiam, infra eadem distinctione, ibi: *His verbis quidam vehementius* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima determinat ordinem ipsius ad baptismum. In secunda parte determinat eius multiplicitatem, ibi: *Baptismus tantum est Sacramentum, sed poenitentia* etc. In tertia post distinctionem multiplicitatis ponit notificationes poenitentiae-virtutis, ibi: *Poenitentia dicitur a puniendo, qua quis punit illicita* etc., ubi ponit rationem a parte nominis et a parte rei.

---

stini, Can. cit. et Vat. *humillimae poenitentiae.* Pro *nobis dicat* et infra pro *nostrum ita*, quod habent plures edd. cum originali, Vat. cum aliis *vobis dicat...vestrum ita.*

[1] Libr. I. Ad Theodorum lapsum adhortatio n. 6; C. *Talis mihi* (28.), ibid.

[2] Libr. II. Reg. 12, 13.

[3] Ambros., de Apologia David, c. 7. n. 38; C. *Illud vero* (26.), ibid., qui cum originali post *plebis errore* bene addit *etiam plebis.* Loci Scripturae sunt II. Reg. 24, 17; I. Paralip. 21, 17.

[4] Hebr. 10, 10. — Locus Chrysost. est Homil. 20. n. 1.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de poenitentia-virtute, et circa hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de ipsa absolute.

Secundo, in comparatione.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum poenitentia sit virtus.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, utrum sit virtus generalis, an specialis.

Tertio quaeritur, utrum sit virtus theologica, vel cardinalis.

ARTICULUS I.

De virtute poenitentiae absolute.

QUAESTIO I.

Utrum poenitentia sit virtus.

Circa primum proceditur sic:

1. Matthaei tertio[1]: *Poenitentiam agite;* Glossa: Fundamenta. « Prima virtus est per poenitentiam perimere *veterem hominem* »*;* hoc ipsum dicit Magister in littera.

2. Item, sicut dicit Philosophus[2], « virtus est quae habentem perficit et opus eius bonum reddit »; sed talis est poenitentia: ergo est virtus.

3. Item, nullus actus est laudabilis nec meritorius nisi actus virtutis[3]; sed *poenitere* est laudabile et meritorium: ergo est actus virtutis. Sed est actus poenitentiae: ergo poenitentia est virtus.

4. Item, nihil expellit vitium et peccatum nisi gratia vel virtus[4]; sed poenitentia expellit haec: ergo poenitentia est gratia, vel virtus. Sed non est gratia, quia gratia dicit pure quod a Deo est, poenitentia autem actum nostrum: ergo etc.

5. Item, *poenitere* non ideo bonum est, quia praeceptum, sed magis e converso: ergo per se bonum. Et *iterum,* arduum et difficile est modo debito poenitere, et circa ipsum contingit errare: ergo necessario indigemus virtute ordinante ad hoc[5]. Sed haec non est nisi poenitentia: ergo etc.

Contra: 1. Sacramentum et virtus ex oppo-
Ad oppositum. sito dividuntur[6]; sed poenitentia est Sacramentum: ergo non est virtus. *Si dicas,* quod poenitentia dupliciter accipitur et secundum duas acceptiones est virtus et Sacramentum; quaeritur: quare magis poenitentia quam baptismus, vel aliud Sacramentum?

2. Item, poenitentia est passio; sed « omnis virtus, ut dicit Philosophus[7], est habitus »: ergo poenitentia non est virtus.

3. Item, « omnis *virtus* habet obiectum bonum, sicut *scientia* verum[8] »; sed poenitentiae obiectum est peccatum — poenitens enim non poenitet recte nisi de culpa — ergo etc.

4. Item, omnes virtutes sunt connexae et manent aliquo modo in patria[9] et fuerunt in Christo et in primo homine; sed poenitentia non fuit in Christo nec in primo homine nec etiam erit in patria: ergo etc.

CONCLUSIO.

Poenitentia recte dici potest gratia, virtus, Sacramentum, actus et passio, et hoc sensu analogo.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc multiplex fuit opinio. — Quidam enim dicere voluerunt, Opinio 1.
quod poenitentia non est *virtus,* sed *actus virtutis,* non unius, sed omnium, et concurrunt omnes ad hunc actum; sicut chordae citharae ad unum sonum secundum regulam tangentis, sic omnes virtutes secundum dictamen prudentiae[10]. — Sed ista Improbatur.
positio non est conveniens. Si enim iste actus est bonus et difficilis, et circa quem contingit errare; sicut ira per zelum est habitus, quo homo irascitur

---

[1] Vers. 2. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum, Paschas. Radbertum et Lyranum; in ipsa respicitur Eph. 4, 22. et Col. 3, 9. — Cfr. de ipsa August. in Ps. 4, 6. n. 7. — Magistri sententia habetur hic in lit. c. 1.

[2] Libr. II. Ethic. c. 6.

[3] Aristot., I. Ethic. c. 12: Laus enim virtutis est. Cfr. ibid. II. c. 5.

[4] Vide hic in lit. Magistri, c. 2. verba Ambrosii ex Expos. in Ps. 118. serm. 22. n. 3. — De *minori* cfr. Ezech. 18, 21. seq. et 33, 14. seqq. — In fine arg. post *nostrum* codd. N aa addunt *scilicet motum liberi arbitrii.*

[5] Nam, ut ait Aristot., II. Ethic. c. 3, « circa id quod difficilius est, semper et ars et virtus versatur ». Cfr. ibid. c. 6.

[6] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 6. argg. ad oppos.

[7] Libr. II. Ethic. c. 5, ubi ostendit, virtutem non esse *passionem,* neque *potentiam,* sed *habitum.* — *Maior* constat ex eo, quod poenitentia est *dolor* de peccatis (cfr. hic lit. Magistri, c. 2.), qui est una passionum (vide tom. III. pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5.).

[8] Secundum Aristot., de quo vide tom. III. pag. 470, nota 8.

[9] Cfr. III. Sent. d. 33. q. 6. et d. 36. q. 1. ac 3.

[10] Cfr. quaest. seq. et a. 2. q. 1.

vitiis *alienis* [1]; sic poenitentia est habitus, quo homo irascitur vitiis *propriis*. Si enim non esset habitus, tunc non diceretur habere poenitentiam nisi actu poenitens.

Secunda opinio fuit, quod est *habitus*, non [2] Opinio 2. virtutis, sed *gratiae;* nec tantum nominat gratiam secundum *substantiam*, sed etiam secundum *actum*, ut sicut *gratia baptismalis* dicitur innocentia, sic Improbatur. *gratia iustificationis* poenitentia. — Sed haec positio non debet stare: quia gratia non dirigit liberum arbitrium ad aliquem motum specialem per se, nisi mediante *virtute* [3]; quod facit poenitentia.

Tertia positio est, quod poenitentia est *virtus*, Opinio 3. sed non est virtus nisi *extenso nomine* virtutis. Nam virtus *proprie* est in dirigendo ad bonum — virtus enim est qualitas mentis, qua recte vivitur [4] — sed poenitentia revocat a malo. — Sed haec positio Non sufficit. non videtur adhuc sufficiens, quia poenitentia non facit tantum *dolere* de culpa perpetrata, sed etiam facit *emendare;* unde eius est subiectum punire et Deo reconciliare; et hoc patet ex definitione [5], et ita est virtus proprie.

Ultima positio est, quod poenitentia est *habitus* Opinio 4. et conclusio 1. *virtutis* et virtutis secundum *propriam* acceptionem, non tantum secundum *communem*. — Et haec probabilior est, ut credo, sicut patebit melius in sequentibus [6].

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, Explicatur. quod poenitentia est expulsiva peccati actualis, quod est macula animam *deformans* et iterum ad malum *inclinans*, sive a bono *dehabilitans* et iterum naturam *vulnerans;* quam etiam perpetravit quis per actum voluntatis cum delectatione et libidine [7]. Notandum. Quia igitur delere culpam ut *deformantem* est *gratiae* reformantis; ut *dehabilitantem*, *virtutis* habilitantis; ut *vulnerantem*, *Sacramenti* curantis; ut *actu perpetratam*, per *actum* similiter *voluntatis;* ut cum *delectatione* perpetratam [8], cum *pas-* Conclusio 2. *sione* contraria: ideo poenitentia recte dicitur *gratia*, *virtus*, *Sacramentum*, *actus* et *passio*. Et iste modus est secundum diversas naturas in ea repertas, tamen per ordinationem ad unum; unde Conclusio 3. non dicitur poenitentia his modis omnino aequivoce, sed analogice. — Et propter hoc concedendae sunt rationes ad primam partem.

1. 2. Ad illud autem quod obiicitur in contra- Solutio oppositorum. rium, quia est Sacramentum et passio; patet responsio et ratio illius analogiae; non sic enim est in aliis Sacramentis. Quia enim poenitentia respicit Notandum. culpam *actualem*, in cuius deletione concurrit motus liberi arbitrii concordans gratiae ad culpae expulsionem [9], qui quidem motus rectus et virtuosus est; et propter displicentiam peccati, quod necesse est esse perpetratum, non potest esse sine *passione* doloris: patet, quare poenitentia magis est *virtus* quam alia Sacramenta; patet etiam, quare magis habet *passionem* coniunctam quam alia.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnis virtus habet *obiectum bonum;* dicendum, quod falsum est — instantia enim est in *temperantia*, in *pietate* et etiam in *fortitudine* [10] — sed sufficit, quod *actus sit bonus*. Nihilominus tamen poenitentia duplicem habet actum, scilicet *refugere* vel detestari malum et *emendare;* isti sunt actus ordinati, et ratione secundi habet *obiectum bonum*.

4. Ad illud ergo quod obiicitur de connexione Notandum. virtutum et huiusmodi; dicendum, quod virtutes habent connexionem et durationem secundum id quod *perfectionis* est in ipsis; poenitentia autem habet aliquid perfectionis, et hoc est *velle emendare*, si in aliquo contingat offendere. Et haec quidem voluntas est in omnibus iustis; impossibile enim est, quod sit voluntas recta sine hoc. Habet etiam aliquid *imperfectionis*, sicut est luctus pro peccato perpetrato; et ratione huius non attenditur connexio nec duratio, immo potius fit evacuatio, tanquam eius *quod est ex parte* [11].

SCHOLION.

I. Vocabulum *poenitentiae* communiter sumitur quadrupliciter, scilicet ut *passio* sensibilis doloris pro peccatis, ut *habitus* virtutis habilitans ad debito modo poenitendum, ut *actus* eiusdem virtutis, denique ut *Sacramentum;* quibus S. Bonav. (hic in fine corp.) quintum addit, quod est *gratia* reformans. De *essentia* huius virtutis vide infra dub. 4. et p. II. dubia 2-6; quibus locis contra Lutherum, qui veram poenitentiam in *sola emendatione* vitae futurae posuit, iam stabilitur doctrina Concilii Trident. (Sess. 14. c. 4.) docentis, « contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoa-

---

[1] Vide tom. I. pag. 23, nota 9. — Pro seq. propos. valent verba Aristot., I. Ethic. c. 8: Fieri enim potest, ut habitus, licet adsit, nullum tamen bonum [actum] efficiat; id quod in dormiente... evenit.

[2] Plurimi codd. *sed non*. Mox pro *sed gratiae* codd. W Y *immo gratiae*. Subinde pro *nec tantum* cod. U *sed tamen non*, omisso post pauca *etiam*.

[3] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. et d. 33. q. 1.

[4] Secundum August. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 5, et Comment. dub. 3.

[5] Vide infra q. 3. et dub. 4. — Pro *subiectum* Vat. *obiectum*, et *ideo* pro *Deo*.

[6] Quaest. 2. et 3. nec non a. 2. q. 1.

[7] Cfr. II. Sent. d. 35. per totam; d. 36. a. 1. q. 2. ad 1. et d. 41. a. 1. q. 1. seq.

[8] Vat. legit: *per actum voluntatis cum delectatione et libidine, similiter est actus voluntatis, et cum passione* etc.

[9] Cfr. infra d. 17. p. I. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 2. seq. — Inferius verba *quod necesse est esse perpetratum* aequivalent his: quod [pro poenitentia] necessario supponitur esse perpetratum. Post *perpetratum* cod. bb addit *quae*.

[10] Vide tom. III. pag. 561, nota 7. Cfr. ibid. d. 33. q. 4. et dub. 3. seq. nec non d. 35. q. 5.

[11] Epist. I. Cor. 13, 10. Cfr. III. Sent. d. 33. q. 6; d. 36. q. 1. ad 1. et q. 3; II. Sent. d. 29. a. 3. q. 1. ad 3.

tionem, sed veteris etiam odium continere ». S. Bonav. docet etiam (infra p. I. et II. dub. 4.), *detestationem* mali praeteriti esse actum poenitentiae *principalem,* alterum vero ex consequenti huic annexum. Quod *detestatio* et *displicentia* de peccato praeterito sit actus principalis poenitentiae, approbat S. Thom. (S. III. q. 85. a. 2); Scot. autem vult (hic q. 2. n. 5.), principalem actum eius esse *velle vindicare* peccatum (cfr. Bonav., hic p. II. dub. 6.).

II. Quoad 1. quaestionem notamus, B. Albertum tenere 3. opinionem hic relatam, refragante sententia communi.

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 1. § 1. — Scot. de hac et 2 seqq. qq. in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; S. III. q. 85. a. 1. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. unica a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 1.

III. In seq. (2.) quaestione solvenda communiter docetur, quod licet obiectum *materiale* poenitentiae se extendat ad omnia peccata, etiam venialia (infra q. 16. a. 3. q. 2.), obiectum tamen *formale* esse quid speciale et constituere virtutem *specialem,* ut explicatur hic ad 3. De *obiecto formali* cfr. infra q. 3. et dub. 4; circa quod plures opiniones circumferuntur, quae magis in modo dicendi quam in re notabili inter se differre videntur.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3; S. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 4. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2.

IV. Quoad 3. quaestionem conveniunt doctores in hoc, quod poenitentia non sit virtus theologica, et quod aliquatenus reducenda sit ad cardinalem virtutem *iustitiae.* Hoc in scholis fit dupliciter: vel reducitur ad iustitiam *commutativam,* non quidem ut pars eius *subiectiva,* sed *potentialis* tantum (quia scilicet ad eam reducitur sicut imperfectum ad perfectum, cum ordinata sit tantum ad aliquos actus secundarios iustitiae commutativae), vel ad iustitiam *vindicativam,* licet imperfectam. Illud docet S. Thom. (S. loc. cit. a. 3), hoc vero Scot. (hic q. 2. n. 8.). — Porro constat, quod *vera* poenitentia sit habitus *supernaturalis;* sed controvertitur, utrum sit habitus *per se infusus,* ut dicit schola S. Thomae, an frequenter tantum *auxilio gratiae acquisitus*, vel etiam *infusus per accidens,* ut affirmant cum Scoto (loc. cit. n. 20.) Durandus aliique Scotistae. Utramque opinionem ut probabilem ponit Richard. a Med. (hic a. 4. q. 2.). Redit hic controversia in scholio ad III. Sent. d. 33. a. 1. q. 5. exposita. — Quoad quaestionem ibi tractatam cfr. Bonav., infra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. ad 4, et Richard. a Med., hic a. 6. q. 1.

De ipsa 3. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. § 3. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 4. 5. — B. Albert., hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum poenitentia sit virtus generalis, an specialis.

Secundo quaeritur, utrum poenitentia sit virtus generalis, an specialis. Et ostenditur, quod *generalis:*

1. Augustinus in libro de Quinque Responsionibus [1]: « Poenitentia est quaedam res optima et perfecta, omnes defectus revocans ad perfectum »; sed alio habitu restauratur defectus concupiscibilis et irascibilis: ergo poenitentia respicit omnes habitus. Sed hoc non posset facere, si esset specialis virtus: ergo etc. (Ad oppositum.)

2. Item, *ratione* videtur: quia eiusdem virtutis, cuius est delectari in aliquo, est tristari et detestari oppositum; sed continentiae est delectari de actu castitatis [2]: ergo eiusdem est detestari actum incontinentiae, et sic de aliis. Sed poenitens detestatur omne peccatum: ergo etc.

3. Item, « habitus cognoscuntur per actus, et actus per obiecta [3] »; sed obiectum poenitentiae est peccatum in communi, quia ipsa omne peccatum detestatur et omne peccatum expellit: ergo poenitentia est virtus generalis et communis.

Contra: 1. Specialis virtutis est diligere bonum, quia bonum, scilicet caritatis [4]: ergo a simili, specialis virtutis est odire sive detestari malum, quia malum; sed hoc est poenitentiae: ergo etc. (Fundamenta.)

2. Item, specialis doni est refugere malum faciendum sive declinare a malo, ut timoris [5]: ergo specialis virtutis est refugere malum iam factum; sed hoc est poenitentiae: ergo etc.

3. Item, poenitentia ordinatur ad unum actum tantum liberi arbitrii, non ad omnes, quia solum ad poenitere et dolere: ergo etc.

CONCLUSIO.

Poenitentia est virtus specialis.

Respondeo: Dicendum, quod hic fuit multiplex positio. — Quidam enim voluerunt dicere, quod est virtus *generalis*, et est *pars iustitiae generalis*, cuius est facere bonum et declinare a malo [6]. Unde sicut facere omne bonum est iustitiae generalis, sic declinare ab omni malo facto est iustitiae generalis; et hoc est poenitentiae; et ideo poenitentia est pars (Opinio 1.)

---

[1] Libr. III. (Hypognost. inter opera August.) c. 9, ubi textus originalis *quae defectus revocat* pro *omnes defectus revocans.* — In *minori* pro *restauratur* cod. I *revocatur.*

[2] Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 3; VII. c. 3. seqq., et de Virtutibus, c. 5. — Finem arg. Vat. exhibet sic: sed poenitentia detestatur omne peccatum sive expellit: ergo poenitentia est virtus communis et generalis.

[3] Secundum Aristot., IV. Ethic. c. 2: Habitus operationibus definitur [definitio, per quam res cognoscitur, fit per priora et *notiora,* ut dicitur VI. Topic. c. 3.], et iis quorum habitus est. Cfr. ibid. II. c. 1, et II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Vide tom. III. pag. 470, nota 8.

[4] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. ad 5.

[5] Vide III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4. seqq., et Comment. p. II. per totam. Respicitur Ps. 36, 27: Declina a malo et fac bonum. — Non pauci codd. *amoris.*

[6] Cfr. III. Sent. d. 33. dub. 1. — Superius post *dicere, quod* cod. W supplet *poenitentia.*

iustitiae generalis. Et quoniam iustitia generalis dicitur non per *praedicationem*, sed per quandam virtutum *aggregationem*, quia comprehendit multas virtutes — sicut una vinea multas vites, ut dicit Chrysostomus [1], sic poenitentia comprehendit omnes virtutes — quando poenitet de malo luxuriae, tangit chordam continentiae; quando de malo superbiae, chordam humilitatis; ut sit venter conscientiae resonans in fletu quasi cithara, secundum illud Isaiae decimo sexto [2]: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit;* quia, si secundum omnes virtutes flenda sunt peccata aliena, multo magis propria.

Sed haec positio non debet stare: quia, etsi Improbatur. poenitentia respiciat malum in *communi*, tamen respicit sub *propria ratione* et habet *actum specialem*, qui indiget virtute non tantum praecipiente, sed eliciente; ut, sicut *ira per zelum*, quae detestatur omne peccatum in proximo, est specialis virtus, quia respicit illud sub ratione digni poena; et *obedientia* specialis virtus, quia respicit exsequendum sub ratione mandati [3]: sic etiam *poenitentia* Conclusio. specialis virtus, quia respicit sub ratione mali proprii a se contra Deum perpetrati, prout homo ex hoc dignus est puniri.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, Solutio oppositorum. quod effectum habet generalem; dicendum, quod illud est verum ratione *connexionis virtutum*, quia omnes defectus reparat; et magis est verum de ipsa quam de alia, quia aliorum actus est in *formando* [4], sed actus poenitentiae in *reformando*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod eiusdem virtutis est gaudere de aliquo et de opposito tristari; dicendum, quod verum est *imperative*, sed non Notandum. *elicitive*. Et hoc patet, quia caritas dictat et imperat fugere peccatum; sed tamen timor elicit motum fugae. Alterius enim virtutis est *imperare*, et alterius *elicere*, ut *obedientia* dictat Deo obediendum in hoc praecepto [5]: *Non moechaberis*, et *continentia* elicit.

3. Ad illud quod obiicitur de obiecto, dicendum, quod etsi non contrahatur ad speciale peccatum, tamen illud considerat sub *speciali et propria ratione*, hoc est, in quantum a se perpetratum et Dei offensivum, cui vult reconciliari et emendam facere; ideo est virtus specialis, quia virtus ponitur generalis vel specialis, non ratione obiecti, quod est *materiale*, sed secundum quod habet rationem *motivi* [6].

QUAESTIO III.

Utrum poenitentia sit virtus theologica, an cardinalis.

Tertio quaeritur, utrum sit virtus theologica, vel cardinalis. Et quod *theologica*, videtur:

1. Quia poenitentiae est reconciliare Deo et de- Ad oppositum. testari peccatum, in quantum Dei offensivum: ergo respicit ipsum Deum non tantum ut *finem*, sed etiam in ratione *obiecti;* sed omnis talis virtus est theologica [7]: ergo etc.

2. Item, videtur, quod sit *caritas:* quia poenitentiae est detestari peccatum, quia peccatum [8] sive Dei offensivum; sed non detestatur aliquis separationem ab aliquo, nisi quia diligit coniungi cum eo; sed hoc est caritatis: ergo poenitentia est caritas.

3. Item, eadem vi naturali, qua homo refugit malum, ne fiat, aspernatur, cum factum est; sed caritate refugit homo separari a Deo [9]: ergo eadem refugit separationem iam factam. Sed hoc est poenitentiae: ergo etc.

Contra: 1. Quod sit virtus *cardinalis*, vide- Fundamenta. tur: quia omnis virtus theologica secundum actum suum transit in Deum ut in *obiectum;* sed poenitentia non transit in Deum ut in *obiectum* quantum ad actum poenitendi: ergo etc.

2. Item, quod sit *iustitia*, videtur: super illud Psalmi [10]: *Sacrificate sacrificium iustitiae;* Glossa: « Quid iustius, quam ut suis quisque peccatis potius quam alienis peccatis irascatur, seque puniens per poenitentiam et satisfactionem Deo offerat » ?

3. Item, Isidorus [11]: « Tunc iudicium homo de se sumit, quando per dignam poenitentiam sua prava

---

[1] Homil. 34. in Matth. 20, 1. seqq. (op. imperfect.): « Vinea enim iustitia est, in qua diversae species iustitiarum positae sunt quasi vites, ut puta mansuetudo, castitas, patientia, longanimitas, ceteraque innumerabilia bona, quae omnia generaliter iustitiae appellantur ». Bernard., Serm. 63. in Cantic. n. 3: Bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes etc. — Superius pro *iustitia generalis* multi codd. et ed. 1 *iustus generalis*, cod. F *virtus generalis*.

[2] Vers. 11. Cfr. infra a. 2. q. 1. in corp., et III. Sent. d. 36. q. 1. fundam. 1. verba Hieronymi in hunc locum.

[3] Cfr. quaest. seq. et infra d. 16. p. I. a. 2. q. 2. ad 3; III. Sent. d. 26. a. 1. q. 3. ad 3. — Post *quia respicit* codd. et ed. 1 omittunt *exsequendum*. Superius post *sed* cod. F supplet *etiam*.

[4] Cod. E (I L a secunda manu) *in informando;* cfr. infra a. 2. q. 3, et I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4.

[5] Exod. 20, 14. Cfr. quaest. seq.

[6] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vide III. Sent. d. 26. a. 1. q. 3.

[8] Codd. F H Q (bb a secunda manu) addunt: *a Deo est separativum*. Edd. substituunt *est* pro *sive*.

[9] Cfr. Rom. 8, 35. seqq.

[10] Psalm. 4, 6. — Glossam exhibet Petr. Lombard., in hunc loc. et sumta est ex August. (in Ps. 4. n. 7.), qui sic prosequitur: *seque ipsum puniens mactet Deo*.

[11] Libr. II. Sent. c. 13. n. 3.

facta damnat »; sed *iudicium sumere* est iustitiae: ergo etc.

CONCLUSIO.

Poenitentia non est virtus theologica, sed cardinalis, contenta sub iustitia.

Respondeo: Dicendum, quod hic duplex fuit opinio.

Quidam enim voluerunt dicere, quod poenitentia Opinio 1. non est aliud quam *caritas* secundum substantiam, differens secundum statum. Dicitur enim *caritas,* in quantum amat Deum, sed *poenitentia,* in quantum resurgens, et eius est detestari malum[1] in quantum Non probatur. Dei offensivum. — Sed certe si *timor,* qui facit declinare a malo, differt a caritate; non video, quare *poenitentia* non differat. Sed quia « habitus cognoscuntur per actus[2] », non quoscumque, sed *formales* sive elicitos et primos; notandum, quod *poenitentiae* actus est detestari culpam sive peccatum, quia Dei offensivum, et hoc in reconciliationem sive emendam. Et quia haec ratio est ipsius *iustitiae,* Opinio 2. et conclusio 1. dico, quod poenitentia est virtus cardinalis, contenta sub iustitia. Sicut enim *fortitudo* multos habet ramos ab una radice procedentes, ut patientiam, perseverantiam, fiduciam, quae induunt unam rationem[3]; sic etiam *iustitia,* ut puta largitatem, pietatem, humilitatem, obedientiam, poenitentiam, quae forte sunt partes *potentiales* ipsius virtutis iustitiae, sicut melius patebit infra[4].

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, Explicatio. quod virtutes invicem se *adiuvant* et invicem sibi *imperant,* sicut patet consideranti motus earum, ut Obedientia multiplex. patet. Aliquis enim obedit ad hoc solum, quod praecipitur; et hoc est *obedientiae purae.* Aliquis obedit praecepto Domini, quia amat eum; et hoc est *obedientiae imperatae a caritate.* Aliquis obedit in hoc praecepto continentiae, quia diligit ipsam; et hoc est *obedientiae imperatae a continentia.* Unde *obedire* semper ab obedientia *elicitur,* aliquando *per se,* aliquando ab aliis *imperata*[5]. — Similiter patet in aliis; Item continentia. quia *continere* est actus elicitus a castitate. Si quis autem continet *amore castitatis,* talis actus est elicitus et imperatus a castitate; si quis *amore Dei,* sic est elicitus a castitate et imperatus a caritate; si propter *praeceptum Dei,* sic est imperatus ab obedientia[6]. — Similiter dicendum, quod poenitentia Item poenitentia. detestatur peccatum, aut quia *Dei offensivum,* ut ei reconcilietur et emendet, et hoc facit secundum se; aut quia *a Deo separativum,* et hoc facit imperata a caritate; aut quia *specialis virtutis corruptivum,* et hoc facit imperata et adiuta a qualibet speciali virtute. Et sic patet, quod proprie est Conclusio 2. iustitia, tamen contingit, aliarum virtutum motus sibi commisceri.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod Solutio oppositorum. est theologica, quia habet Deum pro obiecto; dicendum, quod falsum est; quia, sicut *obedientia* proprie respicit Dei mandatum, et *latria* honorem Deo debitum; sic *poenitentia* offensam Deo factam et emendam faciendam.

2. Ad aliud patet responsio: quia ille motus est a caritate per modum *imperantis,* sed a poeniten- Notandum. tia per modum *elicientis;* unde quamvis caritas *moveat* ad detestandum quod separat a Deo, non tamen *elicit,* quia est ibi specialis difficultas, sicut in aliis actibus virtutum; unde sicut caritas movet ad omne bonum *imperando,* sed non *eliciendo,* immo speciales virtutes sunt necessariae; sic in actu poenitentiae intelligendum.

3. Ad illud quod obiicitur de virtute naturali, dicendum, quod non est simile: quia virtus *natu-* Notandum. *ralis* non dicit tantam approximationem ad actum[7], sicut virtus *infusa* vel *acquisita;* et ideo magis diversificatur quam naturalis. Et hoc patet, quia plures virtutes sunt in eadem potentia *naturali;* et ideo non sequitur, quodsi *naturalis* eadem est, quod propter hoc sit eadem virtus *moralis*[8].

ARTICULUS II.

De poenitentia in comparatione.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de poenitentia in comparatione. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de ipsa per comparationem ad subiectum.

Secundo, quantum ad actum sive originem.

Tertio, quantum ad ordinem.

---

[1] Edd. *in quantum refugit et detestatur malum.* — De differentia timoris et caritatis (I. Ioan. 4, 18: Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem; quoniam timor poenam habet etc.) cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. 1. et d. 34. p. II. per totam.

[2] Secundum Aristot.; cfr. supra pag. 320, nota 3.

[3] Quae virtutes enumerantur a Cicerone ut partes fortitudinis; cfr. tom. III. pag. 561, nota 7.

[4] Art. seq. q. 1. Cfr. tom. III. pag. 728, nota 2, ubi ex Cicerone, Macrobio etc. partes *potentiales* (i. e. virtutes annexas, in quibus *tota* ratio iustitiae non invenitur) iustitiae recensuimus (ad *religionem* reducitur poenitentia).

[5] Cod. F *imperative,* quo explicatur lectio non paucorum codd. *imperate.* Mox pro primo *a castitate* edd. *a continentia.*

[6] Codd. H P Q addunt *et elicitus a castitate.*

[7] Sive tantam determinationem ad specialem actum. — Cod. X *distantiam ad actum.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

QUAESTIO I.

Quae vis animae sit subiectum virtutis poenitentiae.

Primo quaeritur, quae vis animae sit subiectum virtutis poenitentiae; et ostenditur, quod sit in vi animae *irascibili.*

Fundamenta. 1. Augustinus in libro de Poenitentia [1], poenitentiam definiens, dicit, quod est « quaedam dolentis vindicta »; constans autem est, quod vindicta est ipsius irascibilis et vindictam appetere: ergo etc.

2. Item, super illud Psalmi [2]: *Irascimini* etc.; Glossa: « Quid iustius, quam ut suis quisque irascatur peccatis potius quam alienis, seque puniens per poenitentiam Deo offerat »: ergo irasci peccatis est per poenitentiam; sed constat, quod *irasci* est ipsius irascibilis: ergo et *poenitere.*

3. Item, Ioannes Chrysostomus [3]: « Perfecta poenitentia cogit poenitentem omnia libenter sufferre »; sed hoc est ipsius irascibilis: ergo poenitentia est in vi irascibili.

4. Item, *poenitere,* sicut patet ex ratione nominis, « est poenam tenere », et ipse Augustinus [4] hanc etymologiam ponit; sed vis, quae respicit poenam et sustinet, est irascibilis: ergo etc.

5. Item, poenitentia virtus est, non solum secundum quod respicit culpam, sed secundum quod est in subiectum, scilicet in hominem, qui offendit, ut puniatur, et per poenam emenda fiat; et hoc patet per duo, quae Magister dicit in littera [5]. Dicit enim, quod « poenitentia dicitur a puniendo »; dicit etiam, quod per poenitentiam « mala plangimus cum emendationis proposito ». Ergo cum virtus, qua volumus, proximum peccantem puniri, sit in irascibili, scilicet ira per zelum, pari ratione et poenitentia erit in irascibili.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Videtur, quod poenitentia sit in *synderesi:* quia cuius est actus, eius est habitus; sed actus poenitentiae est gemere, et gemere est synderesis: ergo et poenitentia. *Prima* patet; *secunda* probatur, quia scribitur ad Romanos octavo [6]: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* sed Glossa dicit, quod spiritus est synderesis: ergo etc.

2. Item, videtur, quod in *rationali:* quia in ea vi est poenitentia, cuius est agere poenitentiam; sed agere poenitentiam est ipsius rationis: ergo et poenitentia. *Prima* patet; *minor* probatur, super illud Psalmi [7]: *Spera in Deo* etc.; Glossa: « Id est, de peccatis poenitentiam agam »; et ut habetur in Glossa: *Quare tristis* etc.: « Ratio confortat animam sensibilem »: ergo ratio agit poenitentiam: ergo etc.

3. Item, videtur, quod in *concupiscibili:* quia « opposita nata sunt fieri circa idem [8] »; sed *delectatio* et *tristitia* sunt opposita, similiter *dolor* et *gaudium, amor* et *odium;* sed in poenitentia est *dolor, tristitia* et *odium* peccati: cum ergo horum opposita, scilicet *amor, gaudium* et *delectatio,* sint in concupiscibili; per praedictam regulam poenitentia est in concupiscibili: non ergo in irascibili.

4. Item, videtur, quod sit in *qualibet vi animae:* quia quae mutuo se expellunt habent esse circa idem susceptibile [9]; sed poenitentia expellit omnia peccata: ergo cum diversa genera peccatorum sint in diversis viribus, poenitentia non est in una vi, sed in diversis.

CONCLUSIO.

Probabilius est, poenitentiam esse in voluntate, et quidem in irascibili.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc varie opinati sunt diversi.

Quidam enim dixerunt, quod poenitentia circuit omnes vires [10], quia expellit omnia peccata et omnia deflet. Et quoniam pro omnibus deflet, et ad perfectum fletum concurrit motus omnium virtutum, Opinio 1.

---

[1] De Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 8. n. 22. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — De *minori* huius et seqq. argg. cfr. tom. III. pag. 579, nota 9, et Glossa *ordinaria* apud Strabum in Matth. 13, 33: Ut in *ratione* possideamus prudentiam, in *ira* odium vitiorum, in *cupiditate* desiderium virtutum.

[2] Psalm. 4, 6. — De Glossa, in qua post *poenitentiam* edd. addunt *et satisfactionem*, vide supra pag. 321, nota 10.

[3] Cap. *Perfecta poenitentia* (40.), de Poenitentia, d. 1. (et d. 3. c. 8.), quod inscribitur: « Item Ioannes Os aureum in homilia de poenitentia, quae incipit: *Provida mente* ». Ad quae verba in ed. Migne (Patrolog. Lat. tom. 187. col. 1532) haec in nota subiiciuntur: « Omissa est tanquam supposititia in *ed. Maurina* ». Ed. Maurin. tantum prae manibus habemus. Pro *poenitentem* in praenotato cap. substituitur *peccatorem.*

[4] De Vera et falsa Poenitentia, c. 18. n. 35. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[5] Cap. 1. et 2. — Inferius pro *ira* cod. X *irascendo.*

[6] Vers. 26. — Glossam, quae est Hieronymi in Ezech. 1, 7, vide II. Sent. d. 39. a. 2. q. 1. fundam. 1. — Ratio exhibita in *maiori* insinuatur ab Aristot., de Somno et vigilia, c. 1: Cuius enim est potentia, huius est et actus.

[7] Psalm. 41, 6. — Ibid. etiam est seq. textus. — Illae Glossae exhibentur a Strabo et Lyrano ut *ordinariae*. Prima sumta est ex Cassiodoro, in hunc locum: « Id est de peccatis meis poenitentiam gero ». Secunda iuxta Strabum est: *Quare tristis?* etc. De perturbationibus, contra quas ratio confirmat animam sensualem spe Dei. — Post *in Glossa* cod. H addit *super illud.*

[8] Secundum Aristot.; vide supra pag. 19, nota 5.

[9] Cfr. Aristot., IV. Metaph. text. 27. (III. c. 6.); V. text. 16. (IV. c. 10.), et X. text. 14. (IX. c. 4.).

[10] Idem dicitur secundum August., de iustitia. Cfr. tom. III. pag. 720, nota 11. — In seq. propos. pro *concurrunt*, quod alii codd. omittunt, codd. H L *concurrit.*

et ad expulsionem vitiorum concurrunt habitus virtutum omnium; voluerunt, quod poenitentia in omnibus viribus esset tanquam iustitia generalis. Et hoc nituntur ostendere per Glossam super illud Isaiae decimo sexto[1]: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit* — interlinearis exponit: «Sonabit in plangendo» — et Glossa dicit: «Sicut cithara compositum sonum non emittit, si una chorda rupta fuerit; sic spiritualis venter Prophetae, si una chorda virtutum rupta fuerit, dulces melodias non resonabit». Et ex hoc volunt habere, quod similiter est in luctu poenitentiae, et ita quod poenitentia sit in omni vi. Et ideo dicunt, quod poenitentia definitur per actus diversarum virium; dicunt etiam, quod ei respondent[2] actus virium diversarum. Satisfacit enim poenitens *orando,* et hoc est *rationalis; ieiunando,* et hoc est *concupiscibilis; miserendo* sive eleemosynam tribuendo, et hoc est similiter *concupiscibilis; poenam sufferendo,* et hoc est *irascibilis.*

Non probatur. — Sed ista positio partim supra[3] improbata est. Si enim poenitentia est habitus *specialis* et *unus,* ut supra monstratum est; et unus habitus in una est potentia, cum unum accidens sit in uno subiecto[4], et subiectum virtutis sit potentia: necesse est, quod poenitentia non in omni, sed in aliqua vi sit determinate.

Ratio 1. deceptionis. — Sed illud est quod decepit ponentes, quod in omnibus viribus esset, quia poenitentia ab omnibus *imperatur;* et hinc est, quod ad luctum poenitentiae omnes virtutes concurrunt ut *annexae,* et *videtur,* quod poenitentia sit in omnibus viribus et virtutes ceteras complectatur.

Ratio 2. — Istud etiam decepit eos, quia actum *specialem* et *proprium* poenitentiae non respexerunt, qui non est *omnis,* sed alicuius *specialis* vis. Et ideo haec positio non est multum probabilis.

Opinio 2. Secunda positio est, quod poenitentia est in vi *determinata,* sed non est in aliqua trium virium praedictarum, sed in vi *superiori ad illas tres;* et hanc vocant *liberum arbitrium,* in quo coniugatae sunt vis cognitiva et motiva, eo quod imperat aliis viribus et ei non imperatur, et circa quod residet meritum ex parte nostra. Et quia virtus a nulla potentia imperatur, quia etiam virtus est ad merendum; posuerunt, omnes virtutes et poenitentiam esse in libero arbitrio tanquam in subiecto. Quia vero liberum arbitrium regit potentias inferiores; et per unam virtutem potest regere multas potentias, sicut per iustitiam et poenitentiam: hinc est, quod poenitentia *videtur* esse in *inferioribus* viribus, videtur etiam esse in *pluribus,* quamvis subiective sit in *una sola.*

Non probatur. Ratio 1. — Verumtamen, sicut alibi[5] melius patet, liberum arbitrium non dicit *aliam potentiam* ab his, scilicet rationali, concupiscibili et irascibili, licet dicat *per alium modum* — quia dicit per modum *moventis* et imperantis; sed istae potentiae sunt ei *obedientes,* ita quod eadem potentia in quantum *libera* imperat sibi ut *natura* — et ideo, si ista positio velit dicere, quod liberum arbitrium dicat potentiam secundum *rem* et naturam *distinctam* ab his, rationali, concupiscibili et irascibili; tunc[6] non intelligo nec credo, quod habeat veritatem. Si vero vult dicere, quod nominent *eandem* potentiam, sed tamen *secundum alium modum* se habendi; hoc ego non nego.

Ratio 2. Sed adhuc remanet eadem dubitatio, si potentiae animae diversae sunt, in *qua* sit secundum rem; quia vel oportet ad hoc venire, quod illae tres potentiae sint in *una* potentia secundum rem; vel quod liberum arbitrium sit potentia *distincta* ab illis; vel quod omnis virtus sit in *aliqua* istarum trium, scilicet vel in rationali, vel concupiscibili, vel irascibili, in quibus consueverunt communiter a doctoribus et patribus nostris tres virtutes theologicae poni, cum actus harum virium immediate tendant in Deum. Et certe, si theologicae ibi reponuntur, quare non et cardinales secundum aspectum earum ad inferius[7]?

Opinio 3. Tertia positio est, quod poenitentia est in *rationali;* et ratio huius positionis haec est, quia poenitentia est pars iustitiae cardinalis. Cum enim sit virtus et non sit theologica, necesse est, quod reducatur ad aliquam virtutem. Cum ergo virtus cardinalis sufficienter et secundum Sanctos et secundum philosophos dividatur in quatuor; et poenitentia non sit sub aliqua aliarum: constat, quod poenitentia, ut praemissum est[8], sub *iustitia* continetur; iustitia autem, cum sit habitus unus, non potest esse in *pluribus* viribus: ergo necesse est, quod sit in *una.* — *Rursus,* cum actus iustitiae, qui est «reddere unicuique quod suum est[9]», proprie sit *rationis,* quia iste est actus iudicialis, et ratio est iudex in regno animae; dicunt, quod iustitia est in ratione, ut est *iudex,* sicut prudentia est in ea, ut est *dux* sive consiliarius. Et quoniam

---

[1] Vers. 11. — Glossa *interlinearis,* quam exhibet Lyranus, sumta est ex Haymone (in hunc locum): «Sicut cithara sonat, sic sonabit sensus et intellectus meus ad Moab plangendo». Secunda, quae est *ordinaria,* praebetur ab Hieronymo (in hunc locum); cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. fundam. 1.

[2] Ita cod. H, alii codd. et edd. *respondet.* Mox pro *virium* codd. I K *virtutum.*

[3] Art. praeced. q. 2.

[4] Cfr. tom. II. pag. 119, nota 8. — Inferius pro *quod in omnibus viribus esset* edd. *poenitentiam in omnibus viribus esse,* et subinde *ergo videtur* pro *et videtur* [cod. O *et ideo videtur,* cod. X *et ex hoc videtur*], ac pro *luctum* codd. I K *actum.*

[5] Libr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 3. et d. 25. p. I. q. 2. seqq. (praecipue q. 6. ad 2.).

[6] Codd. K L (I a secunda manu) *eam,* Vat. *tunc eam,* ed. 1 cum non paucis codd. *tamen.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 23. a. 1. q. 2, d. 26. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 5, d, 27. a. 1. q. 1, d. 33. q. 1. ad 3. et q. 3.

[8] Art. 1. q. 3. — De numero virtutum cardinalium cfr. III. Sent. d. 33. q. 4. — Cod. aa *praevisum est.*

[9] Ut dicit iam Plato; cfr. tom. III. pag. 728, nota 1.

ratio, ut est *iudex*, imperat toti animae; hinc est, quod iustitia cardinalis dicitur omnes vires animae circuire[1]. Et hinc est, quod habitus continet, qui videntur ad *affectionem* pertinere, sicut obedientiam et poenitentiam; et hinc est, quod poenitentia in *una vi est*, tamen *multas circuire* videtur; et ideo in *rationali* est, ut est *regitiva* irascibilis et concupiscibilis[2], ut moveat concupiscibilem ad gemendum pro culpa, et irascibilem ad puniendum ipsam animam.

Non probatur. Sed nec illud est multum rationabile inspicienti, quod poenitentia, quae in *affectu* maxime sonat, et humilitas, quae est species iustitiae, sit in *rationali*. — Et *ulterius*, habitus virtutis non debet poni circa virtutem *imperantem*, sed *elicientem*. Nam in eliciendo est *difficultas*, et respectu illius sive ratione illius est *habilitatio;* unde motus virtutis non dicitur esse huius proprie vel illius nisi virtutis *elicientis:* sicut si *caritas* imperet *continere*, vel *iustitia pugnare;* tamen *continere* semper est continentiae, et *recte pugnare* est fortitudinis. Sicut ergo *poenitere* non est nisi poenitentiae, sic *habitus* non est in virtute *imperante*, sed *eliciente;* haec autem non est vis *rationalis*, sed vis *affectivae*, et maxime *irascibilis*, sicut patet ex rationibus prius visis[3]. Nam poenitentia non tantum respicit *vitium*, quod abominatur, quantum *subiectum* peccati, contra quod insurgit et quod insurgendo punit; et non tam respicit *culpam* sive offensam, quam etiam *emendam;* et ista emenda est in poenae sufferentia, et ideo recte dicitur *vindicta*.

Opinio 4. Et ideo est alia opinio, quod poenitentia, ut est *specialis* virtus, est in *irascibili*. Hanc positionem credo probabiliorem. Non enim capio, quomodo poenitentia in *omnibus viribus* esse possit, cum sit *habitus specialis*. — Sic nec secundum capio, quomodo *omnis* virtus sit in una vi, supposito quod potentiae rationales sint plures, quae sunt proprie ipsius animae, ut rationalis est, sive sint plures in quantum[4] *potentiae*, sive, ut dicunt alii, plures *vires*. — Nec tertium, quomodo poenitentia et humilitas sint in *ratione*, cum dicant, quod est *affectionis*, ut etiam ipsa spes vel caritas. — Et ideo dicendum, quod cum poenitentia de se dicat habitum *affectionis*, quod est in potentia *affectiva*. Cum (Conclusio 1.) autem dicat affectionem *odii* vel *doloris* ut vindictae et ut punientis, sicut patet ex multiplici auctoritate et ratione in opponendo[5]; et illud odium, quod est cum insurrectione, sit in *irascibili* potentia: quod ipsa poenitentia est in *irascibili*. (Conclusio 2.)

Solvitur obiectio 1. Si obiiciatur, quomodo hoc possit esse, cum sit species *iustitiae*, iustitiam autem necesse sit esse in una potentia tanquam habitum unum; haec autem non potest esse *irascibilis*, quia magis est vis *rationis* ius reddere quam potentiae *irascibilis;* dicendum, quod ipsa iustitia est in tribus viribus, secundum quod dicit Glossa super Genesis secundum[6], quod comparatur iustitia Euphrati. — Et *si* (Item obiectio 2.) *obiicias:* quomodo potest esse habitus *unus?* dico, quod iustitia cardinalis esse habitus unus dicitur, non sicut *conclusio particularis* dicitur habitus unus, sed sicut una *totalis scientia* dicitur unus habitus; ut grammatica, quae multos continet habitus particulares, et geometria; sic et iustitia obedientiam, humilitatem, poenitentiam et largitatem et veritatem; et secundum istos habitus particulares potest esse in diversis potentiis. Nam veritas est in *rationali*, largitas in *concupiscibili*, poenitentia et humilitas in *irascibili;* uniuntur tamen omnes in unam rationem, quae est *reddere unicuique ius suum*[7]; et ideo subeunt rationem unius virtutis cardinalis. Si ergo iustitia cardinalis esset unus habitus particularis et simplex omnino et indivisus; tunc haberet locum obiectio; quod cum non sit, patet illud.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sit in synderesi; dicendum, quod argumentum illud deficit, quia *gemere* non est synderesis ut *elicientis* nec (Notandum.) ut *perfecte imperantis*, quia sic nihil potest imperare libero arbitrio; sed potius est ut *remurmurantis malo* et *dictantis bonum*, quia naturaliter remurmurat malo; et in hoc errare non potest[8]. Et quoniam virtus est in potentia, penes quam residet facultas et imperium eliciendi actum; ideo non est in synderesi, sed in libero arbitrio. Libertas autem arbitrii non solum est in *ratione*, sed in *concupiscibili* et *irascibili*, quia complectitur rationem et voluntatem; et voluntas continet potentiam amandi et detestandi, scilicet concupiscibilem et irascibilem.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sit in *rationali;* dicendum, quod *ratio* dicitur multipliciter; tamen quantum pertinet ad propositum, dicitur *communiter* et *proprie*[9]. *Communiter* comprehen- (Distinctio.) dit *totam* portionem animae divisam contra *sensualitatem*, in qua ponuntur tres potentiae; et sic accipitur in Glossa praedicta. *Proprie* accipitur pro potentia divisa contra *concupiscibilem et irascibilem;* et sic obiicitur, et sic non valet obiectio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sit in *concupiscibili* propter hoc, quod odium est in eadem;

---

[1] Vide supra pag. 323, nota 10.

[2] Cfr. tom. III. pag. 720, nota 1. verba Aristot. — Inferius pro *in affectu maxime sonat* [cfr. opinio 1.] edd. *est in affectu maxime* (cod. N *iam affectum maxime sonat*).

[3] Hic in fundam. Cfr. a. 1. q. 3. — Aliquanto inferius pro *et non tam* codd. M O *eo quod non tam*, ed. 1 cum pluribus codd. *et quod non tam*.

[4] Pro *in quantum*, quod edd. omittunt, cod. X *inquam*.

[5] Scilicet in fundam.

[6] Vers. 14. — Glossa, quae est *ordinaria* (sumta ex August., cuius verba vide tom. III. pag. 720, nota 11.), hoc elicit ex eo, quod de Euphrate non dicitur, ipsum circuire *determinatam* terram.

[7] Cod. G *unicuique quod suum est*.

[8] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 2. q. 1. seqq. — Aliquanto inferius post secundum *sed* edd. supplent *etiam*.

[9] Vide II. Sent. d. 39. a. 2. q. 1. ad 2. Cfr. etiam Alex. Hal., S. P. IV. q. 12. m. 2. a. 3. § 2, ubi 7 modi afferuntur, quibus *ratio* sumi potest.

Duplex odium. dicendum, quod *odium* dicitur dupliciter: aut cum quadam *displicentia*, aut cum *insurrectione, vindicta* et *ira;* et primum est in *concupiscibili* [1], secundum in *irascibili;* et tale est in poenitentia. Sicut enim per iram et per zelum irascitur homo et indignatur peccatis proximi; sic per poenitentiam peccatis suis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sit in *omnibus;* dicendum, quod expellere omnia vitia est dupliciter; vel per modum *detestantis*, vel per modum *informantis.* Per poenitentiam expelluntur omnia vitia per modum *detestantis* et satisfacientis; sed per modum *informantis* unumquodque vitium expellitur per virtutem sibi oppositam. Quod *primo* modo expellit [2] non necesse est esse in eadem potentia, sed quod *secundo* modo. Et sic patet illud. Distinctio.

SCHOLION.

I. Conclusio nostri Doctoris supponit distinctionem duplicis *irascibilis,* quarum una est in parte animae *sensibili,* altera in parte *rationali,* et quidem in *affectiva,* de quibus III. Sent. d. 26. a. 2. q. 5. plura dicta sunt. In decursu quaestionis multa tanguntur, quae I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 3, et II. Sent. d. 24. 25. 33, de divisione potentiarum animae, nec non II. Sent. d. 39, de conscientia et synderesi, fuse exposita sunt. Posteriores Scholastici, cum non admittant irascibilem *proprie* dictam in parte *rationali* animae, poenitentiam ponunt simpliciter in *voluntate;* quod Scot. (hic q. 2. n. 9.) sic explicat, ut in re vix discedat a S. Bonav. Dicit enim: « Actus [poenitentiae] est actus voluntatis, cuius est imperare intellectui et voluntati, et hoc imperio pertinente ad irascibilem et potentiam aliquam habentem in se aliquid simile virtuti irascibili. Sicut enim irascibilis in sensitiva suo modo vindicat, ita et illa potentia, quae imperat vindictam in parte intellectiva, habet quoddam simile irascibili ». — Primam opinionem hic relatam sustinuit Guliel. Antissiod. (S. p. IV. tr. 6. q. 3.), secundam vero Alex. Hal.; sed S. Bonaventurae consentit B. Albertus.

De 1. quaestione praeter Scotum: Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 2. a. 3. § 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; S. III. q. 85. a. 4. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic a. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 2.

II. Quae in 2. quaestione de origine poenitentiae docentur, haec perfecte concordant iis quae contra novatores saeculi XVI. Concil. Trident. in Sess. VI. c. 6. decrevit de modo praeparationis ad iustificationem, et in Sess. XIV. c. 4. de contritione (cfr. infra d. 17. a. 2. q. 3.); cui doctrinae communiter Scholastici adhaerent. Nec dissentit Scot. quoad necessitatem gratiae (hic q. 2. n. 13.), ut ibi in adiecto scholio et commentario probatur.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 1. — Scot., hic q. 1. n. 14. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; S. loc. cit. a. 5. — B. Albert., hic a. 10. 11. — Petr. a Tar., hic a. 5. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Durand., IV. Sent. d. 17. q. 1.

III. Circa 3. quaestionem et quoad *habitum infusum* poenitentiae (de quo cfr. supra a. 1. q. 3.) facile patet conclusio, quae respicit ordinem *temporis.* Tamen « secundum ordinem *naturae* simpliciter praecedunt ipsam virtutes theologicae » (S. Thom. S., III. q. 85. a. 6.). Cfr. S. Bonav., III. Sent. d. 36. q. 1. et 3, ubi in scholiis tangitur etiam sententia Scoti, qui virtutes cardinales *per se infusas* non admittit. Quoad ordinem vero consideratum in *actibus* cum S. Thoma (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2.) conceditur, quod « poenitentia est prior quibusdam, scilicet caritate et sequentibus ipsam, at posterior aliis, scilicet fide et spe », quatenus sunt informes. Addit S. Thom. (S. loc. cit.), quod « *actus* autem et *habitus* caritatis simul sunt tempore cum *actu* et *habitu* poenitentiae... horum tamen duorum actuum primus naturaliter praecedit secundum; nam actus virtutis [infusae] poenitentiae est contra peccatum ex amore Dei; unde primus actus est ratio et causa secundi »; de qua doctrina clarius agitur infra d. 17. p. I. a. 2. q. 1-3. — De *secunda tabula post naufragium* (secundum phrasim S. Hieronymi) agitur hic dub. 1. et infra d. 22. a. 3. q. 2. S. Thom. (hic loc. cit. quaestiunc. 4.) locutionem illam aliter exponit, quod scilicet prima tabula fuerit *ante* naufragium peccati originalis, secunda *post* illud. Concil. Trid. (Sess. XIV. can. 2.) vocat cum S. Bonav. poenitentiam secundam tabulam, ut distinctam a baptismo.

De 3. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 2. — Scot., hic q. 2. n. 9. 10. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2.

QUAESTIO II.

Utrum poenitentia oriatur ex timore.

Secundo quaeritur de origine poenitentiae; et dicit Magister in littera [3], quod « poenitentia-virtus timore concipitur ».

Sed contra hoc est: 1. Quia, si est virtus, est Ad oppositum. per infusionem [4]: non ergo per conceptionem.

2. Item, cum conceptio non sit sine generatione, quare magis dicit *concipitur* quam *generatur?*

3. Item, quare magis *timore* quam *alio principio?* Et videtur, quod magis *amore,* quia timor causatur ab amore [5]: ergo prima ratio generandi et concipiendi est in amore: ergo etc.

4. Item, tam timor quam amor est ex *fidei* cognitione [6]: ergo deberet dicere, quod *fide* concipitur.

5. Item, si timore; aut *servili*, aut *initiali*, aut *filiali.* Non *servili*, quia cum illo manet voluntas peccandi; non *initiali* neque *filiali*, quia, antequam habeat timorem *filialem*, vel *initialem*, necesse est, quod de peccato poeniteat [7].

---

[1] Sicut enim *amor* (qui est in concupiscibili) est complacentia boni, sic *odium* est displicentia mali.

[2] Codd. G Z *expellitur.* Edd. particulam *non* perperam transponunt post *secundo modo.*

[3] Hic c. 1. — Cod. bb cum textu originali *poenitentiae virtus.*

[4] Respicitur communis definitio virtutis: Virtus est bona qualitas mentis... quam Deus in nobis sine nobis operatur. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3.

[5] Ut enim August., XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2. ait: Fugiens [amor] quod ei adversatur timor est.

[6] Cfr. Hebr. 11, 6.

[7] Vide III. Sent. d. 34. p. II. per totam.

6. Item, timor est *donum;* sed poenitentia-virtus est ante dona naturali ordine [1]: ergo non concipitur timore aliquo.

CONCLUSIO.

Origo poenitentiae effectiva Deus est, sed dispositio quodam modo et ordine est a nobis.

Respondeo: Dicendum, quod origo poenitentiae Conclusio 1. virtutis *effectiva* Deus est, sed *dispositiva* a nobis, quia «qui creavit nos sine nobis, non iustificat nos Conclusio 2. sine nobis [2]». — *Dispositio* autem hoc ordine pro- Gradus 1. cedit. Primo necesse est *Dei bonitatem et iustitiam* cognoscere — cui displicet omne malum et inordinatio, et ab illa offenditur et nullo modo malum relinquit impunitum — et *se aliquid fecisse,* quod suae displicere debeat bonitati; et haec est cognitio *culpae,* et ex hoc cognoscit se homo ex divina sententia obligatum ad poenam. — Necesse est etiam Gradus 2. secundo cognoscere *Dei misericordiam,* qua paratus est omni revertenti et dolenti de culpa commissa sibi remittere et indulgere. — Ex prima cognitione Conclusio 3. generatur *timor;* ex secunda generatur *spes* remissionis; et ex his *voluntas* revertendi et confoederandi Deo et satisfaciendi per gemitum et alias poenas; et si incipiat facere quod in se est, dispositus est ad iustificationem [3].

1. 2. Ex hoc igitur patet responsio, quomodo poenitentiae virtus *concipitur* per dispositionem suscipiendi [4] eam; et quare magis dicitur *concipitur* quam *generatur;* quia *generare* est efficientis et principii effectivi, sed *concipere* receptivi. Solutio oppositorum.

3. 4. Ex hoc patet, quare magis dicit [5] *timore* quam *amore,* quia peccator non habet amorem Dei, Notandum. sed sui; et iste amor nunquam generat poenitentiam, nisi quia timet; unde quamdiu *amat* et *credit,* non refugit peccatum, sed quando *timet;* et ideo non concipitur *fide,* quia ante timorem non est poenitentiae seminarium, quod est cessare a malo. Ex hoc etiam patet, quare magis *timore* quam *spe,* quia *timor* concipit, sed *spes* promovet.

5. Ex hoc patet, quod concipitur *timore servili.* Nec est inconveniens, quia conceptio ista non est per *productionem* in *esse,* sed per *dispositionem* et *praeparationem;* et ideo non oportet, quod poenitentia sit cum timore servili, sed sufficit, quod timor praeparet ad poenitentiam.

6. Ad illud quod obiicitur, quod poenitentia est ante dona; dicendum, quod est *donum* Spiritus Distinctio notanda. sancti, *cum quo* est Spiritus sanctus et datur; et hoc est gratiae gratum facientis, et de hoc verum est quod obiicit. Et est *donum,* quod est *sine Spiritus sancti donatione* proprie dicta, quae est per inhabitationem; et hoc est gratiae gratis datae, et tale donum est timor servilis, et hic antecedit virtutes; et tali timore concipitur poenitentia. Ideo non valet obiectio [6].

QUAESTIO III.

Utrum poenitentia sit prima virtus.

Tertio quaeritur de ordine poenitentiae ad alias virtutes; et quod sit *prima* virtus, videtur.

1. Matthaei tertio [7]: *Poenitentiam agite;* Glossa: Fundamenta. «Prima virtus est per poenitentiam perimere veterem hominem».

2. Item, *ratione* videtur: quia prius est declinare a malo quam facere bonum [8]; sed per poenitentiam est declinare a malo, per alias facere bonum: ergo etc.

3. Item, «egressus vitii virtutis operatur ingressum [9]»: sed poenitentiae est peccata expellere: ergo etc.

Contra: 1. Fides est fundamentum totius spiritualis machinae, secundum Apostolum ad Hebraeos [10], Ad oppositum. et hoc patet ratione, quia prius est actus intellectus quam affectus; sed fides dirigit intellectum, poenitentia affectum: ergo etc.

2. Item, cum dicitur poenitentia *prima virtus,* aut hoc est in quantum *informis,* aut in quantum *formata. Informis* non, quia ipsa generatur ex fide et spe et timore, ut ostensum est [11]; «virtus enim poenitentiae timore concipitur». Si de *formata;* sed *contra;* omnes simul infunduntur [12]: ergo poenitentia infunditur cum aliis: ergo etc.

3. Item, primus actus est *vivere;* sed *iustus ex fide vivit* [13], vel ex caritate, non ex poenitentia

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 34. p. I. q. 2. ad 3. — Post *poenitentia* codd. F G N addunt *est virtus; sed.*

[2] August., Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli) c. 11. n. 13: Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te.

[3] Vide infra d. 17. p. I. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 3.

[4] Codd. F aa *suscipientis.*

[5] Plures codd. *dixit,* scilicet Magister. — Aliquanto inferius post *quamdiu amat* cod. X bene addit *se,* omisso subinde *et credit* (quo tamen alia obiectio superius posita tangitur).

[6] Cfr. III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 1. ad 1. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 2. — De Glossa vide supra pag. 318, nota 1.

[8] Cfr. Ps. 36, 27.

[9] Secundum Ambros. supra pag. 42, nota 6. allegatum.

[10] Cap. 11, 1: Est autem fides sperandarum substantia [i. e. fundamentum, ut explicat Glossa *ordinaria;* cfr. tom. III. pag. 604, nota 9.] rerum etc. — De ratione addita vide III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.

[11] Quaest. praeced. — Seq. locus est ex Magistro, hic in lit. c. 1.

[12] Ut dictum est III. Sent. d. 36. q. 1. — Pro *Si de formata* (supple: intelligitur) Vat. cum uno alteroque cod. *Si formata.*

[13] Rom. 1, 17.

proprie: ergo prius est caritas et fides quam poenitentia.

4. Item, nulli displicet offensa alicuius, nisi quia diligit illum; si enim odiret, placeret: ergo diligere Deum per naturam praecedit odium peccati; sed primum est caritatis, secundum poenitentiae: ergo etc.

5. Item, naturaliter prius est intentio ad terminum *ad quem*, quam separatio a termino *a quo*[1]; sed caritas dirigit ad terminum *ad quem*, poenitentia separat a termino *a quo*, scilicet peccato: ergo caritas prior.

CONCLUSIO.

Licet virtutes infusae simul sunt secundum substantiam, tamen secundum actum in iustificatione gratia adveniens per modum reparantis prius respicit actum poenitentiae.

Respondeo: Dicendum; quod *prius* dupliciter
Distinctio 1. dicitur: vel secundum *substantiam*, vel secundum
Conclusio 1. *usum*[2]. Secundum *substantiam* omnes sunt simul;
Distinctio 2. secundum *usum* distinguendum est: aut enim secundum imaginis *informationem*, et sic est fides prima; aut secundum *regressum* et *reparationem*,
Conclusio 2. et sic actus poenitentiae est primus, quia immediatior est. Etsi enim simul stet motus liberi arbitrii cum *contritione*, qui quidem motus a pluribus dicitur motus fidei; tamen *gratia* adveniens per mo- Conclusio 3.
dum reparantis et expellentis culpam immediate respicit motum vel actum poenitentiae. Sicut enim *gratia* prius culpam expellit per naturam, quam habilitat ad bonum; sic necesse est, quod homo ex parte sua in iustificatione primo aspernetur culpam, quam dirigatur in bonum opus[3].

1. 2. Per hanc duplicem distinctionem patet Solutio oppositorum
solutio ad primum et secundum: primum, quia fides est prima *informando;* secundum, quia omnes virtutes simul infunduntur et simul sunt quantum ad substantiam et essentiam.

3. Ad illud quod obiicitur de actu vivendi, dicendum, quod prior actus est *vivificare* quam *vivere;* unde etsi fides et caritas faciant *vivere*, poenitentiae tamen est *vivificare;* et sic potest dici prior.

4. Ad illud quod obiicitur, quod displicet offensa propter dilectionem; dicendum, quod non est necesse, *actu* praecedere dilectionem ipsam displicentiam, sed sufficit, quod comitetur in *habitu*.

5. Ad ultimum dicendum, quod verum est, ubi eodem motu receditur et acceditur; sed in spiritualibus non tenet, ubi alio motu *receditur* a termino et *fertur* in terminum. Tunc enim necesse est, quod primo resiliat, si vult accedere; unde prius oportet exire domum quam ire ad ecclesiam[4].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Hieronymus: *Secunda tabula post naufragium est poenitentia.* Cum enim *secundum* dicatur respectu *primi*, et prima tabula sit baptismus, et secunda poenitentia; tunc videtur, quod secundum Sacramentum sit poenitentia: ergo male ordinat Magister quarto loco. — Item, quaero a te: pro quanto dicitur poenitentia *tabula?* et quid[5] est *naufragium? Si tu dicas*, quod est casus in mortale; tunc videtur, quod sit prima tabula, quia, si quis cecidit per mortale, necesse est recurrere ad poenitentiam.

Respondeo: Dicendum, quod *mare* est mundus
Explicantur termini. iste, secundum illud Psalmi[6]: *Hoc mare magnum* etc. *Navis*, per quam homo transit super undas huius maris, est gratia Spiritus sancti; vel *navis* est Ecclesia, quae iuncta est glutino caritatis, secundum illud Proverbiorum ultimo: *Facta est quasi navis institoris. Naufragium* vero fuit corruptio et fractio in Adam, in qua fractione omnes filii eius iactati sunt super undas huius maris per concupiscentiam et per poenam. — Ab hoc *nau-* Tabula prima.
fragio primo liberatur homo per *baptismum*, qui restituit innocentiam et gratiam perditam[7]; et ideo est *prima tabula.* Et quia frequenter relinquunt plures gratiam baptismalem et illam tabulam, per quam liberantur in undis maris; et per illam amplius non possunt se defendere: ideo indigent *se-* Secunda.
cunda, et haec est *poenitentia.* Utraque tamen dicitur *tabula*, quia sustinet, ne quis periclitetur per culpam; non tamen ita ponit in tuto, sicut erat homo in statu innocentiae.

Quod ergo obiicit, quod est[8] secunda tabula: ergo secundum Sacramentum, non valet; quia non omne Sacramentum est tabula, quia non omne liberat a naufragio. Et est simile: hic est secundus archidiaconus: ergo est secunda persona in hac ecclesia.

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 451, nota 1.

[2] Cfr. III. Sent. d. 34. p. I. a. I. q. 2. in corp. — Mox post *omnes* supple virtutes.

[3] Vide infra d. 17. p. I. a. 2. q. I. seqq.

[4] Cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. I. ad I. — Vide scholion ad I. huius articuli quaest.

[5] Non pauci codd. *quod.*

[6] Psalm. 103, 25. Cfr. August., in hunc loc., ubi (serm. 4. n. 5.) *navis* intelligitur Ecclesia. — Seq. textus est Prov. 31, 14.

[7] Vide supra d. 4. p. I. a. I. q. I. seq. — Cod. F *pristinam.* Subinde pro *plures* cod. U *homines*, et pro *liberantur* codd. R S T X *liberabantur.*

[8] Ex codd. F L supplevimus *est.* — Cfr. supra d. 2. dub. I.

Quod quaeritur: quid vocatur naufragium? di-
Resp. 1. cunt aliqui, quod quilibet casus in mortale; et quia duplex est differentia mortalis, scilicet originale et actuale; ideo duplex tabula, scilicet baptismus et
Resp. 2. poenitentia[1]. — Melius tamen potest dici, quod humana natura perpessa sit naufragium in Adam; nobis autem data est tabula baptismi, quae nos sustentat per innocentiam; et quia hoc Sacramentum iterari non potest[2], ideo datur aliud Sacramentum, et hoc est poenitentia.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister: *Poenitentia dicitur Sacramentum et virtus mentis. Est enim poenitentia interior et exterior:* ergo similiter est *virtus* et *Sacramentum* baptismus, quia est baptismus *interior* et *exterior*[3]. — Item, poenitentia *interior* est res huius Sacramenti[4]; sed nulla virtus est *res Sacramenti,* quia distinguitur gratia virtutum et gratia Sacramentorum: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod ista non est *tota* ratio, quod poenitentia *interior* sit virtus, sed quia
Notandum. est *poenitentia interior,* quae non tantum dicit *gratiam* vel actum gratiae, sed concernit *actum liberi arbitrii,* et ideo est virtus; non sic *baptismus;* differt autem poenitentia interior, ut est *virtus* et *res Sacramenti.* Primo enim modo est contra dehabilitationem culpae, secundo contra vulnerationem naturae[5].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *A poenitentia coepit Ioannis praedicatio.* Videtur enim, quod debuit incipere a baptismo, quia poenitentia est secunda tabula, sed baptismus prima[6].

Respondeo: Dicendum, quod incepit praedicationem a poenitentia-virtute, non Sacramento; et poenitentia-virtus in adultis praecedit baptismum; et quia praedicabat adultis, ideo recte incepit a poenitentia. Obiectio sua currit de poenitentiae Sacramento[7].

Dub. IV.

Item quaeritur de ista definitione Ambrosii, quae ponitur in littera: *Poenitentia est mala praeterita plangere et plangenda iterum non committere.* Videtur enim non esse conveniens: quia Philosophus[8] dicit, quod « peccat qui definit id quod est in quiete, per id quod est in actu et motu »; sed *poenitentia* dicit habitum, *plangere* actum: ergo etc. — Item, obiicitur de alio membro, quod dicit: « Plangenda iterum non committere »; aut enim refertur ad *idem* tempus, aut ad *aliud.* Si ad *idem;* tunc superfluit, quia nemo, dum peccata plangit, in eodem tempore peccata committit simul et semel. Si ad *aliud:* ergo poenitentia excludit iterationem culpae, ergo et iterationem poenitentiae.

Iuxta hoc quaeritur: cum multae definitiones poenitentiae assignentur, et « unius rei una sit definitio[9] »; quomodo differenter assignantur? Quaestio.

Respondeo: Ad primum dicendum, quod, sicut vult Philosophus[10], « habitus cognoscuntur per actus », et quoniam poenitentia est habitus; ideo per actum recte definitur, et per actum, qui est de *esse* et qui est principalis, et iste est *plangere commissa;* et per actum, qui est de *bene esse* sive de *perfecto esse,* et iste est *plangenda non committere;* vel per actum duplicem, principalem et annexum.

Quod ergo obiicitur, quod male definitur per actum; dicendum, quod actus non accipitur ut in motu, sed ut in quiete. Dicitur enim poenitentia esse *plangere*, non quia poenitentia semper sit in actu plangendi, sed quia habilis est ad plangendum; et sic accipitur ut in quiete.

Ad aliud dicendum, quod potest referri ad *idem tempus,* vel ad *aliud.* Si ad *idem tempus;* tunc non stat pro *actu* non committendi, sed pro *affectione,* ut scilicet, quando poenitemus, velimus iterum non committere, vel non velimus, sicut illi qui de uno peccato poenitent et de alio non poenitent; et ita non excludit *casum sequentem*, sed *malam voluntatem praesentem.* — Si autem referatur ad *futurum;* sic poenitentia definitur non quaelibet, sed *perfecta* et secundum statum perfectionis et utilitatis[11].

---

[1] Cfr. Alan. ab Insulis, I. Contra Haereticos, c. 48.

[2] Ut ostensum est supra d. 6. p. I. q. 6. — Cfr. infra d. 22. a. 3. q. 2. Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 4. a. 3; B. Albert., hic a. 1. et 2; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4. et circa lit.; Petr. a Tar., hic a. 7. quaestiunc. 2. ad 3; Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1.

[4] Ut ostenditur infra d. 22. a. 2. q. 2. — *Minor* insinuata est supra d. 1. p. I. q. 6.

[5] Vide supra a. 1. q. 1. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 1. et q. 14. m. 2. a. 1; B. Albert., hic a. 5. et d. 22. a. 6; S. Thom., hic circa lit. et d. 22. q. 2. a. 1; Petr. a Tar., hic a. 1. quaestiunc. 1; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. et d. 22. a. 2. q. 1. seq.

[6] Vide supra dub. 1.

[7] Cfr. supra a. 2. q. 3; infra d. 16. p. II. a. 1. q. 2, d. 17. p. I. a. 1. q. 3. et a. 2. q. 3. nec non d. 22. a. 3. q. 1. seq., ubi etiam in scholiis annexis alii auctores, qui de eadem re agunt, allegantur.

[8] Libr. VI. Topic. c. 3. (c. 4.). Verba vide tom. II. pag. 647, nota 1. — De *minori* cfr. supra a. 1. q. 1.

[9] Secundum Aristot., VI. Topic. c. 6. (c. 14.) in fine. Cfr. tom. III. pag. 501, nota 2.

[10] Cfr. supra pag. 320, nota 3. — Mox pro *recte* plures codd. *certe.*

[11] Cfr. infra p. II. a. 1. q. 1. ad 1, et lit. Magistri, hic c. 2. — Superius pro *praesentem* cod. F *praecedentem.*

Ad illud quod quaeritur de definitionibus, dicendum, quod poenitentia potest tripliciter notificari, scilicet per *actum principalem*, per *actum principalem et annexum* et per *effectum*. — Secundum primum modum tres dantur definitiones differentes solum voce vel maiori expressione. Prima est in Glossa Matthaei tertio[1]: « Prima virtus est per poenitentiam » etc.; unde talis traditur notificatio: « Poenitentia est prima virtus perimens hominem veterem ». — Secunda est Ambrosii in sermone quodam[2]: « Poenitentia est dolor et amaritudo animae pro peccatis, quae quisque commisit ». — Tertia Augustini in libro de Poenitentia[3]: « Poenitentia est quaedam dolentis vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse ». In omnibus his rationibus patet, quod est definitio per *actum principalem*, qui est dolere de commisso.

(Ad quaest. Modi 3 definiendi. — Modus primus definiendi. — Definitio 1. — Def. 2. — Def. 3.)

Quantum ad *secundum modum* dantur tres aliae, quae habentur in littera, differentes similiter secundum maiorem expressionem. Prima est Ambrosii in sermone[4]: « Poenitentia est praeterita mala plangere et plangenda » etc. — Secunda est Gregorii: « Poenitentia est anteacta mala deflere » etc. — Tertia Magistri: « Poenitentia est virtus vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito » etc. In omnibus istis rationibus non tantum ponitur actus *principalis*, qui est plangere et odire culpam perpetratam, sed etiam *annexus*, scilicet nolle aliam perpetrare.

(Secundus. — Def. 4. — Def. 5. — Def. 6.)

Quantum ad *tertium modum* dantur aliae tres differentes similiter secundum maiorem expressionem. Prima a Damasceno[5]: « Poenitentia est ab eo quod est praeter naturam, in id quod est secundum naturam conversio ». — Secunda in Glossa Matthaei quarto[6]: *Poenitentiam agite:* « Poenitentia est correctio malae mentis ». — Tertia Augustini in libro Quinque Responsionum[7]: « Poenitentia est quaedam res optima et perfecta, omnes defectus revocans ad perfectum ». — In omnibus illis rationibus tangitur secundum plus et minus *effectus* poenitentiae, qui est animam reparare. — Et sic patet quaesitum de differentia definitionum, quae dantur de poenitentia[8].

(Tertius. — Def. 7. — Def. 8. — Def. 9.)

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIV.

PARS II.

Contra errorem, quod poenitentia non iteratur.

His verbis quidam vehementius inhaerentes etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 315.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de poenitentia in generali, determinans veritatem, scilicet quid sit et quomodo dividatur et ad Sacramenta alia ordinetur. In hac parte ostendit duos errores ex praedictis ortum habentes. Quorum unus est, quod poenitentia non iteratur; alius est, quod poenitentia potest fieri de uno peccato sine alio. Ideo dividitur haec pars in duas. In prima elidit primum errorem. In secunda secundum, infra distinctione decima quinta: *Et sicut praedictis auctoritatibus illorum errorum* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima ponit errorem cum confirmatione. In secunda respondet ipsorum rationibus, ibi: *His aliisque pluribus utuntur* etc. In tertia adducit multiplices auctoritates ad elidendum istum errorem, ibi: *Quod vero poenitentia non tantum semel agatur* etc.

Prima pars duas habet secundum duo membra erroris. In prima adducit auctoritates, quae ostendunt, quod vera poenitentia non est, a qua quis recidivat. In secunda probat, quod post recidivum non est iteranda, ibi: *Item Ambrosius: Reperiuntur qui saepius* etc.

---

[1] Vers. 2. Verba Glossae vide supra a. 1. q. 1. fundam. 1.

[2] Serm. 25. (inter eius opera) n. 1. Vide C. *Ecce nunc tempus* (39.), § 1. de Poenitentia, d. 1.

[3] Cap. 8. n. 22. Textus originalis omittit *semper,* non pauci codd. *amisisse* [admisisse?] pro *commisisse* (cfr. hic lit. Magistri, c. 2. circa finem, Comment. p. II. dub. 6.), cui similis est illa definitio in lib. de Ecclesiast. Dogmat. (inter opera August.) c. 24: Poenitentia vera est poenitenda non admittere et admissa deflere.

[4] Serm. 25. n. 1. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi etiam occurrit definitio Gregorii (II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 15.) et ipsius Magistri, de qua vide infra p. II. dub. 4.

[5] Libr. II. de Fide orthod. c. 30, ubi post *secundum naturam* additur *atque a diabolo ad Deum per piae vitae studium laboresque* [δι' ἀσκήσεως καὶ πόνων].

[6] Vers. 17. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum. Firm. Lactant., Epitom. divinar. institut. c. 67. (alias 9.) dicit, quod poenitentia « sui correctio est ».

[7] Libr. III. (Hypognost. inter opera August.) c. 9. cfr. supra pag. 320, nota 1.

[8] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 2. § 1; B. Albert., hic a. 12. et 25; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 6; Petr. a Tar., hic a. 1. quaestiunc. 2. et circa lit.

Similiter secunda pars duas habet. In prima respondet auctoritatibus, quae videntur ostendere primam partem erroris. In secunda respondet auctoritatibus, quae ostendunt secundam, ibi: *Illud autem, quod Ambrosius ait* etc.

Similiter tertia pars dividitur in duas. In prima adducit auctoritates ad improbationem illius erroris. In secunda exempla Patrum. Primum facit ibi: *Quod vero poenitentia non semel tantum agatur* etc. Secundum, ibi: *Exemplis etiam astrui potest.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de iteratione poenitentiae.

Secundo, de effectu poenitentiae iteratae.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum contingat cadere a vera poenitentia.

Secundo, utrum contingat per poenitentiam resurgere.

Tertio, utrum omnis agens poenitentiam super culpam inveniat veniam a Deo.

ARTICULUS I.

De iteratione poenitentiae.

QUAESTIO I.

Utrum contingat cadere a vera poenitentia.

Circa primum proceditur sic et ostenditur, quod contingat a vera poenitentia cadere:

1. *Exemplo* David, qui de peccato mortis Uriae poenitens, quod Dominus eius poenitentiam acceptavit, peccavit in enumerando populum, secundi Regum ultimo [1].

Fundamenta.

2. Item, *auctoritate* Domini: Ioannis quinto [2] dixit paralytico: *Vade et amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* sed non fuisset comminatus malum propter recidivum, nisi posset cadere: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia poenitentia habet esse in libero arbitrio secundum statum viae, et hoc non coacto [3]; sed tale est vertibile, et per vertibilitatem potest cadere a statu gratiae et iustitiae: ergo et poenitentiae.

4. Item, gratia baptismalis est maior quam poenitentiae, et confirmationis similiter [4]; sed post veram gratiam baptismatis et confirmationis contingit cadere: ergo et post gratiam poenitentiae.

Ad oppositum.

Contra: 1. Ambrosius et Augustinus [5] sic definiunt poenitentiam: « Poenitentia est perpetrata plangere et plangenda non committere »: ergo si admittit vel committit post plangenda, prius non poenituit: si ergo poenituit, patet, quod ultra non committet. *Si dicas,* quod refertur ad idem tempus; hoc superfluit, quia nemo in eodem tempore, in quo plangit, peccata admittit.

2. Item, Isidorus [6]: « Inanis est poenitentia, quam sequens culpa inquinat »: ergo si post peccat, prima poenitentia fuit inanis: ergo *ab oppositis,* si fuit vera, postea non peccavit.

3. Item, *ratione* videtur: quia offensa est infinita, ergo et satisfactio, si vera est, debet esse infinita: ergo cum non sit infinita intensione, saltem est infinita duratione: ergo si non semper durat, non est vera poenitentia nec satisfactio.

4. Item, vere poenitentis est semper dolere [7], ergo semper peccatum detestari; sed semper detestanti gratiam impossibile est resurgere: ergo vere poenitentem, cum semper detestetur culpam, impossibile est cadere.

CONCLUSIO.

Homo potest cadere a poenitentia vera, quatenus vera importat essentiam poenitentiae, non vero, quatenus includit perseverantiam finalem.

Respondeo: Dicendum, quod sic erraverunt aliqui circa poenitentiam, sicut circa caritatem [8]. Dixerunt enim, quod habens semel veram caritatem nunquam perdit eam; similiter et habens veram

Opinio erronea.

---

[1] Vers. 1. seqq. (Cfr. infra dub. 13.). — De priori peccato David vide II. Reg. 12. 13. — Vat., pro *poenitens, quod* [i. e. ita quod] posito *poenituit, et,* post *acceptavit* addit *qui tamen post.*

[2] Vers. 14: Ecce sanus factus es, iam noli peccare etc.

[3] Cod. M *et in hoc non est coactio;* Vat. *non est coactum.* Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. seq.

[4] Vide supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1. seq. et d. 7. a. 2. q. 2.

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et Comment. p. I. dub. 4, in quo etiam obiectio subnexa *(refertur ad idem tempus)* expenditur.

[6] Libr. I. Synonym. n 77. — Cod. P (F a secunda manu) cum textu originali *coinquinat.* Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. circa finem verba Augustini. — Inferius pro *poenitentem* codd. I K *poenitenti.*

[8] De quo vide III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1.

poenitentiam nunquam eam perdit. — Sed hoc est manifestus error, et contra Scripturam.

Ratio deceptionis. Ratio autem, quae istos decepit, fuit, quia non consideraverunt, quid dicatur vel importetur per hoc nomen *verum*, cum dicitur *vera poenitentia*, vel *vera caritas*. Quamvis enim *unum* dicat indivisionem principiorum entis, et *verum* indivisionem entis ab *esse* sive actu absoluto, prout tamen natum est fieri apud intellectum [1], et *bonum* indivisionem ab actu ut in finem relato; tamen quando *verum* reflectitur supra *bonum*, ut dicatur, *vera virtus*, *utrumque* potest importare et utroque modo accipi potest.

Duplex sensus. Et ideo intelligendum, quod *veritas* poenitentiae dupliciter accipitur, sicut et cuiuslibet virtutis. Uno enim modo dicitur *virtus vera*, quae habet *verum virtutis opus*, vel nata est habere, quantum est de se; et haec veritas est de essentia virtutis. Alio modo dicitur *virtus vera*, quae *perducit in finem*; et haec veritas non est *essentialis* virtuti, sed tamen dicit virtutis *statum* sive continuationem [2].

Conclusio 1. — Secundum hoc dicendum, quod si *primo* modo dicatur *poenitentia vera*, quae verum virtutis habet actum; sic de veritate poenitentiae est detestari malum commissum et pro illo tempore nullum committere et de futuro proponere non committere; et ab omnibus his potest homo cadere, et ita a poenitentia *vera*, veritate primo modo dicta. Si autem dicatur *vera*, quia *perducit in finem*, ut finalis et continuata; ab hac non est cadere; sed hanc non est dicere [3] hominem habere nisi in fine, et post non contingit cadere. Conclusio 2.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod ad veritatem eius spectat plangenda non committere; dicendum, quod si loquamur de veritate *primo* modo, ad veritatem spectat non committere *tunc*, nec actu nec proposito, sed non *post*; et sic accipitur in illis definitionibus [4]. — Vel si accipiatur *pro futuro simpliciter*, tunc erit poenitentiae dictae *verae* veritate perseverantiae sive ducente in finem. — Et per hoc patet illud Isidori: quia dicitur *inanis* propter frustrationem finis [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod offensa est infinita; dicendum, quod Deus remittit *offensam* per gratiam et pro *delectatione* exigit poenam per poenitentiam; et ideo non oportet, quod sit infinita [6].

4. Ad illud quod obiicitur, quod semper dolere debet; dicendum, quod semper dolere debet *habitu*; sed qui *habitu* dolet de peccato praeterito, nihil impedit, quin *actu* committat futurum. — Vel referendum est ad poenitentiam finalem, sicut dictum est [7]. Aliter.

SCHOLION.

I. Haec quaestio connexa est cum alia, utrum gratia et caritas possint amitti; de qua actum est III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1, quaeque definita est a Concilio Trident. Sess. VI. in can. 23, qui refertur ibi in scholio, nec non Sess. VII. de bapt. can. 6; cfr. prop. 43. Paschasii Quesnelli a Clemente XI. damnata.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 5. a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 24. a. 11; cfr. III. q. 84. a. 10. — B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., hic a. 7. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 6; Dionys. Carth., hic q. 4.

II. Circa seq. (2.) quaestionem iam erraverunt Novatiani pluresque posteriores. Quaestio praecipue intelligenda est de *Sacramento* poenitentiae; conclusio autem confirmatur verbis Concilii Trid. (Sess. XIV. c. 2.), quod, dum baptismus nulla ratione possit iterari, in Sacramento poenitentiae « per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari ». Item Sess. VI. c. 14. dicitur: « Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo, per poenitentiae Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint »; simul contraria assertio reprobatur can. 29. — Notatu digna est triplex interpretatio loci Apostoli in solut. ad 1. 2.

De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. 3. 4. — Scot. rem tangit hic q. 1. 4. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 3; S. III. q. 84. a. 10. — B. Albert., hic a. 15. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 9. q. 2.

III. De 3. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 4. a. 2. — Scot., hic q. 1. n. 17. seqq. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; S. III. q. 86. a. 1. — B. Albert., hic a. 29. — Petr. a Tar. rem tangit in cit. a. 7. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1. — Dionys. Carth., loc. cit. et q. 6.

QUAESTIO II.

Utrum contingat per poenitentiam resurgere, hoc est poenitentiam iterare.

Secundo quaeritur, utrum contingat per poenitentiam resurgere, hoc est poenitentiam iterare. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. *Exemplo* David, qui primo peccavit homicidio et poenituit, *rursus*, numerando populum, et poenituit, et Deus utrumque acceptavit [8].

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 3. p. I. dub. 4. et d. 8. p. I. a. 1. q. 1. — Verbo *fieri* Vat. praemittit *notum*.

[2] Vide III. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. in corp. — Pro *sed tamen* cdd. *sed tantum*.

[3] Cod. R *non est necesse*.

[4] Cfr. supra p. I. dub. 4.

[5] Vide tom. I. pag. 771, nota 1.

[6] De quo infra d. 15. p. I. q. 1.

[7] Vide etiam infra dub. 2. 4. 8.

[8] Libr. II. Reg. 11, 15; 12, 13. et 24, 1. 10. — Pro *utrumque* multi codd. *utramque*, scil. poenitentiam.

2. Item, *auctoritate:* Ezechielis decimo octavo [1]: *Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis* etc., *omnium iniquitatum eius non recordabor amplius;* sed non distinguit peccatorem: ergo verum est de eo qui recidivavit, quia terminus in conditionali in antecedente tenetur universaliter.

3. Item, esto quod iste semper, dum fuit in poenitentia, fuisset in culpa; constat, quod peior fuisset; sed non est ei praeclusa via [2]: ergo si tunc potuisset per poenitentiam surgere, et nunc potest.

4. Item, *ratione* videtur: quia Deus pronior est ad miserendum quam ad condemnandum [3]; sed quantumcumque homo Deo servierit, si poenitet de bono facto, Deus obliviscitur bonorum: ergo si poenitet de malo, remittit.

5. Item, si non potest resurgere secundo, aut hoc est, quia non potest secundo poenitere, aut quia Deus non acceptat. Non primo modo, quia liberum arbitrium est in nobis vertibile, et tota die verti videmus; non secundo modo, poenitere enim est conteri et humiliari de peccato; sed dicitur in Psalmo [4]: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum* etc.

Ad opposi-tum.

Contra: 1. Ad Hebraeos sexto [5]: *Impossibile est, eos qui prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam.*

2. Item, Proverbiorum vigesimo octavo [6]: *Qui perversis graditur viis concidet semel.*

3. Item, Ambrosius [7] dicit, quod « unica est poenitentia, sicut unicum baptisma ». Et Origenes dicit, quod « in gravioribus criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus ».

4. Item, *ratione* videtur: quia Sacramentum poenitentiae habet effectum a Christi passione, ut baptismus; sed passio Christi est unica, et amplius non potest pati: ergo nec poenitentia iterari. Et hoc est quod dicit Apostolus ad Hebraeos sexto [8]: *Rursus crucifigentes sibi Filium Dei.*

5. Item, baptismus non iteratur nec iterari potest, ne fiat contumelia Sacramento et veniat in contemptum: ergo pari ratione nec poenitentia.

CONCLUSIO.

Poenitentia semper iterari potest, quamdiu homo est in hac vita.

Respondeo: Dicendum, quod pessimus error est et crudelissimus, quod poenitentia non possit iterari, quia claudit viscera divinae misericordiae [9]; et tunc omnes peccatores, vel fere omnes cogeret desperare. Et ideo dicendum, quod iterari potest quotiescumque, quamdiu homo est in hac vita; sed post hanc vitam non potest. Conclusio.

Et ratio, quare poenitentia possit et debeat iterari, et baptismus non, est triplex. Una est, quia in baptismo imprimitur character, qui est indelebilis, in poenitentia non. — Secunda ratio est, quia baptismus est contra morbum non iterabilem, qualis est morbus peccati originalis; sed poenitentia contra morbum iterabilem, qualis est morbus peccati actualis. Unde quia medicina debet aptari morbo, patet etc. — Tertia ratio est, quia baptismus habet totam efficaciam a passione Christi, sed poenitentia non tantum a passione Christi, sed ab actu nostro; et ideo baptismus non iteratur, sicut nec passio; poenitentia vero iteratur, secundum quod voluntas nostra convertitur et revertitur. Inde est, quod in baptismo omnis poena remittitur, in poenitentia non. Et si baptismus iteraretur, daretur nobis occasio peccandi; non sic est in poenitentia, quia bene punit.

Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de verbo Apostoli: impossibile est etc.; potest fieri vis in hoc quod dicit *impossibile:* quia non ex viribus humanis [10]; vel *impossibile,* id est difficile; loquitur enim de perfectis, qui difficulter resurgunt. — Vel ut fiat vis in *poenitentia:* quia loquitur de renovatione, quae est in poenitentia, quam sequitur

---

[1] Vers. 21. seq., ubi Vulgata post *eius* addit *quas operatus est,* omisso subinde *amplius.* — Pro ratione conclusioni addita notetur haec regula ex libro *Syncategoremata* (inter opera Petri Hispani), c. de Modo syllogizandi ex conditionalibus: Prima [regula] est, quod si termini communes ponantur in antecedente, sub eis potest fieri descensus [ad singularia], consequente permanente immobili, ut si homo currit, animal currit: ergo si Plato currit, animal currit, et si Socrates currit, animal currit etc. Cfr. Boeth., de Syllogismo hypothetico; Averroes, Epitome Prior. Analytic. c. 5. seq. et Quaesit. Priorum Analytic. q. 7.

[2] Vat. *non fuisset ei praeclusa salutis via.*

[3] August., Serm. 18. (alias 220. de Tempore) c. 2. n. 2: Non enim amat Deus damnare, sed salvare. Vide etiam C. *Quia Divinitatis natura* clemens est et pia magisque ad indulgentiam quam ad vindictam prona (73.), de Poenitentia, d. 1. — De *minori* cfr. Ezech. 18, 24. — Codd. H aa *miserandum* pro *miserendum.*

[4] Psalm. 50, 19. — Non pauci codd. post *sed* omittunt *dicitur.*

[5] Vers. 4. et 6.

[6] Vers. 18.

[7] Libr. II. de Poenitentia, c. 10. n. 95. Vide hic lit. Magistri, c. 2; ibid. c. 3. habentur etiam verba Origenis, in Levit. homil. 15. n. 2. — Arg. ex auctoritate Origenis, quod in codd. et ed. 1 desideratur, retinuimus cum Vat., quia ipsius in solut. obiectorum expressa fit mentio.

[8] Vers. 6. Cfr. supra d. 6. p. I. q. 6. et dub. 2, ubi etiam arg. et rationes in corp. allatae insinuantur.

[9] Respicitur Luc. 1, 77. seq. Cfr. I. Ioan. 3, 17. — Inferius pro *cogeret* cod. X *cogerentur.* Subinde post *quotiescumque* supplevimus ex cod. U (E a secunda manu) *quamdiu,* pro quo cod. F *dum.*

[10] Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 4, tres affert expositiones huius verbi Apostoli. Prima est: « Sic intelligendum est, quod per se cadere potuerunt, sed per se surgere non possunt, atque ideo illis impossibile esse, Deo non esse ». Secunda est, quod impossibile sit, renovari lapsum, ita quod non sit lapsus. Tertia est, quod impossibile sit iis qui in peccatis voluntarie persistunt (Hebr. 10, 26.). Cfr. eius Epist. II. ad Ranulph. de Mauriaco. De secunda solut. *(difficile)* cfr. tom. II. pag. 991, nota 3. — Mox pro *perfectis* Vat. *imperfectis.*

baptismus; haec enim virtutem totam habet ab hostia passionis, et de hac dicit Apostolus ad Hebraeos decimo [1]: *Non relinquitur hostia pro peccato.*

3. Ad illud Ambrosii et Origenis, dicendum, quod intelligi debet de poenitentia *solemni*, et hoc secundum morem aliquarum ecclesiarum, sicut patet in littera [2].

4. 5. Ad illud quod obiicitur de baptismo et contumelia Sacramenti, patet responsio ex praedictis, quod non est simile. *Hic* enim non fit contumelia *Sacramento*, quia sic institutum est et efficaciam habet, sed secundus *baptismus* nullius est efficaciae. Non fit etiam contumelia *passioni*, quia non sic totam et plenam efficaciam a passione recipit, ut baptismus, sicut in praecedentibus [3] visum est et infra de poenitentia videbitur.

QUAESTIO III.

Utrum omnis agens poenitentiam super culpam, quamvis gravissimam, inveniat veniam a Deo.

Tertio quaeritur, utrum omnis agens poenitentiam super culpam inveniat veniam, etiam quantumcumque peccaverit. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Secundi Machabaeorum nono [4]: *Orabat scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus;* loquitur de Antiocho, qui veniam petiit et propter multa scelera non invenit.

2. Item, ad Hebraeos duodecimo [5] Paulus, de Esau loquens, dicit: *Non invenit locum poenitentiae, quamquam cum lacrymis postulasset eam;* constans est, quod poenitebat et petebat veniam et non invenit, et tamen non fuit multum enormis peccator: ergo multo minus qui sunt in gravibus peccatis.

3. Item, de angelo et de daemonibus dicit Isidorus in libro de Ordine creaturarum [6]: « Non poenituerunt, et si poenituissent, veniam non invenissent ».

4. Item, sententia definitiva est irrevocabilis: ergo si aliquis damnatus est per sententiam definitivam, quantumcumque poeniteat, non invenit veniam; sed damnati poenitebunt, sicut dicitur Sapientiae quinto [7]: *Dicent intra se, poenitentiam agentes* etc.: ergo cum eis nunquam detur venia, non omnis agens poenitentiam apud Deum invenit veniam.

Fundamenta. Contra: 1. Matthaei decimo octavo [8]: *Quoties peccaverit in me* etc.; et post: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies;* Glossa: « Finitum ponit pro infinito »: ergo si praecepit nobis misericordiam ad infinitas culpas, si quaeratur ei venia; cum maiorem misericordiam faciat, quam praecipiat, et ipse sit misericordissimus; multo magis videtur, quod ipse petenti sibi veniam parcat.

2. Item, Bernardus in libro de Gradibus humilitatis [9] dicit de diaboli damnatione: « Sic Deus temperavit in vindicta sententiam, ut, si vellet resipiscere, Deus veniam non negaret ».

3. Item, misericordia Dei superexcellit omne peccatum intensive; unde quia ipsa est infinita, videtur, quod quantumcumque iteretur peccatum, adhuc superexcellit: ergo plus potest Deus remittere, quam homo possit peccare: ergo si veniam petit, misericordiam non negat [10].

4. Item, Chrysostomus [11] dicit: « Etiam si ad summum quis perveniat malorum et inde velit reverti, suscipit libenter et amplectitur »: ergo videtur, quod omnis agens poenitentiam apud Deum inveniat veniam.

CONCLUSIO.

Quicumque agit poenitentiam propter Dei offensam, paratus ei facere emendam, invenit gratiam et veniam.

Respondeo: Dicendum, quod *agere poenitentiam* sive dolere de culpa commissa est dupliciter: aut propter *laesionem naturae*, aut propter *offensionem Maiestatis divinae* et ipsius iustitiae. Duplex poenitentia.

Membrum 1. *Primam* poenitentiam super culpa commissa habere potest quis ex sola natura sine aliqua gratia. Sicut enim homo naturaliter se diligit, ita etiam

---

[1] Vers. 26. ubi Vulgata *pro peccatis.* Ita Haymo, in Hebr. 6, 6. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. in fine.

[2] Hic c. 3. Cfr. infra dub. 9. seq.

[3] Dist. 6. p. 1. q. 6. et dub. 2; infra d. 15. p. I. q. 1. Cfr. de hac quaest. Alanus ab Insulis, l. Contra Haereticos, c. 47. seqq. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 13: Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset etc.

[5] Vers. 17: Non enim invenit... cum lacrymis inquisisset eam.

[6] Cap. 8. n. 4: Nec poenitere desiderant, nec etiam, si poenituissent, veniam recipere omnino possent. — Pro *angelo* cod. E *angelis.*

[7] Vers. 3: Dicentes intra etc. — In fine arg. pro *veniam* codd. N aa *gratiam.*

[8] Vers. 21: Quoties peccabit in me etc. — Seq. textus ibid. v. 22. — Glossa est secundum Chrysost. in hunc loc. (Homil. 61, alias 62. n. 1.): Non numerum statuit hic, sed infinite, perpetuo et semper denotat. Cfr. Paschas. Radbert., qui in hunc loc. ait: Hunc finitum numerum sub sacramento piae significationis pro infinito posuit. — Inferius post *nobis* cod. K (F I a secunda manu) supplet *dare.* Subinde ed. 1 omittit *ei*, scil. fratri vel alicui. In fine arg. pro *parcat* cod. U *praestet*, codd. M O *portat.*

[9] Cap. 10. n. 33: Sic utique temperans in vindicta sententiam, ut si velis resipiscere, non neget veniam. — Plurimi codd. cum edd. incongrue *vindictam*, et *neget.*

[10] Cfr. Eccli. 2, 22. seq.

[11] Ad Theodorum lapsum adhortatio I. n. 6. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

odit omne, propter quod malum incurrit. Et haec poenitentia est in malis et in damnatis et erit aliquando in angelis malis, cum absorpti erunt a poenis. Sed in hac vivit et regnat mala voluntas, cum sit proprii boni amica [1]; ideo Deus eam non acceptat, nec quis sic poenitens invenit gratiam vel veniam.

Conclusio 1.

Alia est poenitentia, qua quis poenitet propter *Dei offensam*, paratus ei facere emendam. Et haec non est sine divina gratia *gratum faciente*, vel *gratis data* [2]; et haec adeo disponit ad gratiam, quod nullus est sic poenitens, quin inveniat gratiam et veniam; et ideo Deus nulli eam dat, nisi cum quo proponit facere misericordiam. — Et quoniam diabolus hanc habere non potest, ideo non potest habere veniam. Sed si per impossibile poneretur, quod diabolus hanc haberet; utique Dominus daret ei gratiam. Haec igitur est potissima causa irremediabilitatis peccati diaboli, quia non potest poenitere, nec liberum arbitrium eius verti ad veniam petendam. Quae autem huius sit ratio, habet locum in secundo libro [3]. — Concedendum igitur, quod omnis agens poenitentiam super culpam secundum assignationem praedictam, quantumcumque peccaverit, invenit veniam.

Membrum 2. Conclusio 2. Corollarium.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Antiocho, dicendum, quod poenituit propter laesionem naturae, quam incurrerat, non propter divinam offensam. Unde non intendebat satisfacere pro offensa, sed, sicut patet ex littera [4], desperabat, quamvis mentiendo contrarium diceret.

2. Ad illud quod obiicitur de Esau, dicendum, quod ipse similiter poenituit propter amissionem benedictionis, et propterea nolebat facere emendam, sed potius de fratre quaerebat vindictam, sicut patet ex textu [5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod diabolus et daemones veniam non haberent, si peterent; dicendum, quod loquitur de petitione veniae quantum ad primum modum, scilicet propter poenas, non propter iustitiam; si enim alio modo poeniterent, haberent, sicut dicit Bernardus [6], sed non possunt.

4. Ad illud quod obiicitur de damnatis, dicendum, secundum distinctionem praehabitam, quod non poenitebunt propter amorem iustitiae, sed propter odium poenae [7].

ARTICULUS II.

De effectu poenitentiae iteratae.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de effectu poenitentiae iteratae. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum necesse sit resurgere in aequali caritate, vel etiam in maiori.

Secundo quaeritur, utrum perfecta poenitentia restituat in pristinum gradum.

Tertio, utrum perfecta poenitentia restituat homini opera bona prius mortificata per culpam.

QUAESTIO I.

Utrum necesse sit resurgere in aequali caritate, vel etiam in maiori.

Circa primum proceditur sic.

Ad oppositum.

1. Ad Romanos octavo [8]: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum;* Glossa: «Etiam lapsus in mortale»; sed si resurgerent in minori caritate, non cooperaretur eis in bonum: ergo etc. *Si dicas,* quod casus reddit cautiores et diligentiores; *contra:* augmentata una virtute, augmentantur et omnes [9]: ergo si aliquis est prudentior etc.

2. Item, Dominus per Ezechielem, decimo octavo [10], de peccatore poenitente: *Omnium iniquitatum eius non recordabor amplius;* sed si minorem reddit caritatem, recordatur: ergo etc. *Si dicas,*

[1] Simili modo August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 2. *dolorem* daemonum explicat, dicens: Sicut ergo laetitia deserti boni in peccato testis est voluntatis malae, ita dolor amissi boni in supplicio testis est naturae bonae. Qui enim dolet amissam naturae suae pacem ex aliquibus reliquiis pacis id dolet, quibus fit, ut *sibi amica natura sit* etc. Cfr. de Fide ad Petrum (inter opera August.), c. 3. n. 38.

[2] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 6. Vide etiam ibid. a. 1. q. 1. — Inferius voci *veniam* cod. V praemittit *gratiam et.*

[3] Dist. 7. p. I. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 2.

[4] Libr. II. Machab. 9, 18: Sed non cessantibus doloribus, supervenerat enim in eum iustum Dei iudicium, *desperans* scripsit etc. — Mox pro *quamvis* permulti codd. et ed. 1 perperam *quasi.*

[5] Hebr. 12, 17. et Gen. 27, 38. seqq. — Vat. *praeterea* pro *propterea.*

[6] Qui verbis supra pag. 334, nota 9, allegatis addit: Secundum tamen duritiam tuam et cor impoenitens, non possis velle, et ideo nec poena carere. — Superius pro *peterent* edd. *poeniterent.*

[7] Cfr. infra infra d. 50. a. 1. q. 1. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Vers. 28. — De Glossa vide tom. III. pag. 678, nota 5, in qua ex verbis Augustini obiectio subnexa *(casus reddit cautiores)* sumta est.

[9] Propter connexionem earum. Cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. et 3.

[10] Vers. 22: Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.

quod intelligitur de recordatione ad poenam aeternam; *contra:* diminutionem gratiae sequitur diminutio gloriae: ergo si in minori caritate resurgit, minorem gloriam habebit: ergo cum ablatio gloriae et diminutio boni aeterni sit poena: patet etc.

3. Item, Augustinus ad Macedonium [1], loquens de recidivantibus: «Deus facit, oriri super tales lumen suum, nec minus tribuit, quam ante tribuerat, largissima dona vitae ac salutis». *Si dicas:* quantum est de se; *contra:* mensura gratiae est secundum donationem illius [2]: ergo si prius magna et larga, et nunc; et sic etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia, sicut determinat Magister [3], per poenitentiam opera mortificata vivificantur, quia fiunt remuneratione digna: ergo remunerabuntur opera prius facta; sed constat, quod secundum quod meruerunt: ergo tantum habebunt gloriae, ex quanta caritate sunt facta: ergo necesse est, quod in aequali resurgat, cum nullus possit praemiari ultra quantitatem caritatis finalis.

5. Item, difficilius est resurgere quam resistere, ergo maioris virtutis et gratiae: cum ergo per gratiam, quam habuit, non restiterit peccato; ad hoc, quod resurgat, necesse est habere maiorem.

6. Item, Deus nihil mali permittit fieri, de quo non eliciat bonum aequale, vel maius; quia, si hoc esset, aliquando turpitudo remaneret in universo [4]: ergo si permittit hunc peccare peccato, quod adimit tantum de gratia, necesse est, quod tantum, vel plus restituat.

Contra: 1. Contingit perfectum cadere; sed cum resurgit, statim non est perfectus, quia «nemo repente fit summus [5]»: ergo non necesse est, quod resurgat in *aequali.* Fundamenta.

2. Item, minima caritas potens est delere omnem culpam; sed non est necesse isti de gratia, nisi quantum sufficit ad delendam culpam: ergo non necesse est, quod in *aequali,* si [6] potest in minori.

3. Item, Deus in donatione gratiae de congruo considerat dispositionem suscipientis [7]; sed possibile est, quod qui magnam caritatem habuit parum se disponat: ergo possibile est, ipsum parvam caritatem recipere.

4. Item, «quanto gradus altior, tanto casus gravior [8]», et quanto gravior est casus, tanto minus est homo dispositus ad gratiam: ergo ex hoc, quod maiorem habuit caritatem, minus est dispositus: ergo potius resurget in minori quam in aequali.

5. Item, iste nihil meretur propter caritatem, a qua cecidit, similiter nec per aliquid, quod habeat [9]: ergo gratiae donatio omnino est a liberalitate Dei: ergo potest esse maior, minor et aequalis.

CONCLUSIO.

Probabilius est, quod resurgens per poenitentiam a peccato resurgat vel in maiori, vel in minori, vel in aequali gratia, secundum quod se melius praeparet et divina gratia dispenset.

Respondeo: Ad hoc dixerunt quidam, quod semper in *aequali,* vel *maiori* oportet resurgere. Opinio 1. — Et ratio eorum super hoc est, quod Dominus non permitteret, electum cadere, nisi videret, quod deberet sibi prodesse. Rationes tres. *Ulterius* dicunt, quod Dominus semper electos in meliori statu vitae accipit; *tertio,* quia remuneratur opus, quantum meruit radix, ex qua fuit. — Sed *positionem* hanc credo falsam, sicut monstratum est [10]; et *rationem* positionis minus congruam, tum quia fundatur super *falsum,* tum quia super *incertum.* Improbatur dupliciter. Super *falsum,* in hoc quod dicit, quod remuneratio operis respicit radicem, ex qua *facta sunt;* quod falsum est; sed potius radicem, in qua *reviviscunt;* nunquam enim remunerarentur, nisi finalis caritas superveniret. Nihil enim efficaciter est dignum remuneratione sine finali perseverantia [11]. — Alia duo sunt *dubia,* scilicet quod Deus semper electos in meliori statu accipiat, et quod semper prosit casus ad augmentum gratiae, cum videamus signa ad contrarium.

Ideo credo, quod probabilior est alia opinio, Opinio 2. et conclusio.

---

[1] Epist. 153. (alias 54.) c. 3. n. 7, ubi textus originalis *solem suum* (Matth. 5, 45.) pro *lumen suum* et *tribuebat* [quod etiam plures codd. cum ed. 1 habent] pro *tribuerat;* cfr. tamen hic lit. Magistri, c. 4.

[2] Eph. 4, 7: Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Cfr. Rom. 12, 3. et II. Cor. 10, 13.

[3] Hic in lit. c. 2. Cfr. infra q. 3. — Inferius post *ex quanta caritate sunt facta* fide plurium codd. et ed. 1 omisimus superfluam propositionem, quae repetit praecedentem: *et tantam gloriam, ex quanta caritate sunt facta* [ita Vat. cum pluribus codd.; plures alii codd. *et tanta gloria* (erit), *in quanta caritate sunt facta*]. Tamen, si primo loco poneretur *gratiae* pro *gloriae,* lectio illa sustineri posset.

[4] Vide verba August. tom. II. pag. 770, nota 1. allegata. Cfr. etiam I. Sent. lit. Magistri, d. XLVI. c. 4, et Comment. q. 6.

[5] Ut dicunt Gregor. et Bernard. tom. III. pag. 678, nota 3. citati, nec non Beda, II. de Tabernaculo etc. c. 13. — Post *sed* cod. U legit: *tamen resurgit, et cum resurgit* etc.

[6] Codd. A G K Y planius *sed.* Superius pro *delendam* non pauci codd. *deflendum.*

[7] Hieronym., in Matth. 25, 15: Non pro largitate et parcitate alteri plus et alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus.

[8] Richard. a S. Vict., de Verbo incarnato, c. 14: Quanto gradus altior, tanto casus deterior. Hinc est enim, quod multo difficilius renovatur ad vitam ad unius criminis lapsum quilibet christianus quam qualiscumque infidelis etc. Cfr. tom. II. pag. 750, nota 5; Libellus de dignitate sacerdot. (inter opera Ambrosii) c. 3. et Isidor., III. Sent. c. 34. n. 4.

[9] Vat. *nec aliquid, quod habebat.* Pro *cecidit* nonnulli codd. *recedit.*

[10] In fundam. Cfr. III. Sent. d. 31. a. 1. q. 3. — Superius pro *meruit* cod. F *meretur.*

[11] Hieronym., in Ezech. 18, 24: Sicut iustum, antea peccatorem, non praegravant antiqua delicta, sic peccatorem, qui prius iustus fuerit, non iuvant veteres iustitiae. Unusquisque enim *in quo invenietur,* in eo iudicabitur.

quod resurgat in aequali et maiori et minori, secundum quod se melius praeparat, et divina largitas dispensat.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod casus cooperatur in bonum; dicendum, quod hoc dicitur non ratione gratiae *augmentandae*, sed recuperatae *conservandae.* Et utilius est modicum de gratia habere usque in finem quam multum ad tempus tantum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non recordatur Deus iniquitatum; dicendum, quod verum est; unde non dat ei minorem gratiam merito peccatorum, sed quia non bene se praeparat ad tantam gratiam.

3. Ad illud Augustini ad Macedonium dicendum, quod Deus paratus est, si homo se disponeret; et hoc dicit pro *aliquibus*, non pro omnibus, quia illud Apostoli [1]: *Ubi abundavit* etc., verum fuit alicubi, sed non ubique.

4. Ad illud quod obiicitur de vivificatione, dicendum, sicut patebit [2], quod *opus vivificari* est dignum remuneratione fieri, et opera remunerabuntur secundum mensuram caritatis finalis.

5. Ad illud quod obiicitur, quod fortius est resurgere; dicendum, quod fortius quantum ad *actum,* sed non oportet, quod ex fortiori *habitu,* quia nec in resistendo nec in resurgendo operari est necesse secundum totam virtutem voluntatis [3].

6. Ad aliud dicendum, quod elicit bonum non facienti semper, sed in *universo,* et hoc est declaratio summae misericordiae et iustitiae; et aliquo modo facienti, nisi negligat, quia habet maiorem occasionem fervoris et humiliationis ex ipso casu.

SCHOLION.

I. In responsione ad 1. huius articuli quaestionem S. Thom., Scot., B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med. aliique illius aetatis S. Bonaventurae consentiunt, docentes, quod mensura gratiae et virtutum infusarum respondeat ultimae dispositioni poenitentis, et quod per consequens restitutio gratiae fiat quandoque in maiori, quandoque in minori, quandoque in aequali gradu; quam sententiam etiam Alex. Hal. (S. p. IV. q. 12. m. 4. a. 5.) praefert, quin alteram sententiam improbabilem esse censeat. — Sed oritur difficultas ex alio principio communiter recepto, quod scilicet *opera meritoria* peccato mortificata per subsequentem poenitentiam reviviscunt, id est iterum efficacia fiant ad perducendum in gloriam aeternam, cum manserint in acceptatione divina. Si enim merita reviviscunt *prorsus eadem* et cum toto iure ad gloriam ipsis proportionatam, etiam quando dispositio poenitentis fuerit minima, ast sufficiens; et si superadditur meritum ex ipso actu poenitentiae procedens: tunc sequeretur, quod resurgens *maiora merita* ad *gloriam essentialem* acquirendam semper haberet, quam prius habuerit. Scot. (IV. d. 22. q. unica n. 8.) aliquo modo hoc alterum concedit; nihilominus (ibid. n. 9. 10.) approbat responsionem praenotatam ad 1. quaestionem pro *primo instanti* iustificationis; unde supponit, primam gratiam posterius, cum fuerit maior dispositio, vel saltem in instanti mortis, integram redire. — Alii vero recentiores docent, in instanti iustificationis semper redire *totam gratiam* proportionatam praecedentibus meritis; quod, licet sit contrarium conclusioni 1. quaestionis, censetur esse probabile. — Sed cum Alexandro Hal. S. Thomas videtur aliter docere, quod scilicet poenitens, sicut non resurgit semper in eodem gradu *gratiae,* sic nec resurgat in eodem gradu *meritorum,* et per consequens nec in eodem iure ad *gloriam* essentialem, quod habuit ante lapsum. Hinc S. Thom. dicit (S. III. q. 89. a. 5. ad 3.): « Ille qui per poenitentiam resurgit in minori caritate, consequetur quidem praemium *essentiale* secundum quantitatem caritatis, in qua invenitur; habebit tamen gaudium maius de operibus in prima caritate factis quam de operibus, quae in secunda fecit; quod pertinet ad praemium accidentale » (cfr. III. Sent. d. 31. a. 4. quaestiunc. 1. 2. 3, et hic q. 2. a. 2; S. loc. cit. a. 2.). Idem docet Richard. a Med. — Pro hac quaestione illustranda servit III. Sent. d. 31. a. 1. q. 2. 3.

II. De 1. quaestione praeter citatos: B. Albert., hic a. 30. — Petr. a Tar., III. Sent. d. 31. q. 1. a. 3, et hic a. 8. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., III. Sent. d. 31. a. 1. q. 2. — Durand., de hac et 3. q. hic q. 5. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 6.

III. Seq. (2.) quaestio est de resurrectione in « aequali statu dignitatis » (ut dicit Alex. Hal., loc. cit.) sive « in pristina dignitate » (ut dicit S. Thom. S. loc. cit. a. 4.). Quaestio ab his doctoribus intelligitur de dignitate *secundaria,* scilicet de innocentia et integritate, sive quoad *ablationem reliquiarum* peccati; qua formula alii utuntur. De distinctione inter *dignitatem* et *puritatem* cfr. infra d. 15. p. II. dub. 10. Eadem haec quaestio a S. Thoma extenditur ad dignitates in *foro Ecclesiae.*

De eadem praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. et a. 4. — Scot., hic q. 4. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3. — B. Albert., hic a. 33. — Petr. a Tar., loc. cit. ad 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 2. ad 3, a. 8. q. 1. ad 1.

IV. De 3. quaestione cfr. Bonav., III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. ad 2, et infra d. 22. a. 1. q. 1. ad 2; et quoad opera satisfactoria infra d. 15. p. 1. a. 1. q. 4. — De eadem: Alex. Hal., loc. cit. a. 6. — Scot., IV. Sent. d. 22. q. unica n. 7. seqq.; Report. ibid. n. 6. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. loc. cit. a. 5. — B. Albert., hic a. 21. 22. 23. — Petr. a Tar. rem tangit infra d. 22. q. 1. a. 1. ad 4. — Richard. a Med., hic a. 8. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum perfecta poenitentia restituat in pristinum gradum.

Secundo quaeritur, utrum perfecta poenitentia restituat in pristinum gradum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus in libro Quinque Responsionum [4]: « Poenitentia est res quaedam optima et perfecta, omnes defectus revocans ad perfectum »; sed si non revocaret in gradum pristinum, non esset perfecta revocatio: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia peccator Deum offendit, non tantum quia contra eius imperium facit, sed etiam in hoc, quod se, servum suum et

---

[1] Rom. 5, 20.
[2] Infra q. 3.
[3] Ita codd. N aa, alii *nobilitatis,* Vat. *virtutis nobilitatem.*
[4] Sive Hypognost. III. c. 9. Cfr. supra pag. 320, nota 1.

eius imaginem, deformat et peiorem reddit: ergo non potest perfecte reconciliari, quamdiu aliquid manet minus bene quam ante, quia non tantum Deo restituit, quantum abstulit.

3. Item, perfectus medicus perfectum largitur antidotum; sed perfectum antidotum non est, nisi pristinam plene restituat sanitatem: cum ergo Dominus sit perfectus medicus animarum, patet etc.

4. Item, Dominus, cum sanavit in corpore, semper restituit sanitatem pristinam perfecte, ergo similiter, cum sanat in spiritu[1]; sed sanat in spiritu per poenitentiam: ergo poenitentia perfecta restituit in pristinam sanitatem.

Ad oppositum. Contra: 1. Possibile est, ut dictum est[2], resurgere in minori caritate et in eadem suam perficere poenitentiam: ergo poenitentia perfecta non restituit semper in sanitatem pristinam.

2. Item, aliquis per peccatum amisit virginitatem; sed impossibile est, ipsum ulterius virginem fieri[3]: ergo impossibile est per poenitentiam in statum pristinum redire.

3. Item, gloria magna est homini in hoc, quod nunquam offendit Deum; sed eum qui poenitet post peccatum, necesse est Dominum offendisse: ergo nunquam in statum pristinum et gloriam redibit[4].

4. Item, potentior est baptismus et efficacior quam poenitentia; sed baptismus nunquam reparat omnes defectus, quos incurreramus per originale — quod patet, quia remanet quadruplex poena animae[5] et poena corporis multiplex — ergo nec poenitentia restituet omnia quae incurrimus per actuale.

CONCLUSIO.

Poenitentia et in duratione et in fervore perfecta restituit sanitatem, sed tantum quoad substantiam.

Respondeo: Dicendum, quod poenitentia perfecta potest considerari dupliciter: Distinctio 1. aut quantum ad *durationem*, aut quantum ad *durationem et fervorem*. Si quantum ad *durationem*, ut scilicet ieiunet, quamdiu imponitur, et compleat quod sibi imponitur secundum rectam taxationem sacerdotis; non est necesse restitui in statum pristinum, quia Conclusio 1. ita negligenter potest exsequi, quod non praeparat se ad tantam gratiam, quantam amisit. — Si autem sit perfecta quantum ad *fervorem et durationem;* sic dico, quod si ita ferventer poenitet et dolet de Conclusio 2. culpa, secundum quod congruit ei qui de tanto statu cecidit, credo, quod per hanc redit in pristinam sanitatem. Et de hac intelligit Augustinus, et Notandum. concurrunt praedictae rationes, quia antidotum illud operatur secundum congruentiam suscipientis. — Intelligendum est tamen, quod dupliciter est loqui Distinctio 2. de sanitate: aut quantum ad *substantiam* habituum gratiae et habilitatum naturalium[6]; et sic restituit Conclusio 3. in sanitatem pristinam. Est etiam loqui quantum ad aliquem *statum* sive integritatem vel decorem *accidentalem,* et quantum ad hoc non est necesse re- Conclusio 4. stitui; et haec est continuatio innocentiae et integritatis carnis etc.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod potest in minori resurgere et poenitentiam perficere; dicendum, quod si non negligenter perficit poenitentiam, ad ulteriorem gratiam se disponit.

2. 3. Ad illud quod obiicitur de virginitate et gloria illa de innocentia; dicendum, quod quantum ad hoc non restituit, sed quantum ad omne quod fuit substantiale circa meritum.

4. Ad illud quod obiicitur de baptismo, quod non restituit; dicendum, quod verum est; et ratio Notandum. huius est, quia sanat tantum *personam;* sed originale inficit et *naturam* et *personam:* et ideo non omnes poenae tolluntur[7]. Non sic autem est in poenitentia; ipsa enim sanat morbum *personalem* tantum, et ideo totaliter et omnino sanat, cum perfecta est[8].

QUAESTIO III.

Utrum poenitentia restituat homini opera bona, prius mortificata per culpam.

Tertio quaeritur, utrum poenitentia restituat homini opera bona, prius mortificata per culpam. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Hugo[9]: « Nemo in spe correctionis peccare debet, quia quod semel amittitur, ipsum amplius non recuperatur »: ergo si bona opera prius facta sunt amissa per culpam, impossibile est, ea restitui, ergo nec vivificari.

2. Item, omne quod vivificatur, est aliquo modo; sed quod omnino praeteriit nullo modo est, et talia sunt opera bona prius facta: ergo nec vivificari nec recuperari possunt.

---

[1] Cfr. infra lit. Magistri, d. XV. c. 7.
[2] Quaest. praeced.
[3] Ut insinuat Hieronym. in Amos 5, 1. seq., et Epist. 22. n. 5. Cfr. tom. I. pag. 751, nota 6.
[4] Hieronym., in Amos 5, 1. seq.: Non est enim eadem gloria eius qui semper secutus est Dominum, et eius qui aberraverit a grege et postea boni pastoris reportatus est humeris (Luc. 15, 5.).
[5] Vide supra pag. 53, nota 4. Cfr. d. 4. p. I. a. 1. q. 2. — Pro *incurreramus* plures codd. *incurrimus.*
[6] Cfr. II. Sent. d. 35. a. 1. q. 1. in corp. — Edd. cum aliquot codd. *ad substantiam et habitum gratiae et habilitatem naturalium.* In fine corp. post *et haec* supple *sanitas.* Pro *integritatis* codd. F L O X (bb a secunda manu) *integritas.*
[7] Ut dictum est supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. in corp. et ad 3. pro parte negativa.
[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.
[9] Libr. II. de Sacram. p. XIV. c. 4. — In fine arg. pro *restitui* codd. I K *recuperari.*

3. Item, impossibile est habitum amissum amplius illum eundem recuperare[1]: ergo a simili impossibile est, opera bona, prius mortificata et amissa, eadem recuperari et vivificari.

4. Item, si opera mortificantur et vivificantur, ergo idem actus secundum idem sui est susceptibilis oppositarum conditionum; quod est impossibile[2], quia impossibile est, quod motus unus secundum eandem partem primo sit velox et postea tardus.

Fundamenta. Contra: 1. Ioel secundo[3]: *Reddam vobis annos* etc.; Glossa: « Non patiar, perire ubertatem, quam cum perturbationibus amisistis »; sed ubertas illa erat ex multitudine bonorum operum: ergo si illam non patitur perire, poenitentia restituit opera bona, mortificata per culpam.

2. Item, *ratione* videtur: quia opera bona facta prius digna erant remuneratione aeterna; sed quod nunc non remunerentur, hoc est, quia iste non perseverat in gratia: ergo si iste resurgit et perseverat in gratia, opera illa remunerabuntur[4]: ergo etc.

3. Item, iste gaudet de bonis, quae fecit ante lapsum, et ordinate: ergo in gloria gaudebit; sed non gauderet in gloria, nisi illa fecisset: ergo ex illis operibus mortificatis per culpam accrescit gaudium aeternum: ergo etc.

4. Item, plus potest gratia poenitentiae quam culpa[5]; sed culpa opera viva mortificat: ergo gratia mortificata vivificat.

CONCLUSIO.

Opera bona, quae prius fuerunt viva et deinde culpa mortificata, gratia redeunte, reviviscunt.

Respondeo: Dicendum, quod hoc verum est, et communis tenet opinio, quod opera, quae prius fuerunt viva, quia ex caritate facta et digna vita aeterna, postea, adveniente culpa, mortificantur in isto — quia amplius in hoc quamdiu est culpa, in eo non sunt digna remuneratione propter indi-
Conclusio. gnitatem ipsius — sed rursus gratia redeunte, quae istum facit dignum vita aeterna, iam opera in hoc sunt digna remuneratione, et ideo restituuntur et vivificantur. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quod quidam dicunt, quod opera bona, in caritate facta, quia bona sunt et a Deo, fiunt *in laudem Dei*, et inde debet laudari Deus[6]; quia vero in unitate corporis mystici et quia in caritate, pertinent *ad corpus mysticum;* quia ex libera voluntate et iusta, ad *radicis praemium* sive facientis meritum. Unde licet iste cadat[7], qui fecit, opera nihilominus remanent in *corpore mystico*, quia inde alia membra gaudebunt, et *Deus inde laudabitur;* sed tamen non manent ad *gloriam facientis*, et ideo moriuntur isti, cum iste moritur; sed ipso resurgente a culpa et facto de corpore mystico, sibi bona opera reviviscunt; et quantum ad hoc dicunt intelligi illud Apocalypsis tertio[8]: *Tene quod habes* etc. Explicatio aliorum.

Tamen quidquid sit de hoc, sive remaneant in corpore mystico, sive non; verum est, quod manent in memoria eius *qui fecit;* et dubium etiam non est, quin maneant in memoria *Dei* opera prius facta; et quamdiu manet culpa, manent in Dei cognitione cuncta respicientis et in memoria peccatoris. Sed *ibi* non manent ad *remunerandum*, nec in memoria *peccatoris* ad *gaudendum*, sed magis ad *dolendum*, quod de tantis bonis ad tanta mala devenit. Sed cum resurgit, manent in *Deo* ad remunerandum, et in memoria ipsius *peccatoris* ad gaudendum. Et ideo prius aliquo modo manebant, sed mortua, postmodum manent viva. Explicatio auctoris.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Hugone, dicendum, quod intelligit de illo opere bono, quod homo potuisset facere vel fecisset illo tempore, quo peccavit, quod quidem non recuperabit; quia, si alio tempore velit facere opus, quod omisit, perdit opus, quod deberet in illo tempore facere. Unde Seneca[9] dicit, quod gravissima est iactura temporis, quia non potest recuperari. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod secundo obiicitur, potest responderi dupliciter: vel quod manent in corpore mystico, sicut tactum est, vel quod manent in memoria eius qui fecit, et Dei, pro quo fecit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod impossibile est recuperare habitum amissum eundem numero; dicendum, quod aliud est *vivificari*, aliud *recuperari*. Recuperatio enim respicit *esse*, sed vivificatio Notandum.

---

[1] Cfr. Aristot. de Praedicam. c. *de Oppositis*, tom. II. pag. 815, nota 4. allegatus; V. Phys. text. 36. seqq. (c. 4.), et II. de Generat. et corrupt. in fine.

[2] Secundum Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.).

[3] Vers. 25. — Glossa (secundum Hieronym. in hunc loc.) est apud Lyranum *interlinearis*, ubi in fine legitur *quam perturbationibus animi perdidistis*. Non pauci codd. *Non patiatur* vel *Non patietur* pro *Non patiar*.

[4] Hieronym., in Gal. 3, 4: *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa*, ait: Quod quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora *sine causa* dicitur passus fuisse, dum peccat; sic rursum non perdet ea, si ad pristinam fidem et ad antiquum studium revertatur. Cfr. Hebr. 6, 10, qui versus a Petro Lombardo (in hunc loc.) simili modo explicatur.

[5] Vide tom. II. pag. 920, nota 4.

[6] August., Enarrat. in Ps. 68. serm. 1. n. 5: Laudant omnia Deum, sed quae fecit Deus. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXXVII. c. 2.

[7] Ita codd. H U; alii et edd. *quia* (cod. Y *quando*) *iste cadit*, sed inepte.

[8] Vers. 11.

[9] Epist. 1: « Ita fac, mi Lucili! vindica te tibi et tempus... Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit... tanta stultitia mortalium est, ut... nemo se iudicet quidquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere ». Idem exponit in libro de Brevitate vitae, praesertim c. 8. — Pro *recuperari* plures codd. *recuperare*.

respicit *ordinatum esse* sive ordinem, vel tale *esse.* Et quoniam quod desinit esse, si iterum incipiat esse, non est idem numero, sed aliud; ideo habitus, si corrumpatur et amittatur, idem non *recuperatur.* Sed quia possibile est, quod idem, manens idem, habeat alium et alium *ordinem;* et secundum hoc attenditur vivificatio et mortificatio in operibus et fortassis in habitibus: ideo possibile est, opus mortuum *vivificari,* ita quod manet idem.

4. Ex hoc solvitur ultimum: quia, quando dicitur opus vivum et mortificatum, hoc non dicit diversas *dispositiones circa opus,* sed dicit *circa opus diversas ordinationes,* scilicet ordinationem ad remunerationem, dum vivit, et privationem illius, cum iam mortuum est sive mortificatum. Sed in *suscipiente* sive homine dicit diversitatem penes qualitatem gratiae, quae est accidens absolutum ipsius subiecti, secundum cuius susceptionem et amissionem subiectum alteratur, et dicitur modo homo *mortuus,* modo *vivus,* modo *peccator,* modo *iustus,* et ita alteratus. Sed *opus* ex consequenti est ordinatum ad vitam, vel hoc ordine privatum; et hoc non dicit motum, quia « in *ad aliquid* per se non est motus [1] ».

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc verbo Isaiae, quod est in littera: *Lavamini, mundi estote;* ubi dicit Isidorus: *Lavatur, et non est mundus, qui plangit quae gessit* etc. Videtur enim male dicere, quia *lavare* non est aliud quam *mundificare:* ergo *lavari,* et *non esse mundum,* non est aliud quam *mundificari,* et *non esse mundum,* et ita sunt opposita. — Item, cum dicit: Lavatur qui plangit etc.; aut intelligit de planctu *exteriori,* aut de *interiori.* Si de *exteriori,* tunc ex hoc non lavatur. Si de *interiori,* tunc constans est, quod iustificatur [2], si ex corde hoc faciat: ergo est mundus.

Respondeo: Dicendum, quod differenter exponunt aliqui hunc locum. Quidam enim dicunt, quod differt *lavari* et *esse mundum,* sicut actus et habitus; et sic qui poenitet, sed statim recidit, *lavatur* quidem, quia habet *actum* poenitentiae, sed paulo post cadit, et ita non habet *habitum,* et ideo non dicitur mundus. — Aliter exponitur, quod differt *lavari* et *esse mundum,* sicut via et terminus, sive dispositio et praeparatio ad aliquid. Fletus enim et dolor attritionis disponit ad poenitentiam. Cum quis ergo dolet et atteritur, lavatur, quia ad munditiam disponitur; sed tamen, dum recidit, se iterum inquinat, et ideo non est mundus [3]. Et est exemplum, si mulier pannum lavaret et statim post aliquantulam lotionem in lutum immergeret. Unde sermones sunt *tropici* et sunt secundum quandam metaphoram exponendi.

Expositio 1. Expositio 2. Exemplum.

Quod quaeritur, cuiusmodi sit illa lotio; dico, quod est *interior,* et non est *contritionis,* sed *attritionis;* vel si est *contritionis,* non tamen denominat *mundum,* quia non perseverat, ut passio in tertia specie qualitatis [4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Nihil prosunt lamenta, cum replicantur peccata.* Videtur enim falsum dicere, quia prosunt ad remissionem praeteritorum peccatorum, quia saltem illa dimittuntur: aliquid ergo prosunt, non ergo *nihil.* — Item, *si tu dicas,* sicut Magister [5] dicit, quod « nihil prosunt ad salutem »; ergo pari ratione deberet dicere, quod nihil prosit baptismus, cum replicantur peccata.

Respondeo: Dicendum, quod intelligit de replicatione *habituali,* quia nihil prosunt lamenta, cum est voluntas replicandi, quia deest poenitentiae fundamentum, et ideo lacrymae illae sunt fictae. — Vel dicendum, sicut dicit Magister, quod « nihil prosunt *ad salutem* ». Nec est simile de baptismo, quia, quamvis ad salutem non prosit, quando peccata replicantur, prodest tamen propter impressionem characteris, et quia confertur fundamentum omnium Sacramentorum; ideo non est simile. De poenitentia autem, cum homo peccat, nihil manet, et ideo iterari potest et debet [6].

Aliter.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Gregorius: *Qui commissa plangit, nec tamen deserit, poenae*

---

[1] Secundum Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.). Vide tom. II. pag. 831, nota 7. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Edd. *vivificatur.* Superius pro *sunt opposita* cod. F *sibi opposita.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Aristot., de Praedicam. c. *de Quali,* ubi recenset quatuor species qualitatum. Tertia complectitur passibiles qualitates et passiones (cfr. supra pag. 136, nota 3.). De *passionibus* ipse ait: Quaecumque vero ex iis quae facile solvuntur et cito transeunt, fiunt, *passiones* dicuntur, *qualitates* vero minime. Non enim aliqui secundum ipsas dicuntur *quales:* neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est *rubeus* dicitur etc. — Cfr. infra d. 17. p. I. a. 2. q. 2. seq. — Superius pro *et non est* codd. *sed non est,* et pro *non tamen* edd. cum pluribus codd. *non tantum.*

[5] Hic in lit. c. 2. — Mox voci *quod* fere omnes codd. praemittunt *ita,* cod. aa *in littera ita.*

[6] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Superius post *confertur* cod. X addit *ut.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 15; S. Thom., hic circa lit.

graviori se subiicit. Videtur enim male dicere, quia *plangere commissa* non est peccatum; sed homo non subiicit se poenae graviori nisi propter culpam: ergo etc. — Item, *plangere* bonum est et poenale: ergo potius disponit ad gratiam quam ad poenam.

Respondeo: Dicendum, quod hoc non dicit de quocumque fletu, sed hypocritarum, qui in lacrymis exterius praetendunt sanctitatem et in corde portant iniquitatem; et isti peccant dupliciter[1], et quantum ad tales loquitur Gregorius. — Aliter potest dici, quod loquitur de eo qui flet ordinate et in detestationem culpae, quod poenae graviori se subiicit non propter *fletum,* sed propter *contemptum.* Fletus enim ille est ab aliquo dono Dei; et cum[2] iterat peccatum, contemnit donum Dei. — *Praeterea,* in ipso fletu consideratur peccati enormitas; ideo, cum iteratur, augetur offensa propter actualem considerationem. Unde sicut habitus scientiae aggravat[3], et tamen bonum est scire peccatum et cognoscere; ita considerare et plangere peccati enormitatem est bonum; et si quis post hoc peccat, aggravatur culpa *per accidens*[4].

(Aliter. — Ratio 1. — Ratio 2.)

Dub. IV.

Item quaeritur de ista definitione Magistri: *Poenitentia est virtus vel gratia, qua commissa mala* etc. Videtur enim non esse conveniens: quia definitio totum *esse* rei debet indicare[5]; et partes poenitentiae sunt confessio et contritio et satisfactio: unde videtur, quod non solum per actum contritionis, qui est plangere et odire peccatum, sed etiam per actus alios deberet definiri. — Item, poenitentia est respectu praeteritorum et non respectu futurorum: ergo male definitur respectu futuri, cum dicit: *Et plangenda iterum non committere.*

Respondeo: Dicendum, quod actus principalis poenitentiae est actus *cordis* et actus interior[6]; et ideo per illum magis definit, et ideo illum tangit *explicite.* Unde *planctus* non attenditur hic quantum ad effusionem lacrymarum exteriorum, sed interiorum, quia istae exteriores non sunt de *esse,* sed de *bene esse.* Nihilominus tamen alios actus includit, cum dicit: « Cum emendationis proposito », quia *emenda* fit per confessionem et satisfactionem; et quoniam poenitentia, secundum quod virtus est, respicit emendam, et emenda non stat cum iteratione culpae: ideo *ex consequenti* respicit culpam non iterandam. Et ideo Magister definit per futurum, quia, quamvis poenitentia, ut est *affectio*[7], sit respectu praeteriti; tamen poenitentia-*virtus* etiam futurum respicit. Unde in definitione poenitentiae tangit Magister triplicem actum. Unus est actus poenitentiae secundum quod *poenitentia;* et hic est dolere de culpa commissa. Alius est actus, secundum quod poenitentia est *virtus;* et iste actus est velle emendare, et hunc tangit, cum dicit: « Cum emendationis proposito » etc. Tertius est annexus utrique, scilicet *nolle offendere* vel committere; et iste perficit utrumque. Nullus enim vere poenitet de praeterito nec proponit emendam facere, nisi proponat ultra non offendere[8].

(Notandum. — Triplex actus.)

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Et, si de peccato succedenti poenitentia agatur, et poenitentia, quae praecessit, et alia ante acta bona reviviscunt.* Videtur enim secundum hoc, quod *vivificare* sit actus *poenitentiae.* Sed *contra:* videtur, quod magis *iustitiae,* quia mortuum vivificare non est aliud quam iustificare; sed iustificatio est per generalem iustitiam: ergo et vivificatio; et hoc videtur Ezechielis decimo octavo[9]: *In iustitia, quam operatus est, vivet et non morietur.* — Item videtur, quod hoc sit *fidei,* Hebraeorum decimo[10] et Habacuc secundo: *Iustus ex fide sua vivit.* — Item videtur, quod hoc sit *caritatis,* quia « caritas est vita animae », sicut dicit Augustinus[11] et magister Hugo de sancto Victore. — Item videtur, multo magis esse *gratiae*[12], quia *vita* dividitur in vitam naturae, gratiae et gloriae.

---

[1] August., Enarrat. in Ps. 63, 7. n. 11: Simulata innocentia non est innocentia, simulata aequitas non est aequitas, sed *duplex* iniquitas; quia et iniquitas est et simulatio.

[2] Edd. *qui.*

[3] Vide infra d. 16. p. I. dub. 9. De verbis seqq. cfr. II. Sent. d. 39. dub. 1, et August., de Utilitate credendi, c. 11. n. 25.

[4] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 16; S. Thom., hic circa lit.

[5] Cfr. Aristot., II. Poster. c. 10. (c. 9.); I. Topic. c. 4; VII. Metaph. text. 33. et 43. (VI. c. 10. seq.).

[6] Vide infra d. 22. a. 2. q. 2.

[7] Libr. I. Sent. d. 17. p. II. dub. 2. inter quatuor modos, quibus *affectio* sumitur, S. Bonav. hunc recenset: « Alio modo dicitur affectio *passio* vis affectivae, ut gaudium et dolor et huiusmodi ». Hic intelligitur, ut paulo inferius insinuatur, affectio sive passio *doloris* sive « dolere de culpa commissa ». — Vat. *afflictio.* — Altera huius propos. pars colligi potest ex conditionibus, quae secundum Aristot. (II. Ethic. c. 4.) requiruntur ad virtutem, scil. quod virtuosus agat scienter, ex electione et *stabili atque immutabili affectu.*

[8] Cfr. supra p. I. dub. 4. et infra d. 16. p. I. dub. 1. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 2. § 2. et q. 17. m. 3. a. 9. § 1. seq.; B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 6; Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 1.

[9] Vers. 22: In iustitia sua, quam... vivet. Verba *et non morietur* habentur v. 28.

[10] Vers. 38: Iustus autem meus ex fide vivit. Habac. 2, 4: Iustus autem in fide sua vivet.

[11] Epist. 140. (alias 120.) c. 24. n. 61; in Ioan. Evang. tr. 9. n. 8, et de Substantia dilectionis (inter opera August.), c. 6. Verba Hug. vide tom. III. pag. 596, nota 4.

[12] Cfr. tom. II. pag. 641, nota 7, et Bernard., Serm. 16. de Diversis, n. 1. seqq.

Respondeo: Dicendum, quod sicut *vivere* in naturalibus aliquando dicitur *actus primus* [1], aliquando dicitur *signum* vitae; sic etiam aliquando attribuitur vita ei, *a quo est*, aliquando ei, *in quo* Notandum. *manifestatur*. Dicendum ergo, quod illud quod vivificat, proprie *gratia* est; illud autem, per quod manifestatur, *virtus* est [2]. Potest igitur manifestari Distinctio. vita ut in *fieri*, vel ut in *facto esse*. Si ut in *fieri*, sic attribuitur *virtuti poenitentiae*, per *quam* manifestatur ipsa vivificatio, quia in contritione percipiuntur signa expulsionis peccati. Si ut in *facto esse*, sic potest manifestari vita quantum ad *intellectum*, et sic per *fidem captivantem;* aut quantum ad *affectum*, et sic per *caritatem vigorantem*, aut quantum ad *effectum*, et sic per *iustitiam regulantem*. — Et ita patet responsio, quare his attribuitur, et responsio ad obiecta, quia non attribuitur his vita tanquam *principio*, sed tanquam *manifestativo;* et talia possunt esse plura.

Dub. VI.

Item quaeritur de hac definitione Augustini, quam ponit in littera: *Poenitentia est quaedam dolentis vindicta* etc. Videtur enim male dicere; quia nullus in eadem causa potest esse reus et iudex [3]: ergo si quis peccavit, non potest rationabiliter se punire. — Item, homo magis tenetur ex caritate se diligere quam alium [4]; sed homo debet alii parcere, non vindicare se: ergo non debet vindicare nec vindictam de se exigere. — Item, vindicta est solius Dei, sicut dicitur ad Romanos duodecimo [5]: *Mihi vindictam:* ergo poenitentia est solius Dei sive vindicta in poenitentia.

Respondeo: Dicendum, quod ista ratio est conveniens: quia poenitentia virtus est ad destructionem veteris hominis ordinata [6]; et nemo potest vitam novam inchoare, nisi repudiet veterem; et nemo potest Deo amicus effici, nisi odiat quod Deus odit. Quia ergo Deus odit peccatum odio vindictae et ipsum peccatorem; ideo poenitens et *peccatum* debet Notandum. odire et *de se* rationem [7] et vindictam expetere.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod non pertinet; dicendum, quod non pertinet ad ipsum, in quantum reus est, *iudicare;* pertinet tamen *iudicari*, in quantum reus est, et *iudicare*, in quantum iustus. Unde ipsa *ratio*, conformata legibus aeternis, se ipsam punit, ut conformis fuit legi peccati; et sic accipit auctoritatem a Deo, et non ipsa punit, sed Deus. — Item, Deus inseruit homini *naturale iudicatorium* [8], cui commisit regnum animae iudicandum; et *liberum arbitrium*, illi conformatum, debet vindicare transgressionem et in se ipso, non auctoritate sua, sed Dei et naturalis iudicatorii, quod non errat. — Cum ergo dicitur, quod non est idem reus et iudex; verum est: idem *secundum idem*. Notandum.

Quod obiicitur, quod debet parcere; dicendum, quod etsi homo debeat parcere iniuriam suam; tamen iniuria Dei vindicanda est ab eo cui commissa est cura; et quia homo iniuriatus est Deo, ideo debet esse minister Dei [9] in parte ista.

Ex hoc patet ultimum, quod vindicta est Dei; verum est de vindicta, qua aliquis *vindicat se*, quia nullus debet *se* vindicare, sed debet vindicare *alium* de se, vel de alio. — Vel dicendum, quod Dei est Aliter. tanquam *principalis auctoris*, hominis tanquam *ministri* [10].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus: *Semper doleat et de dolore gaudeat.* Videtur enim male dicere, quia *gaudium* et *dolor* sunt opposita; et « opposita non sunt nata simul inesse eidem [11] »: ergo impossibile est, quod semper doleat et gaudeat. *Si tu dicas*, quod *dolor* de peccato et *gaudium* de dolore non habent oppositionem; *contra:* videtur, quod habent oppositionem, quia, sive de eodem, sive de diversis, impossibile est, quod eadem anima simul sit tristis et gaudens: ergo impossibile est, quod semper doleat et gaudeat [12]. — Item, in dolore movetur cor secundum *constrictionem*, in gaudio secundum *dilatationem;* sed « non potest simul et semel moveri oppositis motibus [13] »: ergo etc. *Si tu dicas*, quod gaudium est *secundum quid*, et dolor *simpliciter; contra:* nulla est virtus, in qua non sit delectatio, et si virtus simpliciter, est delectatio *simpliciter;* virtus enim delectat suum possessorem [14]. — Item, gaudium est de praesentia rei

[1] Secundum quod Aristot., II. de Anima, text. 37. (c. 4.) dicit: Ipsum autem vivere viventibus *esse* est. Cfr. ibid. text. 5. 13. et 24. (c. 1. et 2.).

[2] Vide III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. ad 3.

[3] Cfr. L. I. ff. *Ne quis in sua causa*, ex quo hoc axioma: Iudex in causa propria quis minime esse potest.

[4] Cfr. III. Sent. d. 29. q. 3. — De *minori*, in qua post *non vindicare* ex cod. H supplevimus *se*, cfr. Levit. 19, 18.

[5] Vers. 19. In recentioribus edd. Vulgatae *vindicta*.

[6] Vide supra p. I. a. 1. q. 1. fundam. 1.

[7] Codd. F G H L O U Y *ultionem*, cod. R *rationem rei*. Mox post *non pertinet* codd. E L supplent *ad ipsum*. Aliquanto inferius pro *se ipsam* et *non ipsa* codd. *se ipsum* et *non ipse*.

[8] Vide tom. II. pag. 901, nota 2.

[9] Respicitur Rom. 13, 4. — Superius pro *cura*, quod edd. omittunt, cod. aa *causa*. — De accusativo *iniuriam* cfr. Forcellini, Lexicon etc.

[10] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 12. m. 1. a. 2. § 2. in fine; B. Albert., hic a. 25.

[11] Secundum Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.).

[12] Aristot., IX. Ethic. c. 4. dicit, quod « fieri nequeat, ut simul doleat et laetetur quispiam ».

[13] Aristot., VIII. Phys. text. 71. (c. 8.), et II. de Anima, text. 147. (III. c. 2.). — De *maiori* cfr. Avicenna, de Viribus cordis, tr. 1. c. 7, ubi dicit: Tristitia, quam quidam vocant constrictionem [Graece συστολήν] pectoris sive cordis... laetitia, quam quidam appellant dilatationem [Graece διαστολήν] pectoris sive cordis.

[14] Hug. a S. Vict., Qq. in Epist. ad Gal. 5, 22, q. 56: Virtutes petendae sunt propter se, quia possessores suos sin-

amatae; ergo si poenitens multum desiderat dolere, videtur, quod si multum dolet, gaudet simpliciter.

Respondeo: Dicendum, quod utrumque est in vere poenitente, scilicet *dolor* et *gaudium;* nec unum diminuit alterum, sed perficit; sicut *velle dolere* vel desiderium doloris dolorem non minuit, immo auget; sic et *gaudium.* Nam in poenitentia, cum sit virtus, non tantum est *dolor*, sed *dolor voluntarius;* et cum quis habet quod amat et desiderat, necessario gaudet: ideo poenitens, cum habet dolorem, quem desiderat, gaudet; nec gaudium removet dolorem, immo perficit, et simul est dolor et gaudium, sicut Augustinus de se dicit quarto Confessionum [1], quod «solus fletus erat sibi dulcis», loquens de amico mortuo, et hoc erat propter doloris vehementiam; sic et in proposito.

Notandum.

Quod ergo quaeritur: quomodo possibile est esse simul? dici potest, quod vel non sunt in eadem potentia, sed in diversis, ut dolor sit in sensualitate et gaudium in ratione; et tunc nullum est impossibile, quod una vis gaudeat de dolore existente in alia [2]. — Vel dicendum, quod sunt in eadem vi, secundum quod supra se convertitur; unde sicut non cum actu simplici, sed composito *vis intellectiva* convertitur supra peccatum et supra dolorem; sic nec *affectus.* Unde sicut in ratiocinatione dicimus, quod est actus unus, tamen intellectus convertit se supra plura, quae diversimode cognoscit; sic et affectus consequens sine aliqua repugnantia diversimode afficitur. Et sic patent obiecta [3].

Aliter.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Magister, quod istud: *Poenitentia est vindicta semper puniens* etc., *intelligitur de poenitentia perfectorum.* Videtur enim male dicere, quia Augustinus [4] dicit, quod «si poenitentia finitur, nihil relinquitur de venia»: ergo semper punire spectat ad omnes.

Respondeo: Dicendum, quod *perfectus* dicitur dupliciter: aut quantum ad *temporis durationem*, aut quantum ad *status sublimitatem.* Prima perfectio est, quae condividitur contra *incipientes* proficientes secundum profectum temporis [5]. Alia perfectio consistit in *operibus supererogationis.* Magister autem intelligit de perfectione *primo* modo et vocat *perfectorum poenitentiam,* quae durat usque ad finem vitae; et de hac dicit intelligi illud Augustini, quod *semper punit.* — Notandum tamen, quod *semper punire* debet non simpliciter, sed quamdiu durat culpa. Et sic patet illud [6].

Distinctio.

Dub. IX.

Notandum super hoc quod dicit, quod *solemnis poenitentia fit extra ecclesiam,* ubi quatuor sunt notanda: primo, *qualis* sit sive quae sit eius forma; et dicendum, quod poenitentia *solemnis* est poenitentia addens super *publicam*, quia non tantum est in manifesto, sed quia fit cum solemnitate quadam. In capite enim Quadragesimae eiicitur poenitens extra ecclesiam nec admittitur usque ad diem Coenae, et tunc etiam non communicat. Eiicitur autem a persona authentica, sicut ab episcopo, praesentibus sacerdotibus, qui noverunt culpam.

Qualis sit poenitentia solemnis.

Secundo notanda est *ratio* huius solemnitatis triplex: una est ad *terrorem aliorum*, alia propter *erubescentiam delinquentis*, et tertia propter *significationem eiectionis Adae* de paradiso. Unde hoc debet cum crebris suspiriis denuntiare episcopus, et ita eiicitur, sicut Adam eiectus fuit de paradiso; et ideo non est iteranda. Et de hoc habetur quinquagesima distinctione, capitulo *Poenitentes* [7], et capitulo sequenti, et eadem distinctione capitulo *Si quis post remissionem,* paragrapho *Potest et aliter.*

Ratio eiusdem triplex.

Notandum est etiam, quod haec poenitentia non imponitur nisi pro gravi et enormi culpa, maxime pro culpa, quae totam urbem commovit, sicut ibidem [8] dicitur. Nec imponenda est sacerdotibus propter reverentiam Ordinis; potest quidem imponi *publica* poenitentia pro peccato manifesto.

Pro quo imponatur.

Quarto notandum, quod poenitens non reconci-

A quo reconcilietur.

---

cera delectatione delectant [S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 2. haec verba tribuit Glossae *interlineari* in hunc loc.]. Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 8; II. c. 3, et II. Magnor. Moral. c. 8. (c. 7.).

[1] Cap. 4. n. 9: Solus fletus erat dulcis mihi et successerat amico meo in deliciis animi mei. Cfr. c. 7. n. 12.

[2] Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 2. a. 2. § 2. in fine affert quandam Glossam (cfr. Glossa *ordinaria* in Levit. 4, 1. sumta ex Origene, Homil. 2. n. 2, in qua distinctio ponitur inter *animam* et *spiritum):* Anima dolet, spiritus gaudet. Vide etiam III. Sent. d. 16. a. 2. q. 2, ubi similis de dolore Christi quaestio solvitur. — Mox pro *se convertitur* multi codd. *se convertit* [se].

[3] Praeter Alex. Hal. et S. Thom., locc. citt., idem dub. solvit B. Albert., hic a. 26; Petr. a Tar., hic circa lit.

[4] Libr. de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 13. n. 28. Vide hic lit. Magistri, c. 2. circa finem.

[5] Cfr. Gregor., XXIV. Moral. c. 11. n. 28; et Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernard.) c. 5. n. 12. — Post *incipientes* cod. Y addit *et.*

[6] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 27; S. Thom., hic circa lit.

[7] Cap. 63. — Seq. cap. incipit *In capite Quadragesimae,* in quo exponuntur, quae observanda sint in solemni poenitentia (scil. ea quae paulo superius a S. Bonav. allata sunt). Tertio cap. *Si quis post remissionem* (61.) Gratianus haec adiunxit: Potest et aliter intelligi. Est quaedam poenitentia, quae solemnis appellatur, quae semel tantum in Ecclesia conceditur, de qua Ambrosius ait: Sicut unum baptisma etc. (cfr. hic lit. Magistri, c. 3.). — A codd. allegatur *26. Causa, quaest. 6. c. ultimo,* in quo solum dicitur, quod presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet poenitentem, nisi ultima necessitas cogat; et quod ei, cuius crimen publicum et vulgatissimum est, ita ut universam commoverit Ecclesiam (alias: urbem), ante absidam manus imponatur (cfr. paulo inferius).

[8] Cap. *Placuit ut poenitentes* (68.), § 2. d. 50. et C. *Presbyter, inconsulto episcopo* (14.). C. 26. q. 6. (Cfr. nota praeced.). — De seq. propos. cfr. C. *Confirmandum est* (65.). seqq. d. 50.

liatur solemniter nisi ab episcopo, vel sacerdote de mandato episcopi, praesertim in articulo necessitatis. Reconciliari autem potest in octava Paschae, si bene poenituerit, et habere ingressum ecclesiae; sin autem, manebit sic usque ad finem vitae; et de hoc dicitur Causa vigesima sexta, quaestione sexta[1].

Dub. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *hoc in quibusdam Ecclesiis non servatur.* Videntur enim tales Ecclesiae peccare, cum faciant contra rationem Sacramenti et significationis solemnis poenitentiae.

Respondeo: Dicendum, quod hoc non est de *necessitate* poenitentiae, sed solum de *bene esse;* tamen, ubi sunt gentes durae, haec poenitentia iteratur ex causa, ut duritia confringatur multiplici confusione, quae unica non confringebatur[2]; et vix talibus posset imponi poenitentia occulta ita diuturna, quod susciperent vel servarent: ideo talis poenitentia iteratur ex causa.

Dub. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod vero poenitentia non semel tantum agatur, sed frequenter iteretur.* Videtur enim male dicere, quia super illud Amos primo[3]: *Super tribus sceleribus Damasci et super quatuor non convertam eum;* Glossa Hieronymi: « Quarto eadem peccata committenti nec poenitentiam nec indulgentiam se daturum denuntiat »: ergo non videtur, quod *frequenter,* sed tantum *ter.*

Respondeo: Dicendum, quod Hieronymus[4] intelligit, quod primum peccatum sit consentire in corde, secundum est facere in opere, tertium est vertere in consuetudinem, quartum est finaliter non poenitere; et de hoc nec poenitentiam dat nec veniam, quia post mortem non est locus poenitentiae. Ab aliis tribus liberat et dat poenitentiam et veniam simul, sicut probatur et innuitur in resuscitatione trium mortuorum, quorum unum suscitavit in domo, alium in porta et tertium in sepulcro[5].

Quadruplex peccatum.

Dub. XII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Chrysostomus: *Etiam si ad summum quis perveniat malorum.* Videtur enim male dicere, quia nullus est ita malus, quin adhuc possit peccare: ergo nullus est ita malus, quin adhuc possit fieri deterior. — Item, in Psalmo[6] dicitur: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper:* ergo si semper crescit, nunquam est status quantum ad actum.

Respondeo: Dicendum, quod hoc potest intelligi secundum *actum,* ut ita sit malus, quod nullus peior[7]; non intelligitur secundum *potentiam.* — Vel dicatur, quod hoc intelligitur secundum *genus peccati,* quod si aliquis peccet enormissimo peccato, adhuc Deus paratus est parcere, dum est in via; et hoc vocat *summum malorum:* quia est malum contra *gratiam* divinam, ut fornicatio; et est malum contra *gratiam et rationem,* ut periurium; et est malum contra *gratiam, rationem et naturam,* ut sodomia, et illud est pessimum; vel si quod aliud genus peccati sit peius, ut blasphemia in Deum sive spiritus blasphemiae[8].

Aliter.

Triplex malum.

Dub. XIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod *David deliquit in populi enumeratione.* Videtur illud verbum Augustini falsum, quia Moyses numeravit populum, Numerorum vigesimo sexto[9], et similiter Saul, primi Regum undecimo; et tamen neuter peccavit: ergo pari ratione nec David. — Item, David peccavit: ergo non debuit populus puniri, sed potius ipse qui peccaverat.

Respondeo: Ad primum dicendum, quod Moyses numeravit mandato Domini, et Saul propter expeditionem ad pugnam; sed David propter superbiam; volebat enim gloriari in multitudine populi numerosa[10].

Quod quaeritur: quare punitus est populus? respondetur, propter connexionem populi ad principem, propter quam etiam puniti sunt filii Israel in

Notandum.

---

[1] Cfr. etiam ibid. q. 7. et C. *In capite Quadragesimae* (64.). d. 50. — Codd. et edd. *18.* (edd. *28.*) *quaest. 2.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 6. a. 3; B. Albert., hic a. 28; S. Thom., hic q. 1. a. 5; Petr. a Tar., hic q. unica a. 6. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 11.

[2] Ita cod. K, alii et edd. *confundebatur.* In fine solut. pro *ex causa* codd. IK *in Ecclesia.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 6. a. 2; S. Thom., hic circa lit.

[3] Vers. 3. — Glossa sumta est ex primo Prologo super Amos, qui incipit *Ozias rex,* et apud Lyranum tribuitur Hieronymo, ubi pro *committenti* ponitur *admittentibus* [cod. G *committentibus*] et *annuntiat* pro *denuntiat.*

[4] In Amos 1, 5: Iuxta tropologiam vero hoc possumus dicere: primum peccatum est cogitasse quae mala sunt; secundum, cogitationibus acquievisse perversis; tertium, quod mente decreveris, opere complesse; quartum, post peccatum non agere poenitentiam et in suo sibi complacere delicto. Cfr. nota seq.

[5] Cfr. Matth. 9, 23. seqq.; Luc. 7, 12. seqq.; Ioan. 11, 38. seqq. Vide August., in Ioan. Evang. tr. 49. n. 3; Serm. 98. (alias 44. de Verbis Domini) c. 4. n. 4. seqq., et Serm. 128. (alias 43. de Verbis Domini) c. 12. n. 14, ubi tres mortuos (a Christo resuscitatos) comparat cum tribus generibus peccatorum, scil. qui peccant cogitatione, opere et consuetudine. Cfr. infra lit. Magistri, d. XVI. c. 1. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 5. a. 3; B. Albert., hic a. 29.

[6] Psalm. 73, 23.

[7] Cfr. II. Sent. d. 34. a. 2. q. 1. in fine corp. Vide ibid. a. 1. q. 1. — Cod. bb addit *secundum actum.*

[8] Vide II. Sent. d. 43. a. 2. q. 1. seq. de peccatis in Spiritum S. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 31; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[9] Vers. 2. — Seq. locus est I. Reg. 11, 8. — Inferius post *Item* cod. R addit *si.*

[10] Cfr. II. Reg. 24, 1. seqq. et I. Paralip. 21, 1. seqq.

Aliter et melius. peccato Achor, Iosue septimo [1]. — Vel potest dici, et melius, quod Dominus punivit principem in populo, ut in eodem puniretur, in quo gloriabatur, sicut aliquis punitur in sua possessione. — Aestimant tamen aliqui [2], quod iusto Dei iudicio permissum sit hoc, ut illi punirentur, qui adhaeserant Absalom. — *Figura* tamen et *instructio* in hoc magna fuit, ut ostendatur, quantum malus praelatus et eius peccatum obest subditis, et quantum eius oratio prodest in ipsius poenitentia et sanctitate [3].

Opinio aliquorum. — Sensus figuralis.

DISTINCTIO XV.

Pars I.

Cap. I.

Quod pluribus irretitus peccatis non potest vere de uno poenitere, nisi de omnibus poeniteat.

Et sicut praedictis auctoritatibus illorum error convincitur, qui poenitentiam saepius agendam non putant, et per eam a lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur; ita eisdem illorum opinio eliditur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de uno vere poenitere eiusdemque veniam a Domino consequi posse sine alterius poenitentia. Quod etiam auctoritatibus astruere conantur. Ait enim Propheta [1]: *Non iudicabit Deus bis in id ipsum*, vel ut alii transtulerunt: *Non consurget duplex tribulatio.* Si ergo, inquiunt illi, aliquis sacerdoti fuerit confessus unum de duobus vel pluribus peccatis et de illo iniunctam sibi a sacerdote satisfactionem expleverit, ceteris tacitis; non pro illo peccato amplius iudicandus est, de quo satisfecit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoque, si de eo iterum iudicetur, bis in id ipsum iudicat Deus, et consurget duplex tribulatio. — Sed « de his tantum oportet illud intelligi, qui praesentibus suppliciis commutantur in bonum et sic perseverant, super quos non consurget duplex tribulatio. Qui vero inter flagella duriores et deteriores fiunt, ut Pharao [2], praesentibus aeterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis aeternae poenae initium. Unde Augustinus: *Ignis succensus est* etc. — id est, vindicta hic incipiet — *et ardebit usque ad extremam damnationem.* Hoc contra illos notandum est, qui dicunt, illud, scilicet: *Non iudicabit Deus bis in id ipsum*, ad omnia pertinere flagella, quia quidam hic flagellis emendantur, alii hic et in aeternum puniuntur ».

Opinio erronea. — Dubium 1. — Improbatur. — Glossa.

Cap. II.

Quibus de causis contingunt flagella.

Quinque enim modis flagella contingunt: vel ut iustis merita per patientiam augeantur, ut Iob; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo; vel ad corrigenda peccata, ut Mariae lepra; vel ad gloriam Dei, ut de caeco nato; vel ad initium poenae, ut Herodi, quatenus hic videatur, quid in inferno sequatur, secundum illud [3]: *Duplici contritione contere eos, Domine.* « Illa ergo auctoritas Nahum non cogit nos sentire, omnia quae temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda ».

Dubium 2. et 3. — Dubium 4.

Cap. III.

De Aegyptiis et Sodomitis, qui temporaliter dicuntur puniri, ne in aeternum perirent.

Nam etsi super eundem locum Hieronymus dicat, Aegyptios et Israelitas a Deo temporaliter punitos, ne in aeternum punirentur; non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim sic [4]: « Quod genus humanum diluvio, Sodomitas igne, Aegyptios mari, Israelitas in eremo perdidit, scitote ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in aeternum puniret », quia non iudicabit Deus bis in id ipsum. Qui ergo puniti

Hieronymus.

---

[1] Vers. 1. Cfr. ibid. 22, 20, et I. Paralip. 2, 7. Vide August., Qq. in Iosue 9, 8. Cum codd. scribimus *Achor,* quod secundum Hieron., de Hebr. Nominib. ex libr. Iosue, significat *turbationem* vel *tumultum.* Cfr. Petr. Comestor, Histor. scholast. libri Iosue, c. 6: Porro Achor vel Achar [alias Achim], filius Charmi etc.

[2] Petr. Comestor, Histor. scholast. II. Reg. c. 23. in additione 1. ait: Hebraeus dicit sic: Iam Dominus sumsit vindictam de David propter mortem Uriae in persecutione filii sui Absalom, sed nondum de populo et principibus, qui ei non contradixerant; unde modo voluit vindicare contra Israel, id est contra populum etc.

[3] Cfr. Gregor., XXV. Moral. c. 16. n. 35. — Edd. *et severitate.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 34; S. Thom., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Nahum 1, 9. — Supra post *agendam* codd. B D (A C a secunda manu) et ed. 1 omittunt *non putant,* cod. E omittit *non.* — Inferius ante *a sacerdote* edd., excepta 1, interserunt *poenitentiam,* et pro *satisfactionem* ponunt *satisfactione,* refragantibus codd., quorum tamen cod. D habet *poenitentiam* pro *satisfactionem.*

[2] Cfr. Exod. c. 7. seq. — Totus hic locus sumtus est ex Gratiano super C. *Sunt plures* (42.), de Poenitentia dist. 3. § 1, et ex C. *Ignis succensus est* (43.), ibid. Locus Scripturae est Deut. 32, 22; cuius explicatio est secundum sensum in Glossa ibid. apud Lyranum, qui pro Augustino citat Gregorium, XVIII. Moral. c. 22. n. 35. — Ibi post *incipiet* ed. 1 addit *in Iacob et cecidit in Israel* (alludens ad Isai. 9, 8.).

[3] Ier. 17, 18. Superius respicitur Iob 1, 12. seqq.; II. Cor. 12, 7; Num. 12, 10; Ioan. 9, 3; Act. 12, 23. Haec de quinque modis flagellorum sumta sunt ex Beda in Matth. 9, 4.

[4] Loc. cit. in Nahum; cfr. Gen. 7, 41; 19, 24; Exod. 14, 28; Num. 11, 33. Hoc fere totum capitulum et ultima propositio praecedentis sumtum est ex Gratiano, cit. C. *Sunt plures.*

sunt postea non punientur; alioquin mentitur Scriptura, quod nefas est dicere.

Explicatio. Attende, lector, his verbis et cave, ne de omnibus generaliter intelligas, « sed de his tantum, qui inter ipsa flagella poenitentiam egerunt, credentes in Deum Hebraeorum; quam, etsi brevem et momentaneam, tamen non respuit Deus[1] ». Quod autem qui per temporale flagellum non corriguntur post aeternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio, qui decollatur; ubi ostendit, levia peccata brevi et temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis aeternisque suppliciis reservari, ita inquiens[2]: (Hieronymus.) « Quaerat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, et falsum est quod dicitur: *Non iudicabit Deus bis in id ipsum;* aut non punietur, et optandum est adulteris, ut hic brevi poena puniantur, ut frustrentur cruciatus aeternos. Ad quod respondemus, Deum, ut omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras; et non praeveniri sententiam iudicis, nec illi in peccatorem exercendae dehinc poenae auferri potestatem; et magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. (Dubium 5.) Si quis vero punitus sit, ut ille qui Israelitae maledixerat[3], et qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri, quia culpa levis praesenti supplicio compensata sit ». Levis enim culpa levi supplicio compensatur. (Dubium 6.) — Hic satis innuit Hieronymus, gravia peccata et hic puniri gravi supplicio et in futuro punienda aeternaliter, de quibus poenitentia non agitur inter flagella; levia vero, quae hic puniuntur, levi poena compensationem recipere; quod in bonis fieri non ambigimus, et in malis forte etiam fit ita. — Satis iam apparet, quod illi de prophetia induxerunt non facere pro eis qui dicunt, ei qui crimen sibi reservat, de alio veniam praestari per poenitentiam.

Pars II.

Alias quoque auctoritates inducunt. Ait enim Gregorius[4]: (Gregorius.) « *Pluit Dominus super unam civitatem et super alteram non pluit,* et eandem civitatem ex parte compluit et ex parte aridam relinquit. Cum ille qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur et ex parte arida remanet; quia sunt quidam, qui, cum quaedam vitia resecent, in aliis graviter perdurant ». (Ambrosius.) Item Ambrosius[5]: « Prima consolatio est, quia non *obliviscitur misereri Deus* »; « secunda, per punitionem, ubi, etsi fides desit, poena satisfacit et relevat ». — Ratione quoque utuntur dicentes: (Ratio eorum.) Si is qui unum peccatum confitetur, altero tacito, satisfactionem a sacerdote iniunctam expleverit, nunquid et, si peccatum tacitum conversus fuerit confessus, pro utroque ei poenitentia imponetur? Longe hoc videtur a ratione et Ecclesiae consuetudine, quae pro eodem peccato, nisi[6] reiteretur, nulli bis poenitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna satisfactio, unde et peccatum deletum videtur.

His responderi potest sic. Illud Gregorii: « *Pluit Dominus* » etc., (Auctoritatum vera explicatio.) non ad criminis veniam, sed ad operis peccati[7] desertionem referendum est, ut ideo pars civitatis dicatur *compluì,* quia ab actu et delectatione peccati, cui ante serviebat, modo cessat; non quod eius veniam habeat. Vocaturque *pluvia* illa talis *continentia,* (Dubium 1.) qua ab opere peccati revocatur, quia ex fonte gratiae Dei id cordi instillatur, ut vel sic paulatim ad poenitentiam veniat, vel eo minus a Deo puniatur qui diuturniori delectatione et actu peccati maius sibi accumulasset tormentum. Si vero ad *indulgentiam* reatus *pluvia* referatur, evangelicae sententiae contraire videbitur. Si enim propter immisericordiam, qua quis proximo suo non miseretur, etiam quae dimissa sunt replicantur ad poenam; multo magis quae nondum sunt dimissa propter odium fraternum ad poenam reservari probantur. Et si ille « qui arbiter suae voluntatis constitutus est, non potest inchoare novam vitam, ut ait Augustinus[8], nisi poeniteat eum veteris vitae; (Augustinus.) quomodo ad novitatem indulgentiae perveniet qui odii vetustatem non deposuit? » — Illud etiam quod Ambrosius ait: (Explicatur Ambrosius.) « Etsi fides desit, poena satisfacit » etc., non de *fide* intelligitur, qua creditur *in Deum,* sed de *conscientia delicti.* Deest enim fides, cum peccati conscientia non subest. Nam cum *delicta omnia nemo intelligat,* est aliquando in homine peccatum, cuius non habet conscientiam. Unde Apostolus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Cum igitur quis flagellatur pro peccato, cuius non est conscius, si patienter fert poenam et humiliter amplectitur cogitans, se forte peccatum habere, quod non intelligit, et pro eo puniri a Deo, poena illa satisfacit et relevat gravatum.

Ad hoc autem, quod obiicitur de satisfactione illa: (Refellitur ratio praedicta.) Si satisfactio non fuit, iterum imponenda est; si vero iterum imponenda non est, satisfactio fuit; et si satisfactio fuit, veniam impetravit; responderi potest, satisfactionem non fuisse[9], quia ille *dignos fructus poenitentiae non fecit.* « Est enim satisfactio poenitentiae, ut (Gennadius.) ait Augustinus[10], peccatorum causas excidere nec sugge-

---

[1] Ex C. *Sunt plures,* pag. 345 in nota 2. cit.

[2] Hieron., loc. cit. parum inferius; C. *Quaerat hic aliquis* (44.), ibid. — Ibi post *frustrentur* edd. 2, 3, 7, 8 addunt *ibi,* sed 1, 4, 5, 9 perperam *in,* refragante originali.

[3] Cfr. Levit. 24, 14, et de violatione Sabbati Num. 15, 35. Superius post *punitus sit* edd., excepta 1, addunt *temporaliter,* refragante etiam originali.

[4] Libr. I. in Ezech. hom. 10. n. 23; verbotenus C. *Pluit Dominus* (40.), de Poenitentia d. 3. Locus Scripturae est Amos 4, 7, ubi Vulgata *plui* pro *pluit.*

[5] In Ps. 118, sermo 18. n. 3; respicitur Ps. 76, 10. Seq. locus ibid. n. 2; C. *Prima consolatio* (41.), ibid.

[6] Edd. 3, 7, 8 non bene *ne;* pro *reiteretur* edd. 1, 3 *iteretur.* — Ratio a defensoribus huius erroris adducta, scil. consuetudo Ecclesiae, non constat.

[7] Vat. cum paucis edd. *pravi.* — Tota seq. interpretatio fere ad litteram excerpta est ex Gratiano super C. *Quaerat hic aliquis* (44.), ibid. Verba « evangelicae sententiae » respiciunt Matth. 18, 32.

[8] Sermo 351. (alias hom. 50.) c. 2. n. 2. — In sequentibus respicitur Ps. 18, 13, et Rom. 14, 23; deinde I. Cor. 4, 4.

[9] Vat. cum paucis codd. *non ideo fuisse,* aliae edd., exceptis 1, 4, *ideo non.* — Respicitur Matth. 3, 8.

[10] (Gennad.) de Ecclesiast. Dogmatibus, c. 24; C. *Satisfactio*

Augustinus. stionibus earum aditum indulgere ». Idem: « Sane qui scelerate vivunt nec curant talem vitam moresque corrigere et inter ipsa facinora sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur, quia Dominus ait: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Hoc enim quam late pateat, non intelli-
Dubium 2. gunt ». « Multa enim sunt genera eleemosynarum, quae cum facimus, adiuvamur. Non solum enim qui dat esurienti cibum, sitienti potum et huiusmodi; sed etiam qui dat veniam petenti eleemosynam dat; et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, vel orat, ut ei dimittatur peccatum, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat ».

CAP. IV.

De generibus eleemosynae.

« Multa enim bona praestantur invitis, quando eo-
Dubium 3. Augustinus. rum consulitur utilitati et non voluntati [1] ». « Sed ea maior est, qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, qui tibi nihil mali fecit; illud multo grandius, ut tuum etiam inimicum diligas et ei qui tibi malum vult et, si potest, facit, semper bonum velis faciasque quod possis ». « Quod ergo Dominus ait: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis;* ita intellecturi sumus, ut non credentibus in Christum munda sint omnia, si eleemosynas istas dederint ».
Dubium 4. « Qui enim vult ordinate eleemosynam dare a se debet incipere et eam primum sibi dare ».

CAP. V.

Quid sit eleemosyna.

« Est enim eleemosyna opus misericordiae, veris-
Augustinus. simeque dictum est: *Miserere animae tuae, placens*
Dubium 5. *Deo* [2] ». « Non ergo se fallant qui per eleemosynas largissimas fructuum suorum vel pecuniae impunitatem se emere aestimant, in peccatis permanentes, quae ita diligunt, ut in eis optent versari. *Qui vero diligit iniquitatem odit animam suam,* et qui odit animam suam non est ei misericors, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundum saeculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vult ei dare eleemosynam, per quam fit munda; odiat eam secundum saeculum et diligat eam secundum Deum ». Hac eleemosyna, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait: *Mundate quae intus sunt. Immundis enim nihil est mundum;* sed *polluta sunt eorum mens et conscientia,* ut ait Apostolus. Immundi vero sunt omnes, quos non mundat fides, qua creditur in Christum; de qua scriptum est: *Mundans fide corda eorum.* « Sed ne istas eleemosynas, quae fiunt de fructibus terrae, respuere Christus videretur; *haec,* inquit, *oportuit facere,* scilicet iudicium et caritatem Dei, *et illa non omittere,* id est eleemosynas fructuum terrenorum [3] ».

CAP. VI.

Utrum in mortali peccato permanentes et largas eleemosynas facientes debeant dici satisfacere.

Ex his datur intelligi, quod in peccato mortali Dubium 6.
permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt, quia inordinate agunt, dum Dubium 7.
a se non incipiunt. Nec proprie dicitur *eleemosyna* tale opus, dum sibi ipsis crudeles existunt, non placentes Deo. Non igitur dicenda est illa peccati satisfactio, quam quis agit pro uno peccato, dum perdurat in altero; quia « nihil prodest ieiunare et orare et alia bona agere, nisi mens revocetur a peccato [4] »: et si aliquando conversus tacitum peccatum sacerdoti fuerit confessus, de utroque imponenda est ei satisfactio, quia de primo condigne non satisfecit.

Quibusdam tamen videtur fuisse satisfactio, sed Opinio quorundam.
infructuosa, dum in peccato altero persistit; percipietur tamen fructus eius, incipietque proficere, cum peccati alterius poenituerit. Tunc enim utrumque dimittitur peccatum, et satisfactio praecedens vivificatur, quae fuerat mortua; sicut baptismus illi qui ficte accedit, tunc primitus valet, cum fictio a mente recedit per poenitentiam. Et in huius opinionis munimentum auctoritates inducunt. Ait enim Augustinus [5]: « Pium est Augustinus.
credere, et nostra fides expostulat, ut, cum gratia Christi in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona; et cum destruxerit quod suum non invenit, diligit bonum, quod in peccante plantavit ». Item, Hie- Hieronymus.
ronymus [6]: « Si quando videris, inter multa peccata quemquam facere aliqua iusta opera; non est tam iniustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum bonorum; sed faciet, eum metere et in horrea congregare quae in bona terra seminavit ». — Sed Improbatur.
haec dicta intelligimus de illo qui in caritate quodam tempore bona facit et bonus est, alio vero tempore malus est et multa peccata facit. Non ergo intelligendum est, eum inter multa peccata iusta opera fecisse, quasi simul eodemque tempore peccata fecerit et iusta opera, sed diversis temporibus utraque fecisse [7]. Nisi enim bonus foret, quando bona fecit, non seminasse in terra diceretur bona. Destructis ergo malis post opera bona commissis, priora bona, in caritate scilicet facta, quae sequentia mala mortificaverant, poenitentia de illis malis habita vivificantur et remunerantur. Unde Apostolus [8]: *Iacientes fundamentum poenitentiae ab*

---

poenitentiae (3.), ibid. Seq. locus est August., Enchirid. c. 75. n. 20, ubi citatur Luc. 11, 41; tertius ibid. c. 72. n. 19, ubi respicitur Matth. 25, 37. seqq.

[1] August., ibid.; seq. locus ibid. c. 73. n. 19. (cfr. III. Sent. d. XXX. lit. Magistri); tertius ibid. c. 75. n. 20; quartus ibid. c. 76. n. 20.

[2] Ibid.; seq. locus ibid. 77. n. 20; in primo citatur Eccli. 30, 24, in secundo Ps. 10, 6. — Etiam quae sequuntur secundum sententiam ibid. c. 76. n. 20. inveniuntur, ubi citatur Matth. 23, 26, et Tit. 1, 15; deinde Act. 15, 9.

[3] Ibid. c. 76. n. 20, et respicitur Luc. 11, 42.

[4] Can. *Nihil prodest* (21.), ibid. — Inferius interpretatio quorundam sumta est fere ad verbum ex Gratiano in C. *Quaerat hic aliquis* (44.), ibid.

[5] De Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 14. n. 29.

[6] Comment. in Aggaeum 1, 6.

[7] Codd. BCDE et ed. 1 *egisse.*

[8] Hebr. 6, 1. Inferius pro *bene operans* cod. C et edd., excepta 1, *bonum operans.* — Tota haec explicatio excerpta est ex Gratiano super C. *Inter mittentes* (19.), de Poenitentia d. 4.

operibus mortuis; opera mortua nominans, priora bona significat, quae per sequens peccatum erant mortua, quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Haec sicut peccando fiunt irrita, ita per poenitentiam reviviscunt et ad meritum aeternitatis prodesse incipiunt. Similiter et illud bonum amat Deus, quod plantavit in peccante, in illo scilicet, qui *post* illud bonum peccavit, non simul peccans et bene operans exstitit; quia talis hominis opus non diligeret Deus ad remunerationem.

Cap. VII.

Utrum bona, quae fiunt ab aliquibus malis, valeant ad meritum vitae, cum fuerint ad bonum conversi.

Alia interpretatio Magistri.

Potest etiam accipi de operibus bonis, quae ab aliquo fiunt, dum malus est et in peccato mortali persistit vel ad tempus, vel usque in finem; quae dicuntur remunerari a Deo et non dari oblivioni, non quia (Notandum.) proficiant ad vitam aeternam obtinendam, sed ad tolerabilius extremi iudicii supplicium sentiendum; sicut de fide et ceteris, quae sine caritate habentur, Augustinus[1] (Augustinus.) ait: « Si quis non habens caritatem, quae pertinet ad *unitatem spiritus et vinculum pacis,* quo Ecclesia connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennae; nullo modo ista culpanda sunt, immo et haec laudanda est patientia. Non enim dicere poterimus, melius ei fuisse, ut Christum negando nihil horum pateretur, quae passus est confitendo; sed aestimandum est, fortasse tolerabilius ei futurum iudicium, quam si, Christum negando, nihil horum pateretur, ut illud quod ait Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest,* nihil prodesse intelligatur ad regnum obtinendum, non ad extremi iudicii tolerabilius subeundum supplicium ». (Canon.) Et infra[2]: « Haec propter caritatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera poenitentia, quoniam in bonis caritas Dei est, quae tolerat omnia ».

Ex his ostenditur, bona, quae sine caritate fiunt, prodesse quidem ad tolerabiliorem poenam sentiendam, (De aliis operibus.) sed non ad vitam obtinendam. Illa etiam, quae in caritate quis facit, si postea prolapsus fuerit nec exsurrexerit, non esse in memoria Dei, Ezechiel[3] dicit: *Si averterit se iustus a iustitia et fecerit iniquitatem, nunquid vivet? Omnes iustitiae eius, quas fecerat, non recordabuntur; in peccato suo morietur, et non erunt in memoria iustitiae, quas fecit.* In cuius loci exposi- (Gregorius.) tione Gregorius ait: « Hoc nobis maxime considerandum est, quia, cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum praeteritorum ». — Intelligendum est hoc, ad vitam per- (Dubium 8.) cipiendam bona praeterita non dare fiduciam, etsi ad mitiorem poenam; alioquin praemissae auctoritati Augustini obviaret. Et bona igitur sine caritate facta, et bona in caritate facta, quae comitatur mortalis culpa, quam non delet sequens poenitentia, ad sensum mitioris poenae proficiunt, non ad vitae fructum.

Satis arbitror illis esse responsum, qui asserunt, de uno crimine poenitentiam agi et veniam praestari, alio in delectatione retento, vel per confessionem non exposito; qui non modo praemissis auctoritatibus con- (Aliae auctoritates adiiciuntur.) futantur, sed et subditis. Ait enim Augustinus[4]: « Sunt plures, quos poenitet peccasse, sed tamen omnino reservantes sibi quaedam, in quibus delectentur, non animadvertentes, Dominum simul *mutum et surdum* a daemonio liberasse, per hoc docens, nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reservari, habenti *septem daemonia,* manente uno, proficere potuit, sex expulsis. Expulit autem septem, ut omnia crimina simul eiicienda doceret. *Legionem vero daemonum* ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret, ostendens, quod si etiam peccata sint mille, oportet de omnibus poenitere. Nun- (Dubium 9.) quam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit. Totum enim hominem sanavit in Sabbato, quia et corpus ab omni infirmitate et animam ab omni contagione; indicans, poenitentem oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui crimen reservat de alio reciperet veniam? Sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo unquam invenit gratiam. Hostis enim Dei est, dum offendit perseveranter. Quaedam enim impietas infidelitatis est ab illo qui iustus et iustitia est, dimidiam sperare veniam; iam enim sine vera poenitentia inveniret gratiam. Poenitentia enim (Dubium 10.) vera ad baptismi puritatem conatur adducere. Recte enim poenitens, quidquid sordis post purificationem contraxit, oportet ut abluat, saltem lacrymis mentis; sed satis durus est cuius mentis dolorem oculi non declarant. Sed sciat, se culpabiliter durum, qui deflet (Dubium 11.) damna temporis vel mortem amici, et dolorem peccati non ostendit in lacrymis. Quem ergo poenitet, omnino poeniteat ». Idem[5]: « Poenitentes, si vere estis (Augustinus.) poenitentes et non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo! Poenitentiam agis, genua figis et rides; subsannas patientiam Dei. Si poenitentiam agis, poenitet te; si non poenitet te, non es poenitens. Si ergo poenitet, cur facis quae male fecisti? Si fecisse poenitet, noli facere; si adhuc facis, certe non es poenitens ». Item Innocentius secundus[6]: « Admonemus (Innocentius.) fratres nostros, ne falsis poenitentiis laicorum animas

---

[1] Libr. de Patientia, c. 26. n. 23; C. *Si quis autem* (49.), ibid. d. 3. Ibi respicitur Eph. 4, 3. et inferius I. Cor. 13, 3. — Pro *obtinendum, non* Vat. cum pluribus edd. *obtinendum, nisi.*

[2] Ibid. c. 23. n. 20, et can. cit. § 1, de quo intelligitur vocabulum *infra*. Pro *poenitentia* in originali Augustini *patientia.*

[3] Cap. 3, 20, cfr. 33, 13; expositio Gregorii est l. super Ezech. homil. 11. n. 21; C. *Si averterit* (15.) et C. *Hoc nobis* (16.), ibid. d. 4. — Inferius pro *est hoc* codd. et ed. 1 *est hic.*

[4] De Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 9. n. 24; C. *Sunt plures* (42.), de Poenitentia d. 3. § 1; in quo textu respiciuntur Marc. 7, 32; Luc. 8, 30; Marc. 5, 9; Ioan. 7, 23. — Ibi pro *habenti septem daemonia, manente uno, proficere* codd. et edd., excepta Vat. et ed. 6, *habentem septem daemonia perficere*. Inferius post *contagione* cum codd. et omnibus edd., excepta Vat. et ed. 6, omisimus *liberavit*, refragante vero originali.

[5] Sermo 393. (alias 41. ex Homiliis 50.) n. 1; C. *Poenitentes* (10.), ibid. — Pro *subsannas* codd. BD et ed. 1 *subsannans*, originale *et subsannas.*

[6] Can. *Fratres nostros* (8.), de Poenitentia d. 5.

decipi et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem poenitentiam esse constat, cum, spretis pluribus, de uno solo poenitentia agitur; vel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio ».

Ex praemissis perspicua fit notitia verae poeni-tentiae et satisfactionis. Quid vera poenitentia. Illa enim vera est poenitentia, quae peccatum abolet; quod illa sola facit, quae scelus corrigit; illa vero scelus corrigit, quae odium commissi criminis et committendi cum desiderio satisfaciendi affert. Iudas enim poenituisse legitur sine assecutione veniae, quia tali poenitentia non corrknown crimen. Hieronymus. Unde Hieronymus[1]: « Nihil Iudae profuit egisse poenitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater sic peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti; sin autem permanent opera, frustra voce assumitur poenitentia; hoc est quod de eodem infelicissimo dicitur: *Et oratio eius fiat in peccatum;* ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit ». — Cave, qualiter intelligas illud: « Ut emendare valeat quod peccavit » etc. Explicatur a Magistro. Non enim *emendatio* hic intelligenda est rei demptae recompensatio, sed delicti exprobratio et abominatio cum satisfactionis desiderio. Demit enim iniuste quis alicui quod restituere non valet, ut oculum vel vitam et huiusmodi; et tamen, si poenituerit peccati cum amore condignae satisfactionis, veniam habet. Nec ideo quisquam putet, qui rem alienam iniuste abstulit, quam reddere potest, de illo peccato poenitere ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. Augustinus. « Quamdiu enim res, propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest, non agitur poenitentia, sed fingitur[2] ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XV.

Pars I.

De poenitentia, specialiter contra erroneam opinionem, quod poenitentia potest fieri de uno peccato sine poenitentia de alio.

Et sicut praedictis auctoritatibus illorum error convincitur etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra reprobavit Magister errorem, qui attendebatur quantum ad poenitentiae iterationem. Hic reprobat errorem, qui consistit quantum ad poenitentiae divisionem; et hoc maxime ratione satisfactionis. Dicebant enim aliqui, quod poterat quis poenitere et satisfacere de aliquo crimine, ita quod de alio esset impoenitens.

Et quoniam iste error suam habebat defensionem, ideo haec pars dividitur in duas. In prima respondet et excludit defensionem, quam habebat ex auctoritate Scripturae. In secunda defensionem, quam habet ex auctoritatibus Patrum, ibi: *Alias quoque auctoritates inducunt* etc. Prima dividitur in duas. In prima respondet auctoritati. In secunda expositioni, ibi: *Nam etsi super eundem locum Hieronymus* etc. Quaelibet harum partium duas habet. In prima opponit. In secunda solvit: et hoc satis manifestum est in littera.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis sex incidunt hic quaerenda.

Primo quaeritur, utrum possibile sit Deo reconciliari per satisfactionem.

Secundo, utrum sit possibile Deo satisfacere de uno peccato, alio retento.

Tertio, utrum extra caritatem abstinentem a peccatis possibile sit satisfacere.

Quarto, utrum opera satisfactoria facta extra caritatem vivificentur adveniente caritate et debeant computari in sortem.

Quinto quaeritur, utrum per talia opera aliquid mereatur.

Sexto et ultimo quaeritur, quid sit illud quod meretur.

---

[1] Libr. IV. Comment. in Matth. (27, 5.); C. *Nihil Iudae* (38), de Poenitentia d. 3, ubi respicitur Ps. 108, 7. — In isto textu pro *egisse poenitentiam* Vat. et edd. 4, 6 *sera poenitentia*, quod antiquitus etiam in nonnullis codd. Hieronymi legebatur. In plerisque edd. Magistri hic et infra legitur *emendare non valeat* pro *emendare valeat*, refragantibus originali, codd. A E et edd. 1, 6, 8.

[2] August., Epist. 153. (alias 54.) ad Macedonium, c. 6. n. 20; C. *Si res aliena* (1.), C. 14. q. 6.

ARTICULUS UNICUS.

De satisfactione in genere.

QUAESTIO I.

Utrum possibile sit reconciliari Deo per satisfactionem.

Circa primum ostenditur, quod sit possibile Deo reconciliari:

1. Per definitionem eius quod est *satisfacere:* quia dicit Anselmus [1]: « Satisfacere est honorem debitum Deo reddere » ; sed hoc est possibile homini: ergo possibile est satisfacere.

Fundamenta.

2. Item, quanto is, contra quem delinquitur, misericordior est, tanto minorem exigit poenam; et quanto minorem exigit poenam, tanto facilius et possibilius est ei satisfacere; sed Deus est multo misericordior homine: ergo si potest homini satisfieri, et Deo.

3. Item, sufficienter aliquis punitur, quando tantum datur ei tormentum, quantum fuit delectamentum, quia haec est iustitia legis Moysaicae: Deuteronomii vigesimo quinto [2]: *Iuxta mensuram peccati erit et plagarum modus* etc.; et legis divinae: *Quantum se glorificavit* etc.; sed aliquis potest sibi hoc facere: ergo potest Deo satisfacere.

Contra: 1. Tanta est offensa, quantus is est, qui offenditur; sed Deus est infinitus, qui offenditur in peccato: ergo et offensa. Sed quanta est offensa, tanta debet esse satisfactio, alioquin non fit satis: ergo in infinitum oportet quod homo se puniat. Sed hoc est impossibile alicui: ergo non potest Deo satisfacere homo de peccato.

Ad oppositum.

2. Item, peccatum diaboli peccatum nostrum non excedit in infinitum, immo quanto eius culpa excedit humanam, tanto virtus naturae ad sustinendum mala et faciendum bona est fortior; sed diabolus non potest satisfacere: ergo nec homo.

3. Item, primus parens non potuit de culpa sua satisfacere, quia, cum esset homo, voluit in scientia assimilari Deo [3]; ideo ad satisfactionem necesse fuit, quod Deus fieret homo; sed quilibet peccator praefert voluntatem suam voluntati divinae: ergo non potest satisfacere.

4. Item, nullus de originali potuit satisfacere nisi per mortem Christi; sed multo minus ponderat originale quam actuale [4]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Possibile est homini Deo satisfacere, quod duplici via explicatur.

Respondeo: Dicendum, quod hic est unus modus dicendi satis probabilis, quod de omni eo quod est in peccato, non fit satisfactio, quoniam hoc est impossibile. Unde et Deus non exigit satisfactionem de omni eo quod est in culpa, sed aliquid *condonat* per misericordiam, de aliquo *requirit satisfactionem* per iustitiam, ut simul sit hic *misericordia et veritas* [5]; nec unquam est *satisfactio,* nisi praecedat *condonatio,* sicut nunquam est *meritum,* nisi praecedat *donum gratuitum.*

Modus dicendi 1.

Unde notandum, quod in peccato duo sunt, scilicet *offensa Dei* et *libido deordinata. Offensa Dei* est infinita, et pro illa non fit satisfactio, sed Dei misericordia illam remittit suam dando gratiam; *libido* autem *perversa* finita est. Et quia Deus iustus est, non totum remittit, sed pro illa exigit poenam condignam; et quantum ad hoc possibile est Deo satisfacere [6].

Duo in peccato.

Conclusio 1.

1. 2. Et per hoc patet responsio ad duo prima: ad primum, quia non fit satisfactio de offensa; ad secundum, quia diabolus non potest satisfacere propter impossibilitatem percipiendi gratiam, in qua remittatur sibi divina offensa [7].

Solutio 1. oppositorum.

3. 4. Patet etiam responsio ad tertium. Deus enim per misericordiam relinquit omnino offensam dando gratiam, sed satisfactionem exigit de ipso damno, quod intulit sibi peccator per culpam et delectationem libidinosam. — Et quia Adam intulit sibi damnum mortis et toti posteritati; ideo non potuit plene satisfacere, nisi ille qui non esset mortis debitor et valeret totum genus humanum. Sed peccator quilibet, dum peccat, infert damnum in imaginis deformatione, quae reparabilis est, et infert damnum sibi, non aliis; et ideo non est simile [8].

Alius etiam modus dicendi est satis probabilis

Modus dicendi 2.

---

[1] Libr. I. Cur Deus homo, c. 11. et 20. Cfr. III. Sent. d. 20. q. 4, ubi plura, quae hanc quaest. concernunt, proponuntur.

[2] Vers. 2. — Seq. textus est Apoc. 18, 7.

[3] Cfr. Gen. 3, 5, et II. Sent. d. 22. a. 1. q. 1.

[4] Vide II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq.

[5] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini, misericordia et veritas. Cfr. infra d. 46. a. 2. q. 2. seq.

[6] Richard. a S. Vict., de Potestate ligandi et solvendi, c. 4. deducit hoc ex Ps. 31, 5: Tu remisisti *impietatem* peccati mei. — Cod. U addit: Vel aliter dici potest, quod etsi ad satisfaciendum inter Deum et hominem aequalitas non sit commensurationis, est tamen proportionis; exemplum de semine et fructu eius.

[7] Vide II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1.

[8] Cfr. III. Sent. d. 20. q. 3. seq. — Superius post *humanum* cod. X addit *redimere,* ac pro *et infert* codd. E F G H V aa *etiam infert.*

et videtur rationabilis, quod etsi divina misericordia relinquat *offensam* homini dando gratiam, non tamen ita omnino relinquit, quin etiam exigat de offensa satisfactionem per iustitiam. Et quia homo non potuit pro tanta offensa satisfacere, ideo Deus dedit ei Mediatorem, qui satisfaceret pro offensa. Unde in sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa; sine fide enim nullus iustificatur [1]; et secundum hoc dicunt, quod omnis satisfactio nostra virtutem habet a satisfactione Christi. Sed ipsa satisfactio Christi habet effectum in membris per Sacramentum *baptismi plenum*, per Sacramentum *poenitentiae secundum partem* [2], per *fidem* autem et ante novam legem et etiam post, ut in his qui non possunt confiteri, effectum habet *adhuc minorem*. Unde omnis satisfactio non tantum de peccato primi parentis, sed etiam de aliis fundata est super satisfactionem Mediatoris.

Notandum.

Conclusio 2.

Solutio 2. oppositorum.

1. 2. 3. 4. Et secundum hanc [3] viam facilis est responsio ad obiecta. Sicut enim offensa est infinita, sic quod Deus patitur est satisfactio infinita. — Similiter secundum patet, quia diabolus non habuit mediatorem, super quem posset fundari eius satisfactio. — Similiter patet tertium de Adam: quoniam, sicut ipse non potuit satisfacere de peccato suo, sic nemo posset sufficienter satisfacere de suo, nisi super satisfactionem passionis Christi per fidem esset fundatus.

SCHOLION.

I. Tota catholica doctrina de satisfactione, quae in hac dist. exponitur, nititur duobus principiis a Concilio Trident. (Sess. XIV. c. 8. et can. 12. 13. 14. 15.) stabilitis, scilicet quod non semper *tota* poena simul cum culpa remittatur, et quod « pro peccatis quoad poenam *temporalem* Deo per Christi merita satisfiat poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote iniunctis, vel sponte susceptis ». —

De *definitione* satisfactionis cfr. infra p. II. a. 1. q. 1; de satisfactione in *genere* et de *Christi* satisfactione in specie III. Sent. d. 20. a. 1. q. 1-4; de satisfactione *plena* et *semiplena* ibid. q. 4; de duplici satisfactione pro *culpa* et *poena* infra p. II. a. 1. q. 2, p. I. dub. 2. 6-9; de satisfactione *poenali* et *medicinali* infra d. 20. p. II. a. 1. q. 1. et d. 16. p. I. dub. 13; de *sacramentali* infra d. 18. p. I. a. 2. q. 2.

II. Ad 1. quaestionem recte intelligendam vide infra p. II. a. 1. q. 2. fundam. 4, ubi tangitur satisfactio Christi pro *culpa* et *poena aeterna*, dum hic proprie agitur de satisfactione Deo praestanda ex parte poenitentis per poenam *temporalem*. In satisfactione enim est « emenda praesens pro culpa praeterita » (infra p. II. a. 1. q. 1.). — Differentia inter utramque opinionem hic relatam in eo consistit, quod 1. opinio, cum in offensa Dei distinguat aliquid infinitum, nempe ex parte aversionis a Deo, et aliquid finitum ex parte conversionis; non nisi pro secundo (quod, utpote finitum, poenam tantum temporalem pro emenda requirit) satisfactionem a poenitente fieri posse asserat. Ad mentem Alexandri Hal. S. Thomas (hic q. 1. a. 2. ad 1.) approbat et clarius explicat 2. opinionem; de 1. autem sic iudicat: « Sed hoc nihil est, quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundum quod est offensa Dei, quod non habet ex parte *conversionis*, sed solum ex parte *aversionis* ». — Revera etiam S. Bonav., licet hic non reprobet 1. opinionem, passim loquitur secundum alteram (cfr. seq. q. fundam. 4.) et approbat haec principia, quod « omnis satisfactio nostra habet virtutem a satisfactione Christi », et quod « est infinita, in quantum est Mediatoris » (Ita Alex. Hal., loc. infra cit. ad 4. 5.). — De sententia Scoti circa satisfactionem pro peccatis cfr. III. Sent. d. 20. q. 3. scholion.

De eadem: Alex. Hal., S. p. IV. q. 24. m. 1. — Scot., hic q. 1. n. 4. seqq. — S. Thom., loc cit., et *Supplementum Summae* q. 13. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Quaestio 2. communiter secundum doctrinam Magistri (hic c. 1.) solvitur; cfr. Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 1, nec non m. 3. (de definitione Anselmi ad 5.). — Scot., loc. cit. n. 10. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; Suppl. q. 14. a. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 6. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum possibile sit Deo satisfacere de uno peccato sine alio.

Secundo quaeritur, utrum possibile sit Deo satisfacere de uno peccato sine alio. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Primae ad Timotheum quarto [4]: *Pietas valet ad omnia;* Glossa: « Summa christianae disciplinae in pietate et misericordia est, quam qui sequitur, etiam si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, non tamen peribit »; et constat, quod intelligit de lubrico mortali, quia, si de veniali, etiam sine illa non periret: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia satisfactio respondet transgressioni ex opposito: ergo cum possibile sit transgredi succesive, primo uno modo, deinde alio; videtur similiter, quod et satisfacere [5] primo de uno peccato, deinde de alio.

3. Item, alii peccato alia debetur poena et alia

---

[1] Ut dictum est supra d. 1. p. II. a. 1. q. 1; d. 3. p. I. a. 1. q. 3; III. Sent. d. 25. a. 1. q. 2. in corp. (ubi de iis qui *ante* novam legem). — Pro *sine fide enim* edd. *et sine fide eius*.

[2] Vide supra d. 14. p. II. a. 1. q. 2. ad 5. — Mox pro *et ante*, quod praebent codd. IK, alii vel *ut ante* vel cum edd. *ante*.

[3] Cod. Y *hanc secundam*.

[4] Vers. 8. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Petr. Lombard. et Lyranum, delibata est ex Comment. Ambrosio olim tributo.

[5] Codd. I K substituunt *satisfactio possit fieri*, edd. vero *possit satisfacere*.

satisfactio, unde et alia imponitur; esto ergo, quod pro aliquo peccato imponatur poena debita; si exsequatur illam, amplius non potest nec debet exigi ab eo aliquid [1]; sed potest exsequi committendo culpam aliam: ergo etc.

4. Item, plus desiderat Deus, satisfactionem sibi fieri a peccatore, quam aliquis creditor solutionem a debitore; sed creditor, qui multum desiderat solutionem, recipit solutionem de uno sine alio: ergo et Deus satisfactionem de uno peccato sine alio.

5. Item, homo potest satisfacere de uno veniali, committendo etiam aliud: ergo pari ratione de mortali; aut quare non?

Contra: 1. Isaiae quinquagesimo octavo [2]: *Ecce* Fundamenta. *ad lites et contentiones ieiunatis;* et post: *Nunquid tale est ieiunium, quod elegi?* quasi dicat: Non: ergo non placet Deo pro peccato ieiunium, quando ieiunando committuntur peccata.

2. Item, Gregorius in homilia [3]: « Qui sic alia plangit, ut alia committat, poenitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat ».

3. Item, *ratione* videtur: quia in hoc peccator est dignus poena, quia Dei imaginem deformat: ergo nunquam satisfacit nisi per reformationem imaginis; sed in eo qui satisfacit [4] et rursus peccat, nunquam reformatur imago: ergo talis nunquam satisfacit.

4. Item, in peccato est conversio et aversio, et poena debetur peccatori ratione aversionis; sed peccata omnia conveniunt in aversione [5]: ergo satisfactio respicit peccata secundum id, in quo conveniunt: ergo impossibile est satisfacere de uno sine alio.

CONCLUSIO.

Error est ponere, quod peccator satisfaciat pro uno peccato, persistens in alio.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui posuerunt, Opinio 1. quod de uno peccato poterat fieri satisfactio, peccatore persistente in alio. Et ratio eorum erat divina benignitas, quae acceptat satisfactionem quantum- Reprobatur. cumque modicam. — Sed tamen hi non consideraverunt sufficienter, quid sit *satisfacere*. Non enim *satisfacere* dicit *tolerantiam poenae* tantum, quia Deus in malis nostris non delectatur [6], sed delectatur in *iustitia voluntatis* nostrae et *reconciliatione,* Ratio triplex. quae non potest haberi de una culpa sine alia, tum propter *connexionem virtutum* in una gratia, quae delet omnem culpam mortalem, cum habeat omnem virtutem connexam [7]; tum propter *divinam largitatem,* quae secundum partem non gratificat, immo omnem offensam condonat; tum propter *peccata mortalia,* quae omnia communicant in aversione et contemptu Dei, et omnia sunt contra Deum et contra unum; et ideo, si Deus remitteret culpam de uno sine alio, simul esset is cui remittitur, amicus et inimicus, conversus et aversus.

Et ideo, sicut dicit Magister [8], error est hoc Conclusio. ponere, quod homo satisfaciat Deo, offendendo Deum, quia semper manet aversio et imaginis deformatio et inimicitia. Et ideo dicitur Ecclesiastis nono [9]: *Qui in uno peccaverit multa bona perdet;* et beatus Iacobus, secundo capitulo: *Qui offendit in uno factus est omnium reus:* quia qui peccat in uno non satisfacit pro aliquo, eo quod in omni peccato unus offenditur, et impossibile est, quod Deus sit amicus et inimicus eiusdem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de illa Glossa, Solutio oppositorum. quod non peribit; dicendum, quod intelligitur, quia operibus pietatis *praeparatur* ad gratiam, per quam satisfaciat de omnibus.

2. Ad illud quod obiicitur de transgressione, dicendum, quod non est simile. Quia enim mala fa- Notandum. cimus, ideo mali sumus; et ideo, quia actus non sunt connexi, nec transgressiones; sed non quia bona facimus, boni sumus, sed econtra [10]; et ideo oportet, quod ante sit amicus, quam pro aliquo peccato satisfaciat; et si amicus, ergo nullum peccatum habet mortale.

3. Ad aliud dicendum, quod isti peccato debetur tanta poena de se, nisi remittatur per gratiam, quam impossibile est illi persolvere, quia infinita; et ideo nunquam taxari potest poena debita, quousque manet in culpa.

4. Ad aliud, quod Deus vult plus satisfactionem quam creditor solutionem; dicendum, quod Deus similiter recipit satisfactionem paulatim; sed quamdiu est in aliqua culpa, non est in solvendo aliquid, immo in obligando se potius; et ideo Deus non recipit [11].

5. Ad illud quod obiicitur de veniali, dicendum, quod non est simile, quia *veniale* stat simul Notandum. cum gratia, per quam contingit satisfacere; non sic *mortale,* immo quodlibet mortale tollit fundamentum satisfactionis, sicut melius patebit in sequenti problemate [12].

---

1 Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. et 3.

2 Vers. 4. — Seq. textus est ibid. v. 5.

3 Libr. II. Homil. in Evang. homil. 34. n. 15.

4 Cod. X addit *de uno.*

5 Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 2. — De *maiori* vide ibid. pag. 802, nota 3. verba Augustini.

6 Sive, ut ait Gregor., Regula pastor. p. III. c. 30: Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur. Cfr. supra pag. 37, nota 6.

7 De quo vide III. Sent. d. 36. q. 1, ubi etiam seq. ratio insinuatur (cfr. hic lit. Magistri, c. 7.). — Edd. *annexam.*

8 Hic in lit. c. 1. seqq.

9 Vers. 18. — Seq. textus est Iac. 2, 10. Cfr. III. Sent. d. 36. q. 4. ad 1. — Inferius pro *aliquo* cod. aa *reliquo.*

10 Virtus enim est, ut ait Aristot., II. Ethic. c. 6, ex qua et bonus homo ipse efficietur et *bene opus suum* reddet. Cfr. tom. II. pag. 804, nota 7. et pag. 1004, nota 2. nec non tom. III. pag. 388, nota 2.

11 Vide quaest. seq.

12 Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum extra caritatem abstinentem a peccatis possibile sit Deo satisfacere.

Tertio quaeritur, utrum extra caritatem abstinentem a peccatis possibile sit satisfacere. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Lucae undecimo [1]: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis;* constat, quod ibi loquitur de peccatoribus: ergo potest satisfacere quis per eleemosynam sine gratia. Et hoc ipsum Danielis quarto dixit Daniel Nabuchodonosor: *Peccata tua eleemosynis redime;* et constat, quod ille erat peccator magnus: ergo etc.

2. Item, Threnorum tertio [2]: *Venatione ceperunt me;* Glossa: « Etsi fides deesset, poena satisfaceret »; sed ubi deest fides, non est caritas: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia ad nullum praeceptum divinum tenetur homo ex caritate; hoc constat, quia, si quis pro loco et tempore parentes honorat, etiam non habens caritatem, non peccat [3]: ergo multo minus tenetur ex caritate implere sacerdotis mandatum. Sed satisfactio est mandatum sacerdotis: ergo potest fieri extra caritatem.

4. Item, si tenetur ex caritate satisfacere, cum nullus sit certus, *utrum amore, an odio dignus sit* [4], semper est in dubio: ergo semper debet satisfacere. *Si tu dicas,* quod conclusio est vera, quia semper continuanda est poenitentia usque ad mortem [5]; ergo esto, quod imposita sit alicui poenitentia dare centum marcas, videtur secundum hoc, quod semper tenetur dare; sed hoc est impossibile: ergo tenetur ad impossibile.

Fundamenta. Contra: 1. « Non respicit Deus *quantum,* sed *ex quanto* [6] »; sed voluntas sine caritate non placet Deo: ergo nec opus, ergo nec satisfactio.

2. Item, quamdiu homo est extra caritatem, est inimicus; sed satisfactio est reconciliativa: ergo talis non potest satisfacere.

3. Item, Apostolus, primae ad Corinthios decimo tertio [7]: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ergo etc.

4. Item, nullus damnatur pro culpa, pro qua satisfacit; et nullus damnatur nisi propter culpam: ergo nullus satisfaciens damnatur. Sed nullus evadit damnationem, nisi qui habet caritatem: ergo nullus satisfacit, nisi qui est in caritate.

CONCLUSIO.

Sine gratia gratum faciente nemo potest Deo satisfacere.

Respondeo: Dicendum, quod *satisfacere,* quantum est de vi nominis, importat divinam *acceptationem* et *reconciliationem* et *amicitiam;* et quoniam sine gratia gratum faciente et caritate impossibile est, aliquem Deo *placere,* et opera eius *acceptari:* ideo nec satisfacere est possibile. Conclusio. Potest tamen homo, antequam habeat caritatem, praeparare se ad habendam caritatem [8] et ad faciendam satisfactionem. Et sic intelligitur consilium Domini et consilium Danielis, ut se praeparent per eleemosynam ad gratiam, qua accepta, multiplicando eleemosynas satisfacerent. Ad 1. arg. in oppos.

Solutio oppositorum. 2. Ad illud quod obiicitur de Glossa in Threnis, dicendum, quod *fides* ibi dicitur conscientia peccati. Aliquando enim habens gratiam per poenam satisfacit de culpa, cuius non habet memoriam; unde tantum valet dicere: *si fides desit,* quantum: *si desit conscientia* [9].

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod nullus tenetur ex caritate implere mandata; dicendum, quod quando satisfactionis opus ab homine imponitur homini, non tenetur illud opus facere ex caritate sive in caritate, quia *praeceptum;* sed necesse habet in caritate facere ad hoc, quod sit *emendatorium* et *Deo placiturum.* Notandum. Et ideo dico, quod opere illo iniuncto completo, non tenetur illud iterare. — Sed si dubitat probabiliter, se Deo non satisfecisse, non debet a satisfactione cessare, quousque per signa probabilia habeat certitudinem de culpa dimissa et poena. Casus solvitur. Unde, sicut dictum est de aliis Sacramentis, maxime de eucharistia [10], quod non valet nisi habenti caritatem, non tamen tenetur quis accedere ex caritate secundum *veritatem,* sed se *probabiliter* disponere; ita etiam de satisfactione dicendum,

---

[1] Vers. 41. — Seq. textus est Dan. 4, 24.

[2] Vers. 52. — Glossa, quam exhibet Lyranus in v. 54, sumta est ex Paschasio Radberto in hunc loc. Eandem sententiam profert Ambros. hic in lit. Magistri, c. 3.

[3] De quo vide III. Sent. d. 37. a. 1. q. 2.

[4] Eccle. 9, 1.

[5] Ut insinuatur supra ab Augustino in lit. Magistri, d. XIV. c. 2. circa finem. — De ultima conclusione cfr. supra pag. 234, nota 6. — Inferius pro *imposita sit alicui poenitentia* codd. A G K *impositum sit alicui.*

[6] Secundum Gregor. et Bedam nec non Glossam *ordinariam* in Marc. 12, 43. apud Lyranum. Cfr. tom. II. pag. 906, nota 6. et pag. 929, nota 5.

[7] Vers. 3, ubi Vulgata post *meas* addit: *et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in fine corp. et d. 28. a. 2. q. 1. — Cod. U. *habeat gratiam, praeparare se ad gratiam et caritatem.*

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 3. in fine, ubi illa sententia eodem modo exponitur. — Cod. B addit *peccati.*

[10] Dist. 9. a. 2. q. 3. et d. 12. p. II. a. 1. q. 1. seq. — Inferius pro *quod opera* multi codd. *quod per opera,* et pro *in satisfactionem* plurimi codd. *in satisfactione.*

quod opera iniuncta in satisfactionem tenetur facere, et tenetur se disponere, quantum est in se; et sic absolutus est in foro *Ecclesiae* et a poena suae conscientiae, et in foro *Dei* absolutus est, ut non peccet in hoc faciendo. Sed tamen per haec opera non absolvitur *omnino;* et ideo sanum consilium est, quod homo semper poeniteat. Sufficit tamen cum signis probabilibus fecisse poenitentiam iniunctam, nec oportet eam iterare. Unde si centum dedit, non debet iterare, nec sacerdos debet iterum imponere nisi pro aliqua culpa de novo commissa. Satisfecit enim talis in foro Ecclesiae et suae conscientiae.

Unde notandum, quod duplex potest distingui forum secundum duplex iudicium, scilicet forum *conscientiae* et forum *divinae iustitiae.* Primum est manifestum, secundum est occultum. Si quis igitur impleat poenitentiam impositam sine remorsu conscientiae, sed tamen extra caritatem; non tenetur satisfacere amplius, nec iudicio sacerdotis nec suo; tenetur tamen iudicio *Dei,* quia adhuc Deus exiget poenam. Illud autem forum distinguitur contra forum *Ecclesiae;* sed istud vocatur forum *Ecclesiae,* quod est in facie Ecclesiae et secundum iudicium publicum.

Duplex forum et iudicium.

SCHOLION.

I. De responsione ad hanc 3. quaestionem cfr. etiam III. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. ad 3, ubi idem docetur. Consentit S. Thom., sed Scot. (hic q. 1. n. 15-18.), saltem quoad satisfactionem *sacramentalem* (cfr. hic ad 3.), *probabile* esse putat, pro peccatis *antea iam dimissis* per opus in mortali factum non tantum satisfieri praecepto a sacerdote imposito, sed etiam posse solvi poenam *satisfactoriam,* licet opus non sit *meritorium;* cui opinioni favent Durandus, Biel et etiam plures recentiores, refragantibus cum S. Thoma principalibus antiquis Scholasticis; immo Alex. Hal. (S. p. IV. q. 24. m. 4. a. 2.), in hoc contrarius S. Bonaventurae, disertis verbis dicit, poenitentiam in hoc statu completam esse *iterandam,* et B. Albert. (hic a. 30.) excipit ab ista iteratione tantum ea opera, quae in effectu suo manent. Alii antiqui et recentiores putant, poenitentiam sacramentalem in peccato factam *postea,* cessante obice peccati, effectum satisfactorium producere posse; quod probabile esse censet S. Bonav., de quo vide seq. quaestionem. Quoad *iterationem* autem iniunctae poenitentiae in statu peccati factae ad mentem nostri auctoris S. Alphonsus (Theol. Moral. VI. tr. 4. n. 522. seq.) docet, esse nunc sententiam communiorem et probabiliorem, satisfieri praecepto, licet poenitens talis probabilius peccet venialiter.

De hac 3. quaestione praeter Scotum: Alex. Hal., loc. cit. a. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Suppl. q. 14. a. 2. — B. Albert., hic a. 8. 9. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., de hac et seq. q. hic a. 1. q. 5. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2. n. 7. 8. 13. 14. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 2.

II. Ad 4. quaestionem Alex. Hal., S. Thom., Petr. a Tar., B. Albert., Richard. a Med. absolute respondent *negative;* Scotus cum non paucis vult, eam pie *affirmari* posse; quod auctor noster esse probabile censet.

De eadem: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. § 3. — Scot., hic q. 1. n. 15. 16. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3; Suppl. q. 14. a. 3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 4.

III. De 5. quaestione cfr. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. 3. *scholion,* nec non ibid. a. 1, d. 24. p. I. a. 1. q. 2. — De speciebus meriti vide II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. et scholion.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. § 1. 2. — Scoti loci collecti ab Hieron. de Montefortino, V. q. 15. a. 4. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 4; Suppl. q. 14. a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med. tangit hanc et seq. q. hic a. 1. q. 5. ad 3. — Durand., hic q. 3.

IV. De quaestione 6. cfr. infra p. II. dub. 8. In eius solutione S. Thomas concordat per omnia; similiter Alex. Hal., B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med., Durand., aliique.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 5; Suppl. q. 14. a. 5. — B. Albert., hic a. 32. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Durand., hic q. 4.

QUAESTIO IV.

Utrum opera satisfactoria, facta extra caritatem, adveniente caritate, reviviscant sive vivificentur.

Quarto quaeritur, utrum opera satisfactoria, facta extra caritatem, adveniente caritate, reviviscant sive vivificentur et debeant computari in sortem. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Super illud Levitici vigesimo quinto[1]: *Si attenuatus frater tuus* etc.; Glossa exponit, quod fructus bonae conversationis debent ei computari ab eo tempore, ex quo peccavit; et secundum hoc videtur, quod caritate adveniente, possunt bona opera computari.

2. Item, baptismus acceptus a ficto extra caritatem, adveniente caritate, incipit valere[2]: ergo similiter, cum satisfactio sit opus sacramentale, poterit valere, adveniente caritate. *Si dicas,* quod non est simile, quia in baptismo imprimitur character; *contra* hoc est de restitutione, quae tunc valet ad salutem, cum advenit caritas, nec oportet iterari.

3. Item, facilius est in natura vivificare quod non[3] vixit, quam quod vixit et est mortuum sive mortificatum — primum enim est naturale, secun-

---

[1] Vers. 25. seqq. — Glossam exhibet Rabanus ex Hesychio, qui in hunc versum dicit: « Uniuscuiusque ergo hominis possessio bona conversatio est, quam sortiti sumus a Deo »; et in v. 50: Computavit [Rabanus: Computabit] autem ab anno, quo semetipsum vendidit [i. e. peccavit], usque ad annum iubilaei sive remissionis, a quo videlicet peccans eguit consilio et doctrina, usquedum integram et omnimodam peragat poenitentiam, in qua remissionem accipiens, aequalis ei fiat, qui penitus non peccavit etc. Cfr. Gratian., C. *Quis aliquando vidit* (87.), de Poenitentia d. 1. § 13.

[2] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[3] Codd. E F G I K L *nunquam,* cod. O melius *nondum.* Mox post *quam quod* cod. I addit *aliquando.*

dum supra naturam — ergo cum opera mortificata, adveniente caritate, vivificentur, multo magis mortua, vel saltem aequaliter.

4. Item, bonum *moris* magis propinquum est gratiae quam bonum *naturae;* sed *naturalia* [1] vivificantur et gratia informantur: ergo et *bona in genere* prius facta.

5. Item, ratio, quare Deus remittit culpam et non remittit poenam, est, ne peccatum remaneat impunitum: ergo si iste peccator punitus est ante adventum gratiae tantum, quantum deberet [2] puniri post gratiam, vel in parte; aut nullo modo puniri debet, aut non tantum: ergo bona opera computantur.

Contra: 1. Quod nullo modo vivit nec est a principio vivente non [3] habet *potentiam* ad vitam; sed tale est opus extra caritatem factum: ergo etc. (Fundamenta.)

2. Item, omne satisfactorium est meritorium; sed nullum est meritorium nisi ex caritate; sed opus illud non fuit ex caritate nec amplius potest esse, quia impossibile est, quod mutet originem: ergo impossibile est inter opera satisfactoria computari.

3. Item, peccator ante satisfactionem est obligatus ad poenam infinitam; sed ab infinito nihil adimitur, et quod adimitur nihil facit [4]: quantumcumque ergo se affligat, tenetur ad aequalem poenam: ergo non debent talia opera computari.

4. Item, opus ex caritate procedens excedit improportionaliter opus extra caritatem factum; sed quod improportionaliter excedit aliud non accrescit ex additione illius: ergo quantumcumque opera fecerit ante caritatem, nihil addunt ad opera post caritatem, sicut nec punctus ad lineam [5]: ergo in nihilum debent computari.

CONCLUSIO.

Probabile est, quod opera satisfactoria, facta extra caritatem, adveniente caritate, reviviscant quoad remissionem poenae, non quoad meritum vitae aeternae; sed securius est tenere, quod nullo modo vivificantur et computantur.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex fuit opinio. — (Opinio 1.) Una quidem fuit, quod opus satisfactorium, quantum est de sua ratione perfecta, meretur (Distinctio.) *collationem gloriae* et meretur *remissionem poenae: collationem gloriae,* quia fit *ex caritate; remissionem poenae,* quia fit [6] *in caritate,* in quantum sacramentale est; et ideo sufficit, quod fiat *in caritate,* quantum ad hoc; quia per caritatem poena debita satisfacienti fit proportionalis poenae, quam sustinet. Dicunt ergo, quod opera illa vivificari quantum ad meritum vel retributionem *vitae aeternae* est impossibile, quia non fuerunt ex caritate, et amplius impossibile est esse ex caritate; sed quantum ad meritum *remissionis poenae* — quia non erat alius defectus, nisi quia poena non erat proportionalis — isto posito in caritate, et poena facta proportionali, vivificantur quantum ad hoc et computari debent in sortem. Unde [7] aliter vivificantur quam opera mortificata, quia illa ad *aeternam retributionem,* haec solum ad *poenae dimissionem.* (Notandum.)

(Opinio 2.) Alia est positio, quod omne opus satisfactorium est opus meritorium vitae aeternae, et oportet fieri ex caritate movente imperio coniuncto, vel saltem primo [8]; sicut est de eo qui vadit ad sanctum Iacobum; unde dicunt, quod talia *nullo modo* vivificantur nec computantur. — (Conclusio.) Prima positio est multum probabilis, sed haec securior est [9].

(Solutio oppositorum.) 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium huius, quod debent fructus computari; dicendum, quod illud intelligitur, si statim post peccatum incepit *conteri,* et tunc opera satisfactoria fuerunt ab illo tempore, etiam antequam absolveretur a sacerdote. — (Aliter.) Vel dicendum, quod fructus computantur quantum ad *superexcrescentiam* [10] *usurarii,* quia merito illorum fructuum diabolus non traxit illum ad multa scelera.

2. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod est opus *Dei ad hominem,* et hoc nunquam est mortuum, tamen propter inconvenientiam suscipientis privatur effectu; et tale est baptismus. (Triplex opus.) — Est opus *hominis ad hominem,* et tale consideratur solum exterius, quia homo non videt nisi ea quae extra sunt [11]; et tale est restitutio, et hoc non oportet esse vivum. — Aliud est opus *hominis ad Deum,* et tale potest esse mortuum, sed debet esse vivum ad hoc, quod sit satisfactorium, aliter enim Deo non est acceptum; et tale est opus satisfactionis, quo homo reconciliatur Deo. Et ideo non est simile de baptismo et satisfactione [12].

3. Ad illud quod obiicitur, quod vivificare quod nunquam vixit est facilius; dicendum, quod hoc

---

[1] Cuiusmodi sunt potentiae, habitus etc. animae.

[2] Edd. *gratiae, nunquam debet.* Eaedem edd. cum multis codd. post *vel in parte* addunt *debet.*

[3] Ita codd. A E F G aa bb; in aliis et edd. *nec.* Edd. post *ad vitam* addunt *non potest vivificari.*

[4] Edd. omittunt *et quod adimitur nihil facit* [i.e. non diminuit].

[5] Cfr. tom. III. pag. 222, nota 10. et pag. 280, nota 5. — Superius post *quantumcumque* Vat. addit *vel quaecumque.*

[6] Pro *fit* cod. bb a secunda manu *meretur remissionem poenae,* quae verba codd. B H (F a secunda manu) addunt post *sacramentale est.* Inferius pro *ad hoc; quia... fit* Vat. cum pluribus codd. *ad hoc, quod... sit.*

[7] Non pauci codd. cum ed. 1 *Vel,* Vat. *Et ita.*

[8] Codd. A E a secunda manu *praevio,* Vat. *praevio vel primo.* — Cfr. II. Sent. d. 41. a. 1. q. 3. ad 6.

[9] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[10] Quod secundum Du Cange, Glossarium etc., idem est quod accretio sive incrementum, et *usurarium* sive usuaria significat usumfructum seu potius ius utendi; *usurarius* dicitur vulgo de feneratore et distinguitur ab *usuario.* — Vide hic lit. Magistri, c. 7.

[11] Respicitur I. Reg. 16, 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

[12] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 3. ad 1.

Notandum. verum est in his quae ideo vivunt, quia *recipiunt vitam*, sed non in his quae ideo possunt vivere, quia *procedunt a vita;* et talia sunt opera [1].

4. Ad aliud dicendum, quod non est simile de habitibus et potentiis et actibus, quia isti manent, illi non, nec informari nec vivificari possunt.

5. Ad illud quod obiicitur, quod causa satisfaciendi est, ne sit peccati impunitas [2]; dicendum, quod illa non est *tota* ratio, sed etiam haec: quia homo est amicus Dei effectus per gratiam et dignus aliquando beatificari; ideo solum ad poenam temporalem astrictus est, et ideo, antequam sit amicus, ad aeternam astringitur. — *Praeterea*, opus factum ex caritate improportionaliter, sicut tactum est in opponendo [3], excedit opus factum extra caritatem, et ita poena supportata ex caritate et mera voluntate excedit poenam supportatam sine caritate; et ideo Deus poenam aeternam aeternaliter portandam ex mala voluntate, cuiusmodi est in damnatis, rationabiliter in poenam temporalem commutat ex caritate portandam; tantum placet ei talis tolerantia. Et ideo alia poena extra caritatem portata tanquam omnino improportionalis non augmentat illam; sed Deus [4] illam solam reputat satisfactoriam, cuius tolerantia et assumtio sumitur ex caritate sincera, quia in aliam non commutabat poenam [5].

QUAESTIO V.

Utrum homo per talia opera aliquid mereatur.

Quinto supposito, quod per opera facta extra caritatem non fiat satisfactio, nec vivificentur; quaeritur, utrum homo per ea aliquid mereatur. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia, sicut dicit auctoritas communis [6], «nullum malum impunitum, et nullum bonum irremuneratum»; sed divina iustitia nunquam malum quantulumcumque dimittit, quin puniat: ergo nec quantulumcumque bonum, quin remuneret.

2. Item, si non remunerantur, ergo aequaliter se habet iudex ad eum qui nullum bonum fecit, et ad eum qui fecit multa bona: ergo stultum est alicui peccatori consulere, quod faciat aliquod bonum opus.

3. Item, Exodi vigesimo [7]: *Honora patrem tuum, ut sis longaevus;* aut hoc dicitur *habenti* caritatem, aut *non habenti.* Si *habenti* tantum; haec est parva remuneratio, quia ipse non amat istam vitam, sed aliam. Ergo dicitur *non habenti:* ergo meretur aliquid, si honorat, et sic etc.

4. Item, Dominus dicit de hypocrita Matthaei sexto [8], qui facit opus bonum propter gloriam, quod *recepit mercedem suam;* esto ergo, quod aliquis faciat opus bonum propter Deum, non propter gloriam; cum non sit peius, quam illud quod fuit ad gloriam, immo melius: ergo dignum est mercede aliqua.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Augustinus [9]: «Peccator non est dignus pane, quo vescitur»: ergo si peccator non est dignus vivere, multo minus est dignus remunerari.

2. Item, qui nihil est in conspectu alicuius apud illum nihil meretur; sed peccator nihil est in conspectu Dei; Psalmus [10]: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus:* ergo etc.

3. Item, Sapientiae decimo quarto [11]: *Similiter odio sunt Deo impius et impietas eius;* sed impietas omnino displicet Deo: ergo et impius. Sed qui omnino displicet alii nihil meretur apud ipsum: ergo etc.

4. Item, nihil meretur organum nisi vivum in operatione servitii [12] — unde ligo nihil meretur, dum operatur homo in vinea — sed peccator organum est non vivum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Peccator potest apud Deum aliquid mereri, sed tantum de congruo.

Opinio 1. RESPONDEO: Aliqui dicunt, quod peccator nihil omnino meretur apud Deum, neque *ex congruo,*

---

[1] Vide supra d. 14. p. II. a. 2. q. 3. ad 3. et 4. — Codd. M O supplent *satisfactoria.* Omnes codd. et ed. 1 seq. (4.) solutionem praeponunt huic (3.). Cum nulla appareat ratio huius transpositionis, retinuimus rectum ordinem Vaticanae.

[2] Retinuimus lectionem edd.; codd. I K (E a secunda manu) *quod impunitas est causa impossibilitatis satisfaciendi;* alii, hanc obiectionem cum ultimo fundamento confundentes, *quod improportionalitas est causa impossibilitatis* [vel *impotentiae*] *satisfaciendi.*

[3] Scilicet fundamento 4.

[4] Pro *sed Deus* ed. 1 *ergo,* Vat. *quia.* Post pauca pro *sumitur* non pauci codd. *sumuntur,* cod. Y *fuit.* Subinde edd. omittunt *sincera,* et pro *commutabat* ed. 1 substituit *computat,* Vat. *commutat,* codd. F G *commutabit.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] De hac auctoritate, quam August. (Enarrat. in Ps. 118. serm. 23. n. 3.) sic proponit: Nec recte factum infructuosum, nec peccatum creditur impunitum, cfr. tom. I. pag. 713, nota 2. Vide etiam Gregor., XXI. Moral. c. 5. n. 10, et Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 9. circa finem.

[7] Vers. 12.

[8] Vers. 2. et 5: Amen dico vobis, receperunt [hypocritae] mercedem suam. — Inferius post *gloriam* cod. X bis addit *suam.*

[9] Hanc sententiam in operibus August. non invenimus. I. Nicolai in ed. Pantheologiae Raynerii de Pisis (Lugd. 1655), tom. III. tit. de Satisfactione, c. 3. § 3, ubi ex S. Thoma haec sententia adducitur, ait: « Citat sine indice S. Thomas, nec occurrit in Augustino, ut nec eius loquelam sapit ». Cfr. Comment. in Epist. ad Tit. (inter opera Ambros.) 1, 15, ubi de peccatoribus: Indigni habiti sunt tota uti Dei creatura.

[10] Psalm. 14, 4.

[11] Vers. 9.

[12] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 11.

neque *ex condigno;* sed tamen Deus ratione abundantissimae largitatis bona eius opera non dimittit irremunerata, immo remunerat; et est bonum peccatori bene operari, quamvis non sit iustum, eum remunerari, sed magis benignum.

Opinio 2. et conclusio. Alii dicunt et probabilius, quod est mereri *de congruo* et *de condigno;* peccator autem apud Deum nihil meretur *de condigno,* sed tamen mereri potest *de congruo.* Duplex bonum opus. Peccator enim aliquando facit bonum opus in genere ad *gloriam suam,* ut cum dat eleemosynam propter gloriam; et ex hoc opere non meretur mercedem, sed poenam, quia procedit ex contumelia. Aliquando facit ad *Dei gloriam* et propter amorem Dei, quem habet, et hoc non potest esse sine aliqua gratia gratis data, quae disponit *de congruo* ad gratiam gratum facientem [1], quam Deus aliquo modo acceptat; et ex hoc meretur *de congruo.* Notandum. Illud autem meritum comparatum merito caritatis est improportionale, sicut linea latitudini et superficiei [2]. Unde sicut linea nihil est in comparatione ad superficiem, aliquid tamen est in se; sic est de peccatore ad iustum, et de eius amore ad amorem caritatis, et de merito ad meritum.

1. 2. Ex his patent obiecta; et primo ad illud Augustini: Non est dignus etc., dico bene, quod non meretur *ex condigno.* Similiter ad duo sequentia, quod nihil est in comparatione caritatis. Solutio oppositorum.

3. Ad illud de Sapientia: Similiter est odio impius; dicendum, quod illud intelligitur per se secundum quod *impius,* non secundum quod *habens naturam bonam* et aliqua *dona gratis data* [3]; et cum facit opus secundum quod *impius,* nihil meretur; sed quando secundum *gratiam gratis datam,* aliquid saltem meretur *de congruo.* Notandum.

4. Ad ultimum de instrumento dicendum, quod *non vivum* dicitur dupliciter: *negative,* quod nec vivit nec natum est vivere; et *privative,* quod non vivit, sed tamen natum est vivere [4]. Distinctio. Per primum nec *de congruo* nec *de condigno,* per secundum autem est meritum *de congruo,* eo quod non privatur simpliciter vita; vivit enim in morte et voluntarie operatur bonum et est quodam modo *Dei adiutor* [5]. Notandum.

QUAESTIO VI.

Utrum bona opera extra caritatem facta valeant ad tolerabiliorem poenam.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum bona opera valeant ad tolerabiliorem poenam extra caritatem. Et quod sic, videtur.

1. Augustinus dicit de talibus operibus in Enchiridio [6], quod « ad hoc eis prosunt, ut tolerabilior sit damnatio ». Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, *ratione* videtur: quia probatum est supra [7], quod aliquid meretur illo opere: ergo esto, quod statim moriatur post illud; ergo cum non sit irremuneratum et non praemietur in collatione boni: ergo saltem in diminutione mali.

3. Item, « declinare a malo semper vitat poenam, quamvis non semper consequatur palmam [8] »; sed melius est bonum facere: ergo multo fortius vitabit poenam.

4. Item, peccatum aggravatur ex sequenti eventu et gravius punitur, ut patet in peccato otii: ergo peccatum, quod reddit hominem magis otiosum ad bonum, magis punitur: ergo illud, post [9] quod fiunt bona opera, minus, et ita etc.

Contra 1. Augustinus in Enchiridio [10] dicit, damnatis non prodesse suffragia Ecclesiae; sed ista sunt potentiora, cum sint ex caritate, quam opera extra caritatem facta: ergo illa multo minus prosunt. Pro parte negativa.

2. Item, si merentur remissionem poenae, aut *intensione,* aut *duratione.* Non *duratione,* quia poena est infinita. Si *intensione;* sed quantum ad hoc est finita: ergo [11] tantum possunt multiplicari bona opera, quod nulla erit poena.

3. Item, tantae culpae debetur tanta poena; sed opera bona extra caritatem facta non immutant nec minuunt culpam: ergo nec poenam [12].

Quaeritur igitur, ad quid valeant huiusmodi opera bona. Quaestio incidens.

---

[1] Vide II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. — De merito *congrui* et *condigni* cfr. ibid. d. 27. a. 2. q. 2. — Superius pro *contumelia* cod. Y *concupiscentia.*

[2] Cfr. supra pag. 355, nota 5.

[3] Vide III. Sent. d. 28. q. 3. ad 2. — Inferius pro *saltem* edd. *ad salutem.*

[4] De differentia negationis et privationis cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis,* et IV. Metaph. text. 4. (III. c. 2.).

[5] Epist. I. Cor. 3, 9: Dei enim sumus adiutores. — Pro *in morte* [I. Tim. 5, 6: Vivens mortua est], *et* edd. *in merito, si.* — Vide scholion ad 3. quaest.

[6] Cap. 110. n. 29: Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe, ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. Cfr. infra lit. Magistri, d. XLV. c. 2. — Sola Vat. huic arg. subnectit alterum ex August. sumtum, ad quod in fine quaest. respicere videtur S. Bonav.: « Item Augustinus, libro de Patientia [c. 26. n. 23.]: Haereticus et schismaticus tolerando supplicia, ne Christum neget, tolerabilius in inferno habebit ». Sed locum integrum exhibet Magister hic in lit. c. 7.

[7] Quaest. praeced. — Mox pro *aliquid* codd. G R *aliquis.*

[8] Secundum Glossam in Ps. 33, 15. Vide tom. III. pag. 815, nota 7.

[9] Edd. *propter.*

[10] Cap. 110. n. 29. Cfr. infra lit. Magistri, d. XLV. c. 2, et Comment. d. 46. a. 1. q. 1.

[11] Codd. I K addunt *quantum ad hoc,* edd. *in.*

[12] Vide supra q. 3.

CONCLUSIO.

Opera facta extra caritatem ad multa valent et etiam ad tolerabiliorem poenam, sed tantum ex consequenti.

Respondeo: Dicendum, quod huiusmodi opera bona extra caritatem facta, quando bona fiunt intentione, valent ad multa: ad *temporalium multiplicationem*, Isaiae primo[1]: *Si volueritis et audieritis me, bona terrae comedetis.* Ad *temporalis poenae diminutionem*, tertii Regum vigesimo primo: *Nonne vidisti Achab coram me humiliatum?* Idcirco *non inducam* etc. Ad *gratiae impetrationem*, sicut Rahab, Iosue sexto, invenit gratiam propter opera, quae fecit nuntiis. Ad *bonae vitae assuefactionem*, Threnorum tertio: *Bonum est viro, cum portaverit iugum* etc. Ad *peccati resistentiam*, quia peccatum trahit suo pondere ad aliud, Ecclesiastici tertio: *Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Ad *tolerabiliorem poenam aeternam*, sicut dicit Augustinus, quod valet, « ut tolerabilior sit damnatio ».

Conclusio 1. Valent ad sex.

Sed illud diversimode intelligitur a diversis. Quidam enim dicunt, quod facit poenam tolerabiliorem non *mutando poenam*, sed *fortificando subiectum.* — Sed hoc non est congruum dicere, quod virtus aliqua detur damnato propter opera illa, quae facit mitius sustinere: quia aut daretur *ad semper*, aut *ad tempus;* et utrumque est inconveniens. Illa enim virtus aut est *naturalis*, aut *gratuita*, quorum neutrum facile est intelligibiliter assignare[2].

Interpretatio 1. Improbatur.

Aliqui dicunt, quod valent ad *remissionem poenae vermis*, quia non tantum habebunt remorsum conscientiae, quantum si nulla opera bona fecissent. — Sed illud non valet, quia remorsus conscientiae erit secundum quantitatem culpae, sicut et ignis: ergo si non valet ad ignem, nec ad vermem[3].

Interpr. 2. Improbatur.

Ideo tertio modo dicendum, quod valent ad *tolerabiliorem damnationem ex consequenti*, quia impediunt, culpam factam aggravari; et etiam retrahunt hominem a peccati frequentia et ab intensione libidinis et contemptus; quia non ex tanta libidine peccat qui aliquando opera bona facit, sicut qui Dei obliviscitur[4]. Et *ad vermem:* quia minus cruciabitur et minorem habebit remorsum, quam si opera illa non fecisset, non de illa culpa, quam *commisit*, sed de malis, quae *commisisset*, et de bonis, quae *omisisset*, si illa opera bona non fecisset. — Et ita intelligendum est de eo qui statim moritur; et de eo qui magis moritur, quam neget Christum; et de consimilibus.

Interpr. 3. et conclusio 2. duplex. Ad 2. arg. pro parte affirm.

His visis, patet responsio ad utramque partem. Rationes enim ad primam partem procedunt de poena, quam posset incurrere, si illa opera negligeret. Rationes vero ad oppositum procedunt de poena, quae debetur culpae iam factae. Et sic patet totum circa hoc[5].

Ad argg.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Non consurget duplex tribulatio.* Videtur enim contrarium: Ecclesiastici undecimo[6]: *Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt.* — Item, in Psalmo: *Induantur sicut diploide confusione sua.* — Item, in Psalmo: *Ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum.*

Respondeo: Dicendum, quod tribulatio potest intelligi *duplicari*[7] aut quantum ad *subiectum punitum*, aut quantum ad *modum puniendi*, aut secundum *proportionem ad meritum*, aut secundum *diversitatem status.* Dico igitur, quod *tribus* modis duplicatur. Aut duplicatur quantum ad *subiectum*, quia duplex est hominis pars, scilicet corpus et anima, et duplex vis in libero arbitrio peccante. Ideo punitur homo in anima et corpore, in ratione et voluntate; et iste est unus modus duplicandi. — Alio modo duplicatur quantum ad *modum puniendi*, quia per carentiam et calorem, per ignem et frigus, sicut peccavit per timorem et amorem[8]. — Tertio modo duplicatur quantum ad *statum*, quia punitur quis in praesenti, et si est impoenitens, punitur in futuro. — Sed quantum ad *proportionem ad meritum* non consurget duplex tribulatio, quia semper Deus punit citra condignum; et hoc modo intelligitur auctoritas Prophetae. — Secundum alias

Distinctio. Duplicatur tripliciter. Notandum.

[1] Vers. 19. — Seq. textus est III. Reg. 21, 29, ubi pro *Idcirco* Vulgata *quia igitur humiliatus est mei causa*, quae verba cod. H particulae *idcirco* praemittit. — Tertius est Ios. 6, 25: Rahab vero... fecit Iosue vivere... eo quod absconderit nuntios etc. — Quartus est Thren. 3, 27, et quintus Eccli. 3, 33.

[2] Cfr. infra d. 46. a. 1. q. 1. — Superius post *quae facit* cod. K (I a secunda manu) addit *ut poenam possit.* Subinde pro *aut est* codd. Hbb *aut esset.*

[3] Vide infra d. 50. p. II. a. 2. q. 3. — Pro *ergo si* codd. IK *ergo sicut*, et verbis *nec ad* in cod. I secunda manus praemisit *ita.*

[4] Codd. STY addunt: *et ad hoc per consequens valent ad tolerabiliorem damnationem et ad ignem et ad vermem* [cod. Y omittit *et ad vermem*].

[5] Vide scholion ad 3. quaest.

[6] Vers. 16. — Seq. textus est Ps. 108, 29: Induantur qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploide [August. *pallium duplex...* confundantur et intus et foris, id est et coram Deo et coram hominibus. Cfr. Ier. 17, 18.] etc. — Tertius, quem edd. omittunt, est Ps. 10, 7.

[7] Ita bene codd. FL, alii *dupliciter*, edd. *quadrupliciter intelligi.*

[8] Ex quibus secundum August. omnia peccata oriuntur. Cfr. tom. II. pag. 146, nota 7, et ibid. lit. Magistri, d. XLII. c. 4.

vias multae inveniuntur auctoritates [1], sic etiam est intelligenda expositio Hieronymi sequens.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quinque modis flagella contingunt.* Videtur enim insufficienter tangere modos, cum multo plures assignari possint. Flagella enim sunt ad vitam aeternam ordinata et ad probationem et ad multa alia, quae hic non tanguntur: ergo videtur, quod sit insufficiens.

Respondeo: Dicendum, quod utilitates flagellorum possunt accipi ex Scripturis in *generali*, vel in *speciali*. In *generali* omnes modi flagellandi ad hos reducuntur; et hoc patet, si consideretur sufficientia. *(Distinctio. Modi generales.)*

Omne enim flagellum, quod contingit, aut est ordinatum ad *utilitatem flagellati*, aut ad *gloriam flagellantis* [2]. Si ad *utilitatem flagellati;* aut ut *promoveatur* in bono, et sic primus modus, et est exemplum de Iob; aut ut *conservetur,* et sic secundus, et est exemplum in beato Paulo, aut ut *reducatur* ad bonum, et sic tertius, et est exemplum in Maria, sorore Moysi. — Aut ad *gloriam flagellantis*, et hoc dupliciter: aut ut manifestetur potentia in *miserendo,* et sic quartus, et est exemplum in caeco nato, quem Dominus illuminavit; aut ut manifestetur potentia in *iudicando,* et sic quintus, et est exemplum in Antiocho. *(Congruentia 1 numeri.)*

Aliter possunt distingui: quia omne flagellum aut est ordinatum *ad bonum,* aut *contra malum.* Si *ad bonum;* aut ad *promovendum,* aut *demonstrandum.* Si *contra malum;* aut *evitandum,* aut *corrigendum,* aut *vindicandum.* Et secundum hoc accipiuntur quinque modi. Unde versus: *(Congruentia 2.)*

Iob probat, inclinat Paulum, purgatque Mariam,
Herodem punit, in caeco se manifestat.

Sunt et alii modi *speciales* et utilitates, qui his versibus continentur: *(Modi speciales.)*

Erudit et vertit, probat et laetum facit, arctat.
Confortat, satiat, consummat, deinde coronat.

Erudit, Ieremiae sexto [3]: *Per omne flagellum erudieris, Ierusalem.* — *Vertit,* id est convertit, Psalmus: *Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* — *Probat,* Ecclesiastici vigesimo septimo: *Vasa figuli probat fornax.* — *Laetum facit,* Iacobi primo: *Omne gaudium existimate, fratres* etc. — *Arctat,* Isaiae vigesimo octavo: *Vexatio dabit intellectum auditui.* — *Confortat,* Iob sexto [4]: *Haec sit mihi consolatio, ut affligens* etc. — *Satiat,* id est fecundat, Exodi primo: *Quanto magis opprimebant, tanto magis multiplicabantur.* — *Consummat,* Matthaei quinto: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam* etc. — *Coronat,* secundae ad Corinthios quarto: *Id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis* etc. — Omnes autem ad praedictos modos reducuntur. Hic tanguntur flagellorum utilitates, quae sub tribus modis assignatis continentur, et amplius sunt duo modi [5]. *(Explicantur et probantur.)*

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit in primo modo: *Ut iustis per patientiam merita augeantur.* Videtur enim male exemplificare, quia dicitur Iob sexto [6]: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui.* — Item, Gregorius in Moralibus [7]: « Quidquid mali patimur, pro peccatis nostris accidere manifestum est ».

Respondeo: Dicendum, quod *causa* dupliciter dicitur, scilicet *proprie* et *communiter* [8]. *Communiter*, et sic dicitur causa *sine qua non.* Accipiendo igitur causam large pro causa *sine qua non*, sic omnis poena dicitur venire ob meritum culpae originalis, quia nisi peccatum praecessisset, nulla esset poena. — Si autem accipiatur *proprie* pro causa *meritoria*, vel *finali;* sic non meruit Iob illam poenam. Et quod dicitur: *Utinam appenderentur*, hoc est potius ad oppositum; quia, sicut ipse dicit consequenter, quod poena improportionaliter excedit meritum [9]. *(Duplex causa.)*

---

[1] Quarum aliquas Bonav. in opponendo adduxit. — Expositio textus huius dubii ab Hieronymo data habetur hic lit. Magistri, c. 3. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic circa lit.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 2, ubi etiam eadem exempla afferuntur. Cfr. etiam Gregor., I. Moral. c. 5. n. 12, quem secunda manus in cod. G allegat. — Inferius post *conservetur* codd. F G supplent *in bono.*

[3] Vers. 7. seq., iuxta translationem Septuaginta: Impietas et miseria audietur in ea contra faciem eius. Per omnem dolorem et flagellum erudieris, Ierusalem. — Seq. textus est Ps. 15, 4. — Tertius est Eccli. 27, 6. — Quartus Iac. 1, 2. — Quintus Isai. 28, 19.

[4] Vers. 10. — Seq. textus est Exod. 1, 12: Quantoque opprimebant eos, tanto etc. — Tertius Matth. 5, 10, et ultimus II. Cor. 4, 17.

[5] Cfr. Petr. Blessens., de Duodecim Utilitatibus tribulationis. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 4, ubi et duo seqq. dubia solvuntur; S. Thom., hic circa lit. [6] Vers. 2.

[7] Libr. VI. c. 12. n. 14; XIII. c. 32. n. 36. et XXIV. c. 9. n. 23, sententialiter; sed si verba attendantur, ipsa potius exhibentur ab Hieronymo, in Ezech. 5, 16. Cfr. tom. II. pag. 850, nota 1.

[8] Vide I. Sent. d. 38. a. 1. q. 2, ubi causa *proprie* dicitur esse id quod dat [sive influit] alteri *esse*, *communiter* autem vocatur illud, sine quo res non est. — Inferius pro *sic omnis* edd. et plures codd. *sic omnino.*

[9] Iob 6, 2. seq.: Utinam appenderentur peccata mea... et calamitas, quam patior, in statera. Quasi arena maris haec gravior appareret. Glossa *interlinearis* Hieronymi: Ipsa calamitas gravior est merito peccatorum meorum; quia maiores sunt poenae, ut dixi, quam meorum merita delictorum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit in ultimo modo: *Vel ad initium poenae, ut Herodi.* Videtur enim male dicere, quia Augustinus de Poenitentia[1]: « Quidquid Deus permiserit pati, scias esse flagellum corrigentis, non damnantis ». — Item, quamdiu homo vivit, potest converti et potest mereri et est in statu viae: ergo non debet inchoari poena.

Respondeo: Dicendum, quod flagellum inflictum Distinctio cum subdistinctione. habet comparationem ad *infligentem,* et ad illum *cui infligitur.* De *infligente* autem est loqui quantum ad voluntatem *antecedentem,* aut *consequentem*[2]. Si quantum ad voluntatem *antecedentem,* sic omne quod Deus nobis facit et infligit in praesenti, ordinationem aliquam habet ad gloriam, quia secundum voluntatem istam *vult, omnes salvos fieri*[3]. — Si autem quantum ad voluntatem *consequentem;* quia secundum hanc voluntatem vult, secundum quod praescit, et praescit, istum in malitia permansurum; poenam dicitur infligere in vindictam gravis culpae.

Similiter de *flagellato* est loqui dupliciter: aut Subdistinctio 2. quantum ad *statum,* et quia est in statu, in quo potest reverti; tam ipse quam poena aliquam habet ordinationem ad bonum. Aut contingit loqui quantum ad *obstinationem* animi, quae convertit benignitatem in iram et gratiam impugnat; et sic sunt ei poenae in damnationem. Et sic patet utraque pars.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non praeveniri sententiam iudicis* etc. Videtur enim male dicere: quia qui semel iudicatus est et punitus a sacerdote amplius non iudicabitur[4] nec punietur: ergo sententia iudicis praevenitur.

Respondeo: Dicendum, quod sacerdos aut ab- Distinctio. solvit non absolutum[5] et imponit minorem poenam, quam debet; et sic iudicat sententia hominis et non iudicis superni; et hoc modo, si videatur praeveniri sententia iudicis, non tamen praevenitur, quia oportet, hominem puniri in foro Dei. — Aut sacerdos, servato recto ordine et quantitate, punit, et sententia sacerdotis est sententia Dei hic hominem absolventis; et tunc non praevenitur, quia ipse iudex iudicat per ministrum suum, cui commisit ministerium; quod tamen cassum est, nisi praecedat auctoritas[6] Dei absolventis.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Levis culpa levi supplicio compensatur;* et exemplificat de Israelita, qui collegit ligna in Sabbato; et ulterius de illo qui Israelitae maledixerat, et qui etiam blasphemaverat; et videtur in utroque male exemplificare tum ratione *poenae,* tum ratione *culpae.* Ratione *poenae,* quia uterque occisus est et lapidatus; et haec est gravissima poenarum, scilicet poena mortis. — Item, de *culpa* videtur falsum, quia blasphemia est gravissimum peccatum. — *Praeterea,* transgressio mandati decalogi non est leve peccatum, maxime quia punitur poena mortis, quae erat poena debita enormissimis peccatis.

Respondeo: Dicendum, quod Hieronymus[7] non vocat supplicium mortis *leve* absolute, sed in com- Notandum. paratione ad poenam aeternam; et *levem* culpam vocat tum propter hoc, quod semel perpetrata est, tum etiam, quia neutrum habebat deformitatem notabilem; et ideo, si uterque voluit poenitere[8], de facili potuit misericordiam invenire et graves poenas evadere; et uterque illorum occisus fuit ex rigore Legis, quae data erat in *timorem.* — Et quod obiicitur de blasphemia, dicendum, quod secundum Richardum de sancto Victore[9] non omnis blasphemia est peccatum in Spiritum sanctum, sed illa quae dicitur *spiritus blasphemiae,* quando quis voluntatem habet blasphemandi Deum. Sed illa quae dicitur ex quadam *surreptione* et animi *conturbatione,* non est semper inter peccata enormia reputanda, quamvis et ipsa grave possit esse peccatum[10].

---

[1] Potius in Ioan. Evang. tr. 7. n. 7: Quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non poena damnantis.

[2] Cfr. de hac a Damasceno adhibita distinctione I. Sent. d. 46. q. 1.

[3] Epist. I. Tim. 2, 4. — Inferius post *gravis culpae* in cod. I secunda manus addidit: *et in inchoationem poenae futurae* (de quo agit hoc dub.).

[4] Nahum 1, 9: Non iudicabit Deus bis in idipsum (iuxta Septuaginta, cfr. hic lit. Magistri, c. 1.).

[5] Scil. a Deo. — Mox pro *iudicat* codd. I K *iudicatur.*

[6] Ita codd. H L N P Q V, alii et edd. *ministerium.* Pro *cassum est* codd. M N O *cassum esset.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 6; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Ex cuius verbis textus huius dubii sumtus est.

[8] Plures codd., ut M O R S T X, omittunt *poenitere.* — Quod Lex data sit in timorem, ostensum est III. Sent. d. 40. q. 1.

[9] Tractat. de spiritu blasphemiae. Cfr. II. Sent. d. 43. dub. 2. — Inferius pro *et animi* edd. *et sine,* plures codd. *et cum.*

[10] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XV.

PARS. II.

Respondetur rationibus pro praedicto errore ex auctoritatibus Sanctorum sumtis.

Alias quoque auctoritates inducunt etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 346.

DIVISIO TEXTUS.

Supra respondit Magister rationi sumtae ex sacra Scriptura. In hac parte respondet rationibus sumtis ex auctoritatibus Sanctorum et consuetudine Ecclesiae. Habet autem haec pars quatuor. In prima ponit rationes, quae videntur facere ad huius erroris defensionem. In secunda vero ponit veras responsiones, ibi: *His responderi potest* etc. In tertia improbat falsam, et quamvis probabilem[1] responsionem, ibi: *Quibusdam tamen videtur satisfactio* etc. In quarta ad veritatis confirmationem et erroris confutationem adducit auctoritates probantes, quod non possit fieri poenitentia de uno peccato, si quis permaneat in alio, ibi: *Satis illis arbitror esse responsum.*

Quaelibet autem partium posset subdividi in duas partes. Nam in prima ponit duas rationes. In secunda ponit duas responsiones ad praedictas rationes. In tertia primo ponit aliorum responsionem, deinde improbat. In quarta primo confirmat veritatem per auctoritates, secundo epilogat. Partes autem cuilibet inspicienti patent.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis, quia supra[2] quaesitum est de potentia satisfaciendi, quaeritur hic de modo. Et circa hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de modo in generali.

Secundo quaeritur de modo in speciali.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, quid sit satisfactio.

Secundo, cui sit satisfaciendum.

Tertio, per qualia opera.

Quarto, per quae.

ARTICULUS I.

De modo satisfaciendi in generali.

QUAESTIO I.

Quid sit satisfactio.

Circa primum sic proceditur.

Definitio Augustini. Augustinus definit, et habetur in littera[3]: « Satisfacere est peccatorum causas excidere et earum suggestionibus aditum non indulgere ».

Ad oppositum. 1. Videtur primo ista definitio sive notificatio *superflua*, quia idem est prorsus peccatorum causas excidere et non consentire suggestionibus.

2. Item, videtur *diminuta*, quia hoc totum vere dicitur de eo qui a peccato cessat: ergo secundum hoc *cessare a peccato* habet completam rationem satisfactionis: ergo non oportet amplius facere[4].

3. Item, videtur *falsa*, cum dicit: « peccatorum causas excidere », quia hoc est solius Dei; ipse enim est *qui delet peccata*[5].

4. Item, videtur falsi *implicativa*, cum dicit *peccatorum causas*; « peccatum enim nihil est[6] »: ergo non habet causas, quia « causa est cuius *esse*

---

[1] Edd. cum pluribus codd. *falsam et gravem* [edd. *gravem et*] *probabilem.*

[2] Partis I. q. I. seqq.

[3] Hic c. 3. circa finem. Plurimi codd., contradicente textu originali, *eorum* pro *earum*. Idem recurrit infra in principio corp. quaest. — De proprietatibus definitionis cfr. Aristot., VI. Topic. c. 1. seqq.

[4] Edd. *satisfacere*.

[5] Isai. 43, 25: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me et peccatorum tuorum non recordabor.

[6] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 1. n. 13. Cfr. tom. II. pag. 640, nota 8. — De seq. definitione causae vide Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.); Boeth., III. de Differentiis topic., et Avicenna, Metaph. tr. 4. c. 1. Cfr. etiam tom. I. pag. 120, nota 7.

sequitur aliud ». *Si dicas,* quod non habet causam *efficientem*, sed *deficientem*[1]; sed tunc, cum talis non sit nisi nostra voluntas, videtur, quod oportet excidere voluntatem; sed non voluntatem-potentiam, quia hoc est impossibile; non voluntatem-affectionem, quia hoc est per Dei gratiam; non voluntatem-actum, quia illa est ipsum peccatum. *Si dicas,* quod *causas* idem est quod *occasiones; contra:* non est in nostra potestate vitare occasiones; et *iterum,* esto quod eas non vitet, dum tamen non peccet, satisfacit.

Definitio Anselmi. Item, Anselmus[2] definit: « Satisfacere est honorem debitum Deo impendere «.

Quaestio incidens. Quaeritur ergo, quomodo differant hae definitiones.

CONCLUSIO.

Augustini definitio explicatur eo sensu, quod tangat emendam praesentem pro culpa praeterita et propositum vitandi futuram.

Respondeo: Ad praedictorum evidentiam notandum, quod haec notificatio tripliciter exponitur: Expositio 1. uno modo, ut sequens pars sit expositio praecedentis, ut sit sensus: satisfacere est peccatorum causas excidere, id est *motiva* et *occasiones;* et hoc quidem est earum suggestionibus aditum non indulgere; tunc enim exciduntur, quando nullo modo admittuntur. Expositio 2. — Aliter exponitur, quod motiva ad peccatum sunt duplicia: quaedam *intra* nos, et illa sunt *excidenda,* sicut pronitas ad malum et difficultas ad bonum, vel etiam radices peccatorum[3]; quaedam *extra*, et illa *non* sunt *introducenda;* et quantum ad haec duo genera duas ponit differentias.

Sed tamen primae expositioni repugnat *nugatio,* secundae[4] repugnat *relatio* eius quod est *earum.* Non probantur. — Et ideo tertio modo dicitur, quod ad satisfa- Expositio auctoris. ctionem completam duo requiruntur, scilicet *emenda* praesens pro culpa praeterita, et *propositum* firmum in vitando futuram; et ista duo tangit in hac notificatione. Quantum ad *emendam* pro culpa perpetrata dicit: peccatorum causas excidere. Non enim potest pro culpa melius emenda fieri, quam ea a se cum dolore et poena praecidendo removere, quae cum amore sequendo peccavit. Quantum ad firmum *propositum* de futuro dicit: et suggestionibus aditum non indulgere.

1. Et per hoc patet responsio ad obiectum Solutio oppositorum. primo, quia non est *nugatio;* et ulterius, quae sit differentia definitionum: quia haec definitio tangit Ad quaest. incid. recessum a malo, illa Anselmi accessum ad bonum.

2. Ad illud quod obiicitur secundo, quod hoc totum convenit *a peccato cessare;* dicendum, quod *peccatorum causas excidere* dupliciter est: uno Distinctio. modo per *declinationem solam*, alio modo per *pugnam et violentiam.* Primo modo opponit[5], secundo modo accipit hic *excidere causas peccatorum* per poenalitates assumtas illis contrarias, per quas violenter illae exciduntur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus solus excidit; dicendum, quod est excisio quaedam per Distinctio. *cautelam* et praeventionem, et est excisio per *ablationem causae* in effectu. Prima potest fieri ab homine, secunda non nisi a Deo[6].

4. Ad illud quod obiicitur, quod peccatum non habet causam etc.; dicendum, quod *causas* hic vocat *occasiones.* Occasiones autem duplices sunt: Duplex occasio. quaedam *proximae*, ut coena splendida est occasio edacitatis; quaedam *remotae,* ut invitatio ad bonam coenam. Et qui bene vult satisfacere necesse habet occasiones *propinquas* excidere; et tales sunt in nostra potestate, *remotae* autem non.

SCHOLION.

I. Vocabulum *satisfactionis*, novatoribus saeculi XVI. quam maxime odiosum, *in genere* ad mentem nostri Doctoris sic definiri potest: est redditio voluntaria aequivalentis alias indebiti ad compensandam iniuriam. Prout autem specialiter sumitur ut satisfactio *sacramentalis,* est actio aliqua poenalis, consistens in bonis operibus, a sacerdote in Sacramento poenitentiae impositis, ad compensandam aliquatenus solutione poenae temporalis iniuriam Deo per peccatum illatam. Hinc Concil. Trident. (Sess. XIV. c. 8.) monet confessarios, « ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem; nam claves sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui et credunt et docent ». — Scholastici communiter descriptionem *satisfactionis* non ita strictam, quae legitur apud S. Augustinum vel potius Gennadium, alteramque Anselmi praedicto sensu interpretari nituntur. Diffuse de utraque definitione disputat Alex. Hal., S. p. IV. q. 24. m. 3; cfr. etiam Scot., in

---

[1] Ut docet August., II. de Lib. Arb. c. 20. n. 54, et XII. de Civ. Dei, c. 7, de quo vide tom. II. pag. 805, nota 5. Ibid. pag. 601, nota 6. insinuatur ab Anselmo triplex modus accipiendi voluntatem. — In fine arg. pro *ipsum peccatum,* quod habent codd. E H L aa, alii codd. et edd. *per ipsum peccatum,* quibus verbis codd. I K subiungunt: *ergo non videtur aliquid esse dictum.*

[2] Vide supra pag. 356, nota 1.

[3] Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 4.

[4] Non pauci codd. et ed. 1 *similiter*, Vat. *similiter secundae.* Circa finem corp. pro *peccavit* edd. *perpetravit.*

[5] Pro *opponit* codd. H P Q *convenit ei quod a peccato cessat,* ceteri codd. *exponit*, scil. opponens. Mox post *accipit* supple: Augustinus, vel substituendum *accipitur.* In principio solut. pro *quod hoc totum convenit a peccato cessare* edd. *quod totam habet rationem satisfactionis, quae potest a peccato cessare.*

[6] In codd. et ed. 1 desideratur haec solutio, quam Vat. (male substituens in ipsa *absolutionem* pro *ablationem)* sumsit ex Alex. Hal., S. p. IV. q. 24. m. 3; hinc et codd. et ed. 1 in seq. solut. post *obiicitur* perperam addunt *tertio.*

utroque Scripto hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 12. a. 3. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. n. 5. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. In seq. (2.) quaestione magis explicatur conclusio quaestionis 1. in p. I. Haec autem explicatio magni momenti est pro stabilienda orthodoxa de indulgentiis doctrina (cfr. infra d. 20. p. II.) Alex. Hal. rem tractat loc. cit. ante finem, ubi discutit praedictam descriptionem Anselmi. Alii commentatores Lombardi hanc quaestionem omittunt, vel potius coniungunt cum quaestione 1. partis I.

QUAESTIO II.

Cui sit satisfaciendum.

Secundo quaeritur, cui sit facienda satisfactio. Et quod Deo, videtur.

Fundamenta. 1. Anselmus[1] ita definit: « Satisfacere est honorem debitum Deo impendere »; sed ei satisfit impendendo honorem, cui honorem impendimus: cum ergo honorem impendamus Deo, satisfaciendum est Deo.

2. Item, illi fit satisfactio, qui exigit poenam et emendam; sed ille qui exigit poenam a peccatore, Deus est; Gregorius[2]: « Aut homo punit, aut Deus »; ergo satisfactio fit Deo.

3. Item, ei fit satisfactio, cui iniuriatum est per culpam; sed hic est Deus, quia « peccatum est, spreto incommutabili bono, rebus commutabilibus adhaerere[3] »: ergo satisfactio proprie fit ipsi Deo.

4. Item, Christi satisfactio fuit exemplar nostrae satisfactionis, et inde non tantum exemplum trahitur, sed etiam fundamentum nostrae satisfactionis; sed Christus satisfecit Patri, quia *semetipsum obtulit oblationem et hostiam Deo*[4]*:* ergo nostra satisfactio similiter est Deo facienda.

5. Item, si satisfactio non fieret nisi Ecclesiae, videtur, quod cum peccator exiret forum Ecclesiae, non teneretur ad poenam aliquam: ergo omnes evolarent: ergo frustra fiunt suffragia Ecclesiae, et errant qui ponunt poenam purgatoriam. Sed hoc est contra fidem[5]: ergo etc.

6. Item, si Deus peccatori, quotiescumque iustificatur, totum condonaret, malum remaneret inultum, et daretur unicuique libertas transgrediendi contra Deum suum; sed hoc est inconveniens, quia universum sic remaneret inordinatum[6]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus dicit, et Magister ponit in littera[7]: « Infidelitatis impietas est ab eo qui iustus est, dimidiam sperare veniam »; sed si hoc est erroneum dicere, quod dimidiam veniam donet; ergo si dimittit, totum condonat: ergo culpam et poenam: ergo ipse amplius non exigit, ergo nec ei oportet satisfacere, ergo soli Ecclesiae.

2. Item, Deus in contritione dimittit culpam et poenam aeternam, quae excedit omnem poenam temporalem improportionaliter[8]: ergo cum contritio non excedat confessionem improportionaliter, nec quantum ad *poenam* nec quantum ad *meritum;* multo fortius in confessione absolvitur peccator ab omni poena temporali quantum ad Deum: ergo Deus non exigit ampliorem satisfactionem.

3. Item, tanta potest esse contritio, quod delet omnem culpam et poenam, et tunc constat, quod Deus nihil exigeret satisfactionis; sed si talis veniat ad poenitentiam, poena satisfactoria est imponenda: ergo videtur, quod satisfactio non fiat Deo, sed Ecclesiae, quae est eius sponsa.

4. Item, confessio ultra contritionem est solum necessaria propter reconciliationem faciendam Ecclesiae, et ideo fit homini: ergo multo fortius[9] de satisfactione, quae consequitur confessionem.

5. Item, videmus, quod Ecclesia absolvit a maiori parte poenae satisfactoriae in huiusmodi relaxationibus; sed nullus potest alicui relaxare nisi quod sibi debetur: ergo videtur, quod ista debeatur Ecclesiae: ergo videtur, quod satisfactio non fiat Deo, sed magis Ecclesiae.

CONCLUSIO.

Satisfactio de peccato proprie fit ipsi Deo, tamen per Ecclesiam et in Ecclesia.

Respondeo: Dicendum, quod cum peccator peccat, se ad poenam aeternam obligat. Cum autem

---

[1] Vide supra pag. 350, nota 1. — Post *definit* edd. cum non paucis codd. addunt *satisfacere.*

[2] Libr. IX. Moral. c. 34. n. 54: Aut enim ipse hoc [delictum] homo in se poenitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Cfr. August., Serm. 19. n. 2. et Serm. 20. n. 2. (alias 4. et 3. ex Sirmond.), nec non Serm. 29. (alias 3. de Diversis) c. 5. n. 6. Vide tom. II. pag. 843, nota 8. — In *maiori* pro *illi fit* cod. P *illi est facienda.*

[3] Secundum Augustinum; cfr. tom. II. pag. 839, nota 4. Ps. 50, 6: Tibi soli peccavi etc. — Pro *rebus* codd. F G *bonis.*

[4] Ephes. 5, 2: Tradidit semetipsum pro nobis oblationem etc. Edd. cum pluribus codd. pro *semetipsum* substituunt *semel se ipsum,* respicientes Hebr. 7, 27. et 9, 12. seqq. — De *maiori* cfr. III. Sent. d. 11. a. 1. q. 2, et d. 20. q. 5. Vide etiam infra d. 43. a. 1. q. 6, ubi similis quaestio de resurrectione instituitur.

[5] Ut ostenditur infra d. 20. p. I. q. 1. — Superius pro *videtur* cod. aa *videretur.*

[6] Sicut insinuat August., III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44. Cfr. tom. II. pag. 770, nota 1. — Edd. *transgredi contra Deum simpliciter; et hoc est inconveniens, quia si hoc, universum fieret inordinatum.*

[7] Hic c. 7. Edd. cum textu originali post *iustus est* addunt *et iustitia.*

[8] De *maiori* huius et seqq. argg. cfr. infra lit. Magistri, d. XVII. et XVIII.

[9] Cod. X bene supplet *hoc verum est.*

divina misericordia iustificat, remittit omnem *culpam* et *reatum* poenae aeternae, qui inseparabiliter adhaeret culpae. Sed quia misericordia non potest praeiudicare iustitiae, cuius est mala punire; ideo Conclusio 1. sic solvit a culpa et poena [1], ut tamen remaneat obligatus ad aliquantulam poenam temporalem. Sed quoniam peccator ipsum offenderat et etiam damnificaverat eius Ecclesiam; commisit Dominus iudiciariam potestatem super peccatores rectoribus Ecclesiae et in eos compromisit tanquam in arbitros, ut sic innotescat voluntas Dei poenitentibus per sacerdotes, et per illos imponatur poena peccatoribus, et Domino satisfiat *principaliter* et Ecclesiae *per* Conclusio 2. *consequens*. Unde satisfactio proprie de peccato fit ipsi Deo, tamen *per* Ecclesiam et *in* Ecclesia [2]. — Et concedo rationes ad hoc inductas.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est speranda dimidia venia; dicendum, quod tunc venia dimidiatur, quando unum mortale dimittitur, et reliquum tenetur; et hoc est inconveniens ponere, quod Deus, qui iustus est, posset confoederari et reconciliari homini in sua iniustitia permanenti; alioquin simul esset amicus et inimicus [3]. Non sic autem est de aliquantula poena temporali, quia obligatio ad poenam non facit iniustitiam in eo qui vult solvere.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in contritione dimittit poenam aeternam; dicendum, quod hoc est, quia ibi principaliter operatur *misericordia relaxans*, sed in satisfactione *iustitia*, in confessione vero *utraque*, unde quasi medium tenet; in cuius signum fit ibi ligatio et solutio. Et ideo non est simile. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod tanta potest esse contritio, quod totum remittitur; dicendum, quod verum est; sed quia Ecclesiae non constat, ideo debet a sacerdote imponi [4]. Si autem sacerdoti constaret, reputaret omnino sibi satisfactum, et tunc poenam non imponeret, sed absolutum absolveret. Nunc autem in aliquibus decipitur, sed deceptio est fructuosa — quia semper merita cumulantur — et Ecclesiae imponenti et ulterius satisfacienti; quia enim Dominus non vult ultra sortem, reliquum in thesauris Ecclesiae habetur repositum. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod confessio est propter reconciliationem; dicendum, quod non est solum propter hoc, sed ad arbitrandum poenam inter hominem et Deum; qua soluta, tunc fit reconciliatio perfecta. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod Ecclesia absolvit a maiori parte; dicendum, quod hoc non est *remittendo*, sed pro eo *solvendo* de thesauris suis; vel quia Deus plenarie compromisit in eos quibus plenitudinem tradidit potestatis. Quod autem horum verum magis sit, infra [5] videbitur, cum de relaxationibus agetur. Notandum.

QUAESTIO III.

Per qualia opera debeat fieri satisfactio.

Tertio quaeritur, per qualia opera debeat fieri satisfactio. Et videtur, quod tantum per *poenalia*.

Fundamenta. 1. Gregorius in quadam homilia [6]: « Iustum est, ut peccator tanto maiora inferat sibi lamenta per poenitentiam, quanto maiora intulit damna per culpam ».

2. Item, *ratione* videtur: quia peccator, eo ipso quod peccavit, est debitor poenae; sed in satisfactione solvit quod debet: ergo poenam solvit [7], ergo etc.

3. Item, universum remaneret inordinatum, si peccatum remaneret impunitum [8]; sed post satisfactionem peccator non punitur: ergo necesse est, quod ante puniatur.

4. Item, Gregorius [9] dicit, et verum est, quod sicut in corporalibus, ita et in spiritualibus est curatio per contrarium; sed peccatum libidinosum per delectationem committitur et per satisfactionem curatur: ergo satisfactio debet esse per poenam.

5. Item, in poenitentia et eius partibus sumit peccator de se iustitiam et vindictam, sicut supra [10] patuit; sed vindicta non nisi per poenam sumitur de peccato: ergo etc.

Ad oppositum. 1. Contra: Anselmus in libro *Cur Deus homo* [11]:

---

[1] In cod. X additur *aeterna*. Superius pro *qui inseparabiliter* cod. bb *quae inseparabiliter*. Inferius post *ipsum* Vat. supplet *Deum*.

[2] Cfr. infra d. 17. p. II. a. 1. q. 2. et 18. p. I. a. 2. q. 2, ubi etiam solut. ad 2. et 4. insinuatur.

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 7, et Comment. p. I. q. 2.

[4] Cod. K supplet *satisfactio*. Post pauca pro *absolveret* edd. *ostenderet*.

[5] Dist. 20. p. II. q. 2. — In principio solut. codd. omittunt *Ecclesia*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 8: Per hoc ergo, quod dicitur: *Facite dignos fructus poenitentiae* [Luc. 3, 8.], uniuscuiusque conscientia convenitur, ut tanto maiora quaerat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

[7] Edd. *ergo per poenam satisfacit*.

[8] Secundum Augustinum; cfr. supra pag. 363, nota 6. — Mox pro *peccator* edd. *peccatum*, quae etiam in fine arg. addunt *scilicet per satisfactionem*.

[9] Libr. XXIV. Moral. c. 2. n. 2, et II. Homil. in Evang. homil. 32. n. 1. Vide tom. III. pag. 261, nota 2. Idem docet Aristot., II. Ethic. c. 3.

[10] Quaest. 1. et d. 14. p. II. dub. 6.

[11] Libr. I. c. 11.

« Satisfacere est honorem debitum Deo impendere »; sed hoc fit omni opere bono: ergo non solum per opera poenalia, sed per omnia alia potest fieri satisfactio.

2. Item, non delectatur Deus in poenis nostris[1], ergo non magis placent opera poenalia Deo quam alia; sed per id quod magis placet, ei cui debetur satisfactio, melius satisfit: ergo etc.

3. Item, quaedam sunt peccata, quae perpetrantur cum tristitia; sed satisfactio debet esse per contrarium: ergo sine poena debet de his peccatis satisfactio fieri, ut puta sunt invidia et accidia.

4. Item, si satisfactorium est poenale, per se loquendo, ergo magis poenale magis satisfactorium; sed avaro est magis poenale dare obolum, quam largo dare marcam: ergo magis satisfacit per obolum, quam ille per marcam. Similiter potest obiici in *ieiunio* et *oratione;* et hoc est inconveniens, quia mali de malitia commodum reportarent[2].

CONCLUSIO.

Satisfactio fit per opera poenalia.

Respondeo: Dicendum, quod satisfactio est per opera poenalia. — Et huius ratio est quadruplex. (Conclusio.) Prima est, quia ibi est *honoris ablati redditio;* (Ratio 1.) unde honorem istum debet homo reddere amplius, quam si non abstulisset; et ideo requiritur, ut non tantum Deo famuletur per operationem bonam, verum etiam se ipsum deiiciat per poenam assumtam. — Secunda ratio est, quia ibi est prius *deordinati reordinatio;* (Ratio 2.) et quia deordinatum per culpam optime ordinatur in poena[3], ideo etc. — Tertia ratio est, (Ratio 3.) quia ibi est *infirmati curatio;* quia infirmatus per delectationis calorem curatur per poenalitatis algorem, et ideo etc. — Quarta ratio est, quia ibi est (Ratio 4.) *debiti absolutio;* et quia peccator est debitor poenae, ideo debet per poenam satisfacere.

1. Ex hoc patet primo obiectum: quia est debitum honoris veniens *ex bono collato*, et hunc debemus per *gratiarum actionem;* et veniens ex *mandato iniuncto*, et hunc debemus per *obedientiae subiectionem;* et veniens ex *Maiestatis imperio*, et hunc debemus per *latriae adorationem*[4]; et veniens etiam ex *peccato commisso*, et iste honor redditur Deo per *sui ipsius punitionem;* et hoc est in satisfactione. (Solutio oppositorum. Debitum quadruplex.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod non delectatur in poenis Deus; dicendum, quod verum est; non ea (Notandum.) ratione qua *poenae*, sed ea ratione, qua *curantes culpam nostram*[5] et *honorantes divinam iustitiam*, bene delectatur in eis.

3. Ad aliud solvendum, quod etsi in quibusdam peccatis comitetur tristitia, radix tamen est ex delectatione libidinosa[6].

4. Ad ultimum dicendum, quod aliquid est poenale naturae, quia *natura* est, ut puta ieiunii abstinentia et erogatio bonorum, in quibus sustentatur humana infirmitas[7]; aliquid ratione *culpae* et inordinationis voluntatis. (Duplex poenale.) Prima poenalitas respicitur per se in satisfactione, secunda vero non; et de ista secunda opponit.

SCHOLION.

I. Conclusio 3. quaestionis in genere est communis, at intelligenda est cum quadam restrictione, infra a. 2. q. 3. exposita. Idem docet Scot. (hic q. 1. n. 8.), cum conclusioni addat: « Licet quandoque possit per aliquem actum non poenalem satisfieri, quia bene potest Deus actum magnum caritatis acceptare pro punitione debita uni culpae ». Quod insinuat etiam S. Thom., Suppl. q. 15. a. 3. ad 1. et a. 1. ad 2, et hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1.

De eadem quaestione praeter citatos: Alex. Hal., S. p. IV. q. 24. m. 2. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 5; Dionys. Carth., hic q. 3.

II. Quoad 4. quaestionem communiter et apte omnia bona opera satisfactoria reducuntur ad tria hic relata; nec ipsi actus interiores a vi satisfactoria excluduntur.

De hac 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 25. m. 1. 2. — Scot., loco ante cit. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 3; Suppl. loc. cit. a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 8.

III. In fine huius 3. quaestionis in cod. B. (bibliothecae Vaticanae) eadem manus addit sex quaestiunculas. Non videtur esse probabile, ipsas habere auctorem S. Bonaventuram. Cum autem istae in nullo eiusdem aetatis auctore a nobis inventae sint, simulque quaedam ab auctore nostro dicta magis explicent; eas in scholio hic ponendas duximus, sicut in simili casu longioris codicum additamenti fecimus tom. I. p. 472 seqq. Menda quaedam coniectando correximus.

ANECDOTA.

I. 1. Item, contra definitionem Anselmi [Lib. I. Cur Deus homo, c. 11.] opponitur: Non enim est necesse, quod omnis qui honorem debitum Deo impendit, eo satisfaciat, quia, si aliquis innocens nunquam cadat in peccatum et observet mandata Dei, ei honorem debitum impendit; tamen non satisfacit, quia satisfactio proprie solum est pro peccato. *Secunda* patet ex praedictis, quia triplex debitum potest homo debere Deo, unum ex *commisso* sive mandato iniuncto, quod solvitur in observatione mandatorum; aliud ex *dimisso*, quod potest reduci ad illud quod est ex bono collato, ad quod tenetur poenitens ratione eius, quod ei dimissa sunt peccata, et collata est gratia et alia bona; aliud ex *peccato*, et hoc est debitum poenae, ad quod

[1] Cfr. supra pag. 352, nota 6.

[2] Vide supra pag. 103, nota 11. — Post *malitia* edd. addunt *sua*.

[3] Cfr. August., Epist. 140. (alias 120. c. 3. n. 4.) et de Natura boni, c. 7. seqq.

[4] Cod. U *exhibitionem*.

[5] Vide Gregor., Regula pastoral. p. II. c. 30, et supra d. 1. p. II. a. 2. q. 1. ad 1. — In principio solut. post *in poenis* cod. X addit *nostris*. Subinde post *verum est* ex codd. E H L O T U V aa supplevimus *non*, quod in aliis codd. et edd. perperam omittitur. Mox pro *bene* codd. M O R S T *unde*.

[6] Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 4.

[7] Vide quaest. seq.

solvendum tenetur ex ipso peccato poenitens, secundum quod ei iniunctum est a ministro Ecclesiae; et hoc proprie impenditur in satisfactione, secundum quod homo voluntarie in se suscipit poenam secundum voluntatem vel Christi, vel etiam ministri, qui loco Dei est et Christi est, et hoc signavit Christus [Luc. 17, 14.], cum post mundationem decem leprosorum dixit eis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* — Anselmus ergo in sua definitione solum loquitur de isto debito, non de aliis, et ideo nulla fuit praedicta oppositio.

2. Item videtur, quod per quaecumque bona opera indifferenter contingit satisfacere, sicut patet in parabola vulnerati [Luc. 10, 30.]: peccator non solum est spoliatus gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus. Ex huiusmodi autem vulneratione redditur inhabilis ad bonum et pronus ad malum; sed licet per contritionem reddantur ei gratuita, nihilominus tamen oportet actu cooperari ad sanationem vulnerationis praedictae; hoc autem fit in satisfactione, quia per opera satisfactoria magis ac magis redditur homo habilis ad bonum et minus ac minus pronus ad malum. Cum ergo per quaecumque bona opera posset fieri huiusmodi sanatio, videtur, quod per quaecumque bona opera contingat satisfacere.

Contra: 1. Omnia bona, quaecumque sunt, a Deo sunt, mala vero a nobis; unde [I. Corinth. 4, 7.]: *Quid habes quod non accepisti?* ergo ex omni bono, quod habemus, sumus debitores Deo, ut ex hoc ei serviamus; sed constat, quod *satisfactio* plus dicit quam *servire*. Unde Anselmus [loc. cit.]: « Non sufficit solum reddere quod sublatum est, sed etiam pro contumelia illata plus oportet impendere »; et de hoc sunt plura exempla manifesta in Lege. *Proprie* ergo non fit satisfactio ex operibus bonis, secundum quod bona sunt, praecise loquendo, sed ulterius oportet in his aliquid intelligere, per quae [quod] fiant satisfactoria pro offensa; sed aliud quam poena non videtur, quod hoc posset intelligi in eis. Et hoc etiam maxime congruere videtur, quia, cum ad culpam essentialiter consequatur poena, manifestum est, quod peccator ex ratione culpae factus est debitor poenae. Ad hoc ergo, ut satisfaciat, exiguntur non solum bona opera, sed etiam poenalia bona, quia aliter non essent meritoria poenalia, quia aliter per haec non fieret satisfactio.

Secundum hoc resp., quod *proprie* per sola bona opera poenalia est satisfacere, secundum quod opponebatur; nec sufficit, quod sint bona opera tantum.

Ad illud quod obiicitur in contrarium, dicendum, quod licet per quaecumque bona opera magis ac magis possint habilitari naturalia, non tamen per omnia huiusmodi fit satisfactio, licet e contrario per omnia bona opera satisfactoria fiat maior ac maior habilitatio ad bonum, et minor pronitas ad malum. Unde in plus est *habilitari naturalia* quam satisfacere.

II. Si quaeritur: cum poena sit malum, et Deus non delectetur in hoc, sed solum in bono, cuius est in ipso exemplar; unde est hoc, quod ab hominibus exigit bonum opus poenale ex parte qua poenale? est dicendum, quod in illis, prout sunt poenalia *simpliciter* et *absolute*, non delectatur, sed quoad hoc scilicet, secundum quod dicit Augustinus in libr. de Libero Arbitrio, quod ordinatum est in poena quod inordinatum erat in culpa. Quia ergo huiusmodi ordinatio a sapientia Dei procedit, ideo, prout poena voluntarie *suscepta* sic poenitentem ordinat, dicitur Deo delectabile. Et dico *voluntarie suscepta*, quia per involuntarie susceptam non contingit satisfacere (sic enim contingeret poenam gehennae posse esse satisfactoriam); sed oportet, quod sit voluntaria *rationi*, etsi sit involuntaria *carni* et sensualitati. Et sic patet, quod non per quodcumque bonum opus contingit satisfacere, sed solum per poenale voluntarie secundum rationem susceptum, quod, quia poenitentem sic ordinat, est Deo delectabile.

Quod autem poena ordinet, patet etiam in poena gehennae. Secundum enim quod determinat alibi, [infra d. 45. a. 1. q. 1.] peccatori ratione peccati mortalis debetur locus infimus, et qui sit infra omnem creaturam; sed per poenam gehennae ordinatur in tali loco decedens in mortali. Similiter patet hoc in poena, qua affliguntur ipsi poenitentes. Quia enim peccator se deordinavit in peccando, non subiiciendo voluntatem suam voluntati divinae nec eam sequendo, sed propriam; ideo ordinatur in poena quod prius inordinatum erat in culpa, quando in sustinendo voluntarie poenam ordinat se infra statum, quem habuit ad nunc. Et ex hoc patet quaestio: in hoc honoratur Deus, quia in hoc, quod iste in Deum deliquit, sic infra statum suum se humiliat.

III. Et ad maiorem evidentiam eorum quae dicta sunt, quaeritur, utrum de necessitate exigatur voluntas in qualibet actione, aut passione sive opere poenali ad hoc, quod sit meritoria sive satisfactoria, ut suppositum est. Et videtur, quod non:

1. Quia, si dicatur, quod oportet, quod sit voluntaria, ad hoc quod sit meritoria; tunc multo dolore vel poena, secundum quod huiusmodi, contingeret non mereri nec satisfacere; quoniam, secundum Augustinum [Lib. XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2.], « dolor est dissensus ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt »: ergo dolor est involuntarius; sed omne quod est meritorium, est voluntarium, et similiter omne quod est satisfactorium: ergo etc.

2. Item, Augustinus de Libero Arbitrio [Lib. III. c. 9. n. 26.] dicit, quod peccatum est affectio voluntaria, poena affectio involuntaria.

3. Item, Philosophus [II. Ethic. c. 5. et III. c. 1.], loquens de passionibus animae, dicit, eas esse involuntarias: ergo eis non contingit mereri nec satisfacere. Si propter hoc dicatur, quod dolore vel poena non contingit mereri, secundum quod huiusmodi, nisi sit voluntarius, et quod voluntas praeexigatur ad omne meritum; *contra:* Ioannis ultimo [v. 18.] dicitur Petro: *Cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet, quo tu non vis;* sed constat, quod hoc fuit ei meritorium, et ita etc. — Ad hoc videtur solvi in quadam Glossa, in qua dicitur: « *Nolens* ductus est, sed *volens* vincit ». Sed ex hoc apparet, quod fuit ibi noluntas et voluntas. Et quaeritur: quomodo hoc fuit? et quomodo fuit ibi differentia inter haec?

Si dicas, quod ibi fuit voluntas *rationis*, ut tactum est, et voluntas *sensualitatis; contra:* videtur, quodsi ponatur ibi voluntas ex parte *sensualitatis,* quod similiter ex parte *rationis;* quia quod apprehendit vis inferior, et superior. Si ergo apprehenditur aliquod terribile a *sensualitate,* eodem modo apprehendetur, secundum quod huiusmodi, a *ratione;* sed apprehensio terribilis inducit tristitiam: ergo ibi est tristitia sive dolor in *sensualitate* ex apprehensione terribilis: ergo et in *ratione.* Si ergo dolor non est nisi in his quae nobis nolentibus accidunt, videtur, quod sicut est voluntas in *sensualitate,* secundum quod movetur a terribili extra apprehenso, quod similiter et in *ratione.* Si ergo prima, sicut est sensualitas, unita naturaliter corpori, ita et ipsa ratio; unde etiam per mortem a corpore dividitur, sicut et sensualitas. Unde sicut in sensualitate est dolor, si apprehendit divisionem sui a corpore per mortem propinquam, et etiam in voluntate; sic et in ratione erit: ergo quod est involuntarium sensualitati vel carni est involuntarium rationi: ergo si non potest esse in aliquo voluntas rationis et voluntas sensualitatis, ergo in beato Petro non fuit voluntas ducendi ad martyrium; et tamen meruit: ergo videtur, quod non necessario exigatur voluntas ad hoc, quod poena sit meritoria vel satisfactoria.

Resp.: *Ratio* potest considerari dupliciter: vel ut est *natura* quaedam, vel ut est *ratio,* et est scilicet *deliberativa.* Primo modo verum est, quod sicut voluntas in *sensualitate,* sic in *ratione.* Unde sicut sensualitas non vult mortem nec poenam, sic nec ratio ut *natura,* secundum quod huiusmodi est et in hoc consistit. Sed ratio, ut est *ratio,* quae deliberat de fine et de praemio, bene vult mortem vel poenam sustinere ratione praemii et amore, et secundum hoc intelligitur illa Glossa, quod *nolens* ductus est, voluntate scilicet sensualitatis et rationis, ut est natura quaedam, sed *volens* vincit, voluntate scilicet *rationis,* ut est *deliberativa.* Et per hoc possunt alia solvi.

IV. Item videtur, quod omnis satisfactio debet fieri per contrarium, ut si quis peccavit peccato avaritiae, debet satisfacere per effusionem pecuniae; quia constat, quod medicina debet fieri per contrarium morbo, quia habet iuvari per huius-

modi medicinam. Cum ergo peccatum sit morbus spiritualis, et satisfactio similiter sit medicina similiter spiritualis ei correspondens; videtur, quod satisfactio debet fieri per contrarium. Sed tunc quaeritur, qualiter ieiunium, eleemosyna et oratio frequenter imponantur pro quolibet peccato, cum non habeant contrarietatem ad quodlibet peccatum.

Dicendum, quod sicut medicina corporalis non solum respicit morbum, sed etiam causam morbi et accidens eiusdem, quod a medicis dicitur *symtoma;* similiter medicina spiritualis non solum debet respicere morbum, scilicet ipsum peccatum, sed etiam occasiones eius et accidentia. Et sicut in medicina corporali quantum ad *sanationem ipsius morbi* debet dari medicina per contrarium, non tamen tantum quantum ad *causam* vel *accidens* morbi, sicut in medicina praeservativa, sed oportet, quod componantur ad invicem calida et frigida secundum debitam mensuram, ne omnino fiat intemperantia; similiter per congruentia [?] satisfactio, et si debet fieri per contrarium peccato, nihilominus tamen occasiones eius oportet rescindere per alia, quae magis sunt ei contraria quam ipsi peccato. Unde Glossa: Ei qui peccavit peccato luxuriae, debet iniungi quoad satisfactionem huius peccati maceratio carnis. Si tamen divitiae dederunt ei occasionem peccandi vel luxuriandi, sicut patet de filio prodigo [Luc. 15, 12. 13.], tunc quoad hoc debet ei iniungi satisfactio contraria huic actioni; et similiter intelligendum est in aliis.

V. Item quaeritur, si uno et eodem opere contingat satisfacere et mereri. Videtur, quod non; quia qui debitum suo creditori cedit ex hoc non obligat eum sibi, sed solum se deobligat. Ex quo videtur, quod uno et eodem opere non potest aliquis se deobligare, et alterum sibi obligare; sed qui satisfacit se deobligat, qui meretur quasi Deum sibi obligat: ergo eodem opere non contingit satisfacere et mereri; et ita verum, quod [cod. *et*] idem opus non potest esse satisfactorium et meritorium; quod suppositum est supra.

Contra: Ponatur, quod aliquis non faceret aliquod opus, nisi quod ei fuerit iniunctum pro satisfactione, et decedat; tunc si opere satisfactorio non contingeret mereri vitam aeternam, damnaretur; quod cum falsum sit, necesse est dicere, quod uno et eodem opere satisfecerit et vitam aeternam meruerit.

Resp.: In opere satisfactorio duo sunt, scilicet *caritas* informans voluntatem, et *opus* sic a voluntate informata procedens. Quantum ad *primum* est opus meritorium vitae eternae, quantum ad *secundum* satisfactorium: et ita uno et eodem opere contingit sic mereri et satisfacere, tamen ratione diversorum. Nec est simile de redditione debiti homini et Deo. Deus enim non solum opus exterius attendit, sed etiam animum pensat; homo vero tantum opus exterius attendit. Non intelligas tamen, quod velimus dicere, quod homo aliquo opere obliget sibi Deum, sicut homo hominem; sed si obligat, est quoad hoc, quod quantum est de exigentia meritorum, congruit, quod Deus det ei vitam aeternam.

VI. Quarto potest quaeri, quot sint in genere opera, per quae contingit satisfacere, sive quot sint partes satisfactionis. Et videtur, quod non solum debeant assignari istae tres, quae sunt *ieiunium, eleemosyna* et *oratio:* quia pro peccato mortali respondet poena involuntaria in futuro, scilicet carentia visionis Dei, vermis conscientiae et gehenna: ergo similiter poenitenti super mortali et pro eo volenti satisfacere debet iniungi triplex poena, respondens illi triplici; aut aliter non videtur, quod ei debeat dimitti illa triplex poena.

Resp.: Verum est, quod triplex illa poena debetur in futuro pro peccato mortali, et hoc ratione trium, quae in peccato attenduntur, scilicet *aversio* a bono incommutabili, et huic respondet carentia visionis Dei; *conversio* ad bonum commutabile, et huic respondet poena gehennae; et *deformitas imaginis,* cui respondet vermis conscientiae. Non tamen secundum hoc debet esse poena satisfactoria, et hoc, quia in contritione per gratiam *reformatur imago,* et fit tranquillitas in ipsa conscientia, cui tranquillitati opponebatur vermis conscientiae; et ideo huic poenae non respondet aliqua poena satisfactoria. Similiter est de *carentia* visionis Dei; aversio enim a bono incommutabili, quae fuerat per peccatum facta, removetur per visionem [unionem ?], quae est in fide formata, cui aversioni respondebat pro poena illa carentia. Patet ergo, quod in poenitente removentur haec duo per actum gratiae et fidei formatae, et non per actus hominis; et quia satisfactio est actus hominis, ideo istis duobus non respondet aliqua poena satisfactoria. Sed licet similiter poena gehennae, prout est huiusmodi, dimittatur in contritione; tamen, ut dictum est, adhuc requiritur, ut ille qui voluntarie Deum offendit in culpa, voluntarie se puniat poena satisfactoria. Et sic punitur secundum tres praedictas partes satisfactionis, quae sunt ieiunium etc., ut dictum est.

QUAESTIO IV.

Per quae opera possit fieri satisfactio.

Quarto quaeritur, per quae opera contingat satisfacere; et assignantur tria, scilicet ieiunium, oratio et eleemosyna. Et obiicitur primo, quod videntur *superflua:* (Ad oppositum.)

1. Primo ratione *eleemosynae,* quia Matthaei decimo septimo [1] dicitur: *Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium;* et non facit mentionem de *eleemosyna.*

2. Item, Hieronymus [2] dicit, quod « *ieiunio* sanantur pestes corporis, *oratione* pestes mentis »; sed omne peccatum aut est inquinamentum carnis, aut spiritus: ergo omne peccatum sanatur ieiunio, aut oratione, et sic etc.

3. Item, videtur superfluere *oratio* et *ieiunium,* quia Lucae undecimo [3]: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis:* ergo eleemosyna est contra omne peccatum: ergo superfluunt alia.

Item, videtur, quod *diminuta:*

4. Quia contraria contrariis curantur [4]; sed multo plura sunt genera peccatorum: ergo multo plura remedia.

5. Item, cum opus fortitudinis et patientiae sit maioris poenalitatis [5], videtur, quod eius opus sit magis satisfactorium quam ista.

Item, quaeritur, quod istorum trium sit *magis* satisfactorium. Videtur, quod *oratio,* quia satisfa- (Quaestio incidens.)

[1] Vers. 20.

[2] In Comment. super Marc. 9, 28 (inter opera Hieron.): Ieiunio passiones corporis, et oratione pestes sanandae sunt mentis. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in hunc loc. — In *minori* respicitur II. Cor. 7, 1: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus.

[3] Vers. 41.

[4] Cfr. supra pag. 364, nota 9.

[5] Vide tom. III. pag. 331, nota 4. et pag. 561, nota 7.

ctio Deo reconciliat; sed oratio est, quae maxime unit Deo[1]: ergo etc. — Sed videtur, quod *ieiunium*, quia illud opus est magis satisfactorium, quod est magis poenale; sed magis poenale est affligere carnem: ergo etc. — Quod autem *eleemosyna*, videtur, primae ad Timotheum quarto[2]: *Exerce te ipsum ad pietatem; pietas enim valet ad omnia:* ergo etc.

6. Item, obiicitur de peregrinationibus et flagellis divinis, quae poenae satisfactoriae sunt et non videntur sub his contineri.

CONCLUSIO.

Oratio, ieiunium et eleemosyna, accepta communiter, *sunt partes satisfactionis, quarum distinctio et sufficientia multipliciter monstratur.*

Respondeo: Dicendum, quod *oratio* et *ieiunium* et *eleemosyna*, quodlibet horum accipitur *proprie, communiter* et *communissime.* [Distinctio.]

Proprie oratio est ascensus in[3] Deum ad aliquid degustandum, vel impetrandum, vel exsolvendum. *Communiter* oratio dicitur, secundum quod comprehendit omnem actum contemplativae ad Deum relatum. *Communissime*, secundum quod comprehendit omnem bonum actum, secundum quod dicitur: « Non cessat orare qui non cessat bene facere », in Glossa primae ad Thessalonicenses quinto[4]: [Oratio sumitur tripliciter.]

Similiter *ieiunium* dicitur *proprie* afflictio carnis secundum gustum[5]. *Communiter*, omnis carnis afflictio, quae consistit in vigiliis et flagellis et ieiuniis proprie dictis. *Communissime* dicitur ieiunium abstinentia ab omni mortali, Isaiae quinquagesimo octavo[6]: *Hoc est ieiunium, quod elegi; dissolve* etc. [Item ieiunium.]

Similiter *eleemosyna* dicitur *proprie* opus pietatis impensum proximo ad relevandam indigentiam corporalem[7]. *Communiter*, omne opus pietatis proximo impensum, sive spirituale sive corporale. *Communissime* dicitur omne opus misericordiae, sive proximo sive sibi impensum, secundum quod dicit Augustinus, quod eleemosyna hominis debet incipere a semetipso, iuxta illud Ecclesiastici trigesimo[8]: *Miserere animae tuae, placens Deo.* [Item eleemosyna.]

His praesuppositis, dicendum, quod secundum quod haec tria *partes satisfactionis* dicuntur, accipiuntur *non communissime, non proprie,* sed *communiter;* et tunc patet eorum *distinctio* et *sufficientia* manifeste. — His praemissis, dicendum, quod sufficientia et distinctio harum partium potest accipi secundum *appropriationem* et secundum *proprietatem.* Secundum *appropriationem:* cum enim triplex sit radix peccati, sicut dicitur primae Ioannis secundo[9]; aut *concupiscentia carnis,* et contra hanc est *ieiunium;* aut *concupiscentia oculorum,* et contra hanc est *eleemosyna;* aut *superbia vitae,* et contra hanc est *oratio.* Hoc dico secundum *appropriationem,* quia unumquodque horum valet contra omnes, appropriate tamen magis opponuntur, sicut dictum est. Et ex hoc patet *numerus* et *sufficientia.* [Conclusio.] [Distinctio et sufficientia sec. appropriationem.]

Per *proprietatem* vero sic: opus poenale aut ordinat nos ad *Deum*, et sic *oratio;* aut ad *nos*, et sic *ieiunium,* quod macerat carnem nostram; aut ad *proximum,* et sic *eleemosyna.* Et sic patet sufficientia secundum illud ad Titum secundo[10]: *Sobrie et iuste et pie vivamus* etc. — Aliter potest accipi secundum *reconciliationem;* quia per *orationem* Deo reconciliamur; sed sicut dicit Augustinus in Sermone Domini in monte[11]: « Si vis orationem tuam volare in caelum, fac duas alas, scilicet ieiunium et eleemosynam ». Tobiae duodecimo[12]: *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna.* [Item sec. proprietatem dupliciter.]

---

[1] Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. et 3, ubi sunt diversae definitiones orationis. — De seq. ratione pro ieiunio, in qua pro *sed magis poenale est* cod. K (I a secunda manu) *sed ieiunii magis est,* vide quaest. praeced.

[2] Vers. 7. seq., ubi Vulgata post *pietatem* prosequitur: Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est.

[3] Ita codd. H Q, in aliis *ad Deum;* cod. B post *ascensus* addit *animi,* cod. F *intellectus.* S. Bonav., III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. et 3: Oratio est ascensus intellectus in Deum [Damasc., III. de Fide orthod. c. 24: Προσευχή ἐστιν ἀνάβασις νοῦ πρὸς Θεόν. Ibidem datur et haec orationis definitio: Oratio est petitio decentium a Deo]. In Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 14. n. 44: Oratio vero est hominis Deo adhaerentis affectio et familiaris quaedam et pia allocutio et statio illuminatae mentis ad fruendum, quamdiu licet. Cfr. Hug. a S. Vict., de Modo orandi, c. 1. — Post *exsolvendum* cod. B addit: *aliter, oratio est virtus animi ad impetrandum bonum desideratum per viam misericordiae et largitatis sive per liberalitatem.*

[4] Vers. 17. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Id est, semper iuste vivite et aeterna desiderate. Iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse. Semper orat qui semper bene agit; ipsum enim desiderium bonum oratio est; et si continuum est desiderium, continua est oratio. Cfr. Haym., in hunc loc., et August., Epist. 130. (alias 121.) c. 9. n. 18. et Enarrat. in Ps. 37. n. 14.

[5] Isidor., VI. Etymolog. c. 19. n. 65: Ieiunium est parsimonia victus abstinentiaque ciborum. Cfr. I. de Offic. eccles. c. 42.

[6] Vers. 6: Nonne hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis etc.

[7] Alex. Hal., S. p. IV. q. 29. m. 1: Definitur sic a magistris: Eleemosyna est opus sive largitio rei necessariae facta indigenti propter Deum et ex compassione. — De seqq. cfr. infra dub. 2. seqq.

[8] Vers. 24. — Sententiam August. refert Magister, hic in lit. c. 4. seq. Vide etiam XXI. de Civ. Dei, c. 27. n. 2.

[9] Vers. 16.

[10] Vers. 12. — Cfr. Innocent. III., Serm. 7. de Communi Martyr. plur.

[11] Serm. 62. in appendice sermonum August. (alias 59. de Tempore, et post 35. in appendice) super Matth. 5, 44. seqq. (de his versibus agit etiam August. in Sermone Domini in monte, de quo, ut notant Maurini, plura auctor praenotati sermonis sumsit) n. 11, ubi explicans Matth. 6, 5. seq. ait: « Qui vero vult orationem suam volare ad Deum, faciat illi duas alas, id est eleemosynam et ieiunium ». Idem dicit August., Enarrat. in Ps. 42. n. 8. — Codd. et ed. 1 *de monte.*

[12] Vers. 8.

Aliter accipitur sufficientia, quia duplex est vita, activa et contemplativa: quantum ad contemplativam, oratio; quantum ad activam, eleemosyna; ut autem homo sit dispositus ad utramque, sic est ieiunium.

Item sec. duplicem vitam.

1. 2. 3. Ex dictis patent obiecta. Quod enim dicitur, quod oratio sufficit cum ieiunio; dicendum, quod ibi accipitur *communissime* oratio, non secundum quod est pars satisfactionis; similiter, cum dicitur, quod eleemosyna omnia mundat.

Solutio oppositorum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod deberent esse plura; dicendum, quod ista, secundum quod *communiter* dicuntur, multa genera operum comprehendunt, non tria tantum; et sic patet illud.

5. Ad illud quod obiicitur de patientia, patet responsio. Nam patientia, prout importat *remissionem*, continetur sub *eleemosyna;* prout *afflictionem* et macerationem, continetur sub *ieiunio communiter dicto,* et sic altera pars satisfactionis.

Ad illud quod quaeritur: quod est magis satisfactorium? dicendum, quod *unumquodque* horum secundum *appropriationem* suam. Tamen si *generaliter* loquamur; dicendum, quod in satisfactione tria sunt, scilicet *vitatio culpae,* et contra hanc valet maxime oratio; secundum est *augmentum gratiae,* et ad hanc maxime valet eleemosyna, quia homo facit sibi amicos, qui impetrant gratiam [1]; tertium est *solutio poenae,* et haec maxime est in ieiunio, et hoc est infimum in satisfactione; alia duo praeponderant [2].

Ad quaest. incidentem.

ARTICULUS II.

De modo satisfaciendi in speciali.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de modo satisfaciendi in speciali. Et circa hoc quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, de quibus debeat fieri eleemosyna.

Secundo, utrum ieiunio contingat satisfacere.

Tertio, utrum contingat satisfacere oratione.

Quarto et ultimo quaeritur de restitutione.

QUAESTIO I.

De quibus debeat fieri eleemosyna.

Circa primum proceditur sic. Communiter dicitur, quod eleemosyna debet fieri de rebus propriis, iuste acquisitis et necessariis. Et quod solum *de rebus propriis,* videtur:

Fundamenta quoad res proprias.

1. Quia dicit ius [3], quod non potest alienari possessio nisi a proprio domino; sed cum eleemosyna datur, possessio alienatur, quia fit ipsius pauperis recipientis: ergo nullus potest dare eleemosynam, nisi qui habet proprium et super rem temporalem habet dominium.

2. Item, hoc probatur ex textu Bibliae, Proverbiorum tertio [4]: *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da pauperibus.*

Quod autem solum *de iuste acquisitis,* ostenditur.

Quoad iuste acquisitas.

3. Ecclesiastici trigesimo quarto [5]: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata;* et infra: *Dona iniquorum non probat Altissimus.*

4. Item, Gregorius in Moralibus [6]: « Eleemosyna Redemptoris oculis placet, quae non ex illicitis, vel

---

[1] Respicitur Luc. 16, 9: Facite vobis amicos etc. — In fine solut. cod. B addit: Secundum ergo [hoc] dicendum, quod considerando *dignitatem* eius quod est satisfactorium, magis est satisfactoria oratio quam eleemosyna vel ieiunium; sed respiciendo *fructum* eius quod est satisfactorium, magis satisfactoria est eleemosyna, quia fructuosior; et hoc patet. Per largitionem enim eleemosynae acquirit homo sibi multos debitores, quos obligat ad orandum pro se; ipsi vero, quia plures sunt et in caritate, possunt ei gratiam impetrare, si non habet, vel si habet, augmentum gratiae. Licet enim oratio existentis in mortali non sit Deo accepta pro se, tamen exauditur quandoque, quando plures orant pro ipso, qui in caritate sunt, et possunt ei gratiam impetrare ex merito congrui, non condigni [cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2.]. Sicut enim eleemosyna corporalis attenditur in largitione istarum rerum materialium, sic oratio facta pro alio est eleemosyna spiritualis; et congruum est, quod sicut ille reficit eos corporaliter per largitionem eleemosynae corporalis, sic ille reficitur spiritualiter pro orationibus eorum, et hoc vel ad impetrationem gratiae vel augmenti in gratia. In istis vero attenditur magnus fructus; et ideo fructuosior est eleemosyna quam ieiunium vel oratio; et hoc patet; quia ieiunium et oratio valent praecipue facienti ea, sed eleemosyna valet non solum facienti eam, sed etiam aliis. — S. Bonav. non respondet ad ultimam obiectionem, quia solutio eius colligitur ex solut. ad 4.

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Cfr. Iustinian., II. Institut. c. 8. Vide etiam Si cer. pet. leg. pen. § Quas. de spon. c. fin., ubi dicitur: Alienare non possum quod meum non est.

[4] Vers. 9, ubi Vulgata finem textus exhibet sic: *et de primitiis omnium* [ita etiam cod. H] *frugum tuarum da ei.*

[5] Vers. 21. — Seq. textus ibid. v. 23.

[6] Potius in Registro epist. lib. IX. Indict. 2. epist. 106: Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quae non de illicitis et iniquitate... et bene acquisitis impenditur [cfr. Gratian. C. *Eleemosyna* (7.), C. 14. q. 5.]. In secundo loco, qui habetur ibid. paulo superius et in Gratian. C. *Non est putanda* (27.), C. 1. q. 1, textus originalis substituit *reputanda* pro *computanda* et *accipitur* pro *acquiritur.*

iniquitate congeritur, sed quae de rebus concessis et iuste acquisitis». Et iterum ipse dicit: «Non est computanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur».

Quoad necessarias.

Item, quod de *necessariis*, videtur.

5. Illud enim non est satisfactorium, ad quod quis alias tenetur; sed quilibet tenetur ad dandum superflua pauperibus, quantumcumque sit sine peccato, Lucae undecimo [1]: *Quod superest date eleemosynam:* ergo etc.

6. Item, Gregorius in homilia [2] super illud: *Facite dignos fructus poenitentiae:* «Qui se novit nonnulla illicita commisisse debet a licitis abstinere»: ergo si abstinentia satisfactoria non est illa quae est ab illicitis, sed quae a licitis; videtur similiter, quod eleemosyna satisfactoria sit illa, non quae est de superfluis, sed quae de necessariis.

Ad oppositum quoad res necessarias.

Ad oppositum, quod *non* debeat esse *de necessariis,* ut resolvendo sive destruendo incipiamus, videtur:

1. Quia unusquisque tenetur se magis quam alterum diligere [3]: ergo tenetur sibi necessaria reservare.

2. Item, dare necessaria vitae humanae est supererogationis; sed nullus sacerdos potest imponere opera supererogationis: ergo nec talem eleemosynam. Si ergo eleemosyna illa, quae est imposita a sacerdote, est satisfactoria, non oportet, quod sit de necessariis.

Quoad iuste acquisitas.

Item, videtur, quod possit esse *de iniuste acquisitis:*

3. Quia Lucae decimo sexto [4] dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis;* Glossa: «Iniquitas bene dispensata vertitur in iustitiam».

4. Item Augustinus, in Causa decima quarta, quaestione quinta [5]: «Qui habetis aliquid de malo, facite inde bonum».

Quaestio incid.

Item, hic quaeritur, si meretrix, vel usurarius, vel aleator de lucro suo possint facere eleemosynam, cum omnes hi malo modo acquirant.

Quoad proprias.

Item, videtur, quod non oporteat fieri *ex propriis:*

5. Quia filii Israel abstulerunt vasa Aegyptiorum, Exodi duodecimo [6], et postea obtulerunt ea in usum tabernaculi, Exodi trigesimo quinto.

6. Item, si hoc esset verum, cum mulier et filius et monachus non habeant dominium; videtur, quod nullam eleemosynam possint facere; quod falsum est, cum magis teneantur esse hospitales, et frequenter mulieres plus dent [7] quam viri.

CONCLUSIO.

Eleemosyna, ut proprie sit satisfactoria, debet fieri de propriis, iuste acquisitis et necessariis secundum communem usum vivendi.

Axioma.

Respondeo: Dicendum, quod illud est necessarium ad hoc, quod eleemosyna sit satisfactoria, scilicet quod ille qui tribuit, iusto eam titulo habeat et tenere et possidere possit; si enim aliter habeat, potius tenetur reddere quam dare.

Quoad res proprias. Distinctio.

Quod ergo quaeritur, utrum necesse sit eleemosynam dare *de proprio;* dicendum, quod aut dicitur *proprium,* quia habet *principale dominium* alienandi, aut quia ab alio habet sibi *commissum officium* administrandi. Primo modo simpliciter potest facere ille qui habet proprium; secundo modo non potest facere, superiore prohibente, ut monachus, qui administrat res et bona monasterii ex mandato abbatis, potest utique eleemosynam dare; si autem ille vetet, non potest nec debet. Unde Causa duodecima, quaestione prima [8]: «Certum est, quod monachus nihil habere, vel dare, vel accipere sine superioris licentia debet», nisi forte ille qui indiget, sit in extrema necessitate; tunc enim non debet obedire abbati, quia manifeste faceret contra Deum. Similiter iudicandum est de muliere — si non habeat *dotem,* vel aliquid *iuxta dotem* [9] — quod contra mandatum viri non potest eleemosynam facere, si conscientia dictat ei, quod nullo modo velit; sed non debet sibi formare conscientiam, quod vir prohibeat *medium* [10], sed superfluitatem, nisi manifeste viderit voluntatem viri ad oppositum.

Conclusio 1. bimembris. — De monachis. — De muliere. — Notandum.

Ad oppositum de propriis.

5. Si ergo obiiciatur de filiis Israel, qui furati sunt; dicendum, quod Dominus transtulit dominium, et revera non fuit ibi furtum [11].

6. Ad illud quod obiicitur, quod sunt malae conditionis monachi; dicendum, quod non, quia unica temporalium dimissione, si vere dimiserunt temporalia, meruerunt tantum, quantum in multis [12]; et *praeterea,* bona voluntas supplet quod deest ex manu.

---

[1] Vers. 41.

[2] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. (super Luc. 3, 8.) n. 8, non iisdem verbis, quae potius inveniuntur ibid. lib. II. homil. 34. n. 16: Quia enim se illicita perpetrasse meminerat... etiam a licitis abstinebat.

[3] Cfr. III. Sent. d. 29. q. 3.

[4] Vers. 9. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta est ex Hieron., Epist. 121. (alias 151.) c. 6. (sive q. 6.). Cfr. Beda, in hunc loc.

[5] Can. *Qui habetis* (14.), sumtus ex Serm. 113. (alias 35. de Verbis Domini) c. 3. n. 3. — Codd. et edd. *Augustinus in Quaestionibus Exodi, quaest. XIV;* secuti sumus Alex. Hal., S. p. IV. q. 33. m. 2. a. 2: Praeterea Augustinus, et habetur C. 14. q. 5.

[6] Vers. 35. seq. — Seq. locus ibid. 35, 22.

[7] Edd. *debent.*

[8] Can. *Non dicatis* (11.), § 2; quod sumtum est ex S. August., Regulae clericis traditae fragmentum (inter opera). cfr. C. *Quia tua* (8.). Subinde respicitur C. *Non satis est* (14.), d. 86, in quo de praecepto succurrendi alteri in extrema necessitate constituto, et C. *Quae contra mores* (2.), d. 8, ubi docetur, nulli licere contra ius naturale agere, et Dei praeceptum praevalere mandatis hominum.

[9] Idem est quod bona paraphernalia.

[10] Cod. bb *modicum.*

[11] Vide II. Sent. d. 40. dub. 2.

[12] Cod. X supplet *eleemosynis.*

Quoad iuste acquisitas. Distinctio. Ad illud quod quaeritur de male acquisitis, dicendum, quod quaedam sunt male acquisita, in quibus *transfertur dominium*, et non competit repetitio; et talia non est necesse restitui et possunt licite retineri, ut pretium prostibuli et lucrum histrionis. Et talia possunt dari in *eleemosynam*, sed tamen non debent recipi in *oblationem*, si sit publicum, propter reverentiam altaris et confusionem peccati, ut resipiscant. Et hoc est quod dicitur Deuteronomii vigesimo tertio[1]: *Non offeres mercedem prostibuli.* — Quaedam autem sunt, in quibus *non transfertur dominium*, sed competit repetitio, ut in furto et rapina; et de talibus non potest fieri nec *oblatio* nec *eleemosyna*, sed debet fieri restitutio. — Ad huiusmodi autem genus reducuntur omnia, quae *iniusto titulo* et *mala fide* possidentur, quia iniustus titulus pro nullo habendus est. *Malae* autem *fidei* possessor dicitur qui contra legum interdicta mercatur[2]; talia sunt quae habentur per simoniam et usuram; et ideo de talibus nullo modo nec potest nec debet fieri eleemosyna.

(Ad quaest. incid. Conclusio 2. — Conclusio 3. — Corollarium.)

Quaestio de aleatore, assertum 1. Si vero quaeratur de aleatore, dicendum est generaliter, quod malae fidei possessor est et iniusto possidet titulo; et ideo nullo modo potest nec debet *sibi tenere* quod lucratus est, cum talis ludus sit turpis et reprobatus et contra Deum et contra omnia iura[3]. — Utrum tamen teneatur *restituere*, distinguunt aliqui; quia aut ille, penes quem lucratus est, est talis persona, quae rebus suis praeesse non potest, ut puta minor sive pupillus, surdus, mutus, perpetuo morbo languidus; et sic tenetur restituere[4]. Si autem sit talis persona, quae potuit amittere; aut socius *tractus* est ab illo et inductus, aut *non*. Si *tractus* fuit ab illo, non tenetur *illi restituere*, quia illi non competit repetitio in vindictam peccati, sed potest inde *facere eleemosynam*. Si autem ipse traxit eum, non potest eleemosynam facere, sed tenetur *restituere*, saltem in foro conscientiae; quia, licet nullus velit amittere, tamen qui non vult amittere nec ludere, sed inducitur, minus culpabilis videtur, et alius, qui inducit, magis; et ideo iste non debet damnificari, nec auctor nec inductor in aliquo meliorari. Nulli tamen licet ex hoc aliquid lucri acquisiti in *proprios usus* convertere.

(Assertum 2. — Assertum 3. — Assertum 4.)

Idem de torneamentis dicitur. Similiter iudicandum de torneamentis et dicendum, quod in illis pactionibus, quas habent inter se, bona non transferuntur invicem, sed in usus pauperum convertuntur propter ludi inhonestatem et iuris interdictionem[5].

Ad fundamenta 3. 4. Ex his patent obiecta. Quod enim dicitur, quod de iniquo non potest fieri eleemosyna; intelligitur de eo quod inique possidetur et iniusto titulo.

Ad opposita 3. 4. Quod obiicitur ad contrarium procedit secundum aliam viam.

Quoad necessarias. Ad illud quod quaeritur[6] de *necessariis et superfluis*, dicendum, quod *necessarium* dicitur dupliciter: vel secundum *naturae arctitudinem*, vel secundum *communem usum vivendi*. Si secundum *arctitudinem;* non tenetur, nec oportet ei imponi, qui peccavit; quia hoc est perfectionis illorum qui totum victum exspectant a Christo, sicut sunt viri, qui sunt in statu perfecto; et ideo, si fiat eleemosyna, debet fieri de eo quod superest huic necessario, et bene est satisfactoria. — Alio modo dicitur *necessarium*, quod expedit homini secundum *communem modum vivendi*. De quo dicit Augustinus[7], quod « multa superflua habere probabimur, si sola necessaria teneamus »; et de tali fit *proprie* eleemosyna satisfactoria; de *superfluo* vero non fit, quantum est de *rigore iustitiae*. — Tamen credo, quod divinae misericordiae benignitas tanta est, quod totum acceptat et quasi pro nihilo salvat nos[8]. — Et sic patet responsio ad utramque partem.

(Distinctio. — Conclusio 4. — Conclusio 5. — Restrictio.)

SCHOLION.

I. In solutione quatuor quaestionum huius articuli antiqui Scholastici satis conveniunt, etiam quoad casus de restitutione in 1. quaestione tactos, si excipias ea quae paulo severius docet S. Bonav. de obligatione restituendi lucri in ludis et torneamentis facti. Nam Alex. Hal. (S. p. IV. q. 24. m. 5. a. 3. § 6.) aliique antiqui et recentiores casuistae cum S. Alphonso (Theol. moral. III. tr. 5. dub. 13. n. 887. seqq.) communissime docent, contractus ludorum vetitorum ante sententiam iudicis non esse *per se* irritos, nec lucrum inde perceptum esse restituendum. De his annexisque quaestionibus diffuse disputat Alex. Hal. S. p. IV. qq. 24-35, aliique Scholastici de tribus operum bonorum speciebus plures quaestiones solvunt.

---

[1] Vers. 18. — Superius pro *peccati* cod. H *peccatoris*.

[2] Regula iuris 82. in VI: Qui contra iura mercatur bonam fidem praesumitur non habere.

[3] Cfr. C. *Episcopus aut presbyter* (1.), d. 35; C. *Clerici officia* (15.), X. de Vita et honest. cleric. (lib. III. tit. 1.), et C. *Inter dilectos* (11.), X. de Excessibus praelat. (lib. V. tit. 31.). De lege civili cfr. Lex fi. de relig. et sumt. fun. lib. III. C. tit. fin. Vide etiam Aristot., IV. Ethic. c. 1, ubi ait: At aleator, fur seu spoliator et latro ex illiberalibus etiam ipsi sunt, cum turpi lucro dediti sint; utrique enim lucri causa negotiantur et opprobria sustinent; et hi quidem pericula maxima acceptionis causa subeunt, illi ab amicis, quibus dare deberent, lucrantur; utrique igitur, cum unde non oportet velint lucrum comparare, turpi lucro dediti sunt, atque omnes huiuscemodi acceptiones sunt illiberales.

[4] Ut constat ex Paul. leg. fi. de aleae lusu et aleat. lib. II. P. tit. 5. — Paulo inferius ex codd. B E H Y supplevimus *socius*, pro quo alii codd. *potius*.

[5] Torneamenta (cfr. supra pag. 56, nota 8.) prohibentur a Concilio Lateran. sub Alexandro III.; vide C. *Felicis memoriae Innocentii* (1.), X. de Torneamentis (lib. V. tit. 13.), et C. *Porro si clericus* (1.), X. de Clericis pugnant. in duello (lib. V. tit. 14.).

[6] Edd. *obiicitur*.

[7] Enarrat. in Ps. 147. n. 12: Multa autem superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus; nam si inania quaeramus, nihil sufficit.

[8] Psalm. 55, 8: Pro nihilo salvos facies illos.

De 1. quaestione sive de eleemosyna vide hic dub. 2-7; insuper: Alex. Hal., loc. cit. q. 33. m. 2. a. 1-5. — S. Thom., hic q. 2. a. 1-6; S. II. II. q. 32. a. 1-10. — B. Albert., hic a. 14-26. — Petr. a Tar., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-8. — Durand., hic q. 7. 8. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 28. m. 1-8. — S. Thom., hic q. 3. a. 1-4; S. II. II. q. 147. a. 1-8. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1-8. — Durand., hic q. 9. 10. 11. — Dionys. Carth., hic q. 6.

III. In 3. quaestione solvenda Gulielm. Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 6. q. 2.) a Ss. Bonav., Thoma aliisque dissentit, cum distinguat inter orationem doceatque: « Quaedam enim oratio *totaliter* delectabilis est, sicut oratio viri contemplativi, quae est immediate ad gaudia aeterna; et talis oratio non est poenalis, unde non est satisfactoria ».

De eadem: Alex. Hal., loc. cit. q. 26. m. 1-5, praesertim m. 5. a. 4. — Scot., Quodl. q. 20. n. 3. — S. Thom., hic q. 4. a. 1-7; S. II. II. q. 83. a. 1-17. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1-8. — Durand., hic q. 12. — Dionys. Carth., hic q. 7.

IV. Quoad 4. quaestionem etiam S. Thom. primam opinionem et praesertim rationem adiectam improbat, et similiter secundam; convenit autem cum S. Bonav., quod restitutio sit *satisfactio improprie* accepta et quoddam praeambulum ad eam. Sed Dionys. Carth. sustinet, actum restitutionis, dummodo fiat in caritate, semper habere vim satisfactoriam; quod, ut videtur, nec illi antiqui doctores penitus negare voluerunt.

De 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 24. m. 5. a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a 5. quaestiunc. 1. — B. Albert., hic a. 45. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1; cfr. q. 2-8. — Dionys. Carth., hic q. 4. in principio.

QUAESTIO II.

Utrum ieiunio contingat satisfacere.

Secundo quaeritur, utrum ieiunio contingat satisfacere. Et quod sic, videtur: quia, si « *satisfacere* est causas peccatorum excidere » et « Deo honorem per poenam reddere[1] »; cum in ieiunio carnis incentiva excidantur, et homo se ipsum puniat, patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Ioel secundo[2]: *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra:* ergo non facit vim Deus in afflictione carnis, sed mentis.

2. Item, primae ad Timotheum quarto[3]: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est;* sed satisfactio multum: ergo etc.

3. Item, cum *satisfacere* sit causas excidere peccatorum, *illud* punire est satisfacere, quod est causa peccati; sed hoc est cor, non os vel caro, Matthaei decimo quinto[4]: *Nihil quod intrat in os, coinquinat hominem,* sed *de corde exeunt* etc.

4. Item, iudex iustus puniendo non animadvertit in instrumentum, sed in auctorem sceleris — unde non punitur gladius, sed homicida — ergo cum caro non sit nisi sicut instrumentum motum, patet[5] etc.

5. Item, caro est inimicus nostri spiritus, ad Galatas quinto[6]: *Haec sibi invicem adversantur;* sed dicitur Matthaei quinto: *Diligite inimicos vestros, benefacite* etc.

6. Item, quod commune est apud omnes est naturale; sed dicitur ad Ephesios quinto[7]: *Nemo unquam carnem suam odio habuit:* ergo naturale est carnem fovere: ergo affligere est contra naturam. Sed poenitentia est regressio ab eo quod est praeter naturam: ergo ieiunium non est ad satisfaciendum in poenitentia.

7. Item, qui carnem affligit amittit vitam et accelerat mortem, quia est in eo maior consumtio et minor restauratio; sed qui accelerat mortem est homicida, ita etiam, quod, si longo tempore, non refert. Unde Hieronymus[8]: « Non refert, utrum parvo tempore vel magno te interimas »: ergo qui ieiunat est homicida.

8. Item, omne opus discretum et virtuosum consistit in medio[9]; sed ieiunium non consistit in medio, immo declinat ad indigentiam: ergo nec poenitentiae est nec virtutis.

CONCLUSIO.

Ieiunium est opus satisfactorium.

Respondeo: Dicendum, quod ieiunium est opus *satisfactorium,* secundum quod ipse Dominus di- Conclusio.

---

[1] Prima definitio est Augustini (cfr. supra a. 1. q. 1.), posterior secundum Anselmum (cfr. ibid. q. 2. fundam. 1.). — De excisione incentivorum carnis cfr. Gregor., XXX. Moral. c. 18. n. 63. — Plures codd., superius omisso *si,* mox post *cum* addunt *ergo.*

[2] Vers. 13.

[3] Vers. 8.

[4] Vers. 11. et 19: De corde enim exeunt cogitationes malae etc. — Edd. cum nonnullis codd. *sed quae de corde exeunt; ergo.*

[5] Ambros., I. de Poenitentia, c. 14. n. 73: Vides ergo, quia animus noster culpae est auctor? Itaque innocens caro.

[6] Vers. 17. Pro *invicem* non pauci codd. et edd. *ad invicem.* — Seq. textus est Matth. 5, 44. — In fine arg. cod. K (I a secunda manu) addit: *ergo non debemus eam punire, sed potius confovere.*

[7] Vers. 29. — De *maiori* vide supra pag. 14, nota 5. verba Boethii. — Definitio poenitentiae inferius posita est secundum Damasc.; cfr. supra d. 14. p. I. dub. 4.

[8] Sum. II. II. q. 147. a. 1. ad 2. S. Thom. ait: « Ut Hieronymus dicit: Non differt, utrum magno vel parvo tempore te interimas, quia *de rapina holocaustum offert* [Isai. 61, 8.] *qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit* ». Ratio primae propos. addita habetur in C. *Non mediocriter* (24.), de Consecrat. d. 5. et Hieronymo attribuitur. Cfr. ipsius Epist. 107. (alias 7.) n. 10, 125. (alias 4.) n. 7. et 130. (alias 8.) n. 11.

[9] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 6.

cit Matthaei decimo septimo[1]: *Hoc genus daemoniorum non eiicitur nisi in oratione et ieiunio;* est, inquam, *satisfactorium* liberando a poena, cum sit poenale; et Deo est *placitum*, quia corporis et spiritus est reordinativum: ut corpus spiritui non repugnet contumaciter, Proverbiorum vigesimo nono[2]: *Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, sentiet illum contumacem;* ut spiritui subiiciatur totaliter, primae ad Corinthios nono: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* etc.; ut non crucietur aeternaliter, Ecclesiastici vigesimo: *Est qui multa redimat modico pretio*, et Ezechielis quarto: *Diem pro anno dedi tibi;* ut glorificetur aeternaliter, secundae ad Corinthios quarto: *Id quod est in praesenti momentaneum et leve tribulationis nostrae* etc.

Duplex ratio principalis. Rationes 4 pro 2. membro.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod non placet Deo etc.; dicendum, quod Deo non placet afflictio carnis sive eius maceratio secundum se, sed in quantum in ea punitur spiritus — quia « dolor non est carnis, sed animae in carne », ut dicit Augustinus[3] — et in quantum talis poena procedit a poena doloris spiritualis, ut non, sicut hypocrita, exterius tantum puniat; et contra hoc est illud Ioelis, quia non dolebant animo, sed signo.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ad modicum valet; dicendum, quod hoc est, vel quia *uni soli*, vel ad modicum *comparatione pietatis*[4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod caro non est causa; dicendum, quod etsi non sit *causa*, est tamen *occasio;* occasiones autem sunt praecidendae[5].

4. Ad illud quod obiicitur, quod est instrumentum; dicendum, quod duplex est instrumentum, scilicet *separatum*, et hoc non est puniendum; et *coniunctum*, quale est caro, et hoc sic[6], quia, hoc punito, punitur spiritus.

Duplex instrumentum.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod fovendus est inimicus; dicendum, quod *caro* fovenda est et servanda, sed *inimicitia carnis* non est fovenda, immo ad concordiam spiritus revocanda; et quia hoc fit per ieiunium et flagella, ideo est punienda. — Et per hoc patet, quod *naturale* est carnem diligere et fovere, sed carnis lasciviam fovere est *corruptionis et vitii*[7].

Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod diminuit vitam; dicendum, quod *diminuere vitam* vel *accelerare mortem*, aut est *ex intentione*, aut *praeter*. Si *ex intentione*, peccatum est; et sic intelligit Hieronymus. Aut *praeter intentionem*, et tunc aut dando operam *rei licitae*, aut *non* dando *licitae*, vel *utili*, sed *supervacaneae*, vel *malae*. Primo modo non est peccatum, sed secundo sic. — Aliqui tamen dicunt, quod abstinentia non accelerat mortem[8]; sed tamen non credo, immo gravis poenitentia bene accelerat.

Distinctio. Subdistinctio. Aliorum opinio.

8. Ad illud quod obiicitur, quod non est medium in ieiunio; dicendum, quod immo; sed hoc non est medium *sobrietatis*, sed medium *iustitiae;* quia ieiunio punit quis suam carnem; sed in hac punitione servandum est ita medium, ut nec nimis lente puniat, ita quod vitia carnis vivant, nec ita acerbe, ut natura deficiat. Unde Bernardus[9]: « Oportet carnem reprimere, non exstinguere ». Nec istud impedit, quin sit medium, quia ad extremum declinat. Nam in patientia medium est fere omnia sustinere, in continentia etiam semper abstinere[10].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum contingat satisfacere oratione.

Tertio quaeritur, utrum contingat satisfacere oratione; et cum duplex sit oratio, scilicet mentalis et vocalis, quaeritur, quae magis sit satisfactoria. Et videtur, quod *mentalis:*

1. Quia « veraciter orare est, ut dicit Gregorius[11], amaros in compunctione gemitus, non ornata verba resonare »: ergo videtur, quod vera oratio et satisfactoria non sit in verbo et cantu, sed in lacrymis et fletu.

Fundamenta.

---

[1] Vers. 20, ubi Vulgata *nisi per orationem et ieiunium.* Cfr. Marc. 9, 28. — De seq. propos. vide supra a. 1. q. 3. seq.

[2] Vers. 21: Vulgata: Qui... servum suum postea sentiet eum contumacem. — Seq. textus est I. Cor. 9, 27; tertius Eccli. 20, 12; quartus Ezech. 4, 6: Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi. — Quintus II. Cor. 4, 17.

[3] Libr. XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2: Dolores porro, qui dicuntur carnis, animae sunt in carne et ex carne. Quid enim caro per se ipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit? Cfr. tom. III. pag. 346, nota 7. — Superius post *dicendum* codd. brevius *quod non afflictio carnis* etc.

[4] Cfr. supra p. I. q. 2. ad 1.

[5] Vide supra a. 1. q. 1.

[6] Edd. *et hoc est puniendum.* — Ambros., loc. supra pag. 372. nota 5. cit., addit: Sed [caro] plerumque peccati *ministra.*

[7] Cfr. August., de Utilitate ieiunii, c. 4. n. 4. seqq.; de Continentia, c. 8. n. 19; I. de Doctr. christiana, c. 24. n. 24. seq.; Enarrat. in Ps. 146. n. 16. — Superius pro *concordiam* cod. H *amicitiam.*

[8] Eccli. 37, 34: Propter crapulam multi obierunt, qui autem abstinens est adiiciet vitam.

[9] Epist. ad Fratres de Monte Dei (inter opera Bernardi), lib. I. c. 11. n. 32: Modus in omnibus habendus est; affligendum aliquando corpus est, sed non conterendum etc. Cfr. Serm. 3. in Circumcisione Domini, n. 11. et Serm. 40. de Diversis, n. 7. Verba ipsa magis respondent Gregor., XX. Moral. c. 41. n. 78: Per abstinentiam quippe carnis vitia sunt exstinguenda, non caro. Cfr. ibid. XXX. c. 18. n. 63; I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 10. et II. homil. 7. n. 19. — Pro *vivant* cod. bb *virescant.*

[10] Aristot., II. Ethic. c. 6: Quemadmodum autem temperantiae et fortitudinis nullus est excessus aut defectus, propterea quod medium ipsum extremum etiam quodam modo est; ita neque illorum [furti, homicidii] mediocritas ulla aut excessus aut defectus esse potest, sed utcumque agantur, peccatum est. Omnino enim neque exsuperationis aut defectionis mediocritas, neque mediocritatis exsuperatio aut defectio ulla est. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[11] Libr. XXXIII. Moral. c. 23. n. 43.

2. Item, Matthaei sexto[1]: *Orantes nolite multum loqui, sicut ethnici faciunt;* sed si vocalis oratio adderet ad satisfactionem, non esset parum loquendum, sed multum: ergo etc.

3. Item, oratio facit hominem tendere sursum[2]; sed ratio non potest ferri sursum, quamdiu sollicita est circa ea quae sunt deorsum; sed quando profert sermonem, intenta est circa quid creatum: ergo si oratio, quae magis fert sursum, est oratio mentalis, et ista est magis placita; haec est magis satisfactoria.

Contra: 1. Oratio est satisfactoria, quae est poenalis; sed haec non est oratio mentalis, sed vocalis; nam mentalis oratio est suavis, sicut dicitur Ecclesiastis decimo[3]: *Muscae morientes perdunt suavitatem unguenti.* Ad oppositum.

2. Item, illa quae est praecipue satisfactoria, praecipue debet imponi a sacerdote; sed sacerdos imponit orationem vocalem, non mentalem: ergo etc.

3. Item, oratio mentalis, si qua est satisfactoria, est illa qua oratur cum gemitibus; sed haec est contritionis, scilicet plangere peccatum, et contritio dividitur contra satisfactionem: ergo talis oratio non est[4] pars satisfactionis.

4. Item, plus laborat qui laborat corde et lingua, quam qui corde tantum; sed laborare primo modo est in oratione vocali, corde vero tantum in mentali: ergo videtur, quod vocalis sit magis satisfactoria.

CONCLUSIO.

Quaelibet oratio est satisfactoria, prae ceteris autem ea, in qua accenditur homo ad gemitum.

Respondeo: Dicendum, quod *vocalis* oratio ordinatur ad *mentalem,* et non e converso. Secundum hoc intelligendum, quod quaedam oratio est *pure mentalis,* quaedam *pure vocalis,* quaedam *media: pure mentalis,* quando labia non moventur, sed cor ad Deum loquitur[5]; *pure vocalis,* quando nihil cogitat in his quae dicit, nec in generali nec in speciali, ita quod referat intentionem ad *sensum verborum,* vel *finem,* sed cum orat, fabricat castra; et sic *mentalis* simpliciter excedit *vocalem.* Alia est *mixta,* in qua scilicet orat mentaliter et vocaliter; et de ista distinguendum: quia aut verba illa *impediunt* affectum, quia sic inflammatus est, quod immediate fertur in Deum, et tali utilior est oratio mentalis; si autem *iuvatur,* utilior est vocalis; et multi sunt tales, et maxime illi qui non sunt viri spirituales, ad quorum affectus provocandos institutae sunt vocales orationes. Axioma. Triplex oratio. Notandum. Distinctio. Notandum.

Si quaeratur, quae oratio sit satisfactoria; credo, quod omnis, quia nulla est, in qua non laborent virtutes animales; et quantum delectatur spiritus, tantum caro frequenter tabescit, et virtutes animales minus sunt intentae regimini corporis. Credo tamen, quod illa inter ceteras est satisfactoria magis, in qua accenditur homo ad gemitum, quia haec est, in qua Deus maxime delectatur. — Unde quia illud est gratiae *specialis,* ideo non imponitur a sacerdote, sed praeambulum ad illud, scilicet oratio vocalis. Et quia non est status in vocibus, sed ordinantur ad intellectum; hinc est, quod Dominus et Gregorius mittunt a *vocali* oratione ad *mentalem.* Conclusio 1. Conclusio 2. Corollarium.

Ad illud quod obiicitur, quod impedit, ne sursum feratur; dicendum, quod falsum est, immo excitat affectum tepidum, nec est homo divisus, immo vis inferior superiori cooperatur[6]. Ad fundam. 3.

1. 2. Ad illud quod obiicitur ad oppositum, quod vocalis magis est poenalis; dicendum, quod verum est, ceteris paribus. Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod oratio gemebunda spectat ad contritionem; dicendum, quod verum est; sed super illam addit *postulationem,* sicut publicanus petebat a Domino in templo remissionem[7]. Et sic patet illud.

Sit igitur haec summa dictorum, quod omnis oratio ex caritate facta, si recte fiat, poenalis est et satisfactoria potest esse, quia nunquam est ita delectabilis, quin sit poenalis antecedenter, vel consequenter, vel concomitanter. Illa tamen inter omnes praecipue satisfacit, quae est magis gemebunda, et in qua maior clamor cordis est ad Deum pro venia peccatorum; haec autem in aliquibus est *mentalis,* in aliquibus *vocalis.* Epilogus. Notandum.

Unde notandum, quod triplex est ratio, quare vocalis oratio est instituta. Prima et potissima est ad *affectus accensionem.* Unde Beda super illud Matthaei sexto[8]: *Pater noster* etc.: « Non his solis Pro oratione vocali ratio 1.

---

[1] Vers. 7. Vulgata omittit *faciunt.*

[2] Vide supra pag. 368, nota 3. Gregor., X. Moral. c. 15. n. 27. ait, quod mentem levare est in Deo animum per studia orationis attollere. — *De minori* cfr. Luc. 10, 41. seq.

[3] Vers. 1. Sensus est: cogitationes peccatorum sibi succedentes' (morientes) perdunt suavitatem internae devotionis [cfr. I. Ioan. 2, 20. et 27.], ut S. Bonav. in Comment. super hunc loc. explicat. Cfr. Bernard., Serm. 44. in Cantic. n. 5. seqq. — De *maiori* vide a. 1. q. 3. seq.

[4] Codd. F G addunt *satisfactoria sive.*

[5] Libr. I. Reg. 1, 13: Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, et vox penitus non audiebatur. Cfr. Serm. 283. in appendice Sermon. August. n. 2. seqq., et Isidor., III. Sent. c. 7. n. 4. seqq. — Inferius verbis *fabricat castra* Alex. Hal., S. p. IV. q. 26. m. 3. a. 2. § 6, addit *in Hispaniis.*

[6] Cfr. Isidor., loc. cit., n. 30. seqq., et Damasc., IV. de Fide orthod. c. 12. — Superius ante *feratur* ex cod. O supplevimus *sursum.*

[7] Luc. 18, 13. — Inferius pro *delectationis* ex codd. O U X bb substituimus *delectabilis.*

[8] Vers. 9. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum; attribuitur ab ipsis Bedae, qui tamen neque hoc loco neque in Luc. 11, 1. seqq. haec verba habet. Sententiam primae Glossae exhibet August., Epist. 130. (alias 121.) c. 12. n. 22; sententia secundae Glossae invenitur apud ipsum in lib. II.

verbis oratur, sed aliis contentis sub eodem sensu, quibus cor nostrum accenditur ». — Secunda ratio est ad *intellectus instructionem.* Unde Beda ibidem: « Orationem brevibus verbis composuit, quibus nec opus esset loqui ad eum qui omnia novit, sed ut noster affectus, qui cum Deo agit, disceret *res,* quas oraret, non *verba,* quae diceret ». — Tertia ratio est ad *faciliorem recordationem.* Unde Glossa super illud Matthaei sexto: *Nolite assimilari eis:* « Non apud Deum agendum est verbis, sed rebus, intentione cordis, affectu simplici; quae enim dicimus non eum docemus, sed nos temporis orandi recordamur ».

Ratio 2. Ratio 3.

Et sic patet ratio institutionis orationis *vocalis,* quia propter *mentalem* est, quam Deus praecipue acceptat et illam magis ad remissionem et satisfactionem, in qua cor magis contra peccatum intenditur. Ideo perutile est peccatoribus orationes frequentare, in quibus fiat mentio de male commissis, sicut fuit oratio Manassae [1]. Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum restitutio sit pars satisfactionis.

Quarto quaeritur, utrum restitutio sit pars satisfactionis. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia aliquo peccato peccamus in Deum tantum, aliquo in Deum et proximum, ut rapina; sed constat, quod satisfactio respondet iniuriae: ergo satisfieri debet in hoc Deo et proximo. Sed satisfit proximo per restitutionem: ergo etc.

2. Item, qui peccat per gulositatem nullo modo melius satisfacit quam per ieiunii sobrietatem: ergo qui peccat rem alienam auferendo non melius satisfacit quam restituendo: ergo etc.

3. Item, *per signum* ostenditur: quia, si duo sunt raptores, quorum alter est [2] in restituendo, alter non; minorem poenitentiam imponit sacerdos ei qui potest restituere, maiorem ei qui non: ergo restitutio facit ad satisfactionem.

4. Item, « satisfacere est causas peccatorum excidere [3] »; sed causa, quare raptor in peccato est, est, quia rem alienam abstulit et detinet: ergo satisfactio est per rei retentae redditionem, quia hic peccati causa exciditur.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Peccatum eo ipso est peccatum, quia in Deum est, et quia Dei deformatur imago, non quia in alium similem — quia tunc leo peccaret, cum aliud animal comederet — unde et in Psalmo [4]: *Tibi soli peccavi:* ergo satisfactio est facienda soli Deo; sed haec non est per restitutionem, quia restitutio respicit proximum directe: ergo etc.

2. Item, satisfactio est per poenam, ad quam homo non tenetur alias nisi per culpam et secundum iudicium sacerdotis; sed ad restitutionem rei alienae tenetur, eo ipso quod aliena, et iudicio [5] Dei sine sacerdote: ergo etc.

3. Item, si est pars satisfactionis, cum satisfactio nulla sit sine caritate [6], nec restitutio est sine caritate; sed hoc est falsum: ergo etc.

4. Item, cum sint tres partes satisfactionis, scilicet ieiunium, oratio et eleemosyna [7]; quaeritur: sub qua illarum continetur? et cum sub nulla, patet etc.

CONCLUSIO.

Restitutio dici potest pars satisfactionis communiter, non vero proprie sumtae.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex est opinio.

Quidam dicunt, quod restitutio non est *pars* satisfactionis, sed *fundamentum.* Quaedam enim requiruntur ad poenitentiam sive satisfactionem ut *fundamenta,* et talia sunt peccati dimissio et alienae rei restitutio; quaedam ut *expedientia,* ut vitare pravam societatem; quaedam ut *satisfactoria,* ut ieiunium, oratio et eleemosyna; quaedam ut *perficientia,* ut sunt opera supererogationis, Lucae decimo [8]: *Quodcumque supererogaveris, reddam tibi.* — Et ratio eorum est, quia culpa proprie est in Deum, et quia satisfactio est per poenam arbitrariam arbitrio sacerdotis.

Opinio 1. Requisita 4. Ratio.

Sed alia opinio est, quod restitutio est opus satisfactorium, si fiat in caritate; alioquin non, sicut [9] nec alia opera. Opinio 2.

---

de Sermone Domini in monte, c. 3. n. 13. seq., ex quo etiam tertia Glossa *ordinaria* super Matth. 6, 8. sumta est. — In prima Glossa post *sub eodem* textus originalis addit *et non alio;* in secunda vero post *brevibus verbis composuit* prosequitur: *ut sit nobis fiducia cito annuendi, quod breviter vult rogari,* et subinde substituit *discerneret* pro *disceret;* multi codd. *aspectus* pro *affectus.* In tertia Glossa pro *quae enim* textus originalis *quae cum.*

[1] Libr. II. Paralip. c. 33, 12; legitur in Vulgata ante III. Esdrae. — Pro *intenditur* codd. F G *incenditur,* cod. H *accenditur.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Codd. B H Q adiiciunt *potens,* Vat. omittit *in,* pro quo ed. 1 *de.* Inferius post *qui non* cod. F supplet *potest.*

[3] Secundum Augustinum; cfr. supra a. 1. q. 1, et hic lit. Magistri, c. 5. et 7. in fine. — Plurimi codd. et ed. 1 verbo *satisfacere* praemittunt *si.* In fine arg. pro *quia hic* cod. N *quia hoc* (ablativus).

[4] Psalm. 50, 6. — Mox non pauci codd. omittunt *facienda.*

[5] Edd. *ex iudicio,* cod. aa *ergo et iudicio,* cod. G *iudicio Dei, ergo sine.* Superius post *Item* non pauci codd. addunt *si.*

[6] Ut ostensum est supra p. I. q. 3.

[7] Vide supra a. 1. q. 4.

[8] Vers. 35, ubi Vulgata post *supererogaveris* addit *ego cum rediero.*

[9] Vat. *sed sic.*

Posset tamen dici, quod satisfactio dicitur *communiter* et *proprie: communiter*, omne opus poenale voluntarie assumtum, sive ad quod tenetur iudicio Dei, sive iudicio sacerdotis; et sic restitutio est opus satisfactorium et eius pars. Si autem dicatur satisfactio *proprie* per poenam voluntarie assumtam, ad quam non tenebatur nisi ex culpa et iudicio sacerdotis; sic non est pars [1], quia restituere tenetur qui habet rem alienam secundum omne ius, etiam si sacerdos nunquam imponat. — Rationes igitur ad primam partem procedunt de satisfactione dicta communiter, aliter procedunt omnes ex insufficienti.

Distinctio auctoris. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud vero quod obiicitur ad oppositum, quod peccatur in solum Deum etc.; dicendum, quod verum est *per se;* sed tamen, quia homo est imago Dei, et « honor et dehonoratio imaginis ad prototypum refertur [2] »; ideo, sicut ex caritate diligi debet homo in quantum imago, sic etiam et in ipsum peccari potest. — Vel aliter dicendum, quod aut intelligitur de *eo* qui non habet superiorem ad puniendum; aut intelligitur *primo et principaliter* [3]; aut de peccato, quod non est in *proximum extra*, sed per *superbiam intra*.

Ad argg. pro parte negativa. Aliter.

2. Ad aliud patet responsio, quia obiicit de satisfactione *proprie* dicta.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non sine caritate; dicendum, quod *satisfactio*, quia Deo [4], non potest esse nisi in caritate; *restitutio*, quia proximo, extra fieri potest; sed ad hoc, quod placeat Deo, oportet esse in caritate.

Notandum.

4. Ad ultimum dicendum, quod ad nullam illarum partium reducitur, quia sunt satisfactionis *proprie* dictae.

1. Ad illud autem quod obiicitur ad contrarium, quod peccatur in proximum; dicendum, quod non peccatur in proximum nisi *per accidens*, scilicet quia offenditur Deus in proximo; et ideo soli Deo satisfaciendum est. Nec illi qui dicunt, restitutionem esse satisfactoriam; *ideo* dicunt, quia per ipsam homo satisfaciat proximo, sed quia aliquo modo, dum reddit rem, quam diligit et posset de facto tenere, amore Dei et mandato sacerdotis restituit. Verumtamen non est restitutio *proprie satisfactio*, sed *inchoatio*. Sed cum de proprio aliquid dat, tunc recte dat honorem Deo et superaddit; ideo satisfacit [5].

Ad argg. pro parte affirmativa.

3. Ad illud quod maior poenitentia imponitur, dici potest, quod hoc est, quia rem proximi dissipavit.

2. 4. Ad illud quod obiicitur, quod non potest melius curari; dicendum, quod falsum est, immo melius curatur quis, si dat de proprio [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Gregorius: *Quia ex fonte gratiae Dei id cordi eius instillatur, ut vel sic paulatim ad poenitentiam veniat.* Videtur enim secundum hoc, quod gratia detur paulatim, et quod paulatim expellatur peccatum. *Contra*: Supra libri secundi distinctione vigesima sexta [7] dicitur, quod gratia praeveniens est « fides cum dilectione »; et haec non compatitur secum culpam.

Respondeo: Dicendum, quod Deus non tantum dicitur instillare donum *gratiae gratum facientis*, sed etiam donum *gratiae gratis datae*. Et *gratia praeveniens* utraque dicitur, vel quae praevenit et disponit voluntatem ad susceptionem gratiae, et haec est gratia gratis data; vel quae praevenit opus, sed tamen facit voluntatem bonam [8]. Magister igitur loquitur hic de gratia gratis data, in secundo de gratia gratum faciente.

Gratia praeveniens dupliciter dicitur.

Dub. II.

Item super hoc: *Multa enim sunt genera eleemosynarum;* notandum hic, quod quaedam est eleemosyna corporalis, quaedam spiritualis. Eleemosyna corporalis septimembris est, sicut in hoc versu continetur:

Eleemosyna corporalis septimembris.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Sufficientia autem horum potest assignari sic. Hae differentiae ordinantur contra defectus corporis, vel animae ut unitae corpori. Sic autem definitur homo [9]: homo est substantia *animata;* per hoc tangitur vegetabilis, quae indiget duplici restauratione, scilicet *calidi* et *sicci*, et hoc est per cibum; et *frigidi* et

Sufficientia numeri.

---

[1] Edd. supplent *eius.* Mox pro *qui* plures codd. *quia.*

[2] Secundum Basilium et Damasc.; cfr. tom. III. pag. 202, nota 2. De ipsa solut. cfr. August., Serm. 82. (alias 16. de Verbis Domini) c. 3. n. 4. seq. et Serm. 278. (alias 34. de Diversis) c. 6. n. 6. seqq. — Mox post *ex caritate* multi codd. et edd. addunt *diligitur*, melius codd. F G L *diligitur et.*

[3] Alex. Hal., S. p. IV. q. 24. m. 5. a. 1: Dicendum, quod sicut non primo peccatur, proprie loquendo, in proximum, sed solum per accidens, quia offenditur Deus in proximo; sic soli Deo est satisfaciendum. Cfr. paulo inferius.

[4] Codd. N Y (I a secunda manu) supplent *fit*, codd. A B substituunt *in Deo.* Inferius post *extra* codd. X bb supplent bene *caritatem.* Subinde ex codd. E L X adiunximus *fieri*, pro quo alii codd. et edd. *esse.*

[5] Cfr. supra q. 1. — Cod. G *ut Deo satisfaciat.*

[6] Vide August., Epist. 153. (alias 54.) c. 6. n. 20. seqq. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Lit. Magistri, c. 3.

[8] Cod. K (I a secunda manu) supplet: *et haec est gratia gratum faciens.* — Idem dub. solvit S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] De hac hominis definitione eiusque partibus cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentia.* — Superius pro *horum* edd. *harum.*

humidi, et hoc est per potum[1]; et sic est duplex opus misericordiae. *Sensibilis:* et huic necessarium est duplex cooperimentum contra exteriora nociva, scilicet *remotum*, et hoc est hospitium; et *proximum*, et hoc est vestimentum; et sic est duplex opus misericordiae. *Rationalis:* et haec est substantia libera, et haec nata est habere libertatem, scilicet a *carcere* et a *servitute;* contra ergo inclusionem in *carcere* est visitatio; contra *servitutem* redemptio. *Mortalis:* et secundum hanc inest ei *mors*, et post indiget *sepultura;* et sic sunt septem[2].

Alius modus. Vel aliter. Defectus sive miseria aut est *corporis*, aut *coniuncti.* Si *corporis;* sic est sepultura. Si *coniuncti;* aut ab *intrinseco*, aut ab *extrinseco.* Si ab *intrinseco;* aut propter *improportionem*[3], et sic est infirmitas; aut propter *consumtionem*, et hoc vel *calidi et sicci*, et sic fames; aut *humidi et frigidi*, et sic sitis. — Si ab *extrinseco;* aut *voluntaria*, et sic est incarceratio; aut *naturalis*, et hoc vel natura *superiori*, et pro hac hospitium; vel *inferiori*, et contra hanc vestimentum.

Eleemosyna spiritualis septimembris. Similiter eleemosyna spiritualis est septimembris, sicut in hoc versu continetur:

Doce,
Consule[4], castiga, solare, remitte, fer, ora.

Sufficientia numeri. Sufficientia autem sumitur sic. Defectus enim spiritualis aut est talis, quod *non potest* ei subveniri per hominem immediate, sed per Deum, et tunc est ultimum, scilicet oratio; aut *potest*, et tunc aut est *cognitivae*, aut *affectivae.* Si *cognitivae;* aut est ignorantia *cognoscendorum*, et tunc est doctrina; aut *agendorum*, et sic est consilium. Si *affectivae;* aut est *culpa*, aut *poena.* Si *culpa;* aut in *nos*, et tunc est remissio; aut in *alios*, et tunc est correptio. Si autem est *poena;* aut tunc relevandus est *verbo*, et sic consolatio; aut *facto*, et sic supportatio. — Et sic sunt septem: doctrina, consilium, remissio, correptio, consolatio, supportatio et oratio[5].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sed ea maior est, qua ex corde dimittimus;* quae sit maior eleemosyna, utrum *corporalis*, an *spiritualis.* Et quod *corporalis*, videtur, quia, Matthaei vigesimo quinto[6], Dominus non faciet mentionem in iudicio nisi de corporali. — Sed *contra* hoc est: quia, sicut se habet substantia spiritualis, ut anima ad corpus, ita eleemosyna ad eleemosynam; sed anima multo pluris est quam corpus[7]: ergo eleemosyna spiritualis quam corporalis.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus, et habetur in littera[8], eleemosyna *spiritualis* dignior est et nobilior, *corporalis* autem est manifestior; et quia Dominus populo rudi loquebatur, ideo mentionem facit de *corporali*, innuens de *spirituali* a *minori*[9], si quis habeat intellectum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui vult ordinate eleemosynam dare a se primum debet incipere;* quia maius et perfectius est diligere inimicos quam amicos[10]: ergo *a simili*, perfectius est diligere alium quam diligere se, et miserere alii quam sibi: ergo rectus ordo est prius alteri misereri. — Item, homo per poenitentiam debet esse sibi austerus et se ipsum iudicare, et ita non debet *misericordia* incipere a nobis, sed *iustitia.*

Respondeo: Dicendum, quod duplex est in nobis *portio*, scilicet *corporalis* et *spiritualis*, et secundum hanc duplex *defectus* est et duplex *misericordia.* Est enim misericordia respectu incommodi et mali circa *animam*, et est misericordia respectu incommodi et mali, quod est *corporis.* Primum incommodum odire est viri spiritualis, secundum incommodum est viri carnalis. Dico ergo, quod respectu *animae* unusquisque debet esse *providus*, et nullus in hoc debet esse sibi durus, quia hoc non est *iustitia*, sed *nequitia.* Sed in *corporali*, dummodo non excedat, laudabile est, quod est sibi durus et aliis pius. Augustinus[11] autem intelligit de *spirituali*, non de corporali. Distinctio triplex.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Est enim eleemosyna opus misericordiae.* Videtur enim male dicere, quia super illud Matthaei sexto[12]: *Nesciat*

---

[1] Cfr. Aristot., II. de Partib. animal. c. 3. — Mox post *misericordiae* cod. O addit *Est etiam.*

[2] Ita codd. H bb, cod. K *est septimum*, cui lectioni hic suffragantur plures alii codd. *est VII* (cfr. tamen inferius), Vat. *est septimembris*, quod ipsa etiam inferius exhibet.

[3] Cod. B supplet *humorum.*

[4] Codd. et ed. 1 omittunt *Doce* (cod. F a secunda manu cum Alex. Hal., S. p. IV. q. 29. m. 2, *doce* transfert post *solare);* convenit B. Albertus (hic a. 23. in fine), qui pro *Consule* substituit *Instrue*, et S. Thom. (hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2.), qui in verbo *consule* duplicem eleemosynam contineri exponit, dicens: « *Consule*, id est doce ignorantem et dirige dubitantem; intelligitur enim in hoc duplex eleemosyna spiritualis, scilicet doctrina et consilium ». — Inferius pro *scilicet oratio* codd. *sicut oratio.*

[5] Idem dub. solvit Alex. Hal. et S. Thom. locc. citt.; B. Albert., hic a. 21. seq.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

[6] Vers. 35. seqq.

[7] Cfr. Matth. 6, 25. et 10, 28.

[8] Hic c. 4. seq., ex quo textus huius dubii. — Inferius pro *rudi* cod. F *iudaico.*

[9] Vide tom. I. pag. 835, nota 5. — Edd. *a maiori.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 23; S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 3; Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

[10] Cfr. III. Sent. d. 30. q. 6.

[11] Verba siquidem, de quo agit hoc dubium, sunt Augustini. — Pro *quod est* codd. F G *quod sit.*

[12] Vers. 3. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum (ex August., II. de Serm. Domini in monte, c. 2. n. 8.). — De seq. ratione cfr. supra a. 2. q. 2. et 4. nec non d. 14. p. I. a. 1. q. 3.

sinistra etc.; Glossa: « Eleemosyna est pars iustitiae ». — Item, satisfactio est pars iustitiae, et eleemosyna est pars satisfactionis: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod dare eleemosynam indigenti hoc potest esse dupliciter: aut solum quia considerat *indigentiam*, et sic est *pietatis;* aut quia considerat *indigentiam et debitum,* quia sibi impositum, vel quia ipse debet, cum habeat superfluum; et sic est pars iustititiae, et sic est in satisfactione, nihilominus tamen *pietas* ad iustitiam reducitur [1].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *quod in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas* etc.; utrum utilius sit facere eleemosynas largas quam parvas. Et videtur, quod *non:* quia aut homo est *extra caritatem,* aut *in caritate.* Si *extra,* ita amittit magnas ut parvas, et e converso, sicut dicit Magister in littera [2]. Si *in caritate;* sed Deus pensat opera secundum quantitatem caritatis: ergo sive parum, sive multum fiat ex quantitate caritatis eadem, tantum valet unum quantum alterum. — Item, « Deus non pensat *quantum,* sed *ex quanto* », sicut patet. Dominus enim Lucae vigesimo primo [3] dixit de vidua, quae misit duo aera minuta in gazophylacium: *Amen dico vobis, quod haec vidua plus omnibus misit.* — Sed *contra:* si hoc esset: ergo stultus esset dives, qui daret magnam pecuniam Deo; nec sacerdos deberet ei imponere nisi obolum, si tantum ei valet, quantum una marca.

Respondeo: Dicendum, quod de quantitate eleemosynae est loqui vel per comparationem ad *eundem,* vel ad *diversos.* (Comparatio 1.) Si ad *eundem,* sic melius et utilius est dare plus quam minus; est et triplex utilitas: (Utilitas triplex.) prima, quia, si est *in caritate,* amplius satisfacit; secunda, quia, si est *extra,* magis disponit se ad gratiam; tertia, quia, sive sit *extra,* sive *intra,* multiplicat intercessores; et hoc est quod Dominus suadet Lucae decimo sexto [4]: *Facite vobis amicos* etc. (Comparatio 2.) — Si autem per comparationem ad *diversos,* eleemosyna non praecellit eleemosynam secundum proportionem quantum ad meritum et satisfactionem. Tantum enim meretur paupercula in donatione modici panis, quantum dives in donatione maioris. In hoc tamen praecellunt divitiae, quia possunt multiplicare amicos spirituales, qui pro eis tenentur orare [5].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *inordinate agunt, dum a se non incipiunt* etc. Videtur enim secundum hoc, quod ordo sit necessarius ad eleemosynam: ergo si quis dat eleemosynam prius, cui debet dare posterius, non satisfacit. — *Contra,* esto quod det [6] minus indigenti, cum non teneatur dare alii, quia utrique posset licite recusare; non servat ordinem, et tamen non peccat: ergo non videtur perdere fructum eleemosynae. — Item quaeritur, utrum in ordine dandi eleemosynam sit attendenda *bonitas,* vel *indigentia.* (Quaestio incidens.) Et quod *indigentia,* videtur: quia qui dat diviti eleemosynam non facit, sed facit eleemosynam qui dat pauperi malo, cum sit proximus et sustentandus. — *Contrarium* huius habetur Ecclesiastici duodecimo [7]: *Da iusto, et ne susceperis peccatorem.*

Quaeritur ergo de ordine dandi eleemosynam.

Respondeo: Dicendum, quod quaedam sunt, (Distinctio.) quae faciunt ad ordinationem eleemosynae quantum ad *esse,* quaedam quantum ad *bene esse.* Ex parte scilicet *dantis* ad *esse* facit misericordia vera et pietas, (Conditiones 4 quoad esse.) et haec est quae procedit ex caritate recta; sine hac non est eleemosyna, primae ad Corinthios decimo tertio [8]: *Si distribuero in cibos pauperum* etc. — Quaedam ex parte *suscipientis,* et haec (Ad quaest.) est indigentia vel *vera,* vel *apparens: vera,* et de hac Lucae decimo quarto [9]: *Cum facis convivium, voca pauperes et debiles* etc. — Quaedam ex parte *muneris,* et hoc est, quod possit illud dare, propter hoc quod illius habet dominium, Proverbiorum tertio [10]: *Honora Dominum de tua substantia;* Ecclesiastici trigesimo quarto: *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* — Quaedam ex parte *intentionis,* scilicet quod sit intentio recta, quia Matthaei sexto [11] dicitur de hypocritis, quod *receperunt mercedem suam;* et ideo ibi dicitur: *Te autem faciente eleemosynam, nesciat* etc.

Quaedam autem de *bene esse,* scilicet quod sit (Item quoad bene esse. Ad quaest.) in *recipiente* sanctitas et bonitas, et de hoc Ecclesiastici duodecimo [12]: *Da bono, et ne receperis peccatorem;* hoc non dicit abiiciendo, sed postponendo;

---

[1] Vide tom. III. pag. 728, nota 2. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 14; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. seq.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

[2] Hic c. 6. — Inferius edd., omisso *eadem,* pro *unum quantum alterum* substituunt *una quantum alia.*

[3] Vers. 3: Vere dico vobis, quia vidua haec pauper, plus quam omnes misit. Cfr. Marc. 12, 43. — Verba praecedentia habentur in Glossa Bedae super hunc loc.; cfr. tom. II. pag. 906, nota 6. et pag. 929, nota 5. — Inferius voci *Deo* codd. BEF GY praemittunt *pro.*

[4] Vers. 9. Cfr. supra p. I. q. 6. — Inferius post *proportionem* cod. X bene supplet *dati.*

[5] Cfr. de hoc dub. Alex. Hal., S. p. IV. q. 35. m. 1. et 5.

[6] Edd. cum non paucis codd. perperam *non det.* Inferius pro *quia utrique* edd. *et uterque.*

[7] Vers. 2. seqq.: Benefac iusto, et invenies retributionem magnam... Da misericordi, et ne suscipias peccatorem... Da bono, et non receperis peccatorem.

[8] Vers. 3. — Superius pro *ordinationem* cod. aa *ordinem.* Subinde post *sine hac* codd. OU addunt *enim.*

[9] Vers. 13.

[10] Vers. 9. — Seq. locus est Eccli. 34, 21.

[11] Vers. 2. — Seq. locus est ibid. v. 3.

[12] Vers. 5. Cfr. August., III. de Doctr. christian. c. 16. n. 24; Enarrat. in Ps. 102. n. 13, et Glossa *ordinaria* apud Stra-

vel intelligit de haeretico, cui non est facienda eleemosyna nisi in necessitate extrema. — Exigitur etiam, quod in *dante* sit hilaritas, secundae ad Corinthios nono[1]: *Hilarem datorem diligit Deus.* — Exigitur, quod in *dono* sit abundantia vel vere, vel proportionaliter, Tobiae quarto: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue.* — Exigitur, quod in *donatione* sit velocitas, quia qui cito dat bis dat, Proverbiorum tertio: *Ne dicas amico tuo, vade et revertere;* et Ecclesiastici quarto: *Non protrahas datum angustianti.*

Et sic patet, quod octo sunt conditiones: quatuor de *esse,* et quatuor de *bene esse;* et ordinate dare quantum ad primas conditiones est de *esse,* quantum ad secundas minime[2].

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *ad vitam aeternam bona praeterita non dare fiduciam, sed mitiorem poenam;* loquitur de his quae ex caritate facta postmodum sunt mortificata. Sed *contra:* illa opera fuerunt digna vita aeterna: ergo si alio remunerentur, videtur, quod remunerentur citra condignum: ergo videtur, quod possit ex illis vitam aeternam sperare, cum Deus non remuneret bona citra condignum. — Item, videtur, quod nihil faciant ad mitiorem poenam, quia mala prius facta extra caritatem non minuunt gloriam, quando homo est in caelo: ergo nec bona poenam. — Item, videntur augere poenam, quia secundae Petri secundo[3]: *Melius illis erat viam veritatis non agnoscere, quam post agnitam retrorsum converti.*

Respondeo: Dicendum, quod bona illa faciunt ad mitiorem poenam, non quia minuant *poenam* debitam peccato, sed quia minuunt *tempus* peccandi; et tunc[4] non fuit in peccatis, quando fuit in gratia. Sed ratione peccatorum post commissorum non minuit, sed occasionaliter auget contemptum; et ideo bona convertit sibi in mala, sicut poenitenti Deus mala convertit in bona. — Quod ergo obiicitur, quod sunt meritoria vitae aeternae; dicendum, quod non sunt digna, nisi supposita perseverantia; et ideo, cum cadit quis, fiunt indigna et dicuntur mortificata, et ideo non sunt digna remunerari vita aeterna. Nec tamen omnino remanent irremunerata, quia ille qui fecit, habuit gaudium; et ulterius, de illis operibus gaudent qui permanserunt in corpore mystico. Potest etiam esse, quod Deus merito illorum retrahit hominem a multis peccatis[5].

Notandum.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nunquam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberavit.* Videtur enim falsum dicere: quia Marci octavo[6] dicitur de caeco, quem Dominus illuminavit, quod primo vidit *homines velut arbores ambulantes. Si tu dicas,* quod post paulatim totum sanavit; quaeritur: cum possit sanare subito, quare sanavit successive?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod totus sanatus fuit, quia corpore et mente; salus enim corporalis non est utilis, nisi prout ordinata est ad spiritualem; et quia Dominus perfecte et utiliter faciebat, ideo utrumque restituebat. — Quod ergo quaeritur: quare paulatim? dicendum, quod ibi significatur curatio a *sequela,* cuiusmodi est caecitas. Quamvis autem culpa curetur in instanti, non tamen poena. Unde Glossa ibi[7]: «Quem uno verbo sanare poterat paulatim curat, ut magnitudinem humanae caecitatis ostendat, quae vix et quasi per gradus ad lucem redit».

Ad quaest. incid.

Dub. X.

Item, quaeritur de hoc quod dicit: *Poenitentia vera ad baptismi puritatem conatur ducere.* Videtur enim falsum, quia dicitur Amos quinto[8]: *Non adiiciet ultra, ut resurgat virgo Israel;* item, octavo: *Cadent et non resurgent;* Glossa: «Non revertetur ad priorem felicitatem».

Respondeo: Dicendum, quod differt dicere resurgent ad priorem *dignitatem* et *puritatem.* Nam *dignitas* respicit status gloriam, *puritas* vero respicit emundationem ab omni macula. Possibile autem est, per poenitentiam omnem culpam deleri et quantum ad *maculam* et quantum ad *reatum,* cum completa est; et quantum ad hoc intelligit, quia hoc fuit in baptismo; quantum vero ad *dignitatem innocentiae* non surgit poenitens, sicut nec Adam resurrexit[9].

Notandum.

Dub. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sciat, se culpabiliter durum, qui peccati dolorem non ostendit lacrymis.* Videtur enim male dicere: quia non

---

bum. Vide etiam C. *Qui venatoribus* (8.) seqq. d. 86. — Inferius pro *vel intelligit* codd. I K *vel intellige.*

[1] Vers. 7. — Seq. locus est Tob. 4, 9; tertius Prov. 3, 28; quartus Eccli. 4, 3.

[2] Cfr. Alex. Hal., S. p. IV. q. 33. m. 1; B. Albert., hic a. 26; S. Thom., hic q. 2. a. 6; Richard. a Med., hic a. 2. q. 7. seq.

[3] Vers. 21: Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae, quam post agnitionem retrorsum converti. — Pro *retrorsum* edd. cum non paucis codd. *retro.*

[4] Cod. K (I a secunda manu) *quia tunc.* Cod. aa *quia* pro *quando.*

[5] Cfr. supra d. 14. p. II. a. 2. q. 3. et hic p. I. q. 6.

[6] Vers. 24.

[7] Scil. Marc. 8, 24. — Glossa est ex Beda, in hunc loc., apud Lyranum. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 34; S. Thom., hic circa lit.

[8] Vers. 1: Domus Israel cecidit et non adiiciet, ut resurgat. — Seq. locus est ibid. 8, 14, in cuius fine Vulgata addit *ultra.* — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum: Non revertentur de captivitate ad priorem felicitatem.

[9] Cfr. supra d. 14. p. II. a. 2. q. 2. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

est in potestate nostra lacrymari: ergo videtur, quod nullus sit culpabilis, si non lacrymatur. — Item, lacrymae sunt exterius: ergo cum ita possit poenitere caecus, sicut habens oculos; videtur, quod lacrymatio nihil faciat.

Duritia duplex. Respondeo: Dicendum, quod aliquis est durus dupliciter: quidam ex natura vel siccitate capitis, et talis est durus ad lacrymas exteriores; aliquis est pronus ad lacrymas exteriores pro *damno*, sed non pro *peccato;* et iste dicitur esse *durus culpabiliter,* vel quia est sequela culpae praeteritae, vel negligentiae praesentis, quia peccatum non discutit, ut debet, nec odit; vel quia debet se culpabilem reputare. Et fortassis his modis voluit Augustinus[1] dicere ipsum *culpabiliter durum;* de ultimo tamen modo non est dubium.

DISTINCTIO XVI.

Pars I.

Cap. I.

De tribus in poenitentia considerandis, scilicet compunctione, confessione, satisfactione.

De partibus integrantibus, et dubium 1. Chrysostomus. In perfectione autem poenitentiae tria observanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Unde Ioannes, os aureum[1]: « Perfecta poenitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Haec est fructifera poenitentia »; ut, sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore et manu; ita tribus modis satisfaciamus. « Sunt enim tres peccati differentiae, ut ait Augustinus[2], et in corde et in facto et in consuetudine vel verbo, tanquam tres mortes: una quasi *in domo,* scilicet cum in corde consentitur libidini; altera iam quasi prolata *extra portam,* cum in factum procedit assensio; tertia cum malae consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiae defensionis clypeo armatur, quasi *in sepulcro* iam putens. Haec sunt tria genera mortuorum, quae legitur Dominus suscitasse ». Huic igitur triplici morti triplici remedio occurritur: *contritione, confessione, satisfactione. Compunctio* nobis commendatur ibi[3]: *Scindite corda vestra et non vestimenta vestra; confessio* ibi: *Iustus in principio sermonis accusator est sui;* vere enim confitetur qui se accusat, qui exsecrando malum sibi imputat. Et ibi: *Effundite coram illo corda vestra.* Item: *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

(Marginalia: Dubium 2. — Augustinus. — Dubium 3. — Dubium 4.)

Cap. II.

Quae sit vera satisfactio.

Satisfactio a Ioanne[4] praecipitur, ubi ait: *Facite dignos fructus poenitentiae,* scilicet ut secundum qualitatem et quantitatem culpae sit qualitas et quantitas poenae. « Non enim par debet esse fructus boni operis eius qui nihil vel minus peccavit, et eius qui gravius cecidit ». — Ideo discretio poenitenti valde necessaria est, ut illa gerat, quae Augustinus[5] tradit dicens: « Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personae, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici exsecutione. Oportet enim, poenitere fornicantem secundum excellentiam sui status vel officii, vel secundum modum meretricis et in modo operis sui, et qualiter turpitudinem egerit: si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates et tempora ieiunii. Consideret, quantum perseveraverit, et defleat, quod perseveranter peccaverit; et quanta victus fuerit impugnatione — sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultro se peccato offerunt nec exspectant tentationem, sed praeveniunt voluptatem — et pertractet secum, quam multiplici actione vitii delectabiliter peccavit. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut, cum cognoverit, quod peccatum est, cito inveniat Deum propitium. In cognoscendo augmentum peccati inveniat, cuius aetatis fuerit, cuius sapientiae et ordinis. Immo-

(Marginalia: Dubium 5. 6. — Dubium 7. — Glossa. — De modo. Augustinus.)

---

[1] Textus dubii est verbum Augustini; cfr. hic lit. Magistri, c. 7. — Non pauci codd. verbo *reputare* praemittunt *reddere* [credere?] *et.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 36; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Perfecta poenitentia* (8.), de Poenitentia dist. 3, ubi citatur illa homilia de poenitentia, quae in ed. Maurina non invenitur. — Inferius post *ore et* ex codd. et ed. 1 substituimus *manu* pro *opere.*

[2] Libr. 1. de Serm. Domini in monte, c. 12. n. 37, et C. *Sicut tribus* (21.), ibid. dist. 2, in quo textu plures edd. praefigunt *libidini* voci *assensio,* et inferius ante *malae consuetudinis* Vat. et edd. 4, 6, 8 cum originali addunt *vi;* denique edd., excepta 1, substituunt *foetens* pro *putens,* refragantibus codd. et originali. — Respiciuntur Matth. 9, 25; Luc. 7, 14; Ioan. 11, 43.

[3] Ioel 2, 13; seq. locus est Prov. 18, 17; tertius Ps. 61, 9; quartus Iac. 5, 16.

[4] Matth. 3, 8; Luc. 3, 8. — Seq. locus est in Glossa super ult. locum, cfr. Gregor., l. Homil. in Evang., homil. 20. n. 8.

[5] (Inter opera eius) de Vera et falsa Poenitentia c. 14. n. 29; C. *Consideret* (1.), ibid. d. 5.

retur in singulis istis et sentiat modum criminis, pur- Dubium 8.9. gans lacrymis omnem qualitatem vitii, defleat virtutem, qua interim caruit. Dolendum est enim, non solum quod peccavit, sed quia se virtute privavit. Defleat etiam, quoniam *offendens in uno factus est omnium reus*[1]. Ingratus enim exstitit qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est *Deo acceptior;* ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Alio etiam modo offendens in uno factus est omnium reus: quia omnis *virtus* patitur detrimentum ab uno vitio ».

Augustinus. « Ponat se omnino in iudicio et potestate sacerdotis, nihil sui reservans sibi, ut omnia, eo iubente, paratus sit facere pro recipienda vita animae, quae faceret pro evitanda corporis morte, et hoc cum deside- Dubium 10. rio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus quae faceret pro differenda morte moriturus: semper deprecetur Deum, offerat Deo mentem et cordis contritionem, deinde et quod potest de possessione; tunc, si quid offeret, securus offerat: *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius*[2]*;* prius dicit ad *Abel* quam ad *munera* eius. In iudicio igitur cordis conferenda est eleemosyna tribuentis; nec considerandum est *quantum,* sed *qua mente, qua affectione* dat quod potest. Qui igitur sua peccata redimere vult temporalium oblatione prius offerat Dubium 11. mentem. Caveat, ne ductus verecundia dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant quae alteri manifestanda conservant; quod est se laudare et ad hypocrisim tendere et semper venia carere, ad quam per Dubium 12. *frusta* putant pervenire. Caveat etiam, ne prius ad dominicum corpus accedat, quam confortet bona conscientia; et doleat, quod nondum audeat sumere quem Dubium 13. multum desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se a ludis, a spectaculis saeculi qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt *digni fructus poenitentiae,* animam captivam elaqueantes et in libertate servantes ». Et infra[3]: « Quaerat anima *dignos fructus,* etsi non *dignos poenitentiae.* Sunt enim *digni fructus virtutum,* qui non sufficiunt *poenitentibus.* Poenitentia enim graviores postulat, ut dolore et gemitibus mortuus impetret vitam ». Augustinus. — Ex his ostenditur, qui sint *digni fructus poenitentiae,* quibus vera satisfactio expletur, et quod non omnes *digni fructus* sunt *digni* Dubium 14. *fructus poenitentiae;* quod de illa poenitentia intelligitur, quae maiorum est criminum. Non enim sufficiunt graviter delinquentibus quae sufficiunt minus vel parum peccantibus.

Cap. III.

Quae sit satisfactio falsa.

Et sicut sunt *digni* fructus poenitentiae ac *vera* satisfactio, ita et *indigni* fructus et *falsa* satisfactio, id est falsa poenitentia. Unde Gregorius[4]: « Falsas poe- Gregor. VII. nitentias dicimus, quae non secundum auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod Dubium 15. sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad poenitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat, se veram poenitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat, vel officium deserat, et odium ex corde dimittat, et bona, quae iniuste abstulit, restituat. Ne tamen desperet; interim quidquid boni facere potest, hortamur, ut faciat, ut Deus cor illius illustret ad poenitentiam ». Cum sit poenitentia interior et exterior, de utraque per praemissa satis apparet, quae sit vera, et quae sit falsa.

Pars II.

Cap. IV.

De tribus actionibus poenitentiae.

Praedictis vero adiiciendum est, quod tribus mo- De partibus subiectivis, et dubium 1. dis agitur poenitentia: ante baptismum scilicet de prioribus peccatis; post baptismum de gravioribus, quae post committuntur; est etiam poenitentia *venialium* quotidiana, quae etiam humilium est et perfectorum. Augustinus. Unde Augustinus[5]: « Tres sunt actiones poenitentiae, quas mecum vestra eruditio recognoscit. Una est, quae novum hominem parturit, donec per baptismum omnium praeteritorum fiat ablutio peccatorum; quia nullus suae voluntatis arbiter, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam inchoare potest; a qua parvuli sunt immunes, cum baptizantur, quia nondum possunt uti libero arbitrio, quibus tamen ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides, a quibus offeruntur ». Augustinus. « Altera est actio poenitentiae post baptismum, quae fit pro il- Dubium 2. lis peccatis, quae Legis decalogus continet ». « Agunt ergo homines poenitentiam ante baptismum de peccatis prioribus, ita tamen, ut etiam baptizentur, sicut Petrus ait: *Agite poenitentiam,* et *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini* etc. Agunt etiam poenitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut excommunicari et reconciliari post mereantur ». « Est etiam poenitentia bonorum et humilium fidelium pene quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos* etc. Neque enim et nobis dimitti volumus quae dimissa in baptismo non dubitamus »,

---

[1] Iac. 2, 10. Ed 8 post *omnium* adiicit *per ingratitudinem,* et superius pro *etiam, quoniam* cod. D *ergo quod.* — Seq. locus est cit. libro de Vera etc. c. 15. n. 30. 31, et can. cit.

[2] Gen. 4, 4. — Superius edd., excepta 1, ante *de possessione* adiiciunt *det,* refragantibus codd. et originali; et infra post *frusta putant* (plurimae edd. *putat*) originale et can. addunt *totam,* deinde pro *confortet,* quod habent codd., plures edd. et originale, Vat. et can. *confortetur.*

[3] Loc. cit.

[4] Gregor. VII., Concil. Rom. V. n. 5; C. *Falsas poenitentias* (6.), ibid. d. 5.

[5] Sermo 351. (alias 50. inter 50 Homil.) c. 2. n. 2; C. *Tres sunt* (81.), ibid. d. 1. Seq. locus ibid. c. 4. n. 7, et in eodem can.; tertius est August., Epist. 265. (alias 108.) ad Seleucianam, n. 7; C. *Agunt homines* (97.), de Consecrat. d. 4, in quo citatur Act. 2, 38. Quartus ibid. n. 8; C. *Tres sunt,* supra cit., qui locus se extendit usque in seq. capitulum, ipsa propositione per divisionem capitulorum interrupta.

Cap. V.

De multitudine venialium, quae gravat ut unum grande peccatum.

« Sed illa quae humanae fragilitati, quamvis parva, Augustinus. tamen crebra subrepunt, quae, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat navim, et submergatur? Ideo ieiunium et eleemosynae et orationes invigilent; Dubium 3. in quibus cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* etc., manifestamus, nos habere quod nobis dimittatur; et in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere poenitentiam non cessamus ».

Cap. VI.

De satisfactione venialium.

Quae autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus. Augustinus insinuat, ita inquiens in Enchiridio [1]: « De quotidianis et brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in caelis* etc. Delet omnino haec oratio minima et quo- Dubium 4. tidiana peccata; delet et illa, a quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed poenitendo in melius commutata, discedit, si [2], ut orariter dicitur: *Dimitte nobis debita nostra;* ita et veraciter dicatur: *sicut et nos* Dubium 5. *dimittimus debitoribus nostris,* id est, si fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere ». — Ex his aliisque praemissis iam Epilogus. facile est intelligere, quae pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim dominica oratio cum ieiunio aliquo et eleemosynis, sic tamen, ut praecedat contritio aliquantula, et addatur confessio, si adsit facultas; de qua confessione post [3] tractabitur. Pro gravioribus vero peccatis haec etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius atque districtius, quia, ut ait Augustinus [4], ad agendam poenitentiam « non Augustinus. sufficit mores in melius commutare et a malis factis recedere, nisi et de his quae facta sunt, satisfiat Domino per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVI.

Pars I.

De partibus integralibus Sacramenti poenitentiae.

In perfectione autem poenitentiae tria observanda sunt etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de poenitentia in sua generalitate. In hac parte agit de eius partibus. Et quoniam principalis pars poenitentiae, ut est Sacramentum Ecclesiae, est confessio; ideo primo assignat partes poenitentiae. Secundo vero principaliter et specialiter agit de confessione, et de his quae spectant ad eam, infra distinctione decima septima: *Hic oritur quaestio multiplex* etc.

Prima pars duas habet secundum duo genera partium: quaedam enim sunt partes *integrales,* quaedam *subiectivae.* Ideo primo agit de *integralibus,* ex quibus constat poenitentia perfecta. Secundo de *subiectivis* [1], ibi: *Praedictis adiiciendum est, quod tribus modis agitur poenitentia.*

Prima pars habet tres. In prima assignat illas partes, ex quibus poenitentia integratur, confirmans auctoritate Chrysostomi et Augustini. In secunda tradit modum, secundum quem veram constituunt [2] poenitentiam, ibi: *Ideo discretio necessaria est poenitenti.* In tertia determinat modum, quomodo non veram poenitentiam faciunt, sed falsam, ibi: *Et sicut sunt digni fructus poenitentiae* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de contritione; et circa hoc principaliter quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur de contritione quantum ad quidditatem.

Secundo, quantum ad quantitatem.

Tertio, quantum ad durationem.

Quarto, quantum ad intensionem.

Quantum ad primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur de contritione, quid sit quantum ad suam substantiam.

Secundo, quid sit in genere moris.

---

[1] Cap. 71. n. 19; C. De quotidianis (20.), de Poenitentia.

[2] Edd., exceptis 1, 8, *ut sicut,* et inferius *sic fiat* pro *si fiat,* refragantibus codd. et originali.

[3] Dist. XVII.

[4] Serm. cit. pag. 381, nota 5. c. 5. n. 12.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Sive de iis, quae ut inferiora sub poenitentia continentur; cfr. infra p. II. dub. 1.

[2] Non pauci codd. *constituit,* incongrue, ut videtur; hinc edd. legunt *secundum quem vera poenitentia constituitur.*

ARTICULUS I.

De contritione quantum ad quidditatem.

QUAESTIO I.

Quid sit contritio quoad suam substantiam.

Circa primum proceditur sic. Magistri [1] dicunt, quod contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumtus; et quod ita sit, videtur:

Fundamenta. 1. Quia, sicut dicit Ambrosius [2], « poenitentia est commissa deflere »; et iterum: « Poenitentia est dolor et amaritudo mentis pro peccatis, quae quisque commisit »; sed hoc non est confessio neque satisfactio: ergo contritio.

2. Item, Augustinus [3]: « Dolendum est et dolore purgandum »; sed contritio est illud in poenitentia, quod peccata depurgat: ergo contritio est dolor.

3. Item, *ratione* videtur: quia primum, quod est in poenitentia, est dissentire a peccato facto; sed quod factum est necesse est esse factum; sed cum aliquid displicet alicui vehementer, quod tamen non potest facere, quin fuerit, generat dolorem: ergo etc.

Contra: 1. Sicut vere poenitentem necesse est Ad oppositum. dolere, ita etiam pudere [4]: ergo pudor est de poenitentia; et non est confessio nec satisfactio: ergo contritio, et sic etc.

2. Item, in poenitentia non tantum est dolere, verum etiam gaudere — unde in praecedenti distinctione [5]: « Doleat et de dolore gaudeat » — ergo quemadmodum contritio dicitur *dolor*, ita etiam debet dici *gaudium*.

3. Item, videtur, quod non sit *dolor:* quia, sicut dicit Augustinus decimo quarto de Civitate Dei [6], « dolor est dissensus ab his rebus, quae nobis *nolentibus* accidunt »; sed contritio est dissensus a peccatis, quae nobis *volentibus* accidunt: ergo etc. *Si dicas,* quod peccata prius sunt placita et volita, post autem displicent et non sunt volita, et pro illo tempore est dolor; *contra:* dolor est ex coniunctione disconvenientis, ergo *ab oppositis* ex dissensu a disconvenienti non est dolor, sed gaudium: ergo si peccata displicent, et per contritionem dissentit quis a peccatis; videtur, quod non *dolor,* sed *gaudium* est contritio.

4. Item, contritus dolet de peccato facto, aut ergo quia *vult,* ipsum esse factum, aut quia *non vult.* Si quia *vult;* cum factum sit, tunc evenit quod vult. Si quia *non vult;* sed omnis voluntas est indiscreta, quae appetit impossibile et refugit necessarium: ergo cum voluntas contriti non sit talis, patet etc. — *Si dicas,* quod verum est de voluntate *absoluta,* sed non de *velleitate,* et talis est contritio; *contra:* contritus habet voluntatem a virtute et gratia informatam [7]; sed omnis talis consistit in *pleno consensu:* ergo voluntas contriti non est velleitas, sed plena voluntas; et ita nulla est illa responsio.

5. Item, differt *dolor* et *timor,* quia *dolor* est affectio de praesenti malo, sed *timor* de futuro [8]; sed peccatum est praeteritum, et de eo est contritio: ergo non est *dolor. Si dicas,* quod non est praesens secundum *affectum* [9], sed secundum *aspectum;* similiter et futurum est praesens secundum *aspectum:* ergo sicut est dolor de praeterito, ita etiam de futuro.

Item, cum contritio sit dolor, ut quid magis denominatur nomine contritionis quam doloris? Quaestio incid.

CONCLUSIO.

Contritio est dolor per essentiam, quatenus dolor sumitur pro dissensu voluntatis, non pro passione sensibili.

Respondeo: Dicendum, quod sicut peccatum perpetratur per consensum, sic econtra deletur et destruitur per dissensum voluntatis rationalis; et quia dissensus ab ea re, quam impossibile est non esse, generat dolorem, sicut dicit Augustinus [10]: ideo Conclusio 1. dicendum, quod contritio est dolor per essentiam. — Sed attendendum, quod dolor dicitur dupliciter: Dolor duplex. uno modo ipse *dissensus voluntatis,* alio modo *passio* resultans in sentientem ex illo dissensu, per

---

[1] Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 6. c. 2. q. 1, iam referebat: « Contritio est, ut dicunt *magistri,* idem quod et dolor de peccatis ». Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 1. a. 1. § 1: Contritio est dolor pro peccatis assumtus cum proposito confitendi et satisfaciendi.

[2] Serm. 25. (9. de s. Quadragesima) n. 1. Ibid. habetur etiam seq. definitio. Cfr. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 2, et Comment. p. I. dub. 4.

[3] De Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 14. n. 29. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Bernard., Serm. in Cant. 16. n. 4: Cogitantem, quod patrem offenderim, est certe quod pudeat... Pudet indigna gessisse genere meo, pudet, tanto patre vixisse degenerem.

[5] Scilicet d. XIV. lit. Magistri, c. 2. circa finem.

[6] Cap. 15. n. 2: Animae dolor, quae tristitia nuncupatur, dissensio est ab his... acciderunt.

[7] Cod. O *informativa.*

[8] Vide tom. III. pag. 569, nota 4. verba Damasceni.

[9] Ita codd. et ed. 1, Vat. *effectum;* cfr. infra a. 3. q. 2. ad 2.

[10] Vide supra nota 6.

quam prorumpit homo in lacrymas[1]; et ille *dissensus* est de essentia contritionis, sed illa *passio* est effectus eius. (Conclusio 2.)

(Solutio oppositorum.) 1. 2. Quod ergo obiicitur, quod sit pudor et gaudium, sicut et dolor; dicendum, quod *pudor* (Notandum.) consequitur ad illum dissensum, secundum quod dissentit a peccato tanquam a *turpi*. Consequitur etiam *gaudium*, secundum quod ex illo dissensu sentit se elongari a peccato[2]; immediatius autem consequitur *passio*, quae est dolor. Nam ipse dissensus vehemens a re, quam nolumus esse, et tamen est, immediate *dolorem* generat, quia dissensus; sed quia a turpi, *pudorem;* et quia ab illo elongat, *gaudium*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod peccatum nobis volentibus accidit; dicendum[3], quod peccatum (Solutio 1.) est voluntarium quoad *delectationem*, sed non voluntarium ratione *malitiae* et *deformitatis* et *poenae*. Sed illud non solvit, quia dolor non tantum est de deformitate, immo etiam de delectatione. — (Solutio auctoris.) Ideo dicendum, quod ad hoc, quod doleat, sufficit, quod illud de quo dolet, sit nolitum pro tempore, in quo dolet; tamen non oportet, quod omni[4] tempore. Et quod in contrarium adducit, quod dissensus a re disconvenienti generat gaudium; verum est, quando est *tantum dissensus*, ut puta, cum refugit, ne faciat peccatum, non dolet, sed gaudet; sed quando est *dissensus cum coniunctione*, tunc est dolor; et ita est in contritione, quia nollet peccasse, et tamen necessarium est, ipsum peccasse.

4. Ad illud quod obiicitur, quod contritus vult impossibile; dicendum, quod *velleitate* vult, non *voluntate absoluta;* sicut aliquis ex pietate de illo qui mortuus est, vellet, quod viveret[5].

Et quod obiicit, quod virtus est in *pleno* con- (Semiplenus consensus duplex.) sensu; dicendum, quod consensus *semiplenus* aut est propter defectum *voluntatis*, sicut *piger vult et non vult*[6], et talis velleitas non est gratiae, sed pigritiae; aut est propter defectum *voliti*, quia non est natum eligi, cum sit impossibile, et talis bene est a virtute, ut patet in pietate; et hic est plenus consensus a parte voluntatis, quia reflectitur voluntas supra se et vult, se sic velle.

5. Ad illud quod objicitur, quod dolor est de praesenti; dicendum, sicut dictum fuit[7], quod est (Notandum.) de praesenti secundum *aspectum*. — Quod obiicitur in contrarium, quod non sufficit, quod sit praesens secundum *aspectum;* respondent aliqui, quod (Solutio 1.) est praesens secundum *reputationem*, quia pro tali reputat se vere contritus, ac si esset infectus peccato prius facto. — Sed illud non solvit, quia, esto (Non solvit.) quod constaret sibi de iustitia praesenti, tamen adhuc doleret de praeterito[8]. — Ideo dicunt alii, (Solutio 2.) quod est praesens secundum *effectum*, quia remanent reliquiae. — Sed tunc esto, quod nullae reli- (Non solvit.) quiae remanerent, adhuc tamen doleret homo de malo, quod fecit.

(Solutio auctoris.) Ideo dicendum, quod ad dolorem faciendum sufficit, quod res, quae displicet voluntati, sit praesens *aspectui*, non secundum *coniecturam*, sed secundum *certitudinem*, quia ita est et non potest aliter esse; et tunc est dolor, sive illud, de quo gemitus[9] est, sit praesens, sive praeteritum, sive futurum. Unde cum dicitur mihi certitudinaliter, quod aliquis, quem diligo, morietur; generat in me dolorem; multo magis de praeterito, in quo est perfecta certitudo.

(Ad quaest. incidentem.) Ad illud quod quaeritur: quare magis denominatur nomine *contritionis;* et quae convenientia doloris ad contritionem? dicunt aliqui, quod ideo (Solutio 1.) hoc nomine censetur, quia, sicut unguentum sanativum conficitur ex multis herbis in mortario contritis, sic unguentum compunctionis conficitur ex herbis peccatorum, quae natae sunt in terra nostra, dum conteruntur in mortariolo conscientiae; ita videtur Bernardus super Cantica[10] dicere. — Sed tunc (Non probatur.) ab hac contritione non diceretur homo *contritus*, sed *conterens*.

(Solutio auctoris. Tria attendenda.) Ideo addendum, quod in hac contritione tria sunt attendenda: *quod conteritur, a quo conteritur*, et *ad quid contritio terminatur*. *Quod conteritur* est cor peccatoris, quod est tanquam *vas* fictile repletum veneno peccati, iuxta illud Deuteronomii trigesimo secundo[11]: *Fel draconum vinum eorum* etc. — *A quo conteritur* est duplex mola: una *superius sursum elevans*, et haec est spes

---

[1] Damasc., II. de Fide orthod. c. 22: Passio est *sensibilis* motus appetitivae virtutis ex imaginatione boni vel mali. Cfr. August., XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2. — Post *sentientem* Vat. addit *vel sensualitatem*.

[2] Cfr. infra dub. 10. et supra d. 14. p. II. dub. 7. — Circa finem solut. pro *pudorem* codd. H O aa *pudor est*.

[3] Videtur esse legendum (ut ex subnexis colligitur) *aliqui dicunt*. Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 1. a. 1. § 1: Aliter dicunt aliqui, quod cum perpetratione peccati multa accidunt peccantibus nolentibus, ut offensa Dei, laesio naturalium, privatio gratuitorum et alia huiusmodi, de quibus dolendum est. Unde Augustinus: Dolendum est, non solum quia peccavit, sed quia virtute se privavit (cfr. hic lit. Magistri, c. 2.).

[4] Plurimi codd. *pro omni*, qui etiam post *tamen* perperam omittunt *non*.

[5] Cfr. I. Sent. d. 48. a. 2. q. 2. et dub. 4. — S. Thom., IV. Sent. d. 17. q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. ad 3: Voluntas conditionata, quae et velleitas dicitur, esse potest de impossibilibus.

[6] Prov. 13, 4.

[7] In ipsa obiectione.

[8] Cod. bb *doleret homo de malo praeterito, quod fecit.* Superius *pro tali* cod. R *talis*. Inferius post *Sed tunc* multi codd. et ed. 1 addunt *adhuc*, incongrue.

[9] Ita plurimi codd., edd. *genitus;* cod. Y *certus;* lectio nostra convenit modo loquendi Magistri. Inferius verbo *morietur* edd. cum pluribus codd. praemittunt *cras*.

[10] Serm. 10. n. 5: Est ergo unguentum, quod sibi conficit anima multis irretita criminibus, si, cum incipit cogitare vias suas, colligat, congerat conteratque in mortariolo conscientiae multas ac varias species peccatorum suorum et intra aestuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam poenitentiae et doloris etc.

[11] Vers. 33. — Mox pro *A quo* codd. *Quo*.

veniae ex consideratione misericordiae; alia mola, *deorsum deprimens,* est timor poenae, veniens ex consideratione divinae iustitiae. Et de his molis dicitur Deuteronomii vigesimo quarto[1]: *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam.* — Istud vas hic conteritur, quia durum est, ut *emollescat — cor enim durum male habebit in novissimo* — vel melius, ut peccati delectatio totaliter *effundatur.* Ideo dicitur *contritio,* non *fractio,* « quia *fractio* est in maiores partes[2] », *contritio* in minores; et quando in maiores partes est *fractio,* sapor aliquo modo remanet; ut autem non remaneat nec sapor nec veritas, ideo in partes minimas *conteritur.* — Et haec delectatio totaliter removetur per *poenam aeternam* et removetur per *gratiam;* et ideo utrobique *contritio,* et in *poena aeterna,* secundum illud Ecclesiastici vigesimo septimo[3]: *Conteretur cum delinquente delictum;* et per *gratiam,* Psalmo: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies;* sed aliter: quia *ibi* conteritur in pulverem, non ut *aliud vas* fiat, quia de impiis dicitur: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis*[4] etc.; sed in contritione *gratiae* est contritio ad generandum *vas novum* et solidum per humorem gratiae et lacrymarum; et ideo recte dicitur *contritio,* non *attritio,* quia partium tritarum est unio, ut fiat vas in honorem, secundum illud de Paulo: *Vas electionis est mihi,* Actuum nono[5]; et secundae ad Timotheum secundo: *Si quis emundaverit se ab his, erit vas* etc. Et sic patet ratio dicti.

Delectatio removetur dupliciter.

Modus conterendi duplex.

SCHOLION.

I. De nomine *contritionis* vide hic q. incid. et dub. 3. De distinctione inter *contritionem proprie dictam* et *attritionem* cfr. supra d. 4. p. I. dub. 1, d. 14. p. II. dub. 1, sed praecipue infra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. Quomodo *attritio* fiat *contritio,* docetur infra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. ad 4. De attritione *naturali* vide II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 6.

Ut autem plura, quae in hac et seq. dist. occurrunt, recte intelligantur, hic observamus, antiquos Scholasticos de *contritione* passim loqui non eadem prorsus *ratione,* qua rem considerant recentiores; et haec differentia est duplex. *Primo* quidem in definitione *contritionis* et *attritionis* illi non tam *motivorum* differentiam, ut recentes theologi, considerabant, quam *informationem* a gratia habituali procedentem, vel eiusdem *defectum.* Hinc *omnem* actum doloris *tempore* gratiae infusionem praecedentem vocabant *attritionem,* cum sit *informis;* econtra quemcumque actum *formatum* dicebant esse *contritionem.* Hoc explicite cum Alexandro Hal. (S. p. IV. q. 17. m. 5. a. 3.) docet S. Thom. (de Verit. q. 28. a. 8.): « Omnis dolor de peccato in habente gratiam est *contritio* », sicut omnis actus fidei gratiae habituali coniunctus est *formatus.*

Secundo, supponebant communiter, habitum gratiae non dari adultis sine *actu istius contritionis,* non quidem *tempore* gratiae infusionem praecedente (quod, ista definitione supposita, est impossibile), sed in eodem instanti cum infusione gratiae *formato.* Et de hoc actu ac de ordine *naturae,* quem habet respectu infusionis gratiae et expulsionis culpae, subtiliter disputabant, ut patet infra d. 17. p. I. a. 2. Quare autem iste actus contritionis in adultis sit semper connexus cum iustificatione, docet S. Thom. (de Verit. q. 28. a. 3. ad 10.), quia scil. « in hoc ostenditur perfectior communicatio divinae bonitatis, quod simul facit in homine *actum* iustitiae, quam si faceret *habitum* tantum ». Cfr. Bonav., loc. cit. a. 1. q. 3, et de actibus praeparatoriis *tempore* iustificationem praecedentibus ibid. q. 2, a. 2. q. 3. et praecipue d. 14. p. I. a. 2. q. 2.

II. Quaestionis 1. conclusio manifesta est. — De *gaudio,* quod arg. 2. ad oppos. in contritione esse dicitur, cfr. etiam infra a. 2. q. 2. ad 1. et dub. 10. — De hac et pluribus seqq. qq. plurimi commentatores Lombardi agunt infra d. 17.

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 1. a. 1. — Scot., hic q. 1. n. 6; cfr. d. 14. q. 2. — S. Thom., d. 17. q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 1. a. 1. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 6-9. — Petr. a Tar., d. 17. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., d. 17. a. 1. q. 1. — Durand., d. 17. q. 1. n. 7. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. d. 17. q. 4.

III. Quaestionis 2. conclusio rite sequitur ex doctrina de virtute poenitentiae, supra d. 14. p. I. a. 1. exposita.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. et a. 1. § 2. — Scot., IV. Sent. d. 14. q. 1. n. 14. seqq. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; Suppl. q. 1. a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2.

QUAESTIO II.

Quid sit contritio in genere moris.

Secundo quaeritur, quid sit contritio in genere moris. Et quod sit actus *virtutis,* videtur:

Fundamenta. 1. Quia omnis actus difficilis et meritorius est actus *virtutis,* vel *doni,* vel *beatitudinis*[6]; sed contritio est huiusmodi et non est *doni* nec *beatitudinis:* ergo est virtutis.

2. Item, omnis actus meritorius specialis, qui egreditur a potentia determinata, est virtutis specialis; sed contritio est huiusmodi: ergo contritio est virtutis specialis[7].

3. Item, poenitentia est dolor et amaritudo mentis; sed constat, illud esse dictum *per causam,*

---

[1] Vers. 6. Expositio huius textus est secundum Gregor., cuius verba vide tom. II. pag. 992, nota 7. — Seq. textus est Eccli. 3, 27. — Infra pro *vas hic* cod. aa *vas sic.*

[2] Aristot., IV. Meteor. text. 44. (c. 9.): Differunt autem, quia *fractio* quidem est in magnas partes divisio et separatio, *friatio* [comminutio] autem in quascunque et plures duabus.

[3] Vers. 3. — Seq. textus est Ps. 50, 19.

[4] Psalm. 1, 4.

[5] Vers. 15. — Seq. textus est II. Tim. 2, 21: Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Cfr. Guliel. Paris., de Poenitentia, c. 1, ubi vocat poenitentiam « veteris hominis contritionem et annihilationem et in pulverem redactionem, veluti ferientem desuper pilo doloris et malleo indignationis ».

[6] Vide supra pag. 318, nota 5, et III. Sent. d. 34. p. I. a. 1. q. 1. seqq.

[7] Pro *specialis* Vat. perperam substituit ter *spiritualis.*

quia poenitentia, ut dicit Ambrosius[1], facit dolere: ergo si contritio est dolor, contritio est actus virtutis poenitentiae: ergo etc.

Sed contra: 1. Contritio est dolor; sed dolor est passio, et passio non est actus virtutis nec gratiae: ergo nec contritio. Quod dolor sit passio, patet, quia dolor opponitur delectationi[2]. *Ad oppositum.*

2. Item, contritio est expulsiva peccati; sed peccatum expellere est ipsius gratiae: ergo contritio est gratiae actus. *Si tu dicas,* hoc esse *virtutis*[3]*; contra:* aut hoc est virtutis *per gratiam,* aut e converso. Constat, quod virtutis *ratione gratiae,* quae est vita, et ideo expellit mortem: cum ergo contritio per se sit expulsiva peccati, patet, quod contritio est actus gratiae.

3. Item, contritione omnia peccata expelluntur; sed omne tale est commune ad omnem animae potentiam et habitum: ergo contritio non est actus virtutis, aut si est, non est virtutis *specialis.*

CONCLUSIO.

Contritio est motus specialis virtutis, scilicet poenitentiae.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc triplex fuit opinio: quaedam, quod contritio est motus *liberi arbitrii* informati *gratia,* non *virtute,* propter quod est expulsiva peccati; alia, quod motus *omnium virtutum,* quia contra omnia peccata; tertia, quod motus *virtutis specialis,* scilicet poenitentiae. Et habent istae tres opiniones ortum ab opinionibus de poenitentia: quia quidam dicebant, quod poenitentia esset *gratia;* quidam, quod *virtus generalis;* quidam, quod *specialis.* Sed cum supra[4] ostensum sit, ipsam esse virtutem *specialem,* cuius motus est peccatum detestari commissum ad emendam; et hoc est conteri: dicendum, quod contritio est motus specialis virtutis, scilicet poenitentiae. *Opinio triplex. Notandum. Conclusio.*

1. Ad illud quod obiicitur, quod est passio; dicendum, quod dolor dicitur dupliciter: uno modo *dissensus voluntatis rationalis,* alio modo *passio redundans in sentientem*[5]. Primo modo est motus voluntatis, et sic contritio est *dolor per essentiam;* alio modo passio, et sic contritio est *dolor per concomitantiam.* *Solutio oppositorum. Distinctio.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod delere culpam est gratiae; dicendum, quod etsi delere culpam sit gratiae, tamen in adulto, qui praeparat se per usum liberi arbitrii, infunditur gratia, ut in tali usu est[6]; deletio culpae in illo fit per gratiam, ut induit rationem virtutis, et ideo per poenitentiam, quae concernit gratiam et habitum virtutis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnia expellit; dicendum, quod expellit per modum detestantis; et *unius virtutis* est omne malum detestari sub ea ratione, qua est Dei offensivum, et quia commissum est contra Deum; et sic contritio detestatur et expellit et est virtus poenitentiae. Unde sicut obedientia opera omnium virtutum respicit sub ratione mandati, nec propter hoc est virtus generalis, quia licet illa differant per essentiam, tamen *ratio formalis* est una secundum speciem; sic et in proposito. — Et est *simile* de visu, qui videt hominem et plantam, quae non tantum differunt *specie,* sed etiam *genere;* videt tamen, quia sunt colorata; videt etiam album et nigrum, quae sunt obiecta per se et differunt specie; et tamen ipse non differt, quia videt per naturam lucis[7]: sic contritio detestatur superbiam et luxuriam in quantum malum contra Deum perpetratum ab ipso qui conteritur. Et *si tu obiicias,* quod contritio est vis concupiscibilis, et poenitentia est in irascibili; supra[8] solutum est. Nam dolor et odium cum insurrectione consistit in irascibili; nihilominus tamen cum illo est dolor quidam in concupiscibili, et iste est imperatus a poenitentia et coniunctus cum illo dolore; et sic non est contrarium praedictis, quia utrumque concurrit ad contritionem, sed primus dolor est praecipuus et principalis[9]. *Similia duo. Notandum.*

ARTICULUS II.

De contritione quoad quantitatem.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de contritione quantum ad quantitatem. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum necesse sit, dolorem contritionis esse maximum.

Secundo, utrum possibile sit, in illo dolore cadere excessum. De quantitate enim contritionis a parte *gratiae* non est dubium, quia tantum est Deo accepta, quantum est gratia.

---

[1] Cfr. supra d. 14. p. I. dub. 4. et quaest. praeced., ubi etiam *maior* probata est.

[2] Vide supra pag. 318, nota 7.

[3] Cfr. supra pag. 318, nota 4.

[4] Dist. 14. p. I. a. 1. q. 2. — Ibid. q. 1. exposita invenitur praeced. propositio. — Superius pro *esset gratia* codd. *erat gratia.* Inferius pro et *hoc est conteri* Vat. *et haec est arbor* (!), ed. 1 *et hoc est confiteri.*

[5] Cfr. supra pag. 384, nota 1. — Codd. L O R T U *sensualitatem,* Vat. *sentientem vel sensualitatem.*

[6] Ut ostenditur infra d. 17. p. I. a. 1. q. 2. et 3. — Edd. addunt *et.*

[7] Vide III. Sent. d. 23. a. 1. q. 3. in corp. — Post *ipse* cod. X addit *in se.*

[8] Dist. 14. p. I. a. 2. q. 1. Cfr. etiam III. Sent. d. 26. a. 2. q. 5. — Pro *in irascibili* cod. II *irascibilis* (vis).

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum necesse sit, dolorem contritionis esse maximum.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum necesse sit, dolorem contritionis esse maximum, id est, utrum ad hoc, quod contritio sit sufficiens, necesse sit plus dolere de peccato quam de aliquo temporali. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1 Ieremiae sexto[1]: *Luctum unigeniti fac tibi;* Glossa: «Docet poenitentem, quid facere debeat»; et alia Glossa: «Nihil dolentius morte unigeniti»: ergo tantum debet quis dolere de peccato, quod de nullo magis.

2. Item, Augustinus, vigesimo primo de Civitate Dei[2]: «Necesse est, ut tantum urat dolor, quantum haeserat amor»: ergo si dolet plus de amissione rei temporalis quam de amissione Dei per culpam, plus ergo diligit rem temporalem quam Deum; sed nullus talis poenitet vere: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia dolor fundatur in amore et omnis affectio, ut dicit Augustinus[3]; sed amor Dei debet esse maior omni amore creaturae: ergo et dolor ex amissione Dei.

4. Item, dolor contritionis est a gratia et libero arbitrio, sed alius[4] tantum a culpa et libero arbitrio; sed gratia plus roborat in bono, quam culpa inclinet ad malum: ergo motus doloris fortior.

5. Item, animus iustus plus Deo unitur quam sibi per amorem; sed de eo cui magis unitur, magis dolet, cum separatur: ergo magis dolet, se per peccatum separatum esse a Deo[5], quam de morte proximi et corporis, si esset possibile.

6. Item, omnis habens animum *ordinatum* plus dolet de amissione maioris boni; sed Deus est summum bonum, et omnis contritus habet animum ordinatum: ergo plus dolet de amissione Dei quam de amissione alterius boni creati.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ostenditur, quod non oportet, esse maiorem quam de aliquo temporali: quia «albius est quod est nigro impermixtius[6]»: ergo maior dolor est qui minus habet de gaudio; sed dolor contritionis est admixtus gaudio, aliquis autem alius sine aliquo gaudio est quandoque: ergo ille maior.

2. Item, magis dolendum est de eo quod recuperari non potest, quam de eo quod recuperari potest et recuperatum est; sed amissio filii non potest recuperari, amissio Dei in poenitente est recuperata: ergo non tantum debet dolere de amissione Dei, quantum de amissione filii.

3. Item, quod non oporteat tantum dolere, videtur, quia, quantumcumque parva sit gratia, delet omnem culpam: ergo similiter ex parte doloris, quantumcumque parvus est, dum tamen gratia sit informatus, delebit omnem culpam: ergo non oportet, quod sit maior omni alio.

4. Item, si hoc oporteret, tunc pauci essent contriti; pauci enim sunt qui mallent esse caeci quam nunquam peccasse; videmus etiam multos viros poenitentes, qui flent ex morte consanguineorum, qui non possunt flere pro peccatis.

CONCLUSIO.

Dolor contritionis quoad sensualitatem non debet esse maximus, neque quoad displicentiam rationis absolute, *sed tantum maior in comparatione ad alios dolores.*

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod cum quaeritur de quantitate doloris, dolor potest dici *displicentia rationis,* vel *passio* ex hac resultans in sensualitatem[7].
Conclusio 1. Si hoc *secundo* modo accipiatur; dico, quod non est necesse *magis dolere* de peccato quam de re temporali, nec etiam necesse est *dolere,* quia non est in potestate cuiuslibet. Talis enim *dolor* non
Ratio. consequitur amorem, sed consequitur ipsam *affectionem,* et affectio *experimentalem cognitionem;*
Conclusio 2. et quia non omnes habent experientiam divinae dilectionis[8]: ideo non omnes ita sensibiliter dolent de peccatis. Tamen quod magis etiam *sensibiliter* doleat aliquis de peccato quam de aliquo damno hoc est perfectionis et congruum, non necessarium.

Axioma. Sed in quantum dolor dicitur *displicentia rationis;* sic dico, quod ista displicentia mensuratur secundum quantitatem caritatis. Quantitas autem
Distinctio circa caritatem. caritatis dupliciter potest accipi: vel *in se,* vel in *comparatione ad alios amores: in se,* sic dico, quod est *parva* et *maior* et *maxima*; in *comparatione ad alios,* sic dico, quod vindicat sibi dominium in corde, quamdiu est; nec unquam ibi est, nisi sit domina; unde dico, quod ad hoc, quod

---

[1] Vers. 26. — Duas Glossas exhibet Lyranus ut *interlineares,* quae sunt ex Hieronymo, qui in hunc locum ait: Docet, quid facere debeant, ut convertantur, scilicet ad poenitentiam... Nihil autem dolentius quam unum vel solum perdere filium.

[2] Cap. 26. n. 4. — Inferius pro *per* codd. F G aa *propter.*

[3] Libr. XIV. de Civ. Dei, c. 7. n. 2. Cfr. supra pag. 326, nota 5. — Post *affectio* codd. F G addunt *est amor.* Finem arg., ubi codd. omittunt *et,* cod. bb sic exhibet: *ergo dolor ex amissione Dei est maior omni alio dolore.*

[4] Scilicet dolor de amissione rei temporalis.

[5] Cod. K (I a secunda manu) *ergo magis dolet de morte separationis a Christo.* Mox post *proximi* ex codd. E F G H I K L V substituimus *et corporis* pro *et morte sua.*

[6] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.). — Quod dolor contritionis est admixtus gaudio, ostensum est supra a. 1. q. 1. ad 2.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 1. in corp.

[8] Codd. T U bene *delectationis.*

aliquis habeat caritatem, necesse est, quod diligat Deum super omnia [1]; hoc autem est diligere super omnia, quod pro nullo damno vel commodo velit offendere Deum. Sic intelligendum est de *displicentia contritionis.* — Unde dico, quod peccatum debet tantum displicere rationi, quod nullo pacto, nullo commodo vel incommodo velit in ipsum consentire vel consensisse; quoniam voluntas, quae ex aliqua causa consentit in peccatum, iusta non est. — Unde sicut non oportet, habentem caritatem velle mori pro Christo — sed in casu, in quo vel oportet ipsum amittere caritatem, vel vitam; tunc tenetur magis velle mori pro Christo quam caritatem amittere [2] — sic in proposito est intelligendum, quod non teneor nunc pro satisfactione peccati omnem poenam sustinere ad reconciliationem, quia Deus non exigit. Et ideo, sicut ego possum salvari non sustinendo martyrium, sic possum reconciliari Deo sine multis doloribus et amissionibus rerum temporalium.

(De contritione in se. — Conclusio 3.)

Si vero de *comparatione et praeelectione* [3] quaeratur; respondent aliqui et faciunt in hoc *vim*, quia potest intelligi respectu *praeteriti* vel *futuri.* — Sed ego non video in hoc *vim*, quia iusta voluntas et vere poenitens ita destatur *praeteritum* peccatum, ut *futurum*, ne fiat; et ita est peccatum *velle peccasse*, sicut *velle peccare.* Ideo de peccati praecedentis dolore et detestatione dicendum, quod in casu, in quo oportet *praeeligere* vel *consentire in peccatum* sive complacentiam peccati, vel *tolerantiam poenae*, quilibet tenetur *praeeligere* sive magis eligere *poenam* quam velle peccare vel peccasse. — Praeter casum *necessitatis* dico, quod *praeeligere omnem poenam* est perfectae virtutis; *dubitare* vero est infirmitatis, quia timor naturalis valde facit dubitare, et ista dubitatio simul potest stare cum caritate; sed *praeeligere culpam* alicui poenae, hoc est iniquitatis, si est cum deliberatione et plena voluntate, quia omnis talis voluntas est iniqua, quae peccatum vult vel *absolute*, vel *conditionaliter.* — Unde periculum est et stultitia quaerere hoc ab aliquo infirmo, vel etiam a se ipso, quia hoc est hominem ponere in tentationem; unde nullus confessor debet hoc ab aliquo, qui sibi confitetur, quaerere. Sed si poenitens se offerat et dicat, se malle mortuum esse quam peccasse, vel simile aliquod; gaudendum est, quia hoc est signum bonae voluntatis.

(De contritione in comparatione opinio 1. — Non probatur. — Conclusio 4. — Conclusio 5. — Corollarium.)

Si ergo quaeratur, utrum dolorem contritionis necesse sit esse maximum; si dicatur de *dolore sensualitatis*, manifestum est, quod non; si de *displicentia rationis*, aut quantum ad *intensionem* motus *absolute*, et sic nec hoc modo oportet esse maximum; si in *comparatione ad alios dolores*, dico, sicut de amore, quod oportet, quod habeat praedominium. — Et sic procedunt rationes probantes, ipsum inter omnes alios dolores de rebus creatis obtinere principatum. — Quod si intelligatur de dolore *sensualitatis*, ad omnes *per interemptionem* [4] solvendum est, sicut tactum est, quia sequitur experientiam et delectationem et etiam complexionem, vel aliquid tale; ideo sensibiliter magis dolet quis de morte unigeniti.

(Conclusio generalis. — Ad fundamenta.)

Ad illud tamen quod obiicitur ultimo, quod semper superior movet inferiores [5]; dicendum, quod verum est in his, in quibus natae sunt simpliciter obedire, sicut in motu manuum, vel pedum; sed non est ita in affectionibus nisi per multam assuefactionem.

(Respicitur fundam. 6.)

1. Ad illud quod obiicitur, quod parvus, quia admixtus gaudio; dicendum, quod dolor contritionis, quando est in anima bene disposita, valde magnus est, et gaudium *mitigat* dolorem et *intendit.* Ideo enim dolet, quia vult dolere; et quanto magis appetit dolere, tanto magis dolet; et quanto videt, se magis dolere, tanto magis gaudet. Ideo patet, quod non remittitur, quia non habet oppositionem, immo unum est causa alterius [6]; tamen bene concedo, quod mitigatur et minus laedit; unde *intenditur* et *mitigatur: intenditur* respectu peccati, et *mitigatur* respectu poenitentis; *intenditur* respectu obiecti, *mitigatur* respectu subiecti; vel *intenditur* sub ratione displicentiae, *mitigatur* sub ratione poenae.

(Solutio oppositorum. — Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod potest recuperari; dicendum, quod hoc etiam mitigat dolorem, ut dolor contriti non sit cum desperatione, sed cum spe [7]. Tamen quia contritus de se non *sperat;* quantum est de se, ita se affligit dolore, ac si omnino perdidisset; respirat tamen in misericordia Dei. — Et quod obiicit, quod magis est dolendum de re irre-

---

[1] Vide III. Sent. d. 27. a. 2. q. 6. et d. 29. q. 2.

[2] Ut ostensum est III. Sent. d. 30. q. 2. — Superius pro *aliqua causa* codd. F G *aliqua parte.* Inferius pro *ad reconciliationem*, quod habet cod. O, cod. aa *in reconciliatione*, alii aut cum edd. *vel reconciliatione*, aut *vel reconciliationem.* Subinde secuti sumus cod. K (I a secunda manu), ponentes *sine multis doloribus et amissionibus*, pro quo codd. F G *sine multis doloribus, quos homo habet aliquando causa amissionis* (codd. M O *quos habent aliqui pro amissione)*, alii *sine multis amissionis* (codd. P X *amissionibus) doloribus* (cod. bb *doloribus amissionis)*, ed. 1 *sine multis doloribus de amissione*, Vat. *sine multis doloribus. Haec sint dicta de amissione.*

[3] Vat. supplet *culpae, vel poenae.* Eadem Vat. aliquanto inferius post *praeteritum peccatum* cum ed. 1 addit *quod fecit.*

[4] Sive negationem. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4.

[5] Vat. notavit, quod in hac quaest. exciderit arg., cum nullum in serie argg. explicite habeatur, cui haec solutio respondeat. Tamen fortasse non respicitur hic nisi locutio « animus ordinatus » in ultimo fundamento. Ex ipsa solutione enim coniicere licet, *arg. solvendum* sumtum esse ex hoc principio, quod *in animo ordinato* inferiores vires subiacent superiori, quod ibi supponitur. Attamen hoc principium, si applicatur ad rem propositam, restrictione indiget, quae in solutione ista exhibetur. Cfr. supra d. 15. p. II. dub. 11. — Inferius pro *obedire* plures codd. scribunt *obaudire.*

[6] Vide infra dub. 10. et supra d. 14. p. II. dub. 7.

[7] Cfr. supra d. 14. p. I. a. 2. q. 2. in corp. — Inferius pro *se affligit* codd. I K *affligitur.*

cuperabili; dicendum, quod verum est, ceteris paribus.

3. Ad illud quod obiicitur, quod minima gratia delet omnem culpam; dicendum, quod dolor, quantumcumque sit parvus, sufficit, si sit gratia informatus; sed tamen nunquam gratia informat, quin vindicet sibi in corde dominium quoad actum vel motum *voluntatis rationalis,* non sensualitatis [1].

4. Ad illud quod obiicitur, quod pauci, vel nulli mallent esse caeci quam peccasse; iam patet responsio secundum viam praetactam. Si enim in necessitate essent positi, scilicet vel quod a detestatione peccati desisterent, vel quod oculos amitterent — et loquor de detestatione interiori — necesse haberent *praeeligere;* nunc autem non habent.

SCHOLION.

I. Communis est distinctio inter dolorem sive displicentiam in parte sensitiva et in voluntate rationali, et etiam doctrina, quod contritio *essentialiter* non est nisi in voluntate, et quod haec displicentia debet esse *appretiative* summa, scilicet in comparatione ad displicentiam respectu aliorum malorum. Non autem requiritur, quod actus contritionis sit *intensive* summus, immo contra nonnullos cum Ss. Bonav. et Thoma communiter docetur, non requiri necessario certum aliquem gradum intensionis. — Notatu digna est explicatio in corp. quoad res ad praxim spectantes.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 2. a. 1. § 5. — Scot., de hac et seq. q. IV. Sent. d. 14. q. 2. n. 11, et cfr. III. Sent. d. 27. n. 16. 17. — S. Thom., IV. Sent. d. 17. q. 2. a. 3. quaestiunc. 1; Suppl. q. 3. a. 1. — B. Albert., hic a. 31. — Petr. a. Tar., de hac et seq. q. IV. Sent. d. 17. q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., infra d. 17. a. 1. q. 6. 5. — Durand., infra d. 17. q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. infra d. 17. q. 4.

II. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 4. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; Suppl. loc. cit. a. 2. — B. Albert. rem tangit hic a. 30. — Richard. a Med., infra d. 17. a. 1. q. 8. — Durand., loc. cit. n. 6. 7.

QUAESTIO II.

Utrum possibile sit, in dolore contritionis esse excessum.

Secundo quaeritur, utrum possibile sit, in dolore contritionis cadere excessum. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia omnis motus, cui ad hoc, quod sit bonus, oportet admisceri aliquid de contrario, potest esse nimius; sed dolori contritionis debet admisceri gaudium [2]: ergo potest nimis intendi.

2. Item, omnis virtus, quae habet obiectum creatum, potest habere nimium; quia, si creatum est, ergo habet sibi debitum limitatum amorem et odium; sed contritio sive poenitentia est huiusmodi [3]: ergo potest habere excessum.

3. Item, in contritione dolor est passio; sed omnis passio, in re corporali facta, potest magis et magis intendi et per suam intensionem potest inducere mortem [4]; et quae mortem inducit est superflua: ergo etc.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Contritio est motus gratia informatus [5]; sed gratia non potest nimis intendi, nec motus eius, quia omnis motus eius est laudabilis: ergo nec contritio.

2. Item, quantum diligenda est alicuius boni praesentia, tantum detestanda est amissio et absentia; sed Deum non potest aliquis nimium amare et appetere: ergo peccatum, quod est a Deo separativum, non potest nimis detestari.

3. Item, Anselmus [6] appetebat, viscera exsiccari ex intensione divini amoris: ergo non est malum ex intensione divini amoris talia appetere propter Deum: eadem ratione nec malum ex intensione doloris propter recuperandum Deum.

CONCLUSIO.

Contritio quoad displicentiam rationis non potest esse nimia, sed quoad passionem redundantem in sensualitatem posset habere excessum.

Respondeo: Sicut dictum est [7], in contritione est dolor, prout est *displicentia voluntatis rationalis,* et est *dolor-passio* redundans in sensualitatem. Quantum ergo ad *displicentiam rationis* concedo, quod non potest esse contritio nimia, quia peccatum nulli potest displicere nimis in quantum peccatum. — Distinctio. Conclusio 1.

---

[1] Cod. G omittit *non sensualitatis,* pro quo alii codd. cum ed. 1 *vel sensualitatis* (aliqui codd. *sensibilitatis,* in aliquibus legi potest *sentientis).*

[2] Ut insinuatur in libro de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.); cfr. infra dub. 10. et supra d. 14. p. II. dub. 7.

[3] Quia ipsa, ut supra d. 14. p. I. a. 1. q. 3. ostensum est, non est virtus theologica, sed cardinalis. Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6. — Pro *odium* cod. aa *gaudium.*

[4] Nam, sicut dicit Aristot. VI. Topic. c. 3. (c. 6.), omnis passio [πάθος, quod ab aliis latine redditur *affectus*], cum magis fit, detrahit a substantia.

[5] Vide supra a. 1. q. 2. ad 2.

[6] Oratione 52: Utinam sic viscera animae meae dulci fervore vestrae [Iesu et Mariae] dilectionis exardescant, ut viscera carnis meae exarescant. Utinam sic intima spiritus mei dulcedine vestri affectus impinguentur, ut medullae corporis mei exsiccentur.

[7] Quaest. praeced. et a. 1. q. 1.

Conclusio 2. Quantum autem ad *passionem* redundantem in sensualitatem, vix aut nunquam est nimia; tamen posset esse tantus dolor, quod humana infirmitas non posset sufferre sine magno detrimento; et tunc dico, quod temperandus esset. — Sed esto, quod non temperaret quis, quia non adverteret et raperetur a fervore; non credo, quod in tali casu peccaret, quia daret operam rei licitae[1]. Si autem advertit, debet temperare; tamen paucis hoc consilium est necessarium. Si autem non temperaret vel per affectionem gaudii, vel per consolationem spei; credo, quod transcenderet metas virtutis, et ita contritionis. Contritio enim, sicut caritas, nominat quid informatum gratia. Unde dolor contritionis, manens contritionis, non potest esse nimius, quia *displicentia* peccati nunquam tantum potest intendi, quod possit esse nimia, cum sit ex consideratione recta. — Rationes igitur, quae probant, quod dolor possit esse nimius secundum quod displicentia, solvendae sunt.

Quaestio incid. solvitur.

Quid contritio.

1. Quod obiicit, quod debet esse gaudium; dico, quod si esset dolor sine gaudio, ut in desperatis, bene esset excessus; sed talis non est[2] motus contritionis, quae est, praesupposita spe de venia; unde talis, quando videt se dolere, necessario gaudet; et ideo non est superfluus.

Ad argg. pro parte affirmativa.

2. 3. Ad aliud dicendum, quod poenitentia est in *subiectum* et in *peccatum;* et prout punit subiectum, bene posset excedere; sed prout detestatur peccatum, quia separat a summo Bono, secundum illam rationem respicit infinitatem et non habet excessum. — Tertium argumentum est concedendum: procedit enim de contritione, secundum quod nominat dolorem-passionem, non ipsum motum displicentiae peccati.

Distinctio.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod non potest esse nimius, quia gratia informatus; dicendum, quod informatur ipsa *displicentia,* et *per consequens passio sensualitatis;* tamen tantum posset illa *passio* intendi, quod gratia, quae movet ordinate, non informaretur[3]. — Alia ratio concedenda est, quia loquitur de detestatione.

Ad argg. pro parte negativa.

3. Ad illud quod obiicitur de Anselmo, dicendum, quod non intelligit, *viscera* secundum veritatem sibi velle siccari, sed vocat ibi *viscera* intimos carnis appetitus. — Vel dicendum, quod siccationem viscerum vocat vulnera caritatis, qua anima languet ex absentia ipsius Christi[4].

Aliter.

ARTICULUS III.

De contritione quoad durationem.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de duratione contritionis. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum contritio sit motus instantaneus, vel successivus.

Secundo quaeritur de diuturnitate contritionis, utrum homo debeat semper conteri.

QUAESTIO I.

Utrum contritio sit motus instantaneus, an successivus.

Circa primum ostenditur, quod *sit successivus,* hoc modo.

1. Omnis actus, circa quem est minus diuturnum et magis diuturnum, est successivus; sed talis est contritio[5]: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, « nostrum intelligere est cum continuo et tempore », ut dicit Philosophus[6], quia est animae ut corpori unitae; sed contritio similiter est animae ut corpori unitae: ergo etc.

3. Item, omnis aspectus collativus est successivus; sed in contritione est aspectus collativus, quia dolet de peccato in comparatione ad Deum, quem offendit: ergo etc.

4. Item, quod successive *inducatur* contritio, videtur: quia omnis forma habens partem et partem inducitur successive; sed contritio habet partem et partem, quia potest intendi et remitti[7]: ergo inducitur successive.

5. Item, omnis forma, quae habet contrariam dispositionem in materia, inducitur successive[8]; sed contritio habet induci in liberum arbitrium subiectum peccato, per quod privatur gratia et fit ad ma-

---

[1] Cfr. supra d. 15. p. II. a. 2. q. 2. ad 7.
[2] Cod. E *esset.*
[3] Codd. A K *informaret.*
[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.
[5] Quaedam enim est brevior, quaedam diuturnior.
[6] De Memoria et reminisc. c. 1: Non contingit intelligere aliquid sine continuo neque sine tempore etc.
[7] Ut ostenditur infra a. 4. q. 1.
[8] Cfr. supra pag. 248, nota 4. et 6.

lum prona, quae pronitas ex opposito respondet contritioni, sicut culpa ex opposito gratiae: ergo inducitur successive.

Fundamenta.

Contra: 1. Contritio necessaria est iustificationi impii; et illa est in instanti[1]: ergo et contritio.

2. Item, Augustinus decimo quarto de Trinitate[2] dicit, quod si oculus esset actu videns, et obiectum ex opposito crearetur, simul esset et videretur: ergo si actus visus potest esse in instanti, multo fortius actus intellectus et affectus: ergo et contritio.

3. Item, « delectatio est in instanti », sicut vult Philosophus[3], quia est habens se per modum *quietis* et non ipsius *coniunctionis* convenientis cum convenienti: ergo et dolor, qui opponitur ei; sed contritio est dolor: ergo etc.

4. Item, ad illuminationem distantia localis exigitur, et tamen illuminatio in oculo et *esse* luminis est in instanti[4]: ergo multo fortius in primo actu gratiae est mutatio subita.

CONCLUSIO.

Contritio est successiva quoad durationem et praeparationem in fieri, *sed quoad* esse *et inductionem formae est instantanea.*

Tripliciter intelligitur.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de contritione quantum ad *durationem*, et quantum ad *esse*, et quantum ad *fieri*. Si quantum ad *durationem*, cum duret longo tempore; sic dico, quod est successiva, sicut est *vivere* hominis. — Si quantum ad *esse*, quia est actus fixus in detestatione peccati et actus ut quies; sic dico, quod *esse* eius est in instanti. — Si quantum ad *fieri*, est distinguendum, quia in fieri est *praeparatio* et *formae inductio*. Dico ergo, quod *praeparatio* ad actum contritionis est successiva, quia multa oportet prius considerare; sed ipse *dissensus* animae postea in instanti fit. — Rationes autem[5] probantes, quod sit *instantanea*, quia probant quoad inductionem in *esse* et ipsum *esse*, verae sunt.

(Conclusio 1. — Conclusio 2. — Distinctio. — Conclusio 3.)

Solutio oppositorum.

1. 2. Primae duae rationes, quae probant successionem, intelliguntur de inductione et praeparatione naturae[6]; diuturnitas enim est ratione successionis; similiter nostrum *intelligere* est ratione acquisitionis speciei per sensum et phantasiam[7].

Duplex collatio.

3. Sed quod obiicitur, quod habet *esse* successivum per collationem[8]; dicendum, quod *collatio* potest esse dupliciter: uno modo *discursus ab uno in aliud*, et haec *successiva* est; et alio modo *duorum comparatio secundum aliquem respectum;* et tunc accipiuntur plura in una ratione, et talis potest esse *in instanti* et *simul de pluribus;* alioquin nunquam de consonantia musica posset iudicari, cum una vis iudicet de duobus sonis ad invicem comparatis[9].

Duplex modus originis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod habet partem et partem; dicendum, quod forma, quae habet partem et partem, aut *educitur de materia*, aut *ab agente exit.* Si *educitur de materia;* sic, quia ibi habet partem suae essentiae, cum est ibi contrarium, pro eo quod contraria habent unam naturam communem[10], educitur *successive*, ut albedo. Forma vero, quae *totaliter est ab extrinseco*, tota et simul datur, qualis est forma luminis, quae, quamvis habeat partem et partem, non tamen in *materia*, quia eius oppositum est privatio. Talis est contritio, quasi motus procedens a gratia et libero arbitrio, non de materia eductus.

Notandum.

Contraria dispositio triplex.

5. Ad illud quod obiicitur, quod contrarium habet in materia; dicendum, quod est habere contrariam dispositionem in materia, nullo tamen modo *resistentem;* et haec non facit successionem in inductione formae nec in praeparatione, ut cum Deus de aqua vinum fecit[11]. Et est habere ut *resistentem* informationi; et tunc est successio in inductione, ut

---

[1] Vide infra d. 17. p. I. a. 1. q. 1. ad 4, a. 2. q. 1. seqq. et dub. 4.

[2] Cap. 10. n. 13: Quaedam vero [cognoscibilia] simul esse incipiunt [cum cognitione], veluti si aliquid visibile, quod omnino non erat, ante nostros oculos oriatur, cognitionem nostram utique non praecedit; aut si aliquid sonet, ubi adest auditor, simul profecto incipiunt esse simulque desinunt et sonus et eius auditus. — Pro *videretur* codd. et ed. 1 *videret.*

[3] Libr. X. Ethic. c. 3. et 4, ubi ostendit, delectationem nec motum nec generationem esse, cum non fiat in tempore, sed esse similem visioni, quae in momento, in primo instanti temporis completur et quocumque tempore perfecta est, quia ipsa consistit in simplici actione, consequente coniunctionem obiecti cum sensu.

[4] Haymo exponens illud I. Cor. 15, 52: *In ictu oculi* ait: Ictus oculi est quod palpebra icit i. e. percutit oculum, vel quod melius vult August. [cfr. Epist. 102. alias 49. q. 1. n. 5; IV. de Genes. ad lit. c. 34. n. 54. seq., et Serm. 277. alias 102. de Diversis, c. 10. n. 10. seq.], ne tanta mora fiat in iudicio, ictus oculi intelligitur, quo solis splendore subito, ut vix cogitari possit, feritur oculus.

[5] Cod. bb *igitur.*

[6] Cod. K (I a secunda manu) *materiae;* bene, si post *inductione* adderetur *formae.* Post *intelligere* ex codd. E U substituimus *est* pro *cum*, codd. K Y aa *est cum;* et pro *est ratione* codd. N aa *cum tempore.* (Probabilius legendum *est cum tempore ratione).*

[7] Ut Aristot. loc. cit. insinuat. Cfr. tom. III. pag. 382, nota 2.

[8] Ita codd. B E (T U X a secunda manu), codd. F G *habet successionem et collationem*, alii codd. et edd. *habet successivum et collativum* (codd. H L bb *et collationem).*

[9] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 144. seqq. (III. c. 2.), ubi idem docet de sensu *communi* respectu sensationum sensuum externorum. Vide etiam II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. ad 4, ubi dicitur, quod multa simul possumus intelligere et velle, in quantum unum sunt. — Superius pro *discursus* ed. 1 cum plurimis codd. *dissensus* (descensus ?).

[10] Vide Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 1; II. de Caelo, text. 18. (c. 3.), et X. Metaph. text. 14. (IX. c. 4.), ubi docet contrariorum eandem esse materiam. — Circa finem solut. pro *quasi*, quod habent codd. A E H P Q T X, cod. K *est enim*, cod. aa *quia*, alii codd. et edd. *cum* (cod. F addit *sit).*

[11] Ioan. 2, 7. seqq. — Immediate post Vat. omittit integram propos. *Et est habere... frigidum.* Subinde post *pronitas* edd. supplent *ad peccatum,* et plurimi codd. perperam omittunt *non* ante *in prima inductione.*

cum ex calido fit frigidum. Et est habere ut *resistentem non informationi*, sed *usui;* et sic pronitas resistit *usui* gratiae et contritioni, non *informationi*, quia simul est; et haec ponit successionem in duratione et in *usu* contritionis, non in *prima inductione.* Pronitas enim, quia poena est, simul stat cum contritione; culpa vero, quia privatio est, non resistit, sicut nec tenebra inductioni lucis.

SCHOLION.

I. Primam quaestionem (de qua cfr. infra a. 4. q. 2. et supra a. 1. q. 1. scholion) eodem sensu solvunt Guliel. Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 6. c. 2. q. 5.) et Petr. a Tar. (d. 17. q. 1. a. 5. quaestiunc. 1.). Sed Alex. Hal. (S. p. IV. q. 17. m. 2. a. 2. § 1.) quoad *esse* ipsius *actus* detestationis dissentire videtur. Nam respondet cum hac distinctione: « Quantum ad *esse introductum* potest considerari dupliciter: uno modo, in quantum contritio dicitur substantia ipsius motus *informati gratia,* quo primo fit remissio peccati; et hoc modo est *in instanti.* Alio modo, in quantum dicitur actus vel motus, qui est displicentia mali commissi in offensam et contemptum Dei, sic est successiva ». Etiam Scot. (IV. Sent. d. 14. q. 2. n. 14-16.) videtur idem docere, scilicet quod licet actus poenitentiae *in fieri* requirat durationem, non vero in *facto esse.* Loquitur autem ibi de modo, quo attritio fit contritio, et distinguit actum illum in genere *naturae* et *moris* et ut est *formatus,* insuper ponit tria signa *naturae.* Sed de hoc loco valde vexato cfr. ibi commentator Scoti. — Alii commentatores Lombardi non tractant praecise hanc quaestionem, sed infra de iustificatione (d. 17. p. I. a. 2.) similia inquirunt.

II. Seq. (2.) quaestio simili modo solvitur a doctoribus. Cfr. Alex. Hal., loc. cit. § 2. — S. Thom., d. 17. q. 2. a. 4. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 4. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 33. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. quaestiunc. 1. — Dionys. Carth., d. 17. q. 4

QUAESTIO II.

Utrum homo debeat semper conteri.

Secundo quaeritur de diuturnitate contritionis, utrum debeat homo semper conteri. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus in tractatu de Poenitentia[1]: « Semper doleat et de dolore gaudeat »; et post: « Ubi dolor finitur, ibi deficit poenitentia; si poenitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a poenitentia »: semper igitur debet homo poenitere.

2. Item, Gregorius super Iob decimo quarto[2]: *Anima eius super semetipso lugebit:* « Dignum est, ut in se ipso homo semper moerores inveniat, qui in se gaudia, relicto Creatore, quaerebat ».

3. Item, Ecclesiastici quinto[3]: *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu;* similiter nec sine spe debet esse: ergo semper debet esse inter istas duas molas; sed hoc est conteri: ergo semper debet homo conteri.

4. Item, sicut se habet vera innocentia et perseverans ad peccatum de futuro, ita poenitentia contra peccatum de praeterito; sed perseverans innocentia[4] semper refugit peccatum, ne fiat: ergo et poenitentia peccatum factum.

5. Item, sicut culpa est *velle peccare,* ita culpa est *velle peccasse;* sed homo semper tenetur *nolle peccare:* ergo et *nolle peccasse.* Sed ex hoc, quod non vult peccasse, et peccavit, generatur dolor: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus in libro de Poenitentia[5]: « Doleat et de dolore gaudeat »: non ergo semper est dolendum, immo aliquando gaudendum.

2. Item, *ratione* videtur: quia dolor est ex sensu disconvenientis; sed contingit, peccatum amotum esse ab anima secundum se et secundum suum effectum: ergo non est ibi aliquid, quod generet dolorem[6]: ergo non semper est dolendum.

3. Item, contritio est aeque bene una pars poenitentiae, ut confessio et satisfactio; sed non oportet semper confiteri: ergo nec semper conteri.

4. Item, contritio est medicina; sed contingit, hominem perfecte esse sanatum, ut puta si baptizatur, vel etiam si perfecerit poenitentiam condignam, « quae omnes defectus reducit ad perfectum[7] »: ergo si post recuperationem sanitatis cessat usus medicinae, debet igitur cessare contritio.

5. Item, contritio est poena, qua peccator se punit: ergo esto, quod sufficienter sit punitus pro peccato; tunc, si amplius punit se per contritionem, punit se supra condignum; sed hoc est impietatis et crudelitatis: ergo etc.

---

[1] Cap. 13. n. 28. Ibid. etiam est seq. textus. Cfr. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 2.

[2] Vers. 22. Codd.: Anima eius *in se ipso* (cod. G *in semetipso*) etc. — Verba Gregorii habentur in XII. Moral. c. 22. n. 27.

[3] Vers. 5: De propitiato peccato noli etc. — In nostra lectione, quae exhibetur etiam ab Augustino (in Speculo de Ecclesiastico) et est secundum textum Graecum [Περὶ ἐξιλασμοῦ, omissa voce *peccatorum*], plures codd. *peccati.* — De duabus *molis* vide supra a. 1. q. 1. in fine.

[4] Vat. praefigit *in.*

[5] Cap. 13. n. 28.

[6] Ambros., II. de Poenitentia, c. 7. n. 58: Non habet enim quod erubescat cui peccatum remissum est. — Superius pro *ex sensu,* quod habent codd. H S, non pauci codd. *ex consensu,* codd. E bb *ex coniunctione,* edd. cum aliquot codd. *ex praesentia,* quod etiam infra in solut. huius obiect. ponitur.

[7] Secundum auctorem libri Hypognost. (inter opera August.); cfr. supra pag. 320, nota 1.

CONCLUSIO.

Peccator semper tenetur conteri habitu, non autem actu ad semper, sed pro loco et tempore.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Hugo [1], cum Deus absolvit hominem a culpa, ligat eum vinculo perpetuae detestationis; tenetur enim semper malum, quod fecit, detestari. Sed quia tentio talis est praecepti *affirmativi,* quod *semper* obligat, sed (Conclusio.) non *ad semper;* ideo dico, quod semper tenetur conteri, sed non ad semper, sed pro loco et tempore, videlicet cum recogitat mala sua, in quibus offendit Deum. — Concedendae sunt igitur rationes hoc probantes.

1. Ad illud quod obiicitur, quod non semper, (Solutio oppositorum.) quia aliquando est gaudendum; dicendum, quod non tantum *gaudere,* immo *alia cogitare* debet; nec Augustinus vult, quod teneatur *semper,* id est in omni instanti, sed quod semper teneatur pro loco (Notandum.) et tempore, ita quod voluntas conterendi semper sit in *habitu,* sed in *actu* pro loco et tempore.

2. Ad illud quod obiicitur, quod dolor est ex (Duplex dolor.) praesentia disconvenientis; dicendum, quod quidam est dolor *illatus,* ut puta in sectione carnis; quidam est dolor *voluntarie assumtus,* ut quando dolet (Notandum.) de morte amici; et iste dolor non causatur ab amici morte, sed causatur a voluntate mortem amici refugiente; et quia refugit quod necesse est esse, ideo necesse habet dolere. Sicut si ego nollem vehementer, te infirmari, et si tu infirmareris, dolerem; sic, quia ego nollem, me peccasse, et video, me peccasse, doleo. Unde de dolore causato a *voluntate* non oportet, quod illud, pro quo quis dolet, sit praesens *affectu* nec *effectu* nec *reputatione,* sed solum *aspectu certo* [2].

3. Ad illud quod obiicitur per simile de confessione, dicendum, quod dolor contritionis potest dici, prout est quaedam *pars poenitentiae* divisa (Distinctio.) contra confessionem et satisfactionem, et est purgativa culpae; alio modo, prout *motus interior voluntatis,* cui se subiicit anima poenitens, et dolor iste est poena satisfactoria, impetrativa augmenti gratiae et gloriae. Primus dolor est *sacramentalis proprie et per se,* quia est effectivus remissionis culpae, ad quem solum semel tenetur poenitens; alius non est *sacramentalis proprie et per se,* sed est elicitus a virtute, et ad illum tenetur *semper,* sed non *ad semper* [3].

4. Ad illud quod obiicitur de medicina, dicendum, quod quaedam medicina est *sanativa tantum,* et haec est, quando est morbus; quaedam *praeservativa* et *meliorativa,* et talis est contritio; et hanc semper habere bonum est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est poena; dicendum, quod nunquam peccator se tantum potest punire, quin maiori poena sit dignus secundum rigorem iustitiae. Et quia homo sibi rigidus debet esse et aliis pius; nunquam tantum se affligit per contritionem, quod sit superfluum, dum tamen hoc possit sustinere [4], quia totum est ei ad gloriae cumulum. — Tamen nota, quod contritio ratione *dis-* (Corollarium.) *plicentiae peccati* semper est necessaria, saltem in *habitu,* ratione vero *gemitus* et *planctus* vel *doloris sensibilis* non est necessaria, maxime viris perfectis, qui audierunt voce interna quod audivit Magdalena: *Dimittuntur tibi peccata tua,* sicut dicit Bernardus in Cantica circa principium [5]; sed ulterius possunt et debent meditationem suam ad dulcedinem patriae supernae convertere. *Ante* hunc statum sanum consilium est peccata sua ante oculos revocare ad gemitum et dolorem. *Praeterea,* displicentia non dicit semper *poenam,* immo frequenter magnam habet *laetitiam* coniunctam, dum considerat in se liberationem plenam [6].

ARTICULUS IV.

De contritione quoad intensionem.

Consequenter quantum ad quartum articulum quaeritur de contritionis intensione; et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum contritio possit intendi.

Secundo, utrum oporteat intensius conteri de de uno peccato quam de alio.

---

[1] Haec sententia colligi potest ex II. de Sacram. p. XIV. c. 8. seq., ubi ostendit, sola misericordia et gratia Dei peccatorem absolvi a vinculo obdurationis mentis et a debito futurae damnationis, atque ad satisfactionem pertinere, ut peccata corrigantur et correcta non iterentur. Ibid. c. 2. ait: Studium impende, ut culpa sit cum fine, devotio sine fine. Cfr. Richard. a S. Vict., de Potestate ligandi et solvendi, c. 3. 5. 13.

[2] Cfr. supra a. 1. q. 1. ad 5.

[3] In codd. et ed. 1 desideratur haec solutio. Codd. siquidem miro modo habent: *Ad illud quod obiicitur de confessione, dicendum, quod quaedam, medicina* (vide solut. ad 4.). Retinuimus cum Vat. solutionem, quae est secundum Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 2. a. 2. § 2, ubi tamen pro *et est purgativa culpae* substituitur: « et hoc modo sumta est purgativa culpae mediante gratia, quae proprie est purgativa; et sic sumta contritione, sufficit semel conteri de peccatis cum voluntate confitendi et satisfaciendi de illis, tempore et loco se offerentibus ». Et subinde post *anima poenitens* additur: « sicut quandoque passionibus corporalibus », ac post *et gloriae* subiungitur: « et ad hunc dolorem tenetur semper, dum vivit, licet non ad semper, sed pro loco et tempore congruentibus »; demum pro *a virtute* ponitur: « ex aliquo habitu virtutis ».

[4] Cfr. supra a. 2. q. 2. in corp.

[5] Serm. 3. n. 2. seqq. Cfr. etiam serm. 10. et 11. — Locus Scripturae est Luc. 7, 48.

[6] Vide infra dub. 10. Cfr. Radbert. Paschas. et Hugo a S. Vict. in Thren. 2, 18: Deduc quasi torrentem lacrymas etc. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum contritio possit intendi.

Circa primum, quod possit intendi, videtur:

Fundamenta. 1. Quia contritio est actus alicuius virtutis; sed quaelibet virtus potest intendi, ut in primo[1] probatum est de caritate; sed augmentata eius virtute, augetur eius motus: ergo etc.

2. Item, in contritione non sunt nisi duo, scilicet dolor et gratia, et unum est sicut *formale*, reliquum sicut *materiale*[2]; sed est possibile, dolorem in nobis intendi, possibile est etiam, gratiam augeri: ergo etc.

3. Item, si non potest intendi, ergo in omnibus est aequalis; sed contritione existente aequali, aequalis est iustificatio et gratificatio[3]: ergo omnes secundum hoc essent aequaliter iusti.

4. Item, in omni actu animae, in quo contingit proficere per assuefactionem et continuationem, contingit ipsum intendi; hoc patet; sed profectus est in multiplicatione contritionis et frequentatione: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Nihil intenditur, cuius « impositio est in termino[4] »; sed impositio contritionis est in termino, quia contritio est divisio in minima; sed minimo non est minus: ergo etc.

2. Item, nihil intenditur, quo non potest cogitari vel esse maius[5]; sed illo quod habet effectum infinitum, nihil potest esse maius, cum sit infinitum: ergo nihil tale potest intendi. Sed contritio est huiusmodi, cum deleat omnem culpam, quod est virtutis infinitae: ergo etc.

3. Item, omne quod intenditur, aut intenditur per *accessum* ad veram nominis impositionem, vel per *depurationem* a contrario[6]; sed contritio non intenditur per *depurationem* a contrario, cum statim, cum est, expellat totaliter omnem culpam, quia habet gratiam coniunctam; nec per *accessum* ad impositionem nominis veram, quia eius « impositio est in termino »: ergo etc.

4. Item, si intenditur, aut ergo a *gratia*, aut a *libero arbitrio*. A *libero arbitrio* non, quoniam contritio est motus gratuitus, et talis mensuratur secundum quantitatem gratiae; sed augmentum gratiae et caritatis non potest esse a libero arbitrio, sed a Deo. Si a *gratia; contra:* gratia uniformiter movet liberum arbitrium, quantum est de se: ergo non videtur intendere in eo contritionem. *Praeterea,* secundum illud attenditur intensio vel augmentum, penes quod consistit ratio quantitatis; sed quantitas est ex parte *materiae*[7], *formalis* vero contritionis ratio potius convenit gratiae quam *materialis:* ergo secundum illam non intenditur nec augetur.

CONCLUSIO.

Contritio potest intendi atque augeri tum secundum fervorem motus, tum secundum augmentum virtutis poenitentiae per gratiam factum.

Respondeo: Dicendum, quod contritio est *motus* virtutis habens *quantitatem virtutis,* sicut est virtus, a qua est[8]. Unde et augmentum et intensionem habet secundum illud, a quo recipit quantitatem; haec autem est *virtus poenitentiae.* Unde sicut certum est, caritatem augeri, ita et poenitentiam; ac per hoc certum est, contritionem et *intendi* et *augeri.* Conclusio 1.

Unde notandum, quod quemadmodum caritas dicitur *intendi* quantum ad *fervorem,* et *augeri* quantum ad *essentialem virtutem;* et primum est a cooperatione liberi arbitrii, secundum vero est a dono caelesti[9]: ita et in proposito oportet intelligi, quod *motus* contritionis *ferventior* esse potest secundum cooperationem liberi arbitrii. Unde ex aequali gratia aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minus, secundum cooperationem liberi arbitrii. Sed *proprie* loquendo, non dicitur *maior*[10], nisi *virtute* poenitentiae *augmentata;* et hoc est per *gratiam.* — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, quod contritio possit intendi. Conclusio 2. Notandum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod est divisio in minima; dicendum, quod contritio et habet respectum ad *obiectum,* supra quod dirigitur, et ad *vir-*

---

[1] Dist. 17. p. II. q. 1. seq. Cfr. II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2, ubi de augmento *gratiae.*

[2] Nam contritio est dolor gratia informatus. Vide supra a. 1. q. 1. in fine; q. 2. ad 2; a. 2. q. 1. ad 3. et q. 2. pro parte negat. 1. — Inferius post *gratiam* cod. R addit *in nobis.*

[3] Edd. *glorificatio.*

[4] Gilbert. Porretan., de Sex Principiis, c. ult.: Albissimus vel nigerrimus et huiusmodi sine *amplius* sunt et *minus,* eo quod huiusmodi impositio [nominis] in termino est, ultra quem porrigi impossibile est. Cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 1. scholion; tom. II. pag. 111, nota 9. et pag. 787, nota 8. — *Minor* insinuata est supra a. 1. q. 1. in fine.

[5] Respicitur illud Anselmi, Proslog. c. 3: Deus est id quo maius cogitari non potest.

[6] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.): Quae contrariis sunt impermixtiora, magis talia, ut albius quidem nigro impermixtius.

[7] Cfr. supra pag. 276, nota 1.

[8] Vide infra pag. 399, nota 4. — Pro *quod contritio* codd. F G (I a secunda manu) K V *quod contritionis motus,* cod. L *quod contritio motus est et.*

[9] Cfr. supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3.

[10] Cod. X supplet *contritio.*

tutem, a qua oritur, sive dicatur *habitus*, sive *liberum arbitrium*. Secundum comparationem ad *obiectum*, quia omne mortale expellit et quasi in pulverem redigit, non habet intendi. Habet etiam comparationem ad *vim*, a qua exit; et secundum illam viam habet intendi; et in prima via ratio [1] procedit, et ideo non concludit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod est virtutis infinitae; dicendum, quod contritio non delet nisi virtute gratiae; gratia autem est donum, per quod inhabitat in nobis ille, cuius virtus est infinita; et illa est, quae potest in infinitum effectum, et *illi virtuti* attribuitur expulsio [2] *primo* et *per se* et *contritioni per illam*. Et ideo non sequitur, quod contritio sit infinita; sed quod coniuncta est cum virtute, cuius operatio est infinita.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non accedit magis nec [3] recedit; dicendum, quod utrumque falsum est, immo ratione *gratiae* magis *accedit*, ratione vero *doloris*, dico, quod magis *recedit*. Dolor enim non tantum habet oppositionem ad culpam, sed etiam ad sequelas et pronitates peccati, quae quodam modo doloris intensione in nobis remittuntur paulative et expelluntur, prout dolor est purior et intensior. *Accessus* autem ad veram impositionem non attenditur in hoc, quod non habeat verum nomen [4], sed quia non participat illud *in termino* secundum rationem gratuiti.

Notandum.

4. Ad illud quod quaeritur, utrum intendatur secundum intensionem doloris, aut gratiae, sive a libero arbitrio, an a gratia; iam patet responsio. Si enim loquamur de *fervore;* dico, quod est a libero arbitrio; si autem loquamur quantum ad *veram augmentationem*, sic dico, quod immediate venit a cremento *poenitentiae*, qua augmentata, augetur dolor rationalis partis, qui est detestationis vel displicentiae. — *Et si quaeras*, unde veniat; dico, quod a Deo *effective*, a libero arbitrio *dispositive*, a gratia *completive*. — Et *si tu obiicias*, quod gratia *uniformis* est, et praeterea est *forma;* dicendum, quod quamvis ipsa uniformiter gratificet, dum tamen magis a Deo influitur et abundantius datur, magis gratificat. — Et *rursus*, quamvis a gratia, cum sit *forma*, non habeat principaliter ortum *quantitas molis*, quae est a materia principaliter, habet tamen ortum *quantitas virtutis*, quae est a forma; et hoc genere quantitatis est contritio quanta. Et ex hoc patet, quomodo, vel unde habeat quantitatem, et unde habeat intensionem, et qualiter.

Notandum. Notandum. Notandum.

SCHOLION.

I. Conclusiones 1. quaestionis passim supponuntur ab aliis Scholasticis, quin plerique specialiter rem tractent. — In probatione conclusionis 2. minime negatur illud axioma Augustini, quod voluntas hominis in actibus supernaturalibus sit pedissequa gratiae, sed potius hoc asseritur, praesertim in solut. ad 4. Cfr. Concil. Trident., Sess. VI. c. 5. can. 4; S. Thom., infra d. 17. q. 1. a. 2. quaestiunc. 2.

De ipsa quaestione specialiter tractant: Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 2. a. 1. § 1. — B. Albert., hic a. 29. — Petr. a Tar., infra d. 17. q. 1. a. 5. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., infra d. 17. a. 1. q. 9. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. infra d. 17. q. 4.

II. In solutione seq. (2.) quaestionis S. Thom. aliique doctores consentiunt.

Alex. Hal., loc. cit. § 2. — Scot., supra d. 15. q. 1. n. 9. — S. Thom., infra d. 17. q. 2. a. 3. quaestiunc. 3; Suppl. q. 3. a. 3. — B. Albert., hic a. 30. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., infra d. 17. a. 1. q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum oporteat intensius conteri de uno peccato quam de alio.

Secundo quaeritur, utrum per contritionem plus vel intensius oporteat conteri de uno peccato quam de alio. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia contritio delens culpam est in instanti, sicut patet de iustificatione impii [5]; sed motus idem in instanti non potest esse magis et minus intensus: ergo etc.

2. Item, quidquid agit in multa simul, ita quod non in singula, non agit in quoddam plus, in quoddam minus; sed contritio simul agit in multa peccata, ita quod non considerat singula, quia tunc oporteret, respectu illorum dividi actionem: ergo contritio non magis detestatur unum peccatum quam alterum.

3. Item, contritio ea ratione detestatur peccatum, qua separativum est a Deo; sed quodlibet se-

---

[1] Pro *ratio*, quod in plurimis codd. desideratur, cod. K (I a secunda manu) *argumentum*. Cod. aa *comparationem* pro *viam*.

[2] A cod. bb suppletur *peccati*.

[3] Ita cod. H, cod. E *neque*, alii codd. et ed. 1 *quia non*, Vat. *et quod non*.

[4] Scilicet quod contritio, quae intenditur, nondum fuerit contritio vera.

[5] Cfr. supra pag. 391, nota 1.

parat a Deo, et ita amittitur Deus per unum peccatum mortale, sicut per aliud, et ita per parvum, sicut per magnum: ergo etc.

4. Item, contritio respicit peccatum quantum ad duo, scilicet quantum ad *offensam* et quantum ad *damnum;* sed quantum ad *offensam* omne peccatum habet rationem infiniti, cum sit contra Deum infinitum; quantum ad *damnum,* omne peccatum aufert omnes virtutes, sicut dicitur Iacobi secundo [1], et habetur in littera: *Qui peccat in uno factus est omnium reus:* cum ergo damnum et offensa habeant rationem aequalitatis, videtur, quod contritio debeat de omnibus esse aequalis.

5. Item, quantumcumque contritio detestetur modicum peccatum, laudabile [2] est; et quantumcumque sit parva contritio etiam de maximo peccato, bona est et laudabilis: ergo videtur, quod non sit necessarius gradus intensionis secundum gradum vitiorum et peccatorum.

Contra: 1. Maior est dolor de mortali et debet esse quam de veniali: ergo pari ratione de uno peccato mortali graviori quam de alio minus gravi [3]. *Fundamenta.*

2. Item, secundum Gregorium [4], «magis se debet punire per satisfactionem qui gravius peccavit»: ergo pari ratione idem ipse, cum gravius peccat, gravius se debet punire per contritionem: si ergo de graviori peccato in diversis oportet esse contritionem maiorem, pari ratione in eodem.

3. Item, is est ordo in dolore, qui est et debet esse in amore, quoniam ab ipso habet ortum; sed magis bonum secundum ordinatam dilectionem magis est amandum [5]: ergo pari ratione maius malum magis est detestandum.

4. Item, contritio est dolor rationalis [6]; sed dolor consequitur existimationem rationis, existimatio autem rationis non aequaliter pensat omnia peccata, sed quaedam maiora: ergo pari ratione et dolor.

5. Item, esto per impossibile, quod aliquis perplexus esset, ut caderet in alterum duorum malorum; constat, quod si ordinatam haberet dilectionem, magis refugeret maius malum [7]: ergo si magis refugit ante lapsum, pari ratione et post lapsum, et sic etc.

CONCLUSIO.

Contritio, ut est deletiva culpae, ordinem habet ad magis detestandum maius malum secundum habitum, non secundum actum, sed ut est deletiva poenae, etiam secundum actum.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de contritione: aut prout est deletiva *culpae,* aut prout est deletiva *poenae.* Si prout est deletiva *culpae;* sic operatur in iustificatione impii [8] in instanti, et sic *actu* non potest habere ordinem respectu specialium peccatorum, quia simul et in instanti est contra omne peccatum commissum; habet tamen secundum *habitum,* quia dolor ille habitualiter disponit ad detestandum aliquod plus, aliquod minus; et quia habilitat ad detestandum malum, quia malum, ideo ad magis detestandum maius malum. — Si autem loquamur de [9] deletiva *poenae;* sic dicendum, quod habet maiorem intensionem et minorem etiam secundum *actum,* sicut ostendunt rationes inductae ad secundam partem. *Distinctio.* *Conclusio 1. bimembris.* *Conclusio 2.*

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, patet responsio, scilicet ad primum et secundum. Procedunt enim de contritione secundum primam viam, scilicet ut est in iustificatione impii. *Solutio oppositorum.*

3. 4. Ad illud quod obiicitur de separatione et damno et offensa, dicendum, quod *separatio* attenditur in elongatione secundum dissimilitudinem, et *offensa* secundum contemptum, et *damnum* secundum amissionem gratuitorum et vulnerationem naturalium sive dehabilitationem [10]; et in his poenae gradus est; unde illud non valet. Quamvis enim Deus ab omnibus offendatur, tamen aliqui contemnunt eum plus, aliqui minus; et similiter in aliquo peccato plus natura laeditur et a virtute plus elongatur. *Notandum.*

5. Ad illud quod obiicitur, quod de parvo non minus potest dolere [11]; dicendum, quod sicut in caritate non est dare, quin amor, quantumcumque sit parvus et quantumcumque magnus, semper sit bonus, tamen in sua magnitudine et parvitate necessario habet ordinem; sic in proposito est intelligendum. Et sic facile est ad cetera respondere [12].

---

[1] Vers. 10: Offendat autem in uno etc. Vide hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *omne peccatum* edd. *unum peccatum.*

[2] Edd. *laudabilis.*

[3] Deut. 25, 2: Pro mensura peccati erit et plagarum modus. Cfr. Apoc. 18, 7, et Ambros., de Lapsu virginis consecr. c. 8. n. 37.

[4] Vide supra pag. 364, nota 6, et pag. 380, nota 4.

[5] Cfr. III. Sent. d. 29. q. 1. — Superius pro *sed magis* cod. K *sed maius.*

[6] Vide supra a. 1. q. 1. in corp. — Inferius post *quaedam maiora* codd. E Y bb addunt *quaedam minora* (cfr. tom. III. pag. 802, nota 8.).

[7] Cfr. C. *Duo mala* (1.), d. 13, C. *Iuravit David* (4.), § 1. et C. *Non solum in iurando* (7.), C. 22. q. 4.

[8] Codd. omittunt *impii.* Inferius pro *habitualiter* plures codd. *habitudinaliter.*

[9] Cod. H *ut,* codd. K (I a secunda manu) *in quantum,* Vat. *prout est.*

[10] Cfr. II. Sent. d. 35. a. 1. et 2. De *dissimilitudine* vide August., Enarrat. in Ps. 34. serm. 2. n. 6.

[11] Cod. aa *de parvo multum potest dolere, et magno minus potest dolere.*

[12] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod Magister dicit in littera: *In perfectione autem poenitentiae tria observanda sunt.* Quaeritur enim, utrum ista tria sint partes poenitentiae *subiectivae*, vel *integrales* [1]. Et quod non sint *integrales*, videtur: quia *totum* non praedicatur de parte *integrali;* sed *conteri* est poenitere, similiter *confiteri* est poenitere et *satisfacere:* ergo non sunt partes integrales. *Si tu dicas*, quod istud fallit in *toto homogeneo*, quia quaelibet pars panis est panis; *obiicitur*, quia *totum homogeneum* habet partes unius naturae; poenitentia autem non habet partes unius naturae et conformis. Nam poenitentia continet contritionem et confessionem et satisfactionem, quae sunt diversa secundum formam. — Item, partes *integrales* constituentes aliquod totum, sive homogeneum, sive heterogeneum, debent esse simul; sed hae partes poenitentiae non sunt simul: ergo etc.

Quod autem non sint *subiectivae*, videtur: quia tota natura totius universalis salvatur in qualibet parte — unde ratio tota animalis est in homine [2] — sed contritio non est tota et perfecta poenitentia, nec confessio: ergo non sunt *subiectivae.* — Item, numeratis partibus *subiectivis*, numeratur totum: si ergo istae sunt partes poenitentiae *subiectivae*, cum sint tres, tres sunt poenitentiae: aut ergo poenitentiae tres virtutes, aut tria Sacramenta; quorum utrumque falsum est.

Respondeo: Dicendum, quod poenitentia sumitur dupliciter, scilicet pro poenitentia-*virtute* et pro poenitentia-*Sacramento.* Si loquamur de poenitentia-*virtute;* sic contritio et confessio et satisfactio non sunt partes *integrales*, sed *potestativae* [3]. Sicut enim ab una essentia plures egrediuntur potentiae, sic ab uno habitu plures actus consequuntur. Virtus enim poenitentiae ordinat hominem, ut puniendo se faciat emendam secundum omne forum; et ideo quilibet horum actuum denominationem recipit ab habitu, ut *poenitere* dicatur; et sic *videtur* habere rationem partium *subiectivarum*, sed re vera *non habent*, quia confessio et satisfactio [4] non est poenitentia, sed actus egrediens a poenitentia, similiter satisfactio et contritio. — Si autem loquamur de poenitentia-*Sacramento;* sic sunt partes *integrales* quantum ad *esse perfectum* — unde rationabiliter loquitur Magister, cum dicit, quod in *perfectione* poenitentiae etc. — et sic patet, quod nullum horum est perfectum Sacramentum sine alio.

(Distinctio.) (Notandum.) (Notandum.)

Et *si tu obiicias*, quod non habent esse simul; dicendum, quod quamvis non sint simul *actu*, sunt tamen simul *voto*, vel *effectu.* Unde quando quis conteritur, habet confessionem et satisfactionem in *proposito;* et quando quis satisfacit [5], habet duorum praecedentium *effectum.* Et sic patet illud.

Dub. II.

Item, quaeritur de hoc quod dicit: *Ut, sicut tribus modis Deum offendimus, ita tribus modis satisfaciamus in contritione* etc. Secundum hoc enim videtur, quod satisfactio non debet distingui contra alias partes. — Item, si tribus modis est satisfacere secundum triplicem modum peccandi: ergo qui peccavit in *corde*, non videtur, quod debeat sibi imponi poena in *carne*, quia *per quae quis peccat, per haec et punietur* [6]. Tunc ergo pro nullo peccato spirituali est imponenda satisfactio; et illud est manifeste falsum, cum peccata spiritualia sint graviora carnalibus: ergo gravius puniuntur a Deo et gravius debent puniri a sacerdote.

(Satisfactio dicitur dupliciter.)

Respondeo: Dicendum, quod satisfactio dicitur dupliciter. Uno modo satisfactio dicitur ipsa *reconciliatio;* et sic, quia omnes partes poenitentiae sunt ad reconciliationem ordinatae, quaelibet potest dici satisfactio sive satisfactoria. Alio modo dicitur satisfactio *persolutio poenae debitae;* et sic competit proprie uni parti poenitentiae, quae est assumtio sive adimpletio poenae iniunctae. Nihilominus tamen aliis partibus competit *per accidens*, utpote contritioni ratione doloris coniuncti, qui est in parte sensibili [7]; similiter confessioni ratione erubescentiae. — Et sic patet primum.

Ad illud quod obiicitur, quod non debemus satisfacere exterius pro peccato cordis; dicendum, quod illud verbum Chrysostomi [8] et similiter Augustini *per appropriationem* intelligitur: quoniam ista tria respondent omni peccato mortali, quia quodli-

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 598, nota 9, et Aristot., V. Metaph. text. 30. seq. (IV. c. 25. seq.).

[2] Cod. aa *in quolibet homine.*

[3] Vide tom. II. pag. 600, nota 1. — Mox pro *ab una essentia* cod. H *ab uno actu* (substantiali sive forma).

[4] Cod. Z, hic addito *et contritio*, inferius omittit *similiter satisfactio et contritio.*

[5] Plures codd. substituunt *conteritur*, edd. *conteritur et.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 16. m. 1. et 2; B. Albert., hic a. 2. seq.; S. Thom., hic q. 1. a. 1; Petr. a Tar., hic a. 1. quaestiunc. 1-4; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

[6] Sap. 11, 17, ubi Vulgata et codd. EH *torquetur* pro *punietur.*

[7] Vide supra a. 1. q. 1. De confessione cfr. infra d. 17. p. II. a. 1. q. 1. ad 4.

[8] Hic in lit. Magistri, c. 1, allegatum, cui etiam verba Augustini subnectuntur. — Aliquanto inferius ex codd. FGHPQ supplevimus *debetur*, pro quo cod. B *respondet.*

bet meretur poenam aeternam animae et corporis, et cuilibet debetur poena interior et exterior, nisi tanta sit interior, quod exterior non sit opportuna, et eius locum suppleat. Unde sicut certum est, quod non sufficit confiteri peccatum oris, immo etiam pro illo oportet conteri et satisfacere; ita et in proposito intelligendum est[1].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Compunctio ibi commendatur.* Videtur enim accipere *compunctionem* pro eodem et *contritionem.* Sed *contra:* super illud Psalmi[2]: *In cubilibus vestris compungimini;* Glossa: «Quibusdam stimulis excitate vos, non pro *dolore peccatorum,* sed ad videndam lucem Christi, et ut invisibilium amore inardescatis»; sed *contritio* est de peccatis tantum: ergo non sunt idem, male ergo accipit pro eodem.

Differunt contritio et compunctio. Respondeo: Dicendum, quod dolor dicitur *contritio,* et dolor dicitur *compunctio: contritio,* quia cor terit, vel peccata in corde illo dolore teruntur[3]; sed *compunctio,* quia cor compungitur. Sed compungitur cor secundum duplicem aspectum: aut *carentia gloriae,* aut *consideratione offensae;* et secundum hoc attenditur duplex *dolor* et duplex *irriguum,* scilicet superius et inferius[4]; et ita *compunctio* communior est quam *contritio,* sicut patet ex Glossa illa. Magister autem appropriat hic compunctionem ad dolorem de peccatis, ex quorum consideratione pungitur cor quasi quibusdam aculeis[5]. (Distinctio.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Confessio ibi commendatur: Iustus in principio est accusator sui.* Videtur enim male dicere, quia aut accusat se iustus in quantum *iustus,* aut in quantum *peccator.* Si in quantum *iustus;* sed omnis qui accusat iustum in quantum huiusmodi, accusat iustitiam; et omnis qui accusat iustitiam, est iniustus: ergo si accusat se in quantum *iustus,* est iniustus. Si accusat se secundum quod *peccator;* sed omnis qui accusat peccatorem secundum quod peccator, accusat peccatum; et omnis talis iuste accusat et est iustus: ergo si accusat secundum quod *peccator,* accusator est iustus, et ita secundum quod peccator est iustus.

Respondeo: Dicendum, quod in accusatione est *accusans* et *accusatus;* et cum iustus accusat se, adest[6] *accusans* et *accusatus,* sed tamen habens quasi duplicis personae rationem; et secundum quod tenet duplicis[7] personae rationem, ita et duplicis proprietatis, quia ille idem secundum quod iustus accusat se, secundum quod peccator est. Et sic patet, quod sophisma est de illa reduplicatione, quod potest referri ad actum accusandi ratione *subiecti,* vel ratione *obiecti.* (Distinctio. — Sophisma.)

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Satisfactio praecipitur a Ioanne.* Videtur enim male dicere, quia Ioannes non potuit Sacramenta novae legis instituere: ergo nec satisfactionem praecipere.

Respondeo: Dicendum, quod Ioannes praecepit insinuando vel praedicando; sed Christus mandavit tanquam principalis auctor, quia Ioannes praecucurrit et dixit, Matthaeus tertio[8], sed Salvator confirmavit et instituit, ut habetur quarto eiusdem.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Facite dignos fructus poenitentiae.* Videtur enim non esse praeceptum conveniens: quia digni fructus poenitentiae sunt Deo accepti; sed non est in nostra potestate nec in nostra cognitione ea facere, quae sunt in divina acceptatione: ergo etc. — Item, si satisfactio est in praecepto, cum nemo sciat, utrum satisfecerit, quia nemo scit, se esse in caritate[9]; videtur, quod semper est iteranda satisfactio.

Respondeo: Dicendum, quod *dignitas fructus*[10] dupliciter potest accipi: aut per comparationem ad *meritum culpae,* aut in comparatione ad *divinam* (Distinctio.)

---

[1] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 16. m. 1. a. 2. ad 5. et 6; B. Albert., hic a. 4. seq.; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Psalm. 4, 5. — Glossam refert Petr. Lombard., in hunc loc., addito cum Augustino (Enarrat. in Ps. 4. n. 6.) *adhibitis* post *stimulis.* Subinde post *Christi* Petr. Lombard. pro *et* subiungit *scilicet, non pro irriguo inferiori, sed pro irriguo superiori,* quae verba inferius referuntur a S. Bonav. et exponuntur a Gregor., III. Dialog. c. 34, de compunctione procedente ex *timore* et *amore.*

[3] Cfr. supra a. 1. q. 1. in fine. — Pro *cor terit* codd. F G *cor teritur,* Vat. *conterit.*

[4] Respicitur Iosue 15, 19; cfr. Gregor., loc. paulo superius cit.: Qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissime flere incipit, quia differtur a regno... Irriguum quippe *superius* accipit anima, cum sese in lacrymis caelestis regni desiderio affligit. Irriguum vero *inferius* accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit.

[5] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 1. a. 2; B. Albert., hic a. 8.

[6] Codd. K aa (I a secunda manu) *idem est.*

[7] Cod. R *tenet quasi duplicis.* Inferius pro *quod potest* cod. F *secundum quod potest.* — Vide de hoc dubio Quaestion. ex veteri test. (inter opera August.) p. I. q. 30.

[8] Vers. 3. et 11. — Seq. locus est ibid. 4, 17. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in praedictos locos. Vide etiam supra d. 2. a. 2. q. 2. — Pro *et dixit,* quod habent plurimi codd. et ed. 1, Vat. *ut dicitur.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 1. a. 3. in fine; B. Albert., hic a. 19; S. Thom., hic circa lit.

[9] Cfr. supra pag. 353, nota 4.

[10] Cod. H bene supplet *poenitentiae.*

acceptationem. Et nota, quod hic vocat *dignos fructus* poenitentiae non in comparatione ad *divinam acceptationem,* quia hoc non praecipitur; sed quantum ad *meritum culpae.* — Similiter intelligendum, Distinctio. quod *satisfacere Deo* dupliciter est: vel secundum *forum suum* et secundum veritatem, et sic non est in praecepto; vel secundum *probabilitatem conscientiae,* et sic est in praecepto [1].

Sed tunc videtur, quod ille peccator, qui non Quaest. incid. solvitur. vult suscipere satisfactionem condignam a sacerdote impositam, mortaliter peccat; et dicendum, quod illud [2] est praeceptum *affirmativum,* quod non obligat ad semper, et praeterea commissum est in potestate sacerdotis; et ita, si poenitens hic condignam poenam a sacerdote suscipit, plenam poenitentiam facit; si non [3], propter hoc quod sacerdos non imponit, attendens fragilitatem peccatoris; Dominus exspectat, et solvet in purgatorio.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut secundum qualitatem et quantitatem culpae;* quae sit differentia inter *qualitatem* culpae et *quantitatem.* Cum enim non habeat culpa quantitatem *molis,* sed *virtutis* [4], et haec sit *qualitas;* videtur, quod non differant. — Item, si secundum quantitatem culpae est quantitas poenae; sed tanta est culpa, quanta est offensa; et tanta est offensa, quantus est is qui offenditur; sed ille est infinitus: ergo debet imponi poena infinita. — Item, quomodo poena potest esse secundum *qualitatem,* cum sint diversorum generum culpa et poena?

Respondeo: Dicendum, quod possibile est, *quan-* Notandum. *titatem* et *qualitatem* culpae causari ab eodem principio, sed tamen secundum aliam rationem, sicut cognoscere coniugatam auget culpam et ulterius po- Quid qualitas et quantitas culpae. nit in specie peccati. Unde *qualitas* culpae attenditur secundum id quod distinguit peccatum, secundum quod dicitur, quod est *inquinamentum carnis et spiritus* [5]; *quantitas,* secundum quod aggravat in eodem genere. Et his etiam duobus modis respondet qualitas *poenae,* ut peccato spirituali poena spiritualis, scilicet oratio, peccato carnali poena in carne, scilicet ieiunium, *et quantitas* quantitati in eodem genere. — Et nota, quod *quantitas* peccati non acci- Notandum. pitur hic penes eum, contra quem, sed penes libidinem peccantis. — Et sic patent obiecta, quia haec quantitas est finita; et assimilatio qualitatum [6] poenae et culpae attenditur in eodem genere.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Purgans lacrymis omnem qualitatem vitii;* quia aut hoc est *praeceptum,* aut *consilium.* Si *praeceptum* est; vi- Distinctio. detur periculum, quia pauci aut nulli ita discurrunt deflendo singula; et constans est, quod unica contritione iustificatur homo, quae [7] non potest omnes qualitates considerare. Si *consilium; contra:* sicut dicit Philosophus [8], « species delectationis movet appetitum »: ergo si aliquis ita singillatim vitium recogitet, videtur, quod det sibi occasionem tentationis et lapsus: ergo melius est oblivisci quam ita ante oculos reducere.

Respondeo: Dicendum, quod quantum ad *ali-* Distinctio. *quam* qualitatem vitii est in *praecepto,* utpote quantum ad illam quae trahit in genus peccati aliud; quantum ad *aliquas* est in consilio, scilicet quantum ad illas quae non mutant peccati genus. Sive autem sit *consilium,* sive *praeceptum;* non obligat Notandum. *ad semper,* sed quando est locus et tempus, et quando poenitens ita maceravit se et domuit sensualitatem, ita [9] quod ad recogitationem circumstantiarum ignis concupiscentiae non incalescit, sed magis indignatio voluntatis; tunc debet talia recogitare, maxime quando est in actu orationis et gemitu; alias potius debet abigere quam talia ruminare, maxime in peccatis carnis, in quibus habet homo incitationem intra, propter quod signanter dicitur primae ad Corinthios sexto [10]: *Fugite fornicationem,* quasi, non tantum in opere, vel in voluntate, sed etiam in recogitatione.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Defleat virtutem, qua interim caruit.* Contritus enim non de-

---

[1] Cfr. infra d. 18. p. I. a. 2. q. 2. Vide etiam Mich. 6, 6. seqq.; Matth. 18, 23. seqq. et Luc. 7, 40. seqq.

[2] Edd. pro *illud* substituunt: *indignitas fructus dupliciter potest accipi: aut per comparationem ad meritum culpae, aut in comparatione ad meritum poenae. Si in comparatione ad meritum poenae.*

[3] Edd. cum aliquot codd. perperam omittunt *non.* Codd. O S paulo inferius omittunt *non.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 20.

[4] Haec divisio quantitatis insinuatur ab August., de Quantit. animae, c. 3. n. 4.

[5] Respicitur II. Cor. 7, 1. superius pag. 367, nota 2. relatum. — Superius pro *in specie* [diversa] edd. *in speciem.*

[6] Edd. *quantitatis.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 16. m. 1. a. 2. ad 7; B. Albert., hic a. 21.

[7] Edd. *qui;* sed cfr. supra a. 4. q. 2. arg. 2.

[8] De Motu animalium, c. 5. (c. 7.): Imaginatio vero et intellectio rerum habent virtutem; aliquo enim modo forma [εἶδος i. e. forma sive species] intellecta calidi aut frigidi, aut iucundi aut terribilis, talis quidem est, qualis quidem et rerum unaquaeque; quapropter et horrent et timent intelligentes solum. Cfr. III. de Anima, text. 48. seqq. (c. 10.), et VII. Phys. text. 19. (c. 3.). Lib. III. Ethic. c. 12. insinuat, quod delectabile, quanto magis in particulari consideratur, tanto magis appetitum moveat. B. Albert., hic a. 25. ait: *Avicenna* dicit, quod species delectabilis corporalis etiam quandoque reminiscentem movet (cfr. Avicenna, de Anima, p. IV. c. 3. et 4; Metaph. tr. 6. c. 5. et tr. 9. c. 7.). — Pro *species delectationis* cod. aa *species delectabilis.*

[9] Cod. F omittit *ita.* Mox ex codd. H L U Y (bb a secunda manu) supplevimus *concupiscentiae.*

[10] Vers. 18. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 25.

bet dolere nisi de culpa: ergo si debet dolere de carentia virtutis, videtur, quod haec sit culpa; sed in infinitis instantibus caruit: ergo in infinitis peccavit. — Item, cum multae sint aliae circumstantiae, sicut determinat Tullius [1], scilicet *quis, quid, cur, quando, ubi, quomodo, quibus auxiliis;* et illam quae est *quis,* dividit in undecim circumstantias, scilicet *nomen, naturam, convictum, fortunam* etc., quae ibi patent: videtur, quod Augustinus [2] nimis insufficienter hic tangat.

Respondeo: Dicendum, quod non solum contritione deflentur *peccata,* sed etiam *poenae* peccatorum, *poenae,* inquam, quae sunt sequelae et quae dehabilitant et reddunt hominem ineptum ad bonum. Inter has praecipua est *carentia virtutum;* et per hanc Augustinus intelligit alias sequelas vitiorum, quae considerandae sunt et deflendae, non quia sint *culpa,* sed *poena,* non *inflicta,* sed *acta* [3].

De numero circumstantiarum. Ad illud quod obiicitur, quod plures ponit Tullius; dicendum, quod Augustinus non ponit hic omnes circumstantias, sed solum aggravantes; Tullius vero ponit omnes circumstantias, quae contingunt negotium vel personam. Possunt autem omnes circumstantiae reduci ad quatuordecim, quae his versibus [4] notantur:

Aggravat ordo, locus, persona, scientia, tempus,
Aetas, conditio, numerus, mora, copia, causa,
Est modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Ex his autem quinque [5] respiciunt *personam,* scilicet scientia, ordo, aetas, conditio et status. Tres respiciunt *crimen* sive actum, scilicet numerus, mora et modus agendi. Tres respiciunt *causam,* scilicet copia, causa, lucta pusilla. Et duae sunt *adiacentes,* scilicet locus et tempus [6].

Dub. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus* etc. Videtur enim male dicere, quia poenitentia maxime consistit in dolore et lacrymis: ergo non debet facere cum gaudio, sed potius cum dolore. *Si tu dicas,* quod utrumque ibi concurrit; quaeritur: quare potius dicit, cum gaudio esse faciendum?

Respondeo: Dicendum, quod ideo hortatur ad gaudium, quia illud est conservativum omnium virtutum, et maxime virtutum, quae consistunt circa poenalitatem. Unde Philosophus [7] dicit: « Qui continet et hoc ipso gaudet vere castus est; et ille vere habet perfectam fortitudinem, qui non solum non succumbit, sed etiam in poenalitatibus vel poenalibus gaudet ». Et haec est principalis ratio, quare hortatur ad gaudium, quia aliter assumtio poenalitatis non est virtuosa. Notandum.

Ratio autem, quare gaudendum est in poenitentia, est duplex. Prima est consideratio *aequitatis,* secunda est consideratio *utilitatis. Aequitas* est maxima ibi, ut caro, quae traxit spiritum et subiugavit per delectationem et inimica est Spiritui veritatis [8], e contrario subiiciatur per afflictionem et per hoc reconcilietur, et de inimico vindicta sumatur. Unde sicut homo carnalis multum gaudet in depressione inimici, ita spiritualis debet gaudere de afflictione carnis. Et sicut iudex iustus multum gaudet in exercitatione iustitiae, sic poenitens debet gaudere; et ideo Proverbiorum vigesimo primo [9]: *Gaudium est iusto facere iustitiam;* propterea etiam Proverbiorum decimo quarto: *Cor, quod novit amaritudinem animae suae* etc. Ratio 1. gaudendi.

Alia est consideratio multiplicis *utilitatis,* quia Ratio 2.

---

[1] Potius Marius Victorinus (cfr. tom. I. pag. 31, nota 2.) in Comment. super I. Rhetor. Ciceronis, c. 24. seqq., et post eum Boeth., IV. de Differentiis topic., qui ad has communiter receptas circumstantias (cfr. Aristot., III. Ethic. c. 1; Damasc., II. de Fide orthod. c. 24, et opusculum, cui titulus *Principia rhetorices,* inter opera August., c. 4.) reducunt illas quas Cicero enumerat. Ipse siquidem loc. cit. distinguit duplex genus circumstantiarum seu attributorum, scil. eorum quae *personis,* et eorum quae *negotio* sive facto conveniunt. *Personis* conveniunt undecim, scil. *nomen, natura* [utrum sit vir, an mulier, an sit barbarus, an puer, an Atheniensis etc.], *victus* [i. e. tempus a pueritia usque ad factum illud, de quo agitur, apud quos scil. et quo more etc. sit educatus], *fortuna* [utrum sit servus, an liber, dives etc.], *habitus* [utrum sit virtuosus, sapiens etc.], *affectio* [i. e. animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio, ut laetitia, cupiditas, morbus etc.], *studium* [ut poëta], *consilium* [i. e. non faciendi faciendive excogitata ratio], *factum, casus* et *oratio* (i. e. quid fecerit, aut quid ipsi acciderit, aut quid dixerit). Respectu *negotii,* in quantum hic consideratur, distinguit Cicero inter ea quae concernunt *ipsum negotium* et *gestionem negotii.* Negotium concernunt duo, scil. *quid* sit factum et *quamobrem* [cur]; gestionem vero negotii concernunt *locus* [ubi], *tempus* [quando], *modus* [quomodo], *facultates* [quibus auxiliis] et *occasio* (i. e. pars temporis, habens in se alicuius rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem). Cfr. ibid. II. c. 9. seqq. — Pro *undecim* codd. et edd. *duodecim,* perperam, ut ex praenotatis constat. Subinde pro *nomen, naturam, convictum, fortunam* edd. falso *numerus, mora, conditio, scientia* (cfr. inferius).

[2] Ex cuius verbis hic in lit. Magistri, c. 2, allegatis textus huius dubii sumtus est. — Paulo inferius voci *contritione* codd. F G praemittunt *in.*

[3] Vide tom. II. pag. 767, nota 6. et pag. 826, nota 4.

[4] Qui habentur in Petri Bles. poëmate (4.) de Poenitentia. Pro *persona* in ed. Migne substituitur *peccata* et pro *Est* ponitur *Et.*

[5] Edd. cum uno alteroque cod. *sex,* inferius post *conditio* addito *persona.* Pro explicatione *numeri* (14) observandum est, quod licet tantum *quinque* circumstantiae *respiciant* personam; tamen ipsa *persona* cum eisdem circumstantiis *bis* considerari debet, scil. ut *peccans* et ut ea, *cum qua peccatur.* Post pauca non pauci codd. omittunt *sive actum.*

[6] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 3. § 1; B. Albert., hic a. 26; S. Thom., hic q. 3. a. 1.

[7] Libr. II. Ethic. c. 3. Cfr. tom. III. pag. 559, nota 6.

[8] Respicitur Ioan. 14, 17: Spiritum veritatis [dabit Pater] vobis, quem mundus non potest accipere. Rom. 8, 7: Sapientia carnis inimica est Deo. — Pro *traxit spiritum* edd. *traxit peccatum.* Codd. H L N U Y aa hic addunt *nunc.*

[9] Vers. 15, ubi Vulgata *iudicium* pro *iustitiam.* — Seq. textus est ibid. 14, 10, cuius ultima verba sunt: in gaudio eius non miscebitur extraneus.

est *tabula liberationis a naufragio*[1]. Unde sicut gaudet quis, quando de naufragio evadit, sic poenitens debet gaudere. — Alia ratio potest esse ex parte *boni*, quia renovat hominem, secundum illud Psalmi[2]: *Renovabitur ut aquilae iuventus tua.* — Damna etiam spiritualia ibi restaurantur. Et sic patet multiplex ratio gaudii.

Et quod obiicit, quod debet facere cum dolore; dicendum, quod illud non impedit, quia, quando quis vehementer dolet, in solo dolore invenit delectationem. Unde exemplum est de Augustino, qui narrat in quarto Confessionum[3], quod quando mortuus erat socius, in nullo delectabatur nisi in gemitu, et poena erat ei omnis alia delectatio, et in hac sola quiescebat. Quanto magis igitur debet quis in dolore de propria morte laetari? Et ideo recte dicit, quod cum gaudio facere debet. Exemplum.

Dub. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Caveat, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem* etc. Videtur enim male dicere, quia quanto pluribus revelat, tanto maior erit verecundia, et plus habet, unde erubescat. Unde non videtur, quod hoc sit ex verecundia, sed contra verecundiam.

Respondeo: Dicendum, quod verecundia maior potest esse dupliciter: aut quia reputatur quis peccator enormis et magnus, aut quia a pluribus esse peccator cognoscitur; et prima verecundia maior est: et ideo pro vitanda maiori bene assumeret quis minorem, ac per hoc derogaret veritati confessionis, quae non est dividenda, sicut patebit infra[4]. Distinctio.

Dub. XII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ne prius ad dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia;* quid vocatur hic *confortari bona conscientia?* Videtur, quod qui est in gratia possit accedere sine culpa; et talis est contritus ante confessionem. — Sed in contrarium est quod dicit Hugo in epistola ad Bernardum[5]: « Audacter dico, si fuerit contritus, non tamen debet communicare, antequam confessus fuerit ». — Propter hoc est quaestio, utrum aliquis contritus in casu aliquo possit accedere ante confessionem. Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod tunc aliquis *confortat se bona conscientia*, dum probabiliter percipit, culpam sibi esse dimissam; hoc autem percipit, quando facit quod in se est ad obtinendam veniam. Hoc autem non plene facit ante confessionem[6], si habet sacerdotis copiam; tunc enim, si confitetur exterius, conscientia interior confortatur, et bene potest accedere. Si autem habet copiam et non confitetur, male facit, si accedit. Si vero non habet copiam; aut *habet necessitatem* conficiendi, ut sacerdos parochialis, et tunc potest accedere cum dolore et proposito confitendi; aut *non habet necessitatem*, et sic nullo modo debet accedere ante confessionem, quia qui fuit per mortale excommunicatus ad Sacramentum unitatis Ecclesiae non debet accedere nisi prius reconciliatus Ecclesiae, nisi alias cogatur; et tunc evidens excusatio habetur[7]. Ad quaest. incidentem. Distinctio.

Dub. XIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cohibeat se a ludis et a spectaculis;* quid vocantur ista duo? Et quare dicit, ipsum debere se cohibere? Aut enim sunt *mala*, aut *bona* et licita. Si *mala*; tunc ergo omnes debent se cohibere. Si vero *bona* et licita: ergo nullus debet se cohibere.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicitur primae ad Corinthios decimo[8] in Glossa, *ludus* est gesticulatio libidinosa, cuiusmodi est in choreis; *spectacula* sunt, sicut dicit Augustinus[9], sicut ci- Quid ludus et spectacula.

---

[1] Cfr. supra d. 14. p. I. dub. 1.

[2] Psalm. 102, 5.

[3] Cap. 4. n. 9. et c. 7. n. 12. Cfr. supra d. 14. p. II. dub. 7. — Inferius post *socius* cod. F addit *eius*.

[4] Dist. 17. p. III. a. 2. q. 2.; d. 21. p. II. a. 1. q. 1. et dub. 1. 3. Alii commentatores hoc dub. solvunt in d. 17, praeter B. Albert., qui hic a. 30. de ipso agit, et Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 4. § 2.

[5] Ita allegatur etiam a B. Alberto, hic a. 42, adiungente: *de epha* (?) *paschali.* Inter opera *Hugonis* haec epistola non invenitur; apud *Richard.* a S. Victore occurrit opusculum, cui titulus *Declarationes nonnullarum difficultatum Scripturae ad B. Bernardum*, in quo exponitur verbum Apostoli I. Cor. 5, 7: *Expurgate vetus fermentum... azymi*, et inter alia dicitur: In criminalium expurgatione opus est pro certo confessione et satisfactione; nam compunctio et oratio quandoque solent ad venialium expurgationem sufficere. Petr. a Tar., IV. Sent. d. 9. q. 2. a. 2, adducit *Librum de potestate ligandi et solvendi*, qui est *Richardi* a S. Victore, et in quo (c. 21.) legitur: Audacter dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis et sanguinis Christi accesserit [criminosus Christianus], iudicium sibi pro certo manducat et bibit, etsi eum peccasse iam multum poeniteat et vehementer doleat et ingemiscat.

[6] Edd. *Tunc autem plene facit quod in se est ante communionem.* Paulo post pro *exterius* codd. I K *contritus*.

[7] Codd. F G *haberetur.* — Cfr. supra d. 13. dub. 1; B. Albert. et Petr. a Tar., locc. citt.

[8] Vers. 7, ubi Exod. 32, 6 allegatur: Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere etc. — Glossa citata occurrit neque apud Strabum neque apud Petr. Lombard. neque apud Lyranum. Cfr. Chrysost., in Matth., homil. 6. n. 6. seqq.; Isidor., XVIII. Etymolog. c. 16. n. 1. seqq. et c. 43. seqq.; Serm. 129. et 130. in appendice Sermonum Augustini.

[9] Serm. 9. (alias 96. de Tempore) sive de Decem Chordis, c. 9. n. 13: In illis spectaculis [hominum] non id est venator, quod citharista; aliud agit venator, aliud citharista; in spectaculo Dei unum est; tange easdem decem chordas [praecepta], et feras occides, utrumque simul facis. — Referuntur haec verba a Petro Lombard., in Rom. 13, 10.

thara et venatio et huiusmodi. Dico igitur, quod *ludus chorearum* non est malus secundum se, sicut patet de sorore Moysi, Exodi decimo quinto [1]; sed Notandum. fit malus quadruplici de causa, scilicet propter *modum,* quando est modus lascivus; propter *finem*, quando fit ad provocandam libidinem; propter *tempus,* ut non fiat tempore tristitiae; propter *personam,* ut non fiat a persona religiosa. His remotis, potest fieri. Quoniam igitur poenitens et *persona* est, cui non competit, et quamdiu vere poenitet, est in *tempore tristitiae:* ideo ei non competit. Similiter iudicandum est de *spectaculis;* his enim quatuor de causis possunt male fieri et [2] fiunt; his exclusis, bene possunt fieri.

Dub. XIV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non omnes digni fructus sunt digni fructus poenitentiae.* Videtur enim male dicere: quia opera, quae facit poenitens ex virtute poenitentiae, sunt fructus *virtutis;* et non nisi *poenitentiae:* ergo etc. *Praeterea,* sicut virtus poenitentiae est circa bonum et difficile, ita aliae virtutes [3]: ergo etc. — Item, cum *fructus* dicatur a *fruendo,* quomodo opera poenitentiae possunt dici *fructus?*

Respondeo: Dicendum, quod opera poenitentiae dicuntur *fructus,* non quia eis *fruamur,* sed quia *ad fruitionem ducunt* [4]; vel *fructus* metaphorice: sicut ex arbore nascitur pomum, quod dicitur fructus arboris, ita ex voluntate poenitentis bonum Distinctio notanda. opus. — Et nota, quod differt dicere *bonum fructum* et *dignum fructum* poenitentiae. *Bonus fructus* potest dici omne opus bonum; *dignus fructus* plus dicit, scilicet bonum opus cum convenientia ad statum. *Bonum* enim est opus et ita *perfectum,* si competit statui. Sed *dignus fructus* poenitentiae non dicit solummodo bonum opus, prout *competit statui,* sed ut *competit merito peccati;* quia qui plus peccavit ampliora debet pati, ut Gregorius determinat in homilia [5].

Dub. XV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus* etc.; quia, si hoc verum est, ergo nullus negotiator, nullus miles salvatur; et hoc est contra sacram Scripturam. Nam beatus Ioannes militiam non reprobavit, sed dixit: *Contenti estote stipendiis vestris,* Lucae tertio [6]. Item de negotiatoribus, Genesis quadragesimo nono: *Zabulon in littore maris habitabit,* ubi secundum litteram terra Zabulon benedicitur negotiationibus. — Item, si hoc verum esset, periret militia, quae necessaria est ad defendendam fidem; perirent negotiationes, sine quibus multae terrae non possent vivere.

Respondeo: Dicendum, quod militia et negotiatione et officio telonii sive vectigalium exactione, a qua dicitur Matthaeus *publicanus* [7], potest quis recte uti, si faciat eo modo, quo instituta sunt: ut miles nemini iniurietur, negotiator neminem circumveniat, et telonearius non exigat vectigal immoderatum, sed quod institutum est ex certa causa et utili; et hoc totum potest esse sine peccato, et hoc modo poenitens potest in hoc statu salvari. Sed his propinquissimae sunt abusiones: in militibus *violentiae,* in negotiatoribus *deceptiones,* in aliis *immoderatae exactiones;* et ideo huiusmodi sunt periculosa. Et quantum ad tales abusiones dicit Gregorius [8]: « Non poenitet quis, quousque dimittat haec », scilicet quantum ad abusionem. Notandum.

---

[1] Vers. 20: Sumsit ergo Maria... tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris. — De seqq. rationibus, et quidem de 1. et 2. vide Clement. Alexand., III. Paedag. c. 11. (Migne Patrol. Graec. tom. 8. col. 654. seq.); de 3. Eccli. 22, 6: Musica in luctu importuna narratio; de 4. cfr. C. *Non oportet ministros altaris* (37.), de Consecrat. d. 5. et C. *Cum decorem* (12), X. de Vita et honest. clericor. (lib. III. tit. 1.). — Inferius pro *ut non* edd. bis *ut si.*

[2] Cod. K (1 a secunda manu) *et si fiunt, his* etc. — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. II. q. 133; B. Albert., hic a. 43; S. Thom., hic q. 4. a. 2; quaestiunc. 1. 2; Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 1. 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 1.

[3] Cfr. supra pag. 318, nota 5. — August., XI. de Civ. Dei, c. 25. dicit, « quod proprie fructus *fruentis,* usus utentis est ».

[4] Vide I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2. ad 4. — Mox post *sicut* cod. G addit *enim.*

[5] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 20. n. 8: Neque enim par fructus boni operis esse debet eius qui minus, et eius qui amplius deliquit etc. Cfr. supra pag. 364, nota 6. et pag. 370, nota 2. — Post *sed* edd. supplent *etiam.* — Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 16. m. 1. a. 2. ad 7; B. Albert., hic a. 44.

[6] Vers. 14. — Seq. textus est Gen. 49, 13: Iacob filiis suis benedicens Zabulon praedicta ut benedictionem impertit, addens: Et in statione navium pertingens usque ad Sidonem. — Superius pro *verum est* codd. F G *verum esset.* Inferius pro *negotiationibus* edd. cum pluribus codd. *negotiatoribus.*

[7] Matth. 9, 9. et 10, 3; Luc. 5, 27. Cfr. Ambros., II. in Luc. 3, 7. seq. n. 77. — Inferius pro *faciat* codd. H aa *fiat,* et post *ut* cod. U addit *si.*

[8] Scil. Gregor. VII. hic in lit. Magistri, c. 3. allegatus. Idem docet Gregor. Magnus, II. Homil. in Evang. hom. 24. n. 1. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 46; S. Thom., hic q. 4. a. 2. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 3. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVI.

Pars. II.

De partibus subiectivis poenitentiae.

Praedictis vero adiiciendum est, quod tribus modis agitur poenitentia.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 381.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de partibus poenitentiae integralibus. Hic agit de subiectivis, quae sunt poenitentiae [1] ante baptismum, et post baptismum de mortalibus, et tertio de venialibus. Dividitur autem haec pars in duas partes secundum duo capitula. In prima dividit poenitentiam per trimembrem differentiam. In secunda vero specialiter tradit modum poenitentiae de venialibus, ibi: *Quae autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens.*

Prima pars duas habet. In prima ponit divisionem. In secunda confirmat per auctoritates, ibi: *Tres sunt actiones poenitentiae* etc.

Similiter secunda pars dividitur in duas. In prima assignat sufficientem satisfactionem. In secunda vero epilogat, ibi: *Ex his aliisque praemissis* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum triplicem poenitentiam, quam distinguit Magister in littera [2], tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de poenitentia ante baptismum.

Secundo, de poenitentia post baptismum, quae est de mortalibus.

Tertio, de poenitentia, quae est de venialibus.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum oporteat poenitere et dolere pro originali peccato.

Secundo, utrum accedentem ad baptismum cum actuali necesse sit ante Sacramentum poenitentiae accipere.

ARTICULUS I.

De poenitentia ante baptismum.

QUAESTIO I.

Utrum oporteat poenitere de originali peccato.

Circa primum, quod non sit necesse poenitere de originali, videtur:

1. Quia potentior est vis regenerativa Sacramenti quam vis propagativa hominis corrupti; sed per propagationem sine delectatione transfunditur originale [3]: ergo *ab oppositis*, immo multo fortius, per Sacramentum sine dolore deletur.

Fundamenta.

2. Item, omnis poenitentia est respectu voliti, non enim poenitet homo de eo quod noluit [4]; sed originale nunquam fuit voluntarium: ergo de illo non est necessaria poenitentia.

3. Item, omnis poenitentia est in actu volente; sed originale est in parvulo, in quo est morbus et remedium: ergo non oportet, ipsum poenitere, cum non possit actu velle.

4. Item, omnis poenitentia est respectu actus proprii; poenitet enim homo de eo quod fecit, non de alieno; sed originale est per actum alienum: ergo etc.

5. Item, baptismus ordinatur contra originale [5]; sed non sunt duo remedia contra idem: ergo poenitentia non est remedium contra originale.

---

[1] Codd. F G *poenitentia.*
[2] Hic c. 4.
[3] Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 3.
[4] Vide pro hoc et seqq. argg. supra d. 14. p. I. dub. 4. definitiones poenitentiae.
[5] Ut ostensum est supra d. 4. p. I. a. 1. q. 1.

Contra: 1. De eo, de quo iuste arguitur homo ab alio, iuste arguitur a se ipso; sed Augustinus dicit in libro de Correctione et gratia[1], quod peccator pro originali est arguendus: ergo peccator debet arguere se ipsum; sed homo de culpa arguit se ipsum per poenitentiam: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, sicut *ira per zelum* detestatur homo omnem iniustitiam in alio, ita poenitentia omnem iniustitiam in se ipso[2]; sed originale est iniustitia in homine: ergo est detestanda per poenitentiam, et sic etc.

3. Item, omnis qui vult Deo reconciliari, necesse habet detestari omne quod a Deo separat; sed originale separat: ergo etc.

4. Item, de peccato, de quo iuste punitur a Deo, debet poenitens punire se ipsum; sed pro originali iuste punitur homo a Deo poena carentiae, quae est maxima poena, quia maximum damnum[3]: ergo pro eo debet se punire.

CONCLUSIO.

Quoad adultos scientes, se habere peccatum originale, congruum est, ut hoc eis actu displiceat, tamen non est eis necessarium de eo conteri et poenitere.

Respondeo: Dicendum, quod de originali peccato est loqui *communiter* et *specialiter*. *Communiter*, ut est in omnibus[4]; et sic ad eius deletionem non requiritur aliquis actus ex parte eius, in quo est, ut patet in parvulo. — Est etiam loqui *specialiter*, quantum ad adultos, qui se habere *nesciunt;* et quantum ad hos non oportet, quod aliquis actus detestationis interveniat. — Est iterum loqui quantum ad adultos, qui se habere *sciunt;* et quantum ad tales *congruum* est, ut sibi *displiceat*, congruum, inquam, quod displiceat non in *speciali;* sed in *generali,* quia debet displicere omne quod a Deo separat; *conteri* autem non est necessarium[5].

Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

Ratio autem, quare non est necesse, ut conteratur, est, quia non est actu nostro commissum; et sic, licet in adulto sit talis originalis *displicentia,* non tamen est *poenitentia,* quia poenitentia, sicut ostensum est[6], *proprie* est respectu voliti.

Ratio.

Rationes igitur probantes, quod non est necessaria poenitentia ad deletionem originalis, verae sunt et concedendae. Rationes omnes ad oppositum procedentes probant, quod congruum est, ut originale *displiceat* adulto, ne velit amplius in illo remanere[7]; sed quod teneatur *se affligere,* non concludunt, vel etiam *poenitere.*

Ad argg.

1. Quod enim obiicitur, quod arguendus est pro originali; non intelligitur, quia ipsum contraxit, sed ne in ipso velit permanere.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod poenitentia[8] est detestandum omne malum nostrum; dicendum, quod verum est: *actum,* non *contractum;* similiter videtur de *ira per zelum* in proximo.

3. Ad illud quod obiicitur, quod debet detestari omne malum, quod separat a Deo; dicendum, quod verum est, si illud sit ex propria voluntate introductum; et esto quod detestetur, non propter hoc *poenitens* dicitur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod debet se punire de omni eo, de quo iuste punitur a Deo; dicendum, quod hoc verum esset, si Deus poena *sensus* puniret, vel etiam baptismus non sufficeret; nunc autem Deus non punit poena *sensus,* et baptismus sine omni poena satisfactoria sive assumta absolvit, sicut melius supra[9] visum est.

SCHOLION.

I. Praeeunte Alexandro Hal. (S. p. IV. q. 15. m. 1. a. 1.), S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; cfr. Suppl. q. 2. a. 2.) distinguit poenitentiam *proprie* dictam a *large* dicta, quae est omnis displicentia mali praeteriti. Prima, ut dicit, *nullo modo potest* esse de originali, secunda vero *debet* esse. Idem reapse docet S. Bonav., quidquid dicat Estius (hic § 6.), qui eum a

---

[1] Cap. 6. n. 9: « An vero ideo *pravitas ista* corripienda non est in homine, quia non eius propria qui corripitur, sed communis est omnibus? Immo vero corripiatur et in singulis quod est omnium... Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur ». Ultima verba respicit S. Bonav. in solut. huius obiect.

[2] Vide supra pag. 321, nota 10.

[3] Cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq. — In *maiori* post *punitur* cod. aa supplet *homo.*

[4] Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 1. a. 1: *ut est morbus,* quae lectio in antiqua scriptura parum differt a nostra, et attento supra posito 3. fundamento, verisimilis esse videtur. Inferius verbis *se habere* (quae bis occurrunt) Alex. Hal. praemittit *huiusmodi morbum.*

[5] Ita cod. X, cuius lectio confirmatur tum ex subnexis, tum ex codd. F G, qui minus bene ponunt *conteri autem de ipso specialiter non est necessarium;* alii codd. vel *et hoc* [scil. displicere] *est necessarium* (non apte, cum ante de eadem re dicatur *congruum est*), vel cum edd. perperam *nec* [cod. E *non*] *est necessarium,* vel, ut codd. M O, haec verba omittunt.

[6] In fundam. 2. — August., de Correptione et gratia, c. 6. n. 9: « Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur obiurgati, quod sint inobedientes Deo, *sibi debeant displicere,* quia fecit *Deus hominem rectum* [Eccle. 7, 30.] ab initio humanae creaturae, et non est *iniquitas apud Deum* » [Rom. 9, 14.]. Haec verba praemittit Augustinus iis, quae superius allegata sunt.

[7] Cfr. supra nota 1.

[8] Codd. R T sensum sic exprimunt *per poenitentiam,* edd. legunt *poenitentia est ad detestandum.* Inferius post *dicendum* substituimus lectionem codd. M O T U X, in aliis et edd. legitur: *quod verum est, attamen non contractum* (cfr. tom. II. pag. 767, nota 6. et pag. 826, nota 4.).

[9] Dist. 4. p. I. a. 1. q. 2. — Superius pro *sine omni,* quod exhibent codd. A F G I O U X Z, alii codd. et edd. etiam bene *ab omni.* In principio solut. multi codd. omittunt *a Deo.*

S. Thoma discedere et insufficienter loqui asserit. Sed deceptus est falsa illa antiquarum editionum lectione: *nec est necessarium*, notata pag. 404, nota 5. Ceterum attente consideranti cohaerentiam totius sermonis iam patere debuit vera auctoris nostri sententia.

De hac 1. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. et q. 17. m. 3. a. 4. — Scot., hic q. 1. n. 6. — Petr. a Tar., hic a. 4. quaestiunc. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Seq. (2.) quaestio ab aliis doctoribus eodem sensu solvitur, sed plerumque, dum tractant de conditionibus ad baptismum ex parte baptizandi adulti requisitis. Cfr. Alex. Hal., loc. cit. q. 15. m. 1. a. 2. — Scot., in utroque Scripto supra d. 4. q. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; S. III. q. 68. a. 4. 5. 6. — B. Albert., hic a. 48. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., d. 4. a. 1. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum adultum, accedentem ad baptismum cum actuali peccato, necesse sit antea Sacramentum poenitentiae accipere.

Secundo quaeritur, utrum adultum, accedentem ad baptismum cum actuali, necesse sit ante Sacramentum poenitentiae accipere quam baptismum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Actuum secundo[1]: *Poenitemini, et baptizetur unusquisque vestrum;* Glossa: « Dicturus de baptismate praemisit lamenta poenitentiae, ut prius se aqua afflictionis perfunderent et post Sacramento baptismatis lavarent ».

2. Item, Matthaei tertio[2]: *Exibant ad illum* etc.; Glossa: « Iam tunc exemplum baptizandis dabatur confitendi peccata et promittendi meliora »: ergo si debent confiteri, similiter et conteri et satisfacere.

3. Item, *ratione* videtur: quia Dominus et beatus Ioannes inceperunt praedicationem suam a poenitentia[3]; sed ab eo debuerunt incipere, quod est salutis initium: ergo si ita inceperunt, patet, quod primo debet accipere poenitentiam.

4. Item, primo persona corrupit naturam[4]; sed actuale est corruptio personae, et originale naturae, et contra actuale est poenitentia: ergo praeit baptismum.

5. Item, parvulus non habet nisi originale, sed adultus actuale cum originali; sed qui habet ampliorem morbum debet habere amplius remedium: cum ergo baptismus necessarius sit parvulo, aliquid ultra baptismum erit necessarium adulto. Sed hoc non est nisi poenitentia: ergo etc.

Contra: 1. Baptismus est ianua Sacramentorum[5]; sed ianua est primo, et ante ipsam nihil debet praemitti: ergo etc. Fundamenta

2. Item, « poenitentia est secunda tabula post naufragium », ut dicit Hieronymus, et habetur in littera supra distinctione decima quarta[6]; sed secunda dicitur respectu baptismi: ergo haec non praecedit ipsum.

3. Item, baptismus omnem culpam delet, sicut supra[7] monstratum est — unde Augustinus ad Valerium: « Lavacro regenerationis omnia peccata hominum mundantur atque sanantur » — sed superfluum est facere per plura quod potest fieri per unum: ergo ad emundationem non est necessaria poenitentia.

CONCLUSIO.

Poenitentia, prout est virtus et contritio, in adultis praecedere debet baptismum, sed non, prout est Sacramentum et absolutio et satisfactio; confessio autem de congruo praemitti potest.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de poenitentia, ut est *virtus* et ut est *Sacramentum*. Si loquamur de poenitentia, ut est *virtus*, cuius actus Conclusio 1. est contritio; necesse est, quod praecedat baptismum in adulto, qui habet actuale peccatum; « nemo enim inchoare potest novam vitam, nisi poeniteat eum veteris vitae[8] ». — Si autem loquamur de poenitentia, ut est *Sacramentum*, secundum quod homo *confitetur* et *recipit absolutionem;* dico, quod non Conclusio 2. est necesse praecedere, sed de congruo potest. Fit

---

[1] Vers. 38: Poenitentiam, inquit [Petrus], agite, et etc. — Glossa, quam refert Lyranus, sumta est ex Beda, qui in hunc loc. ait: Dicturus baptisma, praemisit poenitentiae lamenta, ut Ecclesiae more prius se aqua suae afflictionis infunderent et postmodum Sacramento baptismatis lavarent. — Non pauci codd. *effunderent*.

[2] Vers. 5: Tunc exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea etc. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum ex Beda, in Marc. 1, 4. seq.

[3] Cfr. Matth. 3, 1. seq. et 4, 17.

[4] Ut docet Anselm. verbis supra pag. 37, nota 5. allegatis. — Cod. H *persona corrupta corrupit naturam, natura corrupta corrupit personam.* Inferius post *poenitentia* codd. R S T addunt *contra originale baptismus.*

[5] Vide supra d. 1. p. II. dub. 1. et d. 3. p. I. a. 1. q. 3. in corp.

[6] Cap. 1. Cfr. ibid. Comment. p. I. dub. 1.

[7] Dist. 4. p. I. a. 1. q. 1. — Verba August. habentur in I. de Nuptiis et concupisc. ad Valerium comitem, c. 33. n. 38, ubi ostendit, baptismo omnem peccatorum remissionem plenamque in resurrectione sanationem acceptam referri debere. Sic, inquam, hoc [Eph. 5, 25-27.] accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regeneratorum mundentur atque sanentur, non solum peccata, quae omnia nunc remittuntur in baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur etc. Pro *ad Valerium* cod. aa *ad Valerianum*, alii codd. et edd. *ad Valentinum*. — De axiomate: superfluum est facere per plura etc. cfr. tom. III. pag. 277, nota 1. — In fine arg. pro *emundationem* multi codd. et edd. *emendationem* (plures codd. addunt *necessariam*).

[8] Ut dicit August. allegatus hic in lit. Magistri, c. 4.

enim confessio sacerdoti, ut homo erubescat et peccata sua recognoscat et [1] de eorum remissione Deo ingratus non existat, et quantum ad hoc congruum est; sed non oportet nec debet sequi absolutio nec ligatio, quia omnino solvitur in baptismo. — Igitur poenitentia quantum ad *contritionem* praecedit necessario; quantum ad *confessionem* de congruo; quantum ad *absolutionem* et *satisfactionem* neutro modo. Et quia Sacramentum completum est in *absolutione,* quia ibi est remedium; ideo dico, quod poenitentia, secundum quod Sacramentum est Ecclesiae, sequitur, non praecedit.

Conclusio 3.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod lamenta poenitentiae debent praecedere; dicendum, quod istud concedendum est; similiter, quod exemplum dabatur confitendi, non quia necessarium, sed quia congruum.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod praedicatio incepit a poenitentia; dicendum, quod incepit a poenitentia-virtute, non Sacramento [2].

4. Ad illud quod obiicitur, quod prior est corruptio personae; dicendum, quod verum est in primis parentibus, sed post fuit e converso [3]; et quia Sacramenta currunt secundum cursum necessitatis nostrae; ideo patet, quod prius debuit esse baptismus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod amplius remedium debet habere; dicendum, quod verum est, scilicet contritionem; sed non oportet, quod aliud Sacramentum, quia baptismus ad utrumque valet; et ideo non requiritur aliud Sacramentum, sed sufficit actus mentis, per quem se praeparat ad effectum baptismi, alioquin accederet fictus [4]. Et sic patet illud.

ARTICULUS II.

De poenitentia post baptismum, quae est de mortalibus.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de secunda poenitentia post baptismum, scilicet quae est de mortalibus. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum de mortalibus per ignorantiam commissis necesse sit poenitere.

Secundo quaeritur, utrum necesse sit conteri de peccatis scienter commissis et postmodum oblitis.

QUAESTIO I.

Utrum necesse sit poenitere de peccatis commissis per ignorantiam.

Circa primum ostenditur, quod necesse est poenitere de peccatis commissis per ignorantiam:

1. Quia dicit Ambrosius [5]: « Gravissime peccas, si ignoras »; sed, sicut exponitur, hoc non est ob aliud, nisi quia talis non de facili quaerit medicum: ergo tali necessaria est medicina; et haec est poenitentia, et sic etc.

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia Augustinus de Correctione et gratia [6] dicit, quod non excusatur homo propter ignorantiam, quin teneatur credere: ergo pari ratione non excusatur homo propter ignorantiam, quin teneatur conteri.

3. Item, *ratione* videtur: quia peccatum ex ignorantia est peccatum actuale ex nostro actu commissum: ergo sine actu nostro non deletur; sed actus, per quem deletur culpa, est poenitentia [7]: ergo etc.

4. Item, ignorantia in eo qui peccavit, non excusavit a peccato [8]: ergo non excusat, quin egeat remedio.

Contra: 1. Poenitentia non est nisi de volito [9]; sed quod per ignorantiam fit, est involuntarium: ergo de tali non debet fieri poenitentia.

Ad oppositum.

2. Item, incognita bona non possumus amare [10]: ergo nec incognita mala possumus odire nec detestari: ergo de his non est poenitentia.

3. Item, nullo iure sumus certi, utrum offendimus Deum per ignorantiam; sed nullus tenetur

---

[1] Fere omnes codd. *ut.*

[2] Vide supra d. 14. p. I. dub. 3. et hic p. I. dub. 5.

[3] Cfr. supra pag. 37, nota 5. verba Anselmi.

[4] Vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] In Comment. super Rom. [attributo olim Ambrosio] 2, 5. Sententiam ipsius (cfr. tom. II. pag. 526, nota 1.) Glossa apud Petr. Lombard. et Lyranum exhibet sic: Gravissime peccas, quia ignoras, te contemnere [bonitatem Dei]. — De expositione huius dicti cfr. Petr. Pictav., II. Sent. c. 15. Vide etiam S. Bonav., II. Sent. d. 43. a. 2. q. 1. ad 1.

[6] Cap. 7. n. 11. seq.: Si enim, sicut Veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione, quae facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, et tamen ab hac damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit [Rom. 10, 17.]; quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt: perseverantiam non accepimus? etc. — Post *ratione* cod. X addit *a simili.*

[7] Cfr. supra d. 14. p. I. a. 1. q. 1. fundam. 3. — In principio arg. post *Item* cod. X addit *alia,* post *actuale* cod. bb *et.*

[8] Epist. I. Cor. 14, 38: Si quis autem ignorat, ignorabitur. Cfr. supra pag. 86, nota 7, et II. Sent. d. 22. a. 2. q. 3, ubi etiam *minor* seq. arg. insinuatur.

[9] Vide supra a. 1. q. 1.

[10] Ut proponit August., X. de Trin. c. 1. n. 1. seqq.

agere aliquid ex praecepto, nisi ad quod habet certitudinem ex aliquo iure: ergo nullus tenetur poenitere de commissis per ignorantiam.

4. Item, de solis illis tenemur poenitere, de quibus tenemur confiteri; sed sola illa tenemur confiteri, quae possumus veraciter enarrare, et illa sola possumus veraciter enarrare, quae novimus; quia, si dubia vel ignorata asseramus, est mendacium[1]: ergo cum ignoranter commissa nesciamus esse peccata, non possumus ea veraciter confiteri: ergo nec tenemur de his aliquo modo poenitere.

CONCLUSIO.

De peccatis commissis per ignorantiam necesse est adhibere diligentiam, ut sciantur, atque poenitere in generali, non autem in speciali.

Duplex modus poenitendi.

Respondeo: Dicendum, quod *poenitere* de aliquo est dupliciter, scilicet in *generali* et in *speciali*: in *generali*, quando homo dolet generaliter de omni offensa Dei, quam fecit; in *speciali*, quando dolet de hac vel illa. — Dico ergo, quod de peccatis commissis per ignorantiam debet poenitere in *generali* et dicere cum Propheta[2]: *Delicta iuventutis meae et ignorantias meas* etc.; in *speciali* vero non tenetur poenitere, sed tenetur facere quod in se est, ut sciat et ut peccata recognoscat. Committuntur enim peccata per ignorantiam *iuris;* et tunc, cognito iure, scit, se peccasse, ut puta qui fornicatus est ignorans, illud esse peccatum. Committuntur etiam per ignorantiam *facti,* diligentia debita non adhibita; et tunc cognoscuntur, Domino revelante; unde tenetur orare, ut Dominus parcat ei, vel revelet.

Conclusio bimembris.

Ignorantia duplex.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod peccatum commissum per ignorantiam est involuntarium; dicendum, quod non est omnino involuntarium, quia, etsi non perfecta fuerit cognitio, fuit tamen cognitio *actus,* quamvis non recognosceretur *circumstantia deformans;* et hoc melius patet in quaestione de ignorantia in secundo[3].

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non possumus poenitere de ignoratis; dicendum, quod verum est de ignoratis *omnino,* sed de *ignoratis in particulari* et *in universali scitis*[4] contingit conteri in universali. Et quia quaedam ignorata in particulari per negligentiam sciuntur per diligentiam; ideo tenetur facere quod in se est, ut sciat; et si non occurrat, tunc sufficit poenitentia in generali, ut doleat et etiam aliqua mala sustineat et in multis se offendisse[5] credat, quae ignorat.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ignoratum nullo iure scitur etc.; dicendum, quod ad poenitentiam sufficit cognitio *probabilis;* et probabile est cuilibet, qui fuit ignorans etiam in adulto, quod in multis offenderit. Et hoc insinuat lex divina, quae de illis docet poenitere et petere veniam; unde in Psalmo[6]: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod ignorata non possunt confiteri: ergo etc.; dicendum, quod illa tenemur confiteri, pro quibus oportet poenitentiam facere in speciali; talia autem, nisi nobis innotescant vel per nostram diligentiam, vel per revelationem divinam, ad poenitentiam in speciali agendam non obligant; nihilominus tamen in ipsa confessione debet homo se totum ostendere et libenter poenam portare, etiam de his quae sunt ignoranter perpetrata.

SCHOLION.

Principia adhibita ad solvendam utramque huius articuli quaestionem communi suffragio approbantur. Plures commentatores Lombardi eadem tradunt disputantes de contritione (infra d. 17.) et in quaestione, utrum peccatum sit actus voluntarius (II. Sent. d. 41, vel d. 24.).

De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 2. a. 1. 2. — S. Thom., IV. Sent. d. 17. q. 2. a. 2. quaestiunc. 3. ad 2. 3; Suppl. q. 2. a. 3. ad 2. 3; cfr. S. I. II. q. 76. a. 1-4; III. q. 86. a. 2. — B. Albert., hic a. 32. — Petr. a Tar., hic a. 5. quaestiunc. 2. 3.

QUAESTIO II.

Utrum necesse sit conteri de peccatis scienter commissis et postmodum oblitis.

Secundo quaeritur, utrum de peccatis scienter commissis et postmodum oblitis teneatur homo conteri, aut possit de talibus sine poenitentia salvari. Et quod teneatur *conteri,* videtur:

Ad oppositum.

1. Quia, si aliquis peccet et post cadat in furiam ante poenitentiam, non potest postmodum iustificari; et huius ratio est, quia non potest de peccatis poenitere: ergo si furiosus non excusatur, nec obliviosus.

2. Item, primae ad Corinthios quarto[7]: *Nihil mihi conscius sum* etc.; Glossa: « Quia potest latere quod nescio »: ergo latentia peccati impedit iu-

[1] Vide infra d. 21. p. II. a. 1. q. 2.
[2] Psalm. 24, 7. — Superius verbis *quam fecit* non pauci codd. interserunt *sibi.*
[3] Dist. 22. a. 2. q. 3.
[4] Ed. 1 cum pluribus codd. *satis.*
[5] Respicitur Iac. 3, 2: In multis enim offendimus omnes.
[6] Psalm. 18, 13. — Superius pro *etiam in adulto* secunda manus in cod. X substituit *etiam in adulta aetate.*
[7] Vers. 4. — De Glossa, quae est apud Lyranum *interlinearis,* vide supra pag. 210, nota 10.

stificationem; sed hoc non esset, nisi de illo teneretur poenitere: ergo etc. *Si tu dicas,* quod *in generali* tenetur; hoc non solvit, quia in generali non latet, immo quilibet debet reputare, se fuisse peccatorem.

3. Item, quod teneatur *in speciali,* videtur: quia si non esset oblitus, teneretur poenitere in speciali: ergo esto, quod ex culpa inciderit in oblivionem et ex negligentia, si non reportat commodum de malitia [1], adhuc tenetur.

Quaestio incidens. Item, quaero, quid sit conteri sive poenitere *in generali.* Si *sub conditione,* ut: doleo, si feci; similiter potest homo poenitere de his quae non fecit, sicut de his quae fecit.

Fundamenta. Contra: 1. Aliquis ita oblitus est, quod non potest recordari, quia memoria non est in nostra potestate: ergo si non tenetur ad impossibile [2], non tenetur ad *recordari;* sed non potest poenitere nisi de malis, quae recordatur: ergo nec de his.

2. Item, si facit homo quod in se est, Deus facit quod in se est; sed possibile est, istum facere quod in se est sine recordatione: ergo possibile est facere quod in se est sine poenitentia: ergo possibile est iustificari sine poenitentia: ergo non tenetur poenitere.

3. Item, aliquis est paratus dolere de omnibus et non dolet vel poenitet de his, nisi quia non recordatur: ergo oblivio introducta est impedimentum: si ergo dolet de oblivione, removetur impedimentum: ergo iustificatur.

4. Item, esto quod totum oblitus *sit in generali* et *particulari,* quia nunquam recordatur, se offendisse; talis non potest poenitere nec in generali nec in speciali, et tamen potest iustificari, quia est viator et potest demereri: ergo non oportet, quod de illis poeniteat.

CONCLUSIO.

De peccatis commissis et oblitis necesse est conteri in generali, non autem in speciali.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod oblitus aut est oblitus *omnino,* ita quod non recordatur nec in generali nec in speciali, aut est oblitus *in speciali,* sed tamen *in generali* recordatur. Quando est oblitus *in speciali,* tamen recordatur *in generali;* dico, quod tenetur poenitere et conteri *in generali* de negligentia sua, propter quam venit in illam oblivionem; et tenetur facere quod in se est, ut recordetur *in speciali* vel per recogitationem, vel per orationem. Conclusio 1. — Si autem sit *omnino* oblitus, adhuc tenetur conteri *in generali.* Conclusio 2. — Et voco *conteri in generali* non *sub conditione,* sed *sub existimatione probabili.* Debet enim homo probabiliter credere, quod in multis offendit [3], quorum non recordatur; et si ex hac existimatione doleat, sicut si certus esset, contritus est et poenitens. — Concedendae sunt igitur rationes monstrantes, quod non est necesse conteri in speciali sive poenitere. — Ad 4. fundam. Nec valet illud quod ultimo [4] opponitur, quod nec *in generali* tenetur, quia totum est oblitus. Dico enim, quod totum, quod est oblitus certitudinaliter, potest cognoscere probabiliter.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod obiicitur ad oppositum, quod oportet *specialiter,* per simile de furioso; responsio est, quod [5] furiosus nec generaliter nec specialiter potest poenitere; et nullus iustificatur sine poenitentia vel in generali, vel in speciali.

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod peccatum latens impedit *iustificationem;* dicendum, quod falsum est, immo [6] *certitudinem iustificationis,* quia non est certus de iustitia, eo quod non est certus de culpa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod reportat commodum; dicendum, quod falsum est, quia debet dolere in generali de illis et praeterea de oblivione; et *iterum,* gravius punitur a Deo, quam si non fuisset oblitus, tamen via salutis non praecluditur.

Ad quaest. incidentem. Ultimum de generalitate patet: quia *poenitere in generali* non est *per conditionem* [7], sed *per certitudinem* de peccatis commissis, quia scit, se aliquando peccasse, sed tamen non recolit, quo peccato; aut per *praesumtionem probabilem,* quae aliquando tantum dolorem generat in homine, sicut certitudo peccati, et tantundem valet [8].

ARTICULUS III.

De poenitentia post baptismum, quae est de venialibus.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de poenitentia venialium. Circa quam duo quaeruntur.

Primo quaeritur de periculo morbi.
Secundo vero de necessitate remedii.

---

[1] Cfr. supra pag. 103, nota 11.

[2] Secundum regulam iuris supra pag. 234, nota 6. allegatam.

[3] Vide supra pag. 407, nota 5. verba Iacobi. — Codd. R S T addunt *Deum.* Inferius post *contritus est* cod. L omittit *et,* pro quo cod. E *vel.*

[4] Scil. in fundam. — Inferius post *quod totum* codd. omittunt *quod est.*

[5] In cod. X secunda manus addidit *non est simile, quia.*

[6] Sive: impedit solum.

[7] Cod. U *non est poenitere sub conditione.* Mox post *sed* Vat. addit *aut.* Inferius pro *probabilem* in codd. plurimis substituitur *probare,* in ed. 1 *potest probare.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum veniale peccatum possit fieri mortale.

Primo ergo quaeritur, utrum veniale peccatum possit fieri mortale. Et quod sic,

1. Per *complacentiam* specialiter, videtur: Augustinus[1]: «Nihil adeo est veniale, quod non fiat mortale, dum placet». — Item, quod per *multitudinem:* Augustinus de Poenitentia[2]: «Quamvis singula non letali vulnere ferire sentiantur; tamen omnia simul congregata, velut scabies, eo quod plura sunt, necant».

Ad oppositum.

2. Item, *ratione* videtur: quia *complacentia* est plenus consensus; sed delectatio, quae est venialis, adveniente consensu, fit mortalis: ergo veniale per complacentiam fit mortale. *Minor* patet, quia delectatio morosa, quae est venialis ante consensum, postea fit mortalis[3].

3. Item, *placitum* est quietata voluntas; sed quiescens in creatura fruitur illa, et ita peccat mortaliter[4]: ergo veniale fit per complacentiam mortale.

4. Item, quod per *multitudinem,* videtur: quia amor mortalis non excedit amorem venialis in infinitum; sed finitum aliquoties sumtum reddit *esse finitum*[5]*:* ergo etc. *Si tu dicas,* quod excedit in infinitum, quia hoc est supra Deum, et illud infra; *contra:* ab eadem virtute non exit motus in infinitum maior et minor; sed mortalis amor et venialis sunt ab eadem potentia: ergo etc.

5. Item, veniale est alicuius quantitatis, quia est maius et minus; sed omne quantum est proportionale quanto: ergo mortale, cum sit quantum, non excedit veniale improportionaliter, et sic etc.

6. Item, unum veniale disponit aliquo modo, et aliud magis; sed per maiorem dispositionem fit *necessitas*[6]*:* ergo necessario, ut videtur, veniale introducit mortale peccatum.

Contra: 1. Veniale et mortale specie differunt[7];

Fundamenta. sed *complacentia,* eo quod complacentia, non mutat speciem, sed conservat: ergo unum per complacentiam non fit alterum: ergo veniale non fit mortale.

2. Item, mortale excedit veniale in infinitum, quia poena excedit poenam in infinitum[8]: ergo veniale infinities *multiplicatum* non fit mortale.

CONCLUSIO.

Peccata venialia per essentiam non fiunt mortalia, fiunt tamen interdum ratione vel pleni consensus, vel quietatae voluntatis, vel dispositionis sive pronitatis.

Respondeo: Dicendum, quod triplex est genus venialis peccati. Triplex genus venialium. Quoddam enim est ex *subreptione;* et ideo veniale, quia vitari non potest tunc[9]. Quoddam ex *cogitatione* sine voluntate sive consensu, et ideo veniale, quia non plene consentit homo, ut in cogitatione de muliere et delectatione citra consensum in delectationem. Quoddam est veniale cum *ratione et consensu;* sed tamen ideo est veniale, quia non est deordinatio contra praeceptum, ut ebrietas et mendacium iocosum.

Cum igitur quaeritur, utrum veniale fiat mortale; si intelligat[10], quod haec culpa per essentiam Conclusio 1. fiat illa, nulla est quaestio, quia hoc est impossibile. — Si intelligat, quod illud quod alias erat veniale, possit esse mortale, ut mendacium iocosum et ebrietas; dico, quod quoddam non fit mortale, Conclusio 2. quoddam fit mortale *per complacentiam. Primum* igitur veniale, quod committitur praeter rationem, Conclusio 3. semper est veniale; sed *secundo* modo veniale per delectationem citra consensum fit mortale per consensum, et ita per complacentiam, secundum quod *placitum* dicitur *consensus plenus. Tertium* veniale, quod est per delectationem citra Deum, potest Conclusio 4. fieri mortale *per libidinem magnam,* sicut mendacium iocosum; et hoc fit mortale secundum placitum, secundum quod *placitum* dicitur *quietata voluntas.* Et quia *iteratio* actus disponit ad *libidinem* et *complacentiam;* hinc est, quod Augustinus

---

[1] Vide tom. II. pag. 576, nota 6.

[2] Serm. 351. (qui est 1. de *Poenitentia*) c. 3. n. 5. Textus originalis *quo plura* pro *eo quod plura.* — Pro *per multitudinem* cod. S *per multiplicationem.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 24. p. II. dub. 1. — Superius pro *complacentia* codd. O R S T *per complacentiam.*

[4] Vide I. Sent. d. 1. a. 1. q. 3. et a. 3. q. 2; II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. — Fide codd. A F G H V W aa substituimus *quietata* pro *quieta,* hic et infra in fine corp. et in solut. huius obiect., ubi etiam plures alii codd. legunt *quietata.*

[5] Sensus est: finitum, si aliquoties sumitur sive multiplicatur, non fit infinitum, sed alterum finitum. — Pro *esse finitum* ed. 1 cum pluribus codd. perperam *esse infinitum,* Vat. *esse non finitum.*

[6] Cfr. supra pag. 22, nota 9. — Superius pro *et aliud magis* plures codd. *et* [codd. A W omittunt *et*] *ad aliud magis,* edd. *ad mortale,* cod. K (a secunda manu) *ad mortale, et aliud magis.*

[7] Ut ostensum est II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 1. ad 6.

[8] Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 2. — Inferius post *non fit* codd. R S addunt *etiam.*

[9] Hoc, ut asseritur II. Sent. d. 21. a. 3. q. 1. in corp., dicitur veniale a *veniendo,* quia venit ex subreptione et pronitate naturae corruptae. Ibid. tertium genus venialis inferius adductum vocatur «veniale ex genere actus». Cfr. infra q. 2. et d. 17. p. II. dub. 7. — Aliquanto inferius pro *citra consensum* edd. *circa consensum.*

[10] Codd. H K aa hic et paulo inferius *intelligatur.*

Conclusio 5. dicit in pluribus locis[1], quod plura venialia obruunt, non *per se*, sed quia *disponunt* ad libidinem, non dispositione *necessitatis*, sed *pronitatis.*

Ad illud ergo quod[2] probatur, quod venialia Ad fundam. non fiant mortalia per *essentiam;* dicendum, quod verum est.

1. Sed quod obiicit in contrarium de Augu-Solutio oppositorum. stino, solutum est, quomodo intelligitur. Illud enim intelligitur sive per convenientiam in genere actus, sive per dispositionem, quia multa venialia disponunt ad libidinem et contemptum; ideo Augustinus[3] comparat ea bestiis minutis, comparat guttis, comparat arenae, comparat scabiei, non quia ipsa in se faciunt naufragium, sed quia ad hoc perducunt per accidens.

2. 3. Ad illud quod obiicitur de consensu et Notandum. quietata voluntate, dicendum, quod quando consensus venit, novum peccatum fit, nec fit veniale mortale, sed quod alias esset veniale, fit mortale.

4. Ad illud quod obiicitur, quod per multitudinem; dicendum, quod est *infinita* proportio, non quia motus est infinitus *intensione*, sed *reputatione,* sicut patet in eo qui diligit ex caritate: plus diligit Deum quam denarium unum et quam in infinitum multiplicatum[4]; unde amor *infra* Deum nunquam comparabilis est amori, qui est *supra* Deum, secundum istum modum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod veniale est quantum; dicendum, quod quemadmodum linea est in se quanta, sed comparatione superficiei non habet quantitatem[5]; sic veniale, etsi de se quantum sit, comparatione mortalis caret quantitate.

6. Ad illud quod obiicitur de dispositione, dicendum, quod voluntas semper libere movetur, et Notandum. ideo non disponitur dispositione, quae sit *necessitas,* sed tantum dispositione, quae est *pronitas;* non sic natura, quae ad unam partem est determinata[6]. — Alia ratio. Et alia ratio est in habente caritatem, quia sustentatur a virtute infinita; et talis per nullum pondus compellitur cadere, salva sustentatione; voluntas enim semper libera est et, quamdiu est in via, vertibilis est; et ideo nunquam inevitabiliter, dum est in via, ad malum culpae disponitur. Et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Ad quaestionem, utrum veniale possit fieri mortale, respondetur communiter, quod nec *idem* numero actus potest fieri ex veniali mortale, nec *plura* venialia per se constituunt unum mortale, nisi *dispositive* vel ex parte *consensus;* sed aliter dicendum de circumstantiis graviter speciem mutantibus.

Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 3. a. 1. § 1. — Scot., IV. Sent. d. 21. n. 3. seqq.; III. Sent. d. 39. q. unica n. 3. seq. — S. Thom., II. Sent. d. 24. q. 3. a. 7; S. I. II. q. 88. a. 4. — B. Albert., II. Sent. d. 24. a. 15; Sum. p. II. tr. 18. q. 117. m. 4. a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 6. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

II. Quaestio seq. (2.) intelligitur de necessitate *absoluta* poenitendi de venialibus, quam quidam aliquatenus sustinere voluerunt cum Alexandro Hal. (loc. cit. m. 3. a. 3. § 5, a. 4. § 2.), hoc duplici principio innixi, quod post vitam in purgatorio non remittatur *culpa*, sed tantum *poena*, et quod formalis actus poenitentiae requiratur ad deletionem peccati, etiam venialis. Sed de hac quaestione plerumque alii magistri tractant et diffuse disputant infra d. 21. p. I. a. 1. q. 2, a. 2. q. 1, ubi in scholio citantur ceteri auctores. Attamen hoc loco rem tractat B. Albert., a. 54. 55.

QUAESTIO II.

Utrum quis teneatur poenitere de veniali.

Secundo quaeritur de poenitentia venialium quantum ad necessitatem remedii. Et est quaestio, utrum teneatur quis poenitere de veniali. Et quod sic, videtur:

1. Quia impossibile est intrare in gloriam, nisi Argg. pro parte affirmativa. veniale remittatur[7]; sed veniale est actuale peccatum, et ab illo non iustificatur nisi per poenitentiam: ergo necesse est poenitere.

2. Item, aliquod est veniale, quod per consensum fit mortale[8]: ergo aliqua sunt, in quae tenemur dissentire, ne fiant: ergo postquam talia sunt commissa, tenemur dissentire et de eis dolere: ergo et poenitere.

3. Item, multitudo venialium de proximo disponit ad mortale, licet non necessario: ergo qui dimittit, venialia in se multiplicari, committit se

---

[1] Epist. 265. (alias 108.) n. 8, et de Cantico novo, c. 2. n. 2, ubi exemplum ponitur de naufragio, proveniente ex humore paulatim intrante per rimas; in Ioan. Evang. tr. 12. n. 14, et Enarrat. in Ps. 39. n. 22, ubi exemplum de granis arenae, quae licet sint minuta in se, hominem obruere et opprimere possunt multiplicata; Serm. 9. (alias 96. de Tempore) c. 11. n. 17, ubi venialia bestiis minutis hominem necantibus comparantur, et Serm. 56. (alias 48. de Diversis) c. 9. n. 12, ubi assimilantur guttis minutis, quae flumina implent. — Superius pro *secundum placitum* codd. R S *per placitum.*

[2] Fortasse legendum *quo.*

[3] Vide notam penultimam et supra pag. 409, nota 2.

[4] August., Enarrat. in Ps. 118, 72. serm. 17. n. 10: Ut amplius diligat caritas legem Dei, quam diligit cupiditas *millia auri et argenti.* — In fine solut. pro *istum modum* codd. R S T *iustum modum.*

[5] Cfr. tom. III. pag. 280, nota 5. — Inferius post *comparatione* edd. supplent *tamen.*

[6] Vide supra pag. 115, nota 10; Aristot., IX. Metaph. text. 3. et 10. (VIII. c. 2. et 5.). — Aliquanto inferius voci *vertibilis* cod. aa praemittit *semper.*

[7] Cfr. Apoc. 21, 27.

[8] Ut dictum est quaest. praeced., ubi etiam *maior* seq. arg. insinuatur. — De dolore poenitentiae vide supra p. I. a. 1. q. 1.

discrimini; sed omnes tenentur non committere se discrimini: ergo etc.

4. Item, quod poena exterior sit necessaria, videtur, quia dicit Magister in littera [1], quod est pectus percutiendum, et quantulacumque poena est sustinenda.

5. Item, Augustinus [2], loquens de periculo venialium: « Ieiunia, inquit, et orationes et eleemosynae invigilent ».

Pro parte negativa.

Sed contra: 1. Quae non tenemur vitare, non tenemur de his poenitere — hoc certum est, quia, sicut virtus poenitentiae detestatur factum, ita cavet faciendum [3] — sed talia sunt venialia: ergo etc.

2. Item, ad nihil tenemur, sine quo potest esse caritas; sed caritas potest esse sine deletione venialium, quia stat cum venialibus [4]: ergo de venialibus non tenemur poenitere.

3. Item, non teneor [5] poenitere de hoc veniali nec de illo, et sic de aliis: pari ratione ergo de nullo.

4. Item, quod non debeatur veniali poena *exterior,* videtur: quia veniale est minus mortali in infinitum; sed mortali debetur poena finita exterior [6]: ergo veniali nulla.

CONCLUSIO.

Poenitentia de peccato veniali secundum se non est necessaria, sed bene, prout praebet rationem periclitandi.

Distinctio.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de morbo peccati venialis: aut *in se,* aut in quantum praebet *occasionem periclitandi,* quam ponit Augustinus in littera [7], sive per consensum, sive per contemptum. Si loquamur de veniali *in se;* sic

Conclusio 1.

dico, quod non est necesse poenitere de veniali, nec poenitentia interiori nec poenitentia exteriori; quoniam, sicut infra [8] videbitur, veniale non solum in hac vita deletur, verum etiam post mortem. — Si autem loquamur *ratione periculi,* ad quod ducit; sic dico, quod quia ducunt ad periculum ipsum impoenitentem, quod tenetur homo de aliquibus poenitere, quando advertit periculum, sicut manifeste dicit Augustinus in littera [9].

Conclusio 2.

Tria genera venialium.

Et ideo notandum est, sicut tactum est [10], quod tria sunt genera venialium: quaedam ex *subreptione;* et de his non tenemur poenitere nisi de congruo; quaedam ex *cogitatione,* cui si consentiatur, incidit homo in mortale; et de tali tenetur homo poenitere non simpliciter, sed in casu, sive pro loco et tempore, quando recogitat ea, ne, si consentiat, cadat. Quaedam autem sunt venialia, quae per sui multitudinem *augent libidinem,* sicut illa, in quae est consensus, sed deordinatio infra Deum; et de talibus dico, quod tenetur homo poenitere, ne multiplicentur, et homo periculo et discrimini se committat. Et ad talium poenitentiam hortatur Augustinus [11], ostendens periculum, quod est in multitudine venialium, comparans arenae, comparans bestiis minutis, comparans guttis multiplicatis, comparans scabiei; et intelligenda est similitudo quantum ad haec omnia ratione *periculi,* non quod faciant ipsa venialia *de se,* sed quod ad hoc hominem *praeparant.* Et de his sanum consilium est etiam poenam sustinere, sicut Augustinus [12] determinat. Utrum autem teneamur sacerdoti ea confiteri et ad eius arbitrium satisfacere, quaestio erit infra [13], cum agetur de confessione.

Ad argg.

Ex his patent obiecta ad utramque partem. Nam rationes ad primam partem procedunt ratione periculi, ad quod disponunt, praeter primum, ad

Ad 1. pro parte affirm.

quod solvendum *per interemptionem* [14], quia remitti possunt in alio saeculo. — Rationes vero ad oppositum procedunt ratione morbi in se.

Ad 4. pro parte negat.

Ultimum tamen non valet. Quamvis enim mortale, quamdiu est mortale, sit improportionale; tamen in ipsa iustificatione remittitur poena aeterna, et mortale fit quodam modo veniale, et ita proportionale [15].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de ista divisione, quam ponit Magister in littera, *quod tribus modis agitur poenitentia,* utrum sit *poenitentiae-virtutis,* an *poenitentiae-Sacramenti.* Et videtur, quod non *virtutis,* quia haec simplex est et species specialissima [16]. —

---

[1] Hic c. 4. et 6.

[2] Epist. 265. (alias 108.) n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 5.

[3] Vide supra d. 14. p. I. dub. 4.

[4] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. fundam.

[5] Codd. R S *tenemur.*

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 6. in fine. Cfr. etiam supra d. 15. p. I. q. 1. et p. II. a. 1. q. 1. seqq.

[7] Hic c. 5.

[8] Dist. 21. p. I. a. 2. q. 1.

[9] Hic c. 5. Cfr. ibid. c. 6. verba Magistri.

[10] Quaest. praeced. — Inferius pro *quaedam ex cogitatione* non pauci codd. et ed. 1 perperam *quaedam ex voluntate.* Subinde voci *quando* codd. A I K aa praemittunt *scilicet.*

[11] Vide supra pag. 410, nota 1. — Pro *et homo* edd. *et in hoc.* Superius pro *multitudinem* cod. aa *multiplicationem.*

[12] Vide arg. 5. pro parte affirm., et hic lit. Magistri, c. 5. — Pro *sed quod ad hoc* plurimi codd. et ed. 1 *sed ad quod* (cod. L *quae); fortasse legendum sed ad hoc* (similitudo est), *quod.*

[13] Dist. 17. p. III. a. 2. q. 1.

[14] Sive negationem. Cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Pro *praeter primum, ad quod* Vat. *praeter primam, quam.* Inferius pro *Ultimum,* quod multi codd. et ed. 1 omittunt, codd. F G *Ultima.*

[15] Vide infra d. 17. p. II. dub. 7. et d. 21. p. I. a. 1. q. 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[16] Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie:* Amplius autem [species definitur] sic quoque: Species est, quae de pluribus

Item, quod nec *Sacramenti:* quia, multiplicato superiori, multiplicatur inferius[1]: ergo secundum hoc videtur, quod poenitentia secundum tres differentias sit triplex Sacramentum. *Praeterea,* « omne Sacramentum, ut dicit Ambrosius[2], simplex est ».

Respondeo: Dicendum, quod poenitentia, quae est ante baptismum, est *poenitentia-virtus,* non *poenitentia-Sacramentum;* et poenitentia, quae est post baptismum, est *poenitentia-Sacramentum;* et ideo poenitentia in hac divisione accipitur communiter ad Notandum. *virtutem* et *Sacramentum;* nec est dictum *aequivoce,* sed *analogice* per reductionem ad unam naturam[3]. — Ulterius notandum quod partes istae non sunt diversificantes poenitentiam *essentialiter,* sed secundum *statum;* et ideo non est divisio in partes *essentiales,* nec oportet ex hoc Sacramentum multiplicari nec esse compositum. Et sic patet illud[4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *poenitentia fit pro peccatis, quae Legis decalogus continet.* Videtur enim non bene dicere, quia in decalogo non prohibetur superbia nec hypocrisis nec consimilia: ergo pro his non videtur esse poenitendum.

Respondeo: Dicendum, quod sicut in ordine Notandae distinctiones. praedicamenti quaedam sunt in genere *per se,* quaedam sunt in genere *per reductionem,* sicut principia et etiam privationes[5]; sic intelligendum est in articulis fidei. Quaedam enim sunt *antecedentia,* quaedam *consequentia,* et quaedam sunt *directe credibilia,* sicut articuli; et in omnibus his iudicatur quis *haereticus,* si perverse sentiat. Per hunc modum intelligendum est in praeceptis decalogi, Triplex modus prohibendi. quod quaedam sunt ibi prohibita *principaliter et explicite,* quaedam ut *annexa et implicite:* ut verbi gratia, si dicatur: *Non moechaberis*[6], *principaliter* prohibetur et *explicite* actus adulterii, sed *implicite* et *in generali* omnis actus coitus ut *antecedens;* et sic prohibetur concupiscentia coitus sive aspectus mulieris ad moechandum; *consequenter* vero prohibetur omnis effusio seminis inordinata. Sic intelligendum in aliis, quod in primo praecepto praecipitur cultus Dei; et in hoc praecipitur actus fidei *antecedenter,* et *consequenter* omnis elatio et superbia prohibetur; et sic in aliis[7].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cum dicimus: Dimitte nobis debita nostra* etc.; *manifestamus, nos habere quod nobis dimittatur.* Esto ergo, quod aliquis non habeat conscientiam peccati in aliquo instanti, utpote quando Missam cantat, et est bene confessus et intentus caelestibus; tunc videtur, quod talis dicendo istam orationem peccet mortaliter, quia facit contra conscientiam.

Respondeo: Dicendum, quod omnis homo potest rationabiliter habere conscientiam de peccato *veniali,* tum propter *frequentiam,* tum propter *ignorantiam,* quia in multis ignoranter delinquimus, etiam cum credimus bene facere; tum propter *adhaerentiam,* quia amor rei temporalis et affectiones istae inordinatae frequenter multum nobis adhaerent. Et ideo quilibet potest dicere: *Ab occultis meis munda me, Domine*[8] etc. — Vel potest dici, quod adhuc Aliter. potest dicere in persona aliorum; et ideo non peccat, sed pro aliis impetrat pro illo tempore[9], vel petit pro se ipso pro statu alio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Delet omnino haec oratio minima et quotidiana* etc. Videtur enim

---

et differentibus numero in eo *quod quid est* [essentialiter] praedicatur; sed haec quidem assignatio *specialissimae* [speciei] est, et quae solum species est, non autem genus [v. g. homo].

[1] Colligitur ex dicto Aristot. supra pag. 110, nota 5. allegato. — Superius post *Sacramenti* cod. H addit *videtur.*

[2] Vide supra pag. 75, nota 6.

[3] Vide supra d. 14. p. I. a. 1. q. 1. in fine corp.

[4] Idem dub. solvit Alex. Hal., S. p. IV. q. 16. m. 3. a. 1. ad 4. et q. 15. in principio; B. Albert., hic a. 47; S. Thom., hic q. 1. a. 2.

[5] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. in fine et ibid. pag. 48, nota 1. — De seq. propos. vide III. Sent. d. 25. a. 1. q. 1. in corp.

[6] Exod. 20, 14. Cfr. III. Sent. d. 37. dub. 6. — Inferius pro *omnis actus* codd. R T *omnis illicitus,* et pro *moechandum* codd. H L V (bb a secunda manu) *videndum,* edd. *concupiscendum.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. ad 7. — Cod. P addit: Notandum tamen ad praesens, quod praecepta fidei, spei et caritatis reducuntur ad primum praeceptum: *Non adorabis* etc., hoc est, me solum adorabis ut Dominum, id est, in me solum credes tanquam in summam veritatem, in me solum sperabis tanquam in summe liberalem, me solum prae omnibus diliges tanquam summe bonum. *Luxuria* prohibetur, cum dicitur: *Non concupisces uxorem* etc. [Cfr. III. Sent. d. 40. dub. 1.]. *Avaritia,* cum praecipitur: *Non concupisces rem* etc. *Ira,* cum dicit: *Non occides.* Item *superbia* contraria adorationi prohibetur in primo mandato, quia *initium superbiae apostatare a Deo,* Eccli. 10. [v. 14.]. Item: *Initium omnis peccati superbia,* Eccli. 10. [v. 15.], et secundum hoc prohibetur in omni mandato. *Invidia,* quae recte opponitur dilectioni proximi, prohibetur ibi: *Honora patrem tuum* etc; quia nomine patris et matris intelligitur omnis proximus diligendus in suo ordine. *Accidia* vero prohibetur, cum dicitur: *Memento, ut diem Sabbati* etc.; nam qui taedium boni habet quietis Sabbatum sanctificare non potest. *Gula* prohibetur in eodem, quia qui gulae deservit suavitatem devotionis non servat. *Hypocrisis* prohibetur in *Non assumes nomen Dei tui* etc.; ille enim nomen Dei in vanum assumit, qui bonitatis nomen et sanctitatis sophistice quaerit etc. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 53; S. Thom., hic circa lit.

[8] Psalm. 18, 13: Delicta quis intelligit [propter frequentiam sive multitudinem]? ab occultis meis munda me [propter ignorantiam], et ab alienis [i. e. alienantibus nos a fervore caritatis] parce servo tuo [propter adhaerentiam]. Ita B. Albert., hic a. 55.

[9] Dicit enim *debita nostra,* non *debita mea.* — Idem dub. solvit praeter B. Albert. S. Thom., hic circa lit.

ex hoc dicere Augustinus [1], quod oratio dominicalis deleat peccata. Sed *contra:* solius gratiae est delere peccata: ergo etc. *Si tu dicas,* quantum ad *poenam; contra:* non est par poena venialis et mortalis; sed ista est satisfactio pro venialibus: non ergo pro mortalibus.

Respondeo: Dicendum, quod ipse loquitur de Notandum. deletione quantum ad *poenam.* Valet enim haec oratio contra poenam venialis et mortalis; sed plus contra poenam debitam alicui *veniali,* quae tota potest remitti in hac oratione, si dicatur devote. Ad [2] poenam *mortalis* valet, sed non tantum, quia non totum remittit; valet tamen aliquantulum, immo multum, non tantum ratione orationis, sed ratione eleemosynae implicitae; et ista est eleemosyna praecipua, scilicet remittere peccatum proximo; et ideo dicit [3]: « Si veraciter dicitur: Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus ».

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si ita veraciter dicatur, sicut et nos dimittimus* etc. Secundum hoc enim videtur, quod omnis qui habet rancorem, in dicendo istam orationem peccet mortaliter; quia omnis qui petit, sibi dimitti, sicut dimittit alii, si non dimittit, ex hoc petit, sibi non dimitti; sed quicumque petit, sibi peccatum non dimitti, peccat mortaliter: ergo videtur, quod semper peccat mortaliter, quando hanc orationem dicit.

Respondeo: Dicendum, quod nullus dicens hanc orationem intendit ipsam dicere ad petendum iram, sed potius ad petendum misericordiam. Quando ergo dicit illam conditionem, non intendit vim conditionis aggravare, sive sit homo intelligens, sive simplex; et ideo non est ibi novus contemptus, ac per hoc nec novum peccatum; nihilominus peccatum aggravatur *occasionaliter* [4]. Et *si tu obiicias,* quod tunc deberet abstinere; dico, quod adhuc aggravaretur magis, dum ab aliis petitionibus saluberrimis cor petentis arceretur. *Si tu dicas,* quod *illam* deberet dimittere; adhuc gravius peccaret, dum Domini orationem scienter infringeret. Et ideo sanum consilium est cuilibet, quod in fraterno odio nullatenus perseveret; apparet enim, quod sine dispendio maximo esse non potest [5]. Notandum.

DISTINCTIO XVII.

Pars I.

Cap. I.

Utrum sine confessione dimittantur peccata.

Hic oritur quaestio multiplex. Primo enim quaeritur, utrum absque satisfactione et oris confessione per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur. Secundo, an aliquando sufficiat confiteri Deo sine sacerdote. Tertio, an laico fideli facta valeat confessio. — In his enim etiam docti diversa sentire inveniuntur, quia super his varia ac pene adversa tradidisse Opinio 1. videntur doctores. Dicunt enim quidam, sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato mundari, Opinio 2. si tempus illa faciendi habuerit. — Alii vero dicunt, ante oris confessionem et satisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti a Deo, si tamen votum confitendi habeat. Unde Propheta [1]: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti* etc. Quod exponens Cassiodorus [2] ait: « *Dixi,* id est Cassiodorus. deliberavi apud me, quod *confitebor, et tu remisisti.* Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione iudicatur ». Dubium 1. Item Augustinus [3]: « Nondum pronuntiat, promittit, se Augustinus. pronuntiaturum; et Deus dimittit, quia hoc ipsum *dicere* quoddam pronuntiare est corde. Nondum est vox in ore, ut homo audiat confessionem, et Deus audit ». Item: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum* etc. Alibi etiam legitur: *Quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur;* non dicitur: ore confessus fuerit, sed *con-*

---

[1] Cuius sunt verba, de quibus hic est quaestio; cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[2] Edd. *Contra,* quae etiam inferius cum non paucis codd. *remittitur* pro *remittit.*

[3] August., hic in lit. Magistri, c. 6. Ibid. etiam insinuantur alia, quae in hac solut. ponuntur.

[4] Cfr. Innocent III, V. de Sacro Altaris mysterio, c. 22. — Subinde pro *arceretur* non pauci codd. *arceret* et *gravius peccasset* pro *gravius peccaret.*

[5] Vide Alex. Hal., S. p. IV. q. 10. tr. de Officio Missae, p. II. de quinta petitione orationis dominicae.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Psalm. 31, 5. — De his duabus opinionibus cfr. Hugo, II. de Sacram. p. 14, c. 8, et Sum. Sent. tr. 6. c. 11; insuper Gratian., Introductio de Poenit. d. 1.

[2] In eund. Ps. v. 7; sed ipse hoc sumsit ex August. in seq. nota cit.; in quo textu pro *quod ad* Vat. *qui ad,* codd. DE et ed. 4 *quae ad.* — Supra pro *pene adversa* plurimae edd. male *pene diversa.*

[3] In Ps. 31. enarrat. 2. n. 15, et apud Lyran. loc. cit., et C. *Magna pietas* (5.), de Poenit. d. 1. — Duo loci Scripturae sunt Ps. 50, 19; Ezech. 18, 17.

Gratianus. *versus ingemuerit.* «Unde datur intelligi, quod etiam ore tacente, veniam interdum consequimur. Hinc etiam *leprosi illi,* quibus Dominus praecepit, ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere, antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo insinuatur, quod antequam sacerdotibus ora nostra aperiamus, id est peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur. *Lazarus* etiam non prius de monumento est eductus et post a Domino suscitatus, sed intus suscitatus, prodiit foras vivus; ut ostenderetur suscitatio animae praecedere Dubium 2. confessionem. Nemo enim potest confiteri nisi suscitatus, quia *a mortuo,* velut qui non est, *perit confessio:* nullus ergo confitetur nisi resuscitatus. Nemo vero suscitatur, nisi qui a peccato solvitur; quia peccatum Dubium 3. mors animae est, quae ut est vita corporis, ita eius vita Deus est[1]». — His aliisque pluribus auctoritatibus probatur, ante confessionem vel satisfactionem sola compunctione peccatum dimitti. Quod qui negant eas determinare laborant, nec non in huius sententiae depressione et ad suae opinionis assertionem auctorum testimonia inducunt. Ait enim Dominus per Isaiam[2]: Ambrosius. *Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris.* Item Ambrosius: «Non potest quisquam iustificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus». Idem dicit: «Confessio a morte animam liberat, confessio aperit paradisum, Dubium 4. confessio spem salutis tribuit; quia non meretur iustificari qui in vita sua peccata non vult confiteri. Illa confessio nos liberat, quae fit cum poenitentia. Poenitentia vero est dolor cordis et amaritudo animae pro Ioannes. malis, quae quisque commisit». Item Ioannes[3]: «Non Dubium 5. potest quisquam gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per poenitentiae confessionem Augustinus. et per baptismum». Item Augustinus[4]: «Agite poeni- Dubium 6. tentiam, qualis agitur in Ecclesia. Nemo dicat sibi: occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis super terram soluta erunt et in caelis?* Ergo sine causa *claves datae sunt?* Frustramus verbum Christi. Iob dicit: *Si erubui in conspectu po-* Dubium 7. *puli peccata mea confiteri»!* Item Ambrosius[5]: «Ve- Ambrosius. nialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum». Augustinus. Item Augustinus[6] super illum locum Psalmi: *Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum:* «Puteus est profunditas iniquitatis, in quam si cecideris, non claudet super te *os suum,* si tu non claudis *os tuum.* Confitere ergo et dic: *De profundis clamavi ad te, Domine* etc.; et evades. Claudit super illum qui in *profundo contemnit,* a quo mortuo, velut qui non sit, *perit confessio*». Idem[7]: «Nullus debitae Augustinus gravioris poenae accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem, quam debeat, solverit poenam. Ita enim impartitur a Deo largitas misericordiae, ut non relinquatur iustitia disciplinae». Item Hierony- Hieronymus. mus[8]: «Qui peccator est plangat delicta propria vel populi et ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, et dormiat in sacco, ut praeter- Dubium 8. itas delicias, per quas Deum offenderat, vitae austeritate compenset». — His aliisque auctoritatibus nituntur asserere, sine confessione vocis et aliqua solutione poenae neminem a peccato mundari.

Quid ergo super his sentiendum? quid tenendum? Sententia Magistri. Sane dici potest, quod sine confessione oris et solutione poenae exterioris peccata delentur per contritionem et humilitatem cordis. Ex quo enim *proponit* mente compuncta, se confessurum, Deus dimittit; quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula et contagio[9] peccati commissi, et debitum aeternae mortis relaxatur. — Illa ergo, quae superius dicta sunt de confessione et poenitentia, vel ad *confessionem cordis* et ad interiorem poenam referenda sunt — sicut illud Augustini, «quod nullus dicitur veniam consequi, nisi prius quantulamcumque peccati solverit poenam» — vel de *exteriori* poena accipienda sunt et ad contemnentes vel negligentes referenda, sicut illud: «Nemo dicat, occulte ago» etc. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel Necessitas confessionis. erubescunt, et ideo non merentur iustificari. Sicut enim praecepta est nobis *interior poenitentia,* ita et *oris confessio* et *exterior satisfactio,* si adsit facultas. Unde nec vere poenitens est qui confessionis votum non habet. Et sicut peccati remissio munus Dei est, ita poenitentia et confessio, per quam peccatum deletur, non potest esse nisi a Deo, ut Augustinus[10] ait: «Iam, in- Augustinus. quit, donum Spiritus sancti habet qui confitetur et poenitet, quia non potest esse confessio peccati et punitio in homine ex se ipso. Cum enim irascitur sibi quisque et displicet, sine dono Spiritus sancti non est». Oportet ergo, poenitentem confiteri, si tempus habeat; et tamen, antequam sit confessio in ore, si votum sit in corde, praestatur ei remissio.

---

[1] Gratian., super C. *Convertimini ad me* (34.), ibid., ubi respiciuntur Luc. 17, 14; Ioan. 11, 44; Eccli. 17, 26. — De vita animae cfr. August. in Ps. 70. enarrat. 2. n. 3.

[2] Cap. 43, 26. — Locus Ambrosii est de Paradiso, c. 14. n. 71; C. *Non potest* (38.), ibid. Seq. locus est eiusdem, Serm. 25. de s. Quadragesima, n. 1; C. *Ecce nunc tempus* (39.), ibid.

[3] In paucis edd. additur *Chrysostomus,* at locus iste non invenitur in ed. Maurina Chrysostomi, est tamen in C. *Non potest quis* (41.), ibid., ubi editores censent, fortasse substituendum esse *Chromatium* pro Chrysostomo.

[4] Serm. 392. (alias homil. 49. inter Homil. 50) c. 3. n. 3; C. *Agite poenitentiam* (44.), ibid. Loci Scripturae sunt Matth. 18, 18; Ioan. 20. 23; Iob 31, 33.

[5] Libr. de Paradiso, c. 14. n. 71; C. *Serpens* (47.), ibid.

[6] Enarrat. in Ps. 68, 16. serm. 1. n. 19; Gratian., super C. *Voluissent iniqui* (60.), ibid. § 3, et apud Lyran. in eund. locum. — Loci Scripturae sunt Ps. 129, 1; Prov. 18, 3; Eccli. 17, 26.

[7] De Continentia, c. 6. n. 15; C. *Nullus debitae* (42.), ibid.; ubi in fine pro *iustitia disciplinae* codd. B C et edd. 2, 3, 6, 7, 8 *iustitiae disciplina,* refragantibus originali et canone.

[8] Comment. in Ioel. 1, 13; C. *Qui sanctus* (66.), ibid. — Pro *propter peccata* codd. B C D E et ed. 1 *propter peccatum,* refragante canone. — De ultima propositione et seqq. cfr. Gratian., super C. *Quis aliquando* (87.), ibid. § 14.

[9] Ita codd. et plurimae edd., in aliis *contagione.*

[10] Enarrat. in Ps. 50. n. 16, ubi pro *punitio* edd., excepta 1, *compunctio,* refragantibus codd. et originali.

Pars II.

Cap. II.

An sufficiat soli Deo confiteri.

Iam secundum quaestionis articulum inspiciamus, (Dubium 1.) scilicet utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an (Opinio 1. et falsa.) oporteat confiteri sacerdoti. — Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali et confessione Ecclesiae; quia David dixit[1]: *Dixi, confitebor Domino, et tu remisisti* etc.; non ait *sacerdoti,* et (Ambrosius.) tamen remissum sibi peccatum dicit. Item Ambrosius: « Ideo flevit Petrus, quia culpa obrepsit ei; non invenio, quid dixerit; invenio, quod fleverit. Lacrymas (Dubium 2.) eius lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest ablui potest. Lavant lacrymae delictum, quod voce pudor est confiteri. Et veniae fletus consu- (Maximus et Chrysostomus.) lit et verecundiae ». Hoc idem etiam Maximus[2] episcopus dicit; item Ioannes Chrysostomus: « Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetae dicenti: *Revela Deo viam tuam.* Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiae tuae memoria; et tunc demum spera, te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continue, nunquam malum adversus proximum in corde tuo tenebis ». Idem[3]: « Peccata tua dicito, ut deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima (Dubium 3.) tua; non dico, ut confitearis ea conservo tuo, ut tibi exprobret; dicito Deo, qui curat ea. Nec enim, si non dixeris, ignorat ea: cum faciebas ea, praesto erat; cum admitteres ea, cognoverat. Nunquid ea vult a te cognoscere? Peccare enim non erubuisti, et confiteri erubescis? Dicito in hac vita, ut in alia requiem habeas; dicito ingemiscens et lacrymans. In codice scripta sunt peccata tua; spongia peccatorum tuorum la- (Prosper.) crymae tuae sint ». Item Prosper[4]: « Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum et habituri sunt ultorem. Quodsi ipsi sui iudices fiant et veluti suae iniquitatis ultores hic in se voluntariam poenam severissimae animadversionis exerceant; temporalibus poenis mutabunt aeterna supplicia et lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus restringent aeterni ignis incendia ». Et infra: « Facilius sibi Deum placabunt illi qui aut propriis confessionibus crimen (Dubium 4.) produnt, aut, nescientibus aliis, ipsi in se voluntariae excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt, certi, quod reconciliati sibi efficacis poenitentiae fructibus, a Deo non solum amissa recipiant, sed etiam supernae civitatis gaudia recipiant ». — His auctoritatibus innituntur qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata sine sacerdote. Dicunt enim, quod si quis timens, detegi culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, et ideo taceat homini et revelet Deo; consequitur veniam.

Cap. III.

Quod non sufficit soli Deo confiteri, si possit confiteri sacerdoti.

Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Iacobi[5]: *Confitemini alterutrum peccata vestra* etc., sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur. (Opinio 2. et vera.) Ait enim Augustinus: « Iudicet se (Augustinus.) ipsum homo voluntarie, dum potest, et mores convertat in melius, ne, cum iam non poterit, praeter voluntatem a Domino iudicetur; et cum in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen utilissimae sententiam; veniat ad antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur. Tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a praepositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum, in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus et supplex. Id tamen agat, quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam ceteris ad exemplum; ut, si peccatum eius non modo in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae videtur antistiti, in notitiam multorum, vel totius plebis agere poenitentiam non recuset, ne letali plagae per pudorem addat tumorem ». « Cum tanta est plaga peccati et impetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet se quisque removere ab altari ad agendam poenitentiam et eadem reconciliari ». Item Leo Papa[6]: « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus (Leo.) subvenit humanis, ut non modo per baptismum, sed etiam per poenitentiam spes vitae reparetur, sic divinae voluntatis praesidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei (Dubium 5.) nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus poenitentiae satisfactionem darent et eosdem, salubri satisfactione purgatos, ad

---

[1] Psalm. 31, 5. — Locus Ambrosii est X. Exposit. Evang. sec. Lucam, n. 88; C. *Petrus doluit* (1.), ibid. d. 1.

[2] Homil. 53; locus Chrysost. est Homil. 31. in Epist. ad Hebr. n. 3; cfr. Gratian., super C. *Quis aliquando* (87.), ibid. § 1, in quo textu respicitur Ps. 36, 5. — Codd. et plurimae edd. omittunt *Deo* et coniungunt *ante Deum* cum verbis *viam tuam.*

[3] Homil. 2. in Ps. 50. n. 5. (inter spuria).

[4] Libr. II. de Vita contemplat. c. 7. n. 2; C. *Porro illi* (31.), ibid. — In fine pro *restringent* codd. A B E et plures edd. *restringunt,* refragante originali. — Seq. locus ibid. n. 3; C. *Facilius* (32.), ibid.

[5] Cap. 5, 16. Locus August. est sermo 351. (alias homil. ult. inter 50 Homil.) c. 4. n. 9; C. *Iudicet* (85.), ibid. Seq. locus est eiusdem Epist. 54. (alias 118. ad Ianuar.) c. 3. n. 4; C. *In actione* (84.), ibid.

[6] Epist. 108. (alias 83. ad Theodor. Foroiul. episc.) c. 2; C. *Multiplex* (49.), ibid.

communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent ». Item Augustinus[1]: « Quem poenitet, omnino poeniteat et dolorem lacrymis ostendat; repraesentet vitam suam Deo per sacerdotem, praeveniat iudicium Dei per confessionem. Praecepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus, docens corporali praesentia confitenda peccata, non per scriptum manifestanda. Dixit enim: Ora monstrate, et omnes, non unus pro omnibus, non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum; sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc praecepit Dominus, ut nemo poeniteret in occulto. In hoc enim, quod per sè ipsum dicit sacerdoti et erubescentiam vincit timore offensi, fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem quod criminale erat in operatione: etsi non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit qui, erubescentiae dominans, nihil eorum quae commisit, nuntio Dei negavit. Deus enim, qui misericors et iustus est, sicut servat misericordiam in iustitia, ita et iustitiam in misericordia. Opus enim misericordiae est peccanti peccata dimittere; sed oportet, ut iustus misereatur iuste. Considerat enim, si dignus est, non dico, *iustitia*, sed et *misericordia; iustitia* enim *sola* damnat, sed dignus est *misericordia* qui spirituali labore quaerit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescentiam; et quoniam verecundia magna est poena, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia. Unde patet, quia, quanto pluribus confitebitur in spe veniae turpitudinem criminis, tanto facilius consequitur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus possunt proficere, plus confitentibus parcere ». Item Leo Papa[2]: « Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen — quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui poenitentiam poscunt non timeant publicare — removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis sua facta reserare, quibus possunt legum percelli constitutione. Sufficit enim confessio, quae primum Deo offertur et tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis ». — Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primum et deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.

(Margin: Augustinus. — Dubium 6. — Dubium 7. — Dubium 8. — Conclusio Magistri.)

Pars III.

Cap. IV.

An sufficiat confiteri laico.

Nunc priusquam praemissis auctoritatibus, quae his contradicere videntur, respondeamus, tertiam quaestionem intueamur. Quod enim secunda quaestio continebat, scilicet an sine confessione et iudicio sacerdotis soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est et certificatum praemissis testimoniis, quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote; nec est vere humilis et poenitens, si non desiderat et requirit sacerdotis iudicium. Sed nunquid aeque valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cum deest sacerdos? — Sane ad hoc dici potest, quod sacerdotis examen requirendum est studiose, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi et solvendi. Et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. Sed curet quisque sacerdotem quaerere, qui sciat ligare et solvere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina iudicat. Unde Augustinus[3]: « Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem, qui sciat ligare et solvere, ne, cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet et petit, ne *ambo in foveam cadant*, quam stultus evitare noluit. Tanta itaque vis confessionis est, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Saepe enim contingit, quod poenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus nec locus offert. Etsi ille cui confitebitur, potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio qui crimen confitetur socio. *Mundati enim sunt leprosi*, dum ibant ora vel se ostendere sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet, Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Saepe quidem eos quaerunt sani et laeti, sed dum quaerunt, antequam perveniant, moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est, qui et iustis parcere novit, etsi non tam cito, sicut si solverentur a sacerdote. Qui ergo omnino confitetur, sacerdoti meliori quam potest confiteatur ». « Et si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis. Nam in resuscitatione filiae archisynagogi[4] pauci interfuerunt, qui viderent; nondum enim erat sepulta, nondum extra portam delata, nondum extra domum in notitiam portata. Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro et Iacobo et Ioanne et patre et matre puellae, in quibus figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiae. Quos autem extra invenit, advertendum est, quomodo suscitavit. Flebat

(Margin: Repetitio. — Dubium 1. — Augustinus. — Dubium 2.)

---

[1] De Vera et falsa Poenitentia, c. 10. n. 25; C. *Quem poenitet* (88.), ibid. De leprosis mundatis cfr. Luc. 17, 14, et Levit. 14, 4.

[2] Epist. 168. (alias 136. ad univers. episc. per Campaniam) c. 2; C. *Quamvis plenitudo fidei* (89.), ibid.

[3] De Vera et falsa Poenitentia, c. 10. n. 25; C. *Qui vult confiteri* (1), ibid. d. 6. Respiciuntur Matth. 15, 14, deinde Luc. 17, 14. — Seq. locus ibid. c. 11. n. 26; cfr. Gratian., super C. *Quis aliquando* (87.), ibid. d. 1. § 12.

[4] Respiciuntur Matth. 9, 24; Marc. 5, 37; Luc. 7, 11; Ioan. 11, 33. — Seq. locus est in eod. libro, c. 12. n. 27; C. *Qui vult*, modo cit.

enim turba post filium viduae, flevit Martha et Maria supplicantes pro fratre, flebat et turba Mariam secuta. In quo docemur, publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiae sufficere meritum ». « Laboret igitur poenitens in Ecclesia esse et ad Ecclesiae unitatem tendere. Nisi enim unitas Ecclesiae succurrat, nisi quod deest peccatori sua oratione compleat; de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim, quod omnes orationes et eleemosynae Ecclesiae et opera iustitiae et misericordiae succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem. Ideoque nemo digne poenitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiae; ideoque non petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiae divisos ». — Ex his satis aperitur et absolvitur praemissae quaestionis articulus. Quaerendus est enim sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium, qui si forte defuerit, confiteri debet socio. — Beda[1] vero inter confessionem venialium et mortalium distinguit super illum locum: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ait enim: « Coaequalibus quotidiana et levia, graviora vero sacerdoti pandamus et, quanto iusserit tempore, purgare curemus, quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti ». Sed et graviora coaequalibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, et urget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotis oblata copia, licet confiteri coaequali, et sufficit, ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non praetermittatur sacerdos. Tutius tamen est et perfectius utriusque generis peccata sacerdotibus pandere et consilium medicinae ab eis quaerere, quibus concessa est potestas ligandi et solvendi.

Augustinus. Dubium 3. Beda. Opinio Magistri.

Cap. V.

Ad quid valeat confessio.

Cum igitur ex his aliisque pluribus testimoniis perspicuum fiat et indubitabiliter constet, peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, et si ipse defuerit, etiam socio; illud Ioannis Chrysostomi superius[2] positum non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri; sed quia sufficit, ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere et semel, nec oportet publicari coram multis quod occultum est; quod notavit dicens: « Non tibi dico, ut te prodas in publicum ». Sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita occulta secreta confessione et occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est, ut quod sacerdoti semel confessi sumus iterum confiteamur; sed lingua cordis, non carnis, apud verum iudicem id iugiter confiteri debemus. Unde idem Ioannes[3] ait: « Nunc autem, si recorderis peccatorum tuorum et frequenter ea in conspectu Dei pronunties et pro eis depreceris, citius illa delebis. Si vero obliviscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur et in conspectu omnium amicorum et inimicorum sanctorumque Angelorum proferentur ». — Ita etiam illud Ambrosii: « Lacrymae lavant delictum, quod voce pudor est confiteri », ad publicam poenitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lacrymarum et confessionis ostendens, significare voluit, quod lacrymae occultae et confessio secreta, sicut quae fit soli sacerdoti, lavant delictum, quod pudet aliquem publice confiteri. Quod vero dicit, se lacrymas Petri legisse, non confessionem vel satisfactionem; per hoc non excludit illa. Multa enim facta sunt, quae scripta non sunt, vel forte nondum facta erat institutio confessionis[4], quae modo est. — Similiter et illud Prosperi: « Si sui iudices fiant, mutabunt aeterna supplicia »; et illud: « Facilius Deum placabunt sibi qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis, in se sententiam excommunicationis ferunt »; ad publicam confessionem et satisfactionem referri oportet. Non enim solis sacerdotibus ius ligandi atque solvendi datum est, si cuique suo arbitrio se poena vel excommunicationis sententia ligare et absque sacerdotali iudicio se ipsum Deo vel altari reconciliare licet; quod ecclesiasticae institutioni et consuetudini penitus repugnat. Potius igitur, si publice peccasti, publice confitere te reum et emenda; si vero occulte deliquisti, etiam sic non taceas; nec tamen dico, ut publices. « Taciturnitas enim peccati ex superbia nascitur cordis. Ideo enim peccatum suum quis celat, ne reputetur foris, qualem se iam divino conspectui exhibuit; quod ex fonte superbiae nascitur. Species enim superbiae est se velle iustum videri, qui peccator est, atque hypocrita convincitur qui ad instar primorum parentum vel tergiversatione verborum peccata sua levigare contendit, vel sicut Cain peccatum suum reticendo supprimere quaerit. Ubi vero superbia regnat vel hypocrisis, humilitas locum non habet; sine humilitate vero alicui veniam sperare non licet. Ubi ergo est taciturnitas confessionis, non est speranda venia criminis[5] ». — Iam certissime liquet, quam sit detestabile peccati silentium, et e converso, quam sit necessaria confessio. Est enim confessio testimonium conscientiae Deum timentis. Qui enim timet iudicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor solvit omnem pudorem; confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescentia est gravis poena. Ideoque iubemur confiteri peccata, ut erubescentiam patiamur pro poena; nam hoc ipsum pars est divini iudicii. — Si ergo quaeritur, ad quid confessio sit necessaria, cum in contritione iam deletum sit peccatum; dicimus, quia quaedam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem etiam intelligit sacerdos, qualiter debeat iudicare de crimine; per eam quoque peccator fit humilior et cautior.

Explicantur loci ante relati. Dubium 4. Chrysostomus. Gratianus. Epilogus.

[1] In Iac. 5, 16, et in Glossa *interlin.* ad eund. locum.
[2] Cap. 2, ubi etiam seqq. loci.
[3] Homil. 31. in Epist. ad Hebr. n. 4; C. *Quis aliquando*, supra cit. § 1.
[4] Ita Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 10.
[5] Gratian., super C. *Quis aliquando,* supra cit. § 15, ubi respicitur Gen. 3, 10; 4, 9. — De opinione Magistri obsoleta, hic in fine et c. 1. in fine tacta, cfr. Bonav. infra d. 18. p. I. a. 2. q. 1.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

Pars I.

De confessione, quatenus est necessaria ad iustificationem.

Hic oritur quaestio multiplex. Primo enim quaeritur etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de partibus integrantibus poenitentiam quasi sub quodam compendio. Hic, quia poenitentia, ut est Sacramentum Ecclesiae, praecipue attenditur quantum ad confessionem, principaliter determinat de confessione. Et dividitur haec pars in duas. In prima agit de confessione sacramentali, ut habet rationem remedii. In secunda, in quantum habet rationem signi, infra capitulo ultimo huius totalis partis, distinctione vigesima secunda: *Post praedicta restat investigare, quid in actione poenitentiae* etc.

Prima pars habet quatuor partes. In prima agit de confessione quantum ad necessitatem a parte confitentis. In secunda quantum ad potestatem absolventis, infra distinctione decima octava: *Hic quaeri solet, si peccatum omnino dimissum est a Deo* etc. In tertia quantum ad opportunitatem temporis, infra distinctione vigesima: *Sciendum est, quod tempus poenitentiae est usque in extremum.* In quarta quantum ad utilitatem a parte [1] finis, infra distinctione vigesima prima ultra medium: *Post haec considerandum est, utrum prosit confessio* etc.

Prima pars spectat ad praesentem distinctionem, quae habet tres partes secundum tres quaestiones, quas determinat Magister circa confessionis necessitatem. Primo enim quaerit, utrum confessio sit peccatori necessaria ad iustificationem. Secundo, dato quod quodam modo sit necessaria, utrum sufficiat confiteri corde, an necesse sit confiteri ore ipsius [2] Dei ministro; et hanc prosequitur ibi: *Iam secundum quaestionis articulum inspiciamus.* Tertio vero determinat, cui homini necesse sit confiteri, utrum sufficiat confiteri laico, an necesse sit confiteri sacerdoti, et hoc ibi: *Nunc priusquam praemissis auctoritatibus* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima proponit quaestiones. In secunda ad utramque partem primae quaestionis opponit, utrum scilicet confessio sit necessaria ad iustificationem, ibi: *Dicunt quidam, sine confessione oris.* In tertia determinat, ibi: *Quid igitur super his sentiendum? quid tenendum* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam primae quaestionis, quam ponit hic [3] Magister, quaeritur in parte ista de iustificatione impii. Et circa hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de his quae sunt necessaria ad iustificationem impii absolute.

Secundo quaeritur de ipsis in comparatione ad invicem.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum ad iustificationem impii sit necessaria gratiae infusio.

Secundo, utrum necessarius sit motus liberi arbitrii.

Tertio, utrum necessaria sit contritio.

Quarto, utrum necessaria sit confessio.

ARTICULUS I.

De his quae necessaria sunt ad iustificationem impii absolute.

QUAESTIO I.

Utrum ad iustificationem impii necessaria sit gratiae infusio.

Circa primum, quod necessaria sit gratiae infusio, videtur.

Fundamenta. 1. Ad Romanos tertio [4]: *Iustificati per gratiam ipsius* etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia peccatum est privatio; sed non removetur privatio nisi per collationem habitus: ergo confertur in deletione peccati aliquis habitus. Sed peccatum Deo displicebat et

[1] Plurimi codd. omittunt *a parte.*
[2] Codd. F G *ipsi.*
[3] Cap. 1.
[4] Vers. 24: Iustificati gratis per etc.

displicere faciebat: ergo *ab oppositis*, habitus ille Deo placet et placere facit; sed hunc dicimus gratiam gratum facientem [1]: ergo etc.

3. Item, per peccatum separatur homo a Deo, ergo *ab oppositis*, in iustificatione unitur Deo; sed unio in Deo non est sine dispositione uniente, quia tunc [2] peccator inimicus Deo haberet ante gratiam Deum: ergo etc.

4. Item, non decet, esse post hunc statum nisi duo loca, scilicet gloriae et poenae [3]: ergo non decet hominem esse nisi in statu, in quo possit esse in altero istorum: ergo hominem mortalem necesse est esse vel in culpa, vel in gratia; sed per iustificationem recedit a statu culpae: ergo necesse est, sibi conferri habitum gratiae.

Contra: 1. Isaiae quadragesimo tertio [4]: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*: ergo deletio culpae erit ante habitum gratiae. (Ad oppositum.)

2. Item, non minus est impium iustificare quam creare [5]; sed Deus creat sine medio: ergo et iustificat.

3. Item, lapsus fuit [6] proprie ab innocentia in culpam: ergo cum reformatio respondeat deformationi, debet homo in puram innocentiam restitui; sed haec media est inter culpam et gratiam: ergo etc.

4. Item, si gratia expellit culpam, aut quando *est*, aut quando *non est*. Si quando *est*; sed accidentis *esse* est *inesse* [7]: ergo expellit culpam, cum subiecto inest; quaero: a quo subiecto? Non ab *alieno* nec a *suo*, quia prius est culpam expelli quam hominem gratificari. Si quando *non est*; sed nihil agit, quando non est: ergo non expellit.

5. Item, iustificatio est gratia quaedam: ergo si a gratia, similiter illa ab alia, et sic in infinitum.

CONCLUSIO.

Deus decrevit culpam delere per gratiam, quae non tantum restituat innocentiam, sed etiam naturam debilitatam habilitet ad bonum.

Respondeo: Dicendum: quia in omni opere Domini est *misericordia et veritas* [8], hoc maxime in nobili opere oportet esse, scilicet in opere iustificationis. (Axioma.) Quoniam igitur homo peccavit et nihil ante gratiae infusionem apud Deum meruit, Deus *iusto iudicio* non omnino effectum culpae tollit, immo poenam relinquit; et ideo in priorem statum hominem non statim restituit. Et quoniam *misericors* est, ideo etiam amplius bonum reddit, quia magis indiget; ideo non tantum restituit *innocentiam*, sed etiam dat *gratiam*. Ideo, quamvis delere posset Deus sine medio culpam, decrevit tamen delere per *gratiam*, quae non tantum faceret *innocentem*, immo etiam naturam debilitatam *habilitaret ad bonum*. (Conclusio.) Unde concedendae sunt rationes ad hoc.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod Deus solus delet; dicendum, quod verum est *effective*, sed *formaliter* delet ipsa gratia; Deus autem nullius est forma perfectiva [9]. (Solutio oppositorum. Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod solus creat; dicendum, quod non est simile: quia *creare* dicit opus, quod non respicit materiam recipientem [10]; sed *iustificare* respicit materiam subiectam, et ideo non tantum respicit *efficientem* causam, verum etiam *formalem*. (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod culpa aufert innocentiam; dicendum, quod non decrevit Deus restituere innocentiam, quin daret gratiam, ratione prius habita [11].

4. Ad illud quod quaeritur: aut gratia expellit, quando est etc.; dicendum, quod quando *est*, et simul est et expellit. — Ad illud quod obiicit, quod accidentis *esse* est *inesse*; dicendum, quod gratia est accidens et habet ortum realiter ab alio quam a subiecto proprio, scilicet a Deo [12]. Unde triplicem habet comparationem: ad *principium*, a quo procedit; ad *peccatum* contrarium, quod expellit; ad *subiectum*, quod perficit; et omnes istae comparationes sunt simul *tempore*, tamen *naturaliter* prius gratia comparatur ad *principium*, a quo procedit, secundo ad *peccatum*, quod expellit, tertio ad *subiectum*, quod perficit. (Triplex gratiae comparatio. Notandum.) Unde proprie loquendo, prius est gratia ab *efficiente*, quam expellat culpam, per *naturam*. — Et sic patet responsio ad illud. Obiicit enim de *esse* gratiae, in quantum *informat subiectum*; prius autem est gratiam *creari* per naturam, quam *subiectum esse gratia informatum*. Unde sicut in actione et productione aliarum formarum intelligimus, quod forma prius se habeat in ratione *virtutis agentis* quam *qualitatis informantis*; sic in proposito intelligatur, tamen prioritas non est *temporis*, sed *naturae* [13]. (Notandum.)

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 26. q. 1. et d. 35. a. 1. et 2.

[2] Particula *tunc* accipienda est pro *secus*. — Pro *in Deo* codd. F G *cum Deo*. Mox pro *inimicus* codd. I K *non unitus*, pro *Deo* codd. H P Q *Dei*, et pro *ante gratiam Deum* codd. H N aa clarius *ante Deum quam gratiam*, codd. R S T *aliquam gratiam Domini*, edd. *gratiam Dei*.

[3] Vide infra d. 45. a. 1. q. 2.

[4] Vers. 25: Ego sum, ego sum ipse, qui etc.

[5] Secundum August., in Ioan. Evang. tr. 72. n. 3. — Codd. omittunt *impium*.

[6] Cod. X addit *homo*. Inferius post *debet* multi codd. repetunt *ergo*, pro *puram* codd. O U *primam*.

[7] Ut insinuat Aristot., VII. Metaph. text. 2. (VI. c. 1.). Cfr. supra pag. 20, nota 9.

[8] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini misericordia et veritas. Cfr. infra d. 46. a. 2. q. 3. — Superius codd. T G pro *Dicendum quia* bene *Dicendum, quod si*.

[9] Vide I. Sent. d. 17. p. I. q. 1. et II. Sent. d. 26. q. 2.

[10] Edd. *praeiacentem*.

[11] Cfr. etiam supra pag. 43, nota 5.

[12] Ut ostensum est II. Sent. d. 26. q. 3. — Post pauca verbis *ad principium* codd. E M R S T interserunt *Deum*.

[13] Vide infra a. 2. q. 1. ad 4.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur, dicendum, quod gratia aliquando dicitur *habitus*, aliquando *actus*, aliquando *status* est in habitu. Iustificatio autem dicitur magis *actus* gratiae vel *status*, quam dicatur ipse *habitus*. Quare autem magis sic appellatur, infra[1] videbitur.

SCHOLION.

I. Principia hic, in seqq. quaestionibus et in Breviloq. p. V. c. 3. de iustificatione posita illustrantur et confirmantur mirabili doctrina Concilii Trident. in Sess. VI. — Quid sit *iustificatio*, vide hic q. 1. ad 5, infra dub. 4; II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. ad 1, ubi duplex distinguitur iustificatio, prout terminus *a quo* (sive non-iustus) sumitur *negative*, vel *privative*. Ad eam a Scholasticis requiruntur quatuor: duo ex parte Dei, scilicet gratiae infusio et peccati remissio, et duo ex parte hominis, nempe motus liberi arbitrii et contritio. Ita infra q. 3. 4; II. Sent. d. 26. dub. 3, et Breviloq. p. V. c. 3; cfr. etiam infra a. 2. q. 1, nec non S. Thom., S. I. II. q. 113. a. 6, et de Veritate q. 28. a. 1. Quo sensu eadem cadat sub merito, docetur hic dub. 4; I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1; III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1, d. 40. q. 2.

II. Circa 1. quaestionem notandum, quod *gratia* hic intelligitur gratia *habitualis* (vide supra d. 15. p. II. dub. 1.), quae « *formaliter* delet » peccatum (hic ad 1.); quod confirmatur a Concilio Trident. (Sess. VI. c. 7. et can. 11.). — Attamen etiam post hoc Concilium fuerunt doctores catholici, qui cum Vasquez asseruerunt, in adultis *actum* contritionis perfectae, etiam praescindendo a *gratia habituali*, per se iustificare; quae sententia communiter improbatur, cum talis actus, licet eum semper sequatur iustificatio, ad eam concurrat non nisi *dispositive* et *meritorie* de congruo.

Libere disputatur inter theologos: *primo*, utrum forma gratiae sanctificantis iam ex natura sua *physica* formaliter expellat peccatum, an *tantum moraliter* sive ex Dei ordinatione; quod cum Scoto (supra d. 16. q. 2. n. 5; II. Sent. d. 29. n. 7.) Nominales aliique tenent contra scholam S. Thomae. *Utroque* modo gratiam peccato esse oppositam, S. Bonav. satis clare docet hic et II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1; III. Sent. d. 10. a. 2. q. 2. ad 4; I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. ad 4, et Breviloq. loc. cit. — Item *secundo* controvertitur de *possibili*, utrum Deus absolute possit sine gratia illa *remittere culpam*, ut cum Scoto docet S. Bonav. (hic in corp., et II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1. ad 6.); insuper, utrum in alio ordine providentiae possit simul stare gratia *materialiter sumta* cum statu peccati mortalis, ut putant Scotistae, refragantibus Thomistis. — Denique *tertio* non conveniunt scholae in solvenda quaestione hic in solut. ad 4. tacta, scilicet de *ordine prioritatis* inter qnatuor, quae eodem tempore fiunt in iustificatione; de quo infra a. 2. q. 1. 2. plura ponuntur; cfr. etiam supra d. 14. p. I. a. 2. q. 3.

III. De eadem 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 4. a. 6. § 1. — Scot., I. Sent. d. 17. q. 3; cfr. IV. Sent. d. 16. q. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; S. I. II. q. 113. a. 2; de Verit. q. 28. a. 2. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 10. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 1, et Dionys. Carth., hic q. 1.

IV. De 2. quaestione cfr. Concil. Trident. (Sess. VI. c. 5. 6. can. 4. 9. 11.); Bonav. II. Sent. d. 26. dub. 3, ubi etiam explicatur, quare iustificatio modo tribuatur *fidei*, modo *gratiae*, modo *poenitentiae*. Haec quaestio est de praeparatione *tempore* praecedente.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — Scoti loci de hac et seq. q. collecti in Sum. Hieron. de Montefortino III. p. II. q. 113. a. 5. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2. 3; S. loc. cit. a. 3. 4; de Verit. q. 28. a. 3. 4. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., de hac et seq. q. loc. cit. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

V. De 3. quaestione cfr. Concil. Trident. loc. cit. c. 6. can. 8. et Sess. XIV. c. 4. can. 4. 5. Insuper Bonav. infra a. 2. q. 2-4, et d. 16. p. I. a. 1. q. 1. *scholion*. — Item Alex. Hal., loc. cit. § 2. et a. 2. 3. 4. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 4; S. loc. cit. a. 5; de Verit. loc. cit. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2.

VI. Quaestionis 4. conclusio omnino intelligenda est de confessione *actu facta*, non de voto sive *proposito* confitendi, ut auctor ipse se explicat in solutt. ad 1-6. Hoc confirmatur doctrina Concilii Trident. (Sess. XIV. c. 4.): « Docet praeterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque *Deo reconciliare*, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni *sine Sacramenti voto*, quod in illa includitur, non esse adscribendam » (cfr. Sess. VI. c. 14.). Opposita autem opinio Petri Oxomensis an. 1479 est damnata a Sixto IV, scilicet prop. 1: « Peccata mortalia quantum ad culpam et poenam alterius saeculi delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves ». De doctrina S. Doctoris circa hanc rem male a pluribus intellecta vide infra scholion ad q. 4. articuli 2.

De eadem (4.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 18. m. 2. a. 1. 2. — Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 6. a. 1. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. — Durand., hic q. 9. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum ad iustificationem sit necessarius motus liberi arbitrii.

Secundo quaeritur, utrum ad iustificationem sit necessarius motus liberi arbitrii. Et quod sic, videtur.

1. Augustinus[2]: « Qui creavit te sine te non iustificat te sine te »: ergo necessario ad iustificationem requiritur eius motus. *Fundamenta.*

2. Item, Bernardus, de Libero Arbitrio[3]: « Opus salutis duo requirit, id est Deum dantem et liberum arbitrium recipiens et consentiens »: ergo necessario concurrit opus liberi arbitrii.

3. Item, *ratione* videtur: quia Deus, quantum est de se, semper paratus est iustificare hominem: ergo quod homo modo iustificetur et non prius, non est secundum variationem ex parte Dei, sed a

---

[1] Dub. 4.

[2] Vide supra pag. 327, nota 2.

[3] Cap. 1. n. 2. Verba vide supra pag. 112, nota 1.

parte hominis; sed adultus iustificatur sine aliqua variatione circa sensum: ergo necesse est, quod sit variatio circa liberum arbitrium.

4. Item, Deus plus exigit ab homine, qui plus potest, ergo plus ab adulto quam parvulo, cum plus possit; sed illud quod exigit, non potest minus esse quam motus liberi arbitrii: ergo ad iustificationem illum exigit.

Contra: 1. Iustificatio est per virtutem; sed «virtus est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur [1]»: ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, in iustificatione accedit homo ad Deum; sed Ioannis sexto [2]: *Nemo venit ad me, nisi traxerit eum Pater;* sed tractus est motus violentus, et libero arbitrio non potest inferri violentia: ergo non est ibi motus liberi arbitrii.

3. Item, potentius agens est Deus quam aliquod agens creatum; sed agens creatum sine aliqua cooperatione suscipientis expellit oppositum, ut patet in luce, quae expellit tenebram sine aliqua cooperatione aëris: ergo etc.

Item, quaero, quis sit ille motus; cum enim omnis motus meritorius sit a libero arbitrio [3], videtur, quod ille possit esse cuiuslibet virtutis. Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

Ad iustificationem in adulto requiritur motus liberi arbitrii consentiens gratiae, qui est motus fidei.

Respondeo: Dicendum, quod sicut iustificatio non est nisi volentis, sic etiam non dat eam Deus nisi volenti, dum sit in tali statu, quod consentire et dissentire possit. Ideo ad susceptionem iustificationis in adulto requiritur motus liberi arbitrii, secundum quem consentit gratiae. Conclusio 1. Et quia primus motus, per quem consentit gratiae, est motus fidei; ideo motus ille est motus fidei. Conclusio 2. Unde ad Romanos quinto [4]: *Iustificati per fidem;* Glossa: «Id est, ex motu liberi arbitrii, qui est ex fide». Ideo dicitur, Actuum decimo quinto: *Fide purificans corda,* quia motus fidei primo requiritur ad purificationem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Deus operatur [5] virtutem sine nobis; dicendum, quod verum est sine nobis *efficientibus,* non tamen sine nobis *disponentibus* vel *consentientibus.* Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Deus trahit; dicendum, quod est trahi per *coactionem,* et sic non trahit; et est trahi per *inductionem* et *sublevationem,* et sic trahit, quia *inducit* et etiam *sublevat* hominem ad illud, ad quod per se non potest pertingere [6]. Duplex tractio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus est potentissimus; dicendum, quod hoc non est propter impotentiam ex parte Dei, sed propter congruentiam in agendo. Non enim facit Deus quidquid *potest,* sed quod *decet* et quod *congruit;* et decens est, quod imprimat formam in materiam, sicut convenit *formae* et *materiae* suscipienti; et *forma* est iustitia, quae est libertatis; et *materia* similiter est voluntas libera, libera in *agendo* et *recipiendo* [7]: et ideo non datur sine actu eius, cum quo nata est agere. Notandum.

Ad illud quod quaeritur de illo motu, quis sit; dicendum, quod, sicut Glossa dicit expresse, quae prius habita est ad Romanos quinto [8], ille est motus fidei. Liberum enim arbitrium est facultas *voluntatis* et *rationis;* et gratia adveniens utramque potentiam facit in actu, ut *ratio* sit in actu credendi, qui est fidei, et *voluntas* in actu detestandi, qui est contritionis [9]. Ad quaest. incid.

QUAESTIO III.

Utrum ad iustificationem necessaria sit contritio.

Tertio quaeritur, utrum ad iustificationem necessaria sit contritio. Et quod sic, videtur.

1. Super illud Psalmi [10]: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus;* Glossa: «Spiritus contribulatus et contritus est sacrificium, in quo peccata solvuntur». Fundamenta.

---

[1] Secundum August. a Magistro, II. Sent. d. XXVII. c. 5, allegatum. Cfr. ibid. dub. 3.

[2] Vers. 44: Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Cfr. tom. II. pag. 618, nota 2, ubi etiam sententia Aristotelis de *tractu* invenitur.

[3] Cfr. tom. II. pag. 892, nota 2; tom. III. pag. 350, nota 9. et pag. 381, nota 1. — Pro *quis* hic et in solut. cod. H *quid.*

[4] Vers. 1: *Iustificati ergo ex fide.* In Glossariis Strabi, Petri Lombardi et Lyrani in hunc loc. glossa allegata sic non habetur. Apud Petr. Lombard.: Quia ex fide est iustificatio. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXVI. c. 3. seqq. et d. XXVII. c. 5. et 9. — Seq. textus est Act. 15, 9.

[5] Cod. X addit *in nobis.*

[6] Cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 5. ad 1. 2. 3. — Pro *hominem* cod. K *rationem.*

[7] Vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXV. c. 8.

[8] Vers. 1. — De libero arbitrio cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 2. seqq.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[10] Psalm. 50, 19. — Glossam exhibet Petr. Lombard., quae est secundum Cassiod. in hunc loc.

2. Item, super illud Psalmi[1]: *Iustitia ante eum ambulabit;* Glossa Augustini: « Prima hominis iustitia est, ut puniat se malum et faciat se bonum; haec est via Deo, ut veniat ad eum ».

3. Item, *ratione* videtur: quia impossibile est, peccatorem iustificari, quin sequatur poena satisfactoria; sed possibile est, ipsum statim mori, et nulla erit poena satisfactoria nisi voluntarie inchoata in vita, sicut dicit Augustinus[2]: ergo necesse est, quod in ipso actu iustificationis sit motus poenalis. Sed hic non est nisi contritio; ergo etc.

4. Item, sicut culpa voluntate est introducta, sic etiam conservatur per ipsam: ergo si liberum arbitrium, ex quo semel consensit, semper habetur pro consentiente, nisi dissentiat; necesse est dissentire; sed dissensus eius ante adventum gratiae nihil potest[3]: ergo oportet, quod dissentiat cum gratia.

5. Item, aliquid plus requiritur in iustificatione eius qui post fidem peccavit, ultra motum fidei[4]; sed hoc non est nisi contritio: ergo etc.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Ecclesiastici primo[5]: *Timor Domini expellit peccatum:* ergo potest fieri secundum hoc iustificatio sive peccati expulsio motu timoris: non ergo necesse est, quod contritionis.

2. Item, super illud Lucae septimo[6]: *Dimittuntur ei peccata multa* etc.; Glossa: « Ardor caritatis peccatorum rubiginem in ea consumsit »: ergo non oportet, quod sit dolor.

3. Item, *ratione* videtur: quia duae sunt partes[7] iustitiae, scilicet facere bonum et declinare a malo; sed prima est maior: ergo multo magis se disponit homo ad gratiam faciendo bonum quam vitando malum: ergo magis appetitu boni quam detestatione mali.

4. Item, cum quis iustificatus est, potest moveri motu omnis virtutis: cum ergo motus omnis virtutis sit gratiae cognatus, motus cuiuslibet virtutis informis disponit ad gratiam: non ergo necessaria est contritio.

5. Item, possibile est, aliquem a Deo averti, nihil de ipso cogitando: ergo similiter possibile est, aliquem a peccato recedere, nihil cogitando de peccato: ergo absque contritione.

CONCLUSIO.

Ad iustificationem impii est necessaria contritio, ut voluntas concordet gratiae ut advenienti et ut peccatum expellenti.

Opinio 1. Iustificatio dicitur tripliciter.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod iustificatio tripliciter dicitur. Uno modo dicitur iustificatio *ad iustitiam praeparatio;* et huic quidem necessaria est attritio vel dolor. Alio modo *iustitiae infusio;* et huic necessaria est infusio gratiae et expulsio culpae. Tertio modo iustificatio est *in iustitia exercitatio;* et huic necessaria sunt duo a gratia et duo ab anima, scilicet motus liberi arbitrii et contritio. Et dicunt, verbum Augustini[8] de ista iustificatione intelligi: Qui creavit te etc.

Sententia auctoris. Quatuor in iustificatione.

Sed certe, si ad hoc, quod gratia infundatur, necesse est, quod homo se *praeparet* consentiendo gratiae et detestando peccatum; necesse est, in ipsa *gratiae infusione* ista quatuor esse, scilicet *gratiae infusionem* et *liberi arbitrii motum,* et *contritionem* et *peccati expulsionem.* Deus enim expellit culpam infundendo gratiam; sed non infundit nisi ei qui concordat, et necesse est concordare gratiae *advenienti* et *peccatum expellenti.* Gratiae ut[9] *advenienti* concordat per motum liberi arbitrii, gratiae ut *peccatum expellenti,* per motum contritionis. Unde duo sunt ibi a Deo, scilicet *gratiae infusio* et *peccati expulsio;* et duo a nobis his duobus modis consona. — Et haec quatuor tanguntur in illo versiculo Psalmi[10]: *Commovisti terram et conturbasti eam; sana contritiones eius, quia commota est.* Gratia enim *adveniens* in animam *commovet rationem,* secundum quod est pars liberi arbitrii, et *conturbat voluntatem* per contritionem, et postmodum *sanat per peccati expulsionem.* Et ratio huius redditur, quia praecessit duplex *commotio,* per quam anima ipsa se gratiae iustificanti conformavit; et ideo subiungit: *quia commota est.* — Concedendae igitur sunt rationes ad hanc partem inductae. (Conclusio. Confirmatur.)

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod motu timoris et amoris contingit iustificari; dicendum, quod in peccato tria sunt, scilicet *actio* mala et ipsa interior *macula* et *sequela.* (Tria in peccato.)

---

[1] Psalm. 84, 14. — August., Enarrat. in Ps. 84. n. 16: « Ipsa est prima hominis iustitia, ut punias te malum, et faciat te Deus bonum. Quia ergo ipsa est prima hominis iustitia, ipsa fit via Deo, ut veniat ad te Deus: ibi illi fac viam in confessione peccatorum ». S. Bonav. Glossam exhibet, ut habetur apud Petr. Lombard.

[2] Cfr. Serm. 22. (alias 109. de Tempore) c. 3. n. 3; Serm. 351. (alias ult. inter Homil. 50) c. 4. n. 9. et c. 5. n. 12; XXI. de Civ. Dei, c. 24. n. 4; de Fide ad Petrum (inter opera August.), c. 3. n. 38. seqq., et de Vera et falsa Poenitentia, c. 17. n. 33. seq. Vide etiam Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 3.

[3] Respectu iustificationis, quae est gratuita et supernaturalis. — In principio arg. pro *voluntate* plurimi codd. incongrue *voluntarie.*

[4] Qui, ut dictum est quaest. praeced., est primus motus consentiens gratiae.

[5] Vers. 27. — In fine arg. pro *quod* cod. U *motus.*

[6] Vers. 47: Remittuntur ei etc. — Glossa, quae est secundum Gregor. (II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 4.), *ordinaria* est apud Strabum et Lyranum.

[7] Scilicet integrales. Cfr. tom. III. pag. 728, nota 2. — De *minori* vide supra pag. 357, nota 8.

[8] Cfr. supra pag. 327, nota 2. — Superius post *duo a gratia* cod. aa subiungit: *quae immediate sunt dicta, scilicet infusio gratiae et expulsio culpae.*

[9] Ita codd. GHY, cod. bb *sicut,* in aliis et edd. *sic,* cod. Z *ut advenienti, sic concordat.*

[10] Psalm. 59, 2. Cfr. August. et Cassiodor., in hunc loc.; Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 10. n. 28.

Actio mala expellitur timore, *macula* dolore, sed *sequela* caritatis ardore. Unde *timor* est in iustificatione, ut dicitur praeparatio ad iustitiam, *dolor* ut infusio iustitiae, *caritatis ardor* in consummatione [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod melius est facere bonum etc.; dicendum, quod revera *melius* est, sed tamen non est ita *consonum* gratiae delenti culpam, ut detestatio peccati; et quia contritio propter consonantiam est necessaria: ideo etc.

4. Ad illud quod obiicitur, quod quilibet motus virtutis est cognatus gratiae; dicendum, quod verum est; tamen *ordo* est in actibus virtutum. **Notandum.** Nunquam enim amat quis, nisi moveatur motu fidei [2]; sic dico, quod motus virtutis poenitentiae in iustificatione post motum fidei est motus primus necessario, et ideo simul est cum ipsa gratiae infusione.

5. Ad illud quod obiicitur, quod potest quis averti a Deo, nihil cogitando; dicendum, quod non valet, tum quia *recessus* a Deo est inordinatus, sed *regressus* ordinatus — exemplum est de eo qui cadit de scala — tum quia plura exiguntur ad bonum quam ad malum [3].

QUAESTIO IV.

Utrum ad iustificationem necessaria sit confessio.

Quarto quaeritur, utrum ad iustificationem necessaria sit confessio. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Proverbiorum vigesimo octavo [4]: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur, qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur;* sed iustificatio nihil aliud est quam spiritualis directio, quia « iustitia est rectitudo voluntatis »: cum ergo nullus possit dirigi, nisi praecedat confessio, nullus sine confessione praevia potest iustificari.

2. Item, Isaiae quadragesimo tertio [5]: *Narra, si quid habes, ut iustificeris;* sicut exponit Ambrosius et Origenes, hoc intelligitur de narratione culpae, quae est in confessione: ergo haec necessaria est ad iustificationem.

3. Item, Ioannes Chrysostomus [6]: « Non potest quis gratiam accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per confessionem »: ergo confessio necessaria est.

4. Item, Ambrosius in libro de Paradiso [7]: « Non potest quis iustificari a peccato ante confessionem »: ergo confessio necessario praeit.

5. Item, *ratione* videtur: quia omnis habens gratiam et iustitiam ingreditur in regnum caelorum, nec aliquis potest portam claudere, salva iustitia et gratia; sed nullus potest intrare in regnum caelorum nisi per ostiarium Petrum, cum data sit ei clavis, a qua nullus est exemptus [8]: ergo nullus potest obtinere gratiam nec habere remissionem culpae, nisi habeat per auctoritatem summi Pontificis et eorum qui in hoc communicant. Sed nullus absolvitur a sacerdote sine confessione praevia: ergo etc.

6. Item, poenitentia est Sacramentum necessarium ad salutem, ergo partes eius sunt necessariae; sed prima, id est contritio, est necessaria ad impii iustificationem, ut visum est [9]: ergo pari ratione necessaria est confessio.

Contra hoc obiicitur, sicut Magister obiicit:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Psalmi [10]: *Dixi, confitebor* etc.; Cassiodorus: « Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimittit. Votum enim pro operatione iudicatur ».

2. Item, Augustinus super illud idem [11]: « Luce clarius constat, cordis contritione, non oris confessione, peccata dimitti »; sed iustificatio est ibi, ubi est peccati dimissio: ergo sine confessione est iustificatio, et sic etc. — Ad hoc etiam sunt auctoritates Magistri in littera [12].

3. Item, *ratione* videtur: quia pronior est Deus ad miserandum quam ad condemnandum [13]; sed solo actu cordis consentaneo subtrahit gratiam: ergo multo fortius actu cordis peccata dimittit.

---

[1] Cfr. supra d. 14. p. I. a. 2. q. 2. seq. et d. 16. p. I. a. 1. q. 1. — Edd. *consummationem.* Superius post *Unde timor* Vat. addit *scilicet servilis.*

[2] Ut ostensum est III. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp. et d. 27. a. 2. q. 1. — Infra edd. *primo necessarius.*

[3] Cfr. supra pag. 19, nota 7. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Vers. 13. — Definitio iustitiae inferius allata est Anselmi, Dialog. de veritate, c. 12.

[5] Vers. 26. — Ambros., de Paradiso, c. 14. n. 71. (Vide hic lit. Magistri, c. 1.); Origen., in Levit. homil. 3. n. 4. — Pro *Origenes* cod. Z *Augustinus.*

[6] Vide supra pag. 414, nota 3.

[7] Cap. 14. n. 71. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[8] Cfr. Matth. 16, 19. et Ioan. 20, 23.

[9] Quaest. praeced. — Quoad *maiorem* notandum, quod agatur hic de iustificatione *impii* sive peccatoris in mortali existentis. — Pro *sed prima* edd. *sed poenitentia.*

[10] Psalm. 31, 5. — Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, ubi etiam verba Cassiodori.

[11] Verba haec non sunt Augustini, sed Gratiani, C. *Si cui etiam* (30.), de Poenitentia, d. 1; verba Augustini vide hic in lit. Magistri, c. 1. — In cod. M huic arg. praemittitur aliud una cum responsione, petitum ex August., scil. quod qui vult habere iustitiam habeat eam: ergo contritio absque confessione sufficit. Responsio in eo versatur, quod August. hanc sententiam retractaverit, addendo « si gratia concomitatur voluntatem » (cfr. I. Retract. c. 9. n. 4.), quod solum fit in confessione, si adsit facultas confitendi.

[12] Hic c. 1.

[13] Vide supra pag. 333, nota 3. — Codd. E L *miserandum.*

4. Item, « Deus non alligavit suam potentiam Sacramentis [1] »: ergo quandocumque homo facit quod in se est, Deus facit quod in se est: ergo si corde doleat quis de culpa, si non sit confessor, vel confessio extra, Deus facit quod est in se: ergo iustificat.

CONCLUSIO.

Iustificatio potest esse sine confessione.

RESPONDEO: Dicendum, quod si *iustificatio* dicatur iustitiae infusio, non est necessaria confessio, sicut expresse ostendunt illae rationes, quae inductae sunt. Unde solum ista quatuor sunt necessaria, scilicet gratiae infusio, motus liberi arbitrii, contritio et peccati expulsio. Secundum enim rectum ordinem, sicut patebit [2], confessio sequitur tempore et natura contritionem; et si sequitur contritionem, cum ipsa contritio non sit sine iustificatione, nec e converso, ipsa iustificatio potest esse sine confessione.

Conclusio.

Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de illis auctoritatibus, dicendum, quod, sicut dicit Augustinus [3], « quamvis aliquis iustificari possit sine Sacramentis, tamen nullus iustificatur contemnens Sacramenta ». Quoniam igitur confessio est peccantibus imposita, impossibile est, aliquem iustificari, qui non habeat confessionem in *facto* vel in *proposito.* Si enim confessionem *contemnat,* quantumcumque doleat, non acquirit iustitiam. Si autem confessionem habeat in *proposito,* cum Deus bonam voluntatem et propositum in talibus reputet pro facto, si vere bona [4] et efficax est, tunc, si adsit dolor, potest esse iustificatus. Ideo pro tanto dicunt auctoritates Sanctorum et rationes praedictae, quod confessio necessaria sit ad iustificationem. *Voluntatem* enim *confitendi* confessionem vocant, et hoc patet discurrendo per singulas.

De argg. ad oppos. — Notandum.

1. Nam quod primo dicitur: Qui abscondit scelera; constans est, quod loquitur de hypocrita, quia non tantum caret proposito confitendi, immo etiam habet malitiam celandi et excusandi [5].

Solutio oppositorum.

2. 3. 4. Ad illud similiter quod dicitur: Dic tu iniquitates etc.; dicendum, quod quando homo vult huic mandato obedire, se disponit de congruo ad gratiam; et divina misericordia largissima, cum invenit animam dispositam, gratiam tribuit, ac si esset confessa per sermonem. — Aliae vero duae auctoritates ita intelligendae sunt; vel si intelligantur de actu confitendi, tunc sumunt *confessionem* pro peccati recognitione, quae interius est inter animam et Deum, et sic non concludunt.

5. Ad illud quod obiicitur, quod nullus intrat sine potestate clavium; dicendum, quod sine potestate clavium intrare dupliciter potest intelligi: aut *sine potestate,* ita quod intelligatur *contrarie,* sicut contemnens clavem Petri; vel *sine potestate,* ita quod *privative:* et adhuc dupliciter: vel *simpliciter* privative, ita quod non habet effectum absolutionis nec in opere nec in devotione sive in desiderio; aut ita, quod habet in *devotione et proposito,* et ita quodam modo habet. Primo et secundo modo non intrat nec iustificatur, sed tertio modo intrat et aliquo modo per clavem, licet non sic, sicut ille qui absolvitur *actualiter.*

Distinctio. — Subdistinctio. — Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod poenitentia est Sacramentum necessarium; dicendum, quod nullum Sacramentum est adeo necessarium, quin fides et devotio suppleat locum eius, sicut patet in baptismo [6]; et ideo sine Sacramento poenitentiae salus alicui esse potest. — Et quod *obiicitur* de contritione, quod est necessaria; dicendum, quod non est necessaria, secundum quod est pars poenitentiae-Sacramenti, sed secundum quod est actus poenitentiae-virtutis; et illa est prima virtus, sine qua non est salus peccatori adulto [7], et simul est in *actu* et *habitu* virtus illa in ipsa infusione, quia invenit liberum arbitrium in actu sibi conformi in iustificatione, ut visum est [8]. *Praeterea,* esto quod contritio poenitentialis, prout est sacramentalis, esset necessaria, non sequitur propter hoc de confessione, quae est actus exterior, superaddens contritioni [9].

Notandum. — Notandum.

ARTICULUS II.

De ordine eorum quae concurrunt ad iustificationem.

Consequenter viso de his quae concurrunt ad iustificationem impii in se, quantum ad secundum articulum quaeritur de ordine ipsorum ad invicem. Et circa hoc quatuor quaeruntur.

---

[1] Ut dicit Magister supra in lit. d. I. c. 5. Cfr. Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 5. — Inferius pro *confessor* codd. R S T U bb *confessus.*

[2] Art. seq. q. 4.

[3] Libr. IV. de Baptismo contra Donatist. c. 25. n. 32. Cfr. supra pag. 107, nota 6.

[4] Cod. M addit *voluntas,* edd. omittunt *vere.* — Verba: *vere bona et efficax,* intellige de « contritione caritate perfecta ».

[5] A cod. M suppletur *peccatum suum.* Superius pro *quia non* Vat. cum paucis codd. *qui non.*

[6] Vide supra d. 4. p. II. a. 1. q. 1. — Paulo superius post *fides* codd. R S T addunt *Dei.*

[7] Cfr. supra d. 16. p. II. a. 1. q. 2. in corp.

[8] Quaest. praeced. — Superius post *infusione* Vat. cum uno alteroque cod. supplet *gratiae.*

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

Primo quaeritur, utrum infusio gratiae necessario praecedat expulsionem culpae.

Secundo quaeritur, utrum expulsio culpae necessario praecedat contritionem.

Tertio, utrum ante contritionem necesse sit praecedere attritionem.

Quarto, utrum confessio necessario sequatur iustificationem.

QUAESTIO I.

Utrum infusio gratiae necessario praecedat peccati expulsionem.

Circa primum, quod gratiae infusio necessario praecedat peccati expulsionem, videtur.

Fundamenta. 1. Ambrosius [1] dicit: « Quemadmodum intrans animam sapientis disciplina imprudentiam tollit, ita perfecta virtus iniquitatem »: si ergo iniquitatem non tollit nisi perfecta virtus intrans, et haec est gratia: ergo etc.

2. Item, gratiam infundi non est aliud quam ipsam creari [2]; sed creatio gratiae praecedit expulsionem culpae, quia culpa non expellitur nisi per gratiam: ergo et gratiae infusio.

3. Item, si prius naturaliter expellitur culpa, quam infundatur gratia; cum culpa non possit expelli nisi per habitationem Dei in anima, tunc prius inhabitaret Deus animam, quam infunderet gratiam; et hoc est impossibile [3].

4. Item, cum ignis expellit frigus, prius naturaliter immittit virtutem in materiam, quam illud expellit: si ergo Deus expellit culpam immittendo gratiam, ergo prior est gratiae immissio per naturam quam culpae expulsio.

Ad oppositum. Sed contra: 1. In qualibet mutatione prius est terminus *a quo* quam terminus *ad quem* secundum naturam, vel secundum tempus [4]; sed iustificatio incipit a malo et terminatur ad bonum: ergo si malum, a quo incipit, est peccatum, et bonum, ad quod tendit, est gratia; videtur, quod prior per naturam sit peccati expulsio quam gratiae infusio.

2. Item, « prius est natura a quo non convertitur consequentia secundum necessitatem [5] »; sed necessario ad *esse gratum* sequitur *esse mundum*, et non e converso, ut patet in primo homine et Angelo, in quibus ante fuit status innocentiae quam gratiae: ergo naturaliter prius est *esse mundum* quam *gratum*. Sed *esse mundum* est per culpae expulsionem, *esse gratum* per infusionem gratiae: ergo culpae expulsio prior.

3. Item, medium est secundum *naturam* et secundum *actualem existentiam*, et licet inter culpam et gratiam non sit medium secundum *actualem existentiam*, est tamen medium secundum *naturam*, videlicet innocentia; sed medium secundum *naturam* in mutatione naturaliter praecedit extremum [6]: ergo etc. Medium duplex.

4. Item, culpa expellitur, aut quando *est*, aut quando *non est*. Non quando *non est*, quia tunc semper expelleretur. Si quando *est*; sed quando est culpa in anima, non est infusa gratia, quia tunc simul essent duo opposita in eodem [7]: ergo ante expellitur culpa, quam infundatur gratia.

5. Item, si Deus successive operaretur, prius expelleret culpam, quam infunderet gratiam, prius, inquam, tempore; sed subita operatio, si [8] tollat ordinem *temporis*, non tamen tollit ordinem in *natura*: ergo cum subito iustificet, prius *naturaliter* culpam expellit, quam det gratiam.

6. Item, non videtur, quod sit [9] *aliquis ordo*, quoniam privare privationem nihil aliud est quam restituere habitum; sed culpa est privatio, gratia est habitus: ergo omnino est idem gratiam infundi et culpam expelli: ergo videtur, quod simul sint *tempore* et *natura*, cum eiusdem ad se non sit aliquis ordo.

---

[1] In Apologia prophetae David, c. 13. n. 63. Post *tollit* textus originalis addit *et scientia ignorantiam*. Cfr. C. *Ille rex* (25.), § 4. de Poenitentia, d. 3.

[2] Vide I. Sent. d. 9. q. 4. in corp.

[3] Cfr. Sap. 1, 4. — Verbis *cum culpa* plures codd. interserunt *omnis*, et subinde pro *tunc prius* plurimi codd. *tunc primum*, cod. H *tunc prius primum*.

[4] Cfr. Aristot., VI. Phys. text. 40. seqq. (c. 5.).

[5] Aristot., de Praedicam. c. *de Priori:* Secundo autem [prius alterum altero dicitur], quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unum duobus prius est; duobus enim existentibus, mox unum esse consequens est; uno vero existente, duo esse non necessarium est; quare non convertitur ab uno consequentia, ut reliquum sit; *prius* autem illud esse videtur, a quo non convertitur eius quod est esse consequentia. Cfr. tom. III. pag. 574, nota 1. et pag. 575, nota 1. — De *primo* statu Angelorum et hominis vide II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. et d. 29. a. 2. q. 2. — Inferius post *quam gratiae* codd. R S addunt *infusio*.

[6] Aristot., X. Metaph. text. 22. (IX. c. 7.): Media namque illa dicimus, in quae necesse est primo transmutari quod transmutetur, ut puta... si ex albo ad nigrum veniat, prius ad puniceum et fuscum, quam ad nigrum veniet. Cfr. V. Phys. text. 6. et 52. (c. 1. et 5.). — In hoc arg. ex codd. D F G (E a secunda manu) supplevimus *videlicet innocentia*, quae lectio confirmatur falsa lectione codd. R S bb *videlicet in essentia*. Pro *actualem existentiam* fere omnes codd. et ed. 1 perperam *actualem exigentiam* (cfr. supra a. 1. q. 1. in corp. et ad 3.).

[7] Quod est impossibile secundum Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.).

[8] Edd. cum pluribus codd. *etsi*. Cod. P huic arg. subnectit: De hoc est auctoritas VII. Levit. [scil. Glossa *ordinaria* in v. 33. sumta ex Origen. homil. 5. n. 12.]: Cum ablatum fuerit a corde tuo omne crassum, et mundatum fuerit ab omni inquinamento [Glossa: operimento], quod igni tradendum est, restat, ut ei apponatur gratia Spiritus sancti: ergo etc.

[9] Non pauci codd. et ed. 1 omittunt *quod sit*.

CONCLUSIO.

Gratiae infusio, ut egrediens a suo principio, in iustificatione naturaliter praecedit expulsionem peccati.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod Deus se ipso expellit culpam; nam ipse de se dicit Isaiae quadragesimo tertio[1]: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Unde secundum hos prius Deus mundat animam et postmodum dat gratiam *simul tempore,* tamen *posterius natura.*

Opinio 1.

Sed quia communiter ponitur, et verum esse credo, quod Deus expellit peccatum *per gratiam,* sicut sol per radios tenebras, sicut dicitur Actuum decimo quinto[2]: *Fide purificans* etc., et hoc supra monstratum est; ideo, cum causa praecedat effectum, infusio gratiae *naturaliter* prior est expulsione peccati, sicut lux praeit effugationem tenebrarum.

Opinio auctoris. Conclusio.

Ad quod intelligendum notandum est, quod qualitas aliqua, quae agit in aliud, habet triplicem comparationem, scilicet ad *principium,* a quo exit, et ad contrarium vel[3] *oppositum,* quod expellit, et ad *subiectum,* quod perficit. Et sunt istae comparationes ordinatae. Prius enim comparatur ad *principium,* a quo producitur; secundo ad *oppositum,* quod expellitur; tertio ad *subiectum,* quod perficitur. Subiectum enim informatum aliqua qualitate, vel deformatum vitio non potest intelligi informari aliqua bona qualitate vel perfectione, nisi prius intelligatur expulsio contrariae. Et impossibile est, quod aliquid intelligatur expulsum ab aliquo, quin prius intelligatur illud[4] *egredi a suo principio.* Quoniam igitur *gratiae infusio* non dicit *perfectionem subiecti* nisi *per concomitantiam,* sed potius ipsius *gratiae productionem* ab agente; ideo patet, quod prior est quam expulsio, sicut causa prior est suo causato[5].

Triplex comparatio qualitatis.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod prius est terminus *a quo;* dicendum, quod terminus *ad quem* non est *gratiae infusio,* sed magis *subiectum esse gratum* et mundatum et gratia informatum. Unde bene concedo, quod gratia prius per naturam habet rationem *agentis* quam *informantis;* et secundum quod habet rationem *agentis,* sic est *principium* iustificationis; secundum quod habet rationem *informantis,* sic est *terminus.*

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod prius est esse mundum quam gratum; dicendum, quod quamvis prior sit *mundatio* per naturam quam *gratificatio,* non tamen est prior quam ipse *mundans;* et quia gratia non tantum est *gratificans,* sed etiam *mundans;* ideo praecedit. Unde ratio illa bona esset, si mundatio non esset a gratia tanquam a principio *immediato* et *creato*[6]; nunc autem ratio illa tantum valet, quod prius per naturam competit gratiae *expellere culpam* quam *subiectum informare;* et hoc verum est. Forma enim, quae inducitur in materiam aliquam, prius est ibi ut potentia sive ut agens, quam sit ut perficiens sive ut actus. Sive igitur expulsio culpae sit idem quod mundificatio, sive non; sequitur infusionem gratiae; gratia enim mundificat, et hoc per naturam prius habet facere quam subiectum denominare.

Notandum. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod munditia vel innocentia est medium inter gratiam et culpam; dicendum, quod verum est; sed non propter hoc est prius animae mundificatio quam gratiae infusio. Gratia enim creata in anima ipsam informat; et quia informare non potest, quamdiu ibi obstaculum est, scilicet quamdiu[7] subiectum opposito habitu informatur; culpam expellit. Unde prius est culpae expulsio naturaliter quam animae informatio. Et ante haec duo prius est gratiae *creatio* quam aliquod horum; gratiae autem infusio non est aliud quam ipsius creatio. Unde cum dicit, quod *gratiae infusio* est ipsius subiecti habilitatio, hoc dictum est *per concomitantiam.*

Notandum.

4. Ad illud quod quaeritur: quando culpa expellitur? aut quando est, aut quando non est; dicendum, quod quia expulsio est mutatio subita, et in mutatione subita simul est *fieri* et *factum esse;* ideo simul est *expulsio* et *expulsum esse;* unde *expellitur,* quando primo *non est.* Dicitur ergo pro tanto *expelli,* quia prius fuit et adhuc esset, nisi contrarium repugnaret; et non semper dicitur *expelli,* sed solum in primo instanti et in quo esse desinit, et tunc quidem non est.

Notandum.

Aliqui tamen volunt aliter dicere, quod quia culpa habet *esse temporale,* ideo non est in sui termino, sed gratia est in termino et in initio; et ideo dicunt, quod cum gratia infunditur, et *incipit* et *est tunc;* peccatum autem, cum desinit esse, *non est.* — Sed quidquid sit de verbo *desinendi,* quod habet duplicem expositionem[8]; tamen credo,

Aliorum positio. Non probatur.

---

[1] Vers. 25. Vide supra pag. 419, nota 4.

[2] Vers. 9. Cfr. supra a. 1. q. 1. seq.

[3] Ex codd. FGHL adiecimus *vel.* Inferius post *istae* cod. bb subiungit *tres,* et pro *quod perficitur* codd. GRSbb *a quo expellitur.*

[4] Vat. supplet *scilicet expellens.* Paulo superius post *contrariae* cod. K (1a secunda manu) addit *qualitatis.*

[5] Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.): Causa enim prius est eo cuius est causa. — Post *prior est* cod. X supplet *infusio gratiae* et *culpae* post *expulsio.*

[6] Cod. aa *immediante et creante.*

[7] Pro *scilicet quamdiu,* quod habet cod. A et quod non pauci codd. omittunt, codd. ELaa *et,* cod. K (1a secunda manu) *dum,* edd. legunt: *ideo subiectum opposito habitu informat et culpam expellit.* Codd. HPQ, omisso *scilicet quamdiu,* post *informatur* addunt *qui.* In fine solut. pro *habilitatio* plures codd. *habitatio.*

[8] Cfr. tom. III. pag. 252, nota 3. — Inferius pro *cum expulsum esse* cod. X *cum eo quod est expulsum esse,* cod. Z *expelli et expulsum esse.*

quod culpa bene habet *esse in instanti,* sicut et gratia, et est in sui termino, termino, inquam, *intra;* sed expulsio est terminus *extra,* quia simul est cum *expulsum esse.* — Et *si tu obiicias,* quod duo instantia sunt immediata; tunc respondendum est, sicut superius [1] responsum fuit de transitione panis in corpus Christi, ubi positae sunt quinque responsiones, quas non oportet iterare propter brevitatem; et in ultima credo esse standum.

5. Ad illud quod obiicitur, si Deus operaretur successive etc.; dicendum, quod aliud mundaret animam quam gratia, et tunc esset alius ordo *naturae;* nunc autem, cum mundet [2] per gratiam, necesse est, ordine *naturae* ipsam praecedere expulsionem culpae. Hoc autem posito, quod per gratiam mundet; impossibile est intelligere, quod *successive,* quia tunc simul esset gratia cum culpa; gratia autem talis proprietas est, quae culpae nullatenus possit permisceri.

Notandum.

6. Quod obiicitur ultimo, quod idem est removere privationem et dare habitum; dicendum, quod verum est, ubi est *pura privatio;* verum est etiam, ubi datur habitus *praecise removens* illam privationem. Nunc autem non est ita, sed peccatum, etsi dicat deformitatem, nihilominus tamen concernit aliquam materiam secundum quosdam [3]. Quidquid tamen sit de hoc, gratia non tantum reparat habitum oppositum culpae, qui est *innocentia,* sed superaddit, ut visum est supra [4]; et ideo non est omnino idem *culpam expellere* et *gratiam dare.* — Et illud tenet communis opinio, quae illa quatuor distinguit, quae concurrunt ad iustificationem impii, inter quae primum est gratiae infusio, ultimo vero ponitur culpae expulsio.

Notandum. Notandum. Opinio communis.

SCHOLION.

I. In quaestionibus huius articuli Scholastici quoad principia conveniebant, sed quoad quasdam subtiles quaestiones dissidebant. Affirmabant communiter, iustificationem impii fieri in instanti, et in eodem instanti quatuor coniungi inter se distinguenda. Haec ab Alexandro Hal. (S. p. IV. q. 17. m. 4. a. 6. § 4.) sic exponuntur: « In iustificatione enim sunt duo termini, scilicet *a malo* et *ad bonum;* unde ex parte *Dei* requiritur aliquid ex parte termini *a quo,* et aliquid ex parte termini *ad quem;* similiter ex parte *nostra...* Ex parte quidem *Dei* respectu termini *in quem* est *infusio gratiae,* respectu termini *a quo remissio peccati.* Ex parte nostra respectu termini *in quem* est *motus liberi arbitrii* [per fidem in *Deum*], respectu termini *a quo* contritio, quae est *detestatio peccati* ». Concordant perfecte S. Thom. (S. I. II. q. 113. a. 6.) et S. Bonav. cum ceteris antiquis (cfr. scholion supra a. 1. q. 1.). — Non autem ita omnes conveniebant in solvenda quaestione, quo *ordine naturae* quatuor praedicta, quae *ordine temporis* coincidunt, ad invicem se habeant. — Et observandum est, quod haec quaestio minime respicit praeparationem, quae *tempore* iustificationem adulti praecedere debet (de qua saeculo XVIII. quoad *qualitatem attritionis* fuerunt graves controversiae), ut bene observant Alex. Hal. (loc. cit. a. 7. § 1.) et S. Thom. (de Verit. q. 28. a. 3. 8.). Nec ipsa respicit actum contritionis a iam iustificato factum et a caritate vel elicitum, vel imperatum (cfr. infra q. 2. ad 1. 2. 3.). Recolatur etiam differentia in definienda *contritione,* quae inter antiquos et recentiores theologos versatur et supra in scholio ad a. 1. q. 1. notata est.

II. Controversia igitur est 1. de ordine naturae, qui est inter *expulsionem culpae* et *infusionem gratiae* (hic q. 1.); 2. de eodem ordine inter *actum contritionis* et *expulsionem culpae* et *gratiae infusionem;* quae quaestiones intime cohaerent, et simul implicatur alia quaestio, utrum iste actus contritionis procedat ab ipsa gratia *gratum faciente* (habituali), an a gratia *gratis data* (actuali). — Richard. a Med. (hic a. 4. q. 4.) refert de his quinque opiniones, quarum ultima (quam censet esse probabilem) tenet, non esse quaerendum de *prioritate secundum ordinem naturae,* sed tantum de quatuor illis *secundum rationem.* Primo autem loco ipse recenset sententiam S. Thomae (S. I. II. q. 113. a. 8.), quam improbat, quod scilicet ordine naturae primum sit gratiae infusio, secundum motus liberi arbitrii in Deum, tertium motus liberi arbitrii in peccatum, quartum remissio culpae. In qua sententia simul supponit S. Thom., ultimam dispositionem istam (contritionis actum) procedere ab ipsa gratia *gratum faciente,* « quia secundum ordinem causae *formalis, efficientis* et *finalis* infusio gratiae natura prior est », licet « secundum ordinem causae materialis *remissio culpae* praecedat infusionem gratiae » (hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1.). Similiter, « motus liberi arbitrii praecedit naturaliter gratiae infusionem, sicut dispositio *materialis* formam [sive secundum rationem *causae materialis*]. Si autem attendatur secundum rationem causae *formalis,* est e converso » (de Verit. q. 28. a. 8.). Hinc discipuli S. Thomae communius docent, contritionem procedere ab ipsa gratia habituali et sequi eandem in genere causae *efficientis,* ipsam vero praecedere in genere causae *materialis.* Et re vera ipsa verba S. Doctoris hoc satis clare docere videntur. Nihilominus cum aliis Thomistis Gotti (Theol. scholast. II. tr. 7. q. 2. dub. 4. § 6.) dicit, hanc assertionem non paucis scatere difficultatibus, probabiliusque videri, ultimam dispositionem illam non esse *efficienter* ab ipsa gratia habituali, sed ab *auxilio* supernaturali, et per consequens *praecedere* iustificationem.

III. Sententia S. Bonav. (de qua cfr. etiam supra d. 14. p. I. a. 2. q. 3.) et Alexandri Hal. facile intelligitur, si attenditur duplex distinctio, quam facit S. Doctor. Prima fit circa *gratiam* (q. 1. in corp.), quam considerat sub triplici ratione simulque dicit, quod prius per naturam habeat rationem *agentis* quam *informantis* (ibid. ad 1.), et *mundantis* quam *gratificantis.* Simul est observandum, quod *gratiae infusio* ab ipso hic intelligitur *productio* eius a primo principio, non *informatio et perfectio* subiecti nisi per concomitantiam (in fine corp.). Unde patet, quod gratiae productio prior est expulsione peccati, haec vero natura prior quam eadem gratia, quatenus subiectum *informat et gratificat,* quod est ultimus terminus *ad quem* (ad 1. 2. 3.). De *gratia* ut movente cfr. II. Sent. d. 26. q. 6. — Similiter auctor distinguit *actum contritionis* (hic q. 2. ad 1. 2. 3.) sive potius *formationem* huius actus, ut sit scilicet vel a gratia *eliciente* et *imperante,* vel tantum *adveniente;* sive aliis verbis, in adulto

---

[1] Dist. 11. p. I. q. 5. ad 4. — Pro *transitione* codd. R S bb *transsubstantiatione.*

[2] Codd. A aa *cum non mundet nisi.*

[3] Vide II. Sent. d. 34. a. 2. q. 3. scholion. — Pro *materiam* codd. E L *naturam,* plures alii *maculam.*

[4] Art. 1. q. 1. Ibid. q. 3. de quatuor, quae concurrunt ad iustificationem. — Superius pro *reparat* cod. aa *recuperat;* subinde post *culpae* ex eodem cod. aa cum cod. N substituimus *qui est* pro *quae est.*

peccatore iste actus in primo instanti naturae praeintelligitur *informis*, in secundo intelligitur *formata;* ut *informis* necessario praecedit et expulsionem peccati et gratiae informationem. Hoc docet etiam Scot. et communior opinio (cfr. infra q. 3.). — In solut. ad 4. adhibentur eadem principia, quae explicata sunt supra d. 11. p. I. q. 5. et in scholio.

De utraque quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. q. 17. m. 4. a. 7. § 1-3. — Scot., supra d. 16. q. 2. praesertim n. 18. 19. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 1-4. — De his et seq. q. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum expulsio culpae necessario praecedat contritionem.

Secundo quaeritur, utrum expulsio culpae necessario praecedat contritionem. Et quod sic, videtur:

1. Quia motus contritionis est motus formatus[1]; sed gratia prius naturaliter informat subiectum quam actum: ergo prius naturaliter est homo gratus quam contritus. Sed esse *gratificatum* sequitur peccati expulsionem: ergo et contritio, quae provenit ab anima gratificata. *Ad oppositum.*

2. Item, contritio est motus meritorius; sed omnis motus meritorius procedit a radice mundata[2]: ergo cum radix mundetur per peccati expulsionem, patet, quod expulsio peccati praecedit contritionem.

3. Item, contritio est opus bonum; sed opus bonum praecedit habitus bonus[3]: ergo prius naturaliter anima habilitatur, quam conteratur. Sed impossibile est intelligere animam habilem ad bonum, nisi expulsa culpa: ergo etc.

4. Item, motus liberi arbitrii praecedit; sed impossibile est, animam simul moveri diversis motibus secundum partem superiorem[4]; sed in eodem instanti est remissio culpae et motus liberi arbitrii: non ergo contritio.

Contra: 1. Si contritio sequeretur culpae remissionem; cum, remissa culpa, necessario sit homo iustus, ergo etiam si non sequeretur contritio, esset iustus; sed hoc est falsum: ergo non necessario praecedit[5]. *Fundamenta.*

2. Item, si remissio culpae esset omnino a libero arbitrio, tunc constat, quod actus detestationis eam praecederet; sed sicut praecedit rem quod est *tota causa*, ita et quod est *adiuvativum:* ergo si contritio est motus a libero arbitrio, adiuvans gratiam et faciens viam ad culpam delendam[6]; patet, quod est prior.

3. Item, si lumen non posset introduci in aërem, nisi aëre ad hoc operante; non solum luminis inductio praecederet expulsionem tenebrae, sed etiam actus aëris; sed sic est in proposito[7]: ergo cum iustificatio non introducatur, nisi adiuvante libero arbitrio; patet, quod non solum infusio gratiae, sed etiam actus liberi arbitrii praecedit ipsam naturaliter.

4. Item, cum anima non possit sanari nisi operans; si non posset operari nisi sanata, esset ei via praeclusa[8]: ergo necesse est, quod illa operatio, per quam sanatur, praecedat sanationem, ergo peccati remissionem.

CONCLUSIO.

Contritio remissionem culpae praecedit secundum ordinem naturae.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum opinio fuit, quod remissio culpae antecederet contritionem, secundum quod remissio culpae dicitur quantum ad *maculae ablationem;* sed quantum ad *poenam,* vel *sequelam* sequitur. — Sed sicut supra[9] dictum est, contritio necessaria est in ipsius gratiae infusione; unde et praecedit peccati expulsionem natura. *Opinio 1. Opinio auctoris. Conclusio.*

Et hoc patet sic: quia anima per detestationem peccati se disponit ad gratiam dispositione, quanta potest; gratia vero adveniens in animam, quia illa detestatio erat quasi dispositio media ad introducendam gratiam, per naturam prius respicit *illam* et *per illam* culpam delendam; sed[10] ex comparatione vel respectu gratiae ad illam detestationem est *contritio,* ex respectu ad culpam est *remissio:* ideo contritio praecedit remissionem per naturam. — Et concedendae sunt rationes ad hoc. *Ratio.*

Exemplum autem huius videri potest sic. Intelligamus aërem obtenebratum per praesentiam nubium et nebularum, et quod nubes illae non possint expelli eatenus, qua obtenebrant, nisi per motum aëris et irradiationem luminis. Tunc ad hoc, *Exemplum.*

---

[1] Scil. a gratia.

[2] August., de Spiritu et lit. c. 14. n. 26: Non enim fructus est bonus, qui de caritatis radice non surgit.

[3] Ut insinuat Aristot. supra pag. 352, nota 10. allegatus.

[4] Cfr. supra pag. 342, nota 13. — *Maior* probata est supra a. 1. q. 2. et intelligitur de motu *fidei.*

[5] Scil. remissio culpae. Edd. cum pluribus codd. omittunt *non,* in qua lectione supplendum *contritio.*

[6] Vide supra a. 1. q. 3.

[7] Ut ostensum est supra a. 1. q. 2. ad 3. — Pro *sic est* ed. 1 cum pluribus codd. *hoc est.* Inferius pro *infusio gratiae,* quod praebet cod. M, alii codd. et ed. 1 *expulsio culpae* (sed de hac quaeritur), Vat. *iustificatio sive infusio gratiae praecedit expulsionem culpae.*

[8] Supple: salutis vel sanationis.

[9] Art. praeced. q. 3. et d. 16. p. I. a. 1. q. 2. ad 2.

[10] Ita codd. FGUX, in aliis et edd. *sic.*

quod aër reciperet primam illuminationem, oporteret, simul cum irradiatione solis concurrere ventum, et post ad perfectam restitutionem luminis oporteret adhuc ventum sequi, qui nebulas expelleret. Per hunc modum est intelligere de contritione et gratiae infusione, ipsi tamen causalitas activa attribuatur ut irradiationi, secundum illud Psalmi[1]: *Prae fulgore in conspectu eius nubes transierunt* etc.

Solutio oppositorum. 1. 2. 3. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod[2] est actus formatus et meritorius et bonus; dicendum, quod actus formari potest a gratia dupliciter: Distinctio notanda. uno modo a gratia ipsum motum *secundum suam substantiam eliciente* et *imperante,* ut cum gratia movet liberum arbitrium ad bonum opus; et tunc verum est, quod animae gratificatio et mundatio et habilitatio ad bonum talem actum praecedit. Alio modo actus formatur a gratia *non imperante* nec *eliciente,* sed *adveniente,* ut quando Notandum. liberum arbitrium est in actu *consono gratiae;* tunc etiam[3] adveniens et inveniens liberum arbitrium in actu utrumque simul tempore format, scilicet *potentiam* et *actum,* prius tamen natura *actum* quam *potentiam,* sicut dispositionem intermediam. Et de tali non est verum, quod sequatur mundationem vel informationem, immo praecedit et ordinatur ad remissionem culpae; quod quidem non facit aliquis actus a *gratia elicitus,* prout dicitur *gratum faciens.* Duplex gratia. Nam etiam ille actus, quo anima se disponit, est a gratia, secundum quod gratia dicit aliquid *gratis datum;* quia, secundum quod habitum est in secundo[4], liberum arbitrium non se disponit ad gratiam *gratum facientem* sine aliquo *gratis dato.* Et sic patent tria obiecta. Contritio vero, quae est post iustificationem, est per modum illum, quem dicit.

4. Ad illud quod obiicitur, quod anima non simul diversis motibus movetur; dicendum, quod verum est *secundum eandem potentiam;* sed secundum *aliam et aliam* potest esse et necesse est. Notandum. Simul enim sunt cognitio rationis et appetitus voluntatis et delectatio, cum quis delectatur in videndo vel intelligendo aliquid. Sic in proposito: quia motus liberi arbitrii est fidei secundum actum rationis, sed contritio est potentiae voluntatis secundum irascibilem vim, et simul sunt tempore[5].

QUAESTIO III.

Utrum necesse sit, quod attritio praecedat impii iustificationem sive contritionem.

Tertio quaeritur, utrum necesse sit, quod attritio praecedat impii iustificationem sive contritionem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quoniam, si Deus iustificaret sine praeparatione, tunc etiam sine motu liberi arbitrii iustificaret; quod quidem non facit, sicut dicit Augustinus[6]: « Qui creavit te sine te non iustificat te sine te ». Tunc igitur quaero: per quid immediate se praeparat? Si per actum alium quam doloris; cum gratia non sit deletiva suae praeparationis, illum actum non expellet, sed formabit: ergo sine omni contritione poterit iustificari; sed hoc est falsum[7]: ergo etc.

2. Item, gratia per se sufficiens est delere culpam, ex quo venit in animam: ergo si requiritur actus, videtur hoc esse magis ad introducendam gratiam quam ad iuvandum introductam; sed motus doloris ante infusionem gratiae est attritio[8]: ergo etc.

3. Item, licet dolor sit motus instantaneus, non tamen elicitur a libero arbitrio nisi per praeparationem et collationem, quae fit in tempore; sed iustificatio fit in instanti[9]: ergo necesse est, quod ante illud instans liberum arbitrium dolere incipiat.

Ad oppositum. Contra: 1. Videmus Paulum iustificatum, in quo nulla praecessit praeparatio nec attritio[10].

2. Item, Ambrosius[11]: « Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia »: ergo statim potest totum fieri: ergo etc.

3. Item, si requiritur dolor praecedens, aut ille dolor *informatur* adveniente gratia, aut *non.* Si *sic:* ergo attritio fit contritio, et opus mortuum fit vivum; quod est inconveniens[12]. Si *non informatur:* ergo necesse est, dolorem novum elici; sed similiter posset elici, si ille non praecessisset: ergo etc.

Quaestio incidens. Item, iuxta hoc quaeritur, utrum *attritio* fiat *contritio.* Et quod *non,* videtur: quia ortum habet a timore servili, qui expellitur[13], non formatur. — Quod autem *fiat,* videtur: quia ortum habet a fide informi, quae non expellitur, sed formatur: ergo similiter et attritio.

---

[1] Psalm. 17, 13. — Superius pro *est intelligere* non pauci codd. *intellige.*

[2] Cod. X supplet *contritio.* Idem cod. inferius pro *substantiam* substituit *speciem.* Cfr. supra d. 14. p. I. a. 1. q. 3. in corp.

[3] Cod. U *enim,* Vat. *gratia.* Cfr. supra d. 16. p. I. a. 1. q. 2. ad 2.

[4] Dist. 28. a. 2. q. 1.

[5] Vide supra a. 1. q. 2. ad q. incid. et d. 14. p. II. dub. 7. — Pro *et simul* cod. A *verumtamen simul,* codd. N aa *unde simul.* Superius pro *et necesse est* cod. K *immo necesse est.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cfr. supra pag. 327, nota 2.

[7] Ut dictum est supra a. 1. q. 3.

[8] Eccli. 2, 20: Qui *timent* Dominum praeparabunt corda sua. Cfr. supra d. 4. p. I. dub. 1. et d. 14. p. II. dub. 1. — Pro *requiritur* non pauci codd. et ed. 1 *relinquitur.*

[9] Vide infra dub. 4. — *Maior* ostensa est supra d. 16. p. I. a. 3. q. 1.

[10] Cfr. Act. 9, 3. seqq.

[11] Libr. II. in Evang. Luc. 1, 39. n. 19.

[12] Vide supra lit. Magistri, d. XIV. c. 2.

[13] Cfr. supra pag. 322, nota 1, et III. Sent. d. 34. p. II. a. 1. q. 3. Oppositum ostenditur ibid. d. 23. a. 2. q. 4. de *fide* informi.

CONCLUSIO.

Attritio praecedit impii iustificationem secundum legem communem.

Respondeo: Dicendum, quod secundum speciale privilegium potest Deus iustificare sine omni praeparatione; tamen secundum legem communem non iustificat nisi eos qui se praeparant, sicut dicitur in Zacharia[1]: *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Et quia praeparatio debet esse secundum convenientiam ad iustificationem, in qua est motus liberi arbitrii et contritio; necesse est, quod homo se praeparet motu *fidei* et *doloris,* ita quod gratia inveniat liberum arbitrium in utroque istorum actuum, vel etiam summe paratum ad utrumque, ita quod in eodem instanti paratum sit moveri, in quo gratia advenit. — Et concedendae sunt rationes ad partem istam; procedunt enim secundum legem communem, quae non praeiudicat privilegio speciali[2].

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. 2. Et ideo patet de Paulo. Similiter, quod nescit tarda molimina; dicendum, quod verum est, quod gratia subito venit, sed tamen homo non subito praeparatur.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, utrum ille dolor formetur, aut novus eliciatur; illi qui dicunt, quod contritio *sequitur* culpae remissionem, dicunt, quod *novus* elicitur, et post infusionem gratiae omnes virtutes habent novos actus. Sed illi qui dicunt, quod contritio est *in instanti iustificationis;* necesse habent dicere, quod *dolor ille* formatur et motus fidei sive liberi arbitrii[3].

Duplex opinio.

Ad illud ergo quod quaeritur, utrum attritio fiat contritio; dicendum, quod istud tripliciter potest intelligi: aut quod *habitus,* quo quis atteritur, formetur et illo conteratur, sicut fides informis fit formata; et hoc credo verum, credo enim, quod habitus poenitentiae informis per adventum gratiae formatur. Nec[4] simile est de timore servili, in quo vivit voluntas peccandi. — Secundo modo potest intelligi quantum ad *actum substratum;* et adhuc concedo, quod actus, qui in principio sui est attritio, antequam interrumpatur, fit contritio, sicut patet de motu, quo quis vadit ad ecclesiam, si infundatur ei gratia in via. — Tertio modo potest intelligi quantum ad *conditionem superadditam,* quia opus mortuum secundum partem illam, qua mortuum est, fiat vivum; et hoc impossibile est, quia pars illa motus transiit et fuit informis et nunquam formatur, quia non resumitur idem, quod praeteriit[5].

Ad quaest. incid.

Triplex sensus et solutio trium.

SCHOLION.

I. Communiter docent antiqui Scholastici, Deum *speciali privilegio* posse iustificare sine omni praeparatione, ut reapse facit in parvulis. — Ad quaestionem *incidentem* Scot. (IV. Sent. d. 14. q. 2. n. 14. seqq.) respondet cum distinctione et docet, illum informem motum, de quo in praecedenti quaestione actum est, fieri posse *contritionem,* non vero illam *attritionem* (ut vulgo nos distinguimus), quae elicitur ex motivo specifico, contradistincto a motivo contritionis. Eodem sensu etiam intelligendus esse videtur S. Bonav. Sed Alex. Hal. (S. p. IV. d. 17. m. 5. a. 4.) in hoc recedit a nostro auctore, quod non *actum,* sed tantum *habitum* attritionis informari et contritionem fieri posse asserat. — S. Thom. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 1. a. 3.) praefert opinionem negantem tum quoad *actum* tum quoad *habitum;* sed in duplici argumento pro hac solutione manifeste loquitur de attritione, cuius motivum est vel timor serviliter servilis, vel aliud motivum naturale; de quibus non est dubium. Sententiam S. Bonaventurae praeferunt etiam B. Albert. (supra d. 16. a. 8.); Petr. a Tar. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 4.); Richard. a Med. (hic a. 1. q. 2.); Durand. (hic q. 2. n. 7.); Dionys Carth. (hic q. 2.).

De ipsa 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. — Scot., q. cit. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; S. I. II. q. 113. a. 3; de Verit. q. 28. a. 3. 4. 5. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 6. 8. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Seq. (4.) quaestio refertur ad 4. quaestionem praecedentis articuli, quae est de *iustificando,* haec de iam *iustificato* sine confessione. Circa utramque duae falsae opiniones ex contraria parte surrexerunt. Baius detraxit caritati et contritioni perfectae, docens (prop. damnata 31.): « Caritas perfecta et sincera, quae est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum » (cfr. prop. 32.). Hinc extra Sacramentum iustificatio fieri non posse videretur. Ad hanc opinionem nimis accessit Estius (hic § 2.) putans, « neque *ordinarie* neque *frequenter*... sed *raro* fieri, ut ante actualem sacerdotis absolutionem peccator sit absolutus coram Deo ». — Ex opposita parte alius error tribuitur Richardo a S. Vict. et Magistro (hic c. 1. in fine et d. XVIII. c. 4. seqq.), quod ante absolutionem vi *contritionis* ita ordinarie peccatum a Deo dimittatur, ut absolutio non sit nisi declaratio absolutionis a Deo factae. — Vera sententia stat in medio et satis clare docetur a Concilio Trident. (Sess. XIV. c. 4.). Quando enim « contritio *caritate perfecta* esse contingit », cum *voto* tantum Sacramenti Deo reconciliat, manente tamen obligatione confessionis; sed quando contritio est « imperfecta, quae attritio dicitur », « sine Sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem non potest ».

Idem Estius (hic § 1.) cum non paucis aliis, etiam eximiis theologis errorem Magistri tribuit etiam S. Bonaventurae, quasi in his 2 qq. doceat, *generatim* confessionem et absolutionem non requiri ad iustificationem nisi *ea ratione,* qua etiam cetera praecepta ordinaria obedientiam postulant sive facto, sive saltem voto, dum re vera hoc asserat de *iam iustificatis.* Obiiciunt

---

[1] Cap. 1, 3: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos etc.

[2] Hieron. in Ionam 1, 7: Privilegia singulorum non possunt legem facere communem. Et in C. *Ideo permittente* (16.), C. 25. q. 1. § 3.

[3] Cfr. quaest. praeced. — Verbis *motus fidei* codd. F G praemittunt *fit,* cod. aa *est,* sed perperam. In principio solutionis post *eliciatur* cod. K (I a secunda manu) addit *dicendum, quod.*

[4] Plures codd. *Nec etiam.* Inferius pro *substratum* non pauci codd. *subiectum.*

[5] Vide supra d. 15. p. I. q. 4.

etiam alium locum, infra d. 18. p. I. a. 2. q. 1. in fine corp., quod potestas clavium, proprie loquendo, non se extendat ad *culpam.*

Sed de hac falsa et iniusta interpretatione merito conqueruntur cum Barth. a Barberiis plures Seraphici Doctoris interpretes, cum eiusdem doctrina cum Concilio Trident. concordare luculentissimis plurimisque locis evincatur. Pauca sufficiant. *Confessio* non est tantum praeceptum qualecumque, sed « opus sacramentale ad iustificationem institutum » (infra p. II. a. 2. q. 3.), et « opus sacramentale, prout ordinatur ad reconciliationem, quae fit per absolutionem et ligationem. Et quoniam haec potestas collata est solis sacerdotibus » etc. (infra p. III. a. 1. q. 1.). Eadem est pars Sacramenti poenitentiae divinitus instituti, quae se habet ad *absolutionem* ut *materiale* ad *formale* (infra d. 22. a. 2. q. 1. 2. et passim); est *secunda tabula* naufragantibus, sicut baptismus est *prima* (ibid. a. 3. q. 2, supra d. 14. p. I. dub. 1.); ipsa praecepta est non tantum iure ecclesiastico, sed etiam divino (infra p. II. per totam, praecipue a. 1. q. 1-3, ubi in scholio ad q. 3. vera S. Bonaventurae sententia ostenditur); poenitentia est Sacramentum *mortuorum* simili modo ac baptismus (infra p. II. a. 2. q. 1. in corp. et ad 2. 3.); confessio ordinatur ad potestatem clavium, « quae in foro poenitentiali aditum caeli aperit » (infra d. 18. p. II. a. 1. q. 3, cfr. p. I. a. 1. q. 1. 2, a. 2. q. 1. 2, d. 19. a. 3. q. 1.); sicut in adulti baptismo *attritus* fit *contritus* (supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2. ad 3, hic q. 4. ad 2.), ita « attritio *frequenter* ob confessionem superadditam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat contritio ». Hinc disertis verbis ab ipso improbatur opinio Magistri, cui favet etiam Richard. a S. Vict. (locc. citt.), quod digne accedens ad Sacramentum poenitentiae iam ante absolutionem semper sit contritus et iustificatus (d. 18. p. I. a. 2. q. 1.). Denique (d. 17. p. II. dub. 1.) haereticum esse censet eum qui doceat sufficere soli Deo confiteri. Quomodo autem ad mentem Concilii Trident. (Sess. XIV. c. 6.) sacerdos in foro poenitentiali remittat peccata « non per modum *efficientis,* sed *ministrantis* », docetur infra d. 18. p. I. dub. 2, p. II. a. 1. q. 3; d. 19. a. 2. q. 2, a. 3. q. 1, et diffusius d. 18. p. I. a. 2. q. 1, ubi in scholio mens S. Doctoris explicatur. — Quomodo poenitens reconciliatur Christo « mediante clavi sacerdotali », miro modo docetur in Breviloq. p. VI. c. 10.

De hac 4. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 5. — S. Thom., hic q. 2. a. 5. quaestiunc. 2. ad 1; Suppl. q. 5. a. 2. ad 1.

QUAESTIO IV.

Utrum confessio necessario sequatur iustificationem.

Quarto quaeritur, utrum confessio necessario sequatur iustificationem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta 1. Quia iste peccator tenetur confiteri; sed constat, quod gratia non absolvit ipsum a praecepto confessionis: ergo post gratiam susceptam adhuc tenetur.

2. Item, contritus et confessus tenetur[1] satisfacere; sed confessio non absolvit a satisfactione, quae est posterior ipsa: ergo nec contritio a confessione. Sed contritus est iustificatus: ergo iustificatus tenetur confiteri.

3. Item, Dominus praecepit poenitentiam agere, Matthaei quarto[2]; sed in perfectione poenitentiae sunt ista tria, « scilicet contritio, confessio et satisfactio », sicut dicit Magister in littera supra distinctione decima sexta in principio: ergo non implet homo praeceptum, nisi confiteatur: ergo tenetur homo confiteri quantumcumque iustificatus.

4. Item, iustificationi necessarium est propositum confitendi; sed propositum aut desinit esse efficax, aut exit in actum, cum se offerunt tempus et locus. Sed proposito confitendi desinente, desinit aliquis esse iustus, et necesse est, non[3] esse propositum efficax, vel hominem confiteri: ergo vel necesse est, quod post iustificationem homo confiteatur, vel quod a iustitia cadat.

Ad oppositum. Contra: 1. Qui habet iustitiam habet omne quod ad salutem est necessarium; sed omnis iustificatus habet iustitiam: ergo habet omne quod ad salutem est necessarium. Si ergo confessio non est necessaria ad iustificationem, nec post iustificationem est necessaria ad salutem: ergo iustificatus ad confessionem non tenetur.

2. Item, si iustificatus tenetur ad confessionem, aut ergo propter deletionem *culpae,* aut propter deletionem *poenae;* non *culpae,* quia culpa iam deleta est; non *poenae,* quia tanta potest esse contritio, quod delet totam poenam[4], et si aliquod residuum est, potest deleri per satisfactionem exteriorem: ergo nullo modo tenetur.

3. Item, duplex est forum, scilicet forum *Dei* et forum *Ecclesiae;* secundum forum *Dei* punitur quis in purgatorio multo gravius quam in hoc mundo[5]; secundum forum *Ecclesiae* in hac vita; sed potest quis renuntiare iudicari in foro minori, ut transferat se ad forum maius: ergo aliquis licite post contritionem potest exspectare poenam purgatoriam: ergo non tenetur iudicari in foro Ecclesiae: ergo nec confiteri.

4. Item, ponatur, quod aliquis conteratur et nihil cogitet de confessione, constans est, quod iste habet gratiam, et non omittit[6]: ergo non cadit a gratia, quia non intervenit contemptus: ergo quamdiu non cogitat, non peccat. Esto quod sic moriatur, constat, quod salvatur etiam sine confessione: ergo etc. — Et ad hoc sunt multae auctoritates, quas adducit Magister in littera[7].

---

[1] Codd. F G *adhuc tenetur.*

[2] Vers. 17: Poenitentiam agite etc. — Mox pro *in perfectione poenitentiae* cod. F *in perfecta poenitentia.*

[3] Plures codd. perperam omittunt *non,* codd. R S legunt *necesse enim est, esse* etc.

[4] Cfr. Luc. 7, 47. seq., ubi de Maria Magdalena, et 23, 42. seq., ubi de bono latrone.

[5] Ut ostenditur infra d. 20. p. I. q. 2.

[6] Sensus hic et ad 1. est: et non peccat omittendo. — Inferius post *Esto* codd. I K L Y addunt *ergo.*

[7] Hic c. 1.

CONCLUSIO.

Confessio etiam post iustificationem est necessaria necessitate praecepti, a qua tamen impossibilitas excusat.

Respondeo: Dicendum, quod confessio est instituta sub praecepto, sicut melius patebit infra [1]; et ideo, quia ab hoc praecepto peccans per susceptionem gratiae non absolvitur, adhuc confiteri tenetur; et ideo, si non confitetur, cadit a iustitia. — Sicut enim nullus potest iustificari, qui Sacramenta contemnat [2]; sic nullus in iustitia perseverat, si post iustificationem ex contemptu negligat confiteri. Et ideo, si potest confiteri et non curat, cadit a iustitia, cum cadit a proposito confitendi, sine quo iustificari non poterat. — Concedendum ergo, quod confessio post iustificationem est necessaria necessitate praecepti, a qua tamen excusat impossibilitas. Unde et rationes ad hanc partem sunt concedendae.

Conclusio. Ratio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur: qui habet iustitiam habet omne quod necessarium est ad salutem; dicendum, quod verum est, si perseveret in illa; sed quamvis sine confessione possit quis iustitiam adipisci, tamen in illa non potest diu permanere sine confessione, quin *omittat.* Non solum autem sunt necessaria ad salutem illa quae necessario requiruntur ad iustitiae *adeptionem,* verum etiam illa quae requiruntur ad habitae *conservationem.*

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur: aut est necessaria propter deletionem culpae etc.; dicendum, quod *ista* non est ratio, sed *institutio.* Quia enim confessio instituta est *sub praecepto,* ideo nemo absolvitur, sed quilibet tenetur, quantumcumque poena et culpa deleatur. Valet tamen ad deletionem *culpae* quantum ad eos qui se non paraverunt sufficienter omnino, et etiam *poenae* quantum ad alios, et ad multas utilitates, sicut infra [3] melius apparebit, propter quod eam Dominus instituit.

Notandum. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de duplici foro, dicendum, quod poenitens, quamdiu est in hac vita, subiectus est foro Ecclesiae, ita quod ab ipso non potest appellare. *Praeterea,* fecit iniuriam Ecclesiae, et ideo, si potest comparere, tenetur, nisi per impossibilitatem excusetur. Nemo enim ad forum purgatorii admittitur, qui forum Ecclesiae contempsit, cum in nullo fiat iniuria peccatori, sed in utroque iustitia.

4. Ad illud quod obiicitur de illo qui nihil cogitat, dicendum, quod hoc potest esse duplici ex causa: vel propter *intensionem doloris,* vel propter *occupationem superfluae sollicitudinis.* Quantum ad primum, quia Dominus cor eius occupavit, si non fuit mora superflua nec indiscretio aliqua; credo, quod Dominus absolvit et voluntatem pro opere computat; et computatur iste cum illis qui excusantur propter impossibilitatem, habentes [4] devotionem in Sacramento. — Si autem non cogitat nec curat, aliis sollicitudinibus occupatus, maxime si locum et tempus habuit confitendi ore; tunc non excusatur, immo ob peccatum omissionis reputabitur reus mortis, maxime si non fuerit sic morte praeventus, quin bene posset et deberet recogitare et petere Sacramentum Ecclesiae [5].

Causa duplex. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Cassiodorus: *Votum pro operatione iudicatur.* Videtur enim male dicere, quia secundum hoc tantum valet, si quis habet voluntatem confitendi, quantum si confitetur: frustra ergo confitetur. — Item, aut Sacramentum confert *aliquid* habenti bonam voluntatem, aut *nihil.* Si *aliquid:* ergo non est idem et aequivalens velle et Sacramentum suscipere. Si *nihil* confert habenti bonam voluntatem, et nulli alii confert: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod *votum* hic dicitur firmum propositum, et hoc computatur pro operatione, non quia tantum valeat omnino, sed quia hoc etiam Deus acceptat, et si adsit votum, et desit facultas; Deus excusatum habet. Concedo ergo bene, quod semper aliquid recipit qui opere accipit Sacramentum et aliquam utilitatem habet; tamen ubi deest facultas, Deus reputat sufficiens ad impetrandum ipsum votum; et ubi adest, antequam perveniat ad opus, reputat conveniens ad obtinendum gratiam. Nec tamen frustra confitetur; si enim pro loco et tempore non confiteretur, verum votum non esset, aut esse desisteret, si prius esset [6].

Quid votum. Notandum.

---

[1] Partis II. a. 2. q. 1.

[2] Vide supra pag. 107, nota 6. verba Augustini.

[3] Partis II. a. 1. q. 1. in fine et a. 2. q. 3. — Mox post *propter quod* codd. R S T bb addunt *etiam.*

[4] Vat. *habendi.* Hug. a S. Vict, l. de Sacram. p. IX. c. 5: Est homo, qui habet fidem et cum fide dilectionem; aquam [baptismi] non habet, non tamen aquam contemnens, sed aquam habere volens et non valens. Hunc ergo aqua absens damnabit, et non potius fides et *devotio* praesens salvabit? Cfr. ibid. c. 8. — Inferius post *nec curat* cod. X supplet *de confessione.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cfr. II. Sent. d. 40. a. 1. q. 3. — Pro *verum,* quod exhibent codd. H L U (bb a secunda manu) et codd. F G I K omittunt, alii cum edd. *aut.* — Idem dub. solvit B. Albert.; hic a. 2; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *nemo potest confiteri nisi suscitatus.* Videtur enim non esse verum quod dicit, quia secundum hoc, cum nullus mortuus teneatur ad sui suscitationem, quia hoc est impossibile, nullus peccator tenetur ad confessionem; quod est inconveniens.

Respondeo: Dicendum, quod *posse confiteri* est dupliciter: aut peccatum detegendo, ut sit confessio *manifesta*, et sic potest fieri etiam a peccatore; aut ut sit confessio vere *reconciliativa*, et sic non potest fieri nisi a iusto et suscitato. Si enim alias fiat, absolvitur exterius, sed non interius. Nihil enim ad salutem valet alicui poenam temporalem taxare, quousque Dominus absolvat ab aeterna [1].

Distinctio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut anima vita corporis, ita eius vita Deus est.* Videtur enim esse falsum, quia anima vivificando informat corpus, sed Deus non est forma animae. — Item, corpus privatum animae vita non resuscitatur nisi per miraculum: ergo videtur, quod iustificatio sit miraculosa; quod non videtur, cum nemo admiretur hoc, nec sit insolitum [2].

Respondeo: Dicendum, quod sic Deus est vita animae, sicut anima corporis, quodam modo, et quodam modo non sic. In hoc enim est *similitudo*, quod quemadmodum corpus indiget anima et ab ipsa vivificatur, quamdiu illi coniungitur, et per eius separationem vilescit; sic, quamdiu anima unitur Deo per caritatem, vivificatur, et quando separatur ab eo, moritur et vilescit. In hoc autem est *dissimilitudo*, quia anima coniungitur naturaliter et naturaliter ex corruptione naturae separatur, ita quod appetitus et indigentia est in utroque, quia constituunt tertium [3]; ex Deo autem et anima non fit unum. Et *praeterea*, coniunctio illa est voluntatis ex utraque parte; et hinc est, quod quia voluntas nostra naturaliter est vertibilis, et divina misericordia prompta est misereri, quod resuscitatio animae non est *miraculosa*, sed ut proprius loquamur, est *mirabilis* [4].

Similitudo.

Dissimilitudo.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non meretur iustificari qui in vita sua non vult peccatum confiteri.* Videtur enim improprie loqui, quia *iustificatio* antecedit omne meritum: ergo nullus iustificari meretur. — Item quaeritur: cum omnes virtutes dentur homini, scilicet fides, caritas etc., quare magis vocatur *iustificatio* deletio culpae quam aliud? — Item, cum anima dicatur *iustificari, vivificari* [5], *sanari* et *renovari;* quaeritur, quae sit differentia inter haec.

Quaestio incid. 1.

Quaestio incid. 2.

Respondeo: Dicendum, quod iustificatio non cadit sub merito *condigni*, cadit tamen sub merito *congrui* [6]; dicitur autem reparatio animae *iustificatio.* Peccatum enim actuale est deordinatio sive obliquatio circa aliquem actum animae; et per hanc separatur anima a Deo et ex hoc incurrit duplex malum, scilicet *difficultatem ad bonum*, et ista dicitur *vetustas*, qua anima iam inveterata est; et *pronitatem ad malum*, et haec dicitur *infirmitas;* unde omne peccatum dicitur *iniustitia*, dicitur *mors*, dicitur *vetustas*, dicitur *infirmitas* [7]. — Per oppositum igitur anima in adventu gratiae *vivificatur*, et ex susceptione virtutum ordinantium universas potentias *iustificatur* — et hoc quidem fit in instanti — unde iustificatio dicitur a *iustitia generali* [8]; sed *sanatur* ulterius per gratiam Sacramentorum, et *renovatur* per bonum exercitium et fit semper ad bonum habilior. Unde dicit Apostolus secundae ad Corinthios quarto [9]: *Quod renovatur de die in diem*, sicut exterior de die in diem *corrumpitur.*

Quid iustificatio.

Duplex malum in peccato.

Effectus 4 in adventu gratiae.

Unde notandum, quod peccatum uno modo dicitur *infirmitas* et *vetustas*, alio modo *sequela peccati.* Et primo quidem modo *statim* fit sanatio et renovatio; secundo modo *successive*, nec pervenitur ad perfectam sanitatem et novitatem nisi in gloria, eo quod semper manet pronitas et difficultas in via [10].

Differt sequela.

Quod ergo quaeritur: quare dicitur *iustificatio?* dicendum, quod dicitur a *iustitia generali*, non a *iustitia cardinali.* — Quod quaeritur, quomodo haec differant, iam patet. — Patet etiam illud quod consuevit quaeri, *cuius* sit sanare. Dico enim, quod *contritionis*, in quantum est *actus virtutum*, est *iustificare;* sed eius, in quantum est *sacramen-*

Ad quaestiones incid.

Quaestio incid. 3. solvitur.

---

[1] Vide infra p. II. a. 2. q. 3. et d. 18. p. I. a. 2. q. 1. scholion. — Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 5. § 7; B. Albert., hic a. 6; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Cfr. supra pag. 229, nota 1.

[3] Vide Aristot., I. de Anima, text. 90. et II. text. 4. seqq. (I. c. 5. et II. c. 1.). — Superius post *coniungitur* codd. R S supplent *corpori.*

[4] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5, ubi distinctio inter *miraculum* et *mirabile* exponitur. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Ita codd. M U; in edd. omittitur *iustificari*, econtra in aliis codd. *vivificari.*

[6] Cfr. supra d. 15. p. I. q. 5.

[7] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 31, 3. n. 13; Anselm., de Conceptu virgin. etc. c. 3.

[8] Cfr. supra pag. 321, nota 1. De seq. propos. cfr. supra d. 1. p. I. q. 6. — Pro *universas* cod. W *diversas.*

[9] Vers. 16: Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur etc. — Post *in diem* cod. X addit *homo interior.*

[10] Cfr. August., de Perfectione iustitiae hominis, c. 4. n. 9

talis, est curare — Sacramenta enim proprie sanant, et virtutes rectificant — sed in quantum est *gratiae,* est *vivificare;* in quantum *horum omnium, renovare* [1].

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit Chrysostomus: *Nisi purgatus fuerit ab omni peccato per poenitentiam et confessionem, vel baptismum.* Quaeritur, quomodo ista tria distinguantur; videtur enim confessio ab his non differre.

Duplex curatio. RESPONDEO: Dicendum, quod curatio a morbo est dupliciter: aut per *virtutem,* aut per *Sacramentum.* Si per *virtutem,* dicit per poenitentiam; si per *Sacramentum,* hoc est dupliciter, sicut duplex est tabula [2]; et sic est confessio et baptismus. Aliter. — Aliter potest dici et melius, quod Chrysostomus loquitur de adultis, et hi purgantur duplici Sacramento, scilicet confessione et baptismo; et praeparatorium ad utrumque est contritio, et hanc nomine *poenitentiae* dat intelligi [3].

DUB. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nemo dicat: Occulte ago poenitentiam* etc. Videtur enim ex hoc, quod poenitentia omnis sit facienda in publico, et illud videtur per litteram sequentem de Iob [4]: *Si erubui peccata mea* etc.; videtur secundum hoc, quod quilibet teneatur confiteri peccata sua in conspectu populi: ergo non est vere poenitens qui confitetur in privato.

RESPONDEO: Dicendum, quod Augustinus intelligit de occultatione, quae fit respectu sacerdotis, cui praecipit Dominus manifestare, non respectu aliarum personarum [5].

DUB. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Venialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum.* Videtur enim male dicere, quia culpa non alleviatur ex effectu sequenti, quamvis aggravetur: ergo videtur, quod mortale nunquam per confessionem fiat veniale. — Item, veniale non fit mortale [6], ergo nec e converso. — Item, si fit veniale, quia Deus dimittit, pari ratione, immo multo fortiori deberet dicere de contritione.

RESPONDEO: Dicendum, quod in absolutione, quae est in *contritione,* culpa recipit veniam quantum ad poenam *aeternam,* in *confessione* vero partim recipit veniam, partim non, quia ad unam partem poenae ligatur, ab alia absolvitur. Et ideo dicit Ambrosius [7], quod *venialis efficitur,* non quantum ad maculam, sed quantum ad obligationem ad poenam aliquam. Et sic patet illud.

DUB. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Dormiat in sacco.* Non enim videtur competens, cum etiam multi in sericis non asperis [8] poenitentiam agant.

RESPONDEO: Dicendum, quod *saccus* accipitur pro qualicumque humiliatione, eo tropo, quo species accipitur pro genere [9]. — Vel dicendum, quod est perfectionis et consilium; nec intelligitur de sacco *exterius,* sed quod *interius* feratur vestimentum asperum. — Vel dicendum et melius, quod ita est intelligendum quod *ingrediatur Ecclesiam* [10], sicut *dormire in sacco;* non enim intelligitur de *templo materiali,* sed de *unitate spirituali;* sic interius debet esse amictus sacco, quia vera poenitentia debet esse humilis et austera, quorum utrumque notatur in *sacco* et fuit in Ninivitis [11]. — Sed ista auctoritas non videtur ad propositum de confessione; et ideo dicendum, quod adducta est non propter *confessionem,* sed propter *satisfactionem;* facit tamen ad confessionem quasi a *posteriori.* Et sic patet illud.

Aliter. Aliter. Notandum.

---

[1] Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 17. m. 4. a. 1. seqq.; B. Albert., hic a. 17. seqq.; S. Thom., hic q. 1. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1.

[2] Vide supra d. 14. p. I. dub. I. — Superius verbo *dicit* codd. II aa praemittunt *sic.*

[3] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 25; S. Thom., hic circa lit.

[4] Cap. 31, 33: Si abscondi quasi homo peccatum meum. Cfr. tamen hic lit. Magistri, c. 1, verba Augustini, ex quibus textus huius dubii sumtus est.

[5] Vide infra p. III. a. 1. q. 3; Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 5. § 8; B. Albert., hic a. 26. seq.; S. Thom., hic circa lit.

[6] Cfr. supra d. 16. p. II. a. 3. q. 1. — Inferius pro *pari ratione, immo* edd. *per confessionem.*

[7] In textu huius dubii. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 28; Petr. a Tar., hic circa lit.

[8] Codd. D Q *mollibus* pro *non asperis,* edd. *asperas poenitentias,* cod. U *mollibus asperas poenitentias,* cod. O *in ciliciis asperis.*

[9] Cfr. August., III. de Doctr. christian. c. 34. n. 47. — Deinde post *quod est perfectionis* plures codd. omittunt *et,* edd. legunt: *quod non est praeceptionis, sed consilii.*

[10] Verbum Hieronymi hic in lit. Magistri, c. 1, allegatum, ex quo textus huius dubii. — Cod. K (I a secunda manu) *ingredi Ecclesiam est.* Vat., pro *ita* posito *sicut,* hic prosequitur *sic quod dormiat in sacco.*

[11] Ionae 3, 5. seqq. Cfr. Hieron. in hunc loc. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 30.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

Pars. II.

De necessitate confessionis sacramentalis.

Iam secundum quaestionis articulum inspiciamus etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 415.

DIVISIO TEXTUS.

Supra exsecutus est et determinavit Magister primam quaestionem; hic tangit et determinat secundam, scilicet utrum necesse sit confiteri homini, an sufficiat soli Deo confiteri. Et dividitur haec pars in duas. In prima adducit auctoritates ad falsam partem. In secunda adducit auctoritates ad veram, ibi: *Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat* etc.; in quibus clarescit confessionis vocalis institutio et peccatorum obligatio; in quibus etiam consistit praesentis quaestionis difficultas et determinatio.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de confessione vocali. Et circa hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de confessione quantum ad praeceptum instituentis.

Secundo, quantum ad obligationem exsequentis.

Quantum ad primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum mandatum de confessione pertineat ad legem naturae.

Secundo, utrum pertineat ad legem scriptam, vel legem gratiae.

Tertio quaeritur, a quo fuerit instituta, utrum a Christo, an ab aliquo eius Apostolo.

ARTICULUS I.

De confessione quoad praeceptum instituentis.

QUAESTIO I.

Utrum mandatum de confessione pertineat ad legem naturae.

Circa primum, quod in lege naturae fuerit instituta, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Super illud Genesis tertio[1]: *Adam, ubi es?* Glossa: « Verba increpantis sunt et ad confessionem cogentis, non ignorantis »; sed Adam non tenebatur nisi ad legem naturae: ergo confessio est de iure naturali, confessio scilicet vocalis, quia vocaliter ei Dominus loquebatur, et ille vocaliter respondebat.

2. Item, Iob trigesimo primo[2]: *Si abscondi quasi homo peccatum meum et celavi iniquitatem meam in sinu meo,* quasi dicat: *non:* ergo peccatum erat abscondere peccatum, et ut peccatum reprobabat Iob; sed ipse non tenebatur nisi ad ius naturale: ergo ius naturale prohibet absconsionem peccati: ergo praecipit vel suadet confessionem.

3. Item, Gregorius ibidem[3] in Glossa: « Vere humilis et mala sua cognoscit et voce confessionis aperit »; sed humilitas de peccatis commissis est de iure naturali: ergo et vox confessionis peccati.

4. Item, *ratione* videtur: quia duplex est confessio, scilicet *confessio laudis* et *confessio peccati*, et utraque est in gloriam Dei; sicut patet, quia dixit *Iosue ad Achor: Confitere* peccatum *et da gloriam Deo,* Iosue septimo[4]; sed natura dictat Deum glorificandum et dictat Deum laudandum non tantum corde, sed etiam ore: ergo pari ratione dictat peccatum utroque modo confitendum.

---

[1] Vers. 9. — De Glossa, quam ut *interlinearem* exhibet Lyranus, cfr. Ambros., de Paradiso, c. 14. n. 70; August., XI. de Gen. ad lit. c. 34. n. 45, et XIII. de Civ. Dei, c. 15.

[2] Vers. 33. — De Iob cfr. supra pag. 45. nota 9. et pag. 46, nota 2.

[3] Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Gregor., XXII. Moral. c. 15. n. 30: Haec sunt namque verae humilitatis testimonia, et iniquitatem suam quemque cognoscere et cognitam voce confessionis aperire. — Pro *mala sua* codd. I K *peccata sua.*

[4] Vers. 19: Et ait Iosue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel et confitere atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. (Fide codd. pro *Achan* substituimus *Achor,* cfr. supra pag. 345, nota 1.). — Duplicem hanc divisionem confessionis August. in Enarrat. Psalmorum refert multis in locis; cfr. in Ps. 7. n. 19; in Ps. 29. enarrat. 2. n. 19; in Ps. 78. n. 17; in Ps. 94. n. 4; in Ps. 105. n. 2. Vide supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3. — Superius pro *quia dixit* cod. U *per hoc quod dixit.*

5. Item, poenitentia tres habet partes, scilicet contritionem, confessionem et satisfactionem; sed contritio et satisfactio sunt de lege naturali: ergo pari ratione et confessio.

6. Item, omne opus virtutis spectat ad dictamen naturae; sed confessio peccati est opus virtutis: ergo etc. Probatio *minoris:* «Veritas, ut vult Philosophus [1], est virtus», et veritas est illa quae habilitat ad dicendum verum; sed maxima difficultas est in enarrando suum peccatum vere: ergo maxime circa hunc actum consistit virtus: ergo etc.

Pro parte negativa.

Contra: 1. «Ius naturale, ut dicit Isidorus [2], est idem apud omnes»; sed confessio peccati non est eadem apud omnes: ergo confessio peccati non est de iure naturali.

2. Item, videtur, quod sit *contra* naturam: quia naturale est cuilibet et de natura recta *celare amici commissum*, sicut dicitur Proverbiorum undecimo [3]; sed magis se debet quisque diligere quam proximum ex dictamine naturae: ergo natura dictat, peccata propria esse celanda.

3. Item, naturale est cuilibet celare verenda corporis, ergo similiter verenda spiritus; sed peccata sunt turpitudines animae: ergo peccatum confiteri potius est contra naturam quam secundum naturam.

4. Item, recta ratio, quae est naturae conformis, erubescit turpia *cogitare:* ergo si plus est *referre* sive dicere [4], per naturam erubescit dicere: ergo cum *cogitare* turpia et *facere* sit contra naturam et rationem rectam, pari ratione et *referre.*

5. Item, per naturam recordatio iniuriarum est occasio inimicitiae confirmandae; sed peccator per peccatum est iniuriatus Deo: ergo recordando peccatum et narrando [5] renovat inimicitias. Sed quod facit hominem inimicum Deo vel magis inimicum est contra naturam et rationem rectam: ergo et confessio sceleris.

CONCLUSIO.

Vocaliter confiteri Deo non dictat natura specialiter et per modum necessitatis nisi in casu; sed homini confiteri dictat tantum in generali.

Natura dictat dupliciter.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter sunt aliqua de dictamine iuris naturalis: aut *in generali,* aut *in speciali. In speciali,* ut honorare parentes; *in generali* vero dictat natura ea quae superaddit lex evangelica, sicut sunt aliqua supererogationis, ut consilia, vel etiam aliqua Sacramenta [6].

Duplex confessio.

Intelligendum est igitur, quod est confessio peccati *mentalis* et *vocalis. Mentalis* confessio est recognitio peccati et offensae; et haec est de dictamine naturae *in speciali,* secundum quod *cognitio* offensae est de dictamine naturae. Cognitio autem *offensae humanae* est de dictamine naturae per se, secundum quod est rationalis; sed cognitio *offensae divinae* est de dictamine naturae adiutae aliquo modo per fidem. Quomodo enim scit homo, se *offendere Deum, quem non videt* [7], nisi per aliquem radium fidei hoc cognosceret? Cum autem hoc cognoscit, quod *Deum per praevaricationem inhonorat;* natura dictat, quod ab ipso est misericordia humiliter petenda; et hoc nunquam est, nisi recognoscatur culpa.

Conclusio 1.

Duplex vocalis confessio.

Vocalis vero confessio est duplex, scilicet quae fit *Deo,* et quae fit *homini.* Vocaliter *confiteri Deo* dictat natura non *simpliciter,* sed *in casu,* ut puta, quando Deus exigit, sicut exegit ab Adam et a Cain [8]; vocaliter autem *confiteri homini* non dictat natura nisi *in generali.* Dictat enim, quod omnibus modis reconciliari oportet Deo, quibus ipse statuit. Unde natura dictabat, quodsi Deus arbitrum constitueret inter se et peccatorem, quod ipsi esset culpa revelanda; et ita dictabat *in generali;* dictabat etiam, quod illi essent dicenda vera.

Conclusio 2.

De triplici dictamine naturae.

Et sic patet, quomodo confessio spectat ad legem naturae. Quaedam enim est de dictamine naturae per modum *necessitatis,* quia natura dictat illam *simpliciter* et *specialiter.* Quaedam etiam est de dictamine naturae per modum *expedientis simpliciter* [9], sed *necessitatis* in *casu,* ut confessio *vocalis facta Deo.* Quaedam vero dictabat in *universali solum,* et haec est *confessio facta homini.*

Ad argg. pro parte affirmativa.

1. 2. 3. Ex his patent obiecta ad primam partem; nam auctoritates procedunt secundum primam viam, vel secundam, ut patet.

4. Similiter prima ratio inducta ex simili in confessione vocali [10] laudis, quia, sicut in casu laudare oportet *ore,* tamen semper debet actu vel habitu laudare in *corde;* sic etiam intelligendum de confessione peccati.

5. Ad illud quod obiicitur de partibus aliis, scilicet contritione et satisfactione; dicendum, quod

---

[1] Libr. II. Ethic. c. 7, IV. c. 7; I. Magnor. Moral. c. 30. (c. 33.); II. Moral. Eudem. c. 5. (c. 3.). — Ed. 1 *Virtus, ut vult Philosophus* [II. Ethic. c. 3.], *consistit circa difficile.* Cod. A *ut Tullius vult philosophus* (cfr. tom. III. pag. 728, nota 2.).

[2] Iisdem verbis, quae magis supra pag. 14, nota 5. ex Boethio relatis respondent, Scholastici exhibent etiam sententiam Isidori, tom. II. pag. 901, nota 3, et C. *Ius naturale* (7.), d. 1. allegatam.

[3] Vers. 13: Qui ambulat fraudulenter revelat arcana, qui autem fidelis est animi celat amici commissum.

[4] Nonnulli codd. addunt *quam cogitare,* quibus verbis edd. subiungunt *videtur, quod peccatum suum quisque.*

[5] Edd. cum paucis codd. *iterando;* pro *renovat* ed. 1 et codd. B D F H L Q *innovat;* pro *inimicitias* cod. B *iniurias.*

[6] Cfr. supra d. 2. a. 1. q. 1. ad 2. — Pro *ut consilia* multi codd. *et consimilia.*

[7] Epist. I. Ioan. 4, 20. — Aliquanto inferius pro *duplex* multi codd. *dupliciter.*

[8] Gen. 3, 9. seqq. et 4, 9. seqq.

[9] Ita codd. A G H K V W, alii codd. et edd. non bene *non simpliciter.* Subinde edd. cum paucis codd., verbis transpositis, *sed in casu necessitatis.*

[10] Codd. H K (I a secunda manu) *vocalis.*

istae tres partes respiciunt poenitentiam, secundum quod est *virtus* et secundum quod est *Sacramentum;* sed specialiter *contritio* et *satisfactio* respiciunt *virtutem,* sed *confessio* magis est poenitentiae, ut est *Sacramentum,* sicut melius patebit infra [1]. Confessio enim peccati, quae fit homini, ortum habet non tantum a *natura,* sed etiam ab *institutione divina.* Notandum.

6. Et ex hoc patet responsio ad ultimum, quod dicit, quod est opus virtutis. Dico enim, quod re vera opus *virtutis* est, sed non *omnino,* sed virtutis cum adiunctione institutionis Sacramenti. Notandum. *Veritas* [2] enim non dictat, quod peccata occulta dicantur homini; similiter nec *poenitentia* dictat illud per se, quantumcumque homo doleat; sed cum Deus instituit, tunc *virtus obedientiae* imperavit, *poenitentia* acceleravit, et *veritas* actum direxit. Corollarium. — Et ita patet, ad quam virtutem spectet confiteri, et quomodo sit opus virtutis et cuius. Unde *poenitentia* in generali dictat illam [3], secundum quod est virtus volens facere emendam; *obedientia* per mandatum specificat; *veritas* elicit et regulat.

1. Ad illud quod obiicitur in oppositum, quod non est idem apud omnes; dicendum, quod illud intelligitur de eo quod natura dictat *in particulari,* non *in universali.* Ad argg. pro parte negat.

2. 3. 4. 5. Ad illud quod obiicitur, quod manifestare peccatum est contra rationem; dicendum, quod peccati propalatio potest fieri dupliciter: Distinctio. *vel* ad *sui ipsius commendationem,* sicut faciunt peccatores, *qui laetantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis, quorum viae perversae* [4] etc., quibus *est facta frons mulieris meretricis,* et de quibus dicitur: *Peccatum suum sicut Sodoma praedicaverunt* etc.; et haec est contra naturam et contra rationem rectam et ad provocandam divinam inimicitiam; et verecundia et confusio huic opposita est *adducens gratiam et gloriam* [5]. — *Alia* est confessio *ad sui accusationem* ad inveniendam divinam propitiationem; et haec est ordinata ad faciendam emendam et ad curandam plagam occultam. Unde sicut natura dictat, vulnus etiam in locis secretis aperiendum medico ad curationem, quamvis dictet pudenda operienda; sic est de peccatis. Notandum. Et sicut, si aliquis nollet vulnus ostendere, iudicaretur superbus et stultus et faceret contra naturam et salutem suam; sic intelligendum est in proposito.

Et ex hoc patet responsio ad omnes rationes. Applicatio. Nam si vulnus *amici* deberet curari per meam confessionem, sicut et *proprium;* dictaret ratio et natura, quod ego deberem ipsum prodere. Quamvis autem naturae dictamini consonum sit erubescere, et nunquam deberet esse [6] sine confusione; propter illam tamen non est confessio dimittenda; et hoc propter multiplicem utilitatem, quam habet. Et propter hanc instituit eam Deus.

Valet enim ad *peccati cognitionem* propter instructionem sacerdotis; Utilitates 7 confessionis. Deuteronomii decimo septimo [7]: *Si difficile et ambiguum apud te* etc. — Ad *cogniti deletionem;* Psalmo: *Dixi, confitebor* etc.; si propositum valet, quanto magis valet opus? — Ad *cogniti et deleti satisfactionem,* quia erubescentia in confessione est magna pars satisfactionis; Ecclesiastici quarto [8]: *Est confusio adducens gratiam et gloriam.* — Ad *poenae diminutionem* vi clavium; Matthaei decimo sexto: *Quodcumque solveris super terram* etc. — Ad *Dei laudem;* Iosue septimo: *Da gloriam Deo et confitere* etc., et: *Indica mihi, quid feceris.* — Ad *intercessorum multiplicationem;* Iacobi ultimo: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem* etc. — Ad *conscientiae assecurationem;* unde David statim, cum dixit: *Peccavi,* audivit: *Transtulit Dominus* etc.; secundi Regum duodecimo. Et hoc magnum bonum est, secundae ad Corinthios primo: *Gloria nostra haec est, testimonium conscientiae nostrae.*

SCHOLION.

I. Circa 1. et 2. quaestionem doctores satis consentiunt; S. Bonav. tamen aliis distinctionibus et attentione dignis utitur. De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 2. a. 2. et a. 3. § 1. 2. — Scot., de his et de 3. q. in utroque Scripto d. 17. q. unica. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2. 3. Suppl. q. 6. a. 1. 2. — B. Albert., de hac et seq. q.

---

[1] Quaest. seq. Cfr. supra d. 16. p. I. dub. 1.

[2] Edd. perperam *virtus.*

[3] Ex codd. F G supplevimus *illam,* quod Vat. cum paucis codd. omittit, pro quo alii codd. *naturam,* ed. 1 et cod. M legunt: *Unde poenitentiam in generali dictat natura.*

[4] Prov. 2, 14. — Secundus textus est Ier. 3, 3; tertius Isai. 3, 9, ubi Vulgata *quasi* pro *sicut.* — Inferius post *naturam* cod. aa addit *contra Deum.*

[5] Eccli. 4, 25: Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. — Cod. H *et verecundiae confusio.*

[6] Supplendum: *confessio,* quae vox fortasse propter similitudinem excidit ante *sine confusione,* eo magis, quia multi codd. falso habent *sine confessione* pro *sine confusione.* Ceterum codd., exceptis F G M W, *debere esse;* edd. legunt: *et nunquam detegere peccatum per confessionem, propter illam tamen causam* [in nostra lectione *illam* refertur ad *confusionem*] *non est* etc. Aliquanto superius pro *et proprium* edd. *et propria.* Subinde pro *Quamvis autem* cod. aa *Quamvis enim,* et codd. A E I K W omittunt *dictamini.* Paulo inferius pro *Et propter hanc* cod. E et ed. 1 *et propter quam.*

[7] Vers. 8. seqq.: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram... Et facies, quodcumque dixerint qui praesunt (Cod. H integrum textum usque ad haec verba exhibet). — Seq. locus est Ps. 31, 5. Glossa *interlinearis* apud Petr. Lombard.: Quasi dicat: ita dixi, et ita proposui, et tu remisisti etiam impietatem peccati mei etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[8] Vers. 25. Vide hic lit. Magistri, c. 3. — Seq. textus est Matth. 16, 19. Cfr. 18, 18. — Tertius est Iosue 7, 19. Vide

supra d. 16. et 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — De his et de 3. q. Durand., hic q. 8, et Dionys. Carth., hic q. 5.

II. Quoad 3. quaestionem nonnulli, cortici verborum inhaerentes, tribuerunt S. Bonav. doctrinam, quod Christus ipse per se et iure divino non instituerit *confessionem,* et per consequens nec Sacramentum poenitentiae. Falsa haec interpretatio inde orta est, quod adversarii *primo* non attenderunt verum scopum huius quaestionis, qui in fine argumentorum praecise ponitur; unde patet, quod S. Doctor totus est in quaestione levioris momenti discutienda, scilicet quare in *s. Scriptura* Christus ipsam *confessionis obligationem,* sive partem *materialem* huius Sacramenti non sic *disertis verbis* docuerit, sicut *formale* eiusdem, scilicet *potestatem clavium* cum potestate absolvendi, quam immediate et instituit et ipse promulgavit (hic et a. 2. q. 2, p. III. a. 1. q. 1, d. 18. p. I. a. 1. q. 1. 2.). — *Secundo* iidem non attenderunt usum verborum *instituendi* et *insinuandi* apud S. Bonaventuram occurrentem, licet ex ipso contextu satis clare se prodat. Nam hoc saltem loco sumitur *instituere* secundum usum, quem iuris adagion adhibet, quod « leges tunc *instituuntur,* quando *promulgantur* » (cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. scholion n. III.). Item *insinuare* non excludit manifestationem voluntatis *omni modo,* sed tantum *publicam* sive *promulgationem formalem.* Ita S. Doctor se ipsum explicat infra d. 22. a. 2. q. 1. in corp., ubi dicit, quod « primum [potestatem clavium] Dominus instituit per se et promulgavit... Secundum vero [confessio] institutum fuit per Apostolos, vel ut *melius* dicam, *promulgatum,* quia *Dominus Apostolos docuit, et ipsi a Domino docti et auctoritate ab ipso accepta promulgarunt.* Non enim nobis tradiderunt nisi quod a Domino vel a Domini Spiritu acceperunt ». — Hic modus loquendi invenitur non tantum apud Alexandrum Hal. (loc. cit. m. 3. a. 2; et cfr. a. 1.) dicentem: « Non instituit Dominus *lucide,* sed insinuavit »; sed etiam apud Petrum a Tar. (loc. cit. quaestiunc. 4.), qui ait: « In hoc, quod eis potestatem suam iudiciariam ligandi et solvendi dedit, confessionem eis tanquam iudicibus fieri *insinuavit:* ergo instituit confessionem *tacite,* sed Apostoli *promulgarunt expresse* ». Similiter argumentatur Richard. a Med. (loc. cit. q. 1.).

Quaestionem hanc accessoriam, quare Christus ipse in s. Scriptura non *promulgaverit* debitum confessionis, alii auctores praeter Alexandrum Hal. et Richard. a Med. (hic a. 2. q. 2.) vix tangunt. Ceterum non constat, Christum Apostolis nihil de hac re explicite ore proprio tradidisse, cum multa eius dicta, ut saepius monet etiam S. Bonav., in s. Litteris non sint scripta; quod etiam loc. cit. idem insinuat.

QUAESTIO II.

Utrum confessio fuerit instituta in lege scripta.

Secundo quaeritur, utrum confessio fuerit instituta in lege scripta. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Levitici decimo sexto[1] dicitur de sacerdote, qui debebat hircum emissarium emittere: *Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel et universa delicta atque peccata;* sed non poterat sacerdos confiteri peccata aliorum, nisi illi prius confiterentur ea: ergo videtur, quod ibi fuit confessio instituta.

2. Item, hoc videtur auctoritate Salomonis, qui Proverbiorum vigesimo octavo[2] dicit: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur;* constat, quod loquitur his qui erant tempore Legis, et constat, quod non intelligit de absconsione respectu Dei, cui omnia sunt nota: ergo respectu ministri Dei: ergo etc.

3. Item, Isaiae quadragesimo tertio[3]: *Narra, si quid habes, ut iustificeris;* sed narratio dicit actum sermonis et confessionem vocalem; et constat, quod loquitur pro tempore Legis, quia exhortando, non praedicendo: ergo videtur, quod tempore Legis esset confessio in praecepto.

4. Item, *ratione* videtur: plus est aliquid profiteri facto quam verbo, plus etiam confiteri peccatum coram omnibus quam coram uno; sed ipsi confitebantur se peccatores coram omnibus, dum offerebant hostiam pro peccato: ergo cum ad hanc tenerentur[4], videtur, quod multo fortius ad confessionem oris.

5. Item, confessio oris instituta est ad hoc, ut sacerdos sit medius arbiter; sed in lege veteri sacerdos erat mediator; unde per totum Leviticum[5], ubi agitur de oblatione, dicitur: *Orabitque sacerdos, et remittetur ei.*

6. Item, vetus lex fuit lex rigoris, et magis puniebantur quam in nova[6]; sed confusio, quae est in poenitentia, est magna poena: ergo magis fuit competens legi veteri quam novae.

7. Item, ratio, quare instituta est confessio, est, ut fiat reconciliatio Ecclesiae; sed Ecclesia erat in veteri testamento et unitas magna, quia unus iniuriabatur, dum peccabat, toti multitudini, sicut manifestum est in Achor[7]: ergo tunc debuit institui confessio peccati.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus[8]: « Oblatio sacrificiorum confessio fuit peccatorum »: ergo videtur, quod non fuerit ibi alia confessio quam oblatio.

2. Item, confessio ordinata est ad absolutionem; sed Lex transgredientes ex certa scientia faciebat occidi sine misericordia[9]: cum ergo non teneretur aliquis facere se occidi, non tenebatur confiteri.

3. Item, in confessione manifestantur quae cor-

supra pag. 435, nota 4. — Quartus Iac. 5, 16. — Quintus II. Reg. 12, 13. — Sextus II. Cor. 1, 12. — Inferius pro *assecurationem* cod. bb *alleviationem.*

[1] Vers. 21. — Inferius pro *aliorum* plures codd. *alienorum,* Vat. *aliena.*

[2] Vers. 13. — Post pauca pro *his* edd. *de his.*

[3] Vers. 26.

[4] Cfr. Num. 5, 6. seqq.

[5] Cap. 5, 16; 12, 8; 19, 22.

[6] Vide III. Sent. d. 40. q. 1. et 3. — Edd. *magis puniebat quam nova.*

[7] Ios. 7, 1. seqq.

[8] Quaestion. ex vet. test. (inter opera August.) p. II. q. 12: Manifestum est, holocaustis Deum non delectari, sed pro satisfactione peccati gemitu et dolore cordis veniam posse mereri. Sacrificium autem testimonium peccati voluit esse, ut se peccator per oblationem sacrificii confiteretur peccasse.

[9] Cfr. Exod. 21, 12. et 14. seqq.; Lev. 24, 17.

dis sunt et occulta; sed «Lex prohibebat manum, non animum [1] »: ergo confessio Legi non competebat.

4. Item, si confessio fuit in Lege; aut sicut *morale*, aut sicut *sacramentale.* Si ergo sicut *morale:* ergo similiter fuisset in lege naturae; si sicut *sacramentale:* ergo cum alia et alia sint Sacramenta novae legis et veteris [2], non deberet esse in nova.

5. Item, usque ad adventum Christi fuerunt homines sub umbra et ante non pervenerunt ad lucem [3]; sed per confessionem peccati prodit peccator in apertum: ergo ante adventum Christi non debuit esse peccati confessio.

6. Item, confessio est ordinata ad potestatem clavium, quia confitens absolvitur; sed in sola lege nova dictum est sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata* etc., ut dicitur Ioannis vigesimo [4]: ergo videtur, quod cum ante non fuerit potestas absolvendi, nec fuerit necessitas nec utilitas confitendi.

CONCLUSIO.

Confessio vocalis ut Sacramentum instituta est tantum in lege evangelica nec praecessit in lege veteri nisi in figura insinuata.

Respondeo: Dicendum, quod duo sunt principaliter in confessione, propter quae oportuit et conveniens fuit, confessionem institui. Primum est propter *detectionem peccati* et manifestationem, et iste est finis confessionis in se. Secundus finis est propter *reconciliationem faciendam* Deo et eius Ecclesiae. — Primo igitur fit propter *peccati detectionem.* Peccator enim, dum *male agit, odit lucem* [5]; et ideo in reversione ad iustitiam oportet *redargui opera infructuosa tenebrarum; quae autem arguuntur a lumine manifestantur*, ut habetur ad Ephesios quinto; hoc autem est per confessionem. Et ideo debuit in ea lege institui confessio, in qua est *manifestatio veritatis,* in ea, inquam, lege, in qua *Verbum caro factum est* [6], ut intelligibile fieret sensibile et manifestum; in ea lege debent occulta et tenebrosa opera manifestari, et verba cordis formam vocis induere; haec autem est lex gratiae: et ideo confessionis institutio quantum ad *primum* finem competit legi gratiae.

Duplex finis confessionis.

Arguitur ex 1. fine.

Alius finis est ad *reconciliationem faciendam* [7], humano arbitrio mediante; ideo fit homini, ut homo sit iudex et arbiter inter Deum et peccatorem. Arbiter autem talis debet esse, qui possit manum ponere in utrumque; talis autem non potuit esse, quousque Deus factus est homo; et tunc homo deificatus datus est nobis mediator et arbiter Christus, qui potuit arguere et manum ponere in utrumque [8]. Hic autem reliquit in Ecclesia successores, quos et arbitros constituit et rectores Ecclesiae, quibus commisit auctoritatem reconciliandi. Et quoniam haec auctoritas primo fuit in Christo et in nullo potuit esse, antequam veniret ille praecipuus mediator; et hoc solum in lege nova fuit: ideo tantum in hac lege institui confessio debuit.

Item ex 2. fine.

Reconciliatio per actum iudicialem.

Notandum.

Concedo igitur, quod confessio, prout est *Sacramentum,* confessio, inquam, *vocalis,* solius novae legis fuit nec praecessit in lege veteri nisi in figura, quia illi legi non competebat. Praecessit autem in hoc, quod sacerdotibus data erat auctoritas discernendi inter lepram et non lepram, *sanctum et profanum* [9]. Sed haec quidem erant corporalia et non spiritualia. Et illam figuram ostendit Dominus impletam esse in lege nova, cum mundatos ad sacerdotes mittebat, ut dicitur Matthaei octavo [10], ubi volunt aliqui dicere, quod confessio fuit *instituta,* sed magis, ut videbitur, fuit ibi *insinuata.*

Conclusio.

Figura.

Opinio aliorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod fuit ibi confessio, quia sacerdos confitebatur; dicendum, quod talis non erat *confessio sacramentalis,* quae fit *homini,* de qua nunc loquimur, qua aliquis se accusat; sed confessio illa fiebat *Deo in generali* de peccatis [11] ipsius multitudinis, non alicuius particularis personae.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de absconsione, dicendum, quod intelligit de absconsione, quae est per peccati defensionem et palliationem, sicut faciunt hypocritae; et illud est falsitatis, et hoc est contra legem naturae et respectu Dei et respectu hominis. Quamvis autem sit prohibitum *mentiri,* non tamen est praeceptum *dicere omnem veritatem* [12].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de narratione, dicendum, quod intelligitur de narratione secundum linguam et os *cordis.* — Vel si intelligatur secundum os *corporis,* adhuc intelligitur, quod fiat respectu

Aliter.

---

[1] Vide tom. III. pag. 890, nota 7.

[2] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 5. et d. 2. a. 1. q. 2.

[3] Cfr. Hebr. 10, 1. seqq. — In plurimis codd. desideratur *homines.*

[4] Vers. 23. — Superius pro *quia* codd. O U *qua.*

[5] Ioan. 3, 20. — Seq. locus est Eph. 5, 11. et 13: Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite... Omnia autem, quae arguuntur etc. — In praemissis pro *detectionem,* quod bis occurrit, permulti codd. et ed. 1 *deletionem* et *detestationem.* Post *Primo igitur fit* cod. X supplet *confessio.*

[6] Ioan. 1, 14.

[7] Supple cum cod. H *Deo et eius Ecclesiae,* codd. F G (C a secunda manu) addunt *Deo.*

[8] Vide III. Sent. d. 19. a. 2. q. 2. — De dictione *homo deificatus* (cod. R *deificans,* cod. L *Dei Filius),* quam Damasc. quidem insinuat, sed ut *propriam* non admittit, cfr. ibid. d. 7. dub. 2.

[9] Levit. 10, 10: Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum. Ibid. c. 13. et 14. de cognitione leprae sacerdotibus commissa. Pro *inter lepram et non lepram* codd. I K *inter lepram et lepram,* quae lectio respondet Deut. 17, 8 superius pag. 437, nota 7. allegato.

[10] Vers. 4. Cfr. Luc. 17, 14. — De institutione confessionis agitur quaest. seq.

[11] In codd. L V Z aa additur *suis,* in codd. K (E I a secunda manu) *suis et.*

[12] Cfr. tom. III. pag. 844, nota 1.

Dei; quemadmodum fit oratio vocalis non ad Deum instruendum, sed ad excitandum in nobis affectum pudoris, vel amoris, vel doloris, vel alicuius alterius affectionis [1].

4. Ad illud quod obiicitur, quod profitebantur facto; dicendum, quod illa oblatio non erat *professiva* [2] *peccati,* sed *oblationis hostiae* pro peccato; ex consequenti autem ostendebatur peccator. Sed hoc non est *in speciali,* sed *in generali,* nec magis sacerdoti quam alii. Et hoc quidem decebat aliquo modo fieri, quia iam ecclesiastica unitas in conformitate Sacramentorum et uniformitate cultus divini coeperat inchoari. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod sacerdos erat mediator; dicendum, quod etsi mediator esset ad *offerendum hostias figurales,* non tamen erat mediator *in absolvendo;* et ideo sacerdoti non debebat fieri confessio peccati, sed oblatio hirci vel vituli [3]. Non sic est de sacerdote novi testamenti, qui sicut verum Christi corpus conficit et potestatem habet ad conficiendum; sic auctoritatem habet ad corpus mysticum absolvendum. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod lex vetus erat lex rigoris et oneris; dicendum, quod quamvis confessio onerosa videatur propter pudorem, tamen est sarcina miro modo allevians per absolutionem; et ideo illi legi non competebat. Hic enim fit ab omni peccato absolutio, ibi vero sine omni misericordia gravis peccatoris fiebat damnatio; propterea non competebat illi legi talis perfectio. Notandum.

7. Ad ultimum de unitate Ecclesiae, dicendum, quod unitas erat, sed tamen *figuralis* respectu verae unitatis huius Ecclesiae; ideo, sicut sacrificium fuit figurale, ita et sacerdos, ita reconciliatio et postremo confessio, quia leprosus se sacerdotibus ostendebat [4]. Notandum.

QUAESTIO III.

A quo confessio fuerit instituta, utrum a Christo, an ab aliquo eius Apostolo.

Tertio quaeritur, a quo fuerit instituta confessio. Et quod fuerit instituta a *Christo,* videtur:

1. Quia sacerdotium fuit institutum a Christo ad remissionem peccatorum et absolutionem [5]; sed sacerdotes non possunt nec debent solvere, nisi sciant, a quo solvant; sed posito posteriori, ponitur prius: ergo si Christus instituit absolutionem, multo fortius confessionem. Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, cuius est instituere totum, et partes; sed Dominus instituit poenitentiam, cum praedicavit et praecepit: *Agite poenitentiam,* Matthaei quarto [6]: ergo tunc instituit confessionem.

3. Item, confiteri peccata occulta, hoc est magnae perfectionis et superadditum mandatis legalibus; sed nullus potest hoc praecipere, nisi qui per omnia potest super hominem: ergo solus Christus ad confessionem peccatorum potuit obligare.

4. Item, Ioannes praecucurrit Salvatorem, et verus fuit praecursor, non tantum in verbis, sed in gestis; sed omnes qui baptizabantur a Ioanne, confitebantur peccata, Matthaei tertio [7]: ergo sicut praecessit in Ioanne baptismus praeparationis et confessio, ita utrumque debuit institui a Christo.

5. Item, hoc Sacramentum pernecessarium est, sicut baptismus, quia « est secunda tabula post naufragium [8] », quando iam non valet baptismus; sed Christus per se ipsum nos liberavit a naufragio et primam tabulam instituit: ergo videtur, quod similiter et secundam, et ita confessionem ipsam.

Contra: 1. Sacramentis, quae Dominus instituit, ipsemet usus fuit, ut prius [9] visum est in baptismo et eucharistia; sed ipse nunquam fuit confessus aliquod peccatum: ergo etc. Pro parte negativa.

2. Item, Christus in factis suis nobis dedit exemplum; sed ipse absolvit sine omni confessione mulierem in adulterio deprehensam [10]: ergo non videtur instituisse confessionem, sed potius noluisse.

Item, quaero: ubi instituit? *Si tu dicas,* ibi [11]: *Agite poenitentiam; contra:* nondum erant sacerdotes, quibus possent et deberent confiteri: ergo in illa praedicatione non implicabatur confessio. De quaestione incid. opinio 1.

Item, dicunt alii, quod instituit ibi, ubi misit leprosum ad sacerdotes. Sed *contra:* Matthaei octavo [12] dicitur: *Vade, ostende te sacerdotibus et offer munus, quod praecepit Moyses:* ergo constat, quod mandavit facere quod fiebat in Lege, et illud non erat confessio vocalis: ergo etc. Opinio 2.

---

[1] Vide supra d. 15. p. II. a. 2. q. 3. — Pro *pudoris* codd. F G *timoris.*

[2] Cod. H *professionis,* codd. A V W *professivum.* Superius pro *profitebantur* [permulti codd. *profitebatur,* alii sunt dubiae lectionis] *facto* edd. *plus est facto profiteri quam verbo.*

[3] Cfr. Levit. 16, 5. seqq.

[4] Cfr. Levit. 14, 2; Matth. 8, 4; Luc. 17, 14. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Cfr. Matth. 18, 18, et Ioan. 20, 23. seq. — De altera *minori* cfr. supra pag. 425, nota 5.

[6] Vers. 17. — Superius post *cum* codd. F G addunt *eam.*

[7] Vers. 6: Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. — Pro *praeparationis* cod. H *praeparatorius.*

[8] Ut dicit Hieron. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 1. Cfr. ibid. Comment. p. I. dub. 1. — Superius pro *pernecessarium* codd. E R S T V W X *par necessarium.*

[9] Dist. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine, d. 8. p. I. dub. 4. et d. 9. a. 1. q. 4.

[10] Ioan. 8, 11.

[11] Matth. 4, 17.

[12] Vers. 4.

Item, dicunt alii, quod ibi, Ioannis vigesimo[1]: *Accipite Spiritum sanctum,* quia, dum instituit sacerdotes, et potestatem absolvendi dedit et praecepit, ut ad eos peccata deferrent. Sed *contra:* difficilius est confiteri quam confessionem audire: ergo magis specialiter de hoc debuit mandatum dare.

Opinio 3.

Quaeritur igitur: quare Christus non instituit confessionem *expresse,* sicut instituit alia Sacramenta?

Quaestio connexa.

CONCLUSIO.

Sacramentum confessionis Dominus instituit per se quoad formale, quod est potestas absolvendi; sed quoad materiale, quod est peccati detectio, non per se instituit sive promulgavit, sed per Apostolos auctoritatem dando et insinuando.

Respondeo: Dicendum, quod duo sunt in confessione: unum *formale* et completivum, et hoc est *absolutio* sive potestas absolvendi vel medicandi; et hanc Dominus instituit, qui[2] *potestatem clavium* concessit; et penes hoc residet virtus. — Aliud autem est *materiale,* et hoc est detectio peccati sive morbi; et hoc Dominus non *instituit in se,* sed *insinuavit.*

Distinctio et conclusio 1. Conclusio 2.

Ratio autem, quare non instituit, ut dicunt *aliqui,* haec fuit, quia sufficit aegroto exponere medicum et medicinam; et *ulterius* confessio peccati non valet *extorta,* sed debet esse voluntaria: ideo Dominus *insinuavit,* relinquens hoc in voluntate aegrotantium. Et hoc est quod dicit Hugo[3]: « *Medicis* dixit, ut curarent, sed *infirmis* non dixit, ut ad medicos curandi causa venirent; hoc quasi certum esse voluit, quod aegri libenter salutem quaererent et se curandos offerrent, si medicos invenirent ».

Ad quaest. connexam ratio Hugonis.

Et licet hoc sit satis probabile, potest tamen et aliter dici, quod Dominus confessionem per se non instituit, quia est in remedium *recidivantium.* Quia[4] Christus erat Ecclesiae fundator, et venientibus omnium peccatorum per baptismum fiebat remissio; ideo ab eo non debuit institui confessio, ne ex verbo Domini daretur aliquibus recidivandi occasio. Cum autem Ecclesia fuit instituta, labi homines coeperunt; et[5] tunc remedium, ne desperarent, vel contemnerent, publicari oportuit: et ideo per Apostolos confessio debuit institui *auctoritate sibi a Domino tradita* in clavibus sibi datis, in quibus potestatem acceperant sanandi, et ita imperandi *modum convenientem saluti;* et hoc quidem erat per *morbi detectionem* et *peccantis humiliationem* et *sacerdotalem absolutionem.* Et ideo confessio fuit a Domino *insinuata,* ab Apostolis *instituta,* ab episcopo Ierosolymitano, scilicet Iacobo, *promulgata,* sicut et sententia de non servandis legalibus promulgata fuit, Actuum decimo quinto[6]; sic et confessio omnibus peccantibus indicta et imposita fuit, Iacobi quinto: *Confitemini alterutrum* etc.

Ratio 2.

Et iterum, non solum haec est ratio, sed etiam ulterior esse potest. Confessio enim *hominis* est opus pure; unde non est data virtus Sacramenti ipsi *confessioni,* sed *absolutioni*[7]; et ideo recte hominibus puris institutio debuit reservari.

Ratio 3. Notandum.

Ex his quae dicta sunt, quatuor possunt rationes elici, quare Dominus *immediate* confessionem et *expresse* non instituit: prima quidem, quia non oportuit; secunda vero, quia in hoc voluntariam esse debere docuit; tertia, quia est Sacramentum recidivantium; quarta, quia quantum est de se, est opus humanum. Unde credo, quod per se non instituit; et si dicatur *instituisse,* hoc est intelligendum *insinuando* et *auctoritatem dando.*

Epilogus.

1. 2. Ex hoc patet responsio ad primum et secundum. Dominus enim *formale* poenitentiae instituit per se, *materiale* autem non; et ratio visa est supra.

Ad argg. pro parte affirmativa.

3. Ad tertium patet responsio: quia Apostoli hoc poterant praecipere *auctoritate clavium* sibi datarum, quia aliter frustra essent datae.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod confitebantur etc.; dicendum, quod utrumque Salvator implevit, sed unum *per se,* quia decebat ipsum, sed alterum *per alios,* quia eos decebat uti confessione. Christus enim, qui omnia sciebat, sine confessione oris absolvebat; sed hoc Apostoli facere non poterant, quia nisi per aegrotum non poterant nosse plagam.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo, dicendum, quod Christus instituit secundum hoc quod erat ibi *completionis,* non tamen *totum,* sicut baptismum, quia non conveniebat ei ita fabricare totam tabulam *recidivantium,* sicut primam *accedentium*[8].

Notandum.

---

[1] Vers. 22. seq. — Inferius verbo *praecepit* cod. K (I a secunda manu) praemittit *per consequens,* edd. legunt: *praecepit per consequens aliis, ut* etc.

[2] Cod. bb *quoniam.*

[3] Libr. II. de Sacram. p. XIV. c. 1, ubi textus originalis post *curandi* omittit *causa.* — Superius pro *non valet extorta* codd. A X Y *non debet esse coacta* (plures alii codd. exhibent etiam *coacta).* Hugo, loc. cit.: Audi, quare voluit Christus, ut a temetipso surgeret, ut non quasi extorta vel coacta videretur confessio tua.

[4] Cod. O *et quia,* cod. I a secunda manu *quia enim,* edd. *sed quia.*

[5] Edd. transponunt *et* ante *labi.*

[6] Vers. 19. seq. — Secundus locus est Iac. 5, 16. Cfr. Hug. a S. Vict., loc. cit. — Pro *Sicut et* Vat. cum pluribus codd. *Sicut enim.*

[7] Vide Hug. a S. Vict., loc. cit. — Post *opus pure* edd. addunt *humanum.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De confessione quoad obligationem exsequentis.

Consequenter, viso de institutione confessionis, quaeritur de obligatione ad ipsam. Et quantum ad hoc quaeruntur tria.

Primo, per comparationem ad subiectum.
Secundo, per comparationem ad tempus.
Tertio, per comparationem ad modum.

QUAESTIO I.

Utrum omnes adulti, boni et mali, ad confessionem teneantur.

Primo igitur quaeritur, utrum omnes adulti, boni et mali, ad confessionem teneantur. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Per decretalem de Poenitentiis et remissionibus libro quinto[1]: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti ». Et quod illud sit *praeceptum,* patet in hoc, quod subiungitur gravis poena, scilicet quod « vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura ».

2. Item, primae Ioannis primo[2]: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendaces sumus, et veritas non est in nobis;* loquitur de omnibus communiter: ergo omnis qui dicit, se peccatum non habere, peccat mortaliter: ergo quilibet tenetur se recognoscere peccatorem secundum formam Ecclesiae, quae tradita est peccatoribus; sed hoc est per confessionem: ergo etc.

3. Item, praeceptum est omnibus orare, et nullus absolvitur quantumcumque perfectus ab oratione dominicali: ergo omnes tenentur dicere: *Dimitte nobis debita nostra*[3]*;* sed Dominus non tantum ad hoc instituit orationem, immo etiam confessionem; sed oratio est opus satisfactorium et praesupponit confessionem: ergo etc.

4. Item, quantumcumque aliquis sit sanctus et iustus, si potens est corpore, tenetur Quadragesimam ieiunare nec propter aliquam sanctitatem absolvitur ab Ecclesiae institutione: ergo pari ratione nec a confessione.

Ad oppositum.

Contra: 1. Augustinus dicit, et habetur distinctione praecedenti[4]: « Poenitentia perfecta ad baptismi puritatem conatur reducere »; sed possibile est, aliquem veram poenitentiam perficere pro peccato: ergo possibile est, ipsum redire ad innocentiam baptismalem. Sed habens innocentiam baptismalem non tenetur confiteri, quia purus est: ergo non videtur, quod omnes ad confessionem teneantur.

2. Item, confessio et Sacramentum poenitentiae est institutum propter hoc, ut recidivantes post baptismum possint resurgere[5]; sed possibile est, quod aliquis conservet innocentiam baptismalem: ergo talis non tenetur confiteri.

3. Item, possibile est in multis, quod non habeant nisi venialia; sed venialia non tenetur confiteri homo, quia in illis decedens potest salvari, et sola contritione possunt deleri[6]: ergo talis non tenetur confiteri, quamdiu in tali statu consistit.

4. Item, possibile est, quod aliquis ita intentus sit circa aeterna, quod non habeat remorsum de aliqua culpa; aut ergo talis *tenetur* confiteri, aut *non.* Si *non*, tunc non omnes obligantur; si *tenetur* et non habet conscientiam peccati, tenetur ad confitendum sive ad dicendum contra conscientiam, et ita mentiri; quod nefas est dicere: ergo non omnes obligantur.

CONCLUSIO.

Omnes, sive boni sive mali, semel in anno tenentur confiteri, partim ex praecepto primae institutionis, partim ex superaddito mandato in generali Concilio.

Duplex obligatio.

Respondeo: Dicendum, quod *teneri ad confessionem peccatorum* est dupliciter, scilicet ex *institutione prima*, quia instituta est sub praecepto, vel ex *constitutione superaddita.* Primum praeceptum datum fuit ab Apostolis et vulgatum fuit a Iacobo apostolo et episcopo Ierosolymitano, Iacobi quinto[7]; secundum a patribus in generali Concilio et vulgatum fuit ab Innocentio tertio. Ratione *primi* mandati *institutionis*, quoniam instituta est directe contra *mortale,* tenebantur omnes confiteri, qui post ba-

Conclusio.

[1] Tit. 38. c. 12.

[2] Vers. 8, ubi Vulgata, quam sequuntur edd., post *sumus* addit *ipsi nos seducimus.*

[3] Matth. 6, 12. — De oratione, quatenus est opus satisfactorium, dictum est supra d. 15. p. II. a. 1. q. 4. et a. 2. q. 3.

[4] Scil. d. XV. lit. Magistri, c. 7.

[5] Cfr. a. 1. q. 3. in corp.

[6] Vide infra p. III. a. 2. q. 1.

[7] Vers. 16. Cfr. a. 1. q. 3. — Decretum Innocentii habetur supra in fundam. 1. — Inferius pro *peccaverant* multi codd. et ed. 1 *peccaverunt.*

Conclusio 2. ptismum peccaverant mortaliter. Ratione vero *secundae institutionis* tenentur omnes, saltem ad semel in anno.

Ratio autem huius institutionis triplex est. Prima Ratio 1. est *universalis indigentia. Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei*[1]. *Non est enim qui faciat bonum et non peccet,* Ecclesiastici septimo. Ideo Deum debet quilibet glorificare confitendo se peccatorem. Qui enim se peccatorem confitetur Deum glorificat, ostendens, se Dei gratia et misericordia indigere. — Ratio 2. Secunda ratio fuit *sacrae communionis reverentia:* quia omnes tenentur in Pascha communicare, tam perfecti quam alii[2]; et tunc, quia Agnus paschalis cum solemnitate manducandus est, ut mundi essent manducantes et digni, oportuit, remedium praemitti probationis et purgationis; et hoc quidem est in con- Ratio 3. fessione peccati. — Tertia ratio fuit *discretio gregis dominici,* ne lupi absconderentur in grege, qui manducarent agnos; ideo institutum est, ut vultus conscientiarum suarum sacerdotibus ostenderent[3]. Et ne haeretici innocentiam palliarent et sub pelle innocentiae se absconderent; omnibus, quantumcumque sint innocentes, praeceptum est confiteri. Et ideo omnes, quantumcumque sint boni, tenentur confiteri semel in anno.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod poeniten- Solutio oppositorum. tia perfecta reducit ad innocentiam; dicendum, quod illud verum est de culpa, pro qua fuit illa poenitentia assumta[4]; sed quamdiu sumus in hac vita, uni culpae succedit alia: et ideo oportet, quod renovetur confessio et poenitentia.

2. Ad illud quod obiicitur, quod instituta est propter recidivantes; dicendum, quod in baptismo deletur principaliter *originale,* delentur nihilominus *venialia* et *mortalia;* et ideo baptismus valet contra illa. Similiter de poenitentia intelligendum, quod Notandum. principaliter instituta est propter *mortalia,* ad minus ipsa confessio; sed tamen valet contra omne peccatum, et ita contra omnem lapsum sive per *mortale,* sive per *veniale.* Licet igitur aliquis conservet gratiam baptismalem, in quantum delet *originale* et culpam *mortalem;* nullus tamen adeo est iustus, qui conservet quantum ad deletionem *venialis,* quia tota die iteratur[5]: ideo expedit ei, si nunquam mandasset Ecclesia, confiteri; nunc autem non solum expedit, sed etiam necessario obligatur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non tenemur venialia confiteri; dicendum, quod, sicut tactum est, tentio ad confessionem est dupliciter; vel ob vinculum *peccati,* vel propter vinculum *solius praecepti.* Venialia igitur non tenetur quis confiteri propter vinculum *peccati,* sed hoc solum est propter obligationem *praecepti,* quae obligat unumquemque ad confitendum. Et ideo, si non habet nisi venialia, te- Notandum. netur illa confiteri; unde si haberet mortalia, quae confiteretur, non teneretur ad venialia.

4. Ad illud quod obiicitur de eo qui non habet remorsum etc., dicendum, quod impossibile credo secundum statum viatoris, quod aliquis unum diem vel septimanam transeat sine remorsu venialis; tamen quod totum annum transeat, hoc habeo magis pro impossibili, et vix credo, quod fuerit hoc donum in aliquo nisi in Christo et eius Matre; et ideo unusquisque vel habet conscientiam[6], vel debet habere et omni hora petere: *Dimitte nobis* etc. Vix Notandum. enim est, quod homo aliquamdiu sit in vita ista[7] sine veniali, tum propter *frequentiam,* quia strepitus vitiorum et peccatorum venialium semper insonant auribus cordis nostri; tum propter *ignorantiam,* quia in multis venialiter peccamus et ignoramus et non consideramus; tum propter *adhaerentiam,* quoniam venialia ista sunt magnae adhaerentiae, maxime quando habetur affectio circa aliquod terrenum[8]: et ideo, quantumcumque sit perfectus, corde debet recognoscere et ore confiteri, se peccatorem esse. Si tamen aliquis esset, qui non haberet peccatum propter *superabundantem gratiam;* dico, quod non teneretur ad illud mandatum, quia solis peccatoribus et viatoribus est datum; talis autem iam *in caelis habitat*[9]. Si autem esset alius, qui non haberet propter *ignorantiam* vel *negligentiam;* non excusatur a mandato propter ignorantiam; non ta- Notandum. men tenetur aliquid dicere, quod non habeat in corde, sed tenetur recogitare et postea tenetur dicere. Hoc autem non credo posse contingere homini habenti intellectum et usum rationis nisi per *specialissimam gratiam* — quam etiam credo Apostolos non habuisse, quia venialiter peccaverunt, sicut dicit Gregorius[10] — vel propter *nimiam negligentiam.* — Et sic patet, quod secundum communem Epilogus. legem, saltem semel in anno, omnes adulti tenentur confiteri universaliter, et omnes debent orare: *Dimitte nobis* etc.; nec est aliquis, qui in multis non possit se ipsum arguere.

---

[1] Rom. 3, 23. — Seq. locus est Eccle. 7, 21: Non est enim homo iustus in terra, qui faciat etc. — Inferius pro *debet* codd. F G *tenetur.*

[2] Ex eodem decreto Innocentii III. supra allegato. Cfr. supra d. 12. p. II. a. 2. q. 2. in corp. — Inferius respicitur I. Cor. 11, 28: Probet autem se ipsum homo etc.

[3] Respicitur Matth. 7, 15: Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Prov. 27, 23: Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosque greges considera.

[4] Vide supra d. 15. p. II. dub. 10.

[5] Plurimi codd. *iterantur,* incongrue, nisi cum cod. aa pro *venialis* substituatur *venialium* (pro *quia* codd. I K *quae*).

[6] Supple: peccati venialis.

[7] Edd. *quamdiu sit in vita ista, sit,* cod. E *aliquando diu sit in vita ista.*

[8] Vide supra d. 16. p. II. dub. 3. — Superius pro *et non* cod. Z *si non.* Mox post *quantumcumque* edd. supplent *quis.* Subinde codd. omittunt *peccatum.*

[9] Psalm. 2, 4. Cfr. Apoc. 13, 6.

[10] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 30. n. 6: Nec ipsi quippe esse poterant sine peccato, qui adhaerebant caelesti magisterio [alias: magistro], Ioanne attestante, qui ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus* etc. — Inferius in codd. desideratur *confiteri.*

SCHOLION.

I. Conclusiones 1. quaestionis sunt communes. Solutio auctoris ad 3, quod in casu illo aliquis lege *ecclesiastica* ad confitenda venialia teneatur (cfr. infra p. III. a. 2. q. 1.), refertur etiam a S. Thoma (hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 3. ad 3, et Suppl. q. 6. a. 3. ad 3.); qui etiam aliam opinionem ut probabilem affert, quod talis vi praecepti ecclesiastici tantum teneatur, ut se sacerdoti repraesentet et ostendat, se absque conscientia mortalis esse. De hoc casu potius speculativo adhuc nihil determinatum est.

De ipsa 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 1. § 1-3, a. 2. § 2-5. — Scot., hic q. unica n. 18. seqq. — S. Thom., artt. citt. — B. Albert., supra d. 16. a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 1. 3. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 5.

II. Quoad 2. quaestionem etiam nunc communiter tenetur, quod de tempore, quando post peccatum mortale perpetratum urgeat obligatio confessionis, generalis regula dari nequeat. Guliel. Parisien. quidem docuit, teste Dionysio Carth., quod « nec ad modicum nec ad momentum licet alicui confessionem differre ». S. Alphonsus dicit, quod gravis esse videatur obligatio non differendi ultra mensem reconciliationem cum Deo sive per actum contritionis cum proposito confitendi, sive per Sacramenti perceptionem. Moderate et sapienter S. Bonav. hic loquitur et ad mentem S. Thomae, nisi quod Angelicus non approbat, quod religiosi ad confessionem prius et magis obligentur, quia non « tenentur ad alia quam alii homines, nisi ad quae ex voto se obligaverunt; cuiusmodi non est confessio ».

De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 4. § 1-3. — Scot., loc. cit. n. 24. — S. Thom., hic loc. cit. quaestiunc. 4; Suppl. q. 6. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 5. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 6. — Durand., hic q. 10.

III. Quaestio 3. manifeste confirmat, S. Bonav. docere, sicut baptismum, sic Sacramentum poenitentiae esse Sacramentum *mortuorum*, ut dicunt, et « esse ordinatum ad gratiam *acquirendam* sive obtinendam » cum eadem *dispositione* (scilicet attritionis), quae sufficit ad iustificationem adulti in baptismo.

De hac 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 5. § 7. — S. Thom., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 1; Suppl. q. 9. a. 1. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Durand., hic q. 13. — Dionys. Carth., hic q. 8.

QUAESTIO II.

Utrum peccator statim, cum potest, teneatur confiteri.

Secundo quantum ad tempus quaeritur, utrum peccator statim, cum potest, teneatur confiteri. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Hugo de sancto Victore[1]: « Si necessitas non est, quae praetendatur, contemptus non excusatur »; sed cum se offert confitendi opportunitas, nulla potest praetendi necessitas: ergo non excusatur a contemptu.

2. Item, quanto homo plus permanet in peccato, tanto est inhabilior: ergo quanto citius confitetur, tanto est habilior ad resurgendum; sed constat, quod aliquando tenetur confiteri, et non nisi quando est habilior: si ergo tanto habilior, quanto citius; ergo quam citius potest, tenetur confiteri.

3. Item, aegrotans morbo corporali et periculoso, qui approximat morti et ignorat mortem, tenetur quaerere medicum et consulere sine dilatione et statim, si offert se opportunitas: ergo cum maior sit morbus spiritualis, et maius periculum, et dies mortis ignoretur[2]; videtur, quod sine dilatione tenetur confiteri.

4. Item, iste qui est in gratia, tenetur nunquam cadere: ergo *ab oppositis*, iste qui est in culpa, si non reportat de malo commodum[3], tenetur nunquam in culpa esse: ergo si tenetur nunquam in culpa esse, et hoc non potest esse nisi resurgendo; antequam resurgat, tenetur semper resurgere: ergo statim, ex quo peccavit. Sed confessio est ad relevandum a peccato: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Praeceptum affirmativum non obligat ad semper, sed ad aliquod tempus determinatum; sed quandocumque rei indeterminatae additur determinatio temporis, non tenetur ante illud tempus quis observare; sed in mandato secundo[4] de confessione dicitur, quod debet confiteri semel in anno: ergo videtur, quod non sit transgressor, sive omittat, sive differat confiteri usque ad annum.

2. Item, si tenetur *ad statim*, pari ratione in alio *nunc*, et cum sint *nunc* infinita in tempore[5]; tunc infinities peccaret, si omitteret; sed hoc est inconveniens: ergo etc. *Si tu dicas*, quod tenetur statim, cum recognoscit offensam; *contra:* esto quod non recogitet, non tenetur; sed hoc est malum et negligentia: ergo reportat commodum de malitia.

3. Item, in eadem decretali[6] datur mandatum de eucharistia et sub eadem poena; sed constat, quod nemo peccat omittendo, si differat sumere eu-

---

[1] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 5.

[2] Cfr. Matth. 25, 13. — Pro *morbus* edd. *aegritudo corporalis.*

[3] Vide supra pag. 103, nota 11. — Inferius pro *antequam resurgat* cod. B *quamvis nunquam resurgat,* edd. ibi legunt: *nisi resurgendo: ergo statim, ex quo peccavit, tenetur, quia confessio est ad resurgendum a peccato: ergo* etc.

[4] Scil. Concilii Lateranensis sub Innoc. III. Ratio, propter quam hoc mandatum vocatur *secundum* (edd. omittunt *secundo*), insinuata est quaest. praeced. — Inferius post *sive differat* codd. IK repetunt *quis.*

[5] Cfr. Aristot., VI. Phys. text. 18. seqq. et text. 53. (c. 2. et 6.). — Inferius pro *si omitteret* communissima lectio codd. est *et omitteret* i. e. reus esset peccati omissionis. Subinde pro *non recogitet* codd. F G *non recognoscat.*

[6] Concilii Lateran. sub Innocentio III. C. *Omnis utriusque sexus.* Vide supra d. 12. p. II. a. 2. q. 1. in corp.

charistiam usque ad Pascha: ergo pari ratione de confessione.

4. Item, licitum est peccatori quaerere sacerdotem discretum et exspectare[1]: ergo licitum est etiam quaerere tempus idoneum et exspectare ad poenitendum et satisfaciendum; sed hoc est tempus Quadragesimae ad hoc institutum: ergo videtur, quod sine peccato liceat exspectare Quadragesimam.

CONCLUSIO.

Hi quoque, qui non tantum ex ecclesiastica institutione, sed etiam ex gravi transgressione ad confitendum tenentur, sub gravi non obligantur ad statim actu confitendum nisi in casu secundum varias circumstantias.

Respondeo: Circa hoc notandum, quod est loqui de confessione dupliciter: vel quantum ad *propositum interius*, vel quantum ad *verbum exterius*. Si quantum ad *propositum interius*, sic communiter conceditur, quod tenetur proponere *confiteri, quando*[2] et *conteri*, quia sine proposito confitendi et emendandi non dimittitur peccatum, sicut nec sine contritione. Ad hoc autem tenetur, quando recogitat culpam commissam et Dei offensam, vel quando tempus se offert, in quo recogitare debet, sicut in hora mortis, vel periculo, vel aliquo alio simili. (Distinctio.) (Conclusio 1.)

Sed quando teneatur *progredi in actum*, hic diversimode opinantur diversi. — Aliqui enim dicunt, quod cum actus confitendi non sit necessarius ad iustificationem — quia per contritionem est iustificatio[3] — et ita confessio solum sit necessaria, quia est in praecepto, et Ecclesia non exigat ante Pascha; quod ante non tenetur, nisi periculum mortis immineat. Huius autem dilationis dicunt concessam esse licentiam ex decretali illa in generali Concilio edita[4]: « Omnis utriusque sexus » etc. (Opinio 1.)

Aliorum opinio est, quod sicut tenetur ad *propositum confitendi*, quando se offert opportunitas *interior*; sic tenetur ad *opus*, quando se offert *exterior*; aut enim propositum non est efficax, aut cadit a proposito efficaci, si, quando se offert opportunitas, in opus non exit. Et dicunt, quod se offert opportunitas, quando habet discreti sacerdotis copiam et peccati commissi memoriam. Nec obstat decretalis, quia non *dat licentiam differendi*, sed *prohibet negligentiam et dilationem*; sicut Ecclesia[5] prohibet, ne quis ultra annum in excommunicatione remaneat; non tamen dat licentiam remanendi usque ad horam illam. Similiter, si imperator dat alicui personae infami privilegium, ut non agatur contra eum, sicut contra infamem; non propter hoc liberat ab infamiae nota, sed solummodo a poena, ut contra ipsum non agatur. Sic decretalis illa non liberat a tentione et offensa, sed ne Ecclesia neget alicui ingressum in ecclesiam, vel etiam sepulturam, sicut[6] facit post. Si ergo ante conditionem decretalis tenebatur confiteri, quando se offerebat opportunitas; sic videtur, quod post eius conditionem, quia decretalis non pro negligentibus, sed contra negligentes est edita. (Opinio 2.)

Quae autem istarum opinionum verior sit, dubium est et difficile iudicare. Tamen ad veritatis clariorem intelligentiam distingui potest, quando quaeritur, ad quando obligatur fidelis confiteri, secundum duplicem obligationem, quae superius[7] tacta est, et secundum duplex mandatum diversimode respondendum est. Quidam enim ad confessionem obligantur non ex *culpa commissa*, sed ex *institutione ecclesiastica*, utpote illi qui non habent mortalia peccata. Tales differre possunt usque ad Pascha, quia mandatum illius decretalis non obligat, nisi sicut obligat ad eucharistiam, ad quam praeparat confessio sacerdoti facta. Quidam vero non tantum obligantur ex *ecclesiastica institutione*, sed ex *propria transgressione;* et hi tenentur ex Sacramenti institutione. De talibus generaliter asserere, quod possunt usque ad Pascha differre, videtur mihi periculosum; similiter, quod teneantur semper, quando offert se opportunitas, confiteri; videtur valde durum. Ideo videtur rationabiliter sentiendum *medium*, scilicet quod opportunitas loci, temporis et sacerdotis tripliciter potest se ante Pascha offerre: aut ita, quod timetur, ne unquam se offerat, sicut est in his qui graviter infirmantur, et tales tenentur absque dubitatione[8] ad confessionem; aut ita, quod maior opportunitas exspectatur vel quantum ad tempus, vel quantum ad sacerdotem, et sic potest differri sine aliquo peccato; aut ita, quod nunquam rationabiliter maior opportunitas exspectatur, nec quantum ad sacerdotem nec quantum ad tempus, et tunc credo sine praeiudicio, quod tenetur. (Notandum.) (Distinctio.) (Conclusio 2.) (Iudicium.) (Conclusio 3.) (Conclusio 4.) (Conclusio 5.)

Et ideo aliter censendum est hic de religioso, aliter de laico. Nam religioso totum tempus vitae est tempus poenitentiae; et ideo, habita copia sacerdotis, si peccavit mortaliter, credo, quod tenetur *sine mora* confiteri et ad ipsum recurrere; et intelligatur *sine mora*, sicut ratio recta determinavit. — Laicus vero rationabiliter potest exspectare tem- (De religioso.) (Conclusio 6.) (De laico.)

---

[1] Ut insinuatur hic in lit. Magistri, c. 4. Vide infra p. III. dub. 3. — Inferius pro *poenitendum* Vat. *confitendum*.

[2] Edd. cum aliquibus codd. omittunt *quando*.

[3] Ut ostensum est supra p. I. a. 1. q. 4. — Inferius pro *quod ante* cod. O *quod accedere*.

[4] Vide quaest. praeced. fundam. 1. — Aliquanto inferius pro *aut enim* codd. IK *aliter enim*.

[5] Cfr. C. *Rursus constitutum est* (36.) et seq., C. 11. q. 3. et C. *Cum contumacia* (7.), de Haereticis (lib. V. tit. 2.) in VI. — Edd. *etiam*, quae et inferius pro *eum* et *ipsum* exhibent *eam* et *ipsam*.

[6] Edd. *si*, et mox *Sicut* pro *Si*.

[7] Quaest. praeced. — Ante *quando obligatur* solae edd. omittunt *ad*. Inferius pro *institutione* codd. IK *constitutione*.

[8] In cod. X secunda manus substituit *dilatione*, edd. verbo *tenentur* praefigunt *ante*.

pus quadragesimale, quod est tempus poenitentiae. Unde cum tempus sit magis opportunum eis ad satisfaciendum et confitendum, si exspectent, rationabile est iudicare, quod non peccent, dum tamen proponant firmiter tunc temporis confiteri. — De clericis autem iudicare non audeo; consilium tamen sanum credo, quod omnes qui cadunt per mortale, quam citius possunt, confiteantur. Non enim videtur vere contritus qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum. — *Si autem obiicias mihi,* quod *status* non obligat aliquem nisi per votum; respondeo, quod *status* non obligat, sed *mandatum* omnibus datum; ad *nunc* autem, vel ad *tunc* obligat opportunitas, quae diversimode offert se diversis. Et illud veritatem habet in omnibus *affirmativis,* quod ad aliquod tempus obligatur unus, ad quod quidem tempus alter non obligatur, sicut patet in honore parentum. Fatendum est igitur, quod mandatum illud nullum obligat ad statim nisi in casu, ut visum est.

Conclusio 7.

De clericis conclusio 8.

Obiectio solvitur.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod contemptus non excusatur; dicendum, quod ipse vocat necessitatem non tantum inevitabilem [1], sed necessitatem-commoditatem. — Vel dicendum, quod loquitur de illis qui de hac vita sine Sacramentis decedunt, qui non excusantur, si tunc possunt Sacramentum recipere.

Solutio oppositorum.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod citius confitens est habilior; dicendum, quod homo potest resurgere a peccato ante confessionem, ut visum est; et ideo, cum deletum sit per contritionem, non sequitur illud.

3. Ad illud quod obiicitur de aegrotante morbo corporali, dicendum, quod si aliam videat viam curationis, non tenetur medicum consulere, vel etiam, si exspectat tempus magis congruum; et quia ita est in proposito: ideo etc.

4. Ad illud quod obiicitur, quod tenetur nunquam cadere; dicendum, quod non est simile: quia teneri ad non cadendum est tentio praecepti *negativi,* quod obligat *ad semper;* sed teneri ad resurgendum est tentio *affirmativi,* quod non obligat *ad semper.*

Notandum.

Ad illud quod obiicitur ad oppositum, dicendum, quod quantum est de mandato illius decretalis, non obligantur ante Pascha, sicut probant illae rationes; obligantur tamen aliqui ex necessitate institutionis Sacramenti [2].

Ad fundamenta.

QUAESTIO III.

An quis quoad modum obligetur confiteri ex caritate.

Tertio quaeritur de obligatione ad confessionem quantum ad modum, et quaeritur, utrum obligemur ex caritate. Et quod sic, videtur:

1. Quia Augustinus dicit, et habetur in primo capitulo huius distinctionis: «Nemo potest confiteri nisi suscitatus; *a mortuo enim, velut qui non est, perit confessio* [3]*;* nemo autem resuscitatur, nisi qui a peccato solvitur», haec Augustinus; sed nullus solvitur a peccato sine caritate: ergo confessionem, quae est in praecepto, oportet fieri in caritate, quia aliter fieri non potest, ut dicit.

Ad oppositum.

2. Item, in confessione peccati est laus Dei, ut dicit Hieronymus; sed *non est speciosa laus in ore peccatoris,* ut dicitur Ecclesiastici decimo quinto [4]: ergo cum non teneatur quis ad laudem Dei nisi eatenus, qua est speciosa; ergo nullus tenetur ad confessionem faciendam in statu peccati. Si ergo tenetur ad illam, tenetur in statu gratiae: ergo in caritate.

3. Item, tres sunt partes poenitentiae ordinatae, scilicet contritio, confessio et satisfactio: ergo quilibet, qui tenetur ad poenitentiam, cum ad haec omnia teneatur, tenetur ordinate: ergo prius ad contritionem: ergo nemo debet confiteri nisi contritus. Sed non conteritur quis nisi in caritate [5]: ergo si tenetur ad confitendum, tenetur ad confitendum ex caritate.

4. Item, in confessione est absolutio, et illa est absolutio a poena, non a culpa, sicut melius patebit infra [6]; haec autem absolutio nulla est, nisi praecedat absolutio culpae: ergo in nullo habet illud Sacramentum efficaciam, nisi in eo qui habet gratiam. Sed qui recipit Sacramentum tenetur se disponere ad efficaciam Sacramenti, alioquin ficte accedit, et omnis talis peccat mortaliter; sed efficacia confessionis non est nisi in habente caritatem: ergo tenetur homo confiteri ex caritate.

Contra: 1. Sacramentum poenitentiae est contra morbum mortalis culpae efficax medicamentum:

Fundamenta.

---

[1] Cod. U *inevitabilitatem.* Mox pro *necessitatem* edd. *necessitatis.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Eccli. 17, 26: A mortuo quasi nihil, perit confessio. — In fine arg. edd. *ut debet* pro *ut dicit,* cod. S *dicitur.*

[4] Vers. 9. — Sententia Hieronymi in *maiori* relata continetur in Breviario in Ps. 103, 1: In eo enim, quod confitemur Deo peccata nostra, glorificamus eum. (Opus hoc olim attribuebatur Hieronymo).

[5] Vide supra d. 16. p. I. a. 2. q. 2. in corp. definitionem contritionis. — Verbis *nisi contritus* cod. aa interserit *prius,* et pro *non conteritur* codd. I K *non est contritus.*

[6] Dist. 18. p. I. a. 2. q. 1. seq. — De *ficte* accedente vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 2.

ergo in eo morbus ille curatur: ergo recipitur ibi salus mentis et corporis: ergo videtur, quod non oporteat ad illud *afferre* sanitatem, sed *quaerere:* ergo non oportet, quod accedat [1] ad confessionem ex caritate, nec ad hoc tenetur.

2. Item, ad opera praeceptorum et etiam virtutum, sicut continere, obedire, parentes honorare, non tenemur ex caritate [2]: ergo videtur, quod nec ad confessionem.

3. Item, nullus scit, se habere caritatem [3]: ergo si tenemur confiteri ex caritate; cum nemo hoc sciat, utrum hoc fecerit, nemo est absolutus: ergo adhuc tenetur, ergo semper debet iterare. *Praeterea,* si accedit sine caritate, videtur peccare mortaliter.

4. Item, confessio non est opus *privilegiatum,* immo confessio peccati est *peccatorum* et impiissimorum; sed non tenetur quis ad aliqua opera facienda ex caritate, nisi quia [4] sunt opera valde nobilia: ergo etc.

CONCLUSIO.

Non est necessarium confiteri ex caritate, sed requiritur et sufficit dispositio ad caritatem sufficiens, saltem secundum probabilitatem.

Respondeo: Ad horum intelligentiam notandum est, quod quaedam sunt Sacramenta ordinata ad gratiam *acquirendam* sive obtinendam, ut baptismus et poenitentia; quaedam ordinata ad gratiam *promovendam* sive augmentandam, ut confirmatio et eucharistia [5]. Dico ergo, quod sicut Sacramenta *augmentantia* gratiam non habent efficaciam nisi in habentibus caritatem; sic Sacramenta gratiam *impetrantia* non habent efficaciam nisi in eis qui se disponunt. Et sicut dictum est in praecedentibus [6], quod non tenemur ad eucharistiam accedere cum caritate secundum *veritatem,* sed secundum *probabilitatem* sufficit; sic dico, quod ad Sacramentum poenitentiae non est necesse, quod accedat habens caritatem, vel dispositionem ad caritatem sufficientem secundum *veritatem,* sed sufficit secundum *probabilitatem.* — Haec autem dispositio est *attritio,* quae frequenter ob confessionem superadiunctam et absolutionem sacerdotis formatur per gratiam, ut fiat *contritio,* sive ad ipsam contritio subsequatur; et multis ibi gratia conceditur. Unde dico, quod sufficit, quod *probabiliter se disponat* ad gratiam per omnium peccatorum detestationem. Quodsi se non disponit, immo cum voluntate peccandi accedit; dico, quod peccat mortaliter, quia Sacramentum irritum facit, quantum in se est, et hoc non est sine contemptu; unde tenetur iterum reverti ad sacerdotem et petere absolutionem.

(Marginalia: Sacramenta mortuorum et vivorum. — Conclusio 1. — Conclusio 2. — Notandum. — Conclusio 3. — Corollarium.)

Et *si tu quaeras,* unde exigat hoc confessio, cum non sit opus *privilegiatum;* dico, quod hoc habet, quia est opus *sacramentale ad iustificationem* institutum; unde haec confessio ad absolutionem est ordinata. (Ratio notanda.)

Concedo ergo, quod non est necessarium, nec obligatur quis confiteri ex caritate, sed tenetur confiteri vel ex caritate, vel ex dispositione ad caritatem sufficiente, vel secundum probabilitatem, vel secundum veritatem. (Epilogus.)

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod non confitetur nisi suscitatus; dicendum, quod vocat *suscitatum* dispositum ad caritatem, qui iam incipit suscitari, cum atteritur per dolorem et in confessione plerumque recipit vitam. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur de laude speciosa, dicendum, quod laus est speciosa dupliciter: vel secundum *acceptationem* [7] *Dei,* vel secundum *conscientiam laudantis.* Illa est speciosa secundum *acceptationem Dei,* in qua peccator fit iustus, vel quam facit, postquam est iustus. Illa vero est speciosa secundum *iudicium conscientiae nostrae,* in qua conscientia et voluntas conformat se laudi [8] secundum suam existimationem. Et ad *hanc* speciositatem tenemur, non ad *illam,* quia nescimus, quae Deus acceptat; credimus tamen probabiliter, quod Deus acceptat vel semper, vel frequenter quae conscientia recta approbat, tamen nescimus. (Distinctio.)

3. Ad illud quod obiicitur de ordine, dicendum, quod contritio dicit duo: et [9] dicit *peccati detestationem* et dicit *gratiae informationem.* Ratione *primi* oportet, quod praecedat, alioquin confessio est cum fictione; ratione *secundi* non oportet, quia in hoc non consistit fictio, cum nemo illud in se habere sciat. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur de absolutione, dicendum, quod nemo recipit effectum, nisi caritatem habeat saltem in *principio* confessionis, vel in *medio,* vel in *fine.* Multi autem habent in *fine,* qui tamen non habent in principio; et aliquando [10] se credunt habere in *principio* et in *fine,* qui fortassis non habent; et aliqui non habent nec credunt, se habere. *Primi* non incurrunt offensam, sed acquirunt gratiam; *secundi* evadunt offensam, quamvis non acquirant gratiam; *tertii* vero non acquirunt gratiam, sed iram. Et sic patent obiecta [11]. (Notandum.)

---

[1] Edd. cum uno alteroque cod. *accedatur.*
[2] Vide III. Sent. d. 37. a. 1. q. 2.
[3] Eccle. 9, 1.
[4] Codd. I K *nisi quae.*
[5] Vide supra d. 7. a. 2. q. 1. et d. 12. p. II. a. 1. q. 2. seq.
[6] Dist. 9. a. 2. q. 3.
[7] Hic et inferius plures codd. *acceptionem.*
[8] Cod. O supplet *Dei,* Vat. *divinae.* Inferius pro *vel semper* cod. Z *plus semper.*
[9] Pro *et* codd. F G *scilicet,* edd. *quia.*
[10] Codd. E F melius *aliqui,* Vat. *alii.*
[11] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Quibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio.* Quaeritur ergo, utrum tales fuerint haeretici. Et quod non, videtur: quia Magister recitat hoc tanquam opinionem probabilem. — Sed *contra hoc* est, quia negans confessionem negat absolutionem, ac per hoc negat clavium virtutem [1], et ita manifeste est contra Scripturam, et ita contra fidem.

Respondeo: Dicendum, quod si quis esset modo Notandum. huius opinionis, esset ut haereticus reprobandus, quoniam in Concilio generali hoc determinatum est sub Innocentio tertio [2]. Sed ante hanc determinationem hoc non erat haeresis, quia ipsi non negabant clavium *potestatem*, sed negabant *necessitatem;* et bene concedebant, quod *utile* erat confiteri, et sacerdotes poterant absolvere. Ideo Magister [3] et Gratianus in Decretis hoc referunt tanquam opinionem; tamen uterque improbat hoc et determinat in contrarium, et si quis pertinaciter assereret contrarium, esset haereticus iudicandus.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod defendi non potest absolvi potest sive ablui.* Videtur enim male dicere, quia nullum peccatum potest rationabiliter defendi; quare ergo dicit, quod defendi non potest?

Respondeo: Dicendum, quod *defensionem* hic Notandum. vocat excusationem; et aliqua sunt peccata, quae sunt possibilia *defendi,* quia possunt *excusari,* et hoc ipso digna sunt venia; peccata vero, quae non [4] possunt *excusari* de se, possunt *habere ablutionem* et absolutionem merito lacrymarum. Vult ergo dicere, quod non est aliquod peccatum tam *grave,* quod per lacrymas non fiat excusabile; nec aliquod ita *pudorosum,* quin verus dolor contritionis faciat confiteri. Et fletus et lacrymatio « consulit veniae [5] », dum impetrat veniam; « et verecundiae », dum reddit peccatorem excusabilem, vel facit eum verecundiam vincere, ob quam non audebat confiteri. Et ita Ambrosius non intendit excludere confessionem, sed persuadere veram contritionem. Et sic patet intellectus auctoritatis et continuatio litterae [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non dico, quod confitearis conservo tuo, ut tibi ea exprobret.* Secundum enim hoc videtur, quod cum omnis homo sit conservus, quod nulli possit peccatum revelari. — Praeterea, sigillum confessionis est arctissimum: ergo non debet timere, ut sibi exprobrentur [7].

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter confitetur aliquis peccatum suum alicui: aut sicut *homini,* et hoc per quandam confabulationem; aut sicut *Deo,* et hoc per conscientiae revelationem, ut loquatur homini sicut Deo. Primo modo peccatum confiteri est confiteri *conservo,* quia confitetur homini ut homini; et ideo potest *sibi exprobrare,* quia ad sigillum confessionis non tenetur. Alio modo, quia confitetur homini ut Deo, et tunc non confitetur ut *conservo,* sed *Deo;* et quia homo non novit illud ut homo, non potest illud dicere, sed tenetur tacere; et tunc non est timendum, quod *exprobret.* Si autem aliquis confessiones revelaret, indignus esset honore sacerdotali; et rationabiliter confessio posset fieri alii, et ipse vitari, et hoc auctoritate superioris [8]. Notanda distinctio.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nescientibus aliis, ipsi in se voluntariae excommunicationis sententiam ferunt.* Videtur enim male dicere, quia nullus potest se ipsum excommunicare. — Item, quantumcumque aliquis se puniat, nisi per iudicium sacerdotis non potest reconciliari.

Respondeo: Dicendum est, quod loquitur de notitia, qua quis novit ut *homo.* Aliquis tamen novit ut *Deus,* ad cuius arbitrium homo dicitur [9] ferre in se excommunicationis sententiam, quando ab aliquo se arcet *propria voluntate,* a quo arcetur excommunicatus *invitus,* utpote a locis sacratis et participatione eucharistiae. — Et *si tu obiicias,* quod nemo debet se privare illo Sacramento, cum

---

[1] Cfr. infra d. 18. p. I. a. 1. q. 1. seq.

[2] Vide supra a. 2. q. 1. fundam. 1. et in corp.

[3] Hic c. 2. Gratian., de Poenitentia, d. 1. per totam. — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[4] Multi codd. perperam omittunt *non.* Edd. legunt: *venia, sicut peccata naturae, quae possunt excusari de se; et aliqua sunt peccata, quae non possunt excusari de se, sed possunt* etc.

[5] Ut dicit Ambros. hic in lit. Magistri, c. 2, allegatus (post verba huius dubii). — Edd. falso *sceleri* et superius *ponderosum* pro *pudorosum.*

[6] In edd. desideratur *et continuatio litterae.* — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 33.

[7] Cod. O supplet *peccata,* edd. substituunt *exprobretur.* Superius codd. omittunt *peccatum.* — De obligatione sigilli, qua tenetur confessarius, vide infra d. 21. p. II. a. 2. totum.

[8] Cfr. infra d. 21. p. II. a. 2. q. 1; B. Albert., hic a. 35; S. Thom., hic circa lit.

[9] Codd. K aa *tenetur.* Superius pro *se puniat* edd. *poeniteat.* Inferius pro *invitus* cod. H *invite.*

sit medicina; dicendum, quod dilatio medicinae, ut melior fiat praeparatio, potius est *promotio* quam Notandum. *retractio a bono*. Ad illud autem Sacramentum maxime praeparatur homo per desiderium et per reverentiam; et quando aliquamdiu [1] se retrahit, tunc desiderabilius sumit et reverentius accedit, maxime ille qui a peccato resurgit; et ideo hoc dicit.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere*. Videtur enim ex hoc, quod absolutio sacerdotis per modum *supplicandi* sive deprecandi debeat fieri: non ergo per modum *indicativum*. Sed *contra* hoc est, quod omnium Sacramentorum forma est [2] per modum *indicativum:* ergo et huius Sacramenti.

Respondeo: Dicendum, quod illud Sacramentum est contra actuale peccatum, ad cuius curationem Notandum. concurrit actus voluntarius. Unde licet Sacramentum de se habeat virtutem, potest tamen impediri per pravam dispositionem existentem, et illam pravam dispositionem solus Deus amovet; et ideo congruum est, ut forma verborum sub utroque [3] exprimatur; et sic est. Nam sacerdos primo absolutionem dat per modum *deprecativum,* dicens: *Indulgentiam tribuat* etc., et post: *Et ego absolvo te* [4].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Docens, corporali praesentia confitenda peccata, non per scriptum manifestanda*. Videtur enim ex hoc, quod qui ignorat linguam, non possit confiteri per interpretem; et etiam, quod mutus confiteri non possit, Quaestio incidens. cum non possit ore dicere. — Item quaeritur, utrum interpres teneatur celare. Et videtur, quod *sic,* quia communicat in actu sacerdoti [5]. In *contrarium* est, quod peccator ei non confitetur.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus [6] loquitur de illis qui habent idioma et potentiam confi-Notandum. tendi; qui non excusantur, immo tenentur proprio ore dicere propter meritum erubescentiae. — Quod Ad quaest. incid. obiicitur de interprete, dicendum, quod obligandus est per sacerdotem; et si non obligat, tamen tenetur, quia est auris sacerdotis. Unde communicat cum utroque [7].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Fit veniale quod commisit mortale*. Videtur enim falsum dicere, quia species rerum non possunt transmutari [8]: ergo nec peccata.

Respondeo: Dicendum, quod *mortale fieri veniale* est dupliciter: aut quantum ad *maculam* et Distinctio. deformitatem, aut quantum ad *reatum*. Si quantum ad *maculam,* hoc est impossibile; si quantum ad *reatum,* hoc potest intelligi dupliciter: vel quod Subdistinctio. reatus iste *fiat* ille, et hoc nunquam fit; vel quia ille *succedit* huic, et hoc verum est, quia aliquis prius obligatur ad mortem aeternam et post per divinam misericordiam ad poenam temporalem [9]. — Vel distinguitur, quod *veniale* dicitur tribus modis: Aliter. ex *genere,* ut mendacium iocosum; ex *eventu,* pro- Triplex veniale. pter effectum divinae misericordiae; ex *circumstantia,* ut illud quod habet excusationem. Primo modo mortale non fit veniale, sed secundo modo [10].

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quanto pluribus confitetur in spe veniae turpitudinem criminis* etc. Videtur enim male dicere, quia aut secundus sacerdos *aliquid* remittit, aut *nihil*. Si *aliquid,* similiter et tertius, et sic totum possunt remittere: ergo sine satisfactione per solam confessionem potest quis salvari; quod est inconveniens. Si [11] *nihil* remittit: ergo non consequitur veniam facilius. — Item, si prima confessio est Sacramentum perfectum: ergo si superaddit, videtur totum superfluum: ergo non consequitur veniam. — Item, quilibet sacerdos debet imponere poenitentiam; et tunc videtur, quod aut tenetur ad *omnes,* aut ad *nullam*. Si ad *omnes,* tunc difficilius consequitur veniam; si ad *nullam,* videtur, quod una confessio irritet aliam.

Respondeo: Dicendum, quod confessio ordinatur ad *multa,* sed ad *unum principaliter* [12], et quantum ad *principale* aequivalet confiteri multis ut uni; quia unus sacerdos tantum dimittit de poena, quantum potest vi clavium. Nec debet iterari con-

---

[1] Edd. *et quanto diutius aliquando,* et mox *tanto* pro *tunc*. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 38; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Codd. G H *fit*.

[3] Cod. K (I a secunda manu) supplet *modo*. Mox post *et sic est* edd. addunt *fieri congruum et consuetum*.

[4] De hoc dub. Petr. a Tar., hic circa lit., vide autem infra d. 18. p. I. a. 2. q. 1. in corp.; ibid. in scholio alii auctores de hoc tractantes allegantur.

[5] Cod. H *sacerdotii*.

[6] Hic in lit. Magistri, c. 2, ex quo est textus huius dubii. — Inferius pro *qui* [edd. *quod*] *non excusantur, tenentur,* quod habet cod. A, alii vel *non* [codd. I K P *et talis non*] vel *nec excusatur... tenetur*.

[7] Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 5. § 9; B. Albert., hic a. 54; S. Thom., hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 6. quaestiunc. 2.

[8] Cfr. Aristot., VIII. Metaph. text. 10. (VII. c. 3.), ubi essentiam rei comparat numero, qui, addita unitate vel sublata, non manet idem numerus, sed erit diversus specie.

[9] Vide supra d. 15. p. I. q. 1. in corp.

[10] Cfr. supra d. 16. p. II. a. 3. q. 1. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 55; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit. Ultimus dicit: Fit veniale per confessionem, id est dignum venia.

[11] Plures codd. addunt *ergo,* edd. *vero*.

[12] Vide supra a. 1. q. 1. in fine.

fessio propter finem *principalem,* nisi forte timeatur error fuisse in confessione. — *Praeterea,* aliae sunt utilitates annexae, et ad illas valet multoties Notandum. confiteri, scilicet ad *erubescentiam* et *intercessorum multiplicationem* et ad *humiliationem* et *gratiae augmentum.* Ad *principalem* effectum valet quantum ad *certificationem*[1].

Ex his patent obiecta, quia secundus non facit novam *remissionem* nec debet de novo ligare, sed aliquid facile imponere, ut *Pater noster* etc.; et semper potest poenitens esse certior, quia, si non habuit effectum prima, potest esse, quod secunda habeat, quia melius invenit dispositum. — Et ex hoc patet ultimum[2].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVII.

Pars III.

De confessione sacramentali facienda.

Nunc priusquam praemissis auctoritatibus etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 416.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est tertia pars, in qua Magister tertiam prosequitur quaestionem. Et dividitur haec pars in tres partes. In prima movet quaestionem. In secunda solvit, ibi: *Sane ad hoc dici potest* etc. In tertia, iam determinata veritate, respondet auctoritatibus superius inductis ad falsam partem, ibi: *Cum igitur ex his aliisque pluribus testimoniis* etc.

Ex quibus responsionibus duo praecipue circa confessionem manifestantur, sicut patet in littera[3], scilicet cui sit confitendum, et quid sit confitendum.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae tangit hic Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, cui sit confitendum.

Secundo, quid sit confitendum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum sufficiat confiteri laico.

Secundo, dato quod non, quaeritur, utrum contra voluntatem proprii sacerdotis possit quis confiteri alii discretiori.

Tertio quaeritur, utrum proprio sacerdoti debeat quis confiteri in publico, vel in occulto.

ARTICULUS I.

Cui sit confitendum.

QUAESTIO I.

Utrum sufficiat confiteri laico.

Circa primum quaeritur, utrum sufficiat confiteri laico. Et quod sic, videtur.

1. Iacobi ultimo[4], ubi instituitur confessio: *Con-* Ad oppositum. *fitemini alterutrum peccata vestra;* constat ergo, quod loquitur omnibus: igitur illud dictum est omnibus, ergo dictum est et laicis: Confitemini alterutrum.

2. Item, Glossa[5] ibidem dicit: «Minora minoribus, maiora maioribus»; constat autem, quod maiora omnia confitenda sunt sacerdotibus: ergo si minora dicit confitenda minoribus, videtur, quod aliis quam sacerdotibus est confitendum.

3. Item, videtur *ratione:* quia confessio fit homini, non quia *homo* remittat culpam, sed ut poenitens erubescat[6]; sed plus erubescit aliquando ali-

---

[1] Codd. IK *testificationem.*
[2] Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.
[3] Hic c. 4. et 5.
[4] Vers. 16.
[5] Scilicet *interlinearis,* quae est sumta ex Beda. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.
[6] Vide hic lit. Magistri, c. 5. et 3, ubi etiam *maior* duorum seqq. argg. insinuatur; sed cfr. infra d. 18. p. I. a. 2. q. 1.

quis de socio laico quam de sacerdote: ergo magis salvatur ibi finis sive utilitas confessionis.

4. Item, confessio ad hoc ordinatur, ut homo ab homine erudiatur et cognoscat peccati plagam; sed plerumque melius hoc noverunt multi laici quam etiam sacerdotes: ergo etc.

5. Item, confessio est ad multiplicationem adiutorum sive intercessorum; sed frequentius plus valet oratio laici quam sacerdotis: ergo utilius est confiteri plerumque laico.

6. Item, confessio est necessitatis, sicut in praecedentibus visum est [1]: ergo si Deus per Sacramenta non arctat viam salutis, videtur, quod omnibus dari debuit potestas audiendi confessiones, et e converso confiteri cuilibet.

Contra: 1. Augustinus, de Poenitentia, distinctione sexta [2]: «Qui vult confiteri peccata sua, ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem»: ergo videtur, quod confiteri alii non sufficiat. *Fundamenta.*

2. Item, veritas debet respondere figurae; sed in Lege nullus iudicabatur mundatus a lepra nec recipiebatur in castra per alicuius iudicium, quantumcumque esset sapiens, nisi per iudicium sacerdotis [3]: ergo videtur pari ratione, quod nullus possit reconciliare poenitentem Ecclesiae nisi solus sacerdos. Sed confessio ordinatur ad hoc: ergo etc.

3. Item, confessio ordinata est principaliter ad absolutionem; sed potestas ligandi et solvendi data est principaliter summo Pontifici, scilicet Petro et aliis Apostolis [4], ergo solis sacerdotibus: ergo ab illis solis potest fieri absolutio: ergo ipsis solis debet fieri confessio.

4. Item, si aliis sufficit confiteri, ergo frustra est concessa potestas absolvendi sacerdotibus: si ergo non frustra concessa est, patet igitur etc.

CONCLUSIO.

Confessio, prout est opus sacramentale, soli sacerdoti est facienda.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de confessione dupliciter: uno modo, prout est opus virtutis directe repugnans hypocrisi, in quo quis se ipsum accusat, ne alius, quam sit, appareat, vel etiam mala sua aperit ad morbi investigandam curationem [5]; et hoc modo confessio cuilibet potest fieri, qui potest adiuvare *instruendo*, vel *orando*, de quo homo potest *erubescere* et *humiliari*, et ille exemplo humiliationis meliorari, non peccatorum cognitione depravari; et sic quis potest peccatum suum cuilibet confiteri, sive clerico sive laico. Sicut enim dicit Bernardus super Cantica [6]: «Vir perfectus tantus est veritatis amator, quod vellet, omnes nosse sua mala, dum tamen eis non esset occasio mali, sed boni». — Alio modo confessio est *opus sacramentale*, prout ordinatur ad reconciliationem, quae fit per absolutionem et ligationem; et quoniam haec potestas collata est solis sacerdotibus, sicut melius patebit infra [7]: ideo haec nulli nisi solis sacerdotibus est facienda. — Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae. *Distinctio.* *Conclusio 1.* *Conclusio 2.*

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur: Confitemini alterutrum peccata vestra etc.; aliqui dicunt, hoc esse dictum de *venialibus*, de quibus, sicut patebit [8], non est necesse confiteri. — Aliter potest dici, quod est confessio duplex, scilicet *in generali*, ut quando quis dicit suum *Confiteor;* et *in speciali*, quando quis dicit peccata sua. In utraque harum confessionum est alternatio; sed in confessione *speciali* est alternatio quantum ad solos sacerdotes, in *generali* vero quantum ad omnes. Et ideo patet et auctoritas et Glossa, et innuitur hoc ex pluribus verbis, quae ponuntur in Glossa [9]. *Solutio 1.* *Solutio 2.*

3. 4. 5. Ad illud quod obiicitur de erubescentia, instructione et oratione, dicendum, quod in omnibus argumentis est *consequens* [10], pro eo quod non accipit *totam* causam, nec etiam *principalem* causam, quae est reconciliatio facienda Ecclesiae; et ideo omnes ab insufficienti procedunt de confessione, secundum quod est Sacramentum. Tamen vere concludunt, quod *utile* etiam est aliquando confiteri non sacerdoti; sicut etiam audivi de muliere, quae in morte confessa fuit viro ad vehementem confusionem, cuius poenitentiam per signa valde evidentia Dominus acceptavit; prius tamen fuerat confessa sacerdoti. *Notandum.*

6. Ad illud quod obiicitur, quod cum sit necessitatis, debuit omnibus committi; dicendum, quod non *oportuit* nec *debuit*. Non *debuit*, quia absolvere dicit actum alicuius personae auctoritatem habentis. Non etiam *oportuit*, quia nullus volens habere sacerdotem et eo carens privatur salute; sufficit enim sibi voluntas confitendi; et ut voluntas eius exterius appareat, dat Magister [11] *consilium*, quod confiteatur proprio socio, non quia illa confessio Sacramentum Ecclesiae sit, sed ut talis ostendat, se perfectam habere voluntatem et facere quod in se est. *Notandum.*

---

[1] Partis II. a. 2. q. 1. — Inferius post *confiteri* [confitendi?] Vat. cum pluribus codd. repetit *debuit*.
[2] Cap. 1. Vide hic lit. Magistri, c. 4.
[3] Vide Levit. 13. et 14. Cfr. Deuter. 17, 8. seqq.
[4] Matth. 16, 19. et Ioan. 20, 22. seq.
[5] Vide hic lit. Magistri, c. 6. circa finem. — Paulo superius pro *quis*, quod in multis codd. desideratur, codd. F G *homo*. Inferius pro *orando* codd. N Y *hortando*, cod. Z *ordinando*, et subinde pro *humiliationis* cod. H *humilitatis*.
[6] Serm. 42. n. 6, ubi haec sententia aliis verbis (quae habentur infra q. 3. arg. 3. et in solut.) exprimitur.
[7] Dist. 19. a. 1. et 2.
[8] Infra a. 2. q. 1. — De confessione generali plura profert Magistri, infra d. XXI. c. 7.
[9] Vide hic lit. Magistri, c. 4.
[10] Cfr. supra pag. 44, nota 10.
[11] Hic in lit. c. 4. — Verbo *dat* cod. Y praemittit *in casu*.

SCHOLION.

I. De hac 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 19. m. 1. a. 1. — Scot., de hac et seq. q. in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1. 2. 3.; Suppl. q. 8. a. 1. 2. 3. — B. Albert., hic a. 35. 39. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. — Durand., hic q. 11. — Dionys. Carth., hic q. 7.

II. Quoad 2. quaestionem nunc constat, nomine *proprii sacerdotis* (cui saltem semel in anno confitendum esse in decreto Concilii Lateranensis IV. dicitur) intelligi omnem confessarium rite approbatum. Illa tamen aetate confessio annua ratione illius canonis proprio parocho facienda videbatur; multumque de privilegiis religiosorum litigatum est. Plura vide apud Henricum Gand. (Quodl. 7. q. 23-27), qui (q. 24.) in quaestione iuris de privilegiis Fratrum Praedicatorum et Minorum hoc votum dedit, quod poenitens, ut satisfaceret illi canoni, semel in anno peccata sua, etiam rite confessa, iterum deberet parocho suo confiteri. Richard. a Med. autem (hic a. 3. q. 1. seqq.) iam sustinuit, nomine *proprii sacerdotis* intelligi eum qui quamcumque legitimam iurisdictionem in poenitentem haberet, et probabilius esse iudicavit, non teneri eum qui tali confessus esset, peccata in confessione manifestata parocho suo iterum confiteri. Similiter censent Scotus et Durandus. S. Thom. (hic loc. cit. quaestiunc. 4. 5; Suppl. q. 8. a. 5.) favet opinioni, quod poenitens propter statutum Ecclesiae se praesentare teneatur sacerdoti proprio, tamen rite absolutus non nisi sua venialia confiteri debeat; *bonum* autem esse, quod confessarius suum poenitentem inducat, « ut confiteatur proprio sacerdoti; quod si noluerit, nihilominus eum absolvere debet ». — Sapienter autem sic monet parochos (quaestiunc. 4. ad 6.): « Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri »; aliter « multis laqueum damnationis iniiciunt et per consequens sibi ipsis ».

De eadem quaestione praeter citatos: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. 3. — B. Albert., hic a. 40-45. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1-3. — Durand., hic q. 12. — Dionys. Carth., hic q. 7.

III. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 18. m. 4. a. 5. § 8. — B. Albert., hic a. 27. — Dionys. Carth., hic q. 6. refert de hac re aliqua verba S. Bonav. Alii auctores principia tangunt alibi, praesertim in quaestione de sigillo confessionis, infra d. 21.

QUAESTIO II.

Utrum contra voluntatem proprii sacerdotis liceat poenitenti confiteri alii discretiori, an teneatur confiteri proprio sacerdoti.

Secundo quaeritur, utrum contra voluntatem proprii sacerdotis liceat confiteri alii discretiori, an teneatur confiteri proprio sacerdoti. Et quod teneatur ei confiteri, ostenditur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Primo auctoritate *sacrae Scripturae*. Proverbiorum vigesimo septimo[1]: *Diligenter cognosce vultum pecoris tui.* Si ergo *vultus* pecoris est conscientia, et nullus potest scire vultum sive conscientiam nisi per confessionem: ergo si praeceptum est sacerdoti, qui habet curam animae, scire conscientiam; subditus ei tenetur confiteri.

2. Item, ad Hebraeos ultimo[2]: *Obedite praepositis vestris per omnia; ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris:* ergo si sacerdos, qui habet curam, tenetur reddere rationem de anima subditi; videtur, quod subditus teneatur ei statum suum indicare.

3. Item, hoc ipsum ostenditur auctoritate *canonis.* Innocentius in Concilio generali[3]: « Omnis utriusque sexus fidelis, ex quo ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur proprio sacerdoti ». Et in eadem decretali: « Si quis ex causa voluerit alii confiteri, prius licentiam petat et obtineat a proprio sacerdote »: si ergo sacerdos non dat licentiam, videtur, quod nullo modo possit confiteri alii.

4. Item, de Poenitentia, distinctione sexta[4], Urbanus secundus: « Placuit, ut nulli deinceps sacerdotum liceat quemlibet commissum alii sacerdoti suscipere ad poenitentiam sine eius consensu, cui prius se commisit »; ergo videtur, quod non liceat confiteri nisi proprio sacerdoti.

5. Item, *ratione* videtur: quia confessus alii aut *tenetur* iterum confiteri proprio sacerdoti, aut *non.* Si *sic:* ergo nullius fuit valoris prior confessio sive absolutio; vere enim absolutus de aliquo non tenetur iterum absolvi de eodem in eodem foro. Si *non tenetur:* ergo videtur, quod sit exemptus a proprio sacerdote; sed nullus eximitur, nisi habeat privilegium[5]: ergo nullus potest alteri confiteri, nisi privilegium habeat ipse, vel nisi sacerdos licentiet.

---

[1] Vers. 23. Cfr. supra pag. 443, nota 3. — Inferius post *vultus* pro *pecoris* codd. F G H I K Z *peccatoris*, cod. U autem post *conscientia* bene addit *subditi.*

[2] Vers. 17. Vulgata pro *per omnia* substituit *et subiacete eis.*

[3] Lateran. IV. Habetur X. de Poenitentiis et remiss. (lib. V. tit. 38. c. 12.). Cfr. supra p. II. a. 2. q. 1. fundam. 1. Altera pars decret. est: Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare.

[4] Cap. 3. Habetur etiam c. 9. q. 2. c. 2, ubi editores notant, quod Gratianus erraverit tribuens hunc canonem *Urbano*, et quod Anselm. citet *ex Hibernensi.* Cfr. infra lit. Magistri, d. XXI. in fine.

[5] Vide supra pag. 151, nota 5.

6. Item, quilibet fidelis tenetur Sacramenta percipere a proprio sacerdote, ergo Sacramentum eucharistiae[1]; sed confessio est praeparatio ad illud Sacramentum: ergo illi tenetur confiteri, a quo Sacramentum illud tenetur suscipere. Sed hic est sacerdos proprius: ergo quantumcumque confiteatur alii, tenetur confiteri proprio sacerdoti.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Augustinus in libro de Poenitentia[2]: « Qui vult peccata confiteri, quaerat sacerdotem scientem ligare et solvere, ne ambo in foveam cadant »: ergo si sacerdos proprius est simplex, videtur, quod possit alii confiteri pro voto.

2. Item, sicut dicit Bernardus[3]: « Quod ex caritate institutum est contra caritatem non debet militare »: ergo similiter, quod institutum est in remedium non debet militare contra remedium. Esto igitur, quod sacerdos sollicitet mulierem; si ipsa confitetur ei peccatum suum, est in periculo: ergo si non tenetur periculo se committere, non tenetur ei confiteri.

3. Item, privilegium datum est praedicantibus, quod possunt audire confessiones; sed qui concedit principale, et accessorium[4]: ergo si dominus Papa concessit potestatem absolvendi, ergo et potestatem peccatoribus tribuit eos adeundi: ergo contra voluntatem sacerdotis possunt eos adire.

4. Item, potestas iurisdictionis descendit a superioribus ad inferiores: ergo si aliquibus dat episcopus auctoritatem suam; cum inferior non possit supra superiorem, sed e converso; videtur, quod omnis fidelis, etiam nolente proprio sacerdote, possit eum adire.

5. Item, quod tali confessus non teneatur illo anno amplius confiteri, videtur: quia « natura nihil facit frustra[5] » nec ars: ergo nec gratia vel regula Spiritus sancti: ergo superfluum est, duo remedia eiusdem speciei, maxime quando alterum est efficax, contra idem ordinari; sed confessus est ei qui superioris auctoritate potuit absolvere et absolvit: ergo amplius non tenetur confiteri proprio sacerdoti.

6. Item, si teneretur, ergo frustra daretur illud privilegium sive illa auctoritas, et videretur *duplex tribulatio consurgere*[6]; et cum hoc non sit aequum, nec in iure divino nec in iure humano, non videtur, quod teneatur confiteri proprio sacerdoti.

CONCLUSIO.

Confessio sacramentalis facienda est proprio sacerdoti, sive parochiali, sive superiori, sive ei qui habet facultatem plenam per commissionem; sed si facultas non est plena, in casu adhuc tenetur confiteri proprio sacerdoti peccata, quae tunc habet.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut supra[7] tactum est de confessione *non sacramentali,* quae quidem fit ad peccati recognitionem et erubescentiam; cum non spectet ad aliquem determinate, sed ad omnem qui prodesse potest, sine licentia et mandato potest peccator cui vult ad libitum confiteri; dum tamen sit de fidelibus numero, sive sit laicus, sive sit sacerdos, sive saecularis, sive religiosus, ita quod non sit vel *excommunicatus,* vel *praecisus.* Conclusio 1.

De confessione autem *sacramentali,* quae fit ad habendam absolutionem, aliter dicendum, quod non potest fieri nisi potenti absolvere; aliter enim nihil fit ab absolvente, et nihil recipitur a poenitente, et oportet iterum confiteri. — Secundum hoc intelligendum, quod *proprius sacerdos* dicitur tripliciter: uno modo *communissime,* alio modo *communiter* et tertio modo *proprie. Communissime* dicitur *proprius sacerdos* quicumque potest confitentem absolvere sive per propriam auctoritatem, sive per commissionem vel demandationem, utpote sunt illi qui habent privilegium, dum praedicant, audiendi confessiones. — *Communiter* vero dicitur *proprius sacerdos* omnis ille, qui ex propria auctoritate vel officio tanquam praelatus ordinarius potest absolvere, ut episcopus et sacerdos parochialis[8]. — *Proprie* vero dicitur *proprius sacerdos* ille qui administrat Sacramenta, et cui commissa est *specialis* cura; et iste est sacerdos parochialis. Conclusio 2. Proprius sacerdos dicitur tripliciter.

Intellige igitur, quod cuilibet horum licitum est confiteri; et *proprio sacerdoti,* scilicet parochiali, confessus non tenetur iterum confiteri; similiter confessus *superiori,* qui curam habet, dico, quod non tenetur confiteri sacerdoti parochiali, nisi superior remittat; sed sufficit, quod sacerdoti suo innotescat; et hoc dico, si fiat ex causa. Conclusio 3.

Sed de tertio sacerdote, qui solvit per *demandationem* sive commissionem, non habens animae

[1] Cfr. supra d. 12. p. II. a. 2. q. 1. in fine corp.

[2] Sive de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 10. n. 25. Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[3] De Praecepto et dispensat. c. 2. n. 5: Quamdiu ergo caritati militant [praecepta], immobiliter fixa sunt... At si e contrario contraria forte aliquando caritati visa fuerint... nonne iustissimum esse liquet, ut quae pro caritate inventa fuerint pro caritate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? — Circa finem arg. pro *si non tenetur* cod. K (I a secunda manu) *si non debet.*

[4] Ita C. *Prudentiam* (21.) X. de Offic. et potest. iudicis delegati (I. tit. 29. § 2.); et de iure civili D. L. de Reg. iuris, lex cum principalis causa (139.).

[5] Secundum Aristot.; cfr. supra pag. 233, nota 6. — Circa finem arg. pro *et absolvit* cod. I *et absolvitur.* Subinde non pauci codd. et ed. 1 omittunt *proprio.*

[6] Respicitur Nahum 1, 9: Non consurget duplex tribulatio. Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1.

[7] Quaest. praeced. — Aliquanto inferius pro *de fidelibus numero* edd. *de fidelium numero.*

[8] Edd. et multi codd. hic et paulo inferius *parochianus.*

De tertio fit distinctio. curam, distinguendum est. Aut enim commissa est ei, et licentia data a *sacerdote;* et tunc sacerdos Conclusio 4. ius suum commisit alii, et tunc qui confitetur alii ex licentia sacerdotis, etiam ipso exigente, illo anno, nisi recidivet, non tenetur iterum confiteri eidem, quoniam sacerdos ius suum et potestatem pro illo tempore alteri dedit. — Aut est auctoritas commissa Distinctio. a *superiori ordinario,* et tunc aut *plena,* aut *in* Conclusio 5. *casu.* Si *plena* sit, est iudicandum sicut de ordinario, sicut patet de his qui sunt poenitentiarii domini Papae et episcoporum; aut est commissa *in casu,* sicut his qui praedicant datum est privilegium. Credo enim, quod talibus data sit potestas audiendi confessiones non in praeiudicium sacerdotum bonorum, sed potius in favorem fidelium et propter ignorantiam, negligentiam et malitiam quorundam sacerdotum. Et credo, hoc privilegium in extremis temporibus emanasse, quia iam verificatum est illud: *Erit sicut populus, sic sacerdos*[1]*;* et pro magna parte sunt venales et conductitii, et multi parochianos suos plus ad malum quam ad bonum Notandum. trahunt. Unde dico, quod secundum intentionem privilegii sacerdotes parochiales iure suo non privantur, immo faciendum est semper, quod a suis parochianis debita eis reverentia exhibeatur; nec con-Conclusio 6. tra hoc privilegium illud facit. Ideo credendum est, quod omnes *parochiani,* quandocumque et quotiescumque talibus confiteantur, tenentur sacerdotibus propriis confiteri, si sint boni et idonei, et ipsi exigunt nec alias contenti[2] sunt; et hoc dico saltem semel in anno de his peccatis, quae habent tunc. — Si autem habet *causam legitimam,* propter quam rationabiliter refugit ipsum, vel quia sollicitat ad malum, vel quia timet revelationem confessionis, Conclusio 7. vel quia simplex est et idiota; dico, quod confessus iterum non tenetur, etiam si exigat sacerdos, quia in favorem clavium expresse hoc privilegium datum est. Alioquin, si non habet excusationem, et ipso exigente, nolit confiteri; vix crederem talem per-Corollarium. sonam vere poenitentem. Ideo omnibus sanum consilium est, quod remittant ad proprios sacerdotes, ut, si non est contentus[3] illa confessione, iterum audiat.

Quando ergo quaeritur, utrum teneatur confi-Epilogus. teri *proprio sacerdoti;* dicendum, quod si intelligatur de confessione, in qua est absolutio; et de proprio sacerdote largo modo sumendo, scilicet qui habet potestatem absolvendi; dico, quod *tenetur,* nec sufficit alii confiteri. Si autem intelligatur de *parochiali;* sic non est generaliter verum, ut visum est. Potest enim alii confiteri non solum ex licentia *eius,* verum etiam ex licentia *superioris.* Unde consilium dandum est omnibus quibus imminet periculum, quod recurrant ad *superiores,* si sacerdos non vult eis licentiam dare, vel ad eos qui habent *potestatem dioecesani,* vel ad *poenitentiarium domini Papae.* Alioquin non potest[4] absolvi ab aliis, quin teneatur ipsi saltem semel confiteri.

Concedo ergo, sicut ostendunt rationes, quod in casu bene potest confiteri alii nec tenetur confiteri proprio sacerdoti; in casu vero potest confiteri alii[5], et tamen adhuc tenetur, propter hoc quod ille non habet auctoritatem *plenariam.*

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod debet cognoscere vultum pecoris; dicendum, quod Ad argg. pro parte affirmativa. ipse absolvitur, dum alius vicem eius supplet, et hoc, quando superior praelatus, vel habens licentiam ab ipso, vel a praelato, audit; et ideo ipse non tenetur audire, nec alius confiteri.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod non possit confiteri alii sine licentia, per decretalem, etiam si causam habeat, unde dicit: « petat et obtineat »; dicendum, quod ratio redditur in eadem decretali[6], quia alius non *potest absolvere;* unde loquitur de eo qui non habet iurisdictionem aliquam super poenitentem nisi per commissionem sacerdotis. — Similiter ad sequens decretum Urbani patet responsio, quia loquitur de illo qui non habet potestatem aliquo modo nisi per sacerdotem absolvendi; et hoc melius patebit infra[7], cum agetur de potestate clavium.

5. Ad illud quod obiicitur, quod aut tenetur, aut non tenetur; dicendum, quod *aliquando tenetur,* sed tamen non frustra alii confitetur; perutile Notandum. enim est pluribus sacerdotibus integre confiteri: tum propter multiplicationem intercessorum; tum etiam, quia, si devotionem habeat, cum audit praedicationem, vix fortassis tantam recuperabit; tum quia promovet ad humiliationem et gratiae meliorem impetrationem[8]. *Aliquando non tenetur,* ut praedeterminatum est, non quia sit *exemptus,* sed quia alius ex causa *supplet* eius officium. — Credo tamen,

---

[1] Osee 4, 9.

[2] Non pauci codd. scribunt *contempti,* sicut et paulo ante substituunt *ipsi* [parochiani] *exiguntur* pro *ipsi exigunt.* Inferius post *Si autem* Vat. supplet *parochianus,* et aliquanto post pro *et idiota* codd. A H V W bb *ut idiota.*

[3] Vat. *non sint contenti,* et mox cum aliquot codd. et ed. 1 *audiatur* pro *audiat.* Aliquanto inferius ante *de proprio sacerdote* plurimi codd. et ed. 1 omittunt *et.*

[4] Edd. *possunt* et post pauca *teneantur* pro *teneatur,* cod. H (E a secunda manu) post *semel* addit *in anno.* Paulo superius pro *potestatem dioecesani* codd. F G H L *dioecesim,* codd. E aa *potestatem dioecesis* (codd. R S *in dioecesi,* cod. U *dioecesanam).*

[5] In codd. desideratur *alii.* Pro *in casu vero* cod. bb *in casu isto.* Mox post *adhuc tenetur* ed. 1 supplet *proprio,* Vat. *proprio sacerdoti confiteri.*

[6] Vide supra pag. 452, nota 3. — Pro *redditur* codd. F G I K *dicitur,* cod. A *ostenditur.*

[7] Dist. 19. a. 3. q. 1. et d. 21. p. II. dub. 4. — Superius pro *loquitur,* quod habent codd. A E M, alii non pauci *legitur,* edd. cum aliquot codd. *intelligitur.*

[8] Ultima ratio in plurimis codd. desideratur. Tamen supra p. II. dub. 8. recte dicitur, quod hoc Sacramentum valeat ad humiliationem et etiam ad augmentem gratiae. — Inferius pro *parochialis* Vat. cum pluribus codd. *parochianus,* codd. I K *parochiae.*

quodsi sacerdos parochialis sit idoneus, quod semper *bonum* est, ut subditus ad eum remittatur, a quocumque audiatur, in his quae ad ipsum spectant; non tamen semper est *necessarium.* Unde argumenta ad oppositum non valent, quia efficaciori modo curatur qui ex causa rationabili pluries confitetur. — Restrictio notanda. Potest tamen dici, sicut aliqui iurisperiti senserunt, quod si teneatur iterum confiteri proprio sacerdoti in eodem anno, non tamen oportet, quod *illa eadem,* quia vere absolutus est peccator. Et istud videtur satis probabile, quia frequenter peccatores praedicantibus suas monstrant conscientias, quas nullo modo propriis sacerdotibus aperirent; immo illa dicunt frequenter, quae longo tempore celaverunt, licet aliqua[1] minora dicerent, sicut expertis notum est. Et ideo credendum est etiam, summum Pontificem hoc movisse ad illud privilegium concedendum, quod non est adeo *ampliandum,* ut praeiudicium fiat potestati sacerdotali, nec adeo *restringendum,* ut obsit fidelium pietati. Unde nec sunt poenitentes arctandi ad illa enormia iterum confitenda, cum semel praedicanti legitime[2] sunt confessi; nec ita liberi sunt iudicandi, quin etiam semel in anno, quae alias occurrunt in conscientia, teneantur sacerdotibus propriis confiteri, si illi velint.

6. Ad illud quod obiicitur, quod tenetur a proprio sacerdote[3] eucharistiae Sacramentum accipere, ergo et Sacramentum poenitentiae; dicendum, quod non est tantum periculum in susceptione illius, sicut in susceptione huius. Dico tamen, quod sufficit sacerdoti, quod alius, qui potuit et debuit, supplevit locum eius. Unde non tenetur nec debet de iure amplius exigere, maxime si parochianus non ex contemptu, sed ex rationabili causa ad alium accedat, petita licentia.

Rationes vero ad oppositum verum probant.

1. Tamen illud verbum Augustini non intelligi- Ad argg. pro parte negat. tur generaliter de omni sacerdote sciente, sed de sacerdote *sciente* et *potente,* vel si *scit* et *non potest,* cum *licentia sacerdotis proprii,* qui habet *posse,* quamvis non habeat *scire*[4].

2. Ad illud quod obiicitur de periculo, dicendum, quod illud non dat *posse,* sed rationabilem *causam* dat, ut possit superiorem adire, vel ab ipso licentiam petere; quod si non potest aliquod horum facere, debet in communi loco confiteri.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de privilegiatis, credo, quod malo *velle* sacerdotum parochialium possint confiteri ex licentia privilegii; et sacerdos non est audiendus, si prohibet, quia manifeste male movetur.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod non debet iterum confiteri; dicendum, quod non tenetur Notandum. *de eisdem,* tenetur tamen *de aliis,* propter mandatum decretalis, quia non potest sacerdotem iure suo privare[5].

QUAESTIO III.

Utrum proprio sacerdoti debeat quis confiteri in publico, vel in occulto.

Tertio quaeritur, utrum necesse sit confiteri proprio sacerdoti coram populo, an sufficiat ei confiteri in occulto. Et quod necesse sit confiteri coram populo, videtur.

1. Augustinus dicit, et habetur supra eadem Ad opposi-tum. distinctione[6]: « Nemo dicat sibi: occulte ago poenitentiam »; et post: « Iob ait: *Si erubui in conspectu populi confiteri peccata mea* »: adiuratio est, et imprecatur sibi malum: ergo videtur tum ex verbo Augustini, tum ex concordia, quam adducit, quod confessio sit facienda sacerdoti coram multis.

2. Item, Gregorius, de Magdalena in homilia[7]: « Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credebat, quod verecundaretur foris »; unde commendat eam, quia coram omnibus se peccatricem ostendit: ergo videtur, quod quilibet peccator ita deberet facere.

3. Item, Bernardus super Cantica, homilia quadragesima secunda[8]: « Si veritatis amore affectus esses, velles procul dubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te habere cognoscis veritatem. Alioquin, si privato amore contentus detines intra te iudicium veritatis, cui dubium est, minus te veritatem diligere, cui praeponis proprium commodum vel honorem »? Ergo secundum Bernardum nullus est veritatis amator, qui quod veraciter de se sentit non omnibus publice confitetur.

4. Item, *ratione* videtur: quia verus poenitens se ipsum punit et iudicat loco Dei et sacerdoti of-

---

[1] Codd. H L *alia,* ed. 1 cum nonnullis codd. *aliqui.*

[2] Ita codd. H L T U (X bb a secunda manu), cod. G *libentissime,* alii codd. et edd. *liberrime.*

[3] Codd. omittunt *a proprio sacerdote.*

[4] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXI. in fine.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cap. 1. — Locus seq. Scripturae Iob 31, 33. ita refertur ab Augustino; verba Vulgatae vide supra p. II. a. 1. q. 1. fundam. 2. — Plures codd. *in eadem decretali,* scil. C. *Agite poenitentiam* (44.), de Poenitentia, d. 1. — Inferius vox *concordia* significat locum Scripturae sententiae August. concordantem.

[7] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 33. n. 1.

[8] Num. 6: Nam si veritatis ipsius, quae te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses, voluisses procul dubio... veritatem habere cognoscis... [Hic inseruntur quae habentur infra in solut. huius obiect.]. Alioquin, si privato amore tui intentus detines pariter intra te iudicium veritatis inclusum, cui dubium... cui proprium praefers vel commodum vel honorem ?

fert se iudicandum ut Deo: ergo debet, secundum quod potest, se divino iudicio conformare; sed in iudicio finali peccata omnium omnibus innotescent, quia tunc aperientur libri[1]: ergo nunc debet vere poenitens librum suae conscientiae omnibus aperire.

5. Item, aut poenitens vult, quod alii reputent eum *peccatorem*, aut *bonum*. Si vult, quod reputent eum *bonum:* ergo non est verus poenitens, sed hypocrita superbus. Si vult, quod reputent eum *peccatorem;* sed nullus potest eum reputare peccatorem, nisi ab ipso sciat: ergo debet omnibus revelare[2].

6. Item, peccator confitetur sacerdoti, ut reconcilietur non Deo tantum, sed etiam Ecclesiae, quia Deo reconciliatus est per contritionem; sed Ecclesia non est persona singularis, immo multitudo fidelium: ergo videtur, quod sacerdoti, praesente multitudine, deberet confiteri.

Contra: 1. In decretali Innocentii[3]: « Omnis utriusque sexus » etc.; et post: « Omnia sua *solus* peccata semel in anno confiteatur proprio sacerdoti »: ergo *solus* debet esse. (Fundamenta.)

2. Item, quae debent secretissime custodiri non debent in conspectu multitudinis propalari; sed ea quae in confessione dicuntur, debent secretissime custodiri, sicut infra[4] habebitur de sigillo confessionis: ergo nullo modo debent coram multis dici.

3. Item, Bernardus, de Dispensatione[5]: « Quod ex caritate institutum est contra caritatem militare non debet »; sed confessionem constat pro caritate esse institutam: ergo non debet contra caritatem militare. Sed manifestatio peccati aliquibus est occasio labendi, multis superbiendi et etiam peccatorem contemnendi: ergo non debet multis manifestari.

4. Item, nullus tenetur semetipsum infamare; sed cum manifestatur peccatum in conspectu multitudinis, efficitur homo infamis: ergo nullus tenetur nec debet sic peccatum confiteri: ergo videtur, quod soli sacerdoti.

CONCLUSIO.

Non tenetur quis confiteri nisi unico et proprio sacerdoti, non in publico, sed in occulto.

Respondeo: Dicendum, quod confessio sacramentalis sacerdoti soli et in secreto debet fieri, nisi sit peccatum adeo enorme, quod totam commoverit urbem, vel etiam totum orbem; quod quidem debet quis confiteri in publico, ut in publico poenitentia solemnis imponatur, et ut ostendat et recognoscat se reum, ut puta, si sit haereticus manifestus[6]. Quantum vero est de confessione secundum legem *communem,* debet unico sacerdoti fieri in privato, sicut expresse dicit illa decretalis. (Conclusio.)

Ratio autem huius est, quia occultatio duplici ex causa competit Sacramento: tum quia hic manifestantur peccata sacerdoti, non ut *manifestentur,* sed ut *deleantur* et *occultentur,* quia caritatis confessio *operit multitudinem peccatorum*[7]*;* tum etiam, quia manifestantur sacerdoti ut *Deo* ad testimonium conscientiae internae; et ideo, ut homo totam conscientiam revelet homini tanquam *Deo,* et hoc testificante teste secreto; in tali manifestatione non debet admitti alienus, sed sacerdos unicus, qui tenet locum Christi. — Et sicut *occultatio* competit duplici ex causa, ita *propalatio* coram omnibus disconvenit ex duplici causa[8]. Una est, quia confessio est *onerosa* sive *ignominiosa* adeo, quod vix aliquis aut nullus auderet coram multitudine confiteri, cum pauci audeant plene et integre confiteri etiam coram unico sacerdote. Alia ratio est, quia *periculosa.* Si enim conscientiae manifestarentur, infinita mala orirentur et rixae et discordiae et infamiae, sicut manifeste apparet. (Ratio duplex pro occultatione.) (Item contra propalationem.)

Et ideo dicendum est, quod non tenetur quis confiteri nisi unico et proprio sacerdoti, et huic solitario, quantum est de praecepto apostolico sive ecclesiastico[9].

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Augustino, dicendum, quod loquitur de occultatione respectu iudicii sacerdotalis, quibus Dominus commisit auctoritatem et officium *iudicandi inter lepram et non lepram*[10]. Et *si tu obiicias* de Iob, dicendum, quod illa translatio non est recta, sed alia, quam habemus. Tamen si velimus illam sustinere, dicendum, quod intelligitur de *generali* confessione, qua omnes confitentur se peccatores. (Solutio oppositorum.) (Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur de Magdalena, dicendum, quod illud fuit *perfectionis* et *supererogationis;* unde non omnibus competit. — Vel dicendum, quod ipsa non fuit confessa peccata sua coram omnibus, quae fecerat *occulte;* sed quia signa lasciviae non occulte portavit, sed in publico; ideo etiam signa poenitentiae in publico manifestavit; et hoc est dignum et laudabile et imitandum; nec tamen dico, quod homo ad hoc teneatur nisi de bono et aequo. (Aliter.)

3. Ad illud quod obiicitur de Bernardo, dicen-

---

[1] Cfr. infra d. 43. a. 3. q. 1. seqq.
[2] Vide hic lit. Magistri, c. 3. et 5.
[3] Cap. 12. de Poenitentiis et remiss. (lib. V. tit. 38.).
[4] Dist. 21. p. II. a. 2. q. 1. seqq.
[5] Cap. 2. n. 5. Vide supra pag. 453, nota 3. — Inferius pro *pro caritate* codd. R S *ex caritate,* edd. cum pluribus codd. *per caritatem.*
[6] Cfr. supra d. 14. p. II. dub. 9.
[7] Iac. 5, 20. et I. Petr. 4, 8. Cfr. Prov. 10, 12. — Superius pro *manifestentur* cod. aa *propalentur.* Inferius substituimus ex codd. F G H *tenet locum* pro *teneat locum.*
[8] Edd., superius posito *sic* pro *sicut,* omittunt *ita propalatio* usque ad *ex duplici causa.* Inferius post *Alia ratio est, quia* edd. supplent *manifesta confessio est.*
[9] Vide hic lit. Magistri, c. 5.
[10] Respicitur Levit. 13. et 14. Cfr. supra pag. 439, nota 9. — De ipsa solut. vide supra p. I. dub. 6, ubi etiam in nota adiecta verba Iob iuxta Vulgatam allata sunt.

dum, quod facienda est vis in hoc quod Bernardus dicit: « Quod *in te est* »; et ipsemet [1] facit ibi vim: « Sane, quod *in te est,* dixerim, quia plerumque non expedit innotescere omnia quae nos scimus de nobis; atque ipsa veritatis caritate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti ». Et sic patet, quod quamvis homo, quantum est *de se,* debeat esse promptus, non tamen debet palam peccata dicere, ne alii inde damnificentur.

4. Ad illud quod obiicitur de divino iudicio, quod omnibus propalabitur; dicendum, quod secus est: quia illud erit iudicium *severitatis,* hoc [2] autem est *misericordiae* et benignitatis. *Praeterea,* nulli nocebit illa manifestatio, sed in hoc Dei iustitia clarior apparebit; nunc autem nulli prodesset et multis obesset.

5. Ad illud quod obiicitur, quod poenitens debet velle, quod alii reputent eum peccatorem; dicendum, quod verum est, quod debet velle suam humiliationem, ita tamen, quod alii non peccent contemnendo, vel imitando; et ideo sufficit, quod peccatores se dicant *in generali,* sed non expedit *in speciali* ita multis dicere simul [3], maxime qui non sunt sacerdotes: non ergo debet celare peccatum propter suum commodum et gloriam, sed propter cavendam culpam alienam. Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod confitetur, ut reconcilietur; dicendum, quod sacerdos habet potestatem reconciliandi Deo, quia ipse ratione auctoritatis fungitur iure [4] Dei et Ecclesiae tanquam mediator utriusque; et ideo non oportet, multitudinem adesse; secus autem est in iudicio contentioso, ubi homo se non accusat, sed defendit, ubi producuntur testes; hic autem non oportet [5]. Notandum.

ARTICULUS II.

Quid sit confitendum.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur, quid sit confitendum. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum oporteat confiteri omnem venialem culpam.

Secundo, utrum oporteat confiteri omnem peccati mortalis differentiam.

Tertio, utrum oporteat confiteri omnem circumstantiam.

QUAESTIO I.

Utrum oporteat confiteri omnem venialem culpam.

Circa primum ostenditur, quod oporteat confiteri culpam venialem.

Ad oppositum. 1. Iacobi ultimo [6]: *Confitemini alterutrum peccata vestra;* Glossa: « Peccata, quae ex humana ignorantia veniunt, dicit et praecipit confiteri »; et talia sunt venialia: ergo praeceptum est confiteri illa.

2. Item, Augustinus [7]: « Si coepisti fluctuare, confitearis motum, ne plangas ruinam »: si ergo periculum est ruere, qui non confitetur exponit se periculo; sed omnes tenentur illud fugere: ergo etc.

3. Item, de omni, de quo Dominus punire et iudicare debet in futuro, commisit in praesenti iudicium sacerdotibus, et praecipue Petro; sed Dominus in die iudicii iudicabit de venialibus, et oportebit reddere rationem, sicut dicitur Matthaei duodecimo [8], *de omni verbo otioso* etc. *Si tu dicas,* quod requiret rationem, sed tamen non propter hoc condemnabit; *obiicitur* de eis qui cum mortali decedunt, quod pro venialibus in aeternum cruciabuntur: ergo videtur, quod impius veniens ad confessionem, cum pro utrisque esset aeternaliter puniendus, quod debet utraque confiteri.

4. Item, de aliquibus venialibus difficile est iudicare, utrum sint mortalia, vel venialia, quae tamen secundum veritatem sunt venialia; sed cum est difficultas et ambiguitas, recurrendum est ad

---

[1] Loc. cit. — Secunda manus in cod. E, originali textu concordante, post *innotescere* addidit *omnibus*, deinde *et caritatis veritate* post *veritatis caritate.* Vat. perperam *et expedit* pro *non expedit.*

[2] Non pauci codd. *hic*, incongrue.

[3] Ed. 1 omittit *simul*, cod. H legit *dicere, illis maxime.* Superius pro *imitando* edd. *inimicando.*

[4] Cod. K (I a secunda manu) etiam bene *vice.*

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Vers. 16. — In hunc versum non exhibetur (apud Strabum et Lyranum) Glossa *ordinaria*, sed tantum *interlinearis* (apud Lyranum), quae est secundum Bedam, cuius sententia hic in lit. Magistri, c. 4, allegatur. Sed verba Glossae hic posita leguntur apud Gratian. in C. *Unum orarium* (3.), § 4. d. 25, qui ea tribuit Bedae.

[7] Enarrat. in Ps. 93, 18. (Motus est pes meus), n. 22: Immo si iam coepisti moveri, si iam coepisti fluctuare, confitere motum etc.

[8] Vers. 36: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii. — In *maiori* pro *de quo* ed. 1 cum pluribus codd. *et de quo*, Vat. *et de quocumque.* Inferius pro *requiret* et *condemnabit* cod. aa *reddet* et *condemnabitur.* Subinde pro *mortali* cod. V *mortalibus,* et pro *cruciabuntur*, quod praebent codd. F G H, alii et edd. *cremabuntur.* In fine arg. ed. 1 cum aliquot codd. *utrumque* pro *utraque.*

sacerdotes, sicut dicitur Deuteronomii decimo septimo[1]: *Si difficile et ambiguum* etc.: ergo venialia talia sunt confitenda.

Contra: 1. « Poenitentia est secunda tabula post Fundamenta. naufragium[2] »; sed per veniale nemo naufragatur: ergo pro venialibus nullus tenetur recurrere ad poenitentiam: ergo nec ea confiteri.

2. Item, venialia non sunt in prohibitione[3], ergo nec eorum remedia in praecepto: ergo non est praeceptum confiteri venialia.

3. Item, confessio fit ad reconciliandum Ecclesiae; sed per veniale nullus factus est inimicus Ecclesiae, nullus extra Ecclesiam eiectus est, in nullo damnificata Ecclesia, quia caritatem non auferunt nec minuunt[4]: ergo nemo tenetur illa confiteri.

4. Item, quidquid homo tenetur confiteri, tenetur amplius non iterare, quia « poenitentia vera est commissa plangere et plangenda non committere[5] »; sed non tenetur quis venialia non iterare: ergo non tenetur de illis poenitentiam agere, ergo nec confiteri.

CONCLUSIO.

Confiteri peccata venialia congruum est, non necessarium, nisi interdum propter dubium, vel ecclesiasticum statutum.

Respondeo: Dicendum, quod confessio venialium Conclusio 1. non est in *praecepto,* est tamen in *consilio.* In *praecepto* non est: quia, cum sint de sui natura venialia, per se possunt veniam consequi, sive per poenitentiam *internam,* sive per *exteriorem assumtam,* sive etiam per *poenam purgatoriam,* sicut melius patebit infra[6], sive per *aliud remedium* competens et idoneum. Quamvis autem de ratione *sui generis* non sit ea confiteri *necessarium,* tamen ea confiteri *congruum* est, maxime viris perfectis, quia utile est multum, et poena illis debita minuitur ex vi clavium. Hoc est igitur de venialibus generaliter dictum.

In casu tamen contingit, quod homo teneatur ea Conclusio 2. confiteri, sive propter *dubium,* sive propter *ecclesiasticum statutum.* Propter *dubium:* quia dubitat probabiliter, utrum sit veniale, vel mortale; ideo, si non poenitet sicut de mortali, discrimini se exponit, et ideo debet confiteri, sicut iacet in conscientia, et iudicio sacerdotis relinquat, utrum sit veniale, vel mortale. — Propter *ecclesiasticum statutum* tenetur: quia omnis fidelis semel in anno tenetur confiteri; et ideo, si non habet nisi venialia, saltem illa semel in anno tenetur confiteri. Sed hoc non est propter venialis peccati *morbum,* sed propter *praeceptum,* quod quare omnibus sit iniunctum, superius[7] tactum est.

Concedendum est igitur, quod venialia, secundum quod huiusmodi, non est necesse confiteri, est tamen expediens; nec quis tenetur nisi de bono et aequo, nisi in duobus casibus, vel quia ligatur a conscientia, vel quia ligatur a constitutione ecclesiastica. Epilogus.

1. Ad illud quod obiicitur, quod peccata, quae per ignorantiam contrahuntur, praecipit confiteri; dicendum, quod illud intelligendum est de venialibus. Sed tunc *praecipere* est *docere,* secundum illud Lucae quinto[8]: *Praeceptor, per totam noctem* etc. Verbum autem beati Iacobi, quamvis propositum sit per modum imperativum, tamen pro mortalibus tenetur *imperative,* pro venialibus magis *excitative.* Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod dicit Augustinus: Si coepisti etc.; dicendum, quod *consilium* est, non quia non aliter possit vitari ruina nisi per confessionem, sed quia haec via est idonea et salubris; unde non dicit hoc, quod semper ruat ille qui non confitetur motum, sed quia ad ruendum esset proclivior.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Dominus puniet et iudicabit in futuro; dicendum, quod aliter iudicabit *veniale* sive pro veniali, aliter pro *mortali.* Pro *mortali* namque iudicabit et condemnabit; pro *veniali* nequaquam condemnabit, sed temporaliter cruciabit, nisi forte sit annexum mortali, et hoc non ratione sui, sed ratione mortalis[9]. Et ideo, ex quo quis confitetur mortale, solvitur, pro quo condemnandus erat a Domino; et ideo non oportet illa confiteri, quantum est de necessitate obligationis.

4. Ad illud quod obiicitur de venialibus, quod dubium est, utrum sint mortalia; dicendum, quod in tali casu, nisi certificetur poenitens per aliquem Notandum. virum sapientem, cui possit adhibere fidem, tenetur illud utique confiteri; si autem tollatur dubitatio, et sciatur esse veniale, tunc non obligatur; sicut si conscientia alicuius probabiliter dubitat de aliquo, utrum sit mortale, tenetur amplius illud non facere, manente dubitatione; sed amota tali conscientia, non tenetur[10]. Et ideo sane dictum est, quod ad confessionem venialis ligatur quis non ex *institutione divina,* sed ex *constitutione ecclesiastica* et *conscientia propria.* Et sic patent obiecta.

---

[1] Vers. 8. Vide supra pag. 437, nota 7.

[2] Ut dicit Hieron. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 1. Cfr. ibid. Comment. p. I. dub. 1.

[3] Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. ad 2.

[4] Explicationem vide I. Sent. d. 17. p. II. q. 3. Cfr. etiam supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3.

[5] Secundum Ambros.; cfr. supra lit. Magistri, d. XIV. c. 2. et ibi Comment. p. I. dub. 4.

[6] Dist. 21. p. I. a. 2. q. 1. Cfr. supra lit. Magistri, d. XVI. c. 6, et Comment. p. II. a. 3. q. 2. — Inferius voci *perfectis* cod. U praemittit *religiosis et.*

[7] Partis II. a. 2. q. 1.

[8] Vers. 5. Quem locum S. Bonav. exponens ait: Non solum *doctorem,* sed etiam *praeceptorem* vocat, credens, non solum eum habere *scientiam* ad docendum, sed etiam *potentiam* ad faciendum. — In fine solut. Vat. addit *vel exhortative.*

[9] Vide II. Sent. d. 42. a. 2. q. 2.

[10] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3.

SCHOLION.

I. Tota huius articuli doctrina confirmatur a Concilio Trident. (Sess. XIV. c. 5, et celebri can. 7.), praesertim conclusiones 1. et 2. quaestionis. Tamen quod in 1. quaestione generatim asseritur, ea peccata esse confitenda, de quibus poenitens dubitat, utrum sint venialia, an mortalia; hoc nunc non ita universaliter, sed cum quibusdam distinctionibus poenitenti imponitur, de quibus vide casuistas.

De 1. et 2. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 2. § 2-8. — Scot., hic q. unica n. 19. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. 2. 4, d. 16. q. 2. a. 2. quaestiunc. 3; Suppl. q. 8. a. 1, q. 9. a. 2. 4. — B. Albert., hic a. 36. 28. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. 3. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 4. — Durand., hic q. 14. — Dionys. Carth., hic q. 8.

II. Quoad 3. quaestionem in cit. canone 7. Concilii Trident. declaratur, confessionem extendendam esse ad « circumstantias, quae peccati speciem mutant ». Cum Ss. Bonav. et Thom. (supra d. 16. q. 3. a. 2. quaestiunc. 5.) etiam S. Alphonsus (Theol. moral. VI. tr. 4. dub. 3. n. 468) *probabilius* esse censet, circumstantias etiam notabiliter aggravantes, dummodo speciem non mutant, non esse necessario in confessione manifestandas; quod intelligendum est *per se*, cum certum sit, easdem per accidens esse manifestandas (e. g. cum confessarius de quibusdam, ut de consuetudine, discrete interrogat). — Alex. Hal. et multi ex schola S. Thomae tenuerunt, generatim circumstantias *notabiliter aggravantes* in confessione necessario aperiendas esse (cfr. Gotti, III. tr. 9. q. 6. § 4.); ita etiam Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 6. c. 3. q. 3.

De hac (3.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. § 1-3. — Scot., loc. cit. n. 20. — B. Albert., supra d. 16. a. 24-27. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 5. — Durand., supra d. 16. q. 4. — Dionys. Carth., supra d. 16. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum oporteat confiteri omnem peccati mortalis differentiam.

Secundo quaeritur, utrum sit confitenda omnis peccati mortalis differentia, scilicet peccatum cordis, oris et operis, peccatum etiam latens, vel manifestum. Et quod *omnem differentiam*, videtur:

Fundamenta. 1. Per decretalem[1], quae dicit cuilibet fideli: «*Omnia* solus peccata sua», non dicit *omnia* quantum ad *venialia:* ergo dicit *omnia* quantum ad *mortalia.*

2. Item, hoc videtur *ratione:* quia pro quolibet horum efficitur homo inimicus Dei et separatur ab unitate Ecclesiae; sed confessio ad hoc directe instituta est, ut homo reconcilietur Ecclesiae et ostendatur reconciliatus Deo[2]: ergo de omnibus tenetur confiteri.

3. Item, pro omni differentia peccati mortalis punitur quis actualiter et aeternaliter et condemnabitur; sed pro omni eo, pro quo adducendus est homo in iudicium condemnationis, necessario oportet adduci ante arbitrum Iesu Christi: ergo pro omni differentia mortalis tenetur confiteri.

4. Item, peccatum gravius magis est dignum punitione; sed peccatum cordis aliquando gravius est quam peccatum operis in alio genere, ut haeresis quam fornicatio, similiter peccatum apertum gravius quam occultum: si ergo oportet confiteri peccatum operis et oris, videtur, quod peccatum cordis similiter; si peccatum latens, videtur multo fortiori ratione, quod et manifestum: ergo omnem peccati mortalis differentiam necesse est confiteri.

5. Item, per omnem peccati mortalis differentiam naufragatur homo; sed patiens naufragium necesse habet ad tabulam recurrere; et non potest ad baptismum: ergo ad Sacramentum poenitentiae[3]. Sed Sacramentum poenitentiae in quantum Sacramentum consistit in confessione: ergo etc.

Contra: 1. Sapientiae undecimo[4]: *Per quae peccat quis, per haec et torquetur:* ergo si aliquis *solo corde* peccat, in solo scilicet spiritu et non in carne nec per organum oris; ergo sola contritione est puniendus, non ergo confessione: ergo non tenetur confiteri peccatum *cordis.* Ad oppositum.

2. Item, Augustinus[5]: « Ubi peccatum oritur, ibi peccatum moriatur »: ergo peccatum, quod fuit in solo corde, ibi debet mori: ergo non oportet, quod exterius propaletur per verbum.

3. Item, in foro iudiciali ita est, quod non adducuntur aliqua ad iudicium, nisi quae aliquo modo manifesta sunt; unde Matthaei decimo octavo[6]: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum:* ergo videtur, quodsi peccatum in solo corde fuit, cum nulli sit manifestum, quod non oporteat ad iudicium sacerdotale deferre.

Item, quod solum peccatum *latens* sit confitendum, videtur:

4. Quia Augustinus[7] definiens confessionem dicit, quod « confessio est, per quam morbus latens spe veniae aperitur ».

---

[1] Scil. *Omnis utriusque sexus;* cfr. supra a. 1. q. 2. arg. 3. pro parte affirm.

[2] Vide supra p. II. a. 1. q. 2. in corp.

[3] Cfr. supra d. 14. p. I. dub. 1.

[4] Vers. 17.

[5] Serm. 82. (alias 16. de Verbis Domini) c. 8. n. 11: Ubi contigit malum, ibi moriatur malum. Cfr. Epist. 17. Pelagii ad Demetriadem (in append. Epist. August.), c. 26, de qua agit August., l. de Gratia Christi etc. c. 22. n. 23.

[6] Vers. 15, ubi Vulgata verbo *corripe* praemittit *vade et.*

[7] Haec definitio colligi potest ex Enarrat. in Ps. 31. enarrat. 2. n. 13. seqq.; in Ps. 66. n. 7; in Ps. 101. enarrat. 1. n. 10; in Ps. 105. n. 2; Serm. 20. (alias 3. ex Sirmond.) et serm. 67. (alias 8. de Verbis Domini).

5. Item, super illud Genesis quarto [1]: *Vox sanguinis* etc.; Glossa: « Evidentia patrati sceleris non indiget accusatore »; sed confessio est accusatio, Proverbiorum decimo octavo: *Iustus in principio accusator est sui:* ergo quando peccatum est evidens, non indiget confessione.

6. Item, ideo fit confessio, ut instruatur sacerdos de quantitate peccati; sed non oportet, quando est publicum et notorium: ergo de aperto nullus debet nec tenetur confiteri.

CONCLUSIO.

Confitendae sunt omnis peccati mortalis differentiae.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod omnis peccati mortalis differentiam necesse est confiteri, sive sit *latens,* sive *manifestum,* sive sit *cordis,* sive sit *oris.*

De peccato aperto ratio duplex. — Peccatum *apertum* oportet confiteri duplici ex causa: una est a parte *audientis*, alia ex parte *confitentis.* Prima. Ex parte *audientis* [2]: quoniam, sicut est in iudicio forensi, quod iudex aliquid novit ut *privata persona,* quod tamen non novit ut *iudex,* nec procedit ad sententiam, quousque innotescat ei ut *iudici;* sic est in iudicio poenitentiali, quod sacerdos aliquid novit ut *homo,* quod tamen non novit ut *Deus,* quia non est per testimonium conscientiae accusatum, quae est *testis divinus;* et quousque sic novit, non spectat ad ipsum nec solvere nec ligare: ideo oportet, quod ei confiteatur peccator, quantumcumque Secunda. sit publicum [3]. — Alia ratio est ex parte *confitentis:* quantumcumque enim aliquis ab aliquo accusetur, nunquam propter hoc *iustus* dicitur sive iudicatur, sed magis *iniustus;* sed quando homo se ipsum, qui est dignus accusatione, accusat, tunc exercet *opus iustitiae,* et ideo dicitur: *Iustus in principio accusator est sui.* Ut ergo quis iustificetur et iustus esse comprobetur et dignus Ecclesiae reconciliatione; necesse est, quod ipse se accuset, quantumcumque eius peccatum sit publicum.

Item de peccato cordis et latente. Oportet etiam peccatum *cordis,* sive peccatum *latens* confiteri duplici ex causa similiter: tum ex parte *audientis,* tum ex parte *confitentis.* Ex parte *sacerdotis:* Prima. quoniam pro illo debet ligare ad poenam et absolvere [4] — certum enim est, quod pro omni mortali meretur quis poenam aeternam — ideo satisfactio imponenda est secundum arbitrium sacerdotis: ideo talis habet necesse confiteri ei scelus *occultum,* quia aliter ipse non novit. — Secunda. Alia ratio est ex parte *confitentis,* ut quae non erubuit intra thalamum cordis in conspectu divinae praesentiae cogitare et velle et volendo consentire, tunc coram oculis sacerdotis recitet cum rubore, ut, quae perpetravit inverecunde et verecundiam abiecit, nunc ex hoc in conspectu hominis erubescat; homo enim carnalis plus erubescit oculos hominis quam Dei. — Concedendae igitur sunt rationes, quod differentiae omnis peccati mortalis confitendae sunt.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Sapientiae undecimo [5], dicendum, quod tam verbum illud, quam verbum Chrysostomi et Augustini super hac materia intelligendum est per *appropriationem;* non enim intelligendum est *praecise* per *veritatem.* Notandum. Peccator enim, qui sola voluntate peccat, quae toti homini praesidet, *totus* punitur, ita quod *interius* et *exterius;* et ideo, si fiat emenda, totus homo debet eam facere, et per omnes actus, scilicet cordis, oris et manus.

2. Ad illud quod obiicitur de Augustino, quod ubi oritur etc.; dicendum, quod verbum illud intelligitur quantum ad *progressum* peccati, ut peccatum non procedat, sed « ubi oritur, ibi moriatur » non intelligitur quantum ad emendam [6]. — Aliter. Vel dicendum, quod illud est intelligendum de poenitentia respondente peccato *publico* et *occulto.* De peccato enim publico publice est puniendum propter scandalum exstirpandum; et de *occulto* occulte coram unico sacerdote; et illud videtur Magister dicere in littera.

3. Ad illud quod obiicitur de foro iudicii, quod adducuntur manifesta; dicendum, quod in foro *iudiciali,* Notandum. quod procedit secundum rigorem iustitiae ad condemnationem, alius est actor, alius est reus, alius testis; et ideo oportet, quod pluribus sit notum illud, de quo quis accusatur. Sed in foro *poenitentiali* sacerdos tenet locum Dei, et confitens tenet locum accusantis et accusati et testis. Nam ratio accusat voluntatem, testimonium ferente conscientia [7];

---

[1] Vers. 10. — Glossa *interlinearis* apud Lyranum pro *accusatore* substituit *clamore accusatoris,* quod etiam codd. FG exhibent. — Seq. locus est Prov. 18, 17: Iustus prior est accusator sui.

[2] Vat. supplet *ut audiat.* — Cfr. Gratian. C. 2. q. 1, et Bonav. III. Sent. d. 39. dub. 5.

[3] Cod. H minus bene *publicus.* Pro *peccator* Vat. cum nonnullis codd. *peccatum.* Eadem Vat. mox post *confitentis* addit *ut iustificetur.*

[4] Edd. *quoniam per illum debet ligari ad poenam, aut absolvi.*

[5] Vers. 17. — Verba Chrysostomi et Augustini habentur supra lit. Magistri, d. XVI. c. 1. Cfr. ibid. Comment. p. I. dub. 2, ubi dicitur, quod ipsa per *appropriationem* intelligenda sint.

[6] Sub quo respectu Hieron., Epist. 22. n. 6: « Nolo sinas cogitationes crescere... Dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine ». Ovid., Remedia amoris, v. 91: Principiis obsta, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. Cfr. etiam praenotata epist. Pelagii. Secunda solut. magis respondet serm. 82. superius allegato, in quo agitur de *modo* fraternae correptionis, atque cur secreto fiat. — Sententiam Magistri vide hic in lit. c. 4. seq. — Inferius pro *puniendum* codd. H K *puniendus,* ed. 1 *confitendum,* Vat. glossando *confitendum seu puniendum.*

[7] Cfr. supra d. 14. p. II. dub. 6.

et quia iste est testis privatus, quem nihil latet et de omni occulto testimonium perhibet: ideo tali iudicio competit occulta iudicare.

4. Ad illud quod obiicitur de *manifesto,* quod confessio est latentis peccati, per Augustinum; dicendum, quod est peccati latentis illum cui confitetur, Aliter. per modum *iudicis.* — Vel dicendum, quod peccatum omne in anima est quasi apostema intrinsecum; et quantumcumque homo peccet aperte, adhuc virtus peccati latet in anima; sed «in confessione rumpitur vulnus, et sanies peccati ad exteriora trahitur», ut dicit Gregorius [1]; et hinc est, quod *omnis* confessio dicitur, per quam morbus latens spe veniae aperitur.

5. Ad illud quod obiicitur de evidentia patrati sceleris etc.; dicendum, quod illud intelligitur in foro *iudiciali,* quia factum illud exterius notum est et testibus non eget, eo quod nulla possit tergiversatione celari; sed non sic in foro *poenitentiae;* creditur enim ibi testimonio solius conscientiae. Si Notandum. enim conscientia testificetur *nunc contra* hominem, *in iudicio* [2] testificabitur *pro* homine; alioquin semper erit testis contrarius.

6. Ad illud quod obiicitur, quod est ad sciendam quantitatem peccati; dicendum, quod ista non est *tota* ratio, immo rationes, quae superius assignatae sunt; et praeterea ad hoc est, ut sciat per modum iudicis [3].

QUAESTIO III.

Utrum teneamur confiteri omnem peccati circumstantiam.

Tertio quaeritur, utrum teneamur confiteri omnem peccati circumstantiam. Et quod sic, videtur:

1. Quia Augustinus dicit sic in libro de Poenitentia [4], enarrans multiplicia genera circumstantiarum: «Omnis, inquit, ista varietas confitenda est et deflenda». Ad argg. pro parte affirmativa.

2. Item, *ratione* videtur: quia confessio maxime fit ad sciendam peccati quantitatem, quia imponenda est poenitentia *secundum mensuram et aestimationem peccati,* sicut dicitur Levitici quinto [5]; sed penes circumstantias consistit peccati quantitas: ergo necesse est eas confiteri. *Prima* manifesta est; *secunda* probatur per hoc quod dicit Bernardus, quod «nugae in ore sacerdotis blasphemiae sunt». Hoc autem non dicit nisi propter aggravationem peccati: ergo etc.

3. Item, in confessione necesse est genus peccati aperiri; sed genus peccati variatur per circumstantias, sicut patet; cognoscere enim non suam, quae soluta est, fornicatio est; cognoscere non suam, quae habet virum, est adulterium: ergo necesse est confiteri circumstantias.

4. Item, confessio potissime fit ad erubescentiam; sed maior est erubescentia in confessione circumstantiarum adiacentium quam etiam in enarratione actus: ergo videtur, quod potissime circa circumstantias in confessione insistendum est.

5. Item, confessio principaliter fit ad accusationem peccantis; sed accusatio actionis est ex circumstantiis. Unde Tullius in primo Rhetoricae [6]: «Circumstantiae sunt, a quibus trahuntur argumenta accusationis, vel defensionis». Et Boethius in quarto: «Circumstantiae sunt, quae quaestionem rhetoricam faciunt de laude et vituperio personae».

6. Item, strictius est divinum iudicium quam humanum; sed in humano iudicio modo [7] fit inquisitio et responsio de circumstantiis, unde non est sufficiens quaerere de actu: ergo multo fortius in iudicio divino. Sed hoc est iudicium poenitentiae: ergo etc.

7. Item, diligentius curandus est morbus spiritualis quam corporalis, sicut magna diligentia est habenda circa spiritum et maior quam circa corpus; sed morbus corporalis non detegitur sufficienter, nisi etiam circumstantiae detegantur: ergo etc.

Contra: 1. Translato principali, necesse est, Pro parte negativa. quod transferatur annexum, sicut Apostolus dicit ad Hebraeos septimo [8]: *Translato sacerdotio, necesse est, ut Legis translatio fiat;* sed peccatum est principale: ergo si per confessionem Dominus transfert peccatum, pari ratione et circumstantiam.

---

[1] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 2, ubi agens de Lazaro mendico, ulceribus pleno [Luc. 16, 19. seqq.] dicit: Quid est ergo peccatorum confessio, nisi quaedam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latebat in mente. Vulnera etenim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata quid aliud agimus nisi malum, quod in nobis latebat, aperimus? Cfr. August., Enarrat. in Ps. 66. n. 7: Conscientia tua saniem collegerat, *apostema* tumuerat... adhibet medicus fomenta verborum et aliquando secat... confitere, exeat in confessione et defluat omnis sanies etc. — Mox post *et hinc est* ex codd. substituimus *quod omnis* [codd. K et I a secunda manu *quod vera*] *confessio;* edd. *quod Augustinus dicit, quod confessio.*

[2] Post mortem.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Sive de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 14. n. 29. Vide supra lit. Magistri, d. XVI. c. 2, ubi integra verba habentur.

[5] Vers. 18. — Verba Bernardi inveniuntur in II. de Considerat. c. 13. n. 22. Vide etiam supra d. 16. p. 1. dub. 7. et 9.

[6] Formata est haec definitio ex doctrina Ciceronis, I. Rhetor. c. 5. et 25. seqq. Vide supra pag. 400, nota 1, ubi etiam mentio fit ipsius Boethii, qui in IV. de Differentiis topic. definitionem seq. insinuat.

[7] Plures codd., ut A F G H I K, omittunt *modo.*

[8] Vers. 12, ubi Vulgata post *ut* addit *et.* — In fine arg. voci *pari* cod. R praemittit *necesse est, quod.*

2. Item, circumstantiae sunt infinitae nobis; et nullus tenetur ad illud quod sibi est impossibile[1]: ergo non tenetur circumstantias peccati recolligere et referre.

3. Item, non est necesse, quod peccatori imponat sacerdos ita gravem poenam, sicut exigit culpa, immo tota die imponuntur multo minores: ergo pari ratione non est necesse, quod peccator confiteatur, se ita graviter peccasse, sicut peccavit.

4. Item, si tenetur confiteri circumstantias ad sciendam quantitatem peccati; sed quantitas peccati non scitur, nisi sciantur circumstantiae *allevientes* sicut aggravantes, et circumstantiae defendentes sicut accusantes: ergo homo tenetur in confessione se ipsum excusare, sed hoc est falsum: ergo etc.

5. Item, videtur, quod circumstantia non augeat quantitatem, quia in bonis quantitas meriti non causatur ex circumstantiis, sed ex quantitate amoris, quo convertitur homo ad Deum[2]: ergo pari ratione, cum peccatum sit aversio, quantitas peccati consistit in libidine sive contemptu cordis: non ergo in circumstantia exteriori.

6. Item, videtur, quod non det speciem peccato, quia omne illud, quod dat speciem et formam, debet esse essentiale et intrinsecum et unicum[3]; sed circumstantiae sunt extrinsecae et accidentales et variabiles: ergo nulla circunstantia trahit in genus peccati novum: non ergo videtur, quod oporteat circumstantias confiteri.

Est igitur quaestio, quas oporteat confiteri, et Quaestio connexa. quas non.

CONCLUSIO.

Confessio circumstantiarum speciem mutantium necessaria est, aggravantium est congrua, alleviantium vero potius incongrua.

Respondeo: Dicendum, quod circumstantiae, Tres species circumstantiarum. quae attingunt peccatum, quaedam sunt *allevîantes*, quaedam in *aliud genus trahentes*, quaedam aliquo Conclusio 1. modo *aggravantes*. Circumstantias in *aliud genus trahentes* confiteri est necessarium, quoniam genus Conclusio 2. peccati confiteri oportet. — Circumstantias vero *alleviantes* confiteri non est bonum, nisi propter hoc, ut satisfiat alienae inquisitioni, vel ut provideatur eius scandalo et perturbationi, utpote si timeret[4], confessorem ex hoc accipere occasionem ad malum; vel si etiam tantum diminuat, ut sit in genere *venialis*, sicut comedere carnes in Quadragesima propter infirmitatem, ita tamen, quod a latere non sit gulositas aliqua. Et ratio huius est, quia in confessione non debet peccator se *excusare*, sed *accusare*. — De circumstantiis autem, quae *aggravant*, si Conclusio 3. genus peccati non mutatum est, est inter doctores opinio diversa.

Quidam enim dicunt, quod poenitentes *tenentur* Opinio 1. confiteri; sed praeceptum affirmativum est et obligat non *ad semper*, sed *pro loco et tempore*, scilicet quando eas cognoscit, sive per se, sive per inquisitionem alienam. Unde sapiens et intelligens tenetur eas confiteri absque inquisitione, simplex tenetur, si ab eo inquiratur.

Alii dicunt, quod *non tenemur* ad confessionem Opinio 2. harum circumstantiarum tentione *necessitatis*, sed *de bono et aequo;* et quanto magis sapientes et perfecti, tanto magis debent distinctius eas explicare; sed non tenentur ad hoc, nisi forte ex propria conscientia obligentur. — Hanc positionem credo pro- Conclusio 4. babiliorem.

Unde dicendum, quod confessio circumstantia- Epilogus. rum in *aliud genus trahentium* spectat ad confessionem quantum ad *necessitatem;* confessio vero *aggravantium* quantum ad *congruitatem;* confessio vero *alleviantium* potius facit incongruitatem; et hoc intelligatur, exceptis casibus praedictis.

Omnes igitur rationes probantes, circumstantias Ad argg. pro parte affirmativa. esse confitendas, sunt *congruitatis* quantum ad *aggravantes;* aliter, si velint probare necessitatem, ab insufficienti procedunt, illa excepta, quae est de circumstantia trahente in aliud genus.

1. 2. 4. 5. 7. Unde verbum Augustini consilium est. — Et quod obiicitur de quantitate et erubescentia et accusatione et diligentia habenda, non concludunt[5], nisi quod competentius fiat, si exprimatur cuiuslibet peccati circumstantia.

Quod obiicitur in contrarium, quod non oportet Ad argg. pro parte negat. eas confiteri, concedendum[6] est.

4. Tamen illud quod obiicit, quod circumstantiae *allevîantes* sunt confitendae etc.; dicendum, quod non est simile: quia *aggravantes* non tantum oportet confiteri propter quantitatem peccati, verum etiam propter erubescentiam et accusationem.

5. Ad illud quod obiicitur, quod non augent quantitatem; dicendum, quod non augent *principaliter*, sed quia augent contemptum, vel libidinem. Nec est simile de bono; quia enim boni sumus, Notandum. bona facimus[7]; unde quantitas *bonitatis* venit ab *habitu intrinseco*, sed quantitas *malitiae* ab *actu;* quia enim mala facimus, mali sumus.

6. Ad illud quod obiicitur, quod non mutat speciem; dicendum, quod est *esse naturae* et est Distinctio.

---

[1] Vide supra pag. 234, nota 6.

[2] Cfr. supra pag. 353, nota 6. et pag. 378, nota 3.

[3] Cfr. tom. II. pag. 225, nota 6. — Plures codd. *unitum.*

[4] Codd. R S X *timor est,* cod. F *timerem.* Superius pro *satisfiat* codd. A W et ed. 1 *satisfaciat.* Aliquanto inferius pro *mutatum est* cod. G *mutant.*

[5] Codd. A I K et ed. 1 *concludit.*

[6] Vat. *Ad illud quod obiicitur in contrarium, dicendum, quod non oportet eas confiteri, congruum est tamen. Ad illud quod obiicitur, quod circumstantiae allevîantes* etc.

[7] Vide supra pag. 352, nota 10.

Notandum. *esse moris*. Et aliquid est alicui *accidentale* secundum *esse naturae*, quod tamen est *essentiale* secundum *esse moris;* et quamvis circumstantiae sint *accidentales* actui secundum *esse naturae*, tamen essentiales sunt secundum laudem et vituperium, quae laus venit ex parte moris, vel eius contrarium. Et *si tu obiicias*, quod non debent dici circum- Notandum. stantiae; dicendum, quod *aliqua* est circumstantia respectu *esse naturalis*, quae non est *circumstantia* respectu *peccati*, sed *forma*, utpote furti accipere rem non suam, invito Domino [1]. *Aliquando* circumstantia est accidentalis respectu actus quantum ad *esse naturae* et in quantum *peccatum*, quia sine ea nihilominus est peccatum, sicut accipere rem alienam et sacram de loco sacro, et ita est *circumstantia* et *forma;* sed *circumstantia* respectu peccati furti, quia sine ea poterat esse furtum, sed *forma* respectu sacrilegii [2].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Si tamen desit sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio.* Videtur enim male dicere, quia laicus vel socius non potest absolvere: ergo nec locum sacerdotis supplere.

Respondeo: Non fit socio, ut suppleatur locus sacerdotis, vel confessio-Sacramentum ex hoc habeatur; sed ut voluntas confitentis probetur et innotescat, ut totum, quod in se est, faciat. — Dixerunt (Opinio aliena.) tamen aliqui, quod aliquo modo absolvitur iste in ista confessione. Dicunt enim [3], quod quinque modis habetur potestas absolvendi, scilicet *auctoritate*, et sic est Dei; *excellentia*, et sic est Christi hominis; *potestate* sive auctoritate commissa, et sic est sacerdotis; *merito vitae*, et sic est iusti et sancti; et *virtute unitatis ecclesiasticae*, et sic est cuiuslibet viri fidelis. Et ideo dicunt, quod talis confessio quodam modo est Sacramentum Ecclesiae. — (Non probatur.) Probabilius tamen est dicere, quod non sit Sacramentum Ecclesiae, cum deficiat [4] ibi *formale*, scilicet potestas clavis, sed est aliquid loco eius.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui confitetur sacerdoti meliori quam potest confiteatur.* Videtur enim secundum hoc, quodsi sacerdos suus non est optimus, quod possit eum deserere, quod est contra canones [5].

Respondeo: Dicendum, quod ipse loquitur de homine, qui est in sua libertate, *antequam* committat se alicui sacerdoti, quod debet eligere quanto meliorem potest. — Si autem *post* electionem intelligatur; (Aliter.) hoc est intelligendum cum licentia sui sacerdotis, vel ita [6], quod primum satisfaciat proprio sacerdoti, ut nullo modo contemnatur sacerdotis auctoritas et ministerium.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quaerendus est sacerdos sapiens et discretus;* quare hoc debeat fieri. Nam cum simplex sacerdos ita bonam Missam cantet, sicut et sapiens, et ita bene baptizet: ergo videtur, quod ita bene absolvat. — Quaeritur etiam, (Quaestio incidens.) utrum simplex sacerdos peccet in absolvendo, vel etiam in audiendo confessiones. Et quod *sic*, videtur per illud quod ante praedixit [7]: « Talem oportet esse, qui aliorum crimina iudicat ». Item, qui intromittit se facere quod nescit usurpat alienum; et omnis talis peccat mortaliter sive graviter: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod sive *scientia* sit clavis, sive non [8], tamen necessaria est sacerdoti (De scientia confessario necessaria.) tanta scientia, quod sciat discernere in peccatis communibus, et quod sit veniale, et quod mortale; et quod sciat semper, ad quae peccata potestas sua potest se extendere; et hoc, quia alia poenitentia danda est pro veniali, alia pro mortali; et si ad aliquod genus peccati non potest extendere manum, illud necessarium est ei cognoscere, alioquin in periculum animae suae et confitentium audit confessiones. Et si subditi cognoscunt eius simplicitatem, tenentur discretos consulere, alioquin utrique peccant graviter. Et de hac discretione loquitur Augustinus [9]. — Alia est discretio, qua sciat per habi- (Discretio congrua.) tum acquisitum discernere inter perplexitates pec-

---

[1] Respicitur definitio furti tom. III. pag. 835, nota 3. allata. — Superius pro *quae non* codd. F G *quae tamen non*. Iidem codd. mox *Aliqua* pro *Aliquando*, et *ista est* pro *ita est*.

[2] Vide II. Sent. d. 36. dub. 5. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] B. Albert., hic a. 58, addit: patres nostri in scientia ista. — Cfr. infra d. 18. p. I. a. 1. q. 1. in corp. — Pro *absolvitur* cod. I *absolvit*, cod. K *solvit*.

[4] Codd. F G *cum non sit*. — Cfr. de hoc dubio supra a. 1. q. 1, ubi in scholio alii auctores de hac re tractantes allegati sunt.

[5] Vide supra a. 1. q. 2, ubi etiam seq. solutio insinuatur.

[6] Cod. U *vel etiam*.

[7] Hic in lit. c. 4. — Codd. F G *dixit*.

[8] De quo infra d. 18. p. I. a. 3. q. 1.

[9] In textu huius dubii. — Aliquanto superius post *manum* cod. R addit *suam*.

catorum, et haec est de *bene esse;* in talibus autem debet securiorem viam semper eligere et sapientes consulere.

Ad illud quod obiicitur de Missa, dicendum, quod non est simile: quia ibi est vis in verbis a Domino statutis, hic autem requiritur, ut consulat et iudicet secundum conscientiam, quae est in ipso.

Quod quaeritur, utrum peccet; dicendum, quod *Ad quaest. incid.* carens discretione necessaria peccat ipse, et qui eum sustinet; de alia non credo [1].

DUB. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nec necesse est, ut quod sacerdoti semel confessi sumus iterum confiteamur.* *Argg. pro non iteranda confessione.* Ex hac enim littera videtur, quod peccata, quae semel homo confessus est, non debeat iterum confiteri, sive non sit necesse. Et illud videtur per rationem: quia in eodem foro non debet quis bis puniri [2]: si ergo quis pro peccato commisso semel punitus est, videtur etc. — Item, certum est, quod peccata nunquam redeunt secundum veritatem [3]: ergo si semel absolutus est, nunquam ligatur iterum: ergo nunquam tenetur iterum eadem *Pro iteranda.* confiteri. — *Contra:* ponatur, quod quis ficte confiteatur; constans est, quod talis non reportat commodum, immo damnum de confessione [4]. Si ergo nihil remanet in eo de confessione, quia characterem non imprimit; ergo tenetur iterum confiteri. — Item, ponatur, quod aliquis rememoretur peccati mortalis, quod oblitus fuit confiteri; constans est, quod non est confessus integre pro statu, in quo nunc est; sed confessio, quae non est integra, sicut infra [5] videbitur, pro nulla reputanda est: ergo tenetur iterum totum confiteri, ac si nunquam fuisset confessus. — Item, ponatur, quod aliquis recidivet; constans est, quod peccatum sequens ex praecedentibus aggravatur tum propter ingratitudinem, tum propter consuetudinem [6]: ergo non potest sciri quantitas peccati nec qualitas confitentis, nisi sciatur totum: ergo etc.

RESPONDEO: Dicendum, quod si confessio legi- *Solutio.* time facta est, et ea quae ad ipsam pertinent servata; non oportet iterum confiteri quae alias sumus confessi. Sed quia contingit, quod confessio, vel quando primo facta est, irrita fuit, vel postmodum irritatur; ideo oportet aliquando iterari.

Sunt autem quatuor casus communes et usitati, *Excipiuntur 4 casus.* in quibus doctores dixerunt, confessionem esse iterandam. *Primus.* Primus est propter *enormitatem sceleris,* ob quam oportet peccatorem ad superiorem remitti, qui confessionem remissi audire debet et absolvere, nisi malit alteri committere. — *Secundus.* Secundus est propter *ignorantiam sacerdotis,* utpote quando sacerdos ignarus est; quaerendus enim est tunc sacerdos, qui sciat ligare et solvere, et ei iterum est confitendum vel ex licentia sacerdotis proprii, vel auctoritate superioris [7]. — *Tertius.* Tertius casus est propter *malitiam fictionis,* ut si scienter aliquod peccatum in corde retinuit, vel si accessit cum voluntate peccandi. — *Quartus.* Quartus est propter *contemptum satisfactionis,* ut quando negligit et contemnit facere poenitentiam sibi iniunctam. Et intelligantur isti duo ultimi casus, quando mutat sacerdotem. Si enim ad eundem revertitur, tunc distinguendum: *Distinctio.* quia aut recenter confessus est, aut iam de memoria sunt elapsa ab ipso sacerdote propter diuturnitatem temporis. In primo casu non tenetur [8], in secundo tenetur. — In his casibus communiter concordant omnes confessionem iterandam esse.

Sunt et alii duo casus, in quibus doctores sibi *Controvertitur de 2 casibus.* adversantur. Aliqui enim dicunt, quod tenetur etiam homo iterare confessionem propter *peccati obliti recordationem,* *Opinio 1.* et propter *recidivationem,* quoniam aliter confessio integra non est; et confessionem oportet habere integritatem ad hoc, ut habeat utilitatem, sicut melius patebit infra [9]. — *Opinio 2.* Alii dicunt, quod sufficit *in generali* dicere, se alias peccasse et hoc de novo peccatum commisisse, vel recordatum esse in speciali, quoniam prior confessio valuit et bona fuit. — *Opinio 3.* Alii dicunt, quod peccata eiusdem generis tenetur referre *in speciali,* sed alia in generali; et sic scitur et consuetudo et ingratitudo. — Sed quid super his sit sentiendum, melius patebit in distinctione vigesima prima [10]; ad praesens autem tantum dixisse sufficit.

Quodsi igitur velis praecise scire, quid sit ne- *Iudicium auctoris.* cessarium in iteratione confessionis; dicendum, quod aut est propter defectum ex parte *sacerdotis;* et hoc non est nisi dupliciter: aut quia *nescit* absolvere, aut quia non *potest;* et sic sunt duo. — Aut propter defectum ex parte *poenitentis,* et hoc dupliciter: aut quia contemnit sacerdotis *absolutionem,* aut quia contemnit *ligationem.* — In duobus aliis casibus, credo, quod confiteri iterum eadem sit consilium, et hoc in *speciali;* nisi interveniat aliquis praedictorum, utpote ignorantia sacerdotis, quia non recte ligavit, vel contemptus suae ligationis; aliter non credo iterum teneri, nisi conscientia liget. Et hoc melius patebit infra [11], cum agetur de confessionis dimidiatione.

---

[1] Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 60; S. Thom., hic circa lit.
[2] Cfr. supra lit Magistri, d. XV. c. 1.
[3] Ut ostenditur infra d. 22. a. 1. q. 1.
[4] Cfr. supra pag. 103, nota 11.
[5] Dist. 21. p. II. a. 1. q. 1. et dub. 3.
[6] Vide supra lit. Magistri, d. XVI. c. 2.
[7] Cfr. supra a. 1. q. 2.
[8] Edd. supplent *iterare.*
[9] Dist. 21. p. II. a. 1. q. 1. et dub. 3.
[10] Partis II. a. 1. q. 1. — Superius pro *et sic scitur et* cod. E *et sic scitur esse* (codd. R S T U X *est,* cod. Z *Ecclesiae),* edd. *et sic satis est,* omisso subinde *et ingratitudo.*
[11] Dist. 21. p. II. a. 1. q. 1. — Pro *dimidiatione* cod. H *diminutione,* edd. *denudatione.* Paulo ante pro *iterum teneri,*

Ex his satis patent obiecta et melius patebunt infra distinctione vigesima prima[1]. Rationes enim, quae ostendunt, confessionem non esse iterandam, procedunt de illa confessione, qua quis est legitime confessus et absolutus, sicut patet, quia aliter non concludunt. Rationes vero ad oppositum procedunt de confessione, circa quam fuit aliquis defectus, vel a parte *absolventis*, vel a parte *absoluti*, qui potest esse conditionis necessariae; et tunc oportet iterum confiteri, vel totum, vel partem, secundum qualitatem defectus. Si vero sit defectus conditionis expedientis et congruae; tunc iteratio est de congruitate, non de necessitate, ut quando intervenit *oblivio*, vel etiam *recidivatio*. Et sic patet illud totum.

DISTINCTIO XVIII.

Pars I.

Cap. I.

De remissione, quam praestat sacerdos.

Hic quaeri solet, si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo poenitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote. (Exponitur quaestio.) Video enim, quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis poenae, sed non, a quo eum absolvat; et ideo quaero. (Dubium 1.) Ante poenitudinem quippe cordis anima rei maculam habet et foetorem peccati atque aeternae ultionis vinculo ligata existit. Si vero ante confessionem per cordis contritionem Deus per se ipsum sine ministerio sacerdotis et debitum omnino relaxat et animam interius purgat a contagione et foetore peccati; quid ergo mundat, quid dimittit sacerdos? Ubi sunt claves illae, quas Dominus tradidit Petro et successoribus eius dicens[1]: *Tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelo; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis?* Ut autem praemissa quaestio plenius explicari valeat, quasi *altius ducto rete*, de his clavibus et usu earum disseramus.

Cap. II.

De clavibus.

Claves istae sunt non corporales, sed spirituales, scilicet «discernendi scientia et potentia iudicandi», (Glossa.) id est ligandi et solvendi, qua «dignos recipere et indignos debet excludere a regno» ecclesiasticus iudex, qui sicut habet ius ligandi, ita et solvendi. Unde Ambrosius[2]: (Ambrosius.) «Dominus par ius et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione promisit. Ergo qui solvendi ius non habet, nec ligandi habet». Et infra[3]: (Ambrosius.) «Certum est, quod Ecclesiae utrumque licet, haeresis utrumque non habet; ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus. Recte igitur Ecclesia hoc sibi vindicat, quae veros habet sacerdotes; haeresis vindicare non potest, quae veros sacerdotes non habet».

Cap. III.

De usu clavium.

Usus vero harum clavium multiplex est, *discernere* scilicet ligandos vel solvendos, ac deinde *ligare* vel *solvere*. (Gregorius.) «Qui enim indignos ligat vel solvit propria potestate se privat[4]», id est, dignum privatione se facit.

Cap. IV.

Si sacerdos potest dimittere, vel retinere peccatum.

Sed quaeritur, utrum a peccato solvere valeat sacerdos, id est a *culpa*, ut culpae maculam abstergat, vel debitum aeternae mortis solvere valeat. — (Opinio 1.) Quidam arbitrati sunt, cum peccator dupliciter ligatus teneatur, ut praedictum est, scilicet mentis contagione ac caecitate et debito futurae poenae, alterum curari per Deum, alterum solvi per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores et maculas, a quibus nisi liberetur, proiicietur *in tenebras exteriores;* cum autem liberatur ab his, suscitatur a morte peccati. Unde Apostolus[5]: *Surge qui dormis, et illuminabit te Christus.* Solus enim Christus, non sacerdos, animam resuscitat, ac pulsis tenebris interioribus et maculis, eam illuminat et mundat, qui animae faciem lavat; debitum vero aeternae poenae solvere concessit

---

quod habent codd. HK (I a secunda manu), codd. FG *necessarium iterum confiteri*, cod. O *iterum confitendum*, cod. U *iterandum*, alii codd. incongrue tantum *iterum*, quod edd. mutarunt in *verum*.

[1] Partis II. a. 1. q. 1. — Ibid. etiam in scholio alii auctores, qui de hac re agunt, allegantur.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Matth. 16, 19. Inferius respicitur Luc. 5, 4.

[2] Libro I. de Poenitentia, c. 2. n. 7. Superius plura verba sumta sunt ex Glossa Bedae apud Lyranum ad locum Matthaei supra cit.

[3] Libro cit., ibid. inferius; vide II. de Cain et Abel, c. 4. n. 15; C. *Verbum Dei* (51.), de Poenitentia, d. 1.

[4] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 5. — Opinio prima, quae in seqq. refertur, est Hugonis de S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 8. circa init., ubi etiam refutare nititur seq. opinionem.

[5] Eph. 5, 14. Superius respicitur Matth. 22, 13; de Lazaro vide Ioan. 11, 14. — Deinde citatur Ioan. 20, 23.

sacerdotibus. Quod in resurrectione Lazari signatum asserunt, quem Christus prius per se interius vivificavit, deinde foras exire iussit eumque adhuc ligatum solvere Apostolis praecepit; quia, ut aiunt, ipse interius animam a caligine maculaque peccati emundat, sacerdotibus vero dedit vinculum aeternae mortis solvere.

Alii vero dicunt, solum Deum, non sacerdotem, Opinio 2. debitum aeternae mortis dimittere, sicut et animam interius per se vivificat; nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata dimittendi et retinendi, quibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata* etc. Sicut enim retinuit sibi potestatem baptismi, ita et poenitentiae. Et ideo, sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum aeternae mortis relaxat. Ipse enim per se ipsum peccata poenitentium tegit, et tunc tegit, quando ad poenam non reservat. Tunc ergo tegit, quando debitum poenae solvit. Quod autem ipse Augustinus. tegat, aperte dicit Augustinus, exponens illum locum Psalmi [1]: *Quorum tecta sunt peccata*, id est « cooperta et abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, id est punire, sed ignoscere. Ita ergo dicit *a Deo tecta*, ut Deus non videat, id est aeternaliter puniat ». *Videre* enim *Dei peccata* est ad poenam imputare; *avertere autem faciem a peccatis*, hoc est ea ad poenam non Hieronymus. reservare. Item Hieronymus [2]: « Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in iudicio revelentur ». Item Cassio- Cassiodorus. dorus: « Qui gravia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat ».

Ex his aperte ostenditur, quod Deus ipse poenitentem solvit a *debito poenae*, et tunc solvit, quando intus illuminat, inspirando veram cordis contritionem. Confirmatio Magistri. Cui sententiae ratio suffragatur, et auctoritates attestantur. Nemo enim de peccato vere compungitur, habens *cor contritum et humiliatum*, nisi in caritate; qui autem caritatem habet dignus est vita; nemo autem simul dignus est vita et morte: non est igitur tunc ligatus debito aeternae mortis. *Filius* enim *irae* desiit esse, ex quo diligere et poenitere coepit. Ex tunc igitur solutus est ab ira, quae non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Non igitur postmodum per sacerdotem, cui confitetur, ab ira aeterna liberatur, a qua iam liberatus est per Dominum, ex quo dixit: *confitebor*. Solus ergo Deus hominem interius mundat a macula peccati et a debito aeternae poenae solvit; qui per Prophetam [3] ait: *Ego solus de-* Ambrosius. *leo iniquitates et peccata populi*. Item Ambrosius: Dubium 2. « Verbum Dei dimittit peccata; sacerdos est iudex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet ». Idem [4]: « Ille solus dimittit peccata, qui solus pro peccatis nostris mortuus est ». Item Augustinus: « Nemo tollit peccata nisi solus Deus, Augustinus. qui est Agnus tollens peccata mundi; tollit autem et dimittendo quae facta sunt, et adiuvando, ne fiant, et perducendo ad vitam, ubi omnino fieri non possunt ». — His aliisque pluribus testimoniis docetur, Deum solum per se peccata dimittere; et sicut dimittit quibusdam, ita et aliorum quorundam peccata retinet.

Cap. V.

Quomodo sacerdotes dimittunt peccatum, vel retinent.

Nec ideo tamen negamus, sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et retinendi peccata, cum hoc Veritas in Evangelio aperte doceat. Hinc Augustinus [5] Augustinus. ait: « Ecclesiae caritas, quae per *Spiritum sanctum* Dubium 3. *diffunditur in cordibus*, eorum qui participes sui sunt, peccata dimittit, eorum qui non sunt, tenet ». Idem: « Sacerdotes possunt confitentibus parcere, quibus enim remittunt, remittit Deus. Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis solvendum, per hoc ostendens, potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in caelo* etc., hoc est, ego Deus et omnes caelestis curiae ordines et omnes Sancti in gloria mea laudant vobiscum et confirmant quos *ligatis et solvitis*. Non dixit: quos *putatis* ligare et solvere, sed, in quos exercetis opus iustitiae vel misericordiae. Aliter autem vel alia opera vestra in peccatores non cognosco ». Idem [6]: « Cum veraciter ad Deum converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci conversione coniungitur. Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus Sanctis sibi caritate cohaerentibus, sive se noverint corporaliter, sive non. Similiter cum alicuius tenentur peccata, ab eis tenentur, a quibus ille cordis pravitate disiungitur sive notis corporaliter, sive ignotis ». « Omnes mali spiritualiter a bonis seiuncti sunt ». — Ecce hic dicit, peccata dimitti vel teneri a viris sanctis, et tamen Spiritum sanctum ea dimittere dicit. Et quod maiori consideratione dignum est, idem etiam dicit, quod Deus per se, vel per Sanctos suos tantum peccata dimittit. Ait enim sic [7]: Augustinus. « *Sacramentum* gratiae dat Deus etiam per malos, ipsam vero *gratiam* non nisi per se ipsum, vel per Sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit, vel per ipsius columbae membra, quibus ait: *Si cui dimiseritis, dimittentur* ». — Ecce, quam varia a doctoribus traduntur super his; et in hac tanta varietate, quid tenendum? Hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata

---

[1] Psalm. 31, 1; Enarrat. 2. n. 9; cfr. Enarrat. in Ps. 50, n. 14, ubi explicantur quae sequuntur.

[2] Hic locus et seq. Cassiodori sunt in Glossa ad Ps. 31, 2.

[3] Isai. 43, 25. — Locus Ambrosii est II. de Cain et Abel c. 4. n. 15, sed verbis et sententia aliquatenus diversis; ast verbotenus in C. *Verbum Dei* (51.), supra cit. — Pro *est iudex* codd. et edd., exceptis 4, 6, 8, 9, *et iudex*, refragante canone.

[4] Exposit. in Evang. Lucae libr. VI. n. 109. — Locus August. est l. de Peccator. merit. et remissione, ex cc. 23. 28. 39. collectus; ad verbum in C. *Nemo tollit* (141.), de Consecrat. d. 4.

[5] In Ioan. Evang. tract. 121. n. 4; C. *Ecclesiae* (140), ibid. Seq. locus est de Vera et falsa Poenit. c. 10. n. 25; ubi pro *caelestis curiae* codd. B C D E, ed. 1 et originale *caelestis militiae*. Deinde originale, Vat. et ed. 6 omittunt *vel alia*.

[6] Libr. VI. de Baptismo contra Donatist. c. 4. n. 6. Seq. locus ibid. c. 5. n. 7. — Inferius pro *teneri* edd., excepta 1, *retineri*, refragantibus codd.

[7] Ibid. V. c. 21. n. 29; C. *Quomodo exaudit* (41.), de Consecrat. d. 4, ubi et supra dicta reperiuntur. Citatur Ioan. 20, 23.

Nota. et retinet, et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi; sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim *per se* tantum dimittit peccatum, quia et animam mundat ab interiori macula et a debito aeternae mortis solvit.

Cap. VI.

Quomodo sacerdotes ligant, vel solvunt a peccatis.

Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi et solvendi, id est, *ostendendi* homines ligatos vel solutos — unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus; ita etiam Lazarum iam vivificatum obtulit discipulis solvendum — quia, etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiae solutus habetur nisi per iudicium sacerdotis. In solvendis igitur culpis vel retinendis ita operatur sacerdos evangelicus et iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quae peccatum significat. Unde Hieronymus super Matthaeum [1], ubi Dominus ait Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis:* « Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisaeorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. In Levitico ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non *faciunt* leprosos vel mundos, sed *discernunt* qui mundi vel immundi sunt; ita et hic ». — Aperte hic ostenditur, quod non sequitur Deus Ecclesiae iudicium, quae per surreptionem et ignorantiam interdum iudicat; Deus autem semper iudicat secundum veritatem. Et in remittendis vel in retinendis culpis id iuris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim sub Lege habebant legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta iudicant et ostendunt. Ponunt enim sacerdotes *nomen Domini super filios Israel, sed ipse benedicit*, ut legitur in Numeris [2]. Hunc modum ligandi et solvendi Hieronymus supra notavit.

(Margin: De culpa. — Opinio Magistri insufficiens. — Hieronymus. — Dubium 4.)

Ligant quoque sacerdotes, dum satisfactionem poenitentiae confitentibus imponunt; *solvunt*, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad Sacramentorum communionem admittunt, quem modum superius [3] Leo Papa notavit. Secundum hunc modum dicuntur etiam sacerdotes dimittere peccata vel retinere. Unde superius Augustinus dixit: Quibus remittunt, remittit Deus etc. Opus enim iustitiae exercent in peccatores, cum eos iusta poena ligant; opus misericordiae, dum de ea aliquid relaxant, vel Sacramentorum communioni conciliant; alia opera in peccatores exercere nequeunt. — Et notandum, quia quos satisfactione poenitentiae ligant eo ipso a peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio poenitentialis, nisi quem sacerdos vere poenitentem arbitratur. Alii non imponunt [4] et eo ipso peccatum retineri a Deo iudicant. Quod autem hoc ad claves pertineat, Augustinus ostendit dicens: « Frustrat claves Ecclesiae qui sine arbitrio sacerdotis poenitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentiam impetratur ».

(Margin: De poena. — Augustinus.)

Pars II.

Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur, dum aliquis, secundum canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti et satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiae a loco orationis et Sacramentorum communione et fidelium consortio praescinditur [5], ut erubescat, et pudore sceleris conversus, poeniteat, *ut* sic *spiritus* eius *salvus sit.* Quodsi poenitentiam profitens resipuerit, negatae communioni admittitur et Ecclesiae reconciliatur. Haec autem Ecclesiae anathematizatio hanc poenam illis qui digne percelluntur, infligit, quia gratia Dei et protectio illis amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam diabolo maior saeviendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiae et benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putantur.

(Margin: De excommunicatione. — Dubium 1.)

Cap. VII.

Quomodo intelligendum sit illud:
Quodcumque solveritis etc.

Secundum hos ligandi et solvendi modos quomodo verum est quod dicitur: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in caelis, et quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis?* Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos qui non sunt apud *Deum*, et poena satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, et indignos Sacramentis admittunt et dignos admitti arcent. — Sed intelligendum est hoc in illis quorum merita solvi vel ligari postulant. Tunc enim sententia sacerdotis iudicio Dei et totius caelestis curiae approbatur et confirmatur, cum ita ex discretione procedit [6], ut

(Margin: Dubium 2. — De iuste excommunicatis.)

---

[1] Libr. III. c. 16. v. 19; verbotenus ibi in Glossa apud Lyranum. Respicitur Levit. 14, 2. — Inferius solae edd., exceptis 1, 8, addunt *semper* ante *sequitur*.

[2] Cap. 6, 27.

[3] Dist. XVII. c. 3; verba Augustini vide supra c. 5.

[4] Vat. cum pluribus edd. perperam *imponuntur*, ed. 8 *imponit*. — Locus Augustini, sed verbis aliis expressus, est in Serm. 392. (alias homil. 49. inter Homil. 50) c. 3. n. 3; verbotenus apud Gratian. in C. *Quis aliquando* (87.), de Poenit. d. 1.

[5] Codd. et edd. 3, 7, 8 *praeciditur*. — Infra respicitur I. Cor. 5, 5. — Deinde pro *Haec autem* edd., excepta 1, *Haec est autem*, et sic non coniungunt vocabulum *anathematizatio* cum verbo *infligit*.

[6] Codd. et plures edd. vel *prodit*, vel *proderit*.

reorum merita non contradicant. Quoscumque ergo solvunt vel ligant, adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur in caelis, id est apud Deum; quia divino iudicio sententia sacerdotis sic progressa approbatur et confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiae percellit, laedit, et illi foris sunt apud Deum. — Qui autem non meruit sententia Ecclesiae non laeditur, nisi contemnat. Unde Origenes[1]: « Exiit quis a veritate, a fide, a caritate, et per hoc exit de castris Ecclesiae, etiam si episcopi voce non abiiciatur; sicut econtra aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si non egit, ut mereretur exire, nihil laeditur. Interdum enim qui foras mittitur intus est, et qui foris est intus videtur retineri ». — Ecce qualis et quantus est usus apostolicarum clavium. Iam ostensum est ex parte, qualiter sacerdotes dimittant peccata vel retineant, et tamen retinuit sibi Deus quandam *singularem* potestatem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum aeternae mortis solvit et animam interius purgat.

De iniuste excommunicatis. Origenes. Epilogus.

Cap. VIII.

Quae sint interiores tenebrae et interior macula.

Hic quaeritur, quae sit illa macula, et quae sint illae tenebrae interiores, a quibus Deus interius animam purgat, cum veram poenitentiam immittit. — De *tenebris et interiori caligine* satis facile est et intelligere et respondere. Cum enim quis mortaliter delinquit, et gratia virtutis privatur, si qua praecessit, et naturalium bonorum elisionem patitur. Unde et intellectus obtunditur, et totus homo interior obtenebratur, et ita quasi caligine quadam mens obvolvitur, quae caligo peccati poena est. Hanc vero Deus pellit, cum poenitentiam immittit, per quam bona perdita restituit et vitiata reparat. Unde Propheta[2]: *Nebulam sicut cinerem spargit.* — Sed quae est *macula peccati*, a qua animam lavat? Ecce enim, quis voluit facere homicidium et patravit, quo patrato, desinit tam *velle* quam *facere;* nondum tamen vere et humiliter poenitet nec confiteri proponit. Quae igitur remansit in anima illius *macula? Mala voluntas* quidem macula fuit illius animae, sed illa transit; macula etiam est, si poenitere contemnit, sed hoc est peccatum *aliud* a praecedenti. Quae igitur macula remansit, a qua ipse in poenitentia purgatur? — Polluta quidem est anima, quousque poenitet, sicut erat, dum in ea prava erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum vel aliud immundum ita pollutus est post tactum, quousque lavatur, sicut fuit, dum tangeret; ita post actum peccati polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita longe est a Deo per *dissimilitudinem*, qui est vita et munditia mentis, sicut fuit, dum peccatum ageret. Ipsa ergo *dissimilitudo*, quae inest animae ex peccato et est a Deo elongatio, animae macula intelligitur, a qua purgatur in poenitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam et illuminat; quod sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt animarum. Unde Propheta[3]: *Nunquid medici suscitabunt et confitebuntur tibi?* Quod exponens Augustinus ait: « Boni doctores recte *medici* dicuntur, qui viventes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare; sola enim Dei gratia reviviscunt ».

De tenebris. Dubium 3. Quid macula. Resp. Dubium 4.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVIII.

Pars I.

De potestate clavium et usu earum in foro poenitentiali.

Hic quaeri solet, si peccatum iam omnino dimissum est a Deo etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confessione quantum ad necessitatem a parte poenitentis; hic secundo agit de ipsa quantum ad potestatem ex parte absolventis[1]. Habet autem haec pars duas. In prima agit de potestate in se, in secunda in comparatione ad suscipientes, infra distinctione decima nona: *Postquam ostensum est, quae sint claves apostolicae* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat de clavibus et earum usu in foro poenitentiali; in secunda vero in foro iudiciali, ibi: *Est et alius modus ligandi et solvendi* etc. Prima pars habet duas. In prima quaerit et determinat veritatem. In secunda ad maiorem enodationem opponit, et hoc ibi: *Sed quaeritur, utrum a peccato solvere valeat.* Prima pars duas habet. In prima movet suam quaestionem. In secunda determinat, ibi: *Claves istae non sunt corporales.*

Similiter secunda pars duas habet. In prima

---

[1] Homil. 14. in Levit. n. 3.

[2] Psalm. 147, 16. Cfr. Glossa Lyrani in hunc locum. — Infra de tactu mortui cfr. Levit. 11, 31; Num. 19, 22.

[3] Psalm. 87, 11. Locus August. est ibi, Enarrat. n. 10.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Ita codd. F G H, quorum lectio confirmatur ex *Divisione textus* d. 17. p. I; alii codd. et edd. *absolutionis*.

opponit ad utramque partem, ostendens primo, quod sacerdotes non possunt solvere a peccato et ligare; secundo, quod possunt a peccato solvere et ligare [1]. In secunda determinat modum, per quem solvunt et ligant, ibi: *Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen* etc., ubi ostendit, quod sacerdotes dicuntur ligare et solvere vel quantum ad ostensionem, vel quantum ad poenam temporalem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de clavibus, secundum quod spectant ad forum poenitentiale. Et circa hoc tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de clavibus in generali.

Secundo, de potestate ligandi et solvendi, quae est clavis principalis.

Tertio, de scientia discernendi.

Quantum ad primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum claves Ecclesiae datae sint.

Secundo, supposito quod sic, quaeritur, ad qùid datae sunt.

ARTICULUS I.

De clavibus in generali.

QUAESTIO I.

Utrum claves Ecclesiae sint datae.

Circa primum ostenditur, quod claves Ecclesiae sint datae:

Fundamenta. 1. Per illud quod habetur Matthaei decimo sexto [2]: *Tibi dabo claves regni caelorum.*

2. Item, hoc ipsum probatur per illud quod dicitur Ioannis vigesimo [3]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc.: ergo in potestate Apostolorum fuit introducere ad iustitiam, ergo ad vitam; sed omnis qui potest admittere, vel excludere a regno, habet clavem regni: ergo Apostolis datae fuerunt claves, non nisi in quantum erant praelati Ecclesiae: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia nullus potest ingredi regnum caelorum nisi per Ecclesiam, et hoc significatum est, ubi dicitur Genesis vigesimo octavo [4]: *Non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli;* sed constans est, quod ad rectum ordinem oportuit praelatos in Ecclesia institui; sed nullus sufficienter portae praeest, nisi qui habet clavem ipsius: ergo videtur, quod Dominus claves illis concesserit.

4. Item, decet regem terrenum, ut clavem ostii sive portae suis servis committat, qui ministrant in eius curia; sed non est liberalior rex terrenus quam rex aeternus, immo multo minus: ergo videtur, quod aliquibus servis sive hominibus claves commisit.

Ad oppositum ita arguitur: 1. Nulla necessitas est clavium, ubi ostium semper est patens et apertum; sed ostium caeli et Ecclesiae semper est apertum: ergo etc. *Minor* probatur sic: ostium paradisi Christus Dominus est, qui dicit Ioannis decimo [5]: *Ego sum ostium;* sed illud semper est apertum, quia Ioannis sexto dicit ipse: *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras;* et Apocalypsis quarto: *Vidi, et ecce in caelo ostium apertum:* ergo etc. Ad oppositum.

2. Item, illi soli conceditur clavis, qui potest claudere et aperire; sed hic est solus Christus, Isaiae vigesimo secundo [6]: *Dabo clavem domus David super humerum eius, et claudet, et non erit qui aperiat* etc.: ergo solius Christi est aperire et claudere: ergo etc.

3. Item, solus ille fert clavem, qui potest obstaculum amovere; sed obstaculum regni caelorum solus Christus potuit amovere: ergo etc. *Probatio minoris.* Super illud Isaiae vigesimo secundo [7]: *Dabo clavem domus David;* Glossa: « In passione resera-

---

[1] In codd. desideratur haec propositio: *secundo... ligare.* Edd., perperam posito *tres habet* pro *duas habet* [falsitas lectionis edd. colligi iam potest ex voce *Similiter*], subinde legunt: *In secunda ostendit, quod possunt... In tertia determinat modum.*

[2] Vers. 19.

[3] Vers. 23.

[4] Vers. 17. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in hunc loc., quae est ex Rabano et in qua dicitur, quod evigilans a torpore inertiae et sese exercens in bonis operibus « in Ecclesia supereminentem gratiam et introitum regni caelestis intelliget ». Glossa *interlinearis* apud Lyranum sumta ex August. (Qq. in Pentateuch. I. q. 83.): Tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum caelorum. — In fine arg. pro *illis,* quod habet cod. U, alii codd. *aliis*, edd. *Apostolis.*

[5] Vers. 7. — Seq. locus est Ioan. 6, 37, ubi codd. *Omnis qui* pro *Eum qui;* tertius Apoc. 4, 1. — Cod. O huic arg. subiungit: Item, Ecclesia nulli claudit gremium, ergo neminem excludit, quantum in se est; ergo ille potius claudit peccando, qui [se] excludit, quam Ecclesia vel praelatus: ergo etc.

[6] Vers. 22. Vulgata post *eius* addit *et aperiet, et non erit qui claudat.* Codd. omittunt *domus.*

[7] Vers. 22. Etiam hic codd. omittunt *domus.* — Glossa *ordinaria* (ex Hieron. in hunc loc.) a Strabo et Lyrano sic exhibetur: Quod in passione [Hieron. elicit hoc ex verbis *Dabo clavem super humerum eius*, scil. crucem portatam in pas-

vit quod ante non poterat »: sed hoc fuit solius Christi: ergo etc.

4. Item, maius quid est habere claves paradisi, quam habere claves mortis et inferni; sed Christus clavem *mortis et inferni* sibi soli reservavit nec dedit Ecclesiae [1]: ergo clavem regni multo fortius.

CONCLUSIO.

Data est Ecclesiae clavis ministerii contra debitum peccati dimissi, quae descendit a clave auctoritatis mediante clave excellentiae.

Respondeo: Dicendum, quod nomen *clavis* translatum est ad spiritualia ab ipsis corporalibus. In his autem corporalibus clavis est instrumentum ad removendum aliquod obstaculum [2]. Quoniam igitur in spiritualibus invenimus obstaculum ad ingrediendum in regnum caeleste; necesse est illud removere. Ideo ad spiritualia nomen clavis transferimus, vocantes *clavem* illam virtutem, per quam obstaculum removetur, sive per quam excluditur, vel includitur. (Quid clavis.)

Secundum hoc igitur notandum, quod cum triplex sit *obstaculum* ingrediendi in regnum, et triplex *potestas* illud removens; triplex est *clavis spiritualis*, differens secundum gradum et dignitatem. Obstaculum autem ingrediendi in caelum est *debitum* alicuius peccati; hoc autem est triplex: *primum* peccati mortalis *commissi*, et hoc est debitum aeterni supplicii. Hoc autem obstaculum solus Deus amovet, quia hoc removetur per culpae deletionem; et ideo potestas hoc removens est potestas divina, quae ab aliquibus dicitur clavis *auctoritatis*. — *Secundum* obstaculum est debitum peccati *contracti*, et illud est debitum solutionis pretii [3], et hoc solvi potuit per eum qui potuit satisfacere; talis autem fuit solus Christus; et ideo haec potestas removens illud obstaculum est solius Christi, et vocant eam aliqui clavem *excellentiae*. — *Tertium* obstaculum est debitum peccati *dimissi*, quia, postquam homini dimissa est culpa, adhuc est obligatus ad *temporalem poenam*, et hoc removeri potest per illum qui potest peccati [4] poenam taxare; et talis est minister Christi, non tantum Christus, et ista potestas est hominibus communicata, et vocatur ista potestas clavis *ministerii*. (Triplex obstaculum, potestas et clavis. — De primo. — Clavis auctoritatis. — De secundo. — Clavis excellentiae. — De tertio. — Clavis ministerii.)

Cum igitur triplex sit potestas secundum triplex obstaculum, triplex est clavis; prima scilicet *auctoritatis*, a qua est; secunda scilicet *excellentiae*, et haec est in solo Christo; et tertia est clavis *ministerii*, quae descendit a clave auctoritatis, mediante clave excellentiae; et de hac dictum est Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum*, Matthaei decimo sexto [5]. — Et de hac procedunt auctoritates et rationes ad primam partem; sed rationes ad oppositum procedunt de aliis clavibus. (Conclusio.)

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod ostium semper est apertum; dicendum, quod hoc verum est *de se;* sed tamen homo *sibi claudit* per debitum peccati, quod incurrit, a quo oportet hominem per aliquam clavium liberari. (Solutio oppositorum.)

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod solus Christus potest claudere; dicendum, quod illud intelligitur de clave *excellentiae*, per quam clausit lymbum Sanctis, ne ibi descendant, et aperuit paradisum; et de ista apertione dicitur in oratione paschali [6]: « Deus, qui aeternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti »: de hac intelligitur textus et Glossa; et ita patet sequens obiectio. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur de clavibus inferni, potest responderi secundum aliquos, quod *istae* etiam sunt claves inferni, sed tamen denominantur a digniori [7], quia, dum aperiunt caelum, claudunt infernum; sed principaliter sunt ad aperiendum caelum. — Potest aliter dici, quod claves inferni habet Christus secundum quod Deus, quia ipse est, *qui potest animam et corpus perdere in gehennam* [8], et qui potest liberare et ibidem includere; unde hoc competit ei secundum clavem *auctoritatis*, quae est in removendo culpam. Et ideo plus dicit per clavem inferni quam per clavem regni; sicut plus est liberare a culpa et morte aeterna, quam liberare ab aliqua poena temporali introducendo in gloriam. Ideo non valet illud. (De clavibus inferni opinio 1. — Opinio 2.)

SCHOLION.

I. Fide constat, « potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam » (Concil. Trident. Sess. XIV. c. 1; cfr. can. 3.). Item, haeresis est dicere, « absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse *actum iudicialem*, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti » (ibid. can. 9; cfr. can. 10. et c. 2.). Ex parte poenitentis requiritur « contritio in animo, con-

---

sione] reseravit claudi non poterit; quod in caerimoniis [Iudaeorum] clausit nemo aperiet.

[1] Apoc. 1, 18. seq.: Ego sum primus et novissimus; et vivus, et fui mortuus... et habeo claves mortis et inferni. Cfr. expositio in hunc locum, quae inter opera Ambrosii habetur, et haec est: Qui clavem alicuius domus habet, quem vult intromittit, et quem vult ab ingressu domus repellit. Per *clavem* ergo potestas Filii Dei intelligitur. Claves igitur mortis et inferni ipse possidet, quia quos vult a damnatione mortis perpetuae misericorditer liberat, et quos vult in eodem damnationis periculo iusto iudicio remanere sinit.

[2] Isidor., XX. Etymolog. c. 13. n. 5: Clavis dicta, quod *claudat* et aperiat.

[3] Cod. Z *debiti pretii*. Cfr. supra d. 15. p. I. q. 1.

[4] Cod. H *peccatori*, multi alii *peccato*.

[5] Vers. 19. — Superius codd. omittunt *prima*.

[6] Apud Gregor., Lib. Sacramentor. in die sancto Paschae (quo die etiam in Breviario Romano habetur). Permulti codd. omittunt *nobis*.

[7] Sive, ut dicitur infra q. 2. in corp. secundum Aristot. (cfr. tom. I. pag. 14, nota 7.), ab optimo et fine.

[8] Matth. 10, 28.

fessio in verbo, satisfactio in facto »; quibus « debito modo concurrentibus cum absolutione facta ab eo, in quo est *ordo, clavis* et *iurisdictio*, absolvitur homo a peccato [in Sacramento poenitentiae] et reunitur Ecclesiae et reconciliatur Christo *mediante clave sacerdotali* » (Breviloq. p. VI. c. 10.). — « Clavis potestas spiritualis est, quae est aliquid datum animae in sigillatione, qua sigillatur charactere sacerdotali » (infra d. 19. a. 1. q. 1.); ipsa confertur tantum in nova lege (ibid.) et cum ordine sacerdotali (ibid. a. 2. q. 1.), nec « videtur a charactere differre nisi secundum relationem quandam »; « fundatur radicaliter in anima quantum ad essentiam » (ibid. a. 2. q. 2.); denique quoad *usum* huius potestatis requiritur status viatoris et iurisdictio (ibid.). Distinguitur autem in sacerdote duplex clavis (infra a. 3. q. 1. 2.); et generatim quoad *remissionem peccati* clavis *auctoritatis, excellentiae* et *ministerii* (hic q. 1, infra dub. 2, d. 19. a. 1. q. 1.).

II. Quoad duas huius articuli quaestiones quaedam locutiones illa aetate communes indigent explicatione, quae exhibetur infra a. 2. q. 1. *in scholio*. De triplici clave, scilicet *auctoritatis, excellentiae* et *ministerii*, eodem sensu loquuntur locis infra citt. Alex. Hal., S. Thom., Scot., Petr. a Tar., Richard. a Med. et Durand. — De forma *iudiciali* cfr. supra d. 17. p. III. a. 2. q. 2. ad 3.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 20. m. 1. et m. 6. a. 3. — Scot., de hac et seq. q. infra d. 19. n. 4. 5. et n. 21. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; Suppl. q. 17. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 1.; Dionys. Carth., hic q. 1.

III. De seq. (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 2, et m. 2. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; Suppl. loc. cit. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

Ad quid istae claves Ecclesiae datae sint.

Secundo quaeritur, ad quid sint istae claves. Et supposito, quod sint ad *aperiendum*, quaeritur, utrum sint ad *claudendum*. Et quod sic, videtur.

1. Isaiae vigesimo secundo[1]: *Dabo clavem domus David, et aperiet, et nemo claudet, et claudet* etc.; sed potestas collata est ministris conformis potestati Christi: ergo ad claudendum et ad aperiendum. (Fundamenta.)

2. Item, in datione clavium Dominus dedit non solum potestatem solvendi, sed etiam ligandi, non solum dimittendi peccata, sed etiam retinendi, sicut patet Matthaei decimo sexto[2] et Ioannis vigesimo; et per hoc, quod solvunt, sunt ad aperiendum; et per hoc, quod remittunt, similiter: ergo *ab oppositis* per hoc, quod ligant et retinent, erunt ad claudendum: non ergo solum ad aperiendum.

3. Item, si *clavis* dicitur *metaphorice* in spiritualibus ad similitudinem clavis in corporalibus[3]: sed officium clavis non tantum est aperire, sed etiam claudere: ergo etc.

4. Item, si solum est ad aperiendum: ergo pari ratione, cum baptismus sit ad aperiendam ianuam et omnia Sacramenta, et praecipue eucharistia et unctio extrema, quae removent[4] obstacula ad ingrediendum in gloriam; ergo omne Sacramentum esset *clavis*, quod non admittit usus nec ratio: ergo etc.

Contra: 1. Claves datae sunt ad nostram utilitatem; sed utilitas nostra non est, quod regnum caeli nobis claudatur: ergo non sunt ad claudendum. (Ad oppositum.)

2. Item, nihil claudit regnum caelorum, nisi quod apponit[5] obstaculum; appositum autem obstaculum ad ingrediendum non est nisi debitum, quod est ex peccato; sed claves non sunt ad faciendum homines peccare: ergo etc.

3. Item, quicumque utitur instrumento ad illud, ad quod est, recte utitur illo; sed sacerdos claudendo aditum regni non recte facit, sed peccat: ergo clavis non est ei ad hoc data. *Probatio minoris*, Matthaei vigesimo tertio[6]: *Vae vobis Scribae et Pharisaei, qui clauditis regnum caelorum ante homines*: ergo peccabant in hoc.

4. Item, nihil idem est ad oppositos fines; sed claudere et aperire regnum caelorum sunt opposita: ergo clavis non ordinatur ad haec duo.

Quaeritur etiam iuxta hoc, cum malum exemplum claudat regnum caelorum, et bonum aperiat: quare non dicitur clavis? (Quaest. incid. 1.)

Item, cum solvere et ligare non sit clavis usus, sed magis manus, non videtur, quod Dominus deberet clavibus attribuere usum ligandi et solvendi; quod tamen facit Matthaei decimo sexto[7]; quaeritur ergo, unde hoc sit. (Quaest. incid. 2.)

CONCLUSIO.

Claves Ecclesiae datae sunt simul ad ligandum et solvendum, ad claudendum et aperiendum, sed principalius ad solvendum et aperiendum.

Respondeo: Dicendum, quad potestas sacerdotibus communiter concessa super subditos non est ad *omnino* solvendum debitum, quia non debebat (Notandum.)

---

[1] Vers. 22. Cfr. supra pag. 469, nota 6. Codd. omittunt *domus*.

[2] Vers. 19. et Ioan. 20, 23. — Superius pro *datione* codd. G H *donatione*.

[3] Ut dictum est quaest. praeced. in corp. — Inferius post *non tantum est* edd. cum pluribus codd. subiungunt *ad*.

[4] Edd. *removet*.

[5] Codd. I K *ponit*, codd. G L *opponit*. Mox pro *appositum* non pauci codd. *oppositum*.

[6] Vers. 13. *Vulgata* post *Pharisaei* addit *hypocritae* et substituit *quia* pro *qui*.

[7] Vers. 19. — Superius pro *sit* codd. F G *sint*.

hoc cuilibet communicari, ne culpa sine poena remaneret[1]; ideo data est eis potestas, ut *ligando solverent*, ligando scilicet ad unum, absolverent ab alio; sed non est data potestas ligandi nisi propter solutionem. — Quoniam igitur *solvere aliquem a debito* est removere obstaculum; et hoc est aperire caelum, et per consequens *ligare* est claudere: ideo dico, quod claves istae *simul* sunt ad *ligandum* et *solvendum, claudendum* et *aperiendum;* sed actus *ligandi* et *solvendi* competit eis *immediate* et *in*[2] *subiectum;* sed actus claudendi et aperiendi in *relatione ad finem ultimum.* Et quoniam instrumentum denominatur ab optimo et a fine, ideo magis denominatur illa potestas a nomine respiciente finem.

Conclusio 1. Conclusio 2.

Quia vero instrumentum ordinatum ad claudendum et aperiendum in corporalibus est *clavis;* ideo talis potestas recte dicitur *clavis;* non tamen est *omnimoda* similitudo, sed aliqua. Clavis enim *materialis* ad *utrumque* principaliter est, et principalius ad *claudendum* propter latrones et fures[3], sed *spiritualis* principalius est ordinata ad *aperiendum,* nec est ordinata ad *claudendum* nisi propter *apertionem,* sicut nec ad *ligandum* nisi propter *solutionem.* Et ita, quemadmodum medicina est scientia sani et aegri — sani per se, et aegri per accidens[4] — ita intelligendum est in proposito.

Notandum. Conclusio 3.

Concedo ergo, quod sit ad claudendum, licet non omnino eodem modo, quo clavis materialis.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur, quod clausio est nobis damnosa et fit per peccatum; dicendum, quod sicut in corporalibus quaedam est ligatio simpliciter *nocens* et impediens, sicut ligatur homo propter paralysim; quaedam simpliciter *expediens,* sicut ligatur homo medicamento emplastri: sic in spiritualibus *ligatio peccati impedit,* sed *ligatio sacerdotalis* melius facit ad velociorem et expeditiorem solutionem. Similiter intelligendum de *clausione,* quod est quaedam *bona* et expediens, et hac ligat clavis, non alia; ipse autem opponit de alia. — Et per hoc patet responsio ad tria obiecta; ligat enim non *debito peccati,* sed *impositione* sive superpositione *remedii.*

Solutio oppositorum. Duplex ligatio. Duplex clausio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod nihil idem est ad oppositos fines; dicendum, quod verum est, intelligendo de fine *per se,* sed si est ita, quod ad unum sit *per se,* ad alterum *per accidens,* nihil impedit; sic autem dicimus in proposito esse.

Notandum.

Ad illud quod quaeritur: quare *exemplum* non dicitur *clavis?* dicendum, quod officium clavis est, quod eadem solvit et ligat, et claudit et aperit; et solum est haec potestas sacerdotalis: ideo sola dicitur *clavis.* Unde *baptismus* non dicitur clavis, eo quod tantum aperit; similiter nec *bonum exemplum;* e converso peccatum, vel malum exemplum tantum *claudit:* et ideo neutrum dicitur clavis. *Praeterea,* exemplum disponit a remotis; sed clavis aperit de propinquo: ideo clavis non debet dici.

Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod obiicitur, quod clavis non est solvere; dicendum, quod potestas illa habet actum in relatione ad *subiectum* et in relatione ad *finem actus.* In comparatione ad *subiectum* respicit potestatis usum, sed in comparatione ad *finem* respicit fructum. Et quia denominatio est ab optimo, ideo Dominus *claves*[5] illam potestatem vocavit. Sed quia exsecutio et usus respicit actum primum, ideo illi clavi actum solvendi et ligandi attribuit[6].

Ad 2. quaest. incid.

ARTICULUS II.

De potestate ligandi et solvendi in foro poenitentiali.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de potestate ligandi et solvendi in foro poenitentiali, de qua duo quaeruntur.

Primo, utrum haec potestas possit in culpam. Secundo, utrum possit in poenam.

QUAESTIO I.

Utrum potestas clavium habeat posse in culpam.

Circa primum sic proceditur: quod habeat *posse* in culpam.

1. Ioannis vigesimo[7]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur* etc.: ergo videtur, quod habeat *posse* super peccata.

Ad oppositum.

2. Item, Sacramentum poenitentiae est remedium contra mortale actuale, sicut baptismus contra originale: ergo sicut virtute baptismi deletur originale, ita virtute poenitentiae actuale[8]; sed virtus poenitentiae principaliter consistit penes claves: ergo etc.

---

[1] Cfr. supra pag. 356, nota 6. — Inferius pro *solutionem* codd. I K *absolutionem.* Subinde pro *aliquem a debito* cod. aa *aliquem debitorem.*

[2] In cod. X secunda manus addidit *relatione ad.* Mox fide codd. H K P Q (I a secunda manu) supplevimus *claudendi et.*

[3] Vide supra pag. 470, nota 2.

[4] Cfr. tom. II. pag. 1004, nota 1. verba Aristotelis.

[5] Edd. cum uno alterove cod. *clavem.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 23.

[8] Vat. *mortale actuale.* In prima propos. plurimi codd. tantum *actuale,* cod. E et ed. 1 *mortale.* Codd. hoc arg. exhibent tertio loco; cum edd. servavimus hunc ordinem, qui solutionibus argg. respondet.

3. Item, vir iustus merito vitae potest alii primam gratiam impetrare, cui non est commissum officium mediatoris; sed sacerdoti per officium clavium est commissum officium mediatoris[1]: ergo multo fortius sacerdos gratiam impetrare potest: ergo et peccata dimittere.

4. Item, communiter conceditur, quod Sacramentum baptismi delet omnem culpam, sed tamen in hoc non derogatur divinae potentiae in aliquo; sed maioris virtutis est susceptivus spiritus rationalis quam aqua: ergo videtur, quod sine aliquo inconvenienti possit dici, quod sacerdos virtute clavium ministerialiter absolvit a culpa.

Contra: 1. Matthaei nono[2], cum Dominus dixisset: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua,* statim dixerunt: *Hic blasphemat;* sed non credebant blasphemare ob aliud, nisi quia peccata dimittere est solius Dei: non ergo sacerdotis. Fundamenta.

2. Item, Augustinus[3] et Gregorius dicunt, quod in suscitatione Lazari significata est resuscitatio peccatoris; sed Lazarus est prius a Domino vivificatus, quam traderetur discipulis exsolvendus: ergo absolutio sacerdotis nihil valet, antequam homo sit vivificatus per gratiam et suscitatus a morte culpae: ergo sacerdos non potest super culpam.

3. Item, paris potestatis est interius baptizare et a culpa mortali absolvere; sed Deus non debuit potestatem baptizandi *interius* communicare, ne spes poneretur in homine[4]: ergo pari ratione nec potestatem absolvendi ab actuali.

5. Item, nullo modo fit remissio culpae nisi per gratiam; sed gratiam dare est potentiae infinitae, sicut monstratum est in praecedentibus[5]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Claves Ecclesiae ad delendam culpam se extendunt per modum deprecantis et impetrantis, sed, proprie loquendo sive per modum activi et impertientis, non se extendunt supra culpam.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc est duplex modus dicendi secundum diversos doctores.

Aliqui enim dicere voluerunt, quod dupliciter est loqui de clavium potestate: aut prout operatur in *proposito* confitendi, aut in *actu* confessionis. Si prout operatur in *proposito* confitendi; sic, quia illud propositum clauditur in contritione, et in contritione primo deletur culpa, sic virtus clavium quodam modo se extendit ad delendam culpam. Non enim a culpa potest iustificari[6], nisi proponat sacerdoti confiteri. Si autem loquamur de potestate, prout operatur in *actu* absolvendi; sic non potest in culpam, pro eo quod digne accedens ad absolutionem accedit contritus et suscitatus; et ita est ei iam culpa remissa. — Sed iste modus dicendi, licet videatur probabilis, tamen habet in superficie phantasiam: primum, quia baptismus-Sacramentum non dicitur operari, antequam homo baptizetur, alioquin operatum fuisset ab initio; pari ratione nec clavis. — *Item,* plus potest unumquodque in *re* quam in solo *proposito:* si ergo in *proposito* delet culpam, quanto magis, dum exhibetur in *re ipsa?* — Et *iterum,* possibile est, quod aliquis ad absolutionem accedat *attritus*, sicut ad baptismum; quare tunc non fiet attritio contritio, cum non sit fictus? Opinio 1. Non probatur.

Et ideo est alius modus dicendi, quod habens clavem per potestatem clavis mediator est Dei ad hominem et hominis ad Deum. Unde per ipsum *peccator ascendit* ad Deum, et sic est sacerdos os peccatoris sive loquens pro peccatore; per ipsum *descendit Deus* ad hominem, et sic est sacerdos angelus Dei, immo os, eo quod ipse *separat pretiosum a vili*[7]. — Secundum quod *ascendit*, habet se per modum *inferioris* et *supplicantis;* secundum quod *descendit,* per modum *superioris* et *iudicantis.* Secundum primum modum potest *gratiam impetrare,* et ad hoc est idoneus; secundum secundum modum potest *Ecclesiae reconciliare.* Et ideo in huius significationem in forma absolutionis praemittitur deprecatio per modum *deprecativum*, et subiungitur absolutio per modum *indicativum*[8]; et *deprecatio* gratiam impetrat, sed *absolutio* praesupponit. Nunquam enim sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret, quod esset absolutus a Deo. Opinio 2. Mediator dupliciter. Notandum. Corollarium.

Si ergo quaeratur, utrum *potestas clavium* se extendat ad delendam culpam; dicendum, quod bene potest se extendere per modum *deprecantis* et *impetrantis;* et illud significatum est in benedictione sacerdotum, Numerorum sexto[9]; sed per modum impertientis non. Quoniam ergo *potestas* sonat per modum *activi* et *impertientis* ex se; hinc est, quod potestas clavium, *proprie* loquendo, non se extendit Conclusio 1. Notandum. Conclusio 2.

---

[1] In codd. plurimis *minor* desideratur, loco cuius in cod. P secunda manus inferius post *sacerdos* addidit: *cui commissum est officium mediatoris* (cfr. Hebr. 5, 1. seqq.). Subinde pro *gratiam* codd. F G *veniam*.

[2] Vers. 2. seq., ubi Vulgata *remittuntur*. Cfr. Marc. 2, 5. seqq.

[3] Cfr. supra pag. 344, nota 5; lit. Magistri, d. XVI. c. 1. et d. XVII. c. 1. et hic c. 4. seqq., ex quibus hoc arg. sumtum est. Sententia Gregorii habetur in II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 6.

[4] Vide supra d. 5. a. 3. q. 1. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Post *communicare* cod. U supplet *homini*.

[5] Dist. 15. p. I. q. 1, d. 16. p. I. a. 4. q. 1. ad 2, et praecipue I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 4. seq.

[6] In cod. X secunda manus supplevit *quis*. Idem cod. paulo inferius pro *suscitatus* substituit *iustificatus*.

[7] Ierem. 15, 19: Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.

[8] Vide supra d. 17. p. II. dub. 5.

[9] Vers. 11. et 23. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. — In seqq. pro *impertientis* edd. bis *imperantis*.

supra culpam. Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur de Ioanne, dicendum, quod vel illud de remissione dicitur quantum ad *ostensionem*, vel solum quantum ad *poenam*[1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod Sacramentum poenitentiae est contra morbum actualis; dicendum, quod *Sacramentum poenitentiae* accipitur, prout comprehendit *rem interiorem*, scilicet contritionem per eum modum, per quem « in perfectione poenitentiae tria concurrunt, scilicet contritio, confessio et satisfactio[2] ». (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod vir iustus impetrat gratiam; dicendum, quod verum est, tamen non *largitur;* et bene potest sacerdos ibi[3], ut gratiam impetret peccatori, sed ipse non *dat* eam, sed *alius*, et ideo illi soli attribuitur absolutio a culpa. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur de Sacramento baptismi, dicendum, quod baptismus delet culpam per gratiam, sed illius non est causa *efficiens*, sicut supra[4] ostensum est, sed *virtus divina*. Et *baptismus* dicitur peccata remittere ratione *rei interioris*, quam solus Deus infundit; similiter et *poenitentiae Sacramentum*. Sed *potestas clavis* dicit potestatem *creaturae rationalis* nec concernit *gratiam*, sed quod *exterius* est; quia clavis est *extra* in sacerdote, et ideo non *sic* ei attribuitur. Si enim sibi attribueretur *mundatio*, cum hoc non possit intelligi per modum *informandi*, intelligeretur per modum *efficiendi*. (Notandum.)

SCHOLION.

I. Estius (hic § 3. 4.), cui multi alii theologi consentiunt, contendit, S. Bonaventuram, Alexandrum Hal., Gabrielem et nonnullos alios quoad hanc 1. quaestionem sequi errorem Magistri et Richardi a S. Vict. docentium, sacerdotem utentem potestate absolvendi sibi a Christo data non vere a peccatis absolvere poenitentem nec ei quoad culpam seu poenae aeternae obligationem peccata remittere, sed *tantum ostendere* et declarare sive annuntiare, peccata esse a Deo remissa. Veram autem sententiam, ait, tenere Hugonem, S. Thomam, Scotum, Durandum aliosque communiter. — Concedendum est, Magistrum (hic c. 4. 5.) et Richardum a S. Vict. (in libello de Potestate ligandi et solvendi, qui a B. Alberto aliisque antiquis Hugoni a S. Vict. falso tribuebatur) hic errasse vel insufficienter locutos esse. Sed valde mirandum est, a multis gravibus theologis tribui eundem errorem Alexandro et S. Bonaventurae, qui tot locis manifeste comprobant, se ab illis opinionibus alienos esse nec a communi doctrina recedere nisi in modo loquendi. — Alexander quidem tantum abest, ut dissentiat ab Hugone, ut eum fere integrum transcripserit; immo ipse etiam singularem eiusdem opinionem (hic q. 2. notatam) explicare nititur, quod scilicet Deus, qui culpam per se remittat, poenam *aeternam* clavibus sacerdotum solvendam reliquerit. Praedictam autem opinionem, quod sacerdotes non habeant *potestatem ligandi et solvendi*, nisi quatenus *ostendant*, homines esse solutos sive ligatos, Alexander explicite reprobat verbis Hugonis, « quod haec sententia tam frivola est quam ridenda »; et adductis eiusdem rationibus, concludit: « Tenendum est ergo, hanc sententiam esse nullam » (S. p. IV. q. 20. m. 3. a. 2. in argg.). Ibidem in resp. resolvit: « Potestas autem solvendi et ligandi *a peccato* est solius Dei, *proprie* et *per se* loquendo, et quodam modo *cooperative* est ipsorum sacerdotum »... « De hac ergo *cooperatione* intelliguntur verba Domini in Matthaeo et Ioanne, et alio modo, ut infra patebit ». Deinde idem in solutione argumentorum nominat et refellit Richardum a S. Vict. Denique (ibid. m. 6. a. 3.) cum Hugone explicat, quo sensu ista potestas intelligatur esse « solius Dei, scil. *auctoritate* sive *a se*, praelatorum Ecclesiae est *ministerio dato a Deo*, non *a se* »... « Illi etiam, nisi eo, a quo sunt hoc quod sunt, *in eis et per eos operante* et *eis cooperante*, peccata dimittere non possunt. Quomodo ergo solus Deus bonus est, nec inde sequitur, bonos non esse etiam eos qui Deo serviunt; et quomodo solus Deus mirabilia facit, et tamen de iusto homine dicitur: *Fecit enim mirabilia in vita sua;* ita etiam solus Deus peccata dimittit, tunc quoque, quando sacerdos *ab eo et per eum* dimittit; ipse enim hoc *in homine* facit, quod *per eum* homo facit ». Clarissima sunt haec verba et optime concordant verbis Concilii Trident. (Sess. XIV. c. 6.): « Quamvis autem absolutio sacerdotis *alieni* [scil. Dei] *beneficii* sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi, remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis » etc.

S. Bonav. in tota hac doctrina non recedit a suo magistro; praesertim autem in hac 1. quaestione eiusdem doctrinam (loc. cit. q. 21. m. 1.), paucis mutatis, exscribit; unde potius Hugonem (excepta praedicta singulari opinione) quam Magistrum sequitur, ut patet locis supra d. 17. p. I. a. 2. q. 3. in scholio citatis et infra citandis. Sufficiat hic notare verba eius (infra dub. 2.), ubi refert « triplicem modum dimittendi peccata, scilicet secundum clavem *auctoritatis*, et haec est Dei iudicantis; secundum clavem *excellentiae*, et haec est ipsius Verbi incarnati; secundum clavem *ministerii*, et haec est ipsius sacerdotis... Peccata dicuntur dimitti a sacerdote *non per* modum *efficientis*, sed *ministrantis* ».

II. Sed operae pretium est, eandem doctrinam diligentius demonstrare ex ipsa hac 1. quaestione, quae fuit lapis offensionis, dum ipsa, attente lecta, genuinam sententiam s. Doctoris nobis aperit, ut manifestatur triplici consideratione.

Primo enim ipse disertis verbis et perspicuis rationibus refutat opinionem Magistri et Richardi a S. Vict., hic primo loco relatam; qua supposita, re vera etiam *absolutio* ut signum *tantum ostendit* hominem iustificatum, non hoc *facit* (licet alias effectus quoad augmentum gratiae et remissionem poenae habere possit). Cum igitur antiquiores illi magistri urgerent haec duo principia, quod *contritio* ut medium iustificationis actum absolutionis *semper* praecedat, et quidem tempore, et quod solus Deus per se immediate peccata remittat; inciderunt in difficultates disputationesque inextricabiles et opiniones ineptas, ut ex verbis Magistri et Richardi apparet. Si autem etiam *attritus* per sacramentalem confessionem et absolutionem fieri potest *contri-*

---

[1] De qua in seq. quaest.

[2] Ut dicit Magister supra d. XVI. c. 1. — De *re interiori* Sacramenti poenitentiae cfr. infra d. 22. a. 2. q. 2. — In principio solut. post *actualis* edd. addunt *peccati mortalis.*

[3] Cod. X supplet *cooperari.* Edd. legunt *ibi gratiam impetrare;* codd. R S T prosequuntur: *peccatorum, sed per se non dat* etc.

[4] Dist. 3. p. II. a. 1. q. 2. — De *re interiori* baptismi vide ibid. p. I. a. 1. q. 1. in fine. Vocem *extra* referas ad poenitentem iustificandum. — Circa finem solut. pro *non possit* codd. F H L *non posset.*

tus; tunc confessio et absolutio « valet ad *deletionem culpae* quantum ad eos qui se non praeparaverunt sufficienter omnino, et etiam *poenae* quantum ad alios et ad multas utilitates » etc. (supra d. 17. p. I. a. 2. q. 4. ad 2; cfr. p. II. a. 2. q. 3. per totam).

Secundo, adversarii non attenderunt *statum quaestionis,* qualis a Ss. Bonav., Thoma et aliis coaevis in hoc problemate ponebatur. Quemadmodum igitur in omnibus Sacramentis ad totalem effectum uniuntur virtus Dei ut causa *principalis et efficiens, virtus Christi* ut causa *meritoria* (et secundum S. Thomam etiam ut instrumentum coniunctum *physice influens),* et tertio *minister* Sacramenti, qui materiam et formam sensibilem administrat; sic etiam in Sacramenti poenitentiae administratione fit (cfr. hic dub. 2.), cum quadam differentia infra d. 22. a. 2. q. 1. exposita. Antiqui igitur hic non de *causalitate totali* huius Sacramenti eiusque *effectu* inquirebant, sed *praecise* de causalitate *clavium,* quae tanquam vera potestas spiritualis, a Deo data radicatur in charactere sacerdotali, animae inhaerente. Sic intellecta, quaestio solvenda est secundum principia, quae in quaestione de causali influxu materiae et formae Sacramentorum, sive sit *physicus,* sive *moralis,* ponuntur. De hac duplici via scholarum cfr. supra d. I. p. I. q. 3; III. Sent. d. 40. dub. 3. Haec principia supra d. 3. p. II. a. 1. q. 2. applicantur ad quaestionem, utrum *aquis baptismi* collata sit aliqua vis; item d. 5. a. 3. q. 1. 2. ad potestatem remittendi peccata, quam Christus habuit (ubi in scholio ponitur et antiquior et posterior opinio S. Thomae); denique d. 10. p. II. a. 1. q. 3. applicantur ad verba in transsubstantiatione adhibita. In hac autem quaestione eadem principia adhibentur. Status autem quaestionis ex solut. ad 4, quae sumta est ex Alexandro, satis apparet. Minime igitur negatur, divina institutione *absolutioni* datam esse infallibilem *ordinationem* ad effectum reconciliationis rite disposito conferendum; atque simul docetur, potestatem clavium esse *qualitatem absolutam* (quam negat quoad aquam baptismi). Tamen negatur, eandem potestatem sacerdoti inhaerentem concurrere per modum causae *efficientis* (nec etiam *instrumentaliter)* ad *infundendam gratiam,* qua fit remissio peccatorum.

Eundem statum quaestionis et eandem doctrinam in hac quaestione solvenda tenet S. Thom. (hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1.), excepta illa sententia, qua profitetur doctrinam de causalitate physica Sacramentorum. Iam verba eius: « Eodem modo se habet *potestas clavium,* quae est in sacerdote, ad effectum Sacramenti poenitentiae, sicut se habet *virtus, quae est in aqua baptismi,* ad effectum baptismi »; clare praedictum statum quaestionis indicant. Idem apparet ex eiusdem solutione, ubi inter alia dicit: « Virtus clavium operatur ad culpae remissionem (vel in voto existens, vel etiam in actu se exercens), sicut et *aqua baptismi.* Sed sicut baptismus non agit ut principale agens, sed ut *instrumentum,* non quidem *pertingens ad ipsam gratiae susceptionem causandam etiam instrumentaliter* [hoc autem affirmat in Summa]... ita et de potestate clavium. Unde *solus Deus* remittit per se culpam, et in virtute eius agit instrumentaliter et *baptismus* ut instrumentum inanimatum, et *sacerdos* ut instrumentum animatum... Et sic patet, quod potestas clavium ordinatur *aliquo modo* ad remissionem culpae, non sicut *causans,* sed sicut *disponens ad eam* ». — Mirum igitur est, ita offendisse verba S. Bonaventurae (in fine corporis), scilicet quod *« proprie loquendo »* id est, « per modum *activi et impertientis »,* potestas clavium non se extendat ad *culpam.* Non ita censet S. Thom. (loc. cit. ad 1.), qui verba illa Magistri, absolutionem *ostendere* remissionem peccatorum a Deo factam, benigne interpretatur, et etiam sententiam S. Bonaventurae fideliter refert nec improbat. Nam illud *ostendere* tripliciter dicit posse intelligi: vel tantum promittendo in futuro, ut fiebat in Sacramentis veteris legis; vel « ut significent *praesentem* et nihil operentur ad eam; et sic quidam dicunt, quod Sacramenta novae legis significant collationem gratiae, quam Deus in ipsa Sacramentorum collatione dat sine hoc, quod in Sacramentis sit aliqua virtus [scil. absoluta] operans ad gratiam. Et secundum hanc opinionem, quae in 1. dist. tacta est, etiam *potestas clavium* esset tantum *ostendens* [ut *signum*] divinam operationem in *remissione culpae in ipsa Sacramenti collatione facta* ». Deinde refert tertium modum, quod « *significent* divinam operationem in remissione culpae *praesentem* et ad ipsam aliquid *dispositive* et *instrumentaliter operentur* ». « Neque Sacramentum poenitentiae neque Sacramentum baptismi operando pertingit *directe* ad gratiam nec ad culpae remissionem, sed *dispositive* (ad 2.). — Secundum quidem modum sequitur S. Bonav., quam recepit Scot. (hic d. 19. n. 23.). Docet enim hic, quod in hoc Sacramento, quando poenitens est tantum *attritus* « tanta attritione, quae non sufficeret per modum meriti ad iustificationem suscipiendam in termino attritionis... recipitur gratia prima, *quia a Deo confertur,* et absolutio sacramentalis est *signum efficax* illius absolutionis sequentis in ultimo instanti ipsius, sicut prolatio verborum est *signum* confectionis corporis Christi ». — Hoc statu quaestionis supposito, solutio est optima.

Tertio, confirmatur idem sensus per illa verba recte intellecta, quod habens clavem sit mediator Dei ad hominem et hominis ad Deum, et quod habeat *duplex os,* et quod ut *os Dei* descendat ut angelus Dei et per modum *superioris et iudicantis,* scilicet ut « est *mediator in absolvendo* » (supra d. 17. p. II. a. 1, q. 2. ad 5.). Sic enim eius absolutio non *vi clavium,* quatenus in eo est *potestas* creata, sed *virtute et voce* Dei agit, quia in persona Dei divinam sententiam pronuntiat ligando, vel absolvendo. Nam « non data est virtus Sacramenti ipsi *confessioni,* sed *absolutioni* » (supra d. 17. p. II. a. 1. q. 3.). Alia igitur vis tribuitur *absolutioni,* alia *clavibus.* — Verba illa sumta sunt ex Alexandro; sed hic sensum eorum (loc. cit. q. 20. m. 8. a. 1.) fusius et clarius sic exprimit: « Sacerdos secundum habitudinem *subiectionis,* quam habet ad Deum, est *promulgator* sententiae et *ei unitus;* sic enim sacerdos loquitur et promulgat sententiam iudicis, quasi in persona eius dicens: excommunico te, vel absolvo te, id est, iudico te absolutum, scilicet a culpa... non quod omnium horum habeat sacerdos potestatem [scil. in se], sed hoc eius est, ut *os vel lingua* est tantum *habentis hanc potestatem,* et *ministerium est subiectionis,* non *potestatis,* et *proinde non dicitur clavis* ». — En, modus loquendi antiquorum diversus a consuetudine recentiorum, qui solent *virtutem clavium* non *praecise in se* considerare, sed ut *unitam* principali virtuti divinae, in absolutione simul operante. — Hinc orta est etiam occasio alterius sinistrae interpretationis, ita ut plures in his verbis invenerint errorem, quasi sacerdos non nisi per modum *deprecativum* gratiam et absolutionem *a culpa* in hoc Sacramento conferat, dum S. Doctor loquatur praecise de ea *potestate clavium,* quae illi inhaeret, non de *absolutione,* quatenus ut *os Dei* divinam sententiam promulgat (cfr. supra d. 17. p. II. dub. 5.). — Verba autem « *absolutio praesupponit* » recte dicuntur, quatenus sacerdos ut os et praeco Dei sententiam ipsius *effective* operantis promulgat verbis absolutionis; intelliguntur autem vel secundum ordinem *temporis,* si absolutio dat tantum gratiam *secundam* iam antea *contrito;* vel secundum ordinem *naturae,* si *attrito* confert *primam* gratiam. — De forma deprecativa cfr. supra d. 17. p. II. dub. 5.

Haec fusius dicenda erant, ut vera sententia Alexandri et S. Bonav., a plurimis obscurata, ostendatur, et etiam, ut cum S. Thoma mitius de aliis opinionibus illius aetatis, quamvis insufficientibus, iudicetur. Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1.) refert de hac re *quinque* opiniones, quarum quartam sequitur auctor noster, quintam S. Thomas, sed B. Albert. (hic a. 7. 11) fere loquitur ut Magister.

III. Praeter locos citt.: Scot., loc. cit. et supra d. 14. q. 4. n. 6. seqq. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 3.

IV. Seq. (2.) quaestio, praedictis suppositis, facile intelligitur. Si enim *potestas clavium* directe non attingit *culpam,* saltem *poenam* attingere debet, ut aliquid *per se* operetur. — Opinio in principio resp. tacta fuit Hugonis. Communius antiqui cum Magistro et S. Thoma docent, *vi clavium* remitti aliquid de poena *temporali,* cuius reatus post absolutionem a poena aeterna remanere potuerit; quae poena etiam in purgatorio solvenda sit. Scot. autem (locc. citt.) hoc restringit ad ca-

sum, quando absolutio propter iam dimissam culpam et poenam aeternam non invenit nisi poenam temporalem; sed eam censet non habere hunc effectum in *attrito*, quando cum culpa remissa poena aeterna permutatur in temporalem.

De eadem quaestione Alex. Hal., loc. cit. q. 21. m. 2. a. 1. 2. 3. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; Suppl. q. 18. a. 2. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum sacerdos possit aliquid in poenam.

Secundo quaeritur, utrum sacerdos possit aliquid supra poenam. Et quod sic, ostenditur:

1. Per Magistrum in littera in illo capitulo [1]: Fundamenta. « Ligant quoque sacerdotes, dum satisfactionem poenitentibus imponunt; solvunt autem, dum de ea aliquid remittunt »: ergo videtur, quod aliquid remittant de poena.

2. Item, nihil est in peccatore remittendum nisi vel offensa, vel poena; sed offensam remittit Deus, non sacerdos: ergo si poenam solus Deus remittit, videtur ergo, quod sacerdos [2] a nullo absolvit: falsum ergo dicit sacerdos, dicens: Ego te absolvo.

3. Item, sic sacerdos novae legis se habet ad sacerdotem veteris, sicut Sacramenta novae legis ad Sacramenta veteris; sed Sacramenta novae legis exhibent quod illa demonstrabant et significabant [3]: ergo sacerdotes novae legis dant quod illi praefigurabant. Sed illi praefigurabant in suis actibus remissionem: ergo videtur, quod isti sacerdotes eam tribuant. Sed non nisi remissionem culpae, aut poenae; sed non culpae: ergo poenae.

4. Item, qui peccavit peccato occulto et post conteritur ante absolutionem sacerdotis non apparet ligatus nec *sibi* nec *alii: sibi* non, quia videt, se habere bonam voluntatem; *aliis* non, quia non vident in eo nisi bonum: ergo videtur, quod non sit alicuius utilitatis ipsum *ostendere absolutum*, immo quod non ostendatur.

Ad oppositum. Contra: 1. Hieronymus [4]: « In remittendis vel in retinendis culpis id iuris habent evangelici sacerdotes, quod olim habebant sub Lege legales »; sed illi non ostendebant nisi mundatum, ita quod non mundabant a culpa nec absolvebant a poena: ergo similiter et isti.

2. Item, si remittit poenam; aut *aeternam*, aut *temporalem*. *Aeternam* non; istud constat, quia illa inseparabilis est a culpa, et praeterea est infinita: ergo non potest remitti nisi a virtute remittente culpam et a virtute infinita: non ergo a sacerdote. *Praeterea,* si Deus remitteret culpam sine poena aeterna, ergo aliquis esset sine culpa et reus mortis aeternae; sed non caret quis culpa nisi per caritatem: ergo simul haberet caritatem et reatum poenae aeternae, et ita simul esset dignus morte aeterna et gloria, quod est impossibile: non ergo remittit culpam sine poena [5]: ergo sacerdos non remittit poenam *aeternam*.

3. Item, non remittit poenam *temporalem,* quoniam ad illam ligat; et constat, quod non ligat et solvit respectu eiusdem. *Si tu dicas,* quod absolvit a poena *purgatoria*, et ligat *expiatoria* [6] sive satisfactoria; *contra:* poena purgatoria est de alio foro: ergo ab illa non potest sacerdos absolvere.

4. Item, si quis moriatur ante perfectionem poenitentiae, punietur in purgatorio; sed non debet puniri poena, a qua est absolutus: ergo ab illa nunquam fuit absolutus.

5. Item, Dominus, dum remittit culpam, remittit poenam totam [7] nec obligat ad poenam, nisi quantum exigit sua iustitia: ergo si aliquis remittit aliquid ulterius de illa poena, praeiudicat divinae iustitiae; sed nullus potest divinae iustitiae praeiudicare: ergo nullus de poena temporali, ad quam obligatur peccator, potest aliquid remittere.

6. Item, si posset partem remittere, aut plus remittit ei qui *plus* peccavit, aut plus ei qui *minus*. Si *plus* vel tantum ei qui *minus*, ergo videtur, quod si aliquis parum peccavit, et ita parum debetur ei de poena, quod totum relinqueret: ergo pro parvo peccato non est imponenda aliqua poena; quod est inconveniens. Si remittit *minus:* ergo ei qui minus dignus est, magis remittit; sed hoc est inconveniens: ergo etc.

7. Item, si remittit partem, alius sacerdos potest remittere aliam partem, et sic deinceps, et sic totum remitti [8]; quod non competit, ut videtur, secundum forum commune.

---

[1] Hic c. 6.

[2] Cod. U addit *nihil remittat et sic.* Pro *a nullo* cod. H *nullus.*

[3] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 5. — In *maiori* edd., comparatione inversa: *sicut sacerdos... sic Sacramenta novae legis* [cod. F supplet *se habent*].

[4] Libr. III. Comment. in Matth. 16, 19: Quomodo ergo ibi [in Lege] leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandus sit, quive solvendus. S. Bonav. allegat verba eius secundum Magistrum, hic in lit. c. 6. — In fine arg. pro *et isti* cod. U *nec isti.*

[5] In edd. additur *aeterna.*

[6] Codd. R S T U *expurgatoria.*

[7] Cfr. Matth. 18, 32: Omne debitum dimisi tibi. Vide etiam supra lit. Magistri, d. XV. c. 7, ubi dicitur, quod infidelitatis sit, dimidiam sperare veniam a Deo.

[8] Codd. F G supplent *posset,* cod. Z *potest.* In fine arg. codd. M O addunt *Ecclesiae,* quod codd. I K substituunt pro *commune.*

CONCLUSIO.

Sacerdos remittit aliquam partem poenae, non aeternae nec purgatoriae, sed illius poenae, ad quam Deus obligat peccatorem post absolutionem a culpa.

Respondeo: Dicendum, quod praeter positionem illam, quam Magister ponit in littera [1], qua aliqui senserunt, quod absolvit a poena aeterna, quam etiam satis efficaciter improbat; tres sunt hic modi dicendi.

Opinio Hugonis.

Unus modus dicendi est, quod sacerdos absolvit non a poena, sed a vinculo confessionis ligando ad poenam satisfactionis. Et ista positio videtur trahi ex verbis Hugonis [2] in libro de Potestate ligandi, ubi distinguuntur septem vincula, scilicet *obdurationis, servitutis, captivitatis, aeternae damnationis* sive punitionis, *perpetuae detestationis, confessionis* et *poenalis expiationis*. A *primis tribus* absolvit Deus per gratiam et misericordiam; a vinculo *obdurationis* absolvit per gratiam *praeparantem*, quae emollit cor ad poenitentiam et est gratia *gratis data;* a vinculo *servitutis* per gratiam *praevenientem,* quae est *gratum faciens* et liberat a servitute peccati; a vinculo *captivitatis* per gratiam *cooperantem,* quae expedit hominem et solvit ad bona opera. A vinculo *quarto*, scilicet *aeternae damnationis*, solvit ligando ad *quintum*, scilicet ad vinculum *perpetuae detestationis.* A *sexto* vero solvit per ministrum ligando ad *septimum* [3]. Sacerdos enim solvit peccatorem confitentem, ut non teneatur *confiteri,* sed ligat ad vinculum *satisfactionis.* — Sed illud non sufficit, quia sacerdos in absolvendo non dicit: Absolvo te a *confessione,* sed a *peccatis.* Ab illis ergo absolvit vel quantum ad *poenam*, vel quantum ad *culpam:* ergo plus oportet dicere.

Modus dicendi 1, Richardi.

Non sufficit.

Et ideo est secundus modus dicendi, quod sacerdos absolvit non tantum ab hoc vinculo [4], sed etiam a poena *purgatoria*, ligando ad poenam *satisfactoriam;* sed non solvit aliquam partem poenae relaxando, sed solum commutando, et hoc sub conditione, si explet satisfactionem iniunctam. Et si illa satisfactio sit condigna, absolvit a *tota;* si non, absolvit a *tanta;* et ideo, si peccator moriatur ante complementum satisfactionis condignae, oportet eum puniri in purgatorio. — Sed nec illud sufficit adhuc, quia iste peccator post absolutionem divinam non ligatur ad poenam *purgatoriam* magis quam ad aliam. — Et hoc patet, quia tantum potest conteri, quod Deus totum remittit, et statim evolabit: ergo non oportet, quod illam commutet. Et *iterum,* si non facit nisi commutare et ligat ad condignam; ergo nullum fructum reportat inde poenitens, et pro nihilo dicit: Ego te absolvo ab omnibus peccatis. — Quae omnia magna [5] sunt inconvenientia; sunt et alia, quae omittuntur brevitatis causa.

Modus 2.

Non sufficit.

Ratio duplex.

Et ideo est tertius modus dicendi magis consonus rationi et fidei pietati, quod sacerdos aliquam *partem* poenae absolvendo dimittit ex vi clavium. — Et hoc possumus intelligere sic: quia *universae viae Domini misericordia et veritas* [6], ideo in iustificatione, quae est opus misericordiae, *misericordia* sic remittit culpam, ut *iustitiae* regulam non praetereat; propterea adhuc detinet obligatum ad poenam. Illa autem poena ob rigorem divinae iustitiae est viribus nostris improportionalis et nostrae cognitioni ignota; et pro illa oportet quod satisfaciat Deo. Providit adhuc igitur nobis viam misericordia divina et constituit arbitrum sacerdotem, cui dedit potestatem arbitrandi et taxandi poenam et manifestandi nobis, et partem poenae remittere ex virtute passionis Christi, ut divina iustitia pro illa parte solutionem ab isto non exigat, sed ex passionis Christi poena sit contenta. Quanta sit illa pars, nostrum non est determinare, sed Dei. Et tunc Sacramentum poenitentiae non tantum erit onerosum, sed etiam fructuosum.

Modus 3.

Explicatur.

Hanc igitur opinionem sustinendo concedendum est, quod sacerdos remittit aliquam partem poenae, sicut ostendunt rationes, non *aeternae,* sicut ostendunt aliae, non *purgatoriae,* sed *communiter* illius poenae, qua Deus obligat peccatorem post absolutionem a culpa; et pro illa nunquam punitur in purgatorio nec alibi. Sed pro alia parte, a qua non absolvitur [7], vel punietur hic sufficienter, vel Dominus exiget in purgatorio.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Hieronymo, dicendum, quod est *ostendere* per *solam demonstrationem,* sicut ostendit ille qui digito monstrat aliquid; et est *ostendere* per quandam *exhibitionem,* ut artifex ostendit imaginem inchoatam, quando eam consummat. Dico ergo, quod Hieronymus vult dicere, quod sacerdos evangelicus quantum ad absolutionem a *culpa* absolvit solum *ostendendo,* scilicet demonstrando absolutum, absolvit autem a *poena* [8]; et hoc verum est, ut intelligatur *ostendere* non solum sensui *manifestando*, sed etiam *perficiendo* et exhibendo.

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur de poena purgatoria et aeterna, dicendum, quod concedendum

---

[1] Hic c. 4. — Mox plures codd. omittunt *aeterna*.

[2] Potius *Richardi* a S. Vict., c. 2. seqq. (Ex hoc loco coniici potest, verba superius d. 16. p. I. a. 3. q. 2. in corp. et ab aliis antiquis attributa Hugoni verisimilius esse Richardi, sicuti in nota adiecta insinuavimus).

[3] Cod. Z addit *scilicet ad poenam satisfactionis temporalis.* Mox post *confitentem* codd. R S T prosequuntur: *et non tenetur confiteri, sed ad vinculum* etc.

[4] Scilicet confessionis.

[5] Plures codd. *mala*, ed. 1 *mala sunt et inconvenientia.*

[6] Psalm. 24, 10. Cfr. supra d. 15. p. II. a. 1. q. 2. et infra d. 46. a. 2. q. 3.

[7] Ita codd. N aa, alii et edd. *absolvit.*

[8] Non pauci codd. perperam omittunt *absolvit autem a poena*, edd. legunt: *sed quantum ad absolutionem a poena ostendit non solum sensui* etc. — Cfr. infra dub. 4.

est, sed aliter et aliter: quia ab *aeterna* nullo modo solvit; a purgatoria absolvit non *per se*, sed *per accidens*, quia, cum in poenitente virtute clavium minuitur debitum poenae temporalis, non ita acriter punitur in purgatorio, sicut si non esset absolutus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod hoc praeiudicat divinae iustitiae; dicendum, quod falsum est. Notandum. Sicut enim in baptismo per passionis Christi meritum et solutionem solvitur peccator a tota poena, ita in poenitentia per eiusdem passionis Christi virtutem solvitur a parte poenae, ita quod in nullo praeiudicatur iustitiae, immo verificatur illud Psalmi[1]: *Misericordia et veritas obviaverunt sibi;* misericordia enim supererogando pretium iustitiae satisfacit.

6. Ad illud quod quaeritur, si remittit partem, aut maiorem ei qui magis etc.; dicendum, quod misericordia non considerat meritum, sed miseriam; et ideo divina misericordia, quae subvenit hic miseris, non considerando in eis meritum, sed demeritum, subvenit per meritum Christi et remittit partem aequalem omnibus, non, inquam, secundum Notandum. *absolutam* comparationem, sed *proportionalem*, ut si illi qui debet centum, remittit decem; et ei qui debet decem, remittit unum. Et ideo qui magis peccavit, dum poenitet, tenetur ad magnas gratiarum actiones, et hoc melius patebit[2], cum ostendetur, quomodo in omni opere Domini est misericordia et veritas.

7. Ad illud quod obiicitur, quod si quilibet remittit partem, tunc videtur, quod tota aliquando remittatur; dicendum, quod primus sacerdos, cui confitetur, si paratus est, totum remittit de ipsis culpis, quod per vim clavium debet remitti; et ideo alius non remittit. Bonum est tamen alteri confiteri, tum propter instructionem, tum propter maiorem certitudinem, tum propter eius intercessionem, tum propter verecundiae meritum et arctam satisfactionem et humiliationem[3].

ARTICULUS III.

De clave scientiae specialiter.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur specialiter de clave, quae dicitur scientia. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum scientia sit clavis.

Secundo quaeritur, utrum sit alia clavis quam potentia.

QUAESTIO I.

Utrum scientia sit clavis.

Circa primum ostenditur, quod scientia sit clavis. Primo sic.

1. Super illud Matthaei decimo sexto[4]: *Tibi* Ad oppositum. *dabo claves;* Glossa: «Clavis dicitur scientia et potentia, qua debet dignos recipere et indignos repellere»: ergo scientia est clavis.

2. Item, in quodam sermone de Apostolis Petro et Paulo[5] dicitur: «Petrus accepit clavem potentiae, Paulus clavem scientiae»: ergo scientia est clavis.

3. Item, *ratione* videtur: quia omne illud quod directe repugnat errori, scientia est, vel de genere scientiae; sed clavis aliqua est huiusmodi: ergo etc. *Probatio minoris.* Hieronymus super illud[6]: *Tibi dabo claves* etc.: «Sciat prudens lector, hoc esse de futuro promissum, quia, si statim datae essent, nunquam in eo error pravae confessionis locum habuisset»: ergo aliqua clavium excludit errorem.

4. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera, distinctione praecedenti[7]: «Qui vult peccata confiteri, ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem, qui sciat ligare et solvere, ne, cum negligens circa se exstiterit, negligatur»: ergo necessarium est absolventi habere scientiam: ergo si illud quod tenet rationem ad aperiendum, est clavis; videtur, quod scientia clavis sit.

Sed contra: 1. Super illud[8]: *Tibi dabo cla-* Fundamenta. *ves* etc.; Glossa: «Praesentis iudicii potestatem»: ergo videtur, quod utraque clavis est potestas, non ergo scientia.

2. Item, claves dantur in ordine et consequuntur praecise ordinem[9]; sed multi habent ordinem,

---

[1] Psalm. 84, 11. Vide supra d. 15. p. I. q. 1.

[2] Dist. 46. a. 2. q. 3.

[3] Cfr. supra d. 17. p. III. a. 1. q. 2. ad 5. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 19. — Glossa *ordinaria* apud Lyranum est ex Beda (in hunc loc.) dicente: *Et tibi dabo claves regni caelorum*, id est discernendi scientiam potentiamque, qua dignos debeas in regnum recipere et indignos secludere.

[5] Serm. 202. in appendice serm. August. (alias 27. de Sanctis et post 79. in appendice) n. 1.

[6] Matth. 16, 19. Hieron. in v. 23. ait: *Aedificabo*, inquit, *super te Ecclesiam meam* etc., et: *Dabo tibi claves regni caelorum;* omnia de futuro, quae si statim dedisset ei, nunquam in eo pravae opinionis [alias: confessionis] error invenisset locum.

[7] Cap. 4.

[8] Matth. 16, 19. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum.

[9] Ut ostenditur infra d. 19. a. 2. q. 1. Ibid. q. 2. insinuatur *maior* seq. arg.

qui non habent scientiam, et e converso: ergo scientia non est clavis.

3. Item, clavis semel habita nunquam amittitur, sicut nec ordo; sed scientia habita potest amitti: ergo scientia non est clavis.

4. Item, si scientia est clavis, aut scientia *innata*, aut *acquisita*, aut *infusa*. Si *innata;* ergo claves sunt a natura. Si scientia *acquisita;* ergo claves sunt per acquisitionem, non per gratiam. Si *infusa;* sed multi sunt, qui nihil noverunt per infusionem propter suam nequitiam [1]: ergo mali non habent claves. *Si tu dicas*, quod infunditur scientia, quae est gratis data, sicut Salomoni; contrarium videmus aperte, quia omnes fere ita sunt simplices et idiotae post susceptionem sacerdotii, ut ante.

CONCLUSIO.

Scientia non est clavis, secundum quod dicit habitum, sed secundum quod dicit auctoritatem sive officium discernendi.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc duplex fuit opinio antiquorum.

Quidam enim dixerunt, quod scientia est clavis, prout scientia nominat *habitum* sciendi discernere. Sed non est clavis *principalis* nec *per se*, sed prout iuncta est *auctoritati* solvendi et ligandi; et haec clavis non est de *esse* ordinis, sed de *bene esse*, ita quod, si aliquis recipit *ordinem* de facto, non habens scientiam, factum est; sed *exsecutionem* iurisdictionis in absolvendo non recipit sine periculo animae, eo quod altera clavium caret. Et hi dixerunt, quod quidam habeant scientiam *clavium*, ut illi qui habent scientiam acquisitam; quidam *claviculam*, ut illi qui carent acquisita, tamen per naturalem industriam noscunt quod ars docet et Scriptura; quidam vero *nullam*, ut qui carent utraque. Et videtur fuisse opinio Magistri [2]. — Sed non videtur hoc bene posse sustineri — licet aliquam habeat probabilitatem — cum dicamus, has claves ordinem consequi et ita dari sicut ordinem, et ita durare, sicut ordo durat.

Opinio 1.

Non probatur.

Et ideo est secunda opinio, quod scientia non est clavis, secundum quod dicit *habitum*, sed in quantum dicit *auctoritatem* sive officium discernendi; hoc autem officium sive haec *auctoritas* est consequens ordinem inseparabiliter; et haec clavis est *essentialiter*. — Et haec fuit Praepositivi [3], et hanc tenent communiter doctores, hoc addentes, quod scientia-habitus est sicut dispositio faciens ad *bene esse*, vel etiam sicut dispositio *materialis*, sine qua altera clavis exire non potest in actum. Sicut enim vis visiva non est humidum crystallinum [4], tamen illud exigit ad suam operationem; sic ipsa *auctoritas* discernendi requirit *habitum* scientiae; et quanto melius habetur scientia, tanto meliori modo habetur clavis. Et ideo maluerunt Sancti hanc clavem vocare hoc nomine quam alio. — Ex his patent obiecta ad utramque partem.

Opinio 2. et conclusio.

Corollarium.

1. 2. Nam primae auctoritates, quae dicunt *scientiam* clavem, intelliguntur de scientia, prout dicit *auctoritatem discernendi*.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, dicendum, quod non intelligit tantum quantum ad *esse* nec etiam solum quantum ad *bene esse*, sed etiam ulterius quantum ad *perfectum esse;* sicut fuerunt [5] in Apostolis, qui post adventum Spiritus sancti non fuerunt decepti nec a veritate abducti.

4. Ad illud quod obiicitur de Augustino, quod solus sciens potest utiliter ligare; dicendum, quod hoc non est, quia habitus scientiae sit clavis, sed quia dispositio est ad clavem, sicut dictum est.

Quae autem ad oppositum inducuntur, concedenda sunt, quoniam verum concludunt, scilicet scientiam, ut dicit *habitum*, non esse clavem.

Ad fundam.

SCHOLION.

I. Antiqui doctores communiter distinguunt *duas* claves, quae secundum S. Thomam (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 1.) non distinguuntur in *auctoritatis essentia*, sed ex comparatione ad diversos actus. Sed Scot. (hic d. 18. q. unica n. 10.) tenet, esse « simpliciter *duas*, ita quod simpliciter verum est, illud verbum Christi: *Tibi dabo claves* etc., et possent de potentia Dei absoluta separari ab invicem »; « una tamen sunt unitate *ordinis* ». Idem etiam in dubio ponit doctrinam Angelici, quod istae claves sint idem cum charactere sacerdotali, qui, cum sit unus in se, se extendat ad diversos actus; de quo agitur infra d. 19. a. 2.

II. Quoad 1. quaestionem opinio Magistri, quae primo loco ponitur, communiter a posterioribus Scholasticis improbatur. — Circa 2. quaestionem dicit S. Doctor: « Sunt duae claves »;

---

[1] Sap. 1, 4: Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia etc. — Post pauca respicitur III. Reg. 3, 11. seq. (de Salomone).

[2] Infra d. XIX. c. 1. — Superius pro *scientiam clavium* codd. F G I K *scientiam clavem*.

[3] Sum. p. IV. q. *Quae sint claves sacerdotis*, ubi ait: Magister dicit in sententiis, quod non omnes sacerdotes habent illam clavem [scientiae]; sed potest dici, quod omnes habent, nisi sit aliquis omnino amens. Nullus enim est, qui in aliquo non sciat discernere inter peccata, licet non sciat discernere inter omnia; sed quod minus scit a sciente debet quis discere... Alii dicunt, quod tantum una est clavis, scil. potestas ligandi et solvendi, sed propter duos usus duae dicuntur. Sed hoc de auctoritate non habent; unde eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alii dicunt, quod duae sunt claves, officium discernendi est una, officium ligandi alia; secundum quos et omnes sacerdotes et soli habent duas claves; et hoc satis probabile est.

[4] Membrano seu tunicae, quae dicitur *specularis* (pellucida), inclusum.

[5] Codd. H aa *fuit*.

sed addit: « Tamen, quia ex his constat una plena auctoritas, ideo in uno ordine dantur et unum respiciunt »; quae verba nec S. Thomae nec Scoto contradicunt.

De utraque quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. d. 20. m. 3. 4. — Scot., loc. cit. n. 7. seqq. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2. 3; Suppl. q. 17. a. 3. — B. Albert., hic a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum scientia sit alia clavis quam potestas solvendi.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum scientia sit alia clavis quam potentia solvendi. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Domini, Matthaei decimo sexto[1]: *Tibi dabo claves regni caelorum:* si ergo Dominus vere et proprie est locutus, non ergo tantum *clavem,* verum etiam *claves* dedit: ergo plures sunt claves. Sed non nisi potentia et scientia: ergo etc.

2. Item, « habitus et potentiae per actus dignoscuntur[2] », ergo pari ratione et instrumenta; sed *scientia* est ad discernendum, sive nominet auctoritatem sive habitum, *potentia* vero ligandi et solvendi est ad alterum actum: ergo etc.

3. Item, quae habent opposita diversa ipsa sunt diversa; sed scientia opponitur errori, ut dicit Hieronymus, et habetur in praecedenti problemate[3]; potentia autem solvendi opponitur difficultati: ergo etc.

4. Item, quae respiciunt diversas animae vires diversa sunt, loquendo de his quae superadduntur potentiis, pro eo quod accidentia et proprietates per subiecta propria distinguuntur[4]; scientia autem ad intellectum, et potentia ad affectum refertur: ergo videtur, quod sint duae.

Ad oppositum. Contra: 1. Clavis vel est ordo sacerdotalis, vel proprietas inseparabiliter annexa, sicut infra[5] videbitur; sed ordo ille est unus: ergo et clavis ad illum ordinem spectans est una.

2. Item, claves sunt directae ad regnum caelorum aperiendum et ad obstaculum removendum[6]; sed *regnum* illud non est nisi unum, et *ostium,* quod sacerdos aperit, non est nisi unum, scilicet debitum aeternae poenae: ergo videtur, quod una tantum debeat esse clavis scientia et potentia.

3. Item, aut potentia ligandi et solvendi aperit *per se solam,* aut *iuncta auctoritati* discernendi; constat, quod non *per se solam,* sicut prius[7] visum est, et hoc patet, quia nulli competit de aliquo *decernere,* de quo non competit *discernere:* si ergo actus aperiendi non competit ei nisi cum scientia, et clavis ab actu aperiendi denominatur; ergo ambae sunt una clavis.

4. Item, si claves istae distinguuntur, aut penes id, *a quo* sunt, aut *in quo,* aut *ad quod.* Si penes id, *a quo,* ut scientia a Filio, et potentia a Patre[8]; *contra hoc* est *numerus* et *ordo: numerus,* quia cum tres sint personae, tres deberent esse claves; *ordo,* quia, cum Pater secundum originem praeintelligatur, potestas solvendi praeiret scientiam; quod est inconveniens. — Si penes id, *in quo* sunt; cum ergo triplex sit in nobis *potentia,* secundum quam consistit imago, triplex deberet esse clavis: una in *memoria,* alia in *intelligentia,* tertia in *voluntate;* vel si non est in istis, sed in viribus, cum tres sint vires, in quibus sunt tres virtutes[9], deberent tunc igitur esse tres claves, una in rationali, alia in concupiscibili et tertia in irascibili. — Si autem distinguuntur penes id, *ad quod;* sed illud est unum, scilicet aperire regnum: ergo etc. *Si tu dicas,* quod sunt ad solvendum et ligandum, et ita ad duo; *contra:* ad virtutem requiritur *scire* et *velle* et *perseveranter operari*[10]*;* sed *scire* et *velle* virtutem non plurificant, immo sunt in una virtute: ergo pari ratione *discernere* et *solvere.*

CONCLUSIO.

In auctoritate sacerdotibus commissa duae sunt claves, scilicet potestas discernendi causam et sententiandi, concurrentes in unam plenam auctoritatem et in uno ordine datae.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod distinctio clavium praedictarum di-

---

[1] Vers. 19.

[2] Secundum Aristot. supra pag. 320, nota 3. allegatum. — Circa finem arg. pro *est ad alterum* perperam multi codd. (plures iam a secunda manu correcti sunt) *non est ad alterum.*

[3] Arg. 3. ad oppos. — *Maior* colligitur ex Aristot., VII. Topic. c. 1. — Inferius post *difficultati* cod. M addit *cedendi.*

[4] Vide tom. II. pag. 119, nota 8. — Inferius pro *affectum* edd. cum uno alteroque cod. *effectum.*

[5] Dist. 19. a. 2. q. 1. seq.

[6] Ut dictum est supra a. 1. q. 1.

[7] Quaest. praeced. — Paulo inferius pro *decernere,* quod praebent codd. G H I L, alii codd. et ed. 1 *discernere* (Vat. *sententiare*), inter quos cod. A subinde pro *discernere* substituit *iudicare.*

[8] Cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. — Aliquanto inferius post *scientiam* cod. X addit *discernendi.*

[9] Scilicet fides, spes et caritas; cfr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. fundam. 4. — Paulo ante post *in istis* [potentiis] ex cod. A supplevimus *sed in,* quod edd. et plurimi codd. male omittunt; cod. X legit *in istis, sed in aliis viribus,* cod. aa *in illis tribus.* Subinde post *ad quod* codd. K aa (I a secunda manu) supplent *sunt,* et post *regnum* cod. Z *caelorum.*

[10] Ut docet Aristot., II. Ethic. c. 4. Cfr. supra pag. 341, nota 7. — Superius post *et ligandum* Vat. addit *et ad discernendum,* quae etiam finem arg. sic exhibet: *ergo pari ratione nec discernere et solvere plurificant claves, sed sunt una clavis.*

Opinio 1. versimode sumitur a diversis. — Quidam enim distinctionem harum clavium sumunt penes id, *a quo* sunt et *ad quod* finaliter reducunt [1]. Dicunt enim, quod sicut in Angelis est hierarchia descendens a hierarchia supercaelesti et ad illam ascendens et rediens; sic est in militante Ecclesia. In Angelis autem hierarchia, sicut dicit Dionysius [2], est *ordo, scientia* et *actio,* id est potestas ordinata scientia et actione, ita quod *potestas* respondet Patri, et haec apparet in Thronis; *scientia* Filio, et haec apparet in Cherubim; et *actio* sive opus Spiritui sancto, et haec apparet in Seraphim. Per hunc modum est intelligere in hierarchia ecclesiastica; quae maxime consistit penes Sacramentum ordinis, in quo confertur *potestas* ordinata *scientia* et *actione;* et hanc dicunt potestatem clavium, quae complectitur actum discernendi et solvendi: ita quod *potestas* respondeat Patri, et *scientia* Filio, et *opus* Spiritui sancto. Et secundum hos sunt in sacerdote tres potestates: una *principalis* et prima, quae est ipse ordo ut potestas *conficiendi;* secunda est potestas *discernendi,* et tertia *absolvendi;* ut sic appareat perfectissima pulcritudo in ordine ecclesiastico secundum repraesentationem illius superioris perfectissimae Trinitatis. —

Quaestio. Si autem *tu quaeras* ab his: quare potestas *conficiendi* non est *clavis?* respondent tibi, quia non est *ad alterum,* sicut illae duae, sicut videbitur infra [3]. — Et haec quidem positio satis probabilis videtur esse.

Alii sumunt rationem distinguendi penes id, *in*

Opinio 2. *quo* sunt et *contra quod* sunt. Dicunt enim, quod hae duae claves respiciunt *intellectum* et *affectum,* removendo duplex malum nobis inflictum, scilicet *errorem* per scientiam et *difficultatem* per absolvendi

Non probatur. potentiam. — Sed iste modus minus probabilis est quam primus, tum quia secundum rectam viam *distinctionem* clavium non inquirit, tum quia, etsi *scientia* sit in intellectu, tamen *auctoritas discernendi* in eadem potentia est, ut videtur aperte, cum *auctoritate solvendi* sive sententiandi. Non autem recte sumit *rationem distinctionis:* claves enim non dantur sacerdoti, ut sint in remedium *sibi,* sed ut sint directae [4] in remedium *aliis.* In hoc tamen concordat cum prima, quod duae sunt claves secundum completam distinctionem.

Tertius modus distinguendi claves est penes id,

Opinio 3. *ad quod* immediate sunt. In foro autem *poenitentiali* duo sunt, quemadmodum in *foro iudiciali.* In illo enim sunt isti duo actus, scilicet *discernere causam,* et postmodum *sententiare;* et isti sunt actus diversi, et ad hoc, quod plene committatur alicui auctoritas, necesse est, utrumque committi, alioquin plenam non habet auctoritatem; est tamen *duplex* auctoritas concurrens in *unam plenam,* quod patet, quia eam contingit dividi. Committit enim aliquando Dominus Papa aliquibus, ut causam *discutiant* et instructam ante prolationem sententiae ad ipsum remittant; et hi habent auctoritatem *discernendi,* non *sententiandi.* Per hunc modum in auctoritate sacerdotibus commissa est sentiendum, quod cum sufficiens sit eis collata potestas arbitrandi inter peccatorem et Deum, quod utramque habent auctoritatem; et cum utraque harum sit ordinata ad aperiendum caelum, utraque dicitur clavis, et sunt duae claves; tamen, quia ex his constat una plena auctoritas, ideo in uno ordine dantur et unum respiciunt. — Et sic patet, quod sunt *plures* claves. Confirmatur. Conclusio.

1. Et patet responsio ad primum obiectum in contrarium de ordinis unitate. — Posset tamen dici, quod prima et unica potestas *essentialis* ordini sacerdotali est potestas conficiendi. Solutio oppositorum. Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sunt ad unum; dicendum, quod ad illud unum *duplex actus* necessario requiritur, scilicet discretio culpae et solutio poenae, et in his duobus *duplex clavis* consistit; non ergo penes finem ultimum, sed penes immediatum habent distinctionem [5].

3. Ad illud quod obiicitur de apertione, dicendum secundum antiquos, quod ad eandem seram aperiendam in corporalibus videmus duplicem clavem: unam, quae aperit viam [6] et dicitur *anticlavis,* et aliam, quae directe aperit, et haec dicitur *principalis clavis.* Sic in spiritualibus *scientia* est sicut anticlavis, quae dirigit iudicium, et *potestas solvendi* principalis clavis. Notandum.

4. Ad illud quod quaeritur: penes quid distinguuntur? dicendum, quod penes illud, *ad quod* immediate sunt, scilicet *discernere* de culpa et *solvere* a poena, non penes hos actus *solvere et ligare.* Et *si tu obiicias,* quod scientia et operatio non faciunt duas virtutes; dicendum, quod scientia est duplex: una per modum *praxis* et experientiae, et haec est in qualibet virtute et est eis essentialis; alia vero est per modum *cuiusdam directionis* — sicut prudentia, quae, ut dicit Bernardus [7], «est auriga virtutum», et fides etiam est directiva theologicarum — et sic distinguitur ab his quae circa opus consistunt. Sic intelligendum est in proposito. — Et *si tu quaeras a me:* quare non sunt tot potestates, quot sunt vitia, a quibus solvunt? dicendum, quod ab omnibus illis solvunt secundum unam rationem et unum actum et modum consimilem; et ideo non oportet sic multiplicari [8]. Notandum. Duplex scientia. Quaest. incid. solvitur.

---

[1] Codd. F G *reducuntur.*

[2] De Caelest. Hierarchia, c. 3. § 1. Vide II. Sent. d. 9. Praenotata de nominibus etc. Angelorum. — Pro *In Angelis* edd. *In angelica* (cfr. II. Sent. d. 9. Praenotata). Deinde pro *et haec* plurimi codd. ter *et hoc.*

[3] Dist. 19. a. 2. q. 2.

[4] Ita codd. F G H L, alii cum edd. *recte.* Cfr. supra a. 1. q. 1. Mox pro *concordant* ex codd. F G I K substituimus *concordat.*

[5] Ita codd. A F G aa, in aliis et edd. *discretionem.*

[6] Ed. 1 *unam directivam,* nonnulli codd. *apertivam.*

[7] Serm. 49. in Cantic. n. 5. Vide tom. III. pag. 471, nota 3. — Superius pro *est eis* codd. F G I K *est ei.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Anima rei maculam habet et foetorem peccati* etc. Quaeritur, quomodo ista differant ab invicem. — Quaeritur etiam: quare peccatum potius dicitur habere foetorem quam calorem, vel aliam proprietatem rei sensibilis?

Respondeo: Dicendum, quod quamvis peccatum unum sit in se, tamen secundum diversam comparationem ad *iudicium nostrum* tria sortitur vocabula. Iudicium enim nostrum tripliciter se habet, scilicet per modum *speculativum,* vel prout se extendit ad *affectum,* vel prout se extendit ad *effectum* [1]. — Similiter et *divinum iudicium* in triplici ratione habet considerari respectu peccati: aut per modum *speculationis,* et sic est ei peccatum *macula* propter rationem turpitudinis, quam ibi considerat; vel per modum *affectivi* [2], et sic est ei peccatum *foetor,* eo quod ipsum refugit affectus recte ordinatus; vel prout exit in *effectum puniendi,* et sic peccatum *aeternae mortis debitum* dicitur. Sortitur ergo tria nomina secundum comparationem ad actum triplicem divini iudicii, scilicet *discernendi, approbandi* vel *respuendi,* et tertio *sententiandi.* — Vel aliter: peccatum comparatur ad id, *in quo* est, et sic, quia eum maculat, dicitur *macula;* vel ad *alium proximum,* in cuius affectu non est, et dicitur esse *foetor* in eo; vel *ad Deum,* et sic dicitur *aeternae mortis vinculum* [3].

(Marginalia: Tria nomina peccati sec. duplicem distinctionem. — Macula. — Foetor. — Debitum mortis. — Aliter.)

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius: *Verbum Domini dimittit peccata, sacerdos et* [4] *iudex;* quid vocatur *verbum Domini?* Si Filius Dei; sed ille idem est iudex, scilicet Dei Filius: ergo non bene dividit ex opposito [5]. — Item, *iudicis* non est peccata dimittere, sed potius punire; male igitur videtur hoc assignare. Dicitur enim in Psalmo [6]: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* — Item, videtur littera sequens contradicere [7]: « Sacerdos officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet »: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod Ambrosius tangit hic triplicem modum dimittendi peccata, scilicet secundum clavem *auctoritatis,* et haec est Dei iudicantis; secundum clavem *excellentiae,* et haec est Verbi incarnati; secundum clavem *ministerii,* et haec est ipsius sacerdotis [8]. Et sic patet, quomodo illa distinguuntur; et patet, quod non est contrarietas in littera. Vult enim Ambrosius dicere, quod peccata dicuntur dimitti a sacerdote non per modum *efficientis,* sed *ministrantis,* et hoc dicit littera sequens.

Ad illud quod obiicitur, quod iudex punit; dicendum, quod duplex est iudicium: *in praesenti,* et hoc est iudicium in poenitentiae foro, et hoc magis est misericordiae quam iustitiae, quia modo est tempus misericordiae; et aliud iudicium *postremum,* et illud est iustitiae, quod signanter notans dicit: *Cum accepero tempus* [9]*;* et de illo opponit, non autem de isto. Et sic patet illud.

(Marginalia: Tripliciter dimittuntur peccata. — Duplex iudicium.)

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Augustinus, quod *Ecclesiae caritas peccata dimittit.* Videtur enim falsum dicere, quia solus Deus peccata dimittit [10]; sed *Ecclesiae caritas* non est Deus, sed unitas corporis mystici: ergo etc. *Si tu dicas,* quod *caritas Ecclesiae* accipitur non *formaliter,* sed *exemplariter* pro caritate, quae est Spiritus sanctus; similiter posset dicere, quod Deus caeli et terrae peccata dimittit, et ita non magis competeret Ecclesiae quam alii.

Respondeo: Dicendum, quod *caritas* ibi stat pro caritate creata; quod patet per determinationem adiunctam, cum dicit [11]: « Quae per Spiritum sanctum diffunditur ». Haec autem dicitur *dimittere peccata* quantum ad *meritum,* sicut exponit infra [12], quia viri sancti per caritatem suam merentur gra-

---

[1] Cfr. tom. II. pag. 558, nota 2. — Superius pro *iudicium nostrum* edd. cum pluribus codd. *iudicium verum.*

[2] Edd. cum paucis codd. *affectus.*

[3] Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 8.

[4] Ita hic codd. et, ut videtur, ipse auctor loco *est;* cfr. supra pag. 466, nota 3.

[5] Aristot., I. de Partibus animal. c. 3: Oppositis item dividendum est; distant enim inter se opposita omnia, ut albedo et nigredo etc.

[6] Psalm. 74, 3.

[7] Hic in lit. Magistri, c. 4.

[8] Cfr. supra a. 1. q. 1. in corp.

[9] Petr. Lombard. in hunc loc. secundum August. (enarrat. n. 5.) ait: Iudicabo, *cum accepero tempus* iudicandi. Modo enim tempus est docendi et misericordiae, sed postea erit tempus iudicandi. Sed nunquid accepit Christus tempus? Nunquid accepit Filius Dei? Filius *Dei* non accepit tempus, sed filius *hominis* accepit tempus [cfr. Ioan. 5, 27.], idem tamen est et Filius Dei, per quem facti sumus, et filius hominis, per quem refecti sumus. Accepit ergo tempus ut filius hominis, qui gubernat tempora ut Filius Dei. Accepit ergo Christus secundum hominem quod ipse Deus dat, ipse scilicet potestatem iudicium faciendi etc. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 10; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[11] Hic in lit. Magistri, c. 5. Verba sunt Rom. 5, 5.

[12] Hic in lit. Magistri, c. 5. Cfr. I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2.

Aliter. tiam primam. — Vel ideo dicitur *dimittere,* quia nulli dimittuntur nisi eis qui recipiuntur intra ecclesiasticam unitatem; unde haeretici et schismatici, quamdiu extra Ecclesiam in haeresi et schismate perseverant, nec gratiam sibi nec aliis valent aliqualiter [1] impetrare, de adultis loquendo.

Dub. IV.

Item quaeritur de expositione Hieronymi super hoc verbum: *Quodcumque ligaveris super terram* etc.; quod si istud esset solum per *ostensionem,* nulla ergo differentia est [2] sacerdotis novi testamenti ad vetus. — *Et iterum,* si sacerdos est arbiter et poenas potest secundum arbitrium suum imponere: ergo videtur, quod ad voluntatem suam possit solvere et ligare. — Item, aliquis hypocrita, qui habet signa contritionis, absolvitur a sacerdote; quaero ergo hic: aut clavis *errat,* aut *non* [3]? Si *errat:* ergo non deberet eum absolvere; sed hoc falsum est, quia iudex secundum ea quae apparent, debet iudicare. Si *non errat:* ergo videtur, quod talis sit solutus in caelis.

Respondeo: Dicendum, quod quantum ad absolutionem *a culpa* sacerdos se habet per modum *demonstrantis;* quantum ad absolutionem *a poena* se habet per modum *dimittentis.* — Sed attendendum est, quod efficacia Sacramenti pendet ex idoneitate suscipientis; « actus enim activorum sunt in patiente dispositio [4] ». Dico igitur, quod in talem, qui videtur contritus, habet clavis effectum, quantum est *de se;* sed quod non habet, hoc est *ex fictione* illius, ita quod, quamvis clavis non erret, tamen ille errat et decipit. — Si autem ille qui solvit et ligat, secundum *voluntatem* non secundum scientiae vel iuris regulam procedat; sic clavis non habet efficaciam; et contra tales, qui volebant *ad votum* solvere et ligare, loquitur Hieronymus, ostendens, hoc de supercilio et superbia procedere [5]. Unde sicut Sacramenta privantur efficacia, aut quia non recte *administrantur,* aut quia non recte *suscipiuntur;* sic de clavibus oportet intelligi.

(Notandum. — Notandum.)

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XVIII.

Pars II.

De clavibus et eorum usu in foro iudiciali.

Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem exhibetur etc.

VIDE TEXTUM MAGISTRI PAG. 467.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de usu et potestate clavium in foro poenitentiali, quod [6] quidem est per absolutionem et ligationem in foro illo. Hic secundo agit de absolutione et ligatione in foro iudiciali, quae quidem est per excommunicationem; et habet haec pars tres partes. In prima assignat hunc modum ligandi, quare et qualiter fiat. In secunda vero auctoritate sacrae Scripturae confirmat, ibi: *Secundum hos ligandi et solvendi modos.* In tertia ad intelligentiam illarum auctoritatum quandam quaestionem quaerit et determinat, scilicet quae sit animae macula vel tenebra, a qua Deus mundat, ibi: *Hic quaeritur, quae sit illa macula.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis sex quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum aliquis possit vel debeat excommunicari.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, pro quo quis sit excommunicandus.

Tertio quaeritur, a quo.

Quarto, utrum excommunicatio possit iterari.

Quinto, de communicatione cum excommunicatis.

Sexto, de absolutione.

---

[1] Codd. A G aa *aliquatenus.* — Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 20. m. 1. ad ult.; B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic circa lit.

[2] Solae edd. *esset.*

[3] Edd. *an clavis erret, an non.* Superius voci *aliquis* cod. bb praemittit *si.* Mox pro *deberet* cod. aa *debet.*

[4] Aristot., II. de Anima, text. 24. (c. 2.). — De propos. praeced. cfr. supra a. 2. q. 1. seq. — Inferius pro *obligat* substituimus ex codd. F G *et ligat,* ac post *voluntatem* edd. addunt *ita quod.*

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — In fine solut. pro *de clavibus* plures codd. *in clavibus.*

[6] Edd. *quae.*

ARTICULUS UNICUS.

De excommunicatione.

QUAESTIO I.

Utrum aliquis possit vel debeat excommunicari.

Circa primum ostenditur, quod aliquis possit excommunicari:

1. Primo *auctoritate Domini,* Matthaei decimo Fundamenta. octavo [1]: *Si peccaverit in te frater tuus* etc. usque ibi: *Quodsi Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus;* et post: *Amen dico vobis, quodcumque ligaveritis super terram* etc.; sed ethnici et publicani extra communicationem reputantur: ergo et talis frater, et hoc secundum iudicium Ecclesiae, ut dicit: ergo etc.

2. Item, hoc probatur *exemplo Apostoli,* qui, primae ad Corinthios quinto [2], fornicatorem manifestum tradidit satanae; et primae ad Timotheum: *Ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi satanae;* et ad Galatas primo: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit;* et primae ad Corinthios ultimo: *Si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit.* Si ergo Paulus, Ecclesiae ministrator, subiectos excommunicavit, videtur illud esse conveniens et licitum.

3. Item, hoc ipsum rationabiliter probatur per *exemplum in moralibus.* Pater enim familias secundum rectum ordinem filium inobedientem extra domum ad tempus eiicit, ut saltem sic corrigatur: ergo pari ratione ille qui praeest in domo Dei, potest et debet consimilem eiicere extra domum; sed eiicere extra domum est eiicere extra communicationem [3], et hoc non est aliud quam excommunicare: ergo etc.

4. Item, videmus in *arte medendi,* quod secundum rectum iudicium artis membrum putridum, ordinatum ad aliorum membrorum infectionem, a corpore est resecandum; sed in spiritualibus contingit membra esse putrida per peccatum et alia membra corrumpentia: ergo videtur, quod talia recte [4] sint amputanda secundum rectum regiminis ordinem. Sed hoc fit per excommunicationem: ergo etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. « Excommunicatio est separatio a communione [5] »; sed communio est per caritatem; sed extra caritatem nemo potest nec debet aliquem eiicere: ergo nec excommunicare. Quod nemo *possit* auferre caritatem, videtur, quia nemo amittit caritatem invitus. — Item, nemo est, qui non sit ex caritate diligendus, quamdiu est in via: ergo etc.

2. Item, excommunicatio est separatio a communione Sacramentorum; sed a Sacramentis nullus est separandus nec prohibendus: ergo nullus est excommunicandus. *Maior* patet, *minor* probatur sic: omnis fidelis aut est *iustus* et sanus, aut *peccator* et infirmus [6]. Si *iustus*, non est arcendus a Sacramentis; si *peccator* et infirmus et indigens medicinis spiritualibus, magis est attrahendus quam arcendus: ergo etc.

3. Item, excommunicatio aut est *morbus*, aut *medicina.* Si *morbus:* ergo nulli est infligenda, quia omnium salus est desideranda. Si *medicina* [7]*;* ergo cum medicina sit omnibus aptanda et non prosit, nisi ei qui vult in eam per liberum arbitrium consentire: ergo *nullus* est excommunicandus nisi volens, et *quilibet* debet velle, se excommunicari; quorum utrumque falsum est.

4. Item, in excommunicatione traditur satanae ipse excommunicatus, sicut patet in excommunicatione ipsius Apostoli [8]; aut ergo quantum ad *animam*, aut quantum ad *corpus.* Si quantum ad *corpus*, non potest — illud videmus ad litteram — quantum ad *animam,* nec potest nec debet: ergo nullo modo videtur aliquis esse excommunicandus.

---

[1] Vers. 15-17. — Seq. textus est ibid. v. 18, ubi Vulgata *quaecumque alligaveritis* pro *quodcumque ligaveritis.* — Subinde pro *communicationem* cod. G *communionem.* Notamus, quod in seqq. plures codd. exhibent modo *communionem*, modo *communicationem.*

[2] Vers. 5. — Seq. locus est I. Tim. 1, 20; tertius Gal. 1, 9; quartus I. Cor. 16, 22, in quo Vulgata post *Dominum* addit *nostrum.*

[3] Cod. S *communionem fidelium.*

[4] Pro *recte,* quod codd. IK omittunt, cod. H *membra.* De hoc arg. cfr. C. *Resecandae* (16.), C. 24. q. 3.

[5] B. Albert., hic a. 16: Excommunicatio definitur a iurisperitis sic: Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiae quoad fructum et suffragia Ecclesiae communia. Cfr. Gratian. super C. *Ad mensam* (24.), C. 11. § 1. q. 3, et Gregor. IX, C. *Si quem* (59.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39). — Pro *communione* plures codd. et ed. 1 *communicatione.*

[6] Cod. U prosequitur: *et indigens medicinis. Si iustus et sanus, non est* etc.

[7] Ut insinuatur C. *Cum medicinalis* sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans (1.), de Sententia excommun. (lib. V. tit. 11.) in VI. et est Innocentii IV. Cfr. C. *Notandum est, quod* (37.), C. 24. q. 3. — Mox pro *aptanda* codd. AGHK satis bene *optanda.*

[8] Vide supra fundam. 2. — Inferius pro *Si quantum* edd. cum paucis codd. *Sed quantum.* Post *litteram* cod. bb addit *Si.*

CONCLUSIO.

Contemptores et rebelles excommunicare licet et debitum est.

Respondeo: Ad horum intelligentiam est notandum, quod sicut in *disciplinis* duplex est modus *instruendi* et duplex modus *arguendi*, scilicet *ostensivus* et *per impossibile* [1]; et in *medicinalibus* duplex est modus *curandi*, scilicet per medicamenta *lenientia* et per medicamenta *asperantia* — curatur enim aliquis per emplastri appositionem, aliquis per sectionem — sic in *moralibus* duplex est modus *corrigendi*, unus per dulces *monitiones*, alter per asperas *increpationes*; et hoc secundum duo genera hominum, quia quidam sunt tractabiles et plicabiles, quidam duri et rebelles. Sic in *divinis* et *ecclesiasticis* iudiciis, in quibus est *instructio, curatio* et *correctio*, duplex reperitur modus *instruendi* et *corrigendi* et etiam *curandi*. Quemadmodum igitur nolentibus acceptare rationem ostensivam fit argumentatio ducens ad impossibile; et morbis, qui non curantur per emplastrum, apponitur vulnus et cauterium; et invitis et incorrigibilibus fit curatio per flagellum: sic esse oportuit in Ecclesiae correctionibus. Et ideo Ecclesiae non tantum dedit Dominus institutor et fundator *medicamenta* Sacramentorum ad curandum accedentes, sed etiam *gladium spiritus, quod est verbum Dei* [2], et potestatem amputandi et resecandi contemptores et rebelles; et tales licet et debitum est excommunicari, sicut ostensum est auctoritate Dei et exemplo Apostoli et ratione in consimili.

Distinctio triplex. — Duo genera hominum. — Duplex modus in Ecclesia. — Conclusio 1. — Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod excommunicare est extra communionem [3] eiicere, quae est per caritatem; dicendum, quod communio triplex est: quaedam *spiritualis omnino*, et haec est quantum ad dilectionem interiorem; quaedam *corporalis*, et haec est quantum ad exteriorem conversationem; quaedam *medio modo*, et haec est quantum ad Sacramentorum susceptionem, et praecipue quantum ad Sacramentum altaris. Dico ergo, quod a *prima* nullus potest nec debet excludi, quamdiu est viator, nec excommunicatio dicit privationem illius communionis. Quantum ad *sacramentalem* excluditur quilibet, qui dicitur excommunicatus sive maiori [4], sive minori. Quantum ad *conversationem exteriorem* attenditur excommunicatio *maior*, in qua communicatio negatur secundum actus legitimos, qui attenduntur in quatuor [5], scilicet in osculo, in colloquio, in convivio, in oratorio. Unde versus:

Solutio oppositorum. — Triplex communio. — Notandum.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Sic igitur patet, quod cum triplex sit communio: una *spiritualis*, et alia *sacramentalis*, et alia *corporalis*, quod secundum *primam* nullus excommunicatur; secundum *sacramentalem* excommunicatur omnis qui dicitur excommunicatus; secundum *tertiam* excommunicatur ille qui *maiori* excommunicatione excommunicatus dicitur, quia maior est hic privatio communicationis. Et sic patet illud primum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nullus separandus est a Sacramentis; dicendum, quod *immo*, quoniam, etsi Sacramenta sint medicinae, tamen non prosunt nisi dispositis. Unde sicut bonus medicus secundum artem prohibet infirmum a *medicinis*, non tantum a cibis, propter indispositionem; sic in proposito est intelligendum. Utilius enim est, alicui medicinam subtrahi quam dari [6] contra dispositionem, immo tali diferre medicinam est medicinale.

3. Ad illud quod obiicitur de excommunicatione, utrum sit morbus vel medicina; dicendum, quod sicut *sectio* de prima sua ratione plaga est et dolorem facit, tamen in comparatione ad vulnus apostematis est medicina; sic ipsa *separatio* a communione fidelium dicit malum et damnum et poenam, in comparatione tamen ad rebellem medicina est, ut eius rebellio et contumacia frangatur. Unde sicut ille qui syllogizat *per impossibile*, ad impossibile deducit, non ut ibi sistat, sed ut redeat ad veritatem; sic Ecclesia separat et excommunicat, ut redeuntem cum humilitate et confusum de contumacia arctius stringat et interius claudat. Et sic patet, quod quamvis sit medicina, quia curat morbum rebellionis, quod nullus hanc medicinam debet appetere, nec debet dari quaerenti veram medicinam, sed contemnenti.

4. Ad illud quod obiicitur, quod excommunicare est tradere satanae; dicendum, quod satanas est *tortor*, non tantum animarum, verum etiam cor-

---

[1] Cfr. Aristot., I. Prior. c. 22. 30. (29.) 40. (38.) et II. c. 11. seqq. — Aliquanto inferius pro *sic in moralibus* secunda manus in codd. E F substituit *et sicut in moralibus*. Subinde pro *plicabiles* cod. W *placabiles*.

[2] Eph. 6, 17. Cfr. Sap. 16, 12: Etenim neque herba neque malagma [cfr. Isidor., IV. Etymolog. c. 9.] sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. — Superius pro *in Ecclesiae rectoribus* substituimus ex cod. U *in Ecclesiae correctionibus*. In fine corp. pro *Dei* cod. H *Domini*.

[3] Codd. R S U *est ex communione Ecclesiae*.

[4] In codd. F G suppletur *excommunicatione*.

[5] In C. *Excommunicatos* (17.), C. 11. q. 3. dicitur: Nec cum eis [excommunicatis] in oratione, aut cibo aut potu, aut osculo communicet, nec Ave eis dicat [II. Ioan. v. 10. seq.]. — Edd., posito *quinque*, inferius post *in oratorio* addunt *in valefaciendo*. Alex. Hal., S. p. IV. q. 22. m. 1. a. 2: Qui [actus legitimi] attenduntur in osculo, in salutatione, in convivio, in oratorio. Unde versus:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *communionem* B. Albert. (hic a. 16.) et S. Thom. (hic q. 2. a. 1.) intelligi volunt communicationem *in Sacramentis*, ideoque reduci posset ad actum, qui indicatur *in oratorio*; si vero cum aliis intelligeretur de rebus civilibus, v. g. de contractibus, reducenda esset sub actum *colloquii*. — Cod. A *Unde versus: Si pro delictis anathemate quis feriatur; os* etc.

[6] Edd. *subtrahere quam dare*.

Distinctio. porum. *Tradere* autem *tortori* est dupliciter: aut *cessando* a protectione torquendi[1] sive exponendo, Notandum. aut *iubendo* tortori, ut affligat. Excommunicare ergo secundum *praesentis* Ecclesiae statum est satanae tradere *protectionem subtrahendo* et ei exponendo; subtrahit enim suffragia et Sacramenta, per quae munimur contra hostis insidias. In tempore autem Ecclesiae *primitivae,* quia daemones ipsis Apostolis subiiciebantur, et manifestanda erat fides per miracula, non tantum exponebantur, immo corporaliter ad mandatum Apostolicum vexabantur; sicut dicitur primae ad Corinthios quinto[2] et in textu et in Glossa; et illud decuit in principio Ecclesiae fieri ad terrorem, vel propter excellentiam Apostolorum. Nunc autem, quamvis non ita vexentur, tamen corpore et spiritu vexandi exponuntur; et pro tanto dicuntur *tradi satanae* et vere excommunicari. Et sic patent obiecta.

SCHOLION.

I. Doctrina S. Doctoris de *potestate excommunicandi* Ecclesiae in clavibus a Christo tradita, de qua agitur his 6 quaestionibus, praeveniendo elidit plures errores posteriores, ab Ecclesia reprobatos censuris in Wikleffum, Hussium, Lutherum et Synodum Pistoriensem latis. Reprobatur enim a Martino V. et Concilio Constantiensi art. 11. Wikleffi: « Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo » etc.; cfr. artt. 12. 13. 30. 34, et Hussii prop. 19. Vide etiam de Papae et praelatorum potestate excommunicandi artt. 31-32. 33. inter articulos 39, de quibus interrogandi sunt suspecti errorum Wikleffi et Hussii. — Item inter errores Lutheri a Leone X. damnatur prop. 23: « Excommunicationes sunt tantum externae poenae nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus »; item Synodi Pistoriensis prop. 46. 47. 48, nec non prop. 44. ab Alexandro VII. 18. Martii 1666 damnata: « Quoad forum conscientiae, reo correcto eiusque contumacia cessante, cessant censurae ».

In doctrina totius articuli doctores antiqui communiter consentiunt. S. Thom. et praecipue Richard. a Med. etiam alias quasdam quaestiones adiiciunt. Saepius ab eisdem reprehenduntur abusus tunc grassantes in nimis frequenti fulminatione excommunicationis. — De iniusta excommunicatione cfr. hic dub. 2.

II. De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 22. m. 1. a. 1. 2. — Scot., de toto hoc art. infra d. 19. n. 15. seqq.; Report. ibid. n. 18. seqq. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 21. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 16. 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 3. — Dionys. Carth., de toto art. hic q. 4.

III. De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 2; Suppl. q. 21. a. 3. — B. Albert., hic a. 18. — Petr. a Tar., loc. cit. ad 6. 7. — Richard. a Med. rem tangit loc. cit. q. 2.

IV. De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 4. § 1. 2. — S. Thom., loc. cit. a. 2; Suppl. q. 22. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 19. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 3.

V. De 4. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 5. — S. Thom., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 3; Suppl. q. 22. a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2.

VI. De 5. quaestione notandum est, quod antiquus rigor disciplinae remissus est, primo a Martino V. (Const. *Ad evitanda scandala),* ita ut cum *toleratis* excommunicatis communicare liceret; deinde a Pio IX. (Const. *Apostolicae Sedis)* sublata est excommunicatio *minor,* quatenus ipso facto incurritur.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 6. § 1. 2. 3. — S. Thom., loc. cit. a. 4; Suppl. q. 23. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 17. 21. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 4. 5. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1-5. — Durand., hic q. 5.

VII. De 6. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 7. § 1. — S. Thom., loc. cit. a. 5. quaestiunc. 2; Suppl. q. 24. a. 2. — B. Albert., infra d. 19. a. 11. — Richard. a Med., hic a. 10. q. 1. — Quoad quaestiones incidentes cfr. Alex. Hal., loc. cit. § 2. 3; S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 1. 3, et Suppl. q. 24. a. 1. 3; Richard. a Med., loc. cit. q. 2-5 et a. 9. q. 1-5.

QUAESTIO II.

Pro quo quis debeat excommunicari.

Secundo quaeritur, pro quo quis debeat excommunicari, et quaeritur, utrum pro damno vel pro iniuria illata Ecclesiae. Et quod sic, videtur.

1. Si quis enim frangit vel incendit ecclesiam, Fundamenta. excommunicatus est ipso iure[3], non autem, si aliam domum frangeret: ergo etc.

2. Item, si quis percutit clericum, excommunicatus est ipso iure et incidit in canonem latae sententiae[4]; sed non incidit, si percutit laicum saecularem: ergo si ius recte dictat, videtur, quod pro *iniuria* etiam sibi illata possit Ecclesia excommunicare.

3. Item, *ratione* videtur: quia gladius unicuique datur ad defensionem; sed potestas excommunicandi est gladius spiritualis[5]: ergo potestate excommunicandi potest Ecclesia se defendere et contra *damnum* et contra *iniuriam.*

---

[1] Est participium passivum futurum. — Multi codd. perperam *torquentis.* — Alex. Hal., loc. cit., legit: *aut protectionem subtrahendo et tortori exponendo, aut iubendo.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. in fine. Verba *tradere tortori* respiciunt Matth. 18, 34: Tradidit eum tortoribus.

[2] Vers. 5. — De Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, cfr. Haymo.

[3] Cfr. C. *Conquesti sunt nobis* (22.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.) et C. *Si quis ecclesiam igne* (14.), C. 17. q. 4.

[4] Ex C. *Si quis suadente diabolo* (29.), C. 17. q. 4. et C. *Non dubium est* (5.) seqq., X. de Sententia excommun.

[5] Cfr. C. *Visis litteris* (1.), § 1. C. 16. q. 2, ubi excommunicatio vocatur *mucro episcopi.* Vide etiam C. *Inter haec* (6.), C. 33. q. 2. et C. *Dilecto* (6.), de Sententia excommun. (lib. V. tit. 11.) in VI.

4. Item, iustum est, unumquemque puniri in eo, in quo peccat[1]: ergo si peccat in matrem Ecclesiam inferendo *damnum* et *iniuriam*, iustum est, ut perdat eius beneficia et suffragia; sed hoc est excommunicari: ergo etc.

Contra: 1. Excommunicatio sive anathematizatio est maledictio; sed dicitur ad Romanos duodecimo[2]: *Benedicite maledicentibus vos; benedicite et nolite maledicere:* ergo maledicentibus vel male facientibus non debet Ecclesia maledicere: ergo nec eos excommunicare.

Ad oppositum.

2. Item, excommunicatio est beneficiorum subtractio; sed Deus non subtrahit misericordiam et beneficia ab iis qui offendunt ipsum: ergo si praeceptum est ecclesiasticis viris, ut sint misericordes et *perfecti, sicut Pater caelestis, qui facit solem oriri super bonos et malos*, sicut dicitur Matthaei quinto[3]: ergo non debet Ecclesia haec subtrahere propter *damnum* vel *iniuriam* aliquam sibi factam.

3. Item, in excommunicationibus damnificatur homo in spiritualibus; sed improportionaliter maius est damnum in spiritualibus quam in temporalibus; sed si quis incendit vel fregit ecclesiam, vel percussit clericum, vel aliquod tale, non damnificavit nisi in temporalibus: ergo cum non debeat infligi maior poena, quam sit damnum; videtur, quod propter hoc non deberet excommunicari.

4. Item, Ecclesia militans debet imitari triumphantem; sed dicitur in canonica Iudae[4], quod *cum Michael altercaretur de corpore Moysi, non est ausus iudicium inferre blasphemiae, sed dixit: Imperet tibi Dominus:* ergo videtur pari ratione, quod Ecclesia nullum altercantem cum ipsa debeat excommunicare sive anathematizare.

CONCLUSIO.

Pro damno vel iniuria potest quidem excommunicationis sententia dictari et etiam emenda a iudice, sed non principaliter propter hoc.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod duplex est excommunicatio sive excommunicandi modus. Quaedam enim excommunicatio est *a iure*, quaedam *a iudice*. Prima excommunicatio est *praeservativa*, secunda est *curativa*. Prima excommunicatio, etsi fieri videatur ad conservandam libertatem ecclesiasticam, sicut secunda fieri videtur propter emendam; tamen prima principaliori modo fertur ad *cavendam culpam;* quia magna culpa est et multum gravis, quando quis peccat in Ecclesiam. — Similiter secunda principaliori modo fit ad *frangendam contumaciam;* et ideo talis secundum formam iuris nulli debet infligi nisi contumaci, et ideo debet monitio praemitti, ut sic de contumacia convincatur. *Contumax* autem dicitur qui semel et bis monitus, tertio peremptorie citatus, non comparet; aut si comparet, non vult stare iuri; vel quando offensa est manifesta, vel iussus a iudice, non vult emendare[5]. Tali autem competit haec medicina, sicut in primo problemate visum est. — Ex his patent rationes ad utramque partem.

Duplex modus excommunicandi. Notandum. Quis contumax.

Concedo enim, quod pro *damno vel iniuria* potest excommunicationis sententia dictari *a iure*, sed non principaliter propter hoc[6]; et similiter pro *emenda* potest ferri *a iudice*, sed non principaliter propter hoc, sed propter *contumaciam*. — Rationes ad primam partem ostendunt, quod excommunicatio fertur pro damno.

Conclusio. Ad fundam.

1. 2. Rationes vero ad oppositum ostendunt, quod non *principaliter* pro damno, sed pro peccato; unde Ecclesia maledicit et subtrahit beneficia ob meritum illius, non propter damnum suum, ob illius culpam, non propter vindictam. Si enim ille velit redire et non possit emendare, statim Ecclesia parcet.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Ecclesia damnificat illum in spiritualibus; dicendum, quod Ecclesia non *damnificat*, sed ille qui peccat et est contumax, se ipsum damnificat; sed Ecclesia *ostendit* ipsum damnificatum, ut sic saltem malum suum erubescat et deserat; et si quodam modo magis damnificet[7], haec aggravatio damni ad utilitatem ipsius finaliter secundum intentionem Ecclesiae ordinatur.

Notandum.

4. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Michael non maledixit; dicendum, quod diabolus est obstinatus in malo et incorrigibilis, et maledictio illata sibi non potest eum nec *per se* nec *per accidens* ordinare ad benedictionem; et ideo nulla fuit[8] utilitas in maledicendo diabolum. Sed dum Ecclesia maledicit subditum, facit ei confusionem pro peccato; et quia tali confusione potest a peccato resipiscere: ideo maledicit, ut post benedicat, ideo ligat, ut absolvat; et non est simile de hac maledictione et de illa[9].

Notandum.

---

[1] Respicitur Sap. 11, 17. Vide supra pag. 397, nota 6.

[2] Vers. 14: Benedicite persequentibus vos etc.

[3] Vers. 48. et 45. — Superius pro *ecclesiasticis* edd. cum pluribus codd. *necessitatis*, pro *viris* codd. I K *et iuris*.

[4] Vers. 9: Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur etc.

[5] Cfr. C. *Nemo episcoporum* (41.) seqq., C. 11. q. 3; C. *De excommunicationis articulo* (15.), et C. *Ecce autem* (18.), C. 24. q. 3; C. *Sacro approbante* (48.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.), et C. *Constitutionem* (9.), de Sententia excommun. (lib. V. tit. 11.) in VI.

[6] In cod. X secunda manus addidit: *sed ad cavendam culpam*. Idem cod. X inferius post *contumaciam* subiungit *frangendam*. Pro *ferri* plures codd. *fieri*.

[7] Cod. X addit *aggravando*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. in fine.

[8] Cod. K (I a secunda manu) *fuisset*.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

A quo possit excommunicatio fieri.

Tertio quaeritur, a quo possit excommunicatio fieri. Et quod a solo habente clavem, ostenditur sic.

Ad oppositum. 1. Solvere et ligare sunt actus clavium; sed « excommunicare est ligare », ut dicit Magister in littera[1]; sed « cuius est actus, eius est et potentia »: ergo etc.

2. Item, excommunicare est a communione Sacramentorum separare; sed eius est a communione sive a participatione separare, cuius est administrare; sed solus sacerdos, qui habet claves, potest Sacramentum corporis et sanguinis administrare[2]: ergo solus potest excommunicare.

3. Item, Petro data est potestas ligandi et solvendi in foro iudiciali et poenitentiali; quaero igitur, quando? Non nisi quando datae fuerunt ei claves[3]: ergo qui non habet claves non habet hanc potestatem.

4. Item, maioris virtutis est et potestatis ligare vinculo excommunicationis quam satisfactionis; sed solus sacerdos potest poenitentiam imponere et confessiones audire, qui habet claves: ergo solus talis potest excommunicare, quia qui non potest in *minus* non potest in *maius*[4].

Fundamenta. Contra: 1. Iudices delegati habent potentiam excommunicandi[5]; tamen multi eorum claves non habent, quia non sunt sacerdotes: ergo aliquis potest excommunicare, qui non habet claves. *Si tu dicas,* quod non sua auctoritate excommunicat; *obiicitur* tunc de archidiacono, qui ex suo officio causas audit et decidit: ergo excommunicare potest, et tamen, si non est sacerdos, non habet claves. *Si tu dicas,* quod similiter habet per demandationem vel consuetudinem; quare[6] non similiter habet actum ligandi in foro poenitentiali per commissionem vel per consuetudinem? Non enim videtur maior ratio in uno quam in alio.

2. Item, electus canonice et approbatus certum est quod, antequam ordinetur in presbyterum, non habet claves, tamen potest causas audire et excommunicare propria auctoritate[7]: ergo videtur etc.

3. Item, sacerdos parochialis non habet secundum iura potestatem excommunicandi nisi pro furtis et rapinis et consimilibus[8]; et constat, quod ipse habet claves et usum clavium: ergo excommunicatio non est a potestate clavium.

4. Item, multitudo tota, ut capitulum, excommunicat, ita quod nullus[9]; sed multitudinem habere claves, ita quod nullus, est impossibile, cum dicat proprietatem absolutam: ergo actus excommunicandi non est a clave.

Iuxta hoc quaeritur, cum multitudo non possit *excommunicari,* ita quod nullus[10], quomodo possit *excommunicare,* ita quod nullus. Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

Potestas excommunicandi non sequitur praecise claves, sed est in omnibus qui habent iurisdictionem ordinariam in foro iudiciali.

Responodeo: Dicendum, quod inter ipsos iuristas[11] de hac quaestione est controversia. — Quidam enim dixerunt, quod potestas excommunicandi solum est in episcopis. Alii dixerunt, quod non solum est in episcopis, sed etiam in archipresbyteris, archidiaconis et abbatibus et aliis praelatis. Tertii dixerunt, quod hoc competit his et etiam sacerdotibus parochialibus. Opiniones tres.

Sed licet in hac quaestione canonum sit dicere *quia,* tamen theologiae est dicere *propter quid*[12], tanquam scientiae superioris. Quod enim in Ecclesia aliquis habeat potestatem, hoc est ab ipso Christo, qui potestatem contulit Apostolis et praecipue ipsi Petro. Dominus autem ipsi Petro utramque contulit potestatem, et ligandi et solvendi in foro poeniten- Notandum.

---

[1] Hic c. 6. circa finem. — Seq. axioma profert, terminis transpositis, Aristot., de Somno et vigilia, c. 1: Cuius enim est potentia, huius est et actus.

[2] Vide supra d. 13. a. 1. q. 2. et infra d. 19. a. 2. q. 1. seq.

[3] Cfr. Matth. 16, 19. et Ioan. 20, 23.

[4] Vide supra pag. 142, nota 8.

[5] Cfr. C. *Quaerenti* (26.), X. de Officio et potest. iud. deleg. (lib. I. tit. 29.). Ibid. tit. 23. agitur de Officio archidiaconi.

[6] Edd. *quaero: quare.*

[7] Ex C. *Transmissam* (15.), X. de Electione et electi potest. (lib. I. tit. 6.).

[8] Ius loquitur non de his casibus, sed generaliter, ut C. *Nemo episcopus, nemo presbyter* excommunicet aliquem (11.), C. 2. q. 1, et C. *Cum ab ecclesiarum praelatis* (3.), X. de Officio iudicis ordinarii (lib. I. tit. 31.), in quo Alexander III. episcopo Florentino praescribit, sententiam interdicti vel excommunicationis a plebano S. Pancratii iuste latam esse observandam.

[9] Cfr. C. *Episcopali sede vacante* (1.), de Maioritate et obedientia (lib. I. tit. 17.) in VI.

[10] Constat ex C. *Romana Ecclesia* (5.), de Sententia excommun. (lib. V. tit. 11.) in VI, qui est Innocentii IV; C. *Si habes* (1.), C. 24. q. 3. Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum in Matth. 13, 29: Multitudo non est excommunicanda.

[11] Cod. I *iurisperitos.*

[12] De *quia* (*si* res est sive de *facto*) et *propter quid* cfr. Aristot., II. Poster. c. 1. seq. c. 9. (c. 8.) seq.

Duplex potestas. tiali, et ligandi et solvendi in foro iudiciali [1]. Prima potestas respicit *ordinem*, secunda *praelationem*. Unde secundum primam par potest absolvere parem, secundum secundam non potest par ligare parem nec superiorem; et hoc est, quia illa est *ordinis*, haec autem *praelationis*, scilicet potestas excommunicandi.

Quid clavis et gladius. Prima potestas ligandi et solvendi in foro poenitentiali aditum caeli aperit; et ideo recte dicitur *clavis* [2]. Secunda per censuram iudicii subditos coercet; et ideo dicitur *gladius*. — Prima potestas est potestas arbitrandi inter Deum et hominem, secunda vero inter hominem et hominem; et ideo prima respicit *ordinem*, secunda *praelationem*. — Prima potestas, quoniam collata est Petro ut sacerdoti, descendit in omnes *sacerdotes*, quamvis non omnes habeant exsecutionem [3]. Secunda, quia collata est Petro, ut praelatus est, descendit in omnes personas ecclesiasticas, quae habent *praelationem* vel *iurisdictionem*. Unde qui habent iurisdictionem *ordinariam* in iudicando aliquos habent potestatem coercendi eos per censuram ecclesiasticam, ut iudicium eorum inviolabiliter observetur. Et quoniam *iurisdictionem* habent non solum habentes claves, sed etiam non habentes; habent, inquam, vel ex iure, vel ex consuetudine, sicut archidiaconi et aliqua capitula; ideo *possunt excommunicare*. *Rursus*, quia aliqui habent claves, qui non habent iurisdictionem in *foro iudiciali*, ut simplices sacerdotes; ideo *non possunt excommunicare* nisi per commissionem, vel nisi in casibus determinatis, ut in furto et rapinis. — Concedo ergo rationes probantes, quod haec potestas non sequitur praecise potestatem clavium.

(Margin: Conclusio 1. — Conclusio 2. — Conclusio 3. — Conclusio 4.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod solvere et ligare sunt actus clavium; dicendum, quod verum est in foro *poenitentiali*, sed in foro *iudiciali* non sunt *clavium*, nisi accipiatur *potestas clavium* secundum *plenitudinem*, secundum quem modum dicitur esse in episcopis, qui, quando promoventur a sacerdotio in episcopatum, non recipiunt novam clavem, sed clavis potestatis in eis ampliatur [4].

2. Ad illud quod obiicitur, quod eius est excommunicare, cuius est communicationem [5] dare; dicendum, quod non solum eius est, verum etiam eius qui praeest communitati, vel etiam administranti Sacramenta; et quoniam tales sunt qui habent iurisdictionem, quamvis non habeant claves; ideo etc.

3. Ad illud quod quaeritur: quando data est haec potestas Petro? dici potest, quod *simul* data est utraque, quia data est potestas clavis in sua plenitudine. — Vel potest dici, quod *non simul*, sed potestas *clavium* promissa fuit Matthaei decimo sexto [6] et data Ioannis vigesimo: *Accipite Spiritum sanctum* etc.; potestas vero excommunicandi insinuatur fuisse data Matthaei decimo octavo, ubi, postquam dictum est: *Si Ecclesiam non audierit* etc., additum est: *Amen dico vobis, quodcumque ligaveritis* etc. Aliter.

Notandum. 4. Ad illud quod obiicitur, quod hoc est maioris virtutis, scilicet excommunicare; dicendum, quod se habent sicut *excedentia* et *excessa* et sunt alterius et alterius *ordinationis;* et ideo non sequitur, quod qui habet unam potestatem habet aliam; utraque tamen concurrit ad potestatis plenitudinem, et una sine alia esse potest. Pluribus tamen conceditur *clavis* quam *gladius*, quia plures habent ordinem sacerdotalem quam praelationem et ecclesiasticam iurisdictionem.

Ratio 1. Et si quaeratur ratio huius, duplex est. Una est *diffusio boni*, quia potestas clavium est ad reconciliandum, potestas gladii ad compellendum. — Ratio 2. Alia ratio est *vitatio periculi*, quia pauci sunt, qui sciant hoc ense percutere; ideo propter periculum paucorum manibus tradi debuit. Ideo etiam *solemnem* excommunicationem [7], quae fit cum candelis prius accensis et deinde exstinctis, et pulsatis campanis, oportet a solis episcopis fieri, licet aliae possint ab aliis fieri.

Quaest. incid. solvitur. Ad illud quod quaeritur ultimo: quare congregatio sive multitudo potest excommunicare, ita quod *nullus*, et non excommunicari? dicendum, quod *peccata* multitudinis *nulla* sunt, sed *iurisdictio* multitudinis *nonnulla* est. Et *si tu quaeras:* unde hoc est? dicendum, quod multitudo bene facit ad *augmentum potentiae in excellentia* — unde multitudo potest *trahere* navem, ita quod nullus trahit navem per se — sed multitudo, in quantum huiusmodi, non facit *defectum* nec *impotentiam* virium [8]; unde multitudo non *trahitur*, quin quilibet de multitudine trahatur. Sic tota multitudo *excommunicat*, ita quod *nullus;* non sic *excommunicatur*, ad minus secundum nova iura [9], ut iuristae dicunt. (Margin: Notandum.)

---

[1] Cfr. C. *In novo testamento* (2.), seqq. d. 21.

[2] Ut dictum est supra p. I. a. 1. q. 1. seq. — De propos. seq. vide supra pag. 486, nota 5.

[3] Cfr. d. 19. a. 2. q. 2. — Mox pro *ut praelatus est* edd. *ut praelato*.

[4] Vide infra d. 24. p. II. a. 2. q. 3. — Plures codd. *clavis potestas;* lectio non spernenda. Superius post *non sunt* cod. aa supplet *actus*.

[5] Codd. I K bene *communionem*.

[6] Vers. 19. — Seq. locus est Ioan. 20, 22. seq., tertius Matth. 18, 17. seq. Cfr. supra pag. 484, nota 1. — In principio solut. pro *quaeritur* codd. *obiicitur*.

[7] Cfr. C. *Debent duodecim sacerdotes* (106.), C. 11. q. 3. — Superius pro *compellendum* cod. U bene *compescendum*.

[8] Ex codd. R T X supplevimus *virium*. Subinde pro *quin*, quod praebent codd. F G M O (E a secunda manu), cod. U (I a secunda manu) *ita quod*, alii codd. vel *quod* vel cum Vat. *nisi*, ed. 1 *etsi*.

[9] Vide supra pag. 488, nota 10. — Vide scholion ad 1. articuli quaest.

QUAESTIO IV.

Utrum aliquis possit pluries excommunicari.

Quarto quaeritur de excommunicationis iteratione, et quaeritur, utrum aliquis possit pluries excommunicari. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primum, quia hoc habet *usus* Ecclesiae universalis[1], quam errare est impossibile, ut videtur.

2. Item, videmus in aliis *poenis* impositis, quod simul et semel plura possunt imponi ieiunia, similiter et vigiliae et orationes: ergo pari ratione possunt infligi plures excommunicationes.

3. Item, ita videmus in *remediis,* quod si iteratur morbus, et remedium; ita etiam et in *poenis,* quod multiplicantur poenae secundum merita: ergo cum excommunicatio et *remedium* sit et *poena,* videtur igitur, quod sicut causa potest iterari et multiplicari, quod et excommunicationes. Sed causae possunt iterari, illud est apertum — potest enim aliquis esse incendiarius, fractor ecclesiarum, percussor clericorum, et sic de aliis — ergo etc.

4. Item, si non possent excommunicari, ex quo sunt excommunicati, et illi qui sunt absque excommunicatione, possunt excommunicari: ergo excommunicati sunt melioris conditionis quam non excommunicati.

Ad oppositum. Contra: 1. Excommunicatus interfectus est gladio spirituali; sed interfectus non potest magis nec minus interfici[2]: ergo nec excommunicatus iterum excommunicari.

2. Item, excommunicatus extra communionem Ecclesiae est eiectus; sed, ut dicit Apostolus primae ad Corinthios quinto[3]: *Quid mihi de his qui foris sunt, iudicare?* sed posse excommunicare est posse iudicare: ergo si non pertinet de talibus iudicare, videtur similiter, quod nec excommunicare.

3. Item, excommunicatus est beneficiis ecclesiasticis privatus, et excommunicatio est privatio; sed privationes non recipiunt maius et minus[4] — non enim dicitur unus caecus altero magis caecus et minus — ergo etc.

4. Item, alter altero non est absolutus magis nec minus, nec idem magis se ipso: ergo pari ratione nec excommunicatus magis et minus, immo multo fortius.

CONCLUSIO.

Excommunicatus iterum potest excommunicari.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod excommunicatus bene potest iterum excommunicari vel eiusdem excommunicationis iteratione ad suam maiorem confusionem, vel etiam alia propter novae culpae commissionem; et tunc tot erunt excommunicationes, quot causae principales, pro quibus excommunicatur. Sicut enim iteratur culpa, ita rationabiliter iterari potest et debet ipsa poena. — Et concedendae sunt rationes ad hanc partem.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de interfectione, dicendum, quod quemadmodum qui peccat mortaliter mortuus est et interficit se ipsum per expulsionem gratiae et adhuc magis potest peccare, quia, quamvis non vivat ad bene agendum, adhuc tamen vivit in eo voluntas ad male operandum; et quamvis gratia sit expulsa, potest tamen magis a gratia elongari: sic intelligendum est in proposito, quia, quamvis secundum statum illum nihil prosint ecclesiastica Sacramenta et suffragia; potest tamen adhuc magis et magis elongari. Nec est simile de interfectione corporali, in qua prima interfectio reddit impossibilem ad vitam; non sic est in proposito, quia adhuc manet aptitudo ad redeundum. (Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod extra est; dicendum, quod quia characterem baptismalem habet indelebilem, quantumcumque sit malus, ideo non exit omnino Ecclesiae potestatem; et ideo ipsum punit et corrigit magis quam paganos et infideles, qui nunquam fuerunt sub potestate Ecclesiae. Et de talibus, scilicet paganis, loquitur Apostolus, non de malis subditis et excommunicatis; nam ipse de eis iudicabat[5]. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur, quod absolutio non recipit iterationem nec intensionem; dicendum, quod hoc falsum est; et hoc patet in eo qui pluribus excommunicationibus diversis de causis est excommunicatus ab eodem, vel qui est excommunicatus a diversis episcopis; qui potest absolvi ab una excommunicatione, ita quod non ab alia[6], quia non sic est connexio in absolutione, sicut in gratiae infusione.

---

[1] Cfr. C. *Cum pro causa* (27.) et C. *Officii* (42.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.).

[2] Seneca, Epist. 66. (alias 67.) n. 40: Mors nulla maior, aut minor est. Cfr. tom. III. pag. 808, nota 7.

[3] Vers. 12: Quid enim mihi de iis qui etc. — Inferius post *non pertinet* cod. X bene supplet *ad ipsum.*

[4] Vide tom. II. pag. 111, nota 3. verba Aristot.

[5] Loc. cit., cuius expositionem vide apud August., III. contra Epist. Parmeniani, c. 2. n. 12. seqq.

[6] Ut constat ex locc. hic, nota 1. allegatis. — Superius post *episcopis* codd. omittunt *qui.* — Ordo huius et seq. solutionis non respondet ordini argumentorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod privationes non recipiunt *magis* et *minus;* potest responderi dupliciter: primo, quia illud est verum in *puris* privationibus, non in aliis. Nam claudus dicitur magis et minus, quia non totaliter privat virtutem gradiendi; similiter et iniustus magis et minus. — Vel posset dici, quod si non ratione *actus* vel *habitus* magis et minus recipiant, tamen [1] ratione *causarum;* unde magis est elongatus a visu, qui laesus est in nervo et in pupilla et in humore crystallino, quam qui in altero horum tantum. Similiter intellige in proposito [2].

Notandum. Aliter.

QUAESTIO V.

Utrum communicans cum excommunicato sit excommunicatus.

Quinto quaeritur de excommunicatione quantum ad communicationem, et quaeritur, utrum communicans cum excommunicato sit excommunicatus. Et quod sic, ostenditur:

Fundamenta.

1. Quia iura [3] istud dicunt.

2. Item, *ratione* videtur: quia accedere ad unum oppositorum est recedere a reliquo; sed excommunicatus est extra communionem [4] positus: ergo qui ei communicat a communione recedit.

3. Item, excommunicatio infligitur in poenam erubescentiae; sed nulla est erubescentia, ubi alii communicant: ergo ad hoc, quod sententia illa sit alicuius valoris, necesse est ipso iure alios arcere [5]: ergo si censura ecclesiastica est in excommunicatione, videtur, quod talis iuste et debite sit excommunicatus.

4. Item, aut *licet* communicare excommunicato, aut *non.* Si *sic;* ergo tales non sunt vitandi; et hoc est contra illud primae ad Corinthios quinto [6]: *Si quis frater* etc.; et post: *Cum huiusmodi nec cibum sumere.* Si *non licet;* ergo per aliquam sententiam alii arceantur communicare cum isto, et non nisi per sententiam excommunicationis: ergo qui communicant ei incidunt in excommunicationis sententiam: ergo sunt excommunicati.

Ad oppositum.

Contra: 1. Communicans cum infideli sive cum altero peccatore sive in cibo sive in potu non incurrit illud vitium, nisi communicet in actu consimili sive in crimine: ergo pari ratione nullus participans cum excommunicato est excommunicatus, nisi participet in crimine.

2. Item, excommunicatio aut est *morbus contagiosus,* aut *non.* Si *sic;* ergo qua ratione iste primo excommunicatus inficit participantem pari vitio, ita et alius alium, et sic deinceps: ergo si hoc falsum est et contra iura [7], non est morbus contagiosus: ergo non videtur, quod communicans excommunicato sit excommunicatus. *Si tu dicas,* quod hoc facit *institutio,* non contagio; *contra:* institutio ista ab homine est, sicut et excommunicatio; sed nullus debet infligere poenam nisi pro culpa: ergo si non communicat in merito sive in culpa, nec in poena: ergo institutio illa, quae facit communicari in poena sine culpa, est iniusta.

3. Item, filius communicans patri aut est *excommunicatus,* aut *non.* Si *sic;* ergo debet vitare patrem. Sed si patrem non potest vitare sine suo detrimento, ergo *filius portat iniquitatem patris,* quod est contra ius divinum [8]. Si autem *non est* excommunicatus, ergo licet alicui ex *familiaritate* communicare cum excommunicato. Sed laudabilior est *societas* et *amicitia* et *caritas:* ergo videtur pari ratione, quod ex *sociali amore* vel aliquo tali licet excommunicato communicare, et ita non videtur communicans excommunicato esse excommunicatus.

4. Item, excommunicatio omnis, sive maior sive minor, separat a Sacramentis; sed nullus separandus est a Sacramentis nisi pro culpa mortali: ergo omnis communicans excommunicato peccat mortaliter. Sed si hoc verum est; cum ista medicina sit occasio multorum periculorum, videtur tunc, quod non sit medicina, sed morbus; et quod quicumque infert eam, cum ponat multos in gravi periculo, quod graviter peccat.

---

[1] Cod. F (G primitus) repetit *recipiunt.* Pro *posset* codd. F G *potest,* et pro *si non* edd. *etsi non.* Superius pro *virtutem* cod. G *virtute.* [2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vide C. *Praecipue* (3.), seqq. et C. *Sicut Apostoli* (16.), seqq. C. 11. q. 3. et C. *Nuper a nobis* (29.), seqq., X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.).

[4] Ita multi codd., in aliis et edd. *communicationem.*

[5] In edd. additur *ab excommunicati communione.*

[6] Vers. 11: Si is qui frater nominatur, est fornicator... cum eiusmodi nec cibum sumere.

[7] Iura siquidem determinant, communicantem cum excommunicato excommunicatione *maiori* non hanc *communiter* [nisi communicet in ipso *crimine*] incurrere, sed excommunicationem *minorem* [cfr. C. *Nuper a nobis* (29.) et C. *Si concubinae* (55.) et seq., X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.)]; cum excommunicato autem excommunicatione *minori* non prohibent communicationem. Vide infra solut. huius obiect. — Inferius post *sicut* edd. omittunt *et,* pro quo cod. P *est.*

[8] Ezech. 18, 20: Filius non portabit iniquitatem patris. — Superius pro *Sed si* [multi codd. *Et si*] *patrem non potest vitare* edd. *Sed si pater non potest vitari.* Inferius post *caritas* in cod. K secunda manus addidit: *quae fit inter extraneos quam inter patrem et filium, quia nemo laudatur de dilectione filii, sed extranei.*

CONCLUSIO.

Communicantes temere cum excommunicato sive non propter necessitatem, aut ignorantiam, vel excommunicati utilitatem, incidunt in excommunicationem minorem.

Respondeo: Dicendum, quod sicut tactum est[1], duplex est excommunicatio, scilicet *minor* et *maior.* *Minor* tantum separat a Sacramentis; *maior* vero non tantum a Sacramentis separat, sed etiam ab actibus legitimis cum aliis personis. Et ideo excommunicatio *minor* est morbus respiciens personam *absolute;* excommunicatio vero *maior* est morbus respiciens personam, ut est *pars communitatis,* et separans a communitate. Haec autem separatio, cum sit relatio *aequiparantiae*[2], locum non haberet, nisi alii separarentur ab eo. Ergo ad hoc, quod ista excommunicatio sit efficax, statuit ius, ut alii eum vitent. Et quia homines ut in pluribus magis timent poenam quam culpam, in firmitatem sententiae adiunxit poenam consimilem, sed minorem; unde non separat a *communione fidelium,* sed *Sacramentorum.* Et hoc totum dictat ratio recta esse convenienter factum et statutum.

Duplex excommunicatio.

Conclusio 1.

Sed quoniam periculum est omnes a communicatione, utpote qui *necessitate,* vel *ignorantia* communicant, prohibere; ideo debuerunt tales personae excipi. Unde qui communicant *necessitate,* sicut filii et filiae, quamdiu sunt sub manu parentum, sicut uxor, sicut servi et servientes et ancillae, sicut peregrini et pauperes, quando unde sustententur non habent, in talibus ius sententiam relaxat. — Similiter, qui communicant ex *utilitate,* ut *convertatur* peccator *a via sua mala*[3] et corrigatur; cum secundum legem caritatis ambulent, non arcentur. — Similiter, qui communicant ex *ignorantia,* excommunicati non sunt, pro eo quod talis ignorantia facti excusat; dicitur autem hic *ignorare,* quamdiu homo nescit vel per denuntiationem, vel per famam. Unde non debet sibi quis de facili conscientiam facere, quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi probetur contrarium[4]. — Et hae circumstantiae hoc versu continentur:

Conclusio 2. Conclusio 3. Conclusio 4. Notandum.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

In quo tangitur haec triplex causa, et *necessitas* comprehendit tria membra[5]. His personis exceptis et sic communicantibus, sine aliqua harum conditionum intervenientium communicantes excommunicatis secundum regulam iuris excommunicati sunt *minori* excommunicatione; et hoc quidem rationabile est, ut visum est.

1. 2. 3. Ex his patent obiecta. Quod enim obiicitur de aliis peccatis et de contagione et de filio, in omnibus patet responsio: quia hoc facit *institutio;* et ratio institutionis dicta est et convenientia exceptionis, et quare *maior* transit, et *minor* non. Et ideo regula est, quod excommunicatio non transit in tertiam personam[6]. Patet etiam, quod communicans non communicat in culpa; sed quia non adhibet debitam reverentiam sententiae, hinc est, quod iustum est, quod reportet poenam.

Solutio oppositorum. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ista est poena tantum mortaliter peccantium; dicendum, quod secundum aliquos conclusio conceditur. Dicunt enim, quod praeter casus exceptos *mortaliter* peccat, quia facit contra Ecclesiae mandatum et scienter videtur contemnere sententiam Ecclesiae[7]. — Sed quia valde durum videtur illud dicere, et maximum periculum esset, omnes communicantes excommunicari; ut declinemus periculum utrumque, sine praeiudicio hic distinguendum videtur. Dicere enim, quod tantum sit peccatum *veniale,* non videtur conveniens, cum communiter parvam vim faciant homines in peccatis venialibus. Dicere iterum, quod pro quolibet verbo humanitatis, quod amicus amico dicit, peccet *mortaliter*, durum videtur.

Solutio aliorum. Non probatur.

Et ideo dicendum, quod qui communicat scienter aut *communicat* in actu exteriori *in contemptum* sententiae latae, et tunc peccat mortaliter; aut *non communicat in contemptum,* sed tamen rationabiliter *videre potest,* quod sententia veniat in contemptum, et adhuc credendum est, eum mortaliter pec-

Distinctio triplex et solutio auctoris.

---

1 Quaest. 1. ad 1. — Aliquanto inferius pro *pars communitatis* plurimi codd. *pars communicans.*

2 Relatio *aequiparantiae* est illa, quae in utroque extremo fundamentum eiusdem rationis habet, sive quae reperitur inter duos terminos, qui sunt eiusdem rationis et nominis v. g. similitudo vel aequalitas, qua simile vel aequale refertur simili vel aequali. Huic opponitur relatio *disquiparantiae* v. g. relatio patris ad filium, domini ad servum. Cfr. tom. I. pag. 537, nota 3. — Inferius voci *consimilem* cod. bb praemittit *non* et pro *communione* edd. et plures codd. *communicatione.*

3 Ion. 3, 8: Convertatur vir a via sua mala. — De his exceptionibus cfr. C. *Quoniam multos* (103.) et C. *Sanctis quippe* (110.), C. 11. q. 3; C. *Inter alia* (31.) et C. *Cum voluntate* (54.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.). — Inferius post *ignorantia* cod. F addit *facti* (cfr. supra pag. 86, nota 7.).

4 Ut insinuatur C. *Ex parte tua* (1.), X. de Scrutinio etc. (lib. I. tit. 12.) et C. *Dudum* (16.), X. de Praesumt. (lib. II. tit. 23.). Per oppositionem dicitur de Regul. iuris in VI. regul. 8: Semel malus semper praesumitur esse malus.

5 Scilicet *legem* (matrimonialem, ut uxor cum marito), *humile* (sive subiectio, ut filii cum patre) et *necesse* (pauperes et peregrini). — Cod. A (G a secunda manu) huic versui alium subiungit: *Haec anathema quidem faciunt ne possit obesse.*

6 Colligitur ex C. *Quoniam multos* (103.), C. 11. q. 3, in quo Gregor. VII. decernit, etiam illos non incurrere excommunicationem, « qui communicant cum eis, qui excommunicatis communicant ». — Inferius post *non adhibet* [cod. H *exhibet*] cod. R addit *finem debitum et.*

7 Allegatur pro hac sententia C. *Sacris est canonibus* (5.), X. de His quae vi etc. (lib. I. tit. 40.), ubi Innocent. III. ait: Licet metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.

care; aut probabiliter credit, quod ex hoc nunquam magis sententia contemnetur, et ipse cum timore hoc facit et ex quadam affabilitate vel societate aliqua verba praeter necessitatem dicit, vel alio modo in casibus non exceptis communicat; tunc credendum est, circa tales sententiam temperari [1].

Quaest. incid. solvitur. Unde si quis quaerat, utrum homo debeat magis dimittere, se interfici, quam aliquod verbum dicere; dico, quod si ex hoc *in contemptum* veniret sententia, deberet utique. Sed quis iudicaret, istum male facere, cum ante debeat de furto comedere [2] quam fame perire? — Si qui ergo dicunt, quod peccat *mortaliter;* intelligendum est, quando contemptus intervenit. Et quia vix potest *frequentari* sine contemptu, ideo sanum consilium est unicuique, ut se a talibus elonget propter vitandum periculum, sicut dicit Augustinus [3], quod faciendum est de iuramento. Sanum consilium.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod non privantur Sacramentis nisi mortaliter peccantes; dicendum, quod hoc factum est propter terrorem, ne forte per assuetudinem et periculum contemptus incideretur [4].

QUAESTIO VI.

Utrum aliquis possit absolvi invitus ab excommunicatione.

Sexto quaeritur de absolutione, et quaeritur, utrum aliquis possit absolvi invitus. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia pater carnalis multa bona praestat filio invito: ergo pari ratione, immo multo fortiori, cum magis pius debeat pater spiritualis esse, videtur, quod possit solvere subditum, ipso invito.

2. Item, pronior debet [5] esse ad miserendum quam ad condemnandum; sed aliquis de iure potest excommunicare invitum: ergo multo magis absolvere.

3. Item, excommunicatio est poena inflicta exterius propter emendationem: ergo si peccator non emendatur, sed deterior efficitur; « cum cessante causa, cesset effectus [6] », videtur, quod possit et debeat talis etiam nolens absolvi.

Fundamenta. Sed contra: 1. Nullus potest nec debet absolvere invitum in foro poenitentiali: ergo pari ratione nec in foro iudiciali.

2. Item, dictum est Petro [7]: *Quodcumque ligaveris super terram* etc.: ergo conformari debet ligatio, quae fit in terris, ei ligationi, quae fit in caelis, et e converso, alioquin non fit, ut debet; sed in caelis nullus absolvitur invitus: ergo nec in terris debet.

3. Item, manente causa, manere debet et effectus; sed causa, propter quam infligitur excommunicatio, est rebellio et contumacia; sed quamdiu non vult absolvi, est rebellis et contumax: ergo invitus non debet absolvi.

Quaestiones incidd. Iuxta hoc quaeritur, quis sit modus, secundum quem debet absolvi. — Quaeritur etiam, a quo possit absolvi.

CONCLUSIO.

Iuste excommunicatus non potest de iure absolvi invitus, qui tamen de facto potest absolvi secundum voluntatem praelati, praecipue autem iniuste excommunicatus.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod est loqui de potentia *absolvendi* et *excommunicandi,* prout potest in hos actus vel *de iure,* vel *de facto.* Differt enim *facere* et *iuste facere.* — Si loquamur *de facto,* si episcopus *excommunicet* non contumacem, praetermisso iuris ordine, in facie Ecclesiae excommunicatus est, quamvis *iniuste* lata sit sententia; et tenetur eam sustinere, alioquin ex hoc ipso *contemptu* efficitur dignus excommunicari et ligatur apud Deum [8]. — *De iure* autem est excommunicatus, quando secundum iuris ordinem ab eo qui habet iurisdictionem canonicam, fertur sententia in contumacem; et haec ligat apud Deum. — Similiter intelligendum in *absolutione,* quod potest aliquis absolvi *de iure,* vel *de facto. De iure* nullus excommunicatus absolvi potest, nisi cesset a contumacia; *de facto* absolvi potest secundum voluntatem praelati, in cuius potestate fuit sententiam ferre et revocare. Unde si talis absolvatur, non peccat nec est excommunicatus qui ei communicat; et hoc dico, sive qui absolvitur sit ligatus iusta sententia, sive iniusta; et hoc maxime verum est de domino Papa. Notandum. Conclusio 1.

Verumtamen, sicut rationes probant, talis absolvi non debet, si *iuste* excommunicatus est, nec *de iure* absolvi potest. Si autem excommunicatus fuisset *in-* Conclusio 2.

---

[1] Cfr. C. *Quoniam multos* (103.) et C. *Quod praedecessor* (105.), C. 11. q. 3. et C. *Si celebrat* (10.), X. de Clerico excommun. etc. (lib. V. tit. 27.).

[2] Respicitur Tob. 2, 21: Non licet nobis aut edere ex furto aliquid aut contingere. — Pro *cum ante* edd. *cum potius.*

[3] Epist. 157. (alias 89.) c. 5. n. 40; Serm. 180. (alias 28. de Verbis Apostoli) c. 4. n. 4. Cfr. III. Sent. d. 39. a. 2. q. 1.

[4] Vat. cum uno alteroque cod. *in periculum contemptus incideret.* Vide tamen Forcellini Lexicon sub verbo *incido,* quod *incido* etiam cum solo accusativo construitur. Hinc formam *passivi,* quam habent fere omnes codd., retinendam esse censuimus; praecedens particula *et* idem est ac *etiam.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] In cod. V secunda manus addidit *quilibet.* Cfr. supra pag. 333, nota 3.

[6] Ut dicitur C. *Cum cessante* (60.), X. de Appellat. (lib. II. tit. 28.). Vide supra pag. 73, nota 2.

[7] Matth. 16, 19.

[8] Vide infra dub. 2. — Aliquanto inferius pro *ferre* plurimi codd. *inferre.*

iuste, posset eum praelatus absolvere etiam invitum, non propter suum meritum, sed ad revocandum errorem proprium [1].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod pater corporalis beneficia praestat invito filio; dicendum, quod non est simile: quia illa sunt beneficia temporalia, quae praestantur contra voluntatem, et in quibus non consideratur aequitas ex parte suscipientis; non sic autem est hic; et *praeterea* [2], talia beneficia prosunt invitis, sed beneficium absolutionis nulli invito prodest, immo obest. Notandum. Unde sicut fastidiosis non est ingerendus cibus corporalis, propter hoc quod obest, et illum proiiciunt, vel si suscipiunt, magis gravantur; sic in proposito est intelligendum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod potest excommunicare invitum; dicendum, quod *excommunicatio* est sicut correctio de contumacia, et ideo utilis est talis *contumaci* et nolenti [3]; econtra absolutio est utilis *redeunti*, non in contumacia existenti; et ideo talem excommunicatum absolvere potius est praestare iram quam misericordiam, sicut facit ille qui dimittit iniuriam inultam. Unde sicut melius est, quod satanae tradatur corpus quam spiritus [4]; sic melius est isti, quod permaneat in vinculo, quam quod detur beneficium cum contemptu. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est inflicta ad emendationem; dicendum, quod non tantum ad *emendationem*, immo etiam ad *instructionem aliorum*, ut alii discant non contradicere et rebellare, sicut Datan et Abiron [5]; et ideo, ne alii sumant exemplum malum, debet in talibus excommunicatio continuari, ut aliis prosit ad vitandum casum. Verumtamen quia nescitur, utrum Deus det ei *spiritum bonum*, quamdiu vivit; ideo semper exspectanda est conversio eius, et ideo non est ante absolvendus, quantumcumque incorrigibilis videatur. Nemo enim est omnino incorrigibilis per privationem, quamdiu viator est; et ideo excommunicatio medicina est. Notandum.

Ad 1. quaest. incid. Triplex causa. Ad illud quod quaeritur, qualiter debeat fieri [6]; dicendum, quod excommunicatio ex triplici causa potest esse inflicta, scilicet quaedam propter *contumaciam pure*, quaedam propter *offensam manifestam*, quaedam propter *offensam occultam*, ut quando aliquis incidit in canonem ex peccato aliquo, quod non est publicum. — De primo excommunicato. *Primus* debet absolvi, recepto ab eo sacramento [7], quod stabit mandatis Ecclesiae, et illi debet mandari, quod pareat iuri, et si quid aliud in sententia excommunicationis iuste lata continetur, utpote quando condemnatur in expensis. — De secundo. Si autem est excommunicatus propter *offensam manifestam* per sententiam, vel facti evidentiam; tunc ante absolutionem debet praestare *emendam*. — De tertio. Si autem propter *occultam*; tunc sufficit ad relaxandam sententiam, si sufficiens *cautio* praebeatur parendi mandato.

Ad 2. quaest. incid. De minore. Ad illud quod quaeritur: a quo quis potest absolvi? dicendum, quod de *minori* excommunicatione absolvi potest a quolibet habente potestatem absolvendi a peccato; unde duo excommunicati minori excommunicatione invicem se absolvere possunt [8]. — Regula de lata a iure. Pro regula autem habendum est, quod de omni excommunicatione lata *a iure*, sive maiore sive minore, potest quis absolvi a proprio episcopo, sive a sacerdote, exceptis sex casibus, in quibus sibi reservavit iuris conditor potestatem.

Casus 6 excepti. Primus, si verberat clericum; in quo casu non potest absolvi nisi a domino Papa, vel eius legato [9], octo casibus exceptis. — Secundus casus est de illo qui incendit ecclesiam et denuntiatus est ab episcopo; talis non potest absolvi. — Tertius casus est de illo qui frangit ecclesiam et denuntiatus est. — Quartus casus est de eo qui scienter et sponte participat cum excommunicatis a Papa et recipit eos in officiis, maxime quando nominatim exprimuntur. — Quintus de illo qui falsat litteras apostolicae Sedis. — Sextus de illo qui communicat excommunicato in crimine; tunc enim debet absolvi ab eo qui excommunicavit, etiam si non sit eius subditus. Quod si difficile est ei accedere ad ipsum, praestita iuratoria cautione, quod parebit eius mandato, potest absolvi ab episcopo, vel a sacerdote proprio [10].

Ad casum 1. exceptiones 8. A *primo* autem casu excipiuntur octo casus: primus est, si sit in articulo mortis. Secundus est, si fuit ostiarius potentis et percussit non ex odio vel proposito. Tertius, si percutiens clericum sit mulier. Quartus, si regularis regularem. Quintus, si sit servus et non graviter laesit, et dominus eius damnificaretur de eius absentia, et ipse dominus est sine culpa. Sextus, si sit pauper. Septimus, si sit impubes, vel senex, vel valitudinarius. Octavus, si habet inimicitias capitales.

De lata a iudice. De excommunicatione vero illata a iudice nullus potest absolvi nisi ab ipso, vel eius superiori, excepto solo articulo mortis [11].

---

[1] Cod. H *primum*.

[2] Vat. *propterea*.

[3] Cod. V *de contumacia* [secunda manus substituit *resipiscere* pro *et*] *nolenti*. Pro *talis* Vat. cum uno alteroque cod. *tali*.

[4] Respicitur I. Cor. 5, 5.

[5] De quibus Num. 16, 1. seqq. — Inferius respicitur Luc. 11, 13.

[6] Cod. F supplet *absolutio*.

[7] Intellige cum cod. F *iuramento*. Cfr. C. *Ex tenore* (10.) et *Nuper a nobis* (29.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.).

[8] Ita C. *Duobus collata* (56.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.).

[9] In cod. G secunda manus addidit C. *Si quis suadente* (29.), C. 17. q. 4; inferius pro tertio casu C. *Conquesti* (22.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 39.); pro quarto C. *Significavit* (18.), loc. cit.; pro quinto C. *Ad Falsariorum* (7.), de Crimine falsi (ibid. tit. 20.).

[10] Ex C. *Nuper a nobis* (29.), X. de Sent. excommun. (lib. V. tit. 39.). Ibid. sub diversis capitulis (1. 2. 3. 5. 6. 13. 26. 37. 58. et 60.) seqq. exceptiones statuuntur. — Inferius pro *potentis* codd. I X *potestatis* (loc. cit. C. *Si vero alicuius potestatis ostiarius).*

[11] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum arbitrium ruere in peccatum.* Videtur enim male dicere, quia liberum arbitrium non recipit *magis* et *minus:* ergo non est modo liberius post excommunicationem ad peccatum quam ante. — Quaestio incid. Item, iuxta hoc quaeritur, quae sint mala, quae incurrit quis per excommunicationem.

Respondeo: Dicendum, quod libertas peccandi Notandum. non est *libertas,* sed *defectus libertatis* [1]. Liberum ergo arbitrium, prout dicitur liberum *a culpa,* quia hoc non est libertas *essentialis,* sed *accidentalis,* dicitur magis et minus liberum; et tunc *magis* est liberum, quando melius se potest defendere, et *minus* liberum, quando minus se potest defendere a peccati dominio. Quoniam igitur meritis orationum Ecclesiae multi sustentantur et defenduntur a culpis; tunc dicuntur *liberiores* ad peccandum fieri, quando auferuntur suffragia Ecclesiae. Unde patet, quomodo illud verbum intelligitur.

Et nota, quod multa sunt incommoda, quae in- Ad quaest. incid. currunt excommunicati, quae notantur his versibus:

Gratia subtrahitur, magis ac magis obice rupto.
De vitio ruit in vitium, suffragia perdit
Ecclesiae; satanae vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis.

Et intelliguntur quantum ad *expositionem* vel *desertionem* [2]; sicut rex diceretur militem tradere inimico, quem non defenderet ab eius vexatione.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sed intelligendum est de his quorum merita solvunt vel ligant.* — Quaestio 1. Quaeritur ergo hic, si aliquis sit iniuste excommunicatus, utrum se debeat habere pro excommunicato. Et quod sic, videtur: quia dicitur in iure [3]: « Sententia pastoris, sive iusta sive iniusta, tenenda est et timenda ». — Sed *contra:* Magister [4] dicit, quod illam solam sententiam approbat curia caelestis, quae datur ex meritis. — Item, favere et tenere sententiam iniustam est praestare patrocinium iniustitiae: ergo talis sententia, ut videtur, nullo modo tenenda est, nec ab eo qui excommunicatur, nec ab aliis.

Item, quaeritur, quomodo sit sententia excommunicationis iniuste lata. Quaestio 2.

Respondeo: Dicendum, quod sententia *iniusta* Ad 2. quaest. dicitur ex *animo,* ex *causa,* ex *ordine* [5]: ex *animo,* Est iniusta tripliciter. ut cum infertur non zelo iustitiae, sed vindictae; ex *causa,* ut cum non est meritum sufficiens, vel certum, propter quod debeat excommunicari ille cui infligitur; ex *ordine,* ut cum praetermittitur ordo iuris.

Si ergo talis excommunicatio feratur in aliquem, Ad 1. quaestionem. distinguendum est: quia aut fertur ab *habente* canonicam iurisdictionem, aut a *non habente.* Si ab Resp. 1. *habente;* dicendum, quod tenenda est et timenda, quia non est subditorum discutere sententias maiorum; et si contemnat, graviter peccat [6]. — Exci- Exceptio duplex. piuntur autem duo casus, videlicet si sententia illa lata est *post appellationem* legitimam, vel quando continet *intolerabilem errorem,* ut si diceretur: Excommunico te, quia credis in Deum. In his duobus casibus non quaerentes absolutionem admittuntur ad eorum probationem; alias autem non admittuntur, nisi humiliter petant absolutionem. — Absolvit Absolutio ad cautelam. autem dominus Papa in omnibus *ad cautelam* [7], non propter hoc quod reputet fuisse excommunicatos, vel excommunicandos, sed ut ostendat, Ecclesiae sententiam, quantumcumque sit iniusta, esse formidandam. Unde timetur et tenetur non consideratione iniustitiae, sed ob reverentiam potestatis ecclesiasticae. Hoc sentiendum est secundum iura, si excommunicetur ab *habente* iurisdictionem canonicam.

Si autem ab alio excommunicetur, qui *non ha-* Resp. 2. *bet* canonicam iurisdictionem, et hoc constat; tunc non est tenenda, utpote si sint haeretici, vel schismatici, apostatae, intrusi, suspensi a iurisdictione [8]. Si autem talium crimen sit occultum, toleranda est talium sententia, sicut et ipsi tolerantur ab Ecclesia.

---

[1] Secundum Anselm. Vide II. Sent. d. 25. p. II. q. 3. Ibid. q. 1. explicantur diversi status liberi arbitrii, et quomodo in omnibus aequaliter reperitur, non secundum *magis* et *minus.* Vide etiam ibid. lit. Magistri.

[2] Edd. *de se eiectionem.*

[3] Causa 11. q. 3. c. 1. ex Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 6.

[4] Hic in lit. c. 7. — Pro *curia* codd. I K *iudex.* Subinde pro *favere* edd. *fovere,* et pro *quomodo* cod. Z *quando.*

[5] Secundum Gratian. super C. *Episcopus, presbyter* (65.), C. 11. q. 3.

[6] Cfr. Gratian. super C. *Non solum ille reus* (77.), C. 11. q. 3. — Duo seqq. casus excipiuntur in C. *Per tuas litteras* (40.), X. de Sententia excommun. (lib. V. tit. 31.). Cfr. ibid. C. *Ad nostram* (3.), de Appellat. (lib. II. tit. 28.).

[7] Cfr. Can. cit. *Per tuas litteras.*

[8] Vide C. *Audivimus, quod* (4.), C. 24. q. 1, eiusque expositionem per Gratian.; ibid. C. *Aperte, inquit* (36.), seq. — Idem dub. solvunt Alex Hal., S. p. IV. q. 22. m. 2. q. 2; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 4; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3; Richard. a Med., hic a. 3. q. 5.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod peccatum dicitur tenebrae, quia *intellectus obtunditur, et totus interior homo obtenebratur.* Videtur enim falsum dicere, quia videmus multos peccatores in peccatis existentes, qui valde bene intelligunt et addiscunt, et ita experimentum est contra hoc. Item, Domini documentum, Lucae decimo sexto[1]: *Filii saeculi huius prudentiores sunt filiis lucis.* — Item, cum multo magis sit peccatum deordinativum *affectus* quam *intellectus*, et corruptivum *amoris* quam *luminis*, et *caritatis* quam *fidei;* videtur potius esse dicendum, quod peccatum sit *frigus* quam *tenebra.*

Respondeo: Dicendum, quod *gratia* magis dicitur *lux* quam *calor,* quoniam *lux* in se habet et virtutem illuminandi, et illuminando magis et magis virtutem calefaciendi; et ideo plus complectitur lux quam calor. Et gratia in quantum lux non tantum respicit intellectum, verum etiam affectum, immo *lux*, ut dicitur de gratia, nominat eam, ut respicit totam animam; quoniam, sicut lux[2] est forma totius orbis primi, et per cuius influentiam fiunt generationes circa partes inferiores, et una est ratio actualitatis et diffusionis, secundum quod innuit et dicit aperte Dionysius in libro de Divinis Nominibus[3]; et quia hoc competit gratiae, quae est radix omnium habituum gratuitorum et principium omnis boni operis: hinc est, quod dicitur *lux*, et peccatum dicitur *tenebra:* quia[4] tenebra non tantum privat actum lucis, secundum quem est in sensum visus, sed etiam alios actus, secundum quos est operativa: et ita ista tenebra non respicit intellectum tantum, sed intellectum ut extensum ad calorem affectus, vel ad operationem effectus.

Notandum. De luce ut forma. Peccatum est tenebra.

Ex his patent obiecta. Quod enim dicitur, quod intellectus viget in peccatoribus; dicendum, quod verum est secundum actum, qui est *purae speculationis,* sed non prout *extenditur ad affectum,* vel opus. Unde aliter habuit prophetiam Balaam[5], aliter David. Ille enim solum videbat, iste videbat et gaudebat et secundum hoc se in opere regulabat et se ipsum dirigebat. Exemplum est in musico et bono citharoedo; aliter enim novit consonantiam citharae musicus, aliter bonus citharoedus[6]. Et quantum ad hanc obtunditur intellectus manifeste, licet non quantum ad primam ita aperte; credo tamen firmiter, quod quantum ad utramque.

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ipsa ergo dissimilitudo, quae inest animae ex peccato, animae macula est.* Videtur enim male dicere. Omnis enim macula *deformitas* dicitur, aut quia aliquid est *remotum,* aut quia aliquid, quod non debet, circa rem *ponitur;* sicut patet: truncatus naso est *deformatus,* sed habens morpheam[7] vel aliquid tale est *maculatus;* sed peccatum non corrumpit bona naturalia, quia nihil corrumpit « in eo quod est essentia vel natura[8] »; aut si corrumpit, tamen nihil ponit: ergo nullo modo debet dici *macula. Si tu dicas,* quod ponit malam habilitatem et pronitatem ad malum, et illa est macula; *contra:* illa pronitas potest auferri per oppositam pronitatem: ergo macula peccati deleret maculam; quod inconveniens est dicere. Item, a pronitate liberatur per assuefactionem; solus autem Deus liberat a macula, ut dicitur in littera[9].

Respondeo: Dicendum, quod peccatum non est aliud quam *privatio ordinis debiti,* et voco *ordinem debitum,* prout comprehendit modum, speciem et ordinem, prout circa ipsum consistit praecipue ratio boni[10]. Ista ergo *deordinatio* remanens in anima est culpa ipsa et peccatum, quia est ex proprio actu, ubi debet esse ordo iustitiae. Haec autem habet considerari secundum rationem *aversionis* et secundum rationem *conversionis* et *utriusque.* Se-

Quid peccatum. Distinctio.

---

[1] Vers. 8.

[2] Fide codd. F G (E a secunda manu) addidimus *lux,* cod. bb legit: *quoniam est sicut ipsa forma.* — Forma propositionis deficit.

[3] Cap. 4. § 4. Cfr. Aristot., II. Generat. et corrupt. text. 58. (c. 10.).

[4] Cod. Z *et quia.* Aliquanto inferius edd. omittunt *ita,* et subinde sola Vat. *vel ad operationem effectus.*

[5] Cfr. Num. c. 22. seqq.

[6] Musicus novit *speculative,* bonus citharoedus vero *practice.* « Cithara canendo, ut ait Aristot. (II. Ethic. c. 1.), citharoedi efficiuntur... ex eo enim, quod citharam pulsant, et boni et mali citharistae evadunt ». — Ibid. VI. c. 5. dicit: « Vitium enim eiusmodi est, ut principium [rerum agendarum] corrumpat »; et c. 12: Id [principium], nisi bono viro, non apparet, propterea quod distorquet pravitas facitque, ut circa activa principia fallamur. Quare non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit, manifestum est. — Mox pro *primam* et *utramque* [notitiam ?] edd. *primum* et cum cod. M *utrumque,* incongrue, nisi pro *hanc* ponatur *hunc* [actum intellectus]. Sed vox aliqua excidisse videtur. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic circa lit.

[7] *Morphea,* ut docet du Cange (Glossarium etc.), est infirmitas, cum color [cutis] in alium mutatur... Italis *Morfea* est species scabiei. Cfr. Avicenna, IV. Canon. Fen 3. tr. 3. c. 1.

[8] Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 23: Οὐδὲ φθείρεταί τι τῶν ὄντων καθ' ὃ οὐσία καὶ φύσις i. e. Nihil *corrumpitur* existentium, in eo [sive: secundum] quod est essentia et natura. Hinc non placet lectio codd. et edd. ponentium *corrumpit* pro *corrumpitur,* sicut etiam tom. II. pag. 813, nota 4. eandem lectionem multorum codd. reprobavimus (cfr. ibid. pag. 822, nota 9.), cum nullum exemplum in vocabulariis, quae prae manibus habemus, nobis praestetur, quod verbum *corrumpit* accipiatur *intransitive* pro *corrumpitur.* Quia tamen hic lectio codd. et edd. explicari potest, supplendo scil. *aliud* post *corrumpit,* ipsam retinuimus. Aliter iudicandum de seqq. verbis Dionysii, in quibus codd. et edd. perperam substituunt *existentia* pro *essentia.* — Secunda pars disiunctionis (peccatum *nihil ponit*) est secundum August. supra pag. 130, nota 5. allegatum.

[9] Hic c. 8.

[10] Cfr. II. Sent. d. 34. a. 2. q. 2. seq. et d. 35. per totam. — Inferius pro *debet* codd. F G *deberet,* et pro *Haec autem* Vat. *Hic autem.*

Notandum. cundum primam rationem competit ei ratio *privationis;* secundum secundum modum ratio *infectionis,* et haec [1] iungit sibi rem turpem; secundum tertium modum ratio *obligationis.* — Quantum ad *primum* modum dicitur peccatum *tenebra* et *deformitas;* (Peccatum tenebra et deformitas.) quoniam bonum dupliciter potest considerari, scilicet *in se,* et sic dicitur *lux,* et per oppositum peccatum dicitur *tenebra;* et in comparatione ad *vim cognitivam,* et sic dicitur *pulcritudo* animae, et per oppositum peccatum *deformitas.* — Quantum autem ad *conversionem* [2] sic dicitur *macula* et *foetor;* (Macula et foetor.) et hoc similiter secundum duplicem comparationem illius coniunctionis cum delectabili terreno: *in se,* et sic macula; ad *vim cognitivam,* et sic *foetor;* quantum ad *utrumque,* sic competit esse *vinculum mortis aeternae* [3]. (Vinculum mortis.)

DISTINCTIO XIX.

Cap. I.

Quando hae claves dantur et quibus.

Postquam ostensum est, quae sint claves apostolicae, et quis earum usus; superest investigare, quando istae claves dentur et quibus. — Dantur hae claves per ministerium episcopi alicui in promotione sacerdotii; cum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul et has claves recipit. — (De clave scientiae.) Sed non videtur, quod *omnes,* vel *soli* sacerdotes has claves habeant, quia plerique ante sacram ordinationem scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. — Sane dici potest, quod alteram clavium istarum, id est scientiam discernendi, non *omnes* habent sacerdotes; unde dolendum est atque lugendum. Multi enim, licet indiscreti atque scientiae, qua eminere debent [1], exsortes, sacerdotii gradum recipere praesumunt, vita et scientia eo indigni, qui nec ante sacerdotium nec post scientiam habent discernendi, qui ligandi sint vel solvendi. Ideoque illam clavem in consecratione non recipiunt, quia semper scientia carent. Qui vero ante sacerdotium scientia discernendi praediti sunt, licet habeant *discretionem,* non tamen in eis *clavis* est, quia non valent ea claudere vel aperire; ideoque, cum promovetur in sacerdotem, clavem discretionis dicitur accipere, quia et ante habita discretio augetur et fit in eo clavis, ut ea iam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.

Cumque iam constet, non omnes sacerdotes illas (De clave potestatis.) duas claves habere, quia *scientia* discernendi plerique carent; de altera, id est *potentia ligandi et solvendi,* quaeritur, utrum omnes sacerdotes eam habeant. — (Opinio 1. et falsa.) Quidam enim hanc potestatem putant illis solis esse concessam, qui doctrinam simul ac vitam Apostolorum servant. Illas enim claves promisit Dominus Petro et imitatoribus eius tantum, ut aiunt; qui etiam auctoritatibus utuntur in munimentum suae opinionis. Hoc enim dicunt Augustinum sensisse superius [2], ubi ait: (Augustinus.) « Remissionem peccatorum vel per se ipsum facit Deus, vel per columbae membra ». Dicit etiam idem, peccata dimitti vel teneri a Sanctis. Idem super Exodum, ubi de lamina aurea legitur: *Erat autem lamina aurea semper in fronte sacerdotis:* « Haec, inquit, significat fiduciam bonae vitae, quam qui vere perfecteque, non significatione, sed veritate, sacerdos habet, solus potest peccata auferre ». Item Gregorius [3]: (Gregorius.) « Illi soli habent in hac carne positi ligandi et solvendi potestatem, sicut sancti Apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent ». Item ex dictis Origenis: (Origenes.) « Haec potestas soli Petro concessa est et imitatoribus Petri. Nam quicumque vestigia Petri imitantur, habent recte ligandi et solvendi potestatem ». His aliisque testimoniis innituntur qui asserunt, potestatem ligandi ac solvendi illis solis concessam sacerdotibus, qui vita et doctrina pollent sicut Apostoli.

(Opinio 2. et vera.) Aliis autem videtur, quod et mihi placere fateor, *cunctis* sacerdotibus hanc clavem dari, scilicet ligandi et solvendi; sed non eam recte ac digne habent, nisi qui vitam et doctrinam apostolicam servant. Nec praemissae auctoritates malos sacerdotes hanc potestatem habere negant, sed illos solos digne ac recte hac potestate uti significant, qui praediti sunt vita et doctrina apostolica, quia soli Apostolorum imitatores digne recteque possunt ligare et solvere; et per Deum tantum, vel per Sanctos, in quibus habitat Spiritus sanctus, digne et recte fit remissio vel retentio peccatorum. Fit tamen et per illos qui sancti non sunt, sed non digne vel recte. Dat enim Deus benedictionem digne poscenti etiam per indignum ministrum. Quod vero hanc potestatem habeant omnes sacerdotes, Hieronymus [4] testa-

---

[1] Ita codd. E I K L bb et ed. 1, Vat. *hic,* codd. R S *in hoc,* alii *hoc* (ablativus?).

[2] Edd. perperam *aversionem.*

[3] Vide supra p. I. dub. 1; II. Sent. d. 35. dub. 6. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic q. 1. a. 2; Petr. a Tar., q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. et circa lit.; Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Codd. B D et ed. 1 *debet sacerdos* pro *debent;* deinde pro *qui* cod. E et plures edd. *quia.* Inferius pro *discretionis dicitur* cod. E et edd., excepta 1, *discretionis recte dicitur.*

[2] Dist. praeced. c. 5, scil. V. de Baptismo contra Donatist. c. 21. n. 29. — Seq. locus eiusdem est II. Quaestion. in Pentateuch. q. 120; respicitur Exod. 28, 38.

[3] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 4. seq.; II. Dialog. c. 23; ast verbotenus apud Hugon. a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 14, ubi invenitur etiam seq. locus Origenis, Comment. in Matth. libr. XII. n. 9.

[4] Non invenimus in Hieron. hunc locum, sed verbotenus in Glossa Matth. 16, 17. et apud Rabanum V. Comment. in Matth. loc. cit., qui primam partem sumsit ex Beda in eundem locum. Cfr. etiam C. *Si iustus* (30.), C. 1. q. 1. et C. *Ut evitentur* (82.), ibid.

tur super illum locum Evangelii, ubi dixit Dominus Hieronymus. Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum:* « Habent, inquit, eandem iudiciariam potestatem alii Apostoli, habet et omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris. Sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant, quod quicumque ab unitate fidei et societate Ecclesiae se separaverit, nec a peccatis solvi nec caelum potest ingredi ».

Cap. II.

Utrum per indignos transfundatur gratia dignis.

Item, quod sacerdos, etiam si malus sit, gratiam tamen transfundit[1] pro suae dignitatis officio, Augustinus Augustinus. ostendit dicens: « Dictum est a Domino in Numeris ad Moysen et Aaron sacerdotes: *Vos ponite nomen meum super filios Israel, et ego Dominus benedicam eos;* ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse vel prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas sacerdotis officii et ordinis, hinc advertamus. Dictum est de nequissimo Caipha in- Dubium 1. ter cetera: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit;* per quod ostenditur, Spiritum gratiarum non personam sequi digni vel indigni, sed ordinem traditionis; ut, quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officii ministerium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis ». — Hinc evidenter ostenditur ordo[2] non privari potestate tribuendi Obiectio. gratiam ob ministri indignitatem. — Huic tamen Augustini sententiae videtur obviare quod ait Hesychius[3]: Hesychius. « Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt et propter eum, qui in ipsis est, benedictionis plenitudinem tribuunt; nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum in se ipso habet et eius figuram gerit per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est, ut benedictionem praestet ». — Ecce hic habes, quod non solum sacerdos, sed omnis, in quo Christus habitat, benedictionem praestat. Sed alia est benedictio, quae Solutio. solis sacerdotibus congruit, alia, quae ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes, in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicuntur, non quia soli illi transfundant gratiam, sed quia illi soli licite et digne id agunt. Nec subditos mala vita sacerdotis laedit, si bona faciunt, quae ille Gregorius. dicit. Unde Gregorius[4]: « Multi, dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes, quod non eos vita sacerdotum laederet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent ».

Cap. III.

Quomodo intelligendum sit: Maledicam benedictionibus vestris.

Praemissae vero sententiae, qua dicitur etiam per mali sacerdotis ministerium transfundi gratia benedictionis, videtur obviare quod Dominus per Malachiam[5] prophetam malis sacerdotibus comminatur: *Maledicam benedictionibus vestris;* et alibi: *Vae his qui vivificant animas, quae non vivunt,* et *mortificant animas, quae non moriuntur.* Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, et si animae, quas vivificant, non vivunt; quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur? — Sed illud capitulum: Maledicam etc., Explicatio. quidam referunt ad haereticos, qui ab Ecclesia praecisi sunt, et ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones his qui eorum sequuntur errores. Illud vero alterum, scilicet: Vivificant etc., super omnes illos sacerdotes exponunt, qui absque clave scientiae et forma bonae vitae praesumunt ligare vel solvere. Sed nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis Dubium 2. sit ab illis quae in aliis iudicat; alioquin se ipsum condemnat.

Cap. IV.

Qualis esse debeat iudex ecclesiasticus.

Qualem autem oporteat esse qui aliorum iudex constituitur, Augustinus[6] describit ita dicens: « Sa- Augustinus. cerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quae Innocentia vitae. in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium, Dubium 3. qui est iudicandus, *condemnat se ipsum.* Cognoscat igitur se et purget in se quod alios videt sibi offerre; caveat, ut a se proiecerit, quidquid in alio damnosum reperit. Animadvertat, quod *qui sine peccato est primus in illam lapidem mittat.* Ideo enim Dubium 4. liberavit peccatricem, quia non erat qui iuste proiiceret lapidem. Quomodo lapidaret qui se lapidandum cognosceret? Nullus enim erat sine peccato; in quo intelligitur, omnes fuisse reos. Nam venialia semper remittebantur per caerimonias; si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc igitur patentissimum est crimen sacerdotum et[7] detestabile, qui non prius se iudicant et alios alligant. — Caveat spiritualis iudex, ut, sicut non commisit crimen nequitiae, ita non Discretio scientiae. careat munere scientiae; oportet, ut sciat cognoscere, quidquid debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod debet iudicare discernat. Diligens Dubium 5. igitur investigator sapienter interroget a peccatore, quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito vero crimine, varietates eius non dubitet investigare et locum et tempus et cetera, quae supra di-

---

[1] Codd. A B D E *transfundat.* — Locus August. est in non genuinis Quaestion. ex veteri testam. q. 11; C. *Dictum est* (96.), ibid., ubi citatur Num. 6, 27, et infra Ioan. 11, 51.

[2] Plures edd. *ordinem*, refragantibus codd. et ed. 1, 2, 3, 7.

[3] Libr. II. in Levit. (9, 23.).

[4] Can. *Multi saecularium* (84.), ibid. Locus hic, ut volunt editores, ab alio formatus est secundum Gregor.

[5] Cap. 2, 2, deinde Ezech. 13, 19. — De loco Malachiae cfr. supra d. XIII. c. 1. 2. — Inferius pro *fiunt maledictiones* ed. 1 *vertuntur in maledictiones.*

[6] De Vera et falsa Poenitent. c. 20. n. 36. (inter opera); C. *Qui vult confiteri* (1.), de Poenitentia d. 6. § 2. 3. — Ibi respiciuntur Rom. 2, 1, deinde Ioan. 8, 7.

[7] Vat. cum paucis edd. *esse;* originale cum canone et cod. E *et ultra modum detestabile.*

ximus; quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, discretionem in varietate, doceat perseverantiam, caveat, ne corruat, ne iuste perdat iudiciariam potestatem. Etsi enim poenitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Etsi Petrus post lapsum restitutus fuerit, et saepe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas; non tamen est necesse, ut omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Invenitur auctoritas, quae concedit et quasi imperat; invenitur alia, quae non concedit, sed vetat. Quae scripturae non repugnant, sed concordant.

Dubium 6. Cum enim tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant et quasi usum peccandi sibi faciant; recidenda est spes ista. Si vero locus est, ubi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant». — Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse sacerdos, qui alios ligat et solvit, *discretus* scilicet et *iustus*; alioquin mortificat saepe animas, quae non moriuntur, et vivificat, quae non vivunt; et ita incidit in maledictionis iudicium. Illud autem Malachiae, scilicet: *Maledicam benedictionibus vestris*, sive super haereticos tantum et excommunicatos, sive super omnes sacerdotes, qui vita et scientia carentes benedicere praesumunt, dictum accipiatur, sic intelligi potest: Maledicam benedictionibus vestris, id est « his quae in eis benedictionibus possidetis [1] », quia faciam ea vobis cedere in maledictionem, non in benedictionem, quia, etsi benedicunt Sanctis, non hoc faciunt ex vero corde, et ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel maledicam benedictionibus vestris, id est « quod a vobis benedicitur a me erit maledictum », quia benedicunt inique agentibus adulanturque peccantibus, dummodo divites sint.

Explicatur locus Malachiae.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XIX.

Quando et quibus claves dentur.

Postquam ostensum est, quae sint claves apostolicae etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister clavium usum et substantiam. Hic determinat, quibus [1] dentur. Et habet pars ista duas. In prima ostendit, quod clavis scientiae non datur ignorantibus et insciis. In secunda quaerit, utrum potestas ligandi et solvendi competat malis, ibi: *Cumque iam constet, non omnes* etc.

Et haec secunda pars habet tres. In prima ponit et innuit opinionem falsam, immo haeresim, quod claves in illis solis sunt, qui habent doctrinam et vitam [2]. In secunda ponit opinionem veram, quod sunt in quolibet sacerdote, et respondet falsae et innuit eam, ibi: *Aliis autem videtur, quod et mihi placere* etc. In tertia vero ipsam defendit a quibusdam, qui videntur ipsam ostendere falsam, ibi: *Praemissae vero sententiae, qua dicitur* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis, in qua Magister determinat, quibus dantur claves et quando, tria quaeruntur.

Primo quaeritur, quibus dantur claves.

Secundo quaeritur, quando.

Tertio, super quos vel in quos ministri per claves possint.

Circa primum duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum claves datae sint sacerdoti legali, an soli sacerdoti evangelico.

Secundo, utrum in potestate clavium communicet bonus minister cum malo ministro.

ARTICULUS I.

Quibus dantur claves.

QUAESTIO I.

Utrum sacerdos legalis habuerit claves.

Primo ergo quaeritur, utrum sacerdos legalis habuerit claves. Et quod sic, videtur:

1. Quia, sicut legisperiti instituti fuerunt ad populum docendum, ita sacerdotes ad sanctificandum, sicut patet per totum Leviticum et in Exodo [3]; sed legisperiti in veteri testamento acceperunt

Ad oppositum.

---

[1] Hic et seq. locus est ex Hieron. in Malach. 2, 2. et in Glossa apud Lyran. ibid.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. *quando istae claves et quibus.*

[2] Cod. W addit *servant*, edd. cum uno alteroque cod. *Apostolorum servant*, ut dicit Magister.

[3] Cap. 28. seqq. — Textus in fine arg. est Luc. 11, 46. et 52.

clavem scientiae ad peragendum suum officium: ergo pari ratione et sacerdotes legales ad suum. *Minor* patet per hoc quod dicitur Lucae undecimo: *Et vobis legisperitis vae, qui tulistis clavem scientiae* etc.

2. Item, clavis est sequela ordinis sacerdotalis, sicut melius iam patebit; sed sacerdos legalis habuit ordinem et pontificatum, secundum quod patet ad Hebraeos quinto[1]: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron:* ergo cum habuerit principale, videtur, quod et habuit annexum.

3. Item, clavis est auctoritas discernendi et ligandi et solvendi, faciendo reconciliationem peccatoris cum Ecclesia; sed hoc totum fuit in sacerdote summo in veteri testamento, quia ad ipsum pertinebat leprosum iudicare et expiare, sicut dicitur Levitici decimo quarto[2]: ergo habuit clavem. *Si tu dicas*, quod illa erat potestas carnalis, sicut expiatio et ipsa lepra; *contra:* a lepra non potuit mundare corporaliter: ergo si expiabat aliquo modo per aspersionem, sicut ibi ponitur; ergo expiatio illa erat spiritualis.

Fundamenta. CONTRA: 1. Claves sacerdotales sunt ad aperiendum regnum caelorum; sed regnum caelorum non fuit apertum ante mortem Christi[3]: ergo claves ante mortem Christi fabricatae non fuerunt: ergo nec aliquis eas habere potuit ante.

2. Item, per claves istas spirituales reconciliatur peccator, dum solvitur et ligatur; sed reconciliatio fieri non potuit nisi per mediatorem, mediator autem unus tantum est, scilicet Christus Dominus: ergo ante adventum ipsius haberi non potuerunt.

3. Item, lex Moysi lex carnalis dicitur ab Apostolo[4] et lex occidens; sed ista potestas est spiritualis et ad vivificandum vel ad perficiendum in vita: ergo talis potestas clavium nullo modo legi illi competebat.

CONCLUSIO.

Potestas clavium propria est sacerdotis evangelici, et tantum figurata in veteri lege.

RESPONDEO: Dicendum, quod aliqui doctores Opinio 1. dicere voluerunt, quod potestas clavis fuit in lege Moysi et est in lege gratiae, sed differenter: quia ibi fuit *imperfecte* et semiplene, hic autem *perfecte;* ut, sicut illa fuit imperfecta lex, et haec perfecta, et haec addit supra illam; sic clavis ad clavem; et sicut *poenitentia inchoavit* in veteri et fuit ibi, ita et *clavis*, secundum cuius arbitrium consummatur poenitentia. Et hoc nituntur ostendere per hoc, quod sacerdotibus commissum fuit, ut peccantibus per ignorantiam sacerdos imponeret poenam iuxta mensuram delicti, sicut dicitur Levitici quinto[5]; et illud fuit quoddam *ligare ad poenam.* Non tamen *perfectam* habuerunt potestatem, quia non poterant solvere remittendo partem poenae; et hoc quidem habent a Christi passione claves in nova lege. Et per hoc respondetur secundum illos ad obiecta utriusque partis, ut patet intuenti.

Alia opinio est, ut credo, probabilior, quod potestas clavium propria est sacerdotis evangelici; nec in lege veteri fuit *inchoata*, sed magis *figurata;* et illud apparet clarius, si respiciatur ipsius[6] *essentia, origo* et *finis.* — Clavis enim *potestas spiritualis* est, quae est aliquid datum animae in sigillatione, qua sigillatur charactere sacerdotali; et quoniam lex illa non spiritualis, sed carnalis dicitur; ideo non competebat ei, sed novae, quae est *lex spiritus.* — Similiter patet hoc, si respiciatur clavis *origo.* Cum enim triplex sit clavis, ut in praecedentibus[7] visum est, scilicet *auctoritatis, excellentiae* et *ministerii;* clavis *ministerii* descendit a clave *auctoritatis*, mediante clave *excellentiae:* quoniam, etsi Deus *per se* delet culpam, et sacerdos aliquam poenae particulam, Christus tamen fuit, qui solvit debitum in passione sua, solvit, inquam, debitum Adae, et tantum superabundavit, quod ministris communicavit virtutem solvendi a poena. — Similiter patet, si respiciatur *finis:* quoniam clavis ad aperiendum est per *reconciliationem;* et quoniam in reconciliatione illa *mediator est homo*, qui tenet locum Dei, ex tunc potuit et debuit dari clavis, ex quo Deus factus est homo, « ut nos divinitatis suae tribueret esse participes[8] », et ex quo pretium reconciliationis fusum est; et hoc debuit esse in nova lege: et ideo primo dictum est Petro: *Tibi dabo claves*, quasi ante datae non fuissent. — Concedendae sunt igitur rationes probantes, quod solus sacerdos evangelicus habet claves. Opinio 2. et conclusio. Ratio 1. notanda. Ratio 2. Triplex clavis. Ratio 3.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de clave scientiae, dicendum, quod illa clavis scientiae dicitur clavis *alia* quam ista: quia illa fuit ad docendum ea quae iuris erant et Legis, haec autem ordinatur ad dirigendum clavem potentiae ligandi et solvendi a poena[9]; et ita haec aperit *caelum*, sed illa aperiebat, id est, aditum praeparabat *ad sciendum.* Lex autem nova communicat cum veteri in *scientia*, quia utraque lex docet, licet hic clarius ape- Solutio oppositorum. Notandum.

---

[1] Vers. 4. — *Maior* ostenditur infra a. 2. q. 1. 2.

[2] Vers. 2. seqq. Cfr. ibid. c. 13.

[3] Cfr. III. Sent. d. 22. q. 6.

[4] Hebr. 7, 16: Qui non secundum legem mandati carnalis factus est; II. Cor. 3, 6: Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Vide III. Sent. d. 40. q. 2. — Inferius pro *perficiendum* edd. *proficiendum* (Hebr. 7, 19: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex).

[5] Vers. 18: Offeret... iuxta mensuram aestimationemque peccati. Cfr. Deut. 25, 2.

[6] Supple cum cod. X *clavis.* Idem cod. mox post *Clavis enim* addit *essentia.*

[7] Dist. 18. p. I. a. 1. q. 1.

[8] Gregor., Libr. Sacramentor. Praefat. in ascensa Domini. — Seq. textus Scripturae est Matth. 16, 19.

[9] Vide supra d. 18. p. I. a. 3. q. 1. seq.

riantur mysteria Legis et Prophetarum; sed in redundantia et copia gratiae et spiritualitate potestatis differebat. Et ideo non valet illud.

2. Ad illud quod obiicitur, quod est sequela ordinis; dicendum, quod sicut in lege veteri non fuit *clavis* vera, sed figuralis; ita etiam et *ordo*. Notandum. Et hoc patet, quia verus ordo est, qui veram offert hostiam et sacrificium Deo acceptum; et hoc est in novo testamento, ubi offertur vera Christi caro. In lege vero veteri offerebatur caro bovis, vel agni, qui erat huius signum [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod habuerunt discernendi auctoritatem et similiter expiandi; dicendum, quod illud erat *carnale*, non spirituale. — Quod obiicit, quod non mundabat ab immunditia [2] carnis; dicendum, quod expiatio et illa sanctificatio *proprie* non erat *carnalis* nec *spiritualis*, sed *figuralis;* unde non fiebat ad munditiam carnis vel spiritus conferendam, sed potius ad significandam munditiam spiritualem. Dicitur tamen *carnalis*, pro eo quod de munditia carnis certificabat auctoritate et iudicio sacerdotis. Notandum.

SCHOLION.

I. Opinio 1. relata in quaestione 1. improbatur ab Alexandro, S. Bonav. et S. Thoma aliisque posterioribus communiter.

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 20. m. 6. a. 1. 2. — Scot., hic q. unica, passim. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 19. a. 1. — B. Albert., hic a. 14. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De solutione 2. quaestionis cfr. Concil. Trident. Sess. XIV. can. 10. et c. 6. Aliqui casus ad hanc rem spectantes solvuntur infra dub. 2. 3.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 7. a. 1. — S. Thom., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 2; Suppl. q. 19. a. 5. — B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum malus sacerdos communicet cum bono in potestate clavis, an sit in solo bono.

Secundo quaeritur, utrum malus sacerdos communicet cum bono in potestate clavis, an sit in solo bono. Et quod tantum in bono, videtur.

1. In donatione sive promissione clavium, quae Ad oppositum. facta est Petro, primo commendatus est Petrus: *Beatus es, Simon* [3] etc.; et post: *Ego dico tibi:* ergo videtur, quodsi omnibus datae sunt in Petro, et datae sunt Petro ratione fidelis et bonae confessionis, quod ad illos solos descendat, qui sunt Petro similes et eius imitatores. Ad huius autem confirmationem adducitur verbum Augustini [4], quod dicitur super illud: *Tibi dabo:* « Sicut dictum est Iudae: *Pauperes semper vobiscum habebitis* etc., gerenti typum malorum; sic dictum est Petro: *Tibi dabo claves* etc., gerenti typum bonorum »: ergo etc.

2. Item, Ioannis vigesimo [5], ubi primo datae sunt hae claves, dicitur: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur* etc.: ergo si ante donationem potestatis dedit Spiritum sanctum, qui non habent Spiritum sanctum non habent potestatem clavium; sed mali non habent Spiritum sanctum: ergo etc. In huius autem confirmatione adducitur Glossa Augustini ibidem [6]: « Ecclesiae caritas, quae *diffunditur per Spiritum sanctum in cordibus* eorum, in quibus est, peccata dimittit »; sed soli boni habent caritatem: ergo etc. — Ad hoc autem sunt multae auctoritates in littera [7].

3. Item, hoc videtur *ratione:* quia bonus distributor nulli dat aliquam potentiam distribuendi, qui est omnino indignus; sed peccator, in peccato existens, indignus est tam nobili potestate, scilicet solvendi et ligandi; hoc apertum est, et Deus hoc scit et ipse est, qui hanc potestatem tribuit: ergo aut male donat dona sua, aut talis non habet potestatem.

4. Item, stultus esset rex, qui clavem camerae suae committeret inimico suo: si ergo peccator inimicus Christi est; cum Christus nihil stulte agat, peccatoribus clavem camerae suae non committit. Sed haec est clavis caeli: ergo etc.

Contra: 1. Matthaei vigesimo tertio [8] dicit Dominus discipulis: *Super cathedram Moysi sede-* Fundamenta.

---

[1] Cfr. Hebr. 7-11. — Pro *qui erat* cod. H et ed. 1 *quae erat.*

[2] Codd. M O *nisi ab immunditia* [cod. O *immunditiis*].

[3] Matth. 16, 17. seqq.

[4] In Ioan. Evang. tr. 50. n. 12, ubi exponens illud Ioan. 12, 8: *Pauperes enim semper habetis vobiscum* etc., ait: Iudae dictum est. Quare ergo non dixit: *habebis*, sed *habebitis?* Quia non unus est Iudas. Unus malus corpus malorum significat, quomodo Petrus corpus bonorum, immo corpus Ecclesiae, sed in bonis. Nam si in Petro non esset Ecclesiae sacramentum, non ei diceret Dominus [Matth. 16, 19.]: *Tibi dabo claves* etc. Cfr. Enarrat. in Ps. 108. n. 1.

[5] Vers. 22. seq.

[6] In Ioan. Evang. tr. 121. n. 4: Ecclesiae caritas, quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit. Cfr. supra lit. Magistri, d. XVIII. c. 5, ubi haec sententia verbis Glossae *ordinariae* apud Strabum et Lyranum exhibetur. Respicitur hic Rom. 5, 5. — Inferius post *in quibus* plures codd. omittunt *est,* pro quo ed. 1 *Ecclesia,* Vat. *etiam.*

[7] Hic c. 1. Easdem fere auctoritates habet Alanus ab Insul. II. contra Haeretic. c. 6. seq.

[8] Vers. 2. seq. Vulgata voci *quaecumque* praemittit *omnia ergo.*

runt Scribae et Pharisaei; quaecumque dixerint vobis, servate et facite; constans est, quod Dominus loquitur de malis, sicut ibidem patet, et illis dicit reverentiam exhibendam et obedientiam: vult ergo Dominus, etiam malis praelatis subesse bonos subditos. Si ergo potestas praelationis in novo testamento in potestate clavium consistit: ergo Dominus vult hanc potestatem malis communicare.

2. Item, sicut clavis ligandi et solvendi est a Deo, ita et clavis scientiae est a Deo; sed Dominus clavem scientiae legisperitis dedit, qui mali erant, et etiam male utebantur, ut dicitur Lucae undecimo[1]: ergo nihil prohibet, clavem istam malis tribui.

3. Item, *ratione* videtur: quia gratia non transfunditur ab uno homine in alterum, ut in praecedentibus[2] visum est: ergo gratia gratum faciens nihil facit ad hoc, quod in isto gratia fiat: ergo nec ad hoc, quod iste illi regnum aperiat.

4. Item, nihil refert ad hoc, quod aliquis cellarii claves gerat debite, utrum ipse bibat, sed sufficit, quod aliis administret: ergo a simili videtur, quod in hoc nullum praeiudicium generetur Ecclesiae, si quis habet claves caeli, licet[3] ipse non habeat sensum gratiae et gustum.

5. Item, si non habet clavem nisi iustus; cum nemo nec de se nec de alio sciat, utrum sit iustus[4], nemo scit, utrum solvat, an liget, aut utrum sit solutus, vel ligatus: ergo dubitatio maxima et perplexitas in Ecclesia Dei relinquitur; quod est contra bonam institutionem Ecclesiae, quae debet fundata esse in fundamento veritatis aeternae.

6. Item, si potestas clavis sequeretur sanctitatem; cum tota die fiat transmutatio in sanctitate, quia ille qui est minus sanctus, fit magis sanctus, et e converso; modo subditus fieret praelatus, modo praelatus subditus: ergo nulla stabilitas esset in Ecclesia; quod abhorret fides recta.

CONCLUSIO.

Malus sacerdos communicat cum bono in potestate clavium quoad ea quae sunt de necessitate, non autem quoad ea quae sunt de idoneitate.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de colla- Distinctio. tione clavis alicui quantum ad ea quae sunt de *necessitate,* vel quantum ad ea quae sunt de *idoneitate.* Conclusio 1. Si loquamur quantum ad ea quae sunt de *necessitate;* sic ad *esse* clavis sufficit donum Spiritus sancti secundum gratiam *gratis datam;* haec autem infallibiliter et secundum divinam institutionem datur omni suscipienti ordinis Sacramentum, sive sit bonus, sive sit malus.

Ratio autem huius est, quia donum gratiae *gratis datae* non repugnat iniquitati, quin simul stet cum ea, sicut patet in scientia et aliis donis[5]. Et *rursus,* perversitas non repugnat utilitati illius doni. Sicut enim malus praedicator bene praedicat et frequenter fructificat — propter quod Dominus noluit prohibere eum qui in nomine eius eiiciebat daemonia, quamvis eum non sequeretur[6], quia hoc erat ad utilitatem aliorum — sic, quia bonum illud gratiae *gratis datae* ordinatum est ad utilitatem communem, et quamvis non valeat accipienti, tamen valet aliis: ideo Dominus, qui in distributione Sacramentorum utilitatem communem considerat et suam institutionem non retractat, malis[7] confert istam potentiam, qui ordinati sunt secundum Ecclesiae catholicae formam. Sic ergo quantum ad id quod est de *necessitate* clavis, sive quantum ad *esse,* sive quantum ad *exsecutionem;* cum nihil exigatur ad hoc nisi ordo et iurisdictio, et hoc dicit donum gratiae *gratis datae;* tam in bonis quam in malis est. Ratio.

Si autem loquamur quantum ad ea quae spectant ad *idoneitatem;* cum ad debitum usum officii concurrat *meritum,* et *auctoritas* praelationis debeat esse cum *sanctitate,* maxime tale officium et talis auctoritas; competit, quod[8] habeat caritatem. — Et hoc patet: quia officium illud est officium *mediatoris* et *reconciliatoris;* et cum auctoritas ista sit *iudiciariae* potestatis, et nullus sit bonus *mediator,* qui est inimicus; nullus sit bonus *iudex* in ea causa, in qua est reus: oportet, ipsum esse mundum et sanctum; alioquin, etsi sit *minister,* non tamen est *idoneus* vel dignus. — His visis, facile est respondere ad obiecta. Concedendae enim sunt rationes probantes, claves esse in malis. Conclusio 2. Ratio.

1. 2. Ad auctoritates autem in oppositum, solvendum, quod loquuntur quantum ad *idoneitatem,* non quantum ad *necessitatem.* — Vel dicendum, quod, sicut supra[9] dictum est in baptismo, quod fides et caritas Ecclesiae operatur in baptismo collato a malis, quia confertur in forma Ecclesiae; sic in proposito est intelligendum. Solutio oppositorum. Aliter.

3. Ad illud quod obiicitur de bono dispensatore, quod non dat indigno; potest responderi, quod Deus non dat ei propter se, sed propter communem utilitatem; et quia, quamvis malus non sit *dignus,* potest tamen esse *utilis;* ideo ei confert. — Vel di- Aliter.

---

[1] Vers. 52: Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant, prohibuistis.

[2] Dist. 5. a. 2. q. 1, d. 18. p. I. a. 2. q. 1. fundam. 4. Vide ibi notam adiectam. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. seq.

[3] Codd. F G H *et* (cod. H mox *habet* pro *habeat*), cod. K (I a secunda manu) *si.*

[4] Eccle. 9, 1. Vide supra pag. 353, nota 4.

[5] Cfr. I. Cor. 13, 1. seqq.

[6] Luc. 9, 49. seq.

[7] Plerique codd. repetunt *ideo* ante *malis.*

[8] Cod. H supplet *homo,* edd. substituunt *ei, qui* pro *quod.*

[9] Dist. 5. a. 1. q. 2. et a. 2. q. 1. seq. — Superius pro *solvendum* edd. *dissolvendas, dici potest.*

cendum, quod Deus hoc facit ad ostendendum abundantiam largitatis suae, qua *solem suum oriri facit super bonos et malos*[1].

4. Ad illud quod obiicitur de clave camerae, dicendum, quod si clavis talis esset naturae, quod nec aperiret nec aperire posset nisi amicis, secure posset talis clavis cuilibet dari; talis autem est clavis caeli, ut patet ex dictis in praecedentibus[2].

ARTICULUS II.

Quando dantur claves.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur, quando claves dentur. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum claves dentur in ordine sacerdotali.

Secundo, utrum contingat, eas ab eodem ordine separari.

QUAESTIO I.

Utrum claves dentur in ordine sacerdotali.

Circa primum ostenditur, quod in solo illo ordine dentur.

1. Primo *auctoritate*. Ambrosius in libro de Fundamenta. Paradiso[3], loquens de potestate ligandi et solvendi, dicit: «Ius hoc solis permissum est sacerdotibus».

2. Item, super illud[4]: *Tibi dabo claves*, Glossa Hieronymi: «Habent iudiciariam potestatem omnes Apostoli, habet etiam omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris»; sed omnis episcopus est sacerdos: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia potestas clavis Apostolis data fuit, cum Dominus dixit Ioannis vigesimo[5]: *Quorum remiseritis peccata* etc.: ergo illis solis significatur haec potestas dari, quibus haec verba dicuntur; haec autem non dicuntur nisi solis sacerdotibus: ergo etc.

4. Item, omnis habens hanc potestatem mediator est, et omnis talis *constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*[6]: ergo ad eum pertinet haec potestas, ad quem pertinet sacrificium offerre. Sed hoc pertinet in nova lege et veteri ad solos sacerdotes: ergo etc.

Contra: 1. Hieronymus[7]: «Ostiarii, inter bonos Ad oppositum. et malos habentes iudicium, dignos recipiunt et indignos respuunt»; sed hoc est officium clavium, sicut patuit in praecedentibus per Glossam, Matthaei decimo sexto: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia, si alicui competit dari claves, ei competit, qui habet officium ostiarii; sed multo inferior sacerdotio est ordo ille, immo primus inter ordines[8]: ergo tunc videtur ei dari potestas clavium.

3. Item, exteriora, quae sunt in ordinibus, sunt signa interiorum et spiritualium, quoniam «Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma[9]»: ergo in illo ordine datur clavis spiritualis interius, in quo datur clavis materialis exterius: ergo cum iste sit ordo ostiariorum, patet etc.

4. Item, in omni ordine est aliqua potestas spiritualis, et illa potestas ordinata est sub sacerdotali per modum ministerii in ordinibus inferioribus; sed nos videmus, in curia regis et in curia Romana[10] claves non dari principibus et consiliariis, sed clientibus et ministris: ergo cum magis competat, hanc clavem dari in traditione aliorum ordinum quam sacerdotii, cum officium sacerdotis sit in praesentia Domini ministrare et gratissimum ei sacrificium offerre; videtur etc.

Iuxta hoc quaeritur, cum detur novus usus Quaestio incid. ligandi et solvendi in dignitate episcopali, cum etiam

---

[1] Matth. 5, 45. — Superius edd. omittunt *quia*.

[2] Dist. 18. p. I. a. 1. q. 1. seq. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Potius lib. I. de Poenitentia, c. 2. n. 7, sicut etiam allegatur C. *Verbum Dei* (51.), § 2, de Poenitentia d. 1.

[4] Matth. 16, 19. — De Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum (ubi attribuitur Hieronymo), et cuius prima pars habetur hic in lit. Magistri, c. 1, altera vero (quae est Hieron.) supra d. XVIII. c. 6, vide supra pag. 497, nota 4.

[5] Vers. 23.

[6] Hebr. 5, 1. — *Minor* ostensa est supra d. 13. a. 1. q. 2.

[7] Epist. 12. seu Opuscul. de septem ordin. Ecclesiae (inter opera Hieron.), c. 2. (de secundo gradu); pluribus tamen verbis interpositis. S. Bonav. allegat secundum lit. Magistri, infra d. XXIV. c. 5. Cfr. Isidor., VII. Etymolog. c. 12. n. 32; Gratian. C. *Cleros et clericos* (1.), d. 21. § 19. — Glossa in Matth. 16, 19. allata est supra d. 18. p. I. a. 3. q. 1. fundam. 1.

[8] Vide infra d. 24. p. II. a. 1. q. 3.

[9] Secundum August. supra in lit. Magistri, d. I. c. 2. et d. VIII. c. 6.

[10] Ita codd. E I K M T V W bb, codd. F G H N aa *in curia Papae*, edd. *aliis curiis;* pro *in curia regis* codd. L Y *in politicis*. Mox pro *et consiliariis, sed clientibus* cod. U *et consulibus, sed servientibus*. Finem arg. cod. H sic exhibet: *videtur potius in aliis dari.*

ibi tradatur potestas et auctoritas pontificalis, utrum tradatur ibi alia clavis. Quod si verum esset, non ergo tantum sunt duae claves; quod est contra praedeterminata [1].

CONCLUSIO.

Solis sacerdotibus et in ordine sacerdotali clavium potestas confertur.

Respondeo: Dicendum, sicut dicunt Sancti, et Conclusio 1. hoc etiam innuit ipse modus tradendi ordines, quod in ordine sacerdotali clavium potestas confertur. — Ratio et congruitas. Huius autem ratio est *divina institutio.* Institutionis autem *congruitatem* videre possumus, quoniam harum clavium conservator habet officium *mediatoris* et officium *reconciliatoris. Mediator* autem est inter Deum et homines; *reconciliator* vero reducendo ad Ecclesiam et reconciliando Ecclesiae. Ad hoc autem, ut possit esse *mediator perfectus* et competens inter Deum et hominem, oportet, quod *posse* habeat *offerendi dona et sacrificia pro peccatis* [2], in quibus Deus placetur. Ad hoc, quod possit reducere ad corpus Christi mysticum, cuius caput est ipse Christus verus; ut recta sit et ordinata potestas, oportet, quod habeat *posse* conficiendi sanctissimum corpus Christi. Hoc autem ad solos pertinet sacerdotes. Et ideo mirabilis Dei sapientia, ordinatissimo modo ordinans ecclesiasticas potestates, hanc Conclusio 2. potestatem ligandi et solvendi solis sacerdotibus commisit, et ita in ordine sacerdotali dantur claves. — Et quoniam episcopatus non dicit *novum* Ad quaest. incid. *ordinem,* sed quandam *ordinis eminentiam;* recte dicendum est, in eo non dari *novam clavem,* sed potestatem huiusmodi *extendi* et ampliari; ut sic pateat ultimo quaesitum. Ampliatur autem potestas iurisdictionis ad *corripiendum,* in cuius signum baculus ei traditur pastoralis [3].

1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur de ostiariis, quod habent iudicium; dicendum, quod habere iudicium et potestatem ad repellendum vel admittendum est dupliciter: vel ad *ipsa Sacramenta* et eorum efficaciam, ea quidem, prout oportet, administrando; et hoc quidem spectat ad *claves caeli,* et hae sunt claves, de quibus loquimur. Alia est potestas admittendi et repellendi ad *locum* vel ad loca Sacramentorum, sicut est ecclesia; et haec spectat ad infimum ordinem; haec autem non dicitur *clavis caeli,* sed magis potestas quaedam respectu *templi materialis,* et ideo magis potest dici clavis excubantium in custodiis sanctuarii [4]. Et quamvis aliquo modo sit haec potestas spiritualis, quia inest ratione officii et ordinat ad spirituale; tamen ex hoc non dicitur *clavicularius caeli* nec ostiarius. — Et per hoc patent duo sequentia de clavibus et ostiario, quia *aliam* potentiam significant, non illam quae praedicta est et de qua nunc agitur. Solutio oppositorum. Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ista potestas est personarum infimarum in curiis hominum; dicendum, quod non est simile: quia *haec* dicit proprie potestatem respectu hominum ostium ingredientium, ex qua non acquirunt aliquam excellentiam; Notandum. sed *potestas clavium* est potestas respectu ingredientium Ecclesiam et deinde [5] caelum; et ideo ille cui collata est plena potestas, super omnes constitutus est, sicut beatus Petrus. Et quia principi collata est primo haec potestas, patet, quod non vilitatis, sed maximae nobilitatis est, et ideo nobilissimo ordini competit et aptatur.

SCHOLION.

I. Auctoritate Concilii Trident. constat, « potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam » (Sess. XIV. c. 1.); clavium ministerium spectare ad solos episcopos et sacerdotes (ibid. c. 6. can. 10.); « etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus S. *in ordinatione collatam,* tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere » (ibid.); insuper, « nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem » (c. 7. et can. 11.); « quoniam natura et ratio iudicii id exposcit, ut sententia in *subditos* duntaxat feratur » (c. 7.). — Hinc constat, quod licet in *ordinatione* sacerdoti collata sit potestas clavium respectu fori interni, tamen quoad *usum* huius potestatis tum *licitum* tum *validum* eidem conferenda sit iurisdictio ab Ecclesia. Eadem doctrina manifeste docetur iam a Conciliis Lateran. IV. et Florent. — Falsa igitur est opinio Durandi (hic q. 2.), quod clavis potestatis et iurisdictionis non distinguatur *essentialiter* a potestate ordinis; unde arguit, quod si Ecclesia non prohibuisset, vi ordinationis « quilibet sacerdos potest quemlibet peccatorem a quolibet peccato absolvere ». Tunc igitur iurisdictio data ab Ecclesia per se tantum requireretur, ut *licite* poenitens absolveretur. Pro hac opinione citatur etiam a nonnullis S. Bonav., sed perperam, cum ipse manifeste etiam ad *valorem* absolutionis requirat collationem iurisdictionis (hic q. 2, infra a. 3. q. 1.), quae aliquid de novo dat, scil. « *vim motivam* ipsius clavis » (infra a. 2. q. 2.), et quae accedit ad characterem, sicut organum oculi ad potentiam visivam in anima radicatam — Ex opposito plures recentiores putant, iurisdictionem etiam in foro interno *nullatenus* ab ordine, sed *omnino* ab Ecclesia communicari. Mediam viam cum multis tenet Scotus (hic q. unica n. 12. seqq.), quod scil. in clavibus ordinatione datis sacerdos ab ipso Christo cum potestate remittendi peccata recipiat illam potestatem *remotam,* quae non fiat *pro-*

---

[1] Dist. 18. p. I. a. 3. q. 2.

[2] Hebr. 5, 1: Ut offerat dona etc. — Vat. in principio seq. propos. post *quod possit* addit: *esse reconciliator, oportet quod possit,* et inferius verbis *ut recta sit* praemittit *et.*

[3] Vide infra d. 24. p. II. a. 2. q. 3.

[4] Haec potestas in vet. test. competebat *Levitis;* cfr. Lev. 1, 53; 3, 6; 18, 3. seqq.; 31, 30. 47. — Inferius pro *et ordinat* cod. X *ordinati.*

[5] Non pauci codd. *divinum,* quos ed. 1 secuta subinde substituit *cultum* pro *caelum.*

xima, nisi accedente iurisdictione ecclesiastica. De relatione, quae est inter hanc potestatem *remotam* et *characterem,* Scot. (loc. cit. n. 11.) ponit duas opiniones ut probabiles, quod scilicet duplex illa potestas (ordinis et iurisdictionis) vel fundetur etiam in duobus characteribus partialibus, « qui integrant totum ordinem sacerdotii » (cfr. infra d. 24. p. II.), vel « si non placet tot characteres ponere... potest dici, quod per unum characterem sacerdotalem habet quis potestatem conficiendi corpus Christi... et *disponitur de congruo* ad habendum potestatem super corpus Christi mysticum ligandi et solvendi ». — Quod autem *vi ordinationis* sacerdotes fiant apti, ut assumantur in iudices huius tribunalis interni, conforme est doctrinae Tridentini et sententiae Ss. Bonav., Thomae et communissimae.

II. De utraque huius art. quaestione praeter citatos: Alex. Hal., S. p. IV. q. 20. m. 8. a. 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3, a. 3. quaestiunc. 1; Suppl. q. 19. a. 3, q. 20. a. 1. — B. Albert., hic a. 3. 10. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2, q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum potestas clavium comitetur inseparabiliter ordinem sacerdotalem.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum haec potestas comitetur inseparabiliter ordinem sacerdotalem. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia, sicut nunquam iteratur ordinis consecratio, sic nec iteratur verbum, in quo datur potestas clavium: ergo sicut ille ordo inseparabiliter possidetur propter characterem, videtur similiter, quod haec potestas.

2. Item, potestas ista in aliquo est; constat, quod non nisi in sacerdote, non secundum carnem, sed secundum animam; sed quae secundum animam habentur, cum anima sit incorruptibilis, non possunt auferri, ut patet in scientia et virtute: ergo talis potestas non potest auferri.

3. Item, si amittuntur, aut ergo propter *ignorantiam,* aut propter *malitiam,* aut propter *subditi carentiam.* Non propter *ignorantiam,* hoc constat; non propter *malitiam,* istud constat, quia mali habent, ut visum est prius [1]; non propter *subditorum carentiam,* quia, si talis faceret carere clave, tunc mutatio subditorum mutaret claves; quod est manifeste falsum: ergo etc.

4. Item, si aliquid necessario ponit aliud, non potest aliud auferri, quin ipsum auferatur, quod ponit; sed aliquo facto sacerdote secundum Ecclesiae formam, statim habet clavem: ergo remota clave, removetur ordo. Sed ordinis character non potest amoveri: ergo etc.

Ad opposi-tum. Contra hoc obiicitur: 1. Primo de *haereticis* et *schismaticis,* qui, secundum quod dicitur in littera et habetur in principio praecedentis distinctionis [2], non possunt solvere et ligare, et tamen ordines habent, sicut infra patebit: ergo clavis non sequitur ordines inseparabiliter, quia, si non possunt, non habent potentiam.

2. Item, obiicitur de *degradatis:* constans est, quod *ordines* non possunt auferri, quia non potest auferri character: si ergo degradantur [3], hoc erit solum quantum ad *auctoritatem* sive potestatem: ergo videtur, quod illa auferatur, maxime cum videantur magis elongari ab hoc actu ipsi *degradati* quam *haeretici.*

3. Item, obiicitur de *anima separata,* quae habet *characterem ordinis* et non habet *potestatem clavium;* in patria enim cessat omnis praelatio [4]: ergo non videtur, quod inseparabiliter characterem comitetur.

Si tu dicas mihi ad haec omnia, quod omnes praedicti habent *potestatem,* sed non *exsecutionem;* hoc improbatur triplici ratione. Replicatur.

4. Prima est, quia illa potestas est *spiritualis* et *activa* — potestas enim dicitur activa, non passiva [5] — et *iterum* est in potentia *libera,* quae scilicet est liberum arbitrium, quod exit in actum, quando vult: ergo impossibile est, quod aliquis habeat *potestatem* et non habeat *exsecutionem,* quando vult. Ad veram replic. opponitur tripliciter.

5. Item, frustra est potentia, quam non consequitur actus [6]: ergo si in talibus est potentia sine actu, frustra est; sed in operibus divinis nihil debet esse frustra: ergo etc.

6. Item, si talis potentia non est in actu, quaero, unde hoc sit. Si quia Papa prohibet, vel superior; sed *contra:* quantumcumque superior prohibeat, si quis conficit, confectum est de facto; si baptizat, baptizatum est: ergo pari ratione si absolvat vel liget, absolutum et ligatum est; quod est manifeste falsum: ergo redit primum, quod tales non habent potestatem; et habent characterem: ergo haec potestas non sequitur characterem inseparabiliter.

---

[1] Art. 1. q. 2. — Inferius pro *mutatio* multi codd. et ed. 1 perperam *vitio,* Vat. *mutatione,* quae etiam subinde cum ed. 1 *amitterentur* pro *mutaret* (codd. R S T U bb *immutaret*).

[2] Cap. 2. — Quod haeretici retineant ordines, ostenditur infra d. 25. a. 1. q. 2. — In principio huius et seq. arg. pro *obiicitur* ed. 1 cum pluribus codd. *ostenditur.*

[3] Ita cod. E, in aliis et edd. *degradatur.*

[4] Cfr. infra lit. Magistri, d. XLVII. c. 5.

[5] Vide B. Albert., in V. Metaph. tr. 2. c. 12: *Potestas* est potentia stans sub complemento actualis habitus, et ideo *activa* est potestas; *potentia* autem est interminata adhuc et incompleta; et ideo proprie *materialis potentia* potentia vocatur.

[6] Secundum Aristot.; cfr. tom. I. pag. 771, nota 1. *Minor,* in qua post *divinis* codd. A V W addunt *et Domini,* et cod. H *potest* pro *debet,* insinuatur ab Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.).

CONCLUSIO.

Clavis inseparabiliter sequitur ordinem sacerdotalem quoad essentiam, sed quoad exsecutionem sequitur statum viatoris et possessionem iurisdictionis.

Respondeo: Dicendum, quod sicut de potentia visiva est loqui dupliciter: vel quantum ad *essentiam*, vel quantum ad *usum*; et quantum ad *essentiam* fundatur haec potentia radicaliter in anima nec animam deserit unquam; quantum ad *usum* vero exigit organum bene dispositum et medium illuminatum [1]: sic in proposito est intelligendum, quod, si loquamur de potentia solvendi quantum ad *essentiam*, sic radicaliter est in ipsa anima, sicut et character, nec videtur ab illo differre nisi secundum relationem quandam; et hoc modo inseparabiliter se tenet cum sacerdotali ordine.

Distinctio duplex. Conclusio 1.

Alio modo possumus loqui quantum ad *usum*, et hoc modo necessario requiritur *status viatoris* et *auctoritas iurisdictionis*. — Quod *status viatoris* requiratur, patet, quia, sicut ratio merendi non competit caritati extra statum viae, sic nec potestas reconciliandi et Sacramenta exhibendi sive administrandi nisi in statu Ecclesiae militantis; et sic per mortem dicitur potestas usum amittere in anima separata. — Quod iterum requiratur *iurisdictio*, patet sic. Sacerdos enim est *mediator*, et in quantum mediator inferior est Deo et superior poenitente et *arbiter* et *iudex* homini constitutus loco Dei ad *parcendum* [2] sive solvendum et ad *puniendum;* talis autem *iudicatio* non est sine aliqua iurisdictione in eum qui iudicatur, quia nemo potest aliquem iudicare, nisi qui iudex eius constituitur ab eo qui potest. Et ideo iurisdictio est tanquam *vis motiva* ipsius clavis, sive manus; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, nunquam aperiet; et si amittitur haec iurisdictio, cessat clavis executio. — Haec autem amittitur dupliciter: vel per *ablationem subditorum* quantum ad *rem*, et sic est in *schismaticis, haereticis, praecisis, fornicariis notoriis* [3], *excommunicatis* et huiusmodi; vel quantum ad *ablationem* secundum *rem* et secundum *spem*, et hoc est in *degradatis*, quibus sine spe recuperandi aufertur. Unde et haeretici et excommunicati dicuntur habere manum *ligatam*, sed degradati *amputatam*. — Ideo dico, quod etsi clavis quantum ad *esse* ordinem consequatur, tamen quantum ad *exsecutionem* sequitur statum et iurisdictionem.

Conclusio 2. Probatur. Notandum. Corollarium. Epilogus.

1. 2. 3. Et sic patet responsio ad tria prima obiecta de *haereticis*, de *degradatis* et aliquibus *separatis;* qui dicuntur *non posse*, quia non sunt ibi quae necessaria sunt ad usum; et tamen habent potentiam, sicut in anima caeci est potentia visiva, et tamen videre non potest.

Solutio oppositorum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est potestas *activa* et *libera;* dicendum, quod quamvis sit *activa* et in substantia *libere agente*, tamen est *ad alterum* et indiget debito suscipiente; unde, quemadmodum matrimonium est ex consensu libero, tamen, quia mater non est idonea ad contrahendum cum filio, quantumcumque consentiant, non est matrimonium. Sic intelligendum est in proposito.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod frustra est potentia, quam non consequitur actus; dicendum, quod si intelligatur de actu debito pro loco et tempore et opportunitate, potest habere locum; si autem in aliis intelligatur, multas habet instantias [4]. Et quia tales personae carent opportunitate ad actum, etsi nunquam exeant, non propter hoc habent potentiam frustra. *Praeterea*, illud verbum intelligitur de actu *generaliter*, non de hoc, vel de illo, quia non oportet, quod potentia exeat in *omnes*, sufficit tamen, quod *aliquid* faciat, ita quod non sit otiosum in natura. Et sic est in proposito, quia, etsi nihil per illam potentiam fiat *exterius*, tamen illa potest esse in animae *ornatum* quantum ad bonos, vel in *confusionem* quantum ad malos.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur [5]: quis aufert illi potentiae exsecutionem? dicendum, quod potestas contraria sive superior potest ei auferre. Et *si tu obiicias*, quod non potest auferre actum *conficiendi;* dicendum, quod non est simile duplici ex causa. Prima est, quia non potest tali auferre materiam, et si posset panem de tritico auferre, tunc auferret potentiam; sed haec aufert materiam, scilicet subditos — superior enim potestas potest subditos eximere a potestate inferioris — et hanc [6] auferendo aufert iurisdictionem. — *Praeterea*, in potestate *conficiendi* omnes pares sunt, quia haec immediate datur per impressionem characteris; sed in *iurisdictione* sive praelatione non est aequalitas: et ideo in huiusmodi possunt arceri, non sic in aliis. — Et haec est ratio, quare boni et sancti religiosi inclusi, etiam si sint sacerdotes, non habent exsecutionem clavis in absolvendo et ligando, quia non habent iurisdictionem in aliquos; et ideo ab hoc actu prohibentur. Unde Eugenius Papa [7]: «Placuit, ut nulli monachorum temerario ausu liceat poenitentiam dare» etc. — Ratio autem huius prohibi-

Notandum. Ratio 1. Ratio 2. Corollarium de religiosis.

---

[1] Vide infra d. 50. p. II. a. 1. q. 1.

[2] Edd., hic posito *aperiendum*, subinde verbo *puniendum* praemittunt *parcendum sive*.

[3] Multi codd. *notis*. Mox post *ablationem* cod. aa addit *ipsius iurisdictionis*.

[4] Cfr. III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2. ad 2. — Pro *Et quia* edd. cum uno alteroque cod. *Et iam quia*.

[5] Solae edd. *quaeritur*.

[6] Codd. vel *hoc*, vel *haec*, fortasse legendum *hos;* in nostra lectione *hanc* referendum est ad *materiam*.

[7] In Can. *Placuit communi* (8. C. 16. q. 1.) nostro concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu praesumat, neque poenitentiam dare... sit claustro suo contentus, quia, sicut piscis sine aqua caret

tionis assignatur Causa decima sexta, quaestione prima, et in pluribus decretis sanctorum Patrum. Habent tamen, sicut ibidem ostenditur, *idoneitatem* ex ordine et ex vitae merito, cui adiuncta iurisdictione quae dicitur, ordo sacerdotalis exit in actum. Unde Causa decima sexta, quaestione prima [1], Leo Papa: « Monachi, etsi in dedicatione sui presbyteratus, sicut et ceteri sacerdotes, praedicandi, baptizandi, poenitentiam dandi, peccata dimittendi, beneficiis ecclesiasticis perfruendi rite *potestatem* accipiant, tamen *exsecutionem* suae potestatis non habent, nisi a populo fuerint electi et ab episcopo ex consensu abbatis ordinati ».

Epilogus. Ex his patet, quando haec potestas datur, et quod nunquam quantum ad *substantiam* auferatur, sed solum quantum ad *usum* [2].

ARTICULUS III.

In quos claves sacerdotales habeant effectum.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur, in quos habeant sacerdotales claves usum vel effectum. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum sacerdos, qui potest absolvere subditum unum, possit et quemlibet alium.

Secundo, utrum subditus sacerdos possit absolvere praelatum suum.

QUAESTIO I.

Utrum sacerdos, qui potest absolvere subditum unum, possit et quemlibet alium absolvere.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod sacerdos, qui in unum potest, eadem ratione potest et in omnem alium.

Ad opposi-tum. 1. Levitici decimo tertio [3] dicitur: *Homo, in cuius cute apparuerit plaga leprae, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum eius;* ex hoc patet, quod quilibet sacerdos in veteri lege poterat iudicare de omnibus fidelibus de populo Israel, de quacumque esset tribu; sed quod praecessit in figura debet sequi in veritate: ergo videtur, quod hic possit quilibet sacerdos de lepra cuiuslibet iudicare. Et multo fortius hic videtur, quia maior est unitas in Ecclesia et quantum ad ministrantes Sacramenta et quantum ad caritatem fidelium, quam tunc temporis erat; sed tunc quod poterat unus poterant omnes, et in quem poterat unus, et omnes: ergo et modo debet esse similiter.

2. Item, Dominus virtutem istam sive potestatem dedit primis sacerdotibus, et secundum conformitatem eorum descendit in posteros; sed Dominus dixit generaliter Ioannis vigesimo [4]: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* et hoc ipsum dicitur sacerdoti: ergo videtur, quod detur potestas in omnes: ergo omnes potest absolvere.

3. Item, *ratione* videtur: quoniam ita videmus in *corporalibus,* quod ignis, qui comburit in una materia, comburit et in qualibet simili et eiusdem speciei; et lux, quae fugat tenebram de uno loco, similiter et de alio pellit sine instantia: ergo pari ratione videtur in proposito, quodsi aliquis sacerdos potest absolvere unum peccatorem poenitentem, quod pari ratione possit et quemlibet consimilem.

4. Item, ita videmus in *artificialibus,* quod clavis, quae unam seram aperit, aperit et omnes per eum modum factas, et e converso, multae claves similes in quantitate et qualitate unam seram: si ergo debitum peccati [5] est conforme in omnibus peccatoribus poenitentibus, et potestas aperiendi in omnibus clavibus sacerdotalibus; ergo qui potest in unum, et in quemlibet alium.

5. Item, ita videmus in *supercaelestibus,* quod Angelus ordinis inferioris potest purgari, illuminari et perfici a quolibet Angelo superioris ordinis [6]: ergo si haec hierarchia illam imitatur; cum ordo sacerdotalis sit supra laicos, videtur, quod quilibet laicus a quolibet sacerdote possit absolvi.

6. Item, si non potest absolvere omnes, cum possit unum; quaero, unde hoc sit. Aut enim est

---

vita, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit etc. Ad rationem additam respicitur in seq. propositione. Loc. cit. tam in praecedentibus canonibus, quam in seqq. (ex Conciliis et Ss. Patribus collectis) idem dicitur.

[1] Potius Gratian. super C. *Adiicimus illud etiam* (19.), ex Leone sumtum. Post *accipiant* in textu originali plura adiiciuntur. — In praecedenti propos., in qua valde discrepant lectiones, secuti sumus cod. Q; edd. *quae adiuncta iurisdictioni, quam expetit sive exquirit ordo ;* maior pars codd. cum cod. Q *quae dicitur* [i. e. sic dicta], sed habet *quae* pro *cui ;* cod. H omittit *quae dicitur ;* cod. Y *quae, adiuncta iurisdictione, quae competit* [etiam codd. M O exhibent *competit*] *ordini sacerdotali, exit in actum.* In fine solut. pro *ad substantiam* edd. *ad potentiam.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 2: Homo, in cuius cute et carne ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plaga leprae etc. — Circa finem arg. post *tunc temporis* cod. A omittit *erat,* pro quo alii codd. *esset.*

[4] Vers. 23.

[5] Codd. A aa bb *peccatorum,* plures alii codd. vel *peccatori* vel *peccatoris.*

[6] Secundum Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 3. § 2. seq. et c. 8. § 2.

potentiae *laxatione* et corruptione, aut ex *ligatione*, quia superior potestas non permittit. Primo modo non, illud patet. Secundo modo non debet, quia bonum est diffundendum et multiplicandum et colendum: ergo non est restringenda potestas; et ita videtur, quod qui in unum potest, quod possit in omnem.

Fundamenta. Contra: 1. Causa decima sexta, quaestione prima[1]: «Nulli sacerdotum liceat parochianum alterius aut absolvere, aut ligare».

2. Item, Causa nona, quaestione secunda[2]: «Nullus alterius parochianum iudicare, ordinare, aut excommunicare praesumat, quia tale iudicium aut ordinatio vel excommunicatio nec rata erit nec vires ullas habebit».

3. Item, in Concilio generali, extra de Poenitentiis et remissionibus[3]: «Si quis aliquando ex causa voluerit alteri confiteri, licentiam petat et obtineat a proprio sacerdote, quia aliter ipsum non poterit absolvere vel ligare»; sed non quilibet sacerdos est proprius, quia *proprium* dicitur quod convenit uni soli: ergo non quilibet sacerdos potest quemlibet absolvere.

4. Item, videtur *ratione:* quia nos videmus in ordinatione praedicamentorum in *rationalibus*[4] et in ordine causarum in *naturalibus*, quod reductio fit usque ad supremum per unum immediatum, ita quod non sunt plura immediata respectu unius. Et hoc patet, quia una est species specialissima individui unius, similiter est in causis: ergo si ordo est in Ecclesia secundum gradus descendendo et ascendendo a Summo Pontifice usque ad parochianum; videtur tunc, quod per unum sacerdotem, per unum archidiaconum, per unum episcopum, per unum hierarcham[5] reducatur ad Summum Pontificem: ergo non poterunt secundum rectum ordinem plures sacerdotes in unum: non ergo quilibet quemlibet potest absolvere vel ligare.

5. Item, ita videmus in *exercitibus*, quod sunt ordines distincti, ut tribunus super centuriones, et centurio super quinquagenarios, et quinquagenarius super decuriones, et decurio super decem[6]; et qui sunt sub uno non sunt sub alio decurione, nec potest decurio compescere nisi suos decem, et sic de aliis ascendendo; secundum hoc pari ratione videtur, quod nec sacerdos alterius parochianum, nec episcopus alienum subditum.

6. Item, si duo haberent *posse* super unum, qui possent discordare, possent contraria iubere; sed nemo potest duobus dominis contraria iubentibus obtemperare rationabiliter[7]: ergo posset in isto subdito perplexitas generari: ergo secundum rectum ordinem non debet duobus sacerdotibus super eundem subditum aequalis potestas dari: ergo etc.

CONCLUSIO.

Non quilibet sacerdos potest quemlibet absolvere nisi in articulo necessitatis.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Dionysius[8], «lex divinitatis est media per prima, et ultima per media perducere ad purgationem, illuminationem et perfectionem». Ideo, sicut videmus in omnibus, sive in *rationalibus*, sive in *naturalibus*, sive in *caelestibus*, quod ad hoc, quod sit concordia et decor, oportet, quod sit *ordo;* sic intelligendum est et in *spiritualibus potestatibus* in ipsa Ecclesia; unde Cantici sexto[9] legitur, quod *terribilis est ut castrorum acies ordinata.* Axioma.

Argumentatio notanda. Quoniam igitur *ordo* attenditur secundum praelationem et subiectionem; et *praelatio* attenditur secundum *ascensum* et *descensum*, non secundum aequalitatem; et in *ascendendo* ad superius est *status et reductio ad unum*, econtra in *descendendo* est *multiplicatio*[10]*:* ideo secundum rectum ordinem Ecclesiae oportuit, unum esse praelatum primum et supremum, in quo esset *status* omnis praelationis ecclesiasticae. Et quia in illo status est tanquam in primo et simplicissimo in illo genere; ideo *virtus* in eo unita est, et solus est inter praelatos, qui habet *plenitudinem potestatis*[11]. — Item, quoniam per recessum ab uno fit *multiplicatio,* et per hoc *virtutis diminutio;* ideo, quanto praelati alii inferiores sunt, tanto *plures* sunt et tanto *minorem* habent *potestatem,* ita quod *status* est in sacerdo-

Unum centrum Ecclesiae cum plenitudine potestatis.

Multiplicatio cum virtutis diminutione.

---

[1] Gratian. super C. *Adiicimus illud etiam* (19.). Cfr. Gratian. super C. *Sacerdos ante omnia* (2.), de Poenitentia d. 6. infra in lit. Magistri, d. XXI. in fine allegatus.

[2] Can. *Nullus alterius terminos* usurpet nec alterius parochianum... quia talis iudicatio vel ordinatio aut excommunicatio vel damnatio nec rata etc. (1.).

[3] Libr. V. tit. 38. C. *Omnis utriusque sexus* (12.). Cfr. supra pag. 452, nota 3. — Inferius respicitur Aristot., I. Topic. c. 4: Proprium... soli autem inest et conversim praedicatur de re... Nemo enim proprium dicit quod contingit alii inesse. Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Proprio.*

[4] Supple: disciplinis sive scientiis. Disciplina *rationalis* est logica (cfr. tom. III. pag. 568, nota 3.), in qua agitur de *praedicamentis* (cfr. tom. II. pag. 48, nota 1.). — De *specie specialissima* vide supra pag. 411, nota 16. — Vat. cum multis codd. *rationabilibus.* Idem recurrit infra in corp.

[5] Edd. praefigunt *patriarcham vel.* Sicut *patriarcha* significat patrum principem (cfr. C. *Cleros et clericos* 1. d. 21.), ita *hierarcha* principem sacrorum (ἱερά et ἀρχός). Cfr. S. Bonav., in Hexaëm. serm. 3.

[6] Vide Isidor., IX. Etymolog. c. 3. n. 29. seq. — Codd. R S T U prosequuntur *et decem, qui sunt* etc.

[7] Respicitur Matth. 6, 24: Nemo potest duobus dominis servire. — Superius pro *qui possent* cod. K (l a secunda manu) *quia possent.*

[8] De Caelesti Hierarch. c. 8. § 2. Cfr. tom. II. pag. 277, nota 7.

[9] Vers. 3.

[10] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie.*

[11] Ut dicit Bernard., Epist. 131. n. 2. et II. de Considerat. c. 8. n. 16. Lib. de Causis, propos. 17: Omnis virtus unita plus est infinita quam virtus multiplicata. Cfr. Gratian., d. 21. et 22.

tibus parochialibus, qui immediate gerunt populi curam; et istorum iurisdictio arctata est ad portiunculam determinatam, et cuilibet commissa est sua portio secundum rectam ordinationem, et illa iudicatur esse *messis sua* [1]. Et quoniam non licet alii sacerdoti mittere manum vel falcem in alienam messem; ideo alius non habet potestatem eius subditum absolvere, nisi superior, vel vicem habeat superioris, ut poenitentiarii domini Papae et poenitentiarii episcopi, legati et privilegiati, qui faciunt hoc auctoritate superioris, sicut nuntius a principe procedens potest in omnes subditos aliis inferioribus. — Haec autem intelligenda sunt secundum *legem communem*, quia in articulo *necessitatis* indulget rectitudo iuris cuilibet sacerdoti quemlibet absolvere, si sit in Ecclesiae unitate.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

Pro regula igitur habendum est, quod solus sacerdos proprius habet potestatis exsecutionem in suos, exceptis quinque casibus. Primus est, si ovis aliena in parochia sua deliquit. — Secundus, si mutavit ibi domicilium, sicut est in scholaribus, qui student Parisius. — Tertius est, si sit vagabundus. — Quartus est, si sacerdos proprius sit inscius, vel malitiosus, et petita licentia, vult adire peritiorem. — Ultimus est in articulo necessitatis, et hoc in casu non oportet sacerdotem esse licentiatum [2]. In aliis autem oportet, non a sacerdote poenitentis solum — quia ille non potest nisi *subditum* licentiare — sed oportet esse licentiatum ab ordinario, scilicet ipso episcopo. — Concedendae igitur sunt rationes probantes, quod non quilibet potest in quemlibet.

Regula cum 5 exceptionibus.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de filiis Aaron, dicendum, quod non est simile: quia populus Israel populus unus erat et unum templum habebat, nec erant ibi regna terrarum sollicitudini sacerdotum commissa, sicut nunc sunt; et ideo oportet modo esse plures episcopos [3] et plures ecclesias, quarum quaelibet habet suam potestatem.

Solutio oppositorum

2. Ad illud quod obiicitur de hoc quod dicit Dominus: Quorum remiseritis etc.; dicendum, quod clavis sacerdotalis, quamvis, quantum est de se, indifferens sit ad omnes; tamen *vis motiva* huius clavis, quae est iurisdictio, ut prius [4] visum est, non se habet ad omnes nisi in uno solo; et ideo unus solus potest omnes absolvere. Quando ergo Dominus dedit clavem et hanc potestatem, ipse praesupposuit eius exsecutionem secundum regulam potestatis collatae Petro et eius successoribus.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ignis agit in quodlibet combustibile; dicendum, quod non est simile: quia prima est actio *naturalis*, quae est secundum necessitatem, haec autem actio est *spiritualis* et rationalis, quae quidem attenditur secundum ordinem.

4. Ad illud quod obiicitur de clave et sera, dicendum, quod istud verum est, quando adest *virtus motiva*, quae clavem moveat; sed in aliquibus vis ista *arctata* est, ut in sacerdotibus inferioribus; in aliquibus *ligata*, ut in haereticis et excommunicatis; in aliquibus est *amputata*, ut in degradatis [5]. Unde sicut hi non possunt absolvere aliquem, quorum manus est *ligata simpliciter*, ita in aliis non potest clavis claudere, ubi se manus iurisdictionis non valeat extendere.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur de Angelis superioris ordinis, dicendum, quod non est simile: quia in hierarchia angelica non potest cadere zelus nec controversia, pro eo quod *concordia in sublimibus* est facta [6]; non sic est in Ecclesia, immo quilibet vult sibi ius alterius vindicare: ideo oportuit potestates distinguere et limitare.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod potestas non est arctanda; dicendum, quod arctatio potestatis potest venire dupliciter: aut propter *defectum amoris*, aut propter *conservationem ordinis*. Prima est invidiae et repugnat bonitati, secunda vero est sapientiae et concordat paci et communi utilitati; et talis arctatio facta est in minoribus sacerdotibus, regulante iure divino, immo ipso Spiritu sancto [7], per Patres et Apostolos, qui Ecclesiam fundaverunt et ordinaverunt. Et sic patet totum.

Arctatio duplex.

SCHOLION.

I. De 1. huius articuli quaestione vide auctores in praecedente scholio citatos et Alex. Hal. S. p. IV. q. 21. m. 3. a. 2. § 1. — Praeclara autem est doctrina Seraphici, qua ex ipsa Ecclesiae ratione ordinem hierarchicum comprobat et centro Ecclesiae sive Sedi apostolicae plenitudinem potestatis vindicat.

In 2. quaestione recte docet S. Bonav. contra quosdam posteriores, quod licet *superior* se possit subiicere inferiori eique dare iurisdictionem in se pro foro interno, tamen «qui *subiiciuntur* uni non possunt dare alteri auctoritatem in se».

De hac 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3; Suppl. q. 20. a. 3. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

---

[1] Respicitur Matth. 9, 37. seq. et Luc. 10, 2. Deut. 23, 25: Falcem non immittes in segetem proximi tui (secundum Septuaginta). Cfr. C. *Ecclesias singulas* (1.), C. 13. q. 1.

[2] De duobus ultimis casibus cfr. infra lit. Magistri, d. XX. c. 6. et d. XXI. c. 9. — *Licentiatum esse* saepe idem est ac *facultatem audiendi confessiones sive iurisdictionem habere.* — Post *sacerdotem* edd. addunt *alienum.*

[3] In codd. O P R S additur *aequales.*

[4] Hic in corp. et a. 2. q. 2. — Mox post *uno solo* in cod. P secunda manus addidit *scilicet in Summo Pontifice.* Subinde pro *praesupponit* ex codd. A G H substituimus *praesupposuit.*

[5] Cfr. a. 2. q. 2. — In fine solut. pro *ubi... non valeat* edd. *nisi... valeat.*

[6] Respicitur Iob 25, 2: Potestas et terror apud eum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

[7] Cfr. Act. 20, 28. — Mox edd. cum plurimis codd. omittunt *per.*

QUAESTIO II.

Utrum inferior possit absolvere superiorem, ipso volente.

Secundo quaeritur, utrum inferior possit absolvere superiorem, ipso volente. Et quod sic, videtur:

1. Quia ad Hebraeos quinto [1] dicitur, quod pontifex non tantum pro se, sed etiam pro populo debet orare, eo quod *ipse sit circumdatus infirmitate:* ergo si peccat mortaliter, indiget confiteri, quemadmodum unus de populo; sed non habet superiorem ordinarium: ergo potest confiteri et absolvi ab inferiori. Fundamenta.

2. Item, ad hoc, quod de peccato mortali fiat reconciliatio, necesse est, intervenire mediationem sacerdotis; sed possibile est, supremum praelatorum peccare: ergo indiget sacerdote reconciliante; sed non superiori: ergo inferiori.

3. Item, quamvis Summus Pontifex sit constitutus, *ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* [2]; tamen ipse per alium sacerdotem potest facere hostiam offerri, et alius potest offerre pro eo: ergo quamvis claves habeat ad solvendum, tamen alius potest absolvere eum; sed non nisi inferior: ergo pari ratione in omnibus aliis.

4. Item, potestas absolvendi data est ad utilitatem eius qui absolvitur; sed ille cui data est potestas haec, non est peioris conditionis quam alii: ergo et ille potest absolvi; sed non a se, nec a superiori, quia frequenter non habet copiam eius, aut non habet superiorem, ut Papa: ergo etc.

Contra: 1. Relationis non est relatio, « nec motus est motus [3] », nec mediationis est mediatio, nec mediatoris est mediator; sed supremus sacerdos et omnis praelatus mediator est inter inferiores et Deum: ergo non potest esse nec debet e converso. Ad oppositum.

2. Item, ad hoc, quod aliquis absolvat aliquem, necesse est, quod habeat iurisdictionem super eum, sicut in praecedentibus [4] visum est; sed inferior non habet iurisdictionem super superiorem: ergo etc. *Si dicas mihi,* quod superior dat ei iurisdictionem absolvendi; *contra:* « nemo dat quod non habet »; sed praelatus non habet iurisdictionem absolvendi se, quia non habet potestatem supra se: ergo etc.

3. Item, praelatus inferior non potest alium excommunicare [5], nec ipse potest dare alii iurisdictionem excommunicandi se: ergo similiter videtur, quod nec absolvendi.

4. Item, in hierarchia angelica non recipiunt Angeli superiores illuminationem ab inferioribus [6]: ergo similiter videtur, quod in Ecclesia superior ab inferiore non absolvatur.

5. Item, probatum est per canones et rationes [7], quod sacerdos non potest absolvere alienum parochianum: ergo nec suum praelatum, *per locum a maiori;* magis enim videtur, quod possit supra minorem quam supra maiorem. *Si tu dicas,* quod praelatus dat ei potestatem in se; quaeritur, quomodo hoc possit esse.

CONCLUSIO.

Sacerdos subditus potest absolvere praelatum, qui in foro poenitentiae ipsi se subiicit.

Respondeo: Dicendum, quod inferior superiorem potest absolvere, si superior velit se ei subiicere. — Et hoc patet sic. Virtus clavium, quantum est de se, ad omnes se extendit, nisi ex ordinatione [8] superiorum manus arctaretur propter servandum ordinem ecclesiasticum. Sacerdos enim ex sua ordinatione institutus est mediator inter Deum iudicem et hominem peccatorem, et quantum est ex parte *Dei,* non est differentia — quilibet enim suum sacerdotem reputat mediatorem, et cuilibet impressit [9] mediatoris characterem — sed differentia est ex parte *hominum:* quia, si quilibet esset mediator cuiuslibet, esset in Ecclesia confusio; et ideo alii aliis subiecti sunt, et qui subiiciuntur uni non possunt dare alteri auctoritatem in se; sed si libera esset persona, quae posset se subiicere, tunc absque dubio posset eum [10] absolvere. Quoniam ergo supremus praelatus, qui merae libertatis est et nulli subiectus, potest se cui vult subiicere, et alii exempti etiam suis subditis; concedo, quod ipsi possunt eos absolvere. Conclusio. Explicatur.

Quod autem supremus praelatus possit se ei subiicere, *ius divinum* concordat, quia, cum ipse sit *circumdatus infirmitate,* debet subiici Sacra- Confirmatur iure divino.

---

[1] Vers. 2. seq.

[2] Hebr. 5, 1.

[3] Aristot., locc. supra pag. 180, nota 3. allegatis, in quibus etiam hanc rationem addit, quod secus statuendus esset processus in infinitum.

[4] Art. 2. q. 2. — Axioma: Nemo [ed. 1 cum pluribus codd. *Nihil*] dat quod non habet, est secundum Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.).

[5] Cfr. C. *Inferior sedes* (4.), seqq., d. 21. — Pro *alium* secunda manus in cod. E substituit *superiorem.* Subinde pro *nec ipse* cod. K *nec maior potest.*

[6] Secundum Dionys., de Caelesti Hierarch. c. 3. § 3, c. 8. § 2. et c. 12. § 2. — Pro *Ecclesia* cod. U *ecclesiastica.*

[7] Quaest. praeced. — De *loco a maiori* cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[8] Ed. 1 cum pluribus codd. *ordine.*

[9] In edd. additur *episcopus;* sed potius supplendum: Deus.

[10] Edd. *eam.* Post pauca pro *merae* codd. I K *verae.*

mentis; et sicut medicus infirmatus quaerit medicum et medicinam, non in quantum *medicus,* sed in quantum *aegrotus;* sic Ecclesiae praelatus et mediator quaerit sacerdotem, in quantum Dei *inimicus* factus est per culpam et in quantum peccator. — Ius etiam *canonum* concordat, quod unusquisque possit auctoritatem suam communicare pro se et pro utilitate sua sine praeiudicio facto propriae auctoritati et potestati; et ita Summus Pontifex potest se cuilibet sacerdoti subiicere et absolutionem petere; possunt etiam et alii praelati de permissione Papae, sicut dicitur in illa decretali de Poenitentiis et remissionibus [1], quae est Gregorii: « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus episcopis et aliis superioribus nec non minoribus praelatis exemptis, ut praeter praelati sui licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessorem ». — Et sic patet, quod subditus potest superiorem absolvere, ipso volente et eligente ac per hoc se eidem in foro poenitentiali subiiciente.

Item iure ecclesiastico.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod relationis non est relatio etc.; dicendum, quod verum est, secundum quod *huiusmodi;* nec medici medicus, secundum quod huiusmodi, nec sacerdotis sacerdos in quantum talis, sed in quantum peccatoris.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de iurisdictione, dicendum, quod praelatus dat ei iurisdictionem in se, se ei subiiciendo. Et *si obiiciat tunc,* quod non potest dare quod non habet in se; dicendum, quod iurisdictio et subiectio est ad alterum; et ideo, quamvis non possit quis sibi ipsi esse subiectus, nihil [2] prohibet, ipsum subiici posse alii, maxime si est liberae potestatis.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non potest dare auctoritatem excommunicandi se; dicendum, quod argumentum istud deficit dupliciter. Primum quidem, quia excommunicatio est *contra* hominem, sed absolutio *pro* homine; et homo non potest auctoritate sua uti *contra* se, quamvis possit *pro* se. — Amplius deficit, quia alius modus iurisdictionis requiritur ad excommunicationem quam ad absolutionem. Excommunicatio namque, quae respicit hominem, *communem* dicit iurisdictionem super hominem, sed absolutio dicit *mediationem* inter Deum et hominem, quo scilicet homo semper inferior est. Et quoniam necesse est, hominem, quantumcumque sit magnus, iudicari cum [3] Deo et in iudicio esse inferiorem; quantum ad *hoc iudicium* quilibet potest, quantumcumque sit magnus, dare alii propter [4] se iurisdictionem. Sed quia praelatus talis super omnes est, talis iurisdictio, quae attenditur quantum ad *praelationem super homines,* in eum haberi non potest, nec ipse alteri dare, salvo iure suae dignitatis, ratione cuius potest dicere Deo: *Tibi soli peccavi* [5]. Et ideo non potest alteri dare potestatem excommunicandi se ipsum.

Dupliciter deficit.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de Angelis, quod non descendunt ad inferiores; dicendum, quod non est simile: quia Angeli semper in sua dignitate persistunt, nec cadit in eis obscuratio peccati; et ideo non oportet, eos ad inferiores descendere. Sed in ecclesiastica hierarchia secus est, quia peccant praelati et subditi; et ideo oportet, quod etiam ipsi subiiciantur inferioribus, quia et ipsi per culpam quodam modo inferiores facti sunt.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo de subdito alterius, patet responsio: quia non habet iurisdictionem in talem, nec talis potest ei dare, cum alteri subiectus sit. Unde sicut non valet: iste qui est servus Petri, non potest se facere servum Martini, ergo nec iste qui liber est; sic nec in proposito [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicitur: *Cum esset pontifex anni illius.* Videtur enim falsum, quia, sicut patet ex textu [7], ipse dixit animo interficiendi Christum: ergo peccavit dicendo, non prophetavit. — Item, tam ipse quam Iudaei intellexerunt de salute corporali; constans est autem, illud fuisse falsum.

Respondeo: Dicendum, quod in prophetatione illa duo est considerare, scilicet verbum *cogitationis interioris* et verbum *exterioris hominis.* In verbo autem ipso *interiori* est considerare duo, scilicet ipsius *immissionem* vel inspirationem, et post immissionem verbi immissi *diiudicationem,* quae fuit ab intellectu Caiphae. Et cum verbum haberet duplicem intellectum, scilicet *carnalem* et *spiritualem;* Spiritus sanctus immisit secundum intellectum *spiritualem,* et ipse intellexit secundum *carnalem.* — Et secundum hunc duplicem intellectum verbum *exterius* duplicem facit intelligentiam in auditoribus: unam *carnalem* in Iudaeis, et aliam *spiritualem* in Christianis. Et secundum primum intellectum non fuit verbum prophetationis, sed conspirationis; et sic intellexerunt Iudaei conspiratores; secundum vero secundum intellectum verbum fuit verum et pro-

Duplex verbum.

Subdistinctio.

Duplex intellectus.

Notandum.

[1] Extra lib. V. tit. 38. c. 16, ubi in textu originali (Gregor. IX.) post *ut* additur *etiam.*
[2] Edd. supplent *tamen.*
[3] Fortasse substituendum *coram,* vel *a.*
[4] Ita omnes codd., edd. melius *supra.*
[5] Psalm. 50, 6. — Superius post *dare* cod. G supplet *potest.*
[6] In codd. R S bb additur *intelligendum.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.
[7] Ioan. 11, 49. seqq. Cfr. 18, 14.

phetia facta fuit Christianis. Unde prophetavit nesciens, quid diceret, quantum ad *verum* intellectum, secundum quem inspiratum fuerat verbum. Et secundum hunc duplicem intellectum dicitur verbum illud fuisse fructum [1] Spiritus sancti, vel malae voluntatis ipsius pontificis.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis sit ab illis* etc.; quia secundum hoc, cum nullus sit, qui careat venialibus, nullus deberet ab eis absolvere [2]. *Si tu dicas,* quod intelligit de mortalibus; *contra:* sacerdotem, qui habet curam animarum, contigit peccare mortaliter, et tamen tenetur poenitentes audire; et nullus peccat faciendo illud, ad quod tenetur: ergo non peccat mortaliter. — Item, absolutio fructuosa et utilis fieri potest sine gratia gratum faciente: ergo non oportet, quod sit in gratia, nec tenetur, ex quo habet suum effectum.

Respondeo: Dicendum, quod absolvere a mortali hoc est hominem iudicare *in conspectu Dei;* secundum autem omne forum nullus digne iudex est, qui reus est et *in eadem damnatione* [3]*:* ideo dico, quod sacerdos, quando absolvit poenitentem, tenetur de culpa sua poenitere, alioquin indigne Sacramentum administrat; ideo graviter peccat, quia *in quo alterum iudicat, se ipsum condemnat.* (Notandum.)

Quod obiicitur de veniali, non valet, quia non est ibi iudicium. — Quod obiicitur, quod facit quod debet; dicendum, quod verum est, sed non *omni modo,* quo debet. — Quod obiicitur, quod fructuosa est; dicendum, quod verum est *suscipienti,* sed damnosa est *absolventi* sive administranti propter contemptum Sacramenti [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Iudicans enim alium, qui est iudicandus* etc. Ponatur ergo hic, quod sacerdos cognoscat parochianam suam, vel ut dicatur honestius, furetur cum parochianis suis res aliquas, utrum possit eos absolvere. Et quod sic, videtur: quia in quocumque peccato existit, absolvit de facto: ergo videtur, quod de tali possit eos absolvere. — Sed *contra* hoc est, quia non potest esse idem in eadem causa iudex et reus; et hoc patet: ergo si talis sacerdos reus est, iudex esse non potest.

Respondeo: Dicendum, quod non video, quare non possit absolvere. Esto enim, quod aliquis det malum consilium, utpote de homicidio faciendo; non video, quare ille idem non possit poenitens [5] dare bonum. — Verumtamen neutri credendum est esse tutum: non ipsi *absolventi,* quia videtur in eo manifesta praesumtio; non ipsi *poenitenti,* quia videtur in eo minus vera contritio et peccati detestatio, dum non vult detegere nisi noscenti. Unde si sacerdos nolit licentiare, debet superiorem adire; vel si ille non habeat superiorem, vel non possit ad eum ire, potest ab illo absolutionem recipere, quia revera absolvit, si contritio adest; et si ulterius ad maiorem certitudinem vult alii sacerdoti peccatum detegere, bonum est, et hoc dico ad maiorem securitatem habendam [6]. (Solvitur sec. ius antiquum.) (Notandum.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ideo liberavit peccatricem, quia non erat qui iuste proiiceret lapidem.* Secundum hoc enim videtur, quod illa peccatrix non fuit liberata ex misericordia, sed quia non aderat humana iustitia. — Item, esto quod praelatus sit malus; quaero a te, utrum teneatur subditos corrigere; constans est, quod non est absolutus a tentione: ergo si facit hoc, non [7] peccat ex hoc.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est correctio [8]: per modum *increpationis* et arguitionis; et talis arguit per modum superioris, et qui sic arguit alium, peccat, quia quod facit, non ut debet, facit; sed si *interior* sit malitia, superbiendo peccat; si *exterior,* peccat scandalizando: et ideo ad hoc, quod licite corrigat, tenetur primo *de oculo suo trabem eiicere* [9], alioquin ordinem correctionis pervertit. — Alia est correctio per modum cuiusdam *supplicationis* et admonitionis, et haec potest esse bonorum et etiam malorum; ipse autem loquitur de prima et non de secunda. — Quod obiicitur de muliere, patet, quia ille modus corripiendi erat per vindictam. — Quod (Duplex correctio.)

---

[1] Ita plurimi codd., codd. H P Q *verbum,* edd. *factum.* — Cfr. de hoc dubio August., XVI. contra Faustum, c. 23; Gregor., XXVII. Moral. c. 1. n. 2; Hug. a S. Vict., V. Allegor. in nov. testam. (Ioan. 11, 49.). Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 15; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Edd. *absolvi.*

[3] Luc. 23, 40. — Inferius respicitur Rom. 2, 1: In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas.

[4] Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Ita omnes codd., edd. *poenitenti.*

[6] Ex constitutione Benedicti XIV. *Sacramentum poenitentiae* (an. 1741) et *Apostolici muneris* (an. 1745) constat, nullum confessarium absolvere posse complicem suum in peccato turpi (excepto in articulo mortis), et absolvere praesumentem incurrere ipso facto excommunicationem Papae reservatam.

[7] Plures codd. omittunt *non.*

[8] Correctio fraterna, (a *magistris,* ut dicit B. Albert., hic a. 17.) definitur: Est admonitio fratris de emendatione delicti ex fraterna caritate procedens. Cfr. Aristot., X. Ethic. c. 9, ubi duplicem viam correctionis assignat, scil. per verba et per poenas, quia plerique non « pudori, sed timori obedire, neque abstinere a malis ob *dedecus,* sed ob *poenam* consueverunt ». — Ed. 1 cum non paucis codd. *correptio.* Vat. hic addit *una.*

[9] Matth. 7, 5: Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Cfr. Luc. 6, 42.

obiicitur, quod ideo liberavit etc.; dicendum, quod *ideo* non dicit *finem*, quia ille fuit suae misericordiae abundantia, sed potius *viam* et modum ad ipsam liberandam insinuat.

De correctione vero fraterna hoc notandum, Notandum. quod tunc tenetur homo corrigere, quando videt, fratrem graviter peccare, et credit probabiliter, quod debeat[1] prodesse et non obesse; hoc tamen cavendum, ne quis formet sibi conscientiam stultam ex modica coniectura.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Diligens ergo investigator sapienter interroget.* Ex hoc enim videtur, quod ad confessorem pertinet perscrutari conscientiam alienam. Sed contrarium habetur in Psalmo[2]: *Scrutati sunt*, inquit, *iniquitates; defecerunt scrutantes scrutinio.* — Item, Deuteronomii vigesimo quarto: *Cum repetis a proximo tuo rem aliquam, quam tibi debet; non ingredieris domum eius, ut pignus auferas, sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit:* ergo non videtur, quod homo interius debeat ad secreta cordis ingredi. — Item, ex horum peccatorum ruminatione frequenter foetor oritur concupiscentiae in *quaerente*, et generatur cognitio mali in *audiente;* propter quod etiam frequenter contingit, eum titillari ad sciendum scientia experientiae: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio oportet, Notandum. ipsum confessorem diligentem esse in investigando. Et ratio huius est, quoniam ipse iudex est, et iudex debet diligenter inquirere causae veritatem, maxime quando dubia apparet; secundum quod dicitur Iob vigesimo nono[3]: *Causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* In talibus autem Duo cavenda. inquisitionibus cavenda est superflua *curiositas* et De primo. *negligentia.* — *Quaedam* enim sunt, quae non debet inquirere in speciali confessor, sicut sunt peccata inconsueta et enormia et contra naturam, et de talibus intelligitur illud Proverbiorum undecimo[4]: *Investigator malorum opprimetur ab eis.* Et ratio huius est, quia frequenter addiscit poenitens quod non noverat, et contingit, ipsum confessorem in talibus concuti; et ideo non debet talia quaerere nisi in generali et quasi de longinquo per quasdam circumlocutiones, ut, si fecit, qui confitetur intelligat, si non fecit, non addiscat. In huius rei significationem Iudith octavo[5] dicitur: *Vos autem nolo, ut scrutemini actum meum; Iudith* confessio interpretatur, et hoc dixit sacerdotibus, quasi reprimens curiosam inquisitionem; et ideo, quia a longinquo debet esse, dicitur Iob vigesimo sexto[6]: *Obstetricante manu, eductus est coluber tortuosus.*

Alia vero sunt inquirenda, scilicet transgressio De secundo. decem praeceptorum, commissio septem capitalium, abusio quinque sensuum; et de his potest quaerere, quando videt, negligentem vel ignorantem esse ipsum poenitentem. Hoc autem semper est attendendum, ut inquisitio conferat statui poenitentis. Ideo dicitur Proverbiorum decimo octavo[7]: *Iustus in principio est accusator sui. Venit amicus eius et investigabit eum.* Et cum magna prudentia oportet hoc facere; et ideo necesse est, confessores esse discretos. Unde Proverbiorum vigesimo octavo[8]: *Sapiens sibi videtur vir dives, pauper autem prudens scrutabitur eum.*

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cum tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem* etc. Videtur enim male dicere, quia deferendum est multitudini; et « ubi multitudo est in causa, oportet rigori detrahere[9] »: ergo magis restituendi sunt in gradum pristinum, quam si pauci essent. — *Contra:* ius dicit, eos esse amovendos[10]: ergo qui restituit facit contra ius, ergo agit iniuste.

Respondeo: Dicendum, quod in talibus, quando crimen grave est vel enorme, *depositio* sive amotio Notandum. sacerdotum ab officio est de aequitate iuris et rigore, sed *restitutio* est de iuris relaxatione. In *relaxatione* autem ad hoc, ut fiat, consideranda est in eo qui facit, *potentia,* ut sit talis, qui supra ius possit et non sit illi iuri subiectus; et in eo cui fit, sit *causa idonea,* scilicet necessitas, vel utilitas; Notandum. alioquin non *dispensatio,* sed *dissipatio* debet dici[11]. Et quoniam dominus Papa non est subiectus *constitutionibus Patrum,* sed super omnes est; ideo potest in eis dispensare, et tunc bene facit, quando necessitas, vel utilitas hoc requirit. In *mandatis* vero *decalogi* nullo modo potest, quia ipse est subiectus eis; ideo dispensatio ita consuevit definiri:

---

[1] Codd. R S T omittunt *quod debeat.* — Cfr. de hoc dubio August., II. de Serm. Domini in monte, c. 19. n. 63. seqq. et in Ioan. Evang. tr. 33. n. 4. seqq. — Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 17. seqq.; S. Thom., hic q. 2; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3; Richard. a Med., hic a. 2; qui hic cum aliis commentatoribus Lombardi plures de correctione fraterna quaestiones solvunt.

[2] Psalm. 63, 7. — Seq. locus est Deut. 24, 10. seq.: Cum repetes a proximo etc.

[3] Vers. 16. — Superius pro *diligenter* non pauci codd. *libenter,* et pro *causae* plures codd. *omnem,* cod. U *rei.*

[4] Vers. 27: Qui autem investigator malorum est opprimetur ab eis.

[5] Vers. 33. — Secundum Hieron. (Origenian. sive Graecum Lexicon nominum hebraic.) *Iudith* idem valet ac « laudans aut confitens ».

[6] Vers. 13, ubi Vulgata post *manu* addit *eius.* — Mox pro *inquirenda* cod. H (bb a secunda manu) *communia.*

[7] Vers. 17: Iustus prior est etc.

[8] Vers. 11. — Cfr. de hoc dubio S. Thom., hic circa lit.

[9] Secundum C. *Comessationes* (1.), d. 44; C. *Ut constitueretur* (25.), d. 50; C. *Quoties a populis* (14.), C. 1. q. 7. et C. *Non potest esse* (32.), C. 23. q. 4.

[10] Vide C. *Si lapsis* (1.), seqq., d. 50.

[11] Ut docet Bernard., III. de Considerat. c. 4. n. 18.

Definitio dispensationis. « Dispensatio est iuris relaxatio, facta cum causae cognitione ab eo qui habet ius dispensandi. Unde *dispensare* dicitur quasi *diversa pensare*[1] »; et ideo in eis quae statum Ecclesiae decolorant, dispensandum non est, et in eis quae videntur ius infringere, et hoc est, quando multis conceditur quod paucis esset concedendum, et quando sic accipitur, non sicut fiat sibi de gratia, sed tanquam si esset de iure communi. Et in talibus loquitur auctoritas prius posita.

DISTINCTIO XX.

Pars I.

Cap. I.

De his qui in fine poenitent.

Sciendum est etiam, quod tempus poenitentiae est Leo. usque in extremum articulum vitae. Unde Leo Papa[1]: « Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia aetatis differtur consilio maturiore perficitur ». Augustinus tamen Augustinus. de poenitentiam differentibus ita scribit: « Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere poenitentiam et accipit et mox reconciliatur et hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non praesumimus, quia *bene* hinc exit; si *securus* hinc exierit, ego nescio. *Poenitentiam* dare possumus, *securitatem* vero non. Nunquid dico: damnabitur? Sed nec dico: liberabitur. Vis ergo a dubio liberari? Age poe- Dubium 1. nitentiam, dum sanus es. Si sic agis, dico tibi, quod *securus* es, quia poenitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere poenitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa ». Item[2]: « Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur; quid horum tibi sit futurum, nescio: ergo tene certum et dimitte incertum ». Sed quare hoc dixit Augustinus, cum poenitentia, quae in fine agitur, in Psalmo appelletur *sacrificium vespertinum*[3], « quod Dubium 2. erat acceptabilius in Lege », et cum, in *quacumque die invocetur* Deus, adsit, et quacumque hora ingemuerit et conversus fuerit peccator, *vita vivet et non morietur?* Sed illa dixit Augustinus propter illos qui poenitentiam usque in finem vitae protrahunt et tunc non Augustinus. ex Dei amore videntur poenitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. Unde idem[4], quasi aperiens, quare superiora dixerit, ait: « Nullus exspectet, quando pec- Dubium 3. care non potest. Arbitrii enim libertatem quaerat, ut delere possit commissa, non necessitatem; caritatem, non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem ergo sero poenitet, oportet non solum timere iudicem, sed diligere, quia sine caritate nemo potest salvus esse. Non ergo tantum timeatur pro poena, sed ametur[5] pro gloria. Quae conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam iusta conversio, timendum est de poenitente sero, maxime cum filii, quos illicite dilexit, sint praesentes, uxor et mundus ad se vocent. Multos solet serotina poenitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiam in morte iuvare valet quibus placet. Cum igitur opus sit non hominis, sed Dei, fructifera poenitentia; inspirare eam potest, quandocumque vult sua misericordia, et remunerare ex misericordia quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt, quae impediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est et interitui vicinum ad mortem protrahere poenitentiae remedium. Sed magnum est, cui Deus tunc inspirat, si quis est, veram poenitentiam ». « Sed si etiam Augustinus. sic conversus *vita vivat et non moriatur;* non promittimus, quod evadat omnem poenam. Nam prius purgandus est igne purgationis qui in aliud saeculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi ae- Dubium 4. ternus non sit, miro tamen modo est gravis; excellit enim omnem poenam, quam unquam passus sit aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inventa est poena, licet mirabilia Martyres passi sint tormenta; et multi nequiter iniqui[6] quanta saepe sustinuerunt supplicia »! — Ex his satis ostenditur, quam periculosum sit differre poenitentiam usque in finem vitae. Si tamen etiam tunc vera habeatur poenitentia, hominem liberat et vitam mortuo impetrat, non sic tamen, ut nullam sentiat poenam, nisi forte tanta sit vehementia gemitus et contritionis, quae sufficiat ad delicti punitionem. « Licet ergo sit difficile, ut tunc sit vera poenitentia, Hugo.

---

[1] Glossa in Gratian. super C. *Requiritis de iis* (5.) seqq., C. 1. q. 7. — Inferius pro *et quando* plurimi codd. *ut quando.*

[1] Epist. 167. (alias 92.) ad Rustic. Inquis. 7; C. *Nemo desperandus* (1.), de Poenitent. d. 7. — Seq. locus August. est Sermo 393. (alias 41. inter 50 Homil.); ad litteram vero in C. *Si quis positus* (2.), ibid., ubi codd. et ed. 1 *reconciliabitur* pro *reconciliatur.*

[2] Serm. cit. in fine; C. *Si quis autem* (4.), ibid. § 1.

[3] Psalm. 140, 2; cfr. Glossa apud Lyran., ubi verba: *quod erat* etc. Deinde respiciuntur Ps. 55, 10; Ezech. 18, 21.

[4] De Vera et falsa Poenitent. c. 17. n. 33; seq. locus ibid. c. 18. n. 34; uterque in C. *Nullus exspectet* (6.), ibid. In primo loco edd., excepta 1, legunt: *quaerit Deus, ut deleri possint peccata* pro *quaerat, ut delere possit peccata,* sed refragantibus codd., originali et canone.

[5] In codd. et edd., excepta Vat. et 8, sic habetur: *timeat poenam qui poenitet, sed anxietur pro gloria,* refragante tamen editione originalis et canonis; lectio codd. videtur esse antiqua, sed falsa.

[6] Ita originale, Vat. et ed. 8, sed in aliis et codd.: *multi nequiter quanta.*

quando tam sera venit, quando cruciatus membra ligat, et dolor sensum opprimit, ut vix homo aliquid cogitare
Augustinus. valeat; melior est tamen sera quam nulla [1] ». « Poenitentia enim, si in extremo vitae hiatu advenit, sa-
Hugo. nat et liberat [2] ». « Multum sera fuit latronis *poeni-*
Augustinus. *tentia*, sed non fuit sera *indulgentia* ». Sed « licet latro veniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem ».

Cap. II.

De his qui poenitentiam non complent.

Si vero quaeritur de illis qui in hac vita poenitentiam non complent, utrum transituri sint per ignem [3], ut ibi quasi compleant quod hic minus fecerunt; idem dicimus et de istis esse sentiendum, et de his qui in extremis poenitent. Si enim tanta fuerit cordis contritio et delicti exprobratio, ut sufficiat ad puniendum peccatum; liberi ab aliis poenis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit poenitentia, quia perfecte poenituerunt et ingemuerunt corde. Qui vero non adeo conteruntur corde et ingemiscunt pro peccato; si ante expletionem poenitentiae decesserint, ignem purgatorium sentient et gravius punientur, quam si hic implessent poenitentiam; *horrendum est enim incidere* Dubium 5.
in manus Dei viventis. Deus enim, cum sit misericors et iustus, ex *misericordia* poenitenti ignoscit, non reservans peccatum ad poenam aeternam, ex *iustitia* vero impunitum non dimittit delictum. Aut enim punit homo, aut Deus. Homo autem punit poenitendo, Deus autem poenam exigendo [4]. Et est poenitentia interior et exterior. Si ergo interior poenitudo tanta fuerit, ut sit sufficiens ultio peccati; Deus, qui hoc novit, ab illo qui taliter poenitet, ulterius poenam non exigit. Si vero interior poenitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior poenitentia impletur; Deus, qui modos et mensuras peccatorum et poenarum novit, addit poenam sufficientem. « Studeat ergo De vera et falsa Poenitentia.
quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat poenam tolerare. Quaedam enim peccata mor- Dubium 6.
talia in poenitentia fiunt venialia, non tamen mox sanantur. Saepe enim infirmus moreretur, si non medicaretur; non tamen statim medicatus sanatur: languet victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impoenitens moritur omnino moritur et aeternaliter cruciatur. Dubium 7.
Si enim semper viveret, semper peccaret [5] ».

Pars II.

Cap. III.

De illo cui sacerdos indiscretus iniungit poenitentiam.

Si vero de illo quaeritur, qui satisfactionem iniunctam impleverit, quae ignorantia vel negligentia sacerdotis peccato condigna non fuit, utrum de vita migrans ab omni poena liber sit; idem respondeo, quod supra [6] de illo qui poenitentiam non complevit, dixi, quod si tantum est lamentum interioris doloris, ut sufficiat in vindictam peccati, omnino liberatus est; si
Dubium 1. vero non sufficit dolor interior simul cum poena iniuncta, addet Deus poenam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati; certum do-
Dubium 2. cumentum habemus in illo latrone, qui sola mentis contritione et confessione statim, ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia dispensatores Ecclesiae contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium; omnibus leges poenitentiae constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc praecipue tendere debet, ut cordis dolorem, quantum fas est, cognoscant et secundum ipsius modum satisfactio-
Augustinus. nem iniungant. Unde Augustinus [7]: « In actione poenitentiae, ubi tale commissum est, ut is qui commisit, a Christi etiam corpore separetur; non tam consideranda est mensura temporis quam doloris: *Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit.* Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quaecumque signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur: *Gemitus meus a te non est absconditus;* recte constituuntur ab his qui in Ecclesiis praesunt, tempora poenitentiae, ut satisfiat etiam Ecclesiae, in qua peccata ipsa remittuntur; extra eam quippe non remittuntur. Ipsa enim Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata ». Item Hieronymus [8]: Alcuinus.
« Mensuram temporis in agenda poenitentia ideo non Dubium 3.
satis aperte praefigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter unumquodque emendandum sit; sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Ideoque tempora poenitentiae pro fide et conversatione poenitentium abbrevianda praecipiunt et pro negligentia protelanda; pro quibusdam tamen culpis modi poenitentiae sunt impositi ».

---

[1] Hugo de S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 5.

[2] De Vera et falsa Poenitent. c. 17. n. 33; can. cit. Seq. locus est Hugonis loc. cit.; et tertius iterum de Vera et falsa Poenitent. loc. cit., paulo superius. De *latrone* cfr. Luc. 23, 42.

[3] Plures edd. addunt *purgatorii*. Locus Scripturae est Hebr. 10, 31. De sequentibus cfr. August., Enarrat. in Ps. 44. n. 18 et Ps. 58, serm. 1. n. 13.

[4] Codd. et ed. 1 omittunt haec quatuor verba.

[5] De Vera et falsa Poenitent. c. 18. n. 34; can. cit. De ultima propos. cfr. Gregor., XXXIV. Moral. c. 19. n. 36.

[6] Hic c. 2. Infra de latrone converso Luc. 23, 43.

[7] Enchirid. c. 65. n. 17; C. *In actione* (84.), de Poenitent. d. 1. Citatur Ps. 50, 19; deinde 37, 10; in fine II. Cor. 5, 5.

[8] Potius Alcuin. de Divinis Officiis, c. 13, qui quidem citat Hieron.; C. *Mensuram autem* (86.), ibid. Plura de hoc canone vide in annotationibus ed. Migne.

Cap. IV.

Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.

Solet etiam quaeri, utrum satisfactionis lex mori-
Theodorus. turis sit imponenda. De quo Theodorus Cantuariensis episcopus[1] in poenitentiali suo sic ait: «Ab infirmis
Dubium 4. in periculo mortis positis pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen est illis imponenda quantitas poenitentiae, sed innotescenda, et cum amicorum orationibus et eleemosynarum largitionibus pondus poenitentiae sublevandum, si forte migraverint. Si vero convaluerint, poenitentiae modum a sacerdote impositum diligenter observent». Aliis vero pro qualitate peccati praesidentium arbitrio poenitentia decernenda est.
Leo. Unde Leo Papa[2]: «Tempora poenitudinis, habita moderatione, constituenda sunt tuo iudicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos. Pariter etiam habere debes aetatis senilis intuitum et respicere periculorum quorumcumque vel aegritudinum necessitates».

Cap. V.

Quod non est poenitentia neganda vel reconciliatio in necessitate.

Sciendum est etiam, quod tempore necessitatis non est neganda poenitentia vel reconciliatio poenitentibus.
Leo. Unde Leo Papa[3]: «His qui tempore necessitatis et periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire». «Quodsi ita aliqua aegritudine aggravati sunt, ut quod paulo ante poscebant sub praesenti significare non valeant; testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, simulque poenitentiae et reconciliationis consequantur beneficium». Item Iulius
Iulius Papa. Papa[4]: «Si presbyter poenitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus ait: *Cum conversus fuerit, tunc salvus erit.* Vera enim confessio ultimo tempore potest esse, quia non modo temporis, sed etiam cordis Deus inspector est, sicut latro probat».

Cap. VI.

Quod presbyter non reconciliet aliquem, inconsulto episcopo, nisi in necessitate.

Non debet tamen presbyter poenitentem reconci- Dubium 5.
liare, inconsulto episcopo, nisi ultima necessitas cogat. Unde in Carthaginensi Concilio[5]: «Presbyter, incon- Canon.
sulto episcopo, non reconciliet poenitentem, nisi, absente episcopo, ultima necessitas cogat. Cuiuscumque poenitentis publicum crimen est, quod universam commoverit urbem, ante absidam, scilicet introitum ecclesiae, manus ei imponatur». Item: «Aurelius episco- Canon.
pus dixit: Si quis in periculo fuerit constitutus et se reconciliari divinis altaribus petierit; si episcopus absens fuerit, debet presbyter consulere episcopum et sic periclitantem eius praecepto reconciliare». Inconsulto vero episcopo, non potest excommunicatos vel publice poenitentes presbyter reconciliare. Unde in Carthaginensi Concilio secundo[6] statutum est, «ut Canon.
chrisma, vel reconciliatio poenitentium et puellarum consecratio a presbyteris non fiat». Item: «Reconci- Canon.
liare quemquam in publica Missa presbytero non liceat». Puellarum tamen consecratio, consulto episcopo, Dubium 6.
per presbyterum fieri valet. Unde in Carthaginensi Concilio secundo[7]: «Presbyter, inconsulto episcopo, vir- Canon.
gines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat». Sicut praecepto episcopi potest presbyter consecrare virgines, sic et reconciliare poenitentes.

Cap. VII.

An oblatio eius sit recipienda, qui currens ad poenitentiam praevenitur morte.

Si autem quaeritur de illo qui ad poenitentiam festinans sacerdotem invenire non potuit et ita decessit, utrum oblatio eius sit recipienda; dicimus, quia est. Unde in Concilio Epaunensi[8]: «Si aliquis fuerit Canon.
mortuus, qui non sit confessus, et testimonium habet bonum, et non poterat venire ad sacerdotem, sed praeoccupavit eum mors in domo vel in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare et dent redemptionem pro captivis».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XX.

Pars I.

De confessione sacramentali quoad opportunitatem temporis respectu poenitentiae mortalium in se.

Sciendum est etiam, quod tempus poenitentiae est usque in extremum articulum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confitendi necessitate et absolventis potestate; haec est tertia pars, in qua agit de temporis opportunitate. Et habet haec pars duas. In prima agit de temporis opportunitate quantum ad poenitentiam mortalium. In secunda quantum ad remissionem venialium, distinctione sequenti, ibi: *Solet etiam quaeri, utrum post hanc vitam.*

Prima pars habet duas. In prima agit de op-

---

[1] In Fragmentis eiusdem c. 48 (Migne, Patrol. Lat. XCIX. col. 977); C. *Ab infirmis* (1.), C. 26. q. 7.

[2] Epist. 159. (alias 79.) ad Nicetam episc. c. 6; C. *Tempora poenitudinis* (2.), ibid.

[3] Epist. 108. (alias 91.) ad Theod. c. 4; seq. locus ibid. c. 5; uterque in C. *His qui tempore* (10.), C. 26. q. 6.

[4] Can. *Si presbyter* (12.), ibid., ubi citatur Ezech. 18, 21. 27, et respicitur I. Reg. 16, 7.

[5] Can. *Presbyter* (14.), ibid. Seq. locus C. *Aurelius episcopus* (5.), ibid.

[6] Can. *Si iubet* (1.), ibid. Seq. locus ibid.

[7] Can. *Presbyter inconsulto* (2.), ibid.

[8] (Alias *Apanensi*). C. *Si aliquis* (11.), ibid.

portunitate temporis respectu poenitentiae in se. In secunda in comparatione ad potestatem sacerdotis, ibi: *Si vero quaeritur de illo qui satisfactionem iniunctam* etc. Prima pars habet duas. In prima quaerit tempus poenitentiae inchoandae [1]; in secunda ipsius poenitentiae sive satisfactionis terminandae, ibi: *Si vero quaeritur de illis qui in hac vita poenitentiam* etc. Et in utraque parte primo proponit veritatem, secundo confirmat per auctoritatem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis de poena purgatoria ratione poenalitatis quaeruntur sex.

Primo quaeritur, utrum poena purgatoria sit.

Secundo, utrum sit maxima poenarum temporalium.

Tertio, utrum sit voluntaria.

Quarto, utrum sit in ea maior certitudo [2] quam in via.

Quinto quaeritur de his quorum ministerio poena illa infligitur.

Sexto et ultimo quaeritur de loco, in quo animae purgantur.

ARTICULUS UNICUS.

De poena purgatorii in se.

QUAESTIO I.

Utrum poena purgatorii sit ponenda.

Quaeritur ergo primo, utrum sit ponere poenam purgatoriam. Et quod sic, videtur:

Fondamenta. 1. Primo *auctoritate* Apostoli, primae ad Corinthios tertio [3]: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* ergo videtur, quod sit ponere poenam aliquam post hanc vitam, qua electi purgantur.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera [4]: «Aut homo punit, aut Deus punit»; sed frequenter aliqui convertuntur in fine, qui non puniuntur in praesenti: ergo necesse est, quod puniantur a Deo; sed non igne infernali sive aeterno: ergo etc.

3. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia qui gravius peccavit gravius est puniendus, ergo qui diutius peccavit diutius est puniendus; sed iste qui perseveravit in culpa usque ad mortem, diuturnius peccavit: ergo diuturnius et gravius debet puniri; sed non in hac vita: ergo etc.

4. Item, peccatum relinqui impunitum est peccatum remanere inordinatum, et hoc est universum foedari [5]; sed impossibile est, quod summa Sapientia dimittat, universum foedari: ergo oportet illud puniri; sed non in praesenti: ergo etc.

5. Item, si non est poena purgatoria, sed [6] boni statim evolant: ergo errat universalis Ecclesia, quae pro defunctis fidelibus facit suffragia.

6. Item, si non est poena post hanc vitam: ergo qui perdurat usque ad mortem in culpa, cum nullam sustinuerit poenam, reportat de malitia sua commodum [7]; quorum utrumque est falsitas manifesta.

Ad oppositum. Contra: 1. Apocalypsis decimo quarto [8]: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis:* ergo post hanc vitam nullus bonus laborat: ergo nullus affligitur: ergo nullus punitur.

2. Item, Deus est misericordissimus; sed a summe misericordi «veniam dimidiam sperare est impietas [9]»: ergo cum remittit, totum remittit. Ergo si aliquid de peccato remisso exigitur a peccatore, hoc est secundum statum praesentis Ecclesiae; sed in morte hunc statum egreditur: ergo videtur, quod amplius ab eo nihil exigatur.

3. Item, in morte absolvitur quis ab omni mandato, ergo et a mandato satisfactionis et confessionis et huiusmodi; sed punitio pro peccatis satisfactio est: ergo liberatur [10] deinceps ab omni debito punitionis: ergo, ut videtur, amplius non punitur.

4. Item, pronior est Deus ad miserandum quam ad condemnandum [11]; sed decedentem in mortali peccato statim condemnat: ergo decedentem in caritate statim glorificat.

5. Item, potentior est caritas ad elevandum, quam sit mortalis culpa ad deprimendum [12]; sed culpa

---

[1] Codd. *inchoatae.*

[2] Vat. *minor certitudo de gloria* (ita ponitur infra in ipsa quaest.).

[3] Vers. 15.

[4] Hic c. 2.

[5] Secundum August. loc. supra pag. 363, nota 6. allegato. — Pro *peccatum remanere* edd. *universum remanere.*

[6] Cod. U omittit *sed.*

[7] Vide supra pag. 103, nota 11.

[8] Vers. 13.

[9] Secundum auctorem libri de Vera et falsa Poenitentia, c. 9. n. 24. Vide supra lit. Magistri, d. XV. c. 7.

[10] Codd. F G *absolvitur.*

[11] Vide supra pag. 333, nota 3. — Vat. cum pluribus codd. *miserendum.*

[12] Cfr. tom. II. pag. 920, nota 4. — Post *Item* cod. Z addit *constat, quod.*

mortalis statim demergit in abyssum: ergo caritas statim elevat in caelum: ergo non est ponere post mortem aliquod supplicium.

6. Item, status post mortem respondet statui, qui est in via; sed in via non est nisi duplex status, scilicet bonorum et malorum: ergo post mortem non est nisi duplex: ergo statim anima decedentis[1] vel est in paradiso cum bonis, vel in inferno cum malis.

CONCLUSIO.

Poena purgatoria post hanc vitam absque dubio ponenda est.

Respondeo: Dicendum, quod — sicut dicit Scriptura, et auctoritates Sanctorum et plures revelationes et rationes concordant, et Ecclesia universalis Conclusio. confirmat, quae pro illis orat — absque dubio post hanc vitam est ponere poenam purgatoriam.

Ratio autem huius est ista. Quia *universae viae* Ratio. *Domini misericordia et veritas*[2]; sic autem *misericordia* parcit Dominus, ut veritati sive *iustitiae* non fiat praeiudicium: ideo dimittit culpam et poenam *aeternam*, ita tamen ut obligatum teneat ad poenam *temporalem*. Ab hac autem poena non absolvitur in morte: quoniam status post mortem non repugnat punitioni animae, quamvis non competat merito eiusdem — puniuntur enim animae et praemiantur — et ideo, cum non sint taliter alicui remissa peccata, quin obligetur ad aliquam poenam, nisi fiat per baptismalem gratiam[3] — et ab illa obligatione non absolvitur — et debitor poenae non possit cum debito ingredi caelum: necessarium est, esse purgatorium.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Apocalypsi, Solutio oppositorum. quod requiescunt a laboribus; dicendum, quod est Distinctio. labor in *operando* et est labor in *patiendo;* et verbum illud intelligitur de labore in *operando*, quia iam non est dies, in qua operari valeant merendo[4]; non autem intelligitur de labore in *patiendo.* Et hoc patet ex ipso textu sequenti: *Opera enim illorum sequuntur illos.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod est misericordissimus; dicendum, quod verum est, sed tamen *iustus* est; ideo veniam praestat, quam decet *iustam misericordiam* praestare. Quia enim iustus est, homini iniusto reconciliari non decet, manente iniustitia et offensa; et ideo nunc iustitiam decet, ut, remittendo unam mortalem *culpam*, remittat omnem aliam; non sic de *poena*. Quoniam enim Notandum. *misericordia* remittit poenam, et *iustitia* exigit; ideo oportet quodam modo dimidiari, ut[5] unum alteri non praeiudicet. Et sic patet, quod etiam poena exigitur in foro Dei.

3. Ad illud quod obiicitur, quod absolvitur ab omni *mandato;* dicendum, quod verum est; sed Notandum. tamen non absolvitur a *debito*, immo anima trahit secum debitum; et quia retributor est iustus, retribuit, secundum quod[6] invenit debitricem; et quia debitrix erat poenae, quam nondum exsolvit, patet etc.

4. Ad illud quod obiicitur, quod statim damnat decedentem in mortali: ergo etc.; dicendum, quod non Notandum. est simile: quoniam iste qui in mortali est, nihil habet in se, quod sit dignum vita, immo totum vel est *mortuum*, vel est *mortificatum;* et ideo summe dispositus est ad aeternam damnationem, et propter hoc statim damnatur iusta retributione. Sed ille qui est in caritate, cum caritas simul stet cum veniali culpa et reatu poenae, habere potest in se aliquid dignum poena; et quia gloria non potest simul stare cum poena secundum forum commune[7]: necesse est, prius debitum illud solvi per poenam purgatoriam.

5. Ad illud quod obiicitur de pondere, iam patet responsio: quia pondus *caritatis* habet in se aliquod *retardans*, ut culpam aliquam parvulam, vel reatum; sed pondus[8] *peccati* nihil habet *elevans*, vel *retardans:* ideo non est simile de ascensu caritatis et descensu peccati.

6. Ad illud quod obiicitur, quod non est nisi duplex status in hac vita: ergo etc.; dicendum, quod Duplex status subdividitur. licet duplex sit *principalis*, tamen uterque *subdividitur*. Nam qui *habet iustitiam* in duplici diffe- Primus. rentia est. Aut enim est in statu *perfectorum* perfectione completa; et talis non habet *cremabilia*[9] nec aliqua *debita*, et huic statim debetur vita aeterna; tales fuerunt sancti Martyres, ut Laurentius et Vincentius, et sancti Confessores, ut Benedictus et Franciscus. Alii sunt in statu *imperfectorum;* et hi habent *cremabilia* ut plurimum, et etiam *debita;* et oportet, primum *debita* solvi et *cremabilia*[10], quam introducantur in patriam; et hoc est in poena purgatoria. — Similiter *carentes iustitia* in duplici Secundus. sunt differentia: quidam in statu *parvulorum;* et hi carent iustitia originali, et his competit status in

[1] Codd. I K *decedens.*

[2] Psalm. 24, 10.

[3] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. — Pro *baptismalem* in cod. bb secunda manus substituit *specialem.* Superius pro *taliter* cod. K *totaliter.*

[4] Respicitur Ioan. 9, 4: Me oportet operari... donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. — Locus in fine solut. est Apoc. 14, 13.

[5] Cum cod. X supplevimus *unum.* Edd. legunt: *quodam modo diiudicari, ut alteri non praeiudicetur.* Superius pro *nunc* codd. R S T et ed. 1 *misericordiae,* et pro *non decet* codd. E L W *non potest.*

[6] Codd. E M W X supplent *animam.*

[7] Codd. H K *Ecclesiae.*

[8] Cod. U *sed culpa sive pondus.*

[9] Edd. *aliqua venialia, aut aliqua cremabilia.*

[10] Pro *et* [codd. I K *vel*] *cremabilia,* quod edd. omittunt, codd. F G *et cremari cremabilia,* codd. N aa *et cremari.* Mox pro *et hoc est in* cod. I *et haec est.*

limbo sine poena sensibili. Aliqui sunt in statu *adultorum*, qui carent iustitia personali sive gratuita per propriam culpam; et talibus competit status *infernalis*[1]. Et sic patet, quod ratio illa non valet. — Posset etiam dici, quod poena purgatoria non dicit *statum*, sed magis *transitum* de statu in statum. Aliter.

SCHOLION.

I. Contra errorem Graecorum iam in confessione fidei Michaelis Palaeologi, quae Concilio Lugdun. II. 1274 est oblata, doctrina catholica proposita est; item a Concilio Florent. in decreto unionis Graecorum. Cfr. etiam Lutheri propositio 37, confixa a Leone X: « Purgatorium non potest probari ex s. Scriptura ». Denique a Trident. (Sess. XXV.) sana doctrina speciali decreto explicata et proposita est. — De purgatorio solvuntur aliae quaestiones infra d. 21. p. I. a. 2. 3.

II. De 1. quaestione commentatores Lombardi, excepto Dionysio Carth., agunt infra in dist. 21; sed Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 4. — Scot., d. 21. q. 1. n. 1. 2. — S. Thom., d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — B. Albert., d. 21. a. 4. — Petr. a Tar., d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., d. 21. a. 1. q. 1. — Durand., d. 21. q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 5 seqq. qq. hic q. unica.

III. Quoad 2. quaestionem cum aliis docet etiam S. Thom. (loc. cit. quaestiunc. 3.), « quod poena purgatorii quantum ad poenam damni et sensus excedat omnem poenam huius vitae ». Hoc S. Bonav. non de *omni* poena purgatorii vult intelligi.

De eadem quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 17. m. 2. a. 2. § 3. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

IV. De 3. quaestione: S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 4. — B. Albert., infra d. 21. a. 7. — Petr. a. Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

V. De 4. quaestione: S. Thom., loc. cit. in fine. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2.

VI. Quoad 5. quaestionem etiam S. Thom. putat, animas post hanc vitam nec Angelorum nec daemonum ministerio purgari; « sed tamen possibile est, quod eos ad loca poenarum deducant; et etiam ipsi daemones, qui de poenis hominum laetantur, comitantur et assistunt purgandis, tum ut de eorum poenis laetentur, tum ut in eorum exitu a corpore aliquid suum ibi reperiant ». Ita etiam B. Albert., Petr. a Tar., Richard. a Med.; sed Dionys. Carth. (hic q. 1.) daemonibus maiorem potestatem in istas animas attribuit.

De eadem: S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 5. — B. Albert., infra d. 21. a. 9. — Petr. a Tar., infra d. 21. q. 1. a. 2. q. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

VII. De loco purgatorii eodem sensu et cum eadem distinctione loquitur etiam S. Thom., tamen non asserendo, sed secundum probabilitatem. Idem sentiunt alii hic citati.

De 6. quaestione: S. Thom., infra d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., infra d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., infra d. 21. a. 1. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum poena purgatorii sit maxima poenarum temporalium.

Secundo quaeritur, utrum poena purgatoria sit maxima poenarum temporalium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus, in quodam sermone[2]: « Ille ignis durior erit, quam quidquid in hoc saeculo poenarum aut videre, aut sentire, aut cogitare quis potest ».

2. Item, in littera[3] dicit, quod « excellit omnem poenam, quam unquam passus sit aliquis in hac vita ».

3. Item, *ratione* videtur: quia quanto quis[4] est debilior, tanto iudex puniens minori poena debet esse contentus: ergo quanto est fortior, tanto exigitur ab eo poena gravior; sed spiritus separatus improportionaliter est fortior, quam sit totum coniunctum sive homo totus; sed post hanc vitam est spiritus separatus: ergo videtur, quod gravius puniatur.

4. Item, spiritus separatus a carne semper gravius peccat quam spiritus carni unitus; sed malum poenae proportionatur malo culpae, et malum culpae semper gravius est in spiritu separato: ergo pari ratione et malum poenae.

5. Item, maior et gravior est poena passionis quam poena compassionis; sed anima exuta punitur poena passionis, coniuncta vero poena compassionis[5]: ergo etc.

6. Item, quanto poena est universalior, tanto gravior; sed anima exuta, cum punitur, tota punitur et secundum totum — cum enim sit simplex, ignis totam attingit — sed in praesenti vix aut nunquam aliqua poena totum hominem cruciat: ergo generaliter gravior est illa, quam sit aliqua temporalis poena.

Ad oppositum. Contra: 1. Deus retribuit unicuique secundum meritum suum, unde proportionaliter respondet poena reatui; sed cum quis moritur, reatus non intenditur: ergo nec poena debet intendi: ergo nec debet esse maior in futuro quam in praesenti.

2. Item, quanto aliquid magis est passibile, adiunctum punienti magis patitur et gravius punitur[6]; sed coniunctum magis est passibile quam anima se-

---

[1] Cfr. infra d. 45. a. 1. q. 2. — De ipsa solut. vide August., Enchirid. c. 109. n. 29.

[2] Serm. 104. in appendice (alias 41. de Sanctis), n. 5: Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc saeculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri.

[3] Hic c. 1, in textu ex libro de Vera et falsa Poenitentia. Cfr. Enarrat. in Ps. 37. n. 3.

[4] Edd. *quis iudicandus.*

[5] Scil. ratione corporis, in quo et cum quo patitur.

[6] Cfr. supra pag. 483, nota 4.

cundum se: ergo adiunctum affligenti magis patitur. Ergo si punitur *coniunctum* in praesenti, et in futuro anima *separata:* patet etc.

3. Item, maior est passio, in qua agens est transmutans et abiiciens, quam ubi alterum horum deficit; sed in purgatorio anima punitur, ita quod non transmutatur, nec aliquid abiicitur, in praesenti autem a corpore fit abiectio[1]: ergo videtur, quod ista poena sit gravior.

4. Item, beatior erit anima, quando glorificabitur, corpore resumto[2], et similiter miserior, quando punietur, corpore resumto: ergo unio animae ad corpus potius facit ad poenae augmentum quam ad diminutionem: ergo *ab oppositis,* separatio facit potius ad diminutionem quam ad augmentum: ergo videtur, quod minus graviter puniatur in purgatorio anima separata quam nunc, cum sit coniuncta.

CONCLUSIO.

Poena purgatorii in suo genere gravior est omni temporali poena, quam modo sustinet anima carni coniuncta.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera[3], et Sancti etiam multi dicunt, oportet nos concedere, etiamsi non appareat nobis ratio, Conclusio 1. quod poena purgatoria gravior est omni temporali poena, quam modo sustinet anima carni coniuncta. Notandum. In huiusmodi autem magis adhaerendum est auctoritati quam rationi, pro eo quod illud est magis *supra* naturam et rationem quam *secundum* natu- Restringitur. ram et rationem. — *Sane* tamen hoc intelligendum, ut *generaliter* poena illa sit maior ista, secundum illam regulam Philosophi[4]: « Si optimum in uno genere est melius optimo in alio genere, et hoc simpliciter illo melius ». Similiter intelligendum est Conclusio 2. hic, quod illa sit maior, non quia *minima* sit maior maxima in hoc genere, sed quia *maxima* in illo genere maior sit maxima in hoc genere. Sicut enim dicit beatus Gregorius[5], quibusdam revelatum est, quasdam animas in umbra punitas esse.

Ad hoc autem, quod tenemus, intelligendum Ratio 1. ab aliis assignata. aliqui voluerunt assignare rationem *naturalem*, ostendentes, quod ex natura animae veniret, quod cum anima exuta patitur, per se ipsam patitur secundum se *totam,* et ideo poena modica est ei gra- Improbatur. vissima. — Sed hunc modum dicendi non approbat ratio catholica, quae in inferno credit animas gravius puniendas post corpora iam resumta; unde credendum est, quod iusti, qui igne conflagrationis in corpore purgabuntur in die iudicii, gràvius punientur — quia brevius, et ideo intensius — quam qui nunc purgantur.

Alii voluerunt assignare rationem partim *natu-* Ratio 2. *ralem,* partim *supernaturalem.* Dixerunt enim, quod animae exutae habent potentias suas expeditas et naturale desiderium habent pertingendi[6] ad bonum, propter quod sunt creatae; et *ulterius,* gratia est in eis, quae magis istud desiderium inclinat: et ideo, cum illud bonum sitiant et ab illo retrahantur et quasi incarcerentur, modica poena sensibilis cum hac tristitia est eis maxima. Et pro tanto dicunt, poenam purgatoriam esse maximam. Sicut enim delectationes spirituales sunt intensae multum et praecellunt corporales; ita et tristitia de absentia superexcellit omnem dolorem corporalem[7]. — Sed certe Non probatur. nec ista ratio bene manuducit, si quis aspiciat. Primum quidem, quia desiderium summi Boni est desiderium, quod habet necessario iunctam secum fruitionem et aliquam realem possessionem; et ideo parit gaudium, unde qui plus desiderat summum Bonum magis ibi delectatur. In hoc enim dissimile est desiderium temporalium et corporalium a desiderio spiritualium, ut ostendit Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum[8]. Et illud veritatem habet maxime, cum Deus inhabitat per caritatem in anima. Sed secundum istam rationem poena limbi maxima esset et fuisset maxima in sanctis Patribus, ubi creditur fuisse requies sancta. — Ista etiam ratio nihil ad propositum facit, si quis inspiciat, pro eo quod Sancti non de *carentia* loquuntur, sed de *poena afflictiva,* sicut de igne sive de flamma purgatoria.

Ideo dicendum, quod ratio huius sumitur ex Ratio auctoris. *divina iustitia;* et ista est ratio recta, quia quod ignis agat in animam, ut infra[9] videbitur, non est Notandum. *naturae,* sed *iustitiae;* et ideo, quod magis agat, divinae iustitiae est attribuendum. Quoniam ergo Deus iustus poenam non acceptat, secundum quod *punitiva* tantum, sed secundum quod plus est in ea *ratio ordinis recti;* secundum hoc intelligendum, quod est poena *assumta* et poena *inflicta.* In poena Poena assumta et inflicta. *assumta* non tantum placet Deo ordinatio *poenae ad culpam,* sed *ordo et rectitudo,* quae est in voluntate assumente; in poena *inflicta* placet[10] ordinatio *poenae ad culpam.* Quoniam igitur poena poenitentium in praesenti plus est *assumta,* poena mo-

[1] Vide verba Aristot. supra pag. 389, nota 4.

[2] Cfr. infra d. 49. p. II. a. 1. q. 1.

[3] Hic c. 1. Cfr. Isidor., de Ordine creatur. c. 14. n. 12; Bernard., Serm. in obitu domni Humberti, n. 8. Richard. a Med. (hic a. 2. q. 1.) allegat etiam Algazel, V. Phys. c. 4. — Inferius pro *In huiusmodi* cod. aa *In hoc.*

[4] Libr. III. Topic. c. 2.

[5] Libr. IV. Dialog. c. 36. seq. — Inferius ante *aliqui* Vat. addit *sciendum quod,* ed. 1 et plures codd. *quod.*

[6] Cod. I *erigendi se,* cod. L *tendendi.*

[7] Edd. cum multis codd. *corporeum.* Paulo inferius pro *aspiciat* cod. K *inspiciat.*

[8] Quaest. 35. n. 1. seq. Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 36. n. 1. — Inferius pro *Sed secundum* plures codd. vel *Secundum,* vel cum edd. *Secundum etiam.* Subinde pro *sancta* edd. *facta.*

[9] Dist. 44. p. II. a. 3. q. 2.

[10] Cod. F *tantum placet.*

rientium est *inflicta* in purgatorio, pro eo quod iam non est tempus agendi, sed recipiendi; ideo modica poena in praesenti plus satisfacit, et magis est de ea contenta divina iustitia quam de magna in futuro; et ideo quasi improportionaliter maiorem exigit, ut ei satisfaciat[1]. — Exemplum autem potest haberi in istis materialibus debitis. Creditor enim plus acceptat marcam auri quam decem marcas argenti; et poena praesens illi comparata multo pretiosior est in conspectu Dei, quam sit aurum argento in conspectu hominum. — Concedendae igitur sunt rationes probantes, poenam illam graviorem esse.

Exemplum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod reatus non augetur; dicendum, quod verum est. Sed reatus poenae melius solvitur de modica poena *assumta* quam de multa *inflicta*.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod quanto magis est passibile, magis patitur[2]; dicendum, quod illud est verum, ceteris paribus; sed divina virtus, cuius est ille ignis instrumentum, ordinat, ut puniat gravius. — Vel dicendum, quod poena non iudicatur maior et minor secundum *laesionem* sive passionem, sed secundum *sensum* passionis, prout sensus refugit illam poenam. Et quoniam spiritus, licet minus laedatur ab igne quam corpus, vivaciorem tamen habet vim sentiendi passionem; et *iterum*, maxime refugit, quia hoc contra naturam suam est, non sic contra naturam corporis: ideo, quamvis minus patiatur et minus laedatur, passione[3] naturali magis punitur et magis dolet; et per hoc patet responsio ad duo ultima.

Aliter.

3. Quod enim dicitur, quod magis punit[4] quod abiicit et transmutat; dicendum, quod falsum est, quia ignis infernalis, qui urit et non consumit, gravius punit quam iste alius ignis, qui utrumque facit.

4. Similiter de alio, quod magis punit quod magis nocet[5]; dicendum, quod falsum est, quia maior poena est brachium conterere quam etiam amputare, quia remanet ibi sensus et dolor continuus. Sic et in anima, quae nunquam dormit, semper est actualis sensus nocivi et dissensus; ita quod uterque viget, et neuter minuitur, quantum est ex parte spiritus; et ideo dolor est intensus et continuus, ac per hoc gravissimus. Quomodo autem corpus agat in spiritum, infra[6] in suo loco dicetur, cum agetur de poenis infernalibus.

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum poena purgatorii sit voluntaria.

Tertio quaeritur, utrum poena illa sit voluntaria. Et quod sic, videtur:

1. Quia omnis sapiens vult illud, sine quo non potest adipisci desideratum — unde desiderans sanitatem vult secari et uri — sed animae in purgatorio non sunt insipientes et desiderant gloriam et sciunt, se non posse ad eam pervenire nisi per illius poenae tolerantiam: ergo etc. *Si tu dicas*, quod hoc non est velle *simpliciter*, sed *sub conditione; ostenditur*, quod *simpliciter* velint. Cor rectum habet qui voluntatem suam voluntati divinae conformat, ut dicit Ambrosius et Glossa super Psalmum[7], sicut habitum est in primo; sed iusti in purgatorio habent rectum cor, et Deus vult, ibi esse ipsos: ergo et ipsi volunt, se ibi esse et pati.

Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, omnis vere poenitens vult facere emendam sive agendo, sive sustinendo; sed anima, quae moritur vere poenitens, poenitentiam non amittit: ergo vult emendam facere. Sed non potest agendo, ergo patiendo: ergo vult illam poenam pati.

3. Item, omnis qui patitur aliquam poenam et non vult illam pati, iudicatur impatiens et illi est, qui infert, inobediens: ergo cum viri iusti in purgatorio poenam patiantur, si nolunt illam pati, sunt impatientes et inobedientes.

Contra: 1. «Voluntarium est illud quod est in ipso cognoscente singularia[8]»: ergo quod non est a principio intrinseco, sed extrinseco et de necessitate, non de libertate, non habet rationem voluntarii; sed talis est poena purgatoria: ergo etc.

Pro parte negativa.

2. Item, nihil, a quo quis desiderat et petit liberari, est voluntarium; si enim esset voluntarium, in eo vellet persistere; sed iusti, qui sunt in purgatorio, petunt et desiderant inde liberari: ergo etc. *Minor* multis revelationibus nota est, sicut etiam potest probari per quartum Dialogorum[9].

3. Item, quanto poena acerbior est, si voluntaria est, tanto gloriosius est martyrium; sed poena purgatorii est acerbissima, ut supra[10] monstratum est: ergo si est voluntaria, videtur, quod omnes qui transeunt purgatorium, martyres iudicandi sunt.

---

[1] Edd. cum uno alteroque cod. *satisfiat*.

[2] Cod. U *tanto magis affligitur*.

[3] Edd. supplent *tamen*.

[4] Non pauci codd. et ed. 1 incongrue *punitur*.

[5] Ita cod. U, cod. O *plus nocet*, alii minus bene tantum *nocet*, edd. corrupte *unit*.

[6] Dist. 44. p. II. a. 3. q. 2. — Pro *et ideo* edd. cum uno alterove cod. *et ille*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Psalm. 32, 1. Vide I. Sent. d. 48. a. 1. q. 2. fundam. 1. (Cfr. ibid. a. 2. q. 2. arg. 2. pro parte affirmat.), ubi in nota adiecta diximus, Glossam depromptam esse ex *August.* Respectu Ambrosii cfr. I. de Vocatione Gentium (inter opera Ambros.), c. 2, ubi insinuat, voluntatem esse bonam, si diligat quae Deo placent.

[8] Aristot., III. Ethic. c. 1. Vide tom. II. pag. 592, nota 3. — Pro *quod est in ipso* in cod. E secunda manus cum textu originali *cuius principium est in ipso* [supple cum originali *qui agit*].

[9] Scil. Gregorii, c. 40. et 55.

[10] Quaest. praeced.

CONCLUSIO.

Poena purgatorii minimam habet rationem voluntarii, quia est a voluntate tolerante quidem, sed oppositum desiderante.

Poena tripliciter voluntaria.

Respondeo: Dicendum, quod aliqua poena dicitur tripliciter voluntaria: uno modo, quia assumitur a voluntate *imperante,* sicut est poena poenitentialis; alio modo, quia sustinetur a voluntate *acceptante,* sicut est poena Martyrum, quia[1] adeo eis placet, quod ab ea liberari non vellent; tertio modo est quaedam poena, quae sustinetur a voluntate *tolerante,* ut puta poena, quae est in patientia, ita quod eius oppositum est in desiderio, sicut cum amans et desiderans sanitatem infirmatur, sustinet quidem infirmitatem tanquam poenam divinitus inflictam, attamen ab ea liberari procurat; et illud minime habet rationem voluntarii. — Hoc modo voluntaria est poena purgatoria in viris iustis, qui voluntarie eam sustinent et desiderant vehementer ad patriam pervenire, et alios sibi auxilium praebere. Conclusio.

Ad argg. Secundum hoc patet responsio ad utramque partem, quoniam rationes ad primam partem probant, illam poenam voluntariam esse hoc modo *tertio.* Rationes vero ad oppositum probant, quod non est voluntaria *primo* modo, vel *secundo;* quod patet discurrendo per singulas. Primae enim omnes rationes currunt secundum voluntatem *tolerantem,* quae Deo se conformat, cum etiam liceat aliquid sibi desiderare, quod et Deus vellet ipsam habere, quantum in se est. Sequentes rationes currunt secundum voluntatem *imperantem,* quae est ab intrinseco; vel secundum *desiderantem,* quae nollet separari a volito[2], et quae tanto magis delectat, quanto voluntarium, quod obtinet, magis desiderat[3].

QUAESTIO IV.

Utrum in poena purgatorii sit minor certitudo de gloria quam in via.

Quarto quaeritur, utrum in illa poena sit minor certitudo de gloria quam in via. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia quanto status similior est statui, quem homo omnino respuit, tanto maiorem timorem incutit ei[4] qui in eodem existit; sed status purgatorii magis similis est statui infernali quam status vitae praesentis: ergo augetur in eo timor: ergo *per oppositum* minuitur certitudo.

2. Item, anima peccatrix punitur timore et dolore, sicut econtra anima iusta reficitur gaudio et spe; sed in purgatorio augetur poena doloris[5]: ergo pari ratione poena timoris: ergo minuitur certitudo futurae beatitudinis.

3. Item, si augeretur certitudo, augeretur consolatio, et si augeretur consolatio, minueretur flagellatio: ergo si esset ibi maior certitudo, esset ibi minor afflictio quam in praesenti; sed non est minor, sed maior afflictio quam in praesenti: ergo est minor certitudo.

4. Item, si maior esset certitudo, cum non ambulet ibi anima per speciem, sed per fidem[6], quae non evacuatur, quousque veniat lux gloriae; esset ibi maior fides, et si maior fides, maior gratia: ergo *a destructione consequentis,* si gratia non est maior in purgatorio, videtur, quod nec maior certitudo: ergo saltem ita dubitat anima ibi, sicut hic. Sed hic *nescit, utrum odio, an amore digna sit:* ergo et ibi nescit, utrum sit in inferno, vel extra.

Fundamenta.

Contra: 1. Magis est certus per spem qui sperat et non potest desperare, quam qui sperat et desperare potest; sed animae, quae sunt in purgatorio, ita sperant, quod desperare non possunt, in via autem desperare possunt: ergo etc.

2. Item, maior est certitudo in eo, in quo nulla est dubitatio, quam in eo, in quo cadit dubitatio, — haec est per se vera — sed in eo qui est in purgatorio, non cadit dubitatio de gloria habenda: ergo est ibi maior certitudo. *Probatio minoris:* si potest dubitare, se perventurum; et qui potest dubitare, potest consequenter opinari; et qui potest opinari, potest credere et errare circa utramque partem[7]: ergo cum anima talis non possit errare, non videtur, quod possit dubitare.

3. Item, si venit ex hoc titubatio, aut ex *subreptione,* aut ex *scientia certa*: non ex *subreptione,* quia hoc competit animae ratione coniunctionis suae cum carne, a qua opprimitur et non omnino est domina actuum suorum. Non ex *certa scientia; probatio:* anima, quae est in purgatorio, certa fide cognoscit, quod in inferno *vermis non moritur*[8]; certa fide cognoscit, quod anima in inferno non melioratur; certa fide cognoscit, quod in inferno de-

---

[1] Codd. FGIK *quae.*

[2] Codd. FGI *quae vellet separari a nolito* [plures alii codd. habent *a nolito*]. Mox post *quanto* cod. aa addit *magis.*

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Edd. *incurrit ille.*

[5] Cfr. supra q. 2. — Post *Item* edd. addunt *sic.*

[6] Respicitur II. Cor. 5, 7: Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. Cfr. I. Cor. 13, 9. seqq. — In fine arg. allegatur Eccle. 9, 1.

[7] Vide Aristot., I. Poster. c. 26. (c. 33.).

[8] Marc. 9, 43. et 47: Ubi vermis eorum non moritur. Cfr. infra d. 50. p. II. a. 2. q. 1. seqq. — In principio arg. pro *ex hoc* edd. *de hoc,* cod. bb legit: *si incertitudo venit ex titubatione, aut* etc.

speratione cruciatur; sed constat, quod opposita videt in se: ergo ex *deliberatione* non potest de his dubitare, quin cadat a vera fide. Sed non potest fieri infidelis: ergo non potest ex *certa scientia* dubitare; nec ex *subreptione* dubitat: ergo nullo modo: ergo etc.

4. Item, cum anima a carne separatur, se ipsam nudam intuetur: ergo videt quod habet in se, ergo novit, utrum habeat culpam mortalem, an gratiam; et certa est, quod si habet gratiam, non potest ad infernum descendere: ergo videtur, quod nullo iudicio[1] dubitet: ergo multo maior certitudo est de gloria in purgatorio quam in praesenti saeculo.

CONCLUSIO.

In purgatorio est maior certitudo de gloria quam in via, minor quam in patria.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum secundum quosdam, quod pro acerbitate poenarum[2] ita absorbetur spiritus, ut ubi sit ignoret et ex hoc dubitet, utrum sit in inferno, an extra. Sicut enim anima ex dulcedine extra se rapitur, ut nesciat, utrum in corpore, an extra corpus[3] hoc videat; sic suo modo dicunt in poenis se habere. Et pro statu illo dicunt minorem certitudinem secundum *actum* esse, licet non sit minor secundum *habitum,* immo quodam modo maior. — Sed certe non videtur hoc rationabiliter sustineri: primum, quia, etsi spiritus carni coniunctus possit ab huiusmodi poenis adeo absorberi, ut usum rationis amittat, spiritus tamen separatus, qui immortalis est, non videtur adeo absorberi, cum fortior sit ad sustinendam magnam poenam in se quam in corpore parvam. — Et quod illud verum sit, patet per verba Gregorii in quarto Dialogorum[4], ubi dicit, quod quidam in purgatorio existentes in gravibus poenis petierunt adiutorium pro liberatione: ergo sciebant se aliquando liberandos. — Patet etiam per illud quod dicitur in homilia de divite et Lazaro[5], ubi dicit, quod « damnati supra se electos considerant usque in diem iudicii ». Si ergo poena illa infernalis improportionaliter gravior est quam purgatoria; et illa non absorbet usum rationis in damnatis, qui sunt oppressi verme et desperatione et culpa: quanto magis nec ista poena absorbebit spiritus iustorum, qui fortificati sunt bona conscientia et spe et divina gratia? Certe non videtur.

Opinio 1. — Improbatur.

Ideo dicendum, quod animae in purgatorio maiorem habent certitudinem de gloria quam etiam illae quae in via sunt, sicut habebant animae in limbo; et ista certitudo media est inter certitudinem *viae* et *patriae.* In *patria* enim est certitudo *tentionis* evacuans exspectationem et timorem; in *via* vero certitudo est *exspectationis* mixta[6] *timori,* quia quilibet labi potest, dum est viator; in purgatorio est *medio* modo, scilicet certitudo *exspectationis,* quia nondum obtinuit, sed est *evacuatio timoris* propter confirmationem liberi arbitrii, qua deinceps scit se peccare non posse. — Et sic patet, quod est maior certitudo, dum evacuatur timor de lapsu; et illa evacuatio non est per animae maiorem perfectionem, sed per status mutationem.

Opinio 2. et conclusio. — Triplex certitudo.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod locus ille similior est inferno; dicendum, quod duplex est similitudo vel symbolum: una, quae est via ad faciliorem transitum; per quem modum dicit Philosophus[7], quod « in habentibus symbolum facilior est transitus »; et de hac verum est quod obiicit. — Alia est similitudo, quae tamen ad transitum non disponit, sicut os similius est ossi, quam sit humor; et tamen non ita de facili posset converti in alimentum ossis, sicut humor. Et de isto non habet veritatem quod obiicit. Quia enim difficilior est transitus, ideo minus potest, immo si nullus est transitus, nullo modo potest timere. Quoniam ergo ab igne purgatorii in infernum descendere est impossibile, non[8] ab igne praesentis supplicii sive status praesentis; quamvis ille sit similior, non inducit maiorem timorem.

Solutio oppositorum. — Distinctio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod punitur dolore et timore; dicendum, quod ad hoc, quod sufficienter puniatur, non oportet, animam puniri omni genere poenae. Afflictio enim ignis vel cruciatio doloris sufficienter punit, etiam si non adsit titillatio vel titubatio timoris.

3. Ad illud quod obiicitur, quod augmentata certitudine, augetur consolatio; dicendum, quod hoc verum est, ceteris paribus; sed quoniam illa certitudo est cum afflictione et exspectationis dilatione; ideo non tam viget ibi consolatio quam afflictio. Attamen nec *in ira sua continet misericordias suas*[9]

---

[1] Codd. F G *nullo modo.*

[2] Cod. X supplet *in purgatorio.* Cod. K *propter acerbitatem poenarum.* Pro *absorbetur* plures codd. *absorbebitur.*

[3] Respicitur II. Cor. 12, 2. et 3: Sive in corpore, sive extra corpus, nescio. — Pro *anima* ed. 1 *Apostolus.* Aliquanto inferius voci *rationabiliter* cod. W praemittit *posse.*

[4] Cap. 40. et 55.

[5] Luc. 16, 19. seqq. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 8: Credendum vero est, quod ante retributionem extremi iudicii iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt, ut... etiam de illorum bono crucientur.

[6] Cod. H *iuncta.* Inferius pro *quia nondum* edd. *eorum quae nondum,* et pro *obtinuit* cod. U *obtinent.* Subinde post *scit* codd. R S T bb addunt *bene.* Pro *dum* cod. K *cum.*

[7] Libr. II. de Generat. et corrupt. text. 25. (c. 4.). — Inferius post *Alia est similitudo* in cod. X secunda manus addidit *secundum conformitatem.*

[8] Codd. F G *non autem.*

[9] Psalm. 76, 10: Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas? — Mox respicitur Hab. 3, 2: « Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis », et in praecedentibus Prov. 13, 12: Spes, quae differtur, affligit animam. — Pro *rememoratur* codd. 1 K *recordatur.*

Dominus, sed cum iratus est, misericordiae suae rememoratur et vehementer afflictos aliqua spei certitudine refocillat.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ambulat per fidem, ergo etc.; dicendum, quod etsi *per fidem ambulet* quantum ad ea quae Divinitatis sunt, quae nondum *per speciem* intuetur; nihilominus tamen aliqua sunt nobis invisa, quae anima exuta novit tanquam certitudinalia, utpote divinam sententiam de se latam, quae de unoquoque homine particulariter fertur in eius exitu; hoc autem fidem non evacuat, quia credit *non apparentia* et adhuc indiget substantia rerum sperandarum et argumento non visarum [1].

QUAESTIO V.

Utrum poena purgatorii ministerio daemonum infligatur.

Quinto quaeritur, quorum ministerio poena illa infligitur. Et quod ministerio daemonum, videtur.

Ad oppositum.

1. Sicut dicit auctoritas, et habetur infra distinctione quadragesima septima [2]: « Illos habebunt tortores in poena, quos habuerunt incentores in culpa »; sed constat, quod iusti purgantur pro eis culpis, quas daemones incenderunt: ergo etc.

2. Item, in legenda beati Martini [3] dicitur, quod diabolus stabat ad eius obitum, sicut ibi dicitur, quod dixit: « Quid astas hic, cruenta bellua »? sed constans est, quod sciebat, se non posse eum trahere ad infernum, cum sciret virum sanctum: ergo saltem volebat ducere in purgatorium.

3. Item, *ratione* videtur: quia crudelius est vexare bonos quam affligere malos; sed quod crudelius est crudeliori tortori debet committi: ergo cum diabolus cum suis angelis sit crudelissimus [4], videtur, quod eorum sit viros iustos in purgatorio affligere.

4. Item, viri iusti affliguntur in purgatorio; constat, quod non ratione eius quod habuerunt simile Deo, sed ratione eius quod habuerunt simile diabolo: ergo quamdiu est in illis ille reatus, non sunt omnino erepti ab eius potestate: ergo videtur, quod ab eis affligantur.

Fundamenta.

Contra: 1. Gregorius in quarto Dialogorum [5] dicit, quod animae reproborum per se ipsas descendunt ad infernum: ergo pari ratione, immo multo fortiori, per se ipsas sine daemonum ministerio descendunt in purgatorium.

2. Item, animae puniuntur in purgatorio ad hoc, ut purgentur et in caelum introducantur; sed daemones abhorrent animarum purgationem et liberationem: ergo talem purgationem sive punitionem non administrant, sed fugiunt.

3. Item, sicut dicit Augustinus [6]: « Si diabolus cognovisset patientiam Iob, et quod eius tentatione deberet proficere; nequaquam ipsum amplius vexasset »: ergo cum sciat certis signis, quod illae animae iustae suae non sunt, et quod ex poena sunt meliorandae; videtur, quod eas amplius nullatenus vexet.

4. Item, alius est qui punit filium, alius qui punit latrunculum — filium enim punit dominus domus vel doctor, sed latronem punit emissarius [7] vel tortor — sed daemones sunt tortores, et iusti sunt sicut filii: ergo nequaquam conveniens est, illos ab eis puniri.

5. Item, iniustum est, ut qui de altero triumphavit eidem subiiciatur post triumphum; sed anima viri iusti de daemonibus triumphavit in hac vita: ergo iniustum est, ut diabolus super eam *posse* habeat post hanc vitam.

CONCLUSIO.

Poena purgatorii non infligitur ministerio daemonum nec bonorum Angelorum; probabile tamen est, animas deduci ad caelum et purgatorium a bonis Angelis, ad infernum a malis.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod poena purgatorii ministerio daemonum infligatur, pro eo quod in Scriptura aut vix aut nunquam legitur, quod bonus Angelus bonos vexaverit, sed vexatio bonorum solum a malis fuit, sicut est exemplum de Iob [8], exemplum etiam de An- Opinio 1.

---

[1] Hebr. 11, 1: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. — Superius pro *invisa* plures codd. *non visa*, et pro *hoc autem* edd. *haec autem*. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Cap. 5.

[3] Cfr. Sulpit. Sever. Epist. 3. ad Bassulam, et Breviar. Roman. in festo S. Martini (11 Nov.) II. Noct. 3. lect., ubi pro *bellua* substituitur *bestia*, quod exhibent etiam codd. E G N aa. — Inferius post *cum sciret* cod. A supplet *ipsum*, codd. F G *eum*.

[4] Non pauci codd. *sint crudelissimi*. Mox pro *eorum* ed. 1 *eius*, Vat. *eius et suorum*.

[5] Vide c. 28, ubi dicit, quod « necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat ».

[6] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 17. n. 34: Qui [daemones] tamen, si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent; sicut illam in Iob nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio, si posset diabolus cernere, nollet a tentato utique superari.

[7] Emissarius secundum Du Cange, Glossarium etc., idem est ac percussor, sanguinarius, satelles etc. — Mox voci *tortores* cod. F praemittit *sicut*.

[8] Iob 1, 8. seqq. — De Antonio vide eius vitam in I. libro de Vitis Patrum, c. 4.

tonio; mali vero vexati sunt a bonis et a malis. — Ratio eorum. Et ratio huius videtur esse secundum eos: quia qui vexat alterum et affligit quoddam odium habet; diabolus autem odit bonos et malos ob suam crudelitatem: ideo utrosque affligit, cum sibi permittitur, maxime cum affliguntur pro peccato, quod est eius similitudo et quaedam characteristicatio. Boni vero non odiunt nisi malos, et ideo illos solos affligunt, Non probatur. sicut afflixerunt Sodomitas et Aegyptios [1]. — Sed licet videatur esse magis conveniens, ut fiat hoc ministerio *daemonum* quam *sanctorum spirituum;* melius tamen videtur esse dicendum et rationabilius etiam, quod sicut, divina iustitia iubente et flatu eius succendente [2], mali adurentur in inferno post Non per daemones. iudicium, sic etiam nunc in purgatorio. — Non enim videtur probabile, quod *daemones* illud ministerium exerceant, cum ibi purgetur peccati scoria, secundum quam quodam modo anima similis erat diabolo; et diabolus suam similitudinem nolit delere, sed potius confirmare; nec unquam exerceat hominem, nisi in quo sperat victoriam acquirere; nec vexet eum, a quo victus est et deiectus; et alia plura ad hoc faNon per Angelos. ciunt, quae tacta sunt. — *Rursus,* non videtur hoc probabile, ut ministerio fiat *Angelorum bonorum,* ut tam graviter affligant et puniant concives suos; nec hoc de facili per Scripturam posset probari, non solum in se, verum etiam in simili; quamvis Iacob patriarcha visus sit ab Angelo laedi, cum *emarcuit nervus femoris eius* [3], sed illud magis fuit ad concupiscentiae repressionem quam ad gravem afflictionem.

Ideo concedendum, quod non fit ministerio *daemonum* nec etiam *supernorum spirituum,* nisi Conclusio 1. fortassis quantum ad *directionem.* Credendum est enim, quod in egressu animae a corpore assistunt et spiritus bonus et spiritus malus, unus vel plures, et tunc secundum veritatem ferri sententiam; et si bona est, per ministerium boni Angeli vel ad- Conclusio 2. duci in caelum, vel in purgatorium, quousque, postquam purgata fuerit, per eius ministerium educatur, ita quod ipse solum sit deductor et non tortor; si vero sit mala, per ministerium daemonum Conclusio 3. deduci ad infernum [4]. Hoc, inquam, tanquam magis probabile concedendum, quamvis nihil sit in hac parte temere asserendum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod incentores erunt tortores; dicendum, quod verum est, nisi illa culpa remittatur, et homo poeniteat; et hoc non habet locum in proposito [5].

2. Ad illud quod obiicitur, quod praesens erat in obitu Martini; dicendum, quod hoc non erat, ut deduceret ad purgatorium, sed quia cupiebat insidiari calcaneo [6] ac per hoc detrahere in abyssum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod maioris crudelitatis est; dicendum, quod verum est, si ibi staret intentio; sed illa punitio est transitus ad aeternam glorificationem; non sic est in damnatis: ideo non est simile.

4. Ad illud quod obiicitur, quod puniuntur ratione similitudinis; dicendum, quod est puniri *sim-* Distinctio. *pliciter* et est puniri *sic* vel *hic* [7]. *Primo* quidem modo puniuntur ratione peccati; sed *hic* et *sic* puniuntur ad purgationem, quoniam habent iustitiam. Et hinc est, quod talis punitio ad diabolum non spectat [8].

QUAESTIO VI.

Utrum locus purgatorii sit superius, an inferius, an in medio.

Sexto et ultimo quaeritur de loco, in quo animae puniuntur hac poena. Et quaeritur, utrum locus ille sit superius, an inferius, an in medio. Et quod in loco *superiori,* videtur sic.

Ad oppositum. 1. Animae illae iustae erutae sunt *de potestate tenebrarum* [9], quoniam hoc dicitur de omnibus viris iustis, et de illis maxime verum est, quos non possunt ad malum pertrahere; sed ipse diabolus est princeps aëris huius: ergo videtur, quod illae animae supra hunc aërem sint elevatae: ergo videtur, quod locus purgatorius animarum sit in sphaera ignis sursum.

2. Item, in corporalibus situs sequitur pondus, et cum habet in se inclinationes diversas, sequitur naturam praedominantis: ergo *a simili* in spiritibus locatio sequitur pondus spirituum; sed « pondus in spiritibus est amor » [10]: ergo si in spiritibus praedominatur amor castus, qui tendit sursum; videtur,

---

[1] Gen. 19, 13. — Exod. 12, 29. et 14, 19. seqq. Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 22.

[2] Respicitur Isai. 30, 33: Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Cfr. ibid. 57, 16: Et flatus ego faciam. — Vat. *flatu ignis,* quae insuper inferius pro *nunc* cum ed. 1 exhibet *et,* non pauci codd. *et nunc.*

[3] Gen. 32, 25: Tetigit nervum femoris eius, et statim emarcuit.

[4] Cfr. Gregor., IV. Dialog. c. 38. et Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XVI. c. 2. — Pro *deduci* ed. 1 *ducitur,* Vat. *deducitur;* utraque superius *adducitur* pro *adduci.*

[5] Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. ad eandem obiect. respondet: Dicendum, quod illud verbum Magistri intelligendum est de damnatis et pro tempore ante iudicium.

[6] Respicitur Gen. 3, 15: Et tu insidiaberis calcaneo eius. — Cod. X addit *eius.* Superius pro *deduceret* edd. et plures codd. *adduceret,* codd. G bb *educeret.*

[7] Edd. *sic.* Idem recurrit paulo inferius.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Col. 1, 13. — Inferius respicitur Eph. 2, 2, ubi Apostolus diabolum nominat « principem potestatis aëris huius ».

[10] Secundum August. et Bernard.; cfr. tom. III. pag. 639, nota 3. — Superius post *et cum* Vat. cum uno alteroque cod. supplet *corpus.*

quod spiritus absolutus a corpore, si habeat caritatem, quamvis aliquid habeat cremabile, debeat esse sursum.

3. Item, purgatorium est via media transeundi a statu viae in statum patriae; sed status viae est circa locum terrestrem, status patriae est intra locum supracaelestem: ergo cum via sit media ad terminum, videtur, quod purgatorium sit in medio inter caelum et terram. Sed medium illud sursum est et maxime competens sphaerae ignis [1]: ergo etc.

Sed quod sit in loco *inferiori*, scilicet infernali, videtur:

1. Primo *auctoritate* Gregorii in Dialogo [2]:
Fundamenta. « Una eademque vis irruens bonos probat, purgat et eliquat; malos vero condemnat, devastat et exterminat »: ergo videtur, quod idem sit puniens, et idem etiam sit locus purgandorum et damnandorum.

2. Item, hoc videtur *per simile:* quia limbus sanctis Patribus fuit loco purgatorii; sed constat, quod limbus aut fuit infernus, aut iuxta infernum; quod patet per articulum fidei [3]: « Descendit ad inferos »; dicitur etiam, quod *exspoliavit principatus et potestates,* ad Colossenses secundo: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia locus poenae est locus ignobilis, sicut locus gloriae est nobilis; et iterum, culpae, in quantum huiusmodi, locus debetur inferior; sed locus purgatorius est poenalis, locus etiam purgatorius est debitus ratione culpae: ergo debet esse ignobilis. Sed locus quanto superior, tanto nobilior, et quanto inferior, tanto minus nobilis: ergo etc.

Sed quod sit in *medio,* videtur.

4. Hugo de sancto Victore [4]: « Probabile est, quod in his locis puniantur, in quibus culpam commiserunt »; sed culpam commiserunt hic in medio: ergo etc.

5. Item, hoc ipsum videtur *exemplo:* in quarto Dialogorum [5] narrat Gregorius de Paschasio, quod Germanus episcopus, vir sanctus, eum in quibusdam balneis invenit, ad quae iverat ipse episcopus consilio medicorum; et Paschasius iampridem mortuus ibi puniebatur et post eius adiutorio liberatus est, signo dato eidem episcopo, si post trigesimum diem non inveniretur ibidem.

6. Item, hoc etiam videtur *ratione:* quoniam status purgatorius est status medius inter statum gloriae et statum damnationis aeternae: ergo in medio inter utrumque deberet esse: ergo nec superius nec inferius, sed in medio circa nos.

CONCLUSIO.

Purgatorii locus probabiliter secundum legem communem est inferius, est etiam medius secundum dispensationem divinam.

RESPONDEO: Dicendum, quod istud a Sanctis de- Notandum.
terminatum non est, nec rationes multum efficaces ad hanc materiam adduci valent de facili, pro eo quod licitum est hic varie sentire; et secundum tres partes propositi problematis inventi sunt diversi diversa sentire, innitentes rationibus iam tactis. Quidam enim dixerunt, quod locus est *sursum,* Opiniones tres.
quidam, quod *deorsum* sub terra, quidam, quod ibi, *ubi peccaverunt.* — Sed si dixerimus, quod Opponitur contra easdem.
omnino sursum sit, repugnabit ratio et auctoritas et revelatio, quia frequenter plures circa nos pati inventi sunt. Si dixerimus, quod *omnino deorsum,* idem inconveniens sequitur. Si dixerimus, quod *ubi peccaverunt,* illud omnino incredibile, vel improbabile videtur, ut omnes animae, quae Parisius peccaverunt, Parisius puniantur.

Quid ergo dicendum? Sane potest dici, quod est determinare locum purgatorium dupliciter: vel se- Distinctio.
cundum *legem communem*, vel secundum *dispensationem divinam.* Si secundum *legem communem;* Conclusio 1.
sicut *limbus inferius* fuisse credendus est, non superius [6], sic locus *purgatorius.* Et talis locus competit *punitioni,* talis etiam locus competit *satisfacienti* sive ei qui affligitur merito foeditatis culpabilis. Hic autem locus pars inferni creditur a quibusdam propter illud verbum Gregorii, quod sub eodem igne electus purgatur, et damnatus crematur, in quarto Dialogorum [7]. — Si autem loquamur se- Conclusio 2.
cundum *dispensationem specialem;* sic diversis diversa loca concessa sunt, vel propter eorum *cele-* Ratio triplex.
riorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare, sicut docet exemplum de Paschasio; vel propter *nostram instructionem,* ut aliquando recogitemus magnam post hanc vitam poenam infligi peccantibus; vel propter alicuius *Sancti impetrationem,* sicut legitur, quod sanctus Patritius impetravit cuidam, quod puniretur in quodam loco in terra; ex quo fabulose ortum est, quod ibi esset Nota.
purgatorium [8]; et sic sunt diversa loca.

Concedendum igitur est, quod locus purgato- Epilogus.

---

[1] Vide tom. II. pag. 321, nota 4.

[2] Etiam S. Thom. (hic d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2.) allegat Gregorium; e codd. nostris codd. IK recte *August. in de Civ. Dei* (lib. I. c. 8. n. 2.); sed quia infra in corp. omnes codd. et edd. exhibent *Gregorium,* nihil mutavimus. — Pro *irruens* cod. bb *urens,* edd. *puniens.*

[3] In Symbolo Apostolorum. — Seq. locus est Col. 2, 15: Et exspolians principatus et potestates. Cfr. III. Sent. d. 22. q. 4.

[4] Lib. II. de Sacram. p. XVI. c. 4: Et fortassis probabilius erit, ut in iis potissimum locis singulae [animae] poenam sustinere credantur, in quibus culpam commiserunt.

[5] Cap. 40. — Codd. et edd. pro *Germanus* falso *Cyprianus.*

[6] Vide infra d. 45. a. 1. q. 1. seq. — Vat., pro *sicut* posito *sic,* omittit *non superius*, substituens subinde *ut sit* pro *sic.* Inferius pro *culpabilis* cod. Y *culpae.*

[7] Cfr. supra nota 2.

[8] Videtur respici Henrici Saltariens. (1150) tr. de *Purgat. S. Patritii,* in quo agitur de quodam loco in Hibernia (Reglis)

rius est *inferius* secundum *legem communem;* est etiam *medius* secundum dispensationem; *superius* in sphaera ignis non est aliquo istorum modorum, sed qui hoc cogitat moveri videtur secundum phantasticam fictionem.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est in superiori, quia sumus eruti de potestate tenebrarum; dicendum, quod inferius existentes etiam eremptae esse possunt animae, quia satanas non regnat nisi in mundanis per conversationem, non per localem inhabitationem. (Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod corpus sequitur naturam praedominantis; dicendum, quod motus animae sursum vel deorsum non est secundum suum desiderium, sed secundum divinum iudicium, quod est movens supremum; et quia illud iudicium decrevit eam affligere ad tempus, et hoc competit loco deorsum, scilicet punitio et afflictio: ideo patet illud, quod non sequitur naturam praedominantis nisi[1] iuxta regulam supremi moventis. (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod est via; dicendum, quod est via *retardans*, et eo quod est retardans, aliquo modo est *obliquans;* et quia aliquo modo obliquat, ideo non oportet, quod *recte sit in medio;* et[2] tunc esset via recta et velox, nunc est tardior. Et sic patet illud. (Notandum.)

Rationes vero ad alia duo membra, etsi non sint multum efficaces; tamen, quia verum concludunt, concedendae sunt. (Ad fundam.)

Ad illud tamen, quod ultimo obiicitur, quod medius est, ergo in medio debet esse; dicendum, quod plus sapit naturam unius extremi[3], pro eo quod punitur ibi non pro eo quod habet de iustitia, sed de culpa. Unde cum non sit nisi duplex meritum, scilicet bonum et malum, secundum legem communem solum debet esse locus duplex correspondens retributioni utriusque: unus nobilis, qui est supremus, alter ignobilis, qui est infimus; et propter hoc, ut dicit Gregorius[4], vocatur *infernus,* quasi inferius, vel infra nos sive sub nobis[5]. (Ad 6. fundam.)

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit Augustinus: *Si sic agis, dico tibi, quia securus es* etc. Videtur enim male dicere, quia *nemo scit, utrum amore, an odio dignus sit*[6]*:* ergo nemo securus est.

Duplex certitudo. Respondeo: Dicendum, quod duplex est certitudo, scilicet *scientiae* et *coniecturae;* certitudinem *scientiae* nemo habet nisi per revelationem, certitudinem autem *coniecturae* habet qui sanus poenitet, cum ei prospera arrident; tunc signum est, quod dolor suus est ex Dei gratia, non ex affectione terrena[7]. Utraque harum certitudinum caret qui in fine poenitet sera poenitentia, quia magis habet rationem ad oppositum quam ad propositum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cum, in quacumque die invocetur Deus, adsit.* Videtur enim hoc esse contra illud Michaeae tertio[8]: *Tunc clamabunt, et non exaudiam;* et Glossa super illud: *clamabunt,* scilicet « sera poenitentia »: ergo videtur, quod Dominus non semper adsit.

Duplex invocatio. Respondeo: Dicendum, quod invocatio potest venire ex duplici principio, scilicet ex *timore* poenae, vel ex *amore* divinae misericordiae. Primum est *servitutis,* et hanc invocationem Dominus non exaudiet; secundum est filiationis et veritatis, et hanc invocationem exaudit, secundum illud Psalmi[9]: *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.*

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Arbitrii libertatem quaerit Deus, ut delere possit commissa.* Videtur enim non bene dicere, quia Deus potest iustificare hominem etiam dormientem, sicut illustravit Salomonem etiam in somnis[10], quando non est usus liberi arbitrii. — Item, libertas arbitrii durat, quamdiu homo vivit, secundum possibilitatem ad meritum et demeritum, secundum impossibilitatem[11] ad coactionem: semper ergo, quocumque modo intelligat de arbitrii libertate, non videtur verum quod dicit.

---

precibus S. Patritii impetrato pro abluendis peccatorum poenis adhuc in vita existentium. Cfr. Bolland., Acta Sanct. die 17 Martii, app. § 5. — Inferius post *dispensationem* edd. addunt *divinam.*

[1] Multi codd. omittunt *nisi.*

[2] Vat. *quia.*

[3] Respiciuntur verba Averrois, in III. Metaph. text. 8: Omne medium sapit naturam extremorum.

[4] Lib. IV. Dialog. c. 42.

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Eccle. 9, 1: Nescit homo, utrum etc.

[7] Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 3. — Superius pro *cum ei* codd. F G *quando ei.* — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic circa lit.

[8] Vers. 4: Tunc clamabunt ad Dominum, et non exaudiet eos. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum, in qua respicitur ad captivitatem Iudaeorum sub Nabuchodonosor et sub Romanis (cfr. Hieron. in hunc loc.).

[9] Psalm. 144, 18. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 3; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[10] Vide III. Reg. 3, 5. seqq.

[11] Plurimi codd. perperam *possibilitatem;* cfr. II. Sent. d. 25. p. II. q. 4. seq.

Quid hic libertas arbitrii. RESPONDEO: Dicendum, quod hic appellat Augustinus[1] arbitrii libertatem non ipsam potentiae *facultatem*, sed *expeditionem*, secundum quam dicitur *libere facere*, quando non habet retardationem; hoc autem requiritur quantum ad *bene esse* conversionis. Hoc autem frequenter non habetur in morte, pro eo quod anima adeo intenta est dolori mortis et aegritudinis, quod minus potest ad se ipsam redire et cogitare, quae spectarent ad hoc, ut haberet aliquis sufficiens remedium verae poenitentiae. — Alia solutio. Verumtamen littera videtur loqui de tempore post mortem, in quo non solum *difficile*, sed etiam *impossibile* est, salvari decedentem in peccato; non quia hoc non possit divina *potentia*, sed iuste et rationabiliter oppositum decrevit divina *iustitia;* et si alicui unquam post mortem dedit gratiam, intelligendum est, quod ille non erat damnatus per sententiam, sicut legitur de Traiano[2]. — Aliqui etiam Interpretatio aliorum. dicere voluerunt, quod hoc privilegium speciale fuit, ut Dominus ostenderet, quantum Sanctos suos diligeret.

DUB. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod iste *ignis purgatorius non est aeternus.* Videtur enim falsum, quia ignis conflagrationis, qui exuret faciem mundi, non peribit omnino, sed reprobos involvet[3]: ergo multo fortius videtur, quod iste ignis in aeternum duret.

RESPONDEO: Dicendum, quod non loquitur de duratione sive aeternitate istius ignis quantum ad *substantiam*, sed quantum ad *officium* sive quantum ad actum puniendi sive purgandi bonos. Si enim remanet ad *actum* aliquem, secundum id quod habet ardoris, erit ad reproborum concremationem, non ad purgationem.

DUB. V.

Item quaeritur de verbo Apostoli, quod est in littera: *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Videtur enim contrarium dici secundi Regum ultimo[4]: *Melius est mihi incidere in manus Dei quam in manus hominum.* — Item, Deus est misericordissimus; sed in manus misericordioris melius est incidere: ergo etc.

Status cum sceptro misericordiae et iustitiae. RESPONDEO: Dicendum, quod duplex est status: unus, in quo sceptrum habet *misericordia*, et hic est status vitae praesentis, pro quo dictum est: Melius est incidere in manus Dei. Alius est status, in quo[5] sceptrum habet *iustitia*, et hic est status vitae futurae, et pro hoc dicitur: Horrendum est incidere etc.: quia, cum Deus sit misericordissimus, et ideo plus impendat, quam humana mens possit aestimare; cum sit et similiter iustissimus, quamvis non sit ita pronus: adeo tamen graviter punit, quod horribile est cogitare[6].

DUB. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quaedam peccata mortalia in poenitentia fiunt venialia.* Videtur enim dicere falsum, quia mortale in poenitentia omnino deletur: ergo omnino desinit esse: ergo non transit in aliud peccatum: ergo non fit veniale.

Duo in mortali. RESPONDEO: Dicendum, quod in mortali duo sunt: et *macula* et *reatus* sive obligatio ad poenam. Cum ergo deletur mortale, *macula* omnino desinit nec in aliud transit; sed *reatus* poenae manet alteratus, quia primo erat ad mortem aeternam, sed modo est ad poenam temporalem.

Quaest. incid. solvitur. Opinio 1. Sed quomodo intelligemus, quod iste reatus fiat ille? Notandum est hic, quod aliqui voluerunt dicere, quod *idem* reatus erat, sed minoratus sive diminutus. Dixerunt enim, quod cum Deus dimittit culpam, non dimittit eam secundum *id quod est*, sed solum secundum *rationem dispositionis*, quae est aeternitas, unde prior obligatio ad poenam manet; sed quia Dominus remisit *aeternitatem*, iam est[7] solum ad poenam temporalem, ita quod idem reatus est, qui tunc erat, et nunc; et pro tanto recte dicitur mortale fieri veniale. — Sed illud non Improbatur. est multum bene intelligibile, pro eo quod *aeternitas* non est *dispositio* poenae, sed magis *mensura;* et mensura durationis inseparabiliter adhaeret ei quod mensurat, ut, si aliqua actio sit in A, impossibile est, quod illa eadem fiat in B. — Et ideo Opinio auctoris. intelligendum, quod *novus* est reatus, et primus reatus commutatur, et culpa totaliter dimittitur; et ideo, si mortale dicatur fieri veniale quantum ad *reatum*, non est intelligendum per *identitatem*, sed per *commutationem*, quam facit divina sententia.

---

[1] Potius auctor libri de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), ex quo textus huius dubii. — Inferius edd. cum pluribus codd. bis *haec autem* pro *hoc autem*. Subinde pro *spectarent* codd. F G *spectant*, et pro *aliquis* cod. Z *aliquid*.

[2] In legenda seu vita S. Gregorii, a Ioanne Diacono conscripta. Vide tom. I. pag. 778, nota 5. — Superius pro *non possit* codd. F G *non posset*, et post *sed* codd. I K aa repetunt *quia*. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 4; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Cfr. infra d. 47. a. 2. q. 4.

[4] Vers. 14: Melius est, ut incidam in manus Domini, multae enim misericordiae eius sunt, quam etc.

[5] In codd. F G H (V primitus) additur *semper*. Inferius pro *et ideo plus impendat* edd. *ideo plus impendit.* Subinde pro *aestimare* codd. minus congrue *existimare.*

[6] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 9; S. Thom., hic circa lit.

[7] Cod. M *ideo est*, edd. legunt: *aeternitatem iam, et solum ad poenam temporalem obligat, ita* etc.

Aliter. — Potest tamen dici, quod mortale in poenitentia dicitur fieri veniale, quia ibi de eo venia impetratur [1].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit de impoenitente, quod *si semper viveret, semper peccaret.* Si enim hoc verum est, tunc videtur, quod quilibet impoenitens peccet continue.

Respondeo: *Semper peccaret,* id est, in *peccato* perseveraret, et ideo semper debet perseverare in *poena.* — Alia est tamen ratio huius, sicut patebit infra distinctione quadragesima quarta [2].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XX.

Pars II.

De tempore poenitentiae in comparatione ad arbitrium sacerdotis.

Si vero quaeritur de illo qui satisfactionem iniunctam.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 515.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister tempus poenitentiae in se. Hic secundo determinat per comparationem ad arbitrium sacerdotis. Et quoniam in poenitentia a sacerdote imposita tria est considerare, scilicet reconciliationem, et poenae impositionem sive iniunctionem, et ultra iniunctae poenae expletionem; ideo haec pars habet tres.

In prima quaerit Magister, quasi ordine resolutorio incipiens a posteriori, utrum, poena iniuncta consummata, sit poenitens absolutus simpliciter; et hoc facit ibi: *Si vero quaeritur de illo* etc. In secunda, quando poenitentia imponenda est, scilicet utrum in extremo mortis articulo, et hoc ibi: *Solet etiam quaeri, utrum satisfactionis lex* etc. In tertia quaerit, utrum [3] alicui neganda sit reconciliatio, ibi: *Sciendum est, quod tempore necessitatis.*

Et illa pars dividitur in tres. In prima ostendit, quod non est neganda reconciliatio in articulo necessitatis. In secunda ostendit, quod praeter [4] necessitatem in gravibus oportet consulere episcopum, ibi: *Non debet tamen presbyter* etc. In tertia ostendit, quodsi poenitens voluit reconciliari et non potuit, quod habendus est pro reconciliato, et hoc ibi: *Si autem quaeritur de illo qui ad poenitentiam festinans* etc. — Principaliter autem praesentis partis intentio consistit, qualiter satisfactio sit iniungenda et qualiter implenda, utrum etiam [5] per interpositam personam, et utrum scilicet tota.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de satisfactionis diminutione. Et circa hoc quaeruntur sex.

Primo quaeritur, utrum possit fieri satisfactionis commutatio.

Secundo, utrum possit vel debeat fieri relaxatio.

Tertio, dato quod sic, quaeritur, a quo potest fieri.

Quarto quaeritur, pro quo potest fieri.

Quinto, cui valeat.

Sexto et ultimo, quantum valeat.

ARTICULUS UNICUS.

De satisfactionis commutatione.

QUAESTIO I.

Utrum unus pro alio possit satisfacere.

Quaeritur igitur primo, utrum possit fieri satisfactionis commutatio, et hoc est quaestionis fundamentum, scilicet, utrum unus pro alio satisfaciat. Et quod sic, videtur.

---

[1] Vide supra d. 17. p. II. dub. 7; B. Albert., hic a. 10; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Partis II. a. 1. q. 1. Cfr. d. 50. p. I. a. 1. q. 1. — Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 11; S. Thom., hic circa lit.

[3] In edd. additur *in necessitate.* Inferius pro *gravibus* cod. U *gravioribus.*

[4] Cod. aa *propter.*

[5] Codd. F G K *scilicet.*

Fundamenta. 1. Ad Galatas sexto[1]: *Alter alterius onera portate;* sed onera, quae maxime sunt portanda, sunt onera spiritualia: ergo si alicui imposita est poenitentia gravis, videtur, quod aliquis partem vel totum possit pro eo portare.

2. Item, in littera[2] dicitur: «Amicorum orationibus et eleemosynarum largitionibus pondus poenitentiae sublevandum est»; loquitur de eo qui graviter infirmatur.

3. Item, hoc videtur *per rationem,* primo *per simile* in *rebus naturalibus.* Videmus enim in aliquo corpore animalis, quod unum membrum se exponit, ut sustineat laesionem et gravamen alterius, sicut patet, quod brachium se exponit pro capite[3]: si ergo in corpore mystico est connexio per assimilationem ad corpus naturale, videtur similiter, quod unum membrum onus alterius possit et debeat supportare.

4. Item, hoc videtur *per simile* in *humanis actibus*[4]. Videmus enim, quod sic est in actibus, quod si aliquis est alicui debitor, non refert apud creditorem, utrum ipse, vel alius solvat, immo pro eodem utrumque acceptat: si ergo multo benignior est Deus et avidior ad percipiendam solutionem quam homo terrenus; videtur, quod ipse sit contentus, et sibi sufficiat, si alius satisfaciat pro eo.

5. Item, hoc videtur *per locum a minori*[5]: quia plus est impetrare remissionem culpae quam remissionem poenae; sed sanctus vir impetrat alicui, qui est extra gratiam, per suas orationes remissionem culpae: ergo et remissionem poenae per suas afflictiones.

6. Item, Christus punitus est et poena sua satisfecit; non pro peccato suo, hoc constat: ergo pro alieno: ergo Christus satisfecit pro nobis. Si ergo omnes nos unum sumus in Christo et membra eius sumus et imitatores eius esse debemus[6]; videtur, quod unus pro alio possit et debeat satisfacere.

Ad oppositum. Contra: 1. Secundae ad Corinthios quinto[7]: *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum:* ergo unicuique retribuetur iuxta opera sua: ergo non videtur, quod unus pro alio satisfaciat, quia tunc Deus alicui retribueret secundum opera aliena.

2. Item, in Psalmo[8]: *Tu reddes unicuique iuxta opera sua:* ergo idem quod prius.

3. Item, *ratione* videtur: quoniam non exigit Deus satisfactionem ab aliquo, quia delectetur in poena[9], sed quia satisfactio est remedium contra culpam, ut anima reordinetur; sed antidotum sive remedium circa membrum infirmans debet apponi: ergo videtur, quod non possit in alium hominem commutari.

4. Item, non potest conteri nec confiteri unus pro alio, immo oportet, quod ipse qui peccat, conteratur et confiteatur: ergo videtur similiter, quod oporteat, ipsum satisfacere et poenam pati.

5. Item, si sani possunt supra se suscipere satisfactionem infirmi, ponatur igitur, quod aliquis debeat poenitentiam septennem, et consanguinei recipiant super se; et infirmus moritur: quaero ergo a te: aut *evolat,* aut *non evolat.* Si *non evolat,* sed punitur in purgatorio, et illi puniunt se pro eo: ergo Deus punit *bis in id ipsum*[10]. Si vero *evolat,* ponatur, quod illi nihil faciant de satisfactione suscepta: tunc ergo salvabitur quis, et culpa remanebit impunita; quod est contra divinam iustitiam.

6. Item, nullus potest mereri alteri, quin mereatur sibi, secundum quod dicit illa auctoritas[11]: «Qui pro alio orat pro se ipso laborat»: ergo pari ratione nullus potest satisfacere pro alio, quin satisfaciat pro se: ergo si potest unus pro alio satisfacere, potest unus simul et una poena satisfacere pro se et pro alio, et ita pari ratione pro tertio et quarto et sic deinceps, ergo pro omnibus: ergo videtur, si hoc verum est, quod uno satisfaciente, satisfaciant et omnes.

CONCLUSIO.

Poena satisfactionis, non quatenus est medicinalis, sed quatenus solvit poenam, potest commutari in aliam personam.

Respondeo: Dicendum, quod poena satisfactoria habet in se duplicem rationem sive virtutem[12]. Duplex ratio satisfactionis. Poena enim talis propter duo est maxime: et propter *medicamentum* contra sequelas peccati et in *pretium* ad solvendum reatum peccati. Si igitur loquamur de ista poena, secundum quod est *purgatoria* sive medicinalis; cum morbus non recipiat medicinam ex poena aliena, sed propria — unde non exstinguitur concupiscentia in me, si tu ieiunas pro me — quantum ad hanc rationem poena satisfactoria nec potest nec debet commutari in *aliam per-* Conclusio 1.

---

[1] Vers. 2.

[2] Hic c. 4.

[3] Cfr. I. Cor. 12, 25.

[4] Codd. R S hic et paulo inferius *contractibus.*

[5] Vide tom. I. pag. 835, nota 5. — Cod. H *a maiori.*

[6] Respicitur Gal. 3, 28; Eph. 5, 30. et 1. Cfr. Rom. 12, 5; I. Cor. 11, 1. et 12, 27.

[7] Vers. 10: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque etc.

[8] Psalm. 61, 13. — Conclusioni cod. Z praemittit *non ergo iuxta opera aliena.*

[9] Cfr. supra pag. 352, nota 6, et Hieron., Epist. 22. n. 11. — Edd. hic addunt: *sed ut velut per remedium sanetur offensa,* inferius omittunt *ut anima reordinetur,* et substituunt *et antidotum et* pro *sed antidotum sive.*

[10] Nahum 1, 9. Vide supra lit. Magistri, d. XV. c. 1. — Superius pro *possunt* codd. G V W *possint,* et post *recipiant* cod. aa addit *eam.*

[11] Gregor., XXXV. Moral. c. 10. n. 20: Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex ipsa caritate suffragatur.

[12] Plurimi codd. et ed. 1 *veritatem.*

sonam. Posset tamen commutari in poenam *internam*, quia gemitus cordis plus frequenter medetur et reparat[1] animam quam diuturnitas poenae exterioris. — Si autem loquamur de poena, secundum

Conclusio 2. quod habet rationem *pretii;* hoc modo concedendum, quod potest commutari, quia potest unus pro alio

Corollarium. solvere poenam. — Sed haec commutatio debet fieri *auctoritate sacerdotis*, cuius est hic duo considerare, scilicet debitam in subditis *dispositionem* et

Debita dispositio. debitam *proportionem* in poena. Debitam *dispositionem* voco, quod in uno sit *sufficientia* et in alio *indigentia*[2], et in utroque sit *caritas*, quae faciat bona communia; si vero alterum horum desit, non

Debita proportio. fit commutatio recte. Debitam vero *proportionem* voco, ut minor poena in maiorem commutetur, quia plus satisfacit Deo poena propria quam aliena, sicut efficacius homo meretur sibi quam alii[3]. Unde sicut poena *assumta* commutatur in maiorem poenam *purgatoriam*, eo quod multo minus est illa *accepta*, pro eo quod ista est voluntaria *simpliciter*, illa *minime* voluntaria; similiter *propria* poena debet commutari in maiorem *alienam* ad hoc, ut fiat commutatio recta.

Sic igitur concedendum, sicut probant primae rationes, quod poena satisfactoria commutari potest ratione unitatis caritatis, quantum ad id quod habet in se pretii solvendi, sed non quantum ad id quod habet in se medicamenti.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod unicui-

Solutio oppositorum. que reddetur secundum opera sua; dicendum, quod caritas opera *aliena* facit *sua*, maxime quando caritas alterius voluntarie quod suum est alteri donat.

3. Ad illud quod obiicitur de remedio, iam pa-

Notandum. tet responsio: quoniam quantumcumque aliquis supra se poenam recipiat alterius, tamen ille non est omnino liberatus a poena, quousque consumatur peccati scoria, quam contraxit ex culpa; quae etiam non potest deleri nisi per poenam exteriorem, vel per contritionem internam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non potest conteri nec confiteri; dicendum, quod non est si-

Ratio 1. mile: quia *prima*, scilicet confessio et contritio, sunt ordinata, ut ingrediatur unitatem ecclesiasticam, per quam fit, ut bona unius sint alterius; *satisfactio* vero utramque consequitur; et quia fundamentum istius communicationis est in caritate: ideo non est simile. — Alia ratio est, quia in potestate Ratio 2.

cuiuslibet est confiteri, in nullius potestate est conteri, nisi eius qui novit occulta cordis, scilicet spiritus hominis[4]; sed poenam pati est in potestate cuiuslibet tam pro se quam pro alio. Attamen non est inutile nec a satisfactione alienum, si vir iustus peccata defleat minus iusti.

5. Ad illud quod quaeritur, utrum statim evolet ille cuius satisfactio commutatur; dicendum, quod non: tum quia oportet, quod scoria peccati purgetur, Notandum.

tum etiam quia nullus ingreditur paradisum, quousque sit extra debitum omne[5], ita quod nec ipse sit debitor, nec alius pro eo. *Si ergo obiicias*, quod tunc bis punit Deus in id ipsum; dicendum, quod falsum est, quia, secundum quod illi celerius faciunt, ipse liberatur, et computat Dominus in sortem poenam, quam ille sustinet pro se, et quam alii sustinent pro eo; unde si debuit poenam duorum mensium, taliter poterit iuvari, quod liberabitur infra mensem. Nunquam tamen inde extrahitur, quousque debitum sit plene solutum; quo soluto, iam illud quod solvitur, deinceps est ipsius qui satisfacit; *oratio enim in sinu suo convertitur*[6], vel si ipse non indiget, convertitur in sinu Ecclesiae.

6. Ad illud quod obiicitur, quod qui meretur alii, et sibi; dicendum, quod non est simile de opere *meritorio* et *satisfactorio*. Opus enim *me-* De opere meritorio.

ritorium est ea ratione, qua est ex radice caritatis — quae semper placet Deo et ille, in quo est illa radix — quae omnes communiter respicit et omnia communia facit; ideo[7] non potest aliquis mereri alii, quin ipse placeat apud Deum, quia hoc ipsum Deo placet maxime. — Opus vero *satisfacto-* De satisfactorio.

rium est ratione poenae, et tanta poena solvit tantum debitum, et maior maius debitum; ideo per eandem poenam non potest quis in integrum duo debita solvere; et ideo, si satisfacit pro alio, quantum ad *totum* non satisfacit pro se; et si pro se, non pro alio; sibi quidem meretur aeternam gloriam, quia *opus* illud placitum est Deo, et *faciens* illud Deo placet in faciendo, ac per hoc dignus retributione a Deo iudicatur.

---

[1] Codd. R S *meretur, ut reparet* (plures alii codd. et ed. 1 etiam habent *ut reparet).*

[2] Lev. 25, 25: Sin attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, et voluerit propinquus eius, potest redimere quod ille vendiderat. — De *caritate* cfr. Act. 4, 32. et I. Cor. 13, 5. — Codd. R S *insufficientia sive indigentia.* Iidem codd. cum codd. T bb et ed. 1 inferius *poenae* pro *recte.*

[3] Vide tom. II. pag. 661, nota 6. Glossam Bedae. — Superius post *ut* cod. E legit: *quando minor... commutatur.* Mox pro *commutatur* edd. perperam *commutat.* Subinde Vat. omittit *simpliciter, illa minime voluntaria* (cfr. supra p. I. q. 3.).

[4] Epist. I. Cor. 2, 11: Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? — Locus est obscurus, immo, ut videtur, corruptus. Videtur excidiisse *non* post *quia.* Secunda manus in cod. bb transponit verba *confiteri* et *conteri.* Ad utrumque supple: pro alio. — Superius pro *communicationis*, cod. N *communionis*, edd. *commutationis.*

[5] Cfr. Matth. 5, 26. et 18, 34.

[6] Psalm. 34, 13: Oratio mea in sinu meo convertetur. — Mox pro *in sinu* edd. et plures codd. *in sinum.*

[7] Verba *ille, in quo est illa radix* a Vat. transferuntur huc post *ideo.*

SCHOLION.

I. Doctrinam catholicam de indulgentiis impugnarunt primo Waldenses aliique illius aetatis haeretici, quos egregie confutat Guliel. Parisiensis (de Sacram. Ordinis c. 13.); posterius Wikleff et Huss (cfr. decreta Martini V. et Concilii Constant. prop. 42, et inter articulos 39 prop. 26.); Petrus Oxomensis (prop. 6. a Sixto IV. confixa); Lutherus (vide prop. 18-22. et Concil. Trident. Sess. XXV. decretum de indulgentiis). Item erravit Synod. Pistor. (cfr. prop. 40-43.).

II. Quaestio 1. quoddam fundamentum ponit doctrinae seqq. quaestionum. S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; Suppl. q. 13. a. 2.) eandem distinctionem et doctrinam profert, eo excepto, quod nec approbat, minorem poenam in *maiorem* mutandam esse suscipienti satisfactionem pro alio, nec rationem allatam, quod poena propria magis satisfaciat quam aliena; immo asserit, quod « *minor* poena requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur ». Loquitur autem S. Bonaventura hic specialiter de satisfactione seu poenitentia *sacramentali*, quae in casu, quo poenitens est inhabilis, ut per se satisfaciat, *auctoritate confessarii* etiam ab alio impleri potest, ut cum nostro auctore putant Alex. Hal., Richard. a Med., Durand. aliique. — Notanda autem est hic prop. 15. ab Alexandro VII. damnata (24. Sept. 1665): « Poenitens *propria auctoritate* substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat ».

De hac 1. quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., S. p. IV. q. 23. m. 1. a. 2. et q. 24. m. 4. a. 4. — B. Albert., supra d. 18. a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

III. Quoad 2. quaestionem constat, tum indulgentias etiam in foro Dei valere, tum in Ecclesia thesaurum meritorum esse vi communionis Sanctorum, quam profitetur Symbolum; quod confirmatum est a Clemente VI. Extrav. *Unigenitus*, et in damnatis Lutheri prop. 17. Synodique Pistoriensis prop. 41.

De hac 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. q. 23. m. 1. a. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; Suppl. q. 25. a. 1. — B. Albert., hic a. 16. 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum possit fieri satisfactionis relaxatio.

Secundo quaeritur, utrum possit fieri satisfactionis relaxatio. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia universalis Ecclesia has relaxationes acceptat; sed constat, quod ipsa non errat: ergo vere fiunt. *Probatio minoris:* ita dictum est Petro Lucae vigesimo secundo [1]: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua;* constat, quod hoc dictum est Petro in persona Ecclesiae; sed Christus *exauditus est in omnibus pro sua reverentia:* ergo et in isto. Et si hoc, Ecclesia universalis non decipitur nec errat.

2. Item, secundae ad Corinthios secundo [2]: *Nam et ego, si quid vobis donavi, in persona Christi;* Glossa: « Ac si Christus condonasset »; sed si Christus vere condonat, vere est condonatum: ergo quod donavit Apostolus vere condonatum et relaxatum fuit. Sed non est minoris potestatis Summus Pontifex quam Paulus: ergo etc.

3. Item, Augustinus in libro de Poenitentia [3]: « Credendum est, quod omnes orationes Ecclesiae et eleemosynae et opera iustitiae succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem »: si ergo opera Ecclesiae valent, ergo bona satisfactoria, quae sunt in ecclesiastica unitate, valent ad satisfaciendum: ergo videtur, quod ille, ad quem spectat haec distribuere, possit peccatores iuvare et ita satisfactionem minuere ac per hoc condonare et relaxare.

4. Item, Christus condonavit multis non solum culpam, sed etiam poenam, ut patet in muliere adultera [4]; sed Deus plenitudinem potestatis reliquit in Ecclesia: ergo et potestatem relaxandi et condonandi.

Ad oppositum. Contra: 1. Isaiae quadragesimo [5]: *Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia:* ergo videtur, quod poena ad perfectam remissionem sit duplicanda, non relaxanda.

2. Item, super illud secundae ad Timotheum secundo [6]: *Negare se ipsum non potest;* Glossa: « Quod faceret, si dicta sua non impleret »: ergo necesse est, quod Dominus dicta sua impleat; sed ipse praedixit Deuteronomii vigesimo quinto: *Secundum mensuram delicti erit et plagarum modus:* ergo necesse est ita puniri, sicut et peccator meruit: ergo non potest aliquid relaxari.

3. Item, *ratione* videtur: *Facere dignos fructus poenitentiae* est in divino praecepto [7], a quo

---

[1] Vers. 32. — Secundus locus est Hebr. 5, 7, ubi Vulgata omittit *in omnibus*.

[2] Vers. 10: Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. — Glossam exhibet Petr. Lombard. (et Lyranus ut *interlinearem*), quae est secundum Comment. olim Ambrosio tributum.

[3] Sive de Vera et falsa Poenitentia, c. 12. n. 27. Cfr. supra lit. Magistri, d. XVII. c. 4. — Inferius pro *bona* codd. I K aa *opera*.

[4] Cfr. Ioan. 8, 11.

[5] Vers. 2, ubi Vulgata in fine addit *pro omnibus peccatis suis*.

[6] Vers. 13. — De Glossa, quae est Petri Lombardi et Lyrani (ut *interlinearis*), et in qua permulti codd. et edd. perperam *Quid* pro *Quod*, cfr. Comment. in hunc loc., quod habetur inter opera Hieron. — Seq. textus est Deut. 25, 2: Pro mensura peccati erit etc.

[7] Luc. 3, 8: Facite ergo fructus dignos poenitentiae. Cfr. Matth. 3, 8. et 4, 17, de quibus supra d. 16. p. I. dub. 5. 6. 14.

non potest quisquam homo purus absolvere; sed dignos fructus facere est secundum magnitudinem sceleris magnifice satisfacere: ergo videtur, quod non licet alicui de Ecclesia de illo minuere: ergo nec relaxationem aliquam facere vel percipere.

4. Item, inferior non potest absolvere a poena, ad quam ligat superior; sed Deus, remittendo culpam, ligat ad aliquotam poenam temporalem: ergo videtur, quod nullus homo possit de illa aliquid dimittere: ergo etc.

CONCLUSIO.

Poenae relaxatio fieri potest, quae valet non solum in foro Ecclesiae, sed etiam in foro Dei.

Respondeo: Dicendum, quod relaxationes fiunt et fieri possunt, sed *qualiter* possint fieri, diversimode nobis insinuant diversi.

Quidam enim, distinguentes forum *Dei* et forum *Ecclesiae*, dixerunt, huiusmodi relaxationes non fieri nec intelligi quantum ad forum *Dei*, sed quantum ad forum *Ecclesiae*. Hoc autem sic intelligunt. Sacri canones pro mortalibus peccatis graves et diuturnas poenitentias taxant, ut pro uno mortali septennium vel amplius, secundum quod [1] gravius est; quae poena adeo gravis est, quod vix aut nunquam posset quis facere, et pauci invenirentur, qui vellent. Ideo constituerunt rectores Ecclesiae, poenitentias secundum arbitrium imponi, et de residuo relaxationes constituerunt fieri; quod et facere potuerunt, quoniam constitutio humana erat, et in humana constitutione potest homo dispensare et temperare; quae dispensatio quaedam *relaxatio* non indebite appellatur. — Sed tamen ista opinio, etsi relaxationes videatur ponere, verius interimit; quia, si relaxant [2], ita quod Deus non relaxat, potius *deceptio* quam *relaxatio* vera iudicanda est, et potius *crudelitas* quam *pietas* dici potest, dum minuendo hic poenitentiam, in futuro ad graviora trahit supplicia.

(Opinio 1. — Reprobatur.)

Ideo aliter dicendum, quod relaxatio illa non solum valet in foro Ecclesiae, verum etiam in foro Dei, quia Deus habet pro condonato quod sic condonatur. — Modus autem intelligendi, qualiter fieri possit, talis est. Praesupponendum est, quod *bonum obtinemus* ex triplici merito, scilicet ex merito *proprio* et ex merito *capitis* et ex merito *ecclesiasticae unitatis*. Et quod ita sit, in se manifestum est: quia *quilibet* meretur sibi per gratiam, quam habet; quod *Christus* meruerit nobis, nemo dubitat, nisi qui fide caret; quod *Ecclesia* mereatur nobis, et eius merita; patet per verbum Augustini praedictum [3] et per illud quod ipse subiungit: « Nemo potest digne poenitere, quem non sustineat unitas Ecclesiae ». Verbum istud est verbum Augustini in libro de Poenitentia.

(Opinio 2. et conclusio. — Explicatur modus. — Triplex meritum obtinendi bonum.)

Per hunc modum, sicut meritum *obtinendi bonum* est triplex, sic meritum *liberandi a malo*: meritum scilicet *proprium*, et hoc est meritum nostrae contritionis; et per hoc meremur liberari a poena aeterna, ita quod simul sunt haec duo, sicut in Angelis gratia et gloria [4]. — Secundo modo meritum *Christi*, et hoc operatur in Sacramentis et potestate clavium; et per hoc remittitur pars poenae. — Tertio modo est meritum *unitatis ecclesiasticae*, et per illud adhuc fit remissio. Et sic secundum triplex meritum triplex fit poenae condonatio, ut sic currat misericordia cum iustitia; et in qualibet est commutatio maioris in minus. Unde poena *aeterna* primo mutatur in temporalem in *remissione culpae;* secundo *temporalis magna* et supra vires in poenam competentem viribus commutatur in *sacerdotis absolutione;* tertio vero commutatur poena, ad quam *tenetur iudicio Ecclesiae*, adhuc in minorem in *relaxatione*, et pro alio residuo merita Ecclesiae satisfaciunt, ita quod in nullo praeiudicatur iustitiae.

(Triplex meritum liberandi a malo. — Triplex poenae condonatio.)

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod duplicatur poena, et quod iuxta mensuram delicti debet esse et plagarum modus; dicendum, quod — sicut tactum fuit supra [5], quando agebatur de baptismo, quod peccatum nostrum satis punitum fuit, quando *Christus* pro nobis poenam subiit et suam pro nobis poenam exposuit et nostram fecit — nos sufficienter iudicamur puniri sive quantum ad duplicitatem [6] in anima et in carne, sive quantum ad mensuram acerbitatis poenae; similiter intelligendum in proposito, quod poenalitates, quae sunt in *Ecclesia* et quae sunt supererogationis, pro eo cui fit relaxatio, subveniunt, ut Deus reputet sibi satisfactum.

(Solutio oppositorum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod tenetur ad faciendum dignos fructus poenitentiae; dicendum, quod facere dignos fructus poenitentiae est dupliciter, scilicet *vere* et *interpretative*. Et ille dicitur dignos fructus poenitentiae facere, qui non solum per se ipsum, sed etiam per suffragium alienum habet sufficiens pretium ad solvendum debitum [7].

(Distinctio.)

---

[1] Codd. IK *amplius pro peccato, quod.*

[2] Cod. X supplet *rectores.* — Secundum Alex. Hal., S. p. IV. q. 23. m. 2. relaxatio proprie dicta est poenitentiae iniunctae pro peccatis ex virtute clavium diminutio, imposita poena eiusdem generis (scil. temporalis).

[3] Hic in fundam. 3. Loc. ibi cit. habetur etiam seq. sententia. — Inferius edd. cum pluribus codd. male omittunt *bonum.*

[4] Vide II. Sent. d. 5. a. 3. q. 2.

[5] Dist. 4. p. I. a. 1. q. 2.

[6] Edd. cum aliquot codd. *duplicem,* cui cod. X subnectit *partem* (Cfr. supra d. 15. p. I. dub. 1.). Pro *exponit* et *fecit* multi codd. *exponit* et *facit.* Inferius pro *supererogationis* codd. communissime legunt *supererogationes,* cod. F *supererogantes.*

[7] De Regul. iuris in VI. regul. 72: Qui facit per alium est perinde, ac si faciat per se ipsum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod inferior non absolvit ab eo, ad quod ligat superior; dicendum, quod non absolvit omnino *condonando*, sed pro eo Aliter. *solvendo* de ecclesiastico thesauro. — Vel potest dici, quod inferior potest absolvere ab eo, ad quod ligat superior, si ad hoc data est sibi auctoritas a superiori, sicut patet; et talis auctoritas a Christo data est rectoribus Ecclesiae [1].

QUAESTIO III.

A quo possit relaxatio satisfactionis fieri.

Tertio quaeritur, a quo possit relaxatio fieri. Et videtur, quod a quolibet sacerdote:

1. Quia relaxationes fiunt ex vi clavium; et *omnis* Ad oppositum. *sacerdos* claves habet [2]: ergo videtur, quod omnis sacerdos possit relaxationes facere. *Si tu dicas*, quod non est ex vi clavium, sed ex thesauro Ecclesiae; sed quilibet sacerdos habet thesaurum suae parochiae, sicut episcopus suae provinciae: ergo etc.

2. Item, qui *praesunt collegiis* habent claves ad solvendum et ligandum in utroque foro et habent thesaurum supererogationum, sicut *praelati* religionum: ergo videtur, quod ipsi possint.

3. Item, videtur, quod *quilibet homo:* quia quilibet liberae conditionis est dominus bonorum et meritorum suorum [3]: ergo potest merita sua alteri concedere; et dum illi concedit, eius poenitentia minuitur et relaxatur: ergo videtur, quod quilibet hoc possit.

4. Item, bona spiritualia sunt maioris communicationis quam temporalia; sed si aliquid datur alicui, ex quo plene datur, ille potest illud concedere alii: ergo videtur pari ratione, immo fortiori, quod cui *datae sunt relaxationes*, ille potest eas dare alteri.

Contra: 1. Plus est facere indulgentias quam Fundamenta. imponere poenitentias; sed poenitentias imponere non potest nisi solus sacerdos: ergo indulgentias dare non potest, nisi sit sacerdos.

2. Item, nemo scit, utrum plura habeat merita, quam sibi sufficiant, immo nescit, se habere merita sufficientia: ergo nullus de proprio potest relaxare aliquid de poena, conferendo aliquam ex eis indulgentiam: ergo non spectat indulgentias facere nisi ad praelatos Ecclesiae.

3. Item, maius est indulgentias concedere quam excommunicare, vel Ecclesiae reconciliare; sed primum est praelatorum tantum, sicut prius [4] probatum est: ergo multo fortius indulgentias facere.

Quaeritur igitur: cum unus episcopus non possit alienos subditos absolvere nec ligare, nec in foro Quaestio incidens. poenitentiali nec in foro iudiciali; unde est, quod potest indulgentias in aliena dioecesi facere, sicut videmus tota die fieri?

CONCLUSIO.

Relaxationes sive indulgentias dispensare ad solos episcopos et Summum Pontificem pertinet.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut in praecedenti problemate tactum est, relaxationes sive indulgentiae fiunt de meritis supererogationis, quae sunt in Ecclesia, quae quidem sunt sicut thesaurus spiritualis eius. Haec autem merita supererogationis non omnium est dispensare, sed episcoporum tantum; et Conclusio 1. ideo relaxationes facere ad solos episcopos pertinet.

Ratio autem, quare thesaurus Ecclesiae solis Ratio. episcopis committitur dispensandus, est, quia Ecclesia thesaurum istum habet ex desponsatione sui cum Christo, qui est vir et eius sponsus, et cui generat filios et filias, id est perfectos et imperfectos, ad quorum educationem Christus vult servari haec bona. Et quoniam in Lege tactum est, quod *qui recipit uxorem fratris sui, ut suscitet fratri suo defuncto semen*, debet succedere in bonis, quae pertinent ad filiorum educationem, secundum quod innuitur Ruth quarto [5]; illis solis competit iste thesaurus dispensandus, qui sunt sponsi Ecclesiae. Tales autem sunt episcopi, qui sponsi sunt [6] et habent vim generandi filios et filias, id est perfectos et imperfectos, et inter hos Summus Pontifex, qui est totius universalis Ecclesiae sponsus et rector. Ideo omnes episcopi, qui habent prolem, possunt Conclusio 2. facere indulgentias, et Summus Pontifex praecipue inter omnes, quia ipsi competit totius spiritualis thesauri dispensatio, secundum quod curam habet de tota Ecclesia et omnibus eius filiis. Unde omnes sunt eius filii, et ipse est pater omnium.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] De quo supra d. 19. a. 2. q. 1. seq. — In fine arg. pro *provinciae* cod. Y *dioecesis*.

[3] Cfr. tom. II. pag. 592, nota 2.

[4] Dist. 18. p. II. q. 3. — Pro *primum* (i. e. excommunicare) Vat. *secundum*.

[5] Vers. 5. seqq. Verbis paulo superius positis respicitur Matth. 22, 24: Dicentes [Sadducaei]: Magister, Moyses [Deut. 25, 6.] dixit: Si quis mortuus fuerit, non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. — Superius pro *tactum* cod. G *statutum*, cod. H *dictum*.

[6] In consecratione episcopi secundum pontificale Romanum consecrator, immittens anulum in digitum anularem dextrae manus consecrati, ait: Accipe anulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibate custodias. — Inferius post *et inter hos* edd. cum uno alteroque cod. addunt *maxime*.

Concedendum igitur est, quod indulgentias facere non tantum non conceditur laicis, sed nec etiam sacerdotibus nec praelatis inferioribus, ut abbatibus vel prioribus[1].

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, iam patet responsio: quia non est tota ratio virtutis indulgentias faciendi, scilicet *clavis*, sed requiritur potestas *clavis cum iurisdictione* et thesauri dispensandi *auctoritate*, quae ordinarie solis competit episcopis. Nam per *commissionem* quilibet sacerdos potest dare indulgentiam ex parte episcopi, sicut patet in simplicibus praedicatoribus. (Solutio oppositorum. Notandum.)

2. Ad illud quod obiicitur de illis qui praesunt collegiis; dicendum, quod tales, qui praesunt subditis, aliquam auctoritatem habent bonorum sui collegii, non tamen respectu meriti Christi, quod dedit dispensandum Ecclesiae et eius sponsis; ideo non habent auctoritatem plenariam respectu thesauri Ecclesiae, et ideo solum *bona sui collegii possunt communicare;* non tamen possunt *relaxare*, quia nesciunt, utrum superabundent, quia *potestatem plenam* super hoc non habent. Et voco largo modo *plenam potestatem*, prout dicit plenitudinem sufficientiae, per quem modum est in episcopis ad hunc actum, non prout dicit *plenitudinem superexcellentiae;* sic enim est in solo Summo Pontifice, plenitudo scilicet potestatis et auctoritatis[2]. (Notandum. Notandum.)

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod quilibet homo potest bona sua alteri concedere; dicendum, quod *relaxatio* plus dicit quam *communicatio;* dicit enim quandam *auctoritatem*, ratione cuius dicitur isti indulgentiam praestare; et ideo, quamvis quilibet habens caritatem bona sua possit *communicare*, non tamen omnis potest *relaxare*, sed qui habet ad hoc concessam sibi auctoritatem. — Item, differt *communicatio* a *relaxatione*, quoniam *relaxatio* fit de praeteritis malis per merita Christi vel Ecclesiae, quae *praecesserunt; communicatio* autem proprie respicit *futurum* bonum, non solum praeteritum. Et quamvis possit dare alicui quod iam non est datum nec determinatum alicui, sicut unam Missam, quam cantat pro aliquo mortuo; tamen, si cantavit eam pro suis peccatis, vel dedit alii, non potest sua auctoritate commutare[3]. Hinc est, quod qui recipit relaxationes pro se non potest dare alteri; quia, si Ecclesia solvit debitum suum apud Deum, non propter hoc dedit potestatem, quod solveret ipse pro alio; et si Deus dimisit isti debitum, non propter hoc potest iste dimittere alii quod Deo debetur. — Nec valet illud argumentum de communicatione materiali; quia aliquis omnino liber est in possidendo temporalia, quicumque est liberae conditionis et si libere possidet, libere potest alteri dare; qui autem servus est, non potest sine auctoritate domini; omnia autem nostra sunt Christi et omnia merita spiritualia, et nos sumus eius servi[4]: et ideo non possumus in alterum transferre vel dare, nisi sit data auctoritas a Christo. Et sic patet sequens. (Differentia 1. Differentia 2. Notandum. Notandum.)

Ad illud quod quaeritur ultimo, utrum episcopus possit indulgentias facere in aliena dioecesi; dicunt aliqui, quod sicut potest ligare et solvere in aliena dioecesi ex consensu dioecesani, ita et relaxationem facere; et ita duae virtutes concurrunt in unam; et tantum possunt, si sunt multi, quantum si unus solus. — Sed tunc non videtur esse aliud quam deceptio, si hoc esset. — Ideo dicendum, quod quia relaxatio dicit thesauri communicationem et ulterius auctoritatem, quod episcopus in *aliena* dioecesi potest *communicare bona sua* subditis alienis, bona, inquam, suae dioecesis; *propriis* autem subditis *relaxare* sive indulgere. Unde istae relaxationes *propriis subditis* verae sunt *relaxationes*, si contingat, subditos pergere ad obtinendam indulgentiam, quam ibi facit episcopus; alienis vero potius[5] sunt *communicationes* quam *relaxationes* — per quem modum abbates, priores, ministri communicant bona sui collegii — nisi forte hoc sit ex consensu et voluntate proprii episcopi. Et hoc dicitur de Poenitentiis et remissionibus[6]: « *Quod autem consuluisti* », et infra: « *Cum a non suo iudice* ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones illis prodesse tantummodo arbitramur, quibus proprii iudices indulserunt ». (Ad quaest. incid. Opinio 1. Improbatur. Solutio auctoris.)

SCHOLION.

I. Quod Summus Pontifex secundum plenitudinem potestatis et singuli episcopi secundum limitationem canonum exclusive possint concedere indulgentias; docetur etiam in prop. 26. et 28. inter citt. 39 articulos proponendos asseclis Wikleffi et Hussii, et in prop. 13. Lutheri reprobata.

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 23. m. 3. — S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. 2. 3; Suppl. q. 26. a. 1. 2. 3. — B. Albert., hic a. 20-22. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. 3. 4. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1-3. — Durand., hic q. 5. — Dionys. Carth., hic q. 4.

---

[1] Cfr. C. *Accedentibus ad nos* (12.), X. de Excessibus praelatorum (lib. V. tit. 31.).

[2] Bernard., II. de Considerat. c. 8. n. 16: Alii [episcopi] in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur et in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt etc.

[3] Codd. A H *communicare.*

[4] Epist. I. Cor. 3, 22. seq.: Omnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei. — Voci *spiritualia* edd. praemittunt *sunt.* Superius ante *libere possidet* supplevimus ex cod. A *si*, cod. G ponit *et* ante *quicumque.*

[5] Edd., superius post *si* addito *autem*, hic, mutata etiam interpunctione, legunt: *episcopus alienus, potius*, et inferius post *collegii* addunt *sed non relaxant quidquam.*

[6] Extra lib. V. tit. 38. c. 4. Finem exhibet textus originalis sic: quibus ut prosint, proprii iudices specialiter indulserunt.

II. In 4. quaestione affirmanda omnes consentiunt, approbante praxi Ecclesiae. — Cfr. Alex. Hal., loc. cit. m. 4. — S. Thom., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 3; Suppl. q. 25. a. 3. — B. Albert., hic a. 17. ad 5-7. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 5. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. ad 1. — Dionys. Carth., hic. q. 3.

III. Circa 5. quaestionem est doctrina communis, quod indulgentiae a praelatis applicatae animabus in purgatorio existentibus ipsis prodesse possint, non quidem per modum *absolutionis* sive sententiae iudicialiter prolatae, sed per modum *suffragii;* quod confirmatur reprobatione 6. propositionis Petri Oxomensis a Sixto IV. facta, item 22. prop. Synodi Pistoriensis. — Ad rem observat S. Thom. (infra d. 45. q. 2. a. 3. quaestiunc. 2): « Nec tamen sequitur, quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc, quod indulgentiae valeant, requiritur causa conveniens indulgentias concedendi ». De suffragiis pro defunctis cfr. etiam S. Bonav., infra d. 45. a. 2.

De 5. quaestione: Alex. Hal. loc. cit. m. 5. — S. Thom., loc. cit.; Suppl. q. 71. a. 6. 10. — B. Albert., hic a. 18. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., infra d. 45. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 4.

IV. Quoad 6. quaestionem constat, ad acquirendam indulgentiam ex parte quidem poenitentis omnino requiri *statum gratiae;* nec ullus unquam doctor catholicus docuit vel contrarium, vel quod indulgentiae concedantur ad condonanda peccata quoad *culpam,* ut detrahendi causa Ecclesiae imponi solet. Communiter etiam docetur, quod ex parte poenitentis praeter peccatum mortale etiam alia obstacula vel *omnino,* vel ex *parte* impedire possint, quominus indulgentia ab Ecclesia promulgata acquiratur. — Haec autem quaestio loquitur de valore indulgentiae in se considerato, sive utrum obiective eadem quantitas effectus largiatur omnibus, qui opus praescriptum faciant, licet hoc propter diversas circumstantias facile evadat uni, difficile alii. — Guliel. Parisien., S. Thom. et Petr. a Tar. praeferunt opinionem 2. hic relatam; B. Albert. consentit nostro Doctori, et Richard. tantum cum distinctione quadam. Dionys. Carth. (hic q. 4.) censet, opinionem S. Thomae magis consonam esse formae concessionis usitatae, sed alteram S. Bonaventurae aestimari consonantiorem rationi et aequitati, cui favet etiam Henr. Gand. (Quodl. 15. q. 14), diffuse de hac re disputans.

De hac 6. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 7. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Suppl. q. 25. a. 2. — B. Albert., hic q. 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO IV.

Utrum indulgentiae debeant fieri pro spirituali, an pro corporali beneficio.

Quarto quaeritur, pro quo debeat relaxatio fieri, utrum scilicet pro spirituali, an pro corporali beneficio. Et quod pro temporalibus et corporalibus actibus fieri debeat, vel etiam beneficiis, ostenditur:

Fundamenta. 1. Per communem usum Ecclesiae, ubi indulgentiae fiunt pro eleemosynis, peregrinationibus, visitationibus reliquiarum et huiusmodi.

2. Item, *ratione* videtur: quia huiusmodi relaxationes aliquo modo sacramentales sunt; sed Sacramenta attenduntur in rebus exterius gestis [1]: ergo etc.

3. Item, istae relaxationes non sunt a *culpa,* sed a *poena;* sed poena, si recte commutatur, commutatur in poenam; sed absolutio fit a poena exteriori in carne, utpote a ieiuniis et consimilibus: ergo debet fieri commutatio in poenam exteriorem: ergo pro [2] tali commutatione fieri debent.

4. Item, si non pro opere exteriori, sed pro interiori: ergo cum bona voluntas simul possit esse in aliquo respectu omnium relaxationum, quia perfectus omne bonum vult et sibi placet [3]; videtur tunc, quod quilibet iustus haberet omnes indulgentias; quod non est conveniens dicere, tunc enim frustra homines laborarent.

Ad oppositum. Contra: 1. Indulgentia sive relaxatio dicit beneficium spirituale; sed quicumque dat spirituale pro temporali, committit simoniam: ergo videtur, quod in omnibus relaxationibus sit simonia, si fiunt pro exterioribus obsequiis vel eleemosynis.

2. Item, maior est misericordia spiritualis quam corporalis — unde maius est alicui parcere quam hospitio colligere vel eleemosynam dare [4] — ergo facit magis hominem dignum remissione: ergo potius pro illo opere deberet fieri relaxatio.

3. Item, in maiori ruina et periculosiori est Ecclesia, in qua est schisma, quam ecclesia, cuius parietes minantur ruinam: ergo magis indiget talis Ecclesia muniri quam alia: si ergo relaxationes debito modo fiunt pro ecclesia materiali reparanda [5], ut qui iuvat habeat indulgentiam; videtur multo fortius indulgentia debere dari pro spirituali ruina reparanda, ut qui orat, ut Deus det ei concordiam, indulgentiam habeat.

4. Item, maioris perfectionis et plus Deo acceptum est religionem intrare quam crucem accipere: ergo potius deberet dominus Papa indulgentiam dare intrantibus religionem quam euntibus ultra mare.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur: si aliquis accipit crucem et habet votum et voluntatem perfectam eundi ultra mare, utrum habeat remissionem omnium peccatorum. Quodsi *sic,* tunc indulgentia fit pro sola voluntate, et ita pro re spirituali; si vero *non,* tunc Ecclesia non videtur esse conformis Deo, qui votum

---

[1] Vide supra d. 1. p. I. dub. 2. et 11.

[2] Codd. R S omittunt *pro.*

[3] Ut satis innuitur Prov. 11, 23: Desiderium iustorum omne bonum est.

[4] Cfr. supra d. 15. p. II. dub. 3. — Post *alicui* codd. R S addunt *pauperi;* cod. X *pro eo orare* pro *parcere.*

[5] Permulti codd. *recuperanda.* Superius pro *ruina* codd. A aa *miseria* (cod. aa etiam inferius).

et bonam voluntatem, si plena est et non deficiat, quantum in se est, reputat pro facto[1].

CONCLUSIO.

Indulgentiae praecipue fieri debent pro actibus exterioribus.

Respondeo: Dicendum, quod sicut videmus in politicis et communitatibus humanis, quod thesaurus reipublicae propter duo maxime consuevit proferri et communicari exterius; sic in spiritualibus intelligendum. (Duplex finis in thesauris largiendis.) Profertur namque thesaurus extra ad dispergendum propter *gloriam principis*, sicut faciunt reges curiales, sicut fecit Assuerus Esther primo[2]; alio modo propter *utilitatem communitatis* sive *necessitatem*, ut quando laeditur communitas, proferuntur stipendia et donativa militibus, ut eant ad pugnam. (Applicatur.) Sic thesaurus Ecclesiae ab his qui habent dispensare, duplici ex causa debet distribui, scilicet propter *gloriam principis* et laudem; et laus et honor Dei est in Sanctis suis[3], et Sancti honorantur in constructione basilicarum, visitatione basilicarum, commemoratione virtutum suarum, et idem fit in praedicationibus et sermonibus: ideo pro his omnibus indulgentiae recte fiunt. *Communis* autem *utilitas*[4] est defensio Terrae sanctae, defensio fidei, promotio studii et consimilia; et ideo adhuc pro talibus debent fieri. (Conclusio.) Et quoniam haec consistunt in actibus exterioribus, ideo maxime pro actibus exterioribus debent fieri indulgentiae.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est simonia, quia datur spirituale pro temporali; (Solutio oppositorum.) dicendum, quod falsum est, immo maior poena commutatur in minorem, et residuum solvit pastor Ecclesiae de gratia. (Aliter.) — Vel dicendum, quod non dat indulgentiam pro eleemosyna exteriori considerans *datum*, sed *fructum*, videlicet quia ex radice bonae voluntatis procedit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod spiritualis eleemosyna maior est; dicendum, quod in donatione indulgentiae non consideratur operis *nobilitas*, quia tunc magis deberet dari docentibus quam peregrinantibus; (Notandum.) sed consideratur hoc, quod illud opus sit *merae voluntatis*, non necessitatis, sit etiam quid *taxabile*, sit etiam aliquo modo *poenale*; haec enim omnia considerat qui indulgentiam praestat.

3. Ad illud quod obiicitur de ruina spirituali, dicendum, quod, sicut tactum est[5], pro talibus tenetur homo orare. (Notandum.) *Praeterea*, non est bonum talia publicare; ruinam autem materialem Ecclesiae publicare non dicit aliquod malum nec infamiam. *Praeterea*, magis potest homo subvenire ad relevandum inopiam Ecclesiae quam ad ponendum ibi concordiam, quia primum est opus humanum, secundum vero est opus divinum.

4. Ad illud quod obiicitur de ingressu in religionem, dicendum, quod sicut indulgentiae non debent dari *indignis*, ita nec debent dari nisi *indigentibus*; (Notandum.) veri autem religiosi, qui statum aggrediuntur perfectionis, potius spiritualia bona aliis largiuntur, quam aliunde mendicent. Unde hic maxime verum est quod dicitur Actuum vigesimo[6]: *Beatius est magis dare quam accipere*. In temporalibus autem non habet veritatem, nisi quando donans dat de proprio labore, et accipiens accipit ex torpore.

Ad illud quod quaeritur de illo qui dat sola voluntate, (Ad quaest. incid.) dicendum, quod secundum peritos non habet *totam* indulgentiam, quidquid isti vulgares praedicatores dicant; tamen valet eis tam nobile propositum ad augmentum caritatis et per consequens contritionis, et ita ad remissionem poenae. Indulgentiae enim non intelliguntur dari pro *sola voluntate*, sed pro *effectu*; unde qui habet *voluntatem et effectum* indulgentiam consequitur; alius, qui habet voluntatem solam, ex devotione habet meritum magnum, licet non *omnimodum* consequatur effectum[7].

QUAESTIO V.

Utrum relaxationes possint fieri existenti in purgatorio, an solum viventi in hoc saeculo.

Quinto quaeritur, cui relaxationes possint fieri, et quaeritur, utrum existenti in purgatorio, an solum viventi in hoc saeculo. Et quod extendant se ad eos qui sunt in purgatorio, videtur:

1. Quia dicit Chrysostomus super illud Matthaei decimo sexto[8]: *Tibi dabo claves regni caelorum*: (Argg. pro parte affirmativa.) « Homini mortali caeli et terrae et omnium quae in eo sunt, potestatem commisit Dominus et Ecclesiam

[1] Ut insinuat Cassiodor. supra pag. 423, nota 10. allegatus. — Superius pro *tunc indulgentia fit* cod. F *videtur tunc indulgentiam fieri*.

[2] Vers. 4. — Pro *principis* codd. A H K V *principalitatis*.

[3] Psalm. 150, 1: Laudate Dominum in Sanctis eius. — Pro *distribui* cod. F *solvi*, codd. E W *absolvi*, alii *dissolvi*. Verbis *et laus* cod. G interserit *quoniam;* idem cod. G inferius pro *visitatione basilicarum* substituit *visitatione reliquiarum*.

[4] Edd. *Alia causa est communis utilitas, quae quidem utilitas*. Mox pro *studii* cod. F *fidei*.

[5] Supra q. 1. fundam. 5. et ad 6, q. 2. in corp. et q. 3. ad 3. 4.

[6] Vers. 35. — Superius pro *veri autem* non pauci codd. *viri autem*, et subinde pro *mendicent* plures codd. et edd. *vindicent*. In fine solut. pro *torpore* cod. K (I a secunda manu) *necessitate*.

[7] Cod. K *licet non omnino consequatur* [supple: indulgentiam]. Superius post *sed pro effectu* Vat. addit *cum voluntate*. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Vers. 19. — Verba Chrysost. habentur in Homil. 54. (alias 55.) in Matth. n. 2: Filius [Dei]... homini mortali omnium

validiorem caelo demonstravit »: ergo videtur, quod Summus Pontifex habeat *posse* super eos qui sunt in purgatorio.

2. Item, suffragia Ecclesiae prosunt his qui sunt in purgatorio, sicut melius patebit infra[1], alioquin frustra oraret Ecclesia pro mortuis; sed indulgentiae sunt de nobilissimis suffragiis Ecclesiae: ergo etc.

3. Item, Petro commissa est clavis regni caelorum; sed quamdiu quis est extra palatium, indiget auxilio ostiarii sive deferentis clavem et in eius manu et potestate est: ergo cum ille qui est in purgatorio, adhuc habeat obstaculum; ut removeatur ab eo, indiget auxilio clavis. Sed illud auxilium confertur[2] per indulgentias: ergo etc.

4. Item, *Pater misericordiarum*[3] omnibus providit secundum ordinatissimam dispositionem et misericordissimam suam pietatem; sed recta ordinatio caritatis, quae exigit, ut unus possit ab alio adiuvari, hoc maxime exigit circa eum qui se iuvare non potest. Si ergo hominibus in hoc mundo, cum indigent auxilio, providit Deus auxilium per indulgentiam Ecclesiae conferendum; cum illi de purgatorio indigeant auxilio et se iuvare non possint, videtur, quod indulgentiae eis factae maxime prosint, et quod per hanc viam Deus eis maxime providere debuit.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Matthaei decimo sexto[4] dictum est Petro in potestatis collatione: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis* etc., et ibi collata est amplitudo potestatis; sed determinatio fit per hoc, quod dicit *super terram:* ergo non habet potestatem super illos qui sunt mortui, cum iam non supersint.

2. Item, Magister dicit in littera[5] et accepit a Theodoro in suo Poenitentiario, quod « morientibus non est poenitentia imponenda, sed solum innotescenda »: ergo si ligatio et relaxatio pari passu ambulant, quia simul data est potestas ligandi et solvendi; cum non possit poenitentiam imponere in morte, multo minus post mortem potest relaxationem facere.

3. Item, nullus potest alicui relaxationem facere, nisi pariter possit eum iudicare, sicut dicitur de Poenitentiis et remissionibus in decretali[6]; nullus enim potest iudicare nisi eum qui est de foro suo; sed illi qui sunt in purgatorio, non sunt de foro ecclesiastico: ergo etc.

4. Item, si posset indulgentias facere eis qui sunt in purgatorio; cum talibus maxime compatiendum sit, deberet Summus Pontifex totam ibi experiri suam potestatem, et ita facere, quod[7] statim evolarent; ut quid ergo pro mortuis amplius oratur et laboratur, si Summus Pontifex potest eos tam de facili liberare?

CONCLUSIO.

Indulgentiae existentibus in purgatorio prodesse possunt per modum suffragii, non vero per modum iudiciariae absolutionis.

Respondeo: Dicendum, quod sicut ex praecedentibus[8] colligitur, relaxatio sive indulgentiae collatio duo dicit, scilicet *thesauri Ecclesiae communicationem*, et cum hoc quandam *iudiciariam absolutionem*, sicut expresse colligitur ex decretali illa de Poenitentiis et remissionibus: « Quod autem consuluisti » etc. — Dico igitur, quod quia bona et thesaurus Ecclesiae est in Summi Pontificis potestate, et illi qui sunt in purgatorio, ratione caritatis idonei sunt spiritualia beneficia recipere; quod Papa potest eis *bona Ecclesiae communicare.* (Duo in indulgentiis.) (Conclusio 1.)

Quantum autem ad *auctoritatem iudicandi,* cum illi iam exierint forum Ecclesiae et ecclesiasticum iudicium, videtur, quod eis non possit fieri absolutio nisi per modum *deprecationis;* et ita, *proprie* loquendo, non fit eis *relaxatio*[9]; sed si *large* dicatur *relaxatio* cuiuscumque auxilii impensio et bonorum Ecclesiae communicatio, sic potest eis relaxatio fieri; sed hoc non tenet modum iudicii, sed potius suffragii. — *Amplius,* relaxatio *proprie* dicta non tantum dicit iudiciariam *absolutionem,* verum etiam dicit aliquam *commutationem* in poenam aliquam voluntarie assumtam et cum devotione; et hoc videmus in omnibus indulgentiis; hoc autem non potest esse quantum ad eos qui sunt in purgatorio, quia sunt extra statum illum, in quo posset eis persuaderi alicuius poenae devota et voluntaria assumtio[10]: et ideo non competit eis relaxatio nisi forte *per medium* sive *per accidens.* Si quis enim vellet crucem pro mortuo patre assumere, non est aliquatenus negandum, quodsi voluntas sit Summi Pontificis, quin indulgentia illi prosit. — Ex his patent obiecta ad utramque partem. (Conclusio 2.) (Relaxatio et communicatio differunt.) (Notandum.)

Ad illud enim quod obiicitur, quod potest; di- (Ad argg. pro parte affirm.)

quae in caelo sunt potestatem commisit, dum claves illi tradidit, qui Ecclesiam per totum orbem terrarum extendit et caelo validiorem demonstravit. — Pro *in eo* cod. E *in ea*, edd. *in eis.*

[1] Dist. 45. a. 2. q. 1. seqq.

[2] Cod. Z *non confertur nisi.*

[3] Epist. II. Cor. 1, 3. — Mox pro *providit* edd. *providet;* cod. K (I a secunda manu), post *sed* addito *si*, subinde omittit *quae.* Aliquanto inferius post *in hoc* supplevimus *mundo,* quod etiam secunda manus in codd. P Q addidit.

[4] Vers. 19. — In fine arg. pro *supersint* cod. K *super terram sint.*

[5] Hic c. 4. — Inferius voci *passu* cod. P praemittit *ratione et,* ac subinde pro *cum non possit* (scil. sacerdos) Vat. cum aliquot codd. *cum non possint,* plures codd. *cum vero non possit.*

[6] Extra lib. V. tit. 38. C. *Quod autem consuluisti* (4). Vide supra q. 3. in fine.

[7] Cod. P *et ita statuere, ut.*

[8] Quaest. 3, in cuius fine allegata est etiam decretalis *Quod autem consuluisti* paulo inferius citata.

[9] Vide supra pag. 533, nota 2. — Inferius pro *sed hoc* edd. cum pluribus codd. *sed haec.*

[10] Cfr. supra p. I. q. 3.

cendum, quod verum est per modum adiutorii et suffragii. — Tamen ad illud quod obiicitur de potestate clavis, quod potest usque ad apertionem caeli; dicendum, quod si intelligatur per modum *iudicii*, non habet veritatem, nisi quantum ad eos qui sunt de Ecclesia militante; si quantum ad *adiutorium*, sic quantum ad omnes bonos, qui sunt extra caelum. — Unde nota, quod quidam sunt de Ecclesia triumphante, et super tales non potest nec *iudicando* nec *adiuvando;* quidam de *militante*, et super tales potest tam *adiuvando* quam *iudicando;* quidam in statu *medio*, qui iam iudicati sunt, et tamen miseri sunt; et super tales non potest *iudicando*, sed potest *adiuvando*, quia, dum viverent, meruerunt adiuvari [1]. — Et sic patent obiecta ad primam partem.

Ad 1. 3. Notandum. Quoad 3 status Ecclesiae.

1. Ad illud quod obiicitur ad oppositum, quod non possit propter hoc, quod dicit *super terram;* dicendum, quod illud intelligitur de *iudiciaria* potestate. Nihilominus tamen posset dici, quod quodam modo super terram sunt, dum super terram hoc meruerunt.

Ad argg. pro parte negat.

2. Ad illud quod obiicitur de absolutione et ligatione, potest responderi, quod non est simile, quia pronior est Deus ad misericordiam [2], et ideo abundantiorem dedit potentiam ad miserendum. — Vel dicendum, quod alius se potest in hac vita ligare, pro eo quod ex vinculo caritatis alius absolvitur.

Aliter.

3. Ad illud quod obiicitur de relaxatione, quod includit iudicium; respondendum, quod ipse procedit, prout relaxatio *proprie* dicitur; et sic respicit solos vivos.

4. Ad illud quod obiicitur: quare non absolvit solo verbo omnes qui sunt in purgatorio? dicendum, quod si Deus per se ipsum sic miseretur, ut semper velit timeri [3] suam iustitiam; multo fortius Dei minister. Unde dispensatio bonorum Ecclesiae discrete et cum moderamine facienda est; alioquin, nisi discrete fiat, Deus non acceptat; et bona spiritualia non possunt dissipari nec contra divinam acceptationem distribui; quamvis possint bona temporalia non solum dispensari, verum etiam dissipari de facto, quamvis aliter dictet ius divinum esse faciendum [4]. — Si quis autem contendat, vicarium Iesu Christi habere *iudiciariam potestatem* super eos qui sunt in purgatorio, non est ei multum improbe resistendum, dum tamen hoc dictet ratio, vel auctoritas manifesta. — Quidquid enim loquamur disputantes vel etiam praedicantes, hoc sana fide tenendum est, quod Dominus vicario suo plenitudinem potestatis contulit et tantam utique potestatem, quanta debebat homini puro dari; et hoc ad *aedificationem corporis sui, quod est Ecclesia* [5]. Unde super hoc non iudicare, sed gratias plurimas Deo debemus agere [6].

Notandum. De potestate Papae.

QUAESTIO VI.

Utrum indulgentiae tantum valeant, quantum praedicatur.

Sexto et ultimo quaeritur, quantum valeant huiusmodi indulgentiae, quae fiunt. Et quod valeant tantum, quantum praedicatur, videtur:

1. Quia Iob decimo tertio [7]: *Non indiget Deus nostro mendacio:* ergo videtur, quod Summus Pontifex in suis litteris mentiri non debeat: si ergo verum dicit, tantam tribuit indulgentiam, quantam in suis litteris promittit.

Argg. pro parte affirmativa.

2. Item, qui promittit aliquantam summam pecuniae alicui tenetur ei, si est in solvendo; sed Summus Pontifex et alii, qui dant indulgentias, promittunt aliquam partem poenitentiae relaxare: ergo si *potest*, solvere tenetur. Quod autem *possit*, videtur per illud quod dicitur secundae ad Corinthios secundo [8]: *Si quid donavi in persona Christi;* Glossa: « Ac si Christus donasset »; sed Christus potuit totum condonare: ergo etc.

3. Item, aliquis episcopus potest aliquantam indulgentiam facere, esto quod viginti dierum, vel quadraginta [9]; sed Summus Pontifex plus potest quam omnes episcopi, eo quod plenitudinem habet potestatis super omnes: ergo plus potest dare quam omnes: ergo videtur, quod *totum* possit condonare: ergo si *totum*, et per consequens *quantamlibet partem.*

4. Item, Summus Pontifex potest facere indulgentiam generalem unius diei: ergo centum millibus potest dare unum diem, ita quod cuilibet unum: ergo pari ratione uni potest dare quod divisim dat omnibus: ergo totum condonare: ergo tantum va-

---

[1] Vide infra lit. Magistri, d. XLV. c. 2, et Comment. ibid. a. 2. q. 1. seqq. — Pro *dum* codd. E W *cum.*

[2] Vide supra pag. 333, nota 3. — Cod. H *ad miserendum.* Inferius post *pro eo* pro *quod* codd. E G *et*, Vat. *et tunc.*

[3] Edd. *tenere.* Inferius pro *facienda* codd. R S T bb et ed. 1 *supplenda.* Subinde pro *et bona* cod. X *nam.*

[4] Cfr. Prov. 21, 20; Luc. 15, 13. et 16, 9.

[5] Eph. 4, 12. et Col. 1, 24. — Mox verbis *non iudicare* [cod. F *murmurare*] Vat. cum uno alteroque cod. interserit *temerarie.*

[6] Vide scholion ad 3. huius articuli quaest.

[7] Vers. 7: Nunquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? Gregor. (XI. Moral. c. 26. n. 37.) exponens ait: Deus mendacio non eget, quia veritas fulciri non quaerit auxilio falsitatis etc.

[8] Vers. 10. Vide supra pag. 532, nota 2, ubi etiam de Glossa. — Superius pro *si est in solvendo* Vat. *si potest, in solvendo.* Subinde pro *aliquam* cod. F *aliquantam*, cod. Z *alicui.*

[9] Cfr. C. *Cum ex eo* (14), X. de Poenitentiis et remiss. (lib. V. tit. 38.).

lent indulgentiae, quantum faciunt[1] litterae pontificales.

Contra : 1. Si tantum valent indulgentiae, quantum dicitur : ergo cum multae et largae indulgentiae fiant, et merita sint adeo pauca nunc, quod vix potest homo sibi sufficere; videtur, quod iam totus thesaurus Ecclesiae a longo tempore defecisset, et ita nulla indulgentia nunc valeret.

Pro parte negativa.

2. Item, si tantum valent, quantum dicitur; sed in aliquibus indulgentiis pro adiutorio facto fabricae ecclesiae vel consimili indulgentiae partis tertiae poenitentiae promittuntur[2]: ergo si detur primo unus denarius, et secundo secundus, et tertio tertius; videtur, quod ille qui mille peccata commisit, pro tribus obolis vel denariis sit liberatus; quod non tantum falsum, sed etiam irrisione dignum iudicat omnis anima recta.

3. Item, si tantum valent, quantum dicitur: ergo si peccatori, qui debet novem annos, remittitur triennium; similiter illi qui debet triginta, remittitur tertia pars, et ita decennium; videtur, quod reportet commodum de malitia sua[3].

4. Item, si tantum valent, quantum dicitur: ergo ille qui habitat iuxta ecclesiam, in qua est indulgentia unius anni, dum visitat ecclesiam, tantum habet, quantum ille qui longe distat per decem dietas; et dives offerens unum obolum tantum habet, quantum una paupercula. Sed haec omnia sunt abusiones: ergo non tantum valent indulgentiae, quantum Ecclesia praedicat.

CONCLUSIO.

Indulgentiae, quantum est ex parte concedentis, tantum valent, quantum promittitur; non tamen cuilibet tantum nec aequaliter, sed secundum aestimationem concedentis.

Respondeo: Dicendum, quod communiter secundum doctores ad hoc, quod indulgentiae vel relaxationes aliquid valeant, exigitur duplex conditio ex parte *donantis*, et duplex ex parte *recipientis*. Ex parte *dantis* requiritur *potentia*, requiritur etiam honesta et rationabilis *causa*. Non enim credenda esset indulgentia alicuius valoris, si quis daret eam euntibus videre torneamenta[4]. — Ex parte *recipientis* duplex, scilicet *confessio* cum vera contritione et *fides* cum vera devotione, ut vere de peccatis sit poenitens et vere confidens, quod pastoris indulgentia sibi valeat.

Conditiones duae ex parte concedentis.

Item ex parte recipientis.

Opinio 1. Ilis praesuppositis, dixerunt aliqui, huiusmodi indulgentias aliquid valere, sed nunquam tantum, quantum promittitur; sed aliquid valent *modicum*, secundum quod meretur fides et devotio. Praedicat tamen hoc Ecclesia, ut filios suos bona quadam deceptione ad bonum alliciat, sicut mulier filio pomum promittit, quod postea non donat. — Sed istud Ecclesiae est derogare, dicendo, eam sub specie quadam mentiri, et opera inania et puerilia et iocosa esse, quae facit; quod abhorret mens recta.

Improbatur.

Alii dixerunt, quod simpliciter tantum valent, quantum promittitur: quia non consideratur hic emptio, sed Ecclesiae largitas; et aequa est hic conditio, quicumque sit ille qui se disponat. Unde sicut dives, mittens ad tabernam, tantum habet de vino, quantum habet vetula paupercula, si par pretium mittat; sic in ecclesiastica volunt intelligi indulgentia. — Sed ista positio nimis videtur adhuc magnum forum facere de indulgentiis, ac per hoc potius facit ad vilificationem ipsarum quam ad laudem.

Opinio 2.

Non probatur.

Tertii dixerunt, quod ad hoc, quod valeant istae indulgentiae tantum, quantum promittitur, necessario requiritur *existimatio iusta*. Iustam autem existimationem vocaverunt, quando homo[5] tantum eleemosynae facit pro Ecclesiae sublevatione, quantum vellet dare ad hoc, ut remitteretur tertia pars poenitentiae suae, sive quantum deberet velle dare. — Sed certe si ita esset, nulla in mundo esset relaxatio, sed solum commutatio, si quis inspiciat.

Opinio 3.

Non probatur.

Possumus igitur dicere, quod quantitas indulgentiae attenditur respectu poenae, secundum quod habet rationem *pretii* vel debiti solvendi, non ratione *antidoti* vel purgationis scoriae peccati, quam necesse est amoveri per propriam poenam, ut puta per contritionem, vel alicuius poenae perpessionem. Haec autem quantitas mensuratur secundum rectum iudicium Summi Pontificis, vel eius qui indulgentias facit. Ille autem, qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat causam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia; et secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de indulgentia; ut verbi gratia stationes Romae institutae sunt, ubi sunt indulgentiae determinatae. Hoc instituerunt sancti Patres propter peregrinos, qui veniebant de locis remotis; nec existimaverunt, dignum esse tanta gratia eum qui est natus iuxta ecclesiam, sicut eum qui longa venit via[6]; unde nec tantam recipit indulgentiam, sed aliquantam.

Opinio auctoris.

Conclusio.

Concedo ergo, quod indulgentiae, quantum est ex parte dantis, tantum valent, quantum promittunt, sicut ostendunt primae rationes. Concedo nihilominus, quod non cuilibet valent tantum nec

Epilogus.

---

[1] Cod. K (I a secunda manu) addit *eas valere*, edd. substituunt *sonant*.

[2] Codd. A G W *indulgentia... promittitur*.

[3] Vide supra pag. 103, nota 11.

[4] Cfr. supra pag. 56, nota 8. — B. Albert., hic a. 16: Magistri definiunt relaxationem sic: est satisfactionis maioris in minorem competens et discreta commutatio. Alii sic: Relaxatio est poenae temporalis debitae promissa diminutio.

[5] In edd. additur *libere*.

[6] Permulti codd. et edd. *qui* [edd. *qui per*] *longam venit viam*. Inferius pro *ex parte*, quod praebent codd. A F G H U aa et ed. 1, alii et Vat. *ex potestate*.

aequaliter omnibus, sed secundum existimationem eius, quam habuit vel habere debuit qui indulgentiam fecit; quam non oportuit exprimere, quia omnes fideles debent illud in corde praesupponere, quod dona et miserationes sancti Spiritus donentur cum [1] aequo libramine. Nec hoc debet aliquem ab his retrahere, quia semper plus valent, si homo sit in *caritate*, quam valeat obsequium vel aliud aliquid, pro quo indulgentia conceditur vel donatur. — Et ex hoc patent omnia obiecta [2].

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Si vero non sufficit dolor interior simul cum poena iniuncta, addet Deus poenam.* Videtur enim falsum, quia iste qui fecit poenitentiam iniunctam, fecit totum, ad quod tenebatur: ergo illa completa, est absolutus: ergo non debet amplius poenam reddere. — Item, sacerdos est arbiter inter peccatorem et Deum; sed si sacerdos iniungat peccatori poenitentiam maiorem, peccator tenetur stare eius iudicio, quamvis excedat: ergo si Deus non revocat compromissum; si errat iniungendo minorem poenam debita, debet Deus esse contentus; aut si aliter, videtur frangere pactum. — Item, ignorantia excusat, maxime quando est invincibilis; sed scire, quantum Deus exigat poenae pro culpa, nemo novit certitudinaliter, sed solum per coniecturam: ergo in hoc standum est iudicio et arbitrio sacerdotis: ergo si amplius non procedat [3], absolutus est.

Respondeo: Dicendum, quod sacerdos virtute clavium habet potentiam relaxandi aliquid de poena, et hanc Deus nunquam exigit, sed solutum tantum [4] reputat, a quo sacerdos absolvit; et quantum ad *hoc* simpliciter se committit in sacerdotis arbitrium, si non sit impedimentum a parte eius qui absolvitur. Quantum vero ad *taxationem* non se committit nisi in arbitrium *discreti*, qui etiam discrete taxat, quia non [5] decet Deum aliter facere; et ideo, si sacerdos poenitentiam minorem condigna imponat, Dominus supplet quod deerat.

Distinctio.

Quod obiicitur, quod talis fecit totum, ad quod tenebatur, verum est de tentione, quae venit ex debito *praecepti;* sed de tentione, quae venit ex *obligatione* sive ex reatu peccati, non est verum, quousque solverit poenam condignam.

Duplex tentio.

Quod obiicitur de arbitrio, iam patet: quia in solius discreti arbitrium se committit quantum ad taxationem poenae.

Quod obiicitur de ignorantia, dicendum, quod illa ignorantia excusat, ut non peccet; sed tamen non excusat, ut satisfactionem perfectam faciat; et ideo oportet adhuc perfici in foro Dei [6].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit de latrone: *Statim, ut conversus fuit, paradisum ingredi meruit.* Videtur enim falsum, quia Michaeae secundo [7] dicitur: *Ascendet iter pandens ante eos;* hoc intelligitur de Christo: ergo ante ascensionem Christi nullus intravit: ergo nec latro statim.

Respondeo: Aliqui ad hoc voluerunt dicere, quod latro fuerit in paradiso *terrestri* cum Domino usque ad ascensionem, sed post ascensionem fuit in paradiso *caelesti.* — Sed tamen illud dubium est; et ideo via alia eligenda est secundum Augustinum [8], quod *paradisus* uno modo dicit *statum fruitionis,* alio modo dicit *locum* ad hoc aptum et idoneum. Et ille *locus* duplex est, secundum quod fruitio est duplex: quaedam *per speculum* et *imperfecta,* et tali competebat paradisus *terrestris,* quoniam locus est terrenus, tamen quietus et elevatus; quaedam est *frutio plena,* et haec est in *patria,* et huic competit locus supercaelestis. Quando ergo dicitur, quod latro statim fuit in paradiso, intelligitur quantum ad *statum,* quia statim fuit in Dei visione, non quantum ad *locum* [9].

Aliorum solutio.

Solutio auctoris cum distinctione.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hieronymus, quod *non satis praefigunt canones mensuram* etc.; quia Gregorius dicit, et habetur supra distinctione decima sexta [10]: « *Falsas* poenitentias dicimus quae non secundum auctoritatem sanctorum Patrum imponuntur »: ergo videtur, quod omnes poenitentiae *verae* in canonibus Sanctorum comprehenduntur.

Respondeo: Dicendum, quod sicut est in scientiis practicis, quae versantur circa opera, quod sermo in *particulari* est incertus et dubius; sermo autem

---

[1] Cod. Z *et ita.*

[2] Vide scholion ad 3. huius articuli quaest.

[3] Cod. bb *procedit.*

[4] Plures codd. omittunt *tantum,* pro quo edd. *eum,* codd. H V bb habent: *sed solum tantum.*

[5] Edd. *quia si aliter fit.* Eaedem edd. aliquanto inferius omittunt *quae venit ex debito praecepti, sed de tentione.*

[6] Cfr. supra d. 18. p. I. a. 2. q. 2; Alex. Hal., S. p. IV. q. 21. m. 3. a. 1. et q. 24. m. 4. a. 5; B. Albert., hic a. 12; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1.; Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Vers. 13. Plurimi codd. perperam *Amos IV.*

[8] Epist. 187. (alias 57.) c. 2. n. 3. seqq. et XII. de Gen. ad lit. c. 34. n. 65. seqq. Cfr. III. Sent. d. 22. q. 6. ad 1.

[9] Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. III. q. 19. m. 4; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic circa lit.

[10] Cap. 3.

Notandum. in *universali* certitudinem habet, sed cum applicatur ad singularia, incipit quodam modo habere incertitudinem, ut qui non considerat circumstantias particulares potius deviet, quam se ipsum rectificet; sicut patet in medicina et scientia morali [1]. Sic intelligendum est in proposito, quod canones instruunt in *generali*, qualiter imponenda est poenitentia, sed descensum ad *singularia* relinquunt sacerdotibus discretis, qui considerent personarum circumstantias, attendentes ad canones sicut ad regulas directivas; quia, si contra canones imponant, non recte imponunt. In canone autem determinatur poenitentia maxime quantum ad *tempus*, magis quam quantum ad *modum;* quia modus ille certior est et communior. Unde *generaliter* pro peccato mortali praefigunt poenitentiam septennem: unde laicus, qui fornicatur, septem annis, presbyter decem, episcopus vero quindecim poeniteat, sicut habetur in diversis locis in decretis Patrum [2]. Similiter de evomentibus eucharistiam propter gulam et ebrietatem, si sit laicus, quadraginta diebus poeniteat; si clericus vel religiosus, septuaginta diebus; si episcopus, nonaginta diebus; hoc habetur de Consecratione, distinctione secunda [3]. Ad has autem regulas aspiciendo, debet unusquisque sacerdos inspicere, quales poenitentias imponat tum secundum gravitatem criminis, tum secundum diversas conditiones personarum.

Quare septennis poenitentia. Et nota hic, quod pro peccato mortali septennis poenitentia praefigitur non solum propter temporis diuturnitatem, sed magis propter figuram et significationem. In Lege enim Maria separata fuit *extra castra diebus septem*, Numerorum duodecimo [4]; *Maria* significat poenitentem, unde *Maria* amarum mare interpretatur, et in Threnis dicitur de viro poenitente: *Magna est velut mare contritio tua.* Haec poenituit septem diebus, sed nunc poenitet septem annis, quod significatum est Ezechielis quarto: *Diem pro anno dedi tibi.* — *Si* autem *tu quaeras* Rationes quatuor. rationem huius, quare poenitentia est aggravata, cum lex nova sit lex misericordiae; dicendum, quod maior *ingratitudo* est hic propter maiorem gratiam; quia etiam maior *contemptus* est propter maiorem dignitatem novae legis, in qua sanguis Christi effusus est, ut firmum esset testamentum [5]; quia etiam gravius est peccatum propter *statum* peccantis, qui debet esse perfectior; quia ulterius *satisfactio* in lege nova debet esse *perfecta*, ut in statum pristinum reducat. — Et quoniam sol in uno die non redit in idem punctum, sed in anno [6]; ideo dies conversus est in annum. Quare dies conversus in annum. *Rursus,* quia perfectum est remedium in lege nova, ideo annus debuit multiplicari per septenarium propter septem *pronitates* domandas, propter septem *dona Spiritus sancti* reacquirenda, propter *septem dotes,* tres scilicet animae et quatuor corporis obtinendas [7]. — Et sic patet ratio, quare canones sic instituerunt. Haec autem omnibus non est imponenda, sed tamen insinuanda, ut recognoscant, quam gravis est culpa.

Dub. IV.

Item, quaeritur de hoc quod dicit, quod *non est imponenda in articulo mortis poenitentia, sed innotescenda.* Videtur enim male dicere, quia ad nihil valet scire, quid et quantum debeat facere, nisi etiam faciat: ergo si non est imponenda, ut faciat, non est innotescenda. *Si dicas*, quod valet ad cognoscendam gravitatem peccati; *contra:* gravitas peccati considerata in fine maxime inducit in desperationem; sed hoc maxime cavendum est in infirmis: ergo non debet tunc dici.

Respondeo: Dicendum, quod poenitentia non est *imponenda* tali, de quo praesumitur, quod moriatur, quia stultum esset aliquid imponere alicui, quod non potest facere; sed *innotescenda* est ad cognoscendam gravitatem peccati, ut doleat et ingemiscat. Sed nihilominus [8] manifestanda est divinae misericordiae abundantia, ut speret in Domino et confidat; et sic manifestans poenitentiam non inducit in desperationem, sed magis in veram contritionem.

Dub. V.

Item, quaeritur de hoc quod dicit: *Non debet presbyter reconciliare poenitentem, inconsulto episcopo.* Videtur enim male dicere, quia ubi supernus iudex dictat faciendum, frustra quaeritur consilium humanum [9]; sed cum presbyter videt peccatorem contritum, supernus iudex dicit, peccatorem illum conversum in iustum et esse reconciliatum: ergo statim

---

[1] Vide Aristot., I. Ethic. c. 3. et 7, nec non II. c. 2. — Inferius pro *instruunt* codd. H K aa *instituunt.*

[2] Cfr. canon. poenitentiales (post Decret. Gratiani), in quibus diversi loci allegantur, et quibus tota solutio huius dubii a S. Bonav. data praemittitur ut introductio. Vide etiam Confessionale S. Bonav. c. 3.

[3] Can. *Si per ebrietatem* (28.). Vide supra pag. 309, nota 6. — De seq. propos. cfr. Innocent. III. C. *Deus, qui Ecclesiam* (8.), X. de Poenitentiis et remiss. (lib. V. tit. 38.).

[4] Vers. 14. et 15. *(Maria,* secundum Hieron., *Fragment. 2.* libri Nominum Hebr., idem est ac stella maris, sive amarum mare. Idem in lib. de Nom. Hebr. *ex Exodo* ait: *Mariam* illuminatrix mea, vel illuminans eos, aut smyrna maris, vel stella maris. *Merra*, amaritudo. *Marath*, amara.). — Seq. locus est Thren. 2, 13; tertius Ezech. 4, 6. Cfr. Alan. ab Insulis, Lib. poenitentialis.

[5] Cfr. Hebr. 9, 15. seqq.

[6] Vide August., IV. de Trin. c. 4. n. 8, et Isidor., V. Etymolog. c. 36.

[7] Cfr. infra d. 49. p. I. q. 5. in corp. et p. II. a. 2. q. 1. — Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 14.

[8] Codd. F G *Sed ulterius.* — Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 14; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2.

[9] Prov. 21, 30: Non est consilium contra Dominum. — Verbo *faciendum* cod. G praemittit *aliquid.*

sine consilio, sive sit in necessitate, sive non, debet eum absolvere.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter quaeritur consilium ab aliquo: aut propter *instructionem;* et tunc quaeritur consilium a sapiente, quia sapiens, et hoc maxime, quando casus emergit, ubi probabiliter potest dubitari. Alio modo quaeritur consilium et consulitur aliquis propter *auctoritatis commissionem;* et sic inferior consulit superiorem, scilicet ut sciat eius voluntatem et per eius imperium et commissionem habeat potestatem. Hoc modo debet sacerdos in aliquibus casibus consulere episcopum, quia non potest per se ad illos extendere manum, cum habeat potestatem limitatam. — In quinque autem casibus debet sacerdos ad episcopum remittere vel eum consulere. Primus est de poenitentia solemni, quae ab episcopo debet imponi, et per eum poenitens reconciliari [1]. — Secundus casus est de excommunicatis, quos aliquando non potest absolvere. — Tertius, ubicumque invenerit irregularitatem contractam; propter illam enim debet remittere ad episcopum, ut, si potest, dispenset; si non potest, cum litteris suis mittat [2] ad Papam. — Quartus est de incendiariis. — Quintus, si sit consuetudo in aliquo episcopatu, quod certa crimina ad episcopum deferantur, ut homicidium, sacrilegium et huiusmodi; et iste casus est particularis, non universalis [3].

Distinctio.

Casus 5 consulendi episcopum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Puellarum consecratio, consulto episcopo, per presbyterum fieri valet.* Videtur male dicere, quia illae desponsantur Christo: ergo a solo episcopo est eis imponendus anulus.

Respondeo: Dicendum, quod quantum est de iure communi [4], hoc licitum est solis episcopis, quia ipsi sunt sponsi, qui debent Christo animas consecrare, secundum quod dicit Apostolus secundae ad Corinthios undecimo [5]: *Despondi vos uni viro virginem castam,* et debent filios perfectos generare; et ideo habent clavium potestatem in *excellentia,* et eis solis ista quae sunt excellentiae, sunt commissa. Unde hoc quod dicit Magister, locale solum fuit et nunc non habet locum nisi de viduis velandis, quibus potest sacerdos de consilio episcopi dare velum. Et pro tanto illud est intelligendum [6].

Notandum.

DISTINCTIO XXI.

Pars I.

Cap. I.

De peccatis, quae post hanc vitam dimittuntur.

Solet etiam quaeri, utrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur. Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Evangelio, ubi ait [1]: *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro.* Ex quo datur intelligi, sicut sancti doctores tradunt, quod quaedam peccata in futuro dimittentur. « Quaedam enim culpae in hoc saeculo relaxantur, quaedam vero parvae etiam in futuro; quae quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt, ut dimittantur eis [2] ».

Gregorius.

Cap. II.

De his qui aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, lignum, foenum, stipulam.

De illis etiam, qui aedificant *lignum, foenum, stipulam,* dicit Augustinus [3], quod ignem tribulationis transitoriae invenient, cremabilia aedificia, quae secum portaverunt, cremantem. Ait enim sic: « Post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis et remunerationis, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum, qui aedificaverunt lignum, foenum, stipulam, huiusmodi ignem dicantur perpeti, quem alii non sentiunt, qui huiusmodi aedificia [1] non portaverunt, ut inveniant ignem transitoriae tribulationis, venialia concremantem; non

Dubium 1.

Augustinus.

---

[1] Cfr. supra d. 14. p. II. dub. 9.

[2] Codd. I K supplent *eum.*

[3] Idem dub. solvunt B. Albert., hic in fine dist.; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 6.

[5] Vers. 2. Cfr. supra q. 3. in corp.

[6] Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Matth. 12, 32; Luc. 12, 10.

[2] Verbotenus in Glossa sup. loc. cit. Matth. apud Lyranum, sumta ex Gregor., IV. Dialog. c. 39, et est in C. *Qualis hinc* (4.), d. 25. — Pro *parvae etiam* edd. 3, 7, 8 *poenae etiam,* ed. 1 *poenae, vel parvae etiam,* Glossa cit. *parvae scilicet.*

[3] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 26. n. 4 (cfr. Enchirid. c. 69. n. 18.), et respicitur I. Cor. 3, 12.

Augustinus. redarguo, quia forsitan verum est ». « Sed quia dicitur: *Salvus erit quasi per ignem*, contemnitur ille ignis. Gravior tamen erit ignis ille, quam quidquid potest homo pati in hac vita [1] ». — Hic aperte insinuatur, quod illi qui aedificant lignum, foenum, stipulam, quaedam cremabilia aedificia, id est venialia peccata, secum portant, quae in igne emendatorio cremantur. Unde constat, quaedam peccata venialia post hanc vitam deleri.

Cap. III.

De igne purgatorio, quo alii citius, alii tardius purgantur.

In illo autem igne purgatorio alii tardius, alii citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis Augustinus. vel minus amaverunt. Unde Augustinus [2]: « Post hanc vitam incredibile non est nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari ».

Cap. IV.

Quid sit aedificare lignum, foenum, stipulam.

« Unde non frustra illa tria distinxit Apostolus: Dubium 2. Glossa. *lignum, foenum, stipulam*, quae illi aedificant, qui, etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhaerent; qui secundum suos amandi modos diutius, ut *lignum*, vel minus, ut *foenum*, vel minimum, ut *stipula*, ignem sustinebunt. Qui Dubium 3. vero superaedificant *aurum, argentum et lapidem pretiosum*, de utroque igne securi sunt, non solum de illo aeterno, qui cruciaturus est impios in aeternum, sed etiam de illo emendatorio, quo purgabuntur quidam salvandi [3] ».

Hic obiici potest: si per lignum, foenum, stipu- Obiicitur. lam venialia intelliguntur peccata; et nullus adeo perfectus est, qui venialiter non peccet: ergo qui aedificant aurum, argentum, lapidem pretiosum, aedificant etiam lignum, foenum, stipulam: ergo per ignem Resp. transibunt. — Ad quod dicimus, quia non omnis qui venialiter peccat, lignum, foenum, stipulam aedificat; sicut e converso non omnis qui contemplatur Deum et diligit proximum et opera bona facit, aedificat aurum, argentum, lapidem pretiosum. Et tamen in *auro* intelligitur contemplatio Dei, in *argento* dilectio proximi, in *lapide pretioso* bona opera. Sed illi qui aedificant *lignum, foenum, stipulam*, Deum contemplantur et proximum diligunt et opera bona faciunt, nec tamen aedificant *aurum, argentum, lapidem pretiosum.*

Cap. V.

Quid sit aedificare aurum, argentum, lapides pretiosos.

Haec enim aedificat qui sic illa tria facit, ut cogitet quae Dei sunt, et quomodo placeat Deo, non mundo. « *Lignum* vero et *foenum* et *stipula* accipi Augustinus. possunt saecularium rerum, quamvis licite concessarum, tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint [4] ». Haec ergo aedificat is qui cogitat quae mundi sunt, quomodo placeat mundo, « qui circa divitias suas quodam carnali affectu tenetur, et tamen ex eis multas eleemosynas facit nec pro eis aliquid fraudis vel rapinae molitur ». — Ex his igitur patet, quod non idem homo simul haec et illa aedificat. Illa enim aedificatio perfectorum tantum est, qui non cogitant placere mundo, sed tantum Deo; qui etsi venialiter aliquando peccant, fervore caritatis ita absumitur in eis peccatum [5], sicut gutta aquae in camino ignis; et ideo nunquam secum portant cremabilia. Haec autem inferior aedificatio minorum est, qui non tantum Deo, sed etiam mundo placere cogitant, Deum tamen praeponunt. Si vero mundum praeponerent, non *superaedificarent*, sed *destruerent* fundamentum. Affectiones igitur carnales, quibus dediti sunt domibus, coniugibus, possessionibus, ita ut nihil praeponant Christo, illis tribus significantur; quae in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant; in cordibus vero minorum interdum durant usque in finem, qui cum talibus aedificiis transeunt, sed dissolventur in igne; ipsi vero merito fundamenti salvi erunt, gravissimam tamen poenam sentient. Ex quo apparet, quantam hic *misericordiam* exhibet Deus, et quantam ibi exerceat *veritatem*, cum pro eodem peccato multo gravius ibi puniat quam hic.

Cap. VI.

Quod aliquem vere poenitet, etsi non de omni veniali.

Sed forte dices, illud esse accipiendum de *poena* Obiicitur. *peccati*, non de *ipso peccato*, quod Gregorius [6] dicit, Gregorius. quaedam levia in futuro dimittenda. Si enim veram poenitentiam habuerit quis, omnia dimissa sunt ei, sed *poena* forte remansit; ideoque, si vere poenitens obiit, sine peccato transit; si autem vere poenitens non est in obitu, maculam portat, quae nunquam delebitur. Qui vero aedificat lignum, foenum, stipulam, vere poenitet, quia bonus est et caritatem habet et in caritate de hac vita transit: ergo sine *peccato* transit. — Non sequitur: verum quidem est, quia bonus est et Resp.

---

[1] Enarrat. in Ps. 37. n. 3, ubi respicitur I. Cor. 3, 15.

[2] Enchirid. c. 69. n. 18.

[3] Haec et quae sequuntur sumta sunt ex longiore Glossa loc. cit. et apud Lombard. ibid., quae collecta est ex Augustini locis variis, ut Enarrat. in Ps. 80. n. 21; in Ps. 37. n. 3; de Fide et operibus c. 15. 16.

[4] August., Enchirid. c. 68. n. 18. — Superius post *Deo* codd. A C D E omittunt *non mundo*. — Seq. locus est August. de Fide et operibus c. 16. n. 27, ubi pro *multas eleemosynas* edd., excepta 1, *multa beneficia*, refragantibus codd. et originali.

[5] Cfr. Gregor., II. Homil. in Evang., homil. 33. n. 4, et XVI. Moral. c. 67. n. 81, quoad sensum; Guliel. Antissiod. et Petr. a Tar. hunc locum tribuunt Augustino. In fine respicitur Ps. 84, 11.

[6] Libr. IV. Dialog. c. 39. Cfr. pag. 543, nota 2. — Infra edd., excepta 1, praefigunt *peccata* ante *omnia*.

caritatem habet et vere poenitet; et tamen cum veniali peccato transit, quod non delevit poenitentia. Poenitentia enim non delet nisi peccatum illud, quod deserit homo. Tale autem peccatum saepe in hac vita non relinquitur ab homine, et tamen vere poenitens est, etsi non de omnibus venialibus poeniteat. Potest enim quis de omni mortali et de omni veniali poenitere, excepto uno vel pluribus venialibus quidem; sicut habet quis caritatem et unum vel plura venialia; quod de criminalibus nullatenus esse potest. Est enim aliquis bonus caritatem habens, sed adhuc quodam cupiditatis affectu amans haec saecularia; talis existens subita morte opprimitur, in illo terreno affectu mortuus est, et tamen salvabitur, a quo non se hic absolvit: ergo post hanc vitam ab illo purgabitur. Constat ergo, quaedam peccata, sed levia, post hanc vitam dimitti. Si vero de *poena* peccati illud intelligi voluissent auctores, cur magis commemorassent *levia* quam *gravia*, cum etiam gravium *poena* hic inexpleta post hanc vitam restet?

Pars II.

Cap. VII.

Quid sit generalis confessio.

Post haec considerandum est, utrum [1] prosit confessio illa, ubi singula peccata, quae quisque fecit, non exprimuntur. — Sane dici potest, quod omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, (Dubium 1.) nisi aliqua a mente exciderint. Sed quia *delicta nemo intelligit* omnia, *generaliter* saltem ea confitere, quorum memoriam non habes; et sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia vero, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter (Dubium 2.) iterata; perfectius est tamen etiam illa exprimere, si vales. Ideoque quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia, pro venialibus scilicet peccatis, quae quotidie admittimus, et pro illis mortiferis, quorum notitiam non habemus. (Augustinus.) Unde Augustinus [2]: « Veritatem dicit Deo poenitens, quando nihil illi de commissis sceleribus celat; non quod, etsi voluntate celaverit, Deus ignoret, sed veritatem sibi ab eo dici vult, ut veniam consequatur. Si vero mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo, cum generaliter dixerit: *Deus, qui nosti occulta cordis, et opera mea et delicta a te non sunt abscondita*, quibus veniam largiaris. Et haec est veritas confitentis, quam diligit Deus ». Unde: *Ecce enim veritatem dilexisti.* — Hic insinuatur, quod generalis confessio etiam mortalia delet, quorum intelligentia non habetur.

Cap. VIII.

Quod nemo debet confiteri peccata, quae non fecit.

Sicut autem poenitens celare non debet peccatum, quia superbia est; ita nec humilitatis causa fateri se (Dubium 3.) reum illius quod se non commisisse noscit, quia incauta est talis humilitas et peccatorem constituit. Unde Augustinus [3]: « Cum humilitatis causa mentiris, si non (Augustinus.) eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris quod evitaveras. Veritas in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est veritas, ubi regnat falsitas » ?

Cap. IX.

De poena sacerdotis, qui peccata confitentis publicat.

« Caveat autem sacerdos, ne peccata confitentium (Canon.) aliis prodat, alioquin deponatur. Unde Gregorius: Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat [4] ». « Quod vero dictum (Gratianus.) est [5], ut poenitens eligat sacerdotem scientem ligare et solvere, videtur contrarium ei quod in canonibus reperitur, ut nemo scilicet alterius parochianum iudicare praesumat. Sed aliud est favore vel odio proprium sacerdotem contemnere, (Dubium 4.) quod canones prohibent, aliud caecum vitare, quod Urbanus facere monet, ne, *si caecus caecum ducat, ambo in foveam cadant* ». Ait enim Urbanus secundus: « Placuit, ut nulli sacerdotum dein- (Urbanus.) ceps liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad poenitentiam suscipere sine eius consensu, cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est. Qui vero contra hoc facere tentaverit gradus sui periculo subiacebit ».

---

[1] Solae edd., excepta 1, *quid.* — Infra respicitur Ps. 18, 13.

[2] Libr. V. Hypognost. (inter Augustini opera) c. 1. n. 1, ubi citatur Ps. 68, 6, et inferius Ps. 50, 8. — In loco libri cit. post *largiaris* plurimae edd. addunt *precor.*

[3] Sermo 181. (alias 29. de Verbis Apost.) c. 4. n. 5; C. *Cum humilitatis* (9.), C. 22. q. 2.

[4] Ita in C. *Sacerdos ante* (2.), de Poenitent. d. 6. Non invenitur in Gregor. — Pro *his qui* cod. C et plures edd. *his quae,* refragantibus aliis et canone.

[5] Dist. XVII. c. 4. — Haec sumta sunt ex Gratian. ad can. cit., et alluditur ad Matth. 15, 14. Verba Urbani ibi sequuntur in C. seq.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXI.

Pars I.

De opportunitate temporis quoad remissionem venialium.

Solet etiam quaeri, utrum post hanc vitam etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de temporis opportunitate quantum ad remissionem mortalium; hic secundo agit de opportunitate quantum ad remissionem venialium. Et habet haec pars duas. In prima procedit ad veritatem ostendendam. In secunda se exercet ad veritatem defendendam, ibi: *Hic obiici potest: si per lignum, foenum* etc.

Prima pars habet duas. In prima ostendit, a quibus homo purgetur in purgatorio, scilicet utrum a *poena*, an etiam a *culpa*, ostendens, quod a *culpa*. In secunda agit de diuturnitate purgationis, ibi: *In illo autem igne purgatorio* etc.

Similiter secunda pars, in qua veritatem ostensam defendit, habet duas. In prima enim dissolvit quandam sophisticam rationem. In secunda vero excludit quandam apparentem solutionem, ibi: *Sed forte dices, illud accipiendum esse* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis incidit hic quaestio de purgatione peccatorum post hanc vitam. Ad quod intelligendum tria quaeruntur.

Primo quaeritur de purgatione peccatorum ante purgatorium.

Secundo, de purgatione per purgatorium.

Tertio, de liberatione a purgatorio.

Circa primum, cum in praecedentibus [1] sit quaesitum de iustificatione a mortalibus, quaeritur hic de deletione venialium. Circa quam duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum venialia possint deleri sine gratia.

Secundo, utrum possint deleri a gratia sine poenitentia.

ARTICULUS I.

De purgatione peccatorum venialium in hac vita.

QUAESTIO I.

Utrum peccata venialia possint deleri sine gratia.

Et quod possint deleri sine gratia [2], videtur:

Ad oppositum. 1. Quia omnis culpa remissa est omnino, cum est punita, quantum ipsa exigit; sed venialis culpa est digna sola poena temporali: ergo cum omne temporale finem habeat, possibile est, aliquem existentem extra gratiam sufficienter pro illa culpa puniri: ergo possibile est sine gratia remitti. *Prima* propositio manifesta est, quia nullus ita severus est in iustitia, quod puniat ultra quod meruit [3] qui peccavit: ergo cum sufficienter punit Deus, amplius non punit; sed non potest esse culpa sine poena: ergo cessante poena, cessat culpa.

2. Item, venialis culpa non dicit deformitatem imaginis, sed solum pronitatem ad bonum commutabile [4]; sed pronitas potest sine gratia aboleri, quoniam qui est pronus ad avaritiam sine gratia potest fieri prodigus et pronus ad prodigalitatem: ergo etc.

3. Item, in morbis parvis natura non indiget medicina, sed solum quando morbus magnificatus est; sed venialia non prosternunt naturam, immo dimittunt eam in suo vigore: ergo praeter medicinam gratiae potest per naturam veniale curari.

4. Item, quanto morbi minorem habent con-

---

[1] Dist. 17. p. I. per totam.

[2] Aliis verbis sic poni potest quaestio: utrum in statu peccati mortalis dimittatur veniale.

[3] Vat. cum paucis codd. *ultra quam meruit ille.* Inferius post *punit* ex cod. U supplevimus *Deus.*

[4] Cfr. supra pag. 292, nota 9.

nexionem et similitudinem, tanto specialius potest unus sine alio curari; sed veniale maiorem convenientiam habet cum aliquo veniali quam cum mortali [1]; sed unum veniale potest deleri, alio remanente: ergo multo fortius potest deleri veniale, remanente mortali: ergo etc.

5. Item, si veniale non potest deleri sine gratia; esto quod aliquis in solo veniali moriatur, illud nunquam delebitur, sed quamdiu durabit, punietur: ergo aeternaliter ex se ipso punitur: ergo non differt a mortali.

Contra: 1. Augustinus, de Civitate Dei vigesimo Fundamenta. primo [2]: «Nec magna nec parva possunt nobis dimitti, nisi nos dimiserimus *debitoribus nostris*»; hoc non est ob aliud, nisi quia, dum homo non dimittit, est semper in peccato: ergo nullum peccatum potest homini dimitti, quamdiu est in peccato mortali: ergo si sola gratia a peccato liberat, veniale non dimittitur sine gratia.

2. Item, si aliquid delet aliquid aliud, habet oppositionem ad illud aliquo modo; sed nec poena nec natura habet oppositionem ad culpam: ergo nec per poenam nec per [3] naturam delentur venialia, nisi adsit gratia.

3. Item, omne peccatum nocet et adimit, sicut vult Augustinus in Enchiridio [4] et multis locis: ergo veniale aliquid de bono spirituali et rectitudine adimit; sed solus Deus potest animae restituere bonum, sicut solus potuit eam creare, et hoc est per gratiam: ergo etc.

4. Item, Deus punit pro veniali, hoc constat: ergo aliquid invenit displicentiae in veniali; sed nihil omnino removet displicentiam Dei, nisi quod invenit placentiam et veniam; sed sola gratia gratum faciens est illa quae Deo placere facit [5]: ergo etc.

5. Item, perfectius est carere veniali quam mortali: ergo aeque nobilis doni sive aeque perfecti, vel magis perfecti actus est delere veniale quam delere mortale; sed mortale deleri non potest nisi a dono gratiae gratum facientis [6]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Peccata venialia sine gratia gratum faciente non delentur.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum positio Opinio 1. fuit, quod venialia sine gratia *gratum faciente* deleri possunt per gratiam *gratis datam.* Et rationem huius ostendere voluerunt, pro eo videlicet, quod veniale peccatum non repugnat gratiae *gratum facienti,* sed *gratis datae;* nec offendit Maiestatem divinam, quia ibi non diligitur aliquid supra Deum, sed aliquantulum inordinate sub Deo. Et ideo, sicut mortale potest deleri per gratiam [7], quia ei repugnat, et quia gratia Deo offenso reconciliat, et quia Deum contemptum amare facit super omnia; sic veniale potest deleri per gratiam *gratis datam,* quae illam modicam inordinationem removet et illam occasionem minus amandi Deum ab ipsa anima tollit; nec oportet, ibi esse gratiam elevantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per veniale nihil amatur supra Deum.

Sed haec positio, licet probabilis videatur, a veritate tamen deviat, si quis inspiciat. Omne enim peccatum, eo ipso quod peccatum est, aliquo modo animam *foedat* [8] et aliquo modo ipsam *deordinat,* et necesse est ex hoc, quod aliquo modo *Deo displiceat.* Quoniam igitur nota displicentiae minima, quae esse possit, sine *habitu,* qui reducit ad complacentiam et ad amicitiam, auferri non potest; tenendum est omnino de omni peccato generaliter, quod nullum omnino potest deleri sine gratia *gratum faciente.* Sic enim decrevit nos sanare divina misericordia; et hoc dicunt Sancti, et sonat Scriptura [9], quae maxime ponit, gratiam esse necessariam ad delenda peccata. Non probatur. Opinio 2. et conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sufficiens punitio absolvit a culpa; dicendum, quod si illud intelligatur in facie *hominum,* qui iudicant secundum exteriora [10], potest habere veritatem. Sed in facie *Dei,* qui considerat faciem animae internam et decorem imaginis suae, quantacumque sit poena, non potest omnino absolvere peccatorem, nisi removeatur *interior deformitas;* et ideo in foro Dei impossibile est peccatum sufficienter puniri quantum ad tempus, nisi deleatur per gratiam. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod veniale dicit solam pronitatem; dicendum, quod falsum est, immo amplius dicit quandam *notam displicentiae;* et ita semper manet in anima, etiam si veniat pronitas ad oppositum, nisi interveniat *caritas, quae operit multitudinem peccatorum* [11]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in morbis parvis natura non indiget medicina; dicendum, quod verum est; et similiter in spiritualibus est, si *recte* fiat similitudinis translatio. Natura igitur habet in Notandum.

[1] Vide supra d. 16. p. II. a. 3. q. 1.

[2] Cap. 27. n. 4. Respicitur Matth. 6, 12. — Circa finem arg. post *a peccato* in codd. bene O R S T additur *mortali.*

[3] Cum codd. I K L X bis substituimus *per* pro *propter.*

[4] Cap. 12. n. 4. et c. 17. n. 5. Cfr. III. de Lib. Arb. c. 13. n. 36. Vide etiam tom. II. pag. 822, nota 1, ubi alios locc. allegavimus. — Mox post *et multis* cod. U addit *aliis.*

[5] Ut ostensum est II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1.

[6] Cfr. supra d. 17. p. I. a. 1. q. 1.

[7] Codd. R S T bene supplent *gratum facientem.*

[8] Plures codd. et edd. *defoedat,* cod. A *deformat.*

[9] Cfr. Rom. 3, 24. seqq.; 5, 15. seqq.; Eph. 2, 5. seqq.; Tit. 3, 7. Ambros., Epist. 26. n. 7, docet, gratiam abolere peccatum. August., de Spiritu et lit. c. 30. n. 52: Per gratiam sanatio animae a vitio peccati. Vide etiam II. Sent. d. 26. q. 2. et d. 28. a. 1. q. 1. — Pro *sanare* cod. H *salvare.*

[10] Libr. I. Reg. 16, 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor. — Mox post *Sed* cod. H addit *si.*

[11] Epist. I. Petr. 4, 8: Quia caritas operit etc. Cfr. Prov. 10, 12.

se *fundamentum* sanitatis, scilicet *virtutes naturales*, regentes complexionem et expellentes nociva; regimen autem *spiritualis sanitatis* non est nisi gratia *gratum faciens*: et ideo, sicut corrupta vi naturali, non potest deleri morbus *corporalis;* sic nec, absente gratia, potest deleri, quantumlibet sit parvus, morbus *spiritualis*. Non ergo *gratia* sicut *medicina*, sed sicut *regitiva virtus* est[1]; exterius autem *Sacramentum* est sicut *medicina*, quo non indiget gratia necessario, expedit sibi tamen ad curationem venialis, maxime cum illa aegritudo est consuetudinaria.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maior connexio est venialis ad veniale; dicendum, quod *veniale* sine veniali potest deleri, quia neutrum fundamentum virtutis vivificantis et sanantis evertit, scilicet gratiam; sed *mortale* exstirpat gratiam; non enim simul stat cum vita. Et quoniam non potest deleri aliqua culpa sine gratia, ideo nullus morbus, etiam minimus, potest deleri, quin deleatur omnis mortalis culpa; non sic autem est in veniali, pro eo quod utrumque simul stat cum gratia.

5. Ad illud quod obiicitur de eo qui in solo veniali decedit; dicendum, quod positio est impossibilis; et ideo non est mirum, si accidat impossibile[2]. Si tamen aliquis decedat cum *originali* et *veniali*, vel cum *veniali* et alio quocumque *mortali;* punietur pro veniali aliquanta poena intensive; sed ratione *adiuncti* poena illa erit aeterna, non ratione ipsius culpae *venialis*. Notandum.

SCHOLION.

I. De purgatorio vide supra d. 20. p. I. per totam et hic dub. 1-3, ubi locus Apostoli (I. Cor. 3, 12.) exponitur (cfr. etiam infra d. 23. a. 1. q. 1. de remissione venialium per extremam unctionem). — Quaestio 1. intelligitur de *habitu* sive *statu gratiae* et influxu eius, ut est « regitiva virtus » (ad 3.), non de nova *infusione* gratiae habitualis, ut docet etiam S. Thom. locc. infra citt.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 3. a. 4. § 1. — Scot., hic q. 1. n. 1. — S. Thom., supra d. 16. q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; S. III. q. 87. a. 2; de Malo q. 7. a. 12. — Petr. a Tar., supra d. 16. a. 7. quaestiunc. 1. 3. — Richard. a Med., supra d. 16. a. 5. q. 2. ad 2. — Durand., supra d. 16. q. 2. — Dionys. Carth., de tota hac p. I. hic q. 1.

II. Quoad seq. (2.) quaestionem Alex. Hal., (loc. cit. § 2.) resolvit: « Dico ergo *sine praeiudicio*, quod sine motu voluntatis actuali, vel habituali [i. e. virtuali] *nolentis* peccasse venialiter non deletur veniale ». Hoc autem ita explicat, ut asserat: « Non video, quomodo liberum arbitrium possit *consentire* gratiae delenti peccatum, nisi *dissentiat* ipsi sive *nolit fecisse*, sive in particulari... sive in generali dissentiat, sive *nolit* actu vel habitu, dico ». Ratione huius principii idem (loc. cit. in fine) etiam opinatus est, venialia fieri mortalia in casu, si quis moriens et sui compos non *dissentiendo* poenitentiam egerit de istis venialibus. — Communis quidem sententia ad veniam horum peccatorum impetrandam requiri et sufficere docet *virtualem displicentiam;* sed simul asserit, hanc importari etiam in actibus *aliarum* virtutum, non tantum poenitentiae sive contritionis (cfr. S. Thom., hic q. 2. a. 1; S. III. q. 87. a. 2.). Simul communius docetur, etiam post mortem animas in gratia decedentes vi eiusdem et poenarum purgari posse a *culpa* venialium (cfr. infra a. 2. q. 1.). — A doctrina valde communi, quod venialia peccata in damnatis habeant poenam aeternam *per accidens* (q. 1. ad. 5. tacta), dissentit Scot. (hic q. 1. n. 8.) cum suis, Nominalibus nonnullisque aliis et docet, poenam aeternam venialibus deberi nec *per se* nec *per accidens*. De hac quaestione cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; B. Albert., hic a. 8; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 2. q. 3; Durand., hic q. 2.

De 2. quaestione praeter laudatos: Scot., loc. cit. n. 8. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. 4. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum peccata venialia possint deleri a gratia sine contritione sive interiore poena.

Secundo quaeritur circa hoc, utrum venialia possint deleri a gratia sine contritione sive interiori poena. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per illud, quod habetur in littera[3], quod est verbum Gregorii: « Quod est gutta aquae ad caminum ignis, hoc est veniale ad fervorem caritatis »: ergo videtur, quod in solo caritatis fervore possit deleri veniale.

2. Item, sicut colligitur ex verbis Augustini in libro Confessionum[4], veniale non est aliud quam minor amor Dei: ergo quod excludit remissionem amoris excludit veniale et delet; sed caritas, nulla facta meditatione, potest magis et magis inflammari: ergo etc.

3. Item, possibile est, iustum, qui habet venialia, mori dormiendo, vel ita quod cadat in furiam: ergo cum ultra non sit locus poenitentiae, et necesse sit, illa venialia deleri, quia aliquando, cum habeat gratiam, perveniet ad gloriam: ergo possunt venialia deleri per gratiam sine poenitentia.

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1. ad 2. — De seq. propos. vide supra d. 1. p. I. q. 6. et d. 17. p. III. a. 2. q. 1. — Post pauca pro *quo* edd. cum pluribus codd. *qua*.

[2] Vide supra pag. 84, nota 8. in fine verba Aristot. De ipsa solut. cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 2.

[3] Hic c. 5.

[4] Libr. X. c. 29. n. 40. Verba vide supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 3. — Inferius post *meditatione* [sive consideratione], pro quo codd. A H *medicatione*, cod. F *mediatione*, codd. P Q addunt *de veniali*.

4. Item, mortale improportionaliter plus offendit Deum quam veniale; sed minima contritio sufficit ad delendum mortale cum gratia [1]: ergo ad delendum veniale sufficit sola gratia.

5. Item, venialia delentur virtute Sacramenti extremae unctionis, virtute etiam eucharistiae — sicut supra [2] habitum est, et expresse dicit Ambrosius — et per orationem dominicalem et benedictionem episcopalem, sicut dicunt magistri communiter: ergo non est necessarium conteri, quia alia est via deletionis. — Cum ergo per haec remittantur et etiam per contritionem et exteriorem satisfactionem et per baptismum; quaeritur, per quam naturam communem insit his haec passio communis.

Quaestio incidens.

Contra: 1. Supra distinctione decima sexta [3] habetur, ubi agitur de remissione venialium sive de poenitentia — dicit Magister — quod « ad remissionem venialium sufficit oratio dominica cum aliquo ieiunio et eleemosynis; sic tamen, ut praecedat contritio aliquantula »: ergo non potest pro illa culpa fieri satisfactio congrua, nisi praecedat interior poenitentia: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, maioris adhaerentiae est veniale quam mortale [4]; sed mortale nunquam deletur, nisi liberum arbitrium ab eo dissentiat per actum contritionis: ergo multo fortius videtur de veniali.

3. Item, quando aliquae duae formae sese compatiuntur, una per se non expellit aliam; sed veniale simul stat cum gratia: ergo gratia per se non delet veniale: ergo necesse est, aliquid addi ultra, quod cum veniali peccato oppositionem habeat. Sed hoc non est nisi poenitentia interior: ergo etc.

4. Item, ratio, quare mortale non potest deleri sine actu detestationis, est, quoniam voluntate actum est et voluntate *acceptante,* et ideo non potest deleri nisi voluntate *detestante* [5]; sed peccata venialia ut in pluribus voluntarie committuntur et durant in nobis, quamdiu voluntas vult in talibus versari: ergo videtur, quod venialia non possunt deleri sine contritione interna.

5. Item, possibile est, unum veniale deleri sine alio; sed hoc non est nisi per aliquid, quod magis aspicit unum veniale quam aliud, ratione cuius gratiae effectus potius est supra unum quam supra aliud; sed tale non est gratia nec Sacramentum, sed solus actus interior liberi arbitrii: ergo etc.

CONCLUSIO.

Quamvis venialia peccata valde congrue per poenitentiam deleantur, tamen possunt deleri per gratiam aliter adiutam, scilicet solo libero arbitrio consonante, et aliquo exterius adiuvante.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod peccata venialia, quia quodam modo sunt voluntaria, sine actu voluntatis *detestantis illa* deleri non possunt. Quia tamen longe minus habent de ratione voluntarii quam mortalia, ideo quantulacumque contritio sufficit sive in *generali,* sive in *speciali.* Unde dixerunt, quod si quis cum impoenitentia de venialibus decedat, mortaliter peccat; si quis vero praeter usum liberi arbitrii decedat, postmodum delentur per gratiam cum detestatione voluntaria. Nam anima, quae est in gratia, statim dum in se conspicit culpam, illam detestatur, et gratia existens in anima eam delet. — Sed tamen illud difficile est sustinere tam in *hoc saeculo* quam in *futuro:* in *hoc,* inquam, *saeculo,* quoniam multi sunt modi remittendi peccata venialia praeter poenitentiam, ut puta, cum aliquis devote suscipit episcopalem benedictionem et aquae benedictae aspersionem [6] et consimilia; in *futuro,* quia, cum nullus sit usus liberi arbitrii meritorius post mortem, in nullo videtur possibile, quod gratia culpam deleat, cooperante motu voluntatis animae iam exutae. Et sic modus iste dicendi non videtur omnino conveniens.

Opinio 1.

Non probatur.

Propter hoc igitur aliter dici oportet. Et ut intelligamus modum deletionis venialium, notandum, quod triplex est genus peccati, scilicet *originale, actuale mortale* et *veniale.* Et *primum* quidem minimam habet rationem voluntarii, immo nullam habet rationem voluntarii in *nobis. Alterum* autem genus peccati, scilicet mortale, simpliciter tenet rationem voluntarii, licet non ita, sicut peccatum Adae, quod nullum habuit inclinativum. *Veniale* peccatum quodam modo tenet medium. Unde quodam modo habet rationem *poenae,* quodam modo *culpae;* et *rursus,* quodam modo est *voluntarium,* quodam modo *involuntarium.* Habemus enim necessitatem committendi aliquod veniale in *communi,* quamvis ad nullum in *particulari* [7].

Opinio 2.

Triplex genus peccati.

Primum igitur peccatum, quoniam aliunde con-

De 1. et 2. genere.

---

[1] Contritio enim, ut supra d. 16. p. I. a. 2. q. 2. in corp. dicitur, nominat quid informatum gratia (cum qua coniunctum esse non potest peccatum mortale).

[2] Dist. 12. p. II. a. 1. q. 3. — De extrema unctione idem probatur infra d. 23. a. 1. q. 1. — Sententia Ambrosii (IV. de Sacram. c. 6. n. 28.) relata est supra lit. Magistri, d. XII. c. 6, et Comment. ibid. p. II. a. 2. q. 2. fundam. 3. Cfr. etiam supra lit. Magistri, d. XVI. c. 4. seqq., ubi de oratione dominica. — Mox pro *et per* cod. U *quod per.*

[3] Cap. 6. — Sola ed. 1 omittit *dicit Magister.*

[4] Ut dictum est supra d. 17. p. II. a. 2. q. 1. ad 4.

[5] Vide supra d. 16. p. I. a. 1. q. 1. et d. 17. p. I. a. 1. q. 3.

[6] Cfr. C. *Aquam sale* (20.), de Consecrat. d. 3, et S. Bonav. Exposit. in Luc. 18, 13.

[7] Vide II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. et supra d. 12. p. II. dub. 4. — Ante *nullum* addidimus *ad* ex codd.

tractum est, potest deleri, libero arbitrio *nihil omnino agente,* sed Sacramento solo exterius adiuvante, sicut patet in parvulis. — *Secundum* genus peccati, quoniam voluntarie contractum est, non potest deleri, nisi libero arbitrio *consonante et adiuvante;* ideo in iustificatione impii requiritur motus liberi arbitrii, per quem *consonet* gratiae, et ulterius contritio, per quam *adiuvat*[1]. — *Veniale* peccatum potest deleri, libero arbitrio *consonante* et *aliquo exterius adiuvante;* unde si liberum arbitrium gratiae non *repugnat,* volendo persistere in culpa, et gratia *virtute Sacramenti,* vel *rei sacramentalis* vigoratur; culpam venialem delet vel *universaliter,* vel *particulariter.* Unde credendum est, quod aliquo nihil de peccatis suis cogitante, sed tantum passionem Christi recolente in Sacramento eucharistiae, recogitante, inquam, ferventer, quod venialia peccata vel omnia, vel quaedam remittuntur ei per gratiam sic adiutam. Et omnia illa, sive *sacramenta,* sive *sacramentalia,* ut eucharistia et unctio et baptismus et aquae aspersio et episcopalis benedictio et contritio et misericordiae exhibitio et orationis dominicae devota exoratio, faciunt ad venialium deletionem, non per propriam naturam, sed per eam naturam, qua gratiam gratum facientem ad hunc actum *adiuvant* et vigorant.

De veniali conclusio.

Si quaeras: quomodo adiuvant? dicendum, quod in talibus ut plurimum est *humiliatio* et *devotio,* quae est actus gratia informatus, repugnans ipsi veniali peccato, quod fervorem caritatis et devotionem, quantum est ex se, diminuit. Vel ea ratione, qua est in eis *poenalitas,* quae repugnat inordinatae delectationi, prout[2] illa poena iuncta est ordini gratiae. — Et sic potest responderi, quod quamvis venialia valde congrue per poenitentiam deleantur, possunt tamen per gratiam aliter adiutam deleri. — Et concedendae sunt rationes ad hoc inductae.

Ad quaest. incid.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod praecedere debet aliquantula contritio; dicendum, quod Magister non determinat praecise modum *delendi veniale* peccatum, sed modum *perfecte satisfaciendi.* Nemo autem perfecte satisfacit pro culpa, nisi etiam interius in corde doleat, quantumcumque se exterius punit; et hoc dico vel in *generali,* vel in *speciali.* Venialia autem non solum per vim poenitentiae, sed etiam aliis modis deleri possunt, ut tactum est.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod veniale est maioris adhaerentiae; dicendum, quod dupliciter est loqui de adhaerentia venialis: aut quantum ad *maculam,* aut quantum ad *pronitatem,* quae est via ad illam. Si loquamur quantum ad *notam displicentiae,* plus adhaeret mortale quam veniale[3]. Si autem quantum ad *pronitatem,* e contrario est; deletio autem non est respectu *pronitatis,* sed potius respectu *maculae* peccati.

Distinctio notanda.

3. Ad illud quod obiicitur, quod veniale se compatitur cum gratia etc.; dicendum, quod verum est, quod se compatitur quantum ad *inhaerentiam;* et ideo gratia non delet per sui essentiam vel inhaerentiam; et propter hoc oportet ei addi aliquod adiutorium vel liberi arbitrii[4], vel alicuius alterius poenalitatis, vel Sacramenti, ratione cuius effectus vel actus gratiae repugnat veniali. Quamvis enim gratia secundum *essentiam* stet cum veniali, tamen caritas ad *fervorem excitata* consumit culpam, sicut fornax ignis modicam aquae guttam.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod veniale est voluntarium; dicendum, quod non sic, sicut mortale; tamen, quia aliquo modo voluntarium est, nunquam deletur, nisi voluntas *consonet*[5]. Unde vix contingit, quod ei qui proponit manere in veniali peccato, utpote in verbis otiosis, quod etiam si confiteatur, remittatur ei culpa, nisi forte pro opere illo contra se ipsum insurgat, et adeo rugitus rationis fremat, quod bestiales motus sensualitatis gressum figant, ad modum leonis, quo rugiente, cetera animalia gressum figunt.

Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod veniale unum deletur sine alio; dicendum, quod hoc possibile est duplici modo: vel quia voluntas habitudinaliter[6] adhaeret uni, et non alii; et tunc culpa remittitur, cui non inhaeret, et remanet culpa, cui voluntas adhaerebat; vel ideo, quia voluntas unum peccatum magis detestatur quam alterum. Unde gratia magis delet culpam venialem, in cuius deletione magis voluntas consonat, vel adiuvat[7].

Duplex modus.

ARTICULUS II.

De purgatione, quae fit per purgatorium.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de purgatione, quae fit per purgatorium. De qua duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in purgatorio post hanc vitam fiat aliqua purgatio ab aliqua culpa, an solum a poena.

Secundo, utrum purgatio illa fiat per ignem materialem.

---

[1] Edd. cum uno alteroque cod. *adiuvatur.* Inferius pro *volendo* nonnulli codd. *nolendo.*

[2] Permulti codd. *ut pro,* edd. *et prout,* quae etiam subinde *ordinanti* pro *ordini.*

[3] Cfr. supra d. 16. p. I. a. 4. q. 2. ad 3. 4.

[4] Vat. *liberum arbitrium.*

[5] Supple: gratiae. — Edd. substituunt *detestetur.*

[6] Vat. *habitualiter,* quae etiam inferius pro *adhaerebat* cum ed. 1 *adhaerebit,* cod. O *adhaeret.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum in purgatorio post hanc vitam fiat purgatio aliqua ab aliqua culpa, an solum a poena.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod fiat ibi purgatio a culpa:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicitur Matthaei duodecimo [1]: *Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur, ei neque in hoc saeculo neque in futuro:* ergo implicat Dominus, aliqua peccata remitti in futuro; sed non nisi in purgatorio: ergo etc.

2. Item, Gregorius quarto Dialogorum [2] dicit, quod « quaedam leves culpae remittuntur in futuro », et ibi multa dicit, quae ad hoc ostendendum faciunt. *Si dicas,* quod hoc intelligit quantum ad reatum poenae; hoc non solvit, quia in futuro, utpote in purgatorio, non solum fit purgatio a reatu culparum venialium, verum etiam mortalium in his qui poenitentiam in hac vita non complent.

3. Item, omnis purgatio, secundum quod huiusmodi, respicit foeditatem aliquam; foeditas autem animae culpa est [3]: ergo videtur, quod purgatorius ignis sit contra culpam. *Si dicas,* quod est contra pronitatem vel sequelam vel aliquid tale; tunc *quaero:* cum liberum arbitrium post hanc vitam sit ita immobile respectu pronitatis, sicut respectu voluntatis; quare talis sequela potest purgari, et non venialis culpa, cum plus laedat animam sequela mortalis quam culpa venialis?

4. Item, quod purgat aliquid [4] aliquo modo habet oppositionem ad illud; sed poena poenae non opponitur: ergo si est ibi purgatio, non est a poena: ergo a culpa aliqua.

Ad oppositum. Contra: 1. Super illud primae Ioannis quinto [5]: *Est peccatum ad mortem;* Glossa: « Quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem venia eius postulatur »: ergo nulla post mortem ibi culpa purgatur.

2. Item, Damascenus [6]: « Quod est hominibus mors, hoc est angelis casus », et e converso; sed angeli post casum a nulla culpa possunt liberari: ergo nec homines post mortem.

3. Item, Gregorius in Dialogis [7]: « Talis in iudicio quisque futurus est, qualis de corpore exivit »: si ergo exivit cum veniali: patet etc.

4. Item, liberum arbitrium medium est inter profectum in bono et liberationem a malo culpae; sed post mortem non potest in bono proficere: ergo nec a culpa aliqua resurgere.

5. Item, facilius est labi in veniale quam liberari a veniali; sed post mortem non potest anima venialiter peccare: ergo nec a veniali resurgere.

6. Item, veniale in nobis non est nisi ratione fomitis [8]: ergo ablato fomite, veniale non manet; sed fomes aufertur in morte, non post mortem: ergo et veniale.

CONCLUSIO.

Post hanc vitam poena purgatorii potest purgare non solum a poena, sed etiam a culpa peccati venialis.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum magistrorum et bene intelligentium opinio fuit, quod nullum peccatum post mortem dimittitur, pro eo quod liberi arbitrii quantum ad meritum vel demeritum omnino cessat usus. Unde dicunt, quod venialia omnino [9] remittuntur aut per poenitentiam, aut per finalem gratiam, si non adsit locus poenitentiae, si forte morte praeoccupatus moritur iustus homo. Opinio 1.

Rationem autem huius positionis et intelligentiam per hunc modum assignant. Dicunt enim, quod triplex est gratia, scilicet *baptismalis, poenitentialis* et *finalis;* et quaelibet harum gratiarum pro sui initio dominium habet in ipsa anima. Pro eo quod dominatur in *ipso ingressu,* ut gratia baptismalis, vel *status sui principio,* ut finalis [10], delet omnem culpam, non tantum *mortalem,* verum etiam *venialem.* Dominatur autem gratia baptismalis Explicatur. Triplex gratia.

---

[1] Vers. 32.

[2] Cap. 39. Cfr. Glossa *ordinaria* in Matth. 12, 32. apud Strabum et Lyranum nec non C. *Qualis hinc* (4.), d. 25. — Inferius verbis *hoc intelligit* plures codd. cum edd. perperam interserunt *non.* In fine arg. cod. aa addit: *et ita nil esset illa differentia, quam assignat, quod parva delentur, magna autem non.* Vide hic lit. Magistri, c. 6, ubi eadem instantia fertur et solvitur.

[3] Cfr. supra d. 18. p. II. dub. 4.

[4] Plures codd. *aliud.*

[5] Vers. 16. — Glossa, quae est *interlinearis* apud Lyranum, sumta est ex Gregor., XVI. Moral. c. 68. n. 82, et habetur etiam apud Bedam, in hunc locum.

[6] Libr. II. de Fide orthod. c. 4: Oportet autem scire, quod hominibus est mors, hoc angelis esse lapsum. Post lapsum enim non est ipsis poenitentia, sicut nec hominibus post mortem. Cfr. II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1.

[7] Libr. IV. c. 39: Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio praesentatur.

[8] Sive concupiscentiae; cfr. tom. II. pag. 767, nota 4.

[9] Cod. aa *omnia.*

[10] Praebemus lectionem cod. V; alii codd., ut codd. L R S T X, cum hac lectione conveniunt, eo excepto, quod omittant exempla, scil. *ut gratia baptismalis* et *ut finalis,* codd. I K tantum *ut gratia baptismalis,* quod codd. F G perperam substituunt pro *ut finalis;* cod. M omittit solum *ut finalis;* edd., omisso *ut finalis,* pro *vel* substituunt *quae in.* Secundum Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 3. a. 3. § 5. gratia *poenitentialis* in

ex virtute Sacramenti, gratia *poenitentialis* ex subiectione et conformitate liberi abitrii, gratia *finalis* ex perfecta conformitate omnium virium animae ad ipsam gratiam. Cum enim ipsa [1] separatur a carne, iam pronitates et perturbationes, quae inerant animae ex carne, recedunt, et potentiae animae tranquillantur et gratiae subiiciuntur; ac per hoc venialia delentur, sive sint in parte animae rationali, sive in parte animae sensibili. Et ita nullum veniale dimittitur post hanc vitam, sed in puncto illo, in quo potest dici: haec est finalis gratia, quae dominium sibi vindicat et omnem expellit culpam. — Si ergo obiiciatur eis, quod in futuro purgantur et remittuntur peccata; respondetur secundum eos, quod remittuntur quantum ad *reatum* sive poenam, et purgantur quantum ad *scoriam* sive sequelam. Et illud videtur magister Hugo [2] sensisse, qui ait sic, loquens de remissione peccati: « Aliquando Deus remittit secundum *pietatem*, aliquando secundum *severitatem*, aliquando secundum *utrumque*. Per incendium purgatorii scoria peccati excoquitur, per lavacrum baptismi peccati macula abluitur, per flagellum satisfactionis peccati palea excutitur ». — Sed licet ista opinio sit multum rationi consona, tamen auctoritates Sanctorum videntur expresse contraire. Nam ipse Gregorius dicit in Moralibus [3], quod « aliqua peccata dimittuntur post hanc vitam ». Et *si tu dicas*, quod intelligit quantum ad *reatum*, sicut obiectum fuit; sic de omnibus posset intelligi culpis. — Item, Isidorus tractans illud Matthaei tertio [4]: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni:* « Peccata, quae praecesserunt, Spiritus sanctus per aquae baptismum abluet, et quaedam ex eis quae postea sequuntur criminibus per ignem purgatorium remittet ». Cum ergo peccata praecedentia non solum quantum ad *poenam*, sed etiam quantum ad *culpam* abluantur; ergo in purgatorio quaedam quantum ad culpam sunt remittenda. *Rursus*, cum gratia dominium habeat in anima statim in ipsa separatione, propter quid non purgat a peccati scoria vel sequela, sicut a veniali culpa?

(Ad obiectionem respondent.) (Non probatur.)

Et propter hoc est hic secundus modus dicendi, quem approbat Magister in littera [5], et Sanctorum multiplex confirmat auctoritas. Dicendum ergo, quod aliqua peccata, utpote venialia, non solum in hoc saeculo, sed etiam in purgatorio remitti possunt et remittuntur, quando quis pertransit cum venialibus, pro eo quod gratia non fuit adiuta finaliter ad illa delenda, et ideo indiget auxilio. — Quoniam ergo voluntas potest gratiae post hanc vitam esse *conformis,* quamvis non possit esse *adiutrix,* pro eo quod cessavit tempus meriti; ideo indiget *adiutorio exteriori.* Et cum non sit locus Sacramenti, habet adiutorium *ignis punitivi* sive purgatorii; qui ideo dicitur purgatorius, quoniam anima [6] purgatur a peccati scoria et a veniali culpa, si cum illa transeat. Et hoc possibile est, quia, sicut ostensum est in praecedenti problemate, ad deletionem venialis sufficit, quod liberum arbitrium se *conformet* gratiae, nec est necesse, quod *adiuvet.* — Concedendum ergo, aliquos post hanc vitam a veniali culpa posse purgari.

(Opinio 2.) (Conclusio.) (Explicatur.)

(Solutio oppositorum.)

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod frustra post mortem venia postulatur de eo quod non corrigitur; dicendum, quod illud intelligitur de *mortali.* — Vel fiat vis in hoc quod dicit, quod *in hac vita* non corrigitur: verum est vel *in se,* vel *in merito.* Quamvis autem non corrigatur aliquod veniale, cum quo quis transit — non corrigatur, inquam, *in se* — meruit tamen corrigi, quia qui decedit in caritate per illam meruit etiam post hunc statum ab his emundari, quae retardant praemium caritatis.

(Aliter.)

2. Ad illud quod obiicitur de casu angelorum et morte hominum, dicendum, quod simile est quantum ad liberi arbitrii *invertibilitatem* sive quantum ad *peccatum mortale,* non quantum ad *omnia;* nam mali angeli possunt in *poenis proficere,* quamvis non possunt *a malo resurgere* [7]. Per oppositum, ratione boni meriti praeteriti boni homines possunt *a malo eripi,* quamvis non possunt *in malum labi,* quia in bono, in quo moriuntur, sunt confirmati.

3. Ad illud quod obiicitur de Gregorio, dicendum, quod, sicut ipsemet subiungit [8], illud intelligitur quantum ad mortalia, non quantum ad venialia, quia ipsemet excipit illa.

4. Ad illud quod obiicitur, quod liberum arbitrium tenet medium; dicendum, quod falsum est pro statu illo. Est enim in statu, in quo potest ad ingressum in gloriam disponi per impedimenti remotionem, quamvis non possit mereri; quoniam ad

(Notandum.)

---

tantum dominatur, quod « tollit omne mortale, non autem omne veniale ». In textum S. Bonav. aliqua lacuna irrepsisse videtur, cum taceat de *effectu* gratiae *poenitentialis.*

[1] Cod. X supplet *anima.* Inferius post *sive sint* codd. R S T addunt *ex parte vel.*

[2] Potius *Richard.* a S. Vict. (cfr. supra pag. 477, nota 2.) in lib. de Potestate ligandi et solvendi, c. 25; textus originalis post *utrumque,* sive ut ipse habet, *secundum moderationem utriusque* plura subiungit, et inferius pro *abluitur* substituit *absque poena diluitur.* Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XVI. c. 4. simpliciter dicit, quod in purgatorio « qui ab hac vita cum quibusdam *culpis,* iusti tamen... exierunt, ad tempus cruciantur, ut purgentur ».

[3] Libr. IV. *Dialog.* (non Moral.) c. 39, iam supra fundam. 2, allegato. In eodem fundam. etiam seq. obiectio tacta fuit.

[4] Vers. 11. (Plurimi codd. *Marc.* 1, 8.). — Isidor., de Ordine creatur. c. 14. n. 7: Hoc est, qui peccata vestra, quae praecesserunt, Spiritu sancto per aquae baptismum abluet vel solvet, et quaedam ex his quae postea sequentur criminibus etc.

[5] Hic c. 6. — Praeter auctoritates Gregorii et Isidori cfr. lib. de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 4. n. 9.

[6] Cod. X supplet *ibi.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 6. a. 2. q. 1. seq. et d. 7. p. I. a. 1. q. 1. seqq. Auctoritate codd. bis posuimus *possunt* pro *possint.*

[8] Loc. cit.: Sed tamen de quibusdam *levibus* culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est etc.

deletionem venialis et ad remissionem reatus peccati sufficit praesentia gratiae et poenae cum consonantia liberi arbitrii et adiutorio meriti praeteriti.

5. Ad illud quod obiicitur, quod facilius est labi in malum; dicendum, quod verum est quantum ad liberum arbitrium vertibile, non quantum ad omnem statum animae[1].

6. Ad illud quod obiicitur, quod ablato fomite, aufertur veniale; dicendum, quod verum est quantum ad potestatem peccandi de futuro; non tamen oportet auferri veniale prius perpetratum, quia non omnis causa introducendi est causa conservandi, sicut in multis exemplis patet. Destructo enim cultello, non potest infligi plaga; si tamen cultellus destruatur, non oportet, propter hoc sanari plagam prius inflictam[2]. Notandum.

SCHOLION.

I. Opinio 1. hic relata fuit plurium antiquorum magistrorum, quam duobus modis explicat et probabiliorem esse censet Alex. Hal.; S. p. IV. q. 15. m. 3. a. 3. § 5; sed plurimi posteriores Scholastici cum Ss. Thoma et Bonav. eandem reprobant. Scot. autem (hic q. 1. n. 8. seqq.) manet dubius, utrum morienti cum solis venialibus culpa remittatur in ultimo instanti huius vitae, an initio alterius.

De eadem quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1; de Malo q. 7. a. 11. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. — Durand., hic q. 1.

II. Purgationem animarum post hanc vitam fieri per *ignem*, quin tamen excludantur aliae poenae, negant Graeci, affirmant nunc communiter Latini, quorum sententia gravissimis auctoritatibus confirmatur, nondum autem ab Ecclesia definita est; nec constat, quod *omnes* purgandi illam poenam sensus patiantur. — De modo talis purgationis redit sermo infra d. 44. p. II. a. 2. 3.

De eadem (2.) quaestione: Alex. Hal., loc. cit. m. 4. a. 4. § 1. 2. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. — B. Albert., supra d. 20. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med. rem tangit supra d. 20. a. 2. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum purgatio purgatorii fiat per ignem materialem.

Secundo quaeritur, utrum purgatio illa fiat per ignem materialem, aut per spiritualem. Et quod sit *spiritualis*, videtur:

Ad oppositum. 1. Per Glossam super illud primae ad Corinthios tertio[3]: *Si cuius opus arserit:* « Exuritur autem illius opus, qui hic temporalia dilexit, quoniam sine dolore non pereunt quae hic cum amore possessa sunt »; et Augustinus de Civitate Dei, vigesimo primo, exponens illud dicit: « Necesse est, ut tantum urat dolor, quantum haeserat amor »: si ergo hoc totum est spirituale, non videtur, quod ille ignis purgans sit aliquid nisi spirituale quid.

2. Item, *quod* purgatur et *a quo* purgatur et *ipsa purgatio* est quid spirituale: ergo videtur, quod illud similiter, *per quod* purgatur; hoc autem est ignis purgatorius: ergo etc.

3. Item, nihil corporale extrinsecum facit aliquid ad animae iustificationem[4], ergo nec ad culpae remissionem; sed in purgatorio emundatur anima a culpa: ergo non videtur, quod uratur flamma materiali.

4. Item, si anima purgatur per poenam corporalem; cum poena mortis sit suprema poenarum, ergo videtur, quod ibi deberet omnino purgari: ergo nullo modo indiget purgari[5] igne materiali.

5. Item, videtur, quod nulla ad hoc sit necessitas, quia vehemens dolor et fervens amor per se sine aliquo exteriori sufficit delere poenam et culpam; sed statim, separata anima, cum liberum arbitrium consonet gratiae, fervet caritas, et anima detestatur, quantum potest, culpam prius commissam, et hoc generat fervorem et dolorem: ergo statim deletur omnis culpa.

Contra: 1. Sicut dicitur in Glossa super illud[6]: *Sic salvus erit* etc., et habetur in littera: « Gravior est ille ignis, quam quidquid potest homo pati in hac vita »: ergo animae habebunt aliquod afflictivum extra; illud autem aut est corporale, aut spirituale; non spirituale, quia tunc vel esset Angelus, vel esset anima, vel Deus, quorum nullum esse potest: ergo necesse est, quod sit corporale. Fundamenta.

2. Item, nos videmus, quod recta ordinatione fit, quod anima, quae rebus corporalibus se subiecerat libidinose, utpote per conversionem ad bonum

---

[1] Vide II. Sent. d. 7. p. I. a. 2. q. 1. et d. 25. p. II. q. 1. et 3. — Post *non* codd. E F R S T addunt *tamen*, cod. G legit: *quantum ad liberi arbitrii vertibilitatem, non quantum* etc.

[2] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. ad 4. et infra d. 22. a. 1. q. 1. ad 3.

[3] Vers. 15. — Glossa est apud Petr. Lombard. et sumta ex August., Enchirid. c. 68. n. 18. — Seq. locus August. est XXI. de Civ. Dei, c. 26. n. 4. — Circa finem arg. post *est spirituale* cod. aa addit *quia dolor dicit quid spirituale.*

[4] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 4. et d. 17. p. I. a. 1. q. 1. seqq.

[5] Sic codd. B F R S T, ita tamen, ut pro *nullo modo* cod. F exhibeat *non*, et verbo *indiget* codd. S T praemittant *debet aut;* alii codd. verba *ergo nullo modo indiget purgari* vel omittunt, vel substituunt pro ipsis cum edd. *non* (cod. E *sine*, cod. X a secunda manu *magis quam*).

[6] Epist. I. Cor. 3, 15. — De Glossa, quam refert Petr. Lombard. in hunc loc. et hic in lit. c. 2, cfr. etiam supra pag. 519, nota 2. et 3. In hac Glossa, contradicente textu originali, plurimi codd. et ed. 1 omittunt *homo*, pro quo in cod. I secunda manus substituit *quis.*

commutabile, iustificatur per materialia et corporalia Sacramenta [1]: ergo pari ratione post hanc vitam purgari debet per afflictiva corporalia.

3. Item, si anima post mortem purificatur, aut ergo dolore, qui veniat ex *contritione*, aut dolore, qui veniat ex *rei amissione*, aut dolore, qui veniat ex *exteriori afflictione.* Non *primo* modo, quia non est amplius locus meriti, nec quantum ad contritionem nec quantum ad alios actus virtutum; non *secundo* modo, quia dolor de amissione [2] est potius sapiens rationem culpae quam rationem purgationis, quia venit ex inordinato amore: ergo *tertio* modo purgatur dolore, qui venit ex afflictione exteriori: ergo etc.

4. Item, si ignis ille esset spiritualis; cum non sit Deus — hoc constat — necesse est, quod in diversis diversificetur et plurificetur: ergo quot essent animae, tot essent ignes purgatorii et tot purgatoria: si ergo hoc est inconveniens, patet, quod non est spiritualis.

CONCLUSIO.

Ignis purgatorii est materialis sive corporalis.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus videtur dubitare, utrum ignis ille sit *materialis,* an *spiritualis,* qui cruciabit vel nunc cruciat animas — non solum de igne purgatorio, sed etiam de igne infernali, in quo dives ille ardebat — non solum super Genesim ad litteram [3], verum etiam in libro de Civitate Dei. Unde et per modum dubitationis dicit in Glossa super illud primae ad Corinthios tertio: *Qui aedificat lignum, foenum* etc., ponens opinionem dicentium, igne materiali et temporali animas post hanc vitam purgari; dicit: « Non redarguo, quia forsitan verum est ». Et hoc ipsum ponitur in littera, et satis videtur rationabilis sua dubitatio. Dives enim, qui erat in inferno, et cuius lingua urebatur, linguam corporalem non habebat. Et qui portat lignum, foenum, stipulam, non portat secum haec materialia, sed spiritualia, quae sic nominantur per metaphoram; quare non similiter de igne spirituali *metaphorice* competit intelligere?

Dubitatio Augustini.

Sed quamvis egregius doctor Augustinus visus fuerit dubitare, alii tamen doctores nobis auferunt dubitationem, quoniam hoc cognoverunt multiplici ratione, ut Gregorius in quarto Dialogorum [4] et Isidorus de Ordine creaturarum, et communiter tenent doctores temporis nostri, ignem purgatorium esse materialem sive corporalem. — Sed qualiter talis ignis agat in animas eas *affligendo,* hoc magnam habet quaestionem et infra [5] inquiretur de poenis animarum. Qualiter autem agat *purgando*, diversitas est inter doctores.

Opinio 2. Conclusio. Duplex quaestio. De modo purgationis.

Quidam enim dicere voluerunt, quod praeter vim *punitivam* data est illi igni *vis spiritualis purgativa,* ratione cuius purgat a veniali macula, vel etiam a peccati scoria, sicut Sacramenta habent vim sanctificandi sibi datam [6]. — Sed illud non oportet ponere, scilicet quod ultra *punitionem* habeat *vim novam,* cum multas animas dicat Gregorius [7] purgari per diversa loca, et talis culpae mundificatio proprie sit ab ipsa gratia.

Opinio 1. Non probatur.

Et ideo est aliorum positio, ut videtur, magis recta, quod ille ignis per eandem naturam et *punit* et *purgat,* quoniam puniendo iuvat gratiam, et gratia, habens adiutorium poenae et consonantiam voluntatis nostrae — quae, quamvis non sit adiutrix, non tamen impedit — est potens purgare culpam et peccati scoriam, ita ut purgatio talis sit a *gratia,* libero arbitrio consonante, et exteriore poena adiuvante, secundum conformitatem ad remissionem venialium, quae sit in hac vita [8].

Opinio 2, melior.

Si tamen quaeras: quomodo poena adiuvat gratiam ad delendum sive purgandum maculam? dicendum, quod hoc facit divina iustitia; vel etiam per eum modum potest intelligi, per quem dicitur, quod *infirmitas gravis sobriam facit animam* [9], id est, virtus hoc facit, quodam modo adiuta per poenam. — *Si autem quaeras,* utrum statim, cum gratia habet illud adiutorium, culpam deleat et purget scoriam; dici potest, quod utrumque est satis probabile, vel quod *statim* vigoretur gratia, ut *venialem culpam* deleat, cum a poena est adiuta, et deinceps punitur pro *obligatione;* vel potest dici, quod poena magis et magis disponat, et *postmo-*

Quomodo adiuvat. Quando culpam delet.

---

[1] Ut insinuat Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. IX. c. 3. Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 5.

[2] Cod. aa supplet *rerum scilicet temporalium*, Vat. *de huiusmodi amissione*, et mox *ordinato* perperam pro *inordinato*.

[3] Libr. XII. c. 32. n. 61. seqq., et XXI. de Civ. Dei, c. 10. n. 2, ubi ait: Dicerem quidem, sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus, sicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat: *Crucior in hac flamma* [Luc. 16, 24.], nisi convenienter responderi cernerem, talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit... qualis lingua... qualis digitus Lazari, de quo id sibi fieri postulavit, ubi tamen erant sine corporibus animae. Sic ergo incorporalis et illa flamma, qua exarsit etc. — Seq. Glossa in I. Cor. 3, 13. exhibetur a Petro Lombardo (in hunc loc. et hic in lit. c. 2.) et sumta est ex August., XXI. de Civ. Dei, c. 26. n. 4. — Inferius pro *temporali* edd. cum uno alterove cod. *corporali*.

[4] Cap. 28. seq., ubi de igne *inferni* (vide infra lit. Magistri, d. XLIV. c. 7.); cfr. c. 39, ubi de purgatorio; item Isidor., de Ordine creatur. c. 13. n. 7. et 9.

[5] Dist. 44. p. II. a. 3. q. 2.

[6] Secundum Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 4. § 2, pro hac opinione valet illud verbum ex Serm. 252. (alias Homil. 16. ex 50 homil.) in append. serm. August. n. 3: Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit quaedam flammae *rationabilis disciplina.* Cfr. ibid. Serm. 15. (alias 82. de Tempore) n. 4, ubi vocatur « ignis ille *arbiter* ». — Pro *sanctificandi* (cfr. supra pag. 19, nota 2.) plures codd. et edd. *satisfaciendi.*

[7] Libr. IV. Dialog. c. 40. Cfr. supra d. 20. p. I. q. 6. exemplum de Paschasio. — Inferius edd. *fit* pro *sit.*

[8] Vide supra a. 1. q. 2.

[9] Eccli. 31, 2.

dum, ex quo disposuit sufficienter, gratia ipsa in instanti delet culpam, si qua est. Quodcumque horum dicatur, non videtur de facili improbari posse. — Concedendum igitur, ignem illum materialem esse sive corporalem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Glossa et de Solutio oppositorum. Augustino, dicendum, quod Augustinus non negat[1], quin ille ignis materialis sit, qui animas purgabit, sed exponit, hoc de spirituali posse intelligi. Tamen Notandum. ipse Augustinus satis in sermonibus suis, de purgatorio loquens, innuit, ignem materialem esse, sicut est ignis inferni.

2. Ad illud quod obiicitur, quod spiritualis est purgatio; dicendum, quod verum est, et ideo *effective* sive *formaliter* est per quid *spirituale*, sci- Notandum. licet per gratiam; sed tamen, quia anima peccavit cum carne et peccando carnem sibi praeposuit, et ita corpus praeposuit spiritui; divina iustitia decrevit, etiam in purgatione rei corporali ipsam subiicere[2].

3. Ad illud quod obiicitur, quod non iustificat[3]; dicendum, quod verum est *per se;* tamen exterior punitio excitat et adiuvat interiorem gratiam, ut possit perducere ad iustificationem perfectam.

4. Ad illud quod obiicitur de poena mortis, dicendum, quod ipsa poena mortis est debitum originalis peccati nec est ordinata ad animae purgationem, nisi *voluntarie* suscipiatur, cum quis potest evadere, ut in Martyribus, vel etiam sustineatur voluntarie, cum ab alio infligitur[4]; sed poena purgatorii ad hoc est.

5. Ad illud quod obiicitur de dolore et amore, dicendum, quod illi sunt motus *voluntarii;* et ideo non oportet, quod sint in summo in anima iam[5] exuta; *praeterea*, iam per se non sufficiunt, cum non restet amplius merendi spatium: et ideo necesse est, exterius adhiberi ignem purgatorium, sicut parvulis, qui non possunt per se mereri, subvenit baptismatis Sacramentum[6].

ARTICULUS III.

De liberatione a purgatorio.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de liberatione a purgatorio. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum unus liberetur ante alium.

Secundo, utrum aliquis evolet ante extremum iudicium.

QUAESTIO I.

Utrum in purgatorio unus liberetur ante alium.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod unus liberetur ante alium:

1. Primo per illud quod dicit Apostolus pri- Fundamenta. mae ad Corinthios tertio[7]: *Qui aedificat ligna, foenum, stipulam;* sed facilius et citius consumitur stipula quam lignum: ergo cum aliquis ferat stipulam, aliquis ferat lignum; videtur, quod citius liberetur unus quam alius.

2. Item, in littera[8] habetur, et est verbum Augustini in Enchiridio: « Post hanc vitam incredibile non est, nonnullos fideles per ignem purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto citius tardiusque salvari ».

3. Item, in foro poenitentiae graviori culpae respondet gravior poena non solum quantum ad intensionem, sed etiam quantum ad durationem, ut patet inspicienti canones, in quibus poenitentiae taxantur[9]: si ergo iudicium Ecclesiae rectum conforme est divino iudicio, patet etc.

4. Item, per peccatum meruit anima non solum in igne cremari, sed etiam[10] Dei visione privari: ergo utroque modo debet temporaliter puniri: ergo

---

[1] Immo loc. cit. hoc affirmat (cfr. infra lit. Magistri, d. XLIV. c. 6.). Praeter sermones paulo superius citt. vide etiam Serm. 104. (alias 41. de Sanctis) in append. serm. August. — Circa finem solut. voci *ignem* cod. Z praemittit *hunc*.

[2] Ita edd. et plurimi codd., sed aeque bene codd. H I, *subiacere*. Superius post *et ita* [cod. O *et quia*] non pauci codd. *corpus praesupponit spiritum* [vel *spiritui*], cod. I *corpus postposuit spiritum*.

[3] Supple cum Vat. *corporale extrinsecum*. Inferius post *per se* cod. aa addit *sive directe*. Subinde pro *excitat* permulti codd. et ed. 1 *exercitat*.

[4] Cfr. August., XIII. de Civ. Dei, c. 3. seqq. — Superius voci *ordinata* cod. K (I a secunda manu) praemittit *de se*.

[5] Pro *iam* plurimi codd. *non*, quae lectio, etsi in se non sit falsa, nihil tamen facit ad solut. Post *exuta* cod. aa subnectit: *quia extra corpus non potest dolor augmentari*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 12: Si quis autem superaedificat... ligna etc. — Inferius pro *sed*, quod plurimi codd. et ed. 1 omittunt, cod. K (I a secunda manu) *constat enim, quod*, cod. aa *si enim omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt* [ut dicit Aristot., VI. Topic. c. 2, cfr. tom. I. pag. 1, nota 8.] *et peccata venialia quaedam dicantur stipula* etc.

[8] Hic c. 3. sumtum ex Enchirid. c. 69. n. 18.

[9] Cfr. supra d. 20. p. II. dub. 3. — Mox post *rectum* cod. F addit *et*.

[10] Codd. omittunt *etiam*, et fere omnes codd. cum edd. hic addunt *a;* post *privari* codd. R S T U bb subiungunt *et*

qui gravius peccavit non solum acerbius puniri, verum etiam diutius debet a Dei visione separari, ergo tardius purgari.

Ad oppositum.

Contra: 1. Quantumcumque merita sint inaequalia, tam in caelo quam in inferno sunt praemia et supplicia aequaliter durantia: ergo pari ratione, ut videtur, debet esse in poena purgatoria.

2. Item, secundum quod intensior est culpa, intensior ei redditur poena; sed quantum potest minor poena super minorem culpam, tantum potest maior super maiorem: ergo quam cito liberatur in purgatorio parvus peccator per parvam poenam, tam cito liberatur magnus peccator per magnam poenam.

Quaestio incidens.

Item, si alius citius alio liberatur [1], aut ratione *maioris caritatis*, aut ratione *minoris reatus*. Ratione *maioris caritatis*, videtur: quia caritas est tanto maior, quanto anima est Deo similior, et quanto Deo est similior, tanto statui gloriae vicinior: ergo tanto citius curatur et purgatur et in caelum fertur. — Sed quod ratione *minoris reatus*, videtur: quia anima non est ibi nisi ad solvendum quod traxit ex hac vita; sed quanto debitum est minus, tanto citius solvitur: ergo videtur, quod talis citius purgetur et in caelum feratur.

CONCLUSIO.

In purgatorio unus citius quam alius purgatur.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus expresse in littera [2], in illo igne citius purgatur unus quam alius. Qui enim diutius in peccato permansit, dignum est, ut diutius sustineat poenam; *rursus*, qui gravius offendit, dignum est, ut puniatur poena acerbiori et dilatione patriae longiori, divina hoc iustitia faciente, quae omnibus decentissime reddit stipendia meritorum.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium de aequalitate durationis in caelo, dicendum, quod non est simile: quia in inferno poena aeterna infligitur, et aeterno non est maius et minus ex parte post sive ex parte ea, qua est aeternum; similiter in caelo praemium aeternum datur; in purgatorio vero sola poena temporalis infligitur, et in hac est diutius et brevius.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod poena gravis aeque cito delet gravem etc.; dicendum, quod verum esset, si omnino poena *intenderetur*, secundum quod intenditur culpa; sed divina dispensatio sic ordinat, ut non omnino *intendatur* quantum ad acerbitatem, propter magnam difficultatem [3], sive etiam, quia vult utroque modo punire, ita ut maior *acerbitas* et *diuturnitas* recompensent, si quid in altero deficiebat.

Ad quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur, quis citius purgatur; dicendum, quod ille qui minorem habet reatum, quoniam locus purgatorius non est debitus nisi ratione reatus, vel alicuius culpae. Et *si tu obiicias*, quod caritas maior debet facere citius evolare; dicendum, quod caritas maior auget gloriam *intensive*, secundum autem *durationem* non. Unde si duo innocentes inaequalis caritatis simul [4] morerentur, simul evolarent, non tamen aequaliter beati essent.

Obiectio solvitur.

Quod ergo dicit, quod est similior statui gloriae; dicendum, quod verum est ratione *ordinationis ad bonum*, sed non magis quantum ad *liberationem a malo;* et velocior purgatio respicit ereptionem a malo directe, non habilitationem ad bonum.

SCHOLION.

I. De ipsa conclusione 1. quaestionis non est controversia. Tamen S. Thom. (hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3.) *rationem* longioris purgationis ponit in maiore adhaerentia, qua affectus magis inclinatur ad quaedam venialia quam ad alia. De nonnulla differentia opinionum cfr. Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

De 1. quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 4. § 3. — B. Albert., supra d. 20. a. 5. — Petr. a Tar., hic circa lit.

II. Animas beatas, plene purgatas, de quibus agitur in 2. quaestione, statim ad visionem Dei pervenire, a pluribus negatum vel in dubium vocatum est tum primis Ecclesiae saeculis, tum saec. XIV, sedente Ioanne XXII, qui aliquatenus ut doctor privatus huic errori favisse dicitur, nunquam tamen assertive eum docuit. Sed veritas catholica, quae iam in confessione fidei a Michaele Paleologo Concilio Lugdunensi II. (1274) oblata, clare exprimitur, postea a Benedicto XII. (Constit. *Benedictus Deus*, an. 1336), deinde a Concilio Florent. (Decret. unionis Graecorum) aliisque professionibus fidei definita est.

De 2. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 4. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., infra d. 45. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. — Alii antiqui non tractant explicite hanc quaestionem, sed passim conclusionem supponunt.

---

separari. Subinde pro *ergo qui* cod. K (I a secunda manu) *ergo quae* [anima], et pro *a Dei visione separari* cod. F *visione Dei privari.*

[1] In cod. bb additur *hoc est.* Inferius pro *videtur* et pro *Sed quod ratione* codd. (unus alterque iam a secunda manu correctus est) perperam substituunt *non videtur,* vel *Sed quod non ratione*. Subinde post *quia anima non est* supplendum duximus *ibi,* pro quo Alex. Hal., *in purgatorio,* edd. male *obligata.*

[2] Hic c. 3. et in fundam. 2. iam allegatus.

[3] Supple: patiendi.

[4] Vat. hic et paulo inferius *similiter.*

QUAESTIO II.

Utrum aliquis Sanctorum evolet in caelum ante iudicium.

Secundo quaeritur, utrum aliquis Sanctorum evolet in caelum ante iudicium. Et quod non, videtur.

1. Ad Hebraeos undecimo[1] Apostolus, loquens Ad opposi-tum. de viris sanctis et fidelibus, dicit: *Hi omnes non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur:* ergo si Sancti priores non debuerunt consummari sine aliis sanctis Apostolis; cum usque ad diem iudicii crescat numerus Sanctorum, patet, quod unus non evolet ante alium.

2. Item, Matthaei vigesimo quinto[2]: *Statuet agnos a dextris, hoedos autem a sinistris; et dicet his qui erunt a dextris: Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum:* ergo videtur, quod non sint ante illud iudicium gloriam percepturi. Si enim prius percepissent, non diceret Dominus: percipite regnum.

3. Item, nullius possessio, quae habetur per sententiam, obtinetur ante lationem sententiae; sed vitae aeternae possessio habetur per sententiam: ergo cum sententia detur in die iudicii, videtur, quod ante diem iudicii non evolet aliqua anima in caelum.

4. Item, magnifici regis eo modo est stipendia elargiri, per quem modum eius magnificentia magis declaratur; sed hoc est praecipue, dum[3] fit curia una ex multitudine et ex aggregatione multorum: ergo videtur, quod Dominus reservet gloriam aeternam, ut eam simul omnibus conferat.

5. Item, anima peccavit in carne, ergo videtur, quod in carne debeat puniri: ergo nunquam perfecte purgatur nec punitur, quousque resumat corpus, in quo purgetur; sed ante perfectam purgationem non evolat anima in caelum: ergo non ante diem iudicii.

6. Item, corpora non glorificabuntur ante diem iudicii, quantumcumque sit sanctus qui moritur: ergo pari ratione nec animae.

Contra: 1. Lucae vigesimo tertio[4] dixit Do- Fundamenta. minus latroni: *Hodie mecum eris in paradiso,* ergo anima latronis fuit cum Christo; sed constat, quod Christus quod promisit postmodum non abstulit: ergo semper post fuit cum Christo. Sed Christus ascendit in caelum: ergo anima latronis ascendit, ergo pari ratione aliae animae sanctae.

2. Item, ad Philippenses primo[5]: *Cupio dissolvi et esse cum Christo,* ita dicebat Apostolus; sed constat, quod desiderium suum non erat cassum: ergo statim post dissolutionem fuit cum Christo.

3. Item, Apocalypsis sexto[6]: *Datae sunt illis singulae stolae;* sed non est stola nisi gloria animae et stola corporis: ergo etc.

4. Item, caritas est pondus sufficienter inclinans sursum et elevans: ergo si non sit retardans, statim per caritatem anima sursum evolat; sed qui purgatur in purgatorio, post purgationem non habet aliquod retardans: ergo statim evolat.

5. Item, differre mercedem mercenarii[7] facit praeiudicium iustitiae; sed Deus est summe iustus: ergo statim quando invenit hominem dispositum, statim retribuit.

6. Item, *spes, quae differtur, affligit animam*[8]: si ergo differtur praemium Sanctorum usque ad iudicium, videtur, quod sint in continua afflictione et gemitu et exspectatione: ergo si Deus tantum differt, videtur, quod ipse sit crudelissimus.

CONCLUSIO.

Erroneum est dicere, animas sanctas, quae non habent reatum poenae, non esse statim glorificandas, sed potius exspectare usque ad extremum diem iudicii.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui *stulti* circa Error quorundam. hoc errant, dicentes, animas non esse glorificandas[9], sed potius exspectare usque ad extremum diem iudicii. — Hos *stultos* dixi, quoniam talis error nec Ratio. fulcimentum habet ab auctoritate nec ab efficaci ratione, nec habuit ista positio aliquem magnum auctorem nec defensorem, sed imponitur quibusdam Graecis. Videtur tamen pro isto errore facere Glossa, quae est super Psalmum[10]: *Noli aemulari,* ubi di-

---

[1] Vers. 39. seq.: Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine etc.

[2] Vers. 33. seq.: Et statuet oves quidem a dextris suis, hoedos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris eius erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. — Inferius ex cod. U substituimus *prius* pro *primo.*

[3] Cod. T *cum.*

[4] Vers. 43.

[5] Vers. 23: Desiderium habens dissolvi etc.

[6] Vers. 11.

[7] Cod. R *mercenariis,* cod. S *mercenario.*

[8] Prov. 13, 12.

[9] Edd. addunt *ante diem iudicii.* Pro *errant* codd. L R S T *erraverunt.* Mox pro *exspectare* cod. P *exspectantes.*

[10] Psalm. 36, 1. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum et sumta ex August., Enarrat. in hunc Ps. v. 10. serm. 1. n. 10, quam Vat. ita hic inscrit: *Noli aemulari,* super illo versu eiusdem Psalmi: *Et adhuc pusillum* etc., ubi dicit

citur, quod iusti, qui moriuntur, non statim sunt ubi erunt post iudicium, sed in illa requie, ubi erat Lazarus cum Abraham. Sed sicut patet in ipsa Glossa ex consequentibus [1], illud dictum est quantum ad *stolam corporis,* non quantum ad *gloriam,* vel *locum.* Certum enim est, quod Christus *exspoliavit* Conclusio. *principatus et potestates,* ac per hoc constat, Sanctos, qui in limbo erant, ad caelum cum Christo esse sublimatos, ac per hoc et omnes iustos, qui non habent reatum poenae.

1\. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non acceperunt repromissiones; (Solutio oppositorum.) dicendum, quod Apostolus vocat *consummationem* quantum ad illius supernae civitatis impletionem, post quam nullus intrabit. — Aliter. Vel dicendum, quod Apostolus intelligit quantum ad *tempus gratiae,* quod conservavit usque ad nos, ut nos, facti participes gratiae in abundantia, participes etiam fieremus et gloriae [2].

2\. Ad illud quod obiicitur, quod statuet agnos etc.; dicendum, quod iudicium illud erit quantum ad consummatam glorificationem suscipiendam in anima et in carne, quam nondum habent mortui, quamvis animae sint beatae in caelo [3].

3\. Ad illud quod obiicitur de sententia, dicen- Distinctio. dum, quod sicut dupliciter contingit regnum obtinere, scilicet *integre* et perfecte sive in toto, et alio modo *secundum animam* sive in parte: sic duplex (Duplex iudicium.) est iudicium, sive etiam duplex sententia. Nam sicut homo *glorificatur secundum partem,* ita et *particulariter iudicatur,* et de eo sententia fertur, quando anima de corpore egreditur; *iudicium* autem *universale* et sententia erit, quando homo erit glorificandus *totaliter,* et tunc consummabitur curia caelestis; et sic duplex iudicium competit duplici modo possidendi gloriam. Et duplex modus compe- (Duplex finis.) tit duobus, scilicet divinae *magnificentiae* et nostrae *indigentiae.* Propter nostram *indigentiam* tollendam statim, quando anima est apta, sublimatur ad gloriam, quia frustra exspectaret, cum non possit amplius mereri. Propter divinam *magnificentiam* ostendendam reservatur generalis et universalis resurrectio corporum in fine saeculorum. Et sic in nullo praeiudicatur *commodo nostro,* dum anima assumitur in gloriam, in nullo *divinae gloriae,* dum in fine fiet in resumtione corporum totum, quod fieret, si gloria differretur ab animabus.

4\. 5. 6. Et per hoc patent illa tria, scilicet de possessione per sententiam, de Dei magnificatione et de corporum resuscitatione. De qua, quare differatur, suo loco habetur infra [4].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *De illis etiam, qui aedificant ligna et stipulas* etc. Videtur enim per hoc intelligere venialia. Sed *contra:* Isaiae quinto [5]: *Vae qui coniungitis domum ad domum* etc.; Glossa Hieronymi: « Haeretici dogmata dogmatibus coniungunt; et qui supra fundamentum debuerunt aedificare aurum, argentum et lapides pretiosos, econtra aedificant lignum, foenum et stipulam »; sed constat, quod haeretici in fictione dogmatum suorum mortaliter peccant: ergo illud non intelligitur de venialibus.

Item, quaeritur, quo *tropo* dicantur venialia *li-* (Quaestio incidens.) *gnum* et *foenum* et *stipula;* et cum multae sint venialium differentiae, quomodo ad tres possunt reduci?

Et respondendum est ad hoc, quod una scriptura multis modis potest exponi; unus tamen est (Notandum.) *principalis* et *litteralis* intellectus, plures tamen esse possunt per *adaptationem. Litteralis* autem intellectus, secundum quod patet ex Glossa et littera sequenti [6], est de *venialibus;* Hieronymus vero per quandam *adaptationem* exponit.

Si quaeratur *ratio* huius intellectus; dicendum, (Ad quaest. incid.) quod Apostolus loquitur de venialibus, in quantum sunt *cremabilia.* Cremabile autem, quod praestat pabulum et consumitur ab igne, in triplici diffe-

---

Augustinus: « Post istam vitam nondum eris, ubi erunt Sancti, quibus dicet: *Venite* etc., sed in illa requie poteris esse, ubi erat Lazarus cum Abraham », ubi expresse innuere videtur, quod iusti etc.

[1] Dicit enim: In qua requie securus exspectes diem iudicii, quando, *recepto corpore,* Angelis aequaberis. — Seq. locus est Col. 2, 15: Et exspolians principatus et potestates (Vat. et ed. 1 addunt *tenebrarum).*

[2] Petr. Lombard. in hunc loc.: Vel illi priores *non acceperunt* statim *repromissionem* i. e. promissam vitam usque ad Christum. Cur non? *Deo providente aliquid melius,* scil. ut naturam nostram assumeret, et gloriosius eos nobiscum exaltaret. Unde addit: *ut non sine nobis consummarentur* i. e. requie et visione Dei fruerentur. Et si illi tenuerunt fidem, qui tamdiu exspectaverunt requiem, multo magis nos teneamus, qui statim accipimus. — Superius post *vocat* cod. X addit *repromissionem.*

[3] Codd. N aa addunt: *ideo universaliter* [cod. aa *naturaliter*] *dicitur* percipite, *id est perfecte capite; unde modo potius acceperunt, quam percepistis* [perceperunt?]. Pro *suscipiendam* cod. F *suscitandam,* plures codd. et ed. 1 *suscitatam.*

[4] Cfr. infra d. 43. a. 1. q. 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Vers. 8. — Glossa sumta est ex Hieron. Commentario in hunc loc.; textus originalis post *coniungunt* plura addit. Verbis allegatis praemittitur: Iuxta *tropologiam* contra haereticos quidam hoc dictum arbitrantur etc.

[6] Textus huius dubii respicit verba Apostoli I. Cor. 3, 12: « Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc, au-

Distinctio. rentia est. Quoddam enim est, quod durat *diutius*, quoddam, quod *citissime* consumitur, quoddam, quod *medio modo*. Primo modo dicitur *lignum*, secundo modo dicitur *stipula*, et tertio modo dicitur *foenum*, quod tenet medium inter utrumque extremum [1].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non frustra distinxit illa tria Apostolus: lignum et foenum et stipulam, quae illi aedificant.* Videtur enim male dicere, quia supra fidem nihil aedificatur nisi bonum: ergo nullum peccatum; sed venialia sunt peccata: ergo nullo modo superaedificantur. — Item, nihil comburitur, quod est de spirituali aedificio; sed lignum et foenum et stipula superaedificantur: ergo non cremantur.

Respondeo: Dicendum, quod lignum et foenum et stipula *superaedificari* dicuntur dupliciter, secundum quod dupliciter possumus exponere. Potest enim per lignum intelligi *opus bonum*, cui tamen est annexum aliquod veniale peccatum, sicut patet in multis actibus; et tale opus ex alio habet, quod sit de aedificio, ex alio habet, quod sit cremabile. Nam superaedificatur ea ratione, qua *bonum* est propter principalem intentionem, sed crematur ea ratione, qua habet amorem *terrenis annexum;* et vix contingit nisi in perfectis, quin in bonis operibus cadat aliquid a latere reprehensibile. — Aliter potest exponi, ut per lignum, foenum et stipulam recte intelligantur *venialia*, et ita dicuntur *superaedificari*, non ut sint de aedificio, sed quoniam fundamentum aedificii non subvertunt, sed simul stant cum illo — non sic in mortalibus peccatis — et pro tanto dicuntur *superaedificari* [2], tamen nihilominus cremabuntur.

(Expositio 1. — Expositio 2.)

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui vero superaedificant aurum, argentum, lapides pretiosos de utroque igne securi sunt.* Videtur enim male dicere, quia in *auro* intelligitur contemplatio Dei, in *argento* dilectio proximi, in *lapidibus pretiosis* bona opera [3]; sed omnes iusti haec superaedificant: ergo nullus iustus transibit per ignem purgatorium. — *Si tu dicas,* quod intelligitur cum praecisione; *contra:* Ecclesiastis septimo [4]: *Non est qui faciat bonum et non peccet:* ergo nullus praecise haec superaedificat.

Item quaeritur de sufficientia horum trium, et quomodo distinguuntur. Videtur enim, quod *aurum* potius deberet attribui *dilectioni* quam *contemplationi,* quia dilectio est pretiosissima. Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod superaedificatio contemplationis, dilectionis et bonae actionis intelligitur per aedificationem auri et argenti et lapidum *cum praecisione,* ita quod alia non superaedificentur [5]. Tunc autem dicuntur *venialia superaedificari,* non quando committuntur, sed quando in usum et in habitum convertuntur, sicut in dilectione filiorum et uxoris et huiusmodi; et sine tali *habitu* et *usu* bene potest homo esse, quamvis non possit peccata aliqua quantum ad *actum* vitare, ut puta quae ex subreptione, vel ignorantia oriuntur. Solis ergo perfectis competit superaedificatio auri etc., et hi securi sunt. Notandum.

Quod quaeritur de distinctione istorum, dicendum, quod est loqui de ordinatione mentis quantum ad partem *superiorem*, et sic intelligitur *contemplatio Dei;* et quoniam haec dicit eminens in anima, recte intelligitur per *aurum* [6]. Quantum vero ad partem *inferiorem,* dupliciter: aut prout dirigit voluntatem *in se,* et sic est *dilectio proximi;* aut prout contingit, voluntatem dirigi *in opere,* et sic est *bona operatio.* Et *dilectio proximi* comparatur ad bonam operationem, sicut *argentum* ad *lapides pretiosos,* pro eo quod, sicut argentum substernitur lapidibus pretiosis et per illos ornatur, sic dilectio per bonos effectus. — Et nota, quod in *contemplatione Dei* clauditur *dilectio.* Et sic patet responsio ad obiecta [7]. Ad quaest. incid. — Distinctio.

rum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam ». In seqq. ostendit, quod « uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit... Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem [purgatorium] ». Glossa *ordinaria* in hunc loc. est secundum August., XXI. de Civ. Dei, c. 26. n. 1. seqq. [Vide hic lit. Magistri, c. 2.]. Cfr. Gregor., IV. Dialog. c. 39. — Mox post *exponit* cod. aa addit *de mortalibus.*

[1] Idem dub. solvitur ab Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 1; B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic q. 1. a. 2, ubi etiam duo seqq. dubia tanguntur; Petr. a Tar. (de hoc et 2. seqq. dubiis), hic q. 2. a. 1; Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

[2] Communissima, sed minus congrua lectio codd. substituit *aedificari.* — Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. seq.; Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 3. § 1. seq.; B. Albert., hic a. 3.

[3] Secundum Glossam *ordinariam* apud Petr. Lombard. [cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 4.] et Lyranum, de qua vide August., de Fide et operibus, c. 16. n. 27 et Enchirid. c. 68. n. 18.

[4] Vers. 21: Non est enim homo iustus in terra, qui faciat etc.

[5] Edd. cum non paucis codd. *superaedificent.*

[6] Cod. aa subiungit: *quod est eminens circa metalla.* Mox post *inferiorem* edd. cum uno alteroque cod. addunt *ordinatur.*

[7] Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 15. m. 4. a. 1. in fine et a. 3. § 2; B. Albert., hic a. 6.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXI.

Pars II.

De confessione sacramentali quoad utilitatem a parte finis.

Post haec considerandum est, utrum prosit confessio etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 545.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de confessionis necessitate a parte confitentis et potestate a parte absolventis et opportunitate a parte temporis; hic agit de utilitate a parte finis; et habet haec pars duas. In prima ostendit, quae confessio sit utilis, scilicet confessio vera et humilis. In secunda ostendit, quantum confessionis contemptus obsit, infra[1]: *Cumque multis auctoritatibus supra sit assertum.*

Prima in duas dividitur. In prima ostendit, quae sunt attendenda in confessione ex parte confitentis. In secunda, ex parte audientis, ibi: *Caveat autem sacerdos* etc. Prima pars duas continet. In prima ostendit, quod confessio non debet esse diminuta. In secunda, quod non debet esse superflua, ibi: *Sicut autem poenitens celare non debet* etc.

Similiter secunda, in qua determinat ex parte sacerdotis, quid observandum sit, duo continet. Primum est, ut pure teneat secretum[2]. Secundum vero, ut non absolvat alterius parochianum, et hoc ibi tangitur: *Quod vero dictum est.* Et ita principaliter duo tanguntur, secundum quod confessio *integra* debet esse et *secreta.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae tanguntur in littera, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de confessione quantum ad modum.

Secundo vero quaeritur de confessione quantum ad sigillum.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum liceat aliquod peccatum in confessione dimittere[3].

Secundo, utrum liceat addere.

Tertio, utrum liceat aliena peccata referre.

ARTICULUS I.

De confessione quoad modum.

QUAESTIO I.

Utrum liceat aliquod peccatum in confessione omittere.

Quantum ad primum ostenditur, quod non liceat de confitendis dimittere:

1. Primo *auctoritate* Augustini in libro de Poe- Fundamenta. nitentia[4]: « Caveat, ne, verecundia ductus, dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit manifestare; quod est se laudare et ad hypocrisim tendere et semper venia carere, ad quam per frusta sperat pervenire ».

2. Item, *ratione* ostenditur sic. Confessio ordinatur ad peccati cognitionem; sed nunquam recognoscit aegritudinem sufficienter qui solum peccatum unum novit, cum homo multis aegrotet, sicut patet in medicinis: ergo non sufficienter peccatum detegit qui non dicit uni sacerdoti omnia peccata, quae commisit.

3. Item, confessio est ad peccatoris accusationem; sed cum peccator se accusat de tribus peccatis et fecit decem, hoc ipso praetendit[5] sacerdoti,

---

[1] Dist. XXII. — Codd. *ibi.*

[2] Edd. *ut confessa teneat secrete.* Inferius pro *secundum quod* (codd. omittunt ibi *confessio*) edd. cum uno alteroque cod. *scilicet quod.*

[3] Edd. hic et infra in ipsa quaestione *omittere.*

[4] Scilicet de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 15. n. 31: Cautus sit poenitens, ne etc. (textus originalis post *manifestare* plura addit; cfr. supra lit. Magistri, d. XVI. c. 2. in fine).

[5] Cod. aa *ostendit.*

se non peccasse nisi ter; sed hoc est falsitas et hypocrisis manifesta: ergo etc.

4. Item, confessio fit propter absolutionem, absolutio autem sacerdotis signum est divinae absolutionis; sed Deus nunquam absolvit ab una culpa, quin absolvat ab omni culpa mortali [1]: ergo absolutio sacerdotis aut nulla est, aut est ab omni culpa. Sed non meretur absolvi a sacerdote peccator, qui celat ei peccatum: ergo nulla est absolutio, nisi confiteatur uni sacerdoti omnia, a quibus indiget absolvi.

Contra: 1. Omnes sacerdotes tenent locum unius, scilicet Christi: ergo idem est *confiteri diversis* quod *confiteri uni*: ergo tantum valet, si peccator divisim diversis confiteatur omnia, quantum, si omnia confiteretur [2] uni.

Ad oppositum.

2. Item, confessio instituta est in remedium, ergo non debet fieri in scandalum [3]; sed possibile est, quod poenitens confiteatur proprio sacerdoti aliquod peccatum, quod scandalizabit eum, utpote si cognata sacerdotis fuerit eius adultera: ergo videtur, quod possit peccatum hoc reservare et alia sibi dicere, et ita confessionem dimidiare.

3. Item, aliquis confessus est uni decem et commisit duodecim, et oblitus duorum, post recordatur, non habens copiam sacerdotis; iste fuit legitime confessus de decem: ergo si non debet bis puniri pro eodem [4], sufficit nunc confiteri duo: ergo videtur, quod confessio possit dimidiari.

4. Item, sufficit, si quis confitetur sacerdoti proprio illud, a quo potest absolvere; sed possibile est, quod aliquis habeat casum, vel peccatum, a quo non potest absolvere nisi superior: ergo sufficit, quod minora confiteatur uni [5], et peccatum illud confiteatur maiori: ergo videtur, quod confessio possit dimidiari.

CONCLUSIO.

Necesse est uni confiteri, non quidem omnia venialia, sed omnia mortalia, quorum poenitens est memor, et de quibus non fuit alias legitime confessus.

Respondeo: Dicendum, quod in *venialibus* non est vis; sicut enim non est necesse ea confiteri [6], sic non est necesse ea simul et omnia integre confiteri. Sed de *mortalibus* dicitur, quod necesse est omnia confiteri uni sacerdoti, omnia, inquam, quorum est memor et de quibus non fuit alias *legitime confessus*. Et tunc voco *legitime confessum*, quando nihil intervenit, quod absolutionem sacerdotis irritam faceret; quod est in quatuor casibus, et duo sunt a parte *absolventis*: unus, si non *sciat*; alter, si non *possit*; unus contra clavem scientiae, alter contra clavem potentiae. Duo a parte *confitentis*: unus, si ficte confiteatur; alter, si post confessionem satisfactionem contemnens eius obliviscatur. — Si autem *legitime* confessus est, non oportet iterare nisi in universali; si vero *non*, oportet, quod omnia dicat; pro eo quod sacerdos absolvit ab omni culpa, aut nulla est absolutio; nullus autem sacerdos intendit absolvere poenitentem ab eo quod sibi celat [7]: ad hoc ergo, quod confessio sit *integra*, necesse est, quod omnia quae simul habet in conscientia, de quibus tenetur confiteri, uni sacerdoti dicat; alioquin, sicut expresse dicit Augustinus, probatur confessio *ficta* [8].

Conclusio 1. Conclusio 2. Irrita absolutio in 4 casibus. Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod omnes sacerdotes tenent locum unius, scilicet Christi; dicendum, quod verum est; sed ita tenent locum unius, quod non simul omnes, sed quilibet per se; et ideo, qui vult confiteri sacerdoti tanquam Christo, si recte confitetur, necesse est, quod omnia dicat uni; quod si aliquid celat uni, quamvis dicat alii, quantum est in se, mediatori celavit, et ita Christo.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de scandalo sacerdotis, dicendum, quod ubi timetur scandalum, non est confessio dimidianda, sed licentia petenda; et si non datur, superior est adeundus, vel alius, qui habeat eius auctoritatem. Nam in tali casu licentiam *petere* est *obtinere*.

3. Ad illud quod obiicitur de eo qui commisit duodecim, sed oblitus confessus est decem; dicendum, quod sanum consilium esset, quod *totum* diceret, sicut in praecedentibus [9] tactum est; tamen credo, quod non teneatur dicere nisi in generali, nisi forte aliquis praedictorum casuum intervenisset. Nam aliud dicere est viam confessionis et salutis multis auferre, cum multi confiteantur aliquando aliquod peccatum enorme, quod deinceps vix alii sacerdoti dicerent. Nec auctoritates Sanctorum hoc compellunt dicere, quia hoc non est confessionem

De casu oblivionis. Notandum.

---

[1] Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 7, et Comment. ibid. p. I. q. 2.

[2] Ita meliores codd., alii et edd. *confiteatur*.

[3] Vide supra pag. 453, nota 3. — Inferius Vat. omittit *eius*. Subinde pro *sibi* cod. U *ei*, et pro *dimidiare* codd. G aa *diminuere*, cod. K *dividere*.

[4] Respicitur Nahum 1, 9. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1. allegatum. — Superius post *Item* cod. F addit *si*, et post *sacerdotis* in cod. X secunda manus addidit *illius*. In fine huius et seq. arg. pro *dimidiari* codd. I K *dividi* (in solut. quaestionis plures codd. hoc verbo utuntur).

[5] Cod. G *inferiori*.

[6] Cfr. supra d. 17. p. III. a. 2. q. 1.

[7] Vide supra d. 17. p. III. dub. 4.

[8] Allegantur pro hac re a Scholasticis communiter verba ex Meditationibus piissimis de cognitione humanae conditionis (olim Bernardo attributis), c. 9. n. 25: Confessionem etiam meam divisi, ut diversis sacerdotibus diversa manifestarem; et ita venia carui, ad quam per partes pervenire putavi. Exsecranda namque fictio est, peccatum dividere et superficie tenus radere, non intrinsecus eradicare etc.

[9] Supra d. 17. p. III. dub. 4. — Superius pro *sed oblitus confessus est decem* (ita codd. I K) codd. F G *et per oblivionem dimisit confiteri aliquot*, cod. bb *et confessus est decem*, edd. corrigentes corruptam lectionem aliorum codd. *de eo qui per oblivionem commisit decem confiteri aliquot* legunt *de eo qui per oblivionem omisit duo confiteri.*

dividere. Prima enim fuit integra, et secunda similiter, quia non oportet, hunc de aliis habere remorsum novum nec novam absolutionem. — Similiter iudicandum est de *recidivo.*

Duplex recursus. 4. Ad illud quod obiicitur de recursu ad superiorem, dicendum, quod aut recurrit propter absolutionem a *culpa*, aut a *poena* [1] propter excommunicationem, vel irregularitatem. Si propter absolutionem a *poena* vel poenali vinculo; sufficit, quod confiteatur illud solum. Si propter absolutionem a *culpa;* si superior non remittit ad proprium confessorem, sanum consilium est — si *non habet causam excusantem* nisi solum erubescentiam vel opinionem falsam — quod omnia, de quibus habet remorsum, ipsi dicat et pro omnibus illis generalem absolutionem et poenitentiam suscipiat. Si autem *aliquam excusationem habet* probabilem, ratione cuius magis vult confiteri alteri; tenetur totum inferiori revelare [2], et peccatum illud, quod superiori est confessus, et cetera alia; et sic non erit confessio *divisa,* et ille ex tunc poterit ab omnibus absolvere: quoniam, si aliqua peccata absolutioni superiorum reservantur, in quibus minores sacerdotes cum eis non communicant; hoc magis factum est propter *taxationem poenae* [3], quam tali peccato superior debet sapienter infligere sive iniungere pro culpa, quam pro alio; et ideo, si talem culpam confessus est et poenam pro ea a superiore suscepit; potest illam cum aliis inferiori integre confiteri, et ille absolvere eum ab omni culpa, ita dumtaxat, ut ille faciat poenitentiam a superiore sibi iniunctam. — Et *si tu obiicias,* quod iste qui adit superiorem et unicum tantum vel duo, aliis tacitis, confitetur, videtur *esse* hypocrita et se laudare; dicendum, quod verum est [4], si innueret, se sibi *generaliter* confiteri; tunc enim videretur, ipsum alia crimina non habere. Sed dum ostendit, se *specialiter* pro illo unico advenisse et alium confessorem pro minoribus habere, et hoc acceptat superior; nulla est ibi deceptio, quamvis totum dicere sit maior perfectio.

(Margin: Notandum. — Notandum.)

SCHOLION.

I. Haec quaestio plene soluta est a Concilio Trident. (Sess. XIV. c. 5. can. 7. 8.). Quoad peccata, «quae diligenter cogitanti non occurrunt», ibi docetur, quod «in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur»; unde rite disposito simul condonantur. Etiam S. Thom. (loc. infra cit. ad 3.) non approbat opinionem eorum qui docuerunt, quod quando quis recordatur peccatorum, quae oblitus erat, teneatur iterum confiteri iam manifestata.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 5. § 1. 2. 6, a. 2. § 6. — Scot., supra d. 17. n. 19. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; Suppl. q. 9. a. 2. — B. Albert., supra d. 16. a. 36. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., supra d. 17. q. 15. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 2.

II. De seq. (2.) quaestione explicite tractant: Alex. Hal., loc. cit. § 5. — S. Thom., loc. cit. a. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

III. Pauci explicite tractant de 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. § 4. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. — Alii rem tangunt exponentes 16 conditiones sive proprietates bonae confessionis, de quibus loquitur S. Bonav. hic dub. 3; S. Thom., supra d. 17. q. 3. a. 4. quaestiunc. 4; Suppl. q. 9. a. 4; B. Albert., supra d. 17. a. 36; Richard. a Med., supra d. 17. a. 3. q. 9.

QUAESTIO II.

Utrum liceat aliquid in confessione addere.

Secundo quaeritur, utrum liceat aliquid in confessione addere. Et quod non, videtur:

Fundamenta. 1. Quia Augustinus dicit in libro de Poenitentia, et habetur in littera [5]: «Si causa humilitatis mentiris, efficeris quod vitasti»: si ergo aliquis causa humilitatis accusat se amplius, quam meruit; videtur ex hoc culpam incurrere.

2. Item [6], iniquus testis est qui accusat alium in eo, in quo non est culpabilis, quantumcumque faciat bona intentione; sed homo in confessione contra se testificatur: ergo si se accusat in eo, in quo non peccavit; videtur, quod inique agat.

3. Item, nihil obiiciendum est in iudicio manifesto, quod non possit manifeste probari: ergo pari ratione nihil imponendum est in iudicio poenitentiali, quod non possit per testem rectum probari; testis autem est conscientia: ergo nihil dicendum est, nisi de quo accusat conscientia: ergo etc.

4. Item, confessio est ad dirigendum medicum spiritualem, sicut cognitio carnalis infirmitatis est

---

[1] Codd. P Q addunt *sicut.* Aliquanto inferius pro *solum erubescentiam* codd. E L et ed. 1. *solam erubescentiam.*

[2] In codd. N aa additur: illud scilicet, quod sibi non dixit; verbi gratia, si confessus esset, et in ultimo casus inveniretur, de quo non posset absolvere nisi superior, et post iret ad superiorem, et [ipse eum] remitteret, non est necesse confiteri iterum quae confessus est, sed casum illum et alia, si haberet, revelare.

[3] Cod. aa subiungit: *quoniam, quantum est de potestate, sacerdos potest absolvere de qualibet culpa.* Inferius post *pro alio* Vat. addit *scilicet absolutione a tali peccato seu culpa.*

[4] Codd. V Z aa *esset.*

[5] Hic c. 8, ubi secundum textum originalem (non in libro de *Poenitentia,* sed in Serm. 181. c. 4. n. 5.), quem sequitur Vat., post *mentiris* plura adduntur.

[6] Cod. aa *Item, in foro iudiciali.* — Cfr. August., I. de Civ. Dei, c. 20, ubi docet, nulli licere falsum testimonium dicere adversus se ipsum.

ad dirigendum medicum carnalem; sed ita facit errare medicum qui dicit, se habere morbum, quem non habet, sicut qui dicit, se non habere, quem habet: ergo sicut peccat ille qui dimittit[1], ita ille qui addit.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Gregorius[2]: « Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est »: ergo si potest et debet se homo accusare, secundum quod agnoscit se; et bona mens potest se magis culpabilem reputare, quam sit secundum veritatem: videtur, quod magis possit se accusare, quam sit in re.

2. Item, qui conteritur plus, quam meruit, et satisfacit puniendo se ultra, quam meruit, iuste et[3] laudabiliter et bene facit: ergo pari ratione qui se accusat ultra, quam peccavit, bene facit.

3. Item, confessio est ad humiliationem confitentis, et hoc per accusationem; sed nemo potest se nimis humiliare, etiam si se subiiciat omnibus propter Deum[4]: ergo pari ratione nemo potest se nimis accusare.

4. Item, ponatur, quod aliquod peccatum commisit quis, de quo dubitat, utrum sit mortale, vel veniale; quaero, qualiter debeat illud confiteri; et videtur, quod sicut mortale, quia « in dubiis securior pars est eligenda[5] »; alioquin, si sicut veniale confitetur, discrimini se committit; sed possibile est, quod istud peccatum non sit nisi veniale: ergo potest veniale confiteri ut mortale: ergo ad confessionem addere ad se accusandum.

CONCLUSIO.

In confessione nihil licet addere, refragante testimonio conscientiae; tamen additio ultra rei veritatem, conscientia autem linguae concordante, potest esse meritoria.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam praenotandum est, quod differt *mentiri* et *falsum dicere*. (Differt mentiri et falsum dicere.) *Mentiri* enim est, quando aliud exprimit vox, quam sentiat *mens*, etiam si per vocem verum dicatur in *re; falsum dicere* est, quando vox discordat a *re significata*[6]. *Mentiri* quidem, quia semper importat abusum signi et obliquationem hominis quantum ad vim intellectivam et exteriorem, inter quas est discordia, semper est malum et ita *secundum se* malum, quod nulla potest bona circumstantia vestiri, ut bene fiat, sicut dicit Augustinus in libro contra Mendacium[7]. *Falsum* vero *dici* potest frequenter meritorie, cum mens decipitur et ita credit esse, ut loquitur, sicut dixit Apostolus, se in Hispaniam profecturum, ad Romanos decimo quinto[8].

Si ergo *tu quaeras,* utrum liceat addere ad confessionem; respondendum est, quod aut tu loqueris quantum ad *testificationem conscientiae,* aut quantum ad *conformitatem veritatis in re.* (Distinctio.) Si quantum ad *conscientiam,* ut conscientia minus accuset, et vox amplius; sic est peccatum et mendacium, (Conclusio 1.) et perditur confessionis meritum, in qua debuit esse verbum verax, secundum illud Ecclesiastici trigesimo septimo[9]: *Ante omnia verbum verax praecedat te.* Verbum verax est, quando id exprimit lingua, quod sentit conscientia. — Si autem intelligas de additione quantum ad *rei veritatem,* ita quod conscientia non discordat a lingua; dicendum tunc, (Conclusio 2.) quod talis additio potest esse meritoria. Qui enim in parvis se credit graviter offendisse, et sic confitetur, quasi graviter offenderit; multum absque dubio profecit[10].

Ad argg. Rationes igitur ad primam partem procedentes concludunt, quod non potest nec debet addere ultra testimonium conscientiae. — Rationes ad secundam partem procedunt, secundum quod in additione lingua consonat cum conscientia; et sic licet addere, quia nullum fit veritati praeiudicium, dum simul iungitur veritas mentis et oris cum humilitate cordis.

Solutio oppositorum. 1. 2. Et sic intelligitur illud Gregorii: « Bonarum mentium » etc.; similiter et sequens de contritione et punitione et additione. — Posset tamen dici, (Alia solutio notanda.) quod non est simile de *contritione* et *punitione* et de *confessione:* quoniam *confessio* est actus veritatis, et contra hanc non potest aliquis dicere aliquid, quod non sit falsum et praeiudicium veritatis; non sic est de *punitione,* quia iuste potest aliquis sustinere poenam, etiam quam non meruit, in gloriam Dei, vel propter salutem proximi, vel in ampliorem profectum sui; et hoc est abundantis iustitiae. *Veritas* vero non debet nec deficere nec superabundare, quia est rectitudo *intellectus*[11], et haec rectitudo est *indivisibilis;* sed rectitudo *voluntatis* habet latitudinem, ideo plus et minus *factum* est iustum; sed non plus et minus *dictum* est verum, nisi dicatur *verius* quod est durabilius, ut necessarium et perpetuum quam contingens et momentaneum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod confessio est

---

[1] Codd. V W *diminuit,* cod. bb *dimidiat.*

[2] Vide supra pag. 30, nota 4.

[3] Pro *iuste et* codd. I K *certe.*

[4] Eccli. 7, 19: Humilia valde spiritum tuum. Cfr. Bernard., Serm. 37. in Cantic. n. 7.

[5] Innocent. III. in C. *Illud Dominus* (5.), X. de Clerico excommun. (lib. V. tit. 27.): In dubiis via est eligenda tutior. — Pro *pars* cod. bb *via.* In fine arg. pro *ad confessionem* in cod. E secunda manus substituit *in confessione.*

[6] In cod. aa additur *solum, ita quod non a mente.*

[7] Ostendit enim August. in hoc libro, Priscillianistas errasse asserentes, *pro occultanda religione religiosos debere mentiri* (cfr. III. Sent. d. 38. q. 1. seq.).

[8] Vers. 24. et 28. Vide III. Sent. d. 24. a. 1. q. 1. ad 5. — Inferius post *loqueris* in cod. X secunda manus supplevit *de additione.*

[9] Vers. 20: Ante omnia opera verbum etc.

[10] Edd. cum aliquot codd. *proficit.* Inferius pro *testimonium* cod. N *testificationem.*

[11] Vide Anselm., Dialog. de veritate, c. 2. seqq. Cfr. etiam tom. I. pag. 707, nota 5.

ad humiliationem; dicendum, quod non *omni modo* est ad humiliationem, sed per[1] accusationem, quae *veritatem* debet habere principium vel comitem ad hoc, quod recta sit. Et non sequitur, quodsi *humilitas* non habet excessum in reputatione, quod *veritas* non habeat excessum in locutione.

4. Ad illud quod quaeritur de peccato dubio, dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in decimo quinto de Trinitate[2], non solum est mendacium dicere scienter *falsum*, sed etiam asserere *dubium*, quia lingua a corde discordat. Quando ergo dubitat, utrum sit mortale; dicendum, quod sicut dubitat, ita dubitando debet confiteri; tamen debet conteri et poenam sustinere, ac si esset mortale; et tunc mens assecuratur, et in nullo veritati praeiudicatur. Et sic patet responsio ad obiecta.

Notandum.

Ad 4. fundam.

Ad illud tamen, quod ultimo obiicitur ad partem oppositam, quod facit medicum errare etc.; dicendum, quod falsum est, quia aggravatio *poenitentiae* non aggravat naturam, sed alleviat; non sic est in temporali et corporali medicina; nocet enim, si non adsit morbi materia. Sed *ista* est ratio, quia lingua discordat a conscientia; et illud[3] praecipue exigitur in illa confessione recte et ordinate facta.

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum in confessione liceat aliena peccata referre.

Tertio quaeritur, utrum in confessione liceat aliena peccata referre. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Nehemiae[4]: *Ego et domus patris mei peccavimus*, et similiter in oratione Danielis: ergo si recte confitebantur, videtur, quod nos similiter facere deberemus.

2. Item, ex caritate potest et debet quis proximi peccata *deflere* et ex caritate non solum pro suis, verum etiam pro alienis peccatis potest *satisfacere:* ergo pari ratione potest aliena peccata confessori *referre.*

3. Item, peccatum alienum frequenter aggravat suum, sicut si pater cognoscit filiam, vel si mulier cognita est a patre spirituali, quod absit, vel a persona excellentis religionis: ergo si debet peccatum suum plene explicare, videtur, quod liceat aliena peccata referre.

4. Item, confessio non solum est in remedium peccati praeteriti, sed etiam in consilium vitandi futuri; sed frequenter alienum peccatum praestat scandalum et ruinam, utpote cum luxuriosus aliquam infestat: ergo si debet poenitens sacerdoti exponere peccatorum occasiones, ut secundum eius consilium et adiutorium peccatum[5] evitet; videtur, quod possit et debeat aliena peccata in confessione referre.

Fundamenta.

Contra: 1. Psalmus[6]: *Dixi, confitebor adversum me iniustitias meas Domino*; Glossa: «Peccata mea, non aliena»: ergo aliena confitenda non sunt.

2. Item, Chanaan fuit maledictus, quia non operuit verenda patris, Genesis nono[7]: ergo tenebatur illa operire: pari ratione et proximus verenda proximi, licet non ita stricte: ergo qui revelat alienam culpam peccat graviter.

3. Item, si licet peccata proximi referre uni sacerdoti; cum liceat confiteri mille, sicut ex praecedentibus[8] habitum est, ergo liceret peccata proximi mille revelare, et ita proximum infamare.

4. Item, aut fuit *particeps* illius peccati, aut *non*. Si *non:* ergo non tangit peccatum suum, ergo non debet illud confiteri. Si fuit *particeps;* sed in nullo foro potest quis alium accusare in crimine, in quo participat: ergo male facit, si alium accusat.

CONCLUSIO.

Aliena peccata non sunt dicenda nec audienda in confessione, nisi quatenus propria non possint aliter accusari.

Distinctio.

Respondeo: Dicendum, quod aliena peccata aut sunt *impertinentia* ad peccati nostri accusationem, sed ex quadam associatione refert ea et ad quandam excusationem ille qui confitetur, quia «solatium est miseris socios habere poenarum[9]»; et sic dicendum, quod male facit qui sic confitetur, sicut multi simplices aliquando accusant omnes vicinos suos, ut ipsi minus confundantur, ut si dicant: sumus latro-

Conclusio.

[1] Vat. *propter.*

[2] Colligi potest ex c. 11. n. 20. Clarius habetur in Enchirid. c. 18. n. 6. et de Mendacio, c. 3. n. 3. seq. (cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 3. seq., et Comment. q. 1.). — Inferius post *utrum sit mortale* cod. bb supplet *aut non.* Subinde pro *conteri* Vat. cum non paucis codd. perperam *confiteri.*

[3] Scilicet, quod lingua *non* discordet a conscientia. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Sive II. Esdrae 1, 6. — Dan. 3, 29, ubi Azarias confitetur: Peccavimus enim et inique egimus recedentes a te etc. Ibid. 9, 5. Daniel ait: Peccavimus, iniquitatem fecimus etc.

[5] Non pauci codd. omittunt *peccatum;* suppleri etiam posset *illas*, scil. occasiones (cfr. supra d. 15. p. II. a. 1. q. 1.).

[6] Psalm. 31, 5, ubi Vulgata (etiam cod. F) *iniustitiam meam.* Glossam exhibet card. Hugo a S. Charo. — Rufin. Aquilei. (÷ 410): Quid est *adversus se?* Accusans et increpans semetipsum et non alium. Cfr. etiam August., Enarrat. 2. in hunc Ps. n. 16.

[7] Vers. 22. seqq.

[8] Dist. 17. p. III. a. 1. q. 2. Cfr. infra dub. 4.

[9] Secundum Glossam *ordinariam* (quae est ex Hieron.) in Isai. 14, 9. apud Strabum et Lyranum. Cfr. infra d. 50. p. I. a. 1. q. 3. fundam. 1. Seneca, de Consolat. ad Marciam, c. 12. ait: Malevoli solatii genus est turba miserorum. — Mox plurimi codd. male omittunt *et sic dicendum*, cod. L legit: *sic male facit*, ed. 1 *et male facit.*

nes, usurarii, periuri et consimilia; et tales a confessoribus corripiendi sunt, quia rectam formam confessionis non servant.

Aut peccata aliena sunt nostris *coniuncta* et admixta, ita quod sine illis non potest bene culpa propria explicari; et tunc licitum est confiteri eatenus, quatenus non potest sine alieno peccato culpa propria explicari; unde sufficit aliquando in *generali*, ut si mulier cognita est ab episcopo, quod absit, sufficit dicere, quod aliquis magnus praelatus eam cognovit; si a persona religiosa, sufficit, quod in generalitate sua stet, quia satis apparet genus culpae. Si vero descendat ad personam singularem, increpanda est persona confitens. — Similiter nec debet confessor curiose inquirere de persona; sed si suspicatur, quod sit persona, cui possit prodesse, et competens et utile sit illam scire; potest extra forum confessionis illam inquirere. Nam talia frequenter sunt occasio frangendi sigillum confessionis, ubi est maximum periculum, sicut patebit inferius[1]. — Si vero peccatum non potest explicari sine explicatione *personae determinatae*, utpote si mulier inordinate a viro cognita est; tunc, si dicat de marito, non peccat, pro eo quod non potest aliter confiteri propriam culpam; et tunc non debet attendi accusatio aliena, sed accusatio propria. Et sic generaliter verum est, quod peccata aliena non sunt dicenda in confessione, nisi eatenus, qua sunt propria; nec confessores debent inquirere. — Unde illi confessores, qui ramusculos in confessionibus inquirunt et audiunt de aliis malum et sustinent, vix aut nunquam a peccato detractionis excusari possunt; et nesciunt mederi animabus, dum patiuntur, eos qui veniunt ad medicinam, alios accusando sibi infligere vulnus grave. — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, peccata aliorum, secundum quod alium accusant, in foro confessionis passim non esse dicenda nec audienda; concedendum nihilominus, quod in casu possunt dici propter curationem vulneris sui.

(Margin: Conclusio 2. — Conclusio 3. — Conclusio 4. — Corollarium.)

1. Ad illud tamen quod obiicitur de Nehemia et Daniele, dicendum, quod alius fuit modus confitendi; quia *ille* fiebat Deo ad ipsius iustitiae laudem et ad impetrandam misericordiam toti populo[2]; *hic* autem fit, ut homo se accuset coram sacerdote et possit iudicari et absolvi ab eo. Sacerdos autem iudex *privatus* est, et ideo tantum propria peccata dicere debet.

(Margin: Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur de contritione et satisfactione, dicendum, quod si condoleo peccato proximi et punio me pro illo, misericordiam[3] illi impetro, non iniuriam facio; non sic, quando eum accuso, et ideo non est simile.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod facit ad proprii peccati curam et cautelam; dicendum, quod in tali casu licet; multum tamen est observandum, ne quis alium accuset in illo actu; sed si quis videret expedire scire peccatum alienum propter utilitatem eius, vel commune bonum; tutius est extra forum confessionis perquirere et audire[4].

ARTICULUS II.

De sigillo confessionis.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de sigillo confessionis. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in aliquo casu liceat confessionem revelare.

Secundo, utrum confitens possit sacerdotem licentiare, ut revelet.

Tertio, utrum illud quod dupliciter novit sacerdos, scilicet per confessionem et per aliam viam, teneatur celare.

QUAESTIO I.

Utrum in aliquo casu liceat confessionem revelare.

Quantum ad primum ostenditur, quod non possit revelare.

1. Augustinus, de Poenitentia, distinctione sexta[5]: « Sacerdos ante omnia caveat, ne de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet ».

(Margin: Fundamenta.)

2. Item, decretalis edita in Concilio generali de

---

[1] Art. 2. q. 4. Cfr. Benedict. XIV. constitutio *Suprema*, ubi decernit, poenitentes nomina complicum non debere revelare; constitut. *Ubi primum*, in qua prohibet confessariis, quod astringant poenitentes ad nomina complicum revelanda. Cfr. etiam ipsius constitut. *Ad eradicandam*.

[2] Vide Daniel 3, 26. seqq. — Inferius pro *et possit* edd. *ut possit* et *Et quia sacerdos* pro *Sacerdos autem*.

[3] Cod. F *veniam*. Mox pro *non iniuriam* codd. L bb *et ei nullam iniuriam* (codd. V W Z *et ei non iniuriam*).

[4] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Cap. 2. (correctores Gratiani notant, capitulum hoc esse incerti auctoris; vide hic lit. Magistri, c. 9.). Pro *Augustinus* edd. *Gregorius;* sub Augustini nomine similis canon habetur alibi, nempe C. 3. q. 7. c. 7: Sacerdos ut sapiens et perfectus medicus primum sciat curare peccata sua, et postea aliena vulnera detergere et sanare, et non publicare (sumtus ex opere *de Salutaribus Documentis*, c. 52. olim Augustino attributo, quod autem est Paulini Foroiuliensis sive Aquileiensis).

Poenitentiis et remissionibus [1]: « Caveat autem sacerdos, ne verbo vel signo vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem ».

3. Item, hoc videtur *ratione:* quia peccata in confessione delentur; sed pro peccato, quod Deus remisit, nemo est accusandus: ergo si sacerdos est minister remissionis, non potest accusare vel detegere peccatorem, quin faciat contra officium veri sacerdotis: ergo omnis talis est deponendus.

4. Item, peccator confitetur sacerdoti, et sacerdos accipit loco Dei; sed Deus peccatum poenitentis occultat et non detegit [2]: ergo et sacerdos tenetur occultare.

5. Item, sacerdos, qui audit peccatorem, nescit, utrum dicat sibi verum: ergo nescit, utrum ille sit culpabilis: ergo si nullius peccatum debemus accusare nisi eius, de quo nobis constat: ergo peccatum per confessionem cognitum nullatenus est prodendum.

Ad oppositum. Contra: 1. Ponatur, quod aliquis iuret dicere verum super aliquo facto; nullus potest nec debet mentiri nec falsum iurare nec peierare sive deierare propter aliquod scandalum evitandum [3]: ergo magis debet manifestare quam falsum respondere.

2. Item, ponatur, quod audiat haereticum in confessione, qui nolit poenitere, sed alios corrumpere; magis debet fidem Christo servare sacerdos quam ipsi haeretico: ergo magis debet confessionem illius detegere, quam permittat, eum gregem Domini corrumpere.

3. Item, ponatur, quod sacerdos sciat per confessionem, inter duos esse contractam affinitatem per coitum fornicarium, et post eos velle contrahere in facie Ecclesiae; si sacerdos iungit istos, cum isti peccent mortaliter, consentit peccato eorum: ergo mortaliter peccat: ergo si non debet sceleris alieni fieri particeps, debet hoc manifestare. Similis casus est in decano [4], qui audivit confessionem habentium irregularitatem, si debet eos praesentare ordinandos ab episcopo, vel revelare confessionem.

4. Item, ponatur, quod aliquis prior de ordine monachorum confiteatur abbati, et quamdiu est in prioratu, habet occasionem trahentem ad peccatum, a quo [5] non vult desistere; si habet curam animae suae, tenetur inde illum amovere; sed amovendo innotescit, ipsum peccasse: ergo videtur, quod confessio possit aliquo modo revelari.

CONCLUSIO.

Pro nullo scandalo, vel causa confessio a sacerdote est revelanda.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui distinguere, quod dupliciter potest quis sacerdoti confiteri: aut tanquam poenitens et volens a peccato absolvi, et tunc sigillum confessionis claudit omne quod dicit, sine apertione; aut ita, quod non vult a peccato desistere, ut si revelat propositum periurandi, vel occidendi hominem, vel aliquod tale, et tunc non tenetur sub sigillo confessionis claudere, sed potest dicere ei [6] qui potest prodesse et non obesse. Opinio 1. cum distinctione.

Sed quamvis illud videatur dici probabiliter, tamen, cum mandatum et institutio de omni culpa dicat *generaliter* [7], et poenitens peccatum suum non tanquam homini, sed tanquam Deo revelet, et nesciat sacerdos, utrum ille verum dicat, an eum seducat, nisi noverit per aliam personam; nullatenus debet manifestare personam illam, propter hoc quod sigillum confessionis diligentissime est custodiendum propter scandalum, ne poenitens retrahatur a confessione. Propter quod etiam miraculum magnum in quadam navi contigit, ut narratur de quodam, qui peccata sua publice confessus est in mari, et postquam ventum est ad portum, nemo novit quod dixerat. Unde sacerdos taliter debet noscere, quasi non audierit et quasi non noverit. Et propter hoc dicendum, quod, sicut dicit Gregorius, et habetur in littera [8], pro nullo scandalo est confessio revelanda. Improbatur. Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de iuramento, dicendum, quod secure potest dicere: nescio; nec periurat, quia iuramentum non obligat illum ad dicendum nisi illud quod novit ut homo, non ut Deus, quia supra Deum nullus est. Unde pro nullo praecepto obedientiae, pro nullo iuramento, vel periculo debet illud dicere. Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de haeretico, dicendum, quod debet tacere nec per [9] illam cognitionem aliquid dicere specialiter; potest tamen sine revelatione confessionis superiori dicere: vigila super oves, quia lupus est in grege, si probabiliter videt, illum qui confessus est, verum dixisse, et periculum ovium imminere. Potest etiam et debet esse sollicitus sine revelatione confessionis, quomodo sciat et

---

[1] Extra lib. V. tit. 38. C. *Omnis utriusque sexus* (12.).

[2] Cfr. Ps. 31, 1. et Rom. 4, 7.

[3] Cfr. supra pag. 86, nota 6. in fine.

[4] Codd. F G *de decano.*

[5] Cod. F (E primitus) addit *tamen,* quod cod. G transponit post *tenetur.* Superius pro *et quamdiu* cod. U *quod quamdiu.*

[6] Cod. X *sed non potest dicere nisi ei,* qua lectione redintegratur lectio mutila quorundam codd. *sed non potest dicere ei.* — In lib. de Quatuor Virtutibus (inter opera Senecae) c. 4. partes iustitiae sunt: omnibus prodesse et nulli nocere.

[7] Edd. addunt *oppositum.* Inferius pro *nisi noverit* [cod. E *sciverit,* edd. *manifestatum fuerit*] *per aliam personam; nullatenus* [cod. aa *nulli*] non pauci codd. perperam *nisi venerit per illam personam, nullatenus* [plures codd. *nihilominus,* cod. A a secunda manu *nihilominus non*].

[8] Hic c. 9.

[9] Mallemus legere *propter.*

gregi dominico provideat; et tunc Domino suo et etiam confitenti fidem, quam debet, servat.

3. Ad illud quod obiicitur de presbytero, dicendum, quod presbyter debet dissuadere ei qui est confessus, et similiter decanus clerico; et si ille petat, debet differre, et nisi ille cogatur per superiorem, vel per[1] scandalum populi, non debet nec matrimonium tale benedicere nec clericos praesentare. Ex tunc autem potest, quia non ipse facit, sed Ecclesia; et Ecclesia iudicat secundum ea quae exterius sunt. *Consilium* tamen est, quod et sacerdos et decanus faciant per vicarium, tum propter confusionem illorum occultam, tum etiam propter criminis horrorem. Si tamen ipse faciat, non credo, quod peccet, dum non ultro se offerat, sed coactus sustineat.

Notandum. Consilium.

4. Ad illud quod quaeritur de subdito, qui non vult a culpa cessare; dicendum, quod superior debet ei persuadere voluntariam cessionem, et quod ipse petat absolvi ab onere officii. Quod si non vult, non debet eum absolvere, sed debet eum sustinere, nisi sit talis religio, in qua subditi possint transmutari et transferri sine nota infamiae.

SCHOLION.

I. Iure naturali, divino et ecclesiastico confessarius obligatur strictissimo debito, sigilli sive secreti observandi de omnibus in confessione sacramentali auditis, quorum revelatio confessionem posset reddere odiosam. Pauci quidem antiqui quasdam exceptiones, praesertim in causa haereseos, statuere voluerunt; sed hunc errorem communissima doctrina semper detestata est. Praeter ea quae in Can. *Omnis utriusque* (hic fundam. 2. citato) stabilita sunt; notanda est quaedam propositio, decreto s. Inquisitionis 18 Nov. 1682 « omnino prohibita », quae ob gravem rationem licitum esse asseruit quendam « *usum* scientiae ex confessione acquisitae cum *gravamine* poenitentis, seclusa quacumque *revelatione*, atque in casu, quo multo maius gravamen eiusdem poenitentis ex non-usu sequeretur ». Obligatio autem sigilli similiter afficit etiam interpretem aliosque, qui materiam sigilli norunt; tamen de quibusdam huiusmodi casibus dubitatur, utrum sit *proprie* obligatio sigilli, vel tantum secreti naturalis, licet strictissimi. — Solutionem plurium dubiorum et casuum vide apud Henricum Gand., Quodl. 8. q. 29. 31. et recentiores moralistas.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 19. m. 2. a. 1. et 2. § 1. — Scot., de hac et 2 seqq. qq. in utroque Scripto hic q. 2. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 11. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. 2. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 3; Dionys. Carth., hic q. 3.

II. In 2. quaestione affirmanda, dummodo adhibeantur cautelae ad vitandum scandalum, communius theologi consentiunt. Sed Scot. (loc. cit. n. 18.), cui favent Alex. Hal. et Durand., docet, *audita formaliter* in confessione ne de licentia quidem poenitentis revelari posse, nisi hic explicite protestetur, talia se dicere vel dixisse ut *extra* confessionem. S. Bonav. solummodo in casu, ubi timetur scandalum, licentiam datam restringere videtur.

De hac quaestione: Alex. Hal., loc. cit. a. 2. § 2. — S. Thom., loc. cit. a. 2; Suppl. loc. cit. a. 4. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med. hanc et seq. q. tangit loc. cit. q. 3. 4, et a. 5. q. 1-4.

III. Quoad 3. quaestionem tenuit opinionem 1. in corp. relatam Guliel. Antissiod.; sed posteriores theologi cum Ss. Bonav. et Thoma 3. opinionem sequuntur.

De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 3. — S. Thom., loc. cit. a. 3; Suppl. loc. cit. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. quaestiunc. 2.

QUAESTIO II.

Utrum confitens possit licentiare confessarium, ut peccata revelet.

Secundo quaeritur, utrum confitens possit sacerdotem licentiare. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia ad celandam confessionem arctamur per mandatum superioris, scilicet Papae[2]; sed inferior a mandato superioris non potest absolvere: ergo nec ad contrarium mandato licentiare.

2. Item, sigillum confessionis institutum est non solum propter vitandum scandalum confitentis, sed etiam totius Ecclesiae unitatis: ergo quantumcumque confitens velit, si revelet, praeiudicium toti Ecclesiae facit: ergo non potest ab eo licentiari.

3. Item, sigillum istud institutum est propter scandalum vitandum; sed si quis revelat per licentiam, potest suscitari[3] idem scandalum, quod sine licentia, quia confitens poenitere possit de licentiatione et imponere sacerdoti confessionis revelationem; et cum habeat iudicium pro se, idem posset scandalum concitari, quod et sine licentia.

4. Item, si licentiari possunt, ergo cum mali et impii sacerdotes possent praetendere licentiam sibi datam, videretur tunc, quod sub hoc pallio confessionem impune revelare possent; sed hoc est inconveniens: ergo etc.

Contra: 1. Celatio confessionis est in favórem confitentis; sed quilibet potest cedere iuri suo[4]: ergo potest confitens dare licentiam revelandi. Fundamenta.

---

[1] Cod. F *vel etiam propter*. Inferius pro *matrimonium tale* cod. bb *matrimonio tali*, et pro *Consilium* cod. K *Consultum*.

[2] Vide quaest. praeced. fundam. 1. 2. — De *minori* cfr. Gratian. C. *Inferior sedes* (4.), seqq. d. 21. — Pro *arctamur* cdd. *arctatur*.

[3] Codd. G K V bb et ed. 1 *suscitare*. Circa finem arg. pro *idem posset* codd. A F H *ideo posset*.

[4] Secundum Iustinian., D. II. de Pactis (tit. 14.), lex *Pactum* (47.); ibid. IV. de Minoribus (tit. 4.), lex *Si iudex* (42.) et C. II. de Pactis (tit. 3.), lex *Si quis in conscribendo* (29.).

2. Item, qui potest dicere peccatum per se ipsum, potest per sacerdotem alii sacerdoti denudare: ergo et per ipsum alii revelare [1].

3. Item, quod dicitur homini ut homini in casu utili potest et debet ab eo dici; sed confitens, qui dicit confessori ut Deo, potest dicere ut homini: ergo potest dare licentiam revelandi alii.

4. Item, constat, quod superior potest mittere ad inferiorem et auctoritatem absolvendi ab aliquo peccato enormi ei praebere; sed hoc non posset, nisi posset per voluntatem confitentis peccatum alii revelare: ergo etc.

CONCLUSIO.

Confitens potest licentiare confessarium, ut peccata revelet, in casu, in quo non timetur scandalum.

Ratio sigilli duplex.

Respondeo: Dicendum, quod sicut tactum est [2], revelare sacerdos non debet propter duo, scilicet quia novit solum ut Deus, et iterum, ne populum scandalizet, vel etiam ipsum confitentem. Et quoniam confitens potest facere, quod ipse noverit ut homo; quando facit eum nuntium, potest eum licentiare in casu, in quo non timetur periculum scandali, sicut ostendunt rationes secundo inductae. — Ubi autem periculum scandali formidatur, quantumcumque poenitens licentiet sacerdotem, non debet sacerdos assumere. Tunc autem potest timeri periculum scandali, quando probabiliter posset coniici, quod sacerdos confessionem suam revelaverit. Unde si dicat, quod alii referat peccatum, debet ipse sacerdos poenitentem suum *nuntium* constituere, non se *internuntium* [3] facere; et sic vitatur scandalum, et non rumpitur sigillum confessionis. Et intelligatur hoc cum illa generali suppositione, quod peccatum alicuius nulli est manifestandum, nisi ei qui possit *prodesse* nec velit *obesse;* intelligatur etiam hoc de peccatis *propriis*, non de *alienis.* Nam aliena peccata dicere non potest nec debet poenitens alicui committere, nisi forte in casu, in quo ipse deberet dicere et melius per alium quam per se posset bonum illius procurare, semper adhibita cautela, ut ex hoc non scandalizetur Ecclesia. Et sic patent obiecta [4].

Conclusio.

Cautelae servandae.

QUAESTIO III.

Utrum sciens aliquid per confessionem et per aliam viam teneatur celare.

Tertio quaeritur, utrum sciens aliquid per confessionem et per aliam viam teneatur celare. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per quandam decretalem Innocentii, de Poenitentiis et remissionibus [5]: « Qui peccatum sibi in poenitentia detectum praesumserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum poenitentiam in arctum monasterium detrudendum »: ergo si aliquis novit aliquod peccatum per confessionem, qualitercumque illud noverit aliter, non videtur, quod possit illud idem propter confessionem detegere.

2. Item, confessionis sigillum, ut supra [6] probatum est, nullo pacto est infringendum; sed tunc infringitur, quando confessio revelatur; impossibile autem est hoc peccatum auditum in confessione revelare, quin reveletur confessio; sed confessio nullo modo est revelanda: ergo nec illud peccatum. Et potest fieri talis syllogismus: nulla confessio est revelanda; hoc peccatum est confessio, vel pars confessionis, quod dupliciter novit: ergo etc.

3. Item, talis, qui scit per confessionem et per aliam viam, novit ut homo et ut Deus; sed in quantum novit ut Deus, tenetur tacere; in quantum ut homo, potest dicere ei qui potest prodesse: ergo istae duae oppositas habent conditiones. Quandocumque autem opposita sunt circa idem, necesse est, quod alterum vel utrumque cadat a sui proprietate [7]: si ergo *maius* dominatur supra *minus* et dominando vincit, et cognitio, qua cognoscit per modum Dei, simpliciter maior est; ergo videtur, quod illam tenetur sequi et ita celare.

4. Item, sigillum confessionis ita arcte institutum est propter scandalum, et ne mali sacerdotes malignari possint, et fideles per hoc a confessione retrahi; sed si ita esset, quod posset aliquis revelare quod per aliam viam novit; quilibet sub hoc praetextu posset omnia vel pro magna parte reve-

---

[1] Arg. nititur illa regula iuris in VI: « Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum (68.) », quae etiam in lectione codd. V W Z magis apparet; hi enim codd. superius post *per se ipsum* prosequuntur: *potest etiam per alterum; ergo cum confitens possit per se ipsum alii dicere, potest et per sacerdotem* etc. Codd. G X bb omittunt *sacerdoti.*

[2] Quaest. praeced. — Mox post *revelare,* quod edd. cum non paucis codd. omittunt, cod. aa supplet *confessionem.*

[3] Codd. I K R S T *non se potest nuntium.* Pro *internuntium* edd. *nuntium,* quod ipsae paulo ante omittunt.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest. — Ultima regula probatur supra a. 1. q. 3.

[5] Extra lib. V. tit. 38. in fine C. *Omnis utriusque sexus* (12.): Qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum... ad agendum perpetuam poenitentiam etc. — In fine argg. substituendum duximus *propter* pro *per.*

[6] Quaest. 1. — Inferius pro *revelare* edd. cum pluribus codd. *revelari.*

[7] Quia, ut ait Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.), simul non contingit eidem inesse contraria.

lare, dicens, se aliter nosse, et sic nullus malus posset convinci nec in malitia deprehendi.

5. Item, sigillum confessionis ita annexum est confessioni, ut, quicumque confessiones audit, hoc ipso, quod audit, se obliget ad secreti habitionem; sed si tu scires aliquid et postmodum promitteres referenti illud, quod nunquam illud diceres; tenereris omnino celare: tunc ergo videtur similiter, quod tenetur celare illud quod aliter quam per confessionem noverat.

Fundamenta. Suppositiones 5.

Contra hoc arguitur sic, et suppono hic quinque, quae sunt per se nota. Prima suppositio est, quod nihil statuendum est neque servandum, in quo fiat praeiudicium veritati [1]. — Secunda est, quod «fraus et dolus nemini debet patrocinari». — Tertia est haec, quod nullus pro aliquo tenetur mentiri. — Quarta est haec, quod nullus scienter reddit se impotentem ad id, ad quod tenetur, sine peccato mortali. — Quinta est haec, quod nihil debet statui nec servari, unde innocens possit rationabiliter accusari et condemnari, et alii de ipso scandalizari.

1. Ex prima arguo sic. Nihil servandum est, in quo fiat praeiudicium veritati; sed aliquis sacerdos potest in causa [2] testificari, utpote qui cum alio vidit furem vel aliquod simile, cuius testificatione subtracta, latebit veritas, et regnabit falsitas: si ergo talis confessionem de culpa audiat et hoc ipso testificari non velit, fit praeiudicium veritati: ergo si hoc non debet fieri, non obligatur ad retinendum.

2. Ex secunda sic. «Fraus et dolus nemini debet patrocinari»; sed aliquis peccator sciens, se esse reum et accusatione dignum, hoc solo [3] confitetur, ut os sacerdotis claudat: si ergo claudit ac per hoc remanet impunitus, fraus et dolus sibi patrocinatur: ergo si hoc est inconveniens, patet etc.

3. Ex tertia sic. Nullus pro aliquo tenetur mentiri; sed iste qui novit aliter quam per confessionem, non potest dicere: nescio, quin mentiatur, quia novit ut homo et ut Deus: si ergo iuravit veritatem dicere, tenetur quod novit ut homo revelare, cum ad hoc posset iuramentum ipsum arctare.

4. Ex quarta sic. Esto quod aliquis teneatur accusare proximum apud praelatum tum ex mandato divino, tum ex mandato praelati sui; iste vidit eum peccantem et audivit confitentem: si ergo tenebatur ex visu dicere et ex audito confessionis reddidit se impotentem, ergo quando audivit eius confessionem, peccavit mortaliter; quod nullo modo videtur probabile.

5. Ex quinta sic. Nihil debet servari, unde innocens possit rationabiliter condemnari; sed ita est in proposito, si tenetur celare quod alias novit: ergo etc. *Probatio:* ponatur casus, quod quatuor vadant per viam; unus peccat in conspectu omnium, unde accusandus est coram praelato et puniendus; confitetur uni de tribus; duo alii accusant illum qui peccavit et testificantur contra eum et ad maius robur testimonii advocant tertium; tertio praecipitur, quod dicat, et illi eum accusant, nisi dicat [4], tanquam fautor sit in aliena culpa, et praelatus rationabiliter punit ipsum ad duorum testimonium de inobedientia: si ergo hoc totum iniquum est, videtur, quod non tenetur celare. *Si tu dicas mihi,* quod sacerdos debet confitenti protestari, quod non accipit sub sigillo confessionis; *contra:* quaero, quando; aut *antequam* confiteatur, aut *postquam* confessus est. Sed *ante* non tenetur, quia nescit, quid sibi velit dicere; si *postquam* confessio audita est, hoc nihil est, quia ex quo confessio fuit, sigillum habuit: ergo per suam protestationem non potest illud infringere. Et *iterum,* quilibet sacerdos posset dicere confitenti: nolo illud sub sigillo accipere. *Praeterea,* esto quod obliviscatur illud dicere et habeat in corde, quamvis non in ore; videtur, quod idem debeat accidere.

CONCLUSIO.

Peccatum, quod scitur per confessionem et per aliam viam, revelari potest sine fractione sigilli, secluso tamen scandalo.

Respondeo: Dicendum, quod triplex est hic modus dicendi.

Primus est hic. Dicunt quidam, quod ex quo aliquis scit aliquid per confessionem, qualitercumque sciat et quandocumque sciat, illud vere non potest revelare [5]; quia non potest tale quid revelari, cum sit pars confessionis, quin fiat sigillo confessionis praeiudicium, quod maxime et praecipue servandum est integrum. — Ad obiecta respondent, sicut tactum [6] est, quod si videatur generari praeiudicium, vel sequi malum; non debet recipere sub sigillo confessionis, sed cum protestatione, quod nolit tenere secretum. — Etsi ista opinio pia videatur, pro eo quod multum tribuit sigillo confessionis; tamen posset ducere in magnum periculum, scilicet quod fieret veritati et in- Opinio 1. Non probatur.

[1] Cfr. supra pag. 86, nota 6. in fine. — Secunda suppositio habetur in C. *Ex tenore* (16.), X. de Rescriptis (lib. I. tit. 3.); cfr. tom. III. pag. 413, nota 2. alii loci allegati. — Superius pro *hic* plures codd. *haec.* Inferius in fine quintae suppositionis pro *de ipso* edd. *de peccato.*

[2] Codd. R S T *in casu.* Inferius pro *non velit* cod. H *non obligatur,* et pro *ad retinendum* (reticendum?) edd. *ad tacendum.*

[3] Cod. U supplet *intuitu.*

[4] Cod. K (I a secunda manu) *quod, si non dicat.* Mox pro *punit* cod. U *possit punire,* codd. R T X *possit reprehendere.*

[5] Ex codd. K V W Z substituimus *revelare* pro *revelari.* Post pauca verbo *revelari* cod. U praemittit *per se.*

[6] Hic in ultimo fundam. — Edd. et plures codd. addunt *supra.*

nocentiae et obedientiae praeiudicium, et fraudi praestaretur patrocinium, sicut ostensum est. Et constat, quod sigillum confessionis institutum est ad vitandum scandalum; « veritas autem propter scandalum dimittenda non est[1] ». Et *iterum,* illa protestatio non facit, ut possit revelare quod alias tenetur celare. Et *iterum,* si aliquis audivit confessionem alicuius, et ille de illo peccato sit infamis; nunquid fractor sigilli dicitur, si de hac materia cum aliquibus loquitur? Hoc videtur nimis durum et impium.

Et ideo est secunda positio, quae videtur esse Opinio 2. temperantior, quod confessio claudit os respectu cognitionis *praecedentis,* non respectu *sequentis.* Et ratio huius est: quia ille qui prius novit et[2] illud in confessione recipit, os sibi claudit respectu *prae-* Improbatur. *cedentis;* sed non respectu *sequentis.* — Sed haec positio minus est rationabilis quam prima, quamvis videatur magis sobria: primum, quia ex hac positione ita generatur veritati praeiudicium, sicut ex prima. *Ulterius* dicit, quod sigillum confessionis potest omnem cognitionem *antecedentem* claudere, et post cognitio *superveniens* potest illud aperire. Si enim confessio ideo claudit prius scitum, quia revelare scitum est frangere sigillum; cum illud contineatur sub sigillo, quomodo cognitio sequens dabit potentiam loquendi vel manifestandi illud quod sub sigillo erat clausum? Aut si revelare quod *post* scitur, in quantum post scitur, non praeiudicat confessionis sigillo; quare revelare *prius* scitum, cum unum et idem possit sciri per visum, deinde per confessionem, tertio per aliorum revelationem[3]?

Et ideo est tertius modus dicendi magis con- Opinio 3. sonus veritati et rationi, quod illud quod scitur duplici via, duplici cognitione scitur. Et sicut duplici cognitione scitur, ita potest homo oblivisci unum modum sciendi et memorari alterum, sicut patet, quia aliquando obliviscitur homo, se vidisse, et recordatur, se audisse; vel obliviscitur, se audisse per relationem, et meminit, se audisse in confessione. Et sicut duplex est scientia sive modus *sciendi,* sic duplex est modus *revelandi;* nec unus praeiudicat alteri, ut si quis dicat: ego vidi, vel: ego in confessione didici; nec unus modus alteri praeiudi- Conclusio 1. cat, et sine sigilli fractione et praeiudicio et absque praeiudicio veritatis potest quod scitum est per confessionem et per alium modum *revelari,* ita tamen quod modus sciendi per confessionem semper maneat in occulto. Quia tamen posset ex hoc scanda- Conclusio 2. lum generari, maxime apud poenitentem et apud alios; credo, quod de bono et aequo magis debet celare[4] quam unus alius. Et ideo propter vitandum Cautelae. scandalum poenitentis debet ei protestari in confessione, quod non debet illud celare, non quia illa protestatio *acquirat ius revelandi,* sed quia proximo *aufert rationem scandali.* Debet etiam permittere, se cogi ad dicendum; cogitur autem, sive quia veritati generatur praeiudicium, sive per mandatum; et ex tunc potest dicere absque omni remorsu. Cum magna enim maturitate revelandum est alienum peccatum, etiam ubi non est annexum confessionis sigillum. — Et haec positio rationabilior et securior videtur, et iurisperiti[5] in hanc magis consentiunt.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de decretali, Solutio oppositorum. dicendum, quod loquitur de revelatione peccati eatenus, qua per confessionem scitum est; unde gra- Notandum. vem imponit poenam, in qua poena dicitur, quod debet intrudi[6] « in monasterium arctum »; et hoc intelligitur, non quia cogat ad emittendum votum, sed quia pro tanto crimine compellit ad perpetuo puniendum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nulla confessio est revelanda; sed hoc peccatum etc.; dicendum, quod ibi est *sophisma secundum accidens*[7], pro eo quod isti peccato, in quantum *revelandum,* extranea est confessio. Cum enim dupliciter sciatur, secundum *unum* modum revelari potest et debet, secundum *alium* vero minime; et ideo primum, quod proponit, est falsum: non potest hoc peccatum revelari, quin reveletur confessio.

3. Ad illud quod obiicitur, quod istae cognitiones habent oppositionem et gradum; dicendum, quod verum est, quod *gradum* habent; sed tamen non habent *oppositionem,* pro eo quod secundum diversas vias sunt; unde idem potest esse *scitum* et *creditum*[8]*;* sic in proposito est intelligendum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod malis auferenda est occasio malignandi; dicendum, quod nun- Notandum. quam omnino potest malis claudi aditus malefaciendi; nec adeo debet claudi, quod ex hoc claudatur bo-

---

[1] Ut dicit regula iuris supra pag. 86, nota 6. in fine allegata. — Inferius pro *confessionem* cod. U *peccatum.*

[2] Codd. P Q *et post* [i. e. postea]. Mox pro *claudit* edd. *clauditur.*

[3] Cod. aa supplet *praeiudicat confessionis sigillo.* Ante *tertio* Vat. ponit *didicit,* ed. 1 *quia didicit;* pro *tertio,* quod plures codd. omittunt, cod. H *et sic,* codd. V W *et ideo.*

[4] Supple: sacerdos. Codd. V W autem legunt, terminis transpositis, *celare unus quam alius,* cod. K *unus et alius (unus alius* in nostra lectione idem est ac *quilibet alius).* Inferius pro *quod non debet* [scil. sacerdos] non pauci codd. *quando* [cod. G *quia*] *non debet.*

[5] Cod. F *viri periti.*

[6] Codd. A G aa *trudi,* codd. E F bb *tradi.* Mox pro *intelligitur* codd. R S T U *dicitur.*

[7] Petr. Hispan., Summul. tr. *de Fallaciis,* exponens hanc fallaciam ait: Accidens, ut hic sumitur, idem est quod extraneum in parte idem et in parte diversum, ut hic: homo est species; Socrates est homo: ergo Socrates est species. *Homo* enim est in parte idem cum specie, scil. quando sumitur pro re universali, in parte diversum a specie, scil. quando sumitur pro suppositis [i. e. individuis]. Cfr. tom. II. pag. 870, nota 8. verba Aristot. — Superius pro *nulla* codd. F G I K *pro nullo,* edd. *nullo modo,* plures codd. *nullo.*

[8] Vide III. Sent. d. 24. a. 2. q. 3.

nis via recte agendi; nec debet claudi aditus uni malo, ut aperiatur alteri: et ideo ratio illa non concludit, quod illud quod dupliciter est cognitum, necessario oporteat celari.

5. Ad illud quod obiicitur, quod promittit habere secretum, cum audit; verum est, ipsam *confessionem*, et illud eatenus, qua sic scitur; aliter non promittit, et si etiam promitteret, ubi veritas, vel obedientia praeciperet [1], revelari potest, et promissio vel iuramentum nullum esset — unde si vidissem proximum peccantem tali peccato, quod teneor dicere superiori; si iurem sibi non dicere, non absolvor, immo dicere oportet — et facienda est poenitentia de periurio, pro eo quod contra iustitiam iuravit. Et sic patet totum.

Ex hoc autem, quod dictum est, non debet sacerdos sumere audaciam revelandi vel loquendi de facili de eo quod per confessionem novit, pro eo quod confessionis sigillum adeo est custodiendum, ut non solum vitetur *fractio,* immo etiam dignum est, ut tollatur de hoc omnis *suspicio,* ne in contemptum veniat sacramentalis confessio [2]. Restrictio notanda.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, *quod omnia criminalia saltem semel oportet in confessione exprimi.* Videtur enim falsum, quia ad hoc, quod contritio valeat, non oportet singillatim conteri de quolibet, immo iustificatur in contritione de omnibus [3]: ergo pari ratione videtur de confessione.

Respondeo: Dicendum, quod non est simile: quia *contritio* est in conspectu Dei, qui uno aspectu videt omnia; sed *confessio* est in conspectu hominis, qui non potest plene noscere morbum nisi audiendo mortalia singula. Et *iterum, confessio* fit ad erubescentiam, *contritio* vero ad peccati detestationem per iustitiam. *Detestatio* autem intenditur in collectione multorum malorum, sed *erubescentia* in explicatione singulorum [4].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *venialia sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata.* Videtur enim non bene dicere, quia *iteratio* non trahit in aliud genus: ergo quantumcumque iterentur, venialia sunt: ergo sufficit illa generaliter confiteri, sicut et alia.

Respondeo: Dicendum, quod *consuetudo* frequenter ducit in libidinem et contemptum; ideo propter dubium et vitandum periculum, quando timetur probabiliter aliquod horum, est veniale peccatum confitendum, et sufficit stare in generalitate, nec oportet ad singula descendere; si tamen velit descendere, laudabile est valde et utile et pernecessarium volenti ascendere ad perfectionem [5]. Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Humilitatis causa non debet fateri se reum.* Videtur enim contrarium dicere Augustinus in libro Confessionum [6], ubi dicit sic: Si quaeris a me, utrum iustus sim; respondeo, quod non; sed constat, quod Augustinus iustus erat, et hoc ex humilitate dicebat et bene et meritorie.

Respondeo: Dicendum, quod fateri se reum vel iniustum est dupliciter: aut prout reatus et iniustitia [7] simpliciter privat *iustitiam;* et hoc modo non debet se quis fateri reum, nisi habeat mortalis conscientiam. Alio modo est fateri se reum et iniustum, prout privat *iustitiae perfectionem;* et secundum hoc omnis homo potest se iniustum fateri, secundum illud Isaiae sexagesimo quarto [8]: *Ut pannus menstruatae universae iustitiae nostrae. Nec iustificatur homo comparatus Deo,* secundum Iob; et hoc modo Augustinus dicebat se non esse iustum. Distinctio.

---

[1] Codd. M O V W Z (L primitus, X a secunda manu) et ed. 1 addunt: *quod per aliam viam sciret, quia illud solum.* Vat. cum uno alteroque cod. legit: *praeciperet revelari, potest... nullum esse.* Post *sic scitur* cod. U addit *per confessionem.*

[2] Plures codd. *Sacramenti confessio,* edd. *Sacramentum confessionis.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vide supra d. 16. p. I. a. 4. q. 2.

[4] Cfr. supra d. 17. p. III. a. 2. q. 2. — Cod. A *in expressione* (codd. H V W et ed. 1 *expletione*) *singulorum.* — Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. IV. q. 18. m. 4. a. 5. § 1; B. Albert., hic a. 11; S. Thom., hic circa lit.

[5] Vide supra d. 17. p. III. a. 2. q. 1. — Superius post *probabiliter* edd. perperam legunt: *aliquod* [Vat. *aliquid*] *horum esse veniale peccatum, confitendum est.* — Idem dub. solvitur a S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Verba haec, quae eodem modo etiam a B. Alberto (hic a. 12.) afferuntur, in recentioribus edd. *Confessionum* non inveniuntur; sententia in ipsis expressa collecta fuisse videtur ex iis locis, in quibus August. fatetur, se esse etiam post conversionem suam imperfectum et peccatorem neque omnino mundum in conspectu Dei (I. c. 5. n. 6; X. c. 28. n. 39. c. 30. n. 42. c. 31. n. 47. seq. c. 35. n. 57. c. 37. n. 60. et XIII. c. 4. n. 5.). Cfr. etiam III. contra Crescon. donatist. c. 80. n. 92.

[7] Edd. *reatus est iniustitia, sic.*

[8] Vers. 6: Et quasi pannus etc. (edd. cum plurimis codd. *vestrae*). — Seq. textus est Iob 9, 2: Vere scio, quod ita sit, et quod non iustificetur homo compositus Deo. Gregor. (IX. Moral. c. 2. n. 2.) haec verba exponens ait: Homo quippe *Deo suppositus* iustitiam percipit, *compositus* amittit, quia quisquis se auctori bonorum comparat, bono se, quod acceperat, privat. Qui enim accepta bona sibi arrogat, suis contra Deum donis pugnat etc.

Proprietates 16 confessionis.

Et nota, quod confessio debito modo facta debet habere sexdecim conditiones; unde versus[1]:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis
Et frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis et accusans et sit parere parata.

Sufficientia earum.

Sufficientia autem et numerus harum conditionum potest accipi sic. Quaedam enim sunt conditiones, quae sunt et debent esse in confessione secundum sui rectam *quantitatem;* quaedam secundum rectum *ordinem* et *societatem;* quaedam secundum rectam *qualitatem.* — Si secundum rectam *quantitatem,* hoc tripliciter[2]: aut quantum ad *integritatem,* aut quantum ad *numerositatem,* aut quantum ad *diuturnitatem;* et sic sunt tres conditiones, scilicet quod sit *integra, frequens* et *accelerata.* — Si quantum ad *associationem,* sic debet habere societatem duarum partium, scilicet *contritionis* et *satisfactionis.* Quantum ad *contritionem,* sic *lacrymabilis;* quantum ad *satisfactionem,* sic *parere parata;* vel quantum ad *utrumque,* et sic *fortis.* — Quantum ad *qualitatem,* aut ipsius *confitentis* aut *confessionis.* Si *confitentis,* sic sunt quinque conditiones: secundum vim *rationalem* est *simplex;* secundum *concupiscibilem* debet esse *libens;* secundum *irascibilem humilis,* in *sermone fidelis* et in *igno verecunda;* et sic sunt quinque. — Si *in se* consideretur, sic debet esse *pura,* ut nihil intersmisceat; debet esse *nuda,* ut nihil celatum teneat; quantum ad circumstantias debet esse *discreta,* ut nihil addat; debet esse *secreta,* ut aliis non noceat; debet esse *accusatoria,* ut se ipsum puniat. — Et sic sunt tres ex parte *quantitatis,* tres ratione *adiuncti,* quinque ratione *subiecti* et quinque ratione *sui;* et sic in universo sunt sexdecim[3].

(Quoad quantitatem. — Quoad associationem. — Quoad qualitatem ex parte confitentis. — Ex parte confessionis.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit in solvendo: *Sed aliud est favore vel odio proprium sacerdotem contemnere* etc. Videtur enim male solvere, quia ex hac solutione quilibet, cui vult, posset confiteri, dum non contemnat proprium sacerdotem. — Sed contrarium habetur in decretali[4], ubi dicitur, quod « si ex causa vult accedere ad alium, petat primo et obtineat licentiam, quia aliter non poterit solvere vel ligare ».

Respondeo: Dicendum, quod illud verbum Augustini[5] intelligitur quantum ad electionem sacerdotis, *antequam* subditus alicui se subiiciat et curam animae committat; sed verbum Urbani *post* commissionem; ex tunc enim tenetur ei confiteri nec debet alii, nisi petat licentiam. — Tamen in quinque casibus habetur licentia[6] pro obtenta. Primus est, si sit vagabundus. — Secundus est, si renuntiavit domicilium. — Tertius, si peccavit vel offendit in aliena parochia. — Quartus, propter sacerdotis ignorantiam, vel malitiam, quia est revelator confessionis, vel sollicitator ad malum. — Ultimus est in casu necessitatis, ut si sit in articulo mortis, vel debeat intrare iustum bellum[7]. Casus 5.

DISTINCTIO XXII.

Cap. I.

Si peccata dimissa redeant.

Cumque multis auctoritatibus supra[1] sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante confessionem vel satisfactionem ei etiam, qui aliquando in crimen relapsurus est; quaeritur, si post cordis contritionem confiteri contempserit, vel in peccatum idem vel simile reciderit, an peccata dimissa redeant. Cuius quaestionis solutio obscura est et perplexa, aliis asserentibus, aliis contra negantibus, peccata semel dimissa ulterius replicari ad poenam. Qui vero dicunt, peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambrosius[2] ait: « Donate invicem, si alter in alterum peccet; alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam, per quam misericordiam dederat, sicut in Evangelio de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est ». Item Rabanus[3]: « Nequam servum

(Opinio 1. — Ambrosius. — Rabanus.)

---

[1] Cfr. Petr. Blesens., Poema 4. de Poenitentia, in quo versus his similes occurrunt.

[2] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto.*

[3] Cfr. de hoc dubio S. Bernard., Serm. 40. de Diversis, n. 6. et Serm. 16. in Cantic. n. 8. seqq.; Alan. ab Insulis, de Sex Alis Cherubim; Innocent. III., Serm. de Poenitentia; B. Albert., d. 17. a. 36; S. Thom., ibid. q. 3. a. 4. quaestiunc. 4.

[4] Quae incipit *Omnis utriusque sexus;* cfr. supra pag. 452, nota 3. — Post *non poterit* codd. F G supplent *eum,* codd. I K substituunt *solvi vel ligari* pro *solvere vel ligare.*

[5] Hic in lit. c. 9. allegatum: Poenitens eligat sacerdotem scientem ligare et solvere (cfr. supra d. XVII. c. 4.). Ibid. habetur etiam decretalis *Urbani II.*

[6] Edd. addunt *petita.* Inferius pro *renuntiavit* Vat. *mutavit.*

[7] Cfr. supra d. 17. p. III. a. 1. q. 2. et d. 19. a. 3. q. 1. in corp. — Idem dub. solvitur a S. Thoma et Petr. a Tar., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Dist. XVII. c. 1. et XIV. c. ult.

[2] In Epist. ad Eph. 4, 32; cfr. Hugo de S. Vict., II. de Sacram. p. XIV. c. 9. — De servo nequam vide Matth. 18, 33. — Pro *peccet* solae edd., excepta 1, *peccat.*

[3] C. *Si Iudas* (1), de Poenitent. d. 4. § 1.

tradidit Deus tortoribus, quoadusque redderet universum debitum; quia non solum peccata, quae post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad poenam, sed
Dubium 1. etiam peccata originalia, quae in baptismo ei sunt di-
Gregorius. missa ». Item Gregorius [1]: « Ex dictis evangelicis constat, quia, si ex corde non dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur, quod iam nobis per poe-
Augustinus. nitentiam dimissum fuisse gaudebamus ». Item Augustinus [2]: « Dicit Deus: *Dimitte, et dimittetur tibi;* sed ego prius dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid dimiseram, replicabo tibi ». Item: « Qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam praeterita, quae iam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur ».
Beda. Item Beda [3]: « *Revertar in domum meam* etc. Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat ». Item: « Quemcumque enim post baptisma sive pravitas haeretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima
Augustinus. vitiorum ». Item Augustinus [4]: « Redire dimissa peccata, ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet in illo servo, a quo Dominus dimissum debitum petiit, eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere ». — His auctoritatibus innituntur qui
Opponitur. dicunt, peccata dimissa redire, si replicantur. — Quibus opponitur: si quis pro peccato, de quo poenituit et indulgentiam accepit, iterum punitur; non videtur iustum. Si punitur pro eo quod peccavit, et non emendavit, iustitia est aperta; si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia occulta. Videtur etiam Deus *bis in idipsum iudicare,* et *duplex tribulatio consurgere* [5]; quod Scriptura negat. —
Replicatur. Sed ad hoc potest dici, quod neque duplex tribulatio consurgit, neque iudicat Deus bis in idipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem et sufficientem poenam iterum puniret; sed non satisfecit digne et sufficienter qui non perseveravit. Debuit enim iugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed ad cavendum; debuit non *oblivisci omnes retributiones Dei,*
Dubium 2. quae tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones: tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua, ac pro illis usque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad *vomitum sicut canis rediit,* ante acta bona mortificavit et peccatum dimissum revocavit, ut, cui humiliato ante Deus peccatum dimiserat, eidem post elato et ingrato imputet.

Sed quia absonum videtur, ut peccata dimissa
Opinio 2. iterum imputentur; placet quibusdam [6], neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri; sed ideo dicuntur *dimissa redire* et imputari, quia propter in- Dubium 3.
gratitudinem ita reus et peccator constituitur, ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat dicitur *exigi,* quia remissionis perceptae ingratus ita reus fit, ut ante fuerat. — Utrique parti quaestionis probati favent do- Non solvit Magister.
ctores; ideoque alicui parti non praeiudicans, studioso lectori iudicium relinquo, addens, mihi tutum fore ac saluti propinquum sub mensa dominorum micas edere [7].

CAP. II.

Quid sit Sacramentum et res.

Post praedicta restat investigare, quid in actione poenitentiae sit *Sacramentum* et *res. Sacramentum* enim signum est sacrae rei; quid igitur hic *signum* est? Et quae est *res* sacra huius signi? — Quidam dicunt, *Sa-* Opinio 1.
cramentum hic esse quod *exterius* tantum geritur, scilicet exterior poenitentia, quae est *signum* interioris poenitentiae, scilicet contritionis cordis et humiliationis. — Quod si est, non omne Sacramentum evangeli- Obiectio 1.
cum id efficit, quod figurat; exterior enim poenitentia non efficit interiorem, potius interior causa est exterioris. — Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligen- Replicatur.
dum de illis Sacramentis, quae in novo testamento instituta sunt, ut est Sacramentum baptismi, confirmationis et corporis Christi. Sacramentum vero poenitentiae, sicut et coniugii, ante tempus gratiae, etiam a primordio humani generis fuit [8]. Utrumque enim institutum fuit in primis parentibus. — Item, si *exterior* Obiectio 2.
poenitentia Sacramentum est, et *interior* res Sacramenti, saepius praecedit res Sacramentum quam Sacramentum rem. — Sed nec hoc inconveniens est. Nam et in aliis Replicatur.
Sacramentis, quae efficiunt quod figurant, hoc saepe contingit.

Quidam autem dicunt, *exteriorem* poenitentiam et Opinio 2.
interiorem esse Sacramentum, nec duo Sacramenta, sed unum, ut species panis et vini non duo sunt Sacramenta, sed unum. Et sicut in Sacramento corporis, ita etiam in hoc Sacramento dicunt aliud esse *tantum Sacramentum,* scilicet exteriorem poenitentiam; aliud *Sacramentum* et *rem,* scilicet interiorem poenitentiam; aliud *rem* et *non Sacramentum,* scilicet remissionem peccatorum. Interior enim poenitentia et *res* est Sacramenti, id est exterioris poenitentiae, et *Sacramentum* remissionis peccati, quam et significat [9] et facit. *Exterior* quoque poenitentia et interioris signum est et remissionis peccatorum.

---

[1] Libr. IV. Dialog. c. 60; C. *Constat ex dictis* (2.), ibid.

[2] Serm. 83. (alias 15. de Verbis Dom.) c. 6. n. 7; C. *Dixit Dominus* (3.), ibid. Locus Scripturae est Luc. 6, 37. — Pro *sed ego* can. et Vat. *si ego.* — Seq. locus C. *Qui divini* (4.), ibid.; sententia fere occurrit in August., ibid.

[3] Libr. IV. in Evang. Luc. 11, 24; C. *Revertar in domum* (5.), ibid.; seq. locus ibid. v. 26; C. *Quaecumque enim* (6.), ibid. — Pro *incuriam* edd., exceptis Vat. 4, 6, *incautelam,* refragante canone.

[4] Libr. I. de Baptismo contra Donatistas, c. 12. n. 20; ad verbum in C. *Quomodo exaudit* (41.), de Consecrat. d. 4. § 6. — Inferius pro *redire, si replicantur,* solae edd., excepta 1, *si replicantur, redire simpliciter.*

[5] Nahum 1, 9. Vulgata: Consummationem ipse faciet, non consurget etc., cfr. supra d. XV. c. 1. De seqq. cfr. August., Enarrat. in Ps. 102. n. 3. 4. — Infra respiciuntur Ps. 102, 2, et II. Petr. 2, 22.

[6] Scilicet Hugoni, Sum. Sent. tr. 6. c. 13.

[7] Cfr. Matth. 15, 27.

[8] Cfr. De coniugio Gen. 2, 22, sed de poenitentia Gen. 3, 18. seqq. Cod. Erf. notat, quod 1. opinio fuit Gandolphi.

[9] Plures edd. et aliqui codd. *signat.*

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXII.

De damno confessionis omissae.

Cumque multis auctoritatibus supra sit assertum etc.

DIVISIO TEXTUS.

In particula praecedenti egit Magister de utilitate confessionis recte factae. In hac parte agit de damno confessionis omissae. Unde quaerit, utrum propter omissionem confessionis redeant peccata dimissa. Et habet haec pars quatuor particulas. In prima movet quaestionem. In secunda ponit unam opinionem cum sua confirmatione, ibi: *Qui vero dicunt, peccata dimissa* etc. In tertia solvit quae videntur facere contra praedictam rationem, ibi: *Illis auctoritatibus innituntur.* In quarta ponit aliam opinionem, ibi: *Sed quia absonum videtur, ut peccata* etc., ubi ponit aliam opinionem magis temperatam.

Post praedicta restat investigare. Haec est ultima pars huius partis, in qua agit de poenitentia, secundum quod habet rationem signi, quae fuit divisa contra totam partem [1]. Sunt autem in hac parte duae particulae secundum duplicem opinionem, quam ponit, quid sit in poenitentia signum, et quid signatum. Primam ponit ibi: *Post praedicta restat* etc. Secundam ibi: *Quidam autem dicunt, exteriorem poenitentiam* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur quantum ad primam partem de reditu peccati.

Secundo quaeritur de poenitentia in ratione Sacramenti, et hoc quantum ad secundam partem.

Tertio ad intelligentiam totius partis praecedentis quaeritur de poenitentia in ratione fundamenti.

Quantum ad primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum peccata redeant quantum ad maculam.

Secundo, utrum redeant quantum ad reatum.

ARTICULUS I.

De reditu peccati.

QUAESTIO I.

Utrum peccata dimissa redeant quantum ad maculam.

Quod autem redeant quantum ad maculam, videtur.

Ad oppositum. 1. Primae Petri quarto [2]: *Caritas operit multitudinem peccatorum;* sed remoto operimento, remanet et apparet illud quod cooperiebatur: si ergo peccatum sequens removet caritatem, videtur, quod peccata per ipsam dimissa facit in conspectu Dei apparere et esse.

2. Item, sicut se habet culpa ad mortificandum, ita se habet caritas ad vivificandum, et e converso; sed caritas subsequens vivificat opera sua mortificata [3]: ergo pari ratione culpa sequens facit redire mala prius deleta.

3. Item, peccati deletio est effectus gratiae immediatus; sed remota causa proxima et immediata, removetur effectus [4]: ergo remota gratia, privatur deletio culpae. Si ergo peccatum gratiam privat, per cuius actum est deletio peccati: ergo peccata priora remanent indeleta.

4. Item, ista duo sunt, quae per culpam constituuntur [5], scilicet deformitas et pronitas; sed possibile est, peccata priora redire quantum ad deformitatem

---

[1] Supra d. 17. p. I. *divisio textus.* Superius edd. et codd. falso *minus temperatam* pro *magis temperatam;* cfr. infra a. 1. q. 1. iudicium de 2. opinione.

[2] Vers. 8.

[3] Cfr. supra d. 14. p. II. a. 2. q. 3. — Post *opera sua* (codd. F U Z omittunt *sua*, pro quo codd. E M W aa *bona*) edd. addunt *prius.*

[4] Vide supra pag. 493, nota 6.

[5] Ita codd. K M R S T, in aliis et edd. minus bene *quae culpam constituunt.*

et pronitatem: ergo etc. *Probatio minoris:* deformitas consistit in deturpatione imaginis, pronitas in inclinatione ad actum aliquem secundum excessum; sed pronitas remanet post peccatum et potest per culpam sequentem intendi, et anima deformari: ergo etc.

Contra: 1. Nihil, quod omnino cedit in nonens, iteratur omnino idem [1]; sed culpa, cum deletur, omnino non est: ergo impossibile est, per sequentem actum eandem culpam numero renovari. *Fundamenta.*

2. Item, nihil reducit aliquid deletum ad *esse,* nisi quod potest facere *esse;* sed unus actus non facit nisi unam maculam sive culpam in anima: ergo impossibile est, plura genera peccatorum redire per unam culpam.

3. Item, contrarium non reducit ad *esse* suum contrarium [2]; sed possibile est, quod aliquis, qui primo peccavit per avaritiam, postmodum recidivet per prodigalitatem: si ergo prodigalitas non reducit avaritiam ad *esse,* patet etc.

4. Item, si peccata dimissa redeunt quantum ad culpam, aut ergo quia *homo* hoc facit, aut quia *Deus. Homo* non, quia non potest eodem peccato numero bis peccare; *Deus* non, quia neminem potest facere peccatorem [3]: ergo nullo modo hoc est: ergo etc.

CONCLUSIO.

Dimissa peccata nullo modo redeunt quoad culpam.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum opinio fuit, quod priora peccata redirent et priora demerita, sicut ostensum fuit supra [4], quod redeunt priora merita et reviviscunt per gratiam subsequentem. Dicebant enim, bona et mala quantum ad mortificationem et deletionem et quantum ad reditum et vivificationem pari passu ambulare, secundum illud quod Dominus dicit Ezechielis decimo octavo [5] de viro iusto, quod si se a iustitia avertit, omnium iustitiarum eius non recordabitur, et de peccatore resurgente, quod non recordatur iniquitatum. — Sed tamen illud non videtur intelligibile, quod eadem caritas amissa redeat, si est habitus creatus, nec quod eadem culpa similiter; si enim omnino deletur, non redit eadem, quae prius, sed nova. *Opinio 1.* *Improbatur.*

Et ideo fuit secunda opinio magis aliquantulum temperata, quod peccata non redeant nisi per *quatuor peccatorum genera,* scilicet per odium fraternum, per apostasiam, per contemptum confitendi, et per hoc, quod dolet, se poenituisse. Unde fecerunt versus: *Opinio 2.*

> Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
> Poenituisse piget; pristina culpa redit.

Ratio autem eorum praeter auctoritates, quae hoc dicere videntur et tanguntur in littera [6], fuit, quia Dominus remittit culpam sub quadruplici conditione, scilicet si ipse dimittat proximo, si perseveret in fide, si confiteatur culpam, si perpetuo detestetur culpam commissam. Et quoniam pactio frangitur, non existente conditione, quando aliquis peccat aliquo genere praedictorum peccatorum; dicunt, culpam redire. — Sed nec ista positio debet teneri, licet fuerit magni clerici, scilicet Praepositivi [7], quoniam non rectum habet fundamentum. Constat enim, culpam non deleri nisi per gratiam; constat etiam, ad praesentiam gratiae omnino deleri culpam. Si enim gratia praesens est, culpa omnino deleta est; quodsi deleta est et iam non est, nec est qui faciat, eam esse in anima; et ideo non videtur probabile, quod propter aliquam conditionem deficientem culpa dimissa iterum redeat. *Ratio.* *Improbatur.*

Et ideo est positio probabilis et recta, quam tenent moderni doctores, quod peccata dimissa nullo modo redeant quoad culpam. — Et concedendae sunt rationes quoad partem istam. *Opinio 3. et conclusio.*

1. Ad illud quod obiicitur primo de remotione operimenti, dicendum, quod aliud est operiri in conspectu *hominis,* aliud in conspectu *Dei.* In conspectu *hominis* cooperiri potest aliquid, ita tamen, quod propter hoc non desinit; sicut pictura operitur panno, non quia non sit, sed quia non apparet. In conspectu autem *Dei,* quem nihil potest latere, *operire* est facere, quod non sit [8]; et hoc modo caritas operit priora peccata delendo; et ideo, cum iam non sint, remoto operimento, non apparent. *Solutio oppositorum. Distinctio.* *Notandum.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod gratia vivificat opera mortificata; respondetur ad hoc, quod non est

[1] Vide supra pag. 339, nota 1. — Avicenna, Metaph. tr. 3. c. 4: Quod annihilatum est non reducitur.

[2] Aristot., VIII. Phys. text. 64. (c. 8.): Contraria mutuo se corrumpunt et impediunt.

[3] Cfr. II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1.

[4] Dist. 14. p. II. a. 2. q. 3. Cfr. etiam d. 15. p. I. q. 4.

[5] Vers. 24, ubi de iusto a iustitia se avertente, et v. 22, ubi de peccatore resurgente.

[6] Hic c. 1. Vide etiam Gratian., de Poenitentia d. 4.

[7] Sum. p. II. quaest., quae sic inscribitur: *Nunc de reditu peccatorum quaeritur, scilicet an peccata redeant,* ubi ait: Quidam dicunt, quod peccata non redeunt, sed dicuntur redire; quia quaedam ingratitudo inest isti, quae aequipollet omnibus istis peccatis... Nobis autem videtur generaliter verum, quod peccata non redeunt; sunt tamen casus, in quibus redeunt, scilicet *fraterno odio,* de quo habemus exemplum in servo nequam [Matth. 18, 32. seqq.], pro *apostasia,* ut in Iuda; pro eo quod quis *non vult confiteri* post contritionem, vel *satisfacere* post confessionem; et qui agit *poenitentiam poenitentiae* [a secunda manu additur *de quo*], ut dicit Ambrosius: Hoc maxime cavendum est, ne quis agat poenitentiam poenitentiae [II. de Poenitentia, c. 9. n. 86: Sed eos qui poenitentiam agunt, hoc solum poenitere non debet, ne ipsius poenitentiae agant poenitentiam]. Auctoritates ergo illae, quae dicunt, peccata *non redire,* ad generalitatem referendae sunt; quae dicunt, *redire,* ad casus exceptos.

[8] Cfr. supra lit. Magistri, d. XVIII. c. 4, verba August. in Ps. 31, 1: Beati... quorum *tecta* sunt peccata.

Differt tripliciter. simile, tum ex parte *gratiae,* tum ex parte *bonorum,* tum ex parte *divinae misericordiae.* Ex parte *gratiae,* quoniam ipsa est potentior ad bonum, quam culpa in malum. Ex parte *bonorum,* quia connexio est in bonis, et manent in unitate corporis mystici; non sic est in malis. Ex parte *divinae misericordiae,* quae « pronior est ad miserendum quam ad condemnandum [1] ». Et ideo non valet. — Alia solutio. Sed aliter potest dici, quod aliud est *bona opera mortificari,* aliud *peccata deleri.* Bona namque *opera mortificantur,* non quia esse desinant, sed quia reputantur indigna remuneratione aeterna propter indignitatem solam peccantis. Sed *peccata deleri* vere dicit peccati expulsionem et remotionem talis vitii ab anima. Unde sicut caritas, quae est habitus animae, nunquam eadem redit, si amittatur; sic nec culpa eadem redire potest.

3. Ad illud quod obiicitur de effectu immediato, dicendum, quod effectus habet comparari ad aliquam causam dupliciter: aut sicut ad *introducentem* et *conservantem,* ut lumen ad solem, et sic locum habet illa maxima [2]; aut sicut ad *introducentem solum,* et sic non habet locum. (Distinctio notanda.) Si enim cultellus infligit plagam, non oportet, quod destructo cultello, destruatur plaga. Sic in proposito est intelligendum, quod gratia in suo primo adventu facit, culpam, quam invenit in anima, amplius non esse.

4. Ad illud quod obiicitur de deformitate et pronitate, dicendum, quod *neutra* redit omnino eadem numero. Sed quamvis de *pronitate* aliquo modo possit esse verum; non intenditur tamen *deformitas,* quae est in privatione boni, et nota displicentiae eadem esse non potest; et haec est culpa, proprie loquendo, sicut planum est in secundo libro [3].

SCHOLION.

I. De duabus huius art. quaestionibus plura habet Gratianus (de Poenitent. d. 4.), et post eum illa aetate serio in utramque partem disputatum est. Guliel. Parisiens. (de Sacram. poenitent. c. 19.) diffuse probare nititur, peccata dimissa redire recidivo, non quidem quoad *culpam,* sed quoad *poenam,* sive propter legem iustitiae, sive propter ingratitudinem; denique sic concludit: « Summa omnium est, *poenas* peccatorum iam dimissorum redire *ex integro* de iure et iustitia, vel potius recidivantes peccatores redire et recidere in ipsas, quantum est de iure et iustitia meritorum ipsorum. Fines autem misericordiae Dei vel limites non hic et alibi praescribimus, sed immensitatem eius semper et veneramur et praedicamus ». De hoc Guilelmi loco dicit Dionys. Carth. (hic q. 1.): « Diligenti legenti formidinem incutit grandem; aliarum etiam opinionum solvit obiecta... hocque ad minus convincit, quod peccata vehementer, immo ineffabiliter aggravantur per recidivationem frequentem ». — Sed Guliel. Antissiod. (S. p. IV. tr. 6. q. 7. c. 6.), S. Thom. aliique posteriores consentiunt sententiae nostri auctoris quoad utramque quaestionem. (Cfr. etiam supra d. 14. p. II. a. 2. et 1. et hic dub. 3.).

De utraque quaestione: Scot., in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 1-4. — Petr. a. Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1-4. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., loc. cit.

QUAESTIO II.

Utrum peccata dimissa redeant quantum ad reatum poenae.

Secundo quaeritur, utrum peccata dimissa redeant quantum ad reatum. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Per textum Matthaei decimo octavo [4]: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi* etc.; et post: *Tradidit eum tortoribus, quousque redderet* etc.; et post: *Sic Pater vester* etc.: ergo Dominus debitum, quod dimiserat, iterum exigit: ergo etc.

2. Item, ponatur, quod aliquis ante completam satisfactionem cadat in culpam; constat, quod satisfacere non potest extra gratiam [5]; ponatur ergo, quod decedat; iste reatum secum portat, qui non potest solvi per poenam satisfactoriam: ergo punitur poena aeterna.

3. Item, quot peccata sunt isti dimissa, tot tenetur gratias agere, tot etiam tenetur detestari continue peccata; sed cum peccat uno peccato, omittit gratias agere et peccata detestari: ergo tot poenarum reus erit, quot prius erat [6].

4. Item, in legibus humanis servus manumissus redigitur in servitutem, quando dominum suum attrectat manu cruenta, vel pro alia enormi offensa [7]: ergo si leges istae a lege procedant aeterna,

---

[1] Vide supra pag. 333, nota 3. — De *secunda* ratione cfr. supra d. 14. p. II. a. 2. q. 3. in corp. [ubi etiam seq. solut. insinuatur], et III. Sent. d. 36. q. 1. seqq.; de *prima* cfr. Rom. 5, 15. seqq., et tom. II. pag. 920, nota 4.

[2] Scil. remota causa proxima et immediata, removetur effectus. Cfr. supra d. 21. p. I. a. 2. q. 1. ad 6.

[3] Dist. 32. a. 1. q. 1; d. 33. a. 2. q. 1; d. 34. a. 2. q. 3. et d. 35. per totam. — Codd. N aa addunt *per essentiam.*

[4] Vers. 32. 34. et 35: Sic et Pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis etc.

[5] Vide supra d. 15. p. I. q. 3. — Inferius pro *satisfactoriam* cod. A *temporalem.*

[6] Ut insinuatur hic in lit. Magistri, c. 1. — Pro *poenarum* cod. aa *peccatorum.*

[7] Vide Gratian. C. *Episcopus, qui mancipium* (58.), seqq. c. 12. q. 2, et Iustinian., Authent. *Ut libert. de ceter.* (collat. 6. tit. 6.) § Illud. Cfr. etiam C. VI. de Libertis et eor. lib. (tit. 7.) lex *Si manumissus* ingratus circa patronum suum exstiterit (2.). Idem Iustinian. in I. Institut. tit. 5. ait: Libertini sunt, qui ex iusta servitute *manumissi* sunt; manumissio autem est de manu

videtur, quod Deus similiter faciat: ergo ita recidivantem assidue reputat obligatum ad poenam, sicut prius reputabat.

Contra: 1. *Non iudicat Deus bis in idipsum,* Nahum primo[1], non ergo bis punit: si ergo aliquis pro peccato commisso poenituit et se punivit, videtur, quod amplius pro illo non puniatur, quantumcumque peccat alias: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, reatus poenae aeternae est inseparabiliter annexus culpae; sed culpa non potest redire[2]: ergo etc.

3. Item, si reatus peccatorum praecedentium redit, ergo nulla est in mundo utilitas, quod quis bene fecit et poenituit; sed hoc videtur impium dicere: ergo etc.

4. Item, *dona Dei sunt sine poenitentia*[3]: ergo si Deus aliquid condonat, non poenitet de condonatione: ergo non potest reatus redire, quem Deus dimisit vel a quo solvit.

CONCLUSIO.

Peccata omnino dimissa non redeunt per sequentem culpam nisi quoad poenam damni.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, peccata praecedentia redire quoad *reatum*, quia per culpam sequentem tot reatibus obligatur ad poenam, quot prius erat obligatus. Et ratio huius tangitur in littera[4]. Dicebant enim, quod quot peccata commiserat, tot vinculis obligabatur, cum veniebat ad poenitentiam, ut detestaretur praeterita mala; et ideo, cum peccat, omnia vincula rumpit: et ideo tot reatibus reus est, quot prius peccata commisit. — Sed illud nihil est: primum, quia sufficit una detestatione detestari cetera, nec tenetur simul et semel divisim detestari omnia[5]: ergo in uno non peccat nisi omissione unica.

Opinio 1.

Reprobatur.

Aliorum opinio fuit, quod peccata priora redeant per recidivum quantum ad *aequivalentiam*, pro eo quod ingratitudo, quae est conditio peccati, adeo aggravat peccatum, ut sit ita reus, sicut per omnia peccata praecedentia reus fuerat. — Sed illud adhuc non videtur[6]: primo, quia ingratitudo pensatur secundum quantitatem beneficii; sed maius beneficium praestat Deus conservando innocentiam quam revocando ad poenitentiam: ergo gravius peccavit, cum primo innocentiam perdidit, quam quando post recidivavit: ergo ingratitudo non facit, quod adeo sit peccatum grave, ut praecedentia. — *Praeterea,* ingratitudo ista est peccati *circumstantia* a parte *peccantis;* sed magis aggravat peccatum *libido* vel *genus* peccati, quam aggravat *circumstantia:* ergo nunquam propter ingratitudinem unum peccatum leve secundum genus aequipollebit peccatis praecedentibus gravibus et enormibus.

Opinio 2.

Non probatur.

Alia ratio.

Et ideo aliter dicendum, quod reatus est obligatio ad poenam, poena autem peccati duplex est, scilicet poena *damni* et *sensus.* Possumus ergo loqui de reatu peccati dupliciter: aut quantum ad poenam *damni*, aut quantum ad poenam *sensus.* Si autem quantum ad poenam *damni;* sic, quia *qui peccat in uno factus est omnium reus*[7], credendum est, quod peccata dimissa redeunt. Si autem loquamur quantum ad poenam *sensus;* sic distinguendum est: quia quaedam peccata sunt *omnino* dimissa quantum ad poenam et culpam, et talia nullo modo redeunt; quaedam autem dimissa sunt *in parte*, et de talibus fienda[8] est satisfactio. Et quoniam culpa sequens tollit potentiam satisfaciendi, quamdiu manet; per hoc ipsum iste obligatur ad supplicium aeternum, non ratione *sui principaliter,* sed ratione *annexi;* et sic intelligendum est, peccata redire. — Verum est tamen, quod aliquo modo aggravat culpam sequentem praecedens remissio, quia est ibi contemptus praestiti beneficii, non tamen ita, quod faciat aequivalentiam.

Opinio 3.

Poena duplex.

Conclusio 1.

Distinctio.

Conclusio 2.

Conclusio 3.

Corollarium.

1. 2. Ad illud quod obiicitur de auctoritate Matthaei, dicendum, quod altero horum modorum intelligendum est. Et similiter sequens obiectum patet, quia verum concludit.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de tentionibus, iam responsum est *per interemptionem*[9], quia non tot tentionibus tenetur, sed ea sola tentione, qua tenetur conteri.

4. Ad illud quod obiicitur de servo manumisso, dicendum, quod in legibus humanis illud fit ad cautelam et terrorem; et ideo non oportet sic in lege divina reperiri. — Rationes autem ad oppositum, quibus ostenditur, quod reatus non omnino redit, verum concludunt[10].

Ad fundam.

---

datio; nam quamdiu aliquis in servitute est, manui et potestati suppositus est, et manumissus liberatur potestate etc. — Leges humanas, dummodo iustae sint, fundari in lege aeterna, docet August., l. de Lib. Arb. c. 6. n. 15. (cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 26. m. 7.). — Circa finem arg. multi codd. omittunt *recidivantem*, post *assidue* supplentes *te*, codd. F G L U autem omittunt *assidue*.

[1] Vers. 9. Vide hic lit. Magistri, c. 1, ubi etiam lectio Vulgatae habetur. — Inferius pro *puniatur* codd. et ed. 1 *puniat*, scil. Deus.

[2] Ut ostensum est quaest. praeced.

[3] Rom. 11, 29: Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei.

[4] Hic c. 1. — Post *poenitentiam* cod. aa addit *necesse erat.*

[5] Cfr. supra d. 16. p. I. a. 4. q. 2. — Ex codd. G K substituimus *omnia* pro *omnino.*

[6] Edd. *illud non videtur verum.*

[7] Iac. 2, 10: Quicumque... offendat autem in uno etc.

[8] Cod. aa *facienda.* Aliquanto inferius pro *est tamen* edd. *est etiam.*

[9] Sive negationem; cfr. tom. I. pag. 87, nota 4.

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

ARTICULUS II.

De poenitentia in ratione Sacramenti.

Consequenter quantum ad secundam partem distinctionis quaeritur de poenitentia in ratione Sacramenti. Et cum ad rationem Sacramenti duo concurrant, scilicet institutio et significatio, de quibus duobus in littera [1] agitur; ideo circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur de poenitentia quantum ad institutionem.

Secundo, quantum ad significationem.

QUAESTIO I.

De Sacramento poenitentiae quoad institutionem.

Quantum ad primum quaeritur, utrum Sacramentum poenitentiae fuerit institutum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ita definit Hugo [2] Sacramentum: « Sacramentum est ex similitudine repraesentans, ex institutione significans » etc.: si ergo poenitentia est Sacramentum, patet etc.

2. Item, sicut Dominus praecepit baptizari, ita praecepit poenitentiam agere, sicut patet Matthaei quarto [3]; et sicut dicitur Ioannis tertio: *Nisi quis renatus fuerit* etc., ita dicitur Lucae decimo tertio: *Si poenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis:* ergo sicut praecipiendo baptizari instituit baptismatis Sacramentum, ita praecipiendo poenitere instituit Sacramentum poenitentiae.

3. Item, modus agendi poenitentiam in veteri lege fuit praefixus, sicut patet Levitici quarto et quinto [4], similiter in nova secundum sacerdotis arbitrium; sed talis modus non est ex naturae dictamine: ergo est ex institutione.

Ad oppositum. Contra: 1. Hugo de sancto Victore [5] dicit, quod in lege naturae nullum Sacramentum institutum est « sub praecepto, sed solum sub consilio »; sed poenitentia in lege naturae fuit sub praecepto, quia nemo sine ea unquam salvari potuit: ergo non fuit instituta.

2. Item, nullum Sacramentum indiget institutione, quod est ex naturali dictamine; sed poenitentia est ex naturali dictamine, quia naturaliter [6] dictat ratio, quod peccans et offendens debet per poenitentiae humilitatem reconciliari: ergo etc.

3. Item, omne Sacramentum, quod institutum est, variatum est; sed poenitentia semper fuit ab initio usque nunc, quantum ad contritionem et satisfactionem saltem: ergo non videtur per legem institutum.

Item, si institutum est Sacramentum, quaeritur, ubi et a quo. Si ibi, ubi dicitur, Matthaei quarto [7]: *Agite poenitentiam;* similiter institutum potest dici a Ioanne, qui praedicavit: *Poenitentiam agite,* Matthaei tertio. Si ibi, Matthaei octavo: *Vade, et ostende te sacerdotibus;* sed constat, quod intelligebatur de sacerdotibus legalibus. Si ibi: *Quorum remiseritis peccata,* Ioannis vigesimo; sed *contra:* ibi est institutum quod est ordinis sacerdotalis. Quaestiones.

CONCLUSIO.

Poenitentiae Sacramentum, quatenus est reconciliativum Deo, iam ante Legem aliquatenus insinuatum fuit; sed quatenus proprie est Sacramentum, a Domino est institutum et quoad materiale per Apostolos promulgatum.

Respondeo: Dicendum, quod de poenitentia est loqui dupliciter: aut prout est reconciliativa *Deo,* Distinctio. aut prout est non solum reconciliativa *Deo,* sed etiam *Ecclesiae.* Si loquamur de ipsa, prout Deo reconciliat, De 1. membro. sic est de dictamine legis naturalis, quae dictat conteri de peccato et humiliari debere, cum aliqua illustratione fidei [8]; et sic tale sacramentale potius Conclusio 1. habuit *insinuationem* quam *institutionem;* eo enim quod natura dictabat, *insinuari* sufficiebat.

Et aliqui voluerunt dicere, quod *insinuatum* fuit De insinuatione ante Legem opinio 1. ante lapsum in illo verbo, Genesis secundo [9]: *In qua-*

---

[1] Hic c. 2.

[2] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2. Cfr. supra pag. 13, nota 2. — Cod. aa *Sacramentum est materiale elementum, ex sanctificatione gratiam invisibilem conferens, ex similitudine* etc.

[3] Vers. 17: Exinde coepit Iesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite etc. Cfr. supra d. 3. p. II. a. 1. q. 1. in fine locc. de baptismo. — Seq. locus est Ioan. 3, 5; tertius Luc. 13, 5.

[4] In c. 4. agitur de modo offerendi hostias pro peccato sacerdotis, principis et multitudinis per ignorantiam commisso; in c. 5. pro peccato ex silentio veritatis etc.

[5] Libr. I. de Sacram. p. XI. c. 3. et 4. Cfr. supra d. 1. p. II. a. 1. q. 2. — De *minori* vide hic lit. Magistri, c. 2, et supra d. 17. p. II. a. 1. q. 1.

[6] Cod. G *naturalis.* Mox pro *peccans* cod. A *excedens.*

[7] Vers. 17. — Seq. locus est ibid. 3, 2; tertius ibid. 8, 4: Vade, ostende te sacerdoti; quartus Ioan. 20, 23.

[8] Vide supra d. 17. p. II. a. 1. q. 1. in corp. — Pro *cum* Vat. *tamen.* Mox pro *sacramentale* codd. E L M T U *Sacramentum.*

[9] Vers. 17: In quocumque enim die comederis etc. [Attingitur *peccatum,* respectu cuius est poenitentia].

Non probatur. *cumque die comederitis* etc. — Sed illud verbum videtur potius *minari supplicium* quam *instituere remedium.* Et *iterum,* cum poenitentia sit in *remedium* de sua institutione primaria, non videtur competens eius institutio, nisi ex quo coepit peccatum.

Et ideo est alia positio et melior, quod Dominus Opinio 2. tunc *insinuavit* et *instituit,* quando post peccatum Adam vocavit, Genesis tertio[1]: *Ubi es?* ubi dicit Glossa, quod monebat eum redire ad cor, iuxta illud propheticum: *Redite, praevaricatores, ad cor;* et multae Glossae, quae ibi ponuntur, hoc innuunt. Conclusio 2. Et sic patet, quod poenitentia, prout fuit Sacramentum reconcilians *Deo,* ibi fuit insinuatum, quantum pro illo tempore sufficiebat; et illa insinuatio cum naturali dictamine sufficiebat loco institutionis.

Est et alio modo loqui de poenitentia, secundum quod est Sacramentum Ecclesiae; et sic habuit De 2. membro cum distinctione. institutionem in lege scripta, sive Moysaica, sive Conclusio 3. evangelica. In lege *Moysaica,* quia nondum erat unitas perfecta nec perfecta reconciliatio, institutionem habuit secundum *imperfectionem,* scilicet quantum ad quandam generalitatem in determinatione oblationum, quae erant loco confessionis et satisfa- Conclusio 4. ctionis. In lege autem *nova,* ubi unitas ecclesiastica est perfecta et reconciliatio plena, instituta fuit secundum *statum perfectionis,* et quantum ad *formale,* quod est absolutio sacerdotalis et ligatio, et quantum ad *materiale,* quod est quidem lucida et aperta confessio non solum in *generali,* verum etiam in Conclusio 5. *speciali.* Et primum Dominus instituit per se et promulgavit, scilicet clavium potestatem, Ioannis vigesimo[2], post resurrectionem. Secundum vero institu- Conclusio 6. tum fuit per Apostolos, vel, ut melius dicam, *promulgatum,* quia Dominus Apostolos docuit, et ipsi a Domino docti et auctoritate ab ipso accepta, immo eius auctoritate promulgaverunt. Non enim nobis tradiderunt nisi quod a Domino, vel a Domini Spiritu acceperunt. — Et sic patet, *quando* et *quomodo* et *ubi* et *a quo* institutum est hoc Sacramentum. — Concedendae igitur sunt rationes hoc probantes.

1. Ad illud quod obiicitur, quod non fuit insti- Solutio oppositorum. tutum in lege naturae; dicendum, quod *proprie* institutum non fuit praecepto *disciplinae,* vel praecepto *sacramentali,* sed magis ex *praecepto naturali,* Notandum. ad quod illuminabat excitatio et visitatio Dei, qua homines increpavit in signo audibili et *increpat* spiritualiter *per dolorem in lectulo et omnia ossa hominis marcescere facit*[3].

2. Ad illud quod obiicitur, quod est ex naturali dictamine; dicendum, quod verum concludit secundum illam acceptionem; attamen, quia natura per se non sufficit, patet etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non est variatum; dicendum, quod in quantum est *Sacramentum Ecclesiae,* variatum est; et lex scripta aliquid *addidit*[4] supra illud quod erat naturalis dictaminis, et lex evangelica illud additum non evacuavit, immo magis *implevit* in addendo additione perfecta. — Quod quaeritur, ubi et a quo sit institutum, iam Ad quaestiones. patet ex praedictis.

SCHOLION.

I. « Dominus autem Sacramentum poenitentiae tunc *praecipue* instituit, cum, a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens: Accipite Spiritum S. etc. ». (Concil. Trident. Sess. XIV. c. 1.). Consulto dixerunt patres Concilii *praecipue,* cum plures *partes* huius Sacramenti etiam aliis temporibus vel praeceptae, vel saltem insinuatae sint. Hinc secundum Alex. Hal. (S. p. IV. q. 14. m. 1. a. 2. § 4.) Salvator *utilitatem* poenitentiae insinuavit in principio suae praedicationis (Matth. 4, 17.); *necessitatem* vero eiusdem Luc. 13, 5; similiter *potestas clavium* Petro fuit saltem *promissa* Matth. 16, 19; denique post resurrectionem institutio fuit *consummata.* Idem ita concludit: « Et sic poenitentia secundum suam *integritatem* habuit diversis institui *temporibus,* opportunitatibus et locis, secundum quod Ecclesiae progressui congruebat ». Similia docent S. Thom. aliique communiter. — In hac quaestione vera mens S. Bonav. quoad usum vocabuli *instituere* manifestatur, ut supra d. 18. p. I. a. 2. q. 1. in scholio observatum est.

De eadem quaestione praeter Alexandrum: Scot., IV. Sent. d. 2. q. 1. n. 4, d. 17. q. unica n. 29. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; S. III. q. 84. a. 7. — B. Albert., hic a. 10. 14. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. 5. — Durand., supra d. 14. q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

II. Quoad 2. quaestionem notanda est doctrina Concilii Florent. (Decret. pro Armenis) et Trident. (Sess. XIV. c. 3.), quae plura determinat: 1. « Sunt autem *quasi materia* huius Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio; qui, quatenus in poenitente ad *integritatem* Sacramenti ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, poenitentiae *partes* dicuntur » (Trident. loc. cit.). In aliis enim Sacramentis, exceptis poenitentia et matrimonio, *actus* Sacramentum *suscipientis* manifeste non sunt *partes* ipsius, sed tantum *dispositio.* — 2. Poenitentiae *forma,* « in qua *praecipue* ipsius Sacramenti *vis sita est,* in illis verbis posita est: Ego te absolvo » (ibid.). Non pauci, etiam inter eos qui non sequuntur sententiam Scoti mox referendam, virtuti clavium et absolutioni, quippe quae sit *forma, totam* vim Sacramenti tribuunt. Huic opinioni favent etiam verba S. Thomae in uno loco (S. III. q. 89. a. 1. ad 3.) et verba S. Bonav. (hic in corp.): « *Ratio causalitatis* residet penes id quod *formale* est »; qui similia habet supra d. 17. p. II. a. 1. q. 3. Tamen utriusque verba facile explicari possunt in sensu non ita exclu-

---

[1] Vers. 9. — De Glossa cfr. supra pag. 435, nota 1. Vide etiam Glossam apud Strabum et Lyranum in v. 10. seq., sumtam ex Gregor., II. Moral. c. 5. n. 6, et Isidor., Quaestiones in Gen. c. 5. n. 3, ubi dicitur, Deum his verbis vocasse Adamum ad poenitentiam. — Seq. locus est Isai. 46, 8.

[2] Vers. 22. seq. — De praecedentibus et seqq. cfr. supra d. 17. p. II. a. 1. q. 2. et 3. — Superius pro *quidem* edd. cum pluribus codd. *quaedam.*

[3] Iob 33, 19, ubi Vulgata *eius* pro *hominis.*

[4] Ita codd. IK in aliis et edd. *addit.*

sivo. — 3. « *Res* et effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo » (ibid.).

III. Haec ab omnibus Catholicis recepta sunt; sed in explicando modo, quo *actus poenitentis* concurrant ad Sacramentum, ut est signum efficax, et quo sint *quasi materia* et *partes* eiusdem, Scot. a Magistro aliisque antiquis disertis verbis recedit (supra d. 14. q. 4. n. 3, d. 16. q. 1. n. 7.) nec concedit, hos actus proprie *partes* essentiales huius Sacramenti dici posse, cum *essentia* eiusdem consistat in *sola absolutione;* tamen confessionem et contritionem *omnino* requiri asserit, et hoc sensu vocari [a Conciliis] *materiam* aut *quasi materiam proximam* poenitentiae. — Hanc opinionem sequuntur praeter nonnullos extra hanc scholam theologos plurimi Scotistae, sed non omnes; quorum quidam (ut Mastrius) Scotum sic explicare nituntur, ut inter utramque opinionem ipsa re non sit nisi lis de nomine; ita tamen ut modus loquendi antiquus sit tutior. — Quidquid autem sit de probabilitate huius opinionis, manifestum est et a commentatore Scoti (ed. Waddingi) conceditur, Alexandrum et S. Bonav. sequi doctrinam Magistri (cfr. etiam supra d. 16. p. I. dub. 1.); nihilominus cum Hauzeur (Collatio etc. II. col. 747 seq.) alii pauci utrumque ad partes Scoti trahere *frustra* voluerunt. Nec obstat, quod auctor noster passim istos actus nominet partes Sacramenti *integrales;* eodem enim vocabulo utitur respectu materiae et formae *omnium* Sacramentorum (Breviloq. p. VI. c. 7. 8. 11. et alibi).

De tribus, quae sunt in Sacramentis *(res tantum, signum tantum, res et signum)* cfr. d. 8. p. II. a. 2. q. 1. 2. et infra d. 26. a. 2. q. 1. — Etiam S. Thom. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.) docet, quod « interior poenitentia est *res* exterioris poenitentiae, sed ut *significata tantum* per actus poenitentis, ut *significata* autem *et causata* per actus eosdem, *adiuncta absolutione* ministri, per quam aliquo modo ad gratiam disponitur ». Hanc autem *causalitatem* actuum humanorum S. Bonav. extendit tantum ad *poenam,* non ad ipsam *culpam* delendam, secundum suum modum loquendi supra d. 18. p. I. a. 2. q. 1. in scholio explicatum. Hinc *signum tantum* est exterior poenitentia (confessio iuncta contritioni), *res et signum* interior poenitentia; quia, ut aliquid sit *signum* simul et *res,* non est necesse, quod res semper *efficienter fiat* a signo, sed sufficit, ut ab eo *significetur.*

IV. De eadem quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. m. 2. a. 1. 2. — S. Thom., loc. cit.; S. III. q. 84. a. 1. ad 3. — B. Albert., hic a. 5. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. 3. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

De Sacramento poenitentiae quoad significationem.

Secundo quaeritur de poenitentia quantum ad significationem, et quaeritur, quid sit hic *signum,* et quid *signatum.* Et videtur, quod poenitentia *exterior* significat interiorem, sic.

Fundamenta. 1. Sacramentum illud *significat* ex institutione, quod *repraesentat* naturaliter; sed poenitentia exterior naturaliter repraesentat interiorem: ergo illud significat ex institutione.

2. Item, sicut se habet baptismus corporalis ad spiritualem, sic poenitentia exterior ad interiorem; sed baptismus fluminis significat baptismum flaminis [1]: ergo et poenitentia exterior interiorem.

3. Item, poenitentia-Sacramentum liberat a naufragio [2]; sed impossibile est, peccantem actualiter a naufragio liberari nisi per poenitentiam interiorem: ergo poenitentia-Sacramentum in se continet eam; sed non in ratione signi: ergo in ratione signati.

4. Item, « poenitentia perfecta ad baptismi puritatem conatur reducere [3] »; sed peccator nunquam reducitur ad puritatem illam nisi per poenitudinem cordis: ergo poenitentia exterior interiorem significat.

Ad oppositum. Contra: 1. Hugo [4]: « Sacramentum est materiale elementum foris sensibiliter propositum, ex similitudine repraesentans »; sed exterior poenitentia non est talis, quia non est elementum: ergo non est Sacramentum nec signum.

2. Item, interior poenitentia est virtus, vel actus virtutis [5]; sed gratiae virtutum et Sacramentorum differentes sunt: ergo interior poenitentia non est res alicuius Sacramenti.

3. Item, quandocumque recte ordinantur signum et signatum in Sacramento, signum est *causa* signati, per definitionem Sacramenti superius [6] habitam; sed poenitentia exterior non est causa interioris, nec illa effectus, immo e converso: ergo etc.

4. Item, cum in perfectione poenitentiae tria sint, scilicet contritio, confessio et satisfactio [7]; quaeritur: ratione cuius dicitur *exterior,* et ratione cuius dicitur *interior?* Si dicitur *interior* ratione contritionis, et *exterior* ratione confessionis et satisfactionis; *contra:* ista non significant contritionem, sed potius voluntatem confitendi et satisfaciendi. Si dicitur *exterior* ratione *trium;* tunc ergo, cum sint tria diversa, erunt tria Sacramenta. *Si dicas,* quod uniuntur; quaero: quo genere unitatis uniuntur? Quaestiones.

CONCLUSIO.

Poenitentiae Sacramenti res *est peccati remissio perfecta;* signum *vero est humiliatio exterior secundum ecclesiasticam formam;* res *vero* et signum *est interior poenitudo.*

Respondeo: Dicendum, quod sicut in iudicando de *institutione* oportet iudicium variari de poeniten-

[1] Cfr. supra d. 4. p. II. a. 1. q. 1. et 3. — Edd. hic addunt *et hoc ex institutione.*

[2] Codd. N aa subiungunt *quia est secunda tabula post naufragium* (secundum Hieron.; cfr. infra a. 3. q. 2.).

[3] Ut dicit auctor libri de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 9. n. 24, supra lit. Magistri, d. XV. c. 7. allegatus.

[4] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2; cfr. supra pag. 13, nota 2.

[5] Ut ostensum est supra d. 14. p. I. a. 1. q. 1. — In fine arg. pro *alicuius* cod. Z *huius.*

[6] Lit. Magistri, d. I. c. 4, et Comment. p. I. q. 2. et 4. — Pro *Sacramento* Vat. *Sacramentum.*

[7] Secundum lit. Magistri, d. XVI. c. 1. — Circa finem arg. post *cum sint tria* cod. E addit *signa.*

Distinctio. tia, secundum quod est Sacramentum reconcilians *Deo*, et secundum quod reconciliat non solum *Deo*, sed etiam *Ecclesiae* [1]; sic et in proposito. Secundum Conclusio 1. namque quod est Sacramentum reconcilians *Deo*, pro *re* habet peccati remissionem; pro *signo* habet exteriorem humiliationem sive in habitu, sive in verbo; pro *re et signo* interiorem poenitudinem. Nec oportet, quod primum [2] sit causa medii, sed potius e converso, et hoc, quia est ex naturali dictamine; et ideo *procedit* exterius ab interiori, non exterius *facit* id quod interius est. — Sed in quantum est Sacramen- Notandum. tum *Ecclesiae*, institutionem habens, sic habet rationem *causae* et *signi*, sicut alia Sacramenta [3]; et ratio *causalitatis* residet penes id quod *formale* est, ratio vero *signi* penes id quod *materiale* est. *Materiale* autem in hoc Sacramento est humiliatio poenitentis sive quantum ad *actum contritionis*, sive quantum ad *verbum accusationis*, sive quantum ad *poenam satisfactionis*; *formale* vero est *absolutio sacerdotis*. Haec duo simul iuncta significant *poenitentiam interiorem*, secundum quod per ipsam est remissio culpae perfecta quantum ad *poenam* et quantum ad *culpam*; et quantum ad remissionem peccati quantum ad *culpam* habet rationem *signi* exterius Sacramentum, quantum ad remissionem *poenae* habet quodam modo rationem *causae* [4].

Et sic patet, quid in hoc Sacramento sit *res*, Conclusio 2. scilicet peccati remissio perfecta; et quid *signum*, scilicet exterior poenitentia secundum ecclesiasticam formam, in qua est humiliatio et absolutio; *res et signum* est interior poenitudo [5]. — Unde concedendae sunt rationes ad primam partem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est Solutio oppositorum. elementum; dicendum, quod Hugo valde large sumit *elementum* ad omne illud quod *exterius apparet* Aliter. *sensibus*. — Vel si approprietur ad *corporalia* Sacramenta, tunc non intelligitur nisi de Sacramentis propriis novae legis.

2. Ad illud quod obiicitur, quod gratiae virtutum differunt a gratia Sacramentorum; dicendum, quod verum est aliquo modo; sed non oportet quantum ad *essentiam*, sed sufficit quantum ad *effectum*, ut supra determinatum est in principio [6]; et sic est in proposito. Nam poenitentia interior est *res* exte- Notandum. rioris, secundum quod ultra rectitudinem virtutis addit ulteriorem effectum, scilicet remissionis perfectae quantum ad *culpam et poenam*, quando exterior est perfecta; et est simile in baptismo, ut visum est supra [7].

3. Ad illud quod obiicitur, quod interior est causa exterioris; dicendum, quod quia hoc Sacramentum partim est *naturalis dictaminis*, partim *institutionis*; ideo signum exterius quodam modo Notandum. *causatur*, et quodam modo *causat*. Nam detestatio interior, in quantum detestatio est, bene facit exterius hominem humiliari; sed secundum quod absolvit in integrum a culpa et poena, hoc habet ab exteriori absolutione et poenitentia. Et sic patet, quod convenientissime est ordinatio in *significando* et *causando*, secundum quod ei competit.

4. Ad illud quod obiicitur, ratione cuius illorum trium est *signum*; dico, quod ratione *omnium*; Solutio quaestionum. sumitur enim *contritio* pro exteriori gemitu. Nec tamen tria sunt Sacramenta, sed illa tria ut unum perfectum signum significant poenitentiam perfectam. Et hoc patet: quia, si vere poenitet corde, ergo Ratio. dolet, et hoc significatur per *gemitum contritionis*; ergo *detestatur culpam* et se redarguit, et hoc *significatur* per *verbum confessionis*; ergo habet *voluntatem emendandi*, et hoc significatur per *poenam satisfactionis*. Haec tria continet poenitentia interior, quae est una et vera virtus [8]; et ideo omnia signa exteriora in unum perfectum signum concurrunt et sunt unum Sacramentum et habent *unitatem Sacramenti*. — Et est modus specialis unitatis, cum Notandum. multi modi assignentur a diversis [9]. Et *si tu obiicias*, quod non sunt simul; dicendum, quod saltem quantum ad *propositum* sive voluntatis votum unum manet in alio, ut qui conteritur vere proponit confiteri et satisfacere; aliter non est contritio vera. Sic intelligendum est de aliis [10].

---

[1] Ex quaest. praeced., ad quam revocat cod. W, superius post *de institutione* addens *dictum est*.

[2] Scil. signum sive exterior humiliatio.

[3] Vide supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[4] Cfr. supra d. 18. p. I. a. 2. q. 1. et 2. — Cod. aa, superius pro *Sacramentum*, ponit: *scilicet contritio, quae ostenditur in signo, ut in gemitu et satisfactione et confessione*, et hic addit: *quantum ad absolutionem adiunctam ab ipso sacerdote habet rationem causae, quia virtute clavium poena diminuitur*.

[5] Scil. contritio, in quantum est dolor voluntarius de peccato cum voto confitendi et satisfaciendi (vide infra in fine quaest.) Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[6] Dist. 1. p. I. q. 6. Cfr. d. 14. p. I. a. 1. q. 1. et dub. 2.

[7] Dist. 3. p. I. a. 1. q. 1. in fine; lit. Magistri, d. IV. c. 1. seqq., et Comment. ibid. p. I. (praecipue a. 2. q. 2. seq.) et p. II. nec non d. 6. p. I. q. 2.

[8] Vide supra d. 16. p. I. a. 1. q. 2.

[9] Praeter auctores, qui III. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. allegantur, cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 13. § 2; Boeth., in lib. de Unitate et uno, qui assignat unitatem specialem sive *Sacramenti* (cfr. tom. III. pag. 896, nota 2.), quam tangit etiam August., II. contra Maximinum Arianum, c. 22. n. 3. Vide etiam supra d. 8. p. II. a. 2. q. 2. et explicationem eius infra d. 24. p. II. a. 1. q. 3. ad 3.

[10] Idem dicitur supra d. 16. p. I. dub. 1. in fine. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

ARTICULUS III.

De poenitentia, prout habet rationem fundamenti.

Consequenter ad intelligentiam omnium eorum, quae dicta sunt in hoc tractatu de poenitentia, quaeritur de poenitentia, secundum quod habet rationem fundamenti. Et circa hoc duo quaeruntur. Primo quaeritur de ratione fundamenti in se. Secundo vero, in relatione ad rationem tabulae.

QUAESTIO I.

Utrum poenitentia habeat in se rationem fundamenti.

Quantum ad primum ostenditur, quod poenitentia teneat rationem fundamenti.

1. Ad Hebraeos sexto [1]: *Non rursus iacientes* Fundamenta. *fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis.*

2. Item, Glossa [2]: « Quod prius dixit *inchoationis sermonem* nunc vocat fundamentum »; sed in sermone, quo eruditur veniens ad Christum, poenitentia est fundamentum; quod patet per illum excellentem doctorem Ioannem, qui praedicavit: *Agite poenitentiam;* patet etiam per Doctorem doctorum, qui incepit praedicationem suam ab hoc verbo, Matthaei quarto: *Agite poenitentiam;* Glossa: « Poenitentia est prima virtus », quia ibi dicitur: « Prima virtus est per poenitentiam perimere veterem hominem ».

3. Item, impossibile est domum Dei aedificare in corde, nisi destruatur aedificium satanae, et ipse expellatur; sed hoc primo fit per introductionem poenitentiae [3]: ergo videtur, quod poenitentia primo sternitur: ergo ipsa est fundamentum.

Contra: 1. Primae ad Corinthios tertio [4]: *Fundamentum aliud nemo ponere potest praeter id quod positum est, quod est Christus:* ergo si Christus solus est fundamentum; et poenitentia non est Christus: patet etc. Ad oppositum.

2. Item, ad Hebraeos undecimo [5]: *Fides est substantia sperandarum rerum;* Glossa: « Est fundamentum omnium bonorum »; sed non sunt duo fundamenta: ergo etc.

3. Item, poenitentia et impoenitentia sunt opposita; sed impoenitentia est *consummatio* aedificii diabolici: ergo non *fundamentum:* ergo *per oppositum* videtur, quod poenitentia sit *consummatio* aedificii Iesu Christi, non *fundamentum.*

Item, quaeritur de numero et ordine eorum quae ponuntur in fundamento ab Apostolo. Ponit enim duas *virtutes*, cum dicit [6]: *Non rursus iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum;* tangit enim duo *Sacramenta,* cum dicit: *Baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum;* duos *articulos fidei,* cum dicit: *Resurrectionis mortuorum et iudicii aeterni.* Cum multo plures sint *virtutes*, et multo plura sint *Sacramenta*, et etiam *articuli;* quaeritur: quare haec tantum enumerat? Quaestio incid. 1.

Item, quaeritur iuxta hoc, cum fundamentum dicatur *Christus,* primae ad Corinthios tertio [7]: *Fundamentum nemo aliud* etc.; dicatur etiam *poenitentia* in auctoritate praedicta; dicatur etiam *fides,* ad Hebraeos undecimo, in textu et Glossa; dicatur *caritas*, ad Ephesios tertio: *In caritate radicati et fundati;* dicatur *humilitas,* secundum Gregorium, qui dicit in Moralibus: « Totum ruinae crescit quod aedificas, si ante molem fabricae humilitatis fundamenta non curas »; dicatur *patientia,* secundum Prudentium dicentem: Quaestio incid. 2.

> Nam minor est virtus, quam non patientia firmat;

secundum quam communem naturam in his repertam dicitur potius *fundamentum* de his quam de aliis?

CONCLUSIO.

Poenitentia habet rationem fundamenti, secundum quod peccatori accedenti ad Christum removet prohibens.

Respondeo: Ad illud ultimum quaesitum intelligendum notandum, quod *fundamentum* dicitur Ad 2. quaest. incid.

---

[1] Vers. 1.

[2] Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Damasc. in hunc loc. ait: *Inchoationem* dicit *fundamentum... perfectionem* vero exstructionem. — Seq. textus est Matth. 3, 2; tertius ibid. 4, 17. De Glossa vide supra pag. 318, nota 1.

[3] Cfr. supra pag. 405, nota 8.

[4] Vers. 11.

[5] Vers. 1. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

[6] Hebr. 6, 1. — Inferius pro *tangit enim* Vat. *tangit etiam.*

[7] Vers. 11. — Seq. locus est Hebr. 11, 1; tertius Eph. 3, 17. — Verba Gregor., XXXIV. Moral. c. 23. n. 51, sunt: Soli ergo ruinae crescit quod aedificant, quia ante molem fabricae humilitatis fundamina non procurant (Vat. *proiicias).* — Versus Prudentii habetur in eius Psychomachia, v. 174 seqq.:

> Omnibus una comes virtutibus associatur
> Auxiliumque suum fortis patientia miscet.
> Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
> Virtus; nam vidua est, quam non patientia firmat.

(Alii distinguunt sic: ista. Virtus nam vidua etc.).

Duplex fundamentum. De primo. dupliciter: uno modo *locus*, in quo aedificium stabilitur, et hoc modo dicitur *Christus* fundamentum; et hoc bene notatur in Glossa, primae ad Corinthios Notandum. tertio[1], ubi dicitur, quod sicut totum aedificium *materiale* tendit *deorsum*, quia locus fundans est deorsum; sic *spirituale* aedificium tendit *sursum*, quia Christus Dominus, qui fundamentum est spiritualis aedificii, est sursum. — Alio modo dicitur De secundo tripliciter. *fundamentum* illud, secundum quod res locatur et stabilitur in suo *sustentaculo;* et hoc potest esse tripliciter: aut illud, per quod *prohibens removetur;* aut illud, per quod ibi *locatur;* aut illud, per quod *confirmatur et stabilitur.* Si est illud, per quod *removetur prohibens;* Poenitentia. sic est *poenitentia*, quae removet peccati immunditiam, super quam erat constructa machina diabolica. Si autem sit ut *collocans;* sed duo sunt in nobis, per quae nati sumus locari et tendere ad locum nostrum, scilicet *intellectus* et *affectus:* Fides et caritas. *intellectus* locatur in Christo per *fidem*, et *affectus* locatur et conglutinatur per *caritatem;* et ideo non tantum dicit Apostolus: *In caritate fundati,* verum etiam *radicati.* Si autem sit ut *defendens et roborans;* aut contra ventum *prosperitatis,* aut contra ventum *adversitatis:* si contra ventum *prosperitatis*, Humilitas et patientia. est *humilitas;* si contra ventum *adversitatis*, est *patientia* sive fortitudo. Et sic per hoc fundatur supra firmam petram[2] ipsa anima. Et sic patet, quod ratio *fundamenti* de omnibus dicitur secundum quandam *analogiam*, quae ortum et radicem habet in Christo.

Ad illud ergo quod quaeritur, utrum poenitentia Conclusio. sit fundamentum; dicendum, quod sic, accedenti ad Christum de regione dissimilitudinis sive peccati[3].

1. 2. Et patet responsio etiam ad illud quod Solutio oppositorum. obiicitur de fide et de Christo.

3. Ad illud ergo quod obiicitur de impoenitentia, dicendum, quod quia *privative* opponitur, et Notandum. in privative oppositis tenet *consequentia e contrario,* non *in ipso*[4], sicut patet in compositione rei et resolutione, quia quod est primum in componendo ultimum est in resolvendo; ideo haec ratio potius facit ad oppositum quam ad propositum.

Ad illud quod quaeritur de numero et ordine Ad 1. quaest. incid. eorum quae ponuntur in fundamento; dicendum, quod Apostolus, sicut dicit Glossa[5], vocat *fundamentum* sermonem inchoationis, id est sermonem, qui debet fieri his qui ad Christum sunt vocandi primo. In hoc autem sermone sex comprehendit, Sex necessario cognoscenda. quae habet necessario cognoscere, si quis vult ad legem Christianorum introire et per hanc ad vitam venire. Oportet enim volenti ad Deum pertingere, Tria principalia. quod sciat, *quo* debet tendere; et *adiutorium,* per quod potest pervenire; et *viam*, per quam debet incedere. *Terminus* est praemium, *adiutorium* est Sacramentum, *via* est virtus sive virtutis opus, quod est praeceptum; et haec tria scire oportet volenti ad Deum pervenire, secundum illud Hugonis[6], quod tria sunt maxime attendenda: «praecepta, Sacramenta, promissa». — *Via* igitur est in virtutibus; et quoniam Duplex est via. ad hoc, quod recta via procedat, necesse habet *declinare a malo* et *tendere in bonum*[7]; ideo duplicem ponit virtutem: unam, per quam declinatur a malo, et haec est *poenitentia;* aliam, per quam tenditur in bonum, et haec est *fides* tendens in Deum per dilectionem, quae *sequitur* poenitentiam quantum ad *tendentiam*, licet *antecedat* quantum ad *cognitionem.* — *Adiutorium* similiter oportet duplex Item adiutorium. saltem esse: unum, quod *liberat a malo,* et hoc est Sacramentum baptismi, in quo delentur peccata; alterum, quod *confirmat in bono,* et hoc est confirmatio sive manuum impositio. — Similiter *retributionem* Item terminus. duplicem oportet cognoscere, scilicet *bonorum* et *malorum: bonorum*, per resurrectionem mortuorum immutandorum[8] per gloriam; *malorum,* per iudicium aeternum.

Haec oportuit primo praedicari, et inter prima haec primo poenitentiam. Et sic patet *numerus* et *ordo;* et nostra etiam est instructio, qualiter docere debemus eos qui de novo veniunt ad legem Christi.

---

[1] Glossam exhibet Petr. Lombard. in explicatione v. 13-15: Sciendum quoque, quod sicut fundamentum corporalis fabricae est in imo, ita fundamentum spiritualis fabricae est in summo; ideoque, sicut parietum pondus tendit ad ima, ubi est suum fundamentum, ita spiritualis aedificatio tendit ad summa, ubi suum est fundamentum. Nam et ponderum gemina sunt genera, quorum alia ima petunt, ut lapis super aquam positus et aqua super oleum; alia vero summa petunt, ut ignis et oleum... Sic Ecclesia nunc in imo posita tendit ad caelum, ubi fundamentum eius est Christus, sedens ad dexteram Patris.

[2] Respicitur Matth. 7, 24. seq. et Luc. 6, 48.

[3] Vide supra d. 14. p. I. a. 2. q. 3.

[4] Explicationem vide tom I. pag. 822, nota 1, et tom. II. pag. 920, nota 5. — Aristot., III. Ethic. c. 3: Quod extremum est in resolutione in generatione esse primum videtur. — Cum edd. retinuimus *in compositione rei,* pro quo codd. vel *in destructione,* vel *in definitione,* vel *in distinctione.*

[5] Hebr. 6, 1. (Cfr. fundam. 2.), quae hanc rationem adiungit: eo quod ad christianam religionem venientibus prius proponitur, ut super hoc quod perfectionis est, aedificetur. Hoc fundamentum dividitur in sex, quae sunt: inchoatio seu poenitentia, fides, baptismatum doctrina, impositio manuum, resurrectio atque iudicium. Quicumque aliquos ad fidem convertit, prius facit poenitere, in Deum credere, baptizari in remissionem, confirmari per impositionem, resurrectionem et diem iudicii praestolari. — Inferius pro *sex* edd. *tria.*

[6] Libr. I. de Sacram. p. XII. c. 4, ubi docet, legem scriptam tria continere, scil. «praecepta, Sacramenta, promissa. In praeceptis est meritum, in promissis est praemium, in Sacramentis est adiutorium. Per praecepta eundum fuerat ad promissa». Cfr. eiusd. Sum. tr. 4. c. 2. — Cod. aa *Augustini.* Superius pro *virtus* multi codd. et ed. 1 *veritas,* plures codd. *caritas,* et pro *volenti* codd. F G *volentem.*

[7] Respicitur Ps. 36, 27: Declina a malo, et fac bonum. Cfr. Ps. 33, 15.

[8] Epist. I. Cor. 15, 51: Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. — Edd. *remunerandorum.*

SCHOLION.

Duas huius articuli quaestiones pauci explicite tractant. De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. IV. q. 14. m. 4. a. 1. 2. — S. Thom., supra d. 14. q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; S. III. q. 84. a. 6. ad 2. — Richard. a Med., supra d. 14. a. 10. q. 1. ad 1.

II. De 2. quaestione cfr. supra d. 14. p. I. dub. 1. — De eadem: Alex. Hal., loc. cit. a. 3. — S. Thom., supra d. 14. loc. cit. quaestiunc. 4; S. art. cit. — B. Albert., supra d. 14. a. 2. — Richard. a Med., supra d. 14. circa lit. — Dionys. Carth., supra d. 14. q. 2. circa med.

QUAESTIO II.

Utrum poenitentia habeat rationem tabulae.

Secundo quaeritur circa hoc de poenitentia sub ratione tabulae. Et primo videtur, quod ista duo non compatiantur se circa poenitentiam, scilicet *tabula* et *fundamentum:*

1. Quoniam fundamenti est subsistere, et tabulae est superefferri: ergo si poenitentia recte dicitur *fundamentum,* improprie a Magistro[1] *tabula* appellatur. *Ad oppositum.*

2. Item, Hieronymus super illud[2]: *Peccatum suum sicut Sodoma* etc.: « Secunda tabula post naufragium est peccati absconsio »; sed poenitentia consistit in peccati detectione: ergo etc.

3. Item, fundamentum est primum: ergo si poenitentia est fundamentum et est tabula, ergo est *prima* tabula: ergo male dicit Hieronymus, quod sit *secunda* tabula. — Videntur enim ista incompossibilia, quod sit *fundamentum,* et quod sit *secundum. Si dicas,* quod est *tabula,* secundum quod est Sacramentum, et *fundamentum,* secundum quod est virtus; *contra:* si est tabula[3] in quantum Sacramentum, ergo est *secundum* Sacramentum: ergo immediate de ipsa debet determinari post baptismum.

4. Item, tabula dicitur, quia liberat a naufragio; sed poenitentia liberat a naufragio secundum quod virtus: ergo est *tabula* secundum quod *virtus.*

Quaeritur ergo, secundum quem tropum dicatur tabula. *Quaestio incidens.*

CONCLUSIO.

Poenitentia secundum diversas acceptiones recte ut virtus dicitur fundamentum, et ut Sacramentum, tabula.

Respondeo: Dicendum, quod poenitentia, sive dicatur *fundamentum,* sive *tabula,* sub tropo dictum est, tamen secundum aliam et aliam acceptionem, secundum quam fit duplex translatio. *Conclusio.* Poenitentia enim est *virtus,* et sic competit ei ratio *fundamenti;* poenitentia *Sacramentum* est, et sic secundum hoc competit ei ratio *tabulae.*

Ratio autem huius est, quia *virtus,* ut vult Augustinus, de Quantitate animae[4], nihil aliud est quam « aequalitas mentis undique rationi consentientis »; unde est quaedam quadratura, per quam anima in spirituali aedificio collocatur. Et quoniam in hac collocatione poenitentiae virtus *primo* occurrit in aedificatione; ideo competit ei ratio primae partis aedificii, haec autem est fundamentum; et ideo poenitentiae virtuti rectissime aptatur nomen et proprietas *fundamenti*[5]. *Ratio. Quid virtus.*

Sed nomen et proprietas *tabulae* competit poenitentiae *Sacramento.* — Ad quod intelligendum oportet nosse, quid sit *mare,* quid *naufragium,* quid *navis* et quid *tabula. Mare* est praesens saeculum, secundum illud Psalmi[6]: *Hoc mare magnum* etc. — *Navis,* quae perducit ad portum salutis, est unitas ecclesiastica, de qua dicitur Sapientiae decimo quarto: *Transeuntes mare per ratem liberati sunt;* et Actuum vigesimo septimo: *Nisi in navi manseritis* etc. — *Naufragium* navis est per separationem et scissionem membrorum, secundum illud Iudae[7]: *Hi sunt qui segregant semetipsos* etc. — *Tabula* est adiutorium aliquod collatum, per quod possit ille qui est in periculo naufragii, sublevari a periculo peccati; et hoc est Sacramentum. — Et cum duplex sit peccati periculum, duplex et naufragium; duplex est Sacramentum liberans a duplici naufragio, scilicet a naufragio *originalis,* et hoc est *baptismus;* et quia originale est primum, ideo baptismus est *prima tabula.* Et secundum naufragium est per *actuale,* et quia ab hoc liberat *poenitentia,* ideo dicitur *secunda tabula*[8]. *Tropi 4. Duplex naufragium et Sacrament.*

1. Et sic patet, quod recte dicitur *fundamentum,* et recte dicitur *tabula,* secundum diversas acce- *Solutio oppositorum.*

---

[1] Supra d. XIV. c. 1. — Plures codd. *Hieronymo.*

[2] Isai. 3, 9, quem locum exponens dicit: Secunda enim post naufragium tabula est et consolatio miseriarum impietatem suam abscondere. — In fine arg. fere omnes codd. et ed. 1 *detestatione* pro *detectione* (cfr. supra pag. 439, nota 5, ubi idem occurrit).

[3] Codd. B E W *secunda tabula.*

[4] Cap. 16. n. 27. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3.

[5] Ut ostensum est quaest. praeced.

[6] Psalm. 103, 25. — Seq. locus est Sap. 14, 5; tertius Act. 27, 31: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.

[7] Vers. 19. Plurimi codd. et edd. omittunt *sunt.*

[8] Cfr. supra d. 14. p. I. dub. 1.

ptiones; et recte in quantum *virtus* dicitur *fundamentum*, recte in quantum *Sacramentum* liberans a naufragio dicitur *secunda tabula.*

3. Et sic patet illud argumentum: est secunda tabula: ergo secundum Sacramentum. Patet etiam *secundo*[1] obiectum de incompossibilitate horum duorum.

2. Ad illud ergo quod obiicitur de absconsione, dicendum, quod est absconsio per *hypocrisim* et per *poenitentiam veram*, quae totum remittit[2]. Et Hieronymus loquitur de absconsione secunda, quae fit per revelationem, non de prima.

4. Ad illud quod obiicitur, quod poenitentia liberat secundum quod virtus, dicendum, quod sicut fides supplet locum baptismi, ubi quis non potest baptizari[3]; sic poenitentia-virtus locum Sacramenti; attamen, quia hoc non habet nisi in articulo necessitatis, ut possit a naufragio liberare, Sacramentum autem habet de se: ideo ratio *tabulae* debet *Sacramento* attribui, non *virtuti*. Praeterea, *Sacramentum* respicit liberationem a malo sive a periculo, non sic *virtus;* et quia tabula sonat in rationem refugii et liberationis a malo naufragii[4] et periculo peccati: ideo magis competit Sacramento quam virtuti. — Et sic patet responsio ad obiecta omnia circa partem oppositam. Solum hoc diligenter attendendum est, quod quamdiu sumus in hoc mari, stringamus tabulam propter periculum evitandum a mari magno[5]. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *originalia reputabuntur ei ad poenam.* Videtur enim dicere falsum, quia originale est a naturali origine[6]; sed aliquis non bis potest nasci carnaliter: ergo non potest originale iterari. — Item, originale non est in uno nisi unum: ergo male dicit, quod redeunt originalia pluraliter. — Item quaeritur, utrum similiter possit dici, quod redeunt *venialia.* Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod in originali duo sunt, scilicet carentia debitae iustitiae et ulterius pronitas; non fiat vis, utrum ista duo differant secundum *rem*[7]. Ratione primi privat a visione Dei, sed ratione secundi frequenter in malum trahit; ratione utriusque dicitur quodam modo *redire,* quia pronitates intenduntur, et homo indignus visione Dei efficitur, et ita quodam modo redit in consimili reatu[8]. Notandum.

Quod ergo dicitur, quod non potest iterari; verum est in se. — Quod obiicitur, quod dicitur pluraliter; dicendum, quod hoc est ratione plurium pronitatum. — Quod quaeritur de veniali, dicendum, quod potest aliquo modo dici, sed adhuc magis *improprie* quam peccata alia. Est tamen ibi quodam modo ingratitudo[9]. Ad quaest. incid.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Tot debuit cogitare dona Dei* etc. Ex hoc enim videtur, quod ad tot gratiarum actiones teneatur quis, quot percepit beneficia; sed quilibet nostrum recipit quotidie innumerabilia beneficia: ergo ad innumerabiles tenemur gratiarum actiones. — Item, si ad tot tenemur gratiarum actiones, quot peccata sunt dimissa: ergo videtur similiter, quod si aliquis dedit alicui centum denarios, tenetur similiter centies gratias agere.

Respondeo: Dicendum, quod sicut de peccatis sufficit *conteri in communi*, ita quod omnia detestetur, ita tamen quod nullum placeat[10]; sic de omnibus sufficit *gratias agere in communi*, ita tamen, quod de nullo in speciali ingratus existat; et secundum quod plura sunt beneficia, maiores debet gratias agere; et per oppositum, si non agit, magis ingratus iudicatur esse. Et pro tanto dicitur, quod debet pro *omnibus* gratias agere, non ita, quod pro quolibet divisim suam oportet gratiarum actionem Notandum.

---

[1] Id est secunda ratio contra horum compossibilitatem.

[2] Prov. 28, 13: Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea misericordiam consequetur. Cfr. supra d. 17. p. II. a. 1. q. 1. ad 2. pro parte negativa.

[3] Cfr. supra d. 4. p. II. a 1. q. 1. et dub. 4. nec non pag. 432, nota 4.

[4] Codd. F G omittunt *naufragii*, codd. E L W legunt *a naufragio.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Secundum Anselm., de Conceptu virg. et orig. pecc. c. 1. — In *minori* respicitur Ioan. 3, 4. — Inferius pro *in uno* edd. *ab uno.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 30. a. 2. q. 1.

[8] Cfr. II. Sent. d. 32. a. 1. q. 1. seq. et d. 33. a. 2. q. 2, ubi etiam solut. seqq. obiect. habetur. — Superius pro *et homo* plurimi codd. et edd. *et huiusmodi,* pro quo in cod. X secunda manus substituit *et ratione huiusmodi.* Inferius pro *quod hoc est* cod. G *quod hoc verum est.* Circa finem solut. pro *quod potest* non pauci codd. perperam vel *quod non potest,* vel *quod non habet.* Subinde pro *Est tamen* edd. *Est enim.*

[9] Vide supra a. 1. q. 2. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 2. seq.; S. Thom., hic q. 1. a. 3. et circa lit.; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[10] Cfr. supra d. 16. p. I. a. 4. q. 2.

exhibere, sed quanto plura fuerint, magis accusant ingratum de ingratitudine et faciunt dignum increpatione [1].

DUB. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *propter ingratitudinem ita reus et peccator constituitur, ut ante fuerat;* utrum scilicet ista ingratitudo dicatur *genus peccati*, vel *circumstantia.* Si *genus;* videtur tunc, quod necessario quilibet peccet duplici genere peccati in quolibet peccato, quia quilibet immemor est beneficii accepti, cum Deum offendit. Si *circumstantia* solum; non videtur ita aggravare peccatum. — Item, quod non tantum sit circumstantia, videtur, quia gratiarum actio est actus virtutis, quae est gratitudo [2]: ergo ingratitudo est speciale vitium.

RESPONDEO: Dicendum, quod ad hoc, quod aliquis sit *vere gratus*, duo requiruntur, scilicet quod Notandum. pro loco et tempore sit *memor* beneficiorum ad gratias agendum, et quod sit *promptus* ad obsequendum et ad reddendum bonum pro bono. — Similiter Duplex ingratitudo. *ingratitudo* dupliciter dicitur: uno modo *oblivio* beneficii cum contemptu, ut puta, quando est locus et tempus agendi gratias et recognoscendi; et sic est peccatum *speciale* contentum sub omissione. Alio modo dicitur ingratus qui recipit bonum et *reddit malum*, et haec est circumstantia peccati; et sic est in omni peccato, et tanto magis aggravans, quanto homo plura bona percepit [3].

DISTINCTIO XXIII.

CAP. I.

De Sacramento unctionis extremae.

«Praeter praemissa est etiam aliud Sacramentum, Dubium 1. scilicet unctio infirmorum, quae fit in extremis oleo per episcopum consecrato [1]». «Et sunt tria genera unctionis».

CAP. II.

De tribus generibus unctionis.

«Est enim unctio, quae fit chrismate, quae dici-Dubium 2. tur principalis unctio, quia in ea principaliter Paraclitus datur. Unde et propter abundantiam gratiae duos liquores mixtos habet, oleum scilicet et balsamum, oleum conscientiae, balsamum famae. *Chrisma* [2] vero Graece, *unctio* dicitur Latine. Nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum *chrisma* vocatur, sed illud solum, quod miscetur cum balsamo, quo capita regum et pontificum unguntur, quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, et pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. Est et alia unctio, qua catechumeni et neophyti unguntur in pectore et inter scapulas in perceptione baptismi. Tertia vero unctio est, quae dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur».

CAP. III.

A quibus fuerit hoc Sacramentum institutum.

«Hoc Sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus [3]: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* In quo ostenditur duplici ex causa Sa-Dubium 3. cramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem et ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat, eum qui hanc unctionem fideliter devoteque percipit, et in corpore et in anima alleviari, si tamen expedit, ut in utroque allevietur. Quodsi forte corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quae est animae sanitatem in hoc Sacramento acquirit». «Et sicut in aliis Sacramentis, ita et in isto aliud est *Sacramentum*, aliud *res Sacramenti. Sacramentum* est ipsa unctio exterior, *res Sacramenti* unctio interior, quae peccatorum remissione et virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu, vel negligentia Sacra-Dubium 4. mentum hoc praetermittitur, periculosum est et damnabile».

---

[1] Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 4.

[2] Cfr. tom. III. pag. 728, nota 2, ubi ex Cicerone *gratia* sive gratitudo, qua redditur debitum benefactoribus, inter partes *potentiales* iustitiae enumeratur.

[3] Idem dub. solvunt S. Thom., hic q. 1. a. 2. et circa lit.; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. et circa lit. Cod. B hic plura nullius fere momenti addit, quibus complectitur dicta supra a. 1. q. 1. et nonnulla verba Magistri litteraliter explicat.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Hugo a S. Vict., Sum. Sent. tr. 6. c. 15. Seq. locus cum toto c. 2. est eiusdem, II. de Sacram. p. XV. c. 1; etiam locus tertius (c. 3.) est ibid. c. 2.

[2] Graece χρῖσμα.

[3] Cap. 5, 14. 15. Seq. locus iterum est ex Hug., Sum. Sent. tr. 6. c. 15.

Cap. IV.

De iteratione huius Sacramenti.

Quaerunt aliqui, si hoc Sacramentum iterari possit, cum baptismus et alia quaedam Sacramenta semel suscepta non iterentur. Augustinus. Augustinus dicit[1], « Sacramentum non iterandum, et Sacramento non esse faciendam iniuriam »; sed hoc dicit, ubi agit de Sacramento baptismi et ordinationis. Unde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de Sacramento baptismi, confirmationis et ordinationis, quae nullatenus repetenda sunt, quia semel tantum et non saepius datur baptismus, confirmatio et ordinatio. Sacramentum vero altaris et poenitentiae et coniugii saepe iterari videtur; quia saepe Sacramentum corporis percipitur, frequenter poenitentia agitur, coniugium saepe contrahitur. Quare ergo unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteretur; si vero morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita et unctio iterari posse videtur; utraque enim illic commemorat Iacobus, et utrumque alteri cooperatur ad conferendam alleviationem corporis et animae. Cur ergo negetur, unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam saepius sanitatem mentis et corporis, cum propter idem[2] saepe iteranda sit oratio? — Opinio aliorum. Quidam autem de omni Sacramento intelligi volunt, quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud, quod pertinet ad Sacramentum, dicentes, quaedam Sacramenta saepius posse suscipi, quaedam vero non; nec tamen quae saepius sumuntur totaliter iterantur, ut Sacramentum altaris et unctionis, quae licet saepius sumantur, tamen, quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur Sacramentum cum iniuria. — Sed dicet quis: Obiicitur. sic et baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. — Sed aliud est, inquiunt illi, de benedictione Replicatur. aquae, qua fit baptismus, aliud de benedictione panis et olei. Potest enim baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta, quia illa benedictio pro reverentia tantum fit et decore, non virtute Sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici nisi de pane consecrato[3], nec unctio illa fieri potest nisi de oleo ab episcopo consecrato; ideoque illa sanctificatio ad virtutem Sacramenti pertinere videtur. In coniugio quoque semel tantum benedicitur quisque, non saepius. Benedicitur enim, ut ait Ambrosius[4], cum prima et non cum se- Ambrosius. cunda uxore. Si igitur, cum dicitur, Sacramentum non esse iterandum, nec iniuria ei facienda, rationem dicti referas ad sanctificationem *rei*, qua Sacramentum expletur; de omni Sacramento generaliter id verum est. Si vero ad susceptionem *Sacramenti*, de quibusdam Resolutio. verum est, quod non iterantur crebra susceptione, de aliis vero quibusdam non, quia frequenter sumuntur, ut hoc unctionis Sacramentum, quod in omni pene Ecclesia saepe repetitur.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIII.

De Sacramento extremae unctionis.

Praeter praemissa est etiam aliud Sacramentum, scilicet unctio infirmorum.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinatum est de quatuor Sacramentis. Haec est quinta pars, in qua agitur de quinto, scilicet de unctione extrema. Dividitur autem haec pars in duas. In prima agitur de huius Sacramenti institutione. In secunda de instituti dispensatione. Et hoc, ibi: *Quaerunt aliqui, si hoc Sacramentum.*

Prima pars duas continet. In prima distinguit hanc unctionem ab aliis. In secunda determinat causas suae institutionis, scilicet *a quo* institutum et *propter quid* et *in qua materia,* et hoc ibi: *Hoc autem Sacramentum unctionis infirmorum* etc.

Similiter secunda pars principalis duas habet secundum duas opiniones, quas ponit circa frequentationem sive iterationem Sacramenti. Et primum modum ponit ibi: *Quaerunt aliqui* etc. Secundum vero modum ponit ibi: *Quidam vero de omni Sacramento.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae Magister determinat de unctionis Sacramento, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de ipso quantum ad ipsius institutionem.

Secundo, quantum ad usum sive dispensationem.

Quantum ad primum quaeruntur quatuor.

Primo, de causa eius finali.

Secundo, de efficiente.

Tertio, de materiali.

Et quarto, de formali.

---

[1] Libr. II. contra Epist. Parmenian. c. 13. n. 28. Etiam praecedens propositio est ex Hug., II. de Sacram. loc. cit. c. 3.

[2] Plures edd. *infirmitatem eadem.* — Etiam haec et alia ex Hug., locc. citt., sumta sunt, saltem secundum sententiam.

[3] Codd. A B C D *sanctificato.*

[4] In I. Cor. 7, 44. (inter eius opera), et I. Tim. 5, 3.

ARTICULUS I.

De institutione extremae unctionis.

QUAESTIO I.

Utrum Sacramentum extremae unctionis principaliter sit ordinatum ad morbum corporalem, an ad spiritualem.

Quantum ad finem quaeritur, utrum istud Sacramentum *principaliter* sit ordinatum ad morbum corporalem, an ad spiritualem. Et quod ad *corporalem*, videtur:

Pro 1. parte. 1. Ex eius institutione, Iacobi quinto [1]: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros* etc., et post dicit, infra: *Oratio fidei salvabit infirmum.*

2. Item, Marci sexto [2]: *Ungebant oleo multos infirmos, et curabantur*; si ergo utebantur hoc Sacramento, secundum quod dicitur in Glossa, et hoc ad curationem infirmantium corporaliter: ergo principaliter videtur ad hoc ordinari.

3. Item, Sacramentum ad illud finaliter ordinatur, propter quod principaliter dispensatur; sed illud [3] principaliter dispensatur propter infirmitatem corporalem, quia nunquam datur nisi existentibus in gravi infirmitate corporali: ergo videtur, quod principaliter sit ad hoc.

4. Item, si est contra infirmitatem sicut medicina, quaero, contra quam; aut contra *corporalem*, aut contra *spiritualem*. Si contra *spiritualem;* cum non sit contra actuale mortale [4] nec originale, erit contra veniale; sed veniale quolibet die iteratur: ergo et hoc Sacramentum. Sed hoc Sacramentum non datur frequenter, sed rarissime: ergo non est contra peccatum veniale: ergo est contra infirmitatem *corporalem. Si tu dicas*, quod est contra peccatorum *sequelas; quaero:* aut contra *aliquas determinate*, aut contra *omnes*. Si contra *aliquas;* quare non similiter contra alias? Si contra *omnes;* cum sint diversae secundum diversitatem morborum, videtur, quod debeant diversa ad hoc esse Sacramenta.

Pro 2. parte. Contra: 1. Quod non sit ad morbum *corporalem* curandum *per se*, videtur: quia Sacramenta novae legis in digne suscipientibus efficiunt quod significant [5]: si ergo viri sancti digne suscipiunt Sacramenta, ergo haberet unctio semper in eis efficaciam sanandi: ergo viri sancti nunquam morerentur.

2. Item, multi sunt viri perfecti, qui secundum Pauli exemplum desiderant *dissolvi et esse cum Christo* [6]*:* si ergo Sacramentum unctionis ordinatur ad vitam corporis conservandam, ergo a talibus nullo modo debet suscipi.

3. Item, Sacramentum est medicina *spiritualis:* ergo sicut medicina *corporalis* sanat solum morbum corporalem et ad hoc est principaliter et universaliter, ita videtur, quod medicina *spiritualis* curet solum morbum spiritualem, ita quod ad hoc sit universaliter et totaliter et principaliter.

4. Item, si unctio sanat morbum corporalem, aut per virtutem *naturalem*, aut per virtutem *supra naturam*. Non per virtutem *naturalem;* hoc constat, quia operatio Sacramentorum non est secundum virtutes naturales elementorum exteriorum: ergo per virtutem *supra naturam;* sed illa aeque potest in infirmitatem incurabilem ut curabilem: ergo videtur, quod istud Sacramentum liberaret [7] a lepra; sed hoc est falsum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Extrema unctio principaliter est ad curationem et alleviationem infirmitatis spiritualis, scilicet peccati venialis, et per accidens ad curationem et alleviationem infirmitatis corporalis.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum opinio fuit, quod Sacramentum istud principaliter est ordinatum contra *sequelas* vel reliquias peccati, quae gravant, quae relictae sunt tam ex originali quam ex actuali; quae quidem reliquiae sunt poenae spirituales, habentes tamen frequenter poenas corporales annexas propter sui expurgationem: et ideo principaliter hoc Sacramentum est contra *poenam spiritualem*, sed ex consequenti est ad sanandum *morbum corporalem*. — Sed contra hoc est Opinio 1. Non probatur.

---

[1] Vers. 14. — Seq. locus est ibid. v. 15.

[2] Vers. 13, ubi Vulgata *aegros* pro *infirmos*. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum sumta est ex Beda, qui (in hunc loc.), recitatis verbis Iac. 5, 13, ait: Unde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet aegroti ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato.

[3] Cod. F *hoc*.

[4] Ita codd. E O U, alii cum edd. tantum *actuale*, codd. R S T *mortale*. Eadem diversitas lectionum occurrit supra pag. 472, nota 8.

[5] Ut insinuatur supra lit. Magistri, d. IV. c. 1.

[6] Philip. 1, 23.

[7] Edd. *liberet*, cod. F *curaret*. Superius pro *ut curabilem* multi codd. *ut incurabilem*.

quod dicitur Iacobi quinto [1] in institutione istius Sacramenti: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei:* ergo istud Sacramentum est ordinatum contra aliquem *morbum peccati;* et hoc ipsum tangitur in Glossa. Et cum non sit contra originale nec contra mortale, relinquitur, quod sit contra peccatum *veniale.* Et hoc communis opinio tenet.

Opinio 2. et conclusio 1.

Sed notandum, quod de *veniali peccato* est loqui dupliciter: aut prout est quis in *statu viae,* aut prout est in *egressu.* Si prout est in *statu viae* sive in itinere, sic morbus venialis est quasi inseparabilis et [2] quadam necessitate iterabilis, ac per hoc quodam modo incurabilis. Et ideo non debuit contra ipsum aliqua medicina specialiter et principaliter ordinari; immo quodam modo omnia Sacramenta valent ad eius curationem secundum plus et minus. — Si autem loquamur, prout anima est in *statu egrediendi;* sic potest [3] curari sine *iteratione;* et sic, cum anima possit trahere talia cremabilia, quae retraherent a gloria, instituit divina misericordia remedium, quo anima curari posset quantum ad remissionem *culpae* et etiam partis *poenae;* et hoc est Sacramentum unctionis extremae.

Distinctio.

Conclusio 2.

Modus autem curandi veniale peccatum in hoc Sacramento respondet modo infirmitatis. Veniale autem peccatum gravat animam deprimendo deorsum, ut non ita intendat in Deum per devotionem et amorem, pro eo quod est ibi conversio inordinata ad commutabile bonum, et pro eo quod est minor amor Dei, sicut tangit Augustinus in libro Confessionum [4]; et ideo, cum curatio directe sit per contrarium, per illud curatur, quod animam aggravatam per devotionem sursum elevat. Et quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam* [5]*;* cum illud Sacramentum sit ad elevandam animam per devotionem, in qua anima recipit vigorem quendam, in quo semper est deletio venialium, si sunt in anima, et per consequens repressio molestiarum corporalium, si expedit ipsi animae: hinc est, quod istud Sacramentum *principaliter* est ad curationem et alleviationem infirmitatis *spiritualis,* scilicet peccati venialis, et *per accidens* est ad curationem et alleviationem infirmitatis *corporalis,* quodam modo roborando [6] animam, quae regit corpus.

Notandum.

Conclusio 3.

Et sic patet, quid sit in hoc Sacramento *res tantum,* quid *signum,* et quid *res et signum. Signum tantum* est unctio exterior, *res tantum* est venialis curatio, *res et signum* ipsa in anima devotionis excitatio, quae non est aliud quam quaedam spiritualis unctio [7]. — Concedendae igitur sunt rationes probantes, istud Sacramentum valere ad infirmitates corporales curandas. Concedendae etiam sunt rationes probantes, quod non valet *principaliter* contra illas, quoniam solum *per accidens* et *ex consequenti* valet, ut prius ostensum est.

Quid hic res, signum, res et signum.

Ad argg.

3. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non datur nisi in statu infirmitatis; dicendum, quod non est propter infirmitatem, sed propter hoc, quod appropinquat egressui, in quo possunt venialia perfecte curari. Et quod istud sit verum, patet, quia quantumcumque quis infirmetur, non datur ei hoc Sacramentum, nisi praesumatur, quod moriatur, vel quod sit in articulo mortis. Et si constaret nobis de aliquo, quod liberaretur sive liberandus sit, non deberet dari ei hoc Sacramentum, sicut patebit inferius [8].

Ad argg. pro 1. parte.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de veniali, quod quotidie iteratur; patet iam responsio: quia non datur hoc Sacramentum contra illud peccati genus nisi in statu, in quo praesumitur, quod liberetur et a culpa et a peccandi necessitate.

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod non valet *principaliter* [9]*;* dicendum, quod verum est, et hoc innuit ipsa forma orationis, in qua non fit mentio nisi de remissione peccatorum.

Ad argg. pro 2. parte.

3. Quod tamen obiicitur, quod nullo modo debet valere, *a simili,* quia corporalis medicina non sanat spiritualem morbum; dicendum, quod non est simile, quia spiritus continet corpus — unde passiones animales multum redundant in carnem, unde Sapiens [10] dicit: *Spiritus tristis exsiccat ossa* — ideo non est mirum, si tranquillatur anima et vigoratur et laetificatur, si etiam hoc redundat ad corpus. Et sic hoc Sacramentum respectum habet ad corpus relevandum propter alleviationem spiritus.

Notandum.

4. Ad illud quod quaeritur: per quam virtutem hoc facit? dicendum, quod per virtutem *supra naturam;* sed illa operatur secundum divinam institutionem, quae noluit per hoc Sacramentum prodere

Notandum.

---

[1] Vers. 15: Et si in peccatis sit etc. — Strabus et Lyranus in hunc loc. exhibent ut Glossam *ordinariam* verba Bedae, in quibus pro remissione peccatorum respicitur etiam *confessio.* — Superius non pauci codd. omittunt *principaliter.*

[2] Ita plures codd., alii et edd. *vel,* codd. E R S T *sed,* cod. V *sed et,* cod. Y *sed in.* Mox pro *incurabilis* codd. R S T *curabilis.*

[3] Ita codd. F G V aa, scil. morbus, in aliis et edd. *possunt.*

[4] Libr. X. c. 29. n. 40. Cod. aa verba August. addit: Minus te amat qui tecum aliquid amat quod propter te non amat (cfr. supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3. fundam. 3.). — De seq. propos. vide supra pag. 37, nota 4.

[5] Sap. 9, 15. — De deletione venialium per vigorem devotionis cfr. supra d. 21. p. I. a. 1. q. 2.

[6] Ita codd. E L Y bb, cod. A *relevando,* cod. F *tranquillando,* cod. G *sublevando,* alii *tolerando,* edd. *ad vigorandam.* — Cfr. Glossa *interlinearis* in Iac. 5, 14. apud Lyranum.

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 3, et Innocent. III. in C. *Cum venisset ad Apostolicam sedem* (1.), X. de Sacra unctione (lib. I. tit. 15.).

[8] Art. 2. q. 2. — Pro *sive liberandus sit* [cod. E *esset*] non pauci codd. perperam *si non liberandus sit,* edd. *ab infirmitate.*

[9] Supple: ad infirmitates corporales curandas. — De *forma* orationis pro hoc Sacramento cfr. infra q. 4.

[10] Prov. 17, 22. — Aristot., I. de Anima, text. 90. (c. 5.): Videtur enim contra magis anima corpus continere; egrediente enim exspirat et putrescit. — Pro *animales* Vat. *animae spirituales.* Inferius pro *respectum habet* cod. F *valet.*

secretum fidei [1], et ita nec secundum legem communem ab infirmitatibus incurabilibus liberare. Et *iterum*, in hoc Sacramento aliquid est *naturale*, aliquid *supra naturam*. Effectus namque, qui est in *spiritu*, est supra naturam, sed quod ille redundet *in carnem*, istud naturale est, secundum quod in Psalmo [2] dicit homo devotus: *Sitivit in te anima mea* etc.; et iterum alibi: *Refloruit caro mea* etc.

SCHOLION.

I. Contra novatores saeculi XVI. Concil. Trident. (Sess. XIV. de Sacram. extremae unctionis, can. 1.) definivit: « Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Iacobo Apostolo promulgatum... a. s. ». Ibid. autem in c. 1. additur, quod sit « apud Marcum quidem insinuatum » (cfr. Concil. Florent., Decret. pro Armenis).

II. Circa 1. quaestionem notandum est, doctores convenire in assignandis generaliter effectibus huius Sacramenti, nempe quod augeat gratiam et remittat venialia, quod sanatio corporis non sit nisi effectus secundarius et sub conditionibus, denique quod attrito bonae fidei etiam mortalia remittere possit. Attamen iidem dissentiunt aliquatenus in solvenda quaestione, quisnam inter istos effectus sit *principalis*. S. Thom. cum B. Alberto praefert opinionem primo loco positam; S. Bonav. cum Alexandro Hal., Richardo, Scoto, Durando et plurimis aliis docet, principalem effectum esse remissionem venialium, non tamen *simpliciter*, sed quatenus in extremo vitae periculo non sint impedimentum, quod retardet possessionem gloriae. Alii cum Suarez primarium effectum ponunt in confortatione animi contra difficultates in articulo mortis occurrentes.

Cum Summa Alexandri Hal., imperfecta relicta, non se extendat ultra Sacramentum poenitentiae, in seqq. qq. non nisi raro a nobis allegari potest. De hac autem et seq. q. idem obiter loquitur S. p. IV. q. 5. m. 7. a. 2. — Item Scot., de hac et seqq. qq. in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. 2; Supplem. q. 30. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 1. 14. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 6. quaestiunc. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 5. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 1.

III. Circa 2. quaestionem fuit opinio antiqua, quod Christus non *immediate*, sed per Apostolos, quibus commisit suam in hoc auctoritatem, Sacramentum hoc instituerit; quae nunc est obsoleta. Hanc cum nostro auctore professi sunt Hugo a S. Vict., Magister, Alex. Hal.; cui videtur re ipsa favere Thom. de Argentina (hic a. 2.), cum recipiat verba Magistri hoc sensu intellecta, quod unctio extrema sit instituta ab Apostolis « *instrumentaliter* et *exsecutive* et non *principaliter* et *auctoritative* ». Haec enim praecise est sententia illorum antiquorum. Attamen ipse S. Bonav. in Breviloq. (p. VI. c. 11. et 4.) aliam et communem sententiam recepit et clare expressit. — S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. ad 2; cfr. Suppl. q. 29. a. 3.) verba Magistri sic benigne interpretatur: « Dicit ab Apostolis *institutum*, quia per doctrinam Apostolorum nobis *promulgata* est eius institutio ». Ibid. in corp. dicit tantum, aliam (quam ipse sequitur) opinionem *videri esse probabiliorem*. Petr. a Tar. utrumque modum loquendi ut aeque probabilem approbat. — Si quis autem attendit ad verba (solut. ad 2. 3.): « Institutio Sacramentorum respicit Deum ut *auctorem*, et Apostolos respicit ut *ministros* in promulgando », aliaque in solut. oppositorum dicta; patet, quod magna ex parte haec differentia reducitur ad *modum loquendi*, de quo fusius actum est supra d. 7. a. 1. q. 1. in scholio; et cfr. supra d. 17. p. II. a. 1. q. 1. scholion n. II.

De 2. quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med. pro hac quaestione solvenda remittit lectorem ad d. 2. a. 1. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum hoc Sacramentum fuerit institutum a Christo, an ab aliquo eius discipulo.

Secundo quaeritur de causa efficiente sive instituente, et quaeritur, utrum hoc Sacramentum instituerit Christus, vel aliquis eius discipulus. Et quod *Christus*, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia legislatoris est leges instituere; sed Sacramenta omnia sunt leges et statuta in lege evangelica: ergo non solum hoc instituit Christus [3], verum etiam omnia.

2. Item, Deus per se ipsum instituit omnia Sacramenta veteris legis, Moysi loquendo et praecipiendo — unde in principio cuiuslibet sacramentalis praecepti dicitur in Levitico [4]: *Locutus est Dominus* etc. — si ergo Sacramenta evangelica sunt multo digniora, videtur etc.

3. Item, « Sacramentum, sicut habitum est supra distinctione decima tertia [5], est, in quo divina virtus secretius operatur »: si ergo virtus divina operatur in Sacramentis principaliter; cum instituere Sacramentum sit maioris dignitatis quam operari in Sacramento, et operatio est a divina virtute: ergo et institutio.

4. Item, Marci sexto [6] dicitur, quod discipuli inungebant oleo multos infirmos, et curabantur; sed constat, quod Apostoli nondum erant tantae auctoritatis, quod per se auderent aliquid instituere: ergo videtur, quod Dominus eis mandaverit: ergo videtur, quod ipse instituit.

Fundamenta. Contra: 1. Magister dicit in littera [7]: « Hoc Sacramentum legitur ab Apostolis institutum ».

2. Item, alibi non habemus mandatum de hoc Sacramento nisi Iacobi quinto [8]: ergo videtur ibi institutum fuisse.

---

[1] Vide supra pag. 98, nota 2. Cfr. etiam supra lit. Magistri, d. XIII. c. 1. — Plures codd. omittunt *per* et *secretum fidei*.

[2] Psalm. 62, 2. — Seq. locus est Ps. 27, 7.

[3] Isai. 33, 22: Dominus legifer noster.

[4] Cap. 1, 1; 4, 1; 5, 14; 6, 1 etc.

[5] Lit. Magistri, c. 1.

[6] Vers. 13.

[7] Hic c. 3.

[8] Vers. 14. — In fine arg. cod. K addit *ab eo*.

3. Item, omne Sacramentum, quod Christus instituit, ipse per se exhibuit[1]; sed Christus hoc Sacramentum non exhibuit, quia nunquam infirmos oleo, sed solo verbo sanavit: ergo etc.

4. Item, omne Sacramentum, quod Christus instituit, habuit figuram in veteri testamento; sed hoc non habuit ibi figuram, quia nunquam legimus, infirmos propter curationem in veteri testamento inungi: ergo videtur, quod institutio huius Sacramenti non pertinuerit ad Christum.

CONCLUSIO.

Praefertur opinio, quod extrema unctio a Spiritu sancto per Apostolos instituta et a sancto Iacobo promulgata sit.

Respondeo: Ad horum intelligentiam notandum est, quod aliqui dicere voluerunt, omnia Sacramenta instituta fuisse a Christo, quoniam ipse fuit legislator. Unde quamvis non expresse legatur de *confirmatione* et *extrema unctione;* tamen credendum est, ipsum instituisse; et hoc aliquo modo innuitur de *confirmatione,* cum manus pueris imposuerit, Matthaei decimo nono[2]; de *extrema unctione,* cum discipulos ad praedicandum misit, qui oleo ungebant infirmos, et curabantur, sicut dicitur Marci sexto; haud dubium, quin per mandatum ipsius hoc fecerint. Si autem Apostoli dicuntur aliqua *instituisse,* hoc est, quia institutionem promulgaverunt, sicut beatus Iacobus[3] confessionis et unctionis. — Sed tamen — cum in Evangelio sufficienter lex evangelica exprimatur, et evangelica lex contineat Christi *statuta* et *facta,* et magis *statuta* quam *facta*[4] — quomodo probabile est, ut omnes Evangelistae sic sub silentio tam nobilia Sacramenta pertransissent, si Christus instituisset, cum ex his nostrae salutis adminiculum eliciatur?

Opinio 1. Non probatur.

Et ideo probabilius alii dicunt — et Magister videtur hoc sentire, immo aperte dicit — quod Spiritus sanctus per Apostolos hoc Sacramentum instituit, sicut supra[5] dictum est de Sacramento *confirmationis.* — Et quod hoc *potuerit esse,* manifestum est, cum ipse sit doctor praecipuus, sicut et Christus; et exemplo patet: quia Apostoli, Spiritu sancto dictante, formam baptismi a Christo institutam et confirmatam ad tempus mutaverunt[6]; quanto magis quod Christus insinuaverat instituere potuerunt?

Opinio 2. et conclusio. Fuit possibile.

Et quod ita fuerit *congruum,* manifestum est, si attendatur diversitas Sacramentorum. Quaedam enim sunt Sacramenta *communia* legis veteris et novae, quaedam *propriissima* legis novae, quaedam *medio modo*[7]. *Communia* sunt illa quae sunt quodam modo ex dictamine naturae, quod quia semper idem manet, illa Sacramenta ab initio cucurrerunt, ut matrimonium et poenitentia, secundum quod *Deo* reconciliat; et haec quidem Dominus Iesus consummavit et confirmavit in lege nova, non evacuavit[8]. — Quaedam sunt *propriissima* legis novae, et haec sunt quae significant gratiam in tali statu, quae proprie competit legi novae; haec autem duo sunt: confirmatio et unctio, ubi significatur gratia Spiritus sancti, secundum quam inungitur quis in *pugilem,* ut pro Christo audeat mori, et in *regem,* ut in regnum caelorum possit introire tanquam in suum. Hoc est novae legis *proprium;* ideo in veteri non habuerunt certam figuram haec duo Sacramenta. Et quia significant Spiritus sancti gratiam in aliqua abundantia; et Spiritus sanctus abundanter non fuit *datus,* quousque *Iesus non fuit glorificatus,* sicut dicitur Ioannis septimo[9]: ideo haec duo Sacramenta a Christo fuerunt *insinuata,* sed post a Spiritu sancto fuerunt *instituta.* — Quaedam sunt Sacramenta *media,* quae in veteri lege non fuerunt in *veritate,* fuerunt tamen in *figura* et significatione, sicut *baptismus, eucharistia* et *ordo.* Et quia Christus Legem implevit[10] et figuras evacuavit, haec tria Sacramenta per se ipsum instituit. — Et sic patet, quomodo *congruentissime* statuta et instituta sunt ecclesiastica Sacramenta, ut nihil sit gestum per oblivionem, sed secundum inenarrabilem Dei dispensationem. — Concedendae igitur sunt rationes probantes, Spiritum sanctum per Apostolos hoc Sacramentum instituisse.

Fuit congruum. Tria genera Sacramentorum. Genus 1. Genus 2. Notandum. Genus 3. Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod hoc est legislatoris; dicendum, quod Spiritus sanctus supplevit hoc quod ipse Dominus dimiserat in doctrina, sicut dicitur Ioannis decimo sexto[11]: *Multa habeo vobis dicere, quae non potestis portare modo;* et post: *Cum venerit* etc. Unde sicut supplevit quod deerat de *doctrina* secundum Dei ordinatam dispensationem, ita etiam quod de *institutione* ex causa

Solutio oppositorum.

---

[1] Cfr. supra pag. 440, nota 9.
[2] Vers. 15. — Seq. locus est Marc. 6, 13.
[3] Cap. 5, 14. seqq.
[4] Ioan. 21, 25: Sunt autem et alia multa, quae *fecit* Iesus, quae si scribantur etc.
[5] Dist. 7. a. 1. q. 1. ad 1. et q. 2.
[6] Vide supra d. 3. p. I. a. 2. q. 2. ad 3.
[7] Cfr. supra d. 8. p. I. a. 1. q. 1. ad 2, ubi haec divisio ab aliis aliter et non bene explicatur, quasi confirmatio et extrema unctio Sacramenta sint aliis perfectiora.
[8] Vide supra d. 22. a. 2. q. 1. et infra d. 26. a. 1. q. 2.
[9] Vers. 39: Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.
[10] Matth. 5, 17: Non veni solvere, sed adimplere. — Mox post *evacuavit* codd. E I (X a secunda manu) supplent *ideo,* plures codd. *et,* cod. K *ideo et.* Inferius verbis *ut nihil* codd. R S T interserunt *ibi.*
[11] Vers. 12: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non etc. — Seq. locus est ibid. v. 13. — Inferius post *Unde sicut* cod. F supplet *Spiritus.* Subinde post *de institutione* a cod. aa suppletur *Sacramentorum,* et post *ex causa* in cod. F additur *tamen.* In fine solut. pro *eius* cod. K *sanctus.*

Notandum. congrua dimissum erat. Nec sunt duo legislatores Christus et Spiritus eius.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod per semetipsum; dicendum, quod [1] ipse immediate loquebatur Moysi, et post Moyses praecipiebat populo sicut *Notandum.* nuntius Dei et minister; sic Spiritus sanctus Apostolis, et ipsi ut ministri populis exponebant. Unde Sacramentorum institutionem non attribuimus nisi *Deo* vel per *Filium*, vel per *Spiritum sanctum*. Nec credendum est, quemquam Apostolorum hoc *per se instituisse*, sed totum collegium; sed Iacobus *promulgavit*, sicut sententiam tulit de observantia legalium, Actuum decimo quinto [2]. — Et per hoc patet sequens, quia, sicut Deus operatur principaliter, et sacerdos ut minister; sic institutio Sacramentorum respicit Deum ut *auctorem*, et Apostolos respicit ut *ministros* in promulgando. *Notandum.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod Apostoli ungebant oleo; dicendum, quod ibi non fuit hoc Sacramentum *institutum*, sed *insinuatum*; et hoc patet, *Notandum.* quia unctio illa principaliter fiebat ad sanitatem *corporalem*, non ad curationem *spiritualem principaliter*. Unde sicut gratiam sanitatum tunc habebant Apostoli et non potentiam ligandi et absolvendi; sic oleum illud deserviebat sive operabatur ad salutem *corporis*; nunc autem principaliter operatur ad salutem *spiritus*, sicut in ipsa forma [3] evidenter exprimitur.

QUAESTIO III.

Quae sit materia extremae unctionis.

Tertio quaeritur de huius Sacramenti materia; et dicit Magister [4], quod materia huius Sacramenti est « oleum ab episcopo consecratum ». Sed primo *Ad oppositum primo.* videtur, quod magis deberet adhiberi *aliud elementum* quam oleum:

1. Primum, quia hoc Sacramentum est periclitantium et morti appropinquantium, et hi maxime sunt in articulo necessitatis: ergo talibus maxime de elemento communi provideri debet: si ergo aqua communior est, videtur etc.

2. Item, in confirmatione, in qua datur gratia abundans, non solum est elementum *olei*, sed etiam *balsami*, quod est pretiosum [5]: ergo videtur, quod in hoc Sacramento, cum introducat hominem in regnum, quod est pretiosissimum praemium; videtur, quod deberet esse balsamum.

Item, videtur, quod non oporteat esse *consecratum*: *Secundo.*

3. Quia baptismus et eucharistia, in quibus est magna gratia et efficacia, non indigent materia consecrata alia sanctificatione, quam quae fit in Sacramenti forma: ergo pari ratione nec unctio extrema.

4. Item, ad perfectum *esse* Sacramenti ista duo sufficiunt, scilicet *significatio* et *sanctificatio* [6], *significatio* est per elementum, *sanctificatio* est per verbum; sed haec duo sunt, si quis inungatur de simplici oleo: ergo videtur, quod sit ibi Sacramentum perfectum.

Item, si oportet Sacramentum unctionis fieri de *Tertio cum alia quaest.* oleo *consecrato*; quaero: cui competit nomen vel ratio Sacramenti, an *oleo*, an *unctioni*? — Quod *unctioni*, videtur per ipsam denominationem Sacramenti.

5. Sed quod oleo *consecrato*, videtur, quia *oleum* est signum, et *oleum consecratum* « signum est sacrum sacrae rei », quod non tantum habet significationem, sed etiam quoddam genus causalitatis per benedictionem [7]: ergo videtur, quod habeat in se completam Sacramenti rationem.

6. Item, panis consecratus est Sacramentum, non ipsa manducatio, immo potius est usus [8]: ergo videtur similiter in proposito, quod oleum consecratum sit Sacramentum, et unctio sit usus: ergo non convenienter nominatur. Quod si non est verum, non videtur hic exigi materia consecrata.

7. Item, videtur, quod nec oporteat esse *consecratam ab episcopo*, quia plus est consecrare sive *Quarto.* corpus Domini conficere, ubi est transsubstantiatio, quam oleum, ubi manet eadem usia [9]; sed simplex sacerdos potest primum: ergo et secundum.

Iuxta hoc est quaestio: quare debet esse oleum; *Quaestiones.* et quare simplex, non mixtum; et quare consecratum ab episcopo; et si illa consecratio faciat, oleum consecratum esse Sacramentum.

---

[1] Codd. IK addunt *sicut*, in cod. X secunda manus addidit *sicut Deus*.

[2] Vers. 13. seqq. De cessatione legalium cfr. supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. 2. — Cod. aa *observatione*.

[3] De qua infra q. 4. — Superius pro *et non potentiam* non pauci codd. perperam *et ideo potentiam* (cod. Y *potestatem*). — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Hic in lit. c. 1.

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et supra d. 7. a. 1. q. 2, ubi etiam de seq. arg.

[6] Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 4.

[7] Duplex definitio Sacramenti supra lit. Magistri, d. I. c. 2. et 4, proposita in his respicitur. Cfr. etiam ibid. Comment. p. I. q. 2. ad 5.

[8] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. fundam. 2.

[9] Graece οὐσία i. e. substantia sive essentia.

CONCLUSIO.

Extremae unctionis materia est oleum consecratum ab episcopo.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui dicere voluerunt, quod *materia* in hoc Sacramento est oleum, sed *consecratio* episcopalis superveniens facit esse *Sacramentum;* sed *inunctio* consequens est Sacramenti *usus* sive dispensatio.

Opinio 1. non probata.

Sed quoniam istud repugnat nominationi Sacramenti et etiam communi opinioni; ideo melius dicatur, quod sicut aqua in baptismo est elementum, sic in confirmatione chrisma et in unctione oleum consecratum ab episcopo.

Opinio 2. et conclusio.

Ratio autem sumi potest a parte *efficientis* sive *instituentis,* et etiam a parte *finis*. A parte *instituentis:* quoniam enim Christus per semetipsum instituit, qui per semetipsum potuit sanctificare, baptismum et eucharistiam; ideo non est alia consecratio praeparans necessaria, sed solum ad solemnitatem facit. Sed hoc Sacramentum Spiritus sanctus instituit per Apostolos, qui non poterant sanctificare nisi per Deum; ideo materia est non simplex elementum, sed oleum per verbum et invocationem sancti Spiritus consecratum, et hoc per verbum episcoporum, qui sunt successores Apostolorum; ut, sicut Spiritus sanctus instituit per Apostolos, sic etiam nunc consecret per episcopos[1]. — A parte *finis* sumitur ratio: quoniam hic datur gratia sanans languores spirituales, et datur gratia ordinans ad sanitatem perfectam, quae quidem est gloriae; ideo debet significari per *oleum,* quod est curativum, ratione curationis, et per *oleum consecratum,* ratione ordinationis ad supereminentem curationem, et per *oleum simplex,* non mixtum, quia ad ingressum in gloriam requiritur et sufficit bona conscientia[2]. — His visis, facile est solvere ad obiecta.

Ratio 1. — Ratio 2.

1. Ad illud enim quod obiicitur de communitate materiae, dicendum, quod istud non est Sacramentum *necessitatis;* et *praeterea,* modicum de elemento sufficit, et hoc potest ubique locorum haberi, et ideo non est periculum aliquod. *Praeterea,* evitatio periculi non debet praeiudicare dignitati et congruitati Sacramenti.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod deberet misceri cum balsamo, sicut in confirmatione; dicendum, quod non est simile: quia in *confirmatione* datur gratia ad pugnandum in vita, per quam oportet ambulare non solum secundum placentiam ad *Deum,* verum etiam ad *proximum;* sed in unctione datur gratia ad resistendum diabolo, ne possit detinere, et ad hoc non est necessaria *fama,* sed *bona conscientia;* et quia *balsamum* aromatizans significat bonam famam[3], et *oleum* nitens bonam conscientiam: ideo etc. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eucharistia non indiget alia consecratione; dicendum, quod non est simile tum ex parte *instituentis,* tum ex parte *finis,* ut visum est.

4. Ad illud quod obiicitur, quod in oleo non consecrato, si fiat unctio, est significatio et sanctificatio; dicendum, quod falsum est. Primo enim deficit *significatio,* quae non tantum exigit *repraesentationem,* sed etiam *institutionem;* sic autem institutum est fieri. Secundo vero deficit *sanctificatio,* quia non habet verbum efficaciam, nisi habeat competens elementum[4]. Notandum.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod oleum consecratum est Sacramentum; dicendum, quod proprie loquendo, non est *Sacramentum,* sed *ad Sacramentum ordinatum.* Et ratio huius est, quia non habet nec perfectam *significationem* nec *sanctificationem,* quousque applicetur infirmo, et superveniat sacerdotalis oratio; tunc enim significatur gratia intus ungens, et tunc est primo praesens[5], non ante: et ideo non est simile de corpore Domini, ubi in prima sanctificatione fit conversio, et post non additur ulterior sanctificatio, quae novam introducat virtutem. Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur, quod sacerdotes possunt corpus Domini conficere, et ita oleum consecrare; dicendum, quod non valet: quia tanta est potestas in ministris Ecclesiae, quantam distribuit Dominus membris; nec oportuit, potestatem consecrandi oleum ita communicari sacerdotibus, sicut conficiendi corpus Christi, quia unus episcopus faciliter toti provinciae potest unctionis oleum consecrare; sed non potest quotidie in singulis parochiis Missam cantare, sicut decet, cum ille sit panis quotidianus[6] et communis omnibus: et sic patet illud.

---

[1] Cfr. quaest. praeced. et d. 7. a. 1. q. 2. — Superius pro *Sed hoc Sacramentum* codd. communiter legunt *Sed in hoc Sacramento* (plures codd. *Sacramentum;* in cod. A secunda manus substituit nostram lectionem, quae est etiam lectio edd.). Subinde pro *per Deum* codd. R S T *per Christum.*

[2] Quae per oleum significatur, ut insinuatur a Magistro hic in lit. c. 2. — Innocent. III. in C. *Cum venisset ad Apostolicam sedem* (1.), X. de Sacra unctione (lib. I. tit. 15. § 2.), ait: Per oleum enim nitor conscientiae designatur, iuxta quod legitur: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus* [Matth. 25, 4.]... De nitore conscientiae dicit Apostolus [II. Cor. 1, 12.]: *Gloria nostra haec est testimonium conscientiae nostrae;* nam *omnis gloria filiae regis ab intus* [Ps. 44, 14.]. — Mox pro *solvere* codd. R S T *respondere.*

[3] Innocent. III., loc. cit.: Per balsamum odor bonae famae exprimitur, propter quod dicitur [Eccli. 24, 20.]: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Superius post *sed in* codd. R S T addunt *extrema.*

[4] Vide supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5.

[5] Vat. *primo Sacramentum, et,* quae etiam post pauca pro *ulterior* [codd. B H I K *interior*] cum ed. 1 exhibet *uberior interior.* Superius pro *ordinatum* codd. G H V aa *ordinatur.* — De ipsa solut. cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1.

[6] Luc. 11, 3: Panem nostrum quotidianum etc.

SCHOLION.

I. Oleum olivae per episcopum benedictum esse materiam remotam huius Sacramenti, docetur in Decreto pro Armenis toties citato. Controversia autem est, utrum illa benedictio episcopi non tantum sit de necessitate *praecepti*, sed omnino de *essentia* Sacramenti. Certa tamen videtur esse sententia, quod ex *concessione Summi Pontificis* etiam a presbyteris praevia benedictio valide dari possit.

De hac 3. quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2; Suppl. q. 29. a. 4. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

II. Quoad 4. quaestionem de *forma* praenotandum est, quod ab antiquo diversae formae in hoc Sacramento administrando a diversis Ecclesiis adhibebantur, pleraeque quidem modo tantum *deprecativo* (ut forma nunc in Ecclesia Romana usitata), sed nonnullae modo tantum *indicativo*, aliae partim *indicativo*, partim *deprecativo*. De validitate Sacramenti cum forma *tantum indicativa (Inungo te* etc.) administrati controvertitur; *negativae* sententiae favent S. Thom. et Petr. a Tar. (Durandus nihil determinat), *affirmativae* vero B. Albert., Richard. a Med. et recentiores. Omnes autem antiqui opinionem primo loco hic relatam reprobant. B. Albert. testatur de « tota Ecclesia Alemanniae », quod « antiquissimi libri in illis terris habent indicativam orationem pro forma, et postea subiungitur oratio. Et haec sunt verba scripta in libris antiquissimis, quos prae antiquitate vix legere valebam: Ungo hos oculos oleo sanctificato in nomine etc.; et postea sequitur: Per istam sanctissimam unctionem et suam piissimam » etc. Consentit autem idem communi sententiae, quod forma indicativa non sit de necessitate Sacramenti, sed de *bene esse*, ut dicit. Pro eadem sententia affertur etiam S. Bonav. a Maurinis (nota 912. ad S. Gregorii librum Sacrament., ed. Migne col. 521.); sed cum ibi agatur de forma *mixta*, ex ipsis verbis auctoris (conclusio 2. et ad 3.) concludendum est, eum consentire potius positioni S. Thomae.

De 4. quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 4; Suppl. q. 29. a. 7-9. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Durand., hic q. 3. n. 7.

QUAESTIO IV.

Utrum forma verbi sit de essentia Sacramenti.

Quarto loco quaeritur de forma huius Sacramenti, et quaeritur, utrum forma verbi sit de essentia huius Sacramenti. Et quod sic, videtur:

1. Primo per ritum universalis Ecclesiae, quae ubique locorum unctionem tribuit cum benedictione sacerdotali. (Fundamenta.)

2. Item, probatur per illud Iacobi[1]: *Inducat presbyteros, et orent pro eo, ungentes eum oleo:* ergo praemittitur oratio ante unctionem, et videtur, quod ita sit de integritate, ut unctio; et hoc probatur per litteram sequentem: *Oratio fidei salvabit infirmum:* ergo efficacia Sacramenti principaliter residet penes verbum orationis.

3. Item, hoc ipsum videtur *per simile* in aliis Sacramentis: quia Sacramenta novae legis sanctificant per verbum, ut dicit Hugo[2]: ergo pari ratione videtur, quod istud Sacramentum.

4. Item, sicut in aliis necessaria est intentio, et ideo est verbum etiam arctans intentionem[3]; ita et in hoc necessaria est intentio: ergo pari ratione et verbi exprimentis sive arctantis intentionem prolatio.

Contra: 1. Omnia Sacramenta ex fonte sacrae Scripturae ortum habent, quia nullum Sacramentum est in Ecclesia, quin describatur in Scriptura; sed huius Sacramenti forma nusquam describitur, nec ab Evangelista nec ab Apostolo: ergo etc. (Ad oppositum.)

2. Item, omnia Sacramenta, quae habent formam, eandem debent habere per totam Ecclesiam catholicam, quia variatio formae est variatio Sacramenti, et Sacramentum non potest esse nisi uniforme, sicut fides et Ecclesia; sed hoc Sacramentum non habet eandem formam. Nam in Ecclesia Gregoriana[4] est haec forma: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid oculorum vitio deliquisti »; in Ambrosiana est haec: « Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut more militis uncti praeparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates », vel similis huic. Ergo non videtur, quod aliqua forma sit substantialis.

3. Item, omnes Sacramentorum formae traditae sunt per orationem *indicativam;* sed forma huius

---

[1] Cap. 5. 14: Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes etc. — Seq. locus est ibid. v. 15. — Inferius pro *et videtur* codd. F I K *videtur ergo,* et pro *ita* cod. F *oratio,* edd. cum aliquot codd. *illa.*

[2] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2, ubi docet, Sacramentum praeter significationem et institutionem habere ex appositi verbi vel signi benedictione sanctificationem et efficax esse ad eandem sanctificandis conferendam; accedit enim verbum sanctificationis ad elementum et fit Sacramentum (cfr. supra lit. Magistri, d. III. c. 1. verbum August.). — Cod. F *Augustinus.* Idem cod. F cum codd. H I K post *quia* addit *alia.*

[3] Ut ostensum est supra d. 6. p. II. a. 2. q. 1.

[4] Vide in Appendice operum Gregorii librum X. Roman. ordin. n. 33, ubi pro *indulgeat* ponitur *parcat.* Cfr. tamen Liber Sacramentorum, n. 905. seqq. (ubi alia formula exhibetur) et Notae (n. 905. seqq.), quas Hugo Menardus praenotato libro adiecit, in quibus (n. 912.) refertur inter alias formulas Ambrosiana inferius allegata.

Sacramenti tradita est per orationem *deprecativam*[1]: ergo non videtur convenienter assignata, aut non est forma, quoniam Sacramenta novae legis certitudinaliter ponunt suum effectum: ergo per orationem *indicativam* debent exprimi, non per *deprecativam*.

4. Item, secundum beatum Iacobum[2] *oratio fidei* est illa quae est necessaria: si ergo oratio est ad Deum, et ad Deum oratur melius gemitu cordis quam voce oris; videtur, quod ad istius Sacramenti perfectionem non oporteat aliquid oretenus exprimi.

Quaeritur igitur, si formam habet, et quae sit forma, et per quem modum. Quaestio.

CONCLUSIO.

Forma extremae unctionis essentialis est oratio deprecativa.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod istud Sacramentum non habebat[3] formam verbi *essentialem*, sed quae solum erat de *bene esse*; et ideo non fuit expressa nec in Ecclesia invenitur unica, sed diversa. — Sed tamen illud non est securum dicere nec secundum textum Scripturae, cum in istius Sacramenti institutione maximam vim videatur Iacobus in oratione constituere et sibi totam efficaciam attribuere, cum dicit: *Oratio fidei salvabit*; non dicit: unctio. *Oratio* autem *fidei* dicitur non ipsius inungentis, sed ipsius Ecclesiae, in cuius fide administrantur Sacramenta. Sicut ergo in aliis Sacramentis non sufficit corde credere, nisi fiat professio in verbo exteriori[4]; sic intelligendum est hic, quod non sufficit oratio mentalis sine vocali. Opinio 1. Reprobatur. Notandum.

Et ideo forma verbi est de integritate Sacramenti, forma, inquam, verbi, secundum quod est expressiva orationis fidei; et hoc propter talem institutionem istius Sacramenti. Opinio 2. et conclusio 1.

Unde nota, quod est forma verbi, quae exprimit *actum* et *intentionem*[5]; et talis est per modum *indicativum* et non est de Sacramenti *necessitate*, sed *congruitate*; et haec in aliquibus habetur Ecclesiis, sed non in Romana, quae maxime vitat ea quae possunt esse occasio deviandi. Et est forma, quae exprimit *orationem*; et quoniam oratio est per modum *deprecativum*, talis forma est *deprecativa*; et haec est de necessitate Sacramenti huius et habetur in omnibus Ecclesiis, quoniam haec tangitur in institutione huius Sacramenti. Et quoniam non exprimitur verbum *determinatum*, sed solum *oratio fidei*; ideo non oportet, quod sit uniformitas in *verbo*[6] orationis, sed solum, quod sit in *sensu*. Duplex forma. Conclusio 2. Conclusio 3.

Si autem *quaeras*, quare in isto Sacramento potius est oratio de essentia quam in alio; respondetur, quod ratio principalis est *institutio*. *Si quaeras* rationem *institutionis*; dici potest, quod haec habet rationem congruitatis multiplicem. Prima est ex parte *suscipientis*, qui propter infirmitatem est destitutus; ideo oratione est relevandus. — Secunda est ex parte *modi curandi*, qui est per devotionem et elevationem animae ad spiritualia; et quia quod super omnia excitat animam ad hoc est oratio; ideo etc. — Tertia ratio est ex parte *morbi*, quoniam hic fit remissio peccati, interveniente ministerio sacerdotis; et quoniam in remissione culpae sacerdos non se habet nisi per modum *deprecantis* — unde et in absolutione *sua* utitur oratione deprecativa, ut in praecedentibus[7] habitum est — hinc est, quod optime institutum fuit; unctionem non fieri sine oratione, cuius expressio est forma Sacramenti, ut ostendunt rationes. — His visis, facile est respondere ad obiecta. Quaestio de ratione. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3.

1. Ad illud enim quod obiicitur, quod non habet ortum ex fonte sacrae Scripturae; dicendum, quod falsum est, ut patet; immo ab illo verbo beati Iacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum*. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non est eadem forma; dicendum, quod secundum id quod est necessarium et essentiale Sacramento, eandem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris[8]. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de oratione indicativa, dicendum, quod non est simile de hoc Sacramento et de aliis, pro eo quod illud habet aliquam specialem orationem, quam non habuit[9] aliud, ut visum est. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod melius oratur gemitu cordis; dicendum, quod in Sacramentis, quia sunt signa exteriora, non tantum consideratur quod est interius, sed etiam signum exterius, ratione cuius habent rationem Sacramenti; et sic patet totum. Quamvis enim aliquis crederet Trinitatem, nisi exprimeretur in baptizando, non daret Sacramentum[10]. Sic in proposito est intelligendum.

---

[1] Vat. omittit verba *indicativam* usque ad *deprecativam*. Inferius post *exprimi* codd. N aa addunt *potius*.

[2] Cap. 5, 15. — De oratione eiusque definitione cfr. supra pag. 368, nota 3.

[3] Cod. A *habeat*.

[4] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 2. — Superius post *salvabit* cod. E supplet *infirmum*.

[5] Codd. F I K N aa (A primitus) addunt *verbi*, codd. E R S T W Z et ed. 1 *Iacobi*. Mox post *Sacramenti* in cod. T (X a secunda manu) additur *huius*.

[6] Codd. I K *forma*.

[7] Dist. 18. p. I. a. 2. q. 1.

[8] Cfr. supra d. 8. p. II. a. 1. q. 2.

[9] Cod. E *habet*, edd. *habent alia*.

[10] Ut ostensum est supra d. 3. p. I. a. 2. q. 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

ARTICULUS II.

De dispensatione huius Sacramenti.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaestionis quaeritur de huius Sacramenti dispensatione. Et circa hoc quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, quis debeat administrare hoc Sacramentum.

Secundo, cui debeat dispensari.

Tertio, in quo membro sive loco.

Quarto et ultimo, quoties.

QUAESTIO I.

Quis debeat administrare hoc Sacramentum.

Circa primum proceditur sic. Videtur, quod huius Sacramenti administratio *solis episcopis* competat:

Ad opposi-tum. 1. Primo *per simile*. Sacramentum confirmationis, quod habet materiam consecratam, a solis episcopis traditur [1]: ergo pari ratione et Sacramentum istud.

2. Item, in *moralibus* nobilioris artificis est uti instrumento facto quam ipsum facere — unde nobilior est miles, qui utitur ense, quam faber, qui facit — ergo si episcopus solus oleum consecrat [2], videtur, quod ipse solus hoc oleo inungere debeat.

3. Item, in *naturalibus* videmus, quod eadem vis, quae praeparat materiam, inducit formam, et hoc spectat ad rectum ordinem operandi [3]: si ergo gratia et virtus conformis est naturae; cum episcopus materiam praeparet, videtur, quod ipse solus Sacramentum consummet; et hoc est in ipsa unctione: ergo etc.

Sed *contra* ostenditur, quod extendat se ad *omnes:*

4. Quia verbum et elementum constituunt Sacramentum [4]; sed oleum consecratum *potest* administrari per simplicem laicum, et verbum dici: ergo et Sacramentum administrari.

5. Item, quod ita *debeat esse*, videtur: quia illud est Sacramentum eorum qui sunt in extremo mortis articulo; sed talibus frequenter non potest subveniri per sacerdotem: ergo videtur, quod saltem per laicum eis subveniri possit.

6. Item, hoc ostenditur *exemplo*, quia legitur in legenda sanctae Genovefae [5], quod ipsa inungebat oleo infirmos et curabat eos: ergo videtur, quod hoc saltem spectet ad viros sanctos.

CONCLUSIO.

Extremae unctionis minister est sacerdos, tum ratione materiae, quae est oleum consecratum, quod contingi non debet nisi manibus consecratis, tum ratione formae, quae est per modum orandi, quod est officium sacerdotum.

Respondeo: Dicendum, quod huius Sacramenti dispensatio ex officio spectat ad *sacerdotes;* et istud confirmat *auctoritas* et *ratio:* auctoritas, quia Iacobi ultimo [6] dicitur: *Inducat presbyteros, et orent super eum;* ratio, quia, cum huius Sacramenti *materia* sit oleum consecratum, non debet administrari nec contingi nisi ab eo qui habet manus consecratas; et talis est sacerdos: ideo non se extendit ad *omnes.* — Nec ad solos *episcopos:* quia, cum hoc sit Sacramentum periclitantium, qui non possunt adire praelatos, sed magis e converso, oporteret, multos perire, si a solis episcopis dari deberet. Ideo disposuit Spiritus sanctus, quod *unguentum* non solum esset *in capite,* vel *in barba Aaron,* sed etiam *descenderet usque in oram vestimenti* [7], scilicet usque ad inferiores sacerdotes. — Nec solum sumitur ratio a parte *unctionis,* verum etiam a parte *orationis.* Quoniam enim officium mediationis

(Conclusio 1. / Conclusio 2. / Conclusio 3. / Alia ratio.)

[1] De quo supra d. 7. a. 1. q. 3.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Superius pro *in moralibus* (sensu largiore accipiendum) Vat. cum uno alteroque cod. *in artificialibus.* Idem recurrit infra in solut. huius obiect.

[3] Quem tollit Avicenna supra pag. 42, nota 4. allegatus. — Superius post *formam* codd. N aa subiiciunt exemplum *sicut patet de igne, qui praeparat et inducit igneitatem.* Circa finem arg. pro *consummet,* quod habent codd. G N Y aa, alii codd. *confirmet,* edd. *conferat.*

[4] Cfr. supra pag. 594, nota 2.

[5] Bolland., Act. Sanctor. in prima vita S. Genovefae (3. Ian.) ex veteribus mss. c. 10. n. 51.: Aegros vero iugiter, oleo sacro delibutos, sospites reddebat. Cfr. ibid. n. 48. (idem narratur in secunda vita c. 10. n. 38.) et c. 9. n. 45.

[6] Vers. 14: Inducat presbyteros Ecclesiae etc.

[7] Psalm. 132, 2: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius.

sacerdotibus competit; sicut competit *offerre dona et sacrificia pro peccatis* [1] nec solis episcopis nec etiam laicis; sic etiam dispensatio huius Sacramenti, cuius efficacia principaliter consistit in *oratione fidei,* cuius est sacerdos minister de ratione sui officii.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de confirmatione, dicendum, quod nullo modo est simile: primum, quia confirmandi possunt adire episcopum, non sic inungendi. *Praeterea,* manuum impositio solis Apostolis competebat, sed infirmorum curatio usque ad alios discipulos descendebat; et Sacramentum confirmationis est Sacramentum impositionis manuum, Sacramentum unctionis est ad curationem ordinatum [2].

2. Ad illud quod obiicitur, quod in moralibus nobilius est uti instrumento etc.; dicendum, quod illud veritatem [3] habet ut plurimum in *moralibus.* Et ratio huius est, quoniam gradus dignitatis est in eis secundum ordinationem ad *finem,* et utens instrumento immediatior est fini quam fabricans; sed in his *operibus Ecclesiae* est gradus secundum comparationem ad *primum principium,* ex quo fluit totum regimen et operatio in corpore Ecclesiae: et ideo virtus prior est superior. Unde superior est episcopus, qui ordinat sacerdotem ad celebrandum, quam ipse sacerdos, qui celebrat; sic in proposito est intelligendum. *Praeterea,* non est tantae servitutis oleum consecrare, sicut infirmos inungere; primum enim sufficienter potuit fieri ab uno, secundum vero minime: ideo magis voluit Spiritus sanctus secundum communicari quam primum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod eiusdem est formam inducere, cuius est materiam praeparare; dicendum, quod verum est de forma, quae perficit illam praeparationem; sicut faber fabricando ferrum [4] inducit formam ensis, sic episcopus, quando benedicit, inducit consecrationem; sed propter hoc non oportet, quod illo oleo utatur, sicut nec faber ense.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod verbum et elementum faciunt Sacramentum; dicendum, quod verum est in aliquibus Sacramentis, quorum dispensatio omnibus est commissa; sed non est verum in omnibus, ut in eucharistia; et sic intelligendum de unctione extrema [5].

5. Ad illud quod obiicitur de extremo mortis articulo, dicendum, quod devotio potest supplere absentiam sacerdotis; et ideo non est necesse omnibus committi, maxime cum sacerdos satis de facili possit adesse, nisi absit [6] propter negligentiam infirmi.

6. Ad illud quod obiicitur de sancta Genovefa, dicendum, quod, sicut supra [7] habitum est, quod quidam absolvunt *merito,* quidam ex *officio;* sic intelligendum est in proposito. Unde sicut ad solos sacerdotes pertinet absolvere, tamen viri sancti frequenter impetrant vitae merito quod alii faciunt ex officio; sic in unctione intelligendum est.

Notandum.

SCHOLION.

I. Concil. Trident. (Sess. XIV. de extr. unct. c. 3.) docet, « proprios huius Sacramenti ministros esse Ecclesiae presbyteros, quo nomine eo loco [Iacobi] non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii »; et can. 4. contrarius error Lutheri et Calvini condemnatur.

De eadem quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 1; Suppl. q. 31. a. 1-3. — B. Albert. rem tangit hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 3.

II. De 2. quaestione est observandum, apud Graecos invaluisse usum, vel abusum etiam sanos eodem oleo, et adhibitis iisdem verbis, inungendi; quod cum usu et doctrina Ecclesiae Latinae non potest facile componi. Concil. Florent. (Decret. pro Armenis) dicit: « Hoc Sacramentum nisi infirmo, de *cuius morte timetur*, dari non debet ». A Tridentino (cap. cit.) vero non ita stricte declaratur, « hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero *praesertim*, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu mortis constituti videantur; unde et *Sacramentum exeuntium* nuncupatur »; quae verba, ut videtur, ideo sic mitigata sunt, ut non directe censurent usum Graecorum.

De 2. quaestione: S. Thom., loc. cit. a. 2. quaestiunc. 1-4; Suppl. q. 32. a. 1-4. — B. Albert., hic a. 9-11. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3. 4. — Durand., de hac et seqq. qq. hic q. 4.

III. Quaestio 3. agit de partibus corporis inungendis, inter quas praeter quinque sensus etiam pedes et lumbi a cit. Decreto pro Armenis recensentur. Sed unctio ultimae partis in feminis semper omittenda est, et iuxta ritualia et praxim multarum dioecesium etiam in viris plerumque omittitur.

De 3. quaestione: S. Thom., loc. cit. a. 3; Suppl. q. 32. a. 5-7. — B. Albert., hic a. 15. 16. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 5.

IV. Circa 4. quaestionem communis sententia et praxis media via incedit inter duo extrema, reprobando scilicet tum errorem paucorum doctorum saeculi XII. asserentium, hanc unctionem, utpote *extremam, absolute* non posse iterari, tum Graecorum usum in *eadem* infirmitate ipsam iterandi.

De 4. quaestione: S. Thom., loc. cit. a. 4. — B. Albert., hic a. 20. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., loc. cit. q. 6.

---

[1] Hebr. 5, 1: Ut offerat dona et etc. — Pro *mediationis* cod. G *mediatoris*.

[2] Cod. aa addit *et ideo, quia sacerdotes gerunt typum 72 discipulorum, ideo* etc.

[3] Plurimi codd. et ed. 1 *necessitatem*.

[4] Codd. FLMUX *in ferrum*.

[5] Cfr. supra a. 1. q. 3. ad 5б.

[6] Fere omnes codd. *sit*, cod. bb *fit*.

[7] Dist. 17. p. III. dub. 1. Cfr. ibid. a. 1. q. 1.

QUAESTIO II.

Cui debeat dari hoc Sacramentum.

Secundo quaeritur, cui debeat Sacramentum istud dari. Et quod *solis infirmis,* videtur:

Fundamenta. 1. Per illud quod dicitur Iacobi ultimo [1]: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros:* ergo illis indicitur, quod presbyteros inducant; et hoc videtur maxime per litteram sequentem: *Oratio fidei salvabit infirmum* etc.

2. Item, quod *solis ratione utentibus,* ostenditur per textum, cum dicitur [2]: *Inducat presbyteros;* et post: *Si in peccatis fuerit:* si ergo presbyteros petere et in peccatis esse est proprium adultorum et ratione utentium, videtur etc.

3. Item, quod *solis in periculo mortis existentibus,* videtur per ipsam denominationem, qua dicitur *unctio extrema:* ergo solum in extremis [3] debet dari.

Ad opposi-tum. Contra: 1. Quod *non solis infirmis* debeat dari, videtur per ipsam Glossam [4], quae dicit: «Infirmatur quis in vobis? mente et corpore scilicet, vel fide»: ergo non solum infirmantibus corporaliter, sed etiam infirmantibus spiritualiter debet dari.

2. Item, unctio haec debet dari appropinquantibus ad mortem et existentibus in periculo mortis [5]; sed qui *ingreditur iustum bellum* in periculo mortis est: ergo etc.

3. Item, quod *non solis ratione utentibus,* videtur: quia non soli tales infirmantur, sed etiam alii, qui indigent alleviatione, ut parvuli et stulti: ergo videtur, quod debeat eis hoc Sacramentum dari, quod est unctio infirmorum.

4. Item, hoc probatur ex textu [6], in quo dicitur: *Infirmatur quis in vobis? Quis* tenetur *infinite:* ergo quicumque infirmatur, debet inungi, ergo etc.

CONCLUSIO.

Extrema unctio debet dari solis infirmis ratione utentibus et in periculo mortis existentibus.

Respondeo: Dicendum, quod hoc Sacramentum est principaliter ad *venialia delenda,* secundum quod possunt convenientem recipere effectum, et per hoc est in *alleviationem animae* aggravatae a corpore corruptionem habente [7]: et ideo illud Sacramentum debet dari solis infirmis, qui peccare potuerunt venialiter, et his, prout sunt in articulo mortis; sic enim possunt a culpa veniali liberari convenienter et sufficienter. Et hoc innuitur in ipso textu: *status,* inquam, *infirmitatis,* et hoc est quod dicitur *infirmatur; periculum,* in hoc quod dicitur *quis,* quasi discretive et notabiliter [8] et graviter, ita quod deficit virtus naturae et auxilium medicinae; *discretio* vero *rationis,* in hoc quod dicitur: *inducat presbyteros,* et iterum in hoc quod subinfertur: *si in peccatis fuerit, remittentur ei.* — Concedendae igitur sunt rationes monstrantes, hoc Sacramentum dari debere solis infirmis ratione utentibus et in periculo mortis existentibus. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur de Glossa, dicendum, quod illud *vel* intelligitur subdisiunctive [9], nec excluditur infirmitas corporis, sed praesupponitur.

2. Ad illud quod obiicitur de his qui intrant iustum bellum, dicendum, quod etsi tales sint in periculo mortis secundum fortunam, non tamen secundum naturam; Sacramenta autem ecclesiastica non fortunam sequuntur, sed naturam respiciunt. *Si tu obiicias* de illo qui damnatus est per sententiam; dicendum, quod talis infamis est in facie Ecclesiae [10], etiam si secundum veritatem non habeat culpam. Et sic patet ratio illa.

3. Ad illud quod obiicitur, quod alii indigent alleviatione; dicendum, quod ad hoc principaliter Sacramentum istud non ordinatur, sicut patet in ipsa forma [11], sed ad peccatorum remissionem, quae per sensus exteriores perpetrata sunt; et ideo non datur infantibus nec naturaliter stultis.

4. Ad illud quod obiicitur de hoc nomine *quis,* dicendum, quod magis tenetur *discretive* quam *infinite.* Et *si tu obiicias,* quod talis modus non competit illi nomini; dicendum, quod falsum est, quia talis modus annexus est modo accipiendi interrogative [12].

---

[1] Vers. 14. — Seq. locus est ibid. v. 15. — Post *ergo illis* cod. K addit *debet dari, quibus.*

[2] Iac. 5, 14. et subinde v. 15: Et si in peccatis sit. (Idem recurrit infra in corp.). — Voci *solis* cod. P addit *adultis et.* Inferius pro *petere* cod. F *inducere,* Vat. *petere seu inducere.*

[3] In cod. X secunda manus supplevit *constitutis.*

[4] Beda, in Iac. 5, 14: Sicut dederat contristato, sic dat consilium et infirmanti... tristato praecipiens, ut ipse pro se oret et psallat, infirmanti autem vel corpore vel fide mandans, ut... plurimorum se adiutorio, et hoc seniorum, curare meminerit etc.

[5] Cfr. supra a. 1. q. 1. ad 3. pro 1. parte.

[6] Iac. 5, 14. — Priscian. XIII. Grammat. c. 6. docet, quod *quis* «generalem et *infinitam* substantiam, quae pertinet ad universarum rerum genera et species et partes demonstrat». Cfr. ibid XVII. c. 5.

[7] Vide supra a. 1. q. 1. — Pro *convenientem* cod. F *convenienter.*

[8] Codd. B D L P Q aa *incurabiliter,* plures alii codd. perperam *curabiliter.* Mox pro *deficit* codd. E F G I K *defecit.*

[9] Sive copulative. Cfr. tom. II. pag. 836, nota 1. Simile habetur infra dub. 4. — Plures codd. perperam *disiunctive,* Vat. legit: *quod illud intelligitur universaliter sub disiunctione.* Inferius post *sed* cod. A addit *principaliter.*

[10] Cfr. C. *Infames esse* (17.), C. 6. q. 1, ubi recensentur omnes capitalibus criminibus irretiti inter infames. Vide etiam C. *Infames non possunt esse* (2.), C. 3. q. 7. § 2.

[11] De qua supra a. 1. q. 4.

[12] Cfr. Priscian., XVII. Grammat. c. 5. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

In quo loco debeat fieri unctio.

Tertio quaeritur, in quo loco debeat fieri unctio. Et quod *totum corpus* debeat inungi, videtur:

Argg. pro 1. parte. 1. Quoniam talis unctio aut est contra infirmitatem *corporalem*, aut contra infirmitatem *spiritualem*. Si contra *corporalem;* cum ergo mortalis infirmitas per totum corpus diffusa sit, totum debet inungi. Si contra *spiritualem;* sed spiritualis infirmitas non concernit aliquam partem determinate: ergo etc.

2. Item, unctio sacramentalis significat unctionem gratuitam et spiritualem, quae est in anima; sed anima est in qualibet parte corporis tota [1]: ergo etc.

3. Item, unctio devotionis respicit animam secundum potentiam intellectivam; sed « illa nullius partis corporalis est actus [2] »: ergo nulla pars corporis determinate debet inungi: ergo totum corpus inungendum est.

4. Item, cum quis purificatur ab originali, totus immergitur, si sit aqua sufficiens [3]: ergo similiter, si oleum est sufficiens, totus videtur inungendus.

Sed contra: 1. Matthaei decimo quinto [4]: *De* Pro 2. parte. *corde procedunt cogitationes malae, furta* etc.; secundum illud omnia peccata ex corde procedunt: ergo ad deletionem peccatorum significandam sufficit *locum cordis* inungere.

2. Item, unctio confirmationis in unica parte sola fit, scilicet in fronte: ergo pari ratione et *ibi* unctio huius Sacramenti [5].

3. Item, si in pluribus partibus distincte; ergo plures sunt unctiones: ergo plura Sacramenta; pes enim et manus specie differunt secundum naturam organizationis [6].

4. Item, si in diversis partibus debet fieri inunctio; cum contingat frequenter multa membra corporis amittere ex sola aegritudine, videtur, quod aegritudo perfectione Sacramenti faciat carere; quod non est conveniens.

Quaeritur ergo, quae membra debeant inungi; et utrum mutilata debeant inungi. Quaestio.

CONCLUSIO.

In extrema unctione non totum corpus nec una determinata pars, sed septem partes inunguntur.

Respondeo: Dicendum, quod in talibus, ut saepe dictum est [7], « finis imponit necessitatem his quae sunt ad finem ». Quoniam igitur istud Sacramentum principaliter ordinatur ad venialium deletionem, secundum quod ex textu beati Iacobi [8] innuitur; et venialia perpetrantur ab anima secundum coniunctionem ipsius ad carnem corruptam, et hoc est per *potentias*, per quas unitur corpori ut organico: ideo Conclusio 1. recte in deletione talium peccatorum debet medicamentum exterius adhiberi, secundum id quod habet sensibile, circa *organa ipsarum potentiarum.* Est autem triplex potentia animae — secundum quam regit corpus et eruditur et secundum quam ad exterius comparatur — scilicet sensitiva, generativa et progressiva [9]: et ideo organa istarum potentiarum debent inungi. Et quoniam quinque sunt organa deservientia quinque sensibus, scilicet os, oculi, nares, aures et manus, et lumbi deserviunt generativae, et pedes virtuti progressivae; ideo istae septem partes Conclusio 2. inunguntur. Et sic patet, quod nec totum corpus debet inungi nec una pars determinata.

Ad argg. pro 1. parte. 1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur de infirmitate spirituali, quod non determinat partem; dicendum, quod verum est, quod non determinat [10] partem, in qua sit, verumtamen determinat partem, per quam contrahitur. — Et per hoc patent duo

---

[1] Ut ostensum est I. Sent. d. 8. p. II. q. 3.

[2] Secundum Aristot., II. de Anima, text. 11. (c. 1.), et III. de Anima, text. 6. (c. 4.). — Pro *corporalis* cod. aa *corporis* (Aristot.: nullius corporis est actus), econtra codd. I K mox *corporalis* pro *corporis.*

[3] Vide supra d. 3. p. II. a. 2. q. 2.

[4] Vers. 19: De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia... furta etc. — Inferius pro *secundum illud* [cod. F *hoc*] cod. U *secundum hoc videtur, quod.*

[5] Codd. R S *ergo pari ratione videtur, quod ibi unctio huius Sacramenti fieri debet.*

[6] Cfr. I. Cor. 12, 14. seq.

[7] Supra d. 6. p. I. q. 4. circa finem; II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 1. in corp.; d. 19. a. 1. q. 1. in corp.; III. Sent. d. 36. q. 1. circa finem corp., ubi de necessitate finis. Axioma hoc est secundum Aristot., II. Phys. text. 88. seqq. (c. 9.).

[8] Cap. 5, 15. Cfr. supra a. 1. q. 1. — Pro *innuitur* cod. F *coniicitur*, codd. L V *capitur*, plures alii codd. et ed. 1 *invenitur.* Subinde pro *coniunctionem* cod. F *unitionem*, Vat. *unionem.* Pro *organico* (cfr. Aristot., II. de Anima, text. 6. seq.) codd. F I K *organizato*, et pro *in deletione* codd. I K Z *ad deletionem.*

[9] Vide Aristot., II. de Anima, text. 27. seqq. (c. 3.). — Superius pro *regit* (cfr. supra d. 21. p. I. a. 1. q. 1. ad 3.) edd. cum uno alteroque cod. *regitur;* pro *eruditur* codd. B Q R S T *ei unitur*, cui codd. R S T addunt *et nutritur* (edd. etiam addunt *et nutritur*). Ante *secundum quam* ex cod. K (I a secunda manu) supplevimus *et*, cod. B ipsis interserit *etiam.* Pro *comparatur* codd. K S *operatur.* Fortasse locus corruptus est.

[10] Cod. E supplet *sibi.* In fine solut. pro *incurrit* cod. F *intrant*, codd. R S T *incurrunt.*

sequentia de anima, quod est in qualibet parte corporis, et de potentia intellectiva: quoniam, etsi anima secundum *essentiam* sit in qualibet parte corporis tota, et secundum *potentiam intellectivam* partem determinatam corporis non concernat; tamen secundum *potentiam sensitivam* et *operativam* determinat sibi aliquas partes corporis organizatas, in quibus delectatur et secundum quarum delectationes diversa incurrit peccata.

4. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod non est simile, pro eo quod in originali tota caro foedatur, sed in venialis peccati commissione [1] aliquis actus specialis potentiae concernitur.

Ad argg. pro parte 2. 1. Ad illud quod obiicitur in oppositum de corde, dicendum, quod etsi de cordis affectu procedant omnia, tamen per diversas potentias subministrantes.

2. Ad illud quod obiicitur de unctione confirmationis, dicendum, quod non est simile, pro eo quod illa est contra pusillanimitatem et verecundiam determinate [2]; sed haec contra venialia peccata, quae respiciunt actus omnium potentiarum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ergo plura sunt Sacramenta; dicendum, quod illae partes non inunguntur, nisi prout concurrunt in unum [3], cui deserviunt et secundum cuius nutum moventur; et ideo, quia unctio est in his secundum unam naturam et per comparationem ad unum, ideo unum est Sacramentum. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de illis qui perdunt haec membra; dicendum, quod quamvis sint mutilati, tamen debent inungi. Et *si tu obiicias*, quod est implicatio falsi in forma; dicendum, quod falsum est, quia caeci frequenter [4] vellent videre pulcra, et surdi auditum desiderant, quamvis non audiant; et ideo recte debent in talibus membris inungi, quia per talia membra aut peccaverunt, aut peccare voluerunt, saltem veniali appetitu. Notandum.

Si tu quaeras, cum per membra genitalia maxime culpa in hominibus contrahatur, sive perpetretur venialis et mortalis, ut quid non inunguntur? dicendum, quod hoc est propter foeditatem membri, propter quam natura rationalis erubescit non solum tangere, sed videre, sed quod plus est, nominare [5], et amplius erubescit cogitare; et ideo absit, quod oleum sanctum debeat ibi apponi, sed loco illorum membrorum inunguntur lumbi. Credo etiam, quod parcitur verecundiae infirmorum, quia nemo est ratione utens, qui non erubescat membra illa aliis demonstrare, immo ipsemet erubescit videre [6]. Quaest. incid. solvitur.

QUAESTIO IV.

Quoties debeat hoc Sacramentum dari.

Quarto et ultimo quaeritur, quoties debeat hoc Sacramentum dari; et quaeritur, utrum debeat iterari. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Primo, quia «nulli Sacramento facienda est iniuria [7]»; sed qui iterat Sacramentum facit ei iniuriam: ergo etc.

2. Item, *per simile* videtur: quia unctio episcopalis sive confirmationis non iteratur: ergo nec unctio extrema iterari debet ratione consimili.

3. Item, hoc videtur *per denominationem:* quia dicitur *unctio extrema;* sed unius hominis una est mors et unum extremum [8]: ergo tantum semel debet inungi.

Fundamenta. Contra: 1. Quoties iteratur morbus, et medicina; sed tam morbus corporalis quam spiritualis iteratur, scilicet veniale peccatum et corporalis infirmitas [9]: ergo etc.

2. Item, aliquis, qui est in periculo secundum humanum iudicium et opinionem medicorum, est inungendus, quia praesumitur, quod laboret in extremis: si ergo ille idem in extremis alias [10] laborare potest, videtur, quod inungi debet.

Iuxta hoc quaeritur, si aliquis sacerdos incipit inungere et in unctione deficit, utrum debeat a capite incipi, vel perfici. Quaestio incid. 1.

Et iterum, utrum aliquis in eadem infirmitate [11] debeat bis inungi, ut puta in infirmitate incurabili. Quaest. incid. 2.

CONCLUSIO.

Cum in hoc Sacramento nec imprimatur character, nec detur effectus perpetuus, potest et debet ipsum iterari.

Respondeo: Dicendum, quod istud Sacramentum, sicut innuitur aperte in littera [12], et debet et potest iterari. — Si autem quaeratur *ratio* huius, dicendum est, quod generalis ratio, quare Sacra- Conclusio. Ratio.

---

[1] Cod. F *perfecta commissione.*

[2] Cfr. supra d. 7. a. 1. q. 1. circa finem, et dub. 4.

[3] In cod. X secunda manus supplevit *totum.*

[4] Edd. *libenter*, omisso *pulcra*, quae etiam subinde pro *debent* substituunt *dicunt.* Pro *auditum* codd. I K *audire* et aliquanto superius *mutilata* pro *mutilati.*

[5] Respicitur Eph. 5, 3. — Pro *natura* codd. I K *homo.* Inferius pro *parcitur* edd. *compatitur.*

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Secundum August., hic in lit. Magistri, c. 4. et supra pag. 293, nota 1.

[8] Hebr. 9, 27: Statutum est hominibus semel mori.

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[10] Cod. K *iterum.*

[11] Codd. R S T addunt *si est prolixa.*

[12] Hic c. 4.

mentum non debeat iterari, est, quia *effectus* eius Notandum. est *perpetuus,* qui non iteratur. Unde *characteris impressio* non est *generalis* ratio, sed potius *effectus perpetuatio.* Unde ex quo panis semel consecratus est, non debet amplius consecrari, quamvis non imprimatur ibi character; et similiter oleum benedictum non debet amplius benedici, sive consecratum non debet amplius consecrari. Quoniam igitur in unctione extrema non imprimitur [1], nec datur *effectus perpetuus,* maxime si homo ab infirmitate resurgat; ideo secunda operatio Sacramenti est necessaria, et ideo iterari potest et debet medicina absque aliqua contumelia Sacramenti.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sibi [2] fiat Solutio oppositorum. iniuria in iteratione; dicendum, quod hoc verum est, quando iteratur Sacramentum, et nihil novum efficitur; hoc autem in proposito non habet locum.

2. Ad illud quod obiicitur de unctione confirmationis, dicendum, quod non est simile, quia non utrobique est effectus characteris, qui est perpetuus, propter quem amplius Sacramentum iterari non debet [3].

3. Ad illud quod obiicitur de denominatione, Distinctio. dicendum, quod *unctio extrema* est dupliciter: aut secundum *veritatem,* aut secundum *nostram opinionem.* Primo modo non iteratur, sed secundo modo sic; et ita frequenter accidit multos inungi [4].

Ad illud quod quaeritur, si sacerdos deficit, utrum sit initiandum; dicendum, quod potius est *supplendum* quod inchoatum est, pro eo quod quaelibet unctio habet specialem sibi formam, sicut patet aspicienti [5] ordinarium, attamen generaliter conveniunt in remissione peccati. Ad 1. quaest. incid.

Ad illud quod quaeritur de infirmitatibus prolixis, aliqui voluerunt dicere, quod post annum iterari potest, pro eo quod completa est revolutio corporum superiorum [6]. Sed absurdum valde videtur, Sacramenta regulari secundum motum astrorum. — Et ideo potest aliter dici, quod nullus in aliqua infirmitate inungendus est, nisi cum praesumitur ad exitum propinquare; et hoc est in infirmitatis aggravatione, quem statum natura diu sustinere non potest, immo aut vincit, aut vincitur. Si ergo infirmus melioretur [7], ut diutius vivat; etsi non perfecte curetur, curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi; et ideo, quia venialia iterum redire possunt, et iterum infirmitas corporalis aggravatur, potest et debet Sacramentum unctionis iterari. — Et sic patet responsio ad obiecta [8]. Ad 2. quaest. incid. resp. 1. Resp. auctoris.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de ordine istius Sacramenti ad antecedentia et sequentia. Videtur enim male ordinari. Cum enim inter omnia Sacramenta ultimo detur, propter quod et extrema unctio nuncupatur; videtur, quod ultimo debeat ordinari.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramenta quae- Distinctio. dam respiciunt *personam,* quaedam communiter ipsam *Ecclesiam,* ut sicut in *naturis* quaedam sunt vires ordinatae ad conservationem *individui,* quaedam ad conservationem *speciei* [9]*;* sic in *spiritualibus* quinque Sacramenta sunt ad conservandam et promovendam gratiam, vel consummandam circa ipsam *personam;* sed ordo et coniugium ad consummandam ipsam *Ecclesiam:* et ideo, quia multitudinem respiciunt, sicut multitudo sequitur *unitatem,* sic duo Sacramenta praedicta consequuntur *alia quinque,* inter quae extrema unctio ultimum locum tenet. — Alia ratio assignata est supra circa principium huius libri, distinctione secunda [10], ubi tangitur ordo Sacramentorum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *unctio, quae fit chrismate, est unctio principalis* etc. Videtur enim male dicere, quia aut unctio *principalis* dicitur ab *ordine,* aut a *dignitate* [11]. Si ab *ordine;* falsum dicit, quia prima unctio est in baptismo. Si a *dignitate;* adhuc falsum dicit, quia in Sacramento ordinis est unctio maioris dignitatis.

Respondeo: Dicendum, quod *principalis unctio* dicitur confirmatio ex quadruplici causa, scilicet a Notandum. *loco,* quia in fronte, quae est pars nobilior in corpore; a *ministro,* quia fit ab episcopo; ab *elemento* sive materia, quia de oleo mixto cum balsamo; po-

---

[1] Vat. addit *character.*

[2] Ed. 1 *ibi.*

[3] Cfr. supra d. 7. dub. 6. — Pro *non utrobique,* quod habet cod. O, alii perperam *utrobique,* quod edd. mutaverunt in *ibi.*

[4] Vat. addit *pluries.*

[5] Cod. aa *inspicienti.* Mox pro *conveniunt* multi codd. *convenerunt.*

[6] Vide supra pag. 542, nota 6. — Inferius voci *astrorum* Vat. praemittit *solis et.*

[7] Pro *melioretur, ut,* quod praebent codd. I K, codd. G H L V *moveretur, ut,* alii codd. et edd. *non moriatur* [cod. F *moritur,* cod. aa *moreretur*], *sed.* Inferius pro *et ideo* cod. H *et iterum.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.).

[10] Dub. 1. Vide etiam ibid. a. 1. q. 3. — Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 5; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[11] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *De priori.*

stremo ab *effectu* propter abundantiam gratiae. Unde ibi Paraclitus in magna abundantia traditur, sicut etiam patuit in Apostolis [1]; et haec est unctio *principalis*. Et *si obiiciatur* de ordine, dicendum, quod non datur amplius munus gratiae *gratum facientis*, sed amplius munus gratiae *gratis datae*, scilicet auctoritatis et potestatis sacerdotalis vel pontificalis [2]. Datur etiam ibi munus gratiae *gratum facientis* in digne suscipientibus, licet non tantum.

Triplex unctio. Et nota, quod de eadem materia fit triplex unctio: una, qua baptizati inunguntur in vertice; alia, qua confirmandi inunguntur in fronte; tertia, qua inunguntur pontifices in capite. Et hoc vult dicere in littera [3] *regum et pontificum*, id est regalium pontificum, quales sunt pontifices novae legis. Nam reges, secundum quod dicunt illi qui noverunt, unguntur in scapulis [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Duplici ex causa ostenditur Sacramentum hoc institutum.* Videtur enim male dicere, quia unius Sacramenti unicus est finis.

Respondeo: Unus est finis *principalis*, et nihil impedit, quin multiplex possit esse utilitas, dum tamen unus sit finis *principalis*, alii vero *per accidens* [5]; et sic est in proposito.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si ex contemptu, vel negligentia Sacramentum hoc praetermittitur, periculosum est* etc. Videtur enim male dicere, quia negligentia in his quae non sunt de necessitate salutis, non generat periculum nec facit hominem [6] dignum damnatione.

Respondeo: Dicendum, quod *vel* non tenetur *disiunctive*, sed magis intelligitur *subdisiunctive* [7]; unde non intelligitur hoc de qualibet negligentia, sed solum de negligentia, quae generat contemptum sive quae habet contemptum annexum. Unde ita iudicandum est de hoc Sacramento, sicut iudicatur de Sacramento altaris [8].

DISTINCTIO XXIV.

Pars I.

Cap. I.

De ordinibus ecclesiasticis, quot sint.

Nunc ad considerationem sacrae ordinationis accedamus. Dubium 1. Septem sunt spiritualium officiorum gradus sive ordines, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur et capitis nostri, scilicet Iesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit et corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit.

Cap. II.

Quare septem sint.

Septem autem sunt propter septiformem gratiam sancti Spiritus, cuius qui non sunt participes ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt; illi vero, in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Cap. III.

Quales assumendi sunt ad clerum.

« Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica Sacramenta tractare. Canon. Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui ordinatori onus grave inducant [1] ». Tales enim decet esse ministros Christi, qui septiformi gratia Spiritus sancti sint decori; et quorum doctrina et conversationis forma eadem gratia in

---

[1] Act. 2, 2. seqq. Cfr. supra d. 7. a. 1. q. 2. 3. et dub. 4.

[2] Vide supra d. 19. a. 1. q. 2, infra d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 5.

[3] Hic c. 2. Cfr. infra d. 24. p. II. a. 1. q. 4. — Cod. A hic addit *ubi dicit*, codd. F G H I V omittunt *in littera*.

[4] Vide C. *Cum venisset ad Apostolicam sedem* (1.), X. de Sacra unctione (lib. I. tit. 15.), in quo Innocent. III. diversas unctiones exponit. In pontificali Romano, c. de Beneditione et coronatione regis dicitur: Metropolitanus intingit pollicem dexterae manus in *oleum catechumenorum*, et inungit in modum crucis illius [regis] brachium dexterum, inter iuncturam manus et iuncturam cubiti atque inter scapulas ». — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 7. seq.; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Cfr. supra d. 12. p. II. a. 1. q. 3. ad 1. et d. 18. p. I. a. 1. q. 2. ad 4. — Pro *multiplex* codd. R S T U X *ibi*, edd. legunt *impedit, quando multiplex potest esse.* — De hoc dubio vide supra a. 1. q. 1; B. Albert., hic a. 14.

[6] Plures codd. *secundum hominem*, cod. X *secundum hoc.*

[7] Cfr. tom. II. pag. 836, nota 1. verba Prisciani. — Edd. *copulative,* quod etiam S. Thom., hic circa lit., habet.

[8] Supra d. 12. p. II. a. 2. q. 1. — Cfr. Petr. a Tar., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Tales ad ministerium* (4.), d. 23. Quae praecedunt et multa, quae sequuntur, excerpta sunt ex Hug. a S. Vict.,

aliis transfundatur, ne caelestes *margaritas* spiritualium verborum officiorumque divinorum sordidae vitae Dubium 2. pedibus conculcent. In Sacramento igitur septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet ostiarii, lectores, exorcistae, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotes; omnes tamen clerici vocantur, id est *sortiti*.

Cap. IV.

De corona et tonsura.

«Corona enim signaculum est, quo signantur in Dubium 3. partem sortis ministerii divini. Corona regale decus Hugo. significat, et servire Deo regnare est. Unde ministri Ecclesiae reges esse debent, ut se et alios regant, quibus Petrus ait: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium* etc. Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum mens ad Deum libera monstretur, quae, *revelata facie, gloriam Dei* contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis; denudatio capitis est revelatio mentis [1]». «Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli usque ad revelationem sensuum, scilicet oculorum et aurium», ut vitia in corde et opere pullulantia doceantur praecidenda, ne ad audiendum et intelligendum verbum Dei praepediatur mens, pro quo servato reddetur in excelsis corona. «Tonsurae autem ecclesiasticae usus a Dubium 4. Nazaraeis exortus videtur, qui, prius crine servato, Hugo. denique ob vitae continentiam caput radebant et capillos in igne sacrificii ponebant. Hinc usus inolevit, ut qui divinis cultibus mancipantur quasi Nazaraei, id est sancti, crine posito, inveniantur, sicut ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis, sume gladium acutum, et duc super caput tuum et barbam.* In Actibus etiam Apostolorum, Priscillam et Aquilam hoc fecisse, legimus; Paulus quoque et alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt [2]». Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti *clerici* vocantur; quorum nomina et rationes nominum Isidorus exponens [3] ait: «Cleros et clericos Isidorus. hinc appellatos esse credimus, quia Mathias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. *Cleros* enim Graece, Latine *sors* vel hereditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt *clerici*, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent. Generaliter vero *clerici* nuncupati sunt omnes qui in Ecclesia Christi serviunt, quorum gradus et nomina sunt haec: ostiarius, lector» etc.

Pars II.

Cap. V.

De ostiariis.

Ostiarii iidem et ianitores sunt, qui in veteri testamento [4] electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud immundus; dicti autem *ostiarii*, eo quod praesint ostiis templi. Ipsi enim, tenentes clavem, omnia intus et extra custodiunt, atque inter bonos et malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde et eis, cum ordinantur, claves Canon. Ecclesiae dantur ab episcopo, et dicitur eis: «Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus, Exemplum Christi. quae clavibus istis recluduntur [5]». — Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes et ementes de templo eiecit. Ipse enim, se *ostiarium* significans, dicit: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet.*

Cap. VI.

De lectoribus.

Secundus est gradus *lectorum*. «Lectores a *legendo*, Isidorus. sicut psalmistae a *Psalmis canendis* vocati sunt. Illi enim praedicant populis, quid sequantur; isti cantant, ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum et lamentationem compellant. Iidem etiam *pronuntiatores* vocantur, quod porro annuntiant, quia tam erit clara eorum vox, ut etiam longe positorum aures adimpleat [6]». «Ad lectorem autem perti- Canon. net lectiones pronuntiare et ea quae Prophetae vaticinaverunt, populis praedicare [7]», ut iam ex officio legat in Ecclesia prophetias et lectiones. «Unde et ei, Hugo. vidente populo, traditur ab episcopo codex divinarum lectionum et dicitur ei: Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, par- Dubium 1.

II. de Sacram. p. III. c. 5. — Deinde edd. et codd. A E *septiformis* pro *septiformi*, ac pro *et quorum* codd. A E et plures edd. *ex quorum*. In fine propositionis respicitur Matth. 7, 6.

[1] Hug., loc. cit. c. 1; ubi respiciuntur I. Petr. 2, 9; II. Cor. 3, 18. — Pro *et servire* plures edd. *quia servire*. — Seq. locus est ibid. c. 2.

[2] Ibid. c. 3 (cfr. Isidor., II. de Ecclesiast. Offic. c. 4.), ubi respiciuntur Num. 6, 18; Ezech. 5, 1; Act. 18, 18. et 21, 24. — Pro *denique* solae edd., excepta 1, *deinde*, refragante etiam originali.

[3] Libr. VII. Etymolog. c. 12. n. 1. seq.; C. *Cleros* (1.), d. 21; cfr. August., Enarrat. in Ps. 67. n. 19. Multae edd. pro *Deum partem* male legunt *Deum patrem*, deinde pro *Christi* habent *Dei*.

[4] Libr. I. Paralip. 23, 5. — Quae sequuntur vel verbotenus, vel sententialiter sumta sunt ex Isidor., VII. Etymolog. c. 12. n. 32, et II. de Ecclesiast. Offic. c. 15, unde transierunt in cit. C. *Cleros*, § 19. Quae referuntur de *officiis* clericorum sumta sunt vel ex Isidor., Epist. ad Ludifredum, vel ex Hug. a S. Vict. loc. cit. c. 6. seqq.; cfr. etiam Raban., IV. de Universo c. 5.

[5] Can. *Ostiarius* (19.), d. 23. — Locus Scripturae infra est Ioan. 10, 9, et antea respicitur Ioan. 2, 15.

[6] Isidor., VII. Etymolog. c. 12. n. 24; C. cit. *Cleros*, § 15; Hug., loc. cit. c. 7. — Pro *quod porro* [id est procul] Vat. cum pluribus edd. *qui populo*.

[7] Can. *Perlectis* (1.), d. 25. § 5. — Seq. locus est ex Hug., loc. cit.; C. *Lector* (18.), d. 23. — In fine citantur Luc. 4, 18; Isai. 58, 1.

tem cum his qui bene verbum Dei ministraverint. Qui ad hunc gradum provehitur litterarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat, quid *indicative*, quid *interrogative* sit legendum, ubi sit in oratione facienda *distinctio*. Haec enim male servata intellectum turbant et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet vox lectoris. — Hoc officium Christus implevit, cum in medio seniorum librum Isaiae aperiens, distincte ad intelligendum legit: *Spiritus Domini super me* etc. Ex quo lectoribus intelligi datur, quia gratia spirituali clarere debent qui aliis verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* ».

Exemplum Christi.

Cap. VII.

De exorcistis.

Tertius est ordo *exorcistarum*. « Exorcistae autem ex Graeco in Latinum *adiurantes* vel *increpantes* vocantur; invocant enim super catechumenos et super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini, adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis [1] ». « Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere ». Debet autem spiritum mundum habere qui spiritibus immundis imperat, et malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medicina, quam alii facit, sibi non prosit, et dicatur ei: *Medice, cura te ipsum* [2]. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis: « Accipite, et habetote potestatem imponendi manus super energumenos vel catechumenos ». — « Hoc officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti, dicens: *Epheta, quod est adaperire*, per hoc docens, nos spiritualiter debere aperire aures praecordiorum hominum ad intelligendum et ora ad confitendum, ut, pulso daemone, Spiritus sanctus vas suum recipiat ». Hoc etiam officio usus est Christus, cum daemoniacos multos sanavit. « Hic ordo a Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo daemones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur; huic officio mancipati exorcistae vocati sunt. De quibus Christus in Evangelio: *Si ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri*, scilicet exorcistae, *in quo eiiciunt?* »

Isidorus. Canon. Exemplum Christi. Hugo. Gratianus.

Cap. VIII.

De acolythis.

Quarto loco succedunt *acolythi*. « Acolythi vero Graece, Latine *ceroferarii* dicuntur a deportandis cereis, quando legendum est Evangelium vel sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria et deportantur ab eis, non ad effugandas aëris tenebras, cum sol eo tempore rutilet, sed ad signum laetitiae demonstrandum; ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua legitur: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [3] ». « Ad acolythum pertinet praeparatio luminarium in sacrario; ipse cereum portat, ipse urceolum cum vino et aqua suggesta pro eucharistia subdiaconis praeparat ». « Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab episcopo, qualiter in officio suo agere debeant, ab archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo et urceolum vacuum. — Hoc officium Dominus se habere testatur dicens: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat in tenebris* ». Huius officii formam illi gerebant in veteri testamento [4], qui lucernas candelabri componebant et accendebant igne caelesti ad illuminandas tenebras aquilonares.

Isidorus. Canon. Hugo. Dubium 2. Exemplum Christi.

Cap. IX.

De subdiaconis.

Quintus est ordo *subdiaconorum*. « Graece hypodiaconi vocantur, quos nos subdiaconos dicimus; qui ideo sic appellantur, quia subiacent praeceptis et officiis levitarum. Oblationes enim in templo a fidelibus suscipiunt et levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebraeos Nathinaei vocabantur », « id est in *humilitate Domino servientes* [5] ». « Ad subdiaconum pertinet calicem et patenam ad altare Christi deferre et levitis tradere eisque ministrare, urceolum quoque et aqua-manile et manutergium tenere, episcopo et presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebere [6] ». His lex continentiae imponitur; quia, altari propinquantes, vasa corporis et sanguinis Christi portant; unde illud implere debent: *Mundamini qui fertis vasa Domini* [7]. « Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, quantum sufficere possit populo, nec non corporales et pallas et substratoria lavare ». « Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi patenam et calicem vacuum, ab archidiacono vero urceolum cum aqua-manili et manuter-

Isidorus. Hugo. Isidorus. Hugo.

---

[1] Isidor., loc. cit. n. 31; C. *Cleros* (1.), d. 21. § 18. — Seq. locus C. *Perlectis* (1.), d. 25. § 2; Hugo, loc. cit. c. 8.

[2] Luc. 4, 23.. Seq. locus est C. *Exorcista* (17.), d. 23; tertius ex Hug., loc. cit. c. 8, ubi citatur Marc. 7, 34. et respicitur Matth. 8, 16; Luc. 8, 33; quartus est Gratian., introductio in d. 21, (cfr. supra pag. 157. nota 6.) ubi citatur Matth. 12, 27.

[3] Isidor., loc. cit. n. 29; C. cit. *Cleros*, § 17. Locus Scripturae est Ioan. 1, 9. Seq. locus est C. *Perlectis*, supra cit., § 3; tertius est Hug., loc. cit. c. 9, ubi refertur Ioan. 8, 12.

[4] Exod. 25, 6; Levit. 6, 12. — Cod. Erf. annotat: Illud est Gandolphi IV. Sent. c. *De acolythis.*

[5] Isidor., loc. cit. n. 23; C. *Cleros*, § 14; sed ultima verba, ubi respicitur Act. 20, 19, sunt ex Hug., loc. cit. c. 10. De Nathinaeis cod. Erf. addit: De quibus II. Esdr. 3. [v. 26.], et dicuntur a natha, quod est aqua, quasi porrectores aquae, unde Ioan. 9. [7.]: Lava in natatoria Siloe i. e. in lavacro Missi, hoc est Christi.

[6] Isidor., Epist. cit. ad Ludifredum; C. cit. *Perlectis*, § 6.

[7] Isai. 52, 11. — Seq. locus est apud Hug., loc. cit. c. 10, qui etiam refert verba *Hi cum* etc., et C. *Subdiaconus* (15.), d. 23. Respicitur ibi Ioan. 13, 5. — Pro *corporales* solae edd. 2, 6 et Vat. *corporalia*.

Exemplum Christi. gium. — Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se praecinxit, et mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit et linteo tersit ».

Cap. X.

De diaconis.

« *Diaconorum* ordo sextum tenet locum propter Hugo. senarii perfectionem. Hic ordo in veteri testamento a tribu Levi nomen accepit vel traxit; dicuntur enim et *levitae*. Praecepit quippe Dominus Moysi, ut post ordinationem Aaron et filiorum eius prorsus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur et consecraretur Domino, et servirent pro Israel coram Aaron et filiis eius in tabernaculo, ipsique gestarent arcam et tabernaculum et omnia vasa eius et in circuitu tabernaculi excubarent et in transportando tabernaculo ipsi deponerent rursumque componerent. A vigintiquinque annis et supra iussi sunt servire in tabernaculo; quam regulam in novo testamento sancti Patres constituerunt, Isidorus. quia haec aetas ad ferenda onera est robusta [1] ». « Le- Dubium 3. vitae ergo ex nomine auctoris vocati sunt; de Levi enim levitae exorti sunt, a quibus in templo mystici Sacramenti mysteria explebantur. Hi Graece *diaconi*, Latine *ministri* dicuntur, quia, sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono mysterii dispensatio habetur [2] ». Canon. « Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in Sacramentis Christi, scilicet in baptismo, in chrismate, in patena et calice, oblationes quoque inferre et disponere in altari, componere etiam mensam Domini et vestire, crucem ferre et praedicare Evangelium et Epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus vetus testamentum, ita diaconibus novum praedicare praeceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum et recitatio catechumenorum nominum. Ipse praemonet aures habere ad Deum, ipse donat pacem et ipse annuntiat ». Quod autem huic ordini a Moyse statutum est, hoc etiam in novo testamento repraesentatur, cum diacono super laevum humerum stola ponitur, et casula in diebus ieiunii complicatur; quia, quidquid laboris et sustinentiae in hac vita toleratur, quasi in laeva portatur, donec in dextera, id est in aeternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando, ut legitur in Actibus Apostolorum [3], *septem viros plenos Spiritu sancto* ad hoc officium elegerunt, et oratione praemissa, manus eis imposuerunt. Unde et consuetudo inolevit, ut in omni matrice ecclesia septem diacones circa Christi aram quasi septem columnae assistant. Hi sunt septem Angeli tuba canentes in Apocalypsi, qui quales esse debeant, Apostolus docet, Timotheo [4] scribens. « Hi cum ordinantur, solus epi- Canon. scopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicantur ». Ponit eis orarium, id est stolam, super laevum humerum, ut per hoc intelligant, se accepisse *iugum Domini suave* [5], quo ad sinistram pertinentia divino timori subiiciant. Accipiunt et textum Evangelii, ut intelligant, se esse praecones Evangelii Christi. Hi autem, antequam ordinentur, probentur, ut docet Apostolus [6], et sic ministrent, nullum crimen habentes. — Hugo. « Hoc officio usus est Christus, quando post Coenam Exemplum Christi. Sacramentum carnis et sanguinis discipulis dispensavit, et quando Apostolos dormitantes ad orationem incitavit dicens: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* ».

Cap. XI.

De presbyteris.

Septimus est ordo *presbyterorum*. « Presbyter Isidorus. Graece, senior interpretatur Latine. Non modo pro aetate vel decrepita senectute, sed propter honorem et dignitatem, quam acceperunt, *presbyteri* nominantur [7] »; « qui morum prudentia et maturitate conversationis Hugo. praecellere debent in populo, sicut scriptum est: *Senectus venerabilis est, non diuturna nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* ». « Ideo autem et Isidorus. presbyteri *sacerdotes* vocantur, quia *sacrum dant*; qui, licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, sicut episcopi, quia nec chrismate frontem signant nec Paraclitum dant, quod solis deberi episcopis, lectio Actuum Apostolorum demonstrat ». Unde et apud veteres iidem episcopi et presbyteri fuerunt, quia illud est nomen dignitatis, non aetatis. « *Sacerdos* no- Rabanus. men habet compositum ex Graeco et Latino, quod est *sacrum dans*, sive *sacer dux*. Sicut enim rex a *regendo*, ita sacerdos a *sanctificando* dictus est; consecrat enim et sanctificat [8]. *Antistes* sacerdos dictus est ab eo, quod *ante stat*, primus enim est in ordine Ecclesiae ». « Ad presbyterum autem pertinet Sacramen- Dubium 4. tum corporis et sanguinis Domini in altari Dei confi- Canon. cere, orationes dicere et dona Dei benedicere »; qui cum ordinatur, inunguntur ei manus, ut intelligat, se accepisse gratiam consecrandi et caritatis opera debere ad omnes extendere. Accipit et stolam, quae te-

---

[1] Hug., loc. cit. c. 11; cfr. Isidor., II. de Ecclesiast. Officiis, c. 8; respiciuntur Num. 3, 6. 10, et 4, 5; 8, 24.

[2] Isidor., VII. Etymolog. c. 12. n. 22; C. *Cleros*, § 13. Seq. locus est ex cit. C. *Perlectis*, § 7; et quae sequuntur excerpta sunt ex Hug., loc. cit. c. 11.

[3] Cap. 6, 3. — De seq. cfr. C. *Episcopus Deo* (59.), de Consecrat. d. 1. — Codd. et edd. passim ponunt *diacones* pro *diaconi*.

[4] Epist. I. 3, 8; supra respicitur Apoc. 8, 2. Locus seq. est C. *Diaconus* (11.), d. 23.

[5] Respicitur Matth. 11, 30.

[6] Epist. I. Tim. 3, 10; Seq. locus est Hug., loc. cit.; respicitur Matth. 26, 26, et citatur Matth. 26, 41.

[7] Isidor., VII. Etymolog. c. 12. n. 20; C. *Cleros*, § 12; seq. locus Hug., ibid. c. 12, ubi citatur Sap. 4, 8; tertius est Isidor. et can., ut supra, ubi respicitur Act. 8, 14.

[8] Edd. 1, 2, 3, 7, 8 addunt *corpus Christi*, refragantibus codd. et originali Rabani (IV. de Universo), unde hic locus depromptus est. Seq. locus est ex cit. C. *Perlectis*, § 8; deinde reliqua excerpta sunt ex Hug., loc. cit. c. 12, ubi solae edd., excepta 1, constanter habent plurale (*ordinantur* etc.) pro singulari.

net utrumque latus, quia debet esse munitus armis iustitiae contra adversa et prospera. Accipit etiam calicem cum vino et patenam cum hostiis, ut per hoc sciat, se accepisse potestatem *placabiles Deo hostias*[1] offerendi. — Hic ordo a filiis Aaron sumsit initium. Summos enim pontifices et minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex praecepto Dei Aaron in summum pontificem, filios vero eius unxit in minores sacerdotes. Christus quoque *duodecim elegit discipulos* prius, *quos et Apostolos vocavit;* quorum vicem gerunt in Ecclesia maiores pontifices. Deinde *alios septuaginta et duos discipulos designavit;* quorum vicem in Ecclesia tenent presbyteri. Unus autem inter Apostolos princeps exstitit Petrus, cuius vicarius et successor est Pontifex Summus, unde dicitur *apostolicus*, qui et *Papa* vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit; ubi nomine *episcopi* presbyterum significat. — Hoc autem officio usus est Christus, cum *se ipsum in ara crucis obtulit*, idem sacerdos et hostia, et quando post coenam panem et vinum in corpus suum et sanguinem commutavit. — Ecce de septem Ecclesiae gradibus breviter elocuti, quid ad quemquam pertineat, insinuavimus.

Exemplum Christi.

Cap. XII.

Qui dicuntur ordines sacri.

Cumque omnes spirituales sint et sacri, excellenter tamen canones duos tantum *sacros ordines* appellari censent, diaconatus scilicet et presbyteratus; quia « hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse[2] », et de his solis praeceptum Apostoli habemus. « Apostoli enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros ordinaverunt; levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus; subdiaconos vero et acolythos, procedente tempore, Ecclesia sibi constituit ».

Dubium 5. Canon. Gratianus.

Cap. XIII.

Quid appelletur ordo.

Si autem quaeritur, quid sit quod hic vocatur *ordo;* sane dici potest, signaculum quoddam esse, id est sacrum quoddam, quo spiritualis *potestas* traditur ordinato et *officium.* Character igitur spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia, confertur, quam figurant ea quae ibi geruntur.

Dubium 6.

Cap. XIV.

De nominibus dignitatis et officii.

Sunt et alia quaedam, non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina. Dignitatis simul et officii nomen est episcopus.

Cap. XV.

De episcopo.

« Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. *Scopein* enim Graece, Latine *intendere* dicitur; *episcopi* autem Graece, Latine *speculatores* interpretantur. Nam speculator est praepositus in Ecclesia, dictus, eo quod speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores et vitam[3] ». Isidorus.

Cap. XVI.

De pontifice.

« Pontifex est princeps sacerdotum, quasi via sequentium; ipse et *summus sacerdos* nuncupatur. Ipse enim sacerdotes et levitas efficit, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit[4] ». Isidorus.

Cap. XVII.

De quadripartito ordine episcoporum.

« Ordo autem episcoporum quadripartitus est, scilicet in patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis et episcopis. *Patriarcha* Graece, summus patrum interpretatur, quia primum, id est apostolicum, tenet locum, ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus[5] »; sed omnium summus est Romanus. « *Archiepiscopus*, princeps episcoporum; *archos* enim Graece, Latine *princeps* dicitur. *Metropolitae* autem a mensura civitatum dicuntur; singulis enim provinciis praeeminent; quorum auctoritati et doctrinae ceteri sacerdotes subiecti sunt. Sollicitudo enim totius provinciae ipsis[6] commissa est. Omnes autem superius designati ordines episcopi nuncupantur ». — Nota, quod *archiepiscoporum* nomine primates superius significasse videtur, et *metropolitanorum*, quos nunc *archiepiscopos* dicimus. « Horum autem discretio a gentilibus introducta videtur, qui suos flamines, alios simpliciter *flamines*, alios *archiflamines*, alios *protoflamines* appellabant[7] ». « Sacerdotes enim gentilium *flamines* dicebantur, qui habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga, desuper habens aliquid lanae, quod cum per aestum ferre non possent, filum tantum in capite ligare coeperunt. Nu-

Canon. Isidorus. Gratianus. Isidorus.

---

[1] Respicitur Num. 5, 8, deinde Exod. 29, 5; Luc. 6, 13; 10, 1; Matth. 16, 18; I. Tim. 3, 2; Hebr. 10, 11.

[2] Can. *Nullus in episcopum* (4.), d. 60. Respiciuntur I. Tim. cit. et Act. 6, 5. Quae sequuntur leguntur apud Gratian. in princip. d. 21.

[3] Isidor., loc. cit. n. 11; C. *Cleros*, § 7. Codd. scribunt *scopin* [σκοπεῖν]; pro *prospiciat*, quod habent codd. et plurimae edd. cum Isidoro, Vat. cum illo canone *perspiciat*, Raban., loc. cit. *praespiciat* (!) — Idem locus continuatur in seq. cap.

[4] Locis citt.

[5] Can. cit. *Cleros*, § 1. Seq. loc. est ex Isidor., loc. cit. n. 10, et C. cit. § 6.

[6] Edd., excepta 1, et codd. C D male addunt *episcopis*, refragante etiam Isidoro et canone § 4.

[7] Gratian., introduct., ad d. 21. Seq. locus est Isidor., loc. cit. n. 18; C. *Cleros*, § 11. Ex eodem Isidor., loc. cit. n. 15, et C. cit. § 9. et 16, sumta sunt plerumque verbotenus quae sequuntur in seqq. cc.

dis enim capitibus eis incedere nefas erat. Unde et a filo, quo utebantur, *flamines* dicti sunt, quasi *filamines*. Sed festis diebus, filo deposito, pileum imponebant pro sacerdotii eminentia ».

Cap. XVIII.

De vate.

« *Vates* a vi mentis appellati sunt, cuius signifi- Isidorus. catio multiplex est; modo enim *sacerdotem*, modo *prophetam*, modo *poëtam* significat.

Cap. XIX.

De cantore.

Cantor vero vocatur qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera: *praecentor* et *succentor*, *praecentor*, qui vocem praemittit in cantu; *succentor*, qui subsequenter canendo respondet; *concentor* autem dicitur, quia consonat. Qui autem non *consonat* nec *concinit* concentor non erit ».

His « breviter tractatis, admonendi sunt Christi mi- Hugo. nistri, quatenus, sicut excellunt ordinis dignitate, ita praecellant vitae sanctitate, ut plebs eis commissa eorumque disciplinis edocta gratanter eis obediat et *eorum* imitatione de die in diem proficiat »[1], a quibus divina Sacramenta percipiunt et Missarum solemnia audiunt. — *Missa* autem dicitur, vel quia *missa est hostia*, cuius commemoratio fit in illo officio, unde dicitur: Ite, Missa est, id est, sequimini hostiam, quae missa est ad caelestia, tendentes post eam; vel quia *missus caelestis venit* ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare caeleste defertur hostia, unde et dicitur: Missa est[2].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIV.

Pars I.

De Sacramento ordinis quoad ea quae ad illud disponunt.

Nunc ad considerationem sacrae ordinationis accedamus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est sexta pars, in qua de sexto Sacramento agit. Posset tamen dividi contra totam praecedentem. In praecedentibus enim egit de Sacramentis, quae respiciunt determinatam personam. Hic agit de his quae respiciunt multitudinem ecclesiasticam, et primo de ordine, secundo de matrimonio[1]. Qualitercumque dividatur et ordinetur praedicta pars, ista, in qua agit de ordinis Sacramento, duas habet. In prima enim determinat de ipso Sacramento. In secunda de dispensatione huius Sacramenti, ibi[2]: *Solet quaeri, si haeretici ab Ecclesia praecisi* etc.

Prima pars duas habet. In prima determinat de his quae disponunt ad ordinem, scilicet bona vita et tonsura. In secunda de ipsis ordinibus, ibi: *Ostiarii iidem et ianitores sunt.* Prima pars dividitur in duas. In prima ostendit, quod cum septem sint ordines, propter significandam scilicet gratiam septiformem, quod nemo digne accipit ordines, qui non est in gratia; et haec est dispositio interior. In secunda vero determinat de dispositione exteriori, quae quidem est tonsura, ibi: *In hoc igitur Sacramento septiformis* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de ordine in generali, de quo secundum duo, quae in littera[3] determinantur, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de ordinis signaculo.

Secundo quaeritur de ordinis Sacramento.

Et cum ordinis signaculum sit tonsura vel corona, circa hoc quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum ordinandi debeant coronari vel tonsurari.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, utrum corona illa sit Sacramentum.

Tertio, utrum in susceptione coronae fiat abrenuntiatio temporalium.

Quarto, utrum Ecclesia talibus teneatur ad temporale subsidium.

---

1 Hug., loc. cit. c. 12.

2 Cfr. supra d. XIII. c. 1. circa med.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

1 Cfr. supra d. 2. dub. 1. et d. 23. dub. 1. — Inferius pro *in qua* cod. G *quae*.

2 Ed. 1 *infra dist. 25.* — Superius pro *enim* plures codd. *tantum*.

3 Cfr. *divisio textus.* — Inferius pro *vel corona* edd. cum aliquot codd. *cum corona*.

ARTICULUS I.

De ordinis signaculo.

QUAESTIO I.

Utrum ordinandi debeant tonsurari sive coronari.

Quantum ad primum ostenditur, quod non debeant clerici *tonsurari.*

Ad oppositum.

1. Ieremiae quadragesimo nono [1] comminatur Dominus his: *Dispergam eos in omnem ventum, qui attonsi sunt in comam:* si ergo Dominus hoc detestatur, videtur etc.

2. Item, ad Galatas ultimo [2]: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque praeputium, sed nova creatura:* ergo nihil valet in nova lege capillos tondere.

3. Item, caesaries a natura data est in decorem [3]; sed omnia gratuita salvant ea quae sunt de decore naturae: ergo in nullo Sacramento videtur deponenda caesaries.

Item, videtur, quod non debeant *coronari:*

4. Primum, quia veritas debet respondere figurae; sed, ut Magister [4] dicit, ista capillorum amotio in voto Nazaraeorum fuit praefigurata; sed illi non faciebant coronam, sed totaliter radebant, sicut dicitur Numerorum sexto: ergo etc.

5. Item, amotio capillorum significat amotionem superfluorum [5]: si ergo non pars superfluitatis, sed tota abiicienda est; videtur, quod totum caput radendum sit.

6. Item, coronae signaculo consueverunt signari stulti [6]; sed clericos non decet nisi signum sanctitatis et honestatis: ergo videtur, quod nullo modo debeant coronari.

Quaest. incid. 1.

Quaeritur igitur, quae est ratio, quare tonsurantur et coronantur *clerici;* et quae sit differentia inter coronam et tonsuram; *et rursus,* quare *conversi* religiosi tonsuram recipiant, sed non coronam.

Quaest. incid. 2.

— Quaeritur etiam, quare in huius Sacramenti susceptione potius consignantur fideles quam in susceptione alterius Sacramenti?

CONCLUSIO.

Clericos tonsurari cum corona conveniens est ad distinctionem et eruditionem.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut infra [7] melius videbitur, in Sacramento ordinis datur potestas ad illud nobile officium exsequendum, et haec non omnibus datur nec omnibus dari debet; ideo oportet, personas hoc officium suscipientes primo consignari, et hoc signaculo, quod ostendat *distinctionem,* et quod etiam sit in *eruditionem.* (Finis duplex.) Nullum autem ita conveniens est, ut *tonsura* cum *corona:* primo ratione *situs,* quia in superexcellenti parte debet hoc signaculum poni, ut significetur officium nobilitatis, ad quod [8] parati sunt. (Ratio duplex.) Secundo vero, quia tonsura inferior cum rasura superiori circularem figuram faciunt in capillatura; et illa appellari potest *corona,* quae significat, eos parari ad regale sacerdotium, secundum illud primae Petri secundo [9]: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium;* ideo signaculum regale rectissime eis competit ad *distinguendum.* (Conclusio 1.)

Competit nihilominus ad *erudiendum;* et hoc, quia in talis signaculi collatione est superfluitatis *amotio,* est summitatis capitis *denudatio,* est figurae orbicularis *impressio.* (Conclusio 2.) (Triplex instructio. Prima.) — In primo instruuntur clerici, quid sit *vitandum,* quoniam superfluitas terreneitatis, secundum illud Apostoli primae ad Timotheum ultimo [10]: *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.* Unde et in hoc significatur, quod debent esse *succincti lumbos mentis.* — In secundo instruuntur quantum ad id quod est *desiderandum* et quod est tenendum, et hoc est bonum supernum, ut, secundum illud Apostoli (Secunda.)

---

[1] Vers. 32.

[2] Vers. 15.

[3] Isidor., XI. Etymolog. c. 1. n. 28: *Capilli* vocati, quasi *capitis pili,* facti, ut et decorem praestent etc. August., Enarrat. in Ps. 51. n. 9, dicit, quod « capilli non superflue facti sunt a Deo in corpore hominum, sed ad aliquod ornamentum ».

[4] Hic c. 4, ubi etiam modum radendi ex Num. 6, 18. proponit. Cfr. Act. 21, 24.

[5] August., Enarrat. in Ps. 51. n. 9: Nam isti capilli superflua rerum temporalium significant. Cfr. Enarrat. in Ps. 140. n. 8.

[6] Teste Aristophane, tonsura capillorum signum erat servitutis. Dicit enim in Avib.: Δοῦλος ὢν, κόμην ἔχεις i. e. servus cum sis, comam habes sive nutris? Secundum Gregor. Turon., III. Histor. Francor. c. 18, Chrotechildis regina aiebat: Satius enim mihi est, si ad regnum non eriguntur [filii], mortuos eos videre quam tonsos.

[7] Art. 2. q. 2. — Inferius post *exsequendum* [cod. G *exercendum*] Vat. prosequitur *et quoniam haec* etc. Subinde pro *hoc officium* multi codd. perperam *hoc signaculum.*

[8] Codd. I K *significetur nobilitas, ad quam.*

[9] Ver. 9: Vos autem genus etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[10] Vers. 8: Habentes autem alimenta... his contenti simus [ita etiam codd. F Z]. — Seq. locus est I. Petr. 1, 13. Cfr. Eph. 6, 14.

ad Philippenses tertio [1], *nostra conversatio sit in caelis. Mente* enim debemus *excedere Deo* et *sobrii* esse proximo. — In tertio instruuntur, qualiter sit *perveniendum*. Figura enim orbicularis est *simplicissima, capacissima* et *pulcherrima*. In quo significatur, quod *simplices* debent esse in mente, Sapientiae primo [2]: *In simplicitate cordis quaerite illum* etc.; *dilatati* in affectione, secundae ad Corinthios sexto: *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est;* et *pulcri* in conversatione, quia *confessio et pulcritudo in conspectu eius*, et hoc est per munditiam, secundum illud Psalmi: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.*

Tertia.

Et sic patet, quare sic debeant consignari per *tonsuram* et *coronam*. Nam *tonsura* dicitur amotio capillorum a parte inferiori; sed *corona* amotio capillorum orbicularis a parte superiori; vel posset dici etiam ipse *circulus*, et tunc corona utrumque comprehenderet [3].

Notandum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Dominus minabatur his qui huiusmodi tonsuras observabant; verum est, his qui faciebant ad cultum daemonum [4], sed non his qui faciunt ad cultum divinum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in Christo Iesu non valet circumcisio etc.; intelligendum est, quod per se non valet ad *iustificationem* capillorum amotio, verumtamen ad *eruditionem* valet [5], valet etiam ad *distinctionem*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod caesaries decorat naturam; dicendum, quod decor naturae duplex est: quidam *spiritualis* et quidam *corporalis*. *Spiritualis* decor per gratiam non aufertur, sed augetur; sed corporalis vanus est, secundum illud Proverbiorum ultimo [6]: *Vana est pulcritudo;* et iste non est servandus, immo contemnendus ab his qui interiorem volunt servare, secundum illud Apostoli, secundae ad Corinthios quarto: *Etsi is qui foris est homo noster, corrumpatur* etc., et licet contemptibilis fiat extra, tamen decorus et honorabilis fit intra. Et in hoc significatur, quod huiusmodi cultura exterior est a spiritualibus fugienda.

Duplex decor.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de Nazaraeis, quod totaliter radebantur etc.; dicendum, quod non oportet, veritatem per omnia assimilari umbrae, quoniam diversa diversis temporibus conveniunt. Illi enim primo servabant capillaturam et post radebant; in quo significabatur velamen legis Moysaicae et revelatio evangelicae; sed hic partim raditur, partim reservatur, ut signaculum regale maneat. Plus enim fit corona, ut sit signaculum *distinctivum* quam *figurativum;* e contrario erat in voto Nazaraeorum. — Et per hoc patet sequens. Nam sufficienter *abdicatio terrenorum* figuratur in *tonsura* — et ideo conversi laici tonsurantur, qui mundum reliquerunt [7] — et *apertio mentis* significatur per *summitatis rasuram;* ideo non oportet, totam amoveri capillaturam. *Praeterea*, in ipsa significatione *honestas* debet attendi; et ideo non debent omnino capilli amoveri, pro eo quod indecens videretur habitus et forma clericalis.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de stultis, dicendum, quod non solum *stulti* coronantur, sed etiam *reges;* et ideo non est principaliter stultitiae signum; verumtamen et hoc non vacat a mysterio. Qui enim volunt vere Deo servire, oportet, quod stulti fiant huic mundo: *quoniam enim in sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* [8]. Unde primae ad Corinthios quarto: *Nos stulti propter Christum* etc.

Alia duo, quae quaeruntur, ex praedictis manifesta sunt, scilicet de tonsura conversorum et de coronatione clericorum: illi enim tondentur, quia temporalibus renuntiant; hi consignantur, quia ad spirituale [9] et nobile officium assumuntur.

Ad quaestiones incid.

---

[1] Vers. 20: Nostra autem conversatio in caelis est. — Subinde respicitur II. Cor. 5, 13: Sive enim mente excedimus, Deo, sive sobrii sumus, vobis. — Pro *excedere* edd. *accedere*.

[2] Vers. 1. — Seq. locus est II. Cor. 6, 11; tertius Ps. 95, 6; quartus Ps. 100, 6. — De praestantia *circuli* vide Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 12. (c. 2.); II. text. 22. seqq. (c. 4.); V. Metaph. text. 11. (IV. c. 6.); et August., de Quantit. animae, c. 11. n. 17. seqq. Honorius Augustod., I. Gemmae animae, c. 195: Rotunditas autem, quae remanet crinium, est ornatus virtutum; capilli vero in circulum coaequantur, quia omnes virtutes in concordia caritatis consummantur etc.

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 4, et Isidor., II. de Offic. eccles. c. 4. n. 4. — Post *vel* Vat. cum pluribus codd. addit *corona*.

[4] Sic idololatrae sacerdotes, qui erant Isidis sacris devoti, caput radebant (cfr. Hieron., XIII. in Ezech. 44, 17, et Ambros., Epist. 58. n. 3.); cuius sacerdotium aucupatus, Commodus Caesar caput rasit, ut refert Spartianus.

[5] Plures codd. *valet tamen ad eruditionem.*

[6] Vers. 30. — Seq. textus est II. Cor. 4, 16: Sed licet is etc.

[7] Cfr. Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 6. p. II; August., de Opere monachor. c. 31. n. 39. seq. — Mox post *summitatis* in cod. X secunda manus addidit *capitis* (cfr. hic lit. Magistri, c. 4.).

[8] Epist. I. Cor. 1, 21: Nam quia in Dei sapientia etc. — Seq. locus est ibid. 4, 10. — Gregor. Turon., I. de Gloria Martyr. c. 28: Petrus Apostolus (an. 66, 29 Iun.) ob humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit etc. Beda, V. Histor. Gentis Anglor. c. 22: Neque vere ob id tantum in coronam attondimur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam dominicae passionis ita attonsus est, idcirco et nos, qui per eandem passionem salvari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus etc.

[9] Cod. L (E a secunda manu) *speciale*, alii codd. et ed. 1 *facile*.

SCHOLION.

I. Secundum vim nominis ordo est « rerum parium dispariumque unicuique sua loca tribuens congrua dispositio » (August., XIX. de Civ. Dei, c. 13.), sive aliis verbis, « dispositio superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptae sunt, ut una ad alteram referatur. Cum itaque in hoc ministerio multi sint *gradus* et variae *functiones*, omnia vero certa ratione distributa sint et collocata; recte et commode *ordinis* nomen ei impositum videtur » (Catech. Rom., de Sacram. ord. n. 9.). Notandum etiam, quod *ordo* saepe sumitur pro *ordinatione*, quae proprie est *causa transiens*, ille vero *effectus permanens*, haec *actio et Sacramentum*, ille *status* et potestas, non Sacramentum (cfr. infra a. 2. q. 2.). — Ad quatuor huius articuli qq. alii antiqui eodem sensu, sed brevius respondent.

I. In 1. quaestione S. Doctor pro more suo sagaciter et copiose explicat sensus mysticos horum rituum externorum.

De 1. et 2. quaestione: Scot., in utroque Scripto hic q. unica in fine. — S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. 2. — B. Albert., hic a. 13. 14. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

III. De 3. quaestione: S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3. — B. Albert., a. 15. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. loc. cit. a. 3. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

Quartam quaestionem alii, excepto Petro a Tar., locis citt. tantum tangunt in solutionibus obiectorum, alii eam prorsus omittunt.

QUAESTIO II.

Utrum corona sit Sacramentum.

Secundo quaeritur, utrum corona sit Sacramentum. Et quod sic, videtur:

1. Quia « corona est signaculum », sicut dicitur in littera [1]; et est signum rei sacrae, scilicet elevationis mentis ad caelestia: ergo videtur, quod corona sit Sacramentum. *(Ad oppositum.)*

2. Item, in spiritualibus corporalia non fiunt propter corporalia, sed propter spiritualia: ergo talis consignatio in capillis fit propter spiritualem significationem; sed signum exterius, cui respondet interius, est Sacramentum [2]: ergo etc.

3. Item, corona non datur a quolibet, sed ab episcopo, vel personis, quae habent dignitatem specialem [3]: ergo importat aliquam excellentiam; sed non quantum ad id quod est exterius, quia barbarus potest eam facere: ergo quantum ad id quod est interius: ergo etc.

4. Item, ex corona efficitur aliquis et dicitur clericus; sed clericus et laicus distinguuntur: si ergo omnes fideles aut habent Sacramentum ordinis, aut laici dicuntur; videtur, quod coronati recipiunt in tonsuratione [4] vel coronatione Sacramentum ordinis.

Contra: 1. Non distinguuntur nisi septem gradus, sicut assignantur in littera [5]; sed corona antecedit omnes illos gradus: ergo non ponit in aliquo gradu ordinis, ergo non est Sacramentum ordinis; nec aliud, constat: ergo etc. *(Fundamenta.)*

2. Item, in omni ordine traditur aliqua potestas; sed in corona nulla omnino traditur: ergo corona non est ordo. *Prima* patet per definitionem ordinis [6]; *secunda* manifestatur in collatione coronae, ubi non fit mentio de aliqua potestate.

3. Item, in ordinibus datur nobile Sacramentum, ac per hoc debent cum magna solemnitate dari, unde non dantur nisi in Missa; sed corona datur extra Missam [7]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Corona clericorum nec est Sacramentum nec ordo, sed tantum dispositio quaedam ad utrumque.

Respondeo: Dicendum, quod sicut in transeuntibus de uno statu ad alium praemittitur aliquid praeparatorium, quod non *ponit* in statu, sed *disponit;* sic in proposito intelligendum est. Nam suscipientes ordinis Sacramentum in quodam speciali statu inter fideles collocantur. Unde quemadmodum inter statum saecularem et religiosum medius est novitiatus, in quo nec saecularis nec religiosus est proprie, cum non voverit ea quae sunt religionis servare; et sicut inter fideles et infideles medii sunt catechumeni, qui tamen non sunt inter fideles computandi, immo hora communionis de ecclesia consueverunt emitti, sicut novitii de capitulis: sic clerici medii sunt, in quantum habent tonsuram, inter laicos et ordinatos. Quia tamen signum istud omnibus tonsuratis, sive sint ordinati, sive non [8], est *(Axioma.)* *(Similia.)*

---

[1] Hic c. 4. — Supra lit. Magistri, d. I. c. 2: Sacramentum est sacrae rei signum.

[2] Vide supra lit. Magistri, d. I. c. 4.

[3] Cod. H et ed. 1 *spiritualem.* Mox pro *importat* cod. A *spectat ad.*

[4] Cod. O *tonsione*, edd. *susceptione*, cui cod. L (E a secunda manu) addit *coronae*, nonnulli codd. omittunt *in tonsuratione vel coronatione.*

[5] Hic c. 3. — Inferius pro *ponit* edd. *ponitur.*

[6] Hic in lit. Magistri, c. 13. positam.

[7] Pontificale Roman. dicit: Clericatus seu prima tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest.

[8] Fide codd. A F G H I K O X aa supplevimus *tonsuratis, sive sint ordinati, sive non.* In fine corp. pro *commune signaculum* codd. L U *coronae signaculum.*

commune; ideo omnes *clerici* nuncupantur, et confunditur nomen. Sicut ergo novitiatus non est religio, sed ad religionem disponit; et catechumenatus sive catechizatio non est baptismus, sed dispositio Conclusio. et praeparatio: sic commune signaculum non est Sacramentum nec ordo, sed tantum dispositio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod est sacrae rei Solutio oppositorum. signum; dicendum, quod ista non est *tota ratio* Sacramenti, sed amplius oportet addere. Non enim sufficit *signatio*, nisi etiam aliquid ibi conferatur; quod cum non fiat in corona, quia nulla traditur spiritualis potestas, patet, quod non est ordo.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non fit nisi propter spirituale; dicendum, quod verum est, quod Notandum. corona fit propter spirituale, non tamen propter spirituale *officium*, quod *ibi detur*, sed quod *figuratur*, et ad quod homo configuratur et praeparatur [1]; et ideo non frustra fit.

3. Ad illud quod obiicitur, quod datur a persona excellenti; dicendum, quod eiusdem est praeparare materiam et formam adducere; et quoniam praeparat ad ordinis Sacramentum, qui ponit hominem in *statu* excellentiae, et qui etiam [2] traditur a personis excellentibus; ideo et corona, non ratione sui, sed ratione eius ad quod disponit.

4. Ultimum quod obiicit, iam determinatum est, quia nec *laicus* est proprie nec *ordinatus*; sed tamen magis se tenet cum *ordinato:* sicut novitius plus appropinquat ad statum religionis et sicut dicitur *religiosus*, quamvis non *professus* dicatur; sic habens coronam dicitur *clericus*, cum tamen non sit *ordinatus* [3]. Et sic patet totum.

QUAESTIO III.

Utrum in susceptione coronae fiat abrenuntiatio temporalium.

Tertio quaeritur, utrum in susceptione coronae fiat abrenuntiatio temporalium. Et quod sic, videtur:

1. Primo per illud quod dicunt in susceptione Ad oppositum. coronae: *Dominus pars hereditatis meae et calicis mei; tu es, qui restitues hereditatem meam mihi* [4]; sed non *restituitur*, nisi quod *datur* et *dimittitur:* si ergo clericus petit *restitutionem* hereditatis, implicat eius *dimissionem.*

2. Item, super hoc dicit Hieronymus [5]: «Dominus cum his partibus, scilicet transitoriis, pars fieri dedignatur»: restat ergo, quod *Deum* in partem suam non habeant, aut *hereditate alia* careant.

3. Item, Hugo de sancto Victore in libro de Sacramentis [6]: «Aliam terram non debet clericus habere nisi Deum et ea quae ad Deum spectant; cui statutum est de decimis et oblationibus, quae Deo offeruntur, sustentari».

4. Item, ad maiorem perfectionem tenentur clerici novi quam veteris testamenti — unde Matthaei quinto [7]: *Nisi abundaverit iustitia vestra* etc. — sed sacerdotibus et levitis dicitur Deuteronomii decimo octavo: *Non habebunt sacerdotes et levitae, et omnes qui de eadem stirpe sunt, partem et hereditatem cum reliquo populo Israel:* ergo si illi ad hoc tenebantur, multo fortius videtur de clericis novi testamenti.

5. Item, tonsura significat temporalium abdicationem, et corona elevationem ad caelestia, sicut dicit Magister in littera [8]: ergo vel est falsum signum, vel clericus non debet habere patrimonium sive aliquam possessionem temporalium.

Contra: 1. Ieremias fuit de ordine sacerdotali, Fundamenta. sicut patet in principio [9]: *Verba Ieremiae* etc., et tamen dicitur Ieremiae trigesimo secundo: Dixit Hanameel Ieremiae: *Posside agrum meum, qui est in Anathoth, quia tibi competit hereditas:* ergo competebat illis hereditas. Si ergo veritas respondet figurae, videtur etc.

2. Item, Levitici vigesimo quinto [10]: *Aedes levitarum, quae in urbibus sunt, semper possunt redimi;* sed non sic erat de aedibus aliorum: ergo maiori libertate possidebant levitae quod habebant, quam alii: ergo etc.

3. Item, clerici possunt uxores ducere, filios procreare ante sacros ordines: si ergo non tenentur ad castitatem, ergo nec ad paupertatem: ergo non tenentur patrimonio renuntiare.

4. Item, nullus tenetur ad opera supererogatio-

---

[1] Edd. legunt: *quod ibi figuretur, et ad hoc, quod homo configuretur et praeparetur.*

[2] Pro *etiam* cod. I (P a secunda manu) *ordo sive status.* In fine solut. post *disponit* [Vat. *disponitur*] cod. aa supplet *traditur ab excellenti persona.*

[3] Hinc novitii et clerici gaudent privilegiis respectivis. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Psalm. 15, 5.

[5] Epist. 52. (alias 2.) n. 5. exponens Ps. 15, 5. ait: Quodsi quippiam aliud habuerit [clericus] praeter Dominum, pars eius non erit Dominus, verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur.

[6] Libr. II. p. II. c. 3. Pro *ad Deum* textus originalis *ad partem Dei.*

[7] Vers. 20. — Seq. locus est Deut. 18, 1, ubi Vulgata *tribu* pro *stirpe*, omisso subinde *populo.*

[8] Hic c. 4.

[9] Cap. 1, 1. — Seq. locus est ibid. 32, 8: Et venit ad me Hanameel, filius patrui mei... et ait ad me: Posside agrum meum, qui est in Anathoth in terra Beniamin, quia etc.

[10] Vers. 32. — De *minori* vide ibid. v. 29. seq.

nis, nisi voluntarie[1] se obliget: si ergo clericus in suscipiendo tonsuram non intendit patrimonio renuntiare, patet etc.

CONCLUSIO.

In susceptione coronae nullo iure compellitur clericus, ut renuntiet temporalibus quoad possessionem, sed potius quoad affectionem, et hoc tantum de bono et aequo.

Respondeo: Dicendum, quod renuntiare tempo-
Conclusio 1. ralibus in eo qui Ecclesiae deservit, sive in eo qui clericus fit, perfectionis est, non necessitatis. Unde et hoc fuit in Ecclesia primitiva, quod nihil habebat aliquis proprium, nihil *suum esse dicebat*[2], et adhuc hodie per Dei gratiam invenitur in religionis
Conclusio 2. perfectione. Ad hoc tamen non compellitur clericus, nec iure divino nec humano; verumtamen de bono et aequo minus debent insudare sollicitudini temporalium clerici quam laici, qui exspectant successionem in posteris; sed *nunc* illud, Ecclesiastis quarto[3], verificatum est: *Unus est et secundum non habet,*
Rationes. *et tamen laborare non cessat* etc. — Unde una ratio est, quia non exspectant posteros. Alia ratio est, quia magis debent esse intenti ad spiritualia, et sollicitudo temporalis excludit spiritualem[4]. Et ideo auctoritates loquuntur, quasi ipsi temporalibus omnibus debeant cedere et omnia dimittere. Sed hoc
Conclusio 3. non intelligitur quantum ad *possessionem*, sed potius quantum ad *affectionem*[5]; nec adhuc inducunt sibi novam obligationem super alios ex *debito*, sed solum de *bono* et *aequo*.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur de resti-
Solutio oppositorum. tutione hereditatis, dicendum, quod hoc non dicit, quia *dimittat ius*, sed quia *congruit*, ut *dimittat affectum*, ut circa divina sit intentus. — Et sic intelligitur illud quod dicit Hieronymus, et quod dicit magister Hugo.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de sacerdotibus et levitis, quod non debebant hereditatem habere; dicendum, quod illud intelligitur quantum ad *terrae* Notandum.
divisionem, non quantum ad *possessionem mobilium*, ut pecudum et domorum et suburbanorum ad pecora alenda. — Ratio autem, quare temporalis hereditas in possessione terrae non dabatur levitis, erat duplex: prima, quia ipsi ut cultores Dei Ratio 1. 2.
per totum populum debebant dispergi; secunda, ut circa divinum cultum magis essent intenti, quia non habebant, unde alias valerent sustentari[6]. Nunc autem clerici sunt de omni gente per totum mundum dispersi; et ideo illud praeceptum non mansit. Et *iterum*, sacerdotii Christi non tam fuit figura sacerdotium Aaron quam etiam Melchisedech, qui, secundum quod dicitur ad Hebraeos septimo[7], fuit rex et sacerdos, sicut et Christus. Et quamvis Dominus honorem regalem recusaverit propter exemplum humilitatis, et ipse pauper et mendicus fuerit; tamen propter suam dulcissimam benignitatem ad hoc alios non arctavit. Sciebat enim, quod melius est habere Notandum.
mercenarios quam nullos vel paucos filios; et ideo, caritate refrigescente[8], disposuit Spiritus sanctus, ut Ecclesia temporalibus abundaret, ne cultus Dei propter paupertatem et inopiam deperiret. Et istud aperte videtur, quia Ecclesiae pauperculae quasi nullum inveniunt rectorem, nisi sit talis, quod pro sui vilitate ab omnibus contemnatur. Unde nullatenus credendum est, *statum universalis Ecclesiae* Notandum.
aliter regi, quam disponat Spiritus sanctus, quidquid sit de *personis specialibus*[9].

QUAESTIO IV.

Utrum praelati Ecclesiae teneantur clericis quantum ad temporale stipendium.

Quarto quaeritur, utrum praelati Ecclesiae teneantur clericis quantum ad temporale stipendium. Et quod sic, videtur.

1. Primae ad Corinthios nono[10]: *Nescitis, quo-*
Argg. pro parte affirmativa. *niam hi qui in sacrario operantur, ea quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt cum altari participant?* si ergo clerici iam altari deserviunt: ergo etc.

2. Item, magister Hugo dicit in libro de Sacramentis[11]: « Postquam clericus factus est, debet deinceps de stipendiis Ecclesiae sustentari ».

3. Item, decretalis, libro tertio de clericis ordi-

---

[1] Codd. A G H K V *voluntate*. Mox post *clericus* multi codd. addunt *qui*.

[2] Act. 4, 32: Nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.

[3] Vers. 8. Vulgata post *non habet* subiungit *non filium, non fratrem*.

[4] Cfr. Matth. 13, 22. et Luc. 8, 14. — Cod. U *et minus ad temporalia, quia sollicitudo temporalis* etc.

[5] Gregor., X. Moral. c. 30. n. 49: Non est ergo census in crimine, sed affectus. — Inferius pro *alios*, quod habent codd. et edd. mallemus *alias*, scil. obligationes; nunc intellige: quam alii habent.

[6] Duplex haec ratio assignatur etiam ab Isidoro, Comment. in Iosue (quod reperitur etiam inter opera Bedae), c. 15. et 16. — Vat. perperam omittit *non* ante *habebant*.

[7] Vers. 1. 11. 17. — Inferius pro *sicut et Christus* codd. F I K *sic et Christus*. — Subinde respicitur Ioan. 6, 15: Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

[8] Matth. 24, 12: Refrigescet caritas multorum. — Inferius pro *quod* codd. E aa *qui*, et in fine solut. plures codd. *spiritualibus* pro *specialibus*.

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[10] Vers. 13. Vulgata omittit *hi* et *ea*. Codd. *participantur;* plures codd. *altario*.

[11] Libr. II. p. III. c. 2.

nandis [1]: «Non liceat ulli episcopo ullos ordinare clericos et nullas alimonias eis ministrare; sed duorum unum eligat: vel non faciat clericos, vel si fecerit, det illis, unde vivere possint». Unde alia decretalis Innocentii in eodem titulo [2]: «Tamdiu per ordinatores, vel per eorundem successores provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur».

Pro parte negativa. CONTRA: 1. Clerici non tenentur patrimonium dimittere [3]: ergo nec Ecclesia tenetur eis in necessariis providere.

2. Item, simplices clerici non tenentur Ecclesiae deservire: ergo nec praelati Ecclesiae tenentur eis necessaria ministrare.

Quaestio incid. Iuxta hoc quaeritur, utrum clerici, qui de bonis Ecclesiae sustentantur, utpote qui habent beneficium praebendale, teneantur ad horas canonicas. Et quod sic, videtur: quia, cum vivant de altari, debent altari deservire; sed servitium Ecclesiae a Patribus statutum est in horis canonicis dicendis [4]: ergo etc. — In oppositum vero huius est, quia, cum non sint in sacris ordinibus constituti, non videntur ad hoc teneri, cum ante possint omnia quae posse libertas dignoscitur laicalis.

CONCLUSIO.

Clericis ad sacros ordines promotis, non habentibus unde vivant, episcopus, qui eos ordinavit, tenetur providere in necessariis, secus non promotis ad sacros ordines, vel non indigentibus.

RESPONDEO: Dicendum, quod clericus ordinatus Distinctio. aut est ad *sacros ordines* promotus, aut *non*. Si Conclusio 1. sit ad *sacros ordines* promotus et non habeat unde vivat; cum ei teneatur Ecclesia tanquam ministro ad servitium Ecclesiae deputato, et ipse indigeat: dico, quod episcopus, qui eum promovit, sibi in necessariis providere tenetur. Si autem *non* est pro- Conclusio 2. motus ad sacros ordines, vel si patrimonium habet; non tenetur sibi Ecclesia vel episcopus providere: *primo,* quia non est obligatus ad serviendum Ecclesiae; *secundo* vero, quia non indiget. Et quamvis nemo teneatur *suis stipendiis militare* [5], quia tamen ipse promoveri voluit, deservire tenetur Ecclesiae ratione *ordinis;* nec tenetur sibi providere praelatus necessario, cum non possit indigentiam allegare. — Et totum hoc confirmatur per illud quod dicitur Confirmatur. in illa decretali Alexandri, libro tertio de Praebendis [6]: «Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum, vel presbyterum ordinavit, tamdiu ei necessaria vitae subministret, donec ei in aliqua Ecclesia convenientia stipendia militiae clericalis assignet, nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidia vitae possit habere». — Et si quaeratur ratio huius, ius divinum reddit, quia, cum talis obligetur ad serviendum Ecclesiae, debet etiam Ecclesia econtra obligari ad providendum ei in necessariis. — Et sic in- Ad argg. telligendae sunt auctoritates, quae de hac materia loquuntur; et patent rationes ad oppositum, quia procedunt de simplici clerico.

Ad quaest. incid. Quod vero quaeritur ultimo, utrum ad dicendum horas canonicas teneantur; per illud idem solvi potest. Quidam enim obligantur Ecclesiae, quia Ecclesia eis obligatur, utpote qui beneficia recipiunt Ecclesiae. In aliquibus est e converso, quia Ecclesia eis obligatur, quia ipsi primo per sacrorum ordinum susceptionem obligantur Ecclesiae. Unde apparet secundum ius commune, quod clerici in *sacris ordinibus* constituti tenentur ad horas canonicas ex *officio; infra* vero sacros ordines tenentur beneficiati ex *beneficio;* in *sacris ordinibus constituti et beneficiati* tenentur ex utroque; et hoc dictat ius canonicum [7], et concordat divinum [8].

ARTICULUS II.

De ordinis Sacramento in generali.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de Sacramento ordinis in generali, de quo quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum ordo sit in Ecclesia.

Secundo, utrum sit Sacramentum.

Tertio, utrum sit Sacramentum novae legis proprium.

Quarto, utrum sit Sacramentum unum.

---

[1] Extra de Praebendis et dignitatibus (tit. 5.), c. 2. Textus originalis omittit *ullos* et substituit *alterum* pro *unum.*

[2] Ibid. C. *Cum secundum Apostolum* (16.), ubi substituitur *eorum* pro *eorundem;* plures codd. et ed. 1 *providere* pro *provideri.* — Pro *Unde* edd. cum nonnullis codd. *Item.*

[3] Ut ostensum est quaest. praeced.

[4] Cfr. C. *Presbyter mane* (1.), X. de Celebratione Missarum etc. (lib. III. tit. 41.). Idem proposuit postea Clemens V. *Gravi nimirum* (1.), Clement. de Celebratione Missarum etc. (lib. III. tit. 14.). Cfr. C. *Generaliter sancimus* (40.), C. 16. q. 1. § 1, ubi dicitur, quod non detur beneficium nisi propter officium. — Inferius pro *ante,* quod cod. A omittit, in cod. E secunda manus substituit *adhuc.*

[5] Epist. I. Cor. 9, 7: Quis militat suis stipendiis unquam? — Inferius pro *necessario* cod. aa *necessaria.*

[6] Extra tit. 5. c. 4. Textus originalis *ordinaverit* pro *ordinavit* et *subsidium* pro *subsidia.*

[7] Cfr. canones supra nota 4. allegati.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

QUAESTIO I.

Utrum ordo sit in Ecclesia.

Quantum ad primum sic proceditur et ostenditur, quod in Ecclesia sit ordo:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicitur primae ad Corinthios duodecimo[1], quod Ecclesia similis est corpori organico; sed corpus organicum ad sui perfectionem necessario requirit ordinationem: ergo etc.

2. Item, hoc videtur Exodi vigesimo quinto[2]: *Vide omnia, et fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est:* ergo Ecclesia militans imitari debet triumphantem; ut enim dicit Apostolus, omnia haec exemplaria sunt caelestium. Si ergo in Ecclesia triumphante ordo est, ut in Angelis, patet etc.

3. Item, Ecclesia constituitur ex duplici pariete, scilicet laicali et clericali; sed in pariete laicali est ordo, utpote imperator, rex, dux, comes, tribunus, centurio et decurio, omnia haec ordinem dicunt: si ergo Ecclesia militat militia spirituali, videtur, quod et ipsa debeat esse *ut castrorum acies ordinata*[3].

4. Item, ubicumque est multitudo, aut confusa est, aut ad ordinem redacta est[4] ad regimen: ergo si in ecclesiastica multitudine confusio necessario vitatur, necesse est, quod ibi ponatur ordo.

Ad oppositum. Contra: 1. Ubicumque est ordo, ibi est distinctio; sed ut dicitur ad Galatas tertio[5]: *Omnes nos unum sumus in Christo* — intelligendum de omnibus fidelibus — ergo ibi non videtur esse ordo.

2. Item, ubicumque est ordo, ibi est determinata praelatio et subiectio; sed in Ecclesia quilibet se debet reputare infimum, sicut dicitur ad Philippenses secundo[6]: *In humilitate superiores sibi invicem* etc.; Lucae vigesimo secundo: *Quicumque voluerit inter vos maior esse* etc.

3. Item, ubi est ordo, ibi est praelatio et dominium, et ubi hoc est, ibi est aliqua subiectio et servitus; sed omnes fideles *in libertatem vocati sunt,* sicut dicitur ad Galatas quinto[7]: ergo inter fideles in Ecclesia nullus est ordo.

4. Item, si est ordo, aut ergo secundum bona *naturae,* aut secundum bona *fortunae,* aut secundum dona *gratiae.* Si secundum bona *naturae:* ergo ille debet esse superior, qui est industrior et qui fortior; et hoc falsum. Si secundum bona *fortunae:* ergo ille superior, qui ditior et potentior. Si secundum dona *gratiae;* sed nemo scit, quis habet de gratia plus vel minus: ergo nemo scit, quis sit subditus, aut quis sit praelatus: ergo non videtur, quod sit[8] aliquis ordo.

CONCLUSIO.

Ordinem esse necessarium in Ecclesia, duplici ratione probatur.

Respondeo: Dicendum, quod necessarius est ordo in Ecclesia duplici ratione, scilicet propter *pulcritudinem* et propter *rectitudinem.* — Cum enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset ordo, manifeste appareret *confusio,* et haec est multitudinis *foedatio.* Unde omnis sapiens, qui, eo ipso quod sapiens, *pulcritudinis* amator est, non producit multa sine ordine[9]; et in hoc maxime apparet sapientia Dei, quae inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ecclesiae. — Necessarius est etiam ordo propter *rectitudinem.* Etenim multitudo, cum est in statu, in quo deviare potest, errat, si non habet ducem nec rectorem, sicut dicitur tertii Regum ultimo[10]: *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, sicut oves non habentes pastorem.* Quoniam ergo multitudo Ecclesiae est in statu, in quo potest deviare, indiget capite et regimine; et cum unus non possit omnibus sufficere nec ad omnia: ideo oportuit se- Conclusio. Ratio 1. Ratio 2.

---

[1] Vers. 12. seqq. Cfr. Rom. 12, 4. seq. — Inferius pro *ordinationem* cod. X (a secunda manu) *ordinem.*

[2] Vers. 40: Inspice, et fac etc. Hebr. 8, 5: Vide, inquit, omnia facito secundum etc. Codd. F L *Vide, et omnia fac* etc. — Seq. locus est Hebr. 9, 23. seq.: Necesse est ergo, exemplaria quidem caelestium his mundari etc. Cfr. Bernard., III. de Considerat. c. 4. n. 17. seq.

[3] Cant. 6, 3. — In *maiori* respicitur Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. II. c. 3, quod inscribitur: *De duobus parietibus* Ecclesiae, clericis et laicis. — Pro *pariete* cod. O bis *potestate.*

[4] Cod. F *id est,* cod. Q addit *aut,* edd. *et.* Pro *ad ordinem* cod. E (a secunda manu) *per ordinem.* Cod. aa omittit *ad regimen.* Inferius pro *vitatur* edd. *evitatur vel vituperatur.*

[5] Vers. 28: Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. — Inferius verbo *intelligendum* (edd. *intelligendo,* cod. Y *intelligitur)* codd. F G praemittunt *sed hoc est,* codd. I K *sed tamen hoc est,* cod. bb *est.*

[6] Vers. 3. — Seq. locus, in quo plurimi codd. omittunt *esse,* exhibetur Luc. 22, 26. sic: Qui maior est in vobis, fiat sicut minor etc. Cfr. Matth. 20, 26: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Idem dicitur Marc. 10, 43. seq.

[7] Vers. 13: Vos enim in libertatem vocati estis, fratres. — Boeth., de Trin. c. 5. *dominium* definit, quod sit « potestas quaedam, qua *servus* coercetur ». — Superius pro *ubi* cod. Z *ubicumque.*

[8] Ita edd., codd. omittunt *quod sit.* Superius cod. F bis *bona gratiae* pro *dona gratiae.*

[9] Plato, Dialog. XIII. de Legibus (sive Legum append., qui vocatur Epinomis sive Philosophus), docet, omne quod ordinem habet, magnum argumentum sive indicium esse sapientiae (ed. Serran. tom. II. pag. 982). Cfr. Sap. 13, 3. seqq.; Rom. 1, 20. seqq. — Mox ex cod. L substituimus *in hoc* pro *inter haec.*

[10] Vers. 17, ubi Vulgata *quasi* pro *sicut.*

cundum plus et minus ecclesiastica officia et potestates distribuere, ut Ecclesia regatur et dirigatur sine errore[1]. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de unitate, dicendum, quod sicut in corpore nostro est considerare naturam, per quam est *unitas* et convenientia, et naturam, secundum quam est *distinctio* sive differentia — prima est complexio, secunda est organizatio — sic in corpore, quod est Ecclesia. Per naturam enim caritatis omnes *unimur,* sed per dona alia gratiarum, quae Apostolus enumerat primae ad Corinthios duodecimo[2], *distinguimur* et ordinamur.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod unusquisque se debet reputare inferiorem; dicendum, quod reputare se inferiorem est dupliciter: vel quantum ad *vitae meritum,* vel quantum ad *officium.* Quantum ad *vitae meritum,* quia nemo scit, quanti meriti sit, sic debet se reputare inferiorem; sed quantum ad *officium* non oportet, et quantum ad hoc attenditur ordo.

Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur de libertate, dicendum, quod libertas haec non excludit *subiectionem,* cum ipse Apostolus dicat ad Hebraeos ultimo[3]: *Obedite praepositis vestris* per omnia; sed excludit *ignominiam servitutis,* in qua est ille qui est *servus peccati,* et ita non excludit ordinem. — Vel dicendum, quod alii subiici est dupliciter, scilicet *timore* et *amore.* Qui subiicitur *amore,* ambulat in libertate spiritus[4] sicut filius; qui ex *timore,* est quodam modo servus; et in bonis et iustis non est subiectio per timorem, sed per amorem; et talis subiectio et praelatio et ordo in nullo praeiudicat libertati.

Notandum. Aliter.

4. Ad illud quod quaeritur, secundum quae dona attendatur ordo; dicendum, quod secundum dona gratiae *gratis datae,* quae quidem est potestas ad aliquod officium deputata; et de hac certi sumus certitudine probabilitatis, et haec stat et non variatur, etiam gratia *gratum faciente* abscedente; etsi enim gratia *gratum faciens* reddat dignum, talis[5] gratia *gratis data* collocat in ordine et gradu. Et sic patet totum.

SCHOLION.

I. Quod in Ecclesia debeat esse *ordo,* quatenus significat *gradus* distinctos, disponentes ad certa ministeria ecclesiastica, S. Bonav. duabus rationibus congruentiae, quae sumtae sunt ex *pulcritudine* et *rectitudine* Ecclesiae, egregie probat (cfr. Breviloq. p. VI. c. 12; nec non Concil. Trident. Sess. XXIII. c. 4. et can. 2.).

De 1. quaestione: Scot., hic q. unica n. 2. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. 2, q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 34. a. 1, q. 37. a. 1. — B. Albert. rem tangit hic a. 2. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. Quoad 2. quaestionem a Concilio Trident. (loc. cit. can. 3.) damnatur error dicentium, « ordinem sive sacram ordinationem non esse *vere* et *proprie* Sacramentum a Christo Domino institutum »; non tamen definitum est, *omnes* ordines, etiam *minores* habere rationem Sacramenti, quod plurimi recentiores contra plerosque antiquos valde probabiliter negant. — Scot. (loc. cit. n. 2. seq.) arguit contra definitionem ordinis, quod sit *ordinata potestas* etc., quam hic exhibet S. Bonav.; sed in ipsa re vix est dissensus (cfr. infra p. II. dub. 6, ubi explicatur definitio Magistri).

De eadem 2. quaestione praeter Scotum: S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 34. a. 3. — B. Albert. rem tangit a. 1. seqq. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., a. 3. q. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 1.

III. Pauci 3. quaestionem tractant, scilicet praeter Dionys. Carth., B. Albert., hic a. 33; Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2.

IV. Quaestionem 4. cum aliis resolvit S. Thom. (hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. ad 2; Suppl. q. 37. a. 1. ad 2.) eodem modo hisque verbis: « Distinctio ordinum non est *totius integralis* in partes, neque *totius universalis,* sed *totius potestativi,* cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius; et ita est hic ».

De 4. quaestione: Scot., loc. cit. n. 10. 11. — B. Albert., hic a. 2-4. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. ad 3. — Durand., hic q. 2. n. 9. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum ordo sit Sacramentum.

Secundo quaeritur, utrum ordo sit Sacramentum. Et quod sic, ostenditur:

1. Per divisionem Sacramentorum, quae ponuntur esse septem, inter quae et ordo connumeratur, quae divisio supra habita est, distinctione secunda[6].

Fundamenta.

2. Item, in Ecclesia est ordinata potestas, quae

[1] Haec ratio insinuatur in C. *Ad hoc dispensationis* (7.), d. 89. Cfr. etiam Plato, VII. de Legibus, ubi docet, reipublicae maxima provenire bona ex ordine, maximam vero perturbationem accidere, si nullus adsit ordo (ed. Serran. tom. II. pag. 780).

[2] Vers. 4. seqq. — Pro *alia* cod. L *aliarum.*

[3] Vers. 17. Verba *per omnia* sumta sunt ex Col. 3, 20: Filii obedite parentibus per omnia. Cfr. ibid. v. 22. — Subinde respicitur Ioan. 8, 34: Qui facit peccatum servus est peccati. Cfr. Rom. 6, 16. seqq. et II. Petr. 2, 19.

[4] Epist. II. Cor. 3, 17: Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas.

[5] Cod. L (F a secunda manu) *tamen.*

[6] Art. 1. q. 3. et dub. 1.

manifestatur per aliqua *signa* et confirmatur per *institutionem divinam*, et illa est res sacra; haec autem dicunt rationem Sacramenti perfectam[1]: ergo etc.

3. Item, illud est propriissime Sacramentum, quod maxime Deo consecrat in sui ipsius susceptione; sed tale quid est ordo ecclesiasticus — unde et *sacerdotes*[2] vocantur qui ad gradum supremum perveniunt — ergo ordo maxime est Sacramentum.

4. Item, illud potissime est Sacramentum, per quod Sacramenta cetera conferuntur et dispensantur; tale autem est Sacramentum ordinis[3]: ergo inter cetera videtur esse Sacramentum praecipuum.

Ad oppositum. Contra: 1. Omne Sacramentum est elementum sive signum, quod offert se sensibus[4]; ordo autem est quid relativum: ergo ordo non est Sacramentum.

2. Item, omne Sacramentum est in medicamentum secundum statum naturae lapsae[5]; sed ordo est ad perficiendum aliquos — unde non ordinantur, nisi qui quodam modo volunt aggredi opera perfectionis — ergo ordo cadit a ratione Sacramenti.

3. Item, in Angelis est ordo; et tamen non tenet rationem Sacramenti: ergo pari ratione nec in hierarchia inferiori. *Si tu dicas*, quod non est simile, quia ibi est totum spirituale; *obiicitur* de laicis, qui sunt de Ecclesia[6] et suscipiunt Sacramenta et habent ordinem et potestatem et signa potestatis, ut rex habet sceptrum et purpuram et coronam; et tamen ordo talis non est Sacramentum.

4. Item, ordo ita respicit quod est inferius, sicut quod est superius, quia, utroque destructo, destruitur ordo; sed ordo quantum ad subditos non est Sacramentum: ergo nec quantum ad alios. *Minor* patet, quia, cum omnes sint subditi, vel praelati, omnes haberent Sacramentum ordinis; quod manifeste falsum est.

5. Item, in hierarchia caelesti est « ordo, scientia et actio », sicut vult beatus Dionysius[7]: ergo si ei debet Ecclesia respondere, similiter videtur, quod sit in humana. Sed scientia et actio non ponuntur inter Sacramenta: ergo nec ordo.

CONCLUSIO.

Signum sensibile, quo confertur ordinata potestas spiritualis, quae recte dicitur ordo, est Sacramentum.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est Ordo duplex. notandum, quod *ordo* dupliciter dicitur. Uno modo dicitur ordo ipsa *relatio* ordinatorum, ut praelatio et subiectio; et haec non dicitur nec est Sacramentum. Conclusio 1. Alio modo dicitur ordo *ordinata potestas*, secundum quam ipsum subiectum potens habet ordinari dupliciter, scilicet ad *opus* vel ad ministerium, et habet etiam ordinari *ad alterum*; hanc autem potestatem dicimus *ordinis Sacramentum*. Conclusio 2.

Hanc autem necesse est poni in Ecclesia propter *regimen* et *decorem*, quae attenduntur penes ordinem, ut prius[8] visum est, quare debet esse in Ecclesia ordo. Ratio 1. — Sed principalior ratio, quare haec potestas debet conferri per modum Sacramenti, est propter *Sacramentorum dignitatem*, quae in Ecclesia dispensantur, et in quibus Deus colitur; quae ut non venirent in contemptum, non debuerunt omnibus committi dispensanda, sed personis specialibus[9]; et dum his committitur quod aliis non datur, datur his potestas, per quam speciali ordine situantur in Ecclesia Dei. Ratio 2. Et quoniam hi debebant ab aliis per *signa* aliqua secerni; et signum istud est rei sacrae: ideo potestas haec debuit ordinari per modum *Sacramenti;* et illud convenientissimum est. Cum enim sit ad Sacramentorum ordinatam distributionem[10], debuerunt ministri ad hoc ordinari per alicuius Sacramenti susceptionem, in quo datur potestas, per quam ministri Dei *ad ministrandum* et *inter se* etiam ordinantur; ideo recte *ordo* appellatur. — His visis, obiecta in contrarium de facili terminantur.

Solutio oppositorum. 1. Quod enim obiicitur, quod est elementum; dicendum, quod in *collatione* huius potestatis aliquod *signum* est extra, quod largo modo appellatur *elementum*, quoniam largo et extenso modo sumitur in definitione Sacramenti[11].

2. Ad illud quod obiicitur de medicamento, dicendum, quod ordo non est tantum in medicamentum respectu *suscipientis*, sed etiam respectu *aliorum;* unde maxime tenet rationem Sacramenti. Nec illud obviat quod dicitur, quod debet dari *perfectis;* quoniam nemo reperitur ita perfectus, quin ulterius possit perfici. Notandum. Unde quilibet hoc Sacramentum suscipiens aliquam gratiam recipit, si digne recipiat, per quam excluditur difficultas ministrandi in his quae pertinent ad cultum Dei.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ordo est in Angelis et in laicis; dicendum, quod utrobique deficit ratio Sacramenti: quoniam duo sunt quae integrant Sacramentum, scilicet *sensibile signum*, et

---

[1] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 2. 4, et Comment. p. I. q. 2. — De *maiori* vide hic lit. Magistri, c. 13.

[2] Id est Deo sacrati, sive ut hic in lit. Magistri, c. 11, dicitur, sacrum dantes. Varro putat, sacerdotes *a sacris* dici.

[3] S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3.: Praeterea « propter quod unumquodque, et illud magis » [Aristot. I. Poster. c. 2.]; sed propter ordinem efficitur homo dispensator aliorum Sacramentorum; ergo etc.

[4] Ut docet supra Magister in lit. d. I. c. 2. seqq. et d. VIII. c. 6.

[5] Vide supra d. 2. a. 1. q. 1. seqq.

[6] Non pauci codd. *in Ecclesia*.

[7] De Caelesti Hierarch. c. 3. § 1. Cfr. II. Sent. d. 9. Praenotata.

[8] Quaest. praeced. — Superius pro *dicimus* multi codd. *dicemus*.

[9] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 2. — Edd. male *spiritualibus*.

[10] Edd *dispositionem et distributionem*. Inferius pro *terminantur* cod. G *determinantur*.

[11] Cfr. supra d. 22. a. 2. q. 2. ad 1. — Plures codd. omittunt additam rationem *quoniam... Sacramenti*.

spirituale sive *sacrum signatum;* ratione primi deficit in Angelis, qui sunt omnino spirituales; ratione vero secundi deficit in laicis, in quibus ordo attenditur quantum ad potestatem terrenam, quae respicit bona *naturae* vel *fortunae* specialis personae vel reipublicae; in ecclesiastica vero hierarchia contingit utrumque.

4. Ad illud quod obiicitur, quod ordo respicit inferius etc.; dicendum, quod ipse obiicit de ordine, Notandum. prout dicit *relationem,* sed hoc modo non est Sacramentum, sed prout dicit *potestatem,* supra quam fundatur illa relatio; et haec ponit aliquid in his qui praeferuntur per aliquid sibi datum, nihil vero in his qui subiiciuntur [1].

5. Ad illud quod obiicitur, quod scientia et actio non dicunt Sacramentum; dicendum, quod scientia et actio sunt *annexa*, et ordo est *principale;* unde cum ponitur ordo esse Sacramentum, alia duo simul includuntur; et illud superius [2] tactum est, quando agebatur de potestate clavium.

QUAESTIO III.

Utrum Sacramentum ordinis sit novae legis proprium.

Tertio quaeritur, utrum Sacramentum ordinis sit novae legis proprium. Et quod non, videtur:

1. Quia in Psalmo [3] dicitur Christo: *Tu es sa-* Ad oppositum. *cerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech;* hoc dictum est de Christi sacerdotio, sicut exponit Apostolus ad Hebraeos: ergo sacerdotium Christi prius in Melchisedech praecessit: ergo et ordo. *Si tu dicas,* quod praecessit in figura; *contra:* ita praecessit ad figuram in sacerdotio Aaron: ergo debet dici secundum ordinem Aaron; quod tamen non decuit dici, ut Apostolus [4] ostendit.

2. Item, primae ad Corinthios decimo [5]: *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt:* ergo vere fuit sacrificium; sed ordo est ad sacrificium administrandum: ergo idem ordo et idem Sacramentum.

3. Item, Ecclesia est unica ab Abel usque ad finem mundi [6]; et in unica unitate unus debet esse ordo: ergo Sacramentum ordinis est unum in novo et veteri testamento.

4. Item, Sacramentum ordinis est de dictamine legis naturalis — et hoc patet, quia ab initio fuerunt sacerdotes, ut patet exemplo Melchisedech [7], et Hieronymus dicit — sed quod est de dictamine naturae semper idem perseverat, et hoc manifestum est in matrimonio: ergo idem debet esse ordo in veteri testamento et in novo: ergo Sacramentum hoc commune est, non proprium.

Contra: 1. Ad Hebraeos septimo [8]: *Translato sacerdotio, necesse est, ut et legis translatio fiat:* si Fundamenta. ergo Apostolus probat diversitatem legis per diversitatem sacerdotii; cum alia et alia sit lex, videtur, quod alius et alius sit ordo.

2. Item, «ordo est spirituale signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato [9]», utpote in supremo ordine traditur potestas conficiendi corpus Christi; sed hoc est proprium solius novae legis: ergo etc.

3. Item, Sacramenta novae legis alia sunt et nova: ergo ad dispensanda haec, cum sint maiora et digniora [10], maior et dignior potestas requiritur: si ergo Sacramenta, quae dispensantur, sunt diversa; ergo et Sacramentum, per quod dispensantur. Sed hoc est ordo: ergo etc.

4. Item, idem ordo non est iterandus [11]; sed ordinatus in lege, si veniat ad Evangelium, ibidem ordinatur: ergo videtur, quod alius sit ordo et aliud Sacramentum.

CONCLUSIO.

Sacramentum ordinis est proprium novae legis et in veteri praefiguratum.

Respondeo: Dicendum, quod sicut *signum* sortitur nomen *signati,* et e converso; et tamen *signum* et *signatum* sunt diversa: sic *figura* nomen Duplex sensus vocabulorum.

---

[1] Boeth., de Trin. c. 5, referens pro relatione exemplum de domino et servo, subinde ait: Sed non accidit servus domino, ut albedo albo, sed *potestas* quaedam, qua servus coercetur etc.

[2] Dist. 18. p. I. a. 3. q. 1. seq. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Psalm. 109, 4. — Hebr. 7, 11. 17. 21.

[4] Hebr. 7, 11. — Superius pro *contra* cod. U *hoc nihil est, quia,* edd. *respondeo,* quae etiam pro *ad* [codd. M aa *quoad,* cod. O *quantum ad*] *figuram* cum uno alteroque cod. *in figura.*

[5] Vers. 3. — Verbis *ergo vere* Vat. interserit *idem.*

[6] Cfr. supra pag. 184, nota 8.

[7] Gen. 14, 18. — Verba Hieron. (sumta ex eius lib. Hebraic. Quaest. in Gen. 14, 18.) exhibentur a Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in hunc locum, et in ipsis refertur opinio Hebraeorum contendentium, Melchisedech fuisse Sem, filium Noe. Cfr. eius Epist. 73. (alias 126.) n. 5. seq., ubi huic opinioni adiungitur, quod usque ad sacerdotium Aaron omnes primogeniti ex stirpe Noe fuerint sacerdotes etc.

[8] Vers. 12.

[9] Ut docet Magister, hic in lit. c. 13.

[10] Vide supra d. 3. p. II. a. 3. q. 1. in corp. verba Augustini. — Superius pro *et nova* cod. aa *a Sacramentis veteris legis.*

[11] Cfr. infra p. II. a. 1. q. 1. — De seqq. cfr. supra d. 2. a. 2. q. 3.

veritatis sortitur, et unum dicitur esse in alio, sicut *rota in rota*[1]; et tamen aliud est *figura*, aliud est *veritas*. Per hunc modum intelligendum, quod lex nova differt a veteri, et sacrificium a sacrificio, et ordo ab ordine. Unde sicut Sacramentum eucharistiae est novae legis proprium, quamvis in veteri lege fuerit sacrificium, quod erat huius signum; Conclusio. sic *spiritualis potestas*, secundum quam attenditur ordinis Sacramentum, est novae legis propria, *sacerdotium* similiter, quamvis inferioris[2] ordinis et sacerdotii praecesserit signum figurativum. Unde sicut multum differt inter agnum verum et typicum; sic multum, licet non tantum, differt inter potestatem offerendi hunc agnum et illum. — Et ideo concedendum, quod sicut baptismus et eucharistia sunt Sacramenta novae legis propria, licet in anterioribus fuerint praefigurata[3]; sic in sacra ordinatione.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod secundum ordinem Melchisedech; dicendum, quod hoc intelligitur secundum expressam praefigurationem, sicut ibidem[4] Notandum. Apostolus ostendit, quia praefiguravit Christum quantum ad *originem* et quantum ad *dignitatem* et quantum ad *ritum*: quantum ad *originem*, quia *sine genealogia*, scilicet expressa in Scriptura; quantum ad *dignitatem*, quia fuit *sacerdos* et *rex* et *Abraham benedixit;* quantum ad *ritum*, quia obtulit *panem et vinum*. Non sic in sacerdotio Aaron. Et ideo peroptime appropriat in Psalmo Spiritus sanctus, et eleganter valde exponit Apostolus.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod eandem escam manducaverunt; dicendum, quod hoc intelligitur non de manducatione *sacramentali*, sed *spirituali*, quae est per fidem et caritatem; et quia idem, quod nos, crediderunt et amaverunt: ideo eandem escam manducaverunt et de eadem Ecclesia fuerunt; nec tamen eadem signa sensibilia habuerunt nec eadem Sacramenta. Et ratio huius visa est supra[5], cum agebatur de Sacramentorum differentia. — Et per hoc patet ratio altera de unitate ecclesiastica, quia illa est secundum fidei convenientiam, non secundum Sacramentorum indifferentiam. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est de dictamine naturae; dicendum, quod verum est *in universali*, non *in speciali*. Bene enim dictat ratio recta, Deum esse colendum, et ad hoc speciales ministros constituendos; sed taliter colendum, et tale sacrificium offerendum, et talem potestatem collatam esse hominibus, hoc non est naturae, sed gratiae[6]. Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum ordo sit Sacramentum unum, vel plura.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum ordo sit Sacramentum unum, vel plura. Et quod sit unum, videtur:

Fundamenta. 1. Per divisionem Sacramentorum, quae dividuntur in septem[7]: si ergo alia non subdividuntur, videtur, quod ordo sit unum Sacramentum.

2. Item, Sacramentum unionis sive communionis est unum Sacramentum[8]: ergo pari ratione et Sacramentum ordinis.

3. Item, ab eodem est unitas, a quo est perfectio et complementum[9]; sed Sacramentum ordinis unum habet complementum, scilicet sacerdotium, quod complet omnes ordines praecedentes: ergo unum est Sacramentum.

4. Item, « quanto aliqua virtus potentior, tanto magis unita[10] »: ergo quanto Sacramentum maius et excellentius, tanto magis unum; sed Sacramentum ordinis est excellens et in statu excellenti collocat ordinatum: ergo etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Multiplicato inferiori, multiplicatur superius[11]; sed Sacramentum est superius ad ordinem: ergo cum sint plures ordines, sunt ergo plura Sacramenta.

2. Item, cum ordinis Sacramentum dividitur; aut in partes *integrales*, aut *subiectivas*[12]. Non *integrales*, quia nulla pars integralis recipit praedicationem totius, sed quilibet gradus ecclesiasticus recipit praedicationem sui totius. Si in *subiectivas:*

---

[1] Ezech. 1, 16. et 10, 10. Cfr. supra pag. 181, nota 3. — August., I. Locution. de Gen. n. 143: Multum haec locutio notanda est, ubi aliqua significantia earum rerum quas significant nomine appellantur; inde est, quod ait Apostolus [I. Cor. 10, 4.]: *Petra autem erat Christus*, non ait: Petra *significabat* Christum.

[2] Ed. 1 et plurimi codd. *inferius*, Vat. *istius*, cod. O *alterius*.

[3] Cfr. supra d. 8. p. I. a. 1. et 2.

[4] Hebr. 7, 1. seqq. Cfr. Gen. 14, 18. seq. — Circa finem solut. in edd. desideratur *Spiritus sanctus*.

[5] Dist. 1. p. I. q. 5. et d. 2. a. 1. q. 2.

[6] Cfr. supra d. 1. p. II. a. 1. q. 3. — Superius pro *taliter* multi codd. *talem*, edd. *tali cultu*. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Vide supra d. 2. a. 1. q. 3. et dub. 1. — Verba *in septem* Vat. transponit post *subdividuntur*.

[8] Ut ostensum est supra d. 8. p. II. a. 2. q. 2.

[9] Quod in naturalibus est forma substantialis; cfr. Aristot., II. de Anima, text. 7. (c. 1.); V. Metaph. text. 11, et X. text. 1. (IV. c. 6. et IX. c. 1.).

[10] Secundum auctorem libri de Causis, propos. 17. Cfr. supra pag. 508, nota 11.

[11] Cfr. supra pag. 197, nota 6. et pag. 412, nota 1.

[12] Vide supra pag. 382, nota 1. et pag. 397, nota 1. — Inferius post *sui totius* cod. A addit *quia dicitur ordo*, edd. vero cum nonnullis codd. substituunt *est ordo* pro *recipit praedicationem sui totius*.

ergo redit idem, quod prius, quod illud Sacramentum multiplicetur.

3. Item, hoc Sacramentum est ordinatum ad dispensationem aliorum Sacramentorum; sed alia Sacramenta differunt specie: ergo potentiae ordinatae ad illa debent differre specie[1]: ergo videtur, quod istud Sacramentum per species diversas plurificetur.

4. Item, sacerdos cum sacerdote habet convenientiam in Sacramento ordinis; sed sacerdos cum diacono habet distinctionem et differentiam; constat, quod non solum *materialem*, ergo *specificam* habet differentiam: ergo cum utrumque horum sit Sacramentum, videtur, quod ordinis Sacramentum diversas habeat species Sacramentorum.

CONCLUSIO.

Sacramentum ordinis est unum, habet tamen plures partes potestativas, unum perfectum Sacramentum constituentes.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum or-
Conclusio. dinis *unum* est, multas tamen habet partes, quae Sacramentum non plurificant, pro eo quod non sunt *omnino* partes *subiectivae,* et tamen recipiunt praedicationem totius, quia naturam habent quodam modo partium subiectivarum; et tales sunt partes
Ratio. *potestativae*[2]. Quae maxime competunt ordini: tum quia ordo dicitur *ordinata potestas,* quae ex ordinatione multorum ad unum redditur perfecta, et quodlibet illorum participat rationem *potestatis,* licet non *perfectionis;* tum etiam, quia ordo concernit distinctionem in partibus, sicut et *numerus.* Unde quemadmodum partes *numeri* quodam modo Notandum.
habent naturam partium *integrantium* in hoc, quod *simul convenientes* per ordinem reddunt *numerum perfectum,* ut partes senarii constituunt senarium, et tamen *quaelibet pars* numeri est numerus: sic omnes gradus ordinum unum faciunt Sacramentum perfectum, et tamen quilibet gradus ordo dicitur[3]. — Et concedendae sunt rationes ostendentes, hoc Sacramentum esse unum, quamvis aliquae non sint Nota.
multum cogentes.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod multipli- Solutio oppositorum.
cato inferiori etc.; dicendum, quod istud verum est in eo quod habet naturam *speciei* sive partis *subiectivae solum;* non sic est in proposito.

2. Ad illud quod quaeritur, utrum dividatur in partes integrales, aut subiectivas; dicendum, quod dividitur in partes *potestativas,* quae utrarumque partium habent naturam; unde sicut divisio *analogi* Notandum.
tenet medium inter divisionem *aequivoci* et *univoci*[4]*;* sic talis divisio medium tenet inter divisionem *totius universalis* et *totius integralis.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod ad dispensationem aliorum ordinatur; dicendum, quod principaliter ordinatur ad dispensationem Sacramenti altaris, quod unum est[5].

4. Ad illud quod obiicitur de differentia, dicendum, quod quodam modo est *specifica,* quodam Notandum.
modo *non.* Una enim *species* non disponit ad aliam, sicut unus ordo ad alium disponit; et ideo non est ibi *specifica* distinctio, sed tamen *aliquo modo* distinguuntur; quia tamen ad unum *complementum* ordinantur, ideo unum Sacramentum faciunt[6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de ordine istius Sacramenti ad praecedentia. Videtur enim male ordinari: quia hoc Sacramentum est ordinatum ad dispensandum omnia alia Sacramenta: ergo inter omnia alia videtur esse primum.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est lo-
Distinctio. qui de ordine: aut in *comparatione ad alterum,* respectu cuius est; aut *absolute respectu subiecti,* in quo est. Si in *comparatione;* sic verum est, quod Sacramentum ordinis in dispensatione[7] debet praecedere et *praecedit* omnia Sacramenta, prout ordinate suscipiuntur. Alio modo, prout consideratur *respectu subiecti* sui; sic, quia nemo ordinandus est, qui non sit dispositus per aliqua Sacramenta antea, maxime per baptismum, hoc modo *sequitur* necessario; et ideo baptismus, quia primo recipitur inter Sacramenta, ianua Sacramentorum appellatur[8].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod in *Sacramento septiformis gratiae septem sunt gradus.*

---

[1] Nam secundum Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.), potentiae specificantur per obiecta. Cfr. de hoc etiam tom. II. pag. 561, nota 3.

[2] Cfr. supra d. 16. p. I. dub. I. — Superius verbis *et tamen* in cod. bb secunda manus praemisit *non omnino integrales.* Subinde non pauci codd. omittunt *totius.* Inferius pro *perfectionis* Vat. *perfecte.*

[3] Cfr. infra p. II. a. 1. q. 2. ad 3.

[4] Vide tom. II. pag. 626, nota 7. — Superius post *potestativas* cod. Z addit *vel virtuales,* et post *naturam* subiungit *sed non totaliter.*

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 11.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Ita codd. F G K O R S T bb, alii et edd. *dispensante.* Inferius post *Alio modo* cod. U addit *est loqui de eo.* Subinde pro *sic* cod. aa *primo.*

[8] Cfr. supra d. 2. dub. 2. et d. 7. a. 3. q. 3; B. Albert., hic a. 1; S. Thom., hic circa lit.

Videtur enim male dicere, quia dona Spiritus sancti sunt connexa [1]; et isti gradus non sunt connexi necessario nec simul: ergo non videtur, quod istud Sacramentum sit gratiae septiformis. — Item, nulla videtur esse connexio horum ordinum ad dona Spiritus sancti [2], quia ostium custodire ad nullum donorum Spiritus sancti pertinere videtur.

Respondeo: Dicendum, quod verbum Magistri per quandam *appropriationem* intelligendum est, non per *proprietatem*, ita quod dona Spiritus sancti divisim dentur in ordinibus singulis; sed usus horum donorum septem his septem gradibus competenter aptari possunt, et hoc ascendendo a minori usque ad summum [3].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *corona regale decus significat.* Videtur enim male dicere, quia dicitur Exodi decimo nono [4] sacerdotibus, quod sunt *regnum sacerdotale:* ergo secundum hoc sacerdotium *adiacet* [5] regno, non e converso: ergo magis deberet dicere *regnum decorum.*

Respondeo: Dicendum, quod differentia est inter novum et vetus testamentum, inter comparationem *sacerdotii* et *regni.* Quoniam enim vetus testamentum erat adhuc carnalium et carnaliter viventium [6], ideo potestas saecularis erat principalior, et potestas sacerdotalis erat minor. Et ideo signanter dicebatur in Lege *regnum sacerdotale,* quia sacerdotium pendebat ex regno. Sed contra in nova dicitur, primae Petri capitulo secundo [7]: *Regale sacerdotium,* quia principalius est nunc sacerdotium quam regnum, et potestas spiritualis quam temporalis sive carnalis; sic enim competebat statui gratiae. Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Usus tonsurae ecclesiasticae a Nazaraeis exortus est.* Videtur enim male dicere, quia umbra est evacuata per veritatem: unde nullus modo debet legem Nazaraeorum observare, ergo nec ritum nec tonsuram.

Respondeo: Dicendum, quod ritus iste et usus non fuit inchoatus secundum *veritatem,* sed secundum *signationem;* signabatur enim, quod illi qui erant Domino dedicandi, deberent ab aliis segregari; in nulla autem parte corporis sic competit signari, sicut competit in capite [8].

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIV.

Pars II.

De gradibus et dignitatibus ordinum.

Ostiarii iidem et ianitores sunt etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 603.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de disponentibus ad ordinem. Hic agit de ordinibus. Et haec pars habet duas. In prima agit de gradibus ordinum. In secunda de dignitatibus sive officiis superadditis ordinibus, ibi: *Sunt et alia quaedam', non ordinum* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima ponit gradus ordinum, quos in littera [9] distinguit, et partes in suis locis manifestae sunt. In secunda vero assignat differentiam ordinum minorum ad maiores, ibi: *Cumque omnes sint spirituales* etc. In tertia vero determinat, in quo conveniunt, ibi: *Si autem quaeritur, quid sit quod hic vocatur ordo.*

Prima harum in septem partes dividitur secundum septem ordines, qui patent in littera, quaelibet suo loco.

Sunt et alia quaedam, non ordinum etc. Haec est secunda pars, in qua agitur de dignitatibus superadditis ordinibus; et haec pars habet tres secun-

---

[1] Vide III. Sent. d. 36. q. 2. — Mox *nec* cod. A *sed nec,* plures codd. *sed,* cod. G *licet.*

[2] Codd. addunt *ut videtur.*

[3] Scil. ut *ostiariis* attribuatur timor, qui est principium sive ostium sapientiae; exorcistis scientia etc. Cfr. infra p. II. a. 2. q. 4. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic circa lit.

[4] Vers. 6: Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale et gens sancta.

[5] Sensus est: *adiacet* ut adiectivum suo substantivo. — Mox pro *deberet* cod. K *debebat.*

[6] Cfr. Hebr. 7, 16, et supra pag. 500, nota 4.

[7] Vers. 9.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 4. et supra a. 1. q. 1. ad 4. 5; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. ad 2; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 3; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. ad 3.

[9] Hic c. 5. seqq.

dum tria, de quibus agit. Quaedam enim tenent nomina *officiorum* praecipue magis quam *dignitatum,* ut cantor et succentor; quaedam nomina *dignitatum,* ut archiepiscopus, patriarcha; quaedam media, ut episcopus, quod est nomen *dignitatis* simul et *officii,* ut dicit in littera[1]. Primo igitur agit de his quae dicunt officium et dignitatem. Secundo de his quae dignitatem, ibi: *Ordo autem episcoporum quadripartitus est* etc. Tertio vero de his quae dicunt officium, ibi: *Cantor sic vocatur, quod vocem* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de ordinibus in speciali, circa quos dupliciter dubitare contingit ad enodationem eorum quae Magister in littera[2] tangit.

Primo, quantum ad characteris impressionem.

Secundo, quantum ad numerum et distinctionem.

Quantum ad primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum in omnibus ordinibus imprimatur character.

Secundo, utrum unus vel plures.

Tertio, utrum habeant ordinem ad invicem.

Quarto quaeritur quantum ad signum exterius, quod ei respondet.

ARTICULUS I.

De ordinibus quoad characteris impressionem.

QUAESTIO I.

Utrum in omnibus ordinibus imprimatur character.

Circa primum sic proceditur et ostenditur primo, quod in omnibus imprimatur character:

Fondamenta. 1. Per definitionem ordinis[3]: « Ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato »: si ergo haec est recta ratio, competit omnibus ratio signaculi; sed non est signaculum materiale, sed spirituale, hoc autem est character: ergo etc.

2. Item, omne Sacramentum iterari potest, quod non imprimit characterem; sed nullus ordo potest iterari, sicut dicit Augustinus, et habetur in distinctione sequenti[4]: ergo in singulis imprimitur character.

3. Item, character est signaculum impressum, configurans nos Domino Iesu Christo; sed Dominus omnes ordines exhibuit, sicut Magister inducendo probat in littera[5]: si ergo in omnibus eidem configuramur, videtur, quod in omnibus character imprimatur.

4. Item, impressio characteris sive signaculi est ad distinctionem secundum aliquem statum; sed in omni ordine ponitur quis in statu ministrandi determinato: ergo in omni ordine imprimitur character.

Ad oppositum. Contra: 1. Character est signaculum spirituale: ergo in illis solis imprimitur, in quibus datur aliqua potestas nova et spiritualis; sed potestas omnium ordinum inferiorum est corporalis, ut aperire ostium sive custodire, prophetias dicere, candelabra deferre: ergo in his nullo modo imprimitur character.

2. Item, character est signaculum, quod respicit sive habet imprimi in imagine ad configurandam ipsam Deo; sed actus quorundam ordinum solum sunt circa ministeria inferiora: ergo si talia non spectant ad imaginem configurandam Deo, patet etc.

3. Item, character est signaculum indelebile: ergo si collocat hominem in aliquo statu, impossibile est ab illo statu recedere, quin fiat contumelia Sacramento[6]; sed qui sunt in minoribus ordinibus constituti possunt licite redire ad laicatum: ergo in eis character non imprimitur.

4. Item, character est signaculum perpetuum, quod manet in anima separata: ergo non debet imprimi nisi ad actum perpetuum; sed actus ministerialis istorum ordinum inferiorum non est perpetuus: ergo etc.

CONCLUSIO.

In omnibus ordinibus character imprimitur.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod character in *solo ordine sacerdotali* imprimitur, sed in ordinibus inferioribus solum Opinio 1.

[1] Hic c. 14. — Inferius pro *quod vocem* codd. B aa cum Magistro *qui vocem.*

[2] Hic c. 5. seqq.

[3] Hic in lit. Magistri, c. 13.

[4] Cap. 1, ubi adducuntur verba August., II. contra Epist. Parmeniani, c. 13. n. 28. — De *charactere* cfr. supra d. 6. p. I. per totam.

[5] Hic c. 5. seqq. — Verbo *exhibuit* Vat. praemittit *in semetipso*, cod. E a secunda manu *in se.*

[6] Cfr. supra pag. 600, nota 7.

disponitur quis ad talis characteris susceptionem. Propter suam enim nobilitatem de congruo exigit ordines inferiores habere praevios. — Sed cum ordines inferiores, saltem *sacri* [1], sint de perfectione Sacramenti, et in his fiat segregatio perpetua clericorum a laicis; non videtur in solo sacerdotio character imprimi.

Non probatur.

Et ideo dixerunt alii, quod character imprimitur in *omnibus ordinibus sacris*, sed non in minoribus. Et huius signum est, quia isti non possunt laicis commisceri, alii vero sic. — Sed cum nullus ordo iterari possit, et quilibet habeat aliquid de ratione Sacramenti; videtur, quod in quolibet sit aliquid, quod habet rationem *rei* et *signi* et rationem *signaculi perpetui;* hoc autem characterem dicimus: non igitur videtur, quod in illis solis imprimatur.

Opinio 2.

Non probatur.

Et ideo est tertia opinio probabilior, quod in *omnibus ordinibus* character imprimatur, sicut rationes expresse ostendunt. Cum enim character sit signaculum distinctivum et perpetuum et Christo configurativum; et hoc est in omnibus ordinibus reperire: non est dubitandum, characterem in omnibus imprimi.

Opinio 3. et conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod est signaculum spirituale; dicendum, quod in omnibus ordinibus datur potestas vel *spiritualis de se*, vel *ad spiritualem ordinans.* Unde potestas *ostiarii* est ad admittendum homines ad divinum sacrificium; potestas *lectoris* non solum ad excitandum auditum exteriorem, verum etiam interiorem; et sic de aliis, sicut melius patebit, quando agetur de distinctione ordinum [2].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de configuratione, dicendum, quod character ordinis, ut est consummativus [3], animam configurat Deo secundum imaginem ut assimilatam *Deo;* et hoc fit in ordine supremo. — Vel dicendum, quod magis proprie configurat tale signaculum *Christo;* unde cum Christus triplex habuerit officium, scilicet *ministri* in agendo, *pugilis* in patiendo, *redemptoris* in moriendo; triplex fuit Sacramentum, secundum quod homo Christo configuratur his tribus modis; unde tantum triplex est Sacramentum, in quo fit characteris impressio. Nam baptismus configurat *morienti* et *redimenti,* unde consepelitur homo in mortem [4]; confirmatio configurat *patienti* et *pugnanti,* ideo signum crucis fit in fronte; sed ordo configurat *ministranti* et *operanti,* sicut recte in littera [5] ostenditur. Et quia in omnibus configuratur quis Christo secundum plus et minus, ideo in omnibus character imprimitur.

Alia solutio.

Officia 3 Christi.

Notandum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de indelebilitate et perpetuitate, dicendum, quod character omnium ordinum manet in anima sive revertentis ad laicatum, sive morientis ut *signaculum distinctivum;* et hoc vel ad *gloriam*, si bene usus est, vel ad *ignominiam,* si male; nec oportet, quod maneat semper quantum ad *usum ministerii,* quia iste usus quodam modo convertitur in praemium [6]. Et per hoc patet ultimum.

SCHOLION.

I. Haec quaestio intime cohaeret cum alia quaestione, scilicet: utrum *omnes* ordines sint Sacramenta. *Antiqui* doctores, excepto Durando (hic q. 1. n. 9.), hoc affirmarunt « probabilius » etiam quoad ordines *minores;* unde cum S. Bonav. S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; Suppl. q. 35. a. 2.) reprobat 2. opinionem hic in corp. relatam. Durand. vero docet, quod « ordo proprie et simpliciter dictus, et qui est Sacramentum, est solum *sacerdotium,* comprehendendo sub sacerdotio episcopatum, qui est sacerdotium completum et perfectum; ceteri autem dicuntur ordines *secundum quid* nec sunt Sacramenta, sed potius quaedam sacramentalia, antecedentia ad sacerdotium de congruitate et non de necessitate ». — Sed de *numero* ordinum quaestio redit infra a. 2. q. 4, et ibid. q. 3. specialiter de *episcopatu,* ut est ordo et Sacramentum. — Nostra autem aetate plerique docent, quatuor ordines minores et probabilius etiam subdiaconatum non imprimere characterem nec esse Sacramenta; tamen presbyteratum et episcopatum certo habere rationem Sacramenti, et probabilius etiam diaconatum.

De hac 1. quaestione praeter citatos: Scot., hic q. unica n. 8. — B. Albert., hic a. 17. 25. 26. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2. — Durand., loc. cit. et praecipue q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 3.

II. De 2. quaestione Scot. (loc. cit. n. 11.) resolvit, « plures esse characteres, et probabilius, quod alterius speciei ». Omnes tamen ad unum finem ordinantur et unum Sacramentum constituunt, ut supra p. I. a. 2. q. 4. probatum est. Rem tangit S. Thom. locis citt. et q. 2. a. 1; Suppl. q. 37. a. 2.

De eadem: B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 23. 34. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. ad 2. — Durand., loc. cit. — Dionys. Carth. rem tangit hic q. 3. 5.

III. Solutio 3. quaestionis est communis; non autem hic comprehenditur etiam *episcopatus*, de quo cfr. infra a. 2. q. 3. fundam. 3. Cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 5; Suppl. q. 35. a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 3. — Durand., hic q. 3. n. 9.

IV. Quoad 4. quaestionem plurimi coaevi strictius quam Bonav. sustinent, quod tantum in porrectione instrumentorum cum verbis eam comitantibus imprimatur character. Plerique hoc generaliter intelligunt de omnibus ordinibus, etiam de sacerdotio, quod scilicet tradatur per calicis cum vino et patenae

---

[1] Scilicet subdiaconatus et diaconatus; qui non vocantur *minores,* sed cum sacerdotio *maiores.* Cfr. infra dub. 5.

[2] Art. 2. q. 1. et 4.

[3] Ita cod. E, alii codd. male *conservativus*, edd. *conservantis.*

[4] Rom. 6, 4: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. Cfr. Col. 2, 12. — Post *unde* Vat. addit *in ipso* et inferius voci *fronte* cum ed. 1 praemittit *media.*

[5] Hic c. 5. seqq. — De principio huius solut. (configurat *Christo*) cfr. supra d. 6. p. I. q. 2. ad quaest. incid. 2. — Mox post *in omnibus* secunda manus in cod. bb addidit *ordinibus.*

[6] Edd. *praemium vel supplicium.*

cum pane porrectionem, diaconatus autem per dationem libri Evangeliorum. Hoc disertis verbis etiam in Decreto pro Armenis ponitur. Sed iam amicus S. Bonaventurae Petr. a Tar. a generali regula excipit diaconatum et presbyteratum, quos tradi asserit impositione manuum. Hoc Durand. restringit ad diaconatum. — Cum autem orientalis Ecclesia utrumque sacrum Ordinem sola manuum impositione conferat, et Decretum pro Armenis quoad tradita de ritibus in Sacramentorum administratione observandis videatur esse potius instructio practica quam nova definitio dogmatica; recentiores theologi potius sententiae Petri a Tar. favent quoad ordines, quibus ratio Sacramenti *certo* competit. Hinc *speculative* loquendo, nunc valde probabile esse censetur, in collatione sacerdotii *manuum impositionem* cum forma *essentialiter* requiri, non vero *unctionem manuum;* multi etiam dicunt, contradicentibus aliis, ritum tangendi instrumenta esse tantum loco *materiae accidentalis.*

De eadem 4. quaestione: Scot., hic q. unica n. 8. seq. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; Suppl. q. 37. a. 5. — B. Albert., hic a. 38. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 3. — Durand., hic q. 3. n. 6. — Dionys. Carth., hic q. 6.

QUAESTIO II.

Utrum in diversis ordinibus diversi characteres imprimantur.

Secundo quaeritur, utrum in diversis ordinibus diversi characteres imprimantur. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia ordo omnis, naturaliter loquendo, est signaculum [1]: ergo cum sint plures ordines, sunt ergo plura signacula; sed illa signacula spiritualia characteres appellantur: ergo etc.

2. Item, potestates ordinum sunt simpliciter diversae, sicut patet in ostiario et acolytho — claudere enim ostium et ferre cereum, sive corporaliter, sive spiritualiter intelligatur, est actus omnino diversus — si ergo potestates distinguuntur per actus [2], et signacula distinguentia secundum diversitates potestatum: ergo diversi characteres.

3. Item, signum debet respondere signato, et signatum signo: si ergo septiformis gratia datur [3], quae est *res* ultima; et exteriora signa in diversis ordinibus simpliciter sunt diversa; videtur ex hoc, quod characteres, qui sunt signata et signa, sint diversi.

4. Item, si in quolibet ordine imprimitur *unus* character; cum in quolibet ordine imprimatur, ut supra [4] probatum est, tunc idem character iteratur; sed hoc est impossibile, et hoc facere est contumeliam facere Sacramento: videtur igitur, quod post primum ordinem, qui alium recipit, nihil recipiat, sed Sacramento contumeliam faciat. Sed hoc est inconveniens: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. In Sacramento baptismi non imprimitur nisi unus character, et similiter in Sacramento confirmationis: ergo pari ratione in Sacramento ordinis.

2. Item, Sacramentum ordinis essentialius respicit characterem quam aliquod aliud Sacramentum, in quo character imprimitur: si ergo ordo unum est Sacramentum [5], quantumcumque plurificetur, videtur, quod unus character in eo imprimatur.

3. Item, si plures et diversi characteres imprimuntur, aut ergo diversitate *specifica*, aut *numerali.* Non *numerali,* quia impossibile est, plura accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto [6]. Si *specifica;* sed ex diversis secundum formam et speciem, manentibus diversis, non fit unum, nisi unum sit *materiale* respectu alterius: si ergo character respectu characteris non est *materialis* et specie differt, ergo nunquam faciunt unum Sacramentum, si diversi sunt.

4. Item, natura inferior non facit per plura quod potest facere per unum [7], ergo nec natura superior: si ergo ordinati per unum characterem possunt distingui, sicut et baptizati; videtur, quod unus solus character in ordine imprimatur.

Quaeritur ergo, quae sit necessitas, quare plures characteres imprimantur. Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

In diversis ordinibus diversi imprimuntur characteres.

Respondeo: Dicendum, quod inter opinantes, in omnibus ordinibus esse characterem, duplex opinio esse consuevit.

Quidam enim dicere voluerunt, quod omnes ordines in *uno charactere* uniuntur, differente tamen secundum maiorem completionem et minorem, Opinio 1.

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 13. — Pro *ordo omnis,* quod habent codd. Q bb, maior pars codd. *ordo esse,* plures tantum *ordo,* ed. 1 *ordinis esse,* Vat. *ordo secundum esse,* quae etiam cum aliquot codd. *essentialiter* pro *naturaliter* et mox post *plura signacula* cum ed. 1 addit *spiritualia.*

[2] Cfr. supra pag. 619, nota 1. — Post *distinguentia* codd. F N aa addunt *sunt.*

[3] Cod. G addit *in diversis ordinibus,* ut insinuat Magister, hic in lit. c. 2. (Cfr. Comment. p. I. dub. 2.). Idem cod. G inferius post *ex hoc* legit: *quod etiam characteres sint diversi, qui* etc. Nos secuti cod. K (I a secunda manu) supplevimus in fine arg. *sint diversi* (codd. Q bb *sunt diversi*); cod. O pro *et signa* substituit *sunt diversa,* secunda manus in cod. P *sunt diversa sicut et signa.*

[4] Quaest. praeced. — Inferius pro *et hoc facere* Vat. *et hoc dicere.*

[5] Ut ostensum est supra p. I. a. 2. q. 4.

[6] Vide tom. II. pag. 119, nota 8. — Seq. propos. insinuatur ab Aristot., VII. Metaph. text. 49. (VI. c. 13.).

[7] Secundum Aristot.; cfr. tom. III. pag. 277, nota 1.

sicut si sigillum imprimatur in cera tenuiter et deinde fortius[1] et amplius, paulative procedendo secundum plus et plus, quousque veniatur ad statum perfectum. — *Si autem quaeras*, quae sit ratio talis impressionis; respondent breviter, quod hoc est propter characteris imperfectionem. — Sed si hoc esset, tunc impossibile esset promoveri ad sequentem ordinem, omisso priori, quod est contra iura[2]. — Si hoc verum esset, non esset differentia inter ordines nisi secundum magis et minus; quod est manifeste falsum, cum potestates in diversis ordinibus sint ad diversa ordinatae. — Postremo, si hoc esset, character reciperet *magis;* sed quaeritur, quare non reciperet *minus;* quodsi hoc esset, tunc esset delebilis. Quare etiam characteres aliorum Sacramentorum magis et minus non recipiunt, ut dicatur « baptizatus, vel confirmatus magis et minus[3] »? Quod cum non sit conveniens dicere, non est conveniens hanc positionem ponere.

Iidem ad quaest. incid.

Improbatur triplici ratione.

Et ideo dicitur aliter et probabilius, quod in diversis ordinibus diversi imprimuntur characteres. — Ratio autem huius est ista, quia non solum qui ad Dei cultum assumuntur distinguuntur ab aliis, immo etiam inter ministrantes ordo est et distinctio. Et *ulterius,* gradus illi et potestates ministrandi, si semel dantur, nunquam auferuntur, etiam si ad altius ministerium elevetur qui in minori ministraverat. Et ideo in diversis ordinibus diversa *signacula* debent imprimi, secundum quae nobis diversitas potestatum ministrandi et perpetuitas innotescat; tale autem signaculum est *character:* et ideo in diversis ordinibus diversi imprimuntur characteres. — Et concedendae sunt rationes hoc ostendentes.

Opinio 2. et conclusio.

Ad quaest. incid.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Sacramento baptismi et confirmationis, patet responsio, quod non est simile, pro eo quod non ponunt ita diversitatem, sicut ponit ordinis Sacramentum, quod de sui ratione implicat diversitatem graduum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod character essentialiter est Sacramentum; dicendum, quod verum est, sed non, nisi prout comparatur ad ulterius signatum. Sicut ergo una linea est scriptura[4], et duae et tres et quatuor; et tamen multarum linearum aggregatio ad unam sententiam exprimendam non est nisi una scriptura: sic in proposito est intelligendum, quia omnis talis animae configuratio ordinatur ad hoc, quod ei inscribatur signaculum, secundum quod homo Dei minister perfectus esse iudicatur. Et cum Sacramentum dicat quid *ad alterum*[5], et characteres uniuntur secundum quod *ad alterum;* ideo plures characteres unum faciunt Sacramentum.

Notandum.

3. Ad illud quod quaeritur, utrum differant specie, vel numero; dicendum, quod dupliciter est loqui de characteribus: aut *in se,* aut *prout uniuntur* in unitate et integritate Sacramenti. Si *in se*, sic differunt sicut diversae species numeri, sicut binarius et ternarius; si prout *uniuntur* in unitate Sacramenti, sic, quemadmodum binarius et ternarius constituunt senarium et habent rationem partis constitutivae, et complementum ponitur in senario[6]; sic intelligendum est in proposito suo modo, non sic simile omnino.

Distinctio.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, iam patet responsio, quoniam istud verum est et locum habet, quando per unum potest ita fieri, ut per plura[7]; hoc autem in proposito non est sic, pro eo quod oportet, ordinatos non solum ab aliis, sed etiam inter se distingui[8].

QUAESTIO III.

Utrum characteres diversorum ordinum sint essentialiter ordinati.

Tertio quaeritur, utrum characteres diversorum ordinum sint essentialiter ordinati. Et quod sic, videtur:

1. Quia maior est connexio ordinis ad ordinem quam ordinis ad baptismum, et characteris unius ordinis ad characterem alterius quam ad baptismalem; sed essentialis est ordinatio characteris ordinis ad baptismalem, sicut dicitur in decretali de Presbytero non baptizato, libro tertio[9]: Non baptizatus non potest ordinari — unde si de facto ordinatus

Ad oppositum.

---

[1] Ita codd. L aa bb, a quibus cod. E discedit tantum in eo, quod pro *tenuiter* substituit *tenera;* cod. K (I a secunda manu) *tenera tenet ideam fortius,* cod. U *teneri, ut ideam fortius et amplius paulative procedendo formet secundum* etc., alii codd. communiter cum edd. *tenuerit ideam fortius.* Superius pro *esse consuevit* cod. F *consuevit distingui.*

[2] Vide quaest. seq. — Aliquanto inferius post *si hoc esset* edd. addunt *verum.*

[3] Secundum August. supra pag. 99, nota 8. allegatum.

[4] Edd. *scripta.*

[5] Vide supra p. I. a. 2. q. 2. in corp. — Inferius pro *faciunt* cod. F *possunt facere.*

[6] Ut monstratum est supra p. I. a. 2. q. 4. in corp. Cfr. quaest. seq. ad 2, ubi de dissimilitudine huius exempli. — Superius pro *ternarius* edd. bis *quaternarius.* Cod. aa *quinarium* pro *senarium.* Mox post *suo modo* in cod. Q secunda manus addidit: *quod omnes characteres ordinantur et completam potestatem habent, quae completur in sacerdotio.*

[7] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 1. ad 2. — Verbis *ita fieri* Vat. interserit *bene.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Extra tit. 43. c. 1 : *Si quis presbyter* ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur.

est, debet baptizari et post iterum per ordinem ordinari — ergo character ordinis essentiali ordine praesupponit baptismalem: ergo etc.

2. Item, *ordo* magis competit ordini quam numero; sed sic est in numeris, quod numerus posterior necessario praeexigit priorem, in figura similiter posterior antecedentem — unde nunquam est quaternarius sine ternario, nec tetragonus sine trigono [1] — ergo nunquam est gradus secundus sine primo, nec tertius sine secundo, et sic de aliis.

3. Item, ex diversis formaliter non potest fieri unum, nisi ad invicem ordinentur [2]; sed omnes ordines unum completum reddunt ministerium: ergo necesse est, quod ad invicem ordinentur.

4. Item, si quis scienter promoveretur ad ordinem posteriorem, priori omisso, hoc ipso suspenditur ab exsecutione, sicut dicitur in decretali [3]; sed hoc non esset, nisi oporteret, ibi servari ordinem: ergo etc.

5. Item, ubicumque sunt gradus, oportet ponere ordinem; sed in Sacramento ordinis diversi ordines « sunt gradus spiritualium officiorum », sicut dicitur in littera [4]: si ergo per characteres in illis gradibus situantur, videtur, quod sit ibi essentialis ordo.

Contra: 1. In his, in quibus est ordo essentialis, destructo priori, destruitur posterius; sed non habito priori ordine, nihilominus habetur posterior, sicut patet in ordinatis per saltum, qui non sunt reordinandi: ergo etc. *Maior* patet per se, *minor* probatur per illud quod dicitur distinctione quinquagesima secunda [5], *Sollicitudo* etc., et Extra, de Clerico per saltum ordinato, *Tuae litterae* etc. Fundamenta.

2. Item, characteres comparationem habent sicut potestates et actus ordinum, ad quos ordines comparantur; sed in illis potestatibus nullus omnino est ordo, sicut in potestate expellendi daemones et ferendi cereos: ergo nullus est ordo in talibus characteribus.

3. Item, in his quae respiciunt corporale et spirituale, prius est corporale quam spirituale [6]; sed exorcizatio dicit liberationem a vexatione spirituum, sed acolythatus respicit officium illuminandi: ergo prior est ordo acolythi, quam sit exorcistae: non ergo recte ordinantur, cum unus dicatur ordo tertius, alter quartus.

4. Item, prius est quod liberat a malo, quam quod habilitat ad bonum; sed in secundo est habilitatio ad bonum, in tertio est liberatio a malo [7]: ergo videtur, quod tertius ordo sit prior quam secundus. Sed ita videtur, quod nullus sit ordo certus inter istos gradus.

CONCLUSIO.

Inter diversos ordines est ordo congruitatis, non necessitatis.

Respondeo: Dicendum, quod est ordo *necessitatis*, et est ordo *congruitatis*. Si ergo loquamur de ordine istorum graduum ecclesiasticorum; dicendum, quod non est ordinatio *necessaria* nec essentialis, pro eo quod ordo posterior haberi potest et suscipi sine priori. Si autem loquamur quantum ad ordinationem *congruitatis*, sic est ibi ordo, pro eo quod ad *bene esse* ministerii sequentis praeexigitur ordo sive potestas ministerii praecedentis. — Quemadmodum igitur, si quis velit ordinate procedere, prius debet *exordium* praemittere, post *narrationem* et post *ratiocinationem* et postremo *conclusionem* [8]; tamen, si vellet, incipere posset a posteriori, licet non ita ordinate: sic in ordinibus oportet intelligi. Cum enim ordines *inferiores* ministrent *sacris*, et *sacri* ordines ministrent *sacerdotio*, et inferior gradus prior sit in ascendendo, et potestas ministerialis sit inferior: patet, quod ibi est ordo, non tamen *necessitatis*, quoniam potestates diversae sunt et per se ipsas obtineri et haberi possunt, licet non ita perfecte sine aliis. Duplex ordo. Conclusio 1. Conclusio 2. Simile.

Est igitur ordo in his gradibus secundum maiorem accessum ad ultimum gradum, scilicet sacerdotium. Unde primo homo introducitur in ecclesiam per *ostiarium;* secundo manuducitur per *lectorem* Prophetarum; tertio adiuvatur per *exorcistam,* ut liberetur a malo; quarto excitatur per Corollarium.

---

[1] Eodem exemplo utitur Aristot., II. de Anima, text. 31. (c. 3.), ad ostendendum, quod sensitivum praesupponat vegetativum, et hoc in illo contineatur. Cfr. tom. II. pag. 41, nota 6. et tom. III. pag. 881, nota 4. — Sensus *maioris* est: ordo successivus magis competit ordinibus Ecclesiae quam numero.

[2] Secundum Aristot., VII Metaph. text. 49. (VI. c. 13.). — Inferius pro *ministerium* Vat. cum pluribus codd. *ministrum.*

[3] Can. *Sollicitudo* (1.), d. 52, ubi suspenditur ab exsecutione ordinum qui, subdiaconatus ordine postposito, diaconus et presbyter est ordinatus. — Mox pro *esset* cod. G *teneret.*

[4] Hic c. 1. Cfr. c. 2. 3. et 13.

[5] Cap. 1. Cfr. nota penultima. — Seq. locus habetur Extra lib. V. tit. 29, in quo decernitur, quod qui ignoranter per saltum de subdiacono presbyter fit, post poenitentiam in diaconum ordinetur, et hac ordinatione facta, ordinem sacerdotii exercere possit. — De *maiori* vide Aristot., XI. Metaph. c. 1. (X. c. 1.), et Porphyr., de Praedicab. c. *de Communit. et different. generis,* seqq.

[6] Epist. I. Cor. 15, 46: Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. — De officio exorcistae et acolythi cfr. hic lit. Magistri, c. 7. et 8.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. et 7, ubi de lectoribus et exorcistis. — Inferius pro *Sed ita* cod. E *et ita,* cod. K (I a secunda manu) *quod si est ita.*

[8] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Priori,* et III. Rhetor. c. 15. seqq. (c. 13. seqq.). — Superius pro *si quis* cod. K substituit *in epistolis,* in cod. Q autem secunda manus addidit *orator* post *si quis.*

acolythum, ut proficiat[1] in bono; deinde sunt alii duo ordines, qui ministrant sacerdoti in oblatione sacrificii.

Et sic patet, quod est ibi ordo *congruitatis,* Ad 2. 3. 4. fundam. non *necessitatis.* Nec valent illae rationes in contrarium de exorcista et acolytho, pro eo quod omnes ordines potestatem spiritualem dicunt, et pro eo quod eruditio praecedit liberationem a malo: et ideo concedendum est, quod sit ibi ordo in characteribus, Simile. sed non est ordo essentialis. — Sicut in elementis ordo est, tamen ultimum elementum sive littera *ante* scribi posset et prima littera *ultimo,* ordine retrogrado in scribendo, sed tamen ordinato post scripturam[2]; sic et ordines possunt suscipi descendendo sive retrocedendo.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de baptismo, Solutio oppositorum. dicendum, quod non est simile: quoniam — sicut tactum fuit supra[3] in tractatu de baptismate, et in Concilio apud Compendium determinatum fuit, et decretalis Innocentii, de Presbytero non baptizato, confirmat — baptismus est fundamentum et ianua omnium Sacramentorum; et quoniam fundamento non existente, nihil potest superaedificari: ideo character baptismi alios praecedit *essentiali* ordine; non sic est in aliis.

2. Ad illud quod obiicitur de numeris, dicendum, quod non est simile: quoniam *numerus* sequens habet praecedentem partem sui; sed non sic *gradus* sequens habet praecedentem partem sui, sed ut disponentem *de congruo.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod ex pluribus differentibus non fit unum; dicendum, quod verum Notandum. est, quod non fit unum *per essentiam,* fit tamen unum *Sacramento,* quae est unitas in comparatione ad unum significandum perfecte[4]; et Sacramentum ordinis non habet omnimode unitatem *absolutam,* sed *per comparationem,* ad quam unitatem constituendam non requiritur essentialis dependentia in partibus.

4. 5. Ad illud quod obiicitur ibi ultimo de saltu et de gradu, dicendum, quod illae duae rationes non ostendunt, quod non sit ibi nisi ordo *congruitatis,* quantum est de *integritate Sacramenti;* est tamen ibi ordo *necessitatis,* quantum est de *obligatione praecepti,* quia quis tenetur ordinate ascendendo, non saltando, ordinari[5].

QUAESTIO IV.

Quando character imprimatur in diversis ordinibus.

Quarto quaeritur, quando imprimatur character in diversis ordinibus. Et cum in ordinibus sit ista quinque reperire, utpote in ordine *sacerdotali,* scilicet *benedictionem, inunctionem, manuum impositionem* et *alicuius porrectionem,* ut libri, vel clavis, vel vasis, et *verbi expressionem;* quaeritur, in quo istorum fiat characteris impressio.

De benedictione. Et primo videtur, quod *non* in *benedictione:*

1. Quoniam semper in ordinibus fuit characteris Fundamenta. impressio[6], et illud est ordini essentiale, in quo imprimitur character; sed benedictio non est de essentia ordinum, cum non legatur talis solemnitas fuisse in Ecclesia primitiva: ergo etc.

2. Item, illud, in quo imprimitur character interior, debet habere assimilationem cum interiori charactere; sed character ille respicit aliquam potestatem[7], benedictio autem fit ad sanctitatem: ergo etc.

Item, quod *non* detur in *unctione,* videtur: De unctione.

3. Quia si aliqua passio[8] aliquibus inest, inest secundum aliquod commune; sed characteris impressio est in omnibus ordinibus, sed inunctio est in uno solo, scilicet in sacerdotio: ergo etc.

4. Item, ubicumque talis causa, ibi talis effectus; sed in episcopatu est nova inunctio, ergo novi characteris impressio; hoc autem est falsum, quia, si novus character imprimeretur, sicut sacerdos potest esse sine diaconatu, sic episcopus sine sacerdotio, cuius contrarium determinatum est in decretalium libro ultimo[9].

---

[1] Plures codd. *perficiatur,* quae lectio confirmari videtur lectione incongrua plurium codd. *proficiatur.* Mox pro *deinde* cod. bb *demum.*

[2] Codd. P Q addunt *id est, rectum ordinem habet, postquam scriptum est totum.* Auctoritate eorundem codd. P Q superius posuimus *et prima,* pro quo alii codd. vel *cum sic prima,* vel *tamen sic prima,* vel *tamen sicut* (sic ut?) *prima,* vel *ut sic* (sit?); edd. legunt: *cum sit prima littera, ultima ordine... sed tamen ordinate scribendo est primo scripta; sic et ordines* etc.

[3] Dist. 2. a. 1. q. 3. in corp. et dub. 3; d. 3. p. I. a. 1. q. 3. in corp.; d. 6. p. I. q. 4. in fine. Cfr. etiam d. 7. a. 3. q. 3. — Decretum Concilii apud Compendium (Compiegne) continetur in C. *Si quis presbyter* (1.), X. de Presbytero non baptizato (lib. III. tit. 43.), hic in arg. 1. ad oppos. allegato. Decretalis Innocent. III. habetur ibid. c. 3. et incipit *Veniens ad Apostolicam sedem;* in ipsa occurrunt verba haec: Cum baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, et ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum; quoniam ubi fundamentum non est, superaedificari non potest.

[4] Cfr. supra pag. 581, nota 9. — Inferius pro *omnimode* plures codd. *eminentem.*

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Ut ostensum est supra q. 1. — Pro *fuit* cod. K *fit.*

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 13.

[8] Sive proprietas; cfr. supra pag. 142, nota 11, ubi eadem propos. explicatur.

[9] In C. *Ex litteris* (10.), de Excessibus praelatorum (lib. V. tit. 31.). Verba vide infra a. 2. q. 3. fundam. 3, ubi etiam de clerico sive sacerdote per saltum ordinato. — Plurimi codd. et edd. perperam *libro tertio.* — De *maiori* cfr. supra pag. 78, nota 8.

De manuum impositione.

Item, quod *non* detur in *manuum impositione,* videtur:

Ad oppositum.

1. Primo per consimilem rationem: quia, cum non fiat manuum impositio nisi in solis duobus ordinibus, non imprimeretur character nisi in his duobus solum; quod est manifeste falsum, sicut patet ex praecedentibus [1].

2. Item, ordo traditur tantum ab episcopo; sed ordo traditur in impressione characteris; ergo si character imprimitur in impositione manuum, videtur, quod solus episcopus debeat manum imponere in ordinatione; quod est falsum, quia, ut dicit Canon, distinctione vigesima tertia [2]: « Presbyter cum ordinatur » etc., omnes sacerdotes assistentes debent in ordinatione sacerdotis manus imponere.

De traditione instrumentorum.

Quod autem in *libri, vel vasis traditione non* imprimatur, videtur:

3. Quoniam, esto quod tales libri vel vasa deessent, sicut forte deerant in Ecclesia primitiva, nihilominus tales ordines dari possent: ergo etc.

4. Item, multa talia confert archidiaconus, ut ampullam et aqua-manile subdiacono, sicut in littera [3] tangitur, et claves ipsi ostiario: si ergo solius episcopi est conferre ordines, videtur, quod in tali traditione non imprimatur character.

De verbi expressione.

Quod autem in *verbi expressione non* imprimatur, videtur:

5. Primo, quia in verbis illis significatur recta potestatis executio, ut patet, si quis inspiciat [4]: ergo cum illud sequatur ordinis essentiam et characterem, videtur etc.

6. Item, character non potest imprimi nisi a Deo; sed verbi expressio est per verbum *imperandi,* cum dicitur: Accipe potestatem etc.: ergo in tali forma non est competens imprimi characterem.

Quaestiones 5.

Est igitur quaestio: quare hoc Sacramentum habet formam verbi per modum *imperativum,* cum alia habeant per *indicativum,* vel *deprecativum* [5]?

Est etiam quaestio: unde ortum habuerunt haec circa ordinem, scilicet *manuum impositio* et *benedictio* et *unctio?*

Est etiam quaestio: quare *impositio manuum* est in duobus ordinibus, sed *unctio* in uno solo ordine, scilicet sacerdotio?

Est quarto quaestio: quare diacono solus episcopus manus imponit, sacerdotibus vero alii sacerdotes?

Est ultimo quaestio: in quo *essentialiter* consistit Sacramentum istud exterius? Et cum non habeat *elementum* nec *formam* statutam, videtur, quod nihil essentiale habeat. Et quod non habeat *formam* determinatam, videtur, cum antiqua ordinaria alium modum habeant.

CONCLUSIO.

Character imprimitur, cum datur principale instrumentum, sed adiuncta forma verbali et in duobus sacris ordinibus manuum impositione.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam habendam haec sunt praesupponenda, quod omne Sacramentum aliquod signum *essentiale* habet exterius; nullo enim modo *accidit* Sacramento esse signum, sed *essentiale* est simpliciter [6]. — *Amplius,* supponendum est, quod in omni Sacramento, in quo imprimitur character, istud est *essentiale* Sacramento, in quo sive per quod character imprimitur. — *Amplius,* cum signum debeat habere similitudinem ad signatum, in eo imprimitur character, quod exterius magis est in Sacramento sibi *simile.* Tria supponenda.

Quoniam igitur in ordine imprimitur character, qui est signaculum ad aliquam potestatem spiritualem; hoc pro generali regula habendum est, quod Conclusio 1. in illo signo exteriori imprimitur character in quolibet ordine, in quo *principalis potestas,* quam respicit ordo, significatur tradi ordinato. Ad hanc autem significandam duo concurrunt exterius, scilicet Conclusio 2. *traditio alicuius instrumenti* et *expressio verbi,* ut sic in signo *visibili* simul et *audibili* significetur dari. Nec sufficit signum *audibile* sine *visibili,* propter hoc, quod aliud verbum, aliud debet respicere signum, ut patet in aliis Sacramentis [7]; nec sufficit *signum sine verbo,* quia ad multa potest tale signum, scilicet liber vel illud vas dari, et ideo oportet per verbum arctari. Et haec duo sunt *essentialia* et intrinseca Sacramento et perficientia Sacramentum. Quoniam enim « *manus* est organum organorum [8] » in operando et *lingua* in exprimendo, recte significatur conferri potestas in officio utriusque. Et haec in quolibet ordine reperiuntur, secundum quod reperitur et characteris impressio. Ratio.

Sed quoniam characteres sunt diversi, habentes maiorem dignitatem et minorem secundum gradus potestatum [9]; ideo tam signa quam verba diversificantur, maxime in ordinibus *sacris* et in *minoribus.* In ordinibus enim *sacris,* quoniam datur Conclusio 3. ibi nobilis potestas et excellens, fit *manus impo-*

---

[1] Quaest. 1. — Impositio manuum fit in ordine presbyteratus et diaconatus; cfr. hic lit. Magistri, c. 10.

[2] Can. 8.

[3] Hic c. 9, ubi de subdiacono; cfr. c. 8, ubi idem dicitur de acolytho.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5. seqq.

[5] Vide supra d. 23. a. 1. q. 4.

[6] Ut ostensum est supra d. 1. p. I. q. 2. — Cod. P *ipsius.* Pro *signum essentiale* cod. bb *signum sensibile,* non pauci codd. *signum rationale.*

[7] Cfr. supra d. 1. p. I. dub. 2; d. 3. p. I. a. 1. q. 1. seq. et d. 6. p. II. a. 2. q. 1.

[8] Aristot., III. de Anima, text. 38. (c. 8.). Cfr. IV. de Partib. animal. c. 10. Ibid. II. c. 16. seq. agit de *lingua,* de qua cfr. etiam II. de Anima, text. 88. (c. 8.).

[9] Ut monstratum est supra q. 2.

sitio, non tantum *instrumenti traditio;* quoniam « manus est organum organorum », in quo scilicet principalius residet potestas operandi. Unde sic ordinabant in Ecclesia primitiva, ubi non nisi isti duo ordines explicite erant[1]. — Sed in ordinibus *minoribus* fit traditio alicuius instrumenti, ut clavis, vel libri, vel exorcismi etc.; et si plura instrumenta tradantur uni, illud pro principali habendum est, quod episcopus tradit cum prolatione verbi: Accipe potestatem. Unde in omissione *principalis* debet ordo iterari, quia praesumitur, quod characterem non receperit; sed in aliis *consequentibus*, si fiat defectus vel negligentia, debet suppleri[2].

Conclusio 4.

Concedendum est igitur, quod in *unctione* non imprimitur character, sed tantum fit propter solemnitatem et dignitatem corporis dominici, quod non est contrectandum nisi manibus consecratis. Pontifici autem fit unctio in capite, in quo significatur abundantia gratiae, quae in praelatis debet in excellentia reperiri. Et hinc est, quod *manus sacerdotis* unguntur *oleo sancto;* sed *caput pontificis chrismate*, ut significetur, quod in eo debet esse excellentia vitae in conspectu Dei in conscientia, et in conspectu hominum quantum ad famam[3]. — Concedendum est etiam, quod non fit characteris impressio in ipsa *benedictione*, sicut ostendunt illae rationes, quia potius est instituta ad devotionem excitandam et impetrandam gratiam, quam sit de Sacramenti substantia.

Epilogus.

1. Ad illud vero quod obiicitur, de manuum impositione, quod non reperitur in omnibus; ratio iam dicta est; reperitur tamen aliquid simile, quia collatio alicuius instrumenti, in quo est protensio manus, et sic[4] significatio collationis potestatis.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod sacerdotes imponunt manus; dicendum, quod illa manus impositio non est ad *ordinis collationem*, sed ad *significationem*. Significatur enim gratia communionis, quae in ordine sacerdotali confertur et per sacerdotem debet administrari[5]; ideo non imponunt manus sacerdotes diacono, sed solus episcopus, in cuius impositione manus non tantum est significatio, sed etiam *potestatis collatio*. — Praeterea, in hoc significatur, quod ille qui ordinatur, in illo ordine consecratur, cum sacerdotes manus sacratas imponunt. — Et *nota*, quod etsi multi sint assistentes, sufficit tamen, quod tres[6] manus imponant, aliud est ex abundanti, nec tamen illud est de necessitate Sacramenti.

Notandum. Notandum. Nota.

3. Ad illud quod obiicitur de libri, vel vasis traditione, dicendum, quod sicut omne instrumentum sive armatura in virtute manus est; sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possent significari; unde, sicut post[7] videbitur, in impositione manuum in Ecclesia primitiva ceteri ordines implicabantur, qui postmodum processu temporis explicati sunt sive expliciti, et quantum ad *verbum* et quantum ad *signum* et quantum ad *personas*.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod archidiaconus confert multa talia; dicendum, quod hoc est ad potestatis explicationem; unde in tali traditione facta ab archidiacono non traditur nova potestas, sed tradita explicatur[8].

5. Ad illud quod obiicitur de verbi expressione, dicendum, quod semper intelligendum est fuisse verbum aliquod, in quo exprimeretur potestas talis dari; sed non fuerunt verba praefixa nisi in solis duobus Sacramentis, quibus Dominus verba specialia ore proprio praedixit; et ideo in aliis, etsi verba sint necessaria, non tamen sunt determinata vocabula; sed verba quaecumque sensum exprimentia, quantum est de ratione Sacramenti, sufficiunt, si quis in haeresim introducere non intendat. Sed nunc necessarium est servare formam ab Ecclesia statutam et approbatam[9].

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de modo imperativo, dicendum, quod pontifex summus gerit personam Christi et personam superioris, sicut dicit Isidorus in libro de Officiis[10]; et quoniam potestas est secundum plus et minus et descendit, et secundum illam qui conferunt praesunt, quibus conferunt sub-

---

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 12. — Inferius pro *exorcismi* [i. e. libri exorcismorum, ut notat Magister, hic in lit. c. 7.] cod. bb *urcei*.

[2] Cfr. C. *Pastoralis* (1.) et C. *Presbyter et diaconus* (3.), X. de Sacramentis non iterandis (lib. I. tit. 16.).

[3] Ut exponit Innocent. III. in C. *Cum venisset ad Apostolicam sedem* (1.), X. de Sacra unctione (lib. I. tit. 15.), ex quo plura supra pag. 593, nota 2. 3. relata sunt. Cfr. Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. III. c. 12. seq. Vide etiam infra a. 2. q. 3. ad 6.

[4] Ita codd. F I L aa, in aliis et edd. *fit*.

[5] Richard. a Med., IV. Sent. d. 25. a. 1. q. 1. ad 1: Impositio manuum sacerdotum assistentium est ad concordiam et communionem ecclesiasticam significandam.

[6] Pontificale Romanum monet, quod ex assistentibus sacerdotibus « *tres* aut plures, planetis vel saltem cum stolis parati, si commode fieri potest, esse deberent ». Cfr. infra d. 25. a. 1. q. 1. ad 1. — Haec secunda ratio *(Praeterea... Sacramenti)* a codd. et ed. 1 transfertur in finem solut. ad 3, sed absque ullo fundamento. Secuti sumus ed. Vaticanam.

[7] Art. 2. q. 1. ad 3. et 4.

[8] Secunda manus in cod. Q addidit: Quod enim principale est traditur ab episcopo cum verbi prolatione, ut dictum est supra eodem problemate [scil. hic in corp.].

[9] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 2. q. 1. seqq.; d. 8. p. I. dub. 4. et p. II. a. 1. q. 1. seq. nec non d. 23. a. 1. q. 4. — Superius pro *sufficiunt* et *intendat* edd. *sufficiebant* et *intendebat*.

[10] Libr. II. c. 5, ubi ostendit, quod Aaron figuram gesserit summi pontificis, id est episcopi, sicut Moyses figuram Christi, qui est dominus pontificum seu episcoporum, qui Latine nominari possunt *superintendentes*. Cfr. hic lit. Magistri, c. 15. seqq., ubi afferuntur verba Isidor., VII. Etymolog. c. 12. Vide etiam Dionys., de Eccles. Hierarch. c. 5. § 5. seq. — Mox pro *est secundum*, quod habent codd. M R S, codd. B D L U aa *sedet secundum*, alii tantum *secundum*, inter quos codd. A F G

sunt: ideo rectissime modo imperativo utitur. Et sic patet responsio ad primam quaestionem. — Omnes Ad quaestiones. aliae quaestiones ex dictis patent, praeter illam quae est de ortu istorum: nam benedictio et manus impositio a Patriarchis, Genesis vigesimo septimo et Genesis quadragesimo octavo [1], venit, sed inunctio figuram habuit in Lege, Levitici octavo, ubi inunctus est summus sacerdos [2].

ARTICULUS II.

De ordinibus quoad numerum et distinctionem.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de ordinibus quantum ad numerum et distinctionem. Et circa hoc quaeruntur breviter quatuor.

Primo quaeritur de divisione ordinum in sacros et non sacros.

Secundo, utrum psalmistatus sit inter ordines minores.

Tertio quaeritur, utrum episcopatus sit ordo.

Quarto, utrum sint septem, aut plures, aut pauciores ordines.

QUAESTIO I.

De divisione ordinum in sacros et non sacros.

Quaeritur igitur primo de hac divisione ordinum, et videtur, quod nulla sit:

Ad oppositum. 1. Primo, quia ordo essentialiter et universaliter est Sacramentum [3]; sed omne Sacramentum dicit rem sacram: ergo ordo universaliter est res sacra: ergo omnis ordo est sacer.

2. Item, in inferioribus ordinibus datur potestas ministrandi circa altare, et ea quae pertinent ad Sacramentum Sacramentorum, scilicet corpus dominicum: ergo si in minoribus ministratur circa altare [4], sicut in diaconatu et subdiaconatu, licet non ita de propinquo; videtur, quod sicut illi sunt sacri, sic et isti.

3. Item, in Ecclesia primitiva non fuerunt ordines nisi sacri, scilicet presbyteratus et diaconatus [5]: ergo vel illa Ecclesia fuit diminuta, vel ista superfluit.

4. Item, ea quae spectant ad substantiam Sacramenti, semper eadem perseverant: si ergo ordines minores vere ordines sunt, aut tunc esse debuerunt, aut vere ordines non sunt. Quod si tunc non fuerunt, sicut patere potest, videtur etc.

Fundamenta. Contra: 1. In veteri testamento erant distincta officia ministrantium, ita quod alii ministrabant circa altare, alii circa custodiam templi [6]: si ergo maioris ordinis et dignitatis est nunc sacerdotium, et cultus divinus est ampliandus et ampliatus; videtur, quod alii debent ad haec, et ad illa deputari: ergo videtur, quod cum ordines penes officia maiora et minora distinguantur, quod ordines maiores et minores esse debent.

2. Item, sicut patebit, cum de matrimonio agetur [7], et habetur distinctione trigesima secunda in Decretis, aliqui sunt ordines impedientes matrimonium, et aliqui non: si ergo in illo ordine corpus Domini consecratur, in quo homo ab actu libidinis per omnia removetur; videtur, quod aliqui sint ordines sacri, et aliqui non.

3. Item, quod ita debeat [8] esse, probatur: primo, quia ordo est Sacramentum perfectorum; sed ad statum perfectionis non statim ascenditur, sed paulative pervenitur: ergo si sacer ordo collocat aliquo modo in statu perfectionis, videtur, quod aliquos ordines inferiores habere debeat, non sacros.

4. Item, videmus in curia regis terreni, quod ad hoc, quod sit sufficienter ordinata, ministri superiores indigent inferioribus, qui obediunt et subserviunt, et maiores indigent minoribus: ergo si do-

---

Y bb (E a secunda manu) subinde ante *descendit* omittunt *et* (codd. I K *ascendit et descendit*). Pro *quibus conferunt* codd. G N P Y *quibus confertur*. Edd. legunt: *et quoniam potestas superioris plus et minus traditur et descendit,* subinde omisso *praesunt, quibus conferunt.*

[1] Primo loco (Gen. 27, 4. et 27.) agitur de Isaac, qui filio suo Iacob benedicit; secundo loco (Gen. 48, 13. seqq. et 49, 22. seqq.; codd. allegant Gen. *ultimo*, ubi tamen nihil occurrit) narratur, quod Iacob moriens filiis Ioseph manum imposuit et bis benedictionem dedit. Cfr. Num. 27, 18. et 23, ubi « Moyses, super caput Iosue manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis et ducatus in populo Israel », ut ait Isidor., II. de Offic. eccles. c. 5. n. 10, qui adducit etiam Luc. 24, 50. — Seq. locus est Lev. 8, 12, ubi Moyses, oleum « fundens super caput Aaron, unxit eum et consecravit ».

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 13, et de seq. propos. supra d. I. c. 2.

[4] Edd. cum aliquot codd. omittunt *ergo* [plures codd. *sed*] *si in minoribus ministratur circa altare,* pro quo edd. in *maiori* post *ordinibus* addunt *sic.*

[5] Ut insinuat Magister, hic in lit. c. 12.

[6] Cfr. supra pag. 504, nota 4. — Inferius pro *et ad illa* cod. K (I a secunda manu) *quam ad illa,* edd. *alii ad illa.*

[7] Infra d. 37, ubi tam in lit. Magistri quam in Comment. a. 1. q. 1. seq., ex Gratiani d. 32. et aliis dist. decreta allegantur.

[8] Permulti codd. et ed. 1 perperam *non debeat.* — Gregor., II. Homil. in Ezech. homil. n. 3: Nemo enim repente fit summus.

mus Dei ordinata debet esse, videtur, quod ibi debent esse ministri, et rursus ministri ministrantium; et primi sunt in ordine superiori, secundi in minori: ergo minores et maiores.

CONCLUSIO.

Recte quidam ordines dicuntur sacri, quidam non sacri.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum ordinis gradus habet plurimos; et prima quidem distinctio est per gradus *inferiores* et *superiores*, sive per gradus *sacros* et *non sacros*. — Ratio autem, quare hoc Sacramentum gradus habet, est, quia ordinat ad dispensandum Sacramentum dignissimum et ministrandum in templo Dei; ad ministerium autem illud concurrunt quaedam officia *digniora*, et quaedam *minus digna*. Etsi omnia requirant ministros sanctos, illa tamen, quae attenduntur circa altare et circa portationem vasorum sacrorum et circa oblationem sacrificii consummandam, potissime requirunt ministros sanctos, secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo[1]: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Sanctitas autem vel sanctificatio potissime consistit in continentia; ideo sunt quidam ordines, qui requirunt continentiam in ministris, quidam vero minime. Ideo recte quidam ordines *sacri* dicuntur, quidam *non sacri,* non ratione sui, sed ratione ministerii, ad quod requiritur sanctitas in ministro. Et sic patet ratio huius distinctionis ordinum per sacros et non sacros; et concedendae sunt rationes ad hoc.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod omnis ordo est Sacramentum; dicendum, quod omnes ordines *signa* sunt *sacra* et *rei sacrae;* sed ab hac ratione non dicuntur ordines *sacri,* sicut visum est, sed a *consecratione ministri,* et quia ipsi ordines disponunt[2] ad contingendum et ministrandum vasa consecrata.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in omnibus datur potestas ad ministrandum aliquid circa Sacramentum maximum; dicendum, quod verum est, tamen secundum plus et minus, secundum propinquum et remotum. Illis enim, qui sunt in inferioribus constituti, non licet vasa consecrata portare ex officio, quamvis propter inopiam ministrorum frequenter talibus permittatur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in Ecclesia primitiva soli ordines sacri fuerunt; dicendum, quod falsum est, immo et alii fuerunt; sed implicite dabantur in impositione manuum, quoniam «manus est organum organorum[3]». — Ratio autem, quare non distinguebantur, erat propter paucitatem ministrantium et propter paucitatem fidelium; ideo oportebat, quod omnia officia darentur uni; nunc autem multiplicatus est divinus cultus: ideo non est simile.

Notandum.

Ratio.

4. Et per hoc patet ultimum. Quod enim dicit, quod substantialia semper fuerunt eadem; dicendum, quod verum est; et semper isti ordines et gradus in Ecclesia fuerunt, licet non essent explicati[4] et distincti, ut nunc. Non solum enim nunc debent distingui propter ministrantium *amplificationem*, sed etiam propter *manuductionem*, quia ab ipsis cunabulis ordinantur nunc qui debent esse clerici. Ideo secundum profectum aetatis in susceptione graduum debent et possunt promoveri, nec statim ad supremum gradum provehi[5].

Notandum.

SCHOLION.

I. Antiqua divisio ordinum in *sacros* sive maiores, et *non sacros* sive minores ex ipsis legibus Ecclesiae probatur et recepta est a Concilio Trident. (Sess. XXIII. c. 2. et can. 2.). Cfr. infra dub. 5. — Quaestio 2. ab aliis vix tangitur, a S. Thoma vero paucis verbis solvitur hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2. ad 5. (Suppl. q. 37. a. 2. ad 5.); similiter a Richardo a Med., hic a. 3. q. 3. ad 1.

De 1. quaestione: Scot., hic q. unica n. 12. — S. Thom., loc. cit. quaestiunc. 3; Suppl. loc. cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 28. 36. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2. — Durand., hic q. 2. n. 15. — Dionys. Carth., hic q. 5.

II. Quaestiones 3. et 4. intime cohaerent, et circa utramque breviter haec observamus. 1. Numerus septenarius ordinum, prout in saepe laudato Decreto pro Armenis recensetur, in Ecclesia Latina perantiquus est, immo ipsum saltem de *iure* ab origine fuisse, a Scholasticis aliisque passim docetur (cfr. hic q. 1. ad 3.). Graeca autem Ecclesia a multis saeculis non habet alios ordines *minores* nisi lectoratum; et controvertitur, utrum antiquitus alii veri ordines minores ibi in usu fuerint, et speciatim, utrum iidem minores, quibus utitur Ecclesia Latina. — 2. Supposito numero septenario ordinum, quaestio duplex discutienda est de episcopatu, utrum sit *ordo* et *Sacramentum*. Haeresis est enim dicere, «in Ecclesia catholica non esse hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris»; item, «episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem» (Concil. Trident. ibid. can. 6. et 7.). Hinc negari non posse videtur, quod episcopatus, qui tanta dignitate distincta supereminet ceteris ordinibus, sit et ordo distinctus et Sacramentum, scilicet ordinatio illa, qua confertur. — 3. Inter notos antiquiores Scholasticos solus, ut videtur, Guliel. Antissiod. (S. p. V. tr. 8. q. 1.) docet, novem esse ordines, septem illis adiungens episcopatum et archidiaconatum (!); postea Scot. (hic q. unica n. 5. seqq.), licet non audeat improbare opinionem aliam, quam vocat *communem*, tamen ea proclamat principia, quae monstrant,

---

[1] Vers. 11. — Inferius pro *recte* non pauci codd. *certe*.

[2] Multi codd. *disponuntur*.

[3] Ut dicit Aristot. supra pag. 627, nota 8. relatus. — Inferius pro *darentur* plures codd. *darent*.

[4] Cod. aa *expliciti*.

[5] Cfr. Gratian. d. 77. et d. 78. — Pro *graduum* cod. aa *ordinum*.

cum considerare episcopatum ut *distinctum ordinem:* quod etiam disertis verbis asserit Durand. (hic q. 6. n. 8.), addens, eundem esse etiam « Sacramentum, non quidem praecise distinctum a sacerdotio simplici; sed est unum Sacramentum cum ipso, sicut perfectum et imperfectum ». Rationem autem, quare hic ordo non numeretur ut *octavus,* Durand. inde petit (n. 11.), quia « non est de *communibus* ordinibus, sed est supremus, quasi dux et princeps aliorum », vel « quia sub sacerdotio includitur ». — S. Thom. (hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2. ad 2; Suppl. q. 40. a. 5.) sequitur opinionem illam antiquis communem et docet, quod episcopatus non est ordo proprie, id est, « secundum quod ordo est *Sacramentum* », sed tantum « secundum quod est *officium* quoddam respectu quarundam actionum sacrarum ». Idem tamen in genuino opusculo de Perfectione vitae spiritualis (c. 23.), ubi probat, episcopos esse presbyteris superiores, simpliciter dicit, quod non sit idem « *ordo* vel *status* episcoporum et presbyterorum ». — Post Concil. Trident. (cfr. loc. cit. c. 4. et can. 4.) antiquus ille loquendi modus factus est obsoletus, cum communiter tanquam certum doceatur, ordinationem episcopi vere esse *Sacramentum* et conferre verum et *distinctum ordinem* et characterem; multi autem auctores simul docent, hunc ordinem distingui quidem a presbyteratu, sed tantum *inadaequate,* tanquam sit extensio, complementum apexque ordinis sacerdotalis; qua determinatione antiquus ille modus loquendi aliquatenus salvari potest. Pro antiqua illa opinione afferri potest etiam Alex. Hal., rem tangens S. p. IV. q. 20. m. 8. a. 1, q. 21. m. 4. ad 5. — 4. Quod in 3. fundam. asseritur, episcopatum scilicet non posse valide dari, omisso sacerdotio, non vocatum est in dubium nisi a paucis, inter quos est Mabillonius (Comment. ad *Ordinem Romanum* § 18.). Omissis diaconatu, vel subdiaconatu, vel ordinibus minoribus, consecratio episcopi valida reputatur ab omnibus; sed S. Bonav. cum multis antiquis, ut S. Raymundo et S. Antonino, censuit, tunc eum non posse conferre ordinem, ipsi non collatum. (ita infra d. 25. dub. 1.). Sed haec opinio a recentioribus communiter non probatur, si agitur de *validitate* ordinis sic collati.

De 3. quaestione praeter citatos: B. Albert., hic a. 39. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 7.

III. De 4. quaestione: Scot., q. cit. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 37. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum psalmistatus sit ordo.

Secundo quaeritur, utrum psalmistatus sit ordo. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Distinctione vigesima prima [1]: *Cleros et clericos,* et infra: « Generaliter clerici dicti sunt omnes qui in Ecclesia Christi deserviunt, quorum gradus et nomina haec sunt: ostiarius, psalmista et lector » etc.; et *iterum,* distinctione vigesima quinta, *Perlectis,* et infra, ubi enumerat officium psalmistae inter alios; et hoc expresse dicit Isidorus septimo libro Etymologiarum.

2. Item, *ratione* videtur hoc ipsum probari: quia prophetia Psalmorum non est minus nobilis quam aliae: ergo, sicut est ordo in Ecclesia deputatus ad recitandum alias prophetias, scilicet ordo *lectoris* [2], ita videtur, quod debeat aliquis ordo ordinari ad recitandum Psalmos; sed iste est psalmistae: ergo etc.

3. Item, nobilius et dignius officium est Psalmos in Ecclesia recitare, quam sit ostia custodire: ergo si ordo deputatus est ad illud officium [3], multo fortius videtur, quod ad dicendum Psalmos.

Fundamenta. Contra: 1. Distinctione septuagesima septima [4], *Illud nos,* et infra: « Si quis episcopus esse meretur, sit primum *ostiarius,* deinde *lector,* postea *exorcista,* deinde sacretur *acolythus,* deinde vero *subdiaconus,* deinde *diaconus,* postea *presbyter* »: hic sufficienter gradus et ordines distinguuntur, et non ponitur ordo psalmistae: ergo etc.

2. Item, omnes ordines, sicut melius patebit, ab episcopo dantur, non a simplici sacerdote; sed psalmistatus datur a simplici sacerdote; unde distinctione vigesima tertia [5]: « Psalmista potest absque scientia episcopi sola iussione presbyteri officium suscipere cantandi ».

3. Item, ad illud quod communiter spectat ad totum chorum, non debet aliquis ordo ordinari [6] specialiter; sed psalmodia spectat ad omnes qui sunt in choro, et cantus antiphonarum et responsoriorum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Psalmistatus proprie non est ordo, sed officium ordini annexum.

Respondeo: Dicendum, quod psalmistatus proprie non est ordo, sed officium ordini annexum. — Conclusio. Et ratio huius est, quia non dicit officium, cui debeat specialis gradus ordinis deputari, sed solum est annexum ordini. Ratio. *Psalmista* enim et *cantor* pro

[1] Can. 1. Vide hic lit. Magistri, c. 4. — Seq. locus est dist. 25. c. 1. § 4: « Ad psalmistam pertinet officium canendi, dicere benedictiones, laudes » etc. Sicut hic locus sumtus est ex Epist. Isidori ad Ludifredum, ita primus ex Isidor., VII. Etymolog. c. 12, ubi etiam n. 24. dicit: Lectores a legendo, psalmistae a psalmis canendis vocati etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — Mox pro *recitandum* cod. bb *cantandum.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[4] Can. 1.

[5] Can. 20: *Psalmista,* id est cantor, potest absque licentia episcopi... suscipere cantandi, dicente sibi presbytero: Vide, ut quod ore cantas corde credas, et quod corde credis operibus comprobes. — *Maior* ostenditur infra d. 25. a. 1. q. 1.

[6] Cod. Q *denominari,* cod. X *deputari,* edd. omittunt *ordo.*

eodem reputantur, sicut patet ex his quae dicuntur distinctione vigesima tertia [1]: *Psalmista*, id est cantor etc. Psalmistae enim est non solum Psalmos cantare, sed etiam alios cantus harmonicos lectionibus interserere; et hoc, ut audientium corda excitentur ad Dei laudem et ad eruditionem lectoris et non afficiantur taedio in auditu verbi divini. In hoc ergo, quod est ad laudem Dei, cum illud sit omnium fidelium et communiter insimul [2], non oportet ad hoc ordinem deputari. In hoc enim, quod excitat corda ad eruditionem et ad percipiendum sensum, quem praedicat lector, est officium annexum ordini lectoris. Et sic patet, quod stricte accipiendo ordines et gradus, psalmistatus non debet inter ordines computari; sed si largius extendatur nomen ordinis ad officium etiam annexum ordini et quod specialiter et principaliter convenit ordinatis [3]; sic psalmistatus potest inter ordines computari, et ita accipit Isidorus.

Solutio oppositorum.

1. Et per hoc patent auctoritates inductae ad hoc, quod sit ordo; loquuntur enim secundum hanc viam.

2. Ad illud vero quod obiicitur, quod prophetia Psalmorum est dignior, vel aeque digna; dicendum, quod *digna* est quantum ad intellectum et sensum ita, sicut aliae. Sed quia psalmista non tantum erudit per sensum verborum, quantum etiam excitat mentes per cantum musicorum et per emissionem vocum resonantium; et hoc competit *multitudini*, alias vero prophetias competit *uni* recitare, cui alii sint intenti: ideo oportet, illum qui legit, esse provectiorem, non ratione eius *quod* recitatur, sed ratione *modi* recitandi. Et sic patet illud. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de custodia ostiorum et psalmodia, dicendum, quod maioris auctoritatis et dignitatis est excludere indignos et admittere dignos ad divinum officium [4], quam interesse et Psalmos cantare, pro eo quod primum dicit quandam auctoritatem et potestatem, nec competit alicui, nisi detur ab eo qui habet auctoritatem eminentem, scilicet ab episcopo. Sed psalmodia respicit scientiam et vocem; et qui habet haec sine donatione auctoritatis potest hoc facere sola iussione sacerdotis, ut praedictum est. Quamvis ergo istud officium maius videatur, tamen si consideratur auctoritas utrobique, illud est maius quam hoc [5].

QUAESTIO III.

Utrum episcopatus sit ordo.

Tertio quaeritur, utrum episcopatus sit ordo. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Distinctione septuagesima septima [6] Gelasius Papa, distinguens gradus ordinum, in fine dicit: « Deinde subdiaconus, deinde diaconus et postea presbyter, et exinde, si meretur, episcopus ordinetur ».

2. Item, Isidorus in septimo libro Etymologiarum [7]: « Episcoporum quadripartitus est ordo »: ergo episcopatus est ordo.

3. Item, *ratione* videtur: quia nullus recte dicitur ordinari nisi ab ordinis susceptione; sed qui promovetur in episcopum recte dicitur in episcopum ordinari, sicut per omnes canones innuitur, qui de hac materia loquuntur [8]: ergo etc.

4. Item, illa inter virtutes est virtus praecipua, quae virtutes alias regit et eis imperat [9]: ergo pari ratione in ordine iste erit magis praecipuus, qui alios dispensat et regit; et ille est ordo episcopalis: ergo etc.

5. Item, hoc videtur per definitionem ordinis. « Ordo enim est, ut dicit Magister [10], signaculum, quo spiritualis potestas traditur ordinato »; sed hoc totum est in episcopatu, ut patet: ergo etc. *Minor* patet per ipsam ordinationem episcopi, in qua traditur sibi baculus, qui significat potestatem spiritualem; unde dicitur sibi, cum traditur ei baculus: « Accipe baculum pastoralis officii, id est potestatem ligandi et solvendi; et sis in corrigendis vitiis saeviens pie, in fovendis virtutibus animos auditorum demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deferens ».

6. Item, solemnior inunctio, solemnior benedi-

---

[1] In penultima nota allegatus. — De seq. propos. cfr. C. *Cantantes* (1.) et C. *In sancta Romana Ecclesia* (2.), d. 92.

[2] Codd. non conveniunt inter se; non pauci enim codd. legunt *et communiter simul*, codd. T U X bb *et communiter insimul* (codd. E L *et insimul*, cod. O *non singulariter)*, edd. *communiter simul*. Superius pro *et non* cod. K (1 a secunda manu) *et ut non*, edd. *ut non*.

[3] Vat. *quod tamen specialiter et principaliter non convenit ordinatis*. Mox pro *potest* non pauci codd. *debet*.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 5, et supra pag. 503, nota 7, ubi haec auctoritas tribuitur ostiariis.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Can. *Illud nos* (1.), qui secundum Gratian. non est *Gelasii* [infra in solut. huius obiect. multi codd. *Pelagii*], sed *Caii* Papae. Ed. *Migne* hanc notam adiicit: Caput Pseudoisidorianum [reapse Isidorus Mercator in sua Decretalium collectione haec verba Caio Papae tribuit], concinnatum secundum libr. pontificalem.

[7] Cap. 12. n. 4. Vide hic lit. Magistri, c. 17.

[8] Praeter C. *Illud nos* in penultima nota allegatum cfr. C. *Episcopus cum ordinatur* (7.), d. 23. — Pro *innuitur* codd. *invenitur*.

[9] Scilicet prudentia; cfr. tom. III. pag. 471, nota 3, pag. 720, nota 1; Aristot., II. Ethic. c. 6; VI. c. 5. et 8. seqq.

[10] Hic in lit. c. 13. — Inferius in forma tradendi baculum post verba *id est potestatem ligandi et solvendi*, quae a S. Bonav. explicandi gratia adiuncta sunt, pontificale Romanum prosequitur: *ut sis... pie saeviens, iudicium sine ira tenens, in fovendis* etc.

ctio et manuum impositio fit in consecratione episcopi quam sacerdotis[1]; sed talis inunctio non potest esse vacua a significatione et efficacia, cum sit novae legis: ergo est amplioris efficaciae. Si ergo sacerdotium est ordo, multo fortius videtur, quod episcopatus.

Contra: 1. Magister Hugo de sancto Victore[2], distinguens gradus ordinum, dicit sic: «Primus est ostiariorum, secundus lectorum, tertius exorcistarum, quartus acolythorum, quintus subdiaconorum, sextus diaconorum, septimus sacerdotum. Hic gradus dispares in eodem ordine habet dignitates, scilicet episcopi» etc.: ergo episcopatus solum dicit dignitatem, non ordinem: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, distinctio graduum et ordinum omnis est propter altaris ministerium, scilicet propter sacrificium, in quo est consummatio omnis divini cultus: ergo cum perventum est ad illam, ibi debet esse status; sed in presbyteratu pervenitur: ergo etc.

3. Item, gradus ecclesiastici talem habent ordinem, quod possibile est posteriorem accipere, omisso priori; quod patet per illud quod dicitur distinctione quinquagesima secunda[3], *Sollicitudo* etc., et Extra, de Clerico per saltum ordinato, *Tuae litterae* etc.; sed impossibile est, aliquem promoveri in episcopum, sacerdotio omisso, sicut dicitur Extra, de Excessibus praelatorum, *Ex litteris,* et infra, ubi dicit Innocentius: «Pontificale officium sine altaris ministerio non valet adimpleri»: ergo videtur, quod episcopatus non sit alius ordo quam sacerdotium.

4. Item, promotus in Sabbato ad ordinem sacrum non debet in die sequenti alium ordinem sacrum suscipere[4]; sed promotus in sacerdotem potest in die sequenti, scilicet dominico, in episcopum promoveri: ergo videtur, quod episcopatus non sit ordo sacer.

CONCLUSIO.

Episcopatus proprie non est ordo, sed ordinis eminentia vel dignitas.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum est[5], cum ordinis potestas principaliter sit ordinata ad dispensationem Sacramentorum et maxime illius Sacramenti nobilissimi, scilicet corporis Domini, quod ibi est status graduum et ordinum ascendentium, et ita ultra sacerdotium non est gradus ordinis. Sed tamen intra hunc gradum et ordinem contingit esse distinctionem *dignitatum* et *officiorum*, quae tamen novum gradum vel ordinem non constituunt, ut archipresbyter, episcopus, archiepiscopus, patriarcha, Pontifex Summus, quae ultra sacerdotium non addunt ordinem nec gradum[6] novum, sed solum dignitatem et officium. Et ita episcopatus, prout concernit ordinem sacerdotii, bene potest dici *ordo;* sed prout distinguitur contra sacerdotium, dicit *dignitatem* quandam vel *officium* ipsi annexum, et non est *proprie* nomen ordinis, nec novus character imprimitur, nec nova potestas datur, sed potestas data ampliatur. Unde sicut non recipit alias claves, sic nec alium ordinem. — Et hoc sensit magister Hugo, hoc etiam sensit Magister Sententiarum, sicut patet per id quod dicit in littera[7], quod non sunt nomina *ordinum,* sed *dignitatum;* hoc etiam tenet communis opinio, quod in episcopatu character novus non imprimitur, sed illi aliqua eminentia confertur, quae semper manet cum ipso charactere ordinis, ablata omni iurisdictione. Hanc igitur opinionem sustinendo dicamus, quod episcopatus, praecise loquendo, non est ordo, sed ordinis eminentia vel dignitas.

Principia. Confirmatur. Conclusio.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod primo obiicitur de Isidoro et Gelasio, dicendum, quod ad eorum auctoritates et consimiles unica responsione potest responderi, quod ipsi nomen *ordinis* ampliant ad officia et dignitates; sed magistri nostri strictius accipiunt, scilicet pro *gradu potestatis;* et hoc patet per hoc quod Isidorus dicit, quod «episcoporum quadripartitus est ordo». Cum enim ordinatus in episcopum, si assumatur ad archiepiscopatum, non consecretur de novo, sed solum accipiat pallium; patet, quod non potest intelligi, quod novus sit ibi *ordo,* sed solum *dignitas* altior. Si ergo dicit, ipsos esse diversos ordines, manifestum est, quod nomen *ordinis* ad officia et dignitates extendit. — Et per hoc patet aliud sequens. Sicut enim ampliatur vocabulum et significatio *ordinis,* ita et *verbum,* cum dicitur: iste ordinatur in episcopum; unde non ita proprie dicitur aliquis *ordinari,* cum promovetur in episcopum, sicut cum promovetur in sacerdotem, sed magis proprie dicitur *consecrari.* Unde et Apostolus, loquens *proprie,* dicit Actuum vigesimo[8]: *Posuit vos episcopos* etc.; et primae ad Timotheum tertio: *Qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat.*

Solutio oppositorum. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod per episcopa-

---

[1] Cfr. Pontificale Romanum, c. de Consecratione electi in episcopum.

[2] Libr. II. de Sacram. p. III. c. 5. Textus originalis pro *scilicet episcopi* habet: *nam post sacerdotes altiores sunt principes sacerdotum, id est episcopi.*

[3] Can. 1. — Seq. locus est Extra, lib. V. tit. 29. c. 1. Vide supra pag. 625, nota 3. et 5. Tertius est Extra lib. V. tit. 31. c. 10, in quo permulti codd. contra textum originalem *alterius* pro *altaris.*

[4] Ut habetur C. *Litteras vestras* (13.), X. de Temporibus ordinationum etc. (lib. I. tit. 11.). Cfr. ibid. C. *Dilectus filius* (15.). Vide etiam Gratian. d. 75. et d. 77, ubi de interstitiis in singulis ordinibus servandis.

[5] Fundam. 2. Cfr. q. 1. et supra p. I. a. 2. q. 2. seq.

[6] Pro *nec gradum* codd. A E H L aa bb *secundum gradum.*

[7] Hic c. 14. seqq. — Quod episcopus non recipiat *alias claves,* dictum est supra d. 19. a. 2. q. 1. in corp.

[8] Vers. 28: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos etc. [codd. et edd. *Posuit nos*]. — Seq. locus est I. Tim. 3, 1: Si quis episcopatum etc.

tum ordines dispensantur; dicendum, quod nunquam possent per episcopum dispensari, nisi ordines illos, quos dispensat, haberet, maxime nisi haberet sacerdotium; et ideo concedo bene, quod episcopatus includit necessario ordinem perfectissimum, scilicet sacerdotium, et illi superaddit aliquam *eminentiam,* quam et ipsum nomen nobis insinuat; dicitur enim episcopus ab *epi,* quod est supra [1]. (Notandum.)

5. Ad illud quod obiicitur, quod ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas etc.; dicendum, quod episcopatus deficit quantum ad utramque partem definitionis. Primo namque deficit a ratione *ordinis* quantum ad hoc, quod dicitur *signaculum;* quia signaculum ibi accipitur pro *charactere;* et hic non imprimitur in episcopatu, cuius signum est, quod non potest episcopus consecrari, nisi sit sacerdos, et ita per se characterem non imprimit. *Amplius* deficit, quia non datur ibi *nova potestas,* sed solum potestas ligandi et solvendi ampliatur, et ideo in huius signum baculus pastoralis porrigitur. Unde sicut collatio pallii non dat novum ordinem archiepiscopo ultra episcopum, sic nec collatio baculi, aut anuli, aut mitrae, aut alicuius consimilis ultra sacerdotem. Talia enim potius sunt sacramentalia quam Sacramenta; non enim sacramentalia tantum praecedunt Sacramentum, sed etiam sequi possunt. (Notandum.)

6. Ad illud quod obiicitur, quod solemnior est inunctio; dicendum, quod verum est, pro eo quod ad summum pontificatum assumitur, et datur ibi eminentia status et dignitas pastoralis, in qua debet esse *eminentia sanctitatis;* unde illa sanctitatis eminentia per superabundantem inunctionem debet significari, secundum quod dicitur [2] de summo pontifice Aaron: *Sicut unguentum in capite eius, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Quia ad officium illud *maior* requiritur *sanctitas,* quam requiratur ad ordines; hinc est, quod *maior* fit *inunctio.* Reges enim et principes consueverunt inungi in signum dignitatis, quibus non *ordo* confertur, sed *regalis dignitas;* sic et episcopi, quibus confertur ordo sacerdotalis. Et propter hoc ratio illa non valet, quia inunctio non respicit ordinem, in quantum est *ordo,* sed magis *dignitatem.* Unde et sacerdos non inungitur ad ordinis necessitatem, sed magis ad solemnitatem, ut digne possit corpus Christi sacratissimum censecrare [3]. (Notandum.)

QUAESTIO IV.

Utrum ordines sint septem, an plures, vel pauciores.

Quarto quaeritur, utrum ordines sint septem, an plures, vel pauciores. Et quod *tantum septem* sint,

1. Hoc expresse magister Hugo [4] dicit; Magister etiam dicit in littera. (Fundamenta.)

2. Item, *ratione* videtur: quia signum debet respondere veritati; sed in Sacramento isto septiformis gratia Spiritus sancti datur [5]: ergo videtur, quodsi gradus in ordine assignantur, quod septem esse debent.

Sed quod debeant esse *tantum tres,* videtur:

1. *Auctoritate* Dionysii, de Ecclesiastica Hierarchia [6], ubi non ponit nisi tres gradus, scilicet ministros, sacerdotes et episcopos. (Ad oppositum.)

2. Item, hoc videtur *ratione:* quia distinctio graduum debet esse penes actus hierarchicos; isti autem actus sunt tres tantummodo, scilicet «purgare, illuminare et perficere [7]»: ergo videtur, quod sint tantum tres gradus sive ordines.

Sed quod sint *plures,* videtur:

3. Quoniam Ecclesia militans imitatur triumphantem, secundum quod dicitur Exodi vigesimo quinto [8]: *Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est* etc.; sed in illa est distinctio et gradus in Angelis secundum numerum novenarium: ergo etc.

4. Item, quanto maior est recessus a principio, tanto magis tenditur in multitudinem [9]; sed hierarchia ecclesiastica plus distat a principio omnium, Deo summo, quam angelica: ergo pluribus gradibus et ordinibus debet distingui quam angelica: ergo plures deberent esse ordines quam novem.

Est igitur quaestio: propter quid in hoc Sacramento magis est graduum distinctio quam in alio; et propter quid in numero septenario? (Quaestio incidens.)

CONCLUSIO.

Ordines sunt septem et ad unum sacerdotium ordinati.

Respondeo: Dicendum, quod omnes in hoc concordant, scilicet quod huic Sacramento competit gra- (Conclusio I.)

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 15, ubi ἐπίσκοπος redditur superintendens sive speculator.

[2] Psalm. 132, 2. Cfr. Innocent. III. C. *Cum venisset ad Apostolicam sedem* (1.), X. de Sacra unctione (lib. I. tit. 15.). — Inferius pro *Quia ad* edd. *unde quia ad.*

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Libr. II. de Sacram. p. III. c. 5. — Magister hic in lit. c. 1. seqq.

[5] Ut insinuatur hic in lit. Magistri, c. 2. et 3. — Superius pro *ratione,* quod praebent codd. G I K M O P Q, alii codd. et edd. *necesse.*

[6] Cap. 5. p. I. § 6.

[7] Secundum Dionys. loc. cit. § 3, et de Caelesti Hierarch. c. 3. § 2.

[8] Vers. 40. Cfr. supra pag. 614, nota 2.

[9] Vide supra pag. 508, nota 10. et 11.

Rationes 4. duum distinctio, sive propter hoc, quod penes ipsum membra Ecclesiae in corpore mystico ordinantur secundum diversas operationes et gratias, secundum quod dicit Apostolus primae ad Corinthios duodecimo [1]; sive propter hoc, quod secundum illud Sacramentum configuratur et conformatur pulcritudo Ecclesiae militantis pulcritudini Ecclesiae triumphantis; sive propter hoc, quod istud Sacramentum in suo supremo ponit et disponit hominem ad gratiam perfectionis, et gratia perfecta in pluralitate donorum Spiritus sancti consistit; sive propter hoc, quod istud Sacramentum ordinat ad dignissimum ministerium, quod est consecratio dominici corporis, ad quam non statim est convolandum, sed per gradus paulative ascendendum, cum [2] illud Sacramentum propter sui nobilitatem et reverentiam multa debeat habere ministeria inferiora. — Omnibus his modis accipitur ratio pluralitatis in gradibus ordinum; et secundum aspectum ad has rationes plurificandi sumitur *sufficientia graduum* ecclesiasticorum diversimode a diversis.

De sufficientia graduum.

Quidam enim sumunt penes distinctionem membrorum Ecclesiae, quae attenditur secundum *dona gratiarum*, quae determinat Apostolus primae ad Corinthios duodecimo [3] dicens: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae* etc.; et isti dicunt, *novem* esse ordines secundum genera gratiarum, quae ibi ponuntur, quae sunt novem. Unde adaptant sic: *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae*, scilicet episcopo; *alii sermo scientiae*, scilicet sacerdoti, qui debet scire ligare et solvere; *alii fides*, scilicet diacono, qui debet Evangelium nuntiare, in quo fides nostra continetur; *operatio virtutum* subdiacono, qui aggreditur opera perfectionis; *interpretatio sermonum* acolytho, cuius est alios illuminare et tenebras effugare; *gratia sanitatum* exorcistae; *genera linguarum* psalmistae; *prophetia* lectori; et *discretio spirituum* ostiario, qui admittit bonos et repellit malos. — Sed iste modus sumendi non est omnino competens, quoniam ista dona [4] gratiarum non eisdem, sed diversis conveniunt membris; omnes autem ordines eisdem dantur, licet successive.

Modus 1. ponens 9 ordines. Notandum. Non probatur.

Secundi sumunt aliquantulum aptius penes *conformitatem exempli ad exemplatum* [5]; dicunt enim, quod sicut in angelica hierarchia est distinctio ordinum penes *purgare, illuminare* et *perficere*, sic et in ecclesiastica. Unde *novem* sunt ordines, secundum hos tres actus triplicatos. Primo enim actui *purgationis* respondent tres: quoniam aut purgari habet *exterius*, aut *interius*, aut *partim sic, partim sic*. Si *exterius* per segregationem corporalem [6] a malis; sic est ostiarius, qui admittit bonos et excludit malos. Si *interius;* sic est postremus inter inferiores, scilicet acolythus, quia talis non purgat tenebras corporales, cum lumen ferat de die, sed spirituales. Si *partim sic, partim sic;* sic exorcista, qui purgat a vexatione diabolica, quae est quodam modo *intra* respectu corporis, quodam modo *extra* respectu animae, quia non illabitur daemon animae, licet obsideat corpus. — Similiter quantum ad actum *illuminationis* tres ordines accipiuntur, secundum quod triplex est lumen, scilicet *plenum, subsequens* et *antecedens*. Lumen *plenum* est in doctrina evangelica, scilicet doctrina Christi, quae spectat ad diaconos; lumen *subsequens* in doctrina apostolica, quae spectat ad subdiaconos; lumen *praecedens* in prophetica [7], quae spectat ad lectores. — Similiter secundum opus *perfectionis* sive consummationis triplex est ordo: quia quaedam est consummatio *prima*, utpote per gratiam baptismi et poenitentiae, haec debetur sacerdotibus; quaedam *excellentior*, et haec episcopis, quorum est ordinare et consecrare abbates et virgines; quaedam *excellentissima*, utpote consecrare episcopos et archiepiscopos, et haec pertinet ad Summum Pontificem, quia est «pater patrum [8]», in quo est plenitudo auctoritatis. Et sic status istius ordinationis *consummatur* in unitate et *descendit* per gradus novem, ut sic conformetur Ierusalem caelesti. Et iste novenarius reducitur ad ternarium actum, ut sic ascendat et configuretur beatissimae Trinitati: nam *purgatio* ad bonitatem, *illuminatio* vero ad sapientiam, sed *consummatio* ad potestatem. Et sic regnum Ecclesiae per Spiritum sanctum et Filium *traditur Deo et Patri* [9], dum ad ipsam supremam et paternam unitatem reducitur, ultra quam non est cogitare ascensum. — Et iste modus est satis probabilis; tamen adhuc aliquantulum a proprietate recedit, dum non accipitur ordinum distinctio per id quod est *proprium* sibi et *intrinsecum*.

Item modus 2. De actu purgandi. De actu illuminandi. De actu perficiendi. Notandum. Non placet perfecte.

Tertii adhuc sumunt aliquantulum aptius penes *gratiam, ad quam ordinat ordo*. Quoniam enim ordinat ad *gratiam perfectam*, quae septiformis est; ideo ordinum ecclesiasticorum *septem* competit esse

Modus 3. ponens 7 ordines.

---

[1] Vers. 4. seqq.

[2] Pro *cum* codd. H P *ad ostendendum, quod.* Superius pro *ordinat* edd. *ordinatur.*

[3] Vers. 8. seqq.: Alii quidem per Spiritum datur sermo etc.

[4] Codd. H V bb *dicta*, edd. *differentia*, quae etiam pro *conveniunt* substituunt *convenit.* Pro primo *eisdem* codd. *eidem.*

[5] Codd. E Z *exemplar*, plures codd. *exemplum.*

[6] Edd. supplent *bonorum.*

[7] Codd., superius pro *in doctrina apostolica* posito *ad doctrinam apostolicam*, hic substituunt *ad propheticam* (cod. F tum superius tum hic omittit *ad*, servato accusativo).

[8] Ut dicitur hic in lit. Magistri, c. 11. — Pro *quia est* cod. G *qui est.* Plures codd. omittunt *utpote consecrare episcopos et archiepiscopos*, nonnulli omittunt cum edd. *et* ante *archiepiscopos.*

[9] Epist. I. Cor. 15, 24: Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. — Post *nam purgatio* edd. supplent *pertinet seu reducitur.* Aliquanto superius pro *ternarium actum* plures codd. *ternarium actuum*, cod. E *ternarium actuum numerum.*

gradus, ut ordo ostiarii respondeat dono *timoris,* per quod recedit homo a malo; ordo sacerdotii dono *sapientiae,* quia gustat et administrat ipsum lignum vitae, ipsum panem caelestem, in quo est omnis sapor [1]; ordines intermedii respondent *intermediis* donis. — Et iste adhuc modus satis est probabilis et magis attingit ad sufficientiam ordinum vere assignandam quam aliquis praedictorum.

Magis placet.

Licet autem omnes hi modi ex dictis magistrorum tracti sint; nam primus ex dictis Isidori [2], secundus ex dictis Dionysii, tertius ex dictis Hugonis et Magistri; sed tamen adhuc videtur aliquid rationabilius posse dici, si quartum modum sumendi attendamus, qui est penes id, *ad quod ordo ordinatur;* et hoc quidem est ad corpus Christi verum dispensandum ad utilitatem corporis Christi mystici. Unde in sacerdotio est status, in quo est consummatio potestatis, et utraque potestas in ipso concurrit, scilicet *conficiendi corpus Christi verum* et *absolvendi mysticum.* Hic autem ordo nobilissimus debet habere ordines sibi *subministrantes* secundum exigentiam huius duplicis potentiae. Unde quidam ministrant quantum ad corpus Christi *verum;* et hi sunt ordines ipsi sacerdotio propinquiores. Nam dupliciter est ministrare: aut accipiendo hostias a plebe, et hoc est subdiaconi; aut offerendo sacerdoti, et hoc est diaconi; et illud est principale eorum officium, sicut expresse innuit Isidorus [3]; et hinc est, quod sic denominantur: unde diaconus quasi minister, et subdiaconus quasi subminister. — Alii inferiores subministrant sive subserviunt praeparando corpus Christi *mysticum* ad hoc, quod possit perduci ad verum digne percipiendum; et ad hoc sunt quatuor ordines, secundum quod quadrupliciter potest ad hoc praeparari: primo modo admittendo ad locum sacrum, et hoc est ostiariorum; secundo praebendo documentum, et hoc est lectorum; tertio praestando auxilium, et hoc exorcistarum; quarto monstrando bonum exemplum, et hoc ceroferariorum sive acolythorum, ad quos pertinet, *ut luceat lux* eorum *coram hominibus, ut videant* [4] etc.

Modus 4. et auctoris. — Duplex potentia. — Distinctio. — Ordines sacri ministrantes. — Ordines minores.

Et sic patet, quod miro modo procedit ordo a multitudine in unitatem. Nam principalis gradus est *unus,* cui subservientes debent esse *duo* — quia enim a primo deficiunt, cadunt in dualitatem — et rursus subservientes duobus sunt *quatuor,* quia deficiunt etiam ab illis. — Et sic patet perfectio et consummatio ordinum et distinctio in numero septenario secundum gradus potestatum, quae sunt essentiales ordini; quarum numerus et sufficientia sumitur penes id, ad quod directae sunt. — His visis, obiecta de facili satis patent. Quod enim obiicitur, quod sunt septem, concedendum.

Corollarium. — Conclusio 2. — De fundam.

1. Quod vero obiicitur, quod sunt tres, per [5] Dionysium; dicendum, quod Dionysius sub ministris comprehendit septem gradus, qui omnes administrant sacerdoti.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de illo triplici actu, dicendum, quod distinctio ordinum non sumitur penes illum triplicem actum, sed potius secundum actum ministrandi; et si etiam sumeretur, adhuc non valeret, quia illi [6] plurificantur, ut patet in Angelis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod imitatur supernam Ierusalem; dicendum, quod verum est, secundum quod suo statui competit. In illa autem superna Ierusalem ordines assignantur supremi, inferiores et medii secundum aspectus *diversos,* sicut patet in distinctione hierarchiarum angelicarum [7]; ordines autem ecclesiastici sumuntur per comparationem ad *unum* principaliter, quia ad hoc sunt; et hinc est, quod nec illo modo plurificantur nec in tot membra, in quot ordines angelici [8].

Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicitur: *Habiturus partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt.* Videtur enim male dicere, quia, cum tales habuerint *aureolam,* videtur, quod omnes lectores habeant *aureolam,* et ita omnes sacerdotes.

Respondeo: Ad hoc dici potest, quod officium lectoris est non tantum prophetiam nudam *legere,* sed etiam *exponere;* et tunc bene patet [9] officium, quoniam non solum legit corticem litterae, sed etiam explicat arcanum prophetiae; et tunc est praedicator et doctor et meretur aureolam. Quodsi tantum officium accipiat et non impleat, non habebit ex hoc aureolam, quia aureola non redditur voluntati, vel

[1] Cfr. supra pag. 182, nota 3. et pag. 184, nota 3.

[2] Vide VII. Etymolog. c. 12, et II. de Eccles. Officiis, c. 5. seqq., quorum sententia exhibetur hic in lit. Magistri, c. 5. seqq. — De *tertio* modo cfr. supra p. I. dub. 2.

[3] Hic in lit. Magistri, c. 9. et 10. — Immediate post ex cod. K (I a secunda manu) substituimus *et hinc est* pro *et hoc est.* Aliquanto superius pro *ipsi sacerdotio,* quod cod. K omittit, permulti codd. *Christi,* vel cum ed. 1 *Christo.*

[4] Matth. 5, 16. Cfr. infra dub. 2.

[5] Cod. F *secundum.*

[6] Ita edd. cum aliquot codd., plurimi codd. *illa,* codd. G H *omnia illa.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 9. per totam. — Post *aspectus* codd. et ed. 1 addund *ad;* lectio esset bona, si mutarent *diversos* in *diversa.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Codd. L R S T planius *implet.*

officio per se, sed voluntati iunctae cum actu praerogativae alicuius. — Posset tamen dici, quod illud intelligitur quantum ad meritum *substantiale* [1]. Aliter.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ab archidiacono accipiunt candelabrum* etc. Videtur enim male dicere: quia archidiaconus non potest ordinare, ergo nec dare vasa, in quibus significetur potestas.

Quaestio incidens. Item quaeritur, quis sit actus *principalior* acolythorum, an ministrare de *cereo*, an ministrare de *urceolo.* Et videtur, quod de *urceolo*, quia secundum istum actum quodam modo iungitur cum officio subdiaconi. — Sed ad oppositum est, quia unusquisque ordo denominatur a digniori et principaliori [2]; sed acolythi dicuntur quasi *ceroferarii.*

Respondeo: Dicendum, quod *potestas* traditur ab episcopo, sed archidiaconus tradit urceolum et candelabrum, ut significetur, quod talis ministrat subdiacono, et hoc primum incipit circa altare ministrare. Archidiaconus autem dicitur *princeps ministerii* [3].

Ad quaest. incid. Quod obiicitur, quis actus principalior; dicendum, quod actus, a quo denominantur, qui est ferre cereos, quia hunc actum habent in quadam completione; sed actum ministrandi habent in imperfectione quantum ad ministrationem aquae. Subdiaconus autem completius hunc actum habet. — Alia ratio est, quia in ferendo cereos significatur potestas, quam habet in dando bonum exemplum [4]; et quia hoc est cuiusdam superpositionis, sed in ministratione aquae subiectio: ideo etc.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *levitae ex nomine auctoris vocati sunt.* Videtur enim male dicere: quia sacerdotium novae legis evacuat sacerdotium veteris [5], ergo pari ratione ministerium evacuat ministerium: ergo non debent amplius levitae dici.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus:* quia, cum unius ordinis unus sit actus et una potestas, videtur, quod male assignet diacono novem actus, sicut intelligitur ex littera [6]: ergo aut diaconus complectitur novem ordines et novem characteres, aut non bene nec vere assignantur ei huiusmodi actus.

Respondeo: Dicendum, quod levitae [7] proprio nomine appellantur *diaconi*, in quo nomine clauditur proprius eorum actus et principalis, scilicet ministrare sacerdoti specialiter et immediate in sacris. Ad diaconos enim pertinet corpus Domini transferre, in primitiva Ecclesia etiam sanguinem dispensare [8]; unde immediate isti sacerdotibus assistunt et ministrant. Et quando datur eis potestas ad hunc actum, tunc est dicendum, characterem imprimi. Unde cum novem vel circa illud in littera assignentur, intelligendum, quod alii sunt *annexi*, hi *principales.* — Et *si tu quaeras:* quare vocantur levitae? dicendum, quod non ideo dicuntur *levitae*, quia officium habeant levitarum, sed quia consimile illi et per illud officium praefiguratum [9]. Notandum. Quaest. incid. solvitur.

Dub. IV.

Item quaeritur de divisione, quam ponit de actibus sacerdotalibus, qui sunt: *corpus Domini conficere, orationes dicere, dona Dei benedicere.* Videtur enim, quod cum actus ligandi et solvendi sit multo nobilior, quod Magister deberet assignare ipsi [10] sacerdoti.

Respondeo: Dicendum, quod isti actus sunt proprii sacerdotum et respiciunt sacerdotem secundum se; sed actus ligandi et solvendi respicit confessionem: ideo supra [11] de hoc actu in Sacramento de poenitentia sive tractatu determinatum est; et ideo Magister non repetit hic.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *canones duos tantum sacros appellari censent.* Videtur

---

[1] Vide infra d. 33. a. 2. q. 3; S. Thom., hic circa lit.

[2] Cfr. supra pag. 470, nota 7. — Superius pro *quodam modo* cod. G *immediate.*

[3] In C. *Perlectis* (1, sumtus ex Epist. Isidori ad Ludifredum), d. 25. § 11. dicitur: Archidiaconus enim imperat subdiaconis et levitis. — Cfr. supra a. 1. q. 4. ad 4.

[4] Secundum Pontificale Romanum episcopus acolythos ordinandos admonet verbis Matth. 5, 16: Luceat lux vestra etc., et Phil. 2, 15: In medio nationis pravae... lucetis sicut luminaria in mundo. Vide etiam hic lit. Magistri, c. 8, et Comment. a. 2. q. 4. — De hoc dubio cfr. B. Albert., hic a. 24. seq.; S. Thom., hic q. 2. a. 2. (ubi et de seqq. dubiis).

[5] Cfr. Hebr. 7, 12, et supra p. I. a. 2. q. 3.

[6] Hic c. 10. — Edd. *novum actum* et paulo inferius *novum ordinem et novum characterem.* In codd. desideratur *ergo.*

[7] Pro *levitae*, quod cod. aa omittit, alii codd. *diaconi.*

[8] Iustin., Apolog. I. pro Christian. n. 65: Qui apud nos dicuntur diaconi panem et vinum et aquam, in quibus gratiae actae sunt [ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καί ὕδατος], unicuique praesentium participanda distribuunt et ad absentes perferunt. Cyprian., de Lapsis, n. 25: Solemnibus adimpletis, calicem diaconus offerre praesentibus coepit etc. Cfr. etiam Ambros., I. de Offic. ministr. c. 41. n. 214. (ad cuius loci explicationem in nota adiecta allegatur Concil. Aquisgr. c. 7, et Isidor., II. de Offic. eccles. c. 8: Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est); August., Serm. 304. (alias 37. de Diversis), c. 1. n. 1, et C. *Diaconos* (13.), seqq. d. 93. — Aliquanto inferius pro *cum novem vel* edd. *cum novum nihil.*

[9] Cfr. B. Albert., hic a. 29.

[10] Cod. G *ipsum.*

[11] Dist. 18. p. I. et d. 19. per totam. — Idem dub. solvit B. Albert., hic a. 35.

enim falsum esse: quia subdiaconatus etiam ordo est sacer, quod patet, quia ibi vovetur continentia et castitas [1]. Item, subdiaconus tangit vasa sacra: ergo videtur etc.

Sacrum sumitur tripliciter.

Respondeo: Dicendum, quod *ordines sacri* dicuntur, quia *sacrum* exigunt *ministrum*, secundum illud Isaiae quinquagesimo secundo [2]: *Mundamini qui fertis vasa Domini;* unde quia contingunt res sacratas, *sacri* debent esse; et omnes isti tres dicuntur *sacri.* Alio modo *stricte* dicitur sacer ordo, quia ipsum *sacrum dispensat* et quodam modo tractat, deferendo et aliis administrando; et sic presbyter et diaconus [3]. Tertio modo sacrum dicitur *propriissime,* quia *sacram rem conficit;* et hoc competit ordini supremo, et ideo *sacerdos* appellatur.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ordo est signaculum sacrum.* Videtur enim male dicere, quia Sacramentum est *elementum;* sed ordo est *Sacramentum:* ergo ordo est *elementum,* non ergo spirituale signaculum. — Item, cum in aliis Sacramentis [4] imprimatur character, propter quid ordo magis definitur per *signaculum?* — Item quaeritur, quid sit *res,* et quid *signum* in Sacramento ordinis.

Respondeo: Dicendum, quod in collatione ordinis est *collatio potestatis,* per quam homo ponitur in statu definito et gradu; et quoniam diversitas est in *potestatibus,* diversitas est in *signaculis,* et per consequens diversitas est et debet esse in *exterioribus signis;* aliter tamen: quia *signa* sunt simpliciter diversa, sed *potestates* conveniunt in eadem anima in hoc, quod uniformis ratio distinguendi reperitur in omnibus characteribus et ad unum ordinatis. Quoniam igitur *ordo* debet definiri per id quod commune est; et communitas non est a parte *elementi exterioris,* sed *signaculi impressi:* ideo magis definitur per id quam per elementum exterius; et *iterum,* magis hoc Sacramentum quam aliud, quoniam character plus habet hic rationem suam, id est rationem *distinguendi,* quam in aliis Sacramentis [5].

Notandum.

DISTINCTIO XXV.

Cap. I.

De ordinatis ab haereticis.

Solet etiam quaeri, si haeretici ab Ecclesia praecisi et damnati possint tradere sacros ordines, et si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiae unitatem, debeant reordinari. — Hanc quaestionem perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. — Videntur enim quidam tradere, haereticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinati videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innocentius [1]: « Arianorum clericos non videri suscipiendos cum sacerdotii vel ministerii alicuius dignitate; quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti percipitur ». Dicit etiam, eos « non posse dare Spiritum sanctum, quem amiserunt »; et « ordinatos ab haereticis caput habere vulneratum; et eum qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse, quoniam in dante nihil erat, quod ille posset accipere ». Tradit etiam, « venientibus ab haereticis per manus impositionem laicam tantum tribuendam communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare ». Gregorius [2] etiam dicit, sacrilegam esse Arianorum consecrationem, cum ex eorum manu communio percipitur. Cyprianus etiam dicit, omnia quaecumque faciunt haeretici, carnalia, inania et sacrilega esse, et eorum « altaria falsa et illicita, sacerdotia et sacrificia sacrilega », qui « more simiarum, quae, cum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiae catholicae et auctoritatem sibi vindicant, cum ipsi in Ecclesia non sint »; et cum sint sacrilegi, sacerdotium administrant et al-

Modus loquendi 1. et falsus.

Innocentius.

Dubium 1.

Gregorius.

Cyprianus.

---

[1] Prima haec ratio omittitur in edd. et uno alteroque cod. Post *falsum esse* codd. B D F Q addunt *si hoc dicunt,* cod. E *si haec dicuntur.*

[2] Vers. 11. — Superius post *dicuntur* edd. supplent: *tribus modis. Primo large.* Pro *exigunt ministrum* cod. A *exhibent ministerium* (etiam plures alii codd. falso ponunt *ministerium*). Inferius pro *contingunt* codd. R S T *tangunt,* et pro *sacratas* plures codd. *sacras.*

[3] Ita codd. B P (F L a secunda manu), quorum lectio ex contextu comprobatur; alii codd. *presbyter et subdiaconus,* edd. *diaconus et subdiaconus* [sed *subdiaconi* est tantum sacra vasa tangere]. Cfr. supra a. 2. q. 1. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 36; S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 3. et circa lit.; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Scil. in baptismo et confirmatione; cfr. supra d. 6. p. I. q. 4.

[5] Cfr. supra a. 1. q. 1. seqq.; B. Albert., hic a. 37; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Arianos* (73.), C. 1. q. 1. Seq. locus est C. *Qui perfectionem* (17.), ibid.; tertius C. *Ventum est* (18.), ibid.; quartus, ibid. § 2.

[2] Libr. III. Dialog. c. 31; C. *Superveniente* (72.), ibid.; locus Cypriani est Epist. ad Magnum de baptizandis Novatianis, n. 1; et Gratian. super C. *Manus impositio* (74.), ibid., et deinde Cyprian., Epist. ad Iubaianum (de haereticis baptizand.) n. 2; uterque in C. *Si quis, inquit* (70.), ibid. Pro seqq. cfr. eiusd. Epist. ad Magnum, n. 9. seqq.

tare ponunt, cum nec sacrificari oblatio illic possit, ubi Spiritus sanctus non sit; nec cuidam Dominus per eius preces et orationes prosit, qui Deum ipsum violavit. Hieronymus [1] quoque asserit, « omnia quae offeruntur ab haereticis, contaminata esse in conspectu Domini; quia, licet sancta videantur specie sui, tamen, quia contacta sunt ab illo qui pollutus est, polluuntur omnia ». Idem: « Odit Deus sacrificia haereticorum et a se proiicit; et quoties in nomine eius congregati fuerint, detestatur foetorem eorum et claudit nares suas ». Idem: « Illi offerunt panem sacrilegum » etc. Leo [2] etiam testatur, « extra Ecclesiam nec rata esse sacerdotia, nec vera esse sacrificia ». Idem etiam dicit: « Per crudelissimam vesaniam in Alexandrina sede omnium Sacramentorum lumen exstinctum: intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria ». — His aliisque testimoniis astrui videtur, Sacramenta ecclesiastica, praecipue corporis et sanguinis, ordinationis et confirmationis, per haereticos non posse ministrari.

Hieronymus. Leo.

Contra autem alii sentire videntur, quod ab haereticis etiam praecisis sacri ordines, sicut et baptismus, tradi valeant; nec ab haereticis redeuntes, qui illic ordinati sunt et baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi. Unde Augustinus [3]: « De haereticis etiam damnatis quod quidam dicunt: *baptisma*, quod accepit, non amittit qui recedit ab Ecclesia; *ius dandi* quod accepit amittit; multis modis apparet inaniter dici: primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui illud baptisma amittere non potest, ius dandi possit amittere. Utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur, illud, cum baptizatur, et istud, cum ordinatur. Ideo non licet in catholica Ecclesia utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam praepositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt, et si visum est opus esse, ut eadem officia gererent, quae agebant; non sunt rursus ordinandi; sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in *praecisione* fuerat vitium, quod unitate pacis est correctum, non in *Sacramentis*, quae, ubicumque sunt, ipsa [4] sunt. Et cum ipsi expedire videtur Ecclesiae, ut praepositi eorum, venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent; non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed super eos manent; ideoque non eis manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria. Sicut autem in baptismo est ius, quod per eos dari possit; sic in ordinatione ius dandi est, utrumque quidem ad perniciem suam. Sed aliud est *non habere*, aliud *perniciose habere*, aliud *salubriter habere* ». Idem [5]: « De his qui ab Ecclesiae unitate separati sunt, nulla iam quaestio est, quin habeant et dare possint; sed perniciose habent pernicioseque dant, quia extra *vinculum pacis* sunt. Neutri Sacramento facienda est iniuria. Sicut non recte habet qui ab unitate recedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur; sic etiam non recte dat qui ab unitate recedit, sed tamen dat; et ideo, qui ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur ». Idem: « Aliud est *non habere* aliquid, aliud est *non iure habere* vel *illicite usurpare*. Non igitur ideo non sunt Sacramenta Christi et Ecclesiae, quia eis illicite utantur non modo haeretici, sed etiam omnes impii; sed illi corrigendi sunt et puniendi, illa autem agnoscenda et veneranda ». Item Gregorius [6]: « Quod dicitis, ut qui ordinatus est iterum ordinetur, valde ridiculum est. Ut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel in eodem ordine non valet iterum consecrari ». — His aliisque auctoritatibus videtur asseri, in omnibus impiis, etiam in haereticis praecisis et damnatis, Christi Sacramenta permanere cum iure dandi; possunt enim dare, sed perniciose, et quibus dederint non sunt iterum ordinandi. Quae praemissis ex opposito obviare videntur.

Modus loquendi 2. et verus. Augustinus. Augustinus. Gregorius.

Haec autem quidam ita determinant. Dicunt enim, haereticos, accepta sacerdotali vel episcopali unctione, ab Ecclesia recedentes *baptismi* quidem dandi ius retinere, sed non habere facultatem tribuendi *sacros ordines*, vel consecrandi *dominicum corpus*, postquam praecisi sunt et damnati ab Ecclesia; sicut degradatus episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines, facultatem tamen baptizandi non amisit. Quod vero Augustinus ait intelligitur dictum de haereticis, qui non *sententia Ecclesiae*, sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrinae unitate divisi sunt; qui, licet tales sint, ius tamen ordinandi et consecrandi habent. Et qui ab eis ordinantur ante manifestam praecisionem, etiam si cum eis aperte exierint et sententia Ecclesiae damnati fuerint, tamen si redierint, iterum ordinandi non sunt. Et ubicumque legitur de ordinatis ab haereticis, quod servatis eis ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint; de huiusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam praecisi fuerint et damnati iudicio Ecclesiae, ius ordinandi et consecrandi eis detractum asserunt, ut degradatis, vel excommunicatis. — Alii vero dicunt, Sacramenta ab haereticis et praecisis secundum formam Ecclesiae celebrata vera esse et rata, quia recedentes ab Ecclesia ius dandi et consecrandi non perdiderunt; et qui sic ab haereticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quae vero ab haereticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt et inania; et qui a talibus ordinari videntur non munus, sed vulnus accipiunt. Et secundum hanc

Modus 3. cum falsa distinctione. Modus 4. et verus.

---

[1] Comment. in Aggaeum 2, 15; C. *Sic populus* (61.), ibid.; seq. locus est eiusdem in Amos 5, 22; C. *Odit Deus* (62.), ibid.; tertius in Oseam 6, 7; C. *Illi offerunt* (63.), ibid.

[2] Epist. 80. (alias 60.) ad Anatolium, c. 2; C. *In Ecclesia* (68.), ibid.; seq. locus est Epist. 156. (alias 125.) ad Leonem, c. 5; C. *Manifestum est* (69.), ibid.

[3] Libr. II. contra epist. Parmeniani, c. 13. n. 28; C. *Quod quidam* (97.), ibid.

[4] Edd. 6, 8 et Vat. addunt *vera*, sed refragante etiam editione Maurina originalis.

[5] Ibid., et C. cit. § 6, variatis nonnullis. Respicitur Eph. 4, 3. — Seq. locus eiusd. III. de Baptismo contra Donatist. c. 10. n. 13.

[6] Libr. II. Registr. indict. 10, epist. 46. (alias 22.) ad Ioan. episc. Ravennat.; C. *Sicut semel* (1.), d. 68.

Modus loquendi 5 et verus. differentiam varie de his loquuntur doctores. — Quidam[1] vero dicunt, eadem Sacramenta ab haereticis praecisis posse celebrari, quae a catholicis, si ab illis forma Ecclesiae servetur; et ab eis celebrata vera esse et rata quantum *ad se*, quantum vero *ad effectum* falsa esse et inania et in his qui male tractant, et in his qui male suscipiunt; ideo *irrita* et *falsa*, quia quod promittunt et conferre creduntur non tribuunt; *damnanda* etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus sunt in iudicium; *polluta* etiam dicuntur, non quantum ad se, sed propter indignam haereticorum tractationem. Ideo Gregorius communionem Arii vocat *exsecrationem*, et Innocentius Bonosii ordinationem *damnationem*, non quod ita in se sint, sed quia male dantes vel accipientes tales facit; sicut etiam Hieronymus sacrificia eorum *panem luctus* vocat, non quantum ad se, sed quantum ad effectum. — Nonnulli[2] vero tradunt, illos haereticos, qui in Ecclesia ordinati sunt, ius ordinandi et consecrandi, etiam cum separati fuerint, habere; qui vero, in schismate vel haeresi positi, ab eis ordinati et inuncti fuerint, illo iure carent, ideoque, cum ordinare volunt, vulnus potius infigunt, quam gratiam conferant.

Modus 6. cum falsa distinctione.

Cap. II.

De simonia, unde dicitur, et quid sit.

De simoniacis vero non est ambigendum, quin sint haeretici, qui tamen ante sententiam degradationis et ordinant et consecrant. Et licet *simoniaci* proprie dicantur qui instar Simonis[3] magi impretiabilem gratiam pretio conducere volunt, et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi *Giezitae* vocandi
Dubium 2. 3. sunt; omnes tamen et dantes et accipientes simoniaci dicuntur, et utrique eadem sententia percelluntur.

Cap. III.

De his qui a simoniacis ordinantur scienter, vel non.

Differt tamen inter eos qui ordinantur a simoniacis scienter, et eos qui ignoranter. « Qui enim scienter a simoniacis se permiserint consecrari, immo exsecrari,
Dubium 4. eorum consecratio omnino irrita est. Qui vero ordinantur a simoniacis, quos, cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui et tunc pro catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur[4] ».

Cap. IV.

De his qui dicunt, se emere corporalia et non spiritualia.

« Si vero aliqui obiecerint, se non *consecrationes* emere, sed *res ipsas*, quae ex consecratione proveniunt; penitus desipere probantur. Nam quisquis horum Dubium 5.
alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit[5] ».

Cap. V.

De distinctione simoniacorum.

Simoniacae autem haeresis tripartita est distinctio. Dubium 6.
Alii enim simoniace a simoniacis ordinantur; alii simoniace a non simoniacis; alii non simoniace a simoniacis. Unde Nicolaus Papa[6]: « Statuimus decretum de simoniaca tripartita haeresi, id est de simoniacis simoniace ordinatoribus vel ordinatis, et de simoniacis simoniace a non simoniacis, et de simoniacis non simoniace a simoniacis. Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores secundum canones a proprio gradu decidant; simoniaci etiam simoniace a non simoniacis ordinati similiter ab officio removeantur; simoniacos vero non simoniace a simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere ». « Quod intelligendum est de his qui ordinantur a simoniacis ignorantes, eos esse simoniacos. Hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci ».

Cap. VI.

De his qui violenter ab haereticis vel simoniacis ordinantur.

Similiter, cum decernit Alexander Papa[7], « simoniacos omnino damnandos ac deponendos, subintelligendum est: nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim et a quibuslibet haereticis violenter ordinatis dicit Innocentius, quod possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis et pessimo eorum conciliabulo renuntiant ».

De aetate ordinandorum ita decrevit Nicolaus Papa[8]: « Sacri, inquit, canones sanxerunt, ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante viginti quinque, nec presbyter ante triginta.

---

[1] Cfr. Gratian. super C. cit. *Quod quidam*, § 5. 7.

[2] Cfr. Gratian. super C. *Per illicitam* (3.), C. 9. q. 1. — Pro *inuncti* Vat. et plurimae edd. *iuncti*, et pro *infigunt* edd. 2, 4, 6 et Vat. *infligunt*.

[3] Cfr. Act. 8, 18 seqq.; de Giezi IV. Reg. 5, 25. seqq.

[4] Can. *Si qui a simoniacis* (108.), C. 1. q. 1.

[5] Can. *Si quis obiecerit* (7.), C. 1. q. 3; in quo et in originali pro *vendere* melius *invenditum*.

[6] Can. *Statuimus decretum* (107.), C. 1. q. 1. Seq. locus et Gratian. super hunc can.

[7] Locus collectus ex C. *Erga simoniacos* (110.), ibid. et C. *Constat multos* (111.), ibid., et Gratian. ibid.

[8] Can. *In singulis gradibus* (2.), d. 77; et verbotenus apud Hug. II. de Sacram. p. III. c. 21. Seq. locus est C. *Si quis triginta* (1.), d. 78. Ultima verba leguntur in C. *Presbyter* (4.), ibid., ubi respicitur Luc. 3, 21. seqq. — Verba *De aetate ordinandorum... Papa* codd. et edd., excepta Vat., ponunt ut rubricam supra textum, quem incipiunt sic: *De aetate sacri canones, inquit* etc. Sed ista rubrica non invenitur inter capitula ab ipso Magistro ordinata; unde exemplum Vaticanae secuti sumus. — Circa aetatem ordinandorum novum ius constitutum est a Concilio Trident. (Sess. XXIII. de Reform.), quod nemo ante annum 22. ad subdiaconatum, ante an. 23. ad diaconatum, ante an. 25. ad presbyteratum promoveatur.

Deinde, si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest »; quod nos etiam pari modo servare iubemus. Item Fabianus: « Si quis triginta aetatis non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valde sit dignus »; « quia et ipse Dominus triginta annorum baptizatus est, et sic coepit docere ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXV.

De dispensatione sacri ordinis.

Solet etiam quaeri, si haeretici ab Ecclesia praecisi etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de ordine; hic agit de potestate conferendi ordines. Et quoniam potestas exigit materiam debitam et [1] debitam ordinationem, ideo primo agit Magister de potestate conferendi ordines. Secundo vero de vitio, quod incidit circa ordinis dationem et susceptionem, quod est simonia, ibi: *De simoniacis vero non est ambigendum.* Tertio vero de idoneitate ordinandorum, maxime quantum ad aetatem, ibi: *De aetate ordinandorum,* ultimo capitulo.

Prima pars habet tres. In prima arguit ad partem falsam, ostendens, quod haeretici non possunt ordines dare. In secunda ad partem veram, ibi: *Contra autem alii sentire videntur* etc. In tertia solvit [2], ibi: *Haec autem quidam ita determinant* etc.

De simoniacis vero non est ambigendum etc. Haec est secunda pars, in qua agit de vitio, quod incidit circa ordinum dationem et susceptionem, quod quidem est simonia; et habet haec pars duas. In prima agit de culpa. In secunda vero agit de poena, ibi: *Differt tamen inter eos qui ordinantur* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de potestate ordinandi.

Secundo, de possibilitate ordinandorum.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo, utrum solus episcopus possit ordinare.

Secundo, utrum episcopus haereticus possit ordines dare.

Tertio, utrum simoniacus episcopus aliquem valeat ordinem vendere.

Quarto, utrum ordines dans simoniace ex hoc ipso fiat haereticus.

ARTICULUS I.

De potestate ordinandi.

QUAESTIO I.

Utrum solus episcopus possit ordinare.

Circa primum proceditur sic et ostenditur, quod solus episcopus possit ordinare.

Fundamenta. 1. Ad Hebraeos septimo [3]: *Sine ulla contradictione quod minus est a maiore benedicitur;* sed ordinum collatio est per benedictionem: ergo necesse est, quod ille qui ordines confert, eminentiam habeat ultra omnes ordines. Sed talis non est nisi episcopus: ergo etc.

2. Item, Isidorus in libro septimo Etymologiarum, capitulo duodecimo [4], loquens de officio episcopi, dicit: « Ipse et summus sacerdos, ipse et pontifex maximus nominatur; ipse enim efficit sacerdotes atque levitas, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit ».

3. Item, *ratione* videtur: quia eius est in Ecclesia ordines constituere, cuius est Ecclesiam gubernare; sed gubernatio Ecclesiarum spectat ad episcopos, qui sunt superintendentes [5]: ergo et dispensatio ordinum.

---

[1] Pro *materiam debitam et,* quod habent codd. A Q R S T, quodque edd. omittunt, cod. E *naturam debitam et,* codd. L U *modum debitum et,* cod. O *modo debito,* alii *modo.*

[2] Pro *solvit* edd. *autem praedictas contrarietates ad concordantiam reducit.* Eaedem edd. in fine addunt *Tertia pars remanet indivisa.*

[3] Vers. 7. Vulgata *meliore* pro *maiore.* — Inferius pro *omnes* multi codd. *tres.*

[4] Num. 13. Pro *ipse et pontifex maximus* codd. *ipse pontifex et maximus.*

[5] Ut dicit Isidor. supra lit. Magistri, d. XXIV. c. 15.

4. Item, eius est in Ecclesia ordines conferre, ad quem spectat ex Ecclesia filios generare perfectos, pro eo quod ordo collocat in statu perfectionis; sed hoc est illius solius, qui est sponsus, hic autem est episcopus[1]: ergo etc.

5. Item, maioris dignitatis est ordines dispensare, quam sit Sacramentum confirmationis dare; sed secundum est episcoporum tantum: ergo et primum[2].

Ad oppositum. Contra: 1. Primae ad Timotheum quarto[3]: *Noli negligere gratiam, quae est in te per impositionem manuum presbyteri:* ergo in primitiva Ecclesia presbyterorum erat manus episcopis imponere, ergo et ordinare: ergo etc.

2. Item, ordinatio ordinum principalium fit per manuum impositionem: ergo cui competit manuum impositio, competit et potestas ordinandi; sed prima competit presbyteris: ergo etc. Probatio *mediae:* distinctione vigesima tertia[4]: « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manus episcopi teneant super caput illius »: ergo etc.

3. Item, quod perfectum est potest in tale, quale ipsum est[5]; sed ordo sacerdotalis est ordo perfectus: ergo potest in tale, quale est: ergo videtur, quod sacerdos sacerdotem possit facere.

4. Item, plus est corpus Domini conficere quam aliquem ordinare in aliquo gradu ecclesiastico; sed primum est non tantum episcopi, sed etiam sacerdotum: ergo pari ratione videtur, quod ordinatio clericorum.

5. Item, plus praestat sacerdos diacono, quam praesit episcopus episcopo; sed episcopus potest alium promovere et consecrare in episcopum: ergo multo fortius sacerdos potest facere diaconum.

Quaestio incidens. Propter hoc est quaestio: cum minus a maiore benedicatur[6], quomodo episcopus potest benedicere episcopum, et quod amplius est, archiepiscopum, immo quod adhuc maius est, Ostiensis benedicit Papam?

CONCLUSIO.

Soli episcopi possunt sacros ordines conferre.

Solutio: Dicendum, quod, sicut sacri canones dicunt, secundum ius commune non potest aliquis ordines dispensare, praesertim ordines sacros, nisi solus episcopus[7]. — Huius autem statutum ortum habet ex *sacra Scriptura* et *Spiritus sancti ordinatione.* Ex *sacra Scriptura:* quia, cum Dominus duo genera discipulorum habuit, quosdam in numero duodeno, quosdam in numero septuagesimo — primos *Apostolos nominavit*[8], *super quos* etiam fundavit Ecclesiam, ipsos tamen primo fundando *in se;* alios simplices *discipulos appellavit* — et Apostolis primo collata fuit potestas imponendi manus et consecrandi, non autem simplicibus discipulis, sicut patet ex textu et ex Glossa Actuum octavo[9]; et quoniam Apostolis succedunt episcopi, discipulis vero sacerdotes simplices successerunt, sicut habetur distinctione vigesima prima, capitulo, *In novo testamento:* et ita patet, quod auctoritas ordinandi et manus imponendi secundum formam Ecclesiae primitivae episcopis approprietur. Unde et Apostolus, scribens Timotheo, primae ad Timotheum quinto[10]: *Manus cito nemini imposueris.* [Conclusio.] [Ratio 1.]

Consilium etiam *Spiritus sancti* concordat, quo et Scripturae sunt editae et constitutiones ecclesiasticae. — Quia enim ordo potestas est sive in ordine traditur[11]; ideo ab eo debet tradi, qui potestatem habet et in quantum habet potestatem. Posse autem gradus distribuere et conferre non est cuiuslibet potentis, sed eius qui in potentia supereminet, sicut patet etiam in regimine curiae saecularis. Ad hoc ergo, quod ordo recte tradatur, disponit[12] Spiritus sanctus, quod tradatur ab eo qui non solum ordinem habet, sed qui habet *ordines,* per quos est potens, sicut et alii, et *eminentiam dignitatis,* per quam potest super alios; hunc autem dicimus ordinem, qui dicit *ordinem cum eminentia:* ideo patet, quod duo requiruntur ad hoc, quod episcopus possit [Ratio 2.] [Confirmatio 1.]

---

[1] Vide supra d. 20. p. II. q. 3. in corp. — Cod. aa addit: *in signum hoc datur ei anulus.* — Superius pro *ex Ecclesia* cod. A a secunda manu et ed. 1 *in Ecclesia,* codd. R S T *et Ecclesiae.*

[2] Codd. et edd. perperam, terminis transpositis, *sed primum est... ergo et secundum.*

[3] Vers. 14. Vulgata: Noli... in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum *presbyterii.*

[4] Can. 8.

[5] Aristot., IV. Meteor. text. 19. (c. 3.); cfr. II. de Anima text. 34. (c. 4.): Naturalissimum enim operum, quae in viventibus, quaecumque perfecta et non mutilata sunt... est facere aliud quale ipsum.

[6] Respiciuntur verba Apostoli posita in fundam. 1.

[7] Cfr. Gratian., d. 67. et d. 69; X. de Ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui (lib. I. tit. 13.), ubi dicitur, quod ordines minores « a non-episcopis quandocumque conferuntur », et C. *Cum contingat* (11.), X. de Aetate et qualitate et ordine praeficiendorum (lib. I. tit. 14.), ubi decernitur, quod abbas, si est presbyter et benedictus, conferre potest ordinem clericalem (minorem). — Superius pro *dicunt* codd. E F *determinant,* alii codd. *bene dicunt.* Pro *commune* cod. F *Ecclesiae.*

[8] Luc. 6, 13. Cfr. 10, 1, ubi de *septuaginta duobus* discipulis. — Forma huius longae propositionis aliquatenus a regula deficit.

[9] Vers. 17. Cfr. supra pag. 58, nota 7, ubi Glossa Bedae exhibetur, de qua vide etiam supra d. 7. a. 1. q. 3. fundam. 3. — Seq. locus est apud Gratian., d. 21. c. 2.

[10] Vers. 22.

[11] Respicitur definitio ordinis a Magistro, supra d. XXIV. c. 13, data. — Edd. *in ordines potestas traditur.*

[12] Cod. K *disposuit.* Mox pro *tradatur* plures codd. *traderetur.* Subinde Vat., posito *habet ordines* pro *ordinem habet,* omittit *sed qui habet ordines.*

ordinem conferre, scilicet quod ille habeat illum *ordinem*, et quod habeat *episcopalem dignitatem*. — Alia ratio est, quia, si passim omnibus esset concessum, tot admitterentur ad ordines, quod non servaretur ordo, immo potius generaretur confusio; et ideo dispositum est Dei consilio, quod solis episcopis ordinum dispensatio et aliorum perfectorum, ut consecratio abbatum, monialium et ecclesiarum et consimilium, concedatur [1]. — Posset etiam alia ratio assignari sive ex hoc, quod episcopus *sponsus* est, sive ex hoc, quod Sacramentum ordinis *statum perfectionis* dicit; ideo his qui habent *potestatis eminentiam*, debuit reservari, et episcopus tanquam *sponsus* filios, id est perfectos, et filias, id est imperfectos, debuit generare. — Prima tamen ratio multum valet.

Confirmatio 2. Confirmatio 3.

1. Ad illud quod obiicitur de impositione manuum presbyteri, dicendum, quod presbyter vocatur ibi senior; et Apostolus intelligebat *se ipsum* per impositionem manus *presbyteri* — Glossa [2]: « presbyterum vocat episcopum » — vel *presbyteri*, id est « presbyterorum » — quia, sicut dicit ius, saltem tres sacerdotes debent manus imponere; sed tamen ipsi non imponunt ut dantes potestatem vel ordinem, quia ab uno solo dari potest et debet; unde ipsi non benedicunt, sed solus episcopus, sed hoc est in signum consecrationis suae [3].

Solutio oppositorum.

2. Et per hoc patet sequens, quia manuum impositio non facit ordinem, nisi illa quae iuncta est benedictioni.

3. Ad illud quod obiicitur de perfectione, dicendum, quod est perfectio *sufficientiae* et *redundantiae*. Ad hoc autem, quod aliquid aliud faciat sibi simile vel perfectum, non sufficit, quod sit perfectum perfectione sufficientiae, sed redundantiae; et quoniam in *sacerdote* est perfectio sufficientiae, in *episcopo* ratione eminentiae superadditae est perfectio redundantiae: ideo haec perfectio sufficit ad generandum filios perfectos, non prima.

Duplex perfectio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod plus est corpus Domini consecrare etc.; dicendum, quod illud argumentum peccat dupliciter: primo, quia potestas ordinandi *praesupponit* ordinationem et superaddit [4], per quam non solum est ordinatus, sed etiam ordinator, et ideo prima est falsa. Et iterum, *consequentia non valet:* quia non sequitur, si aliquis potest in maius, quod possit in minus, nisi maius includat illud minus, ut ferre duos modios includit unum [5]. Non sic est in proposito.

Duplex defectus.

5. Ad illud quod obiicitur, quod magis superat sacerdos diaconum etc.; dicendum, quod verum est, quod *magis superat,* quam episcopus superat episcopum, qui est iam, et super illum non habet *posse;* sed *non magis*, quam superat ille qui est episcopus in *actu,* illum qui est episcopus in *potentia*. *Praeterea*, etsi magis superet in ordine, secundum quem accipitur ratio *ordinati,* non tamen in ordine, secundum quem accipitur ratio *ordinantis,* qualis est in episcopo, non in presbytero. Et ideo non valet illud.

Ad illud quod ultimo quaeritur, quomodo episcopus benedicit episcopum; dicendum, quod hoc [6] nullum inconveniens est, quia non benedicitur, nisi in quantum caret ordine sive dignitate episcopali; et sic maior est. — Sed tunc adhuc restat quaestio, quomodo benedicit archiepiscopum, cum ille superior sit, et « non possit dare quod non habet [7] ». *Si tu dicas*, quod hoc facit auctoritate Summi Pontificis, qui superest; tunc non minor restat quaestio de ipso, qualiter Summus Pontifex benedicitur ab episcopo Ostiensi. *Si tu dicas,* quod Christus dedit ei hanc potestatem auctoritate [8]; *contra:* esto quod ipse non esset, nec esset commissa alteri; nunquid non posset Summus Pontifex consecrari? — Et propter hoc dicendum, quod infallibiliter verum est quod dicit Apostolus, *quod minus a maiore benedicitur,* pro statu, in quo benedicitur; sine contradictione [9] verum est, quod nullus dat alii maiorem dignitatem, quam habeat, nec minimum ordinem dare potest, quem non habet: et ideo episcopus, consecrans archiepiscopum vel Papam, omnino non tribuit ei nisi consecrationem episcopalem. Sed ille ampliorem habet auctoritatem et iurisdictionem a subditorum electione, suo consensu et Domini institutione, qui ordinavit Petrum et eius successores super totam Ecclesiam, volens, ut omnes, qui canonice electi fuerint, eandem quam et Petrus habeant potestatem.

Ad quaest. incid. Resp. Notandum.

---

[1] Cfr. C. *Perlectis* (1.), d. 25. § 9. et C. *Si iubet* (1.), C. 26. q. 6, ex quo supra lit. Magistri, d. XX. c. 6, nonnulla allegantur. — Superius pro *perfectorum* ed. 1 *officiorum*. In fine corp. pro *multum valet* edd. *melius valet*.

[2] Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum sic dicit: *Presbyteri* pro *presbyterorum,* quia minus tribus esse non possunt [cfr. supra pag. 628, nota 6.]. Et vocat *presbyterum,* episcopum; vel quia unus manus imponit, ceteris assentientibus.

[3] Cfr. supra d. 24. p. II. a. 1. q. 4. ad 2.

[4] Codd. M U supplent *eminentiam*, codd. R S T X *dignitatem*, cod. O *potentiam*. Pro *ordinationem* cod. F *ordinem*, cod. K (I a secunda manu) *ordinationem sive ordinem* (cfr. infra dub. 1. in fine).

[5] Cfr. supra pag. 143, nota 5.

[6] Non pauci codd. *hic*.

[7] Secundum Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.).

[8] Cod. G addit *sua*, omisso *contra*, codd. F L substituunt *auctoritatem*, omisso *potestatem*, in cod. E a secunda manu ponitur *potestatem et auctoritatem*, ed. 1 *potestatem auctoritative*, Vat. omittit *auctoritate*. Pro *contra*, *esto* permulti codd. perperam *qua est*.

[9] Ex codd. L Z et ed. 1 (respicientes ad verbum Apostoli relatum in 1. fundam.) substituimus *contradictione*, pro *cunctatione* cod. bb (a secunda manu) *dubitatione*. Ante *sine* edd. addunt *nam*, codd. A G *et*, codd. F bb *nec non*, denique cod. aa *item*.

SCHOLION.

I. Quoad 1. quaestionem notanda sunt verba Concilii Trident. (Sess. XXIII. can. 7.) superius (in scholio ad d. 24. p. II. a. 2. q. 3.) relata, quod potestas *confirmandi* et *ordinandi* episcopis non sit communis cum presbyteris. Haec specialis potestas episcoporum, saltem quoad collationem sacerdotii ipsis prorsus reservata, a *catholicis* nunquam vocata est in controversiam. Cfr. etiam hic dub. 1.

De hac 1. quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 1; Suppl. q. 38. a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — De hac et seqq. qq. Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Circa 2. quaestionem diffuse disputat Magister, hic c. 1. De erroribus et dubiis quoad validitatem quorundam Sacramentorum ab haereticis et praecisis collatorum (a quibus etiam Petr. Lombardus se prorsus expedire non potuit) vide scholia supra d. 5. a. 1. q. 2. quoad baptismum, d. 13. a. 1. q. 1. quoad eucharistiam; cfr. etiam lit. Magistri, d. XIX. c. 2, et Comment. a. 1. q. 2.

De 2. quaestione: Scot., in utroque Scripto hic q. 1, ubi etiam multa de poenis ecclesiasticis affert. — S. Thom., locis citt. a. 2. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3.

III. Quid sit *simonia*, aliaque de eadem explicantur infra dub. 2-6. Haec et plura alia simul cum seqq. 2. qq. (3. et 4.) a S. Thoma (hic q. 3. a. 1-3.) distinctis quaestionibus explicantur, melius etiam in S. II. II. q. 100. a. 1-6; item ab Alex. Hal., S. p. II. q. 169. per totam.

De utraque (3. 4.) quaestione aliisque annexis praeter S. Thomam: Scot., loc. cit. — B. Albert., hic a. 2-6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-3, a. 3. q. 1-3. — Durand., hic q. 3-5. — Dionys. Carth., hic q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum episcopus haereticus possit dare ordines.

Secundo quaeritur, utrum episcopus haereticus possit dare ordines. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Augustinus contra Parmenianum[1] dicit: « Sicut dicimus in baptismo, quod per eos dari possit, ita et in ordinatione »; et ad hoc sunt plures auctoritates in littera.

2. Item, *ratione* videtur: quia, sicut se habet sacerdos ad potestatem conficiendi, sic se habet episcopus ad potestatem ordinandi; sed sacerdos, quantumcumque haereticus, si habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, vere conficit[2]: ergo et haereticus episcopus vere ordinat, si formam ecclesiasticam servat.

3. Item, si aliquis catholicus intra Ecclesiam ordinetur et post in haeresim labatur, si iterum revertatur, non reordinatur; ergo ordines labendo in haeresim non amisit, pari ratione nec episcopus dignitatem sive gradum episcopalem: ergo existens haereticus habet illam dignitatem sive excellentiam ordinis, ergo et operationem consequentem ipsam de facto: ergo si ordinat, ordinatum[3] est.

4. Item, character aeque vere est in malis, ut in bonis, et aeque vere imprimitur malis, ut bonis: ergo pari ratione aeque bene datur a malis sive perversis, ut a bonis: ergo cum essentia ordinis in charactere consistat[4], patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Innocentius dicit, et habetur in littera[5]: « Constat, eum qui honorem amisit, honorem dare non posse »; sed talis est haereticus: ergo etc.

2. Item, Causa prima, quaestione prima[6]: « Benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, quod fiat haereticus, ordinatur »: ergo si per maledictionem nullus promovetur ad ordinem, patet etc.

3. Item, plus est aliquem ad ordinem promovere quam absolvere vel ligare; sed haereticus praecisus nullum potest absolvere vel ligare[7]: ergo nullum potest ad sacros ordines promovere.

4. Item, inferior potestas non potest agere nisi per continuationem cum superiori et propria potestate; sed potestatis plenitudo est in Summo Pontifice[8], a quo separatus et disiunctus est haereticus praecisus: ergo videtur, quod nihil omnino possit dare de eis quae spectant ad ecclesiasticas potestates.

CONCLUSIO.

Apud haereticos ordo potest dispensari quoad veritatem, non quoad utilitatem.

Notandum. Respondeo: Dicendum, quod etsi ista quaestio aliquando fuerit dubia multum apud praeclaros doctores de omnibus Sacramentis, tam de baptismo

---

[1] Libr. II. c. 13. n. 28, ubi *sententialiter* occurrit. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, in quo etiam alia testimonia August. et Gregor. afferuntur.

[2] Ut ostensum est supra d. 13. a. 1. q. 1.

[3] Plurimi codd. *ordinatus*.

[4] Vide supra lit. Magistri, d. XXIV. c. 13. — Pro *essentia* permulti codd. *excellentia*.

[5] Hic c. 1.

[6] Can. 4, et est Gregor., Regest. IX. epist. indict. 2. epist. 106. ad Syagrium. Textus originalis *promovetur* pro *ordinatur*.

[7] Cfr. supra d. 19. a. 2. q. 2.

[8] Ut dicit Bernard. supra pag. 508, nota 11. et pag. 535, nota 2. allegatus. — Superius pro *propria* codd. A E *primaria*. Conclusionem arg. edd. sic exhibent: *ergo uterque* [quod etiam plures codd. perperam ponunt] *nihil omnino potest de his quae* etc.

quam de aliis, quod non essent apud haereticos[1]; tamen per illustrissimum doctorem Augustinum aperte est nobis haec quaestio patefacta, quod Conclusio 1. Sacramenta ecclesiastica apud haereticos, qui formam Ecclesiae servant et intentionem habent faciendi quod facit Ecclesia, sunt quantum ad *veritatem,* quamvis non sint quantum ad *utilitatem:* quia Sacramenta dispensant, sed tamen fructum Sacramentorum non reportant, pro eo quod Spiritus sanctus non est extra catholicam Ecclesiam. Et ideo in omnibus Sacramentis, quae habent *veritatem* differentem ab *utilitate,* generaliter verum est, quod apud haereticos possunt esse; omnia autem Sacramenta sunt talia praeter Sacramentum poenitentiae, cuius *res* est interior contritio[2], sine qua nulla vera est absolutio, et cum qua nulla absolutio est vana vel inutilis: ideo omnia possunt dispensare et dispensant veraciter praeter solam absolutionem poenitentiae; et ideo nulla iterantur praeter illam, nisi forte Conclusio 2. unctio extrema[3]. Et sic, cum ordo habeat characterem, qui praeter Spiritus sancti gratiam, qua peccata delentur, existit, dicendum, quod apud eos potest veraciter dispensari[4].

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de Innocentio et de Gregorio, ad illas duas auctoritates dicendum, Notandum. quod ideo dicitur *recipere maledictionem,* quia gratiam non recipit; ideo dicitur *non recipere honorem,* quia non recipit exsecutionem qui ordinatur ab haeretico praeciso; qui ideo dicitur *ordinem amisisse,* pro eo quod ordinis exsecutionem amisit, non quia amisit characterem, qui deleri non potest.

3. Ad illud quod obiicitur de potestate absolvendi, dicendum, quod non est simile: quia absolutio sacerdotalis aut nulla est, aut sine fictione est; nullus autem scienter ab haeretico absolvitur, qui careat fictione. — Aliter tamen potest dici, quod Alia solutio. *potestas quadruplex* reperitur in ministris Ecclesiae. Potestas quadruplex. Quaedam namque est fundata super *ordinem principaliter,* ut potestas conficiendi; quaedam super *iurisdictionem* canonicam *principaliter,* ut potestas excommunicandi; quaedam super *ordinem et eminentiam,* ut potestas ordinandi; quaedam super *ordinem et iurisdictionem,* ut potestas absolvendi et ligandi in foro poenitentiali[5]. Et quoniam character auferri non potest, ideo potestas, quae *consequitur characterem,* de facto auferri non potest. Sed quoniam iurisdictio descendit ordinate a superiori ad inferius, ita quod plenitudo est in Summo Pontifice; ideo potest auferre eam et potestatem, quae *consequitur ipsam.* Unde potest excommunicando auferre potestatem absolvendi et excommunicandi, sed non ordinandi.

4. Et per hoc patet responsio ad multa et ad sequens etiam. Quod enim obiicitur, quod in Summo Pontifice est plenitudo potestatis; verum est, secundum quod potestas *consequitur iurisdictionem,* quae Notandum. maxima et in termino est in eo, sed non in quantum *sequitur characterem,* quia ille immediate a Deo imprimitur et est in omnibus aequalis; tamen *exsecutio* omnis potestatis debet fieri secundum eius regimen; et ideo, si ipse prohibeat, non potest talis potestas licite exire in actum; tamen, quia ab ipso non dependet secundum rem de facto, facit, sicut et alius. Et sic patet totum[6].

QUAESTIO III.

Utrum simoniacus episcopus aliquem ordinem possit vendere.

Tertio quaeritur, utrum simoniacus episcopus aliquem valeat ordinem vendere. Et quod sic, videtur:

1. Quoniam nihil prohibetur, nisi quod fieri Fundamenta. est possibile, alioquin frustra prohibetur; sed sacri ordinis venditio prohibetur — Causa prima, quaestione prima[7] Calixtus prohibet: « Sanctorum, inquit, Patrum exempla sequentes, ordinari quemquam in Ecclesia Dei vel promoveri per pecuniam, auctoritate sedis apostolicae modis omnibus prohibemus » — ergo etc.

2. Item, quod potest furtive accipi potest etiam pecunia emi et vendi; sed ordo sacer potest furtive accipi, sicut dicitur *Extra,* de Eo qui furtive ordinem suscepit[8], ubi cum eis dispensatur, si ingrediantur religionem, quod possunt in susceptis ordinibus ministrare: ergo etc.

3. Item, illud quod in humana dispensatione consistit, potest emi et vendi, sicut etiam liberaliter ministrari[9]; sed ordinum collatio in humana dispensatione consistit: ergo potest emi et vendi: ergo simoniace dari.

4. Item, character ordinis stat cum quantacumque culpa et malitia, ergo et potestas ordinandi et

---

[1] Cfr. supra d. 5. et d. 13. tam in lit. Magistri quam in Comment. — Mox pro *illustrissimum* plures codd. *superillustrissimum.*

[2] Ut ostensum est supra d. 22. a. 2. q. 2. — Aliquanto superius pro *non est* edd. *non confert gratiam.*

[3] Scil. quia necessaria benedictio olei dubia esse potest. — Superius pro *praeter illam* cod. U *praeter illud.*

[4] Cfr. C. *Secundum Ecclesiae catholicae* (8.), d. 19.

[5] Vide supra d. 13. a. 1. q. 1. ad 7, d. 18. p. II. q. 3. et d. 19. a. 2. q. 2.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Can. 10. Cod. aa cum textu originali post *sequentes* addit *et officii nostri debito innovantes.*

[8] Libr. V. tit. 30, ubi in tribus cap. haec sententia exhibetur. Cfr. infra dub. 1.

[9] Cod. aa allegat I. Cor. 4, 1: *Sic nos existimet homo* etc.

ordinem suscipiendi: ergo quantacumque sit in aliquo simoniaca[1] pravitas, non videtur dationem vel susceptionem ordinis impedire.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Gregorius dicit, et habetur Causa prima, quaestione prima[2]: « Quicumque studet pretii datione sacrum ordinem accipere, non est sacerdos; sed inaniter tantummodo dici concupiscit »: ergo per simoniam ordo non potest suscipi, ergo nec simoniacus dare.

2. Item, Leo Papa sic arguit, Causa prima, quaestione prima[3]: « Gratia, si non gratis datur vel accipitur, gratia non est; simoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, quae maxime in ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt ».

3. Item, dona Spiritus sancti sunt in potestate Dei, non hominis — ideo enim sancti Spiritus dicuntur et sunt, quia ipse ea donat — ergo nemo potest ea habere nisi a Spiritu sancto; sed Spiritus sanctus, cum sit liberalissimus, nihil potest vendere neque vendit: ergo eius dona nec pecunia possunt vendi nec pretio comparari. Si ergo ordo donum Spiritus sancti est, impossibile est, ipsum pretio vendi vel emi: ergo nec ab aliquo simoniaco dari[4].

4. Item, in sacris ordinibus, scilicet diaconatu et sacerdotio, Spiritus sanctus datur, quod patet per hoc quod dicitur ibi[5]: *Accipite Spiritum sanctum;* sed Spiritus sanctus non potest vendi: ergo nec ordines sacri, qui etiam eius datione conferuntur. *Probatio minoris:* quod potest emi et vendi potest in servitutem redigi; sed Spiritus sanctus non potest redigi in servitutem: ergo etc.

Quaestio incidens. Quaeritur igitur, cum simonia sit studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale[6], quomodo possit incidere in sacrorum ordinum collatione, vel aliorum spiritualium, cum illa, ut videtur, vendi non possint.

CONCLUSIO.

Episcopus simoniacus simoniace ordines dare potest.

Spirituale duplex. RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod *spirituale* dicitur dupliciter[7]: uno modo, quod est *spirituale pure,* ut gratia et virtutes et dona; et hoc nec de *facto* nec de *iure* vendi potest, immo si quis habens vellet emere, non solum non acquireret amplius, sed etiam quod haberet amitteret. — Alio modo *spirituale* est quod *adiungitur,* scilicet *rei corporali;* quae tamen ratione illius spiritualis consecratur et accipit *rationem spiritualis;* et hoc, quia spirituale, de *iure* non potest vendi, pro eo quod non potest poni sub pretio, de *facto* tamen ratione rei corporalis vendi potest; et talia sunt Sacramenta ecclesiastica. Quoddam est *spirituale,* quod *adiungitur rei corporali,* quae tamen habet *rationem rei temporalis,* ut calix consecratus, vel etiam ius patronatus; quia ibi consecratio iuncta est argento, et ius patronatus fundo; et illud dicitur *spirituale,* quia *spirituali annexum;* et hoc de *facto* vendi potest, de *iure* non potest *vendi,* tamen potest cum eo cui adiunctum est, *in venditione transire.* Calix enim consecratus vendi potest, ita tamen, quod *consecratio* non vendatur, sed *argenti valor;* et fundus vendi potest, cui annexum est ius patronatus, sed non ipsum *ius patronatus* de *iure,* quin committatur simonia[8]. (Subdistinctionis membrum 1. — Membrum 2.)

De ordinibus. His praenotatis, ad ordines veniendum est, in quibus est aliquid de *primo* genere, scilicet gratia sanctificans, aliquid de *secundo,* scilicet potestas ministerialis, per aliquod signum exterius dispensata, cui inseparabiliter est adiuncta[9]. Conclusio. Primam impossibile est pretio comparare nec vendere; secundam vero possibile est pro pretio dari, quia inseparabiliter est adiuncta exteriori Sacramento; et cum illud possit pro pecunia dari, potest et illa potestas vendi. — Et sic patet, quod simoniacus simoniace ordines dare potest.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de Gregorio et de Leone Papa, patet responsio, quod loquuntur de *gratia gratum faciente,* quae non potest nisi gratis dari, et haec est quae *sacrum* facit; non[10] quantum ad *potestatem,* quae iuncta est rei exteriori positae in hominis dispensatione.

3. Ad illud quod obiicitur de donis Spiritus sancti etc., dicendum, quod dupliciter est loqui de huiusmodi donis gratis datis[11]: aut ratione *sui,* aut ratione *annexi;* et secundum hoc duplicem habent dispensatorem: quantum *ad se* habent dispensatorem Spiritum sanctum, qui characterem imprimit, vel totam Trinitatem; quantum vero *ad annexum*

---

[1] Codd. A W *simoniaco.*

[2] Can. 2: Quicumque... ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit (sumtum ex IX. Regist. epist. indict. 2. epist. 106. ad Syagrium etc.).

[3] Can. 1. Respicitur Matth. 10, 8: Gratis accepistis, gratis date. Rom. 11, 6: Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.

[4] Supple: potest. Cfr. Act. 8, 18. seqq.

[5] Ioan. 20, 22. Verba haec dicit episcopus in ordinatione diaconi et presbyteri. — *Minor* est ex Hieron., I. in Mich. 4, 8. seq. — Inferius pro *qui etiam* codd. A E G L aa *qui in.*

[6] Haec definitio simoniae secundum Alex. Hal., S. p. II. q. 169. m. 2, elici potest ex C. *Qui studet* (11.), C. 1. q. 1.

[7] Solae edd. *tripliciter;* sed lectio codd. recta est, quia secundum membrum divisionis subdistinguitur. — Inferius pro *vellet emere* edd. perperam *vellet vendere.*

[8] Cfr. C. *Aurum* (70.), C. 12. q. 2; C. *Ex litteris* (7.) et C. *De iure vero patronatus* (16.), X. de Iure patronatus (lib. III. tit. 38.). Vide infra dub. 5.

[9] Cod. aa subiungit *scilicet characteris impressio.*

[10] Cod. I *non autem loquuntur,* cod. S *non loquuntur tamen.*

[11] Codd. E Z *donis gratiae gratis datae.* In fine solut. post *et potest* cod. aa addit *sed simoniace tantum.*

dispensatorem habent hominem purum. Et primus nunquam vendit, sed secundus vendere potest annexum illi quod est quodam modo spirituale, et propter illud emitur; et ideo *ipsa dona* dicitur vendere et potest, cum in eius potestate commissa sint temporalia dispensanda.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod Spiritus sanctus non potest redigi in servitutem; dicendum, quod in *se ipso* vendi non potest, tamen eius *effectus* vendi possunt, pro eo quod sunt in humano dominio constituti. — Et sic concedendum est, veros ordines a simoniacis posse dari, quamvis non dentur nec recipiantur ad utilitatem, sed potius ad damnationem, et bonum convertatur eis in malum [1].

QUAESTIO IV.

Utrum dans ordines simoniace ex hoc ipso fiat haereticus.

Quarto quaeritur, utrum dans ordines simoniace ex hoc ipso fiat haereticus. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmat.

1. Gregorius in Registro, et habetur Causa prima, quaestione prima [2], *Presbyter si per pecuniam;* et infra: « Quia decimas et altare et Spiritum sanctum emere vel vendere simoniacam haeresim nullus fidelium ignorat ».

2. Item, in eodem [3]: « Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut fiat haereticus, promovetur ».

3. Item, Causa prima, quaestione prima [4], *Eos qui per pecunias;* et infra: « Tolerabilior est enim Macedonii et eorum qui circa ipsum sunt Spiritus sancti impugnatorum impia haeresis; illi enim creaturam et servum Dei Patris et Filii Spiritum sanctum delirando fatentur; isti vero eundem Spiritum sanctum efficiunt servum suum »: ergo videtur, quod sit impiissima haeresis.

4. Item, omnis qui aestimat, *donum Dei pecunia possideri* [5], errat et haereticus est iudicandus; sed omnis vendens vel emens ordines aestimat, donum Dei pecunia possideri: ergo etc.

5. Item, nullus est maior error circa *naturalia* quam uni contrario attribuere suum contrarium, ut si quis ponat album nigrum; et circa *mores* nullus maior quam ponere *bonum malum* [6]: ergo nec circa *divina* aliquis est maior error quam ponere, Dei gratiam non esse gratiam; hoc autem ponit omnis qui eam emere vel vendere contendit: ergo etc.

6. Item, sicut Filio attribuitur sapientia, ita Spiritui sancto largitas [7]; sed qui attribueret Filio insipientiam laberetur in haeresim: ergo qui attribuit Spiritui sancto avaritiam haereticus est. Sed qui credit, dona Spiritus sancti per pecuniam vendi vel emi, est huiusmodi, quia ponit, Spiritum sanctum esse venalem: ergo etc.

Pro parte negativa.

CONTRA: 1. Nulla haeresis est in contractu, sed in credulitate [8]; sed simonia est in contractu emptionis et venditionis: ergo non videtur, quod simoniacus fiat haereticus.

2. Item, haeresis est peccatum in Filium et contra veritatem; sed simonia [9] peccat contra Spiritus sancti gratiam et bonitatem: ergo non videtur esse haereticus.

3. Item, non videtur labi in aliquod peccatum vendendo Spiritus sancti donum, quia dicitur primi Regum nono [10] de Saul, et tertii Regum decimo quarto de uxore Ieroboam, quod utrique ad sanctos Prophetas pretium detulerunt pro prophetica manifestatione; et constans est, prophetiam donum ei esse: ergo etc.

4. Item, per novum testamentum, primae ad Corinthios nono [11]: *Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si carnalia vestra metamus:* ergo licitum est pro spiritualibus carnalia accipi: non ergo videtur peccare.

5. Item, non videtur peccare qui emit: quia regnum caelorum, quod est supremum inter omnia,

---

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Can. 3, ubi textus originalis post *simoniacam haeresim* addit *esse.* Sententialiter habetur apud Gregor., IV. Regest. epist. epist. 13. ad Clementium episc. (allegatur a Gratiano C. 7. q. 1. c. 3.); eadem verba tribuuntur C. 1. q. 3. c. 14. *Paschali II.*

[3] Can. 5. Attribuitur Gregorio, qui hanc sententiam V. Regest. epist. epist. 53. (allegatam a Gratiano C. 1. q. 1. c. 117.) ita proponit: Cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit, ut haereticus fiat? Idem dicit ibid. VI. Epist. 57. et 58. ac VI. epist. 8.

[4] Can. 21, quod est sumtum ex Epist. Tarasii, Constantinopolitani episcopi, scripta an. 787 ad Papam Hadrianum. — Codd. et ed. 1 ante *pecunias* omittunt *per,* ante *Macedonii* supprimunt *enim.* Subinde in codd. desideratur *Spiritus sancti,* et subinde *et Filii Spiritum sanctum.* Post *creaturam* codd. FH IK bb addunt *Filium,* cod. E legit: *creaturam et servum Filium Dei Patris eundem delirando.* — In fine arg. post *quod sit* edd. addunt *ibi.*

[5] Ut dicitur Act. 8, 20. de Simone. — Pro *aestimat* cod. aa *existimat* (Vulgata *existimasti*).

[6] Isai. 5, 20: Vae qui dicitis malum bonum, et bonum malum. Cfr. Aristot., II. Periherm. c. 4. (c. 14.). — In fine arg. pro *contendit* cod. E *intendit.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 34. q. 3. et dub. 7.

[8] Vide supra lit. Magistri, d. XIII. c. 2, et in Comment. dub. 4.

[9] Edd. et pauci codd. *simoniacus.*

[10] Vers. 8. — Seq. locus est III. Reg. 14, 3. — Inferius pro *prophetica manifestatione; et constans,* quod habent codd. DFQ (L primitus), alii codd. *prophetia; manifeste constans,* codd. K aa omittunt *manifeste,* plures codd. legunt *manifeste et constans,* edd. *manifestum et constans;* ultimae lectiones confirmant potius electam a nobis.

[11] Vers. 11: Si... seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?

vendi potest et emi, sicut dicit Gregorius[1]: « Regnum caelorum tantum valet, quantum habes »: ergo etc.

6. Item, qui emit dat temporale pro spirituali, ergo carius habet spirituale quam carnale: ergo non avertit se ab incommutabili bono, immo potius convertit: ergo non peccat, quia « peccatum est aversio ab incommutabili bono et conversio ad commutabile[2] ».

CONCLUSIO.

Simoniacus non est proprie haereticus, nisi credat, spiritualia esse venalia.

Respondeo: Dicendum, quod sacri ordines nec aliquid Sacramentorum per pecuniam dari potest sine gravi et enormi peccato, pro eo quod spirituale, quod ex sola liberalitate pro sui dignitate dandum est, mercatur et facit vile[3]; *rursus*, quia illud quod erat impretiabile, sub pretio ponit; quod nullo modo potest fieri, quin fiat contumelia Spiritui sancto: et ideo illud non tantum est malum *in se*, immo etiam *secundum se*. — *De peccato simoniae.*

Si autem *tu quaeras* a me, utrum sit peccatum *in fide*, vel in *moribus*; dicendum, quod ille qui emit vel vendit huiusmodi spiritualia, aut *credit*, ea pro pretio posse aestimari et valori rei terrenae aequari et per pecuniam possideri; et haec est haeresis manifesta, et sic aestimavit Simon magus[4]. Talis enim errat in fide, quia credit, gratiam non esse gratiam. — Aut ille qui vendit et emit *non hoc credit*, quod gratia Dei per pecuniam comparetur, sed tamen ardens avaritia nititur aliquid assequi vel impetrare per pecuniam, quod ad humanam spectat dispensationem; et sic non est peccatum *fidei*, sed *morum*, quoniam talis peroptime novit et male[5] facit; sicut et ille qui fornicatur, sciens, fornicationem esse peccatum, non errat in fide, sed in via morum. — Et sic simoniacus est avarus et in pessima specie avaritiae, nec est haereticus proprie, sed tamen a Sanctis haereticus vocatur, sive quia ad modum haeretici operatur, sive quia ut haereticus proiicitur a Dei servitio et cultu propter enorme scelus. — *Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Corollarium.*

Et sic patet, quomodo respondendum sit ad illud quod obiiciebatur, quod simoniacus non sit haereticus; patet etiam, quod ad utramque partem obiicitur.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod non sit peccatum vendere exemplo Prophetarum; dicendum, quod nullus Propheta donum vendidit prophetiae, qui esset bonus et sanctus, sed solum mali, sicut expresse reprehenduntur tales in Michaeae tertio[6]: *Iudices eius in muneribus iudicabant, et sacerdotes eius in mercede docebant, et Prophetae eius in pecunia divinabant;* et infra: *Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur* etc. — Ad illud quod obiicitur de uxore Ieroboam et Saul; dicendum, quod nunquam legitur, quod illi Prophetae aliquid recepissent; sed ignoranter illi dicebant, quia morem istum accipere consueverunt quodam modo a divinis hariolis, qui non erant prophetae veri. — *Ad argg. pro parte negat.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod seminans spiritualia potest metere carnalia; dicendum, quod si propter hoc seminat, ut illa metat finaliter, maxime si pactio interveniat, non est iustitia, immo malitia et avaritia; quodsi hoc non intendit principaliter, immo carnalia metit, ut se sustentet et spiritualia seminet; nulla est avaritia, nulla mercatio, immo manifesta iustitia, sicut multiplici exemplo Apostolus primae ad Corinthios nono[7] probat, quoniam talis debet sustentari. — Unde ex hoc patet, quod si doctor et consiliarius et medicus et alii, qui laborant, de consilio sive de doctrina pretium recipiant *propter laborem* et *suam sustentationem;* nulla est culpa, nulla est simonia. Si tamen quis venderet *donum sibi divinitus datum,* non laborem suum, iudicaretur simoniacus[8]. Similiter intelligendum est de celebratione Missarum et consimilibus. — *Notandum. Applicatio.*

5. Ad illud quod obiicitur, quod regnum caelorum emitur; dicendum, quod emptio illa non est emptio, pro eo quod pretium eius non est nisi bona voluntas, quae mercedem non intuetur; unde quamvis sine mercede non possit servire[9], tamen, quia liberaliter deservit, nulla omnino pactio intervenit; unde totum spirituale est. — *Notandum.*

---

[1] Libr. I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2: Regnum Dei tantum etc.

[2] Secundum August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53. Cfr. tom. II. pag. 839, nota 4. in fine. — Pro *carnale* codd. E F I *temporale*.

[3] Cfr. supra pag. 646, nota 3, et C. *Quidquid invisibilis gratiae* (101.), C. 1. q. 1.

[4] Act. 8, 18. seqq.

[5] Codd. E F L Z *quod male*.

[6] Vers. 11: Principes eius etc. (Septuaginta: Duces eius cum muneribus... cum mercede respondebant... cum pecunia divinabant). Pro *in mercede docebant* et *in pecunia* codd. *in muneribus respondebant* et *in pecuniis*. — Seq. locus est ibid. v. 12. Cfr. Hieron. in hunc loc., ubi invenitur etiam exemplum de Saul et Ieroboam, et eadem expositio. — Circa finem solut. pro *illi dicebant* Vat. *illi dabant*.

[7] Vers. 7. seqq. Cfr. August., II. de Serm. Domini in in monte, c. 16. n. 54. seq., Serm. 46. (alias 165. de Tempore sive liber de Pastoribus) c. 2. n. 5.) et de Opere monachor. c. 7. 8. seqq. — Post *probat* cod. F addit *probat enim.*

[8] Cfr. C. *Non sane quidquid* (15.), C. 14. q. 5. § 1, et C. *Prohibeas* (2.), seqq., X. de Magistris etc. (lib. V. tit. 5.).

[9] Bernard., de Diligendo Deo, c. 7. n. 17: Non enim sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit etc. Cfr. tom. III. pag. 556, nota 4. et pag. 606, nota 2.

6. Ad illud quod obiicitur, quod se convertit ad bonum spirituale; dicendum, quod quamvis se convertat, tamen convertit se inordinate; et hoc est Exemplum magis averti quam converti. Exemplum huius est in lucifero, qui ad Deum se convertens, volens ei aequari, magis cecidit, quam ascendit; sic qui convertitur ad emendum donum Spiritus sancti magis a Deo recedit, quam ad eum accedit [1].

ARTICULUS II.

De iis qui possunt suscipere ordines.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de possibilitate suscipiendi ordines, de qua quatuor quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum ad hoc, quod ab aliquo possit ordo recipi, requiratur sexus virilis, an femina possit suscipere.

Secundo, utrum ad ordinis susceptionem necessarius sit usus rationis.

Tertio, utrum necessaria sit indivisio carnis.

Quarto, utrum necessaria sit conditio libertatis.

QUAESTIO I.

Utrum ad susceptionem ordinis requiratur sexus virilis.

Quantum ergo ad primum, quod sexus virilis requiratur, ostenditur:

1. Primo sic: nullus ordo potest conferri ei qui Fundamenta. non habet naturalem possibilitatem vel aptitudinem ad illum; nullus autem habet possibilitatem ad ordinem, qui non habet aptitudinem ad tonsuram et coronam; et nullus ad hoc habet naturalem aptitudinem, quem decet semper habere velatum caput: si ergo solum virum per naturam decet orare capite non velato, mulierem autem velato capite, sicut dicitur primae ad Corinthios undecimo [2], quod et ipsa natura docet: ergo etc.

2. Item, nullus est possibilis ad ordines suscipiendos, nisi qui Dei gerit imaginem, quia in hoc Sacramento homo quodam modo fit Deus sive divinus, dum potestatis divinae fit particeps; sed vir ratione sexus est *imago Dei,* sicut dicitur primae ad Corinthios undecimo [3]: ergo nullo modo mulier potest ordinari.

3. Item, in ordine spiritualis potestas datur ordinato; sed talis potestatis non est mulier susceptibilis, sicut dicitur primae ad Timotheum secundo [4]: *Mulierem in Ecclesia docere non permitto neque dominari in virum:* ergo nec ordinis.

4. Item, ordines alii praeparant ad episcopatum, si quis bene in illis conversetur; sed episcopus sponsus est Ecclesiae [5]: ergo cum mulier non possit ad episcopatum provehi, sed tantum vir, alioquin sponsus non esset Ecclesiae; ergo ad ordines antecedentes promoveri est tantum virorum.

Contra: 1. Iudicum quarto [6] legitur, quod Debbora iudicavit Israel et ei praefuit: ergo videtur, quod mulieri competat potestas iudiciaria, maxime quando abundat in gratia: ergo et potestas sacerdotalis. Ad oppositum.

2. Item, in novo testamento videmus abbatissas, quibus committuntur collegia regenda: ergo videtur, quod eis committi debeat potestas absolvendi et ligandi: ergo pari ratione videtur, quod conferri posset eis ordo sacerdotalis.

3. Item, ordo sacerdotalis et alii respiciunt animam et non carnem; sed quantum ad animam non est distinctio sexus, immo ita imago Dei est mulier, ut vir [7]: ergo aeque bene est susceptibilis ordinis.

4. Item, non est maior perfectio, quam sit status religionis, nec maior fortitudo, quam sit in perpessione martyrii; sed mulieres admittuntur tam ad religionem quam ad martyrium: ergo debent et possunt admitti ad ordinem sacrum.

CONCLUSIO.

Mulieres nec de iure nec de facto ordines suscipere possunt.

Respondeo: Dicendum, quod communis hoc tenet opinio, quod mulieres ad sacros ordines admitti Conclusio 1.

---

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Vers. 4. seq.: « Omnis vir orans aut prophetans velato capite deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput suum; unum enim est, ac si decalvetur ». Vers. 13. seq.: Decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi etc. — De tonsura vide supra d. 24. p. I. q. 1. — Pro *quod et ipsa natura docet* codd. et ed. 1 *quod nec ipsa natura docet* [codd. G H *decet*], lectio recipienda, si S. Bonav. modum non mutasset in verbis Apostoli; cod. Q *ergo nullo modo mulier, quod nec ipsa* etc.

[3] Vers. 7: Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Cfr. C. *Mulier debet* (19.), C. 33. q. 5. — Post *imago Dei* codd. M O R S T addunt *non mulier.*

[4] Vers. 12: Docere autem mulieri non permitto etc. Cfr. I. Cor. 14, 34: Mulieres in ecclesiis taceant etc.

[5] Cfr. supra d. 20. p. II. q. 3. in corp., et C. *Inter corporalia* (2.), X. de Translatione episcopi (lib. I. tit. 7.).

[6] Vers. 4.

[7] Cfr. August., XII. de Trin. c. 7. n. 10. seqq. Vide etiam II. Sent. d. 16. a. 2. q. 2.

non debent. Nam expresse dicitur distinctione vigesima tertia[1]: « Sacratas Deo feminas vel monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere et incensum circa altare deferre, perlatum est ad apostolicam Sedem, quae omnia vituperatione et reprehensione plena esse, nulli recte sapientium est dubium. Quapropter huius sanctae Sedis auctoritate, ne pestis haec latius divulgetur, per omnes provincias abstergi citissime mandamus ».

Utrum possint promoveri. Opinio 1. Et sic omnes consentiunt, quod promoveri *non debent;* sed utrum *possint,* dubium est. Sane quorundam opinio fuit, quod *possunt,* qui dicti sunt Cataphrygae[2], qui etiam non solum praemissis auctoritatibus innituntur, sed auctoritatibus adhaerent canonum et pro se adducunt, in quibus ostenditur, mulieres antiquitus ordines suscepisse. Dicitur enim Causa vigesima septima, quaestione prima[3]: « Diaconissam ante annos quadraginta non debere ordinari, statuimus »; et in eadem quaestione: « Si quis rapuerit, vel sollicitaverit diaconissam »; et similiter distinctione trigesima secunda mentio fit de presbytera. — *Improbatur.* Sed certe, si attendatur quod dicitur distinctione trigesima secunda[4], *Presbyteram* etc., ibi ostenditur, quod presbyterae vocantur viduae et seniores et matronae; et ex hoc colligitur, quod diaconissae dicebantur quae communicabant cum diaconibus in legendo homiliam, quibus fiebat aliqua benedictio. Unde nullo modo credendum est, quod unquam secundum canones mulieres fuerint ad sacros ordines promotae. *Opinio 2. et conclusio 2.* Et secundum saniorem opinionem et prudentiorem[5] doctorum non solum non debent vel non possunt *de iure,* verum etiam non possunt *de facto.*

Ratio. Et si quaeratur ratio huius, dicendum, quod hoc non venit tam ex institutione Ecclesiae quam ex hoc, quod eis non competit ordinis Sacramentum. In hoc enim Sacramento persona, quae ordinatur, significat Christum mediatorem; et quoniam mediator solum in virili sexu fuit et per virilem sexum potest significari[6]: ideo possibilitas suscipiendi ordines solum viris competit, qui soli possunt *naturaliter repraesentare* et secundum *characteris susceptionem* actu signum huius ferre. Et ista positio probabilior est et multis auctoritatibus Sanctorum potest probari[7].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Debbora, dicendum, quod illa fuit potestas *temporalis,* non spiritualis. Mulieribus autem bene licet temporaliter dominari, sed non spirituali dominio, quod est signum, *Notandum.* quod ille qui dominatur, gerit typum capitis Christi; quoniam ergo mulier non potest esse caput viri[8], ideo ordinari non potest.

2. Ad illud quod obiicitur de abbatissis, dicendum, quod non habent locum *praelationis ordinariae,* *Notandum.* sed quasi loco abbatis sunt substitutae propter periculum cohabitandi cum viris; unde non possunt ordinarie absolvere nec ligare[9]. *Officium* autem *sacerdotale,* vel etiam cuiuslibet ordinis, cui datur ordinarie potestas ista et ordo, significationem habet, quae non competit mulieri, quamvis *regimen* competat feminis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ordo respicit animam; dicendum, quod non respicit animam tantum, sed animam, ut est carni coniuncta, et hoc ratione *significationis,* quae consistit circa signum *visibile,* ac per hoc etiam circa corpus; et *exsecutio* et usus ordinis coniunctum respicit. Quoniam nec ordinis *significatio* nec etiam *dispensatio* sic competit mulieri, sicut superius probatum est; ideo patet illud.

4. Ad illud quod obiicitur de perfectione religionis et martyrii; dicendum, quod est perfectio, *Duplex perfectio.* quae respicit gratiam *gratum facientem,* et huius aeque bene est susceptibilis mulier, ut vir; et est

---

[1] Can. 25. Textus originalis subiicit post *auctoritate* haec verba, quae etiam cod. aa exhibet: haec omnia vobis resecare funditus, quanto [cod. aa quam] citius poteritis, censemus. Et.

[2] Quorum auctores fuerunt Montanus, Prisca et Maximilla. Inter Cataphryges recensentur *Pepuziani* (Pepuza, oppidum in Phrygia, secundum Epiphan., II. Adversus Haeres. haeres. 48. c. 14, et Hieron., Epist. 41. alias 54. n. 3.) sive Quintilliani, de quibus refert Epiphan., loc. cit. haeres. 49. c. 2: Apud eosdem mulieres episcopi sunt et presbyteri et ad ceteros gradus alleguntur, nullum ut sexus discrimen servetur. Nam in Christo Iesu *neque mas est neque femina* [Gal. 3, 28.]. Cfr. August., de Haeres. n. 26. et 27.

[3] Can. 23. — Seq. canon est ibid. c. 30: *Si quis rapuerit,* vel sollicitaverit, vel corruperit assisteriam [ascetriam] vel diaconissam etc. — Tertius est C. *Mulieres,* quae apud Graecos presbyterae appellantur (19.).

[4] Cap. 19: *Mulieres,* quae apud Graecos presbyterae appellantur, apud nos viduae, seniores, univirae et matricuriae appellantur, in ecclesia tanquam ordinatas constitui non debere. Gratian. huic cap. praemittit: « *Presbyteram* vero quam debeamus accipere, Laodicense Concilium, c. 11, ostendit dicens ». S. Bonav. haec verba respiciens allegat *Presbyteram.* — Pro *matronae* permulti codd. *matrices,* cod. U *maturiores.* — Quae paulo inferius de *diaconissis* dicuntur sunt secundum *Glossam* in C. *Diaconissam* superius allegatum.

[5] Pro *et prudentiorem,* quod codd. IK omittunt, Vat. *et prudentiorum.* Inferius post *quod hoc* Vat. cum pluribus codd. omittit *non.*

[6] Cfr. III. Sent. d. 12. a. 3. q. 1. — Inferius pro *signum huius ferre,* quod habet cod. F a secunda manu (primitus legebat cum codd. E L R S T bb *signum huius conferre),* alii codd. et edd. *signum his conferre* (fortasse *huiusmodi ferre).*

[7] Vide Epiphan., II. Adversus Haeres. haeres. 49. c. 3. et III. haeres. 79. c. 3. seqq., ubi etiam officium *diaconissarum* exponitur, de quo cfr. etiam ipsius III. Expositio fidei, c. 21; Gratian. C. 15. q. 3. introduct.

[8] Epist. I. Cor. 11, 3: Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir etc. Cfr. Eph. 5, 23. Vide Gratian. C. 15. q. 3. introduct. § 1. seq. — Pro *quod est signum* edd. *cuius ratio est.*

[9] Cfr. C. *Nova quaedam* (10.), X. de Poenitentiis et remiss. (lib. V. tit. 38.). — Infra post *ordinarie* cod. W supplet *datur,* edd. *eidem datur etiam.*

perfectio status, qui concernit aliquid *gratis datum*, et haec potest competere uni sexui, quamvis non competat alii; quia haec non tantum respicit quod est *interius*, sed etiam quod est *exterius*. Talis est perfectio ordinis, in qua est collatio potestatis, quam ostendit multiplex ratio mulieribus [1] minime convenire.

SCHOLION.

I. Communis doctrina cum inviolabili praxi Ecclesiae tenet, *iure divino* mulieres ineptas esse ad ordinem quemlibet suscipiendum.

De 1. quaestione: Scot., hic q. 2. n. 1. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 39. a. 1; — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., a. 4. q. 1. — De hac et seqq. qq. Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 4.

II. Quoad 2. quaestionem Durand. (loc. cit. n. 8.) opinionem 1. hic relatam defendere voluit; de qua S. Thom. dicit, eam nec ratione nec auctoritate confirmari. — Exceptio, quam S. Doctor ponit quoad episcopatum, confirmatur a S. Thoma et Petro a Tar., non vero a Scoto et a sententia, ut videtur, nunc communi. Antiqua illa opinio, ut patet, cohaeret cum memorata doctrina, quod episcopatus proprie non sit ordo, et quod per consequens non imprimat characterem.

De 2. quaestione: Scot., hic q. 2. n. 3. — S. Thom., locis citt. quaestiunc. 2. et a. 2. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

III. De tertia quaestione ab auctoribus rerum moralium et canonicarum agitur in tractatu de *irregularitatibus*, et quidem specialiter de *defectu Sacramenti*, quae est *bigamia*, sive *vera*, sive *interpretativa* (si quis duxit in matrimonium viduam vel corruptam), sive *similitudinaria*. Alii commentatores Lombardi tractant diffusius de bigamia infra d. 27, sed Scot. infra d. 33. q. 2. — S. Thom., d. 27. q. 3. a. 1-3; Suppl. q. 66. a. 1-5. — B. Albert., d. 27. a. 20-22. — Petr. a Tar., d. 27. q. 5. a. 1. 2. — Richard. a Med., d. 27. a. 4. q. 1-4. — Durand., d. 27. q. 4. — Dionys. Carth., d. 27. q. 4.

IV. Quaestio 4. agit de irregularitate ex *defectu libertatis* secundum canones. — De eadem quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Suppl. q. 39. a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum ad susceptionem ordinis necessarius sit usus rationis.

Secundo quaeritur, utrum ad susceptionem ordinis necessarius sit usus rationis. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia nobilius et perfectius Sacramentum est Sacramentum ordinis quam Sacramentum matrimonii, et in altiori statu ponit; sed Sacramentum matrimonii non potest a furiosis et ratione carentibus contrahi, sicut expresse habetur infra [2]: ergo etc.

2. Item, hoc videtur *per formam:* quia nullus offert aliquid non intelligenti; sed in ordine dicit ordinans ordinato: «Accipe potestatem» etc.: ergo praesupponit in eo discretionem. Si ergo non habet discretionem, non videtur ordinem posse suscipere.

3. Item, usus istius Sacramenti nulli potest competere nisi habenti rationis usum: ergo si alii datur, frustra datur: ergo si «Deus nihil frustra facit [3]», videtur, quod ei qui non habet rationis usum, nunquam Sacramentum ordinis conferatur.

4. Item, si quis offerret potestatem recusanti, non esset ibi potestatis susceptio, quoniam, sicut se habet *collatio* ad voluntatem *dantis*, ita *susceptio* ad voluntatem *suscipientis:* ergo si *dans* non dat, nisi velit et intendat, *suscipiens* non suscipit, nisi velit et intendat.

5. Item, tempus et aetas determinantur in susceptione ordinis distinctione septuagesima septima [4]; sed hoc non est propter aliud nisi propter discretionem et usum rationis, qui non habetur in minoribus annis: ergo etc.

6. Item, sacris ordinibus de necessitate est annexa continentia; sed nullus obligatur ad continentiam, nisi usum habeat rationis, et per consensum propriae voluntatis: ergo saltem ad sacros ordines nullus potest ante annos discretionis promoveri [5]: ergo necessarius est usus rationis.

Fundamenta. Contra: 1. Alia Sacramenta, quae imprimunt characterem, ut baptismus et confirmatio, ante usum rationis dari possunt: ergo videtur pari ratione, quod et istud Sacramentum.

2. Item, hoc ipsum videtur, Extra, de Clerico ordinato per saltum [6], ubi dicitur, quod infra annos discretionis ad minores ordines est promotus, et post sine iteratione concessum est ei in huiusmodi ministrare.

3. Item, sacerdoti, quando ordinatur, dantur claves ligandi et solvendi, etiam si sacerdos scientia careat [7]: ergo multo fortius puero dari poterit ordo, si careat usu rationis.

4. Item, si aliquis timore mortis compulsus ordinari patiatur et malit ordinari quam mori, est ordinatus, sicut et in baptismo manifeste potest ha-

---

[1] Codd. RSTX et ed. 1 *quam constat mulieribus.*

[2] Lit. Magistri, d. XXXIV. c. 4, et Comment. a. 3. q. 1.

[3] Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.). — In *maiori* respicitur illud Aristot., de Somno et vigilia, c. 1: Cuius enim est potentia, huius est et actus.

[4] Can. *In singulis gradibus* (2.), seqq. Vide hic lit. Magistri, in fine.

[5] Cfr. C. *De iis quos* (5.), d. 28.

[6] Libr. V. tit. 29. C. *Tuae litterae.*

[7] Vide supra d. 18. p. I. a. 3. q. 1.

beri[1]: ergo sufficit voluntas coacta: ergo non est necessarium, quod libere consentiat: ergo non videtur necessaria aetas.

5. Item, sapientis est respicere non tantum praesens, sed etiam quod futurum est[2]: ergo si multi carent discretione, de quibus praesumitur, quod aliquando sint discreti; videtur, quod saltem ordo possit eis committi, et exsecutio maneat in suspenso.

6. Item, si aliquid ex parte suscipientis esset necessarium in ipsa ordinatione, oporteret, quod saltem consensum suum exprimeret, et quod ab eo requireretur, sicut fit in matrimonio; sed hoc modo non fit in ordine: ergo non videtur, quod sit necessarius consensus, ergo nec usus rationis.

CONCLUSIO.

Ad septem ordinum susceptionem non requiritur usus rationis necessitate Sacramenti, sed necessitate sive praecepti, sive congruitatis.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod ad or- Opinio 1. dinum omnium susceptionem requiritur rationis consensus, pro eo quod in quolibet ordine officium committitur respectu actus eliciti[3] a ratione; et officium nulli committitur, nisi ei qui vult recipere: et ideo dicunt, quod usus rationis requiritur in or- Non probatur. dinato, alioquin nihil omnino fit. — Sed tamen illud videtur esse contrarium decretali de Clerico per saltum ordinato, ubi tangitur, quod ad minores ordines infra annos discretionis promotus est. *Amplius,* tota die videmus, parvulos ad ordines minores promoveri, qui nec sciunt, quid sit ordo, nec quid ibi detur. Et *iterum,* usus confirmationis non est ante adultam aetatem, et tamen Sacramentum dari potest.

Et ideo est alia opinio maiorum, quod ad ali- Opinio 2. et conclusio 1. quid[4] usus rationis requiritur de necessitate *Sacramenti,* ad aliquem ordinem de necessitate *praecepti,* ad aliquos de *honestate* et *congruitate.* Ad episco- Conclusio 2. *patum* namque, quoniam ibi contrahitur matrimonium spirituale, necessario requiritur consensus, sine quo non fit matrimonium, nec spirituale nec corporale, ut infra[5] videbitur; ac per hoc necessario requiritur usus rationis et discretionis de necessitate *Sacramenti,* licet multa alia requirantur de necessitate *praecepti.* — Ad *ordines* vero *sacros* requiritur rationis usus de necessitate *praecepti,* Conclusio 3. pro eo quod ad illos ordines non debent admitti, nisi qui possunt ad continentiam obligari; et ideo qui ordinant scienter eos qui non possunt obligari, quia ratione carent, faciunt contra statutum et praeceptum Ecclesiae; et ideo, si tales ordinantur exterius, characterem recipiunt *de facto,* quia non contradicunt, quamvis non consentiant[6]. — Ad *mino-* Conclusio 4. *res* vero *ordines* requiritur de *honestate* rationis usus, quia ibi committuntur officia, quae spectant non solum ad habentes usum rationis, immo etiam ad habentes scientiam litteraturae. Sed tamen, quia illi ordines sunt ad quandam assuefactionem; ubi ex aliqua utilitate vel necessitate videtur expediens, possunt ad minores ordines promoveri etiam ante annos discretionis. Sed quod ita passim promoveantur et beneficiis ecclesiasticis ditentur, vix potest Restrictio notanda. esse sine contemptu canonum et scandalo hominum et periculo animarum. — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, quod non est necessarius usus rationis ad Sacramenti *esse* vel *suscipere,* sed solum quantum ad *bene esse* et *digne suscipere,* loquendo de ordinibus proprie.

1. Ad illud quod obiicitur de matrimonio, di- Solutio oppositorum. cendum, quod non est simile: quia in matrimonio non requiritur usus rationis propter dignitatem Sacramenti, sed propter significationem coniunctionis Dei et animae, quae non est nisi in mutuo consensu. *Praeterea,* non concludit hoc generaliter de Sacramento ordinis, sed solum de dignitate episcopi[7].

2. Ad illud quod obiicitur, quod dicit: Accipe; dicendum, quod illa oblatio significat magis impe- Notandum. rium et potestatem *dantis* quam exercitationem *suscipientis*[8]. Unde illius non tantum est *offerre,* sed *conferre;* et nisi sit obex contrariae voluntatis, ita quod omnino sit invitus, recipit Sacramentum, secundum quod iudicatur de Sacramento confirmationis.

3. Ad illud quod obiicitur de usu, dicendum, quod etsi non habeat statim usum, quia tamen speratur aliquando habere, non frustra datur Sacramentum[9], sicut etiam datur sacerdotium ei qui longo post tempore differt celebrare.

4. Ad illud quod obiicitur de recusante, dicendum, quod hic est *sophisma consequentis*[10]: recusans non recipit: ergo oportet, quod recipiens con-

---

[1] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1. — Verbis *compulsus ordinari* edd. interserunt *se.*

[2] Vide Sap. 8, 8. et Matth. 7, 24. seqq. Cfr. tom. III. pag. 728, nota 6. — Cod. Z *sed etiam futura.* Inferius pro *sint* edd. *fiant.*

[3] Edd. *eliciendi.* Inferius pro *in ordinato* cod. F *in ordinando.*

[4] Edd., posito *magistrorum* pro *maiorum,* hic substituunt cum cod. E (a secunda manu) *ad aliquem ordinem,* cod. M *ad aliquem,* cod. K (I a secunda manu) *ad aliquos.* Sed dicítur *aliquid,* quia episcopatus sec. Bonav. non est *ordo.* Inferius pro *honestate* plures codd. et ed. 1 perperam *necessitate.*

[5] Dist. 27. a. 2. q. 1. seq. et d. 29-31.

[6] Cfr. C. *Vel non est compos* (14.), X. de Temporibus ordinationum etc. (lib. I. tit. 11.). Cfr. C. *Pueri ad sacros* (120.), C. 1. q. 1. — Verbis *non consentiant* cod. Z praemittit *interius,* quod codd. F P Q aa praefigunt verbis *de facto.*

[7] Cod. K *episcopali.*

[8] Cfr. supra d. 24. p. II. a. 1. q. 4. in fine. — Pro *exercitationem,* quod habet cod. F, alii codd. *excitationem,* edd. *exsecutionem.*

[9] Communiter substituunt codd. vel *sacerdotium,* vel *sacerdotibus.* Mox verbis *longo post tempore* cod. Y transponit *tempore* ante *post,* edd. tantum *longe post.*

[10] Cfr. supra pag. 44, nota 10. — *Medium,* de quo inferius, est *non dissentiens.*

sentiat; quia medium est inter *recusantem omnino* et *consentientem.*

5. Ad illud quod obiicitur de tempore et aetate, dicendum, quod determinatio illa temporis non est quantum ad *Sacramenti necessitatem,* sed potius quantum ad *susceptionis congruitatem* et *solemnitatem;* quam in maioribus ordinibus oportet servari, saltem quantum ad annos discretionis, propter votum continentiae et ordinum dignitatem; ulterior vero protelatio temporis quantum ad sacerdotes quantum ad tempora moderna non exigitur, quia, Notandum. sicut in multis « malitia supplet aetatem [1] », ita in multis bonitas et sanctitas supplet. *Praeterea*, multi nunc ordinantur, qui non praeficiuntur populo, ut religiosi; ideo non oportet in eis ita servare tempora, ut in aliis, maxime si sit sanctitas vitae et scientia et maturitas morum.

6. Ad illud quod obiicitur de continentia, iam patet responsio; nam continentia est in sacris ordinibus non de *esse*, sed de *bene esse* [2].

QUAESTIO III.

Utrum ad susceptionem ordinis sit necessaria indivisio carnis.

Tertio quaeritur, utrum ad ordinis susceptionem necessaria sit indivisio carnis. Et quod sic, videtur.

1. Primae ad Timotheum tertio [3]: *Oportet episcopum esse unius uxoris virum;* et hoc ipsum dicitur de diacono. Fundamenta.

2. Item, Ambrosius ad Vercellenses, et habetur trigesima quarta distinctione [4]: « Cognoscimus, non solum de episcopo et presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Patres in Concilii Nicaeni tractatu addidisse, clericum quempiam non debere esse, qui secunda coniugia sit sortitus ».

3. Item, ille non potest promoveri, qui habuit uxorem, cuius caro est divisa: ergo multo minus potest ille qui habuit plures uxores. *Prima* patet ex hoc quod dicit distinctione trigesima quarta [5] Innocentius Papa: « Si quis viduam, licet laicus, duxerit uxorem, seu ante baptismum, seu post, non admittatur ad clerum ».

4. Item, sacerdos sive episcopus gerit figuram Christi; sed Christus non fuit divisus, immo unitus unitate: ergo deficit in tali significatio ordinis: ergo et ordo, quoniam significatio est essentialis Sacramento [6].

5. Item, bigamia est proprietas, quae nunquam relinquitur, nec potest ille qui est bigamus, fieri non bigamus: ergo si impedit Sacramentum, videtur, quod reddat se impossibilem ad ordinis susceptionem [7].

Contra: 1. Carnis corruptio non impedit Sacramenti susceptionem: ergo nec divisio consimili ratione. Ad oppositum.

2. Item, si carnis divisio impedit, quae est cum uxore, cum multo vituperabilior sit illa quae est cum meretrice, multo fortius illa impediret; sed illa non impedit: ergo nec ista.

3. Item, si carnis divisio impedit, aut ratione alicuius, quod fit in *carne,* aut ratione eius quod fit in *anima.* Ratione alicuius, quod fit in *carne;* non videtur, quia non relinquit [8] aliam dispositionem quam in cognitione unius. Ratione alicuius, quod fit in *anima;* non, quoniam, mortua uxore, nihil remanet de matrimonio.

4. Item, quaero: quare impedit? Si propter *defectum Sacramenti;* quaero: cuius? Si *matrimonii; contra:* plus deficit a Sacramento matrimonii qui nunquam contraxit, quam qui bis contraxit: ergo non deficit a Sacramento matrimonii. — Si a Sacramento *ordinis; contra:* bigamia non attenditur secundum Sacramentum *ordinis,* sed secundum *matrimonium:* ergo non deficit ordo.

Est igitur quaestio: quare *divisio* impedit, et non *corruptio?* Quaestio incid. 1.

Et iterum: quare corruptio impedit in muliere, ut non consecretur [9], quare non similiter et in episcopo? Quaestio incid. 2.

---

[1] Iustinian., C. II. Si minor se maiorem dixerit etc. (tit. 43.), lex *Si alterius* (3.). — Prius requirebatur pro sacerdotio annus 30. (cfr. hic lit. Magistri, in fine), sed postea secundum C. *Cum in cunctis* (7.), X. de Electione et electi potestate (lib. I. tit. 6.) pro sacerdotio annus 25, pro episcopatu annus 30. — Pro *non exigitur* plures codd. *non extenditur.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 2: Oportet ergo, episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum. Ibid. v. 12: Diaconi sint unius uxoris viri. Cfr. Gratian., d. 26-34.

[4] Can. 14: Cognoscamus, non solum hoc de episcopo etc. (ex Ambros. Epist. 63. n. 64.). Pro *in Concilii Nicaeni tractatu* plurimi codd. et ed. 1 *in Conciliis invicem* [cod. K omittit *invicem*] *tractatum*, ed. Maur. operum Ambros. *in Concilio Nicaeni tractatus.*

[5] Can. 13. — Pro *dicit* plurimi codd. (plures omittunt *Innocentius Papa) dicitur.*

[6] Ut ostensum est supra d. 1. p. I. q. 2. — Superius post *unitus* [cod. Z addit *in*] *unitate* Vat. subiungit *naturae.*

[7] Cfr. Ambros., I. de Offic. minist. c. 50. n. 257, et Epist. 63. n. 62, allegatus a Gratiano C. *Una tantum* (4.) et C. *Qui sine crimine* (5.), d. 26.

[8] Ita codd. E F I L N aa, in aliis et edd. *quod relinquat.*

[9] Cfr. C. *Acutius* (2.), d. 26, C. *Si quis non iratus* (13.), C. 15. q. 1. § 1. et C. *De pudicitia* (6.), C. 32. q. 5. § 2. — Superius post *quaestio* codd. L P Z addunt *difficilis.*

Et iterum: quare fornicatio uxoris potius facit virum irregularem[1] quam fornicatio viri, cum magis puniendus sit propter divisionem carnis suae quam alienae?

Quaestio incid. 3.

CONCLUSIO.

Bigami propter defectum significationis inepti sunt ad susceptionem ordinis, praesertim sacri, ita tamen, ut valide ordinem recipiant.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod Sacramentum ordinis abundat ab aliis in ratione *significandi,* quoniam non solum illud quod adhibetur exterius, significat, immo ipse suscipiens signum est, et significat ipse episcopus consecratus vel presbyter ordinatus ipsum Christum, secundum quod superius[2] tactum est. Et in hac proprietate differt ab aliis Sacramentis, praeterquam a matrimonio, in quo ipse vir, qui est subiectum ipsius Sacramenti, signum est ipsius Christi, sicut mulier signum est Ecclesiae, et ita concurrunt ad idem significandum.

Differentia ordinis.

Quoniam ergo de significatione ordinis *primaria* est, quod ordinatus significet Christum ut sponsum Ecclesiae; et hoc non potest significare bigamus, qui habuit uxorem viduam, quoniam Ecclesia unicum habuit sponsum, et Christus unicam sponsam: hinc est, quod tales inepti sunt ad ordines, maxime *principales* et *sacros,* in quibus homo iam incipit expresse figurare Christum[3]. Unde bigamia reddit ineptum ad diaconatum et subdiaconatum et sacerdotium et potissime ad episcopatum; et ideo in his ordinibus nunquam legitur dispensatum nec dispensari debet[4]; non quia Sacramentum *essentialiter deficiat,* immo bigamus recipit characterem, sed quia *perfectio* Sacramenti in ipso *deficit,* quae nulla ratione potest suppleri per hominem nec recompensari. Tamen in ordinibus inferioribus ex causa necessitatis dispensationem recipit, sicut dicitur trigesima quarta distinctione[5], *Necessitate cogente;* et iterum, *Lector si viduam* etc. — Ex his patet, quod divisio carnis impedit, et quare impedit, et quae divisio.

Conclusio. Corollarium 1. Corollarium 2.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de corruptione, dicendum, quod non est simile: quia non repugnat *necessitati*[6] Sacramenti nec *significationi,* ut bigamia. Similiter divisio per fornicationem non impedit, quia non est divisio per *significationem;* sed haec est divisio *significans.*

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, aut hoc est ex parte animae, aut ex parte carnis; dicendum, quod ratio sumitur ex parte *totius hominis,* cuius est matrimonium contrahere, et quod est subiectum matrimonii; in quo quidem est impedimentum non ratione *immunditiae* vel *qualitatis absolutae,* quae fit in carne, sed propter *significationem deficientem.* Quia enim contraxit cum una, significavit Christum; quia vero ab una recessit et contraxit cum secunda, recessit a significatione; et ita est *defectus Sacramenti,* scilicet unitatis, quae in Sacramento matrimonii et ordinis debebat significari.

Notandum.

4. Et per hoc patet sequens, quod obiicitur de defectu Sacramenti; dico enim, quod in eo deficit Sacramentum *unitatis,* quod sive deficiat ex parte sua, sive ex parte uxoris, reddit ipsum minus idoneum ad ordinis Sacramentum[7]. Si ergo quaeras: quod Sacramentum deficit, utrum ordinis, vel matrimonii? dico, quod Sacramentum *ordinis* deficit, quia non est perfectio, quae possit significare quod exigit ordo. *Praeterea,* est defectus Sacramenti *matrimonii,* defectus, inquam, non simplicis *negationis,* sicut est in eo qui nunquam fuit uxoratus, sed defectus *privationis,* ubi aliquid est de significatione, aliquid de privatione, quae generat quandam enormitatem sive deformitatem, ratione cuius ad tam nobile Sacramentum non debet admitti.

Notandum.

Ex his patent quaestiones sequentes, quare scilicet impedit divisio, non corruptio, quia non privatur Sacramentum aliquod, nec efficitur defectivum propter *corruptionem,* sicut propter *divisionem.*

Ad quaest. 1. incid.

Ad illud quod quaeritur: quare non impedit corruptio consecrationem viri, sicut et mulieris? dicunt aliqui iuristae, quod episcopus significat Ecclesiam militantem, sed virgo significat Christum, qui fuit virgo. Sed illud non capit ratio recta. — Et ideo aliter dicendum, quod episcopus significat Christum, sed mulier significat Ecclesiam triumphantem, sive ipsam Ecclesiam, quae virgo est et nunquam fuit nisi uxor Christi; Christus autem, etsi virgo fuit, tamen Synagogam habuit non ut uxorem, sed ut concubinam[8].

Ad quaest. 2. incid. Solutio aliorum. Solutio auctoris.

Et per hoc patet ultimum, quare ille qui desponsat corruptam ab alio et cognoscit, est ineptus

Ad quaest. 3. incid.

---

[1] Vide C. *Curandum* (9.), seqq., d. 34.

[2] Dist. 24. p. II. a. 1. q. 1. ad 2. et q. 4. in fine. — Inferius respicitur Eph. 5, 22. seqq.

[3] Cfr. C. *Acutius* (2.), d. 26. (qui est August., de Bono coniugali, c. 18. n. 21.), et Petr. Damian., lib. inscriptus « Dominus vobiscum », c. 12.

[4] In C. *Super eo* (2.), X. de Bigamis non dispensandis (lib. I. tit. 21.) dicitur: Quia in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri vel in eis, si promoti fuerint, remanere.

[5] Gratian., C. *Lector, si viduam* (18.), d. 34, haec verba praemittit: Necessitate tamen exigente, bigamus usque ad subdiaconatum potest promoveri. Unde Martinus Papa ait.

[6] Ita codd. et edd. Fortasse legendum *integritati.*

[7] Cfr. C. *Debitum pastoralis* (5.), X. de Bigamis non ordinandis (lib. I. tit. 21.). — Inferius pro *perfectio* non pauci codd. *perfecta,* codd. F bb *persona,* cod. L *persona perfecta,* codd. K X (I a secunda manu) *perfecta significatio.*

[8] Duplex haec expositio insinuatur in *Glossa* super C. *Debitum pastoralis* in nota praecedente allegatum.

et bigamus iudicatur. Dicendum, quod quia non est *unicus unicae;* ista enim non est unica [1], et maiorem oportet significari unitatem ex parte uxoris quam viri, quoniam *Ecclesia* non fuit copulata nisi Christo, nec matrimonialiter nec alio modo. *Christus* autem copulatus fuit Synagogae, quamvis non insolubiliter, et ita non matrimonialiter. — Et sic patet, quod omnia talia statuta sunt valde rationabilia, quia in eorum constitutione non pensatur culpa, sed potius significatio congrua [2]. Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum ad susceptionem ordinis sit necessaria conditio libertatis.

Quarto et ultimo quaeritur, utrum ad susceptionem ordinis sit necessaria conditio libertatis. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Distinctione quinquagesima quarta [3]: « Nullus episcoporum ad clericatum servum alterius promovere praesumat ».

2. Item, in eadem decretali, capitulo secundo: « Nulli de servili conditione ad sacros ordines promoveantur, nisi a dominis suis prius legitimam libertatem consequantur ».

3. Item, si servus intret religionem, redditur domino suo et non potest ingredi, nisi efficiatur liber: ergo pari ratione, nisi efficiatur liber, non poterit ad sacros ordines promoveri [4].

4. Item, *nemo potest duobus dominis servire,* sicut ipse Salvator testatus est [5]: ergo cum officium clericale totum hominem sibi requirat dedicari, nullus ad hoc poterit promoveri, qui sit in alterius potestate.

Ad oppositum. Contra: 1. *Servus sapiens dominabitur stultis filiis,* dicitur Proverbiorum decimo septimo [6]: ergo videtur, quod ubi est sapientia et vitae bonitas, quod nihil ex parte servitutis obsistat.

2. Item, ordo dicit potestatem spiritualem, servitus dicit subiectionem corporalem; sed subiectio corporalis non habet repugnantiam cum eo quod spirituale est: ergo etc.

3. Item, *Deus non est acceptor personae* [7]*:* ergo tantum placet ei obsequium servi, sicut obsequium domini: ergo sicut possunt ad divinum cultum et clericatum assumi domini, ita etiam possunt servi.

4. Item, alia Sacramenta ita libere possunt accipere servi, ut domini, et ad ea ita communiter admittuntur: ergo pari ratione videtur, quod ad ordinem.

Quaestiones incidentes. Iuxta hoc quaeritur, si servus sit ordinatus, ignorante domino, utrum sit ei restituendus.

Item, si restituitur, quare non res aliae consecratae; et iterum, quanto tempore possit repetere.

CONCLUSIO.

Servus propter Sacramenti honestatem ordinari non debet.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam notandum est, quod Sacramentum ordinis non solum abundat ab aliis secundum rationem *signi,* propter hoc quod non tantum *Sacramentum,* sed etiam *suscipiens* Sacramentum tenet rationem signi [8]; immo etiam abundat secundum rationem *remedii:* quia non solum ibi gratia ad curandum *subiectum* ordinatur, sed etiam datur gratia, quae ordinat ad curandum *alios;* unde collocat hominem non tantum in statu *sanitatis,* immo etiam in gradu *honestatis* et dignitatis: et ideo ad hoc Sacramentum requiritur non persona quaelibet, sed persona *honesta,* cui honor et dignitas competat clericalis. Et quoniam *honestas* multa [9] respicit exteriora; ideo non solum propter defectum *vitae* efficitur quis inhabilis ad hoc Sacramentum suscipiendum, sed etiam propter defectum *multorum aliorum.* Dupliciter abundat. Conclusio 1.

Ad hoc enim, quod persona sit *honesta,* oportet, quod in ea concurrat honestas a parte *originis,* *nominis, corporis, actionis, conditionis* et *conversationis.* Propter defectum a parte *originis* ineptus est filius sacerdotis spurius, vel etiam quilibet illegitimus, Deuteronomii vigesimo tertio [10]. — A parte *nominis* sive famae inepti sunt infames et publice poenitentes, distinctione quinquagesima [11], *Ex poenitentibus.* — Propter defectum a parte *corporis,* cor- Defectus 6. Primus. Secundus. Tertius.

[1] In praeallegato C. *Debitum pastoralis* dicitur: Quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius. — Vat. *dicendum enim, quod ratio est, quia* etc. Mox pro *significari* codd. et ed. 1 *significare.*

[2] Praeter hanc principalem rationem in iure canonico aliae secundariae afferuntur, quare bigamus ad sacros ordines non promoveatur, scil. propter praerogativam sacerdotalis dignitatis, et quia talis non potest esse hortator castitatis (cfr. C. *Una tantum* (4.), seq. d. 26.), et propter suspicionem futurae incontinentiae (cfr. C. *Proposuisti* (2.), d. 82.). Vide infra d. 42. a. 3. q. 3. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Can. 1. Pro *ad clericatum* textus originalis *ad clericatus officium,* cod. L *ad ordinis clericatum.*

[4] Cfr. C. *Generalis etiam querelae* (12.), d. 54. et C. *Instruendi* (1.), seq., X. de Servis non ordinandis etc. (lib. I. tit. 18.).

[5] Matth. 6, 24.

[6] Vers. 2. — Pro *obsistat* codd. E Z *obstat.*

[7] Act. 10, 34. Vulgata *personarum.*

[8] Cfr. quaest. praeced. in corp.

[9] Vat. *multum.*

[10] Vers. 2: Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem. Cfr. Gratian., d. 56. et X. de Filiis presbyterorum etc. (lib. I. tit. 17.).

[11] Can. 55. — Seq. can. *Communiter definimus* est c. 3.

pore vitiati et daemoniaci et epileptici, distinctione Quartus. trigesima tertia, *Communiter definimus.* — Propter defectum a parte *actionis,* ut quando incidit in peccatum enorme, sive factum, ut homicidium, distinctione quinquagesima fere per totum [1]; et hoc est propter magnum horrorem, qui est in sanguinis effusione, sive iuste fiat, sive iniuste; vel propter hoc, quod dividit unitatem animae et corporis. — Quintus. Propter defectum *conditionis,* ut servus, distinctione Sextus. quinquagesima quarta. — Propter defectum *conversationis,* ut curiales, distinctione quinquagesima prima. — In omnibus autem tradunt distinctiones sive exceptiones; sed illae spectant ad scientiam inferiorem. Haec tantum in generali dixisse sufficiat, quod quia Sacramentum ordinis non tantum personae *meritum,* sed *honestatem* considerat, quia clericus est persona communis, et ordo ponit in gradu dignitatis; debent excludi illi, in quibus Sacramentum et alia per consequens possint dehonestari. Quoniam *servus,* quamdiu in tali statu est, est ignobilis et ad ignobilia opera potest cogi; et ideo non potest se totum man- Conclusio 2. cipare, cum alii sit subiectus: ideo non potest ad sacros ordines promoveri, quantum est de Sacramenti honestate, recipit tamen ordinem.

1. 2. 3. 4. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Solutio oppositorum. servitus non impedit, ad totum [2] patet responsio per iam dicta.

Veruntamen quod quaerit, si servus debet reddi Ad quaest. incidentes. domino suo; respondendum, quod aut est ordinatus, Distinctio 1. domino *sciente* et *consentiente,* aut *ignorante* et *nolente.* Si *sciente* et *consentiente,* vel etiam *non contradicente,* generat [3] sibi praeiudicium, ut amplius non possit repetere eum. Si *ignorante* domino et *nolente;* aut *ignorante praesentatore et episcopo,* Distinctio 2. aut *altero,* vel *utroque sciente.* Si eis *ignorantibus,* tunc servus tenetur se redimere, si habet pecuniam; quodsi non habet, nec Ecclesia vult eum redimere, domino suo debet reddi. Si autem *sciente* ordinante et praesentatore, tenentur domino in pecunia, vel in alio servo, vel in duplum; quod si non habent, dominus potest sibi resumere servum. — Aliqui tamen Aliorum opinio non probata. dicunt, quod non, si pervenerit ad sacerdotium; sed de omnibus videtur [4], quod dominus debeat servari indemnis, habet tamen ius petendi eum infra annum; et quidam dicunt, quod post *ordinationem,* quidam dicunt, quod post *cognitionem.* Et haec omnia probantur per illa iura, quae dicuntur distinctione quinquagesima quarta [5].

Sunt et alia multa, quae determinantur in iure, Notandum. quae, inquam, competunt ordinandis, quae ex diversis locis Scripturae sunt tracta, et maxime primae ad Timotheum tertio [6], et haec omnia determinantur a distinctione vigesima tertia usque in finem primae partis. Et quoniam haec distinctio magis spectat ad scientiam inferiorem, ideo ad praesens ista sufficiant, ne extra metas nostrae scientiae exeamus. Verum est tamen, quod omnes huiusmodi ordinationes a sacra Scriptura habent ortum [7], et omnia ad ipsam sicut ad originem possent reduci, si quis haberet peritiam iuris canonici et divini [8].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Nec ex his aliquem in clericatu honorem vel exiguum subrogare.* Videtur enim male dicere, quia aut iste habet *ordinem,* aut *nihil* habet. Si *nihil* habet: ergo poterit ab episcopo catholico promoveri cum dispensatione, sicut patet in haereticis. Si habet *ordines:* ergo iam promotus est.

Respondeo, quod hoc non dicit, quia non *sit ordinatus,* sed quia *male sit ordinatus.* Male autem est ordinatus dupliciter: aut quia est ordinatus *a* Distinctio. *quo* non debet, aut quia *sicut* non debet. Primo De 1. modo. modo tripliciter: aut quia ordinatur ab *haeretico,* Subdistinguitur tripliciter. vel *simoniaco,* sicut hic in proposito; tunc enim, si scienter facit et communicat haeresi, vel simoniae, non potest exsequi nec dispensatur de facili, et hoc vult dicere in littera [9]. — Aut ordinatur a *catholico non suo* sine licentia episcopi proprii et auctoritate; talis debet deponi, Causa septima, quaestione prima [10], dispensari tamen potest, si talis ordinans aliquam ponit spem in ratihabitione episcopi proprii. — Aut ordinatur ab episcopo, qui *renuntiavit loco et of-*

---

[1] Praecipue c. 4-8.

[2] Pro *ad totum* edd. *et ad omnia sequentia.*

[3] Codd. F L O bb *generatur.*

[4] Cod. K *ab omnibus tenetur,* edd. *sed omnibus videtur.*

[5] Can. *Si servus, absente* (19.), seq. — Codd. E F L aa omittunt *iura.*

[6] Vers. 2. seqq. — Gratian., d. 23. data differentia diversorum officiorum ecclesiasticorum, d. 24. pro explicatione I. Tim. 5, 22: *Manus cito nemini imposueris* etc., varia decreta affert; idem facit in seqq. dist. usque ad finem I. partis circa locum I. Tim. 4, 2. seqq.: *Oportet episcopum irreprehensibilem esse* etc.

[7] In edd. desideratur haec propositio *Verum... ortum.* Pro *ordinationes* cod. M *quaestiones,* cod. O *rationes.*

[8] Vide scholion ad I. huius articuli quaest.

[9] Hic c. 1.

[10] Can. *Episcopus in dioecesim* (28.), secundum quem episcopus in aliena dioecesi alienos clericos ordinans uno anno a Missarum celebratione cessare debet. Cfr. d. 71. et C. 9. q. 2. C. *Nullum episcoporum* (6.), in quo dicitur, quod episcopus clericos alienos in aliena dioecesi ordinans iudicandus sit «tanquam depositus a sancta synodo» etc. Vide Hieron., Epist. 51. (alias 10.), in qua S. Epiphanius excusat se Ioanni episc. Ierosolymitano, quod Paulinianum presbyterum ordinasset, ipso inconsulto. —

ficio, quia talis non debet conferre ordines; si vero renuntiavit *loco tantum*, potest dare minores ordines et de licentia episcopi potest dare omnes; et qui sine licentia episcopi proprii recipit ordines posset deponi de rigore iuris, potest tamen cum eo dispensari [1].

Secundo modo dicitur *male ordinatus*, quia
De 2. modo. non recipit *eo modo*, quo debet; et tunc aut *furtive*, aut *per saltum*. Si *furtive*, hoc est dupliciter: aut quia *duos* recipit et eodem die, ita quod alterum furatur, loquendo de *sacris*; et poena omnium talium est depositio, sicut dicitur distinctione septuagesima septima [2], *Subdiaconus*, Extra, de Eo qui furtive, *Innotuit* etc. Si autem furtive recipit *unum tantum*; tunc aut *fuit prohibitum* sub interminatione anathematis; et tunc solus Papa dispensat, Extra, de Eo qui furtive. Si autem *non fuit prohibitum*; tunc potest permitti in minoribus, et si intrat claustrum, praelatus potest dispensare cum eo. — Si vero est ordinatus *per saltum*, hoc
Distinctio. est dupliciter: aut ex *malitia*, aut ex *negligentia*. Si *ex malitia*; licet characterem recipiat, tamen debet deponi. Si *ignoranter*; sic, poena sibi imposita ab episcopo, poterit ad inferiorem ordinem promoveri, suspenso eo interim ab exsecutione superioris, distinctione quinquagesima secunda [3], Extra, de Clerico ordinato per saltum.

Nota etiam hic, quod licet possit saltari ab uno
Notandum. ordine, omisso alio, praetermisso tamen *sacerdotio*, non potest esse episcopus, Extra, de Excessibus praelatorum, *Ex litteris*, in fine [4]. Si vero omisit *diaconatum*, episcopus est, sed illum ordinem, quem omisit, dare non potest, Causa prima, quaestione prima [5]. Ita tamen non est in baptismo, quia est Sacramentum primum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *omnes dicuntur simoniaci, et dantes et accipientes*. Videtur enim male dicere, quia Simon solum voluit emere: ergo soli emptores *simoniaci* debent dici, et venditores *Giezitae* [6]. — Item, plus fecit Giezi quam Simon, quia Simon solum voluit emere, sed Giezi vendidit: ergo magis ab ipso debent denominari.

Respondeo: Dicendum, quod Simon ideo voluit emere, ut post venderet; ideo utrumque malum et peccatum sibi imputatur, et ideo utrique ab ipso denominantur.

Quod obiicitur de voluntate, dicendum quod quia iste iam tempore gratiae revelatae et maiorem potestatem et spiritualiorem voluit emere; et *iterum* pactum voluit facere: ideo gravius satis et enormius peccavit, quam ille qui petiit ex quadam liberalitate, et credebat ille, quod esset modicum; sed poena leprae sempiternae [7] ostendit, quam magnum esset illud scelus.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *utrique eadem sententia percelluntur*. Videtur enim male dicere, quia gravius peccant vendentes, ut videtur, quia minus appretiant quam ementes: ergo gravius debent puniri. — *Contrarium* videtur, quia emens praestat illi occasionem et accipit [8] ultra sortem: ergo si gravius peccat usuras accipiens quam dans, patet etc.

Respondeo: Dicendum, quod quantum ad *genus* Notandum. peccati est uniformitas, quia uterque gratiae Spiritus sancti facit iniuriam; sed gravius pensatur peccatum secundum maiorem appetitum et intensionem libidinis et secundum gradum [9] personae vendentis et ementis. Gravius enim peccat episcopus vendens quam subditus emens; quia tamen genus peccati est idem, utrique eadem sententia percelluntur.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Qui vero ordinantur a simoniacis, quos, cum ordinantur, nesciunt* etc. Videtur enim male dicere, quia tales

---

Inferius pro *aliquam*, quod edd. omittunt, codd. E G I K V *alium*. Subinde codd. omittunt *proprii*.

[1] Cfr. C. *Requisivit a nobis* (1.), X. de Ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui (lib. I. tit. 13.).

[2] Cap. 4. § 1. — Seq. locus [*Innotuit*] est cap. 3. Extra lib. V. tit. 30, in quo titulo ea etiam, quae S. Bonav. deinde habet, continentur. — Inferius post *unum tantum* codd. R S addunt *sic dico, quod*. Subinde post *minoribus* cod. F supplet *ordinibus*.

[3] Can. *Sollicitudo dilectionis* (1.). — Seq. locus est Extra lib. V. tit. 29. C. *Tuae litterae* (1.). Cfr. supra pag. 625, nota 3. et 5.

[4] Cap. 10. lib. V. tit. 31. Vide supra d. 24. p. II. a. 2. q. 3. fundam. 3.

[5] Antiqui (cfr. supra d. 24. p. II. a. 2. q. 3.) hoc *concludebant* ex C. *Gratia* (1.), in quo dicitur: Si autem non accipiunt [simoniaci gratiam in ecclesiasticis ordinibus], non habent; si autem non habent, nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt etc. Cfr. etiam ibid. C. *Quod quidam* (97.), qui est Augustini, et ex quo Magister, hic in lit. c. 1, plura refert. Idem docet S. Bonav. supra d. 24. p. II. a. 2. q. 3. ad 4, et cfr. ibi scholion n. II. Ibid. a. 1. q. 3. ad 1. explicatur seq. propos. — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[6] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Libr. IV. Reg. 5, 27: Sed et lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix. — De hoc dub. cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 169. m. 1; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1. ad 4; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. ad 1; Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

[8] Edd. cum pluribus codd. *ut accipiat*.

[9] Edd. *statum*.

simoniaci ordinantes sunt irregulares et non habent executionem; et «nullus dat quod non habet[1]»: ergo non dant executionem. — Item, ponatur, quod aliquis simoniacus, qui est mihi notus, sustineatur ab Ecclesia, et ipse est episcopus meus, et ego compellor ad sacros ordines; quaeritur, quid tunc facere debeam. Si enim scienter ordinor a simoniaco; sum irregularis et punior tanquam simoniacus. Si non obedio; pecco mortaliter et scandalizo: ergo videtur, quod in tali casu sit homo perplexus.

Respondeo: Dicendum, quod in *primo* casu executionem habet a iure, quod propter ignorantiam talem reputat excusatum, ordinem vero habet a simoniaco[2]. In *secundo* debet, quantum potest, subterfugere; quod si non potest, magis patitur, quam agat, et habetur tunc pro excusato. Unde vel debet ordines differre, vel ad alium episcopum ire; sed si non potest aliud, debet sustinere, et cum Ecclesia sustineat, debet et ipse sustinere et excusatur, sicut ille qui ignorat[3].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur.* Videtur enim male dicere, quia ius patronatus annexum est fundo inseparabiliter: ergo cum ius patronatus sit spirituale et non possit vendi sine simonia[4]; impossibile est, quod talis fundus sine simonia vendatur.

Respondeo: Dicendum, quod Magister non loquitur de *temporalibus*, quibus annexa sunt spiritualia; sed contra[5] de *spiritualibus*, quibus annexa sunt temporalia, sicut est praebenda; et in talibus habet locum verbum Magistri, non in primis. Fundus enim non est annexus iuri patronatus, sed magis e converso. — Vel dicendum, quod intelligit de eo quod ita iunctum est spirituali, quod tenet locum spiritualis. Sed fundus sive villa, cui ius patronatus annexum est, tenet vere rationem rei temporalis[6]. Aliter.

Dub. VI.

Item super hoc quod dicit: *Simoniaca haeresis tripartita est,* quaeritur: quibus modis contrahitur simonia? Et consuevit dici, quod quinque modis, qui his versibus continentur:

Nummus[7], lingua, timor, caro cum fama populari
Non faciunt gratis spirituale dari.

Ergo secundum hoc videtur, quod Magister insufficienter tres modos assignet.

Iuxta hoc quaeritur de sufficientia horum modorum. Cum enim fama sit bonus odor[8], sicut bonum exemplum, non videtur, quod sit quid temporale. — Item, in veteri lege habebatur sacerdotium iure propinquitatis[9]: ergo cum illud non esset peccatum, non videtur etc. Quaestio.

Respondeo: Dicendum, quod *proprie* loquendo, simonia est in pretio, quod quidem intendit avaritia[10], maxime cum intervenit pactio, et ista simonia determinatur hic a Magistro. Et potest fieri tripliciter: quia pretium potest dari ita, quod simoniacus non recipit, utpote quia datur collateralibus; vel potest dari a collateralibus ordinati; vel potest ipse ordinatus dare ordinatori, et tunc est simonia in ordinis susceptione, et *proprie* loquendo, in his tribus modis. — Vel aliter, quia aut *ordinatus dat,* et *ille recipit,* et tunc simoniace ordinatur a simoniaco; aut *iste dat,* sed ille *non recipit,* et tunc simoniace a non simoniaco[11]; aut quia *nec iste dat, nec ille recipit,* sed ille alias fuit simoniacus, et tunc ordinatur non simoniace a simoniaco. — Penes hoc sumitur distinctio *Magistri* satis sufficiens, sed in *communi* distinctione modorum accipitur *simonia* generalius, a qua pauci sunt hodie immunes in clero respectu multitudinis, utpote quando ille qui ordines tribuit[12], ex causa indirecta tribuit, vel alius ex causa inordinata acquirit sive ordinem, sive beneficium; et isti sunt *quinque modi,* quorum sufficientia patet sic. Si aliquis inordinate movetur, aut ex *timore male*

De simonia stricte. Fit tripliciter. Aliter. De simonia generalius. Notandum. Modi quinque. Sufficientia. Distinctio.

---

[1] Secundum Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.). Vide etiam supra pag. 657, nota 5.

[2] Cfr. C. *Si qui a simoniacis* (108.), C. 1. q. 1. — Inferius pro *excusato,* quod habent codd. A B E G L (F a secunda manu), alii codd. et edd. *excommunicato.* Subinde pro *aliud,* quod habent plurimi codd., edd. *ire ad alium.* In fine solut. edd. omittunt *et excusatur,* pro quo plures codd. perperam *et excommunicatur.*

[3] Cfr. de hoc dub. Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

[4] Vide C. *De iure vero patronatus* (16.), X. de Iure patronatus (lib. III. tit. 38.), ubi dicitur, quod «inconveniens sit vendi ius patronatus, quod est spirituali annexum».

[5] Cod. L *tantum,* cod. aa et ed. 1 *econtra.*

[6] Secundum C. *Ex litteris* (7.), X. de Iure patronatus (lib. III. tit. 38.), ius patronatus transit cum universitate vendita in universali, nisi excipiatur. — Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. II. q. 169. m. 4. a. 2. in fine; B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. et circa lit.

[7] Edd. *Munus,* cui lectioni favent cod. A a secunda manu correctus et B. Albert., hic a. 5; sed infra explicatur *nummus.*

[8] Cfr. supra pag. 593, nota 3.

[9] Scilicet Aaron cum filiis; cfr. Exod. 28, 43.

[10] Cod. O *avarus,* cod. K (I a secunda manu) *ex avaritia,* edd. *avaritiam.*

[11] In edd. desideratur hoc secundum membrum.

[12] Cod. T *communicat.* Edd. omittunt *ex causa indirecta* [i. e. inordinata] *tribuit.*

humiliante, et sic est unus modus; aut ex *amore* Triplex amor. *male inflammante,* et tunc — cum triplex sit amor, scilicet *superbia vitae,* quae amat honores, et *concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum*[1] Primus. — penes *concupiscentiam oculorum* accipitur illa, quae est in *nummo,* quae comprehendit omne terrenum et obsequium vile. Secundus. Penes *amorem carnalem* accipitur aliud membrum, scilicet *caro,* quod comprehendit inordinatum amorem sive respectu propinquorum, sive respectu aliorum, ut si quis amore fornicariae promoveret filium fornicariae. Si autem Tertius. quantum ad *superbiam,* dupliciter: aut prout appetit *favorem,* ut hypocrita, et sic est *favor* sive fama popularis; aut prout appetit *laudari,* et sic *lingua.* Et sic patet sufficientia. — Vel ut distinguatur *munus a manu, a lingua* et *a corde*[2], et duplex motivum *timor* et *amor,* et sic erunt quinque modi. Et per hoc patet numerus et sufficientia. Aliter.

Ad illud quod obiicitur de fama, dicendum, quod fama magnum bonum est *non appetenti,* sicut viro iusto, sed *appetenti* et laboranti ad hoc non est magnum bonum, sicut hypocritae; unde Proverbiorum decimo[3]: *Memoria iusti cum laudibus, et nomen impiorum putrescet.* Notandum.

Quod obiicitur de consanguinitate, non est simile: quia sacerdotium veteris legis erat carnale, sed illud novae est spirituale[4]. — Et sic patent ea quae sunt circa istam partem.

DISTINCTIO XXVI.

Cap. I.

De Sacramento coniugii.

«Cum alia Sacramenta post peccatum et propter Dubium 1. peccatum exordium sumserint, matrimonii Sacramen- Hugo. tum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino, non tamen ad *remedium,* sed ad *officium*[1]». Refert enim Scriptura Genesis, in Adam misso sopore, atque una de costis eius sumta, et exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem, ad quem usum mulier facta esset, post ecstasim prophetice dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

Cap. II.

De institutione eius et causa.

Coniugii autem institutio duplex est: una ante peccatum ad *officium* facta est in paradiso, ubi esset *torus immaculatus et nuptiae honorabiles*[2]*;* ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent; altera post peccatum ad *remedium* facta extra paradisum, propter illicitum motum devitandum; prima, ut natura multiplicaretur; secunda, ut natura exciperetur, et vitium cohiberetur. Nam et ante peccatum dixit Deus: *Crescite et multiplicamini;* et post peccatum, omnibus pene hominibus per diluvium consumtis. Quod vero ante peccatum institutum fuerit coniugium ad *officium,* post peccatum vero ad *remedium* concessum, Augustinus[3] testatur dicens: «Quod sanis esset Augustinus. ad officium aegrotis est ad remedium». Infirmitas enim incontinentiae, quae est in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum. Si non peccassent primi homines, sine carnis incentivo ac fervore libidinis ipsi ac successores eorum convenirent; et sicut remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus eorum bonus esset et remunerabilis. Quia vero propter peccatum letalis concupiscentiae lex membris nostris inhaesit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est et malus coitus, nisi excusetur per bona coniugii.

Cap. III.

Unde secundum praeceptum et secundum indulgentiam contractum sit coniugium.

Prima institutio habuit *praeceptum,* secunda *indulgentiam.* Didicimus enim ab Apostolo[4], humano generi propter vitandam fornicationem indultum esse coniugium. Indulgentia vero, quia meliora non eligit, remedium habet, non praemium; a qua si quis declinaverit, meretur exitiale iudicium. Quod secundum in-

---

[1] Epist. I. Ioan., 2, 16. — De *amore* male inflammante et *timore* male humiliante cfr. tom. II. pag. 146, nota 7. verba August. — Inferius pro *quod comprehendit* nonnulli codd. *quae comprehendit.*

[2] Gregor., IX. Moral. c. 34. n. 53: Tres vero sunt acceptiones munerum, ad quas ex fraude festinatur. Munus namque *a corde* est captata gratia a cogitatione; munus *ab ore* est gloria per favorem; munus *ex manu* est praemium per dationem. Cfr. ibid. XII. c. 54. n. 62, et I. Homil. in Evang. homil. 4. n. 4, ubi distinguit munus *ab obsequio,* munus *a manu* et munus *a lingua.* Vide etiam C. *Salvator praedicit* (8.), C. 1. q. 3. § 1.

[3] Vers. 7.

[4] Cfr. supra pag. 500, nota 4. — Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. II. q. 169. m. 3; B. Albert., hic a. 5; S. Thom., hic q. 3. a. 3. et circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XI. c. 1; unde etiam quae sequuntur excerpta sunt. Seqq. loci Scripturae respiciuntur, vel sunt Gen. 2, 21. 23. 24.

[2] Hebr. 13, 4. Cfr. etiam Gratian. super C. *Sicut non omnis* (2.), C. 32. q. 2. — Seq. locus Scripturae est Gen. 1, 28. et 9, 1.

[3] Super Gen. ad lit. libr. IX. c. 7. n. 12. In fine cap. respicitur Rom. 7, 15. 23.

[4] Epist. I. Cor. 7, 6.

dulgentiam conceditur voluntarium est, non necessarium; alioquin transgressor esset qui illud non faceret. Et potest sane intelligi, illud sub *praecepto* dictum hominibus primis ante peccatum: *Crescite et multiplicamini;* quo etiam post peccatum tenebantur, usquequo est facta multiplicatio, postquam secundum *indulgentiam* matrimonii contractus fuit. Ita etiam post diluvium, quo universum pene humanum genus deletum est, secundum *praeceptum* dictum est filiis Noe: *Crescite et multiplicamini;* multiplicato vero homine secundum *indulgentiam* contractum est, non secundum imperium.

Dubium 2.

Cap. IV.

Quibus modis accipitur indulgentia.

Indulgentia autem diversis modis accipitur, scilicet pro *concessione*, pro *remissione*, pro *permissione*. Et est *permissio* in novo testamento de minoribus *bonis* et de minoribus *malis;* de minoribus *bonis* est coniugium, quod non meretur *palmam*, sed est in *remedium;* de minoribus *malis*, id est de venialibus, est coitus, qui fit causa incontinentiae. Illud, id est *coniugium*, *indulgetur*, id est conceditur; illud vero, id est *coitus talis*, *permittitur*, id est toleratur, ita quod non prohibetur.

Dubium 3. Dubium 4.

Cap. V.

Quod nuptiae bonae sint.

Fuerunt autem nonnulli haeretici nuptias detestantes, qui Tatiani [1] appellati sunt. « Hi nuptias omnino damnant ac pares fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt, nec recipiunt in suorum numero coniugio utentem marem vel feminam ». « Quod autem *res bona* sit coniugium, non modo ex eo probatur, quod Dominus legitur coniugium instituisse inter primos parentes, sed etiam quod in Cana Galilaeae nuptiis interfuit Christus easque miraculo commendavit, aqua in vinum conversa; qui etiam postea virum uxorem dimittere prohibuit nisi causa fornicationis. Apostolus etiam ait: *Virgo non peccat, si nubat.* Constat igitur, rem bonam esse matrimonium », alioquin non esset Sacramentum; Sacramentum enim sacrum signum est.

Augustinus. Hugo.

Cap. VI.

Cuius rei Sacramentum sit coniugium.

Cum igitur coniugium Sacramentum sit, et sacrum signum est et sacrae rei, scilicet coniunctionis Christi et Ecclesiae, sicut ait Apostolus [2]: Scriptum est, inquit: *Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Ut enim inter coniuges coniunctio est secundum *consensum animorum* et secundum *permixtionem corporum*, sic Ecclesia Christo copulatur *voluntate* et *natura*, quia idem vult cum eo, et ipse formam assumsit de natura hominis. Copulata est igitur sponsa sponso *spiritualiter* et *corporaliter*, id est *caritate* ac *naturae conformitate.* Huius utriusque copulae figura est in coniugio; *consensus* enim coniugum copulam spiritualem Christi et Ecclesiae, quae fit per caritatem, significat; *commixtio* vero *sexuum* illam significat, quae fit per naturae conformitatem.

Inde est, quod quidam doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quae non experitur carnalem copulam. Ait enim Augustinus [3]: « Non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus ». Item Leo Papa: « Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter commixtionem sexuum *non habeat* in se Christi et Ecclesiae Sacramentum; non dubium est, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse nuptiale mysterium ». Item Augustinus: « Non est perfectum coniugium sine commixtione sexuum ». — Hoc si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, ut dicat, sine carnali copula non posse contrahi matrimonium, et inter Mariam et Ioseph non fuisse coniugium, vel non fuisse perfectum; quod nefas est sentire. Tanto enim sanctius fuit atque perfectius, quanto a carnali opere immunius. Sed superius posita ea ratione dicta intelligendum est, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum; sed non pertinet ad matrimonium, quod expressam et plenam teneat figuram coniunctionis Christi et Ecclesiae. Figurat enim illam unionem Christi et Ecclesiae, quae est in *caritate*, sed non illam, quae est in *naturae conformitate.* Est ergo et in illo matrimonio typus coniunctionis Christi et Ecclesiae, sed illius tantum, qua Ecclesia Christo caritate unitur, non illius, qua per susceptionem carnis capiti membra uniuntur; nec ideo tamen minus *sanctum* est coniugium, quia, ut ait Augustinus [4], « in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti quam fecunditas ventris ». Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis et dilectionis animorum, qua inter se coniuges uniri debent. Unde Apostolus ait: *Viri, diligite uxores vestras, ut corpora vestra.*

Falsa citatur. Leo. Augustinus. Explicatio Magistri.

[1] August., de Haeresibus, c. 25. (cfr. infra d. XXXI. c. 6.), cuius sunt ipsa verba, quae sequuntur. — Alter locus est Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 2; ubi respicitur Gen. 2, 24. et Ioan. 2, 2. seqq., deinde Matth. 5, 32; 19, 9, denique I. Cor. 7, 36.

[2] Eph. 5, 31. 32.

[3] Circa tres locos hic positos notandum est, eosdem afferri etiam a Gratian. C. *Non est dubium* (16.), et seq. C. *Cum societas*, C. 27. q. 2, atque super C. *Sufficiat* (2.), ibid., sed ita, ut admisceantur plures errores. Nam 1. locus *(Non est dubium)* non invenitur in August., sed est continuatio 2. loci, scil. Leonis (Epist. 167. (alias 2.) ad Rustic. inquisit. 4.); hic autem *depravate* exhibetur a Magistro et Gratian. (lege: ut praeter sexuum coniunctionem *haberet* in se Christi et Ecclesiae Sacramentum). Tertius locus est August., I. Soliloq. c. 10. n. 17, sed ibi sensum habet diversum, cum agatur de *usu* matrimonii.

[4] De Bono coniugal. c. 18. n. 21. Deinde affertur Eph. 5, 25.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVI.

De matrimonio secundum causam formalem.

Cum alia Sacramenta post peccatum et propter peccatum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est ultima pars totalis partis, in qua agit Magister de Sacramentis. In hac enim parte ultimo agitur de Sacramento matrimonii; et quoniam tunc unaquaeque res perfecte cognoscitur, quando cognoscitur secundum quadruplex genus causae [1]: ideo pars ista habet quatuor partes. In prima agit de matrimonio secundum causam formalem. In secunda secundum causam efficientem, infra distinctione proxima: *Post hoc advertendum est, quid sit coniugium.* In tertia secundum causam finalem, infra distinctione trigesima prima: *Post haec de bonis coniugii.* In quarta secundum causam materialem, quae est personarum legitimitas; haec enim est dispositio a parte suscipientis; et per oppositum agit de illegitimitate, et hoc agit infra distinctione trigesima quarta: *Nunc superest attendere, quae personae* etc.

Prima pars, in qua determinat de matrimonio secundum causam formalem, habet duas: quia enim matrimonio formaliter convenit Sacramentum et signum; et signum sacramentale duo in se continet, secundum quod tale signum significat *divinam institutionem* et *naturalem repraesentationem* [2]: ideo pars ista habet duas. In prima agit de matrimonii institutione. In secunda de repraesentatione sive aptatione signi ad signatum, et hoc ibi: *Cum igitur coniugium Sacramentum sit.*

Prima pars habet tres partes. In prima determinat institutionis *tempus.* In secunda *modum,* ibi: *Prima institutio habuit praeceptum.* In tertia removet quoddam dubium, quod habet ex praedictis ortum, ibi: *Fuerunt autem nonnulli haeretici.*

Cum igitur coniugium Sacramentum sit. Haec est secunda pars, in qua post institutionem agit de significatione, et habet haec pars tres particulas. In prima determinat, quid sit in hoc Sacramento *signum,* et quid *signatum tantum,* et quid *signatum et signum* [3]; ex quibus intelligitur, unicum fieri Sacramentum sive integrari. In secunda ex verbis suis introducit dubium, ibi: *Inde est, quod quidam doctorum.* In tertia vero dissolvit, ibi: *Hoc si secundum superficiem.* — Et ita in duobus est continentia huius distinctionis, scilicet in huius Sacramenti *institutione* et in Sacramenti *constitutione* sive integratione.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae determinat Magister de Sacramento matrimonii, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de eius institutione.

Secundo, de eius integritate.

Circa primum tria quaeruntur.

Primo quaeritur, quando fuerit institutum.

Secundo, a quo.

Tertio quaeritur, qualiter fuerit institutum.

ARTICULUS I.

De institutione Sacramenti matrimonii.

QUAESTIO I.

Quando matrimonium fuerit institutum.

Circa primum ostenditur, quod matrimonium fuerit institutum *ante lapsum:*

Fundamenta. 1. Per illud quod dicitur Matthaei decimo nono [4]: *Non legistis, quod ab initio qui fecit homines masculum et feminam fecit illos? Et dixit: Propter hoc* etc.

2. Item, Magister in littera [5]: «Cum alia Sacramenta post peccatum exordium sumserint, ma-

---

[1] Secundum Aristot., I. Metaph. c. 4. (c. 3.). Cfr. I. Poster. c. 2; II. c. 1. seq. et I. Phys. text. 1.

[2] Vide supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5.

[3] Edd. omittunt *tantum, et quid signatum et signum.*

[4] Vers. 4. seq.: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum et feminam fecit eos [Gen. 1, 27.]? et dixit [Gen. 2, 24.]: Propter hoc dimittet homo patrem etc.

[5] Hic c. 1.

trimonii Sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum ».

3. Item, *ratione* videtur: quia usus coniugii est ad procreationem prolis; sed prolis procreatio conveniebat statui innocentiae: ergo tunc debuit institui.

4. Item, matrimonium est apud omnes, ergo est de dictamine naturae[1]; sed talia ab initio homini sunt impressa: ergo etc.

Contra: 1. Hugo de sancto Victore[2]: « Tempus institutionis Sacramentorum ex tunc esse coepit, quando homo a gaudiis paradisi eiectus est »; et ita videtur, quod matrimonium post lapsum sit institutum.

Ad oppositum.

2. Item, *ratione* videtur: quia Sacramentum est medicina contra morbum; sed tempore status innocentiae nullus fuit morbus: ergo etc. *Si tu dicas,* sicut dicit Magister[3], quod « institutum est in officium, non in remedium »; quaeritur tunc: quare similiter alia non sunt instituta in officium et post in remedium, sicut matrimonium?

3. Item, Sacramenta sunt signa visibilia rerum invisibilium, per quae homo manuducitur ad spiritualia cognoscenda; sed Adam non indigebat manuduci, quia « spirituali mente erat praeditus[4] »: ergo non fuit necesse institui in statu innocentiae.

4. Item, ante lapsum non erat maior inordinatio vel libido in actu generativae quam in actu nutritivae; sed licuit Adae comedere de *omni ligno*[5]: ergo similiter videtur, quod licuit ei coire cum omni muliere; aut si non; quaeritur: quare magis est arctatus ad istum actum quam ad alium?

Quaestio incidens.

Item, cum post lapsum habeamus Sacramentum, quod respicit actum *nutritivae* et *generativae,* et utrumque est in *remedium*[6]; quare Adam similiter non habuit in statu innocentiae Sacramentum, quantum ad utrumque actum in *officium?* Et videtur, quod magis debuit habere quantum ad *nutritivam,* quia nutritiva magis erat ibi in usu quam *generativa.*

CONCLUSIO.

Matrimonium fuit institutum tempore status innocentiae tantum in officium, post lapsum etiam in remedium.

Duplex finis.

Respondeo: Dicendum, quod quia *institutio* respicit *usum,* et *usus* matrimonii est in *remedium* et est in *officium; usus* autem aliorum Sacramentorum est tantum in *remedium:* ideo matrimonii usus non tantum convenit infirmis, sed etiam sanis; et ideo duplex fuit eius institutio: una ante lapsum in *officium,* et alia post lapsum in *remedium*[7]. Est autem usus matrimonii in remedium contra *ignorantiam,* dum erudit in quantum signum; et in remedium contra *concupiscentiam,* dum illam refrenat ut medicamentum. Sic et eius *officium* fuit quantum ad duas operationes potentiarum: et quantum ad actum *cognitivae,* ut homo videret exterius coniunctionem in creatura, quam intelligebat[8] interius, non, inquam, ut erudiretur, sed ut, videndo materialiter quod sciebat, oblectaretur. Similiter quantum ad actum *generativae* fuit in *officium,* ut, quia per se homo non potuit speciem conservare, adiuncta socia, in actum illum *conservationis* prodire posset.

Conclusio. — Duplex institutio. — Duplex remedium. — Duplex officium.

Solutio oppositorum.

1. 2. 3. Ex hoc patent tria obiecta.

4. Ad illud vero quod obiicitur de nutritiva, dicendum, quod non est simile, quia ibi fit continua deperditio per calorem; ideo frequens debet fieri restauratio et de multis, non de uno tantum. — Aliter potest dici, quod duplex est *deperditio,* scilicet quantum ad humidum *nutrimentale* et *radicale;* similiter duplex est *restauratio,* scilicet quantum ad humidum *nutrimentale* per *lignum paradisi,* et similiter quantum ad humidum *radicale* per *lignum vitae*[9]; hoc autem, ut dicit Augustinus, non solum fuit in *usum,* sed etiam in *Sacramentum.* Significabat enim pastum sapientiae interiorem; et quia una est sapientia, unicus fuit ille cibus, licet alii essent plures. Similiter, quia in actu coniugii intelligitur coniunctio Christi et Ecclesiae[10]; et Christus est sponsus unicus, et Ecclesia unica: inde est, quod divina institutione est mulier viro matrimonio coniuncta, sicut et lignum vitae provisum in Sacramentum. Quia vero per peccatum est amissa conservatio *individui*[11], salva nihilominus illa quae est *speciei;* ideo remansit matrimonium, sed non remansit illud lignum; habuerunt tamen aliquod signum, quousque Christus incarnaretur[12].

Alia solutio. — Notandum.

Quaestio incidens solvitur.

Si tunc quaeratur: quare magis quantum ad nutritivam et generativam Adam habuit Sacramenta quam quantum ad alias potentias, ut visum etc.? dicendum, quod ista fuerunt in usum et in talem

---

[1] Cfr. supra pag. 436, nota 2.

[2] Libr. I. de Sacram. p. VIII. c. 12: Tempus institutionis Sacramentorum ab eo incepisse creditur, quo primus parens merito inobedientiae a gaudiis paradisi expulsus etc.

[3] Hic in lit. c. 1. et 2. — Inferius post *instituta* cod. K addit *prius.*

[4] Ut insinuat August., XI. de Gen. ad lit. c. 42. n. 58. et 60. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XXII. c. 3. Vide etiam supra lit. Magistri, d. I. c. 5.

[5] Gen. 2, 16. et 3, 1. seq.

[6] Scilicet Sacramentum eucharistiae et matrimonii; cfr. supra d. 8. p. I. a. 2. q. 1. ad 3. — Superius pro *habeamus,* quod habet cod. P (E F a secunda manu), cod. O *habemus,* codd. R S T U X *habuit,* ed. 1 cum multis codd. *hominum,* cod. L *hominem,* Vat. perperam *non habeamus.*

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[8] Codd. I K *intellexerat.*

[9] Gen. 2, 9. — Verba August. vide supra pag. 184, nota 3. — De humido nutrimentali et radicali cfr. tom. I. pag. 316, nota 12. — Inferius pro *interiorem* plurimi codd. minus apte, ut videtur, *interioris.*

[10] Vide infra a. 2. q. 1, et hic in lit. Magistri, c. 6. — Inferius pro *matrimonio* codd. F L *matrimonialiter.*

[11] Rom. 5, 12: Per peccatum mors.

[12] Cfr. supra d. 8. p. I. a. 2. q. 1. ad 3. — Edd. *nasceretur.*

usum, qui veniebat ex *indigentia*. Nam Adam nec per se poterat conservari[1] nec per se poterat generare. Et ideo indiguit aliquibus, quibus uteretur; et quia usus exterioris hominis et indigentia importabant similitudinem interioris, quia anima non per se potest vivere, nisi reficiatur a Christo, nec similiter per se bona opera facere, nisi fecundetur ab ipso: ideo patet, quod utrumque fuit Sacramentum, nec penes alios sensus oportuit alia Sacramenta institui.

SCHOLION.

I. Quid sit matrimonium re et nomine, explicatur infra d. 27. a. 1. et dub. 1; de ratione Sacramenti, quae ei competit, cfr. infra a. 2. et d. 31. a. 1. q. 2. 3; de consensu ut causa eiusdem d. 27. a. 2, et d. 28-30; de indissolubilitate d. 27. a. 3. et d. 33. a. 3; de bonis tribus eiusdem d. 31. a. 1; de usu ibid. a. 2. et d. 32; de unitate d. 33. a. 1. et 3; de relatione eius ad virginitatem ibid. a. 2; de impedimentis d. 34-42; de toto tractatu Breviloq. p. VI. c. 13.

II. Communes et necessario faciendae sunt distinctiones circa matrimonium in ratione vel *contractus*, vel *Sacramenti;* item, ut est in *officium*, vel *in remedium;* denique ut primitus institutum a Deo, vel ut ad dignitatem Sacramenti elevatum a Christo, qui est « venerabilium Sacramentorum *institutor* atque *perfector* (Conc. Trident. Sess. XXIV. prooem.).

De 1. quaestione: Scot., hic q. unica n. 18. et n. 9. seqq. — S. Thom., hic q. 2. a. 2; Suppl. q. 42. a. 2; S. c. Gent. IV. c. 78. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2.

III. De 2. quaestione: Scot., loc. cit. n. 13. — S. Thom., locc. citt. et q. 1. a. 1; Suppl. q. 41. a. 1. — B. Albert. rem tangit hic a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. et 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1. 3.

IV. Quaestionem 3. Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1-3.) dividit in tres quaestiones secundum tria tempora: *ante peccatum*, et tunc usum matrimonii ad finem generis conservandi praeceptum fuisse docet; *post peccatum* et ante sufficientem multiplicationem generis humani, et tunc etiam praeceptum fuisse; denique *nunc* post sufficientem hominum multiplicationem, et sic cessasse dicit hoc praeceptum *affirmativum* quoad individua. Denique quoad finem secundarium *evitandae fornicationis* nunquam fuit *praeceptum*, sed tantum *indulgentia*. Eundem modum dicendi adhibet S. Bonav. Non re ipsa, sed tantum in *modo loquendi* dissentientes, alii, ut Scot. (loc. cit. n. 18.) et Durand. (hic q. 2.), dicunt, praeceptum illud, utpote non revocatum, adhuc durare, scilicet eo sensu, quem sic exhibet S. Thom. (hic q. 1. a. 2. ad 1; cfr. Suppl. q. 41. a. 2.): « Dicendum, quod praeceptum illud non est revocatum, non tamen obligat unumquemque, ratione iam dicta, nisi illo tempore, quo paucitas hominum exigebat » etc.

De 3. quaestione praeter locos citt.: B. Albert., hic a. 10. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1-3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

A quo Sacramentum matrimonii fuerit institutum.

Secundo quaeritur, a quo fuerit Sacramentum matrimonii institutum. Et quod a Deo, videtur:

Fundamenta. 1. Per illud Matthaei decimo nono[2]: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* hoc dicitur de coniunctione, quae est in matrimonio: ergo si ista est a Deo: patet etc.

2. Item, hoc ipsum videtur: quia Genesis primo[3] dixit eis Deus: *Crescite et multiplicamini;* sed illud crementum erat per usum actus matrimonialis: ergo matrimonium fuit a Deo institutum.

3. Item, hoc ipsum ostenditur *per rationem:* quia, si Sacramenta sunt a voluntate humana; et omne tale est variabile et mutabile, cum Sacramenta sint immutabilia: videtur, quod non solum hoc, sed etiam omnia alia sunt a Deo instituta.

4. Item, Sacramenta, quanto maiora sunt, tanto a maiore instituenda sunt; sed Sacramentum matrimonii est praecipue magnum, sicut dicitur ad Ephesios quinto[4]: *Sacramentum hoc magnum est:* ergo a maximo Deo, non ab homine institutum fuit.

Contra: 1. Institutio matrimonii fuit in illo verbo[5]: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea* etc.; sed istud verbum fuit Adae, non Dei: ergo fuit institutum ab homine, non a Deo. Ad oppositum.

2. Item, si Sacramentum matrimonii est institutum a Deo; et in his quae sunt a Deo instituta, non potest Ecclesia aliquid mutare nec disponere[6]: ergo nec circa matrimonium. Sed tota die dispensat quantum ad hoc Sacramentum: ergo etc.

3. Item, non legitur, Deum esse locutum de matrimonio, nisi quando dixit[7]: *Crescite et multiplicamini* etc.: et cum hoc etiam dictum sit bestiis, videtur, quod etiam inter bestias constituit. Sed hoc est inconveniens: ergo etc.

4. Item, matrimonium contrahitur per humanum consensum[8]: ergo est contractus humanus;

---

[1] Vide II. Sent. d. 19. a. 2. et 3. — Superius pro *visum* cod. U *visivam*, plures codd. pro *etc.* perperam substituunt *est*, cod. A *est supra*. In fine solut. pro *utrumque* edd. *unicum*.

[2] Vers. 6.

[3] Vers. 28.

[4] Vers. 32. — Inferius post *maximo* codd. BK (I a secunda manu) addunt *scilicet*.

[5] Gen. 2, 23.

[6] Codd. M O S X *dispensare*.

[7] Gen. 1, 28. — De bestiis ibid. v. 22. — Post textum Scripturae codd. E W Y prosequuntur: *ergo si Dominus instituit matrimonium, quando dixit:* Crescite et multiplicamini etc., *cum hoc* etc. Pro *et cum* codd. I K *ergo cum*.

[8] Ut ostenditur infra d. 27. a. 2. q. 1. seq.

sed contractus humani sunt instituti ab hominibus: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sacramentum Matrimonii fuit institutum a Deo Adam interius illustrante.

Respondeo: Dicendum, quod institutio matrimonii est a Deo. — Sed notandum, quod *quaedam* sunt Sacramenta, quae sunt pure fidei, sicut baptismus et confirmatio et consimilia; *quaedam* autem non tantum sunt fidei, sed etiam naturalis dictaminis; et talia sunt poenitentia et matrimonium, sed tamen non *omnino* sunt de dictamine iuris naturalis [1]. Quae primo modo sunt Deus instituit *mandando;* quae secundo modo instituit *interius illustrando;* et sic instituit matrimonium. Unde ipse non praecepit Adam, quod Evam duceret in uxorem, sed illustravit eum interius, ut intelligeret, eam sibi dandam in uxorem, et omnibus posteris per liberum consensum uxores illo modo coniungi. Unde Adam sic illustratus dixit: *Hoc nunc os* etc., et sicut dicit Magister in littera [2], prophetice est locutus; et ideo verbum illud non fuit a semetipso, sed a Deo: et ideo institutio huius Sacramenti fuit a Deo.

Conclusio 1. Duo genera Sacramentorum. Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. Et sic patet primum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod tunc Ecclesia nihil mutare potest; dicendum, quod Dominus instituit Sacramentum quoad formam et quoad materiam, quantum illi tempori congruebat, excipiendo solum patrem et matrem [3]; et quia aliae personae secundum diversa tempora debebant congruere institutioni, de legitimitate personarum reliquit Ecclesiae dispensandum; et circa hanc dispensat Ecclesia. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Dominus non est locutus de matrimonio nisi ibi: Crescite et multiplicamini; dicendum, quod falsum est, immo locutus est per Adam, quando Adam, Spiritu sancto illustratus, dixit illud verbum in persona Dei; et hoc patet, quia Matthaei decimo nono [4] repetit illud ut verbum Dei.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est contractus humanus; dicendum, quod non est *pure* humanus; et hoc patet sic. In matrimonio namque duo sunt: et mutua *obligatio* et obligationis mutuae *indissolubilitas;* et quamvis primum sit *hominis,* secundum est *instituentis;* et ratione illius *indissolubilitatis* praecipue matrimonium tenet rationem Sacramenti et signi sacri: et ideo non ab homine ortum habet, sed a Deo; et hoc melius patebit infra [5], quando agetur de insolubilitate matrimonii. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum institutio matrimonii fuerit sub praecepto.

Tertio quaeritur, qualiter fuerit institutum matrimonium; et est quaestio, utrum institutio matrimonii fuerit sub praecepto. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Per textum Genesis [6]: quia praeceptum est eis, quod crescerent et multiplicarentur; sed non poterat hoc fieri nisi per coniunctionem maris cum femina; hoc autem est matrimonium: ergo matrimonium fuit institutum sub praecepto.

2. Item, Magister in littera [7]: «Prima institutio matrimonii habuit praeceptum»; sed prima fuit in paradiso: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia matrimonium ordinatum erat ad conservationem *speciei* quantum ad generativam, et esus lignorum ordinatus erat ad conservationem *individui* quantum ad nutritivam — quia, etsi nunquam moreretur, tamen determinato tempore in aliam vitam transferretur [8] — sed esus cadebat sub praecepto: ergo et coitus.

4. Item, omnes qui possunt, tenentur pro loco et tempore multiplicare prolem spiritualem, revocando scilicet hominem a peccato: ergo cum secundum statum primum multiplicatio corporalis esset coniuncta spirituali [9], videtur, quod omnes tenebantur, et sic videtur, institutum fuisse matrimonium sub praecepto.

Contra: 1. Si fuit institutum sub praecepto, Ad oppositum.

---

[1] Cfr. supra d. 17. p. II. a. 1. q. 1. et d. 22. a. 2. q. 1. — Superius pro *sed etiam* plures codd. *quantum etiam,* cod. L *quam etiam.*

[2] Hic c. 1. Vide etiam II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. ad 4-6.

[3] Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XI. c. 4: Prima autem institutio duas tantum personas, id est patrem et matrem, a contractu matrimonii excepit, ubi hominem, ut adhaerere possit uxori suae, patrem et matrem relicturum esse asseruit, dicens [Gen. 2, 24.]: *Propter hoc relinquet* etc.

[4] Vers. 5. seq.: Propter hoc dimittet homo etc. Cfr. infra dub. 2.

[5] Dist. 27. a. 3. q. 1. seq. — Superius voci *instituentis* cod. L praemittit *Dei,* edd. *tamen.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cap. 1, 28. — Inferius pro *hoc autem* Vat. *haec autem coniunctio legitime facta.*

[7] Hic c. 3. — Post *in paradiso* Vat. addit: *et ibi data fuit sub praecepto.*

[8] Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. XX. c. 3. — Praeceptum edendi insinuatur Gen. 2, 16: Ex omni ligno paradisi comede. Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. ad 4. et d. 20. dub. 7. — Verbis *ad generativam* cod. E interserit *vim.*

[9] Quia secundum Anselm., de Conceptu virgin. et orig. peccat. c. 10. et 24, geniti heredes fuissent originalis iustitiae; secundum Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. VI. c. 24, fuissent «sine peccato quidem... sed non similiter paternae iustitiae heredes» (cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 90. m. 1, et S. Bonav., II. Sent. d. 33. a. 1. q. 2. ad 1.).

aut ergo illud praeceptum fuit *iuris naturalis*, aut *disciplinae*. Non *disciplinae*, quia unum solum fuit[1]; non *iuris naturalis*, quia adhuc maneret: ergo nullo modo fuit institutum sub praecepto.

2. Item, semper licitum fuit homini facere quod melius est; sed melius est omnino continere quam coire, quia castitas virginalis est dignior coniugali: ergo licuit non coire nec nubere. Sed non licuisset, si fuisset vel esset sub praecepto: et sic etc.

3. Item, si praeceptum fuit, cum Abel uxorem non habuerit, videtur, quod peccaverit; sed constat, quod hoc est falsum, quia Abel est primus iustorum, sicut testatur Dominus Matthaei vigesimo tertio[2]: *A sanguine Abel iusti:* ergo etc.

4. Item, ad matrimonium maxime requiritur liber consensus: ergo nullo modo arctari debuit homo per praeceptum.

CONCLUSIO.

Prima institutio matrimonii praeceptum habuit affirmativum et fuit de iure naturali, non simpliciter, sed secundum tempus; secunda vero habuit indulgentiam, non praeceptum.

Respondeo: Dicendum, quod «prima institutio
Conclusio 1. matrimonii praeceptum habuit», sicut dicit Magister; et praeceptum illud fuit *affirmativum* et fuit *iuris naturalis*. Sed attendendum, quod ius naturale quaedam dictat *simpliciter*, quaedam *secundum* (Duplex dictamen iuris naturalis.) *tempus: simpliciter*, ut Deum amandum; *secundum tempus*, ut omnia esse communia[3]. Dico igitur, quod praeceptum de usu matrimonii fuit *naturale secundo modo*, quia, quamdiu pauci erant, dictabat ius naturale, quod multiplicanda esset proles ad cultum Dei. Sed cessante isto statu, cessavit praece- Conclusio 2. ptum; et ideo secunda institutio tempore legis gratiae habuit indulgentiam, non praeceptum[4].

Solutio oppositorum.

1. Et ex hoc patet primo obiectum.

2. Ad secundum dicendum, quod nec tempore legis naturae institutae nec etiam corruptae in statu *primo* perfectius fuit continere quam nubere: primo quidem, quia non erat ibi pruritus nec turpitudo aliqua; secundo vero, quia erat obedientiae meritum; unde caelibatus Ioannis non praefertur coniugio Abrahae[5].

3. Ad illud quod obiicitur de Abel, dicendum, quod illud erat praeceptum affirmativum, et ideo non obligabat *ad semper*, sed *pro loco et tempore;* et ideo non peccavit, quia nondum senuerat.

4. Ad illud quod obiicitur de libertate consensus, dicendum, quod sicut praeceptum non aufert *motum caritatis,* qui motus maxime gratuitus et liberalis est; sic non aufert *libertatem consensus* nec diminuit[6]. *Praeterea,* quamvis Dominus praeciperet contractionem matrimonii cum aliqua, tamen, utrum cum hac quis contraheret, vel cum alia, reliquit in mera libertate contrahentis[7].

ARTICULUS II.

De matrimonii integritate.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de matrimonii integritate, et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur de integritate quantum ad significationem.

Secundo, quantum ad causalitatem.

Tertio, quantum ad utrumque.

QUAESTIO I.

Quid sit in matrimonio signum, et quid signatum.

Quaeritur igitur primo, quid sit in Sacramento matrimonii *signum*, et quid *signatum.*

De 1. quaestione. Ad oppositum.

1. Et cum *signum* in Sacramentis sit *elementum,* sicut dicit Hugo[8], quod « Sacramentum est elementum etc. ex similitudine repraesentans »; et cum hic nullum sit elementum, non videtur habere significationem Sacramenti. *Si dicas* mihi, quod *vir et mulier* se habent in ratione elementi; *contra:*

---

[1] Quod continetur Gen. 2, 17: De ligno autem scientiae boni et mali ne comedas. Hoc praeceptum vocatur ab Hug. a S. Vict., I. de Sacram. p. VI. c. 29, praeceptum *disciplinae* (cfr. II. Sent. d. 20. dub. 7.), pro quo edd. bis *positivi* substituunt.

[2] Vers. 35. Cfr. supra pag. 184, nota 8, August., Enarrat. in Ps. 142. n. 3, et XV. de Civ. Dei, c. 1. n. 2.

[3] Secundum Isidor., V. Etymolog. c. 4, ad ius naturale pertinet « communis omnium possessio »; quae sententia ab Alex. Hal., S. p. III. q. 27. m. 4. a. 1. § 1. et a. 3. § 4, ita explicatur, quod omnia communia sint tempore status *naturae bene institutae*, non *naturae lapsae nisi in casu necessitatis.* Cfr. *Glossa* in C. *Ius naturale* (7.), d. 1.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 3.

[5] Respiciuntur verba August. infra lit. Magistri, d. XXXIII. c. 2, allata. — Cod. K addit: *in secundo statu est e converso propter contrarias causas.* Superius pro *turpitudo* cod. F *libido.*

[6] Ita codd. F G L O (bb a secunda manu), alii codd. et edd. *dirimit.* Subinde pro *Praeterea* plures codd. *primo*, cod. K *quia*, edd. *ideo.*

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Libr. I. de Sacram. p. IX. c. 2. Cfr. supra pag. 13, nota 2. — Inferius post *nullum sit elementum* edd. addunt: *videtur, quod hic nullum sit Sacramentum, et si nullum Sacramentum.* In fine arg. pro *susceptivum* codd. M O *suscipientium*, et pro *non ergo ut* permulti codd. perperam *omnino ergo ut*, codd. I K legunt: *omnino ergo erit infiguratirum.*

differt elementum ab eo qui suscipit Sacramentum: ergo si viri et mulieris est Sacramentum illud ut *susceptivum*, non ergo ut *figurativum*.

2. Item, sicut appropinquavit tempus veritatis, debuerunt signa Sacramentorum evidentiora esse [1]: cum ergo vir et mulier fuerint semper materia huius Sacramenti, videtur, quod in nova lege non sunt materia sive elementum. — *Si dicas*, quod *verbum*, quo exprimitur consensus, est elementum; *contra* hoc est, quod istud semper fuit opportunum. — *Si dicas*, quod addita est *benedictio* anuli et nuptiarum; hoc nihil est, quia haec non sunt de substantia Sacramenti.

Item quaero, quid sit *signatum* in hoc Sacramento; et videtur Apostolus dicere ad Ephesios quinto [2], quod *coniunctio Christi et Ecclesiae*, ubi ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

De 2. quaestione.

3. Sed si homo non peccasset, Christus incarnatus non esset, secundum communiorem et probabiliorem opinionem [3]; et nihilominus magnum fuisset Sacramentum: ergo non tantum coniunctio Christi et Ecclesiae est signatum.

Ad oppositum.

4. Item, si significat *coniunctionem fidelis animae* cum Deo; sed haec est separabilis et solubilis: ergo et matrimonium. Si *utrumque;* tunc ergo, cum duplex sit coniunctio, et una sine alia, videtur ergo, quod istud Sacramentum non sit unum, sed plura.

5. Item, cum in aliis Sacramentis sit aliquid, quod est *res tantum*, aliquid, quod est *signum tantum*, aliquid, quod est *res et signum* [4]*;* quaero, utrum illud sit in hoc; et si est, quaero, quid sit illud. *Si dicas*, quod *consensus exterior* est signum, *interior* res et signum, *unio* Christi et Ecclesiae res tantum; *obiicitur:* quia, sicut ordinantur secundum causalitatem, sic ordinantur secundum significationem: ergo si primum non est causa secundi, sed magis e converso: patet etc.

CONCLUSIO.

In matrimonio signum *principale est verbum, vel nutus exprimens consensum et ut annexum copula carnalis;* signatum *vero principale est duplex coniunctio Christi et Ecclesiae.*

Respondeo: Dicendum, quod sicut in aliis Sacramentis aliquid est, quod est *res tantum*, aliquid, quod est *signum tantum*, aliquid, quod est *res et signum;* sic et in matrimonio. Et hoc est in omnibus Sacramentis generale, differt tamen in modo comparandi, et hoc, quia quaedam Sacramenta sunt *totaliter* ab institutione, quaedam sunt *partim* a naturae dictamine, *partim* ab institutione. Illa sunt totaliter ab institutione, quorum usus respicit ea quae sunt fidei pure, ut baptismus et eucharistia; et ista habent signa significantia secundum *institutionem interius* et *exterius;* et ideo talia habent elementa convenientia, instituta et exterius adhibita; et in talibus verum est, quod signa ista evidentiora fiunt secundum appropinquationem veritatis; et in talibus verum est, quod primum signum est *causa* secundi, et secundum quodam modo *causa* tertii, ut patet in baptismo [5]. — Sunt et alia, quae quodam modo ab *instinctu naturae* sunt — ut *matrimonium*, in quo est maris et feminae coniunctio; et *poenitentia*, in qua est offensae emendatio — partim *a fide*, scilicet quod illa coniunctio *significet* coniunctionem Dei et animae, et illa emendatio faciat reconciliationem Dei cum anima. Et talia quidem suam *primam institutionem* habuerunt in paradiso, matrimonium autem magis. Et quia quodam modo sunt *a natura;* et *in statu naturae* non debebat homo subdi elemento [6]: ideo non fiunt in *elemento extra sensibili;* habent tamen *exterius signum*, quod quidem significat interiorem coniunctionem per naturam suae *significationis*, sicut *verbum*, vel *nutus*, et aliud *additum*, quod significat *naturaliter* consensum interiorem animorum, scilicet copula carnalis; secundum quod significat con iunctionem Christi et Ecclesiae, vel Dei et animae, et hoc est secundum *fidem et institutionem.* Est enim *habile per naturam* et *significat per institutionem*, quia unus est mas et significat Christum, alius autem femina et significat animam [7].

Notandum.

Duplex genus Sacramentorum.

De primo.

De secundo.

Et ex hoc patet responsio ad primum, quid sit hic *signum*, quia *primo* et principaliter est *verbum*, vel *nutus*, in quo exprimitur consensus; ut *annexum* est distinctio sexuum.

Conclusio 1.

1. 2. Patet etiam, quare non habet *elementum*, sicut alia Sacramenta. — Patet etiam, quare signum non *crevit in evidentia*, quia non erat *omnino secundum institutionem;* ideo immutabile est quantum ad *ipsum significans*, augmentum tamen est in *evidentia significandi*, quia certius nunc scitur, quid significat matrimonium, quam ante sciretur.

Solutio oppositorum.

Notandum.

---

[1] Cod. aa addit: *sicut dicit Hugo*, cuius verba habentur supra d. 2. a. 1. q. 2. fundam. 1. Edd.: *Item, sicut in nova lege appropinquavit veritas, ita novae legis tempore, scilicet veritatis, debuerunt... evidentia esse.* — [2] Vers. 32.

[3] Vide III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2.

[4] Cfr. supra d. 22. a. 2. q. 2. et d. 23. a. 1. q. 1.

[5] Vide supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1. De eucharistia cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1.

[6] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 5, et Comment. p. I. q. 1. — De institutione *poenitentiae* vide supra d. 22. a. 2. q. 1, et *matrimonii*, hic a. 1. q. 1. seq. — Codd. R X *instinctu naturae* pro *in statu naturae* (Vat. addit *institutae*). Superius post *magis* sola Vat. addit *aperte.* Inferius pro *vel nutus* plurimi codd. et ed. 1 perperam *vel virtus* (idem recurrit aliquanto inferius), et pro *aliud additum* pauci codd. et ed. 1 *illud additum*, cod. G *aliquid additum*, Vat. *illud additur.*

[7] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — De habilitate per naturam etc. cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. — Paulo superius pro *quia unus* plures codd. vel *quia, sicut unus*, vel *sicut, quia unus*, codd. E Y *quia sicut quod unus*, codd. I K *quia autem unus.* Subinde pro *alius* [homo] *autem femina* codd. F G L *alius est femina.*

Ad illud quod quaeritur, quid sit ibi *signatum;* dicendum, quod unum est signatum *principale,* scilicet coniunctio Christi et Ecclesiae; et quia ista coniunctio est dupliciter, scilicet per *caritatem* et per *naturae conformitatem,* dupliciter in hoc Sacramento significatur: prima per consensum animorum, secunda per commixtionem sexuum [1].

Conclusio 2.

3. Ad illud quod obiicitur, si homo non esset lapsus etc.; dicendum, quod adhuc significasset unionem Christi sive Dei cum Ecclesia, licet non ita expresse, et coniunctionem cum fideli anima; sed tamen Dominus praeviderat, ita futurum esse: et ideo sic instituerat. Si tamen homo non peccasset, Sacramentum a significatione vacuum non esset [2].

Solutio oppositorum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod primum non est causa secundi; dicendum, quod ubi est significatio secundum *institutionem,* primum potest esse causa secundi; sed ubi per *naturam,* secundum, quod est *interius,* est *causa exterioris,* quia *effectus exterior signum* est *causae interioris,* ut verbum consentiendi interioris consensus est signum, sicut in poenitentia visum est [3].

Notandum.

SCHOLION.

I. De 1. quaestione cfr. infra d. 27. a. 1. q. 1, a. 2. q. 1. Eandem doctrinam alii Scholastici profitentur in quaestione, utrum matrimonium sit Sacramentum.

De eadem quaestione: Scot., hic q. unica n. 14. — S. Thom., hic q. 2. a. 1; Suppl. q. 42. a. 1. — B. Albert., de hac et seqq. qq. hic a. 14. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 3; Diony. Carth., hic q. 2.

II. Quoad 2. quaestionem dicit Durand. (loc. cit.), quod aliter opinentur theologi, aliter iuristae, quibus tribuit opinionem 1. hic relatam, quod scilicet matrimonium *non conferat gratiam;* et quod hic defectus sit ratio, quare in pacto eiusdem intervenire possit pecunia (cfr. solut. ad 4.). Pro hac falsa opinione ille citat « Gaufredum in sua Summa tit. de Sacramentis non iterandis » et « Ostiensem in Summa » (eodem tit.). Auctoritate nixus canonistarum, quorum aliqui fuerint cardinales vel praelati, « quorum est specialiter scire, quid Ecclesia Romana praedicat et observat », Durand., refragantibus aliis Scholasticis, illam opinionem tenet tanquam *veram.* Sed a Concilio Trident. (Sess. XXIV. can. 1.) ut haeretici reprobantur qui dicunt, « matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, *neque gratiam conferre* ». — A S. Thoma et Petro a Tar. affertur etiam alia opinio, quae ipsi matrimonio novae legis illum tantum effectum tribuit, quem S. Bonav. matrimoniis ante Christum vindicat, scilicet quod *declinet a malo,* excusando actum coniugalem.

De 2. quaestione: Scot., loc. cit. n. 11. 15. — S. Thom., hic q. 2. a. 3; Suppl. q. 42. a. 3.; S. c. Gent. IV. c. 78. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

III. Conclusio quaestionis 3. a theologis auctori coaevis communiter approbantur. Magister tamen (hic c. 6.) refert aliam opinionem, ortam ex quibusdam locis Patrum vel depravatis, vel male intellectis, ut pag. 660, nota 3. observatum est. Eadem opinio singularis iterum nuper invenit quendam defensorem. Cfr. infra d. 27. dub. 5.

De eadem: Scot., in utroque Scripto infra d. 30. q. 2. — S. Thom., locc. citt. a. 4; Suppl. a. 4. — B. Albert., hic a. 15. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Quid sit in hoc Sacramento causans, et quid causatum.

Secundo quaeritur, quid sit in hoc Sacramento causans, et quid causatum. Et quod *aliquid efficiat,* probatur:

1. Quia, ut dicit Augustinus, et habetur in littera [4], quod « sanis erat ad *officium* aegris est ad *remedium* »; sed quod nullam habet efficaciam non praestat *remedium:* ergo si matrimonium praestat remedium, aliquid efficit.

Fundamenta.

2. Item, si est Sacramentum novae legis: ergo efficit quod figurat [5].

3. Item, matrimonium *est magnum Sacramentum* [6] in nova lege, ergo non tantum repraesentationem, sed etiam institutionem et sanctificationem continet; sed Sacramentum sanctificans donat gratiam: ergo etc.

4. Item, sicut Sacramentum *repraesentat* ex similitudine, ita *figurat* ex institutione, et ita *sanctificat* ex benedictione; sed in nova lege est benedictio nuptiarum [7]: ergo videtur, quod sit sanctificatio: sic etc.

---

[1] Ut insinuatur hic in lit. Magistri, c. 6.

[2] Explicatur III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2. ad 8. — Superius pro *licet non ita expresse, et,* quod praebet cod. I, alii codd. et edd. perperam *licet non expresse* (secunda manus in cod. E bene sensum exprimit addendo *quia,* in cod. bb *sicut*).

[3] Dist. 22. a. 2. q. 2. — Post *consentiendi* edd. addunt *exterius,* cod. Z *exterioris.* Superius verbis *secundum, quod* codd. F L W interserunt *et.*

[4] Hic c. 2, ex August., IX. de Gen. ad lit. c. 7. n. 12. — Superius post *Et quod* Vat. supplet *hoc Sacramentum.*

[5] Vide supra d. 1. p. I. q. 5, et lit. Magistri, d. IV. c. 1. — Vat. ex hoc arg. et seq. unum facit, in hoc arg. omissis verbis *ergo efficit quod figurat,* et in seq. *Item... in nova lege.*

[6] Eph. 5, 32: Sacramentum hoc magnum est. — De hoc et seq. arg. conferantur verba Hug. a S. Vict. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 5. allegata.

[7] Saltem primarum; cfr. infra lit. Magistri, d. XLII. in fine, et Comment. a. 3. q. 1. seqq. — Pro *sic etc.* codd. I K *sicut in ceteris.*

Ad oppositum.

Contra: 1. Si Sacramentum aliquid efficit, efficit quod figurat; sed istud significat coniunctionem Christi et Ecclesiae[1], et hanc non efficit: ergo nec aliquid aliud.

2. Item, Sacramentum, quod dat gratiam et habet efficaciam, ab omnibus debet accipi, qui habent morbum; sed omnes habent morbum concupiscentiae: ergo omnes debent nubere. Sed bonum est homini non nubere[2]: ergo non dat gratiam.

3. Item, si dat gratiam; quaero: quam? Si coniungit animam Deo et desponsat, vel unit etiam membra ad invicem; cum animam fieri sponsam Christi, et membra uniri[3] sit effectus baptismi et eucharistiae, videtur, illud Sacramentum superfluere.

4. Item, Sacramentum, quod dat gratiam, si vendatur, vel sub pacto pecuniae accipiatur, facit intervenire simoniam: ergo qui aliquam duceret uxorem cum pacto pecuniae esset simoniacus; quod falsum est.

CONCLUSIO.

Matrimonium in nova lege non tantum praestat remedium, sed etiam aliquod donum gratiae.

Respondeo: Ad hoc voluerunt aliqui dicere, quod
Opinio 1. illud Sacramentum *nullam dat gratiam;* et quod dicitur, quod Sacramenta novae legis dant gratiam, dicunt intelligi de his quae in nova lege sunt instituta; nec est hoc Sacramentum remedium per *efficaciam,* sed per *indulgentiam.* Et inde est, quod concupiscentiam non minuit *simpliciter* sive secundum *habitum,* minuit tamen secundum *indulgentiam* et secundum *actum,* ut non urat, secundum quod dicitur primae ad Corinthios septimo[4], quod *melius est nubere quam uri.*

Alii dicunt, quod in Sacramento matrimonii *da-*
Opinio 2. *tur gratia* digne et devote suscipientibus ratione *benedictionis superadditae;* Deus enim eis benedicit
Non probatur. ad benedictionem sacerdotis. — Sed haec positio non videtur valere, quia illa benedictio est *sacramentalis;* et si *sacramentale* efficit, quanto magis *Sacramentum!*

Et ideo tertio modo dicendum, quod suscipien-
Opinio 3. et conclusio 1. tibus hoc Sacramentum detur *remedium,* quantum est de ratione Sacramenti, quod excusat coitum et facit, illud esse veniale, sive non esse peccatum, quod alias esset peccatum[5]; et hoc potest esse sine dono gratiae, et habuit hoc illud Sacramentum *statim post lapsum.* Sed *nunc* tempore legis novae (Conclusio 2.) non tantum praestat illud *remedium,* sed etiam aliquod *gratiae donum* digne suscipientibus, utpote his qui ex caritatis consensu uniuntur ad procreandum prolem ad divinum cultum.

Ratio. Ratione enim expressionis consensus in individuam consuetudinem vitae[6], et ratione benedictionis Ecclesiae, cuius est Sacramenta debite tractare, sublevatur anima a corruptione concupiscentiae inordinata, et datur gratia ad copulam *singularem* et ad copulam *utilem* et ad copulam *inseparabilem.* Ex hac *gratia* fit *remedium* contra triplicem inor- (Effectus gratiae ad remedium et ad bona. Primum remedium.) dinationem concupiscentiae, et nascitur *triplex bonum* matrimonii. Concupiscentia enim inclinat ad *multas,* quia luxuriosus non est una contentus; et in matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit coniungi, et ita pronitas ad multas excluditur per copulam *singularem.* — Concupiscentia etiam (Secundum.) inclinat ad *delectationem,* non ad utilitatem, quia luxuriosus non quaerit nisi satisfacere appetitui; et in matrimonio datur gratia, ut non cognoscat uxorem nisi propter prolem, et ita excluditur[7] per copulam *utilem.* — Item, concupiscentia *fastidium* (Tertium.) *generat* post impletionem; unde luxuriosus, postquam cognovit unam, illam respuit et vadit ad aliam; in matrimonio vero datur gratia, ut semper velit esse cum una, et ita excluditur[8] per copulam *inseparabilem.* — Ex copula *singulari* oritur bo- (Bona tria.) num *fidei,* ut ad aliam non accedat; ex copula *utili* bonum *prolis;* ex copula *inseparabili* bonum *Sacramenti.*

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quomodo effi- (Solutio oppositorum.) cit quod figurat; dicendum, quod figurat coniunctionem *animorum* primo et hanc efficit, non *primo* (Notandum.) uniendo, sed *magis,* sicut confessio contritionem; et hoc iterum quodam modo efficit coniunctionem *cum Deo;* quia, si membrum membro magis unitur, per consequens etiam magis unitur Christo. Sed in eucharistia[9], dum membra magis uniuntur *Christo,* et per consequens magis uniuntur ad invicem, unde Christo incorporantur; et sic patet differentia.

2. Ad illud quod obiicitur, quod tunc omnes deberent accipere uxores; dicendum, quod in *ma-* (Notandum.) *trimonio* datur gratia ad *remedium,* sed in *voto*

---

[1] Ut ostensum est quaest. praeced.

[2] Cfr. Matth. 19, 10; I. Cor. 7, 8. et 26.

[3] Codd. I K *iungi,* non pauci codd. *unita,* nonnulli et edd. *unire.*

[4] Vers. 9. — Mox voci *digne* plures codd. praemittunt *in.*

[5] Cod. U addit *mortale.* Superius pro *et facit, illud* codd. F L W *faciens illud.* Aliquanto inferius vocibus *digne* et *his* permulti codd. praefigunt *in.*

[6] Respicitur definitio matrimonii infra in lit. Magistri, d. XXVII. c. 2, posita et in Comment. ibid. dub. 1. explicata. — Pro *in individuam* codd. R S T *individuam habet* (plures alii codd. et ed. 1 omittunt etiam *in*).

[7] Supple: ista concupiscentia; cod. bb supplet *illa pronitas,* edd. *delectatio appetitivae,* cod. L legit *et ista excluditur.* Superius pro *satisfacere appetitui,* quod habent codd. F W bb, codd. I K *satisfactionem appetitus,* alii codd. *satisfactionem appetitui,* edd. *satisfactionem appetitivae seu appetitus sensitivi.*

[8] Edd. supplent *variarum concupiscentia.* — De triplici bono matrimonio cfr. infra lit. Magistri, d. XXXI. c. 1, et Comment. a. 1. q. 2.

[9] Cod. K (I a secunda manu) addit *est e converso, quia* (cfr. supra d. 8. p. II. a. 2. q. 1. ad 5. 6.). Vat. *sicut in eucharistia.* Eadem Vat. cum ed. 1 superius post *sed magis* addit *augendo.*

disponitur anima, ut gratia detur ad *perfectius remedium*. Unde quia perfectius minus perfecto est praeponendum, ideo non omnes debent nubere, sed melius faciunt qui vovent continentiam. Sed quia *non omnes capiunt verbum istud*[1], ideo utrumque est necessarium, et remedium *voti et religionis* et remedium *matrimonialis coniunctionis*.

Notandum. 3. Ad aliud patet responsio; quoniam in hoc Sacramento non *fit* desponsatio, sed *figuratur* ipsa desponsatio, quae est Dei ad animam; sed desponsatio, quae *fit et figuratur*, est desponsatio viri et mulieris; ubi per consequens datur aliqua gratia ad efficaciorem desponsationem et unionem ipsius animae[2]; hoc tamen est ex consequenti.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo de simonia, dicendum, quod matrimonium accipit rationem spiritualitatis et gratiae, quando consensus iungitur benedictioni, ubi explicatur *significatio*, et obtinetur per benedictionem *sanctificatio;* et ideo in benedictione sacerdotali consistit ratio *spiritualis* praecipue. Nam matrimonium habet aliquid de *contractu voluntario* et *annexum temporale* ut temporale. Et ideo, si quis *venderet benedictionem*, esset *simoniacus*[3]; qui autem *consentit finaliter propter pecuniam*, quamvis peccet, non tamen iudicatur *simoniacus*, maxime quia ipse non est Sacramenti dispensator. — Et *praeterea*, multa temporalia sunt adiuncta, ut mutua educatio et filiorum enutritio et alia plura, et ideo licet dotes accipere; et si quis cum pactione magnae dotis consentiat, simoniacus non est[4] — istud Sacramentum, etsi aliquo modo cum aliis conveniat in praestando *remedium*, habet tamen *carnale officium coniunctum*, ratione *cuius* in pactione non cadit vitium simoniacum, etiam si *alias* detur — cadit tamen in peccatum, quia contra gratiam disponitur. — Haec autem potuit esse ratio, quae movit illos qui dixerunt, gratiam in hoc non dari. Sed qui recte vult respicere et iudicare, necesse habet *pretiosum a vili separare*[5], ratione quorum diversa huic Sacramento contingit attribuere; et sacri canones hoc innuunt, in quibus ab antiquo statutum fuit, ut vir cum uxore in primo die benedictionis carnaliter non conveniret ob reverentiam illius benedictionis Ecclesiae, quae, etsi videatur annexa Sacramento, utique fit in quantum *signum;* in quantum tamen habet *efficaciam* et est ecclesiasticum, spectat ad eius *esse* completum. Et sic patet totum[6].

Notandum. (marg.) — De 1. opinione, quae est falsa. (marg.)

QUAESTIO III.

Utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii quoad significationem et efficaciam.

Tertio quaeritur, utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii quantum ad *significationem* et *efficaciam*. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa. 1. Quia in institutione matrimonii dicitur[7]: *Erunt duo in carne una*, et Dominus ipse repetit Matthaei decimo nono; sed hoc non est ante commixtionem: ergo commixtio est de integritate.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera[8]: « Non dubium est, illam mulierem ad coniugium non pertinere, cum qua docetur commixtio sexuum non fuisse ».

3. Item, *ratione* videtur: quia coniugium est *signum* coniunctionis Christi et Ecclesiae in conformitate naturae[9]; sed hoc solum est in commixtione: ergo etc.

4. Item, matrimonium est institutum in *remedium* concupiscentiae; sed hoc remedium habetur ab his solum, qui matrimonio[10] sunt coniuncti: ergo hoc remedium non est per continentiam, sed per commixtionem, quia aliter non esset magis remedium nubere quam non nubere.

Contra: Quod non sit de integritate quantum ad *significationem*, videtur:

Pro parte negativa. 1. Quia perfectum matrimonium fuit inter Adam et Evam ante cognitionem carnalem, et ante dixit[11]: *Hoc nunc os*, quam eam cognosceret: ergo commixtio non est de integritate.

2. Item, perfectum matrimonium fuit inter Mariam et Ioseph, quia fuit ibi bonum prolis, fidei et Sacramenti; et sine commixtione[12]: ergo etc.

---

[1] Matth. 19, 11. — Plurimi codd. et ed. 1 omittunt *istud*. Mox pro *necessarium* Vat. *congruum vel bonum*. Superius post *sed in voto* codd. F bb supplent *continentiae*. Subinde pro *ut gratia detur* cod. F *ut gratiam habeat*, plures codd. *ut gratia*, cod. L *ut*, edd. *per gratiam*.

[2] A cod. U suppletur *cum Deo*.

[3] Cfr. C. *Cum in Ecclesiae* (9.) et (42.), X. de Simonia etc. (lib. V. tit. 3.).

[4] Vide C. *De illis* (3.), X. de Conditionibus appositis in desponsatione etc. (lib. IV. tit. 5.), ex quo elicitur, quod non est illicitum apponere conditionem pecuniae in matrimonio contrahendo. — Non pauci codd. hic prosequuntur *unde istud*, edd. *quia id*, quae etiam inferius pro *alias* [codd. E R addunt *gratia*] *detur* substituunt *aliquid detur* et *desponsatur* pro *disponitur*.

[5] Ier. 15, 19. Verba habentur supra pag. 473, nota 7. — In seqq. respicitur C. *Sponsus et sponsa* (5.), C. 30. q. 5. — Pro *respicere* cod. R *inspicere*. Mox pro *huic* edd. *habuit*. Inferius pro *efficaciam* cod. R *gratiam*.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5.

[8] Hic c. 6.

[9] Ut insinuat Magister, hic in lit. c. 6; cfr. ibi nota 3. — Post *commixtione* cod. M supplet *carnali*.

[10] Codd. F L *qui in matrimonio*.

[11] Gen. 2, 23.

[12] Vide infra lit. Magistri, d. XXX. c. 2.

Item, quod non sit de integritate in ratione *remedii,* videtur:

3. Quia Augustinus[1] dicit, quod «sanctior est copula mentium quam corporalis»: ergo maior datur ibi efficacia contra concupiscentiam in unione mentali quam carnali.

4. Item, in actu illo efficitur homo totus caro: ergo *per oppositum,* cum gratia, quae est remedium contra concupiscentiam, faciat spiritualem, nunquam datur in illo actu.

5. Item, in actu illo satisfit concupiscentiae; sed dum satisfit ei, ipsa intenditur; sed quod intendit concupiscentiam non est remedium, immo venenum: ergo carnalis commixtio non prodest, immo obest ad remedium matrimonii.

CONCLUSIO.

Copula carnalis non est de integritate matrimonii quoad esse necessitatis, sed solum quoad esse completionis.

Respondeo: Dicendum, quod *integritas* rei dupliciter accipitur, videlicet quantum ad *esse necessitatis,* vel quantum ad *esse completionis* sive plenitudinis. Si loquamur quantum ad *esse necessitatis,* verum est, quod Sacramentum matrimonii esse habet sine commixtione carnis; si autem quantum ad *esse plenitudinis,* sic est de eius integritate. Et sic procedunt rationes ad partes oppositas.

Distinctio. Conclusio.

Et hoc patet sic. In matrimonio enim considerantur haec tria, scilicet *signum, officium, remedium.* Quantum ad *significationem,* dicendum, quod duplex est eius significatio: significat enim coniunctionem Christi et Ecclesiae per *caritatem* et coniunctionem per *naturae conformitatem*[2]. — Similiter duplex est *officium:* unum est *mutuae educationis* et fomenti, et aliud *procreandae prolis.* — Similiter duplex est *remedium:* unum est quantum ad *concupiscentiae defluxionem,* ut scilicet non in omnem mulierem intendat; aliud quantum ad *inordinationem,* ut scilicet non libidine, sed amore prolis procreandae[3] sive matrimoniali affectu mulierem cognoscat.

Explicatur. Duplex significatio, officium et remedium.

Primum igitur *signatum* et primum *officium* et primum *remedium* sunt in Sacramento matrimonii quantum ad coniunctionem *animorum,* secundum autem solum quantum ad *coniunctionem corporum.* Et primum est de substantia matrimonii quantum ad *esse necessarium;* secundum quantum ad *esse plenum.* Applicatio.

Et sic patet responsio ad utramque partem, distinguendo perfectionem duplicem sive duplicem integritatem *sufficientiae* et *plenitudinis.* Et secundum hoc distinguunt iuristae[4] matrimonium, scilicet matrimonium *ratum* et matrimonium *consummatum.* Ad argg. Distinctio matrimonii.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod gratia non datur in illo actu, ergo non est remedium contra peccatum; dicendum, quod remedium aliquod contra peccatum est dupliciter: aut quia liberat a peccato *commisso,* et hoc est per gratiam, quae in eo confertur; quoddam, quod liberat a peccato, quod *committeretur alias,* et tale remedium est matrimonium, quia multi infirmi urerentur concupiscentia, nisi haberent uxorem, quam cognoscendo carnis adustionem evadunt; et in tali quantum ad *usum* non est necesse gratiam dari, quamvis in actu illo possit homo mereri, sicut habebitur infra[5]. Ad arg. 4. pro parte negativa. Distinctio.

Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod non est in remedium, immo contra, quia intendit concupiscentiam in satisfaciendo ei; dicendum, quod qui cognoscit uxorem *debite* concupiscentiae non satisfacit, sed potius obviat, ne uratur; et ideo non intenditur, sed remittitur in eo fervor libidinis. Sed qui cognoscit, ut *delectetur,* non cognoscit matrimonialiter; et talis non habet remedium, immo praestat concupiscentiae fomentum[6]. Ad arg. 5.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de situ huius partis. Videtur enim, quod Sacramentum matrimonii deberet primo situari sive primo de eo tractari. Primum quidem, quia *prius est quod animale, deinde quod spirituale*[7]; sed matrimonium respicit statum animalem,

---

[1] Sententia haec colligitur ex Epist. 262. (alias 199.) n. 4, et ex I. de Nuptiis et concupisc. c. 11. n. 12, ex quibus Magister, infra d. XXX. c. 2, quaedam affert. Magis convenit Ambros., VI. Eposit. in Luc. 8, 21. n. 36: Religiosiores copulae mentium docentur esse quam corporum. — Pro *corporalis* cod. E *corporum.*

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — Cod. K *coniunctionem etiam divinae naturae et humanae, quae est per naturae conformitatem.* Post *et coniunctionem* edd. addunt *eorundem.*

[3] Ita codd. S T X, codd. I K *creandae,* alii vel *creat,* vel *coeat,* edd. cum aliquot codd. omittunt *procreandae* et subinde pro *sive* substituunt *nec sine* (quod etiam plures alii codd. exhibent).

[4] Cfr. verba, quae Gratian. C. *Cum initiatur* (35.), C. 27. q. 2, praemittit, et C. *Institutum est* (39.), ibid., subiungit, ubi distinguitur triplex matrimonium, scil. *initiatum, ratum* et *consummatum* (vide infra d. 27. dub. 5.).

[5] Dub. 3; cfr. d. 31. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. seq., d. 32. a. 1. q. 1. ad 3. Cfr. etiam quaest. praeced.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Epist. I. Cor. 15, 46: Sed non prius quod spiritale est, sed quod animale etc.

alia spiritualem: ergo etc. — Item, matrimonium est primo inter omnia institutum: ergo primo debuit de eo determinari.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum est[1], Sacramenta non ordinantur secundum *statum perfectionis*, vel *imperfectionis*, nec secundum *tempus institutionis;* sed ordinantur secundum *comparationem* ad statum hominis indigentis his Sacramentis. Et quoniam quinque prima Sacramenta respiciunt indigentiam *in se*[2] principaliter, sed duo ultima sunt *ad alterum*, scilicet ordo et coniugium; coniugium inter cetera minus habet de proprietate Sacramentorum novae legis et minus de perfectione, cum nunc temporis sit indulgentia[3]: ideo recte post alia determinatur de ipso. Et sic patet responsio ad obiecta.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sub praecepto dictum est hominibus: Crescite et multiplicamini* etc. Cum illud idem dictum sit bestiis[4], quae non sunt rationis capaces, quomodo tale praeceptum potuit dari?

Respondeo: Dicendum, quod homini fuit et *benedictio*, et *praeceptum* et[5] *morale* et *sacramentale: benedictio* ratione potentiae in generando, sed *praeceptum* ratione capacitatis in ratiocinando, sed *praeceptum sacramentale* ratione coniunctionis indivisibilis in significando. Ex hoc patet, quod bestiis solum fuit *benedictio* illud verbum, quia non sunt rationis capaces; patet etiam, quod non fuit *sacramentale* nisi ratione institutionis matrimonii in coniunctione Adam et Evae, quae postmodum est secuta[6]. Notandum.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *De minoribus bonis est coniugium, quod non meretur palmam.* Videtur enim falsum, quia omne quod fit ex caritate, meretur palmam; sed aliquis potest ex caritate contrahere et uxorem cognoscere: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod illud verbum aut intelligitur solum, quando quis utitur coniugio ad *vitandam fornificationem*, aut intelligitur de *palma*, secundum quod dicit quandam *superexcellentiam* ad meritum quantum ad *aureolam*, sive quantum ad *fructum sexagesimum*[7].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *De minoribus malis, id est venialibus, est coitus, qui fit causa incontinentiae.* Videtur enim falsum dicere: quia incontinentia est peccatum mortale: ergo et concubitus, qui fit propter incontinentiam, est mortale peccatum.

Respondeo: Dicendum, quod concubitum fieri causa incontinentiae dupliciter potest intelligi: aut ut incontinentia[8] intelligatur ut *aspernanda*, aut ita ut intelligatur ut *assequenda* sive prosequenda; et primo modo intelligit Magister, secundo modo opponit. — Utrum autem sit peccatum in eo qui sic coire intendit, infra[9] melius patebit. Notandum.

DISTINCTIO XXVII.

Cap. I.

Quae sint consideranda in coniugio.

Post hoc advertendum est, *quid* sit coniugium, et quae sit *efficiens causa* coniugii, et causa, *propter quam* contrahi debeat, et quae sint *bona coniugii*, et quomodo per ea *excusetur coitus* carnalis, et quae sint *legitimae personae* ad matrimonium. Sunt et alia plura in matrimonio consideranda, quae sub compendio perstringemus.

Cap. II.

Quid sit coniugium.

«Sunt igitur nuptiae vel matrimonium viri mulierisque coniunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens[1]». «Ad individuam consuetudinem pertinet, quod absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare»; et quod inter eos, dum vivunt, vinculum coniugale permanet, ut alii se copulare non li- Dubium 1. Canon.

---

[1] Dist. 2. dub. 1, d. 8. p. I. dub. 1, d. 23. dub. 1. et d. 24. p. I. dub. 1.

[2] Codd. U X *hominis in se.*

[3] Cfr. supra a. 1. q. 3. — Idem dub. solvit S. Thom., hic circa lit.

[4] Gen. 1, 22.

[5] Cod. F G repetunt *praeceptum.*

[6] Cfr. supra a. 1. q. 2. seq. et a. 2. q. 1.

[7] Respicitur Matth. 13, 8: Alia [semina] autem ceciderunt in terram bonam et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Cfr. infra d. 33. a. 2. q. 3, ubi agitur tam de aureola quam de hoc triplici fructu. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard., hic circa lit.

[8] Ita codd. O U X. Immediate post codd. F G L N W Y aa praebent verbum *intelligatur*, et subinde codd. N Q Y *ita ut intelligatur.* Alii codd. communiter et edd. legunt: *aut ut continentia intendatur ut aspernenda, sive prosequenda* [edd. cum aliquot codd. *aspernenda, aut quod intendatur (intelligatur) ut assequenda sive prosequenda*], lectio falsa, ut patet ex contextu.

[9] Dist. 31. a. 2. q. 2. seq.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cfr. Gratian., introductio in C. 27. q. 2. Seq. locus C. *Beata Maria* (3.), ibid. § 1, ubi edd., excepta 1, et cod. C addunt *vitae* post *consuetudinem*, refragante etiam canone.

ceat; et ut invicem alter alteri exhibeat quod quisque sibi. Hac autem descriptione legitimorum et fidelium tantum matrimonium includitur.

Cap. III.

De consensu, qui efficit coniugium.

Efficiens autem *causa* matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus, nec de futuro, sed de praesenti. Si enim consentiunt in futurum, dicentes: accipiam te in virum, et ego te in uxorem; non est iste consensus efficax matrimonii. Item, si consentiant *mente* et non exprimant *verbis* vel aliis *certis signis;* nec talis consensus efficit matrimonium. Si
Dubium 2. autem verbis explicant quod tamen corde non volunt; si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum, quibus consentiunt dicentes: accipio te in virum, et ego te in uxorem, matrimonium facit.

Quod autem consensus matrimonium faciat, sub-
Isidorus. ditis probatur testimoniis. Ait enim Isidorus[1]: «Con-
Nicolaus. sensus facit matrimonium». Item Nicolaus Papa: «Sufficiat solus secundum leges eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur; qui solus, si forte in nuptiis defuerit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata
Chrysostomus. frustrantur». Item Ioannes Chrysostomus: «Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas; et ideo
Ambrosius. non solvit illud separatio corporis». Item Ambrosius: «Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis». — Ex his apparet, quod consensus, id est pactio coniugalis, matrimonium facit; et ex tunc coniugium est, etiam si non praecesserit vel secuta sit copula carnalis.

Cap. IV.

Quando incipit esse coniugium.

Quod enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio coniugalis exprimitur, *coniuges* sint, Sanctorum testi-
Ambrosius. monia probant. Ait enim Ambrosius[2]: «Cum initiatur coniugium, coniugii nomen adsciscitur; cum coniungitur viro, coniugium est, non cum viri admixtione co-
Isidorus. gnoscitur». Item Isidorus: «*Coniuges* verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter
Augustinus. eos ignoretur coniugalis concubitus». Item Augustinus: «*Coniux* vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognoverat nec fuerat cogniturus. Nec peierat nec mendax manserat *coniugii* appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio. Propter quod fidele coniugium ambo *parentes Christi* vocari meruerunt non solum illa mater, sed etiam ille *pater* eius, sicut *coniux* matris eius, utrumque mente, non carne». — Ex his evidenter insinuatur, quod ex tempore, quo intercedit consensus voluntarius ac maritalis, qui solus coniugium facit, veri coniuges sunt sponsus et sponsa.

Cap. V.

De opinione quorundam, qui dicunt, coniugium non esse ante carnalem copulam.

Quidam tamen asserunt, verum coniugium non contrahi ante traditionem et carnalem copulam, nec vere coniuges esse aliquos, antequam intercedat commixtio sexus; sed a prima fide desponsationis vir *sponsus*, et mulier *sponsa* est, non *coniux*. Sponsos autem et sponsas *coniuges* frequenter appellari dicunt, non quia *sint*, sed quia *futuri sunt*, cuius rei sponsionem invicem fecerunt. Et secundum hoc verba praemissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

Cap. VI.

Quod sponsa potest eligere monasterium sine sponsi consensu.

Quod vero inter *sponsam* et *coniugem* plurimum Differunt sponsa et coniux.
intersit, ex eo astruunt, quia licet *sponsae* ante carnalem copulam, inconsulto vel nolente *sponso*, monasterium eligere; quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. *Coniugatus* vero vel *coniugata* nec continentiam, nisi ex communi consensu, servare valet nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur. Quod vero liceat *sponsae* monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eu- Eusebius.
sebius Papa[3]: «Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, tamen licet sibi monasterium eligere». Item Gregorius: «Decreta legalia desponsa- Gregorius.
tam, si converti voluerit, nullo penitus censuerunt damno mulctari». «Refert etiam Hieronymus, quod Dubium 3. Hieronymus.
Macarius, inter Christi eremitas praecipuus, celebrato nuptiarum convivio, cum vespere thalamum esset in- Macharius.
gressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit et eremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter Alexius.
ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit et nudus Christo famulari coepit. — His auctoritatibus et exemplis liquet, licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, et e converso, continentiam profiteri».

Cap. VII.

Quod coniugatus sine coniugis consensu nequit profiteri continentiam.

Hoc autem coniugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitae propositum sumere sine uxoris consensu, et e converso. Unde Gregorius[4], scribens Gregorius.

---

[1] C. *Coniuges* (6.), ibid. sec. sensum, sed verbotenus apud Gratian., loc. cit. — Seq. locus Nicolai est C. *Sufficiat* (2.), ibid.; tertius Chrysost., in Matth. Opus imperfectum, hom. 32; C. *Omnis res* (4.), ibid.; quartus Ambros., de Institutione virgin. c. 6. n. 41; C. *Cum initiatur* (5.), ibid.

[2] Locis citt. — Seq. locus Isidor. est IX. Etymolog. c. 7. n. 9; cit. can. *Coniuges;* tertius August., I. de Nuptiis et concupisc. C. 11. n. 12; C. *Coniux vocatur* (9.), ibid. Verbum *utrumque* refertur ad nomen *pater* et *coniux*.

[3] Can. *Desponsatam* (27.), ibid. Seq. locus est Gregor., VII. Regest., indict. 15. epist. 23. (alias 20.) ad Fortunatum; C. *Decreta legalia* (28.), ibid. Tertius apud Gratian. super C. *Scripsit nobis* (26.), ibid. De re narrata nihil in Hieronymo.

[4] Loc. cit. XI. indict. 4. epist. 45. (alias 39.); C. *Sunt qui dicunt* (19.), ibid., ubi citatur I. Cor. 7, 4. Seq. locus est loc. cit. epist. 50. (alias 44.) ad Adrianum; C. *Agathosa latrix* (21.), ibid. — Pro *quoddam fornicationis* Gratian. et plurimae edd. *quondam*, refragante ed. Maurina operum Gregorii.

Theotistae patritiae: « Sunt qui dicunt, religionis gratia coniugia debere solvi. Verum sciendum est, quia, etsi hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos Sanctorum novimus cum suis coniugibus et prius continentem vitam duxisse et post ad sanctae Ecclesiae regimina migrasse. Si vero continentiam, quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam uxor appetit, vir recusat; coniugium dividi non potest, quia scriptum est: *Mulier potestatem suae carnis non habet, sed vir; similiter et vir potestatem sui corporis non*
Gregorius. *habet, sed mulier* ». Idem: « Agathosa, latrix praesentium, questa est, virum suum contra voluntatem suam in monasterium esse conversum. Quapropter experientiae tuae praecipimus, ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte eius voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc tua diligentia repererit; et illum in monasterio permanere provideat et hanc, sicut promisit, mutare compellat. Si vero nihil horum est, nec quoddam fornicationis crimen, propter quod licet uxorem dimittere, praedictam mulierem commisisse cognoveris; ne illius conversio uxori relictae in
Dubium 4. saeculo fieri possit perditionis occasio, volumus, ut maritum suum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere debeas, omni excusatione cessante; quia nisi fornicationis causa virum uxorem dimittere nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione coniugii viri et mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti et ex parte remanere in saeculo ». Item ex
Canon. octava synodo [1]: « Si quis coniugatus converti ad monasterium velit, non est recipiendus, nisi prius a coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Tales igitur tunc sine culpa sequuntur Christum, relicto saeculo, si habent ex pari voluntate castitatis consensum ». Item: « Si vir et uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia episcopi fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco. Nam uxore nolente, vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur ».

Cap. VIII.

De adulterinis coniugiis.

Item Augustinus [2]: « Si abstines sine uxoris vo-
Augustinus. luntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et peccatum illius tuae imputabitur abstinentiae ». Item Nicolaus
Nicolaus. Papa [3]: « Scripsit nobis Thietberga regina, regia se velle dignitate vel copula exui et sola vita privata esse contentam, desiderare. Cui scripsimus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir eius Lotharius elegerit ». — Ex his patet, quod *coniugati* sine communi consensu continentiam profiteri, vel habitum religionis sumere non valent; et si fecerint, revocari debent. *Sponsi* vero possunt sine communi consensu monasterium eligere; unde videtur inter sponsum et sponsam coniugium non esse. Ideoque asserunt, a prima fide desponsationis *coniuges* appellari, non re praesentium, sed spe futurorum, quia ex fide, quam ex desponsatione sibi invicem debent, postea efficiuntur coniuges. Praemissas etiam auctoritates, quibus asseritur, quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, ut consensus vel pactio coniugalis non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginitatis non facit matrimonium, nisi praecedat pactio coniugalis; ita nec pactio coniugalis, antequam adsit copula carnalis. Ex *pactione* igitur coniugali *sponsi et sponsae* fiunt ante coitum, in *coitu* vero efficiuntur *coniuges*. Facit enim pactio coniugalis, ut quae prius erat *sponsa* in coitu fiat *coniux*. Assertio aliorum.

His autem ita respondemus. Fit aliquando desponsatio, ubi est compromissio viri et mulieris de *contrahendo* matrimonio, non est autem ibi consensus de *praesenti*; et est desponsatio habens consensum *de praesenti*, id est pactionem coniugalem, quae sola facit coniugium. In illa ergo desponsatione, ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, *sponsi* tantum et *sponsae* fiunt, non *coniuges*; et talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri et monasterium eligere. In ea vero desponsatione, ubi est consensus de praesenti, *coniugium* contrahitur, et ab illius desponsationis prima fide *veri coniuges* appellantur. Secundum hanc distinctionem desponsationis de sponsis varie loquuntur doctores. Resp. ad obiecta cum distinctione. Dubium 5.

Cap. IX.

Quod multipliciter sponsus et sponsa accipitur.

Aliquando enim *sponsas* vocant, quae talem habuerunt desponsationem, ubi fuit pactio coniugalis de Sensus 1.
praesenti; et illae vere coniuges sunt. Unde Gregorius [4]: Gregorius.
« Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quamquam postmodum, praeveniente die mortis eius, nequiverit eam ducere in uxorem; tamen nulli de consanguinitate eius licet accipere eam in coniugio; et si inventum fuerit factum, separetur omnino ». Item Iulius Iulius.
Papa: « Si quis deponsaverit uxorem vel subarrhaverit, et vel praeveniente die mortis eius, vel irruentibus quibusdam causis, eam non cognoverit; nec frater eius nec ullus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore ». Item Grego- Gregorius.
rius: « Qui desponsatam proximi sui puellam ceperit in coniugium, anathema sit ipse et omnes consentientes ei, quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam divinae legis mos est, *sponsas* appellare *coniuges*, ut in Evangelio: *Accipe Mariam, coniugem tuam;* et in Deuteronomio: *Si quis alterius sponsam in agro vel in quolibet loco oppresserit, vel adduxerit in domum suam; moriatur, quia uxorem proximi sui violavit,*

---

[1] Can. *Si quis* (22.), C. 27. q. 2. — Seq. locus C. *Si vir* (23.), ibid. — Pro *conscientia* plurimae edd. *consensu*, refragantibus codd. et canone, et pro *nolente* ed. 1 et cod. Erf. *volente*.

[2] *Verba* haec potius invenies inter opera Chrysost., Homil. 1. in Ps. 50. n. 8; C. *Si tu abstines* (24.), ibid.; *sententia* autem est apud August., l. de Adulterinis Coniugiis, c. 4. n. 4.

[3] Can. *Scripsit nobis* (26.), ibid. — Infra ante *continentiam* cod. A et edd., excepta 1, addunt *monasterium eligere*. Quae sequuntur occurrunt etiam apud Gratian. super eundem canonem.

[4] Can. *Si quis uxorem* (14.), ibid. Seq. locus est C. *Si quis desponsaverit* (15.), ibid.; tertius C. *Qui desponsatam* (12.), ibid., ubi citantur Matth. 1, 20; Deuter. 22, 23. seqq.

non quae iam uxor erat, sed quae a parentibus uxor fieri debebat». — Ex his colligitur, quod sponsae quaedam coniuges sunt ante commixtionem sexuum. — Sed forte illud movet quod in fine capituli dicitur: Non quae iam uxor erat, sed quae uxor fieri debebat. Quod non ita debet intelligi, quasi uxor vere non fuerit, ex quo pactio coniugalis intercessit; sed quia nondum traducta fuerat, nec res uxoria intercesserat, scilicet concubitus coniugalis.

Vocatur [1] etiam *sponsa,* quae sic viro desponsata est, ut non intercesserit *consensus de praesenti,* sed *sponsio futuri.* Secundum quem modum illud decretum intelligitur: «Si quis sponsam filii oppresserit, et post filius eius eam duxerit; pater postea non habeat uxorem, nec mulier virum; filius, qui patris facinus ignoravit, aliam ducat». Si *coniux* illa fuisset, quod utique foret, si in sponsalibus pactio coniugalis intercessisset, non permitteretur sponso aliam ducere. Moechis autem poena non nubendi ex rigore infligitur, ut alii terreantur. Item ex eodem [2]: «Quidam desponsavit uxorem et dotavit et cum ea coire non potuit, quam clanculo frater eius corrupit et gravidam reddidit; decretum est, ut, quamvis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit; sed moechus et moecha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita vero eis coniugia non negentur». De illa desponsatione hoc intelligi debet, ubi non fuit consensus coniugalis de praesenti, alioquin non liceret eis alias sortiri coniugia. Secundum hoc etiam illud intelligi debet: «Statutum est a sacro conventu, ut, si quis sponsam alterius rapuerit, publica poenitentia mulctetur et sine spe coniugii maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur [3]». «Apparet, hanc fuisse desponsatam sine pactione coniugali de praesenti, et ideo non fuisse coniugem; cui, vivente sponso, alteri nubendi licentia non negatur». Sunt enim quaedam nuptialia pacta de futuro, ex quibus *sponsi* et *sponsae* vocantur nec exinde *coniuges* sunt; et est quaedam pactio coniugalis de praesenti, quae sponsum et sponsam etiam coniuges facit. Et utraque pactio *desponsatio* vel *sponsalia* interdum dicuntur, *proprie* tamen *sponsalia* dicuntur quaedam solemnia pacta nuptialia.

Sensus 2. — Canon. — Canon. — Canon. — Gratianus.

De nuptialibus pactis, ubi est tantum *sponsio futuri,* ait Augustinus [4]: «Institutum est, ut iam pactae sponsae non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiravit sponsus dilatam». (De sponsalibus Augustinus.)

Cap. X.

Quae sponsa sit vidua, mortuo sponso, et quae non.

Et est sciendum, quod illa sponsa, quae tantum in futuro est pacta, mortuo sponso, non remanet vidua, quia non fuerat vir eius. Unde si quis eam duxerit, ad sacros ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduae enim maritus aeque, sicut bigamus, sacerdos fieri prohibetur; ex tali autem copula nullus arcetur a sacris ordinibus.

Secundum hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa [5] de illo qui, mortuo sponso eius, sponsam ducit in uxorem: «Nihil est, inquit, quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obviet de canonicis institutis, quin ad sacros ordines promoveri valeat». Si vero talis sponsa fuisset, inter quam et sponsum eius consensus de praesenti intercessisset, eo mortuo, vidua remansisset; cui copulatus in coniugio ulterius ad sacros ordines non accederet, cum viduam duxerit. Non est igitur ambigendum, quin solus de praesenti consensus coniugium efficiat, et exinde veri coniuges appellentur. Ideo post talem consensum si quis alii se copulaverit, etiam si carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam revocandus est. (Pelagius. — Dubium 6.)

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVII.

De consensu ut efficiente causa matrimonii.

Post haec advertendum est, quid sit coniugium, et quae sit efficiens causa etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est secunda pars, in qua agitur de causa efficiente coniugii, quae quidem est consensus. Et quoniam non omnis consensus facit coniugium, ideo primo determinat Magister in generali, quod consensus sit matrimonii causa. Secundo inquirit, qualis sit ille consensus, infra distinctione vigesima octava: *Hic quaeri debet, utrum consensus de futuro* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat de ipso coniugio quantum ad quidditatem. In secunda vero quantum ad causalitatem, ibi: *Efficiens autem causa matrimonii* etc. In prima parte duo facit.

---

[1] Solae edd., excepta 1, *Haec etiam sponsa est.* Seq. locus est C. *Si quis sponsam* (32.), ibid.

[2] Can. *Quidam desponsavit* (31.), ibid.

[3] Can. *Statutum est* (34.), ibid. Seq. locus est apud Gratian. super eund. canonem.

[4] August., VIII. Confess. c. 3. n. 7; C. *Institutum est* (39.), ibid. — Ibi codd. et edd., excepta 8, falso omittunt *non* ante *suspiravit,* refragante canone et originali Augustini. — De seqq. cfr. Gratian. super C. *Quod autem interrogasti* (29.), ibid.

[5] Can. *Valentino* (20.), d. 34; cfr. C. *Debitum pastoralis* (5.), X. de Bigamis non ordinandis, libr. I. tit. 21.

In prima breviter praemittit, de quibus intendit agere. In secunda breviter definit coniugium maritale, et hoc ibi: *Sunt igitur nuptiae vel matrimonium* etc. Et haec duo sunt quasi praeambula ad cognoscendam matrimonii causalitatem sive originem.

Efficiens autem causa matrimonii est. Haec est secunda pars huius distinctionis, in qua agit de causa efficiente, et dividitur haec pars in quatuor partes. In prima veritatem narrat. In secunda [1] confirmat, ibi: *Quod autem consensus matrimonium faciat* etc. In tertia impugnat, ibi: *Quidam tamen asserunt* etc. In quarta obiectiones in contrarium determinat, ibi: *His autem ita respondemus. Fit aliquando desponsatio* etc. Subdivisiones partium manifeste apparent in his duabus partibus ultimis, maxime utrum ex solo consensu contrahatur insolubile vinculum. — Et sic tria continentur in hac distinctione, scilicet matrimonii quidditas, causalitas et insolubilitas.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum tria, quae determinat Magister, tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de matrimonii quidditate.

Secundo, de causalitate.

Tertio, de insolubilitate.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, quid sit coniugium genere, sive re.

Secundo, quid sit nomine.

ARTICULUS I.

De matrimonii quidditate.

QUAESTIO I.

Utrum matrimonium sit coniunctio maris et feminae.

Quantum ad primum quaeritur, utrum matrimonium sit coniunctio maris et feminae. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per rationem, quam ponit Magister in littera [2]: « Matrimonium, inquit, est maris et feminae coniunctio ».

2. Et quod ita sit, ostenditur *ratione.* Solo viro existente, non est matrimonium; similiter sola muliere existente, non est matrimonium: ergo matrimonium est in simultate et in coniunctione unius ad alterum.

3. Item, nihil absolutum est unum [3] in duobus subiectis; sed matrimonium unum est in viro et femina: ergo non dicit quid absolutum, sed relatum. Sed illud, quodcumque sit, cum non sit disparitas, sed conformitas, non est disiunctio, sed coniunctio.

4. Item, illud, ad quod consequuntur ista tria bona, scilicet fides, proles et Sacramentum, est recte matrimonium; hoc autem est coniunctio maris et feminae, ubi est *fides* in singularitate, *proles* in fecunditate et *significatio* in insolubilitate [4]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Multiplicato superiori essentiali, multiplicatur inferius [5]: ergo si matrimonium est coniunctio, quoties vir et uxor coniunguntur, toties matrimonium contrahitur, et ita inter eundem virum et eandem mulierem erunt plura matrimonia; quod si falsum est: ergo etc.

2. Item, nullum Sacramentum iteratur super eandem materiam: ergo si matrimonium est coniunctio viri cum muliere, ex quo semel coniungitur, non debet amplius coniungi cum eadem. Sed hoc est falsum et inconveniens: ergo etc.

3. Item, omne Sacramentum est signum sensibile; sed nulla relatio est signum sensibile, coniunctio autem maris et feminae est relatio: ergo coniunctio talis non est signum, ergo nec Sacramentum: ergo *a simplici conversa* [6], nullum Sacramentum est coniunctio, ergo nec matrimonium.

---

[1] Edd. addunt *auctoritatibus.* Inferius in plurimis codd. desiderantur verba *His autem ita respondemus.*

[2] Hic c. 2.

[3] Cod. aa *unum et idem,* qui etiam *maiorem* explicat his verbis: *sicut patet, quia eadem albedo numero non est in diversis subiectis.*

[4] Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXI. c. 1, et Comment. a. 1. q. 2.

[5] Vide supra pag. 197, nota 6.

[6] Petr. Hispan. Summul. tr. de Proposition., agens de conversione propositionum, *conversionem simplicem* ita describit: Simplex conversio est, quando de subiecto fit praedicatum, et de praedicato subiectum, manente eadem qualitate et quantitate propositionis. Et hoc modo convertitur universalis negativa in se, et particularis affirmativa in se. Exemplum, ut: nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo; quidam homo est animal: ergo quoddam animal est homo. Cfr. Aristot., I. Prior. c. 2. — Vat. *a simplici conversione.*

4. Item, si matrimonium est coniunctio, aut ergo *corporum*, aut *animorum*. Non *animorum*, quia tunc matrimonium esset in patria; non *corporum*, quia tunc inter Mariam et Ioseph non fuisset coniugium.

5. Item, sive sit coniunctio *corporum* secundum commixtionem, sive *animorum* secundum consensum; contingit, talem coniunctionem removeri per odium: ergo et matrimonium solvi et destrui. Sed hoc falsum est, ut iam patebit [1]: ergo matrimonium non est coniunctio.

CONCLUSIO.

Matrimonium recte dicitur coniunctio maris et feminae.

Respondeo: Dicendum, quod matrimonium secundum *genus remotum* est *signum;* specificatio autem vel descensus ad *genus inferius* accipitur secundum comparationem ad *signatum;* unde cum signatum in hoc Sacramento sit *coniunctio Christi et Ecclesiae*, et coniunctio non potest melius significari quam per *coniunctionem* exteriorem [2], sicut baptismi ablutio per ablutionem aquae exteriorem: ideo, Conclusio. sicut baptismus dicitur *ablutio*, sic matrimonium dicitur essentialiter et secundum genus suum *coniunctio*. — Corollarium. Et nota, quod sicut in *ablutione baptismi* est aliquid *permanens*, sicut impressio characteris interior, et aliquid *transiens*, ut lotio exterior, et utrumque dicitur baptismus [3]; sic in *matrimonio* est aliquid *permanens*, et hoc est vinculum, per quod ligatur vir et mulier, quantumcumque exterius separentur; et est aliquid *transiens*, sicut coniunctio primo facta per verbum exterius, vel per exteriorem actum; et utraque dicitur *matrimonium*, et utraque est *coniunctio*. Et ideo recte matrimonium coniunctio dicitur et est, sicut rationes primae ostendunt.

1. Ad illud quod obiicitur, quod multoties coniunguntur; dicendum, quod quaedam coniunctio *dicitur vinculum*, quaedam *facit vinculum*, quaedam *est usus vinculi*. Solutio oppositorum. Coniunctio triplex. Dico igitur, quod *prima* et *secunda*, quia respiciunt substantiam matrimonii, non iterantur, sed solum *tertia;* et ad multiplicationem illius non sequitur multiplicatio matrimonii, quoniam non est *genus in essendo*, sed *actus in utendo* sive usus in agendo.

2. Et ex hoc patet sequens, quia non est iteratio Sacramenti; et sicut frequenter *manducare corpus Christi* non dicit Sacramenti *iterationem*, sed *usum;* sic in proposito intelligendum; licet non sit simile omnino, quia quod semel manducatum est iterum manducari non potest; sed haec mulier, quae semel cognita est, iterum cognosci potest.

3. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est signum sensibile; dicendum, quod sicut *similitudo corporalis* sensu percipitur non ratione sui [4], sed Notandum. ratione qualitatum, in quibus est assimilatio, quae sensu deprehenduntur; sic intelligendum est in proposito, quod quamvis coniunctio *secundum se* non sit perceptibilis ut relatio, est tamen *ratione eorum* quae coniunguntur, ut viri et mulieris, et *ratione signi*, in quod, vel per quod coniunguntur.

4. 5. Ad illud quod quaeritur, utrum sit corporum, an animorum; dicendum, quod animorum in Notandum. corporibus [5], quia est coniunctio ratione utentium et habentium sexus distinctos; illa autem coniunctio, quae respicit *totum coniunctum* et est matrimonium essentialiter, non est affectio *animorum*, vel approximatio *corporum*, sed quoddam *vinculum obligatorium*, quod non perimitur, sive affectu, sive corpore separentur. Et per hoc patet responsio ad ultimum.

SCHOLION.

I. Etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 44. a. 1.) cum aliis docet, matrimonium esse in genere *coniunctionis*, qua coniuges ordinantur ad aliquod unum, et quae simul est « *vinculum*, quo ligantur *formaliter*, non *effective* »; « coniunctio autem corporum vel animorum ad matrimonium consequitur ». Idem (locc. citt. quaestiunc. 3. et a. 3.) explicat etiam definitionem Hugonis a S. Vict., quod matrimonium sit « duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus » [definitio per *causam*]; nec non tertiam, quod sit « consortium vitae communis et communicatio divini et humani iuris » [secundum *effectum*, ad quem ordinatur]. De 3. definitione dicit B. Albert. (hic a. 2.), quod sit decretistarum, qui « parum solent curare de definitionibus, vel aliis ad subtilem intellectum pertinentibus ». Cfr. hic dub. 1.

De 1. quaestione praeter citatos locos: Scot., hic q. 1. et supra d. 16. q. unica n. 17. — B. Albert., loc. cit. et a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., supra d. 26. a. 4. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De nomine *matrimonii* etiam alii coaevi magistri referunt easdem vel similes etymologias, plerumque parum solidas.

---

[1] Art. 3. q. 1. seq.

[2] Pro *exteriorem*, quod cod. B omittit, permulti codd. et ed. 1 *recte*, cod. Q *nec interior*, codd. S T *nec interior recte*. Superius pro *et coniunctio* Vat. *et interior*, quae etiam mox post *baptismi ablutio* cum ed. 1 addit *interior*, cod. O legit: *sicut nec interior baptismi ablutio* [melius potest significari], lectio non spernenda, si ex cod. Q addatur *quam*.

[3] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 1.

[4] Quia *in se* spectata est *relatio* (cfr. Aristot.; V. Metaph. text. 20.), ad quam cognoscendam requiritur, ut cognoscens conferat extrema (relationis) inter se, quod non est sensitivae, sed rationalis potentiae (cfr. Aristot., III. de Anima, text. 57, et August., de Vera Relig. c. 29. n. 53. seqq.). Sensitivae potentiae obiectum per se sunt accidentales corporum qualitates (vide supra pag. 286, nota 9.). — Inferius pro *quae sensu deprehenduntur* cod. K *quas sensus deprehendunt* (plures codd. et ed. 1 perperam *quae sensus deprehendunt*).

[5] Vat. *quod est corporum et animorum*.

— Cfr. S. Thom., locc. citt. quaestiunc. 2. et a. 2. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

III. De duabus seq. (2.) articuli quaestionibus antiqui Scholastici satis conveniunt. Posterius autem respectu matrimoniorum christianorum, quae habent rationem *Sacramenti*, exorta est controversia, de qua vide infra d. 28. q. 5. scholion. — De pluribus quaestionibus ad consensum spectantibus cfr. infra d. 28-30; vide etiam hic dub. 2. de promissione *ficta*.

De utraque quaestione: Scot., hic q. 2; Report. q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; Suppl. q. 45. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Quid sit matrimonium nomine.

Secundo quaeritur, quid sit nomine. Et quod *matrimonium* debeat hoc vinculum appellari, ostenditur:

1. Primo per iura canonica et civilia, quae sic appellant, et Magister sic appellat in littera [1], et multiplex ad hoc adduci potest auctoritas. Unde Augustinus, contra Faustum libro decimo nono: «Matrimonium ob hoc dictum est, quod non ob aliud debeat femina nubere nisi ad hoc, ut mater fiat». (Fundamenta.)

2. Item, *ratione* videtur: quia in aliis Sacramentis denominatio fit a materia vel a materiali principio, sicut patet, quia baptismus lavacrum dicitur ab aqua lavante magis quam a verbo; sed in hac coniunctione maris et feminae femina est per modum materiae: ergo videtur, quod per illam debeat denominatio fieri.

3. Item, quando relatio vel comparatio est inter extrema aliqua, si recte denominatur, ab eo debet denominari, in quo maior est dependentia; sed mulier magis indiget coniungi viro quam e converso: ergo talis coniunctio potius debet denominari a muliere quam a viro.

4. Item, relatio aequiparantiae potissime ei appropriatur, in quo est consummatio illius, sicut aequalitas et similitudo appropriatur Filio, pro eo quod dat praeintelligere principium a quo, Patri autem unitas appropriatur [2]: ergo si vir primo creatus est unicus, et post mulier facta, ut ei coniungeretur ut adiutorium, et hoc per matrimonium: ergo hoc vinculum debet appellari *matrimonium*.

Contra: 1. In omnibus denominatio debet fieri a digniori; sed in coniunctione carnali sive matrimoniali dignius extremum est vir quam mulier, quoniam *caput mulieris est vir* [3]: ergo etc. (Ad oppositum.)

2. Item, quaero, secundum quod genus causae sit ista denominatio. Si secundum genus causae *finalis;* sed *mulier propter virum facta est, non vir propter mulierem* [4]: ergo potius debet denominari a patre. — Si secundum genus causae *efficientis;* sed efficiens est activum principium, et principium activum in coniunctione maris et feminae est vir: ergo potius debet denominari a viro. — Si secundum causam *materialem;* sed *non vir ex muliere, sed mulier de costa viri* [5]. — Si secundum causam *formalem;* cum magis teneat rationem formae vir, sicut dicit Philosophus [6], quod «materia appetit formam, sicut mulier appetit virum»; videtur, quod a viro debeat denominari.

3. Item, coniunctio maris et feminae est relatio aequiparantiae; sed relatio talis respicit utrumque extremum aequaliter, et talis relatio non magis denominatur ab uno quam ab altero: ergo non magis a patre quam a matre.

4. Item, denominatio rei non [7] debet fieri ab eo quod accidit et abesse potest; sed vinculo tali sive Sacramento frequenter deest proles, ergo et maternitas: ergo cum falso talis mulier dicatur *mater*, falso tale vinculum dicitur *matrimonium*.

CONCLUSIO.

Matrimonium habet quatuor etymologias, inter quas potissima est matris munium.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod istud vinculum sive coniunctio nec denominatur a *patre* nec a *matre;* sed cum sit vinculum unum, denominatur ab utroque, in quantum uniuntur; et quoniam pater et mater sive vir et mulier uniuntur, ut sint una *materia prolis;* ideo hoc Sacramentum *matrimonium* appellatur, non a *matre*, sed a *materia* et *monos*, quod est unum; inde *matrimonium* quasi *una materia*. — Sed licet istud videatur probabiliter dici, tamen est con- (Opinio 1.) (Non probatur.)

---

[1] Hic c. 2. seqq. — Verba August., XIX. contra Faustum, c. 26, sunt: Matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod etc.

[2] Vide I. Sent. d. 31. p. II. a. 2. q. 3. (de relatione *aequiparantiae* cfr. supra pag. 492, nota 2.). — Inferius respicitur Gen. 2, 18: Non est bonum, esse hominem solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. — Post *sicut* plurimi codd. addunt *quia*. Paulo inferius pro *ut adiutorium* cod. bb *ad adiutorium*, edd. *in adiutorium*.

[3] Eph. 5, 23. Cfr. I. Cor. 11, 3. — De *maiori* vide supra pag. 470, nota 7.

[4] Epist. I. Cor. 11, 9: Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.

[5] Epist. I. Cor. 11, 8: Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Cfr. Gen. 2, 21. seqq.

[6] Libr. I. Phys. text. 81. (c. 9.).

[7] Vat. cum uno alterove cod. perperam omittit *non*. Inferius pro *proles* cod. G *prolis generatio*.

tra Isidorum, in nono libro Etymologiarum [1], ubi dicit, quod « matrimonium dicitur a *matre;* unde matrona dicitur quae iam nupsit, et est dicta *matrona* quasi *mater nati* ». Unde, sicut ibidem colligitur, **Triplex nomen.** hoc Sacramentum appellatur *coniugium,* appellatur et *nuptiae,* appellatur et *matrimonium.* Et hanc triplicem denominationem habet secundum triplicem comparationem sive considerationem. Potest enim considerari secundum *id quod est;* et sic dicitur *coniugium,* quasi *commune iugum,* quia mutuum est vinculum et mutua potestas; et hoc dicit Isidorus in nono Etymologiarum [2]. Aut secundum *signum,* in quo apparet; et sic dicitur *nuptiae,* quasi a *nubibus,* quia nubentes operiri solebant, et eorum capita velabantur; unde est nomen translatum. Aut secundum *fructum,* ad quem perducit; et quoniam perducit ad bonum prolis, ideo *matrimonium* ap- **Conclusio 1.** pellatur. Magis autem bonum prolis per *matris* nomen datur intelligi, quia mulier propter procreationem liberorum facta est; unde facta est in adiutorium viri; et quia in procreatione prolis magis incumbit sibi labor [3].

Unde nota, quod *matrimonium* quatuor habet **Conclusio 2.** etymologias secundum nomen *matris:* uno enim **Etymologia prima.** modo dicitur *matrimonium,* quasi *matris nomos* [4], id est lex; quia, ut dicit Augustinus contra Faustum, **Secunda.** « ad hoc debet femina nubere » etc. — Secundo modo, quia *matrem monet,* ut servet foedus contra luxuriam; contra quod dicitur Proverbiorum secundo [5]: *Reliquit ducem pubertatis, et pacti Dei* etc. — Tertio **Tertia.** modo, quia *matrem munit* ac defendit tum per virum, tum per prolem, quia mulier indiget defensore, Isaiae primo [6]: *Defendite viduam.* — Quarto, **Quarta.** matrimonium dicitur *matris munium,* id est matris officium, pro eo quod prolis enutritio et acquisitio maxime spectat ad mulierem in concipiendo, in portando, in pariendo, in nutriendo, in compatiendo; unde sicut possessio dicitur *patrimonium,* quia paterna sollicitudine acquiritur; sic prolis acquisitio *matrimonium* est; et haec est potissima inter omnes etymologias.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod a di- **Solutio oppositorum.** gniori debet fieri denominatio; dicendum, quod denominatio est a fructu ventris, et ita a digniori. Sed [7] non fit denominatio a muliere, secundum quod *mulier,* sed secundum quod *mater;* et per hoc patet **Notandum.** sequens, a quo genere causae sumitur, quia a causa *finali,* a qua maxime debent Sacramenta denominari.

3. Ad illud quod obiicitur de relatione aequiparantiae, dicendum, quod vinculum illud *in se* consideratum aequaliter respicit utrumque extremum, sed *relatum ad effectum,* non; et hic fit denominatio per comparationem *ad effectum.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod non semper habent prolem; dicendum, quod non fit denominatio **Notandum.** ab *eventu,* sed ab *intentione,* propter quam principaliter institutum fuit Sacramentum; et ideo non est ibi falsitas nec vanitas [8].

ARTICULUS II.

De matrimonii causalitate.

Consequenter quaeritur de secundo articulo, scilicet de matrimonii causalitate. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum consensus sit causa matrimonii.

Secundo, utrum solus consensus vocalis faciat matrimonium.

QUAESTIO I.

Utrum consensus sit causa matrimonii.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod consensus sit causa matrimonii:

1. Per Chrysostomum [9], qui dicit, quod « ma- **Fundamenta.** trimonium non facit coitus, sed voluntas ».

---

[1] Cap. 7. n. 13. — Superius pro *quasi una* Vat. *quasi unius.*

[2] Cap. 7. n. 9. et 20. Ibid. n. 10. datur etiam seq. etymologia vocis *nuptiae.* Cfr. C. *Nec illud* (8.), C. 30. q. 5.

[3] In C. *Ex litteris tuis* (2.), X. de Conversione infidelium (lib. III. tit. 33.), dicitur, « quod [infans] magis materno indiget solatio quam paterno, sibique [matri] ante partum onorosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur, ac ex hoc legitima coniunctio maris et feminae magis *matrimonium* quam *patrimonium* nuncupetur.

[4] Codd. et edd. perperam *monos* (μόνος), quod Latine idem est ac *solus* sive, ut superius dicitur, *unus,* dum *nomos* (νόμος) idem est ac *lex.*

[5] Vers. 17. seq.: Et relinquit ducem pubertatis suae et pacti etc. — Pro *monet* plures codd. *movet.*

[6] Vers. 17. — Superius pro *munit ac defendit,* quod habet cod. L, cod. H *munit et defendit,* cod. bb (E a secunda manu) *munit, id est defendit,* alii codd. vel cum edd. *in vita defendit,* vel *in vitam* (cod. F *unicam) defendit.* S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2: Vel dicitur matrimonium quasi *matrem muniens,* quia iam habet, quod defendatur et muniatur, scil. virum. Vel dicitur matrimonium quasi *matrem monens* etc.

[7] Pro *Sed* Vat. *Unde.*

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Homil. 32. in Matth. (opus imperfect.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

2. Item Ambrosius[1]: «Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis».

3. Item *exemplo* probatur: quia inter Mariam et Ioseph fuit matrimonium, et tamen non intervenit nisi consensus[2].

4. Item *ratione* probatur: quia maioris libertatis est pactio coniugalis quam servitutis; sed solo consensu aliquis facit se servum: ergo solo consensu potest fieri alterius coniux.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Nihil est causa efficiens sui ipsius[3]; sed matrimonium non est aliud quam consensus, quia ille est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae: ergo consensus non est causa efficiens matrimonii.

2. Item, «si propositum est causa propositi, et oppositum oppositi[4]»: ergo si consensus est causa matrimonium constituens, dissensus est destruens; sed matrimonium non destruitur per dissensus hominum: ergo nec per consensum constituitur.

3. Item, multiplicata causa, multiplicatur effectus[5]: ergo si consensus est causa, et duo sunt consensus; videtur, quod duo sunt matrimonia inter virum et mulierem. Sed non sunt duo matrimonia: ergo etc.

4. Item, si duo consensus faciunt unum matrimonium, necesse est uniri; sed tunc uniuntur, quando sunt in idem; sed in matrimonio non uniuntur in unum, quia consensus viri est in mulierem, consensus mulieris in virum: ergo diversi[6], non ergo etc.

CONCLUSIO.

Consensus utriusque personae est causa proxima matrimonii, sed simul cum institutione divina.

Distinctio. RESPONDEO: Dicendum, quod sicut baptismus dupliciter dicitur: uno modo, prout comprehendit *exteriorem ablutionem* et *interiorem characteris impressionem,* alio modo pro *interiori charactere;* sic matrimonium uno modo comprehendit *vinculum* et *exterius signum,* et sic matrimonium est consensus expressus, non eius effectus; alio modo, prout stat pro *vinculo interiori*[7]. Huiusmodi autem vinculum habet causam *primam,* et habet causam *proximam; prima* est divina institutio, *proxima* est humana pactio, quae est in convenientia consensuum duorum, scilicet maris et feminae[8]. Et ideo dicendum, quod consensus est causa matrimonii, sed non tota, immo cum institutione divina; consensus autem non alterius, sed utriusque personae. Duplex causa. Conclusio.

1. Et per hoc patet primum argumentum. Solutio oppositorum.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod si oppositum non est causa oppositi etc.; dicendum, quod est causa *efficiens et conservans*, et est causa solum *efficiens*, non conservans; sicut patet, quia sol est causa luminis primo modo, cultellus causa vulneris secundo modo[9]. Sic matrimonium habet causam *efficientem* consensum, sed *non conservantem.* Est ergo consensus causa, ut matrimonium *fiat,* non ut *permaneat.* Similiter oppositum consensus, id est dissensus, non est causa *dissolvens factum*, sed *impediens, ne fiat.* Duplex causa.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non uniuntur; dicendum, quod est *uniri* et in *obiecto* et in *subiecto*, et est *uniri* in *effectu.* Dico ergo, quod quamvis duo consensus non uniantur in *subiecto* nec in *obiecto,* uniuntur tamen in *effectu*, qui surgit ex illo mutuo consensu. Dum enim *haec* vult illum in virum, vult esse uxor eius; et dum *ille* hanc in uxorem, efficitur vir eius. Et *si tu obiicias,* quod non uniuntur in *effectu*, nisi etiam uniantur in *obiecto;* dico, quod[10] uniuntur in effectu, secundario et in obiecto[11]. Distinctio.

QUAESTIO II.

Utrum ad contrahendum matrimonium sufficiat consensus vocalis absque mentali.

Secundo quaeritur, utrum ad contrahendum matrimonium sufficiat consensus vocalis absque mentali. Et quod sic, videtur:

1. Primo per illud quod dicit Magister in littera[12]: «Si verbis explicant quod tamen corde non volunt, obligatio illa verborum, quibus consentiunt, dicentes: accipio te in virum, matrimonium facit». Ad oppositum.

2. Item, hoc ostenditur *ratione* in simili, sci-

---

[1] De Institut. virgin. c. 6. n. 41. etiam hic in lit. Magistri, c. 3, allegatum.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[3] Sive, ut ait Aristot., II. de Anima, text. 47. (c. 4.): «Generat autem nihil ipsum se ipsum», sive, ut dicit August., de Immortal. animae, c. 8. n. 14: Nulla res se facit aut gignit, alioquin erat, antequam esset (I. de Trin. c. 1. n. 1: Nulla omnino res est, quae se ipsam gignat, ut sit).

[4] Secundum Aristot. supra pag. 97, nota 3. — In fine arg. pro *constituitur* multi codd. *construitur.*

[5] Cfr. supra pag. 102, nota 3.

[6] Codd. L W addunt *termini.*

[7] Vide supra a. 1. q. 1. — Superius voci *vinculum* codd. P Q aa (bb a secunda manu) praemittunt *interius.*

[8] Sub hoc respectu matrimonium definitur ab Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XI. c. 4, consensus legitimus masculi et feminae, individualem vitae consuetudinem retinens. Cfr. infra dub. 1. — Pro *in convenientia* pauci codd. et Vat. *convenientia.*

[9] Cfr. supra d. 22. a. 1. q. 1. ad 3. — In principio solut. post *oppositum* edd. cum uno alteroque cod. omittunt *non.*

[10] Cod. O addit *principaliter*, edd. perperam legunt: *quod uniuntur in effectu secundario et in obiecto secundario.*

[11] Vide scholion ad 1. quaest. praecedentis articuli.

[12] Hic c. 3, paucis interiectis. Pro *in virum* codd. vel *in meum,* vel *in meam* (Magister: *te in virum, et ego te in uxorem).*

licet in iuramento: quia, « quacumque arte verborum quis iuret, in ea significatione Deus accipit, in qua accipit ille cui iuratur », sicut dicit Isidorus [1]: ergo in matrimonio similiter videtur, quod Deus accipiat in illa intentione, in qua accipit coniux: ergo si coniux credit, per verba illa ipsum vere consentire, talis consensus facit matrimonium, et sic etc.

3. Item, Ecclesia iudicat, matrimonium esse, quandocumque aliquis contrahit cum aliqua per verba de praesenti in publico; et si dicat, se non intendisse, nihilominus sententiat, ipsum debere reddere quod exigit ius matrimonii: ergo si Ecclesia recte iudicat et non credit illi, cum credendum sit homini ferenti testimonium contra se; sine consensu cordis solo consensu exteriori est matrimonium.

4. Item, hoc pro regula in canone [2] habetur, quod « fraus et dolus nemini debet patrocinari »: si ergo iste dolose agit in consentiendo ore, non corde; non debet sibi dolus eius suffragari: ergo ita obligat, sicut si corde et ore consentiret.

5. Item, hoc videtur *ratione* deducente *ad inconveniens:* si enim requiritur interior consensus; cum nemo de illo sit certus nec esse possit, nemo scit, utrum matrimonium contraxit: ergo quotiescumque debitum petit vel reddit, discrimini se committit.

6. Item, esto quod quis contrahat cum duabus per verba de praesenti, primo cum una et postea cum alia; nescit, quae istarum interius consenserit: ergo nescit, quae sit eius uxor vera; sed tenetur uxori verae debitum reddere: ergo videtur talis perplexus esse.

Fundamenta. Contra: 1. Innocentius in quadam decretali, de Sponsalibus libro quarto [3], respondens cuidam casui in hac materia, ubi defuit interior consensus, et vir mutavit sibi nomen, dicit, quod non est matrimonium; et ratio, quam assignat in fine, his verbis continetur: « Quia dolus affuit, et defuit omnino consensus, sine quo nequeunt cetera foedus perficere coniugale ».

2. Item, in alia decretali proxima [4] ante illam dicit: « Pueri ante annos legitimos per verba sola non contrahunt, cum intelligantur minime consentire ».

3. Item, hoc *ratione* videtur: quia in aliis Sacramentis, sicut in baptismo, ad hoc, quod sit Sacramentum, necessario requiritur intentio dispensantis, sicut supra [5] ostensum est in baptismo in his qui ioculariter baptizant: ergo pari, immo multo fortiori ratione in matrimonio, cum ad hoc Sacramentum requiratur consensus maximae libertatis.

4. Item, quandocumque in Sacramento deficit illud quod tenet rationem medii inter rem et signum, nihil factum est, ut puta, si in baptismo non imprimatur character, et in eucharistia non sit corpus Christi verum; sed in hoc Sacramento locum medii tenet consensus animorum [6]: ergo quando ille deficit, irritum est matrimonium.

5. Item, quandocumque aliquid constat ex aliquo tanquam materiali et ex aliquo tanquam formali, quodcumque deficiat, et ipsum deficit; sed Sacramentum matrimonii est tale: ergo cum solus consensus animorum sit dispositio, et forma verborum sit complementum, quodcumque deficiat, non erit Sacramentum: ergo [7] etc.

CONCLUSIO.

Si deest interior consensus, non est matrimonium verum in foro conscientiae et poenitentiali; licet in foro iudiciali secundum allegata iudicetur, hoc esse matrimonium.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de matrimonio dupliciter: aut in *facie Ecclesiae,* aut in *foro conscientiae,* secundum duplex forum, scilicet *iudiciale* et *poenitentiale;* et secundum hoc est dupliciter iudicare: quia in fòro *iudiciali* iudicatur secundum *allegata,* in foro *poenitentiali* secundum *veritatem* et conscientiam. Si ergo in foro *poenitentiali* loquamur, quia hoc est iudicium secundum veritatem et in conspectu Dei; dicendum, quod, sicut dicunt doctores nostri, nec est matrimonium nec matrimonium iudicandum. Et cum sit multiplex ratio, haec tamen est praecipua: quia in omnibus Sacramentis requiritur intentio voluntaria faciendi quod facit Ecclesia; quia ergo talis secundum veritatem non intendebat contrahere matrimonium, non fuit Sacramentum. — Si autem loquamur in foro *iudiciali,* ubi secundum *allegata* oportet iudicari, et probari potest consensus per verba exteriora, in quibus non apparuit evidens dolus; matrimonium iudicatur. Sed tamen Ecclesia decipitur, sed non est deceptio *contra iustitiam,* quia non est ibi ignorantia *iuris,* sed *facti* [8]. Ergo si sit consensus exterior sine interiori, non est matrimonium secundum veritatem nec secundum divinum iudicium nec secun-

Distinctio. Conclusio 1. Ratio praecipua. Conclusio 2. Notandum.

---

[1] Libr. II. Sent. c. 31. n. 8. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. XXXIX. c. 11, et Comment. a. 3. q. 1. arg. 1. ad oppos.

[2] Cfr. supra pag. 569, nota 1. Vat. allegat C. *Dictum est nobis, quasdam* (4.), C. 30. q. 1.

[3] Tit. 1. c. 26: *Tua nos duxit.* Cfr. infra dub. 2.

[4] Quae incipit *Tuae fraternitati* (25.). — Pro *Item* cod. R vere *Idem* (Innocent. III.).

[5] Dist. 6. p. II. dub. 4. Cfr. ibid. a. 2. q. 1. — Mox pro *in his* plures codd. *sicut in his,* cod. K (I a secunda manu) *sicut patet in his*, Vat. *de his.* In fine arg. pro *maximae* plures codd. *praecipuae.*

[6] Cfr. quaest. praeced. et supra d. 26. a. 2. q. 1.

[7] Cod. aa addit: *sicut patet in baptismo, in quo si deficiat aqua vel invocatio Trinitatis, deficit et baptismus.*

[8] Cfr. supra pag. 86, nota 7.

dum conscientiae forum; quamvis esse videatur et iudicetur secundum iudicium ecclesiasticum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod primo obiicitur de Magistro, patet responsio, quoniam loquitur secundum forum ecclesiasticum [1].

2. Ad illud ergo quod obiicitur de iuramento, similiter potest dici, quod secundum humanum iudicium obligatur, si tamen dicatur obligari secundum Deum, hoc est propter hoc, quod Deus talem reputat dignum poena periurii, sicut et illum qui iuramentum non implet, et hoc propter suam fraudem [2].

3. Ad illud quod obiicitur de iudicio Ecclesiae, dicendum, quod Ecclesia fallitur; et quamvis contingat, ipsam seduci *a veritate rei*, non tamen recedit a *veritate iustitiae*, quia debet iudicare secundum allegata. (Notandum.) Et *si tu obiicias* mihi, quod in foro iudiciali contra se ipsum allegat, et unicuique credendum est ferenti testimonium contra se; dicendum, quod quia Ecclesia habet testimonium in contrarium, et quia etiam tale testimonium certitudinis est in praeiudicium causae matrimonialis, quae maxime favorabilis est; ideo talis viri testimonium non auditur, tamen et [3] sibi creditur in foro poenitentiae sive conscientiae, ubi creditur homini confitenti suam turpitudinem, quia nihil ibi dicendum est nisi turpitudo.

4. Ad illud quod obiicitur, quod fraus non debet alicui patrocinari; dicendum, quod duo sunt ibi, scilicet *verbi dolositas* sive falsitas [4] et vera *carentia consensus*. (Notandum.) *Verbi dolositas* non patrocinatur, immo obest in omni foro, sive iudiciali sive poenitentiali, quia utrobique vel punitur, vel pro obligatione reputatur. Sed vera *carentia* haec est, quae suffragatur in conspectu Dei, ut verum matrimonium non sit.

5. 6. Ad illud, quod nemo scit, utrum interius consentiatur; dicendum, quod quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi manifestus dolus appareat [5]; de quolibet praesumendum est, quod corde consentiat, si ore exprimat, nec est aliud credendum. Et si non sit ita, ignorantia facti in altera persona, quae ignorat, coitum excusat — sicut Iacob excusatur in hoc, quod cognovit Liam, quia credebat cognoscere suam [6] — nec committit se discrimini nec perplexitati. Quia enim prima credi debet consensisse, ideo ei adhaerendum est et debitum reddendum. Et sic patet totum [7].

ARTICULUS III.

De insolubilitate matrimonii.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de insolubilitate matrimonii; et de hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur de insolubilitate quantum ad matrimonium consummatum.

Secundo, quantum ad matrimonium ratum.

QUAESTIO I.

Utrum matrimonium consummatum sit insolubile.

Quantum ad primum, quod tale matrimonium sit insolubile, ostenditur:

1. Per verbum Domini, Matthaei decimo nono [8]:
Fundamenta. *Quod Deus coniunxit homo non separet:* ergo tales, qui a Deo sunt coniuncti, sunt inseparabiles, quia Deus nullos separat.

2. Item, quaecumque sunt separabilia, plura sunt; sed Dominus dicit [9], quod vir et mulier *non sunt duo, sed una caro:* ergo non sunt separabiles.

3. Item, hoc ipsum ostenditur per definitionem matrimonii, quam ponit Magister in littera [10]: « Individuam vitae consuetudinem retinens ».

4. Item, hoc matrimonium est signum unionis Christi et Ecclesiae secundum conformitatem naturae [11]; sed illa unio est inseparabilis: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Omne vinculum iterabile est dissolubile; sed matrimonium est iterabile, quia possunt esse secundae nuptiae: ergo est dissolubile.

2. Item, omne Sacramentum perpetuum imprimit aliquod signaculum in subiecto perpetuo; sed matrimonium nihil imprimit in animam: ergo etc.

---

[1] Vide infra dub. 2.

[2] Cfr. III. Sent. d. 39. a. 3. q. 1. ad 1.

[3] Plures codd. omittunt *et*, edd. omittunt *et sibi creditur* ac mox *ubi*. Aliquanto superius pro *seduci* cod. M *recedere*.

[4] Cod. F *fallacitas*.

[5] Vide supra pag. 492, nota 4. — Post *Ad illud* codd. F G L addunt *quod obiicitur*.

[6] Gen. 29, 24. — Vat. addit *Rachelem*.

[7] Vide scholion ad 1. quaest. praecedentis articuli.

[8] Vers. 6. — Plures codd. *Quos* Deus etc.

[9] Matth. 19, 6.

[10] Hic c. 2.

[11] Ut insinuat supra Magister in lit. d. XXVI. c. 6. Cfr. ibid. Comment. a. 2. q. 1.

3. Item, omnis effectus, cuius causa est dissolubilis, ipse est dissolubilis; sed causa matrimonii est mutuus consensus, et ille est dissolubilis: ergo etc. *Prima* patet per illud Chrysostomi[1], quod « eisdem causis, quibus unumquodque construitur, per easdem destruitur ».

4. Item, vir tenetur uxori ex vinculo matrimonii reddere debitum; sed ex mutuo consensu possunt se perpetuo absolvere: ergo similiter ex mutuo consensu matrimonium dividere. Similiter ex lege matrimonii tenentur insimul cohabitare; et possunt diversas religiones ex communi consensu intrare[2]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Matrimonium est vinculum insolubile, extremis manentibus, sed non perpetuum.

Respondeo: Dicendum, quod matrimonium est Conclusio 1. insolubile, extremis manentibus; sed ipsis corruptis, vel eorum altero, solvitur, quia non manet ligatio, nisi etiam maneant quae ligantur. Extrema autem sunt destructibilia, quia sunt extrema ratione sexuum, non animorum; et quia sexus respicit dispositionem a parte corporis, et ita vitam corporalem: Conclusio 2. dico, quod recte matrimonium dicitur vinculum *insolubile*, sed *non perpetuum*[3].

1. 2. Et per hoc patet responsio ad duo prima; obiicit enim, ac si vinculum esset *perpetuum*. Solutio oppositorum. Notandum. Ratio autem huius insolubilitatis *dispositive* venit ab eius *significatione*, quia significat unionem indissolubilem, scilicet Christi et Ecclesiae secundum conformitatem naturae; sed *effective* venit ab *institutione*, quia sic Deus instituit, ut amplius non solvantur, dum vivunt.

3. Et per hoc patet responsio ad illud de consensu: quia non est *tota* causa matrimonii — unde, si esset tota causa, bene obiiceret — sed ulterius est ibi *divina institutio*. — Verumtamen illud non Non sufficit. bene solvit, pro eo quod si duae causae concurrunt ad eundem effectum, altera destructa, non manet effectus; et ideo, si ad matrimonium cum institutione divina concurrit consensus, videtur etc. Dicendum igitur, quod est causa *introducens tantum*, Solutio auctoris cum distinctione. et *introducens et conservans*. Quando dicitur, quod si destruitur causa, et effectus; verum est de *conservante*, non autem est verum de *introducente tantum*; consensus vinculum illud *introducit*, non *conservat*: et ideo, ipso desinente, non desinet[4]. Et ideo patet illud.

4. Ad illud quod obiicitur de redditione debiti et cohabitatione, dicendum, quod illud est in potestate coniugatorum: quia uterque habet potestatem super corpus alterius[5]; et quoniam uterque potest iuri suo renuntiare: inde est, quod *cohabitatio* et *debiti solutio* potest dividi; non sic vinculum, quod Deus instituit, quod tenet rationem Sacramenti.

SCHOLION.

I. Fide tenendum est, matrimonium *Christianorum* ratum et consummatum prorsus indissolubile esse quoad *vinculum* (cfr. Trident. Sess. XXIV. prooem.), neque hoc per adulterium dissolvi posse (ibid. can. 7.). Nihilominus « ob multas causas separatio inter coniuges *quoad torum* seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri potest » (can. 8.). Item, « matrimonium ratum, *non consummatum* per solemnem religionis professionem alterius coniugum dirimitur » (can. 6.). — De matrimonio *generalim*, ut comprehendit etiam coniugia non baptizatorum, dicendum cum Leone XIII. (Encycl. *Arcanum divinae Sapientiae)*: « Cum matrimonium habeat Deum auctorem fueritque vel a principio quaedam incarnationis Verbi Dei adumbratio; idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum ». Hinc in Syllabo Pii IX. (prop. 67.) reprobata est propositio: « *Iure naturae* matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum civili auctoritate sanciri potest ». De casu, in quo matrimonium infidelium etiam consummatum dissolvitur, cfr. infra d. 39. a. 2. — De ipsa 1. quaestione vide hic dub. 4. et plura infra d. 33. a. 3; quo loco alii commentatores de hac quaestione tractare solent.

De 1. quaestione: Scot., supra d. 26. n. 10, infra d. 31. n. 4. et d. 33. q. 3. — S. Thom., infra d. 33. q. 2. a. 1; Suppl. q. 62. a. 1-5. — B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. et infra d. 33. q. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 4. — Durand., infra d. 33. q. 3. — Dionys. Carth., infra d. 33. q. 2.

II. Quaestio 2. a Concilio Trident. (can. 6. cit.) irrefragabiliter soluta est. De ipsa agunt: Scot., infra d. 31. q. unica n. 5. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; Suppl. q. 61. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 8. 10. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 4. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 2.

---

[1] Homil. 32. in Matth. (Op. imperfect.). Cfr. C. *Omnis res:* Per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur (4.), C. 27. q. 2.

[2] Cfr. C. *Cum sis praeditus* (4.), X. de Conversione coniugatorum (lib. III. tit. 32.).

[3] Epist. I. Cor. 7, 39: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit etc. Cfr. Rom. 7, 2. seq. — Superius pro *animorum* edd. *aliorum*.

[4] Cfr. supra a. 2. q. 1. in corp. et ad 2.

[5] Vide I. Cor. 7, 3. seq. — Cfr. supra pag. 567, nota 4.

QUAESTIO II.

Utrum matrimonium ratum sit insolubile.

Secundo quaeritur de insolubilitate illius matrimonii, quod solum est in coniunctione animorum. Et quod tale matrimonium sit insolubile, ostenditur:

Ad oppositum. 1. Quia determinatum est in iure[1], quodsi quis per verba de praesenti consentiat in aliquam, et post in aliam consentit et carnaliter cognoscit, quod ad primam revocandus est: ergo primum vinculum fuit insolubile, cum non solvatur per matrimonium consummatum.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per definitionem matrimonii praedictam[2]. *Si sic dicas*, quod ei non convenit; *obiicitur* per Hugonem, qui ita definit matrimonium: «Matrimonium est maris et feminae legitimus consensus, individuam vitae consuetudinem retinens».

3. Item, quod Dominus dixit Matthaei decimo nono[3]: *Quod Deus coniunxit homo non separet*, aut intelligitur quoad coniunctionem *animorum*, aut *corporum*. Quod *animorum*, videtur, quia illa copula est sanctior: ergo si de illa intelligit, videtur, quod quoad illam sit inseparabile.

4. Item, matrimonium significat quantum ad coniunctionem animorum coniunctionem Dei et Ecclesiae[4]; sed Ecclesia semel Christo desponsata nunquam separatur nec separabitur: ergo nec illud matrimonium.

5. Item, cum vir consentit in mulierem, transfert potestatem sui corporis in potestatem mulieris, quia tunc ei alligatur: ergo si *non habet potestatem sui corporis*[5], nec intrare religionem nec alii potest se copulare.

Contra: 1. Hieronymus[6] dicit, quod Dominus Fundamenta. Ioannem vocavit de nuptiis: ergo solvit eum ab uxore; sed non solvisset, si fuisset ligatus vinculo insolubili: ergo etc.

2. Item, sacri canones ante commixtionem carnalem dant liberam potestatem alteri ingrediendi religionem, et alteri nubendi post eius ingressum, sicut patet per multa, quae habentur in littera[7]; sed non posset nubere, nisi vinculum esset solutum: ergo etc.

3. Item, anima nunquam in hac vita sic Deo coniungitur, quin possit ab eo separari: ergo nec sponsus coniungitur inseparabiliter sponsae ante copulam carnalem.

Iuxta hoc quaeritur, si statim post ingrêssum in religionem est solutum tale vinculum. Et quod sic, videtur: quia alioquin mulier damnum sustineret, quia esset alligata, et vir non esset alligatus; quod non est conveniens, quia ad paria iudicantur. — Si autem statim solvitur; sed possibile est, ipsum egredi religionem: ergo potest nubere, esto quod uxor alteri nupserit, quod est contra canones[8]. — Propter hoc quaeritur: *quando* solvitur, et *quare* solvitur per vinculum voti, non per vinculum matrimonii maioris? Quaestio incidens.

CONCLUSIO.

Matrimonium solummodo ratum est insolubile suo modo, cum tantum per solemne votum castitatis solvi possit.

Respondeo: Dicendum, quod insolubilitas consequitur matrimonium non tantum *consummatum*, sed etiam *ratum;* et propter hoc etiam *ratum* est, quia quandam insolubilitatem habet, licet minorem Conclusio 1. quam matrimonium consummatum; habet tamen sibi competentem, sicut et illud. Sicut enim vinculum matrimonii *consummati* est insolubile, viventibus extremis vita corporali, nec solvitur nisi *morte corporali*[9]*;* sic nec matrimonium, in quo est coniunctio mentium et animorum, potest solvi, nisi Conclusio 2. homo *moriatur spiritualiter* huic mundo sive operi carnis; et hoc fit intrando religionem et emittendo votum castitatis solemne. Ex tunc enim solvitur tale matrimonium, ex quo *spiritualiter moritur;* et hoc probatur per illam decretalem Innocentii, de Conversione coniugatorum, *Ex parte tua*[10]. — Conce-

---

[1] Per Gregor. IX. in C. *Si inter virum* (31.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

[2] Quaest. praeced. fundam. 3, ubi allegatur definitio matrimonii a Magistro, hic in lit. c. 2, data. — Definitio Hugonis habetur II. de Sacram. p. XI. c. 4. Cfr. supra pag. 679, nota 8.

[3] Vers. 6. Pro *Quod* edd. cum pluribus codd. *Quos*. — Inferius verbis *animorum copula est sanctior* exprimitur sententia August. supra d. 26. a. 2. q. 3. fundam. 3. proposita.

[4] Vide supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 6.

[5] Epist. I. Cor. 7, 4. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

[6] Hanc sententiam continet *Prologus in Evang. secundum Ioannem*, qui in antiquioribus edd. Bibliae impressus habetur, et apud Lyranum falso *Hieronymo* tribuitur: «Hic est Ioannes evangelista... quem de nuptiis volentem nubere vocavit Deus». Occurrit etiam apud Bedam, Homil. 8. in die natali S. Ioan. evangel. Sed cfr. Baronius, I. ad an. 31. n. 30.

[7] Hic c. 6.

[8] Cfr. *Glossa* in C. *Statuimus novitios* (23.), X. de Regularibus etc. (lib. III. tit. 31.), in qua pro confirmatione huius sententiae allegatur C. *Ex publico instrumento* (7.), ibid. de Conversione coniugatorum (tit. 32.). — Mox post *quando* cod. F supplet *vinculum*, cod. bb legit *solvitur matrimonium*.

[9] Ut ostensum est quaest. praeced.

[10] Extra lib. III. tit. 32. c. 14. — Pro *Innocentii*, quod habet Vat., codd. et ed. 1 *Alexandri*, qui ibid., non in C. *Ex parte tua*, sed in C. *Verum post legitimum* (2.) et C. *Ex publico instrumento* (7.) idem decrevit.

dendum est igitur, matrimonium illud esse insolubile suo modo, cum sit Sacramentum, nec separatur ab homine, sed a Deo, cui solemne votum continentiae promittitur.

1-4. Et ex hoc patent obiecta praeter ultima.

5. Ad illud quod obiicitur de translatione potestatis, dicendum, quod potestas corporis non *simpliciter* transfertur in matrimonio rato, sed *sub conditione* utriusque, scilicet *statu* et *vita manente.* Unde dico, quodsi uxor peteret sibi statim debitum, non teneretur reddere; nec Ecclesia cogeret, quod statim redderet, sed saltem dat inducias usque ad duos menses [1], ultra quod tempus tenetur aut mulieri debitum reddere, aut ad vitam aliam se transferre. Tunc ergo est vinculum solutum, cum homo ad vitam aliam est irregressibiliter translatus, et ideo dicitur mortuus.

Notandum.

Et ex hoc patet illud quod ultimo quaeritur, quando scilicet solvitur vinculum, videlicet quando ita ligatur, ut non possit redire ad saeculum; et si uxor instet, necesse habet unum sibi de duobus eligere infra duos menses secundum canones [2]. Et per hoc patet totum.

Ad quaest. incid.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de ista definitione: *Matrimonium est viri et mulieris coniunctio maritalis, individuam vitae consuetudinem retinens.* Videtur enim, quod ista definitio sit *falsa:* primum, quia non est necesse, coniuges semper simul cohabitare: ergo non est necesse ad hoc, quod sit matrimonium, quod sit ibi individua vitae consuetudo. — Item, videtur esse *superflua,* quia, si est coniunctio maritalis, est indivisibilis [3]: ergo si hoc clauditur in primo membro, videtur, quod superfluat illud addere.

Respondeo: Dicendum, quod hic definitur matrimonium secundum statum *perfectum* sive consummatum; ista autem definitio: Matrimonium est maris et feminae coniunctio maritalis, sufficiens est quantum ad *esse* definiti, et tangitur ibi *genus* et *differentia.* Sed quoniam maritalis coniunctio duo implicat in se, scilicet legitimitatem personarum et indivisionem personarum; ideo ad maiorem eruditionem superadditur aliud, scilicet *inter legitimas personas* etc.; et non est de *esse* definitionis, sed explicatio primi membri [4]. — Posset tamen dici, quod notetur ibi quadruplex genus causae, scilicet *formalis,* in hoc quod dicitur: coniunctio maritalis; *efficiens,* in hoc quod dicitur: viri et mulieris, quae, in quantum consentiunt, se habent in ratione causae efficientis [5]; *materialis,* in hoc quod dicitur: inter legitimas personas; *finalis,* in hoc quod dicitur: individuam vitae etc., ubi tangitur bonum Sacramenti, quod est principale bonum matrimonii. — Et per hoc patent obiecta, quia non est *superfluitas* nec *falsitas,* quia non est indivisio quantum ad *coniunctum,* sed quantum ad *Sacramentum* [6].

Notandum.

Alia solutio.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si autem verbis explicant quod corde nolunt, si non sit coactio ibi vel dolus* etc. Videtur enim male dicere, quia, cum impossibile sit, quod aliud exprimatur in ore, quam sit in corde, *sine dolo;* videtur Magister implicare incompossibilia.

Respondeo: Dicendum, quod *dolus* dupliciter potest esse, scilicet *expressus exterius per sermonem,* vel solummodo *in corde;* sicut *intentio iocandi* in dando baptismum potest esse dupliciter: aut ita, quod tantum sit in *corde,* aut ita, quod aliquo modo exprimatur in *signo exteriori.* Sic *dolus* est in *corde,* quando exterius facit omnino, sicut facit qui simpliciter consentit; et de hoc dolo Magister non intelligit. Alius est, quando *per signum exprimitur,* sicut in decretali quadam, de Sponsalibus [7], ponitur casus de quodam, qui, cum vocaretur Ioannes, nominavit se Petrum, in consentiendo dicens: ego Petrus, vel aliquid simile; et tunc manifeste deprehenditur dolus *exterius;* et de tali loquitur Magister, non de dolo occulto. Istud autem verbum intelligendum est habere veritatem secundum iudicium

Duplex dolus et intentio iocandi.

Notandum.

---

[1] Colligitur ex C. *Ex publico instrumento* in nota praeced. allegato. — In principio solut. post *potestatis* cod. K addit *corporis*, et pro *quod potestas* cod. F *quod translatio.*

[2] Cfr. canon in nota praeced. allegatus. — Cod. T addit *vel castitatem vovere, vel ad uxorem redire.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Cod. L *individualis.*

[4] Hinc etiam in definitione matrimonii a Iustiniano (I. Institut. tit. 9. de patria potestate) data omittitur *maritalis:* « Nuptiae autem sive matrimonium est viri et mulieris coniunctio, individuam vitae consuetudinem continens ». Datur a Iustiniano (D. XXIII. de Ritu nuptiarum, tit. 2. lex 1.) etiam haec definitio: Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio [i. e. secundum S. Thom., loc. inferius cit., consortium vitae communis regulatum per ius divinum et humanum].

[5] Vide supra a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1.

[6] Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 2; S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1.

[7] Extra lib. IV. tit. 1. C. *Tua nos duxit* (26.), ubi quidam, animo decipiendi mulierem, illi dixit: te Ioannes desponsat, cum ipse Ioannes non vocaretur, sed finxit, se vocari Ioannem. — Superius post *consentit* cod. aa addit *et tamen non consentit interius.*

in facie Ecclesiae, non secundum veritatem sive in foro conscientiae [1].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicitur de Macario, quod *eremi solitudinem elegit;* utrum sponsa eius fuerit soluta ab eo. Et videtur, quod *non*, quia ivit in *eremum:* ergo cum non dederit potestatem suam alii, sed fuerit liberae voluntatis; potuit redire ad saeculum: ergo videtur, quod uxor soluta non erat. — In *contrarium* est: quia ipse non peccabat, ergo uxori nihil subtrahebat: ergo illi licebat transire ad secunda vota.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis eremitae obedientiam non promittant, tamen, quia personae sunt religiosae, votum continentiae annexum habent; et ratione assumtionis habitus et more [2] intelligitur in ipso solemnizari votum, maxime si est cum sociis, qui voverunt castitatem, et ipse in habitus talis susceptione ad continentiam perpetuam se obligavit.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Volumus maritum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere;* utrum *tonsuratus* debeat in saeculo remanere. Et quod sic, videtur: quia non absolvitur a voto, immo post mortem uxoris non licet contrahere, immo iterum tenetur continere et compellendus est [3]: ergo videtur, quod non sit absolutus a voto solemni: ergo videtur, quod tenetur ferre habitum. — *Contra* hoc est, quia hoc esset in contumeliam uxoris: ergo si ipsa non debet puniri, patet etc.

Respondeo: Dicendum, quod talis, qui intravit religionem, aut intravit, uxore *nolente* et non consentiente, tamen in saeculo existente et contradicente; Membrum 1 distinctionis. et talis non tenetur ad religionem, quia non potuit votum emittere, immo si repetatur, ei reddendus est; tenetur tamen, quantum in se est, continentiam servare; unde cum alia non potest contrahere, quia continentiam, quantum in se est, potuit servare, sed non religionem intrare, quia potuit non exigere, sed tenebatur reddere. — Membrum 2. Aut intrat religionem, uxore *volente,* sed tamen in saeculo remanente; et talis solvitur a voto [4] *non simpliciter*, sed *ad tempus,* nec omnino, sed solum in quantum votum erat in praeiudicium mulieris. Et hoc habetur in quadam decretali, de Conversione coniugatorum, *Ex parte* [5], ubi scribitur, quod si aliquis vovit castitatem et habitum religionis suscepit, uxore consentiente, sed postmodum, ipsa in saeculo remanente, et ipse remansit; illa autem mortua, ille idem postmodum cum alia contraxit. Et hoc quidem non debuit fieri, unde dicitur, quod separandus est ab illa et compellendus est religionem intrare. Et ratio redditur ibi, «quia, uxore sua manente in saeculo, religionem non potuit profiteri, ea tamen sublata de medio, sine periculo salutis votum, quod fecit, non potuit vitiare [6]». Ratio. Et ita patet, quod non tenetur *ferre habitum,* quamdiu uxor vivit, tum propter scandalum, tum propter uxoris vituperium.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum et sponsae sunt.* Videtur enim sentire, quod non licet sponso transire ad religionem, sponsa nolente, nisi sit sponsio *de futuro;* aliter distinctio sua ad propositum nihil videtur valere. Et hoc falsum videtur, sicut habetur in libro tertio decretalium, de Conversione coniugatorum [7], ubi dicitur in illa decretali *Verum* etc., quod licet alteri intrare, altero invito, et illi licet ad secunda vota transire. Et ratio ibi redditur: «quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in saeculo remanere». — Item, quod distinctio ista Magistri non solvat, videtur: quia Macarius et Alexius, uterque consenserat *de praesenti;* aliter enim non fecissent convivia [8]: ergo licet post contractum matrimonium sponsam dimittere. Et *iterum,* quod liceat nubere, habetur ex praedicta decretali et per rationem. Si enim ista mulier nondum est effecta una caro, et propter hoc potest vir transire: ergo si ipsa puniri non debet, aut vir suus est sibi restituendus, aut ipsa potest cum alio contrahere.

Respondeo: Dicendum, quod re vera, sicut expresse dicit decretalis illa, licet his qui consenserunt *de praesenti,* ad religionem convolare, et alteri licet nubere; nec est credendum, quod Magister velit oppositum dicere; aliter enim iuri canonico et rationi contrairet, nec in parte ista ei consentiendum

---

[1] Vide supra a. 2. q. 2. — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Vat. *morae.* S. Thom., hic circa lit.: Eremitae... tamen votum continentiae habent annexum, et *ex more* secundum determinatum tempus eorum votum solemnizatur. — Praeter S. Thom. cfr. de hoc dubio Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Cod. X repetit *continere.* Pro *iterum* cod. M *tunc.*

[4] Ita cod. E, cuius lectio confirmatur ex seqq. et ex S. Thom., hic circa lit.: Quamvis [viri intrantis religionem] fuerit verum *votum, suspenditur* tamen ad tempus, vivente uxore, in quantum fuit in praeiudicium eius. Cod. K (I a secunda manu) *ab ea*, cod. aa *a muliere,* alii codd. et edd. *a viro.*

[5] Extra, lib. III. tit. 32. c. 9.

[6] Textus originalis *violare,* qui etiam substituit *de iure ad religionem nequiverit proficisci* pro *religionem non potuit profiteri.* — Praeter S. Thom., superius allegatum, idem dub. solvit Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2.

[7] Tit. 32. c. 2.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 6. — Post *consenserat* cod. bb addit *per verba.* Inferius edd. omittunt *et per rationem* (scil. in decretali expressam).

Triplex matrimonium. esset. Unde distinguunt iurisperiti[1] matrimonium secundum triplicem differentiam: quoddam enim *initiatum*, quoddam *ratum*, quoddam *consummatum*. Matrimonium initiatur *desponsatione de futuro*, ratificatur in *consensu de praesenti*, consummatur in *copula carnali*. Et ideo praemissae auctoritates intelligi possunt non solum de *sponsa*, verum etiam de *coniuge*. Aliquae tamen auctoritates, quae sequuntur[2], intelliguntur de ea quae pure est *sponsa;* et propter hoc distinguit Magister duplicem modum desponsandi. Sunt tamen et alii modi, qui infra[3] patebunt.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Cui copulatus ad coniugium ulterius ad sacros ordines non accederet, cum viduam duxerit*. Videtur enim male dicere, quia talis non dividit carnem suam, nec uxor divisit: ergo in nullo videtur praeiudicare Sacramento. — Item, talis mulier, si ingrediatur religionem, consecratur ut virgo: si ergo mulieri nullum praeiudicium generatur, videtur, quod nec viro. — *Contrarium* autem videtur dici in littera[4].

Respondeo: Dicendum, quod illud quod dicit Magister et Pelagius, fuit de rigore iuris, non propter obstaculum, quod fit ex parte Sacramenti directe. Unde secundum nova iura[5] hodie non tenetur, eo quod neuter carnem suam divisit, et uxorem habuit virginem, quod attenditur ad perfectionem Sacramenti. Notandum. Et *si tu obiicias* mihi de eo qui contraxit cum aliqua virgine et matrimonium consummavit, et post contraxit cum alia, quam tamen non cognovit, quod bigamus iudicatur; dicendum, quod hoc non est propter *defectum Sacramenti*, sed quia praesumitur contra ipsum de *incontinentia;* sicut diaconus, qui contraxit cum secunda in diaconatu — et intellige: contraxit *de facto*, quia *de iure* non potest, ut habetur vigesima octava distinctione[6], cum opere subsecuto — punitur tanquam bigamus, cum tamen secundum non fuerit matrimonium.

DISTINCTIO XXVIII.

Cap. I.

Si consensus de futuro etiam iuramento firmatus faciat coniugium.

Hic quaeri debet, utrum consensus de futuro, addito etiam iuramento, coniugium efficiat, ut «si quis promittat, vel etiam iuret alicui, se usque ad *tempus placitum* illam ducturum, et illa promittat vel iuret, se illi nupturam; nunquid talis sponsio eos coniuges fecit[1]? Hugo. Dubium 1. Si mutato proposito, alter vel uterque ad alienam copulam transit; nunquid ob priorem sponsionem iuramento subnixam secundae foederationis pactum scindetur? — Considera, quia longe aliud est *promittere*, et aliud *facere*. Qui promittit nondum facit. Qui ergo promisit, se uxorem ducturum aliquam, nondum eam duxit uxorem; et quae spopondit, se nupturam, nondum nupsit. Quomodo ergo *coniuges* appellari possunt qui nondum contrahunt, sed in futuro se contracturos iurando promittunt? Item, si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox efficiuntur *coniuges;* cur iurant, in futuro se facturos quod in praesenti efficiunt? Item, si ex quo iurant, mox efficiuntur *coniuges;* tunc hanc rem efficiunt, quam iurant se facturos. Ideo dico, quod coniugium tunc non *fuit*, sed *futurum promittitur*. Si vero ille post uxorem duxit, et illa marito nupsit; coniugium utrinque fuit et non potest dissolvi. Praecedens igitur mendacium vel periurium poenitentia est corrigendum, sed coniugium sequens non est dissolvendum. Non autem sic est, quando iuramentum coniugii *praesentis consensus* attestatione firmatur, quia post talem consensum, si quis alii se copulaverit, etiam si prolem procreaverit, irritum debet fieri, et ipse ad priorem copulam revocari». Dubium 2.

Praemissae autem sententiae videtur obviare illud quod leges tradunt: «Si quis, tactis divinis Scripturis, iuraverit mulieri, se eam legitimam uxorem habiturum, vel etiam, si in oratorio tale sacramentum dederit; sit illi legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit[2]». Canon. — Sed hic ostenditur,

---

[1] Cfr. supra pag. 670, nota 4.

[2] Hic in lit. Magistri, c. 9.

[3] Dist. 36. a. 2. q. 3, ubi *quatuor* modi exhibentur, de quibus B. Albert., hic a. 15; S. Thom., hic q. 2. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

[4] Hic c. 10, ubi etiam *Pelagii* verba habentur.

[5] Cfr. C. *Debitum pastoralis officii* (5.), X. de Bigamis non ordinandis (lib. I. tit. 21.). — Inferius pro *ad perfectionem* edd. *in perfectione.*

[6] Can. *Quando presbyteri aut diaconi* (3.) et C. *Praeterea placuit* (7.), in quibus a diaconis exigitur promissio castitatis servandae. Plures codd. omittunt *ut habetur vigesima octava distinctione,* fortasse non absque ratione, quia quae hic dicuntur plenius inveniuntur in C. *Nuper a nobis* (4.), X. de Bigamis non ordinandis (lib. I. tit. 21.), in quo recurrit distinctio *de iure* et *de facto,* ac dicitur de talibus clericis, quod cum eis «tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto». Cfr. supra d. 25. a. 2. q. 3. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 20; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Plures edd. *facit.* — Hic locus excerptus est ex Hug. II. de Sacram. p. XI. c. 5.

[2] Can. *Si quis divinis* (9.), C. 30. q. 5. — Pro *sit illa* cod. A et edd. 2, 3, 5, 7, 8, 9 *fit illi,* refragante etiam canone.

quid fieri vel esse debeat, non quid tunc fiat. Non enim per illud iuramentum tunc fit uxor, sed fieri debet, quia iuratum est. — Potest et de illo iuramento hoc dictum[1] intelligi, ubi *de praesenti* consentiunt ac se invicem suscipiunt. — Illi etiam sententiae, qua dictum est, solum consensum facere coniugium, videtur obviare quod Evaristus Papa ait: « Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super feminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur et a parentibus sponsetur et legibus dotetur et a sacerdote, ut mos est, benedicatur et a paranymphis custodiatur ac solemniter accipiatur ». Item: « Ita legitima scitote esse connubia, aliter vero praesumta; non coniugia, sed adulteria, vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima ». — Hoc autem non ita intelligendum est, tanquam sine enumeratis non possit esse legitimum coniugium, sed quia sine illis non habet decorem et honestatem debitam.

Alia explicatio. Evaristus. Canon.

Cap. II.

De his quae pertinent ad substantiam et decorem Sacramenti.

In huius enim Sacramenti celebratione, sicut in aliis, quaedam sunt pertinentia ad *substantiam* Sacramenti, ut consensus de praesenti, qui solus sufficit ad contrahendum matrimonium; quaedam vero pertinentia ad *decorem et solemnitatem* Sacramenti, ut parentum traditio, sacerdotum benedictio et huiusmodi; sine quibus legitime fit coniugium, quantum ad *virtutem*, non quantum ad *honestatem* Sacramenti. Sine his ergo non quasi legitimi coniuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conveniunt, ut illi qui clanculo nubunt; et utique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de praesenti, quae legitimum inter eos facit matrimonium. Nam et consensus *occultus de praesenti*, per verba expressus coniugium facit; licet non sit ibi *honestus* contractus, sed matrimonium non *sanxit* consensus, qui in occulto fuit[2]. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiae redire et commanere quasi cum coniuge, quia non potest probari testibus contractus, qui in occulto est factus. Quodsi ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntarie in manifesto profiteantur; tunc utique propria voluntas suffragatur, et legitima vota succurrunt ad sanciendum coniugium, quod prius occulte fuerat contractum. Voluntas igitur verbis expressa *in occulto* ad hoc suffragatur, ut *fiat* coniugium; *manifeste* vero *expressa* suffragatur, ut *sanciat et roboret*, ac liberum sit Ecclesiae de hoc iudicare, si expedierit.

Dubium 3.

Cap. III.

Utrum consensus ille, qui facit matrimonium, sit de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

Gratianus. Hic quaeritur, « cum consensus de praesenti matrimonium faciat, cuius rei consensus sit ille, an *carnalis copulae*, an *cohabitationis*, an *utriusque*. Si *cohabitationis* consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore, pater cum filia potest contrahere matrimonium; si *carnalis copulae*, tunc inter Mariam et Ioseph non fuit coniugium. Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet, secundum quod videtur Angelo dixisse: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, me non cognituram proposui. Neque enim, quia tunc virum non cognoscebat, necesse erat inquiri, quomodo posset habere filium; sed quia se nunquam cognituram proposuerat[3] ». Dicit enim Beda, « quod in virginitate manere disposuerat ». « Si igitur contra suum propositum post consensit in carnalem copulam, videtur facta voti rea mente, etsi non opere, violati ».

De coniugio B. Virginis. Beda. Gratianus.

Cap. IV.

Quare de latere viri formata est mulier.

Dicamus igitur, quod consensus *cohabitationis*, vel *carnalis copulae* non facit coniugium, sed consensus *coniugalis societatis*, verbis secundum praesens tempus expressus, ut cum vir dicit: ego accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed coniugem. Quia enim non ancilla, vel domina datur, ideo nec de *summo* nec de *imo* a principio formata est, sed de *latere* viri[4] ob coniugalem societatem. Si de *summo* fieret, ut de capite, videretur ad dominationem creata; si vero de *imo*, ut de pedibus, videretur ad servitutem subiicienda; sed quia nec in dominam nec in ancillam assumitur, facta est de *medio*, id est de latere, quia ad coniugalem societatem assumitur. Cum igitur sic conveniunt, ut dicat vir: accipio te in meam coniugem, et dicat mulier: accipio te in meum virum; his verbis, vel aliis idem significantibus exprimitur consensus non *copulae carnalis*, vel *cohabitationis corporalis*, sed *coniugalis societatis*; ex qua oportet eos cohabitare, nisi forte causa religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel usque in finem.

De formatione Evae.

---

[1] Cfr. d. XXVII. c. 3. — Inferius pro *obviare* codd. A B E et ed. 1 *contraire*, cod. D *contradicere*. — Seq. locus est C. *Aliter legitimum* (1.), ibid.; secundus ibid. § 1. — De hoc cap. cfr. Hug., loc. cit. c. 6.

[2] Codd. *fuerit*, edd. 1, 8 *fit*. Inferius post *commanere* codd. A B E et ed. 1 omittunt *quasi*. Denique in fine codd. B C D E et ed. 1 *liberum fiat* pro *liberum sit*.

[3] Gratian. super C. *Sufficiat* (2.), C. 27. q. 2. — Locus Scripturae est Luc. 1, 34. Seq. locus est Bedae in Luc. 1, 34; tertius iterum Gratian., loc. cit. § 1.

[4] Cfr. Gen. 2, 21, et de hoc cap. Hug., loc. cit. c. 4, et Magister II. Sent. d. XVIII, ubi citati sunt loci Augustini, unde Magister hanc doctrinam sumsit.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXVIII.

De consensu defectivo exterius.

Hic quaeri debet, utrum consensus de futuro etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, consensum esse causam matrimonii. Hic excludit differentias consensuum non efficientium matrimonium; et talis est consensus defectivus. Quoniam autem consensus dupliciter potest deficere, scilicet vel ex aliquo exteriori [1], vel ex aliquo interiori, ut puta per errorem, vel per coactionem: ideo haec pars habet duas. In prima agit de consensu defectivo exterius. In secunda vero interius, infra distinctione vigesima nona: *Oportet autem, consensum coniugalem liberum esse a coactione.*

Prima pars tres habet secundum triplicem consensum, sive secundum quod consensus potest tripliciter considerari, scilicet quantum ad *tempus*, sive in quo sive pro quo fit; quantum ad *alienum testimonium*, coram quo fit; et quantum ad *terminum*, in quem dirigitur; sic haec pars tres habet partes. In prima inquirit Magister de consensu de futuro iuramento firmato, utrum faciat matrimonium. In secunda de consensu cum testimonio, ibi: *Praemissae autem sententiae videtur obviare* etc. In tertia quaerit, in quam rem oporteat consentire ad hoc, quod contrahatur matrimonium; utrum in carnalem copulam, an non; et hoc ibi: *Hic quaeritur, cum consensus de praesenti.*

Quaelibet autem istarum partium duas habet. In prima opponit; in secunda solvit. Partes autem in littera manifestae sunt.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis sex quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum consensus de futuro faciat matrimonium.

Secundo, utrum consensus ad tempus.

Tertio, utrum consensus conditionatus.

Quarto, utrum consensus tacitus.

Quinto, utrum consensus occultus.

Sexto, utrum solus consensus in carnalem copulam.

ARTICULUS UNICUS.

De pluribus consensus modis.

QUAESTIO I.

Utrum consensus de futuro faciat matrimonium.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod consensus *de futuro* faciat matrimonium:

Ad oppositum.

1. Hac *ratione:* sicut se habet praesens ad praesens, ita futurum ad futurum; sed consensus de praesenti facit matrimonium in praesenti: ergo consensus de futuro facit matrimonium de futuro.

2. Item, *per simile* videtur: sicut qui promittit aliquid in praesenti obligatur in praesenti, sic qui promittit aliquid de futuro obligatur pro illo tempore; sed sicut promissio est causa obligationis, ita consensus est causa matrimonii: ergo videtur, quod consensus de futuro faciat matrimonium de futuro.

3. Item, consensus de futuro facit matrimonium, si carnalis copula subsequatur [2]; sed carnalis copula non est causa matrimonii, sed ipsum sequitur: ergo prius fuit matrimonium, quam coirent: ergo etc.

4. Item, si consentiat de futuro, et sequatur stuprum, ita ut non cognoscat affectu maritali, sed fornicario, facit matrimonium; sed magis obligat iuramentum quam stuprum: ergo si consentiat cum iuramento, est ei uxor.

---

[1] In codd. S T additur *scilicet tempore, vel testimonio, vel termino.*

[2] Vide C. *Is qui fidem* (30.) et C. *Adolescens* (32.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

Fundamenta. CONTRA: 1. Iura[1] dicunt, quod si quis in aliquam consentiat per verba de futuro et in alteram per verba de praesenti, secunda est uxor: si ergo unius est una uxor, prima non fuit uxor.

2. Item, ratione videtur: quia quod futurum est non est[2]: ergo cum consentit de futuro, nondum consentit: ergo *modo* non est matrimonium. Quod autem nec in *illo futuro*, patet: simus in illo futuro et ponatur, quod tunc *non consentiat;* non est consensus *tunc* nec *prius* fuit: ergo non *est* matrimonium nec *fuit.*

3. Item, qui semel consentit in aliquam non debet iterum consentire ad hoc, quod fiat matrimonium; sed consensus de futuro, cum dicitur: accipiam te in meam, obligat iterum consentire[3]: ergo per verba de futuro non est consensus matrimonialis. Quod se *obliget,* patet, quia se obligat ad accipiendum in uxorem, et non aliter accipit quam per consensum.

CONCLUSIO.

Consensus non facit matrimonium, nisi exprimatur per verba de praesenti.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod consensus non facit matrimonium, nisi exprimatur per verba *de praesenti.* Si enim exprimatur per verba *de futuro,* in veritate non est *consensus* tunc, sed *promissio* de consentiendo. Unde si dicat quis: ego consentiam in te; tunc quidem non consentit, sed se consensurum promittit. Et quia non est ibi consensus, ideo non est matrimonii contractio; quia vero est *promissio,* et ideo *obligatio;* propterea non *matrimonium,* sed *sponsalia* debent dici; et haec quidem *firmata* sunt, quando simplici promissioni additur iuramentum. Secundum enim iura[4] cogendus est vir, ut mulierem accipiat in uxorem, nisi aliquis casus interveniat, qui solvat sponsalia. Sponsalia firmata.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sicut praesens se habet ad praesens etc.; dicendum, quod verum est. Unde sicut, si consentit hodie, fit hodie matrimonium; sic, si consentit cras, fit cras. Sed cum *nunc* dicit *de futuro,* non consentit, sed consentire promittit; et ideo non fit *matrimonium,* nec de praesenti nec de futuro, sed solum *sponsalia* contrahuntur[5].

2. Ad illud quod obiicitur, quod qui de futuro promittit obligatur ad futurum; dicendum, quod verum est, quia promissio est praesens; unde cum dicit: ego faciam hoc, actu promittit, et ideo[6] obligatur. Similiter et iste obligatur spondendo; sed non propter hoc fit matrimonium, sicut nec promissio est solutio.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de carnali copula, dicendum, quod iura[7] praesumunt, quod ipse consentit, et hoc per signum expressum exterius, quia tanquam uxorem cognoscit; et praesumunt etiam, quod tanquam uxorem cognoscat, « ne reportet commodum de malitia ». Unde in veritate si non consentit, sed solum tanquam meretricem cognoscit, matrimonium secundum veritatem non est. Quia tamen coitus ille cum praecedenti sponsione signum est probabile consensus matrimonialis; ideo matrimonium est secundum iudicium Ecclesiae, et consulendum est tali, quod consentiat, si non consensit interius in animo.

SCHOLION.

I. Circa 1. quaestionem manifestum est, quod sicut differunt *promissio* et *solutio,* sic consensus *de futuro* et *de praesenti,* nec non *sponsalia* et *matrimonium.* Cfr. supra d. 27. dub. 5, de promissione iurata infra dub. 1. 2. — Plura de *sponsalibus* habet cum aliis S. Thom. supra d. 27. q. 2. a. 1-3.

De ipsa 1. quaestione: Scot., hic q. unica. — S. Thom., supra d. 27. q. 1. a. 2. quaestiunc. 3, et de promissione iurata, hic a. 1; Suppl. q. 45. a. 3, q. 46. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1-4. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. Circa 2. quaestionem patet, quod cum indissolubilitas matrimonio sit *essentialis,* consensus *ad tempus* non est verus nec sufficiens consensus.

De hac 2. quaestione: Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

III. Solutio 3. quaestionis quoad principia est communis; in applicatione ad plures casus oriuntur varia dubia, de quibus agitur in libris scientiae moralis et canonum.

S. Thom., infra d. 29. a. 3. quaestiunc. 3; Suppl. q. 47. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. — Durand., hic q. 2.

---

[1] In C. *Sicut ex litteris* (22.) et C. *Si inter virum* (31.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

[2] August., XI. Confess. c. 14. n. 17. et 18: Futurum nondum est. — Inferius pro *simus in illo futuro et* edd. *quia.*

[3] Cod. F addit: *ergo per verba de futuro non est consentire.*

[4] Ut C. *Ex litteris Silvani* (10.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.). Cfr. ibid. C. *Praeterea hi* (2.) et C. *Requisivit a nobis* (17).

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Superius verbis *Sed cum* codd. IK interserunt *tamen.* Subinde pro *sed* cod. Z substituit *eo quod.*

[6] Cod. T addit *actu.*

[7] Ut in ipsis decretalibus supra pag. 688, nota 2. allegatis et in *Glossis* super ipsas insinuatur. Cfr. ibid. C. *Ad id quod* (21.). — De seq. axiomate (*ne reportet commodum* etc.) cfr. supra pag. 103, nota 11.

QUAESTIO II.

Utrum consensus ad tempus faciat matrimonium.

Secundo quaeritur, utrum consensus ad tempus faciat matrimonium, ut cum dicitur: accipio te in meam usque ad decem annos. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia hic est consensus viri in uxorem et uxoris in virum, facta expressione per verbum: ergo etc.

2. Item, hoc videtur *ratione:* quia, sicut se habet *simpliciter* ad *simpliciter*, sic *secundum tempus* ad *secundum tempus;* sed consensus simpliciter facit uxorem simpliciter et matrimonium simpliciter: ergo similiter consensus ad tempus facit matrimonium ad tempus.

3. Item, sicut aliquis fit servus *simpliciter,* se subdendo *simpliciter*[1], ita etiam fit servus *ad tempus,* se subdendo *ad tempus:* ergo similiter videtur in coniugio, et sic videtur, quod ad certum tempus possit fieri matrimonium.

4. Item, qui aliquid potest dare *simpliciter* potest dare et *ad tempus;* sed vir potest dare *simpliciter* potestatem sui corporis: ergo et *ad tempus.* Sed non potest potestatem sui corporis dare nisi uxori: ergo potest habere uxorem ad tempus. *Si tu dicas,* quod Dominus instituit *ad semper; contra:* nihil debet Dominus instituere, quod possit vergere in diminutionem sui honoris, vel nostrae perfectionis; sed si matrimonium esset temporale, posset quis se totum ad Dei obsequium deputare, quando vellet: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. In quadam decretali[2] Gregorii noni, de Conditionibus appositis in desponsationibus, dicitur: « Si quis dicat: contraham tecum, donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem; matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu ».

2. Item, ad hoc est definitio Hugonis[3], qui dicit, quod matrimonium « est consensus individuam vitae consuetudinem tenens ».

3. Item, hoc videtur *ratione:* quia de *esse* matrimonii, ut supra[4] ostensum est, est indissolubilitas: ergo qui consentit in matrimonium ad omne tempus se obligat: ergo si exprimit, quod non obligatur nisi ad tempus, nullo modo est matrimonium.

4. Item, nulla anima unitur Deo per desponsationem, nisi *simpliciter* consentiat et proponat coniungi: ergo similiter in signo, si hoc est conveniens signum; sed matrimonium est conveniens signum[5]: ergo non fit matrimonium, nisi exprimatur simpliciter consensus.

CONCLUSIO.

Ut matrimonium sit validum, oportet simpliciter et ad omne tempus consentire et talem consensum simpliciter exprimere.

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc, quod sit matrimonium, necesse est, consensum *esse* et *exprimi simpliciter* — unde dici debet: accipio te in meam — quodsi alio modo consentiat, non est consensus matrimonialis sive coniugalis, sed adulterinus[6]. Unde deficit matrimonium verum, sive deficiat in *corde,* sive in *ore* consensus simpliciter; sed quando in *corde,* tunc in conspectu Dei et secundum veritatem; quando in *ore,* tunc in facie Ecclesiae. Conclusio.

Ratio autem, quare oportet *simpliciter consentire,* et quod nihil valet consensus *ad tempus,* est, quia consensus non facit matrimonium nisi eatenus, quatenus praesupponit divinam institutionem; divina autem institutio respicit congruam significationem. Si ergo est significatio rei *indivisibilis* sive coniunctionis, ideo constituit[7] Dominus coniunctionem talem *ad perpetuitatem;* et huic etiam competit dictamen iuris naturalis. Et ideo, si consensus consonat institutioni, necesse est, quod sit ad *omne tempus,* alioquin causa particularis non concordat universali; et ideo nihil fit, nec consentit in talem ut in uxorem, sed potius ut in concubinam. — Et concedendae sunt rationes ad hoc, quia in forma verborum implicatur aliquid, quod est « contra matrimonii substantiam[8] ». Ratio.

2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod sicut se habet simpliciter etc.; dicendum, quod hoc verum est, ubi contingit reperire *secundum quid* in utroque extremorum; sed matrimonium nullo modo est secundum tempus: et ideo non valet illud. Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de servitute, dicendum, quod non est simile, quia servitutis vinculum potest esse temporale et perpetuum, sed matrimonium est perpetuum[9].

4. Ad illud quod obiicitur, quod potestas cor-

---

[1] Cod. K (I a secunda manu) supplet *alicui.*
[2] Quae incipit *Si conditiones* (7.), X. lib. IV. tit. 5.
[3] Libr. II. de Sacrament. p. XI. c. 4. Cfr. supra pag. 679, nota 8. — Pro *tenens* codd. G K *retinens.*
[4] Dist. 27. a. 3. q. 1. seq.
[5] Ut ostensum est supra d. 26. a. 2. q. 1.
[6] Ita codd. E I K L, in aliis et edd. *adulterium.*
[7] Codd. F K L aa (I a secunda manu) *instituit.* Inferius post *naturalis* Vat. addit: *quia vir potest uxori dare simpliciter potestatem sui corporis,* quae verba, mutato *quia* in *sed,* ed. 1 paulo inferius post *tempus* subnectit.
[8] Ut dicit Gregor. IX. in praeallegato C. *Si conditiones* contra substantiam coniugii inserantur etc.
[9] Codd. E M O U W Y addunt *tantum.*

poris potest dari ad tempus; dicendum, quod non potest dari *ad tempus,* nisi detur *simpliciter;* et est simile: quia Deus non acceptat bonam voluntatem vel servitium alicuius, nisi velit vel proponat semper sibi servire.

Simile.

Ad illud quod obiicitur, quod Dominus non debuit instituere; dicendum, quod in huius Sacramenti institutione magis *congruitas* in significando et *necessitas* quam aliud consideratur; et haec exigunt, ipsum esse perpetuum [1].

QUAESTIO III.

Utrum consensus conditionatus faciat matrimonium.

Tertio quaeritur, utrum consensus conditionatus faciat matrimonium, ut: accipio te in meam, si dederis mihi centum libras. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Per *simile:* quia votum conditionatum votum est: ergo similiter videtur, quod consensus conditionatus matrimonium faciat [2].

2. Item, aliquis consentiens in aliquam spe pecuniae habendae matrimonium contrahit: ergo si consensus talis competit matrimonio, ergo ipsius expressio non repugnat: ergo si dicat: consentio, si dederis, patet etc.

3. Item, quando aliquis promittit aliquid sub conditione; si stet conditio, stat obligatio et promissio; sed possibile est, stare conditionem: ergo et consensum et obligationem et matrimonium.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Plus se obligat qui *simpliciter* de futuro promittit, quam qui *sub conditione* — nam prima est obligatio *simpliciter,* secunda vero *non* — sed consensus per verba *de futuro* expressus non facit matrimonium [3]: ergo etc.

2. Item, post consensum istum aut est *uxor,* aut *non.* Si *uxor;* sed possibile est, conditionem non stare, et non consenserat nisi sub conditione: ergo est uxor sine consensu. Sed *non est uxor* [4]: ergo talis consensus non efficit matrimonium.

3. Item, matrimonium est vinculum nullo modo solubile; sed omnis obligatio vel pactio sub conditione facta est solubilis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Consensus conditionatus expressus per verba de futuro non facit nisi sponsalia; ast omnino non valet, si conditio fit per modum poenae, sive ut determinatio contractus inhonesta et contra substantiam matrimonii; si autem fit per verba de praesenti, etiam tunc non facit matrimonium, si conditio est de futuro contingenti.

Membrum 1. distinctionis.

Respondeo: Dicendum, quod consensus *conditionatus,* si fiat per verba *de futuro,* iudicari [5] habet, sicut et *consensus de futuro.* Unde sicut consensus de futuro non facit *matrimonium,* sed *desponsationem* sive sponsalia; sic nec talis consensus sub conditione.

Conclusio 1.

Distinctio.

Attendendum tamen, quod conditio aut apponitur *per modum poenae,* aut ut *determinatio contractus.* Si per *modum poenae,* nullius est vigoris, pro eo quod matrimonia debent esse libera. Unde si quis proponat: promitto contrahere tecum sub poena centum marcarum, vel si non contraxero, dabo tibi centum; etiam si non contrahat, non debet nec tenetur ad illam poenam [6]. — Si autem apponitur ut *determinatio contractus* sive consensus, distinguendum est: aut enim est conditio *honesta,* aut *inhonesta.* Si est *honesta,* stante conditione, stant sponsalia; non stante, non stant, ut si quis dicat: contraham tecum, si placuerit patri meo, vel si tu volueris converti ad fidem. — Si autem est *inhonesta,* duplex est: aut est contra *substantiam matrimonii,* aut *non.* Si contra *substantiam matrimonii,* tunc nulla est obligatio, ut si dicat: contraham tecum, si procuraveris venena sterilitatis, vel aliquod huiusmodi. Si autem est inhonesta et *non contra substantiam matrimonii,* ut si dicatur: contraham tecum, si furatus fueris, vel si Deum offenderis; talis conditio pro non adiecta habenda est. — Et hoc totum probatur per illa quae dicuntur Extra, in quarto libro de Conditionibus appositis in desponsatione [7].

Conclusio 2. Subdistinctio. Conclusio 3. Iterum subdistinctio. Conclusio 4. Conclusio 5.

Membrum 2. cum distinctione.

Si autem consensus fiat per verba *de praesenti;* aut conditio est *praeterita,* aut *praesens,* aut *futura.* Si conditio est *praeterita,* ut: accipio te in meam, si mortuus est pater tuus; vel *de praesenti,* ut: accipio te in meam, si es virgo; stante conditione, stat matrimonium. Si autem conditio est *de futuro;* aut futuri *necessarii,* aut futuri *contingentis.* Si futuri *necessarii,* ut: accipio te in meam, si sol oriatur cras; tunc est matrimonium. Si autem conditio est *contingens,* dico, quod non est matrimonium, eo quod *consensus* pendet de futuro, sicut et *conditio;* et ideo iudicandum est tunc, sicut

Conclusio 6. Subdistinctio. Conclusio 7. et 8.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Multi codd. *matrimonium sit,* cod. K (1 a secunda manu) et ed. 1 *sit consensus,* cui Vat. addit: *et per consequens matrimonium efficit.*

[3] Ut ostensum est supra q. 1.

[4] Cod. aa supplet *sine consensu,* cod. T substituit *ergo non* pro *sed non.*

[5] Non pauci codd. et ed. 1 *iudicium.*

[6] Cfr. C. *Gemma* (29.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.); Iustinian., C. V. de Sponsalibus etc. (tit. 1.), lex *Mulier iuris sui* (5.), in fine, et VIII. de Inutilibus Stipulationibus (tit. 39.), lex *Libera matrimonia* (2.).

[7] Tit. 5. c. 1-7. — Mox post *aut conditio* cod. T addit *apposita.*

de futuro, nec est matrimonium, nisi carnalis copula subsequatur, quia tunc intelligitur a conditione apposita recessisse [1].

Ad argg. pro parte negat. Ad illud ergo quod obiicitur ad secundam partem, quod non stat matrimonium per consensum conditionatum; dicendum, quod verum est, ubi [2] est conditio de futuro *contingenti*, quia tunc consensus pendet ex futuro.

Ad argg. pro parte affirm. 1. Ad illud vero quod obiicitur, quod simpliciter stat, *per simile* in voto; dicendum, quod non est simile: quia votum est pura *obligatio*, matrimonium autem est *coniunctio;* et non est *coniunctio* nisi per praesens, sed *obligatio* est bene per futurum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod consensus ex spe pecuniae facit matrimonium; verum [3] est, quia *simplex* potest esse et *absolutus;* sed cum exprimitur *sub conditione*, non exprimitur ut *simpliciter* nec ut *absolutus* nec ut *praesens;* et ideo non est simile.

3. Ad aliud dicendum, quod *matrimonium* plus dicit quam *obligationem.* Unde dico, quod non sequitur: iste est obligatus isti mulieri, ut eam accipiat in uxorem: ergo est eius vir; sicut non sequitur: obligavit se ad persolvendum: ergo solvit. Unde matrimonium non tantum est obligatio, immo ipsius vinculi indissolubilis unio [4].

QUAESTIO IV.

Utrum consensus tacitus faciat matrimonium.

Quarto quaeritur, utrum consensus tacitus faciat matrimonium. Et quod sic, videtur:

1. Per decretalem quarti libri, de Sponsalibus [5]: Ad oppositum. « *Tuae fraternitati* etc. Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum; sed necessaria sunt verba quantum ad Ecclesiam ad consensum exprimendum de praesenti »: ergo videtur, quod quantum ad Deum sit matrimonium sine verbo.

2. Item, *ratione* alia videtur: quia peccatum adulterii sive fornicationis solo interiori consensu iudicatur consummatum, etiam sine signo exteriori [6]: ergo si plus potest consensus castus quam incestus, patet etc.

3. Item, consensus verborum exteriorum non unit nisi per consensum interiorem; sed « ubi unum propter alterum, utrobique tantum unum [7] »: ergo videtur, quod si adsit unus consensus interior, idem omnino faciet.

4. Item, aliquae duae personae consentiunt aeque intense et plene ante expressionem et post [8]: ergo si post expressionem est matrimonium, et ante similiter.

5. Item, si aliquis voveat interius tantum, nihilominus vovet et obligatur ad votum: ergo similiter, si consentit interius tantum. *Si tu dicas,* quod non est simile, quia votum fit Deo, qui videt corda, matrimonium vero respectu hominis, qui corda nescit; *obiicitur* tunc, quod saltem in conspectu Dei debet esse matrimonium.

6. Item, hoc ostenditur *per simile:* quia qui vere contritus est interius in conspectu Dei vere poenitens iudicatur, etiam si non adsit confessio oris: ergo similiter est in matrimonio.

Contra: 1. Matrimonium est Sacramentum; sed omne Sacramentum est signum, et signum est quod offert se sensui [9]: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, si consensus interius faceret matrimonium; ergo cum nesciat homo occulta alterius, nesciret, utrum esset vir illius, an non: ergo si illi coniungeretur exterius, nesciret, utrum esset matrimonium, et ita in periculo se poneret.

3. Item, quantumcumque velim voluntate plena alteri aliquid dare, nullum ius acquiritur illi ex mea voluntate, si non promittam exterius per signum; sed in matrimonio ius acquirunt coniuges inter se invicem: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia quantumcumque credat aliquis et innuat, nisi sermone exprimat: ego te baptizo, non baptizat [10]: ergo *a simili* videtur, quod non contrahat, quantumcumque consentiat, nisi sermone exprimat. — Et ex hoc videtur, quod mutus non possit contrahere. Casus.

CONCLUSIO.

Matrimonium non contrahitur, nisi interior consensus exterius exprimatur vel verbis, vel nutibus, vel scripto.

Respondeo: Dicendum, quod ad omnis Sacramenti *esse* necessario requiritur *significatio* sive ex- Axioma.

---

[1] Vide supra q. 1. ad 3. et 4.

[2] Cod. I *quando.*

[3] Cod. K *dicendum, quod verum.* Pro *quia simplex potest esse* edd. *quando simplex est.*

[4] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. in corp. — Edd. cum pluribus codd. *indivisibilis unio.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Tit. 1. c. 25. Finem textus originalis exhibet sic: sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia [cod. aa habet *exprimentia*] de praesenti.

[6] Cfr. Matth. 5, 28, quem locum allegant etiam codd. N aa. — Inferius pro *incestus* edd. *incastus.*

[7] Secundum Aristot., vide supra pag. 197, nota 5. — Inferius pro *unus* codd. E W Y *solus,* et pro *interior,* quod habent codd. E N W aa, alii codd. et edd. perperam *exterior.*

[8] Cod. E *ut post.*

[9] Ut docet August. supra in lit. Magistri, d. I. c. 3.

[10] Cfr. supra d. 3. p. I. a. 1. q. 2. — Pro *sermone* permulti codd. et edd. bis *sermonem,* codd. N X *per sermonem.* Edd. omittunt *innuat.*

pressio. Omne enim Sacramentum *signum* est et ut signum administratur; et ideo istud est necessarium [1]. Sed in aliquibus est materia determinata et forma verborum praescripta, quae vim habent sibi ad hoc datam; et talia Sacramenta nunquam fiunt, nisi illa verba pronuntientur. In aliquibus autem non venit vis a *verbo exteriori*, sed *ab intrinseco*, ut in poenitentia quantum ad confessionem et in matrimonio; et in talibus sufficit, qualiscumque fiat expressio, sive verbo, sive scripto, sive etiam quocumque nutu [2] alio. — Concedendum est igitur, quod matrimonium non contrahitur, nisi consensus exterius exprimatur, vel per verba convenientia, vel per nutus idem importantes.

Differunt Sacramenta.

Conclusio.

1. Et per hoc patet primum ad primam partem, scilicet quod de decretali obiiciebatur.

Solutio oppositorum.

Patet etiam, quod inter mutos potest contrahi, non tamen sine aliquo signo [3]. — Similiter ultimum ad oppositum, quod non est simile de baptismo.

Solvitur casus. Ad 4. fundam.

2. Ad illud quod obiicitur de adulterio, vel peccato, dicendum, quod non est simile: quia peccatum est in interiori deordinatione, sed Sacramentum consistit in exteriori significatione.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi unum propter alterum, ergo utrobique tantum unum; dicendum, quod differt dicere unum *propter alterum*, et unum *per alterum*: quia ubi est dicere unum *per alterum*, ibi est ponere duo, quorum alterum est sicut *efficiens*, alterum sicut *instrumentum*; et non est verum, quod efficiens possit tantum *per se*, quantum potest *cum instrumento*. Quod autem dicitur, ubi unum *propter alterum* etc.; loquitur de unitate *obiecti*, ubi *propter quod* dicit causam *formalem*, ut: video colorem, quia lucidum, et amo vinum, quia dulce [4], et sic in similibus.

Differentia notanda.

5. Ad illud quod obiicitur de voto, dicendum, quod non est simile propter duas rationes: una, quia votum non est Sacramentum; alia, quia obligat se homo Deo, ad quem *cogitare* est *loqui* [5]; matrimonium autem est Sacramentum, per quod obligatur homo homini.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur, quod vere contritus dicitur poenitens; dicendum, quod verum est de poenitentia-virtute, sed non Sacramento [6]; matrimonium autem est Sacramentum, non virtus; et *praeterea* est *ad alterum* semper, non *ad se*, sicut contritio: et ideo non est simile, ut patet.

SCHOLION.

I. Quaestionem 4, in qua solvenda omnes consentiunt, plerique commentatores Lombardi tractant supra d. 27. Cfr. Scot., hic q. unica n. 2. — S. Thom., d. 27. q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; Suppl. q. 45. a. 2. — B. Albert., d. 27. a. 4. — Petr. a Tar., d. 27. q. 2. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., d. 27. a. 1. q. 3. — Durand., d. 27. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. unica.

II. Circa 5. quaestionem plura sunt notanda. 1. Secundum novum ius, a Concilio Trident. (Sess. XXIV. c. 1. de Reform.) promulgatum, matrimonia *clandestina* (id est, quae « aliter, quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, contrahuntur ») in omnibus locis, ubi hoc decretum promulgatum est, non tantum sunt illicita, sed etiam prorsus irrita et invalida. — 2. Sed ante hoc Concilium « clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, *rata* et *vera* matrimonia [erant], quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit » (ibid.). — 3. Eadem, cum essent *rata* et *vera*, habebant etiam rationem *Sacramenti*, cum « inter *fideles* matrimonium dari non possit, quin uno eodemque tempore sit *Sacramentum*... ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari nunquam possit ». (Pius IX. Allocut. 27. Sept. 1852). — 4. Hinc falsa est opinio et a doctrina Scholasticorum aliena, quam saec. XVI. introduxerunt aliqui praeclari theologi (Canus, Estius, Sylvius), quae asserit, non consensum contrahentium legitime manifestatum esse materiam et formam huius Sacramenti, sed verba a sacerdote pronuntiata: Ego vos coniungo etc.; ac proinde ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem. Contrarium nunc constat ex damnata in Syllabo Pii IX. thesi 66: « Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui *accessorium* ab eoque separabile; ipsum Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est ». Veram doctrinam docet S. Bonav. etiam infra d. 39. a. 1. q. 2, d. 35. q. 4, d. 42. a. 3. q. 2.

De hac 5. quaestione: Scot., supra d. 26. q. unica n. 14. 15. — S. Thom., hic q. unica a. 3; Suppl. q. 45. a. 5. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

III. De 6. quaestione cfr. supra d. 26. a. 2. q. 3. et de matrimonio B. Virginis infra d. 30. q. 2. et dub. 4. 5; in qua distinctione etiam alii commentatores Lombardi de eodem agunt, cum quadam differentia circa votum virginitatis, ut ibi (q. 2.) in scholio exponitur. Cum purissimum matrimonium B. Virginis cum S. Iosepho sit verum matrimonium (ut fere omnes certum esse putant); supponitur quidem, ipsam consensisse in ea quae essentialia sunt matrimonio; ast non *usus* potestatis traditae, sed tantum *vinculum* est ei essentiale, ut loc. cit. probatum est; hinc consensus debet habere hoc *vinculum* cum traditione *potestatis* pro obiecto, non vero expresse *actum* coniugalem. Hinc 1. opinio repudianda est. — S. Thom. (hic a. 4; Suppl. q. 48. a. 1.) favet 2. et 3. opinioni his verbis: « Patet, quod bene dixerunt illi qui dixerunt, quod consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam *implicite*, non *explicite*. Non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur *effectus* in sua *causa*, quia *potestas* carnalis copulae, in quam consentitur, est *causa* carnalis copulae, sicut potestas utendi re sua est

---

[1] Vide supra d. 1. p. I. q. 2.

[2] Codd. A aa *modo*, cod. L *medio*, codd. G H *motu*. Pro *qualiscumque* codd. E L *qualitercumque*.

[3] Cfr. C. *Cum apud sedem* (23.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

[4] Aristot., II. Topic. c. 2. (c. 3.): In vino amicum dulce, non quia vinum, sed quia dulce est; nam per se dulce desiderat, vinum autem per accidens; si enim austerum fit, non amplius desiderat; per accidens ergo desiderabat. Cfr. III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. ad 4, ubi exemplum de *colore lucido* explicatur. Vide etiam supra d. 9. a. 1. q. 1. ad 1.

[5] Cfr. Gregor., XXXV. Moral. c. 3. n. 4. — Superius post *Sacramentum* Vat. addit: *per quod obligatur homo homini.*

[6] Vide supra d. 17. p. I. a. 1. q. 4. et a. 2. q. 4.

causa usus ». Idem in Sum. (III. q. 29. a. 2.) dicit: « Non *expresse* in copulam carnalem (consensit) nisi *sub conditione,* si Deo placeret ».

De 6. quaestione: B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 4. — Dionys. Carth., infra d. 30. q. 2.

QUAESTIO V.

Utrum consensus de praesenti expressus in occulto faciat matrimonium.

Quinto quaeritur, utrum consensus de praesenti expressus in occulto verum faciat matrimonium. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia Evaristus Papa dicit, et habetur in littera [1], loquens de occultis et clandestinis connubiis: « Non coniugia, sed adulteria vel fornicationes sunt ».

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia personae, quae secundum institutionem Ecclesiae non sunt legitimae ad matrimonium contrahendum, ut frater et soror in secundo gradu, si de facto contrahunt, nihil faciunt, immo separantur: cum ergo huiusmodi clandestina sint contra Ecclesiae prohibitionem [2]: ergo nihil fit in eis.

3. Item, si aliquis contrahat cum aliqua in occulto et cum alia in manifesto, et veniatur ad iudicium Ecclesiae; Ecclesia dicit illam uxorem, quam accepit in manifesto [3]: ergo si recte iudicat, illa est uxor, ergo alia non fuit uxor.

4. Item, matrimonium est Sacramentum Ecclesiae, ergo debet accipi in facie Ecclesiae: ergo si accipitur in occulto, non est Sacramentum Ecclesiae: ergo nec verum Sacramentum, ergo nec matrimonium [4].

Fundamenta. Contra: 1. Sacramentum matrimonii pro materia habet personas legitimas et pro forma consensum; sed haec duo integre possunt esse in occulto: ergo etc.

2. Item, ita baptizatus est aliquis in occulto, sicut in manifesto: ergo matrimonium est ita in occulto, sicut in manifesto, *a simili.*

3. Item, contractus matrimonii est per verba maris et feminae, aliis nihil agentibus nec dicentibus: ergo ita est integrum, si fiat, illis absentibus, sicut et praesentibus.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur: quare Ecclesia prohibuit, matrimonium contrahi in occulto, cum alias esset licitum; et non prohibuit aliquem baptizare in occulto, vel etiam consecrare?

CONCLUSIO.

Matrimonia clandestina secundum ius antiquum vera sunt matrimonia, sed prohibita.

Axiomata. Respondeo: Dicendum, quod ad *esse* matrimonii ista duo sufficiunt, scilicet *legitimitas in personis* et *unitas in consensu.* Ad *solemnitatem* vero et decorem sive honestatem requiritur et *parentum traditio* et *sacerdotum benedictio* [5]*;* haec autem ita sunt ad *decorem Sacramenti,* ut tamen sint de *necessitate praecepti.* — Et ratio huius est vitatio periculi: quia frequenter qui in occulto contrahunt poenitent et cum aliis *de facto* contrahunt; et cum non potest primus contractus probari, necesse habet Ecclesia decipi et contra veritatem dare sententiam: et ideo oportuit, talia prohiberi. Hinc est, quod si aliquis cum aliqua contrahit in occulto, quamvis sit matrimonium, tamen coniunctio illa non est sine peccato, sicut nec coniunctio fornicarii, non tamen tantum. (Conclusio. Ratio.)

Solutio oppositorum. 1. Et inde est, quod Evaristus dicit, quod « non sunt connubia, sed adulteria », propter culpam.

2. Ad illud quod obiicitur, quod illud matrimonium, quod fit contra institutionem Ecclesiae, irritatur; dicendum, quod quaedam instituit Ecclesia circa hoc Sacramentum tanquam *necessaria,* utpote quod personae sint legitimae; quaedam tanquam *expedientia,* utpote in aperto contrahere; et matrimonium, quod primo modo fit contra institutionem Ecclesiae, irritat Ecclesia [6]; quod secundo modo, minime. (Notandum.)

3. Ad aliud respondendum, quod Ecclesia in casu illo necessario decipitur; non tamen decipitur, ut non *iuste iudicet,* quia *iuste iudicare* est iudicare secundum allegata; decipitur tamen secundum veritatem latentem [7].

4. Ad illud quod obiicitur, quod est Sacramentum Ecclesiae; dicendum, quod verum est; tamen

[1] Hic c. 1.

[2] Vide C. 30. q. 5, ex qua Magister hic in lit. c. 1, quaedam allegat, et X. de Clandestina desponsatione (lib. IV. tit. 3.).

[3] Cfr. C. *Quod nobis* (2.), X. de Clandestina desponsatione (lib. IV. tit. 3.). — Pro *veniatur* cod. aa *veniat.*

[4] Cod. aa *nec verum matrimonium.*

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 1. seq.

[6] Pro *irritat Ecclesia* codd. F I K V aa (E a secunda manu) *irritatur.*

[7] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 2. in corp. et ad 3.

accipitur etiam ab his qui sunt extra Ecclesiam, ut baptismus, non tamen ad salutem nisi ab his qui sunt in ipsa Ecclesia; et *baptismus* accipitur in occulto, quia est Sacramentum *necessitatis*, et non est ibi periculum, immo vitatur periculum; sed *illud* in facie Ecclesiae accipitur salubrius, in occulto vero accipitur vere, sed non salubriter, quia contra ecclesiasticam sanctionem [1].

QUAESTIO VI.

An consensus debeat esse in carnalem copulam.

Sexto et ultimo quaeritur, in quid debeat esse consensus; et quod in carnalem copulam, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia ita dicit Hieronymus [2], quod « voventibus virginitatem non solum *nubere*, sed etiam *velle nubere* damnabile est »; sed non esset damnabile, nisi esset contra votum; et non esset contra votum, nisi consentirent in opus carnis: ergo necesse erat in illud consentire.

2. Item, in omnia, in quae consentit vir et uxor, possunt consentire frater et soror licite, excepta copula carnali: ergo si inter fratrem et sororem non potest licite contrahi matrimonium, patet etc. *Si tu dicas* mihi, quod oportet consentire in *copulam coniugalem; quaero,* quid vocetur *copula coniugalis;* et tandem oportet ad hoc devenire, quod ibi includatur copula carnalis.

3. Item, Augustinus dicit, et habetur infra distinctione trigesima [3], et loquitur de purissima Virgine: « Committens virginitatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam »: si ergo nullum matrimonium purius illo, nullum sanctius, in omni oportet consentire.

4. Item, si qua mulier dicat: consentio in te, ut tamen non cognoscas me, non est matrimonium: ergo si ista conditio est contra substantiam matrimonii [4], ergo tenetur consentire in carnalem copulam.

5. Item, matrimonium ad hoc institutum est, ut sint *duo in carne una* [5]: ergo necesse est ad hoc, quod sit matrimonium, quod carnaliter uniantur vel in carne, vel in voluntate: ergo non est matrimonium sine carnali copula.

Fundamenta. Contra: 1. Magister dicit in littera [6], quod « consensus cohabitationis vel carnalis copulae non facit coniugium ».

2. Item, in distinctione trigesima [7] dicitur: « Consensit Maria in copulam maritalem, sed non in copulam carnalem ».

3. Item, hoc ipsum expresse dicit Hugo in libro de Virginitate Mariae [8]; et tamen ex consensu suo matrimonium contraxit: ergo non oportet in carnalem copulam consentire.

4. Item, *ratione* videtur: quia nullus consentiens in actum carnis est virgo perfecte; beatus Ioannes est virgo perfecte: ergo non consensit in actum carnis. Et consensit in matrimonium, quia de nuptiis est a Domino vocatus [9]: ergo etc.

5. Item, nullus vovens continentiam virginalem potest sine peccato consentire in actum carnis; beata Virgo vovit, sicut dicit Augustinus [10], et ipsa innuit in responsione sua, quam dixit: ergo peccavit, si in actum sive in carnalem copulam consensit. Et constat, quod sine peccato nupsit: ergo etc.

6. Item, possibile est, inter duos esse plenum matrimonium et perfectum sine commixtione carnali: ergo possibile est, quod aliquis consentiat in matrimonium, non consentiendo in commixtionem carnalem; si hoc potest esse in re et effectu, potest esse in consensu et causa [11].

CONCLUSIO.

Consensus, qui matrimonium facit, est consensus in mutuam suorum corporum potestatem, quae tamen aliter datur in contractione, et aliter in consummatione matrimonii.

Respondeo: Dicendum, quod quorundam opinio fuit, quod ad hoc, quod contrahatur matrimonium, necesse est *absolute* consentire in copulam carnalem. Et dicunt hi, quod beata Virgo et Ioannes consensit, tamen sine peccato; quia Ioannes [12] nec *voverat* nec *proposuerat* virginitatem servare; beata Virgo, quia non *voverat*, sed tantum *proposuerat*. Opinio 1.
— Sed haec opinio iniuriam facit Virgini gloriosae, quia, quamvis excuset a culpa, minuit tamen vir- Reprobatur.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Haec sententia a Gratiano, C. *Voventibus* (4.), d. 27. et C. 17. q. 1. c. 2, tribuitur Hieronymo, cum sit Augustini, de Bono viduitatis, c. 9. n. 12. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXXVIII. c. 2.

[3] Cap. 2. Vide C. *Beata Maria* (3.), C. 27. q. 2.

[4] Cfr. C. *Si conditiones* (7.), X. de Conditionibus appositis in desponsatione etc. (lib. IV. tit. 5.). — Post *ergo* permulti codd. omittunt *si*.

[5] Gen. 2, 24, et Matth. 19, 5.

[6] Hic c. 4.

[7] Cap. 2.

[8] Cap. 1. et 4. — Post *Hugo* cod. L addit *et probat*.

[9] Cfr. supra pag. 683, nota 6. — Voci *beatus* cod. G praemittit *sed*.

[10] De Sancta Virginitate, c. 4. n. 4. Cfr. infra lit. Magistri, d. XXX. c. 2. et hic c. 3, ubi etiam responsio Mariae (Luc. 1, 34.) habetur. — In *maiori* Vat. et aliquot codd. voci *vovens* [Vat. *volens*] praemittunt *consentiens et*.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4, et supra d. 27. a. 1. q. 1. ac a. 2. q. 1.

[12] Cod. L *et Ioseph consenserunt, tamen sine peccato, quia Ioseph*.

ginitatis eius gloriam, ut iam non debeat *Virgo super omnes virgines* nuncupari; quod noster refugit animus pariter et auditus. Unde haec opinio satis convenienter a magistro Hugone [1] reprobatur.

Opinio 2. Aliorum opinio fuit, et istius fuit Antissiodorensis, quod necesse est consentire in copulam carnalem non in *particulari*, sed in *universali;* non *explicite*, sed *implicite*. Oportet enim consentire in copulam coniugalem, quae continet in se quatuor, scilicet *cohabitationem* et *mutuum obsequium* et *mutuam corporum potestatem* et *copulam carnalem*. — Non sufficit. Sed illud non videtur sufficiens, quia constat, quod beata Virgo bene sciebat legem coniugii et sciebat explicite et cogitabat de actu coniugum; aut ergo *consentiebat*, aut *dissentiebat*. Si *consentiebat*, redit primum inconveniens; si *dissentiebat*, ergo nec in *generali* nec in *speciali* consentiebat.

Opinio 3. Tertia opinio est, quod oportet consentire in carnalem copulam vel *absolute*, vel *sub conditione*, videlicet nisi Deus aliter disponat, vel si placuerit Deo; et tali modo consensit Virgo beata, ut videtur dicere beatus Augustinus [2], et hoc non repugnat virginitati. — Non probatur. Sed certe *omnis*, quicumque recte consentit, taliter consentit. *Praeterea*, non est consensus *conditionatus*, sed *absolutus* ille qui matrimonium facit, et maxime cum non stet conditio; Deus autem nolebat, Virginem copulari carnaliter viro.

Opinio auctoris. Et propterea dicendum, quod consensus, qui matrimonium facit, est consensus in mutuam suorum *corporum potestatem;* et hoc sonant verba, cum dicunt: accipio te in meum, vel in meam; et sic consensit beata Virgo et Ioseph. — Notandum. Sed notandum, quod aliter datur potestas corporis in *contractione* matrimonii, aliter in *consummatione*. In *contractione* ita datur uni, ut non possit, illo vivente, dari alii; ita etiam datur illi, ut ius habeat petendi, et necesse sit reddere petenti, nisi moriatur mundo per votum castitatis solemne et ingressum in religionem [3]. De matrimonio B. Virginis. Quoniam igitur beata Virgo divina inspiratione noverat, vel fortassis ipsius Ioseph relatione, quod nunquam vellet uti eius corporis potestate, sed eius custodire virginitatem; ideo potuit et debuit ei committere sive dare. Sciebat etiam, quod si vellet exigere, quod posset publicando votum contraire; et sic patet illud. — Corollarium. Si ergo volumus istam mutuam corporum *potestatem* vocare *copulam coniugalem;* sic beata Virgo consensit in copulam, ut omnes nubentes. — In matrimonii autem *consummatione* omnino transfertur potestas, ita quod nec voto privato nec solemni possit petenti debitum adversari. De B. Virgine. Unde gloriosa Virgo matrimonium consensit *contrahere*, sed certa fuit, quod nunquam matrimonium *consummaret*, et hoc scivit Spiritus sancti revelatione, vel Ioseph relatione, vel quia considerabat de voti publicatione; quia in Lege praeceptum erat servare, sed nullus fuerat ausus hoc vovere. Et hoc tangitur in libello illo, quem transtulit Hieronymus de Nativitate Mariae [4], qui quamvis sit apocryphus, continet tamen multa verissima. Notandum.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod velle nubere damnabile est; dicendum, quod Hieronymus loquitur de illis qui volunt nubere ex carnis petulantia, et tales magis appetunt coniunctionem corporum quam animorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod in omnia frater et soror praeterquam in copulam carnalem possunt consentire; dicendum, quod falsum est; non enim possunt sibi suorum corporum dare mutuam potestatem; unde alter potest [5] alii nubere, altero contradicente. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod dicit Augustinus, quod [6] consensit in copulam carnalem; dicendum, quod illud intelligitur, quia consensit in mutuam corporum *potestatem*, quae ad carnalem copulam ordinatur, non tamen de necessitate; et beata Virgo in illam mutuam corporum *potestatem* absolute consensit, residuum vero, scilicet ordinationem *in actum*, divinae dispositioni commisit, credens semper, quod Dominus ipsam servaret sine macula. Exemplum est de beata Caecilia [7]. De B. Virgine.

4. Ad illud quod obiicitur, quod conditio illa impedit; dicendum, quod verum est [8], contra collationem mutuae potestatis; in consensu enim in copulam coniugalem datur potestas petendi debitum, licet non teneatur ad statim, sed viam habet, per quam evadere possit; quae etsi non erat nota omnibus, erat tamen nota spiritualibus mentibus; sicut certum est nobis de gloriosa Virgine et probabilius praesumitur de Ioseph, quoniam hoc non est iuris positivi, sed magis est iuris divini.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est propter carnalem copulam; dicendum, quod verum est, quod *prima* et principalis institutio ad hoc fuit, et tamen hoc non est *tota* ratio sive causa matrimonii, sicut melius patebit infra [9], immo etiam fidei et Sacramenti et mutuae educationis; et hoc supra determi-

---

1 Locc. superius allegatis. — Opinio Guliel. Antissiodor. habetur in ipsius Summa aurea, lib. III. tr. 28. c. 2. q. 3.

2 Vide infra lit. Magistri, d. XXX. c. 2.

3 Cfr. supra d. 27. a. 3. q. 2. in corp. — Inferius pro *committere sive dare* edd. *committi sive dari.*

4 Inter opera Hieron. Epist. 50. c. 8, ubi etiam allegatur Ps. 75, 12: Vovete et reddite. Libellus iste, ut in c. 1. dicitur, a Seleuco quodam conscriptus est Hebraice.

5 Codd. L Y addunt *semper.*

6 Cod. U supplet *beata Virgo.*

7 Cfr. Breviar. Romanum, die 22. Nov. lect. 4. (Antiph. et Respons. pro festo S. Caeciliae inveniuntur in *libro Responsali* Gregorii Magni). — Post *credens semper*, quibus verbis codd. E M O W Z interserunt *tamen*, Vat. addit *immo et sciens.*

8 Codd. S T addunt *si sit* (in cod. I secunda manus supplevit *si fiat*), codd. M O *quia.*

9 Dist. 31. a. 1. q. 2. seq. et supra d. 26. a. 2. q. 3.

natum est, ubi agitur, utrum carnalis copula sit de integritate Sacramenti.

Epilogus de B. Virgine. Haec autem sine praeiudicio dicta sint, maxime propter reverentiam Virginis; non enim possumus negare, quin inter Mariam et Ioseph fuerit verum coniugium, cum hoc dicat Scriptura evangelica [1], et Sancti omnes in hoc consentiant. *Rursus*, pietas fidei et reverentia Virginis non patitur nos sentire, ipsius beatissimam et purissimam et integerrimam animam ad opus carnis fuisse aliquantulum inclinatam; nec credo, ipsam in dubio se super hoc posuisse. Si quis tamen aliter dicat, dum tamen Virgini non faciat iniuriam, non est magna vis facienda. Cavendum est enim diligenter, ut honor Dominae nostrae in nullo ab aliquo minuatur, qui etiam in periculo capitis debeat [2] integer custodiri.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Si quis promittat alicui et iuret* etc.; quaeritur, utrum iuramentum addat ad promissionem. Si enim nihil addit, ergo frustra apponitur; si addit, ergo firmior est promissio et maius vinculum. Sed *contra:* maius vinculum superveniens solvit minus, ut votum privatum solvitur per matrimonium consummatum [3]: ergo si aliquis spondeat alicui cum simplici fide, et post alii cum iuramento; videtur, quod teneatur ad secundam.

Respondeo: Dicendum, quod in his quae sunt eiusdem fori generis [4], quamvis unum sit maius alio, tamen non solvit. Notandum. Unde matrimonium *consummatum* non solvit *ratum,* eo quod utrumque est matrimonium et ligat in facie Ecclesiae; similiter nec *sponsalia* solvunt sponsalia, sed *matrimonium* sponsalia solvit; et ideo standum est primae fidei et obligationi. Nam secundum iuramentum nullum est, eo quod contra id est, quod fideliter adimplere tenetur; unde faciendum est secundum illud Isidori [5]: «In malis promissis rescinde fidem»: ideo iurando peccavit, sed non peccavit adhaerendo primae.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non autem sic est, quando iuramentum coniugii praesentis consensus attestatione firmatur.* Videtur enim male dicere, quia matrimonium ante copulam solvitur per votum solemne: ergo cum matrimonium consummatum tantae sit obligationis, ut votum; videtur, quod similiter solvere debeat.

Respondeo: Dicendum, quod non est simile, quia *hic* sunt obligationes eiusdem generis [6]; *praeterea,* uterque vivit mundo; et *iterum,* in sequenti matrimonio fides promittitur et datur mulieri. In *voto* autem solemni est obligatio alterius generis; *praeterea,* moritur homo mundo, quod solvit tale vinculum [7]; et *iterum,* fides et obsequium promittitur Deo, cui plus tenemur quam alii: et ideo non est simile. Status perfectionis assumitur; et ideo tale *votum* licitum est ac per hoc obligatorium; secundum autem *matrimonium* non est licitum, et ideo nec robur habet nec obligationem. Et sic patet, quod non est simile.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *sine benedictione non fit coniugium quantum ad honestatem Sacramenti.* Videtur enim falsum, quia in secundis nuptiis est Sacramentum honestum, et tamen non est benedictio.

Respondeo: Dicendum, quod in secundis nuptiis, maxime quando mulier est vidua, non fit benedictio propter defectum Sacramenti, sicut infra [8] patebit. Fit autem benedictio et celebratur Missa de Trinitate propter triplex bonum matrimonii, quod tribus personis appropriatur: bonum prolis Patri, bonum fidei Filio, bonum Sacramenti sive vinculi indivisibilis Spiritui sancto appropriatur. Notandum.

---

[1] Matth. 1, 18. seqq., et Luc. 1, 27. seqq.

[2] Plurimi codd. et ed. 1 *debebat.* Pro *capitis* codd. N aa *carnis.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Cfr. infra d. 38. a. 2. q. 1.

[4] Codd. K L P Q Y (I a secunda manu) *fori et generis.*

[5] Libr. II. Synonim. n. 58. Cfr. C. *In malis* (5.), C. 22. q. 4. Cod. aa secundum textum originalem addit *in turpi voto muta decretum.* — Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 1; S. Thom., hic q. 1. a. 1; Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. ad 4.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. ad 2.

[6] Cfr. dub. praeced.

[7] Ut ostensum est supra d. 27. a. 3. q. 2. in corp. — Inferius voci *status* edd. cum paucis codd. praemittunt *quia*, cod. aa addit *enim.*

[8] Dist. 42. a. 3. q. 2. ad 4. — Mox pro *de Trinitate,* quod cod. G omittit, edd. *determinate* (nunc pro sponsis non celebratur Missa de Trinitate, sed Missa specialis), et pro *indivisibilis* codd. I K R *indissolubilis.* — Idem dub. solvunt S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

DISTINCTIO XXIX.

CAP. UNICUM.

Quod non est consensus legitimus, ubi est coactio.

Oportet autem, consensum coniugalem liberum esse
Dubium 1. a coactione. Coactus enim consensus, qui nec *consensus* appellari debet, coniugium non facit, sicut testa-
Urbanus. tur Urbanus Papa[1], scribens Sanctio, regi Arragonum, in haec verba: «De neptis tuae coniugio, quam te cuidam militi daturum, necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione firmasti, hoc, aequitate dictante, decrevimus, ut, si illa virum illum omnino, ut dicitur, renuit et in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi se prorsus deneget nupturam; nequa-
Dubium 2. quam eam invitam ac renitentem eiusdem viri cogas
Canon. coniugio copulari». Item[2]: «Si verum esse constiterit quod nobis legati Iordanis principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens filiam suam nolentem, flentem et pro viribus renitentem Rainaldo desponsaverit; quoniam legum et canonum auctoritas talia sponsalia non approbat; ne ignorantibus leges et canones nimis durum videatur, ita sententiam temperamus, ut, si princeps cum assensu filiae id quod coeptum est, perficere voluerit, concedamus. Sin autem legatus noster utrasque partes audiat, et si nihil fuerit ex parte Rainaldi, quod amplius impediat; ab ipso Iordane Sacramentum, quo constent haec quae dicta sunt, accipiat. Et nos canonum ac legum scripta sequentes, deinceps non prohibemus, quin alii viro, si voluerit, praedicta eius filia, tantum in Domino, nubat». Ex his apparet,
«coniugium fieri inter consentientes et spontaneos, non Hugo.
inter renitentes et invitos; verumtamen qui inviti et Dubium 3.
coacti coniuncti sunt, si postea ab aliquo temporis spatio sine contradictione et querimonia cohabitaverint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur, et consensus ille consequens supplet quod praecedens coactio tulerat[3]».

Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit, secundum illud: «In sponsalibus eorum con- Digestum.
sensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper patri filia consentire, nisi evidenter dissentiat[4]». Item: «Sponsalia, sicut nuptiae, consensu fiunt contrahentium. Et ideo, sicut in nuptiis, ita et in sponsalibus filiam familias consentire oportet»; «quae, si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXIX.

De consensu quoad defectum interiorem per coactionem.

Oportet autem, consensum coniugalem liberum esse a coactione etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de consensu, qui deficit a parte exteriori. Hic agit de consensu, qui deficit defectu interiori, scilicet a ratione voluntarii; tamen iste et praecedens et interius et exterius deficit, sed hoc per arctationem[1] dictum esse intelligendum est. Consensus autem dupliciter deficit, aut a parte voluntatis per coactionem, aut a parte rationis per errorem. Ideo primo quaerit, utrum consensus coactus faciat matrimonium. Secundo, utrum erroneus, infra distinctione trigesima: *Nec solum coactio impedit vel excludit consensum* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima veritatem determinat. In secunda explanat, ibi: *Ex his apparet, coniugia fieri* etc. In tertia vero illud quod determinavit circa matrimonium, applicat ad sponsalia, ibi: *Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit.*

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum consensus coactus faciat matrimonium.

Secundo, utrum consentiens in renitentem generet sibi praeiudicium.

Tertio, utrum aliquis possit compelli per praeceptum patris ad matrimonium contrahendum.

---

[1] Can. *De neptis tuae* (3.), C. 31. q. 2. — Pro *firmasti* pleraeque edd. *confirmasti*, et *voluntate* pro *voluntatis auctoritate*, refragantibus codd., ed. 1 et canone.

[2] Can. *Si verum esse* (1.), ibid. — Codd. et edd., exceptis 8. et Vat., omittunt *nolentem* ante *flentem*, refragante etiam canone.

[3] De his et praecedentibus cfr. Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 6.

[4] Digest. XXIII. de Sponsalibus C. 7. (tit. 1.) lex. — Seq. locus ibid. lex 11; tertius ibid. lex 12. — In secundo loco ante *filiam familias*, codd. cum ed. 1, aliae edd. *patris familias filiam*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Clarius codd. L Y (F a secunda manu) *per appropriationem*, codd. P Q *per arctationem sive appropriationem*.

ARTICULUS UNICUS.

De consensu coacto.

QUAESTIO I.

Utrum consensus coactus faciat matrimonium.

Circa primum ostenditur, quod consensus coactus faciat matrimonium; et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia Augustinus[1] dicit, quod «coacta voluntas voluntas est»: ergo cum consensus sit voluntatis, consensus est; sed «posita causa, ponitur effectus»: ergo posito tali consensu, est matrimonium.

2. Item, hoc videtur *ratione per simile:* quia qui baptizari consentit timore mortis, baptizatus est et pro baptizato habetur[2]: ergo similiter est in matrimonio.

3. Item, hoc videtur *per rationem:* quia consensus non potest cogi, sed tantum induci, sed sicut inducitur minis, ita inducitur blanditiis; sed[3] si aliquis inductus blanditiis consentiat in matrimonium, matrimonium tenet: ergo similiter, si inducitur minis.

4. Item, qui negat Christum timore mortis, peccat; sed nullus peccat nisi liber[4]: ergo consentiens in aliquid timore mortis libere consentit. Sed consensus liber facit matrimonium: ergo qui consentit timore mortis etc.

Fundamenta.

Contra: 1. Decretalis, de Sponsalibus et matrimonio[5]: «Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi consensus communis requiritur, coactionis materia repellatur»: ergo etc.

2. Item, consensus matrimonialis signum est coniunctionis animae et Dei[6]; sed anima non coniungitur Deo consensu coacto: ergo si signum est congruum, matrimonium non contrahitur consensu timore coacto.

3. Item, nunquam anima fit sponsa Dei, nisi uniatur per amorem: ergo mulier[7] nunquam fit sponsa viri, nisi uniatur per amorem; sed unio, quae est per consensum coactum, non fit per amorem: ergo etc.

4. Item, in consensu matrimonii acquiritur potestas[8] in alterutrum: ergo necesse est, quod in consentiendo sint aequales; sed cum alter cogit alterum ad consentiendum, non sunt aequales: ergo tali consensu non contrahitur matrimonium.

CONCLUSIO.

Consensus coactus vel vi, vel metu cadente in virum constantem non facit matrimonium, nisi post coactionem in carnalem copulam consentiatur.

Duplex coactio.

Respondeo: Dicendum, quod *consensus coactus* potest esse dupliciter, scilicet *vi*, vel *metu.* «*Vis* est maioris rei impetus, qui repelli non potest[9]»; *metus* est instantis periculi trepidatio. Tunc autem fit *vis,* quando capitur, ducitur, trahitur invitus, vel ligatus, ipso reclamante et renitente; haec est *coactio,* in qua non est consensus, et in hac omnino non est matrimonium. — Est et alia coactio *per metum,* ut cum aliquis minatur mortem vel intentat, nisi consentiat; et de hac coactione distinguunt aliqui, quod talis consentiens aut consentit *ore*, sed *non corde,* et tunc non est matrimonium aliquo modo; aut *corde* consentit, quamvis *coactus,* et tunc matrimonium est in conspectu Dei, quia «voluntas coacta voluntas est»; sed non est in conspectu Ecclesiae, quae praesumit, quod talis non consenserit corde; et ideo sic iudicat et sententiat, ut uterque alteri in Domino nubat[10]. — Sed certe istud non videtur consentire decretali praedictae, quae dicit, quod «consensus non habet locum, ubi metus, vel coactio intercedit».

Conclusio 1. Distinctio aliorum et solutio. Non probatur.

Alia distinctio.

Et ideo distinguitur aliter, quod *metus* duplex est, quidam *levis,* quidam *iustus: iustus,* utpote

---

[1] De Spiritu et lit. c. 31, n. 53. Verba vide tom. III. pag. 877, nota 2. — De seq. axiomate (*posita causa* etc.) cfr. supra pag. 102, nota 3. — Post primum *ergo* edd. legunt *a simili consensus coactus consensus est.*

[2] Vide supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1.

[3] Plurimi codd. et ed. 1 addunt *sicut.*

[4] Plures codd. *libere*, codd. K R T (I a secunda manu) *libere consentiat.*

[5] Extra lib. IV. tit. 1. c. 14. Pro *communis* codd. L aa cum textu originali *cuiusquam*, cod. A *purus.*

[6] Ut ostensum est supra d. 26. a. 2. q. 1. — In fine arg. ex cod. R posuimus *consensu timore* pro *timore*, cod. E tantum *consensu.*

[7] Ex cod. U supplevimus *mulier.*

[8] Cod. L *aequa potestas.* Cfr. I. Cor. 7, 4.

[9] Secundum Iustinian., D. IV. de Eo quod metus causa etc. (tit. 2.), lex 2. (Plurimi codd. et edd. *quae* pro *qui*). Seq. definitio *metus* insinuatur ibid. lege *Ait praetor* (1.) sic: instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. (Post *instantis* Vat. etiam addit *vel futuri,* et post *periculi* codd. L Y *mentis*). — Aristot., III. Ethic. c. 1. *coactionem* sive violentiam definit: Videtur autem violentum id esse, cuius principium extrinsecus est, nihilque ad id confert ille qui cogitur.

[10] Respicitur I. Cor. 7, 39: Cui vult nubat, tantum in Domino.

« qui in *virum constantem cadere potest*[1] » ; *levis* est, cum quis parvum malum minatur, vel cum talis minatur, de quo praesumitur, quod implere non possit; et talis metus non facit consensum adeo defectivum, quod impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat iam contractum, sed consensus cum tali metu facit matrimonium. Tunc autem est metus *iustus,* quando aliquis comminatur damnum mortis, mutilationis, servitutis et stupri[2]; tunc autem *cadit in virum constantem,* quando praesumitur probabiliter, quod ille qui minatur, possit minas implere; non enim esset timendum, si simplex rusticus minaretur duci. In hoc metu dicunt iura consensum non facere matrimonium.

Conclusio 2. Conclusio 3.

Sed *ratio* huius sumitur a diversis diversimode. Quidam enim dicunt, quod hoc est ex *indulgentia iuris.* Iura enim indulgent, tales separari, primum, quia praesumunt, consentientem *ore* non consensisse *corde,* et quia verbum solum dixit, ut poenam redimeret; vel etiam ratione *finis,* quia coacta matrimonia pessimos exitus consueverunt habere[3]. — Alii dicunt, quod non ex *iuris indulgentia,* sed hoc facit *defectus* perfecti et liberi consensus, qui debet esse in matrimonio, quia, sicut ostensum est, plenus debet ibi esse consensus; et hoc videtur probabilius. Si tamen post coactionem in carnalem copulam consensit, ex tunc incipit esse matrimonium[4].

Ratio quorundam. Ratio aliorum. Conclusio 4.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod coacta voluntas voluntas est; dicendum, quod verum est; sed nunquam sufficit talis voluntas ad faciendum bonum[5], nec etiam ad contrahendum matrimonium, pro eo quod Dominus voluit, hoc Sacramentum contrahi per consensum liberum, non coactum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod qui coactus consentit in baptismum baptizatur; respondetur, quod baptismus est opus Dei, non hominum, sed matrimonium est a consensu hominum. — Aliter potest dici, quod non est simile: quia non tanta libertas ibi requiritur, quanta in matrimonio; totum enim *esse* matrimonii a consensu causatur[6].

Aliter.

3. Ad illud quod obiicitur, quod consensus inducitur per blanditias; dicendum, quod blanditiae non ita detrahunt de ratione consensus, sicut minae, quia blanditiae ad amorem excitant, sed minae ad terrorem.

4. Ad illud quod obiicitur de eo qui negat Christum timore, dicendum, quod facilius est peccare quam bene facere[7], unde plura exiguntur ad construendum bonum quam ad faciendum malum. — *Praeterea,* nullus timor respectu *peccati perpetrandi* potest nec debet cadere rationabiliter in virum constantem, sed respectu alicuius rei faciendae, quae non est nostrae *saluti contraria;* sicut vir constans rationabiliter prius deberet permittere, se interfici, quam Deum negaret[8]; sed non rationabiliter ageret, si dimitteret, se interfici, antequam in aliquid indifferens consentiret; matrimonium autem non est de his quae sunt saluti contraria vel contra salutem. Et sic patet, quomodo intelligitur de metu, qui potest cadere in constantem virum.

Notandum. Notandum.

SCHOLION.

I. Distinctio duplicis consensus *coacti* est communis. De relatione utriusque ad voluntarium plura vide II. Sent. d. 25. p. II. q. 5; d. 24. p. I. a. 2. q. 3. — In controversia illa antiqua, utrum consensus coactus per *metum* cadentem in constantem virum tantum *iure ecclesiastico,* an etiam *iure divino* irritum faciat matrimonium, pro prima parte stat Durandus cum non paucis posterioribus; sed quod *iure divino* irritet, cum S. Thoma, Scoto, Petro a Tar., Richardo a Med. aliisque tenet S. Bonav. ut magis probabile. Cfr. etiam infra dub. 2. 3.

De 1. quaestione: Scot. (de hac et 2. seqq. qq.), in utroque Scripto hic q. unica. — S. Thom., hic a. 1. 2. 3.; Suppl. q. 47. a. 1. 2. 3. — B. Albert., hic a. 1-4. — Petr. a Tar., hic a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. unica.

II. Quaestionem 2. ita exprimit S. Thom. (locis citt. a. 3. quaestiunc. 2; Suppl. a. 4.): utrum consensus coactus faciat matrimonium *ex parte cogentis.* De eadem explicite agit etiam Richard. a Med., hic a. 1. q. 3.

---

[1] Ut dicitur in C. *Veniens ad nos* (15.) et C. *Consultationi tuae* (28.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.). Cfr. Iustinian., D. IV. de Eo quod metus causa etc. (tit. 2.), lex *Metum autem* non vani hominis, sed qui merito et in homine constantissimo cadat (6.). Vide Aristot., III. Ethic. c. 6. seqq.

[2] Cfr. *Glossa* in C. *Cum dilectus filius* (6.), X. de Iis quae vi metuve etc. (lib. I. tit. 40.), in qua tam ex iure canonico quam civili afferuntur casus, in quibus metus sit *iustus* sive excuset.

[3] Sive, ut habetur in Comment. in I. Cor. 7, 39. (olim Ambrosio tributo): Quia invitae nuptiae solent malos proventus habere (Cfr. Gratian. C. 31. q. 2. introduct. Vide C. *Praeterea* (12.), C. *Cum locum* (14.) et C. *Requisivit* (17.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

[4] Cfr. C. *Ad id quod* (21.), X. de Sponsalibus et matrim.

[5] August., II. contra Litteras Petiliani, c. 83. n. 184: « Nam bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit quod est in libera voluntate ». Haec verba habentur apud Gratian., C. *Ad fidem* (33.), C. 23. q. 5, ubi *Glossa* dicit: Potest enim aliquis male facere propter voluntatem coactam, ut [habetur] C. 15. q. 1. C. *Merito* (1), sed non potest bene facere propter voluntatem coactam, ut hic dicitur.

[6] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1. ad 2; ibid. q. 3. ad 1. tangitur *prima* solutio.

[7] Cod. aa addit verba Aristot., supra pag. 19, nota 7. allegata, *quia facilius destruere quam construere.* Pro *unde* cod. A *cum.*

[8] Aristot., III. Ethic. c. 1: Quaedam autem fortasse sunt, ad quae perpetranda nemo cogi compellive potest, sed potius extrema quaeque pati ac mori convenit. Cfr. ibid. c. 6. seqq. — Post *contraria* cod. K (I a secunda manu) supplet *bene potest in eum cadere,* substituto dein *unde vir* pro *sicut vir;* Vat. substituit: *Nam talis timor est tantum respectu* pro *sed respectu.*

III. Circa solutionem 3. quaestionis omnes conveniunt. Quod autem in solut. ad 3. determinatur de potestate Summi Pontificis, quod possit praecipere acceptationem episcopatus, hoc approbat S. Thomas (locis citt. a. 4. ad 4; a. 6. ad 4.), sed ibi non facit mentionem de illa restrictione, quam ponit Bonav., scilicet de eo qui insufficientiam suam scit et periculum animae suae rationabiliter timet.

De ipsa quaestione praeter S. Thom.: Scot., loc. cit. n. 12. — B. Albert., supra d. 28. a. 4. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum consentiens in renitentem generet sibi praeiudicium, ut non possit cum alio contrahere.

Secundo quaeritur, utrum consentiens in renitentem generet sibi praeiudicium, ut non possit cum alio contrahere matrimonium. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia « unusquisque potest abrenuntiare iuri suo [1] »; sed de iure uniuscuiusque est, quod possit in aliam personam matrimonialiter consentire; huic autem iuri homo renuntiat, cum alii per consensum se obligat: si ergo qui consentit in invitum suo iuri renuntiat, patet etc.

2. Item, potestas proprii corporis transfertur per consensum animi, qui praeest ei; sed unusquisque sibi praeest: ergo cum consentit in aliquam, potestatem sui corporis ei tribuit: ergo iam non potest dare eam alii.

3. Item, iste consentit in invitam et renitentem, et postmodum illa consentit; constat, quod cum illa consentit, matrimonium ratum existit: ergo si mulier virum sibi obligat non ex hoc, quod ipsa consentit — quia consensus unius personae alteram non obligat — ergo hoc est propter priorem consensum, quem ille prius emiserat: ergo prius obligatus erat.

4. Item, efficacius et intensius consentit qui non solum favet consentienti, sed etiam consentit et aliam personam ad consentiendum compellit; sed primus modus consentiendi facit matrimonium et obligationem inducit: ergo multo fortius secundus.

5. Item, *caritas est vinculum perfectionis*, sicut dicitur ad Colossenses tertio [2]; hoc autem vinculum, quamvis sit perfectum, tamen potest esse unius ad alterum, ita quod non sit mutuum, ita pari ratione et vinculum carnale: ergo et matrimonium: ergo videtur, quod aliquis possit esse iunctus matrimonialiter alicui, si in aliquam consentit, aut e converso, etiam si altera dissentit.

Fundamenta. Contra: 1. Matrimonium est maris et feminae coniunctio [3]; omnis autem talis coniunctio est aequiparantiae relatio; sed omnis talis requirit convenientiam inter extrema, quia ad minus est inter duos — unde si alter duorum desinat esse similis, non est similitudo — ergo *a simili* in matrimonio, si alter dissentiat, non est matrimonium nec sponsalia: constat ergo, quod nulla est ibi obligatio nec aliquod praeiudicium.

2. Item, ubi est matrimonialis obligatio, est vir et uxor; sed uxor dicitur respectu viri, sicut pater respectu filii, et e converso: ergo sicut sequitur: iste non est filius huius, ergo iste non est pater huius; ita bene sequitur: ista non est obligata isti ut uxor, ergo iste non est obligatus isti ut vir; nec alio modo: ergo etc.

3. Item, consensus, qui transfert corporis potestatem in alteram, est consensus, qui dicit: accipio te in meam; sed nullus potest accipere aliquam in suam, nisi quae facit se suam [4]: ergo absque consensu mulieris nullus est consensus viri.

4. Item, quantumcumque vendam tibi aliquid, non fit contractus nec adstrictio [5], nisi tu emas: ergo pari ratione nunquam transfertur potestas viri in mulierem, nisi mulier consentiat: si ergo ipsa est coacta, non videtur ibi esse obligatio aliqua.

CONCLUSIO.

Consentiens in renitentem et in dissensu perseverantem non facit sibi praeiudicium ad consentiendum in aliam personam.

Respondeo: Dicendum, quod quaerere, utrum consentienti in renitentem fiat praeiudicium, est quaerere, utrum matrimoniale vinculum claudicet, ut ex parte sit solidum et ex parte contritum [6]; et hoc est quaerere, utrum aliquis sit vir, cuius non est uxor, et aliqua sit uxor, quae non habet virum. Et haec in se ipsa quaestio solvitur, pro eo quod in ea opposita implicantur propter naturam matrimonialis vinculi, quod est relativum et mutuum, quod significat ipsa comparatio et relatio uxoris ad virum. Dico igitur, quod quia matrimonium non potest esse claudum quantum ad vinculum, quod si mulier invita est et in dissensu perseverat tam signo quam corde, nullum est matrimonium; nec Notandum. Conclusio.

---

[1] Cfr. supra pag. 567, nota 4. — Inferius pro *in aliam* cod. aa *in unamquamque*, plures codd. *in aliquam*.

[2] Vers. 14: Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. — Cod. Y *vinculum spirituale et perfectionis*, Vat. mox post *perfectum* addit *et spirituale*. In fine arg. fide cod. K (I a secunda manu) supplevimus *etiam si*.

[3] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. et dub. 1. — De relatione *aequiparantiae* cfr. supra pag. 492, nota 2.

[4] Vat. *nisi qui facit suam*.

[5] Cod. K (I a secunda manu) *venditio*, cod. L *distractio*, plures codd. vel *districtio* vel *distinctio*.

[6] Cod. K (I a secunda manu) *confractum*.

unus acquirit potestatem aliquam in alterum, pro eo quod in altero extremo defuit consensus. Unde primus non se habet per modum *efficientis*, sed *disponentis;* et ideo, si secundus adveniat, tunc perficit matrimonium, pro eo quod iam habet consensum mutuum, qui est eius principium completum [1]; et ex tunc vir obligatur, et ei praeiudicium ad consentiendum in personam aliam generatur.

Corollarium.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod potest renuntiare iuri suo; dicendum, quod huic iuri non renuntiatur nisi per *votum*, aut *matrimonium;* et quoniam in tali consensu non est *votum* nec est *matrimonium*, et nemo est qui accipiat illud ius: ideo ille consensus nullum potest per se praeiudicium generare.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod potestas transfertur per consensum animi; dicendum, quod in translatione potestatis huius duo sunt, scilicet *donatio* et *acceptio.* Quantum ad *donationem* attinet, hoc est consensus proprii; quantum ad *receptionem*, hoc est consensus alieni; et quia ille non est ibi: ideo non est translatio.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, si illa consentiat; dicendum, quod tunc incepit obligari, non ratione consensus *alieni* tantum, sed ratione *sui*, qui praecesserat in actu et erat in habitu — qui etsi non obligaret, quia non erat qui acciperet — ideo [2], alieno consensu adveniente, ille consensus habet vim obligandi, quamvis prius non haberet. — Posset tamen dici, quod in tali casu consensus viri renovari debet vel verbo, vel signo.

Aliter.

4. Ad illud quod obiicitur, quod efficacius consentit; dicendum, quod si iste non obligetur, hoc non est propter *defectum* intentionis, quia non sit sufficienter intensus, sed quia non est *mutuus.*

5. Ad illud quod obiicitur de vinculo caritatis, dicendum, quod caritas, prout est vinculum, quod facit unum corpus spirituale, nunquam est, quin sit in utroque extremorum, alioquin non facit unum; et in matrimonio fiunt unum sponsus et sponsa, et significatur coniunctio Dei et animae, quae nunquam claudicat: ideo nullus est consensus quantum ad vim Sacramenti, si libertatem habet in una persona et coactionem in alia [3].

QUAESTIO III.

Utrum aliquis possit ad matrimonium compelli per praeceptum patris.

Tertio quaeritur, utrum aliquis possit ad matrimonium compelli per praeceptum patris; et voco hic compulsionem, ut obedire teneatur. Et quod sic, videtur:

1. Quia dicitur Genesis vigesimo octavo [4], quod Isaac vocavit filium suum Iacob praecepitque ei dicens: *Ne accipias uxorem* etc.; constat, quod Isaac non praecepit, nisi quod potuit et debuit: ergo potest hoc pater filio praecipere.

Ad oppositum.

2. Item, ad Colossenses tertio [5]: *Filii, obedite parentibus vestris per omnia:* ergo in omnibus quae non sunt contra salutem, tenetur patri filius obedire; unde Glossa: « Placet Deo, si per omnia obeditis, ita tamen, si *in Domino* obeditis »: si ergo matrimonium non est contra salutem, patet etc.

3. Item, sicut se habet pater spiritualis respectu matrimonii spiritualis, ita pater carnalis respectu carnalis; sed dominus Papa potest praecipere alicui sub poena excommunicationis, quod episcopatum accipiat: ergo pater carnalis, quod filius cum muliere, cum qua vult, contrahat.

4. Item, stultus est qui iurat et se obligat pro alio, qui non est ei obligatus, ut si iurarem pro extraneo, quod ipse ad sanctum Dionysium iret: si ergo parentes iurant pro filiis, ergo videtur, quod filiis suis possint praecipere, ut iuramenta sua debeant implere [6].

5. Item, si aliquis contrahat sponsalia cum aliqua, nondum est matrimonium contractum; tamen per ecclesiasticum praeceptum compellitur ad contrahendum [7]: si ergo potest compelli ab episcopo, pari ratione videtur, quod possit compelli a patre suo.

Contra: 1. In eo, in quo pares sumus, unus non tenetur obedire mandato alterius; sed quantum ad ius matrimonii omnes sunt pares: ergo non videtur, quod pater possit filio imperare.

Fundamenta.

2. Item, patre imperante matrimonium, filius sine peccato potest castitatem vovere: ergo non tenetur patri obedire.

3. Item, si filius vult religionem intrare, non tenetur patri determinanti religionem obedire, immo

---

[1] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 1.

[2] Planius codd. E L Y *tamen.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 6: Non accipias uxorem de filiabus Chanaan. Cfr. ibid. v. 1: Noli accipere coniugem de genere Chanaan.

[5] Vers. 20. Vulgata omittit *vestris.* Cfr. Eph. 6, 1: Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Ex Comment. Hieron. in hunc loc. sumta videtur *Glossa* (quam Petr. Lombard. et Lyranus ut *interlinearem* in Col. 3, 20. exhibent), in qua pro *in Domino* codd. et edd. *Domino.* — Superius post *salutem* cod. aa supplet *animae.*

[6] Cfr. C. *Tua nos requisivit* (1.), X. de Desponsatione impuberum (lib. IV. tit. 2.).

[7] Vide C. *Ex litteris Silvani* (10.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

in quamcumque potest sine peccato intrare, quia tale votum est spontaneum: si ergo matrimonium debet esse liberum, patet etc.

4. Item, nemo potest me compellere ad perpetuam servitutem; sed vir, eo quod contrahit cum uxore, dat ei sui corporis perpetuam potestatem: ergo non videtur, quod in hoc teneatur quis alicui obedire.

5. Item, si teneretur obedire, tunc sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum nubentium essent stabilia; sed hoc est contra iura canonica et civilia [1]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Contractus matrimonii debet esse liber nec ordinarie subiicitur praecepto parentum obligatorio.

Respondeo: Dicendum, quod sicut ostendunt rationes ultimae, matrimonii contractus debet esse liber omnino, tum ratione *significationis*, tum etiam ratione *talis et tantae obligationis*, quae in illo contractu consistit; et ideo non est praecipiendum a parentibus filio praecepto obligatorio, quod contrahat; quia potest continere, si vult, et iterum, si vult, contrahere. — Adhuc, per praeceptum non potest pater ad contrahendum cum hac, vel cum illa eum obligare, nisi caritas, vel *rationabilis causa* eum liget, vel *promissio ipsius voluntaria*. *Rationabilis* autem *causa* ligat, quando pater habet inimicitias et non potest evadere, nisi filius cum consanguinea inimici contrahat; vel [2] quando pater prohibet filio, ne contrahat cum muliere mala. Ob *promissionem voluntariam*, ut quando ipsemet se obligat contrahendo sponsalia, praeiudicium sibi generat in hoc, quod inchoat matrimonium; unde tenetur ad consummandum et ad hoc compelli potest per mandatum ecclesiasticum.

Conclusio 1. Conclusio 2. Exceptio 1. Exceptio 2.

1. Et per hoc patet responsio ad primum in contrarium et ad ultimum. Nam Isaac rationabiliter praecepit illud quod Iacob alias tenebatur facere, tum propter malitiam mulierum, tum etiam, quia semen Chanaan de terra illa erat disperdendum; et illud clare insinuatur in textu [3] et clarius in quodam libello, qui dicitur Testamentum Patriarcharum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de obedientia respectu patris, dicendum, quod illa distributio intelligitur solum quantum ad ea quae sunt de paterna *honorificatione*, et quantum ad ea quae spectant ad *regimen familiae*. Si autem quantum *ad alia* intelligatur, consilium est, non praeceptum; et hoc innuit Glossa, quae dicit: Placet Deo etc.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de matrimonio spirituali, respondent aliqui, quod Papa non potest praecipere, quia consensus debet esse liber; sed post susceptionem potest praecipere administrationem. — Sed tamen istud non videtur securum dicere, cum tota die videamus fieri contrarium.

Opinio 1. Non probatur.

Et ideo dicunt alii, quod simpliciter potest praecipere; nec est simile de patre carnali, quia pater spiritualis potestatis plenitudinem super filios suos habet amplius quam pater carnalis. Et *praeterea*, non est tanta servitus et tam indivisibilis copula in matrimonio spirituali, sicut in carnali; et hoc patet, quia Papa potest deponere et absolvere ab episcopatu [4].

Opinio 2.

Tertius modus dicendi est, quod ubi rationalis causa est, scilicet necessitas vel communis utilitas, potest praecipi, et tunc ille tenetur obedire; et quoniam semper praesumendum est, quod tantus pater ex causa rationabili moveatur, nisi expresse appareat contrarium; credendum est, quod subditus obedire tenetur. Quodsi sciret se insufficientem et indignum, et videret, sibi imminere periculum animae; credendum est, quod non teneretur obedire. Haec enim obedientia modicum aut nihil de suo debet habere, maxime temporibus modernis. Quidquid tamen sit, non est simile de isto matrimonio et de illo, ratione iam visa.

Opinio 3. cum restrictione. Notandum.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de iuramento pro altero, dicendum, quod, sicut infra [5] patebit, nullius est roboris, sed cuiusdam solatii et solemnitatis, quando parentes iurant pro parvulis; nec obligantur ad aliud, nisi quod bona fide ad hoc laborabunt, quod matrimonium compleatur. — Ultimum patet, quia talis sibi praeiudicium generavit ex propria obligatione [6].

---

[1] Cfr. supra q. 1, et *Glossa* in C. *Tua nos requisivit* (1.), in nota penultima allegatum, ubi etiam loci ex iure civili proponuntur, secundum quos distinguendum videtur inter *filios* et *filias* (quae solum in casu, quo pater elegerit turpem vel moribus indignum, contradicendi ius habere dicuntur). Vide hic lit. Magistri, in fine.

[2] In cod. A secunda manus hic addidit *caritas* et paulo inferius *sicut Isaac* post *mala*. Edd. pro *vel* substituunt *ut caritas vero obligat*. Inferius post *voluntariam* Vat. addit *ligatur*.

[3] Gen. 28, 4. — Seq. libellus habetur apud Migne, Patrolog. Graec. tom. II. col. 1037, sub hoc titulo: « Testamenta duodecim Patriarcharum, filiorum Iacob ad filios suos », interprete Roberto Lincolniensi episcopo [Robert. Grosseteste]. Duplex haec ratio tangitur c. 2. n. 6. et c. 4. n. 11. — Edd. *Testimonium Patriarcharum.*

[4] Cfr. C. *Inter corporalia* (2.), X. de Translat. episcopi. (lib. I. tit. 7.).

[5] Dist. 36. a. 2. q. 2. 3.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur *de situ huius partis*. Videtur enim male hic situari; si enim coactio est impedimentum matrimonii, ergo in illo capitulo deberet determinari, ubi agitur de impedimentis matrimonii [1].

Responddo: Dicendum, quod quia Magister agit hic de matrimonio a parte causae *efficientis;* et causa efficiens est consensus, non quilibet, sed *plenus,* et plenitudo consensus deficit secundum modos praedictos: ideo hic agit de *coactione* et *errore,* infra vero agit de personarum legitimitate. Et quia illa multis modis potest privari, et per consequens matrimonium impediri; ideo inferius agit de multis impedimentis. Et haec est ratio, quare tractatus ille ab hoc separatur, quia ratio impediendi venit ex alio genere causae.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nequaquam eam invitam ac renitentem cogas eius coniugio copulari* etc. Ponatur, quod aliqua consentiat in aliquem per nuntium et ante adventum nuntii poeniteat et nolit consentire, utrum sit compellanda. Et quod sic, videtur: quia, si potestatem suam commisit procuratori, tunc ita ratum est quod procurator facit, sicut si ipsa [2] faceret: ergo si procurator et nuntius consentiat, quantumcumque postmodum reclamet; videtur, quod stet matrimonium. — Sed Casus. *contra:* ponatur, quod statim, ex quo poenitet, antequam nuntius perveniat, cum alio contrahat; constat, quod matrimonium est, cum adhuc alii non sit alligata: ergo aliud matrimonium non stat. — Item, non fit matrimonium nisi per mutuum consensum; consensus autem mutuus nullus est, nisi simul sit actu, vel habitu: ergo si poenitet, antequam tunc consentiat, patet etc.

Quaeritur ergo, utrum matrimonium possit con- Quaestio. trahi inter absentes.

Respondeo: Dicendum, quod si aliquis consentit Ad quaest. in *absentem* per procuratorem, potest fieri matrimonium, non solum sponsalia contrahi, dum tamen constet, utrumque consentire; sicut *impraesentiarum* [3] potest unus alteri consensum exprimere per interpositam personam.

Quod autem quaeritur, utrum, ipsa poenitente, matrimonium contrahatur; dicendum, quod re vera, si non ante poeniteat, quam ille consentiat, res est salva. Et si poenitet in corde et reclamat in signo in conspectu testium, per quos possit probari, utpote negando, vel matrimonium cum alio contrahendo; re vera non est matrimonium, nec in conspectu Dei nec in conspectu Ecclesiae, quia consensus non simul concurrunt, maxime si fecit quod in se fuit, ut revocatio voluntatis eius ad nuntium perveniret. Et hoc patet, quia, si statim, ex quo poenitet, cum alio contraheret, matrimonium esset. Casus solvitur.

Quod obiicitur, quod dedit alteri suam potestatem; dicendum, quod semper intelligitur potestatem ad hunc actum dare, consensu in ipsa remanente, qui est de essentia matrimonii interius in facie Dei et exterius in facie Ecclesiae [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *inviti et coacti coniuncti sunt* etc. Videtur enim dicere, quodsi non reclamat, quod est matrimonium. *Contra:* illud potest esse ex negligentia; sed negligentia non supplet locum consensus: ergo non videtur, quod sit matrimonium.

Respondeo: Dicendum, quod secundum faciem Ecclesiae consensus praesumtus matrimonium facit, quando scilicet probabiliter praesumitur, quod consensus ille sit maritalis. Hoc autem potest esse tripliciter: primo modo, quando consentit *ore;* secundo vero, quando, etsi non consentit ore, tamen voluntarie consentit *in carnale opus*, petendo vel reddendo quod exigitur; tertio modo, quando reclamare potest et habet locum et tempus et *non reclamat,* consentire praesumitur, et ideo amplius non auditur; immo in facie Ecclesiae pro matrimonio habetur, non propter negligentiam, sed propter consensum, qui creditur inclinatus et voluntarius simpliciter, quamvis in principio fuerit coactus [5]. Triplex casus.

---

[1] Infra d. XXXIV. seqq.

[2] Cod. C *propria;* edd. *Papa.*

[3] Codd. H aa *in praesentia.*

[4] Solutio nititur C. *Procurator* (9.), de Procuratoribus in Sexto (lib. I. tit. 19.). Cfr. ibid. *Glossa,* sicut et in C. *Nec illud otiosum* (8.), C. 30. q. 5. — De ipso dubio vide S. Thom., hic circa lit.; Richard. a Med., IV. Sent. d. 27. a. 1. q. 3.

[5] Cfr. supra d. 28. q. 1. ad 3. et 4. — Petr. a Tar., hic a. 3. et circa lit.

DISTINCTIO XXX.

Cap. I.

De errore, qui evacuat consensum.

Nec solum coactio impedit vel excludit consensum, Error quadruplex. sed etiam error. « Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius *personae*, alius *fortunae*, alius *conditionis*, alius *qualitatis*: error *personae*, quando hic putatur esse ille homo, et est alius; error *fortunae*, quando putatur esse dives qui pauper est, vel e converso; error *conditionis*, quando putatur esse liber qui servus est; error *qualitatis*, quando putatur esse bonus qui malus est. — Error *fortunae* et *qualitatis* coniugii consensum non excludit. Error vero *conditionis* coniugalem consensum evacuat, de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque *personae* consensum coniugalem non admittit, ut si quis feminam nobilem in coniugium petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei; non est inter eos coniugium, quia non consensit vir in istam, sed in aliam; ut si quis promitteret mihi, se venditurum aurum, et pro auro offerret mihi aurichalcum, et ita me deciperet; nunquid dicerer consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum, nec ergo in illud consensi, quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error *materiae* excludit consensum, ita et in coniugio error Obiectio solvitur. *personae*. — Sed obiicitur de Iacob [1], qui pro Rachel septem annis servierat, et supposita est ei Lia; nunquid error personae exclusit coniugium, cum non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est in mysterio gestum non improbe traditur; ibi tamen, etsi non praecessit, secutus est consensus; nec ex illo concubitu, qui consensum praecessit, fornicarii iudicantur, cum ille maritali affectu eam cognoverit, et illa uxorio affectu debitum persolverit, putans, lege primogenitarum et paternis imperiis se illi iure copulatam. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille cui inscio uxoris soror, lectulum eius ingressa, se subiiceret; quae cum sine spe coniugii perpetuo manere censeatur, ille tamen, qui cognovit eam per ignorantiam, excusatur. Dubium 1. Quod per simile probatur: si *enim diabolus, transfigurans se in angelum lucis* [2], credatur bonus, non est error periculosus. Quod autem vir ille in illam mulie- Dubium 2. rem non consenserit, ex simili ostenditur: si quis haereticus nomine Augustini vel Ambrosii alicui Catholico se offerret eumque ad suae fidei imitationem vocaret; si ille assentiret, in cuius sententiam fidei diceretur consensisse? Non in haereticorum sectam, sed in integritatem fidei, quam ille haereticus se mentiebatur habere. — Error *fortunae* consensum non ex- Dubium 3. cludit — quae enim nubit pauperi putans, illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit — nec error *qualitatis*, ut si quis ducat uxorem meretricem, vel corruptam, quam putat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere [3] ».

Cap. II.

De coniugio Mariae et Ioseph.

Praemissis aliquid addendum est de modo illius consensus, qui inter Mariam et Ioseph intercessit. Sane credi potest, non solum Mariam, sed etiam Ioseph apud se disposuisse virginitatem servare, nisi Deus aliter iuberet; eosque sic consensisse in coniugalem societatem, ut uterque de altero, revelante Spiritu sancto, intelligeret, quod virginitatem servare vellet, nisi Deus aliter inspiraret; sed illam voluntatem verbis non expresserant, postea vero expresserunt et in virginitate Dubium 4. permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de eadem specialiter Deus praeciperet, cuius etiam consilio in maritalem consensit copulam, quia virginitatem servare volebat: et ideo non aliter consensisset in coniugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset. De qua Augustinus [4] sic ait: « Beata Maria propo- Augustinus. suit, se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subiecit se divinae dispositioni, proposuit, se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virgini- Dubium 5. tatem suam divinae dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo; postea vero simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginitate permansit ».

Inter quos, ut ait Augustinus [5], perfectum fuit coniugium, perfectum quidem non in *significatione*, sed in *sanctitate*. Sanctiora enim sunt coniugia pari voto continentium. Unde Augustinus: « Quod Deo pari Augustinus. consensu voveratis, ambo perseveranter reddere debuistis, a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem persevera ». « Non quia pariter temperabatis a commixtione carnali, ideo maritus tuus esse destiterat, immo vero tanto sanctius coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis ». Perfectum igitur fuit Mariae et Ioseph coniugium in *sanctitate*; perfectum etiam fuit secundum triplex bonum coniugii, *fidem* scilicet, *prolem* et *Sacramentum*. « Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus [6], impletum est in illis parentibus Christi, *fides, proles, Sacramentum:*

---

[1] Gen. 29, 24. — Inferius pro *excusatur* codd. A B E et ed. 1 *excusantur*.

[2] Epist. II. Cor. 11, 14. — Infra pro *ducat uxorem* codd. A B C, ed. 1 et Gratian. *ducat in uxorem*.

[3] Hoc 1. cap., nonnullis omissis, quasi verbotenus est apud Gratian., in C. 29. q. 1. — De seq. cap. cfr. supra d. 28. c. 3.

[4] Can. *Beata Maria* (3.), C. 27. q. 2.

[5] Libr. I. de Nuptiis et concupisc. c. 11. n. 12; verbotenus apud Gratian. super C. *Institutum est* (39.), ibid. Seq. locus eiusd. est Epist. 262. (alias 199.) ad Ecdiciam n. 3; C. *Quod Deo* (4.), C. 33. q. 5. Tertius ibid. n. 4, et cit. can. § 1. — In 2. loco edd., excepta 1, pro *consensu* habent *voto et consensu*, refragante etiam originali et canone.

[6] Loc. cit. c. 11. n. 13; C. *Omne itaque* (10.), C. 27. q. 2. Seq. locus ibid. c. 12. n. 13; Can. cit.

prolem cognoscimus ipsum Dominum; *fidem*, quia nullum adulterium; *Sacramentum*, quia nullum divortium». «Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quae accidit ex peccato; sine qua concipi voluit qui sine peccato futurus erat». Et licet non intercesserit coniugalis concubitus, *coniuges* tamen vere fuerunt *mente*, non *carne*, sicut et *parentes*; quamvis Ambrosius[1] dicat, perfectum fieri coniugium Canon. per carnalem copulam. «In omni, inquit, matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit coniunctorum commixtio corporalis». Sed intelligendum est, coniugium perfici commixtione corporali non quantum ad *veritatem*, vel *sanctitatem* coniugii, sed quantum ad *significationem*, quia perfectius unionem Christi et Ecclesiae tunc figurat.

CAP. III.

De finali causa coniugii.

Exposito, quae sit *efficiens causa* matrimonii, consequens est ostendere, *ob quam causam* soleat vel deHugo. beat contrahi matrimonium. «Est igitur *finalis* causa contrahendi matrimonii principalis procreatio prolis; propter hoc enim instituit Deus coniugium inter primos parentes, quibus dixit: *Crescite et multiplicamini*[2] etc. Secunda est post peccatum Adae vitatio fornicationis; unde Apostolus: *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, et unaquaeque habeat virum suum.* Sunt et aliae causae honestae, ut inimicorum reconciliatio et pacis redintegratio. Sunt etiam et aliae minus honestae causae, propter quas aliquando contrahitur, ut viri mulierisque pulcritudo, quae animos amore inflammatos saepe impellit inire coniugium, ut valeant suum explere desiderium; quaestus quoque et divitiarum possessio frequenter est causa coniugii et alia multa, quae cuique diligentiam adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis qui dicunt, non esse coniugium, quod propter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex praemissis, coniugium fieri ex communi consensu, verbis de praesenti expresso, quamvis amor ad hoc attraxerit. Cuius rei documentum praestat Iacob, qui Rachel *decoram facie* Dubium 6. *et venusto aspectu* amavit eamque diligens ait[3]: *Serviam tibi pro Rachel septem annis.* In Deuteronomio etiam legitur: *Si videris in medio captivorum mulierem pulcram et adamaveris eam voluerisque uxorem habere, introduces eam in domum tuam*» etc.

CAP. IV.

Quod malus finis non contaminat Sacramentum.

Et licet fine non bono contrahatur coniugium, quando species contrahentis movet animum, coniugium tamen bonum est, quia vita mala, vel intentio perversa alicuius Sacramentum non contaminat. — Habuit autem coniugium Mariae et Ioseph alias causas speciales, scilicet ut «Virgo solatio viri sustentaretur, et ut Glossa. diabolo partus celaretur, ut Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur[4]».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXX.

De consensu, qui deficit a parte rationis.

Nec solum coactio impedit vel excludit consensum etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de consensu, qui deficit a parte voluntatis. Hic secundo agit de consensu, qui deficit a parte rationis. Et quoniam ex hac parte potest dupliciter deficere: aut propter errorem in ratione, aut propter obliquitatem in intentione, quae aliquid dicit rationis, aliquid dicit voluntatis[1]; ideo primo determinat de consensu, qui fit cum errore. Secundo vero determinat de consensu, qui fit mala intentione, et per oppositum bona, ibi: *Exposito, quae sit causa efficiens matrimonii.*

Prima pars habet duas. Primo enim determinat varios errores, qui incidunt circa consensum. Secundo vero determinat, qualiter consensus Mariae et Ioseph fuerit rectus et sanctus, ibi: *Praemissis aliquid addendum est de modo illius consensus* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis tria quaeruntur.

Primo quaeritur de consensu illo, qui est cum errore.

Secundo quaeritur de consensu beatae Virginis Mariae.

Tertio, de consensu illo, qui est ex libidine.

---

[1] Non est Ambrosii; vide C. *In omni matrimonio* (36.), ibid.
[2] Gen. 1, 28, deinde I. Cor. 7, 2.
[3] Gen. 29, 17. 18, deinde Deut. 21, 12, ubi Vulgata et Hugo *in numero captivorum* pro *in medio captivorum.* — Totum hoc cap., omissis paucis, sumtum est ex Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 1.
[4] Glossa in Matth. 1, 18, apud Lyranum.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vide II. Sent. d. 38. a. 2. q. 2.

ARTICULUS UNICUS.

De consensu, qui deficit a parte rationis.

QUAESTIO I.

Utrum consensus erroneus faciat matrimonium.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum consensus erroneus faciat matrimonium. Et quod non, videtur:

Fundamenta. 1. Quia consensus sequitur cognitionem[1], ergo qui consentit consentit in eum, de quo cogitat; sed credens, hunc esse alium, de illo cogitat: ergo consentit in illum et non in hunc: et sic etc.

2. Item, « voluntarium est cuius principium est in ipso cognoscente singularia[2] »: ergo involuntarium, ubi non est cognitio; sed ubi errat, non cognoscit, et sic non est ibi ratio voluntarii: ergo nec matrimonium.

3. Item, plus habet de ratione involuntarii quod fit per ignorantiam quam per violentiam[3]; sed illud impedit: ergo et istud.

4. Item, ad hoc est auctoritas, quae dicit hoc, sicut habetur Causa vigesima nona, quaestione prima[4] per totum.

Ad oppositum. Contra: 1. Isaac credidit benedicere Esau, tamen benedicendo Iacob benedictus est[5]: ergo a simili, qui credit ducere unam in uxorem et ducit aliam, uxor eius est.

2. Item, Iacob credidit cognoscere Rachelem et cognovit Liam[6], et tamen matrimonium fuit: ergo etc.

3. Item, hoc ostenditur *ratione:* quia qui peccat per ignorantiam nihilominus peccat et non excusatur: ergo nec matrimonium infringitur propter errorem.

4. Item obiicitur, quia rusticus, credens cuprum aurum, emit cuprum, non aurum: ergo similiter videtur, quod mulier credens, Petrum esse Martinum, consentit in Petrum.

5. Item, si consensus erroneus impedit in quantum erroneus: ergo ubicumque est error, est impedimentum: ergo si credit contrahere cum divite et contrahit cum paupere, videtur, quod non fiat contractio matrimonii.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur, quis error impediat, et utrum error nobilitatis impediat matrimonium. Videtur enim, quod *non,* cum sit error qualitatis; *oppositum* autem dicit Magister in littera[7].

CONCLUSIO.

Matrimonium impedit error circa personam, non autem error circa proprietates personae, nisi sit circa conditionem.

Duplex error. Respondeo: Dicendum, quod error potest esse dupliciter in consensu: aut error circa *personam,* aut circa *proprietates* personae. Conclusio 1. Si sit error circa *personam,* talis consensum tollit et matrimonium impedit. Quae enim consentit in aliquem, credens, ipsum esse alium, secundum veritatem affectus eius coniungitur ei, de quo credit, et in eum consentit; et ideo non est ibi matrimonium, pro eo quod non est consensus mutuus. Notandum. Ad hoc autem, quod sit error *personae,* necesse est, quod duplex persona occurrat: una in aspectu *interiori,* altera in *exteriori;* et talis error facit, consensum et voluntatem diverti ab eo qui exterius apparet, pro eo quod consensus omnis et voluntas aliquam sequitur cognitionem. Invisa enim, ut dicit Augustinus[8], diligere possumus, incognita nequaquam. — Conclusio 2. Si autem sit error *proprietatum* personae, talis error non omnino tollit consensum; et ideo non omnino impedit matrimonium, nisi quando est error *conditionis* sive servitutis. Quare autem iste error magis impediat quam alius, infra[9] dicitur.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de benedictione Iacob, dicendum, quod non est simile: quia *benedictio* est opus Dei et secundum veritatem illi debebatur, quem ignorans benedicebat, et ideo Isaac benedictionem postmodum confirmavit; sed *consensus* est opus personae[10] quantum ad iudicium potens errare; ideo non est simile.

2. Ad illud quod obiicitur, quod Iacob, cognoscens Liam, erravit, et tamen matrimonium fuit;

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 25. p. I. q. 3. ad 5. et d. 38. a. 2. q. 2. in corp.

[2] Aristot., III. Ethic. c. 1. (Cfr. supra pag. 521, nota 8.). Multi codd. et edd. *singula* (τὰ καθ' ἕκαστα).

[3] Vide Aristot., III. Ethic. c. 1. — *Minor* ostensa est supra d. 29. q. 1. — Pro *quod fit,* quod nonnulli codd. omittunt, cod. K (I a secunda manu) *consensus,* codd. L Y (E a secunda manu) *involuntarium,* cod. aa *ubi consentit.* Iustinian., D. II. de Iurisdictione omnium iudicum (tit. 1.), lex *Si per errorem* (15.): Quid enim tam contrarium est consensui quam error, qui imperitiam detegit?

[4] Ex qua Magister, hic in lit. c. 1, plura proponit.

[5] Cfr. Gen. 27, 23. seqq.

[6] Gen. 29, 24.

[7] Hic c. 1.

[8] Libr. VIII. de Trin. c. 4. n. 6. seqq. et X. c. 1. seqq.

[9] Dist. 36. a. 1. q. 2.

[10] Cod. K *hominis.* Cfr. supra d. 29. q. 1. ad 2.

dicendum, quod non ex coitu fuit matrimonium; sed postmodum Iacob consensit in illam quam cognoverat, et rursus servivit pro prima [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod ignorantia non excusat a culpa; dicendum, quod ignorantia *iuris* non excusat, sed tamen ignorantia *personae et facti,* adhibita diligentia, excusat [2], ut si quis cognoscat aliam, credens cognoscere suam; sic in proposito.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod qui credit emere aurum etc.; dicendum, quod non est simile duplici ex causa: primum, quia rusticus non cogitat de auro nisi *in generali,* sed de cupro *in speciali;* sed mulier, errans in Petro, cogitat de Martino *in speciali.* Praeterea, *consensus* est actus voluntatis interior, qui consequitur aestimationem et credulitatem; sed *emptio* est actus exterior, qui consequitur contractum exteriorem circa rem. Si tamen rusticus mentionem faceret de auro, ita quod mentio de auro fieret in contractu, et ille venderet aurichalcum pro auro; tunc non teneret contractus, immo teneretur decipiens ad restitutionem; et quantum ad hoc est simile. Et hoc est, quod Magister introducit istud pro simili in ipsa littera [3].

Ratio duplex.

5. Ad illud quod obiicitur, quis error impediat; patet responsio ex praedictis.

Quod vero quaeritur de nobilitate, dicendum, quod circa nobilitatem contingit errare dupliciter [4], ut patet per exemplum. Mulier enim, quae credit, hunc quem videt, esse filium regis Angliae, dupliciter potest errare: aut enim *cognoscit* personam filii regis Angliae visu, vel auditu; et tunc in veritate consentit in illum, quia de illo cogitat; et tunc est error *personae,* et non est matrimonium. Aut personam eius *non cognoscit,* sed solum cogitat dignitatem et credit, hunc quem videt, habere illam dignitatem et nobilitatem; et tunc non consentit nisi in hunc, et est error *proprietatis,* non substantiae. — Quod ergo obiicitur: credit, hunc esse *alium;* falsum est, sed *alterum,* quia nobilitas non est substantia, sed accidens [5].

Ad quaest. incid.

Distinctio.

SCHOLION.

I. Principia hic circa impedimentum *erroris* et *servitutis* posita iure canonico comprobantur; attentione digna est regula ab auctore nostro assignata, qua dignoscitur, quando sit error circa personam; et cfr. infra dub. 3.

De 1. quaestione: Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic q. 1. a. 1. 2; Suppl. q. 51. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 1-4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Verum fuisse matrimonium inter Ss. Virginem et S. Ioseph, a nonnullis theologis in dubio positum est, refragante communi sententia, quae ex Patribus plures rationes congruentiae hoc loco relatas urgere solet. — Quomodo cum proposito sive voto castitatis verum matrimonium licite contrahi possit, disputatum est supra d. 28. q. 6. — Hic specialiter de *voto* agitur, quod emisisse B. Virginem, communiter docetur. Non autem ita conveniunt doctores in duplici quaestione, utrum ipsa iam *ante* matrimonium contractum hoc votum fecerit; et utrum hoc votum *absolutum* fuerit, an *conditionatum* (scilicet, nisi Deus aliter disponeret). Durand. (hic q. 2.) utrumque probabile esse putat, scilicet vel B. Virginem ante matrimonium non fecisse votum, sed tantum propositum *conditionatum;* vel (ut S. Bonav., supra d. 28. q. 6, docet) ipsam certificatam de custodienda virginitate, votum *absolutum* emisisse. Votum *absolutum* et *ante* matrimonium fuisse, docet cum nostro Doctore Scot. (hic q. 2.). Idem (n. 4. seq.) evertere nititur opinionem alteram, quae pro voto *conditionato* militat, et quam profitentur cum Magistro (hic c. 2.) S. Thom. (hic q. 2. a. 1. 2; Sum. III. q. 29. a. 2.); B. Albert. (hic a. 8-11.); Petr. a Tar. (hic q. 2. a. 1.); Richard. a Med. (hic a. 1. q. 1. 2.); Dionys. Carth. (hic q. 2.) aliique multi. Sed Henr. Gandav. (Quodl. 9. q. 11.) quoad votum *absolutum* consentit S. Bonaventurae, et quod ipsa « *ante* matrimonium vovit, sed non nisi *certificata* de perseverantia sua in virginitate ». — Hi igitur cum Scoto contra alios tenent, non obstante *voluntate* absoluta et *certitudine* nunquam utendi iure matrimonii, tamen fuisse inter eos verum matrimonium, cum ad hoc sufficiat potentia et obligatio *remota,* licet voto continendi perpetuo quoad actum impedita. — De locis Scripturae contra virginitatem Matris Dei obiectis vide infra dub. 4. 5.

III. Solutio 3. quaestionis communis est. De eadem: Scot., supra d. 26. q. unica n. 19. — S. Thom., hic q. 1. a. 3; Suppl. q. 48. a. 2. — B. Albert., hic a. 13. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum consensus matrimonialis beatae Mariae Deo fuerit in se placitus et honestus.

Secundo quaeritur, utrum consensus matrimonialis beatae Mariae Deo fuerit in se placitus et honestus. Fuit enim hoc ordine: primo virgo *vovit,* secundo *nupsit* et nupsit ipsi *Ioseph.*

Primo videtur fuisse reprehensibilis in hoc, quod *vovit:*

Difficultas 1.

1. Quia, sicut dicitur Matthaei undecimo [6], *lex et Prophetae usque ad Ioannem:* ergo videtur,

Ad oppositum.

[1] Gen. 29, 27. seq. Vide hic lit. Magistri, c. 1.
[2] Cfr. supra pag. 86, nota 7.
[3] Hic c. 1.
[4] Vat. addit: *aut circa subiectum personae, aut circa proprietates personae.*
[5] Porphyr., de Praedicat. c. *de Differentia,* dicit, quod omnis quidem differentia *alteratum* facit, differentia vera substantialis sive specifica *aliud.*
[6] Vers. 13. — Seq. locus est Deut. 7, 13. seq.

quod beata Maria in principio erat sub Lege; sed in Lege sterilis erat maledicta, sicut innuitur Deuteronomii septimo: ergo dum vovit, videtur, quod incurrerit maledictionem.

2. Item, votum castitatis est in consilio; sed consilia primo a Christo sunt promulgata et in praedicatione evangelica[1]: ergo videtur, quod ante Christi adventum virginitatem vovere ad Virginem non pertinebat.

Item, ulterius non videtur bene fecisse, quod

Difficultas 2. *nupsit alii:*

3. Primum, propter periculum, quoniam mulier, quae vult virginitatem servare, cum periculo potestatem sui corporis viro tradit, et maxime cohabitando: ergo si beata Virgo voverat, periculo se committebat, quando cum viro cohabitabat.

4. Item, perfectius est carere omni consortio virili sive quantum ad societatem, sive quantum ad copulam, quam aliquo modo viro adhaerere: ergo si decebat, Matrem Domini esse perfectissimam, nullo modo decuit, viro alicui esse nuptam.

Ulterius videtur, quod *tali viro non debuit*

Difficultas 3. *nubere:*

5. Quoniam Virgo Maria erat cognata Elisabeth, quae erat uxor sacerdotis Zachariae, sicut dicitur Lucae primo[2]; sed personae, quae erant de diversis tribubus, non debebant simul contrahere, sicut probatur per illud quod dicitur Numerorum ultimo: ergo cum Ioseph esset de tribu Iuda, ut patet in Matthaeo; videtur, quod male fecit beata Virgo, quod illi nupsit.

6. Item, beata Maria erat ex stirpe regali, ex progenie David, sicut cantat Ecclesia[3]: « Regali ex progenie Maria »; sed Ioseph fuit faber, sicut dicitur Matthaei decimo tertio: ergo si non decet, virgines de regali stirpe fabris desponsari; videtur, quod beata Virgo Maria inconvenienter nupsit.

CONCLUSIO.

Matrimonialis consensus gloriosissimae Virginis fuit Deo placitus; fuit enim conveniens, illam vovere ac postea nubere idque ipsi Ioseph.

Respondeo: Dicendum, quod hoc totum, quod

Conclusio generalis. in illo matrimonio gestum est, familiari consilio Spiritus sancti est factum.

Conclusio 2. Primo namque decuit, Virginem virginitatem *vovere* triplici ratione. Prima est, ut esset Dei

Ratio 1. *decentissimum habitaculum.* Quia enim sapientia *candor est lucis aeternae et speculum sine macula, quam nihil inquinatum incurrit*[4]; decebat, ut ex Matre incorrupta et re et voluntate firma conciperetur; perfecta autem incorruptio voluntatis in voto consistit virginitatis. — Secunda ratio est, ut esset mu-

Ratio 2. lieribus totius *virginitatis exemplum.* Sicut enim Deus Pater Christum viris proposuit in exemplum, sic eius Matrem in exemplum proposuit mulieribus; et quoniam hoc est maxime imitandum et laudandum, scilicet votum virginitatis, absque dubio in illa esse debuit. — Tertia ratio est, quia debebat

Ratio 3. in ea esse omnis *nobilitatis et sanctitatis privilegium.* Absit enim, quod aliqua alia virgo beatam Mariam excellat; immo *Altissimus, qui fundavit eam*[5], omnis dignitatis privilegio adornavit, ut, sicut ipse eam prae ceteris adamavit, sic ipsa omnibus esset sanctior et amabilior universis. Unde circumscripta maternitate Dei, adhuc ipsa prae ceteris Sanctis debet amari et laudari; et ideo Spiritus sanctus, qui aliis inspiravit virginitatis votum, ab ea non retinuit celatum.

Conclusio 3. Non solum autem conveniens fuit, ut voveret, sed etiam ut *nuberet,* triplici ex causa: primo pro-

Ratio triplex. pter *significationem,* secundo propter *infamiae vitationem,* tertio propter *divini consilii occultationem.* Propter *significationem,* quia Ecclesia est spi-

Prima. ritualis sponsa et virgo et mater, et hoc significari debuit; et nulla alia ad hoc significandum idonea fuit, nisi haec quae simul fuit Virgo et mater[6]: et ideo, ut perfecte *significaret,* debuit etiam desponsari. — Secunda ratio est propter *infamiae vita-*

Secunda. *tionem:* quia, ut dicit Bernardus[7], omnes credidissent, quod esset fornicaria; et « non decebat, hoc credi de Matre Dei nec etiam de Christo, quod esset natus ex adulterio; tolerabilius autem fuit ad tempus credi, quod esset natus ex coniugio ». Si enim Virgo fuisset infamata et Filius eius, tunc color excusationis Pharisaeis esset relictus, et velamen ipsis mulieribus infamibus. — Tertia ratio est propter

Tertia. *consilii divini occultationem,* ne adversario notum fieret consilium Dei. Hoc autem occultatum fuit adversario per hunc modum, quia, sicut Bernardus[8] dicit, « non poterat latere diabolum quod scirent

---

[1] Cfr. Matth. 19, 11. seq. et 21.

[2] Vers. 5. et 36. — Seq. locus est Num. 36, 6. seqq.; tertius est Matth. 1, 2. seqq. (Zacharias erat *de vice Abia,* et uxor illius *de filiabus Aaron;* Luc. 1, 5.).

[3] In festo nativitatis B. M. V. (8 Sept.), 3. Antiph. ad Laudes, quae exhibetur etiam apud Gregor. in *libro Responsali.* — Seq. locus est Matth. 13, 55.

[4] Sap. 7, 26. et 25: Nihil inquinatum in eam incurrit (pro *quam* codd. E G *in quam,* cod. I *quia,* edd. *quod*). — Cfr. Ambros., de Institutione virginis, c. 6. n. 44. seq., ubi etiam seq. ratio insinuatur, et Anselm., de Conceptu virgin. et orig. pec. c. 18. — Aliquanto superius pro *hoc totum* multi codd. et ed. 1 *hoc votum.*

[5] Psalm. 86, 5: Et ipse fundavit eam Altissimus. — Inferius pro *inspiravit* cod. U *inspirat.*

[6] Cfr. August., Serm. 213. (alias 119. de Tempore) c. 7. n. 7, et Serm. 4. de Symbolo ad catechumenos, c. 1. n. 1.

[7] Homil. 2. super *Missus est,* n. 12. Eandem rationem afferunt Ambros., II. Exposit. in Luc. n. 1; de Institutione virginis, c. 6. n. 42; Hieron., de Perpetua Virginitate B. Mariae etc. n. 4, et I. Comment. in Matth. 1, 18. (ubi etiam *tertia* ratio ex Ignatio Martyre secundum Origenem, Homil. 6. in Luc., affertur). — Inferius pro *excusationis* codd. R T U X bb *execrationis.*

[8] Loc. cit. n. 13.

homines»; unde *per homines* scire non potuit, nec *per se,* quia a Virgine procul repellebatur.

Decens etiam fuit, ut *tali homini* nuberet tri- (Conclusio 4. Ratio triplex. Prima.) plici ex causa, scilicet ratione *generis,* ratione *fidelitatis* et ratione *paupertatis.* Ratione *generis,* quia erat de *tribu Iuda* et de *semine David* et propinquus beatae Virginis, et per ipsum descripta est genealogia Christi, quae non debet per feminas describi, sicut Hieronymus super Matthaeum [1] dicit. (Secunda.) — Secunda ratio est, quia fuit *vir castus et iustus,* sicut dicit Evangelium; et ut esset Virgini in solatium et in testimonium eunti in Aegyptum, datus (Tertia.) est ei a Deo in virum. — Tertia ratio est propter *paupertatem,* quia Christus, qui super omnia venit confundere superbiam, non voluit vocari filius regis, sed magis filius fabri. In quo ostenditur Christi humilitas et etiam ipsius Virginis gloriosae [2], et confusa est mundanorum superbia. — Ex his patent obiecta.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod (Solutio oppositorum. Notandum.) non debuit *vovere,* quia hoc spectat ad Evangelium; dicendum, quod Virgo sanctissima non erat sub Lege. Nam quomodo sub Lege erat, quae Legis auctorem genuit? Et *rursus,* si illi *qui spiritu Dei aguntur,* non sunt sub Lege [3], cum haec esset plena Spiritu sancto, non pertinebat ad Legem, sed ad Evangelium, quod ab ipsa infantia in corde ipsius scripserat Dei digitus, ipse scilicet Spiritus sanctus.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de *periculo* et *imperfectione,* dico, quod Virgo certificata fuit vel inspiratione divina, vel revelatione angelica de ipsius sancti Ioseph continentia [4]; et ipsa de se certa erat, quae nullum omnino carnis stimulum sentiebat: et ideo sine omni imperfectione et periculo nubere poterat et debebat, quoniam Deus sic inspirabat.

5. 6. Ad illud quod obiicitur, quod fuit de *genere sacerdotali;* dicendum, quod verum est ex (Notandum.) parte matris, sed ex tribu David ex parte patris [5]; et ideo illi nubere debuit et potuit etiam secundum Legem. *Praeterea,* puellae de genere sacerdotum sub illa lege non arctabantur, nec etiam illae, ad quas non spectabat hereditas, propter hoc quod lex illa instituta fuit, ne confunderentur hereditates [6]. — Ultimum patet.

QUAESTIO III.

Utrum consensus libidinosus sit causa matrimonii.

Tertio quaeritur, utrum consensus libidinosus sit causa matrimonii, ut puta cum aliquis consentit in aliquam propter divitias, vel propter pulcritudinem. Et quod non, videtur:

1. Quia coniunctio matrimonialis est a Deo, ut (Ad oppositum.) patet per illud quod dicitur Matthaei decimo nono [7]: *Quod Deus coniunxit homo non separet;* sed coniunctio libidinis non est a Deo, haec autem coniunctio, vel consensus venit ex libidine, quia ex inordinato amore: ergo etc.

2. Item, cuius causa mala, ipsum quoque malum [8], unde si radix mala, et ramus operis malus; sed consensus iste est malus: ergo non efficit matrimonium nisi malum. Sed matrimonium non est malum, cum sit Sacramentum: ergo etc.

3. Item, matrimonium spirituale, contractum interveniente avaritia et pecuniae pactione, omnino rumpitur et non debet stare, sicut patet in episcopo simoniaco [9]: ergo pari ratione matrimonium carnale, quod est signum illius.

4. Item, matrimonium est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae [10]; sed Ecclesia non coniungitur Christo, nec Christus Ecclesiae, nisi amore casto: ergo etc.

1. Contra hoc videtur sacra Scriptura, quia di- (Fundamenta.) citur expresse Genesis vigesimo nono [11], quod Iacob propter pulcritudinem consensit in Rachelem; similiter Deuteronomii vigesimo primo: *Si videris mulierem pulcram* etc.

2. Item, hoc ostenditur duplici *simili:* quia qui baptizat alium intentione lucrandi vere baptizat; et intentio est necessaria ad baptismum [12], sicut consen-

---

[1] Cap. 1, 18. Ibidem, sicut in lib. de Perpetua Virginitate B. Mariae etc. n. 4, affertur etiam *secunda* ratio, in qua respicitur Matth. 1, 19: Ioseph autem vir eius, cum esset iustus etc. — Inferius ante *ut esset* plurimi codd. omittunt *et.*

[2] Bernard., Homil. 1. super *Missus est,* n. 5: Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro?

[3] Rom. 8, 14: Quicumque enim spiritu Dei aguntur etc.

[4] Cfr. supra d. 28. q. 6.

[5] Vide Ambros., III. Exposit. in Luc. n. 4. 5. et 13; August., Qq. in Iudic. q. 47; II. de Consensu Evangelist. c. 2. n. 4; 83 Qq. q. 61. n. 2; XXIII. contra Faust. c. 8; Beda, in Luc. 1, 36. — Pro *David* cod. U (E primitus) *Iuda.*

[6] Cfr. Num. 36, 2. seqq. (tribui sacerdotum *Levi* nulla terrena hereditas assignata fuit). — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 6. Non pauci codd. et ed. 1 *Quos* Deus etc.

[8] Petr. Hispan., Summul. tr. de Locis argg., agens de causa efficiente ait: Cuius causa efficiens non est bona, ipsum quod fit, non est bonum. Aristot., II. Topic. c. 3. (c. 9.): Quorum generationes... malae, et ipsa mala. Cfr. Boeth., II. de Differentiis topic., qui praeter praedicta etiam hoc dicit: Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est.

[9] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXV. c. 2, et Comment. a. 1. q. 4.

[10] Ut ostensum est supra d. 26. a. 2. q. 1.

[11] Vers. 17. seqq. — Seq. locus est Deut. 21, 11: Et videris... mulierem etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[12] Vide supra d. 6. p. II. a. 2. q. 1. seq. — Mox post *matrimonium* cod. K addit: *ergo qui consentit in aliquam ratione pulcritudinis vere matrimonium contrahit,* edd. *ergo etc.*

sus ad matrimonium. Item, mercenarius, qui praedicat amore pecuniae, praedicat et profert Evangelium verum, et credendum est ei: ergo si amor libidinosus non depravat Evangelium in praedicante, nec matrimonium in consentiente.

4. Item, si requiritur consensus castus ad matrimonium, pari ratione et caritas: ergo non poterit hoc Sacramentum perfici nisi ab habentibus caritatem; quod non est in aliquo [1] Sacramento.

CONCLUSIO.

Consensus libidinosus, qui caret intentione contrahendi, est contra Sacramenti huius veritatem, *sed qui intendit contrahere intentione libidinis est tantum contra eiusdem* utilitatem.

Respondeo: Dicendum, quod consensus *libidinosus* dicitur dupliciter: aut quia intendit libidinem per modum *finis* et *obiecti*, videlicet quia talis consensus nihil quaerit nisi corporalem copulam extorquere [2], non uxorem ducere; et illud privat *intentionem contrahendi.* Alio modo dicitur *libidinosus*, quia, etsi consentiat in aliquam, ut *ducat in uxorem*, tamen hoc non facit propter servandam castitatem, sed propter explendam cupiditatem sive voluptatem. Primus consensus est contra Sacramenti *veritatem*, secundus est contra *utilitatem*, non contra veritatem; de consensu autem illo est hic sermo, non qui *caret intentione contrahendi*, sed qui *intendit contrahere intentione libidinis;* iste autem non aufert, quin sit matrimonium. — Unde concedendae sunt rationes hoc probantes.

Duplex consensus libidinosus.

Conclusio.

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod matrimonium est a Deo, et hoc a libidine; dicendum, quod in consensu duo sunt, scilicet *substantia consensus* et *circumstantia mala*, quia propter pecuniam, vel luxuriam. *Substantia* actionis est bona et est a Deo [3]; et haec est causa consensus; *circumstantia* vero nihil facit ad hoc, unde nec iuvat nec est causa nec concausa. — Unde ex hoc patet sequens, quia consensus non est causa matrimonii secundum id quod habet malitiae, sed secundum id quod habet bonitatis. — Quod vero dicitur, quod opera exteriora recipiunt qualitatem ab interiori, verum est, secundum quod sunt opera *rationis*, quae ordinantur in *finem* et procedunt ab ipsa voluntate, in quantum bona per ordinationem in bonum finem, vel in quantum mala [4].

Solutio oppositorum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de matrimonio spirituali; dicendum, quod non est simile: primum, quia ibi requiritur dignitas personae et honestas, quae debite tractare debeat Sacramenta; secundo vero, quia illud Sacramentum est spirituale, et officium, ad quod eligitur, est spirituale, et sponsa spiritualis: et ideo, quando introducitur per pecuniam, omnino repellitur. Non sic in matrimonio carnali, ad quod nec personae dignitas nec officium spirituale est; et *iterum*, non datur gratia per eum modum, per quem in aliis Sacramentis, sed solum *auxilium gratiae*, sicut supra in principio [5] visum est, nisi forte ratione benedictionis adiunctae, quae vendentem faceret simoniacum.

Ratio duplex.

4. Ad ultimum respondendum, quod non est signum ratione *omnium* conditionum, sed ratione *indivisibilitatis;* ideo non oportet, quod ex castitate, vel ex caritate conveniant [6].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Si enim diabolus, transfigurans se in angelum lucis, credatur bonus, non est error perniciosus* [7]. Videtur enim falsum dicere, quia hic est error, qui ducit ad idololatriam, ut si ostendat, se esse Christum, et credatur et adoretur.

Respondeo: Dicendum, quod Magister loquitur de errore illo ita, quod non procedatur ultra, quia iste non est error *iuris*, sed *facti* [8]. — Vel si ultra procedat, intelligitur ita, quod non *simpliciter*, sed *sub conditione*, utpote si adoret eum, si est Christus; tunc nulla est idololatria nec deceptio periculosa. Si autem ultra procedat, tunc incipit esse periculum [9].

Aliter.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si quis haereticus nomine Augustini vel Ambrosii* etc. Videtur, quod talis error sit periculosissimus: quia si talem haereticum nomine Augustini recipit, tunc credet omnia quae sibi dicet, et ita contra fidem,

---

[1] Vat. *aliquo alio.*

[2] Cod. L addit *ex femina*, Vat. *et feminam.*

[3] Vide II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1.

[4] Cfr. II. Sent. d. 38. a. 1. q. 1. — Superius pro *opera rationis* codd. L P Y (E a secunda manu) *opera moris.* Pro *vel in quantum mala* edd. *non in quantum mala.*

[5] Scil. tractatus de matrimonio, d. 26. a. 2. q. 2.

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Magister in lit. *periculosus.*

[8] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 2. in fine corp.

[9] Vide III. Sent. d. 9. a. 1. q. 6; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

et efficietur qui sic credit haereticus, et nullus a tali errore excusatur: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod si haereticus ille, qui sic se offerret sub nomine Augustini, procederet in praedicando errorem; si ei tunc crederet, periculum esset, quia non tantum in *persona* esset error, verum etiam in *fide*. Nec excusatur talis, qui tali assentit, quoniam habet consiliarium interiorem, ad quem debet retroire [1] et quem debet consulere. Sed si ille non procedat ultra, sed solum in generali dicat, quod sequatur sectam suam; tunc nullum est periculum; et si praedicat ei verum in persona Augustini, potest ibi esse meritum in assentiendo. (Notandum.)

Unde nota, quod in eadem veritate assentiens aliquis alicui secundum quod *catholico doctori* meretur; assentiens ut *haeretico* demeretur; assentiens ut *philosopho* nec meretur nec demeretur. Unde esto, quod sicut Moyses [2] dixit: *In principio creavit Deus caelum et terram*, ita etiam diceret Aristoteles, ita etiam Arius; qui crederet quod *Moyses* dicit, mereretur, quia crederet, quod Spiritu sancto fuerit afflatus, et ita crederet primae Veritati. Qui crederet quod *Aristoteles* dicit, nec mereretur nec demereretur, quia adhaereret sapientiae mundanae. Qui crederet quod *Arius* dicit, putans, Arium, qui fuit haereticus, esse doctorem verum, demereretur, quia assensus est fundatus [3] super haeresim. (De triplici assensu fidei.)

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Error fortunae consensum non excludit.* Videtur enim male dicere: quia possibile est, quod aliquis consentiat in aliquam pro sola pecunia; ratio consentiendi fuit pecunia; sed non existente causa principali, non existit effectus [4]: ergo si non est dives illa, in quam consentitur propter divitias, non est consensus: ergo nec matrimonium. — Item, esto quod consensus exprimeretur *sub conditione* pecuniae; deinde si non daretur, non esset matrimonium in conspectu Ecclesiae [5]: ergo pari ratione, si non est ita in corde, non est matrimonium in conspectu Dei.

Respondeo: Dicendum, quod error *fortunae* non excludit consensum, immo consensum inducit. Inducitur autem consensus falsa aestimatione ad eliciendum consensum verum; et cum non sit in aliam personam quam in hanc, verus est consensus, et verum est matrimonium. (Notandum.)

Quod ergo obiicitur, quod pecunia est causa: dicendum, quod falsum est, immo aestimatio, vel spes habendae pecuniae.

Ad illud quod obiicitur, si consentiret spe pecuniae; dicendum, quod aliud est *spe pecuniae* consentire, aliud *sub conditione* consentire. Qui enim consentit *spe pecuniae* supponit divitias in aestimatione et absolute elicit consensum ex voluntate, et ideo matrimonium contrahit; sed qui *sub conditione*, reservat sibi adhuc consensum, et ideo non est matrimonium; nec est similitudo inter hunc consensum et illum [6]. (Distinctio et restrictio notanda.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Postea vero expresserunt et in virginitate permanserunt.* Contra: Matthaei primo [7]: *Accepit Mariam coniugem suam et non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum.* Ex hac littera dupliciter arguitur: primo de ly *donec:* ergo *post* cognovit; similiter de ly *primogenitum,* quia *primum* dicitur respectu *secundi.* — Item, Ioannis secundo [8]: *Descendit Capharnaum ipse et Mater eius et fratres eius:* ergo fratres habuit; et constat, quod non de patre: ergo de Matre.

Respondeo: Dicendum, quod ex duplici verbo praedicto ortum habuit vilissima haeresis Claudianorum [9], qui fatentur, beatam Virginem post generationem Christi fuisse cognitam a Ioseph; sed ista haeresis est omnino irrationabilis, quod beatissima Mater Dei, ex quo fuit templum Dei et Spiritus sancti, operi carnis vacaret. Hoc non potest cadere nisi in animam impiam et stultam, credere scilicet tantam in Matre Dei indignitatem; ideo erroneum est et perniciosum. Et Dominus in morte istum errorem (Ortus haereseos.)

---

[1] Edd. *recurrere.*

[2] Gen. 1, 1. — Inferius pro *quod Moyses dicit* cod. L *Moysi, quod diceret verum,* plures codd. *quod Moyses* [aliqui codd. omittunt *Moyses*] *diceret verum.*

[3] Cod. K *assensus eius fundatur.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 7; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Cfr. supra pag. 493, nota 6.

[5] Vide supra pag. 669, nota 4.

[6] Cfr. supra d. 28. q. 3. ad 2; B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic q. 1. a. 2. ad 4; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2; Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

[7] Vers. 24. seq.

[8] Vers. 12.

[9] Epiphan., III. adversus Haeres. haeres. 78, eos qui hanc haeresim amplectebantur, generali nomine *Antidicomarianitae* designat, cuius auctorem commemorat Apollinarem aut eius discipulos. August., de Haeres. n. 56. eodem nomine *(Antidicomaritae)* utitur et n. 84. dicit, *Helvidianos* hunc errorem docuisse (cfr. Hieron., de Perpetua Virginitate B. Mariae adversus Helvidium). Ambros., de Institutione virgin. c. 5. n. 35, refert, quendam episcopum [ed. Maurin. in nota adiecta hunc episcopum nominat *Bonosum*] in hanc haeresim prolapsum esse. Investigare nequivimus, quare haec haeresis a S. Bonav., vel potius in codd. et edd. nominetur *haeresis Claudianorum.* Fortasse error irrepsit in codd. male scribendo *Claudianorum* pro *Elvidianorum* (Helvidianorum). — Inferius verbis *templum Dei* cod. L interserit *Filii.*

evacuavit, quando eam beato Ioanni recommendavit et dedit eum sibi in solatium loco Filii; utquid illum dedisset, si filios habuisset [1]?

Quod ergo obiicitur de ly *donec*, dicendum, quod dicit terminum *incertum*, sicut ibi [2]: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos* etc.; constat, quod post sedebit a dextris. — Similiter hoc nomen *primogenitum* privat ordinem ad *anterius*, non ponit ordinem ad *posterius*; et ideo *primogenitus* appellatur, quia Dominus erat secundum Legem offerendus. — Et *si tu obiicias*, quod habuit aliquos fratres; dicendum, quod *fratres* vocantur ibi propinqui in secundo gradu, vel in tertio [3].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Committens se divinae dispositioni consensit in carnalem copulam:* ergo videtur, quod saltem fuerit mente corrupta; quod dicere est blasphemia. — Item, videtur sibi contradicere, quia paulo ante [4] dicit: « Consensit Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam »: ergo falsum dicit nunc.

Respondeo: Dicendum, quod illud verbum Au-
Notandum. gustini intelligitur, non quia Virgo consenserit, ut ipsam cognosceret, quia nunquam credo hoc ipsam voluisse, nec Deum hoc sibi inspirasse; sed consensit in coniugalem societatem sive in mutuam corporum potestatem, quae ordinata erat ad copulam carnalem, non tamen ordinatione necessaria [5].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Iacob Rachel decoram facie et venusto aspectu* [6] *amavit;* utrum peccaverit. Et quod sic, videtur, quia Magister dicit in littera [7], quod « pulcritudo est causa minus honesta, propter quam contrahitur matrimonium ». — Item, *fallax gratia et vana est pulcritudo,* sicut dicitur Proverbiorum ultimo [8]: ergo qui propter pulcritudinem contrahit matrimonium movetur ex vanitate: si ergo in Sacramentis divinis talis causa est reprehensibilis patet etc.

Respondeo: Dicendum, quod pulcritudo in muliere vel in viro potest dupliciter movere ad matri- Distinctio.
monium contrahendum: aut sicut causa *principalis,* aut sicut causa *inducens* et attrahens quodam modo. Si sicut causa *principalis;* tunc est causa minus honesta, quia non debet hoc intendi in matrimonio, sed filiorum procreatio, vel aliquod simile, et hoc iterum ordinatum est ad divinum obsequium. Si autem sicut *inducens;* potest esse sine peccato, ad minus gravi, pro eo quod pulcritudo naturaliter attrahit animum ad amorem; et si amor talis sit complacentiae non multum intensus, non est culpabilis. — Si quis autem dicat, quod Iacob ibi venialiter peccaverit, non est multum improbabile. — Et Notandum.
nota, quod multae possunt esse causae inducentes, quae sine peccato inducunt, dum tamen non sistatur in eis, scilicet gratia, pulcritudo, divitiae, merces [9], sapientia, virtus, sed virtus et mores super omnia sunt attendenda.

DISTINCTIO XXXI.

Cap. I.

De tribus bonis coniugii.

Post haec de bonis coniugii, quae sint et qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter
Augustinus. bona coniugii; unde Augustinus [1]: « Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet *fides, proles, Sacramentum.* In *fide* attenditur, ne post vinculum coniugale cum alio vel alia coeatur; in *prole,* ut amanter suscipiatur, religiose educetur; in *Sacramento,* ut coniugium non separetur, et dimissus vel dimissa nec causa prolis alteri coniungatur ».

Cap. II.

De duplici separatione.

Separatio autem gemina est, *corporalis* scilicet et *sacramentalis. Corporaliter* possunt separari causa for-

---

[1] Ioan. 19, 26. — Hanc rationem assignant Epiphan., loc. cit., n. 10. et haeres. 28. n. 7; Chrysost., in Matth. homil. 5. n. 3; Hilar., Comment. in Matth. c. 1. n. 4; Ambros., loc. cit., c. 7. n. 46. et II. Exposit. in Luc. n. 4; Hieron., loc. cit., n. 13. Praedicti Patres in his locis praebent etiam solut. obiectionum, quae a S. Bonav. datur.

[2] Psalm. 109, 1. — Inferius respicitur Exod. 13, 2: Sanctifica mihi omne primogenitum etc. Cfr. Num. 3, 13; 8, 16. seqq. et Luc. 2, 22. seqq.

[3] Idem dub. solvitur a S. Thom., hic q. 2. a. 3; Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1.

[4] Hic c. 2.

[5] Cfr. supra d. 28. q. 6; B. Albert., hic a. 11; S. Thom., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 2. ad 3.

[6] Codd., terminis transpositis, *venustam facie et decoro aspectu.*

[7] Hic c. 3. — Post *pulcritudo* edd. cum pluribus codd. addunt *procul dubio.*

[8] Vers. 30.

[9] Codd. F K L (I primitus) *mores;* edd. post *virtus* addunt *et mores.* Superius pro *inducunt* codd. R S T *movent.* — De hoc dubio cfr. supra q. 3; B. Albert., hic a. 13; S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1; Richard. a Med., hic a. 3. q. 1.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. IX. de Genesi ad lit. c. 7. n. 12.

nicationis, vel ex communi consensu causa religionis, sive ad tempus, sive usque in finem. *Sacramentaliter* vero separari nequeunt, dum vivunt, si legitimae personae sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos, etiam si aliis a se discedentes adhaeserint. Unde Augustinus[1]: « Usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se *coniuges* etiam separati, quam cum aliis, quibus adhaeserunt ». Item: « Manet inter viventes quoddam coniugale vinculum, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre, sicut apostatae anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum praemii ». Item: « Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit, ut vinculum inter illos coniugale rumpatur, immo firmius erit, quo magis ea pacta secum gerunt, quae carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus ». — Et attende, quod tertium bonum coniugii dicitur *Sacramentum*, non quia sit ipsum coniugium, sed quia eiusdem rei sacrae signum est, id est spiritualis et inseparabilis coniunctionis Christi et Ecclesiae.

Augustinus.

Et est sciendum, ab aliquibus contrahi coniugium, quod[2] haec tria bona non comitantur. Deest enim *fides*, ubi vir cum alia, vel mulier cum alio coit. « Hoc igitur bonum ita coniugio adhaeret, ut ex eo, si adsit, amplius commendetur coniugium; si non adsit, non inde annihiletur. Quae enim adultera est, non ideo coniux non est; immo, si coniux non esset, adultera non foret; quod cum fit, culpa committitur, Sacramentum vero non cassatur. — Bonum quoque *prolis* non omnibus adest coniugibus. Quidam enim pari voto continentiam servant, alii pro aetatis defectu, vel alterius rei causa generare non valent. Nec omnes illi, etiam qui prolem recipiunt, *bonum prolis* habent ». Nam *bonum prolis* dicitur non ipsa *proles* vel *prolis spes*, quae ad religionem non refertur, immo ad hereditariam successionem — ut cum quis heredes terrenae possessionis habere desiderat — sed spes ac desiderium, quo proles *ad hoc* quaeritur, ut religione informetur. Multi ergo *prolem* habent, qui tamen *bono prolis* carent; nec ideo tamen coniugium esse desinit. — *Sacramentum* vero ita inseparabiliter coniugio adhaeret legitimarum personarum, ut sine illo coniugium non esse videatur, quia semper manet inter viventes *vinculum coniugale*, ut, etiam interveniente divortio fornicationis causa, coniugalis vinculi firmitas non solvatur. Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium, non adest illud bonum, quod dicitur *Sacramentum*, quia potest solvi talium copula, de quibus post[3] dicetur.

Hugo. Dubium 1. Dubium 2.

Quod vero coniugium sit inter eos qui coniugali affectu, non tamen gratia prolis, sed explendae libidinis conveniunt, nec *fornicarii*, sed *coniuges* appellentur; ostendit Augustinus[4] inquiens: « Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat id; utrum nuptiae sint vocandae. Et potest fortasse non absurde hoc appellari *connubium*, si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa coniuncti sunt, non tamen vitaverint, ut vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant, ne nascantur. Ceterum, si vel utrumque, vel unum horum desit, non invenio, quomodo has *nuptias* appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliam dignam honoribus aut suis facultatibus inveniat, quam in coniugio adducat; *animo* ipse adulter est nec cum illa, quam cupit invenire, sed cum ista, cum qua sic cubat, ut cum ea non habeat maritale consortium ». — Ecce *coniuges* dicuntur qui solius concubitus causa conveniunt, si tamen prolis generationem aliquo dolo malo non vitent.

Augustinus.

Cap. III.

De his qui procurant venena sterilitatis.

Qui vero venena sterilitatis procurant non *coniuges*, sed *fornicarii* sunt. Unde Augustinus[5]: « Aliquando eousque pervenit haec libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam venena sterilitatis procuret et, si nihil valuerit, conceptos foetus intra viscera aliquo modo exstinguat vel fundat, volendo, suam prolem prius interire quam vivere, aut si in utero vivebat, occidi, antequam nasci. Prorsus, si ambo tales sint, coniuges non sunt; et si ab initio tales fuerunt, non sibi per *connubium*, sed per *stuprum* potius convenerunt. Si vero ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodam modo est *mariti meretrix*, aut ille *adulter uxoris* ».

Augustinus. Dubium 3.

Cap. IV.

Quando sint homicidae qui procurant abortum.

Hic quaeri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidae, vel non. — Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est

[1] Libr. I. de Nuptiis et concupisc. c. 10. n. 11; C. *Usque adeo* (28.), C. 32. q. 7. Quae praecedunt sumta sunt ex Glossa ad I. Cor. 7, 1, et respicitur Matth. 19, 9. — Seq. locus ibid.; tertius ibid. c. 11. n. 12. — In secundo loco pro *apostatae* plures edd. *apostata*, refragante editione Maurina Augustini. — Propositio *Et attende* etc. sumta est ex Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 4, in qua pro *quia sit* plurimae edd. *quod sit*, refragantibus codd. et ed. 1.

[2] Ita codd. et ed. 4, in aliis *ubi*. Post *foret* solae Vat. et ed. 6 addunt glossema: *non enim est adulterium, nisi cum fides tori violatur legitimi;* quod sumtum est ex Hug., II. de Sacram. p. XI. c. 8, ubi etiam alia, quae sequuntur, vel in cit. loco Summae Sent.

[3] Dist. XXXIV.

[4] Libr. de Bono coniugali, c. 5. n. 5; C. *Solet quaeri* (6.), C. 32. q. 2.

[5] Libr. I. de Nuptiis etc. c. 15. n. 17; C. *Aliquando eousque* (7.), ibid.

et animam habet, ut Augustinus super Exodo[1] asserit: « Informe autem puerperium, ubi non est anima viva, lex ad homicidium pertinere noluit ». Dicit etiam Augustinus, quod « informe puerperium animam non habet, ideoque multatur pecunia, non redditur anima pro anima; sed iam *formato* corpori anima *datur*, non in *conceptu* corporis *nascitur* cum semine derivata. Nam si cum semine et anima existit de anima, tunc et multae animae quotidie pereunt, cum semen fluxu non proficit nativitati. Primum oportet, domum compaginari et sic habitatorem induci. Cum ergo lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima » ? Item Hieronymus[2] ad Algasiam: « Semina paulatim formantur in utero, et tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant ». — Ex his apparet, tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, cum formatum est et animatum puerperium.

Augustinus. Dubium 4. Hieronymus.

Cap. V.

De excusatione coitus, quae fit per bona coniugii.

Cum igitur haec tria bona in aliquo coniugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim, servata fide tori, causa prolis coniuges conveniunt, sic excusatur coitus, ut culpam non habeat. Quando vero, deficiente bono prolis, fide tamen servata, conveniunt causa incontinentiae, non sic excusatur, ut non habeat culpam, sed venialem. Unde Augustinus[3]: « Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam, concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge propter tori fidem, venialem habet culpam ». Item, hoc, quod coniugati, victi concupiscentia, utuntur invicem ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his, pro quibus quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* etc. Ubi autem haec bona desunt, fides scilicet et proles, non videtur coitus defendi a crimine. Unde in sententiolis Sexti Pythagorici legitur: « Omnis ardentior amator propriae uxoris adulter est ». Item Hieronymus[4]: « Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu; non regnat in eo impetus voluptatis, nec praeceps fertur ad coitum. Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt, se causa humani generis uxoribus iungi, imitentur saltem pecudes; et postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos ». Idem: « In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem, quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnatae ».

Augustinus. Sextus. Hieronymus.

Cap. VI.

De indulgentia, quam facit Apostolus.

Sed si concubitus, qui fit causa prolis, culpa caret, quid Apostolus secundum indulgentiam permittit? Ita enim ait[5]: *Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Cui enim praestatur venia nisi culpae? Per hoc etiam quidam probare volunt, nuptias esse peccatum. Sed, ut supra praedictum est, indulgentia alia est *concessionis*, alia *permissionis*. Egerat Apostolus de nuptiis et de carnali coitu et ad utrumque retulit illud: Hoc autem dico secundum *indulgentiam*. Indulgentur enim *nuptiae* secundum concessionem et *concubitus nuptialis*, qui fit tantum causa prolis. Concubitus vero, qui est praeter necessitatem generandi *ob incontinentiam*, indulgetur secundum *permissionem*, quia ibi aliqua culpa est, sed levis. Ideoque non *iubetur* nec *conceditur*, sed *permittitur*, quia non est *laudabilis*, sed *venialis*. De hoc Augustinus[6] sic ait: « Forte aliquis dicet: si veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiae; cui enim venia nisi peccato conceditur? Plane, quod infirmitati permisit *secundum veniam* audeo dicere peccatum esse; *veniam* namque concedens, Apostolus concubitum attendit coniugatorum, ubi est incontinentiae malum ».

Error aliorum. Augustinus.

Cap. VII.

De malo incontinentiae.

« Incontinentiae malum est, quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos, sed et ibi est nuptiarum bonum. Non enim, quia *incontinentia* malum est, ideo *coniugium*, ubi est concubitus praeter intentionem generationis, non est bonum. Non propter *illud malum* culpabile est *hoc bonum*, sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale »; quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiae. Item: « Concubitum, qui non fit causa prolis, nuptiae non *cogunt fieri*, sed *impetrant ignosci*; si tamen non ita sit nimius, ut impediat tempora, quae orationi debentur, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille vero, qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur, et hunc non *exigere*, sed *reddere* coniugi, ne fornicetur, ad coniugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiae subiguntur, rem faciunt, quae non est nuptiarum; cuius delicti non sunt nuptiae hortatrices, sed deprecatrices[7] ». « Decus quidem coniugale est

Augustinus. Dubium 5. Augustinus.

---

[1] Quaest. 80; C. *Quod vero* (8.), ibid. — Seq. locus est Quaestiones ex vet. test. (inter opera eius), q. 23; C. *Moyses tradidit* (9.), ibid.

[2] Epist. 121. (alias 151.) q. 4; C. *Sicut semina* (10.), ibid.

[3] De Bono coniugali, c. 6. n. 6. — Propositio, quae sequitur, occurrit in Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 3, qui citat Augustinum. — Sententia Sexti (Xisti) est n. 222. (Biblioth. vet. Patrum de la Bigne t. 5.).

[4] Libr. I. adversus Iovinian. n. 49; C. *Origo quidem* (5.), C. 32. q. 4, ubi etiam sententia Xisti. — Seq. locus eiusd. in Comment. super Epist. ad Eph. 5, 27; C. *Liberorum ergo* (14.), ibid.

[5] Epist. I. Cor. 7, 6. — Mox citatur supra d. XXVI. c. 2.

[6] Potius apud Lyran. in Glossa I. Cor. 7, 6, ubi et quae praecedunt, qui locus extenditur in seq. cap. Analoga sunt in Augustino de Bono coniugali, c. 10. n. 11; I. de Nuptiis et concupisc. c. 14. n. 16.

[7] August., de Bono coniug. c. 10. n. 11; seq. locus ibid. c. 11. n. 12, ubi citatur I. Cor. 7, 28. 38; tertius I. de Nuptiis et concupisc. c. 14. n. 16.

castitas, procreandi et reddendi carnalis debiti fides, hoc est opus nuptiarum, quod ab omni peccato defendit Apostolus dicens: *Non peccat virgo, si nupserit*».

Augustinus. «Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est; quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod coniuges debitum carnis exposcunt, non propaginis voluntate, sed libidinis voluptate, quae tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam? Immoderata igitur progressio *secundum veniam* conceditur. Quocirca et hinc laudabiles sunt nuptiae, quia etiam illud quod non pertinet *ad se*, ignosci faciunt *propter se*. Non enim iste concubitus, quo servitur concupiscentiae, agitur, ut impleatur foetus, quem postulant nuptiae». Augustinus. «Omnino igitur in genere suo nuptiae bonae sunt, quia fidem tori servant et prolis suscipiendae causa utrumque sexum commiscent et impietatem separationis horrent [1]». Sanctitati etiam coniugii nec coniux infidelis obesse potest, sed potius fidelis prodest infideli, ut Apostolus docet. — Ex his ostenditur, quod coniuges, qui causa prolis tantum conveniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit a peccato sanctitas coniugii bonumque nuptiale. Hugo. «Si enim absque peccato non posset fieri concubitus coniugalis, non praecepisset Dominus post diluvium eos copulari, dicens: *Crescite et multiplicamini;* cum iam sine carnali concupiscentia non possint commisceri».

Cap. VIII.

De carnis delectatione, quae peccatum sit, vel non.

Sed forte aliquis dicet, omnem carnis concupiscentiam et delectationem, quae est in coitu, malum esse et peccatum, quia *ex peccato* est et *inordinata*. — Et nos dicimus, illam concupiscentiam semper malam esse, quia *foeda* est et *poena peccati;* sed non semper *peccatum* est. Saepe enim delectatur vir sanctus secundum carnem in aliqua re, ut requiescendo post laborem, edendo post esuriem; nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic et delectatio, quae est in coitu coniugali, cui adsunt illa tria bona, a peccato defenditur. — Videtur tamen beatus Gregorius [2] aliter sentire, scilicet quod sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens: Gregorius. «Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua, ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversae hominum nationes de hac re diversa sentiant et alia custodire videantur; Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriae coniugis et lavacri purificationem quaerere et ab ingressu Ecclesiae paululum temperare. Nec hoc dicentes, culpam deputamus esse coniugium; sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu est abstinendum, quia voluptas ipsa sine culpa esse nullatenus potest». Dubium 6.

Hoc autem, ne praedictis obviet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato. Et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes, qui non interdum conveniant praeter intentionem procreandae prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu ecclesiae abstinendum est. Et quod ita intelligendum sit, Gregorius [3] consequenter ostendit: Gregorius. «Si quis vero sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto sive de ingressu ecclesiae, sive de sumendo corporis dominici mysterio suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi a nobis non debet accipere qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis; habeant coniuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir, qui [4] post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem valeat accipere, cum ei secundum praefinitam sententiam ecclesiam licuerit intrare».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXI.

De causa finali matrimonii quoad bona coniugii in communi.

Post haec de bonis coniugii, quae sint et qualiter coitum excusent etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de causa formali et efficiente coniugii. Hic agit de causa finali, propter quam est; et haec est triplex bonum. Dividitur autem haec pars in duas. In prima agit de bonis coniugii communiter. In secunda de bono fidei specialiter, infra distinctione trigesima secunda: *Sciendum est etiam, quod cum in omnibus aliis* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat, quae et quot sint bona coniugii. In secunda vero determinat, qualiter per ea excusatur coitus, ibi: *Cum igitur haec tria bona in aliquo* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima determinat, quae et quot sint bona coniugii. In secunda, qualiter se habeant ad matrimonium, utrum sint

[1] August., III. contra Iulian. Pelagian. c. 16. n. 30. — Deinde respicitur I. Cor. 7, 14, et sequitur locus ex Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 3, ubi citatur Gen. 9, 1.

[2] Regest. XI. indict. 4. epist. 64. (alias 31.) ad Augustin. resp. 10; C. *Vir cum propria* (7.), C. 33. q. 4.

[3] Ibid., et in Can. § 2., ubi pro *raptus* ed. 1 cum originali Gregorii et Can. *captus*, et pro *creandorum* ed. 1 *procreandorum*.

[4] Cod. C *cum*, et inferius pro *valeat accipere* omnes codd. et ed. 1 *valet accipere*.

separabilia, an inseparabilia, ibi: *Et est sciendum, ab aliquibus contrahi coniugium.* In tertia removet duo dubia incidentia, ibi: *Solet quaeri, cum masculus et femina* etc.

Cum igitur haec tria bona in aliquo coniugio etc. Haec est secunda pars, in qua agitur, quomodo bona coniugii excusant illum actum, et habet haec pars tres particulas. In prima determinat, per quem modum excusant. In secunda vero determinat quandam auctoritatem Apostoli, quae videtur esse contraria, ibi: *Sed si concubitus, qui fit causa prolis* etc. In tertia determinat quandam auctoritatem Gregorii, ibi: *Sed forte aliquis dicet* etc. Et sic duo principaliter determinat Magister in hac distinctione.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius distinctionis duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de bonis matrimonii.

Secundo, qualiter excusant coitum.

Circa primum tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum bona matrimonii sint in genere conferentis sive utilis, an honesti [1].

Secundo quaeritur de numero et sufficientia eorum.

Tertio quaeritur de necessitate horum bonorum.

ARTICULUS I.

De bonis matrimonii.

QUAESTIO I.

Utrum matrimonium sit in genere utilis, an honesti.

Et quod sit in genere *honesti*, videtur.

1. Super illud primae ad Corinthios septimo [2]: Fundamenta. *Non ut laqueum* etc.; Glossa: « Non esse turpe demonstravit, sed quod honesto honestius est generali nomine *honesti* commendavit ».

2. Item, hoc videtur *ratione:* quia castitas, cum sit virtus, est in genere honesti; sed actus coniugalis est actus castitatis, quoniam est castitas coniugalis, sicut vidualis [3]: ergo etc.

3. Item, actus, qui alias esset fornicarius, fit non fornicarius per coniugium [4]; sed nihil tollit dehonestatem peccati nisi honestum: ergo coniugium etc.

4. Item, servare fidem coniugii hoc est opus iustitiae de se; sed talia cadunt in genere honesti, et hoc est bonum matrimonii: ergo etc.

Contra: 1. Augustinus de Bono coniugali [5]: Ad oppositum. « Quaedam bona data sunt a Deo, quae propter se appetenda sunt, ut sapientia, salus et amicitia; quaedam vero propter aliud necessaria, ut doctrina, cibus et coniugium »; sed honestum est propter se appetendum: ergo etc.

2. Item, Hieronymus in libro de Virginibus [6]: « Fornicationis periculo conceduntur nuptiae, et excusabile fit quod non propter se est appetendum, sicut viduis solum fornicationis periculo conceduntur secunda connubia ».

3. Item, *ratione* videtur: quia « honestum est quod sua vi nos trahit et dignitate nos allicit [7] »; sed omne tale est ab omnibus appetendum, coniugium autem non est ab omnibus appetendum: ergo etc.

4. Item, omnis verecundia recta est de eo quod habet aliquid inhonestatis, non de honesto; sed omnis homo sanae mentis actum coniugalem erubescit: ergo etc.

CONCLUSIO.

Matrimonium secundum aliquid sui est in genere tum honesti, tum utilis, tum delectabilis, quae tamen bona suis contrariis sunt admixta.

Respondeo: Dicendum, quod cum triplex bonum sit in coniugio, scilicet *fides*, *proles* et *Sacra-* Triplex bonum.

---

[1] Vat. addit *an delectabilis.* Cfr. tom. II. pag. 593, nota 1. (Aristot., II. Ethic. c. 3, ubi dicit, quod « tria sint, quae in electionem... cadunt: honestum, utile et iucundum).

[2] Vers. 35. — Glossa, quae exhibetur a Petro Lombard. in hunc locum (a Strabo et Lyrano ex parte tantum), sumta est ex August., de Bono viduitatis, c. 5. n. 7: Non matrimonium turpe esse monstravit, sed quod honesto erat honestius generalis honesti nomine commendavit.

[3] Cfr. August., de Bono coniugali, c. 8. n. 8, ubi exponit illud Hebr. 13, 4: Honorabile connubium in omnibus et torus immaculatus, et Serm. 343. de Susanna et Ioseph. — Codd. N aa addunt *et virginalis.*

[4] Epist. I. Cor. 7, 2: Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat etc.

[5] Cap. 9. n. 9.

[6] Libr. I. adversus Iovinian. n. 14. (refutans primum ipsius errorem: Virgines, viduas et maritatas, quae semel in Christo lotae sunt, si non discrepent ceteris operibus, eiusdem esse meriti), et Epist. 48. (alias 50.) apologetica ad Pammachium pro libris contra Iovinianum, n. 8.

[7] Cicero, II. Rhetor. c. 53. Cfr. tom. I. pag. 40, nota 5.

mentum[1]; *fides* est, quod suam cognoscat et non Conclusio 1. aliam; hoc est bonum moris de se ordinatum et cadit Conclusio 2. in genere *honesti.* — *Prolis* vero *bonum* cadit in genere *conferentis;* confert enim prolis multiplicatio ad speciei conservationem et perfectionem numeri, sicut cibus ad conservationem individui. — Conclusio 3. Bonum vero *Sacramenti* cadit in genere *delectabilis,* quia tanta est ibi unio, ut *relinquat homo patrem et matrem, et sint duo in carne una*[2]; unde praecipitur viris, *ut uxores diligant sicut corpora sua.*

Et sic patet, «quod cum tria sint in electione, sicut vult Philosophus, scilicet *honestum, conferens* et *delectabile*»; in triplici genere est bonum coniugii. Et haec tria bona *pura* essent in statu purita- Conclusio 4. tis et innocentiae; sed per peccatum sunt *suis contrariis admixta:* quoniam in actu illo est quaedam inhonestas contracta ratione improbitatis libidinis et pruritus; et ideo in[3] bono *honesto* quaedam permiscetur *inhonestas.* Est etiam quoddam *damnum,* quia impeditur homo ab orationis instantia; unde procreando prolem ad cultum Dei impeditur ut *tunc* perfecte colere Deum[4]: sic ergo bono *conferenti* permiscetur *damnum.* Et etiam *delectabili,* scilicet Sacramenti indivisioni, quaedam *tribulatio* et *angustia,* quia *qui cum uxore est cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est,* quoniam *tribulationem carnis habet huiusmodi*[5]: et ita bonum delectabile permiscetur tristitiae et angustiae. — Quoniam ergo *bonum* est, ta- Corollarium. men *permixtum;* ideo appeti potest, et etiam melius est non appeti. Unde *qui iungit virginem bene facit, et qui non iungit* virginem *melius facit.* — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, matrimonium secundum aliquid sui esse in genere honesti.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est propter Solutio oppositorum. aliud appetendum; dicendum, quod loquitur ratione boni *conferentis,* quod ibi est.

2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, et ad rationes sequentes solvendum est, quod non est *pure bonum,* sed aliquid habens admixtum; et quia bonum istud est medicinale, ideo bonum Notandum. non fit malum propter malum, quod ibi est, immo curat et excusat malum, non ut non sit *poenale* — et ideo est ibi verecundia et tribulatio — sed solum, ut non sit *culpabile,* sicut patebit infra[6].

SCHOLION.

I. In hoc articulo agitur praecipue de *tribus bonis* matrimonii, a S. Augustino assertis et deinde communiter receptis. Notandum est, quod *fides* hic non accipitur ut *fides theologica* nec proprie ut virtus, sed ut quaedam pars sive proprietas virtutis iustitiae. Item, *Sacramentum* hic non dicitur ipsum matrimonium, sed *inseparabilitas* eius; cfr. hic q. 2. ad ult.; Magister, hic c. 2; S. Thom., hic q. 1. a. 2. ad 7; Scot., hic q. unica n. 5. Porro de bono *prolis* vide hic dub. 1.

II. Quod in solutione quaestionis 1. dicitur, tria ista bona in lapso per peccatum esse suis contrariis admixta, a S. Thoma aliisque supponitur et adhibetur ad probandum, quod in matrimonio debeant esse aliqua « bona *excusantia* », per quae scilicet fiat compensatio detrimenti spiritualis, quod in matrimonio incurritur. Scoto (hic q. unica n. 2. 3.) non placet hic modus loquendi, iam a Magistro aliisque antiquis usurpatus, quia sensu *proprio* non possit accipi, cum matrimonium ex obiecto et fine iam habeat rationem actus honesti. Nec hoc negat S. Thom., immo dicit (hic q. 1. a. 1. ad 2.): « Ista bona, quae matrimonium honestant, sunt *de ratione* matrimonii; et ideo non indiget eis quasi *exterioribus* quibusdam ad honestandum, sed quasi causantibus in ipso honestatem, quae ei secundum se competit ». — Ceterum notum est, Manichaeos, tum antiquos tum medio aevo redivivos, negasse, matrimonium esse in *genere honesti,* cum esset malum in se, sicut materia; qui error pessimus in Almarico iterum damnatus est ab Innocentio III. et Concilio Laterano IV. (c. 2. *Damnamus*). Cfr. etiam infra a. 2. q. 1.

Quaestionem 1. tractant S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med. sub titulo: « Utrum debeant haberi aliqua bona ad excusandum matrimonium ». Cfr. Scot., de hac et 2 seqq. hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 1; Suppl. 49. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. 2. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. unica.

III. De sufficientia horum 3 bonorum omnes consentiunt. Cfr. S. Thom., locis citt. a. 2. — B. Albert., a. 4-6. 8-10. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

IV. Circa 3. quaestionem patet, quod tria illa bona non eodem modo spectant ad hoc Sacramentum. Bonum *Sacramenti* sive *inseparabilitas* est bonum « *primum* et intrinsecum et forma; *fides,* id est fidelitas in iuste reddendo actum debitum, est bonum eius ut *finis proximus,* sed minus principalis; bonum *prolis* est eius bonum extrinsecum, ut *finis ultimus,* sed principalis » (Scot., loc. cit. n. 4.). — Attamen de bonis *fidei* et *prolis* loquendum est cum distinctione ab omnibus recepta, quod licet in matrimonio *contracto* defectus eorum non solvat vincu-

---

[1] Vide quaest. seq. — Inferius pro *numeri* (cod. aa addit *electorum*) cod. bb *universi.* Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 35. (c. 4.).

[2] Gen. 2, 24: Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem... et erunt duo etc. Cfr. Matth. 19, 5. et Marc. 10, 7. — Seq. locus est Eph. 5, 28: Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. — Verba Philosophi vide supra pag. 717, nota 1.

[3] Pro *ideo in* cod. E *ita*, alii codd. communiter et ed. 1 omittunt *ideo.* Superius pro *essent* cod. aa *erant,* et pro *admixta* plures codd. *annexa.*

[4] Respicitur I. Cor. 7, 5: Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis *orationi* etc. — Cod. Z addit *non posset,* cod. aa *nequeat,* Vat. *non valeat.* Superius pro *ab orationis* plures codd. et ed. 1 *a rationis,* Vat. legit *a rationis instantia seu intentione.*

[5] Epist. I. Cor. 7, 33, ubi Vulgata pro *cogitat* (quod in v. 34. occurrit) *sollicitus est,* et v. 28: Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. — Seq. locus est ibid. v. 38: Igitur et qui matrimonio iungit virginem suam bene facit etc.

[6] Art. 2. q. 1. seq. et dub. 5.

lum, tamen in *contrahendo* eodem conditio apposita *contra* haec duo bona (sicut contra bonum Sacramenti) matrimonium reddat invalidum (Scot., loc. cit. n. 9.).

De 3. quaestione S. Thom., locis cit. a. 3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. et a. 2. q. 1-3.

QUAESTIO II.

Utrum tria sint matrimonii bona.

Secundo quaeritur de numero et sufficientia bonorum matrimonii; et assignantur ab Augustino tria in libro de Bono coniugali [1], scilicet « fides, proles et Sacramentum ». Primo videtur, quod hic sit *defectus.*

Ad oppositum. 1. Nam praeter haec est in coniugio *mutuum obsequium;* et hoc quidem aliquod bonum est, sicut dicitur Ecclesiastis quarto [2]: *Melius est, duos esse quam unum,* et non est aliquid istorum: ergo etc.

2. Item, ista tria competunt matrimonio, secundum quod est in *officium;* sed matrimonium non solum est in *officium,* sed etiam in *remedium* [3]*:* ergo videntur plura esse.

3. Item, bonum *pacis* est aliquod bonum, immo maximum bonum, ut dicit Augustinus [4]; sed hoc est bonum, quod frequenter facit coniugium: ergo insufficienter enumerat. *Si dicas,* quod enumerat ea quae sunt bona matrimonii, non ut frequenter, sed ut semper; *obiicitur:* quia nec fides nec proles semper est in matrimonio.

Sed contra, videtur, quod *superflue:*

4. Quia unius rei unicus est finis: ergo si matrimonii Sacramentum est unum, ergo unum debet habere principalem finem: ergo unum est bonum eius, quia *bonum* et *finis* idem [5].

5. Item, nihil dicitur esse bonum sui ipsius; sed matrimonium est Sacramentum: ergo Sacramentum non est bonum matrimonii.

6. Item, nihil debet connumerari suis proprietatibus; sed fides et proles sunt conditiones et proprietates matrimonii, ergo Sacramenti: ergo non debent distingui neque connumerari cum bono Sacramenti. — Quaestio incidens. *Si dicas,* quod Sacramentum aliter accipitur, scilicet pro *proprietate* matrimonii; *quaeritur,* quae sit illa *proprietas,* et quare magis sibi appropriavit nomen *Sacramenti* [6].

CONCLUSIO.

Sufficientia trium bonorum matrimonii monstratur triplici via.

Respondeo: Dicendum, quod numerus et sufficientia bonorum matrimonii potest accipi a parte *causae instituentis* sive efficientis, et sic a triplici principio: a dictamine scilicet *naturae,* ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturae, et sic bonum *prolis;* a dictamine *rationis rectae,* ut vir cum sua et non cum alia cubet [7] muliere, et sic bonum *fidei;* a dictamine *gratiae,* ut significetur unio divinae naturae et humanae, et sic bonum *Sacramenti.* Distinctio triplex a parte causae efficientis.

Potest accipi a parte principii *constituentis,* et hoc tripliciter: quia ad hoc, quod matrimonium habeat *esse completum,* tria sunt necessaria, scilicet *institutio, usus* et *fructus.* Ratione *institutionis* est bonum *Sacramenti,* ratione *debiti usus* est bonum *fidei,* ratione *fructus* conferentis usum est bonum *prolis.* Et sic patet, quod est triplex bonum. Item a parte principii constituentis.

Potest etiam accipi a parte *finis moventis* sive terminantis, et hoc vel quia *ad bonum,* vel quia *contra malum.* Quia *ad bonum;* cum triplex sit eligendum bonum, scilicet *honestum, conferens* et *delectabile,* ratione boni *honesti* est *fides,* ratione *conferentis proles,* ratione *delectabilis* est *Sacramentum,* secundum quod superius [8] est monstratum. Item a parte finis moventis dupliciter. Primo. — Vel aliter: quia *contra malum* concupiscentiae, quae habet in se triplex malum, scilicet *fluxum, inordinationem* et *fastidium;* contra *fluxum* est in matrimonio unio *singularis,* contra *inordinationem* unio *utilis,* contra *fastidium* unio *inseparabilis.* Ratione singularitatis in unione est *fides,* ratione utilitatis *proles,* ratione inseparabilitatis *Sacramentum* [9]. Secundo. — Et haec tria significant triplicem proprietatem unionis Christi cum Ecclesia, quia scilicet *unitur uni,* et quia ex ea *filios generat,* et quia *nunquam separatur.* Corollarium.

Ex his patent obiecta, quia connumerantur non quaecumque bona, sed quae *communia* sunt statui naturae corruptae et stantis [10]; ideo nec *pax* nec *obsequium* nec bonum, quod accipitur, in quantum est *remedium,* inter haec bona connumerantur, sed haec tria bona solum. Ad primo obiecta.

4. Ad illud quod obiicitur, quod *superfluunt,* quia unius unus finis; dicendum, quod unum est bonum *principale* et *inseparabile,* scilicet sacra- Solutio oppositorum.

---

[1] Cap. 24. n. 32. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Vers. 9. Post *esse* Vulgata addit *simul.*

[3] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 1. et 2.

[4] Libr. XIX. de Civ. Dei, c. 11: Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.

[5] Secundum Aristot. Cfr. tom. I. pag. 769, nota 1. — Superius pro *superflue* (cod. T addit *dicat*) Vat. *superfluat.*

[6] Cod. O addit *quam alia Sacramenta.*

[7] Multi codd. omittunt *cubet.* Inferius pro *principii,* quod habent codd. E I K Z, alii codd. vel cum edd. *principali,* vel *principalis.*

[8] Quaest. praeced.

[9] Vide supra d. 26. a. 2. q. 2. in fine corp. — Pro *contra fluxum* plurimi codd. *contra defluxum.*

[10] Pro *stantis* (cfr. infra d. 33. a. 1. q. 2.), quod habet cod. Z (addito *hoc est institutae*), multi codd. *statim,* cod. O

mentale vinculum; et alia sunt huic annexa, et nihil impedit, quod aliquid habeat unum principalem finem et plures utilitates adiunctas.

5. 6. Patet etiam responsio ad illud quod obiicitur de bono Sacramenti: nam ipsa *unio* dicitur *Sacramentum* matrimonii, sed *inseparabilitas* unionis dicitur *bonum* Sacramenti sive Sacramentum, quod est bonum matrimonii.

Ad quaest. incid. Ratio autem, quare conditio inseparabilitatis vindicavit[1] sibi nomen istud, est, quia matrimonio est consubstantialis et consequens ipsum inseparabiliter, non sic aliae conditiones. Et sic patent obiecta[2].

QUAESTIO III.

Utrum haec tria bona sint de necessitate matrimonii.

Tertio quaeritur de necessitate horum trium bonorum, utrum scilicet sint de necessitate Sacramenti. Et quod bonum *Sacramenti* sit de necessitate,

Argg. pro parte affirmativa. 1. Dicit Augustinus, et habetur in littera[3]: «Sacramentum ita inseparabiliter coniugio haeret, ut sine illo esse non videatur».

2. Item, *ratione* videtur: bonum Sacramenti est ratione inseparabilitatis; sed inseparabilitas[4] semper inest ut necessitas: aut ergo bonum Sacramenti non est bonum, aut necessario inest.

Item, quod bonum *prolis* de necessitate consequatur matrimonium, videtur:

3. Quia dicit Augustinus, et habetur in littera[5], quod «qui venena sterilitatis procuraverint non sunt coniuges».

4. Item, *ratione* videtur: quia ad hoc institutum fuit matrimonium, scilicet ad crescendum et multiplicandum[6]: ergo frustra est, si hoc fine caret; sed non potest esse omnino frustra, cum sit Sacramentum: ergo etc.

Item, quod bonum *fidei* sit de necessitate Sacramenti, videtur:

5. Quia dicit Augustinus[7], quod si quis consentiat in aliquam, ut postmodum aliam accipiat, non est Sacramentum; sed hoc est propter defectum fidei: ergo etc.

6. Item, *ratione* videtur: quia licet ex causa fornicationis matrimonium dividere[8]; sed non liceret, nisi fides esset de substantia: ergo etc.

Pro parte negativa. Contra: 1. Quod *Sacramentum* non sit de substantia matrimonii, videtur: quia si aliquis contrahat cum aliqua per verba *de praesenti*, est matrimonium contractum, et tamen, illo transeunte ad religionem, ista potest nubere[9]: ergo non erat ibi vinculum inseparabile.

2. Item, quod nec *fides*, videtur: quia matrimonium potest esse inter perpetuo continentes, et potest esse inter incontinentes, quia neuter cum alio vel alia potest contrahere: ergo etc.

3. Item, quod *proles* non sit de necessitate, videtur: quia matrimonium est inter steriles, sicut patet; sed hic non est bonum prolis.

Quaeritur ergo: quid est quod dicit Augustinus[10], quod «non sunt coniuges»? Si enim prius consenserunt, fuit matrimonium ratum; si post coierunt, fuit consummatum; sed hoc nullo casu, nullo peccato rumpitur.

CONCLUSIO.

Bonum Sacramenti est de necessitate matrimonii; alia duo, scilicet fides et proles, quodam modo sunt de esse Sacramenti, et quodam modo tantum de bene esse.

Respondeo: Sicut tangit Magister in littera[11] et accipit ab Augustino, cum sint tria bona matrimonii, scilicet *fides, proles* et *Sacramentum,* unum, Conclusio 1. scilicet *Sacramentum,* est de *necessitate* matrimonii. Sacramentum enim venit ex mutua obligatione et divina institutione et significatione illius unionis; et ideo, quia ista sunt de necessitate matrimonii, per consequens et Sacramentum. — Sed alia duo bona Conclusio 2. quodam modo sunt de *esse,* quodam modo de *bene esse.* Si enim loquamur quantum ad *matrimonii usum,* sic sunt de *bene esse*[12], quoniam usus matrimonii absque his esse potest, sicut tota die est; et non solum est *absque his,* sed etiam *cum suis*

---

stanti, cod. bb *institutae,* cod. A *statui,* codd. R X aa legunt: *statui naturae institutae* (cod. X *innocentiae,* cod. aa *conditae*) *et statui naturae corruptae.*

[1] Edd. cum paucis codd. *vindicat.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Hic c. 2. Verba potius sunt Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XI. c. 8, quibus sententiam August., I. de Nuptiis et concupisc. c. 10. n. 11. seq. (hic in lit. Magistri, c. 2. relatam), complectitur.

[4] Codd. L Y addunt *quae inest,* codd. N aa *quae ibi est,* edd. pro *ratione* ponunt *ratio,* deinde legunt: *quae rei semper inest, est necessitas,* codd. M O R T U X *inseparabilitas semper est necessitas* (codd. M O *est ut necessitas*). Pro *ut necessitas* pauci codd. perperam *non necessitas.* Inferius pro *necessario* cod. W *semper.*

[5] Hic c. 3.

[6] Respicitur Gen. 1, 28.

[7] De Bono coniugali, c. 5. n. 5, hic in lit. Magistri, c. 2, allegatus.

[8] Cfr. Matth. 5, 32. et 19, 9.

[9] Vide supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 6. seqq., et Comment. a. 3. q. 2.

[10] Supra arg. 3. pro parte affirm. — Inferius pro *peccato* [veneficii] edd. *pacto.*

[11] Hic c. 1. et 2.

[12] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 3. et d. 27. a. 1. q. 1.

oppositis. Unde sterilitatis et aborsus procuratio et fidei fractio non dissolvunt matrimoniale vinculum contractum.

Si autem loquamur quantum ad *matrimonii contractum*, qui est per matrimonialem consensum; Conclusio 3. sic potest esse contractus *absque his duobus bonis*, ut puta in sterilibus et in continentibus, sed tamen[1] non est *contra haec*. Tunc autem est consensus *contra haec*, quando sub *tali pacto consentitur*, ut prolis sterilitas procuretur, vel uxor alii prostituatur; Conclusio 4. tunc enim non est consensus vel pactio *matrimonii*, sed potius *adulterii*, cum directe repugnet institutioni matrimonii. Sed *carentia* sive absentia horum duorum non repugnat: quia *fides* venit ex recto matrimonii usu; et quia possunt homines abuti ipso, ideo potest deesse fides. Similiter *proles* venit ex fructu ventris; et quia steriles possunt esse vel natura, vel arte: ideo matrimonium hoc bono potest carere.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod Sacramenti Ad arg. 1. pro parte negat. bonum non est in matrimonio *ante* carnalem copulam; dicendum, quod falsum est, quia est inter coniuges insolubile vinculum nec solvitur nisi per mortem *spiritualem*, sicut *post* consummationem per mortem *corporalem*[2]. Verum est tamen, quod non est ibi Sacramentum secundum *completam* et plenariam rationem.

Ad illud quod obiicitur, quod fides sit[3] de necessitate, quia qui sic consentit, ut tamen aliam ducere possit post, non contrahit; dicendum, quod hoc non est tantum propter defectum *fidei*, sed etiam propter defectum *Sacramenti*, quia non vult isti coniungi perpetuo, et quia in pactione introducitur conditio contraria bono *fidei;* nec propter infidelitatem solvitur matrimonii Sacramentum, sed solvitur obligatio ad reddendum debitum[4]. Ad arg. 3. pro parte affirm.

Ad illud quod obiicitur de bono prolis, quod propter hoc institutum est; dicendum, quod non tantum propter hoc, sed etiam in *remedium* et in *signum;* et ideo, quamvis non sit ibi hoc bonum, possunt tamen esse alia bona. Si autem homo stetisset, tunc semper fuisset hoc bonum, quia tantum fuisset in *officium;* et hoc bonum non deesset, quia nulla esset sterilitatis poena[5]. Item ad arg. 4.

ARTICULUS II.

Qualiter bona matrimonii excusent coitum.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de excusatione actus coniugalis per bona matrimonii. Et cum contingat coire cum uxore causa concupiscentiae implendae, causa fornicationis vitandae et causa prolis procreandae; circa hoc secundum haec tria tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum coitus propter prolem possit esse sine omni culpa.

Secundo quaeritur, utrum coitus propter fornicationem vitandam possit esse sine omni peccato veniali.

Tertio, utrum coire cum uxore causa concupiscentiae satiandae sit semper peccatum mortale.

QUAESTIO I.

Utrum coitus propter prolem possit esse sine omni culpa.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod possit esse sine omni culpa.

1. Augustinus dicit de Bono coniugali, et habetur in littera[6]: «Coniugalis concubitus generandae prolis gratia non habet culpam». Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: matrimonium est sanctum et bonum; quod patet, quia a Deo est institutum et confirmatum per praesentiam suam ad nuptias, secundo Ioannis[7], et approbatum per responsionem suam, Matthaei decimo nono; sed re sancta potest homo sancte uti et sine peccato: ergo cum hoc sit maxime causa prolis, patet etc.

3. Item, omne quod Deus praecipit, potest fieri sine peccato; sed Deus praecepit prolem procreare, Genesis octavo[8], post lapsum: ergo possibile est hoc facere sine peccato.

4. Item, nulla potentia est mala de se, ergo omni potentia bene possumus uti; sed potentia ge-

---

[1] Vat. *si tamen*.

[2] Vide supra d. 27. a. 3. q. 1. seq. — Post *spiritualem* Vat. addit *vel civilem*.

[3] Edd. perperam *non sit*.

[4] Vat. hic addit: Ad illud quod dicit Augustinus, quod qui venena procuraverant etc.; dicendum, quod hoc non dicit, quia per hoc solvatur matrimonii vinculum, sed quia Sacramenti amittatur meritum, et grave incurrant peccatum. Unde non sunt coniuges, supple, veri et fideles. (Cfr. tamen corp. quaest.).

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Hic c. 5.

[7] Vers. 2. — Seq. locus est Matth. 19, 4. seqq. Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 5. — In fine arg. post *prolis* codd. E R T bb addunt *procreandae*.

[8] Vers. 17. Cfr. ibid. 9, 1.

nerandi est potentia nobis data: ergo possumus ea bene uti. Sed *bene uti sive melius* non est aliter quam ad id, ad quod est et secundum quod ad illud est; hoc autem est, cum cognoscit uxorem propter prolem: ergo etc.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Omnis delectatio immoderata est peccatum, quia, ubi est defectus modi, est malum culpae[1]; sed in coitu est delectatio immoderata, etiam quando coit quis causa prolis procreandae: ergo est ibi peccatum.

2. Item, omnis delectatio, in qua pervertitur rectus ordo, est peccatum; sed in coitu coniugali est delectatio, in qua anima absorbetur a carne, etiam cum coit propter hoc: ergo etc.

3. Item, omnis actus, in quo rationabiliter homo erubescit, est peccatum, vel foeditatem habet — ut purgare ventrem: attamen non ita rationabiliter de hoc erubescit quis, quia non debet homo erubescere de *poena*, sed de *culpa* — sed in coitu coniugali ratione vel amore prolis erubescit et nullo modo coram aliis faceret: ergo est peccatum.

4. Item, omnis actus, in quo regnat libido, est peccatum; sed in actu coniugali pro generanda prole regnat libido, quia dicit Augustinus[2], quod «peccatum non transmittit ad posteros propagatio, sed libido»: ergo etc.

5. Item, omnis actus, qui est necessario ordinatus ad culpam, est peccatum; sed hoc est in coitu ratione prolis, quia contrahit peccatum proles: ergo in actu coniugali semper est peccatum.

6. Item, ubicumque est actus coniugalis, necesse est, praecedere motus in carne; sed primi motus sunt peccata, saltem venialia: ergo semper coitus propter prolem est peccatum veniale.

7. Item, si matrimonium excusat coitum propter prolis bonum, aut excusat a peccato, quod *est*, aut a peccato, quod *non est*. Non a peccato, quod *non est* nec fuit[3]. Si a peccato, quod *est*: ergo aliquid est ibi peccatum.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur, pro quanto dicatur matrimonium *excusare coitum*, cum omnis ordinatio, quae cum uxore habetur, possit etiam haberi cum alia muliere, et ita sit libido et pruritus et carnalis actus in cognoscendo uxorem, sicut etiam aliam mulierem, vel pene.

CONCLUSIO.

Actus coniugii excusatur per Sacramentum, et quidem ab omni culpa, quando fit prolis generandae gratia.

RESPONDEO: Dicendum, quod circa hoc quidam erraverunt dicentes, quod in actu generativae non est culpa nisi per excessum, sicut in actu nutritivae. — Alii erraverunt dicentes, semper esse peccatum et nullo modo excusari, immo propter peccatum matrimonium vitiari, non vitium excusari; malum enim iunctum bono ipsum vitiat, non e converso bonum malum excusat. — Et primi quidem non intellexerunt *morbum*, quomodo scilicet infecta est vis generativa. Secundi vero non intellexerunt, Sacramentum esse *remedium* et medicamentum, quod non vitiatur a morbo, sed econtra morbum sedat[4]. — Et ideo qui recte credunt, videntes *morbum* et *remedium*, dicunt, actum coniugii per Sacramentum excusari tanquam *morbum* per *remedium*. (Error 1. Error 2. Uterque improbatur. Conclusio 1.)

Si quis autem velit *rationem morbi* et *remedii* intueri, potest patere sic. *Primum* quidem omnis actus, in quo regnat pruritus libidinis adeo, quod absorbetur ratio, et homo efficitur totus caro, est actus deordinatus et actus, in quo, quantum est de se, pervertitur regnum animae et ordinatio[5], quae est in viribus animae; secundum quam ordinationem attenditur iustitia quaedam, quae non tantum est in ordinatione *ad alterum*, sed in ordinatione virium animae *ad se*. Sed hoc est in actu coniugali, sicut experimento patet, et Sancti dicunt, maxime Augustinus et Origenes, et in Glossa tangitur, primae ad Corinthios sexto[6]: *Qui fornicatur in corpus suum peccat;* Glossa: «Hic proprie servit anima corpori in tantum, ut ipso momento et experimento huius flagitii nihil cogitare homini liceat aut intendere, quia mentem captivam subdit ipsa submersio et absorbitio libidinis». — In huius autem deordinationis arbitrium plurimum facit *erubescentia* naturae, quae mendax esse non potest; erubescit autem motum illorum membrorum et actum tanto plus, quanto est melius ordinata. Et sic patet, quod actus ille de se est *morbidus*, quia sine tanta deordinatione exerceri non potest, sicut in ea- (Ratio morbi. Testimonium pro hoc.)

---

[1] August., de Natura boni etc. c. 4. ait, quod malum «nihil aliud est quam corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis».

[2] Potius Fulgentius, de Fide ad Petrum (inter opera August.), c. 2. n. 16, ubi textus originalis *in parvulos* pro *in posteros*. Cfr. II. Sent. d. 31. a. 2. q. 3. — In *maiori* ex codd. I L Y substituimus *actus* pro *coitus*.

[3] Pro *nec fuit* cod. K (I a secunda manu) *hoc planum est*. Inferius pro *et ita sit libido* multi codd. et edd. *et ita fit libido*.

[4] Cfr. supra a. 1. q. 1. ad 2-4. — Cod. F *sanat*, codd. R T *fugat*.

[5] Edd. *inordinatio*. Pro *regnum* codd. aa bb *regimen*.

[6] Vers. 18. — Glossa, quam exhibet Petr. Lombard. in hunc loc. (in Lyrano cfr. Glossa *interlinearis* et *ordinaria*), sumta est ex August., Serm. 162. (alias Fragment. 3.) de verbis Apostoli I. Cor. 6, 18. n. 2. — Cfr. Origen., Homil. 6. in Num. n. 3. Vide infra lit. Magistri, d. XXXII. c. 3. in fine. — Inferius pro *arbitrium* (i. e. testimonium, secundum Forcellini Lexicon) edd. *argumentum*.

dem Glossa tangitur. — Ecce igitur, qualiter possumus videre *morbum*.

Remedium autem intueri sic possumus. Quidam enim est actus, qui dicit deordinationem *mentis ad Deum*, ut idololatrare et periurare; quidam est, qui dicit deordinationem *creaturae ad creaturam*, sive unius ad *alterum*, sive eiusdem ad *se*. Primus est malus et morbidus *secundum se* et nullo modo potest fieri bene, nec divino mandato nec aliter. Secundus vero, quia non habet essentialem deordinationem, potest per divinum imperium ordinari, utpote cum Deus praecipit occidere hominem, cum etiam praecipit rem alienam accipere, cum etiam inspirat se ipsum occidere, sicut Samson, in quem *irruit Spiritus Domini*, Iudicum decimo quarto [1]; per hunc modum ordinavit coitum Osee cum muliere, quae non erat sua uxor, scilicet per Dei mandatum. Sed quoniam actus iste coniugalis non omnibus debebat praecipi; providit divina dispositio illam deordinationem ordinare non per *mandatum*, sed per aliquod *statutum*, et per statutum, quod esset signum illius coniunctionis, quae erat ordinata ad *concupiscentiae remedium*, et ita per Sacramentum matrimonii, quod quia habet rationem *medicinae*, potius *excusat*, quam *vitietur;* sicut, cum Dominus praecepit Hebraeis, ut vasa Aegyptiorum asportarent [2], *asportatio* non facit praeceptum malum, sed potius econtra *praeceptum*, quod est potentius et superius, fecit asportationem bonam et meritoriam, quae alias esset culpabilis et mala. — Sancti igitur et omnes Catholici dicunt, coitum per Sacramentum matrimonii *excusari* a culpa mortali, maxime quando gratia prolis fit.

Ratio remedii. Distinctio. Notandum.

Sed de *modo* excusandi est duplex opinio: quia quidam voluerunt dicere, quod excusatur a culpa *mortali*, sed non a veniali, quia mortale fit ibi veniale. Alii dixerunt, et hoc videtur sentire Augustinus [3], quod cum Deus perfectum det remedium contra morbum, quod quando gratia prolis coitur, potest esse *sine omni culpa;* et hoc est magis consonum rationi et pietati fidei. — Et concedendae sunt rationes ad hoc, si tamen haec intentio duret a principio usque in finem, ut non deflectatur ad aliud mens; quod tamen est valde difficile [4].

De modo excusandi opinio duplex. Conclusio 2. Notandum.

1. 2. 3. 4. Ad illud ergo quod obiicitur, quod est ibi *immoderatio, deordinatio, erubescentia* et *libido;* dicendum, quod haec quatuor possunt esse circa actum *rationis*, aut *sensualitatis* [5]. Si circa actum *rationis*, semper faciunt culpam, quia faciunt malum *secundum se.* Si autem sunt circa actum *sensualitatis*, existente *ordinatione* circa actum *rationis;* tunc ista cedunt in poenam; et sic est in proposito. Nam per virtutem Sacramenti ratio *ordinatur*, ut *moderate* velit et *ordinate* et *honeste;* nec de illo actu erubescit homo, quia vult filios procreare, nec improba voluntate appetit, sed casta. Sed nisi interveniret *remedium matrimonii*, tunc esset inordinatio non solum in *sensualitate*, sed etiam in *ratione;* et sic semper esset peccatum. Unde istis quatuor mediis ostendi potest, quod actus generativae est peccatum, nisi excusetur.

Solutio oppositorum. Distinctio. Notandum. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est causa peccati; dicendum, quod falsum est, quia actus ille secundum se non est causa nisi *prolis*, sed ratione primae transgressionis prolem generari non contingit sine *culpa sua, non generantis*, quia non propter culpam *generantis*, sed propter culpam *primi parentis* nascitur proles peccatrix.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de primis motibus, potest dici, quod antecedunt actum coniugalem nec semper sunt peccata, ut puta quando surgunt ex cogitatione ordinata, utpote si Abraham cogitaret cognoscere uxorem, ut acciperet prolem; et tunc, si caro moveretur, non peccaret [6].

7. Ad illud quod ultimo quaeritur: a quo peccato excusat? dicendum, quod a peccato, non quod *est*, sed quod *alias esset*, nisi matrimonium interveniret. — Unde differenti modo est remedium Sacramentum matrimonii et alia Sacramenta. Hoc enim est in remedium, quia facit vitare peccatum, quod *incurreretur;* alia vero liberant a peccato, in quod iam quis *est lapsus;* pro tanto autem praestat remedium, quia actus de se inordinatus ordinatur per divinum statutum [7].

Ad quaest. incid.

SCHOLION.

I. Cum S. Bonav. duos errores sibi extreme oppositos reprobet, viam sibi sternit ad communem illius aetatis doctrinam stabiliendam. Secundus igitur error, qui usum matrimonii generaliter non esse sine peccato asseruit, a Manichaeis secundum pessima eorum principia pessime traditus est (cfr. supra a. 1. q. 1.); habuit tamen etiam inter Catholicos, alia principia adhibentes et sententiam mitigantes, suos defensores (cfr. Estius, IV. Sent. d. 31. § 6.). Primum autem errorem, qui actum nutritivae potentiae et generativae parem esse quoad corruptionem iudicat, eadem ac S. Bonav. ratione improbat S. Thom. (hic q. 1. a. 1. ad 1; Suppl. q. 49. a. 1. ad 1.) scilicet « quia vis generativa, per quam originale traducitur, est *infecta* et *corrupta; nutritiva* autem, per quam non traducitur, est *corrupta* et *non infecta* » etc. Hanc formulam antiquis magistris commu-

---

[1] Vers. 6. et 19: Irruit itaque in eum Spiritus Domini. Codd. allegant c. *16*, in quo de morte Samsonis. — Osee 1, 2.

[2] Exod. 3, 21. seq.; 11, 2. seq. et 12, 35. seq. Cfr. I. Sent. d. 47. q. 4. — Pro *vitietur* edd. *viliet.* Cfr. infra dub. 5.

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 5. seqq.

[4] Cfr. August., de Bono coniugali, c. 13. n. 15.

[5] Cfr. II. Sent. d. 24. p. II. per totam.

[6] Vide II. Sent. d. 21. dub. 4.

[7] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 2. et q. 3. ad 4. pro parte negativa.

nem speciali quaestione confirmat S. Bonav. II. Sent. d. 31. a. 1. q. 3; et quo sensu intelligatur, vide ibi in scholio. Idem docet S. Thom. S. I. II. q. 83. a. 4; de Verit. q. 25. a. 6. Haec Augustini doctrina fundamentum est assertionis iam tactae, quod actus generativae non possit fieri absque peccato, « nisi excusetur per bona coniugii » (Petr. Lombard., II. Sent. d. XXXI. c. 4, et hic c. 5.); quod disertis verbis docet etiam S. Thom. locis primo citt.). — Haec antiqua doctrina praedictae erroneae Catholicorum quorundam opinioni ansam praebuit; unde Guliel. Antissiod. et Alex. Hal. in eadem confutanda multam operam conferunt. — Cum iisdem principiis cohaerere videtur etiam antiquorum Patrum et Scholasticorum de usu matrimonii doctrina paulo severior, quam ea est, quae nunc passim docetur, ut ad seq. quaestionem continuo dicitur.

De 1. quaestione praeter S. Thom.: Alex. Hal., S. p. III. q. 35. m. 8. — Scot., hic q. unica n. 1. seqq. — B. Albert., hic a. 21. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1, et supra d. 26. a. 2. q. 1. — Durand., hic q. 3. — Dionys. Carth., de hac et 2. seqq. qq. hic q. unica.

II. Quoad 2. conclusionem quaestionis 2. observandum est, quod nostra aetate plerique moralistae a peccato etiam *veniali* excusant usum matrimonii, quando fit tantum ob periculum incontinentiae etiam in *se ipso* vitandum, ita ut praeter tres intentiones prorsus excusantes, quas concedit S. Bonav., ipsi adiiciant hanc quartam. Eandem sententiam etiam S. Alphonsus (Theolog. moralis, libr. VI. tr. 6. c. 1. n. 882, c. 2. n. 924) probabiliorem esse censet et argg. S. Thomae evertere nititur. Quaestio praecipue versatur de usu matrimonii tempore praegnationis, et secluso periculo abortus et officio debiti reddendi. — Attamen conclusio S. Bonaventurae usque ad saec. XVI. vel XVII, exceptis paucis doctoribus, in scholis communiter tenebatur, saltem ut probabilior et securior. Hanc tenent Magister (hic c. 5. seqq. et in seq. dist. c. 1.); et fere omnes eius commentatores, non excluso Estio (IV. d. 31. § 7. 8.), hanc sententiam verbis plus minusve explicitis approbant tanquam sententiam multorum Patrum, praesertim Augustini, Fulgentii, Hieronymi, Chrysostomi, Gregorii, Bedae etc.; quorum testimonia collegit Estius (loc. cit.). Porro ita docent Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. 11. c. 7. 9; Sum. Sent. tr. 7. c. 3; Guliel. Parisien., de Matrim. c. 3. seqq.; Alex. Hal., S. p. II. q. 149. m. 1; p. III. q. 35. m. 8. (sed in utroque loco non satis distincte); S. Thom., hic q. 2. a. 2, et Suppl. q. 49. a. 5; B. Albert. (de tempore praegnationis), hic a. 22, cfr. a. 21.; Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 2, et a. 1. quaestiunc. 2; Richard. a Med., hic a. 3. q. 2, ubi etiam aliam opinionem cum suis argumentis affert, sed illam, quam *communem* appellat, praefert; Scot., supra d. 26. n. 20, sed non satis clare; Dionys. Carth., hic q. unica, et plurimi canonistae illius aetatis cum S. Raymundo de Pennafort. Hinc non est mirandum, quod plurimi alii ex schola S. Thomae et Scoti eandem doctrinam vel simpliciter, vel saltem ut magis probabilem profiteantur, ut S. Antoninus (Sum. p. III. tit. 1. c. 20.) et ex recentioribus Gotti et Scotista Henno. Fuerunt tamen ante S. Bonaventuram aliqui canonistae et theologi, qui favebant mitiori sententiae. Guliel. Antissiod. (Sum. p. IV. tr. 9. c. 4. q. 2.) generatim dicit, uti matrimonio vitandae incontinentiae causa nullum peccatum esse; sed postea hanc restrictionem addit: « Si aliquis vir sanctus cognoscit *ex caritate* uxorem suam, et nullo modo placet ei delectatio, quae ibi est, immo odiosa sit ei; tunc ille concubitus est sine omni peccato; sed hoc raro contingit »; et ante dixerat, hoc esse cum peccato veniale, « si ex caritate vir sanctus cognoscit uxorem suam, et aliquantum placet ei delectatio, quae ibi est ». Durand. autem (hic q. 4. n. 6.) opinionem illa aetate communem disertis verbis *dubiam* esse dicit. Etiam Capreolus (hic a. 3.) favet recentiori opinioni, sed cum quadam distinctione a Paludano accepta et, ut videtur, parum apta, quod scilicet non semper careat omni peccato, sed solummodo tunc, quando non possit per *alia* media vitari periculum incontinentiae *meliori* modo, et « ita quod voluptas in nullo movet, sed solum amore vitandae fornicationis ». Pro mitiore sententia citatur etiam Caietanus cum fere omnibus recentioribus. — Utraque sententia libere potest defendi, omnesque debent approbare verba Catechismi Romani (de Matrim. n. 33): « Duo illa maxima docendi sunt fideles: primum quidem, non voluptatis aut libidinis causa matrimonio operam dandam esse, sed eo utendum esse intra illos fines, qui a Domino... praescripti sunt. Meminisse etiam convenit, quod Apostolus hortatur (I. Cor. 7, 29.): Qui habent uxores tanquam non habentes sint » etc. Et cum tot horrendis peccatis *mortalibus* sanctitas matrimonii passim profanetur, non facile quis negabit, in materia tam lubrica venialia saepe committi, cum contra *alia* praecepta quotidie etiam a bonis non raro venialiter peccetur. Ipsi perfecti Christiani non possunt ordinarie omnia peccata venialia vitare (Concil. Trident. Sess. VI. can. 23.); sed imperfecti continuo in multa incidunt venialia, ut cum non paucis antiquis docet S. Bonav. (supra d. 17. p. II. a. 2. q. 1. ad 4.), inter alia dicens: « Strepitus vitiorum et peccatorum venialium semper insonant auribus cordis nostri ».

II. In 3. quaestione opinionem 1. recte improbant S. Bonav. aliique communiter ut nimis duram, immo falsam; etiam conclusiones eiusdem sunt certae, et secunda confirmatur reprobatione prop. 9. ab Innocentio XI. damnatae: « Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali »; ubi similia in prop. 8. de actu comedendi et bibendi dicuntur.

De 3. quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 3; Suppl. q. 49. a. 6. — B. Albert., hic a. 25. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum coitus coniugalis causa fornicationis vitandae possit esse sine omni peccato veniali.

Secundo quaeritur, utrum coitus coniugalis causa fornicationis vitandae possit esse sine omni peccato veniali. Et quod non, videtur.

Fundamenta. 1. Ita dicit Augustinus, et habetur in littera[1]: « Hoc, quod coniugati, victi concupiscentia, utuntur invicem ultra necessitatem procreandi liberos, ponam in his, pro quibus quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* ».

2. Item, primae ad Corinthios septimo[2]: *Iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas*

---

[1] Hic c. 5; his verbis, Hug. a S. Vict., Sum. Sent. tr. 7. c. 3, ut ipse dicit, sententiam Augustini *de Bono nuptiarum* exhibet. Cfr. Petr. Lombard. in I. Cor. 7, 1. Respicitur in ipsa Matth. 6, 12. — Plures codd. omittunt *Augustinus*.

[2] Vers. 5, seq. Post *incontinentiam* Vulgata addit *vestram*. — Inferius edd. cum paucis codd. omittunt *et* ac *deberet*, legentes: *meritorium esset sine peccato sic uxorem cognoscere, posset non tantum indulgeri* etc.

propter incontinentiam; hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium; sed si meritorium esset et sine peccato sic uxorem cognoscere posset, non tantum deberet indulgeri, verum etiam praecipi.

3. Item, Gregorius [1] dicit, quod vir, qui cognovit uxorem, non debet ecclesiam ingredi, nisi lavetur; et post dicit, hanc constitutionem non extendi ad eos qui uxores solo amore prolis cognoscunt: ergo aliqua culpa amplior est in his qui cógnoscunt causa fornicationis vitandae; sed non nisi venialis: ergo etc.

4. Item, qui cognoscit ad vitandam fornicationem, aut *impellitur* a carne, aut *non.* Si *non impellitur:* ergo utitur remedio, cum non indiget: ergo aliqua inordinatio est ibi, ergo veniale. Si *impellitur;* sed impulsus talis non est sine peccato [2]: ergo etc.

Ad opposi-tum. CONTRA: 1. Augustinus [3]: «Infirmitas carnis excipitur per bonum matrimonii, ne cadat in foveam peccati»; sed cum coit causa fornicationis vitandae, infirmitas carnis movet: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia qui utitur aliquo ad illud, ad quod est, potest hoc facere sine peccato; sed coniugium est propter fornicationem vitandam [4]: ergo etc.

3. Item, maius bonum est continentia quam proles: ergo magis licitum et debitum est amare continentiam quam prolem; sed qui coit amore prolis procreandae potest sine peccato [5]: ergo qui amore continentiae servandae similiter.

4. Item, qui coit amore continentiae servandae in altero non peccat, ut cum vir reddit debitum uxori, ne in fornicationem labatur: ergo si non magis debet esse sollicitus de aliena continentia quam de sua, patet etc.

CONCLUSIO.

Usus matrimonii ad vitandam incontinentiam in altero excusatur ab omni culpa, sed ad vitandam eandem in se est peccatum veniale.

RESPONDEO: Dicendum, quod qui coit causa fornicationis vitandae, aut hoc est *in se*, aut *in altero.* Distinctio. Si *in altero,* ut reddat debitum, hoc est purae iustitiae, hoc est fidei et est de bonis matrimonii; recte ideo omnino a culpa excusatur. Conclusio 1. — Qui vero coit causa fornicationis vitandae *in se,* in hoc semper peccat *venialiter:* Conclusio. quia aut pulsatur a carne, aut si non pulsatur, ex quo non vult procreare prolem nec compellitur debitum reddere, aliqua superfluitas est ibi, et ideo peccat. Et *si tu obiicias,* Obiectio solvitur. quod licet homini bibere, ne sitiat, sic etiam sine peccato coire, ne fornicari appetat; non est simile: quia hic est motus naturae et necessitatis [6], in coitu vero non; et hoc dicit Magister in sequenti distinctione in primo capitulo: «Reddere debitum coniugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem culpae est venialis».

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Augustino, dicendum, quod *foveam peccati* vocat peccatum mortale. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ad hoc est; dico, quod ad hoc est *secundum indulgentiam, non secundum imperium* [7]; et ideo veniale peccatum, et in hoc ordinatur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod continentia maius bonum est; dico, quod continentiam servare contingit sine hoc, sed non prolem procreare.

4. Ad illud quod obiicitur, quod continentia servanda est in altero sine culpa; dico, quod non est *locus a minori,* sed *a maiori* [8], quia ibi est actus iustitiae, ratione cuius tenetur et excusatur, non ratione amoris continentiae [9].

QUAESTIO III.

Utrum coire cum uxore ratione concupiscentiae satiandae sit semper peccatum mortale.

Tertio quaeritur, utrum coire cum uxore ratione concupiscentiae satiandae sit semper mortale peccatum. Et quod non, videtur.

Argg. pro parte negativa. 1. Augustinus dicit, et habetur in littera [10]: «Coniugalis concubitus gratia concupiscentiae satiandae, sed tamen cum coniuge, propter tori fidem venialem habet culpam».

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia *delectari* in coitu coniugali ratione boni matrimonii non est peccatum: ergo nec *velle delectari,* quia, si actus bonus, et voluntas actus bona: ergo videtur etc.

3. Item, qui delectatur in cibo non propter Deum, sed propter ipsum cibum, quia boni sa-

---

[1] Registr. epist. XI. indict. 4. epist. 64. ad Augustin. Anglor. episc. (resp. ad 10. interrog.). Vide hic lit. Magistri, c. 8. — Non pauci codd. et ed. 1 hoc arg. cum praecedente coniungunt, substituto *Ideo* pro *Item.* Post *dicit* edd. addunt *super Osee.*

[2] Cfr. II. Sent. d. 21. dub. 4.

[3] Libr. I. de Nuptiis et concupisc. c. 16. n. 18, exponens illud I. Cor. 7, 2: *Propter fornicationem* etc., ait: Ac sic infirmitas incontinentiae, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipiatur honestate nuptiarum. Cfr. de Bono coniugali, c. 6. n. 6.

[4] Vide I. Cor. 7, 2.

[5] Ut ostensum est quaest. praeced. — In fine arg. cum cod. Z supplevimus *similiter.*

[6] Edd. cum pluribus codd. legunt: *motus naturae, in coitu non, nec* [nonnulli codd. omittunt *nec*] *etiam necessitatis; et hoc* etc.

[7] Epist. I. Cor. 7, 6. Cfr. hic lit. Magistri, c. 6.

[8] Cfr. tom. I. pag. 835, nota 5.

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[10] Hic c. 5.

poris est, non peccat mortaliter: ergo pari ratione, cum delectatio coniugalis non sit mortalis, si vult delectari, non peccat mortaliter.

Pro parte affirmativa. Contra: 1. Dicit auctoritas, et habetur in littera[1]: « Vehemens amator uxoris est adulter »; sed qui amat uxorem propter hoc, ut delectetur in ipsa, est vehemens amator: ergo etc.

2. Item, Hieronymus[2]: « Voluptates, quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnandae sunt ».

3. Item, *ratione* videtur: quia velle coire sive appetere sola delectatione est peccatum etiam ante consensum: ergo cum progreditur in consensum et actum, cum *comedat vir*[3], tunc, cum *comedere* viro fiat mortale, erit mortale.

4. Item, qui cognoscit propter hoc, ut delectetur, fruitur creatura, quia ibi ponit finem suae quietis; sed « summa perversitas est frui utendis[4] »: ergo etc.

CONCLUSIO.

Cognoscere uxorem concupiscentiae satiandae causa est veniale, mortale autem, si fiat ita, ut ponatur ibi finis ultimus.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui dicunt, quod
Opinio 1. qui *finaliter* cognoscit uxorem, ut habeat illam miseram delectationem, quae dicitur esse in coitu, peccat *semper mortaliter,* quando illam ponit tanquam finem principalem, sicut si aliquis propter vanam gloriam[5] praedicaret; qui autem cognoscit aliqua *alia causa principali,* sed tamen quasi a latere placet ei delectatio, quae est ibi, sicut est de aliquo, qui finaliter praedicat propter Deum, sed tamen quasi a latere placet ei delectatio laudis; dicunt, quod peccat *venialiter*. Ad hoc enim, quod coniugalis coitus sit sine omni peccato, necesse est, quod illa delectatio non placeat, immo displiceat rationi. Tanta enim est, ut auferat usum rationis et spiritum prophetiae secundum illud tempus[6]; et ideo non potest tunc referri in Deum, et ideo ea non potest quis bene uti *volendo,* sed *nolendo;* non sic est de aliis delectationibus, quarum sensus possunt a ratione actu referri in Deum. Unde secundum hos
Distinctio secundum hos. aliud est delectationem *quaerere,* aliud est *oblatam acceptare,* aliud eam *tolerare.* Primum est peccati *mortalis,* secundum est *venialis,* tertium est *perfectionis.* — Et haec positio, licet probabilis videa-
Improbatur. tur, tamen *nimis dura* est; licet enim viris cum uxoribus iocari et etiam delectari, et veniale est, ita tamen, quod faciant[7] affectu maritali; nec oportet omnem delectationem referre in Deum, peccant tamen venialiter. Nec semper *frui creatura* est mortale, nisi ita ponat ibi finem, quod etiam faceret, si *contra Deum esset;* tunc enim ponit finem ultimum ibi. Unde non est simile de praedicatione, quae est opus privilegiatum.

Opinio 2. cum distinctione. Et propter hoc est alia opinio, quod qui cognoscit uxorem propter *delectationem finalem,* aut movetur in delectationem tanto impetu, ut cognoscat uxorem sicut meretricem; et hoc tunc est, quando
Conclusio 1. eam cognosceret, si non esset uxor; et tunc peccat mortaliter, quia tunc ponit ibi *finem ultimum,* et tunc vere et proprie fruitur et nimis vehementer amat. — Si autem in ea vult delectari, quia uxor, et nullo modo eam cognosceret, si uxor non esset,
Conclusio 2. tunc non est *omnimoda* inordinatio; et tunc est peccatum *veniale,* quia excusatur per bonum matrimonii, ut non sit *mortale.*

Ad argg. 1. 2. pro parte negativa. In hoc casu dicunt locutum fuisse Augustinum. — Tamen illa ratio non valet: *delectari* non est malum: ergo nec *velle.* Quamvis enim *laudari* non sit malum, tamen *velle laudari* malum
Ad argg. pro utraque parte. est. — Et secundum has duas vias procedunt rationes ad partes oppositas. Illae enim, quae probant, quod sit *mortale* libidinis ardore et creaturae fruitione, procedunt, secundum quod coitus fit secundum impetum voluptatis. Rationes vero ad *oppositum* procedunt, secundum quod habetur respectus ad matrimonii Sacramentum, quia cognoscit eam, quia uxor, nec aliter delectaretur in ea, nisi esset matrimonialiter coniuncta[8].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit Magister: *Nam bonum prolis dicitur non ipsa proles* etc. Videtur enim male dicere, quia per matrimonium non generatur proles *sancta,* sed culpam habens: ergo si proles non est bonum Sacramenti in quantum *proles,* sed in quantum *sancta;* cum in principio ortus sit *non sancta,* non debet dici *bonum,* sed *malum.* — Item,

---

[1] Hic c. 5.

[2] Vide hic lit. Magistri, c. 5.

[3] De hac Augustini locutione figurativa, in qua respicitur Gen. 2, 6, vide II. Sent. lit. Magistri, d. XXIV. c. 6. seqq. — Mox edd. omittunt *viro fiat mortale.*

[4] Secundum August., 83 Qq. q. 30. Verba vide tom. I. pag. 34, nota 5.

[5] Cod. Y addit *finaliter.*

[6] Guliel. Antissiod., IV. Sum. tr. 9. c. 4. q. 2, pro hoc adducit Origen. (Homil. 6. in Num. n. 3.) infra in lit. Magistri d. XXXII. c. 3. allegatum. Cfr. supra q. 1. — Aliquanto inferius pro *acceptare* plures codd. *accipere.*

[7] Cod. aa *fiat,* multi codd. *faciat* et paulo inferius *peccat,* incongrue.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

quid est quod dicitur[1], quod bonum prolis dicitur «spes ac desiderium, quo proles quaeritur, ut religiose informetur»? Cum enim hoc habeant steriles, videtur etc.

Respondeo: Dicendum, quod proles potest quaeri *Intentio triplex.* triplici intentione: primo, ut educetur ad cultum Dei; secundo, ut in hereditate succedat; tertio, ut quis in prolis multitudine et pulcritudine gloriosus appareat. Primum est bonum sub ratione *boni;* secundum est sub ratione *indifferentis,* et tertium est bonum *deformatum* sive ad malum tractum. Bonum *Notandum.* igitur matrimonii, quod est bonum *simpliciter,* iudicandum est prolis cum tali intentione et cum tali ordinatione. Si autem aliis duobus modis habeatur, habetur quidem aliquod bonum, sed non sicut institutum est et competit huic Sacramento, quod institutum est ad procreandam prolem ad cultum divinum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium, potest solvi talium copula* etc. Videtur enim male dicere, quia nunquam fuit ibi matrimonium, ergo nunquam fuit copula: ergo nunquam solvitur, quia non solvuntur nisi copulati.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui copulantur *Distinctio.* secundum *veritatem,* aliqui copulantur *de facto* et secundum *apparentiam.* Si sint *matrimonialiter* copulati, non solvuntur, quia vere fuit ibi copula et vinculum; si secundum *apparentiam,* solvuntur; sed illud *solvere* nihil aliud est quam *ostendere,* prius non fuisse.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si ambo tales non sint, aut illa meretrix est mariti.* Videtur enim male dicere, quia matrimonium est vinculum, quod importat relationem, sicut similitudo; sed etiam in relativis necessaria est convertentia[2]: ergo si ista non est uxor, nec ille est vir: ergo si ista est adultera, et ille similiter.

Respondeo: Dicendum, quod *esse adulterum* *Distinctio.* est duobus modis: aut ratione *actus,* aut ratione *intentionis.* Si ratione *actus;* sic dico, quodsi ista est adultera, quod ille qui eam cognoscit, est adulter. Si ratione *intentionis;* sic dico, quod potest bene *Notandum.* esse, quod una persona intendat cognoscere affectu maritali, et alia affectu libidinis. Et sic loquitur Augustinus[3] in proposito: quia, si matrimonialiter coniuncti sunt, ita quod talis pactio non intercedit, sed postmodum in altero, vel in utroque fit intentio extra generandi prolem; est adulterium non ratione generis *actus,* sed ratione *intentionis,* pro eo quod facit contra bonum prolis; et ita adversatur matrimonio, non[4] excusatur. — Quod ipse obiicit tenet de adulterio, quod est ratione generis *actus.*

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Informe puerperium animam non habet, ideoque multatur pecunia;* quaeritur ergo, utrum talis peccet mortaliter, et utrum sit irregularis. Et quod *non,* videtur: quia non punitur nisi solummodo pecunia, non poena mortis: ergo videtur leve peccatum esse, quia mortalia peccata in Lege[5] puniebantur poena mortis. — Item, si est peccatum mortale; quaero: sub *Quaestio incidens.* quo genere? Sed non sub genere *homicidii:* ergo si non est homicidium, de quo magis videtur; videtur, quod non sit mortale peccatum. — *Contra:* videtur, quod gravius peccat quam ille qui procurat aborsum[6], puerperio iam formato, quia plus nocet qui maius bonum impedit; sed maius bonum impedit qui impedit animae procreationem, quam qui impedit corporis vegetationem: ergo magis peccat ille qui aborsum procurat, quam ille qui animam a corpore separat. — Item, ex hac ratione videtur, quod magis peccat qui interficit puerum non baptizatum, quam qui interficit puerum christianum, quia facit[7] perire in anima et in corpore. — Item, peccatum procurantis aborsum aut pensatur secundum quantitatem bonitatis rei, quae *est,* vel quae *futura est.* Si rei, quae *est;* tunc nullum videtur peccatum, quia non est nisi quaedam superfluitas in ventre. Si rei, quae *futura est;* sed futurus est homo vivens: ergo talis iudicandus est homicida.

Respondeo: Dicendum, quod talis non est iudicandus homicida quantum ad *factum,* quia non *Notandum.*

---

[1] Hic in lit. Magistri, c. 2. — Superius pro *ortus* cod. U *coitus,* cod. X *actus.*

[2] Aristot., de Praedicam. c. *de His quae ad aliquid* (relativis): Omnia autem, quae sunt *ad aliquid,* ad convertentia [alias ad convertentiam, πρὸς ἀντιστρέφοντα] dicuntur, ut servus domini servus, et dominus servi dominus esse dicitur etc. — Cod. L omittit *etiam.*

[3] In verbis, de quibus agitur in hoc dubio. — Superius fide codd. R T (bb a secunda manu) supplevimus *potest bene esse, quod,* pro quo in cod. F secunda manus substituit *possibile est, quod,* cod. K (I a secunda manu) *si,* subinde post *libidinis* addito *unus potest esse adulter, et non alius* (cod. U *una est adultera, alia non*).

[4] Cod. aa *et non.* — Idem dub. solvit Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Cfr. Exod. 21, 12. seqq.; Lev. 20, 2. et 9. seqq. — Pro *puniebantur* codd. A E *plectebantur,* codd. I K Z *multabantur.*

[6] Edd. cum paucis codd. hic et in seqq. *abortum.* Subinde pro *maius bonum* codd. communissime bis *magis bonum.*

[7] Codd. R T Z supplent *eum,* codd. I K *quem facit* pro *quia facit.*

occidit, nec aliquis moritur ante puerperium formatum; tamen quantum ad *voluntatem perversam* iudicandus est homicida, non ratione *homicidii*, sed *maleficii;* unde talis inter maleficos [1] computatur, et tale crimen grave est.

Quod ergo obiicitur, quod non sit mortale, quia non punitur morte; ratio non valet, quia multa sunt mortalia, quae morte non plectebantur; tamen illud gravius scelus est, dum ex certa scientia operatur contra naturam; contra enim naturam bestiarum est, quae prolem exspectant.

Quod quaeritur, sub quo genere peccati sit; dicendum, quod spectat ad *maleficium*. Ad quaest. incid.

Quod obiicitur, quod plus nocet; dicendum, quod non consideratur quantitas nocumenti secundum id quod *potest esse*, sed secundum id quod *est:* quia secundum id quod potest esse, cum unus homo per successionem possit esse origo mille, qui occideret unum, occideret mille, quod falsum est; et ideo, quia nondum est anima, necdum *est* tantum bonum, quamvis *esse possit:* ideo non sic graviter peccat. Et sic patent obiecta [2].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non propter illud malum culpabile est hoc bonum.* Videtur enim falsum dicere, quia primae ad Corinthios quinto [3] dicitur, quod *modicum fermentum totam massam corrumpit:* ergo videtur, quod modicum malum foedat bonum potius quam e converso.

Respondeo: Dicendum, quod « malum est corruptio boni [4] »; dico igitur, quod malum dupliciter potest iungi bono: aut ut *corruptibili*, aut in quantum *medicinali*. Si in quantum *corruptibili*, sic malum foedat bonum; si ut *medicinali*, sic curatur et expellitur. Et est exemplum: quia morbus iunctus naturae sanae eam vitiat et infirmat; morbus vero iunctus medicinae non reddit medicinam morbidam, sed potius curatur ab ipsa. Et quoniam matrimonium est bonum *medicinale*, ideo non foedatur a malo, sed potius curat malum. Distinctio. Notandum. Exemplum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *admixtio coniugis sine carnis voluptate fieri non potest;* et iterum dicit: *Carnalis voluptas sine culpa nullatenus esse potest.* Hoc videtur falsum: quia tunc nullum coitum contingeret esse sine peccato; et hoc est contra Gregorium [5], qui excipit eum qui gratia prolis coit sive pro generanda prole; et tamen est carnis admixtio.

Respondeo: Dicendum, quod facienda est vis in verbo, quia non dicitur *carnis admixtio* quilibet actus coniugalis, sed ille qui fit ad delectationem carnis, vel ad eius excitationem [6], in qua quidem semper est aliqua culpa.

DISTINCTIO XXXII.

Cap. I.

De solutione carnalis debiti.

Sciendum etiam est, quia, cum in omnibus aliis vir *praesit* mulieri, ut caput corpori, est enim *vir caput mulieris;* in solvendo tamen carnis debito *pares sunt.* Ideo Apostolus [1] utrique pariter praecipit in hac causa sibi invicem subiici, inquiens: *Vir debitum reddat uxori, similiter et uxor viro;* quia *mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier;* quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet, nec vir ad continendum nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim *pares sunt*, quia nec viro nec mulieri corpus suum licet alii tradere, sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio; per quod Dubium 1.

---

[1] Secundum Du Cange, Glossarium etc., *maleficium* significat quandoque peccatum quodvis, quandoque membri mutilationem, vel enormem laesionem (Mahamium), et malefici dicuntur incantatores, divini, mathematici, magi. Hieron., V. Comment. in Ierem. 28, 9: Maleficos, quos vel *veneficos* possumus appellare vel *daemonum phantasmatibus servientes.* Cfr. Iustinian., C. IX. de Maleficis etc. (tit. 18.). — Post *sed* edd. pluresque codd. non bene addunt *etiam.*

[2] Codd. R T addunt: Quod enim quaerebatur de interfectore pueri christiani, et quis magis peccet; dicendum, quod secundum diversas considerationes plus potest peccare in isto, et plus in illo; unde secundum considerationem, quae in argumento tangitur, concedo, quod plus peccat occidendo non baptizatum; sed si ob reverentiam christianitatis parceret potius baptizato, minus peccaret; tamen illud argumentum nihil facit ad propositum, sicut patet.

[3] Vers. 6.

[4] Secundum Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 20; August., contra Epist. Manichaei, c. 35. n. 39, et de Natura boni etc. c. 4. Cfr. II. Sent. d. 35. per totam.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 8. circa finem.

[6] Edd. cum pluribus codd. *exercitationem.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Epist. I. Cor. 7, 3; superius respicitur ibid. 11, 3. — Inferius est locus August., de Bono coniugali, c. 6. n. 6. Praecedentia excerpta sunt ex Glossa ad primum loc. cit.

Augustinus. non dominium tollitur viro, sed vitium. «Debent enim sibi coniugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quae prima est in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendae ad illicitos concubitus devitandos mutuam quodam modo servitutem, ut, etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis; quod adeo verum est, ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiae causa expetit vel ille de matrimonio, vel illa, non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas». «Reddere enim debitum coniugale nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem culpae est venialis; fornicari vero vel moechari puniendi est criminis [1]».

Cap. II.

De continentia ex communi consensu servanda.

Quod vero sine consensu uxoris vir continere non valeat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Augustinus [2]: «Si dicat vir: continere iam *volo; nolo*, autem uxor; non potest. Quod enim tu vis, illa non vult. Nunquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alii nupserit, te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensari. Redde debitum; et si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes uxori». Idem: «Secundum verba apostolica, etiam si vir continere voluisset, et tu noluisses; debitum tibi reddere cogeretur; et illi Deus imputaret continentiam, si non suae, sed tuae cederet infirmitati, ne in adulterium caderes». «Quisquis igitur, compatiens infirmitati uxoris, reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius, quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens, quia duxit, securus exspectat diem novissimum». Idem: «Una causa sola esse potest, qua te ad id quod vovisti, non modo non hortaremur, sed etiam prohiberemus implere: si forte tua coniux hoc tecum suscipere animi vel carnis infirmitate recusaret. (Dubium 2.) Nam vovenda talia non sunt a coniugatis nisi ex consensu et voluntate communi; et si praepropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Non enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum». Idem [3]: «Apostolus nec ad tempus, ut vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniuges carnali invicem fraudari debito». Idem: «Manifestum est, ita voluisse Legem feminam sub viro esse, ut nulla eius vota, quae abstinentiae causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam cum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit Lex, si prius permiserit et postea prohibuerit; non tamen dixit, ut faciat mulier quod voverat, quia permissa iam prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat; non tamen mulieri ex hoc iussum dedit, ut, cum prius vir ei concesserit, postea, si prohibuerit, contemnatur». — Ex his apparet, quod vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet. (Dubium 3.) Si vero quilibet eorum alterum a suo iure absolverit; ad praeteritam servitutem nunquid revocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus supra voluisse. — (Opinio aliorum.) Quibusdam videtur, quod mulier non discedens a domo viri, quae, viro permittente, continentiam voverit [4], eodem prohibente, solvere non valeat; et hoc propter dignitatem viri, qui *est caput mulieris*. Sed melius hoc intelligitur in tali casu, ubi vir concedit mulieri vovere continentiam et ante votum prohibet implere. Si vero habitum mutaverit, non potest revocari, secundum illud: «Qui uxorem suam velare permiserit aliam non accipiat, sed similiter convertatur [5]».

Cap. III.

Quando cessandum sit a coitu.

Et licet debitum poscenti sit semper solvendum, (Dubium 4.) non licet tamen quolibet die poscere. Unde Augustinus [6]: (Augustinus.) «Christiano cum uxore sua aliquando licet convenire, aliquando non; propter processionis enim dies et ieiuniorum aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur». Idem: «Quoties enim vel dies Nativitatis, vel reliquae festivitates advenerint, non solum a concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete». Item Ambrosius [7]: (Ambrosius.) «Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum; quia et dies festi et dies processionis et ipsa ratio conceptus et partus iuxta legem cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant».

Illi autem, quod dictum est, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus [8]: (Hieronymus.) (Dubium 5.) «Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi nec carnes Agni edere». Idem: «Si panes propositionis ab his qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de caelo de-

---

[1] Ibid. c. 7.

[2] Enarrat. in Ps. 149. n. 15; C. *Si dicat* (1.), C. 33. q. 5. Seq. locus est Epist. 262. (alias 199.) ad Ecdiciam, n. 2; C. *Secundum verba* (5.), ibid. Tertius Enarrat. in Ps. 147. n. 4; can. cit. § 1. Quartus Epist. 127. (alias 45.) ad Armentarium etc. n. 9; C. *Una sola* (6.), ibid.

[3] Libr. I. de Adulterinis Coniugiis, c. 2. n. 2; C. *Apostolus nec* (12.), C. 33. q. 4. Seq. locus est Quaestiones in Numeros, q. 59. n. 3; C. *Manifestum est* (11.), C. 33. q. 5. De seqq. cfr. Gratian. super hunc can.

[4] Edd. addunt *vel promiserit*, refragantibus codd. et ed. 1.

[5] Can. *Qui uxorem* (10.), ibid.

[6] Quaestion. ex utroque test. mixtim (inter opera), q. 127; C. *Christiano* (5.), C. 33. q. 4. Seq. locus est Sermo 116. (alias 2. de Temp.) in append. n. 3; C. *Quotiescumque* (2.), ibid.

[7] Comment. in I. Cor. c. 7, 5 (inter opera); C. *Si causa* (4.), ibid.

[8] Sermo *de Esu Agni* (inter opera), c. 8; C. *Sciatis, fratres* (1.), ibid. Seq. textus citt. locis, ubi respiciuntur I. Reg. 21, 4; Ioan. 6, 51.

scendit, non potest ab his qui coniugalibus paulo ante haesere complexibus, violari atque contingi? Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus ». — De ministris Ecclesiae. Hoc capitulum proprie ad ministros Ecclesiae pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore coniugalis amplexus, quo etiam praesentia Spiritus sancti non datur. Origenes. Unde idem ait: « Connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, praesentia Spiritus sancti dabitur, etiam si propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur [1] ».

Cap. IV.

Quibus temporibus nuptiae non sint celebrandae.

Nec solum in opere carnali observanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud: « Non oportet a Septuagesima usque in Octavam Canon. Paschae et tribus hebdomadibus ante festum sancti Ioannis et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur [2] ». Item Nicolaus Papa: « Nec uxorem ducere nec coniu- Nicolaus. gia facere quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXII.

De matrimonio quoad fidem tori.

Sciendum est etiam, quod cum in omnibus aliis vir praesit etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de bonis matrimonii in communi. Hic specialiter agit, quomodo vir obligatur uxori, et e converso, quantum ad solutionem debiti. Habet autem haec pars duas. In prima determinat, quae sit obligatio inter uxorem et virum quantum ad fidem tori. In secunda determinat, quomodo et qualiter haec fides fuerit in Patribus antiquis, infra distinctione trigesima tertia: *Quaeritur hic de antiquis Patribus* etc.

Prima pars habet duas partes. In prima determinat de modo obligationis. In secunda de tempore, in quo debet debitum peti, ibi: *Et licet debitum poscenti sit semper solvendum* etc. Prima pars habet duas. In prima ostendit, quod vir et uxor in hac lege sive fide iudicantur ad paria, et quod unus sine voluntate alterius continere non valeat. In secunda auctoritatibus confirmat, ibi: *Quod vero sine consensu uxoris* etc.

Et licet debitum poscenti sit semper solvendum. Haec est secunda pars, in qua determinat de tempore, quo petendum et solvendum est debitum, et haec pars habet duas. In prima determinat, quod non semper est debitum petendum, quamvis semper sit solvendum. In secunda incidenter determinat, quod non omni tempore est contrahendum, et hoc ibi: *Nec solum in opere carnali* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de obligatione coniugum quantum ad solutionem debiti. Circa quod quatuor breviter oportet quaeri.

Primo quaeritur de obligatione per comparationem ad votum continentiae.

Secundo, per comparationem ad accidens superveniens.

Tertio, per comparationem ad tempus, in quo debitum debet peti et solvi.

Quarto, de tempore, in quo debent nuptiae celebrari.

Circa primum duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum post carnalem copulam possit vir continere, uxore nolente.

Secundo, utrum possit continere, uxore nolente, ante carnalem commixtionem.

---

[1] Origen., Hom. 6. in Numeros n. 3; C. *Connubia legitima* (4.), C. 32. q. 2.

[2] Can. *Non oportet* (10.), C. 33. q. 4. Seq. locus C. *Nec uxorem* (11.), ibid.

ARTICULUS I.

De obligatione coniugum per comparationem ad votum continentiae.

QUAESTIO I.

Utrum post carnalem copulam possit vir continere, uxore nolente.

Quantum ad primum ostenditur, quod non:

Fundamenta. 1. Quia post carnalem copulam *vir non habet potestatem sui corporis*[1]: si non habet, ergo non potest de ipso facere sacrificium continentiae, uxore nolente.

2. Item, Augustinus dicit, et habetur in littera[2]: « Non modo non hortamur, sed etiam quod vovisti prohibemus implere, si forte coniux tua hoc tecum suscipere animi vel carnis infirmitate recusat ».

3. Item, *ratione* videtur: quia mulier non tenetur continere, nec vir potest eam ad continentiam cogere; sed cogit eam, si, ipsa invita, vult[3] continentiam servare: ergo cum non possit cogere, non potest continere.

4. Item, sicut servus tenetur domino obsequi, sic vir uxori debitum reddere, et fortius, quia est a Domino confirmatum[4]; sed servus, prohibente domino, non potest religionem intrare, vel a servitio eius se auferre: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Licitum est viro, uxore etiam prohibente, accipere crucem in subsidium Terrae sanctae[5]; sed votum continentiae adhuc melius est: ergo etc.

2. Item, uxore prohibente, potest quis corpus suum ad martyrium et mortem exponere; et tunc constat, quod se reddit impossibilem ad solvendum debitum: ergo etc.

3. Item, quantumcumque quis iuret, vel voveat, vel se obliget, ut non impleat consilia; non tenet iuramentum nec votum: ergo nullus potest se obligare, quin semper faciat melius; sed melius est continere, sicut dicit Apostolus[6]: ergo etc.

4. Item, qui impedit aliquem volentem ascendere ad altiorem statum[7] peccat graviter, quia Spiritui sancto obviat: ergo si vir vult continere et religionem intrare, videtur, quod uxor teneatur consentire: ergo si vult, potest ad hoc compelli de iure: ergo etc.

CONCLUSIO.

Post copulam carnalem, invita uxore, vir non potest continere, ut non reddat debitum, sed tantum, ut non petat.

Respondeo: Dicendum, quod *continere* est duobus modis: aut omnino ita, quod debitum nec petat nec solvat; aut non omnino ita, quod debitum non petat, tamen petenti solvat. Primo modo non potest vir continere, uxore invita, quia non potest ei auferre ius, quod habet in corpus viri; secundo modo continere potest, ipsa contradicente, et vovere potest; et si voveat, servare tenetur, videlicet ut nunquam debitum petat. — Concedendae igitur sunt rationes probantes, quod non omnino potest continere. Distinctio. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod potest accipere crucem; dicendum, quod hoc factum est in favorem et necessitatem Terrae sanctae; nec facta est omnino derogatio iuri mulieris, quia debet mulier velle pro necessitate tanta continere ad tempus; quod si nolit, potest virum suum sequi[8]. Sed cum vovetur continentia, tunc omnino mulier iure suo privatur et secundum tempus totius vitae. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de martyrio, dicendum, quod mori potest pro Christo, si necessitas immineat, quia mulier tenetur hoc velle; et si vir voluntarie se offerat, mulier non potest vetare[9], quia, ipso mortuo, poterit cum alio contrahere. Sed non sic est, cum vovet, uxore vivente.

3. Ad illud quod obiicitur, quod semper licet facere quod melius est, nec potest se homo obligare ad minus bonum; dicendum, quod verum est de eo qui habet sui corporis potestatem. — Vel dicendum, quod si continet non petendo, sed solum reddendo, non minus meretur, quam si omnino contineret. Unde Augustinus dicit, et habetur in littera[10]: « Pro sanctificatione perfecta Deus tibi reputabit, si Aliter.

---

[1] Epist. I. Cor. 7, 4. Vide supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 7. seq.

[2] Hic c. 2. — Pro *recusat* cod. aa *recusaret*.

[3] Cod. F *vir vult*.

[4] Cfr. I. Cor. 7, 3. — De *minori* cfr. supra pag. 655, nota 4.

[5] Secundum C. *Ex multa* (9.), § In tanta quoque necessitate, X. de Voto et voti redemptione (lib. III. tit. 34.).

[6] Epist. I. Cor. 7, 1. 8. et 38.

[7] Cod. W *gradum*.

[8] Ut dicitur in fine C. *Quod super his* (8.), X. de Voto et voti redemptione (lib. III. tit. 34.). — Superius pro *iuri* permulti codd. et ed. 1 perperam *viri et*.

[9] Edd. *negare*, inferius pro *vivente* cod. O *nolente*.

[10] Hic c. 2.

non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes uxori ».

4. Ad illud quod obiicitur de eo qui impedit aliquem etc., dicendum, quod peccat qui impedit aliquem ea ratione, qua in illo exstinguit bonum propositum et sancti Spiritus donum; sed mulier in hoc non potest consentire, quin sit sibi in praeiudicium, quia, si concedit viro, quod voveat continentiam, tenetur et ipsa continere. Quoniam igitur ipsa non potest cogi ad continentiam, quia hoc est consilium; ideo dico, quod ipsa non peccat, sed si *alia* mulier impediret, tunc peccatum esset.

SCHOLION.

I. Quoad duas huius articuli quaestiones vide supra d. 27. a. 3. q. 1. et 2. cum scholio. Casus in 1. quaestione solutus de voto non *petendi* a multis aliter, scilicet negative, solvitur; quam opinionem S. Thom. (hic a. 4. ad 3.) censet esse probabiliorem. Dicit enim: « Sed quia, si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret, unum semper confusionem debiti petendi subire; ideo alii probabilius dicunt, quod neutrum [non reddere et non petere] potest unus absque consensu alterius vovere ». Durandus putat, tale votum licere quidem, sed non esse « usquequaque discretum ».

De 1. quaestione: Scotus hanc et seq. quaestionem tangit hic q. unica n. 2. seqq. — S. Thom., art. cit.; Suppl. q. 64. a. 4. — B. Albert., hic a. 2. 4. — Petr. a. Tar., hic a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — Durand., hic q. 2. n. 4. 5. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. unica.

II. De seq. quaestione cfr. supra d. 27. a. 3. q. 2. et auctores ibi citatos.

III. Quoad sequentis articuli quaestionem 1. antiqui doctores communiter tenent, lepram solvere quidem sponsalia, tamen, cum non solvat matrimonium, partem sanam teneri ad reddendum debitum, sed non ad cohabitandum (ita S. Thom., hic a. 1. ad 4; Suppl. q. 64. a. 1. ad 4.). Hoc restringit Durand. (hic q. 1. n. 8.), excipiens casum, quando secundum iudicium medicorum sano immineat periculum infectionis; quae doctrina videtur esse secundum mentem omnium, praesertim S. Thomae (in corp. art.), nisi forte quis iam ante contractum matrimonium sciverit lepram alterius.

De eadem praeter citatos: Scot., hic q. unica n. 6. 7. — Petr. a Tar, hic a. 3. quaestiunc. 4. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

IV. De divortio ob adulterium permisso diffuse tractatur infra d. 35, ubi alii Lombardi commentatores etiam hanc quaestionem solvunt.

QUAESTIO II.

Utrum vir ante carnalem commixtionem possit continere, uxore nolente.

Secundo quaeritur, utrum vir ante carnalem commixtionem possit continere, uxore nolente. Et quod non, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios septimo[1]: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro;* sed ante commixtionem sunt vir et uxor: ergo ante commixtionem tenentur: ergo etc.

2. Item, uxor viro obligatur voluntarie et per mutuum consensum: si ergo ante commixtionem est mutuus consensus, ergo et obligatio ad redditionem debiti.

3. Item, mulier non tenetur continere et non potest cum altero contrahere: ergo potest iuste debitum exigere; sed iuste exigenti iniustum est negare: ergo etc.

4. Item, esto quod vir post consensum de praesenti violenter extorqueat copulam carnis, est matrimonium consummatum: ergo tenetur ad solvendum debitum omnino ipsa uxor ei; sed violentia non inducit novam obligationem: ergo prius obligabatur.

Ad oppositum. Contra: 1. Decretalis, de Conversione coniugatorum[2], concedit viro potestatem intrandi religionem, uxore nolente; sed plus est religionem intrare quam continere: ergo concedit licentiam continendi.

2. Item, per consensum contrahitur matrimonium, esto etiam, quod non sit in copulam carnalem, ut supra[3] ostensum est: ergo si non obligatur nisi ad illud, in quod consentit, patet etc.

3. Item, si omnis vir esset obligatus ad solvendum debitum ante carnalem copulam: ergo nihil adderet carnalis commixtio ad consummationem[4] matrimonii.

Quaestio incidens. Item, quaeritur iuxta hoc: unde hoc est, quod copula coniugalis, violenter extorta, matrimonium consummat, et consensus coactus matrimonium non ratificat[5]? Et utrum huic liceat post copulam mulieris vovere continentiam. — Et quod sic, videtur: quia, si prius licebat, et nullus potest ei ius suum violenter auferre, patet etc.

CONCLUSIO.

Ante consummationem matrimonii utraque persona continere potest per duos menses, sed post vel tenetur reddere debitum, vel per solemne votum se manifestare mortuum mundo.

Principia. Respondeo: Dicendum, quod ante consummationem matrimonii utraque persona nec *omnino obli-*

---

[1] Vers. 3. Post. *similiter* Vulgata addit *autem.*

[2] Extra lib. III. tit. 32. C. *Verum post* (2.), ubi talis concessio datur, dummodo matrimonium non sit consummatum. Cfr. supra d. 27. dub. 5.

[3] Dist. 28. q. 6. — Pro *non sit* cod. Z *non consensit.*

[4] Ita codd. A aa, in aliis et edd. perperam, ut videtur, *conservationem.*

[5] Vide supra d. 29. q. 1.

gatur, nec *omnino est libera*. Non *omnino obligatur*, quia potest mori mundo; et sic matrimonium solvitur, ipso vivente in carne, et tunc, cum hoc facit, omnino est absolutus. Nec *omnino libera*[1], quia, si vult huic mundo vivere, necesse habet petenti debitum reddere. Et quia in medio est inter vitam huius saeculi et vitam religiosam sive spiritualem; ideo sacri canones[2] terminum praefixerunt, ut possit deliberare, videlicet terminum duorum mensium, vel circa illud. Et ideo dicendum, quod uxore petente, continere potest per duos menses, sed post vel tenetur reddere debitum, vel manifestare se mundo mortuum per solemne votum ad[3] religionis ingressum; quod si non faciat, tenetur ad debitum solvendum, sicut primae rationes ostendunt.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod potest intrare religionem, ergo in saeculo continere; dicendum, quod non valet, quia introitus in religionem facit mori mundo et solvi vinculum; unde in nullo fit sponsae praeiudicium; non sic est, cum manet in saeculo.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non oportet consentire in carnalem copulam; dicendum, quod quamvis non oporteat in eam consentire, oportet tamen consentire in copulam *coniugalem*, quae necessario ordinat ad illam, nisi interveniat mors spiritualis[4].

3. Ad illud quod obiicitur, quod nihil addit; dicendum, quod falsum est, immo addit quantum ad *significationem*[5] et quantum ad *obligationem*. Quia enim fiunt unum corpus et una caro, ideo non potest unus transire de hoc mundo, reliquo remanente; et ideo non potest vovere continentiam, nisi coniux pariter voveat. *Praeterea*, tenetur ad statim reddendum post carnalem copulam, sed ante datur ei spatium duorum mensium; et ideo addit.

Dupliciter addit.

Ad illud quod quaeritur de ea quae corrupta est violenter a viro, dicendum, quod quia matrimonium est consummatum, non potest sine assensu viri religionem intrare nec votum vovere.

Ad quaest. incid.

Ad illud quod obiicitur, quod matrimonium debet esse liberum; dicendum, quod verum est quantum ad *consensum*, in quo est matrimonii fundamentum; ista tamen *copula*, quamvis sit violenta, quia tamen maritalis est et fundata super consensum voluntarium, ideo voluntaria iudicatur; et ideo matrimonium ratum[6] consummat. *Praeterea*, consensus de sui ratione importat libertatem, non sic coniunctio corporalis[7].

ARTICULUS II.

De obligatione coniugum per comparationem ad accidens superveniens.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de obligatione coniugum quantum ad accidens superveniens. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum oporteat debitum reddere, si alter fiat leprosus.

Secundo, utrum quis teneatur debitum reddere, si alter fiat fornicarius, vel e converso.

QUAESTIO I.

Utrum oporteat coniugi debitum reddere, si alter fiat leprosus.

Et quod leproso coniugi oporteat debitum reddere, videtur:

Fundamenta.

1. Quia dicit decretalis, de Coniugio leprosorum[8]: « Uxores viros, et viri uxores sequantur et eis coniugali affectione ministrent ».

2. Item, *ratione* videtur: quia matrimonium est vinculum insolubile, ergo non solvitur per infirmitatem: ergo manet potestas petendi, etiam superveniente lepra: ergo si *mulier non habet potestatem sui corporis*[9], et sic etc.

3. Item, leprosi, si tentantur de fornicatione, ergo possunt et debent habere remedium: ergo si iste qui habet uxorem, remedium non potest habere, nisi ipsa reddat debitum[10]; videtur etc.

---

[1] Codd. communiter *liber;* quae lectio incongrua explicatur ex falsa lectione plurium codd., in qua haec propositio cum praecedente coniungitur: *hoc facit, nec omnino est absolutus nec omnino liber.*

[2] Cfr. supra pag. 684, nota 1.

[3] Codd. I K *per*, cod. bb *vel*, cod. L *vel per*, cod. aa *et*, plures codd. *in*.

[4] Vat. addit *vel civilis.*

[5] Vide supra d. 26. a. 2. q. 1. et q. 3. — In seqq. respicitur ratio addita in C. *Verum post*, supra d. 27. dub. 5. allegato.

[6] Codd. B P Q R S U bb *ratificatum*, edd. cum pluribus codd. *radicatum*.

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Extra lib. IV. tit. 8. C. *Pervenit ad nos* (1.). Textus originalis post *et viri uxores* addit *qui leprae morbum incurrunt.*

[9] Epist. I. Cor. 7, 4. — Cfr. de hoc arg. C. *Quoniam nemini licet* (2.), X. de Coniugio leprosorum (lib. IV. tit. 8.). Pro *ergo si* permulti codd. perperam *ergo similiter.*

[10] Cfr. I. Cor. 7, 2. seq. — Superius pro *si tentantur* cod. P *saepe tentantur*, codd. F G omittunt primum *ergo*.

4. Item, leprosi, eo ipso quod leprosi, non tenentur ad continentiam nec possunt cogi: ergo necesse est, uxores eorum eis reddi.

Contra: 1. Levitici decimo tertio[1] praecipitur, ut leprosi extra communionem sanorum eiiciantur: ergo cum uxor est sana, debet per Legem sequestrari ab uxore. Ad oppositum.

2. Item, lepra est morbus contagiosus, ergo morbus, quem licet homini fugere: ergo mulier cum viro leproso non tenetur cohabitare, et si hoc: ergo nec debitum reddere.

3. Item, lepra est morbus hereditarius[2], ergo transmittitur ad prolem: ergo cum coitus, qui est causa deformitatis in prole, sit contra bonum prolis, et talis sit prohibitus: ergo nullo modo licebit mulieri coire cum leproso, aut e converso.

4. Item, sicut lepra reddit inhabilem ad ordinis susceptionem, ita reddit inhabilem ad ordinis suscepti administrationem: ergo sicut reddit inhabilem ad matrimonii contractionem post sponsalia, quia solvit sponsalia[3]; ita videtur, quod reddat inhabilem ad debiti solutionem.

CONCLUSIO.

Coniux leprosus habet ius petendi debitum, sed sanus cogi non potest, ut omnino cohabitet.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis lepra solvat *sponsalia*, tamen non potest solvere *matrimonium;* et ideo, cum aliquis efficitur leprosus, et *coniux* est et *leprosus;* et[4] quia *coniux* est, habet ius petendi debitum et reddendi; quia vero *leprosus,* debet extra sanos habitare: ita dico, quod mulier petenti debitum potest solvere, sed tamen non habet necesse cohabitare omnino. Unde quod dicitur, quod « viri uxores sequantur et administrent », dicitur per modum *admonitionis,* non praecepti; nec cogi potest sanus ad aliud, quam ut reddat debitum infirmo[5], et hoc propter periculum fornicationis. — Et sic concedendae sunt rationes probantes, quod debeat solvere debitum. Conclusio.

1. 2. Ad rationes duas ad oppositum patet responsio: quia non sequitur, si non tenetur *cohabitare*, quod nec *debitum solvere.* Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de prole, dicendum, quod secus est in *menstruatis* et *leprosis.* Nam *menstruatae* alio tempore possunt bonam prolem procreare, sed *leprosi* non possunt nec omnino faciunt contra[6], quia, quantum in se est, libenter generarent sanum; attamen proli generatae melius est sic esse quam omnino non esse.

4. Ad illud quod obiicitur de irregularitate, dicendum, quod non est simile: quia utraque est congruitatis, scilicet quod ordinem suscipiat[7] et quod in ordine suscepto administret. Sed matrimonium *contrahere* hoc libertatis est, sed *ius reddere* hoc necessitatis est propter insolubilitatem vinculi. Et sic patet illud quod obiicit[8].

QUAESTIO II.

Utrum quis teneatur reddere debitum, si alter fiat fornicarius.

Secundo quaeritur, utrum teneatur debitum reddere fornicanti. Et quod sic, videtur:

1. Quia, si uterque fornicetur, alter alteri tenetur[9]: ergo si maius malum non solvit mutuam tentionem, ergo nec quando tantum alter fornicatur. Ad oppositum.

2. Item, vir semper tenetur servare fidem uxori, etiam fornicanti, quia non licet viro fornicari, esto quod uxor fornicetur; sed servare fidem est debitum reddere: ergo etc.

3. Item, non fornicans potest petere, ergo fornicans tenetur reddere: ergo habet ius petendi; sed vinculum coniugale est mutuum: ergo uterque habet ius petendi[10]: ergo si fornicans habet ius petendi, iustum est, quod alter reddat: ergo tenetur reddere.

Contra: 1. Potest dimittere uxorem causa fornicationis[11]: ergo non tenetur debitum solvere. Fundamenta.

2. Item, si mulier procuraret aborsum, vir non deberet nec teneretur ei debitum reddere, quia agit contra bonum prolis; sed fornicans agit contra bonum fidei: ergo non tenetur.

3. Item, coniuges *ad paria* iudicantur quan-

---

[1] Vers. 3. seqq. — In fine arg. pro *uxore* cod. bb *viro* (in nostra lectione supple: leprosus).

[2] Vide tom. II. pag. 763, nota 3. verba Avicennae. — Inferius post *prohibitus* edd. rationem indicant allegantes infra a. 3. q. 1, ubi de *menstruatis,* ad quas in solut. huius obiect. respicitur.

[3] Ut habetur in C. *Litteras* (3.), X. de Coniugio leprosorum (lib. IV. tit. 8.). — Pro *solvit* cod. bb *solvuntur.*

[4] Non pauci codd. pro *et* substituunt *est,* legentes *leprosus est; quia coniux* etc. Inferius pro *potest solvere* cod. K (la secunda manu) *tenetur reddere.* Post *omnino* cod. Z supplet *cum eo.*

[5] Idem dicitur in *Glossa* super praeallegatum C. *Pervenit ad nos.* Cfr. *Glossa* in C. *Si uxorem* (18.), C. 32. q. 5.

[6] Vat. cum nonnullis codd. supplet *bonum prolis,* cui in cod. bb secunda manus addidit *nisi quantum ad* bene esse.

[7] Edd. *non suscipiat* et mox *non ministret* pro *administret.* Superius pro *utraque* (scilicet irregularitas), quod est in codd. IK, in aliis et edd. *utrumque.*

[8] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[9] Vide C. *Nihil iniquius* (1.), C. 32. q. 6.

[10] Plures codd. et ed. 1 omittunt *ergo uterque habet ius petendi.*

[11] Cfr. Matth. 19, 9. — Ante *Potest* cod. bb supplet *vir.*

tum ad *torum*[1]: ergo quod non facit unus alteri, vel non vult facere, nec potest petere; sed si mulier fidem non servat: ergo nec potest cogere virum, ut fidem servet, ergo nec ut debitum solvat.

CONCLUSIO.

Coniux innocens non tenetur fornicanti reddere debitum, nisi postquam ipse hoc petivit.

Respondeo: Dicendum, quod si alter fornicatur, et hoc potest alter scire per signa probabilia et per coniecturas apertas; nec tenetur solvere nec ab Ecclesia est cogendus, si potest illud probare; si tamen ipse, vel ipsa non sit eiusdem criminis, quia, si sunt in eodem crimine, non potest alter alteri obiicere quod habet in se. Si tamen innocens[2] petat debitum, privat se libertate et ex hoc obligat se ad reddendum, quia, dum vult sibi debitum reddi a fornicante, et ipse se eidem obligat. — Concedendae igitur sunt rationes, quod non tenetur.

Conclusio 1.

Conclusio 2.

1. Ad illud quod obiicitur, quod tenentur[3] ambo, si ambo peccent; dicendum, quod verum est. Ratio huius est, quia neuter est tunc super alterum; si tantum alter facit contra bonum matrimonii, alter, id est ille qui facit, meretur puniri, et alter meretur habere libertatem. Nunc autem neuter est liber, quia uterque peccat; et ideo non est simile: quia quod non tenetur reddere, hoc non tantum erat *poena peccantis*, sed etiam *libertas non peccantis.*

Solutio oppositorum.

Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod tenetur servare fidem; dicendum, quod fides attenditur quantum ad duo: primo, ut non cognoscat *aliam*, secundo, ut cognoscat *suam*. Quod non cognoscat *aliam*, hoc debet esse tanquam naturale[4] matrimonio; unde talis fides nunquam potest solvi, matrimonio durante. Si autem haec non durat, cum alia super hanc fundetur, non tenetur servare hanc, cui prima non servatur, nec ius habet petendi qui prius infringit.

Duo attenduntur in fide.

3. Ad aliud patet responsio: quia non fornicans habet ius petendi, quia nihil contra fidem[5] fecit, sed alius fecit contra; et ideo in hoc factus est inferior et minus ius habet quam alter[6].

ARTICULUS III.

De obligatione coniugum per comparationem ad tempus.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de obligatione quantum ad tempus. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum tempore menstruorum obligetur mulier ad debitum reddendum, et utrum possit petere.

Secundo, utrum tempore dierum solemnium debitum licite possit peti et solvi.

QUAESTIO I.

Utrum tempore menstruorum possit reddi et peti debitum.

Circa primum ostenditur, quod tempore menstruorum non possit *peti*.

Levitici decimo quinto[7]: *Vir, qui ad menstruatam accesserit, immundus erit septem diebus. Si tu dicas,* quod caerimoniale est; *contra:* Ezechielis decimo octavo: *Vir si iustitiam fecerit* etc.; et post: *Ad menstruatam non accesserit,* ubi inter moralia computatur. Et Glossa ibidem: «Praecipitur, ut viri non solum in alienis, sed etiam in propriis uxoribus modum et tempora servent».

De 1. quaestione fundamentum.

Item, quod non debeat *reddi,* videtur:

1. Quia non solum qui male agunt peccant, sed etiam qui consentiunt: ergo peccat qui reddit, cum consentiat.

De 2. quaestione ad oppositum.

2. Item, non est reddendus gladius furioso, ut se interficiat; sed petens debitum tempore menstruorum contra salutem suam petit: ergo non ei reddendum est.

Item, quod nec sit *reddendum* nec *petendum,* videtur.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Cod. Z *non fornicans*, alii codd. et ed. 1 omittunt *innocens*. Mox post *reddendum* codd. R S bb supplent *debitum*. In fine corp. post *rationes* cod. O addit *ostendentes*, Vat. legit: *probantes, quod reddere debitum fornicanti non tenetur.*

[3] Plurimi codd. perperam *non tenentur.*

[4] Cod. Y *essentiale.* Inferius post *cum alia* Vat. addit *conditio;* sed supplendum *fides* etiam post *haec.*

[5] Codd. P Q *bonum fidei.*

[6] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[7] Vers. 24: Si coierit cum ea vir tempore sanguinis menstrualis, immundus etc. — Seq. locus est Ezech. 18, 5: Et vir si fuerit iustus et fecerit iudicium et iustitiam. Tertius ibid. v. 6: Et ad mulierem menstruatam etc. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta est ex Hieron., in hunc ult. loc.

1. Levitici vigesimo[1] dicitur, quod uterque interficiatur, scilicet vir et mulier; sed poena mortis non nisi pro peccato mortali infligebatur: ergo uterque peccat mortaliter.

De utraque pro parte negativa.

2. Item, Hieronymus[2] dicit, quod ex tali coitu nascuntur pueri elephantici et monstruosi: ergo uterque facit contra bonum prolis; et si hoc: ergo uterque mortaliter peccat.

Contra: 1. Maior passio est passio leprae quam passio menstrui: ergo si propter lepram non potest mulier debitum negare[3], nec propter menstruum.

De utraque pro parte affirmativa.

2. Item, *mulier non habet potestatem sui corporis*[4]: ergo cum vir petit, suum petit; et iustum est «unicuique reddere quod suum est»: ergo iuste reddit mulier.

3. Item, esto quod vir nesciat, quod sit tempus menstruorum, et mulier timet de lapsu eius; quaeritur: quid debet facere? Et ostenditur, quod reddere, quia illius animam liberat a morte[5] et ab omni culpa.

4. Item, sicut fluxus sanguinis reddit mulierem immundam, ita fluxus seminis reddit virum immundum[6]; sed non peccat mulier, quae petit a viro seminifluo debitum: ergo etc.

5. Item, si aliquo modo repugnat matrimonio talis coitus, hoc non est nisi ratione prolis; sed possibile est, quod talis mulier sit sterilis, et tunc non timetur deformitas prolis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Tempore menstruorum, quae sunt secundum naturam, non licet sub mortali scienter exigere debitum; secus iudicandum de redditione.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt dicere, quod omni tempore, sive menstruorum, sive alio, debet debitum *reddi*, sed non debet *peti*. Et dicunt, quod ratio huius est, quia *petere* est agere, sed *reddere* quodam modo pati; et primum est libertatis, secundum vero est necessitatis. Unde et Dominus[7] non praecepit mulieri *non reddere*, sed homini *non accedere;* ac per hoc non exemit mulierem a tentione, sed vir obligatur, ut hoc non possit petere sine transgressione. Et hoc videtur Magister dicere in littera[8], cum dicit: «Et licet omni tempore debitum sit petenti solvendum, non tamen licet omni tempore petere». — Sed istud non videtur consonare nec *rationi* nec *auctoritati*. Primum non *auctoritati*, quia est contra bonum prolis, sicut dicit Hieronymus super illud Isaiae sexagesimo quarto[9]: *Omnes iustitiae nostrae sicut pannus menstruatae;* dicit: «Tunc concipiuntur membris damnati, caeci, claudi, leprosi, ut, quia parentes non erubuerunt in conclavi commisceri, patenter eorum peccatum et aperte redarguatur in parvulis». Item, Augustinus super Leviticum[10]: *Ad mulierem* etc.: «Necessario utrique interim continentia indicitur». Et iterum: «Cum sufficienter prohibuisset, hic etiam repetit, ne forte in superioribus videretur figurative dictum». Et iterum, uterque praecipitur interfici, Levitici vigesimo[11], sicut ibi patet: ergo uterque mortaliter peccat. Et iterum, esto quod mulier menstruata tunc temporis petat a viro, et hoc constet viro, durum videtur dicere, quod vir teneatur sibi reddere in prolis praeiudicium: si ergo ad paria iudicantur[12], et dominium non habet alter in alterum contra divinum statutum; non videtur, quod reddere teneatur.

Opinio 1. de utraque quaestione.

Opponitur.

Et ideo aliqui voluerunt dicere, quod non debet *reddere*, nisi praesumat de viro, quod cadat in fornicationem; quod si praesumit, debet occurrere maiori periculo nec reddit sibi gladium ad interficiendum, sed potius ad sanandum. — Sed nec istud sufficit, quia aut mulier *tenetur*, aut *non tenetur*. Si *tenetur*, absque omni praesumtione periculi debet reddere. Si *non tenetur* ut tunc, hoc non est, nisi quia hoc est[13] contra divinum mandatum: ergo quantumcumque timeat de culpa alterius, cum non sit faciendum malum certum pro incerto evitando, non debet sibi reddere debitum — non quia reddat

Opinio 2. de 2. quaestione.

Non sufficit.

---

[1] Vers. 18: Interficientur ambo de medio populi sui.

[2] Libr. VI. Comment. in Ezech. 18, 6: «Ita ut leprosi et elephantiaci... nascantur». Du Cange, Glossarium etc.: *Elephantia*, lepra sic dicta, quod cutem reddat elephanti corio similem... *Elephanticus*, qui elephantia laborat. — Codd. *elephantini*.

[3] Ut ostensum est supra a. 2. q. 1. — Cod. E supplet *viro*.

[4] Epist. I. Cor. 7, 4. — De definitione *iusti* inferius posita cfr. tom. III. pag. 728, nota 1. — Post *petit* codd. M O R S T bb addunt *ergo si suum petit*, cod. Y *sed si suum*, Vat. *ergo si suum*.

[5] Iac. 5, 20: Qui converti fecerit peccatorem... salvabit animam eius a morte.

[6] Secundum Lev. 15, 2. et 19.

[7] Cfr. fundamentum. — Inferius post *tentione* Vat. supplet *reddendi*.

[8] Hic c. 3.

[9] Vers. 6. — Verba, quae Hieronymo attribuuntur, habentur in Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, in hunc loc., quae finem sic exhibet: eorum peccata pateant cunctis et aperte redarguantur in parvulis. — Pro *damnati* edd. *depravati*.

[10] Cap. 18, 19. — *Prima* sententia sive expositio non est *Augustini*, sed *Hesychii* (cui etiam attribuitur ab Alex. Hal., S. p. II. q. 149. m. 2.) in Lev. 15, 19. secundum Glossam *ordinariam* apud Strabum et Lyranum. Hesychii verba (ed. Migne) sunt, quod tales «non una die immundos, sed septem dies esse dicit: ergo sub dierum multorum continentia tam mulieres a viris, quam viri a mulieribus necessitate cohibentur». — *Secunda* est Augustini in allegatum locum (Lev. 18, 19.), Quaest. 64. Cfr. III. de Peccatorum meritis et remiss. etc. c. 12. n. 21.

[11] Vers. 18.

[12] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Inferius pro *contra* permulti codd. *secundum*, perperam, nisi cum cod. F pro *non habet* substituatur *habet;* cod. E *habet in maritum secundum*.

[13] Pro *nisi quia hoc est*, quod Vat. male omittit, nonnulli codd. perperam *nisi quia hoc non est*.

gladium furioso, quia ista non est ratio — nam aliter se ipsum interficit. Nec dat ei occasionem periculi, nisi ipsa petat; non enim ideo est culpa, quia gladium furioso reddat, sed quia contra praeceptum sive prohibitionem agendo se deordinat; et hoc non est propter *tempus*, sed propter *morbum*, qui est contra prolis bonum. Unde similiter esset de vicina partui, quia ex actu illo timetur parvulus opprimi et occidi; vel si ipsa laboraret acuta [1], nullus pro illo tempore diceret eam teneri, non ratione *temporis*, sed ratione *morbi* vel *periculi*.

Opinio 3. Distinctio. Tertius modus dicendi est, qui videtur esse probabilior, quod tempus menstruorum aut est *secundum naturam*, aut *praeter naturam* [2]. Si *secundum naturam* semel in mense; quia tunc possibile est filios generare et per abundantiam et corruptionem humoris in pessimo statu: ideo *morale* est praeceptum, ut illo tempore non cognoscatur. Unde si *ignoranter petit*, vel *violenter reddit*, excusatur; si *scienter et libenter petit et reddit*, contra praeceptum facit et mortaliter peccat, et vir secundum tempus illud non habet potestatem in corpus mulieris. — Si autem sit tempus *contra naturam* et passio *praeter naturam;* tunc dicitur, quod filii non generantur [3]; et tunc, si diu duret, debitum potest *peti* et *reddi*. Ex his patent obiecta.

Solutio argg. pro parte affirm. de utraque quaest. secundum 3. opinionem.

1. Quod enim obiicit de lepra, non est simile, quia ille morbus est continuus, iste momentaneus.

2. Ad illud quod obiicit, quod non habet potestatem; dicendum, quod tunc non habet, vel etiam, quod plus est obediendum Deo quam homini [4] sive mulieri.

3. Ad illud quod quaeritur, quando vir nescit; dicendum, quod si credit, ipsum desistere, debet ei infirmitatem dicere, vel saltem infirmitatem simulare; quodsi nec tunc vult desistere, debet quantum potest resistere, quia, si ille violenter extorqueat, mulier [5] est immunis a culpa. Aliter enim propter vitandam culpam viri non debet ipsa facere culpam.

4. Ad illud quod obiicitur de immunditia, dicendum, quod non est propter immunditiam, sed quia talis [6] est proli contraria.

5. Ad illud quod obiicitur de sterili, dicendum, quod nescitur, quamdiu habet muliebria, utrum concipiat; et ideo obligatur divino mandato, sicut et aliae, quae consueverunt concipere.

Quamvis autem iste modus *ultimo* dictus videatur esse probabilior, *primus* tamen modus dicendi est securior et sanior, quoniam standum est pro matrimonio; et valde durum videtur, quod mulier debitum non reddat viro instanter petenti, cum non apparet infirmitas gravis et manifesta. *Si tu dicas*, quod non debet sine violentia; potest esse, quod vir non potest sibi violentiam facere, et ex hoc cadet in peiorem fornicationem. Et ideo dicendum est secundum primum modum, quod secus est in *petitione* et *redditione*, sicut dicit Magister in littera, et primo [7] notatum est. Unde prohibitio de cognitione menstruae se extendit, ut non *petant*, sed non ut non *reddant;* et ideo non absolvitur a tentione reddendi. Et secundum hoc intelligendae sunt auctoritates de hoc loquentes. Sed tamen mulier aliquo modo se debet reddere difficilem et cum dolore debitum solvere, ne, dum appetit a se peti, ipsa rea sit, ac si peteret; unde resistere potest, nisi credat scandalum praestare marito. Indicium auctoris. Conclusio. Restrictio.

Ex hoc patet illud quod obiicit de consensu. Dum enim necessitate compulsa femina reddit; non dicitur consentire nec furioso gladium reddere, sed ipse agit, et haec patitur. *Praeterea*, gladius furioso est reddendus, si evitetur maius periculum; sic in proposito, cum timetur periculum, et vir potest evadere periculum fornicationis, vel odii per redditionem, in quam incurreret per abnegationem. — Ex his patent alia. Concedendum est enim, quod debitum non potest *peti* scienter, quia hoc est mortale propter praeceptum [8], quod debitum non *petatur*. — Et non valet de lepra nec de potestate corporis, quia usus est ei arctatus per mandatum illud; et patent auctoritates inductae in contrarium; omnes enim intelligendae sunt quantum ad *scienter exigentes*. De argg. de 2. quaest. ad oppos. De aliis obiectis.

SCHOLION.

I. Quoad *petitionem* debiti tempore naturalium menstruorum antiqui doctores Alex. Hal., S. Thom., Scot., Petr. a Tar., Richard. a Med. aliique satis conveniunt, etiam in duplici illa causa assignanda, scilicet ob periculum vel damnum prolis et ob praeceptum morale in veteri lege promulgatum. Sed plurimi recentiores mitius iudicant, immo non pauci petitionem

---

[1] Edd. *aegritudine acuta*.

[2] Haec distinctio insinuatur Lev. 15, 24. seq. Ad ea quae hac de re in Lev. dicuntur, Alex. Hal., S. p. II. q. 149. m. 2, utitur hac distinctione, scil. quod Lev. 15, 24. agatur de *ignoranter* accedente, Lev. 18, 19. de *scienter* accedente, Lev. 20, 18. de scienter accedente et peccatum suum *publicante*. — Inferius post *statu* codd. T X addunt *infici*.

[3] Edd. addunt *vitiosi in natura*. Lectio codd. confirmatur a S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2. in corp.

[4] Act. 5, 29: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. — Post *tunc non habet* Vat. addit: *alter potestatem in corpus alterius*. Pro *dicendum* plures codd. vel *solvendum*, vel perperam *solvendi*.

[5] Multi codd. et ed. 1 perperam *uterque*, cod. bb *mulier utique*. Superius pro *vult desistere* codd. G L aa (E a secunda manu) *desisteret*.

[6] Supple: fluxus. — Post *contraria* cod. aa subiungit: *sed quia passio illa, quae est seminiflui, non est proli contraria: ergo etc.*

[7] In principio corp. — Mox pro *de cognitione* edd. *in fornicatione*.

[8] Edd. *est morale praeceptum*. Post pauca codd. Z bb verbis *Et non* interserunt *ideo*.

hanc etiam a veniali peccato excusare volunt. — Cum S. Bonav. S. Thomas et alii communiter censent, prohibitionem illam non se extendere ad *reddentem*.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. II. q. 149. m. 2. ad obiecta. — Scot., hic q. unica n. 5. seqq. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 2. 3; Suppl. q. 64. a. 3. 4. — Petr. a Tar., hic a. 3. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

II. S. Thom. pluresque antiqui cum S. Bonav. docuerunt, non licere *sub veniali* certis temporibus sacris debitum petere; quod plerique recentiores cum S. Alphonso nullatenus prohiberi, sed tantum per modum consilii dissuaderi docent.

De 2. quaestione: S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 64. a. 7. 8. — B. Albert., hic a. 9. 10. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1.

III. Quoad duas quaestiones 4. articuli nulla est difficultas. Breviter de utraque vel de 1. tantum tractant: S. Thom., hic 5. quaestiunc. 4. — Petr. a Tar., hic a. 4. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1. 2.

QUAESTIO II.

Utrum tempore dierum solemnium possit licite peti et solvi debitum.

Secundo quaeritur, utrum tempore dierum solemnium debitum possit *peti* licite et *solvi*. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa. 1. Primae ad Corinthios septimo [1]: *Nolite fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi:* ergo non licet abstinere etiam propter orationem, nisi utroque consentiente: ergo si non habet necesse consentire, alter potest petere, et alter debet reddere.

2. Item, *ratione* videtur: quia concubitus coniugalis ratione debiti solvendi nullam habet de se culpam [2]: ergo in die solemni reddere non est peccatum.

3. Item, coniugium constitutum est in remedium concupiscentiae, ut fornicatio vitetur [3]; sed possibile est, quod homo infirmus magis tentetur de opere carnis in die solemni: ergo tunc licet adhibere remedium.

4. Item, si alter coniugum ex sola libidine explenda peteret debitum, ille cui [4] petitur, deberet solvere, quia reddit ei quod suum est: ergo videtur multo fortius, si tempore sacro petat causa fornicationis vitandae.

Pro parte negativa. Contra: 1. Quod tali tempore nec debeat *peti* nec *reddi*, ostenditur auctoritate Augustini, quae habetur in littera [5]: «Christiano cum uxore sua licet aliquando convenire, aliquando non propter dies processionis et ieiuniorum» etc.

2. Item, hoc videtur exemplo Gregorii in primo Dialogorum [6], quod mulier, quae nocte cognovit virum, cum in die veniret ad processionem, a diabolo est accepta; sed hoc non esset, nisi grave peccatum esset: ergo etc.

3. Item, hoc videtur *ratione*, scilicet quod nec sit petendum nec reddendum: quia potest esse dies solemnis, ut Pascha vel Natalis, in quo uterque tenetur communicare; sed constitutio Ecclesiae est, ut non accedat aliquis ad communionem, quando cognoscit uxorem [7]: ergo cum non possint simul stare, et tenetur ad faciendum unum: ergo non ad faciendum alterum.

4. Item, hoc videtur per rationem virtutis, quae considerat non solum actum, sed etiam debitas circumstantias [8]; sed debita circumstantia est in discernendo diem sacrum a non sacro: ergo etc.

5. Item, hoc videtur per *simile:* quia non licet in omni loco nec petere nec reddere debitum, utpote in ecclesia: ergo similiter videtur, quod nec in omni tempore.

6. Item, hoc videtur *ratione:* quia maior est delectatio in coitu quam in cibo: ergo si ecclesiastica institutio quantum ad abstinentiam cibi est necessario observanda, multo fortius quantum ad coitum.

CONCLUSIO.

Diebus solemnibus petere debitum culpa est saltem venialis, non autem reddere.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister [9], «debitum semper est poscenti *solvendum*, non tamen semper licet *petere*». Cuius ratio est, quia *reddere* est necessitatis, sed *petere* est voluntatis; et in sacris diebus inordinatae voluptatis est *petere,* quod patet sic. Coniugium enim ratione sui actus est remedium, sed non omnino *curans,* sed *excusans;* unde in actu coniugali est opus carnis, quod trahit animam deorsum et ad terrena sapiendum et etiam ad delectationem sentiendum. Quoniam igitur aliqui sunt dies, in quibus debet anima *sanctificari* et assurgere ad divina, utpote solemnitates praeclarae; sunt etiam, in quibus debet anima *affligi,* utpote ieiuniorum et processionum: ideo conveniens est in talibus temporibus ab illo actu cessare; et ideo sancti Patres instituerunt, non tamen instituerunt tanquam *praeceptum,* propter carnis lubricum, quod in multis est magnum. Et quia Ratio.

[1] Vers. 5, ubi Vulgata post *nisi* addit *forte*.
[2] Vide supra d. 31. a. 2. q. 1.
[3] Cfr. I. Cor. 7, 2. — Edd. *institutum* pro *constitutum*.
[4] Edd. *ille a quo*.
[5] Hic c. 3.
[6] Cap. 10.
[7] Vide hic lit. Magistri, c. 3.
[8] Cfr. supra pag. 400, nota 1. et pag. 461, nota 6.
[9] Hic c. 3.

non tanquam praeceptum instituerunt nec ius petendi debitum abstulerunt; ideo, cum petitur, manet necessitas ad reddendum.

Conclusio. Ideo dicendum, quod *reddi* potest sine omni culpa in illis diebus, dum tamen reddat cum displicentia et dolore; *peti* autem non potest sine culpa [1]; et si aspectus sit ad delectationem, gravis est culpa, si autem ad lubricum carnis et suam infirmitatem, cuius est conscius, vel conscientia vehementer timet, et propter hoc petit; veniale potest esse peccatum; attamen vix contingit, quod in praecipuis diebus non sit grave peccatum. — Concedendae igitur sunt rationes, quod debet *reddi*, quia non possunt fraudare nisi ex consensu. Unde tempus orationis non sufficit ad abstinendum, nisi adsit etiam mutuus consensus, sicut innuit Apostolus [2].

Ad argg. pro parte negativa. 1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Christiano non licet convenire; dicendum, quod non dicit hoc propter hoc, quod illud sit peccatum *mortale*, et eius oppositum sit in praeceptum; sed quia quandam inhonestatem habet. Et hoc patet in eadem auctoritate [3], quia dicit, quod in talibus diebus debent a licitis temperare; et hoc dico, nisi contemptus solemnitatis interveniat, sicut fuit in illa muliere, de qua loquitur Gregorius, quae ivit ad processionem.

De communione. 3. Ad illud vero quod obiicitur, quod non debet reddi propter communionem; dicendum, quod cum reddens cum dolore et invitus reddat, non arctatur nec ab ingressu ecclesiae nec a communione; tamen communio posset de consilio sacerdotis differri.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est ibi excessus; dicendum, quod non est excessus ex parte *reddentis*, immo necessitas, sed ex parte *petentis* [4]; si tamen propter periculum faciat, non est excessus mortalis, sed venialis.

5. Ad aliud dicendum, quod non est simile de *loco*, quia in loco est consecratio Sacramenti et deputatio ad opera divina solum; ideo temeratur locus sacer, est enim mensa [5] propria; sed *tempus* non sic omnino deputatur.

6. Ad ultimum dicendum, quod non est tantum periculum nec lubricum in gustu, sicut in tactu; et ideo institutum est de ieiunio sub *praecepto*, sed de cessatione ab amplexu est *consilium*, maxime coniugatis, qui invicem cohabitant.

Hoc sine praeiudicio sit dictum, pro eo quod Sancti videntur talem coitum aggravare, sicut auctoritates Hieronymi in littera [6] videntur sentire. Sed intelligendum est, quod Sancti istud non prohibuerunt, maxime cum Apostolus dicat, quod propter orationem non debent invicem fraudare nisi ex consensu; et ideo concedendum est, istud magis esse congruitatis et honestatis quam necessitatis, nisi conscientia obliget, qua credat, illud esse prohibitum et mortale peccatum; vel nisi interveniat sacrae diei contemptus, de quo valde potest [7] timere qui tunc debitum non erubescit petere. Epilogus et iudicium auctoris.

ARTICULUS IV.

De tempore, in quo debent nuptiae celebrari.

Consequenter quantum ad quartum articulum quaeritur de tempore celebrandi nuptias. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in celebrandis nuptiis debeat tempus observari.

Secundo quaeritur, utrum contractum matrimonium in tempore indebito debeat separari.

QUAESTIO I.

Utrum in celebrandis nuptiis debeat tempus observari.

Circa primum ostenditur, quod tempus debeat observari:

Fundamenta. 1. Primo per illud quod dicitur Ecclesiastis tertio [8]: *Tempus amplexandi et tempus longe fieri ab amplexibus:* ergo videtur, quod non omni tempore liceat nuptias celebrare.

2. Item, Causa trigesima tertia, quaestione quarta [9], Nicolaus: « Nec uxorem ducere nec convivia facere in quadragesimali tempore ullo modo convenire posse arbitror ».

3. Item, secundum omnium mores tempus celebrationis nuptiarum est tempus solemnitatis et

---

[1] Codd. R T *sine omni culpa.*

[2] Hic in fundam. 1. allegatus. — Superius verbo *fraudare* Vat. praemittit *se.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3: Quia etiam a licitis abstinendum etc. — In fine solut. pro *quae ivit* codd. E W *quando ivit.*

[4] Vat. legit: *reddentis, nec etiam ex parte petentis, cum exigit necessitas.*

[5] Codd. R S *mensura.* Locutio est obscura.

[6] Hic c. 3. — Superius pro *est consilium* multi codd. *in consilium*, quod refertur ad *institutum est.*

[7] Codd. N aa *debet.* — Cfr. *Glossa* in C. *Sciatis fratres* (1.), C. 33. q. 4. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Vers. 5.

[9] Can. 11. Nonnulli codd. cum Magistro, hic in lit. c. 4, *coniugia* pro *convivia.* Finem exhibet textus originalis sic: *tempore convenire posse, nullatenus arbitramur.*

gaudii carnalis, quia vehemens est amoris conversio ad haec; sed haec non competit fieri in tempore deputato ad sanctificationem spiritus: ergo etc.

4. Item, plus est nuptias celebrare quam debitum solvere; sed in actu carnali ad hoc, quod fiat recte et honeste, servanda sunt tempora [1]: ergo multo fortius in contractione matrimonii sive nuptiarum celebratione prima.

Ad oppositum.

Contra: 1. Ad Galatas quarto [2]: *Dies observatis et menses et tempora et annos;* et post: *Timeo, ne absque causa laboraverim in vobis:* ergo videtur, quod illud sit haereticum, tempora observare: ergo videtur, quod quolibet tempore bonum sit nuptias celebrare.

2. Item, in aliorum Sacramentorum perceptione non est determinatio temporum nisi ex sola congruitate, nec servantur communiter temporum determinationes: ergo videtur similiter, quod nec in matrimonio et sponsae traductione.

3. Item, matrimonium est sanctum et bonum, cum sit Sacramentum: ergo in diebus sacris competens est ipsum celebrare.

4. Item, si matrimonium repugnat diebus poenitentiae, non est secundum rationem sui, sed potius ratione abusus: ergo potius deberet in nuptiis prohiberi et interdici abusus quam tempus.

Quaestio incidens.

Est igitur quaestio: propter quid tantum ista tria tempora interdicuntur, quae ponuntur in littera [3]; et magis haec tempora et in hoc Sacramento quam in alio?

CONCLUSIO.

Ob duplicem rationem aliquibus temporibus interdictum est publicas solemnitates nuptiarum celebrare.

Ad quaest. incid.

Respondeo: Dicendum, quod duplex est ratio, quare in his tribus temporibus interdictum est, nuptias celebrari, una scilicet *moralis*, alia *figuralis*:

Ratio 1.

moralis quidem, quia in his tribus temporibus anni propter praecipuarum solemnitatum exspectationem, in quibus consueverunt fideles communicare [4], scilicet Natali Domini, Pascha et Pentecoste, debent se fideles praeparare, ut Dominum suum possint digne et reverenter excipere; et per hoc debent sensum a terrenis aliquatenus elevare. Et quoniam in sponsae traductione et nuptiarum celebratione propter novitatem vehementer animus convertitur ad id quod deorsum est, et ad gaudia vana; ideo ista tria tempora ex rationabili causa sunt interdicta, scilicet tempus Adventus usque ad Octavas Epiphaniae, tempus a Septuagesima usque ad Octavas Paschae, tempus a tertio die ante Ascensionem usque ad Octavas Pentecostes; et quia multae abusiones fiunt, quae his temporibus non conveniunt.

Conclusio 1.

Ratio 2.

— Alia est ratio *figuralis*, scilicet quia in his temporibus sunt dies ieiuniorum; et sicut dicitur Matthaei nono [5]: *Non debent filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus; cum autem auferetur* etc.: ideo quodam modo in his diebus signatur absentia sponsi, et ideo in talibus diebus non debet fieri sponsi et sponsae coniunctio nec nuptiarum celebratio.

Conclusio 2.

Unde non est interdictum, contrahi sponsalia vel matrimonium in his diebus per *simplicem consensum;* sed interdictum est, nuptias celebrari et sponsam in domum viri adduci; et hoc totum congruitatis rationem exigit, pro eo quod est constitutio humana [6].

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non sunt tempora observanda; dicendum, quod tempora observari est tripliciter:

Observatio temporum triplex.

aut enim tempora observantur quantum ad naturam in his quae *subsunt naturae*, ut quantum ad actum seminandi et navigandi; aut tempora servantur in his quae sunt *supra naturam*, sicut sunt ea quae sunt gratiae et liberi arbitrii; aut tempora observantur secundum spiritualem institutionem in *exsecutione spiritualium*, ut dies instituta ad colendum Natale Domini observanda est, ut in ea amplius laudetur Deus. Primum quidem non est peccatum nec tertium, sed secundum; et hoc modo non fit observatio in matrimonio, quia non observatur lunatio neque temporum variatio, nisi secundum quod statutum est ad cultum Dei; unde non est observatio ratione *temporis*, sed magis ratione *cultus divini* [7].

2. Ad illud quod obiicitur, quod in aliis non interdicitur tempus; patet responsio, quia hoc Sacramentum habet aliquid speciale tum ratione actus carnalis, tum etiam ratione significationis [8].

3. Ad illud quod obiicitur, quod est sanctum

---

[1] Cfr. supra a. 3. q. 2.

[2] Vers. 10. — Seq. locus ibid. v. 11: Timeo vos, ne forte sine causa etc.

[3] Hic c. 4. — Mox edd. omittunt *haec tempora et.* Subinde post *quam* plures codd. addunt *aliud.*

[4] Cfr. supra d. 12. p. II. a. 2. q. 2. in corp. — Inferius pro *excipere* cod. L *suscipere*, codd. O U *recipere*, edd. *accipere,* et pro *per hoc* cod. H *propter hoc.*

[5] Vers. 15; Nunquid possunt filii... sponsus? Venient autem dies, cum auferetur etc.

[6] Cfr. *Glossa* super verba: «Hinc etiam in diebus abstinentiae nuptiae celebrari prohibentur», quae Gratian. C. *Non oportet* (8.), C. 33. q. 4, praemittit, et C. *Capellanus tuus* (4.), X. de Feriis (lib. II. tit. 9.), ubi in additamento *Glossae* occurrit hic versus:

Ecclesiae vetitum nec non tempus feriatum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Pro *congruitatis rationem* cod. M *congruitas rationum,* Vat. cum aliquot codd. *congruitatis ratio.*

[7] Vide August., Epist. 55. (alias 119.) c. 7. n. 12. seqq. — Pro *non est* codd. I K *non fit.* Superius post *non fit observatio* codd. R S bb supplent *temporis.*

[8] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 1. et q. 2. ad 4. — Pro *speciale* Vat. cum paucis codd. *spirituale et aliquid carnale, unde et hoc decet.*

et bonum; dicendum, quod verum est; attamen habet annexum aliquid, quod tempus orationis impedit [1]; et si impedit post primam coniunctionem, quanto magis in prima, ubi est maior ardor et ardentior affectio?

4. Ad illud quod obiicitur, quod abusus deberet interdici; dicendum, quod non solum ratione *abusus*, sed etiam ratione *usus* habet aliquod praestare impedimentum. *Praeterea*, facilius est determinare tempus, et melius observatur, quam si prohiberetur [2] gaudium superfluum. — Quod ultimo quaeritur iam determinatum est [3].

QUAESTIO II.

Utrum matrimonium contractum in tempore indebito debeat separari.

Secundo quaeritur, utrum matrimonium contractum in tempore indebito debeat separari. Et quod sic, videtur.

1. Causa trigesima tertia, quaestione quarta [4]: Ad oppositum. « Non oportet a Septuagesima usque ad Octavam Paschae et tribus hebdomadibus ante festum sancti Ioannis et ab adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare; quod si factum fuerit, separentur ».

2. Item, hoc videtur secundum ius antiquum [5], quod sic dicit: « Copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus ».

3. Item, *ratione* videtur: quia in foro ecclesiastico iudicandum est secundum statuta Ecclesiae: ergo si Ecclesia statuit, nuptias talibus temporibus non fieri, debent tales, si fiunt, iudicari pro non factis [6]: ergo debent separari.

4. Item, aliquis primo contrahit cum aliqua in clanculo et cum alia in manifesto; licet sit uxor *prima* secundum veritatem, tamen iudicatur uxor *secunda* in foro Ecclesiae, quia cum prima non servavit formam Ecclesiae, sicut cum secunda [7]: ergo si iste qui celebrat nuptias, non servat ecclesiasticam formam; patet, quod secundum iudicium Ecclesiae separandus est.

Contra: 1. Nihil est, propter quod debeat se- Fundamenta. parari matrimonium, nisi desit aliquid, quod sit de eius substantia; sed de substantia matrimonii nihil est nisi consensus et persona legitima: si ergo nihil horum deficit in proposito, patet etc.

2. Item, matrimonium non debet separari in poenam, nisi sit criminis enormitas, maxime contra aliquod matrimonii bonum; sed hic nihil est tale: ergo etc.

3. Item, in quadam decretali de Matrimonio contracto contra Ecclesiae interdictum [8] dicitur: « Non est conveniens, ut ob id solum Sacramentum coniugii dissolvatur ».

4. Item, non prohibetur, matrimonium contrahi, sed nuptias celebrari [9]; hoc autem accidit matrimonio: ergo nullo modo debent separari propter hoc.

CONCLUSIO.

Matrimonia tempore indebito contracta non possunt simpliciter separari, sed solum ad tempus in poenam peccati.

Respondeo: Dicendum, quod iunctos matrimonialiter triplici modo separat Ecclesia: quosdam sim- Triplex separatio. pliciter quantum ad *vinculum*, ostendens, inter eos non fuisse matrimonium; et hoc est propter hoc, quod intervenit aliquod impedimentum, quod est *contra substantiam* matrimonii vel ex parte consensus, vel legitimitatis personarum; et illud dicitur *impedire* contrahendum et *dirimere* iam contractum [10]. Quosdam separat simpliciter quantum *ad tempus in poenam;* et hoc est propter aliquod crimen, quod est *contra matrimonii bonum.* Quosdam separat *ad tempus* solum *ad poenitentiam agendum;* et hoc, quando intervenit aliquod impedimentum, quod non est contra matrimonium quantum *ad substantiam* nec quantum *ad bonum*, sed inducit peccatum; et tale est ecclesiasticum interdictum, et de tali separatione intelligitur auctoritas canonis, quam Magister adducit [11]. Et sic dicendum, quod ta- Conclusio. les non debent simpliciter separari, sed solum ad tempus in poenam peccati, quia contempserunt mandatum Ecclesiae; et hoc etiam fit ad aliorum terrorem.

2. Ad illud ergo quod obiicitur secundo de ec- Solutio oppositorum.

---

[1] Vide supra a. 3. q. 2. et infra dub. 5.

[2] Ita cod. K (I a secunda manu), cod. L (E a secunda manu) *removeretur*, in aliis et edd. *moveretur*. Mox plures codd. *quaerit*.

[3] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[4] Can. 10. Fide codd. R S Z bb supplevimus *et ab adventu Domini usque post Epiphaniam*, quod etiam exhibet textus originalis et Magister, hic in lit. c. 4. Pro *Non oportet* plurimi codd. *Non debet.* — Post *Ioannis* cod. bb cum canone addit *Baptistae.*

[5] Cfr. *Glossa* supra pag. 740, nota 6. allegata.

[6] Regul. iuris, regul. 64: « Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi », in VI. Cfr. Iustinian., C. l. de Legibus et constitutionibus etc. (tit. 17.), lex *Non dubium est* (5.), ubi eadem regula occurrit.

[7] Cfr. supra d. 28. q. 5. — Superius pro *uxor prima* et *uxor secunda* plures codd. et ed. 1 *uxor primae* et *uxor secundae*, a qua lectione Vat. in tantum discedit, quod substituit bis *vir* pro *uxor*.

[8] Extra lib. IV. tit. 16. C. *Ex litteris Cantuariensis* (2.). — Non pauci codd. hoc arg. omittunt; alii substituunt *de Matrimoniis* pro *de Matrimonio contracto*, ubi Vat. incongrue addit *Ex litteris.*

[9] Cfr. C. *Capellanus tuus* (4.), X. de Feriis (lib. II. tit. 9.).

[10] Vide infra d. 34. a. 1. q. 2. in corp., ubi etiam de *tertio* modo. De *secundo* cfr. d. 35. q. 1. — Mox post *ad tempus* edd. cum aliquibus codd. addunt *solum.*

[11] Hic in lit. c. 4.

clesiastica regula, dicendum, quod Ecclesia dictat [1], matrimonium debere contrahi sic et sic; et in illa sua institutione quaedam dictat ut *necessaria*, quaedam ut *ad solemnitatem facientia;* et canon dicit de his quae regula ecclesiastica dictat huic Sacramento *necessaria*.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de foro ecclesiastico, dicendum, quod in foro ecclesiastico nunquam iudicatur matrimonium non esse, nisi quando in facie Ecclesiae deest aliquid, quod est *de substantia* matrimonii; quod tamen non deest secundum veritatem, sicut in matrimonio clandestino, ubi non potest probari consensus; non sic est in proposito. — Et ideo patet illud ultimum [2].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *In hoc enim pares sunt* etc. Videtur enim falsum, quia in hoc Sacramento significatur coniunctio Christi et Ecclesiae, Dei et animae, inter quos nulla omnino est paritas: ergo nec viri ad uxorem. — Item, ad Ephesios quinto [3]: *Mulieres subiectae sint viris suis;* post dicit de viris, quod *diligant eas sicut corpora sua:* ergo cum corpus sit pars inferior, patet etc.

Tria in matrimonio. Respondeo: Dicendum, quod in matrimonio est considerare *sexus distinctionem* et *conformem coniunctionem* et postremo *mutuam obligationem*. Ratione *duorum* primorum significat Deum et Ecclesiam, quia, sicut mulier eget viro, sic Ecclesia Christo; ratione *coniunctionis* inseparabilis et conformitatis significat illam coniunctionem [4]; sed ratione *obligationis* non est significatio, quia Deus omnino liber est et nulli omnino obligatur; tamen debet esse inter virum et mulierem obligatio, quia aliter non interveniret inseparabilis unio; et quoniam conformis est unio, ideo conformis est obligatio, et ideo quantum ad hoc *pares* iudicantur, quia conformiter sibi invicem obligantur.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod vir est superior; dicendum, quod illud intelligitur quantum ad illos actus, qui respiciunt sexum virilem specialiter, scilicet quantum ad regimen domus et consimilium [5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nam vovenda talia non sunt a coniugatis* etc.; utrum peccet mortaliter qui sic vovet. Et quod sic, videtur: quia qui scienter usurpat alienum peccat mortaliter, etiam si det in eleemosynam: ergo cum talis vovens usurpet alienum [6], patet etc. — Item, qui vovet quod non licet, vel iurat, hoc ipso periurus est, quia temerarie iurat: ergo cum non liceat viro continere, uxore invita [7]; videtur, quod si voveat, mortaliter peccat. — Item, si iuraret, quod nunquam mulierem cognosceret, peccaret mortaliter: ergo pari ratione, si voveret.

Respondeo: Dicendum, quod cum quis vovet continentiam, dupliciter potest vovere: aut *intentione fraudandi uxorem,* aut *amore continentiae.* Distinctio. Si *intentione fraudandi uxorem,* sic est iniquum et prohibitum; et tale votum est illicitum. Si *continentiae amore* vovet sine consensu coniugis, tale votum aliquid habet *temeritatis,* aliquid habet *honestatis.* Duo in hoc voto. *Vir* enim *non habet sui corporis potestatem* [8] quantum ad debitum *solvendum,* sed sui iuris est quantum ad debitum *petendum;* et ideo primum non potest vovere, sed secundum; et ideo, nisi uxor consentiat, votum est revocandum, quantum est ad debiti *redditionem,* sed stat quantum ad *petitionem* [9]. Unde si quis deliberate vovit castitatem, tenetur, quantum in se est, continere, ut debitum non petat; si tamen uxor petat, solvere debet; et sic nulli fit praeiudicium, et non offertur Deo alienum [10], sed proprium.

Et sic patet, quod hoc non est *omnino* alienum, et patet responsio ad obiecta. — Tamen quod obiicit de iuramento, non est simile: quia iuramentum temerarium est simpliciter, cum teneatur facere contrarium. Unde peccat statim, cum sic iurat, non [11] sic, cum vovet.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si vero quilibet eorum alterum a suo iure absolverit* etc.

---

[1] Cod. K (la secunda manu) *mandat*, alii codd. hic et in seqq. *dicit*. Mox pro *institutione* codd. *ostensione*.

[2] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[3] Vers. 22, ubi Vulgata *subditae* pro *subiectae*. — Seq. locus est ibid. v. 28: Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua.

[4] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 1. — Pro *illam* codd. R S bb *meram*.

[5] Vide de hoc dubio B. Albert., IV. Sent. d. 31. a. 29; S. Thom., hic q. 1. a. 3; Petr. a Tar., hic a. 2. quaestiunc. 2.

[6] Respicitur lit. Magistri, hic c. 2.

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Pro *temerarie* multi codd. *temeritate*.

[8] Epist. I. Cor. 7, 4. — Pro *solvendum* cod. L *reddendum*.

[9] Contextu exigente, substituimus *petitionem* i. e. ut debitum non petat, pro *solutionem*, quod codd. et edd. perperam exhibent; *redditio* et *solutio* debiti enim idem significant. Cfr. supra a. 1. q. 1. in corp.

[10] Lev. 10, 1. seq. et 16, 1. dicitur, quod duo filii Aaron interfecti sunt, « offerentes ignem alienum ».

[11] Codd. R S T *non tamen*. — Cfr. de hoc dubio supra a. 1. q. 1, ubi in scholio allegati sunt alii auctores tractantes de hac re.

Ponatur, quod mulier de consensu viri emittat simplex votum, et postmodum vir poeniteat; utrum teneatur ei debitum reddere. Et videtur, quod *non:* quia suo iuri renuntiavit, unde videtur, quod non habeat ulterius potestatem petendi debitum. — In *oppositum* autem videtur auctoritas Augustini super Numerorum trigesimum[1], ubi dicitur: *Sin autem contradixerit* etc.; super illud dicit Augustinus, et habetur in littera, quod vir potest retractare votum uxoris, in quod consenserat. Et *praeterea*, vir non est astrictus servare continentiam, quia, uxore mortua, posset ducere aliam: ergo videtur, quod possit debitum petere[2].

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod si mulier vovet assensu viri, aut hoc est assensu *privato,* aut assensu, qui est *in conspectu Ecclesiae* sive praelati. Si assensu, qui fit in conspectu *praelati;* sic secundum iuris formam non potest debitum petere, quia renuntiat suo iuri. Si autem in *occulto* consentit, quia proponit continere et intendit simpliciter iuri suo renuntiare; iam mulier in conspectu Dei absoluta est nec tenetur debitum reddere, si hoc ex deliberatione vir concesserit. — Sed quoniam hoc non constat Ecclesiae, compelletur per excommunicationem ab Ecclesia viro debitum reddere.

Quaestio incid. solvitur. *Si quaeras*, utrum debeat obedire; dicendum, quod si votum[3] non emisit, potest sine peccato debitum reddere et tenetur ad mandatum Ecclesiae. Si autem votum emisit, credo, quod vir eam revocare non possit, nec tenetur assentire ei. Nec est simile de voto abstinentiae, pro eo quod quantum ad omnia vir praeest uxori, praeterquam in lege tori[4]. Verumtamen talem modum vovendi non approbat Ecclesia propter periculum, quod imminet; unde non patitur, quod unus voveat et religionem ingrediatur, nisi alter similiter voveat et talis sit persona, de qua « non possit suspicio oriri[5] ». Si autem aliter fiat, coram Deo tenetur observare.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Licet debitum poscenti sit semper solvendum, non licet tamen quolibet die poscere* etc. Videtur enim falsum, quia, si non licet petere, ergo illicite et iniuste petit; sed iniuste petenti rem non tenetur quis reddere, quia non est ei reddendum nisi ius suum: ergo si non potest semper iuste petere, non ergo semper tenetur debitum solvere.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur *non licet,* intelligendum, non quia privet *iustitiam* et aequitatem, sed quia privat quandam *condecentiam* et honestatem, sicut patet per litteram sequentem[6]. Distinctio. Esto tamen, quod privet *iustitiam;* adhuc non valet ratio illa, quia iniuste petere est dupliciter: aut quia non habet *ius in re petita,* sicut ille qui petit rem alienam, et tali non oportet reddere. Duplex iniustitia in petendo. Aliter est petere iniuste, quia, etsi habeat iustitiam, tamen *modum debitum* in petendo non servat, vel potest esse, quod non sit prohibitum *reddere,* sed tamen sit prohibitum aliquando *petere.* Verbi gratia: si praelatus superior iniungat inferiori, ut nihil praecipiat subdito, tamen subdito non dicit, quod ille non obediat; si praelatus inferior praecipit, ille tenetur obedire, quia non est exemptus; attamen ille peccat mortaliter; sic in proposito potest intelligi. Quidquid sit de exemplo inducto, verum est, quod si aliquis ius suum inordinate exigit, tamen ex hoc non dat potestatem alteri retinendi quod debet reddere. Unde sicut Dominus solum prohibuit accedere ad menstruatam, et ideo ista prohibitio non se extendit ad mulierem; ideo tenetur reddere, sed ille petendo peccat. Et sic intelligendum est quod Augustinus dicit super Levitici decimum quintum[7], quod « necessario utrique indicitur continentia », et uterque in Levitici vigesimo praecipitur interfici, et uterque facit contra bonum prolis, ut Hieronymus dicit. Hoc enim intelligere[8] est ratione personae *petentis,* quae recte dicitur *accedere* et contra hoc facere, ut ex praedictis patet.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi.* Videtur enim male dicere, quia dicitur primae ad Thessalonicenses ultimo[9]: *Sine intermissione orate;* hoc est praeceptum: ergo si non potest orare qui reddit debitum, patet etc. — Item, videtur, illud simpliciter esse falsum, quia nihil impedit orationem sicut peccatum; sed veniale peccatum non impedit; ergo nec actus, in quo nulla est culpa. —

---

[1] Vers. 16: Sin autem contradixerit, postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius. Sententia August. est hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Codd. B Y *solvere,* cod. L et edd. *reddere.*

[3] Scilicet continentiae.

[4] Cfr. Gratian. super C. *Manifestum est* (11.), C. 33. q. 5, ubi eadem distinctio inter votum *continentiae* et *abstinentiae* eademque solutio habetur. (Vide hic lit. Magistri, c. 2.). — Voci *abstinentiae* codd. R S T praemittunt *continentiae vel.*

[5] Ut dicitur in regula Fratrum Minorum, c. 2. Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVII. c. 7. seq. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 1. a. 4. et circa lit.; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 2.

[6] Hic in lit. Magistri, c. 3. — Edd. legunt: Dicendum, quod tunc non licet, quando privat iustitiam et aequitatem, condecentiam et honestatem etc.

[7] Vers. 19. Codd. allegant c. *18.* Pro *Augustinus* substituendum *Hesychius.* Cfr. supra pag. 736, nota 10. — Seq. locus est Lev. 20, 18. Sententiam Hieron. vide supra a. 3. q. 1. arg. 2. de utraque q. pro parte negat. et in corp. — Superius pro *et ideo ista* codd. Q Z bb *tamen ista,* codd. S T *cum ista,* non pauci codd. omittunt *et ideo.*

[8] Codd. K L V Z (1 a secunda manu) *intelligendum.* — Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 8.

[9] Vers. 17.

Item, de David[1] obiicitur, qui fuit devotissimus, et tamen habuit plures uxores et liberos. *Si tu dicas,* illud intelligi de eo tempore, in quo quis coit; similiter posset dicere de tempore, in quo homo dormit.

RESPONDEO: Magister dicit, hoc intelligendum

Resp. Magistri non probatur.

esse de clericis; sed tamen istud non plene satisfacit obiectionibus praedictis. — Et ideo dicitur, quod

Distinctio et resp. auctoris.

cum dicitur aliquis *non posse*, negatio potest *potentiam* negare *simpliciter*, vel *facilitatem;* et iste modus saepe est in Scriptura[2]. Non vult ergo Hieronymus negare *potentiam*, sed *facilitatem;* unde non dicit, quod non possit *orare*, sed dicit, quod

Notandum.

non potest *orationi vacare;* quia actus ille multum deiicit mentem spiritualem, sicut dicit Augustinus[3], nisi sit gratia excellens et specialis, sicut fuit in David. Et ideo aliud est *consilium*, ut cum quis vult se totum orationi dare, debet a tali actu abstinere. — Et sic patet, quod non repugnat orationis praecepto. Tamen de illo quod dicit, quod orandum est sine intermissione; intelligendum est, quod nomine *orationis* omnis bonus actus intelligitur secundum Glossam[4]. Unde dicit ibi: « Non cessat orare qui non cessat bene facere ».

Notandum.

Quod obiicitur, quod peccatum magis gravat; dicendum, quod falsum est de veniali peccato, propter multam foeditatem animae, quae est in illo actu; et frequenter anima multum impeditur per aliquas foeditates vel etiam infirmitates poenales[5].

Notandum.

DISTINCTIO XXXIII.

CAP. I.

De diversis legibus coniugii.

Quaeritur hic de antiquis Patribus, qui plures simul leguntur habuisse uxores vel concubinas, utrum

Gratianus.

peccaverint. — Ad quod dicimus, quod « pro varietate temporum varia invenitur dispensatio Conditoris[1] ». Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam scilicet et Evam, inchoatum est coniugium, Deo per os Adae dicente: *Homo adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* et secundum inchoationis modum inter duos tantum per omnem successionem temporum contraheretur, si primi homines in obedientia perstitissent. Post eorum vero copulam filii et filiae eorum matrimonio coniuncti sunt, sed unus uni tantum. Ideo autem fratres sororibus tunc sunt copulati, quia non erant aliae mulieres vel viri, quibus Adae filii vel filiae iungerentur. Primus omnium Lamech duas legitur[2] simul habuisse uxores; et hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. Postea vero, cum iam pene omnes homines falsis diis servirent, paucis in cultu Dei permanentibus; consultum est a Deo, plures in matrimonium copulare sibi, ne illis paucis deficientibus, cultus et notitia Dei deficeret. Unde Abraham, vivente uxore, ad ancillam intravit et ex ea genuit; Iacob etiam liberis et ancillis se copulavit, et filiae Loth patre ebrio usae sunt. « Cum enim ceteris in idololatria

Gratianus.

relictis, Abraham et filios eius in *peculiarem* sibi *populum* Dominus elegisset; rite multarum fecunditate mulierum populi Dei multiplicatio quaerebatur, quia in successione sanguinis erat successio religionis. Unde etiam in lege *maledicta erat sterilis*, quae non relin-

Dubium 1.

quebat semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus coniugia decreta sunt, quia in successione familiae successio est officii ». « Non igitur Abraham vel Iacob deliquit, quia praeter uxorem filios ex ancilla quaesivit; nec illorum exemplo praeter coniugale debitum fecunditatem in aliqua licet alicui quaerere, cum illorum coniugia nostrorum aequentur virginitati, et immoderatus usus coniugii nostri temporis turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis ». De hoc Augustinus[3] sic ait: « Antiquis iustis non fuit peccatum,

Augustinus.

quod pluribus feminis utebantur; nec contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causa, sed gignendi hoc facerent; neque contra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra praeceptum, quia nulla lege erat prohibitum ». Idem: « Obiiciuntur Iacob quatuor uxores, quod, quando mos erat, crimen non erat ». « Sic Patriarchae coniugibus excipientibus semen suum miscebantur, non concupiscentia perficiendae voluptatis, sed providentia propagandae successionis; sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus doctrinam suam

---

[1] Vide infra lit. Magistri, d. XXXIII. c. 4.

[2] Cfr. supra d. 14. p. II. a. 1. q. 2. ad 1. et 2; II. Sent. d. 43. a. 2. q. 2. ad 1. seq. et 4. — Pro *negatio potest*, quod praebent codd. N O P R S T X, cod. M *ly non*, alii codd. vel *necessario potest*, vel *necessario*, edd. *necessario dicitur*, quae etiam subinde bis *facultatem* pro *facilitatem*.

[3] Vide supra d. 31. a. 2. q. 1. in corp.

[4] In I. Thess. 5, 17. Cfr. supra pag. 368, nota 4.

[5] Cfr. supra a. 3. q. 2, ubi etiam in scholio alii auctores allegantur, qui de hac re tractant.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Gratian. super C. *Recurrat nunc* (2.), C. 32. q. 4. Quae sequuntur excerpta sunt ex Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 5, ubi citatur Gen. 2. 24. — Post *contraheretur* cod. A et edd., excepta 1, addunt *coniugium*.

[2] Gen. 4, 19. — Pro *in matrimonium* plurimae edd. *in matrimonio*. Deinde respiciuntur Gen. 16, 4; 30, 4; 19, 31. — Seq. locus et secundus inveniuntur in Gratian., loc. cit., ubi respicitur Deut. n. 7, 14; Vulgata: *Non erit* apud te sterilis utriusque sexus, tam in hominibus quam in gregibus tuis. — Verba *maledicta sterilis* etc. nullibi inveniuntur in Vulgata, licet saepe a Patribus citentur.

[3] De Bono coniugali, c. 25. n. 33; seq. locus est eiusdem XXII. contra Faust. c. 47; tertius ibid. c. 48 (duo ultimi sunt in C. *Obiiciuntur Iacob* (7.), ibid.); quartus de Bono coniugali, c. 13. n. 15, ubi respicitur I. Cor. 7, 6.

condelectabantur, non aviditate consequendae laudis, Augustinus. sed caritate seminandae veritatis ». Idem alibi: « Antiquis temporibus, cum adhuc salutis nostrae mysterium velaretur, iusti officio propagandi nuptias contrahebant, non victi libidine, sed ducti pietate; qui multo facilius continere possent et vellent. Utebantur tamen coniugibus, et plures uni viro habere licebat, quas castius habebat, quam nunc unam quilibet istorum, in quibus videmus quod secundum veniam concedit Apostolus. Habebant enim eas in opere generandi, non Ambrosius. in morbo desiderii ». Item Ambrosius[1]: « Dixit Sara ad Abraham: *Ecce conclusit me Dominus, ut non pariam. Intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex ea;* et ita factum est. Considera primum, quod Abraham ante legem Moysi et ante Evangelium fuit. Non ergo in Legem commisit Abraham, sed Legem praevenit. Nondum enim interdictum videbatur ». « Secundo considera, quod non ardore aliquo vagae succensus libidinis, non petulantis formae captus decore, ancillae contubernio coniugalem posthabuit torum, sed studio quaerendae posteritatis et propagandae sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat humani generis, erat etiam religionis. Denique et Loth sancti filiae hanc causam quaerendae posteritatis habuerunt, ne genus deficeret Dubium 2. humanum; et ideo publici muneris gratia privatam Augustinus. culpam praetexit ». Item Augustinus[2]: « Iustus, quamvis *cupiat dissolvi et esse cum Christo*, tamen sumit alimentum, non cupiditate vivendi, sed officio consulendi, ut maneat quod necessarium est propter alios. Sic misceri feminis iure nuptiarum officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum ». « Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem humani generis; et utrumque non est sine delectatione carnali, quae tamen modificata et refrenante temperantia in usum naturalem redacta libido esse non potest. Quod autem in sustentando vitam illicitus est cibus, hoc est in quaerenda prole fornicarius vel illicitus concubitus; et quod est in cibo licito immoderatior appetitus, hoc est in coniugibus venialis ille concubitus ».

Cap. II.

Utrum Ioannis virginitas sit praeferenda castitati Abrahae.

Quod vero castitas virginalis non praeferatur in merito coniugali castitati *Abrahae*, Augustinus[3] osten- Augustinus. dit inquiens: « Sicut non est impar meritum patientiae in Petro, qui passus est, et in Ioanne, qui passus non est; sic non est impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios genuit. Nam illius caelibatus et istius connubium pro temporum distributione Christo militaverunt; sed continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo habe- Dubium 3. bat habitu ». « Melior est autem castitas caelibum quam nuptiarum; quarum unam Abraham habebat in usu, ambas in habitu; caste enim coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit ». Item Hieronymus[4]: « Quis ignoret, sub alta di- Hieronymus. spensatione Dei omnes retro Sanctos eiusdem esse me- Dubium 4. riti, cuius nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in coniugio, sic nunc virgines placent in castitate. Servivit ille legi et tempori suo; serviamus et nos legi et tempori nostro, *in quos fines saeculorum devenerunt* ». — Ex his apparet, quod sancti Patres ante Legem sine peccato plures habuerunt uxores vel concubinas. Eas enim nunc *uxores* appellat Scri- Dubium 5. ptura, nunc *concubinas;* Rachel tamen et Lia ambae *uxores* fuerunt, non concubinae.

Si quis opponat, quod fidem tori non servabant illi Patres; dicimus, in hoc servasse fidem tori, quia non aliis, sed propriis uxoribus, vel ancillis miscebantur. — Ecce, quae fuerit consuetudo in hac re ante Legem.

Cap. III.

Quae erat consuetudo coniugii sub Lege.

Legis vero tempore interdixit Moyses[5], carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru et aliis quibusdam. Permisit autem, divortium fieri, dato libello repudii, in quo vir scribebat causas, pro quibus uxorem repudiabat. Permisit etiam aliam ducere, dato priori libello, quod propter *duritiam cordis* eorum permissum Christus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit, fieri mala, ne fierent peiora, et hoc permittendo non Dei iustitiam demonstravit, sed in peccatore minuit culpam.

Cap. IV.

Cui licebat tunc plures uxores habere, vel non.

Sed nunquid sub Lege licebat habere plures uxores? Audi, quid scriptum est in Deuteronomio[6]: *Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animam eius.* Super quem locum ait Augustinus: Manifestum est, Sa- Augustinus. lomonem hoc praeceptum transisse; David autem plures habuit nec praeceptum praeteriit. Permissum est enim *plures* regi habere, non *plurimas*, quae alliciant animam, multiplicare; cum tamen additur: *ut non elevetur cor eius*, alienigenas prohibitum esse videtur. Verumtamen multiplicatio uxorum generaliter prohibita est; permissum est autem regi *plures habere*, sed non *multiplicare*. « *Veniente* autem *plenitudinis tem-* Hugo.

---

[1] Libr. I. de Abraham Patriarcha, c. 4. n. 23, ubi citatur Gen. 16, 2.; seq. locus ibid. n. 24; uterque in C. *Dixit Sara* (3.), C. 32. q. 4.

[2] De Bono coniugali, c. 15. n. 17, ubi respicitur Phil. 1, 23; seq. locus ibid. c. 16. n. 18.

[3] Ibid. c. 21. n. 26; seq. locus ibid. c. 22. n. 27, ubi ante *coniugaliter* edd. addunt *et*, refragantibus codd., ed. 1 et originali.

[4] Libr. II. adversus Iovinianum, n. 4; C. *Quis ignorat* (6.), ibid.; in fine respicitur I. Cor. 10, 11, deinde Gen. 30, 1. 9.

[5] Levit. 18, 6. seqq.; cfr. Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 5. De libello repudii vide Deut. 24, 1. et Matth. 19, 7.

[6] Cap. 17, 17; sententia (non verba) August. est in V. Quaestionum in Pentateuch. q. 27, ubi respiciuntur III. Reg. 11, 1; II. Reg. 5, 13. Pro *elevetur* cum August. et Septuaginta lege: *discedat*, et supple *multiplicare* post *alienigenas*.

pore, quo Christi gratia ubique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem, ut unus uni in figura Christi et Ecclesiae iungatur [1] ». Dubium 6. Gratianus. « Nec quaeritur electio muneris in successione generis, sed in perfectione vitae et sinceritate scientiae; et virginitas fecunditati praefertur, et sacerdotibus continentia indicitur ».

Melior est autem virginitas mentis quam carnis. Ambrosius. Unde Ambrosius [2]: « Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere; utrumque bonum est, si liceat; si non liceat, saltem non homini casti, sed Deo simus ». « Virgo prostitui potest, adulterari non potest; nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam ». Idem: « Non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corrupta ». Idem Isidorus [3]: « Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus fuerit corruptus; munda enim a contagione anima, caro non peccat ». Dubium 7. — In fine huius capituli aperitur, quomodo verum sit, nisi anima prius fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato. Illud etiam Augustini [4] advertendum est: Augustinus. Dubium 8. « Sicut, inquit, sanctius est mori fame quam idolothytis vesci; ita sanctius est defungi sine liberis quam ex illicito coitu stirpem quaerere. Undecumque vero nascantur homines, si parentum vitia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim ex qualicumque homine Dei creatura est; et eo male utenti male erit, non ipsum aliquando malum erit ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIII.

Qualiter fidem tori sancti Patres veteris testamenti servaverint.

Quaeritur hic de antiquis Patribus, qui plures etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra ostendit Magister, quod vir tenetur uxori servare fidem tori, quam quando non servat, incidit in culpam. Hic intendit inquirere, utrum sancti Patres istam fidem servabant. Habet autem haec pars duas partes. In prima sanctos Patres, qui simul habuerunt plures uxores, excusat a culpa. In secunda dissolvit quasdam dubitationes, ibi: *Si quis opponat, quod fidem tori non servabant* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima sanctos Patres a culpa excusat. In secunda hoc multiplici auctoritate confirmat, ibi: *De hoc Augustinus sic ait* etc. In tertia eorum continentiam commendat [1], ibi: *Quod vero castitas virginalis* etc., ubi ostendit, quod paris meriti fuit in eis continentia coniugalis, cuius vel quanti est in nobis continentia virginalis.

Si quis opponat, quod fidem tori non servabant etc. Haec est secunda pars, in qua determinat dubia, in qua etiam facit tria. Primo enim quaerit [2] et determinat, utrum servarent bonum fidei. Secundo quaerit et determinat, utrum servarent mandatum Legis, ibi: *Sed nunquid sub Lege licebat* etc. Tertio determinat, quae virginitas sive integritas sit melior et sanctior, an illa quae est mentis, an illa quae est carnis, ibi: *Melior est autem virginitas mentis quam carnis* etc. — Et sic duo breviter determinat in hac parte, scilicet de continentia coniugali in antiquis Patribus et de virginali in viris evangelicis et spiritualibus, sive etiam mulieribus, et tertio breviter tractat de repudio.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum tria, quae determinat Magister, tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de continentia coniugali in antiquis.

Secundo vero quaeritur de virginali.

Tertio, de repudio.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum contra legem naturae sit habere concubinam.

Secundo, utrum contra legem naturae sit, quod unus homo habeat plures uxores.

Tertio quaeritur, utrum Deus debuerit in hoc dispensare, quod licitum esset homini habere concubinas.

---

[1] Hug., loc. cit.; respicitur Gal. 4, 4. Seq. locus est apud Gratian. super C. *Recurrat* (2.), ibid.

[2] Libr. II. de Virginibus, c. 4. n. 24; seq. locus ibid. n. 26; C. *Tolerabilius* (1.), ibid. q. 5. Tertius eiusdem de Lapsu virginis consecratae, c. 4. n. 11; C. *Re vera* (2.), ibid., in quo codd. et edd., excepta 1, etiam post *caro* incongrue ponunt *ante*, refragante originali et canone.

[3] Libr. II. de Synonymis, n. 7; C. *Non potest* (8.), ibid.

[4] De Bono coniugali, c. 16. n. 18; C. *Sicut satius* (8.), C. 32. q. 4; ubi etiam August. et can. bis habent et recte *satius* pro *sanctius*, sed refragantibus nostris codd. et edd.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. *confirmat.*

[2] Edd. *opponit*, quae etiam mox pro *servarent* bis *servaverint* et *fidem tori* pro *bonum fidei.*

ARTICULUS I.

De continentia coniugali in antiquis.

QUAESTIO I.

Utrum contra legem naturae sit habere concubinam.

Quantum ad primum ostenditur, quod non sit contra legem naturae *habere concubinam:*

Ad oppositum. 1. Quia non est contra legem naturae habere ancillam et servum; sed ancilla potest homo uti, ut libet: ergo non est contra legem naturae carnaliter eam cognoscere, et sic etc.

2. Item, mulier non coniugata et libera habet potestatem sui corporis; sed qui habet rem aliquam potest illam dare cui vult: ergo et ille qui acquirit licite, licite accipit, quia nulli facit iniuriam: ergo quando de voluntate mulieris procedit, ut cognoscat eam etiam sine pactione coniugali, cum non sit alterius, nec alicui fiat iniuria; videtur etc.

3. Item, Isidorus in quinto libro Etymologiarum[1]: « Ius naturale est commune omnium nationum »; sed habere concubinam non est contra hoc: ergo etc.

Item, quod possit de iure naturae habere *eam cum uxore,* videtur:

4. Quia *vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier*[2]*:* ergo, uxore volente suscipere semen de ancilla sua, tenetur vir ancillam cognoscere.

5. Item, ad hoc ipsum facit exemplum de Abraham, qui ad petitionem Sarae cognovit Agar[3]; ubi etiam dicit Augustinus, quod hoc fecit Sara « eo iure, quo *non habet vir sui corporis potestatem* »; sed hoc est secundum ius naturae: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Secundum omnes leges[4] filii, qui de concubinis sunt, vituperabiles sunt, et contumelia est eis sic nasci; sed non est vituperium, nisi praecedat inordinatio: ergo si secundum dictamen naturae est contumelia in filiis, qui sic nascuntur; videtur, quod in tali actu sit deordinatio, et sic etc.

2. Item, recta ratio dictat, quod filius debet succedere patri, ergo poena est filio, quando non habet hereditatem paternam; sed secundum omnium mores[5] est, quod nati de concubinis non succedunt in hereditate paterna: ergo cum similiter recta ratio dictet, quod non est poena iusta nisi propter deordinationem culpae; cum non fuerit in eo culpa post generationem, fuit culpa in generando.

3. Item, recta ratio dictat, quod vir et mulier in actu illo uniuntur et fiunt una caro[6], et quod actus ille est aequalitatis, quoniam similis in specie et natura; sed unio ad aequalitatem non est nisi uxoris et viri, aliter non sunt aequales: ergo recta ratio sive dictamen naturale refugit coitum cum concubina.

4. Item, recta ratio dictat, quod parentes ambo debent filium educare, et quod proles[7] postmodum in senectute debet educare parentes, et aequaliter eos educare tenetur et semper: ergo cum iudicet, virum et mulierem debere coniungi propter prolis generationem, quia ad hoc data est vis generativa; iudicatur, eos ex hoc simul convenire ad prolis educationem, et rursus ad prolis recipiendum obsequium et honorem usque in finem: ergo iudicat, quod non recte conveniunt, nisi aequaliter et inseparabiliter conveniant in actu illo. Sed si sic; tunc vir et uxor solum debent convenire: ergo etc.

Item, quod non debeat habere *concubinam cum uxore,* videtur:

5. Quia uxor non potest convenire cum alio viro, quin committat adulterium, quod est contra ius naturale: ergo nec vir cum aliqua alia muliere quam cum uxore.

6. Item, ius naturale dictat, quod homo quod sibi vult fieri faciat alii, et non faciat alii quod sibi non vult fieri[8]; sed maritus secundum rectam rationem abominatur et odit, quod alius suam cognoscat uxorem: ergo etc.

CONCLUSIO.

Habere concubinam, licet non sit contra ius naturae propriissime sumtum, est tamen contra ius communiter et proprie sumtum; ideo non solum est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum.

Respondeo: Dicendum, quod *ius naturale* tripliciter dicitur, scilicet *communiter, proprie* et Triplex ius naturale.

---

[1] Cap. 4. n. 1. — Mox pro *hoc* plurimi codd. et edd. *huiusmodi.*
[2] Epist. I. Cor. 7, 4.
[3] Gen. 16, 1. seqq. — Sententia August., in qua allegatur I. Cor. 7, 4, habetur XVI. de Civ. Dei, c. 25.
[4] Cfr. C. *Liberi dicti* (15.), C. 32. q. 4.
[5] Vide C. *Dicat aliquis* (9.), C. 32. q. 4, et Iustinian., C. V. de Naturalibus Liberis (tit. 27.), lex *Humanitatis* (8.) Authent. *Licet patri.*
[6] Respicitur Matth. 19, 6. Cfr. Gen. 2, 24.
[7] Edd. pro *proles* ponunt *plus est* et post *senectute* addunt *filius.*
[8] Cfr. Tob. 4, 16; Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31.

magis proprie; et secundum hoc tripliciter definitur ab Isidoro. Uno modo sic: «Ius naturale est quod in Lege et Evangelio continetur»; sic definitur in principio Decreti [1]. Si sic accipiatur *ius naturale;* sic habere concubinam est contra ius naturale, quia est contra Legem et Evangelium; sed contra legem Moysi *implicite:* quia non praecipit expresse, fornicatorem interfici, nisi in casu, sicut patet Deuteronomii vigesimo secundo [2]; tamen implicite clauditur ibi: *Non moechaberis,* ubi prohibetur omnis coitus non matrimonialis. Contra legem evangelicam est *expresse;* nam dicit, fornicarios non habere partem in regno Dei, primae ad Corinthios sexto [3], et in septimo dicit, quod *habeat unusquisque suam propter fornicationem.* — Ratio autem huius praeceptionis est Sacramentum matrimonii, quod est institutum a Deo in *significationem* et in *curationem:* in *significationem* ante lapsum, sed in *curationem* post lapsum. Quia enim corrupta est illa vis et deordinata, ut dictum est supra [4], adeo quod non exit in actum, quin regnum animae pervertatur; non potest fieri post lapsum sine peccato, nisi excusetur per matrimonium; ideo taliter cognoscere concubinam est peccatum, quantum est de se, et contra Legem et Evangelium, et ita contra ius naturale *communiter* dictum.

Definitio ipsius 1. Conclusio 1. Ratio.

Secundo modo dicitur *proprie,* et sic definitur in principio Decretorum [5]: «Ius naturale est quod est commune omnium nationum»; et hoc ius est, quod dictat ratio recta. Contra illud adhuc est cognoscere sive habere concubinam. — Et hoc patet: quia ius naturale dictat, quod conveniant vir et mulier in tali actu ad generationem prolis, quae utrique succedat, et cui communiter praesint, et illa utrique aequaliter subsit. Et quoniam actus ille est consimilis in specie et ad generandum consimilem in specie; dictat natura, ut conveniant in quadam aequalitate; sed hoc est, cum pater coniungitur illi, ut sit uxor et materfamilias. Et ideo recta ratio dictat, quod non conveniat ut concubinae; sed ista in multis est obfuscata per libidinem, sed tamen salva manet in his qui non depravant iudicium per mala opera [6].

Definitio 2. Conclusio 2. Ratio.

Tertio modo dicitur ius naturale *propriissime,* quod «natura docuit omnia animalia [7]»; et hoc modo non est *contra* naturam, nec tamen omnino *secundum* naturam, et hoc, quia quaedam animalia bruta sunt — licet non omnia — quae coniunguntur in *individuam* copulam, ut sunt turtures; et quoniam, sicut vult Philosophus [8], omnes virtutes, quae sunt in animalibus dispersae, in homine colliguntur, sicut arma omnium animalium in manu hominis; quamvis non omnia alia animalia habeant instinctum, tamen natura hominis habet: unde ad hoc inclinatur recta natura hominis, ut, si adhaeret mulieri, sic adhaereat, ut pro ipsa patrem et matrem deserat [9], et sic accipiat in copulam individuam.

Definitio et conclusio 3. Ratio.

Secundum haec igitur patet, quod fornicari vel habere concubinam non solum est malum, quia prohibitum, sed prohibitum, quia malum. — Unde concedendae sunt rationes ad hoc.

Epilogus.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod potest uti re sua etc.; dicendum, quod quae ad talem usum accipitur ad aequalitatem accipitur; et si ordinate accipitur, oportet, quod aequalis fiat. Et ideo nunquam recte utitur nec ancilla nec libera, nisi cum ea tanquam cum uxore contrahat.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nulli facit iniuriam, quia illa se ei committit; dicendum, quod facit iniuriam *Deo,* contra cuius statutum facit; facit etiam iniuriam *sibi,* pro eo quod se deordinando *in corpus suum peccat* [10]; nam vir facit sibi iniuriam, quamvis ipsa velit, quia ut phrenetica vult malum suum. Si enim aliqua vellet, ut se occideret, vel abuteretur contra naturam, quis auderet dicere, hoc non esse malum?

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ius naturale est commune; dicendum, quod quoddam [11] est apertum, quoddam magis occultum; et secundum quod plus apertum, est communius, secundum quod minus, est minus commune; et quoniam istud magis est occultum, ideo minus commune; tamen lex matrimonii apud omnes reperitur.

Duplex ius naturale.

4. Ad illud quod obiicitur, quod mulier habet potestatem corporis viri; dicendum, quod etsi cetera bona sint *communia,* hoc tamen bonum debet

---

[1] Introduct. d. 1, ubi Gratian. sententiam Isidori, V. Etymolog. c. 2, his verbis complectitur.

[2] Vers. 23. seqq. — Seq. locus est Exod. 20, 14. Cfr. Deut. 5, 18.

[3] Vers. 9. seq.: Neque fornicarii... regnum Dei possidebunt. — Seq. textus est ibid. 7, 2, ubi Vulgata post *suam* addit *uxorem.* — Post *fornicationem* in Vat. additur *vitandam.*

[4] Dist. 31. a. 2. q. 1.

[5] In C. *Ius naturale* (7.), d. 1, sumta ex Isidor., V. Etymolog. c. 4. n. 1.

[6] Cfr. supra pag. 496, nota 6.

[7] Vide tom. II. pag. 901, nota 3, ubi diximus, hanc definitionem Isidoro attributam inveniri apud Iustinianum; cfr. D. I. de Iustitia et iure lege *Iuri* (1.) (tit. 1.), § *Huius.*

[8] Libr. IV. de Partib. animal. c. 10, ubi contra Anaxagoram ostendit, hominem non ideo prudentissimum animalium esse, quia unus omnium manus obtineat, sed e contrario, quoniam prudentissimus omnium sit, ideo manus recepisse; « qui enim prudentissimus est, recte plurimis uti instrumentis potest; manus autem esse videtur non unum instrumentum, sed multa... Cetera enim animalia unum auxilium habent, idque nullo pacto possunt permutare... neque arma mutare, quae semel acceperint... at homini multa habere auxilia licet eaque subinde mutare, arma etiam, quae velit et ubi velit, capere potest; manus enim et unguis est et ungula et cornu et hasta et ensis et quodvis aliud genus armorum aut instrumentorum » etc.

[9] Respicitur Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5. — Pro seq. propos. valent verba August., I. de Lib. Arb. c. 3. n. 6: Non sane ideo [adulterium] malum est, quia vetatur Lege, sed ideo vetatur Lege, quia malum est.

[10] Epist. I. Cor. 6, 18. — Superius pro *se committit,* quibus verbis ex codd. M O T U X interseruimus *ei,* edd. *voluit,* et *quia contra ius* pro *contra cuius.*

[11] Edd. addunt *magis.*

esse *privatum*. Unde[1] nulli alii potest uxorem suam communicare nec potestatem exigere in alio, sed solum in corpore suo; sic nec mulier de viro.

5. Ad illud quod obiicitur de Sara, dicendum, quod Abraham nunquam obtemperasset nec obtemperare debuisset, nisi divina dispensatio intervenisset. Unde illud quod dicit Augustinus, non fuit *tota causa excusans*, sed *signum* fuit[2].

SCHOLION.

I. Accedere ad mulierem *non iunctam matrimonio* ipso *iure naturali* graviter esse prohibitum, probatur et constanti doctorum catholicorum doctrina et reprobatione contrariae opinionis facta ab Innocentio XI. 2 Martii 1779 (prop. 48.); cfr. prop. 7. Clementis V. cum Concilio Viennensi contra errores Beguardorum. — Eadem triplex divisio legis naturae recepta est a S. Thom. (hic a. 1. ad 4; Suppl. q. 65. a. 1. ad 4.). — In reddenda ratione, quare hoc *semper* sit peccatum grave, Richard. a Med. non approbat eam quam ponit S. Thomas, atque aliam affert.

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 35. m. 4, p. II. q. 147. m. 2. — Scot., III. Sent. d. 15. q. unica n. 18. — S. Thom., locis citt. a. 3; S. c. Gent. III. c. 122. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 1.

II. In modo loquendi de polygamia (q. 2.) est quaedam differentia inter doctores; quidam enim cum S. Bonav. dicunt, eam esse contra *legem naturae*, alii vero cum Scoto hoc negant, alii denique media via incedunt, docentes cum S. Thoma et etiam ad veram mentem S. Bonaventurae, ipsam quodam modo esse contra naturam, et quodam modo non. Sed attente consideratis eorundem principiis et explicationibus, re ipsa vix dissentiunt. Ipsum Conc. Trident. (Sess. XXIV. can. 2.) definivit: Christianis plures simul habere uxores, *lege divina* esse prohibitum.

De 2. quaestione: Scot., hic q. 1. — S. Thom., locis citt. a. 1; S. c. Gent. III. c. 124. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1.

III. Quoad 3. quaestionem fuerunt qui dixerint, polygamiam etiam in *veteri testamento* nunquam fuisse licitam; sed communissime antiqui et recentes doctores catholici cum iure canonico (cfr. infra pag. 752, nota 7.) tenent, vi *dispensationis divinae* Patriarchas sine peccato usos esse polygamia. Notabilis est doctrina nostri auctoris, qua affert plures congruentiae rationes talis dispensationis. — Quod autem idem hic innuit et infra dub. 5. clare docet, Agar et ancillas Iacob non fuisse « secundum veritatem *uxores*, sed tantum *concubinas* », plerisque antiquis non probatur. Docent enim, easdem fuisse legitimas uxores quoad *torum*, sed non quoad *dignitatem*. Unde S. Thom. (hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3.) docet, ipsas habuisse aliquid de ratione *uxoris*, scilicet quatenus matrimonium refertur ad suum principalem finem, qui est bonum prolis; aliquid vero de ratione *concubinae*, scilicet quoad finem secundarium, qui est dispensatio familiae. Simul idem docet, contra primum finem non esse aliquam dispensationem. Etiam B. Albert. (hic 5.) dicit: « Nunquam licuit ancillam, vel alienam cognoscere, sed ancillam ductam in matrimonio ex instinctu Spiritus S.; et ita fecerunt Patriarchae ».

De 3. quaestione: Scot., hic q. 1. n. 4. seqq. — S. Thom., hic a. 2; Suppl. q. 65. a. 2. — B. Albert., hic a. 6. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum habere plures uxores sit contra legem naturae.

Secundo quaeritur, utrum contra legem naturae sit, quod unus habeat plures uxores. Et quod sic, ostenditur:

Fundamenta. 1. *Auctoritate*, quia Genesis quarto[3] dicit Glossa de Lamech, qui habuit duas uxores: « Primus contra morem et naturam adulterium commisit »: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia secundum dictamen naturae est, quod vir et mulier quantum ad actum illum pares sint[4]; sed uxor una non potest esse plurium virorum: ergo nec e converso.

3. Item, secundum rectam rationem vir tenetur uxori debitum reddere: ergo cum impossibile sit simul pluribus reddere, non potest se simul pluribus obligare. Sed si plures posset simul habere, simul se pluribus obligaret: ergo etc.

4. Item, quod indictum est homini a sua constitutione spectat ad ius naturale; sed a sua constitutione dictum est[5]: *Relinquet homo patrem et matrem, et erunt duo in carne una:* ergo secundum dictamen naturae est, quod tantum sint duo: ergo una unius, et non plures.

CONTRA: 1. Augustinus dicit, et habetur in littera[6]: « Quando erat mos habere plures uxores, peccatum non erat »; sed mos vel consuetudo contra naturam non est approbanda nec excusat a culpa: ergo habere plures uxores non est contra naturam. Ad opposi-tum.

2. Item, Augustinus[7] dicit, quod « contra praeceptum non erat, quia nulla hoc lege erat prohibitum »; sed quod est contra ius naturae est prohibitum in lege naturae: ergo etc.

---

[1] Supple cum cod. bb *vir*. Infra pro *de viro* codd. R S T *in viro*.

[2] Cfr. infra q. 3. et dub. 5.

[3] Vers. 19. — In Glossa, quae est *ordinaria*, apud Strabum et Lyranum post *naturam* additur *per bigamiam*. Idem dicit Glossa *interlinearis* apud Lyranum.

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXXII. c. 1. — Mox pro *una* permulti codd. et ed. 1 *illa*, et pro *virorum* cod. E *uxor*.

[5] Gen. 2, 24: Relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae [quod etiam cod. bb addit], et erunt etc. — Superius pro *indictum* codd. O U *inditum*, cod. M *indicatum*, et pro *constitutione* cod. F *institutione*, cod. U *conditione*.

[6] Hic c. 1. sumtum ex XXII. contra Faustum, c. 47.

[7] Loc. in praeced. nota allegato. Cfr. XVI. de Civ. Dei, c. 38. n. 3.

3. Item, *ratione* videtur: quia «quod est cibus ad salutem individui, hoc est coniugium ad conservationem speciei [1]»; sed licitum est pluribus cibis uti ad conservationem individui: ergo et plures uxores habere ad conservationem speciei.

4. Item, coniunctio maris et feminae est propter prolis multiplicationem, hoc est secundum dictamen naturae: ergo si mulier sterilis est [2], natura dictat, quod possit ex alia generare, cum unusquisque, quantum est de natura, appetat semen et prolem relinquere super terram: ergo non est *contra*, sed *secundum* naturam.

CONCLUSIO.

Pluribus uti uxoribus est contra ius naturae communiter et proprie sumtum.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est Distinctio. supra [3], illa distinctione praesupposita, si «*ius naturale* dicatur quod in Lege et Evangelio scribitur»; Conclusio 1. sic ius naturale est, quod sit una unius. *Erunt*, inquit, *duo in carne una*, tam in veteri quam in novo [4]. — Si autem *ius naturale* dicatur quod ra- Conclusio 2. tio recta dictat; adhuc verum est, quia adhuc dictat natura, secundum quod rationis rectae est, quod non faciat alii quod sibi non vult fieri; sed vir non vult, quod uxor habeat alium virum: nec ergo debet velle habere aliam uxorem, cum in tali actu, ut supra [5] visum est, ad paria iudicentur et tanquam pares conveniant. — Si dicatur *ius naturale* quod natura impressit animalibus; sic dicendum, quod *non omnibus*, sed aliquibus animalibus brutis [6] impressit; sed tamen in natura est *aliquorum* Conclusio 3. animalium irrationalium, et in *nostra* natura plan- Ratio notabilis 1. tavit. — Et hoc patet experimento, eo quod in matrimonio est quidam *amor singularis*, in quo non communicat alienus; unde naturaliter omnis vir zelat uxorem quantum ad hoc, ut nullum diligat, ut diligit [7] ipsum in actu illo; et omnis uxor similiter zelat virum quantum ad hoc: unde stante natura, nunquam fuisset ibi *communitas*, etiam si cetera essent communia. — Similiter, *caritate adveniente*, quae facit, omnia esse communia, nunquam facit uxorem communem, propter *privatum* amorem, qui debet esse in matrimonio [8], qui etiam est *Sacramentum* illius amoris, quo *Deus* zelat animam, ut nolit, aliquem tantum diligi; sic et *anima* a Deo nullo modo vult propter aliam deseri. Et in hoc patet sapientia Dei, quae *se* nobis *in nobis* ostendit, et nobis ipsis ostendit, quid *agere* debeamus, in *creaturis subditis*, secundum illud Iob [9]: *Interroga iumenta, et docebunt te;* sed mens hominis obfuscata hoc non attendit. — Concedendum igitur, quod uti pluribus uxoribus est contra ius naturae.

Ratio 2. Notandum.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod quando mos erat, peccatum non erat; dicendum, quod mos ille erat approbatus non ab hominibus tantum, sed a Deo, ut post [10] patebit; et ideo peccatum non erat.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non erat contra praeceptum; dicendum, quod vocat *praeceptum* expressum exterius per vocem vel scripturam, sicut legem Moysaicam.

3. Ad illud quod obiicitur de cibo, dicendum, quod non est simile: quia ibi est usus rei inferioris, hic est usus paris, et ideo unius; alioquin superior fit. *Praeterea*, ibi est *mutuus* amor, et ideo Notandum. *mutuus zelus*, et ideo *singularitas* [11].

4. Ad illud quod obiicitur, quod est ad multiplicationem [12] talis actus etc.; dicendum, quod etsi natura dictet, prolem esse multiplicandam, tamen dictat: Notandum. *debite* et *ordinate*, et ita quod *nulli fiat iniuria;* et ideo magis cessandum esse a generatione prolis, quam iniuriam fieri alicui; et ideo nec uxorem aliam duci. Item, etsi natura dictet quaerendum bonum *commodi*, non tamen in praeiudicium boni *honesti;* et *honestas* consistit in rectitudine iustitiae et observatione fidei, sed bonum commodi est in fecunditate prolis [13]. Hinc est, quod ad prolem generandam non debet alia uxor adiici, nisi Deus dispenset [14].

---

[1] Secundum August., de Bono coniugali, c. 16. n. 18. Vide hic lit. Magistri, c. 1. in fine.

[2] Cod. K (I a secunda manu) *ergo si vir uxorem habeat sterilem;* pro *est*, quod aliqui codd. omittunt, edd. cum pluribus codd. *ex*.

[3] Quaest. praeced., in qua *triplex* distinctio iuris naturalis explicata est.

[4] Supple: testamento. Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5.

[5] Quaest. praeced. — Superius per verba *non faciat alii* etc. respicitur Tob. 4, 16; Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31. — Pro *nec ergo* plures codd. vel cum ed. 1 *nec ipse*, vel *nec*, vel *ita nec*, Vat. *igitur nec ipse*.

[6] Codd. R S T bb supplent *hoc natura*.

[7] Pro *ut diligit* cod. bb (L a secunda manu) *nisi*, edd. *praeter*.

[8] Ex codd. T bb supplevimus *in matrimonio*. Immediate post iidem codd. substituunt *quoniam* pro *qui*, codd. I K *quia*. Subinde pro *aliquem tantum diligi* edd. *eam aliquem alium tantum diligere*. Pro *sic et* plures codd. *sed*, cod. L *et*, ac pro *aliam* cod. R *alium*, cod. S *alia*.

[9] Cap. 12, 7. — Mox pro *hominis* edd. cum pluribus codd. *hominum*, cod. bb (E a secunda manu) *in hominibus*. Verbo *attendit* cod. R praemittit *in omnibus*.

[10] Quaest. seq. — Post *a Deo* codd. R S T addunt *inspiratus*.

[11] Exod. 34, 14: Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen eius, Deus est aemulator.

[12] Codd. R S T aa supplent *prolis*. Inferius pro *fieri* edd. *inferre*.

[13] Cfr. supra d. 31. a. 1. q. 1. — Mox pro *adiici* codd. A E *adduci*.

[14] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum Deus debuerit dispensare de concubina habenda.

Tertio quaeritur, utrum Deus debuerit dispensare, quod licitum esset habere *concubinas,* et quod liceret habere plures *uxores.* Et quod non debuerit dispensare, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia « Conditor naturae non facit contra naturam[1] » nec contra ius naturae; sed habere plures uxores et plures concubinas est contra ius naturae: ergo etc.

2. Item, nunquam Deus dispensavit, quod una esset plurium virorum[2]: ergo cum magis sufficiat una mulier pluribus viris quam e converso, non debuit dispensare, quod unus vir esset plurium.

3. Item, in institutione matrimonii et eius confirmatione[3] dicitur, quod *erunt duo in carne una;* et Matthaei decimo nono super illud: *Adhaerebit uxori;* Glossa: « Non uxoribus »: ergo si Deus contra suam institutionem non debuit facere, videtur etc.

4. Item, dispensatio recta debet esse propter maius bonum; sed cum[4] unus habet duas, hic non salvatur bonum *fidei,* quia non tantum cognoscit vir uxorem, cum tamen mulier non cognoscat alium virum; nec etiam bonum *Sacramenti,* quia Christus unicam habet Ecclesiam sponsam, non plures: ergo videtur, quod male sit dispensatum.

5. Item, si omnis dispensatio debet esse propter aliquam causam; quaero, quae sit illa. Si multiplicatio prolis ad cultum Dei; cum ista causa omni tempore stet, quia cultus Dei[5] est multiplicandus: ergo in omni tempore deberet ista dispensatio stare.

6. Item, videtur, quod ista dispensatio se extenderit ad solos Patres, quia Deuteronomii decimo septimo[6] dicitur: *Non habebit uxores plurimas, quae alliciant animum eius,* hoc dicitur de rege: ergo multo fortius aliis est istud prohibitum.

Contra: 1. Quod dispensatum fuerit, videtur:
Fundamenta. quia Abraham simul cum uxore habuit concubinam; et tamen non reprehenditur, immo Dominus approbavit, cum dixit de Ismaele, quod ipsum faceret crescere[7]: ergo cum hoc non liceret per naturam, dispensatum est cum eo.

2. Item, Iacob habuit duas uxores et duas concubinas[8]; et constat, quod hoc placuit Deo, quia semen, quod ex omnibus accepit, est approbatum: ergo cum eo fuit dispensatum.

3. Item, David habuit plures, sicut dicitur secundo Regum[9], uxores et concubinas; et tamen non reprehenditur: ergo dispensatum est cum regibus.

4. Item, Elcana habuit plures uxores; et tamen non reprehenditur[10]: ergo videtur, quod cum omnibus sit dispensatum.

5. Item, Lex supponit tanquam licitum, Deuteronomii vigesimo primo[11]: *Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam et alteram odiosam;* hoc non redarguit: ergo omnibus erat licitum, ergo cum omnibus dispensatum.

Quaeritur igitur, quomodo et quando sit dispensatum, et ubi expressum, et quare tunc et non modo, et quantum se extendat. Quaestiones incidentes.

CONCLUSIO.

Congruum fuit, quod Deus cum Patriarchis et in lege veteri dispensaverit circa polygamiam.

Respondeo: Dicendum, quod ad dispensationem ad hoc, quod debite fiat, et convenienter homo ea utatur, ista quatuor sunt concurrentia, scilicet *necessitas, utilitas, congruitas* et *honestas;* et ista quatuor sunt hic. Quatuor requiruntur, ut congrue dispensetur. Conclusio.

Primum quidem *congruum* fuit illud *tempus* dispensationi, quoniam tempus fuit *figurae;* et quoniam Christus generare debebat liberos et filios per baptismum, et in Ecclesia catholica et in haereticis diverticulis: ideo in *figura* debuit praecedere matrimonium sive generatio ex libera et ex ancilla. Et *rursus,* quoniam inter illos qui ab haereticis baptizantur, quidam haeresim sequuntur, quidam ad Ecclesiam revertuntur; ideo utriusque figura praecessit: primi in Ismaele, de quo dictum est Genesis vigesimo primo[12]: *Eiice ancillam et filium eius;* secundi in ancillis Iacob, quarum filii sunt inter liberos computati. Hoc habetur ab Augustino in libro de Baptismo[13]. Fuit ergo temporis congruitas. — Fuit temporis congruitas. Fuit etiam *necessitas,* quia pauci erant Deum colentes; et ut cultus divinus non periret, necesse fuit, ut filios multiplicarent; et contigit, quod uxo- Item necessitas.

---

[1] August., XXVI. contra Faustum, c. 3.

[2] Codd. G H addunt *uxor.*

[3] Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5, ubi etiam seq. locus, quem Hieron. explicans dicit: Similiter ait: *Adhaerebit uxori suae,* non uxoribus (Glossa *interlinearis* apud Lyranum).

[4] Plures codd. *si tamen* et mox *plures* pro *duas.* Vat. *solvitur* pro *salvatur* et cum ed. 1 *aliam* pro *non tantum.*

[5] Codd. O bb addunt *semper,* codd. T U *omni tempore.*

[6] Vers. 17.

[7] Gen. 16, 10. et 17, 20. — Inferius post *est* permulti codd. et ed. 1 subiungunt *ergo.*

[8] Cfr. Gen. 29, 16. seqq.; 30, 1. seqq.; 35, 23. seqq. et Matth. 1, 2.

[9] Cap. 3, 14; 5, 13; 11, 27; 15, 16. et 20, 3.

[10] Libr. I. Reg. 1, 2.

[11] Vers. 15.

[12] Vers. 10. Post *ancillam* Vulgata addit *hanc.* Cfr. Gal. 4, 30. — Mox pro *liberos* cod. aa *filios.*

[13] Libr. I. c. 10. n. 14, c. 15. n. 23. et c. 16. n. 25.

res steriles haberent[1]: ideo necessitatem habuerunt Item utilitas. tunc plures habere. — Fuit etiam *utilitas*, quia filii erudiebantur a parentibus et mores patrum servabant; et ideo, quanto plures, tanto cultus Dei erat celebrior, et ideo erat tunc utile multos procreare. Item honestas. — Fuit etiam *honestas*, quia non affectu libidinoso, sed casto, non affectu adulteri, sed mariti etiam concubinas cognoscebant. In cuius rei testimonium de Abraham dicitur, quod non ipse accepit ancillam, sed uxori obedivit et ei in ea debitum reddidit et affectu viri cognovit; et ideo dicitur Genesis decimo sexto[2], quod Sara dedit Agar in *uxorem* Abraham, Notandum. non quia fuerit *uxor*, quia postmodum fuit eiecta, sed ut significetur, quod eo affectu eam cognovit, quo et uxorem. Unde Augustinus decimo sexto de Civitate Dei[3] vocat « virum feminis viriliter utentem, uxore temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter ».

Ex hoc patet, quod haec dispensatio non se ex- Corollarium. tendat ad tempus *naturae institutae* nec *gratiae:* quia in *natura instituta* non erat *tempus figurae* nec *necessitas sterilitatis;* similiter in tempore *gratiae* cessaverunt figurae, et omnes vocantur[4] ad Christi culturam, et multiplicatum est genus humanum valde. — Similiter ratione *utilitatis* non se extendit *ante* tempus Abrahae, quia ante non multiplicabantur ad cultum Dei, sed ad malum, quia imitatores erant paternorum scelerum; et ideo deleti sunt cum terra[5]. — Ratione vero *honestatis* ad illos solos se extendit, qui uxoribus et concubinis temperanter et ad cultum Dei multiplicandum sciebant et volebant uti; aliter eis dispensatio non valebat.

Ista autem dispensatio facta est *divina inspi-* Ad quaestiones incid. *ratione* in Patriarchis et rege David, quando utrisque de semine facta est repromissio[6]; et quia isti erant capita et imitandi erant tanquam Sancti; intellexerunt recte, dispensationem hanc ad omnes extendi, qui erant imitatores eorum in castitate; et mos fuit ex hoc introductus, durans usque ad Christi adventum. Sed tunc cessavit, quia cessavit *congruitas* et *necessitas*, ut visum est. Unde omnibus, quibus licuit, licuit solum ex dispensatione, quae Notandum. fuit per inspirationem; et hoc dicitur Extra, de Divortio[7], in quadam decretali Innocentii; ubi dicitur, quod « nunquam licuit alicui nisi divina inspiratione ».

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Deus non Solutio oppositorum. facit contra ius naturae; dicendum, quod verum est: Notandum. contra ius naturae, quod *ordinat in ipsum;* sed contra ius naturae, quod ordinat *ad proximum*, potest; non tamen facit *contra*, sed *supra*, quia ratio recta sic dictat, hoc non esse faciendum, ut tamen dictet, in eius opposito Deo esse obediendum[8].

2. Ad illud quod obiicitur, quod una sit plurium; dicendum, quod una sit plurium, nulla es- Rationes 4. set *utilitas*, quia unus potest fecundare plures, sed non una a pluribus. Esset etiam *damnum*, quia *defectus tranquillitatis;* non enim potest cum pace unus *duobus dominis servire*[9], sicut unus dominus duobus servis imperare; et *vir caput est* et dominatur mulieri. Deesset etiam *bonum Sacramenti*, quia una anima non duobus viris, sed Christus multis copulatur animabus; et amplius, esset *incertitudo prolis* et confusio hereditatis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus instituit, quod duo etc.; dicendum, quod verum est tempore *legis naturae* et tempore *gratiae*. Sed ex causa tempore *Legis* debuit dispensare; nec facit contra suam institutionem ipse, qui rem instituit, cum pro loco et tempore dispensat.

4. Ad illud quod obiicitur, quod dispensatio debet esse propter maius bonum; dicendum, quod *bonum prolis* adeo necessarium est, ut propter Notandum. ipsum vellet Deus in aliquo detrahi *bono fidei* et *Sacramenti*, non tamen omnino, quia tunc aliquibus[10] fidem servabant, et ratio significationis ibi manebat.

5. Ad illud quod obiicitur, quod multiplicatio prolis non est causa: dicendum, quod immo, quia cultus Dei crescebat tunc non per vocationem, sed per successionem, quia illis tantum fuit Lex tradita; et ideo tunc erat opportunum[11].

6. Ad illud quod quaeritur; ad quos se extendebat? dicendum, quod ratione *inspirationis* tantum ad Patres, sed ratione honestae imitationis et moris derivatum est ad posteros, qui uxoribus utiliter uti sciebant. — Quod ergo obiicitur, quod regibus erat prohibitum; dicendum, quod non fuit pro- Notandum. hibitum, ne haberent *plures*, sed ut non haberent *plurimas;* non dicitur etiam illud *simpliciter*, sed *cum determinatione*, quae *alliciant animum*, et tales erant alienigenae[12].

---

[1] Cfr. Gen. 16, 2; 29, 31; 30, 1. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[2] Vers. 2. seq.: Cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar... et dedit eam viro suo uxorem.

[3] Cap. 25.

[4] Codd. R S T aa bb *invitantur*.

[5] Vide Gen. 6. et 7. — Superius post *ratione utilitatis* Vat. perperam omittit *non*, et pro *ante tempus* multi codd. et ed. 1 *ad tempus*.

[6] Gen. 12, 2; 17, 16; 18, 18; 28, 3. seq.; Act. 13, 22. seq. et 32.

[7] Libr. IV. tit. 19. c. 8. *Gaudemus in Domino*, ubi dicitur: Nec ulli unquam licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum.

[8] Cfr. I. Sent. d. 47. q. 4.

[9] Matth. 6, 24: Nemo potest duobus etc. (Post *unus* cod. Z addit *servus*). — Secundus locus est I. Cor. 11, 3: Caput autem mulieris vir. Eph. 5, 23: Vir est caput mulieris. Subinde respicitur I. Tim. 2, 12: Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum. — Superius post *dicendum* edd. legunt *quod si una esset plurium*. Inferius post *anima* codd. O R S bb addunt *in spirituali matrimonio*.

[10] Edd. male *aliqui*.

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[12] Respicitur III. Reg. 11, 1. seq.: Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De continentia virginali.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de continentia virginali. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur de ipsa virginitate quantum ad genus suum.

Secundo, de comparatione continentiae virginalis ad matrimonium sive coniugium.

Tertio, de virginitate per comparationem ad praemium.

QUAESTIO I.

Utrum virginitas sit virtus.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum virginitas sit virtus. Et quod sic, videtur:

1. Per definitionem virtutis: quia « virtus est Fundamenta. bona qualitas mentis [1] » etc.; et per definitionem Philosophi illud idem.

2. Item, hoc ostenditur per definitionem virginitatis, quam ponit Augustinus [2] dicens: « Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio »; sed meditari incorruptionem perpetuam hoc est maxime arduum et difficile, et tale est virtutis genus: ergo etc.

3. Item, hoc iterum videtur *ratione:* quia abstinere a coitu illicito est virtutis; sed difficilius est ab omni coitu abstinere quam ab illicito: ergo si illud est virtutis, multo fortius istud.

4. Item, in virginitate meremur non tantum *auream*, sed etiam *aureolam* [3]; sed omne meritum consistit mediante *virtute*, vel *dono*, vel *beatitudine:* ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Omnis virtus, quae non est in finem, in medietate consistit [4]; sed virginitas in extremo, quia omnino abstinet: ergo etc.

2. Item, actus omnis virtutis est in praecepto, quia est necessarius [5] ad salutem; sed actus virginitatis non est in praecepto: ergo virginitas non est virtus.

3. Item, nulla virtute quis male utitur, ut patet; sed virginitate contingit male uti, ut patet de fatuis virginibus, Matthaei vigesimo quinto [6].

4. Item, omnes virtutes sunt connexae, unde qui habet unam habet omnes [7]; sed hoc non est de virginitate: ergo etc.

5. Item, nulla virtus expellitur vel amittitur nisi per vitium et peccatum; sed virginitas perditur sine peccato in his quae violenter corrumpuntur: ergo etc. *Si tu dicas* de his, quod non amittunt [8]; *obiicitur* de his quae transeunt de continentia virginali ad coniugalem, quae virginitatem perdunt sine culpa.

6. Item, omnis virtus perdita recuperatur per poenitentiam, quia et gratia, in qua est omnis virtus; sed virginitas perdita nunquam recuperatur [9]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Virginitas, secundum illud quod nominat habitum, est virtus et consistit in medio.

Respondeo: Dicendum, quod continentia virginalis sive virginitas tria dicit: primum est *abstinentia* ab omni *coitu illicito;* secundum est abstinentia ab omni *coitu licito;* tertium est *integritas mentis et carnis.* Quantum ad primum dicit *habitum,* quantum ad secundum dicit *virtutis statum*, quantum ad tertium dicit *decorem;* unde virginitas est *habitus* continentiae *perfectus* et *decorus.* — Concedendae igitur sunt rationes probantes, virginitatem *virtutem* esse, secundum id quod nominat habitum. (Tria in virginitate. — Conclusio.)

2-6. Quae vero obiiciuntur in contrarium, omnia procedunt ratione *status,* vel *decoris,* quantum ad quem *statum* ad extremum tendit. — Ratione etiam *status* non est in praecepto, ratione cuius status potest perdi per descensum ad inferiorem statum, ratione cuius status non est aliis connexa. — Ratione vero *decoris* contingit, quod perdatur, homine invito; contingit etiam superbe et male uti; (Solutio oppositorum.)

---

[1] Vide supra pag. 319, nota 4. et pag. 326, nota 4. — De definitione, quam Aristot. (II. Ethic. c. 6.) exhibet, et quam codd. N aa post *illud idem* subiungunt *scilicet virtus est, quae habentem perficit*, cfr. supra pag. 113, nota 4.

[2] De Sancta Virginitate, c. 13. n. 12. — In fine arg. pro *genus,* quod plures codd. omittunt, Vat. *obiectum.* Vide supra pag. 318, nota 5. verba Aristot.

[3] Cfr. infra q. 3.

[4] Cfr. supra pag. 389, nota 3. et tom. II. pag. 671, nota 9. — Pro *medietate* edd. *medio*, quae etiam mox post *virginitas* supplent *consistit*, codd. F Z (E a secunda manu) *est.*

[5] Permulti codd. et ed. 1 *quia sunt necessariae* [virtutes].

[6] Vers. 2. seqq. — In *maiori* respicitur definitio virtutis in 1. fundam. allata.

[7] Cfr. III. Sent. d. 36. q. 1. et 3.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[9] Cfr. supra pag. 338, nota 3. — Pro *quia et* [supple *recuperatur*] edd. *quia ex.*

contingit etiam, ut amissa non possit recuperari. — Quantum vero ad illud quod est ibi *habitus substrati,* omnes conditiones virtutum in ea reperiuntur.

1. Et sic patent omnia praeter primum, quod obiicit de medietate, quia ita similiter posset opponi de continentia viduali. — Et propterea dicendum, quod quando dicitur, quod virtus consistit in medie-
Notandum. tate, hoc non est intelligendum [1] respectu *obiecti* — quia sic nullus esset castus, nisi cognosceret medietatem omnium mulierum de mundo, quia illud est medium inter aliquam et nullam — sed istud intelligitur, ut sic medium teneatur, et virtus sit medium circa *delectationes et tristitias* [2]. Nam qui omnino nihil sentit de passionibus carnis, hic *insensibilis* indicatur, sed hoc habet per naturam; qui vero omnino eis consentit, hic *luxuriosus* est; qui vero excitatur, sed tamen non consentit, talis *virtuosus* est; et hoc omnino bene est in virginibus, quia aliquo modo caro excitat, quamvis non ita, sicut in corruptis. Hoc autem intelligitur, loquendo secundum virtutes *politicas* [3] et naturam *lapsam;* nam per superabundantem gratiam potest esse, quod non sentiat, et tamen virtutem habeat, ut patet in Christo et eius Matre dulcissima.

SCHOLION.

I. Definitio illa S. Augustini (2. fundam.) a S. Thom. (hic q. 3. a. 1; S. II. II. q. 152. a. 1.) speciali quaestione explicatur, ubi distinguit triplicem integritatem, scilicet corporalem tantum, corporalem simul et spiritualem, denique spiritualem tantum, quae ultima idem est cum *habitu* virginitatis secundum locutionem S. Bonaventurae. — Difficultas principalis huius 1. quaestionis consistit in eo, ut explicetur, quomodo haec virtus consistat *in medio* secundum determinationem Aristotelis; de quo diffuse tractat S. Thom., locis citt. a. 2. et in S. a. 3. et I. II. q. 64. a. 1. ad 3.

De 1. quaestione praeter S. Thomam: Scot., supra d. 31. q. unica n. 8. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 4; Dionys. Carth., hic q. 3.

II. Quoad 2. quaestionem Concil. Trident. (Sess. XXIV. can. 10.) damnavit errorem dicentium, «*statum* coniugalem anteponendum esse *statui* virginitatis, vel caelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut caelibatu quam iungi matrimonio».

De hac 2. quaestione: S. Thom., hic q. 3. a. 3; S. II. II. q. 152. a. 4. 5. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

III. De praemio virginitatis (q. 3.), scilicet de *fructu centesimo* et de *aureola*, alii commentatores Lombardi hic vel tacent vel breviter illud in praecedente quaestione tangunt; plures de eo tractant infra d. 49. Rem tangit Scot. supra d. 1. q. 6. n. 6. Plura de aureolis generatim habent: S. Thom., infra d. 49. q. 5. a. 1-5; Suppl. q. 96. a. 1-12 (de aureola virginitatis etiam hic q. 3. a. 3. ad 3.). — Richard. a Med., infra d. 49. a. 5. q. 1-7. — Dionys. Carth., infra d. 49. q. 8.

QUAESTIO II.

Utrum virginitas praeferatur continentiae coniugali.

Secundo quaeritur de comparatione continentiae virginalis ad matrimonium sive coniugium; et quod virginitas sit melior et perfectior, videtur:

1. Quia « virtus consistit circa difficile et ar-
Fundamenta. duum [4] »: ergo circa magis arduum maior virtus; sed magis arduum est omnino abstinere a coitu quam aliquando tantum: ergo maioris virtutis.

2. Item, opera perfectionis sunt in consilio, imperfectionis vero in indulgentia; sed virginitas est in consilio, matrimonium in indulgentia [5]: ergo etc.

3. Item, cui debetur fructus maior, illud est maioris virtutis; sed continentiae virginali debetur fructus centesimus, sicut dicitur Matthaei decimo tertio [6] in Glossa, coniugali trigesimus: ergo etc.

4. Item, quod similius est statui gloriae est perfectius; sed continentia virginalis est similior statui gloriae, quia ibi est incorruptio, ibi non nubunt [7], unde Hieronymus dicit, quod « Angelis est cognata virginitas »: ergo etc.

Contra: 1. Augustinus de Bono coniugali [8]: Ad oppositum.
« Non est impar meritum in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit ».

2. Item, Augustinus de Bono viduali [9]: « In continentia coniugali bene utitur homo malo, qui concupiscentiam restringit in connubio »; sed laboriosius est bene uti malo quam bene uti bono: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: si « optimum in aliquo genere melius est optimo alterius generis,

---

[1] Cod. F addit *de medietate.*

[2] Vide Aristot., II. Ethic. c. 3. et 6.

[3] Cfr. tom II. pag. 901, nota 5. — Pro *excitat* codd. I K (E a secunda manu) *excitatur.*

[4] Secundum Aristot.; cfr. supra 318, nota 5.

[5] Vide I. Cor. 7, 6. seqq.

[6] Vers. 23. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum estque secundum Hieron. in hunc loc.: Centesimum fructum virginibus, sexagesimum viduis et continentibus, tricesimum casto matrimonio deputantes.

[7] Matth. 22, 30: In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur etc. — Verba Hieron. habentur in Epist. 9. ad Paulam et Eustoch., de assumtione B. Mariae (inter opera Hieron.), c. 5.

[8] Cap. 21. n. 26. Post *meritum* Vat. cum textu originali et Magistro, hic in lit. c. 2, addit *continentiae.*

[9] Potius in libr. de Continentia, c. 12. n. 27: Id autem faciens continentia, id est moderans et quodam modo limitans in coniugibus carnis concupiscentiam... bene utitur hominis malo, quem facit et vult perficere bonum etc.

ipsum simpliciter est melius altero[1] »; sed optima fecunditas melior est omni integritate: unde melius est in beata Virgine, quod est mater, quam quod virgo: ergo simpliciter fecunditas melior virginitate. Sed fecunditas est in coniugio: ergo etc.

4. Item, quod ad plura valet et magis facit ad perfectionem gloriae, illud est melius; sed continentia coniugalis non tantum prodest continentibus, sed etiam filiis generatis — facit etiam ad perfectionem numeri electorum — sed virginalis sibi soli prodest et perfectionem electorum non accelerat: ergo etc.

5. Item, terra sterilis est iuste maledicenda; sed virginitas facit ventrem sterilem: ergo merito est maledicenda: non ergo melior.

6. Item, si homo stetisset, non minus perfectas habuisset virtutes; sed tunc non esset virginitas, sed tantum continentia coniugalis: ergo continentia coniugalis est continentia perfectissima: ergo virginitas non superexcellit, immo exceditur.

CONCLUSIO.

Virginitas praefertur continentiae coniugali tum ratione decoris integritatis, tum ratione status secundum tempus gratiae.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum est[2], in virginitate est tria considerare, scilicet *habitum, statum* et *decorem integritatis.* Si loquamur quantum ad *habitum;* sic se habent ut excedentia et excessa, quia *ex maiori virtute* potest continere etiam coniugata quam virgo, et e converso. — Si autem loquamur quantum ad *decorem;* sic semper virginitas praefertur continentiae coniugali, quia ibi est corruptio foeda, hic autem est incorruptio sancta. — Si autem quantum ad *statum*, tunc est loqui dupliciter: aut secundum *idem tempus*, aut secundum *diversa.* Si secundum *idem*, dupliciter: aut secundum tempus *Legis*, aut secundum tempus *gratiae.* Si secundum tempus *Legis;* status continentiae coniugalis omnino praefertur, et status virginitatis prohibetur, et sterilis maledicitur et in contumelia habetur[3]. Si secundum statum *gratiae*, ubi non requiritur fecunditas ventris, sed sanctitas et incorruptio et puritas mentis; virginitas praefertur continentiae coniugali. Si autem secundum *diversa* tempora loquamur, utpote si continentiae statum consideremus in tempore Legis et virginitatis in tempore gratiae, sicut unusquisque in suo optimo; sic *status* statui non praefertur nec *meritum* merito, dum tamen sit caritas aequalis. Et hoc est quod dicit Augustinus, quod caelibatus Ioannis non praefertur coniugio Abrahae[4]. — Rationes igitur probantes, quod continentia virginalis est dignior, procedunt ratione statuum relatorum ad tempus gratiae, vel ratione decoris virginitatis.

(Margin: Conclusio 1. / Conclusio 2. / Distinctio. / Conclusio 3. / Conclusio 4. / Conclusio 5.)

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium de auctoritate Augustini, dicendum, quod loquitur secundum status diversos, scilicet Legis et gratiae. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod laboriosius est etc.; dicendum, quod verum est, ceteris paribus; sed licet activa[5] sit laboriosior, non tamen melior, quia alia purior.

3. Ad illud quod obiicitur, quod optima fecunditas est melior etc.; dicendum, quod hoc verum esset, si fecunditas illa esset per actum coniugalem, sed non fuit, ideo nihil ad coniugium ex hoc, immo magis ad commendationem virginitatis. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur, quod valet ad plura est melius; dicendum, quod hoc est verum, si *aeque intense* valeat; sed aliquid intense valet ad unum, quod praevalet remisse valenti ad plura.

5. Ad illud quod obiicitur, quod terra sterilis est maledicenda; dicendum, quod verum est, si sterilis est a fructu, quem tempore illo debet producere; sed tempore *gratiae* non quaeritur fructus ventris, sed mentis, non corporalis, sed spiritualis.

6. Quod ultimo obiicitur loquitur de *habitu*, et hoc verum est, de *statu* autem non est verum; aliquem enim statum patientiae et temperantiae contingit habere nobiliorem et fortiorem post lapsum[6].

QUAESTIO III.

Utrum virginitatis praemium sit aureola.

Tertio quaeritur de virginitate per comparationem ad praemium; et dicitur communiter, quod praemium virginitatis est *aureola*, et hoc probatur:

1. Per *figuram*, Exodi vigesimo quinto[7] praeceptum est, fieri supra magnam coronam aliam parvam coronulam; et secundum hanc figuram duplex (Fundamenta.)

---

[1] Aristot., III. Topic. c. 2. — Codd. non consentiunt inter se, hanc Aristot. sententiam referentes; codd. F K (I a secunda manu) pro *in aliquo* et *alterius generis* ac *altero* substituunt *in uno* et *in alio genere* ac *illo*, sicut etiam supra d. 20. p. I. q. 2. in corp. exhibetur (plures alii codd. cum hac lectione conveniunt, excepto quod pro *in uno* substituunt *in illo*). Aristot. legit: Et si optimum optimo melius, et simpliciter hoc illo melius (cfr. tamen verba, quae his praecedunt).

[2] Quaest. praeced.

[3] Vide infra dub. I. — Verbo *prohibetur* codd. R S T bb praemittunt *omnino*. Post *praefertur* cod. X addit *statui virginitatis*, substituto subinde *nam ibi* pro *et*.

[4] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, et infra dub. 4. — Superius post *unusquisque* cod. L supplet *est*, cod. aa *cum sit*.

[5] Supple: vita. Cfr. Luc. 10, 39. seqq.

[6] Cfr. II. Sent. d. 29. a. 3. q. 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Vers. 25: Et ipsi labio [mensae panum propositionis facies]

est praemium, ut dicunt magistri: *substantiale*, et hoc dicitur *aurea* ad similitudinem magnae coronae; et *accidentale*, et hoc dicitur *aureola* ad similitudinem parvae. Si ergo coronari debet illa corona anima decora, et maxime Christi sponsa; et talis est virgo: ergo etc.

2. Item, hoc ostenditur per *Scripturam*, Apocalypsis duodecimo [1]: *Mulier amicta sole, et in capite eius corona stellarum duodecim.* Si hoc de *beata Virgine* recte exponitur, sicut *Christus* vincentibus communicat *thronum*, sic *beata Virgo* perfecte continentibus *coronam;* et sic etc.

3. Item, corona debetur certanti; sed maxima pugna est in carne: ergo qui ipsam perfecte vincit et notabiliter, debet notabiliter coronari. Sed perfecte vincunt virgines: ergo sunt notabiliter coronandi [2], ergo aliquam coronam habebunt, quam non coniugati.

Ad oppositum.

Sed contra: 1. Omne meritum caritatis est, ergo et praemium: ergo si caritas omnes virtutes movet et omnibus communicat meritum, ergo et praemium: ergo nullum praemium reddendum est virginitati magis quam alii virtuti. *Si dicas*, quod verum est de praemio *substantiali; contra:* nullum praemium debetur ei qui caret caritate, nec *substantiale* nec *accidentale:* ergo omne praemium debetur caritati.

2. Item, si virginitati debetur aliquod praemium superadditum, aut hoc est ratione *difficultatis*, aut ratione *perfectionis*. Si *difficultatis;* sed difficilius est suam voluntatem omnino abnegare et pro Christo mendicare quam continentiam servare: ergo multo fortius tali actui debetur aureola. Si ratione *perfectionis;* sed multo perfectius est diligere inimicos: ergo etc.

3. Item, si virginitati debetur praemium speciale, aut ergo ratione incorruptionis *carnis*, aut *mentis*. Si *carnis;* ergo corrupta violenter non haberet aureolam, cuius contrarium habetur per verbum Luciae [3]: « Si invitam me violaveris, castitas mihi duplicabitur ad coronam ». Si secundum incorruptionem *mentis;* aut quia *nunquam corrupta*, aut quia *reparata*. Si quia *nunquam corrupta;* tunc ergo paucissimis debetur aureola, et etiam non beato Ioanni, quia voluit nubere, sicut dicitur [4], et tamen eius virginitas multum commendatur. Si quia *reparata;* ergo quantumcumque fuit luxuriatus quis, dummodo perfecte poeniteat, habebit aureolam. Si secundum *utramque;* redit adhuc maius inconveniens, quia nullis aut paucis aureola debetur.

Quaestio incid.

Item, cum virginitati debeatur fructus centesimus [5] — et constat, quod hoc non est praemium substantiale, sed accidentale — videtur ergo, quod idem sit *aureola* quod *fructus;* sed cum *fructus* conveniat statui viduali, quare non *aureola?* Quaeritur ergo differentia.

CONCLUSIO.

Virginitati debetur non tantum praemium substantiale sive aurea propter radicem caritatis, sed etiam fructus centesimus propter perfectionem status, et aureola propter decorem.

Triplex praemium.

Respondeo: Dicendum, quod triplex praemium legimus in Scriptura, scilicet praemium *aureae*, praemium, quod est *fructus*, et praemium [6] *aureolae*. Distinguitur autem a diversis hoc diversimode.

Opinio 1. de ista distinctione.

Dicunt enim quidam, quod praemium *aureae* debetur radici caritatis, praemium *fructus* debetur ratione refrenationis pronitatis, sed *aureolae* ratione incorruptionis. Quia enim *caritas* influit in omnes virtutes, ideo *aurea* omni virtuti et actui debetur. Et quoniam vis concupiscibilis quantum ad generationem est corrupta et infecta, ideo in ipsa viget *pronitas;* ideo soli continentiae, quae illam refrenat, praemium *fructus* debetur. Quia vero incorruptio attenditur quantum ad *fidem* contra fermentum erroris et falsitatis, quantum ad *carnem* [7] contra voluptatem, et quantum ad *constantiam* usque ad mortem; ideo tribus actibus debetur *aureola*, scilicet *praedicationi, continentiae virginali* et ipsi *martyrio*. Unde secundum hos *aurea* est gaudium de Deo, *fructus* gaudium de pronitatis restrictione, sed *aureola* gaudium de incorruptione. — Sed haec positio non videtur conveniens, quoniam *incorruptio* non tantum est in his quibus debetur *aureola*, sed etiam in *iustitia*, quae *est perpetua et immortalis* [8], et in *caritate, quae nunquam excidit;* et ideo modus iste sumendi non videtur conveniens.

Non probatur.

Opinio 2.

Aliter dicunt alii, quod praemium *aureae* debetur ipsi radici caritatis, sed *fructus* ratione difficultatis, et *aureola* ratione perfectionis; unde quia difficultas maxima est in continendo omnino, immo

---

coronam interrasilem... et super illam alteram coronam *aureolam*. — Inferius post *duplex* in codd. omittitur *est*; et pro *ut dicunt* cod. U (I a secunda manu) substituit *distinguunt*.

[1] Vers. 1. Post *sole* Vulgata addit *et luna sub pedibus eius*. Cfr. Bernard., Serm. in Dominica infra Octav. Assumt. B. V. Mariae, n. 3. seqq., ubi hoc de B. Maria exponitur.

[2] Vat. *coronandae*.

[3] In Breviar. Romano in festo S. Luciae (13 Dec.), II. Noct. lect. 6: Si invitam iusseris violari, castitas etc.

[4] Vide supra pag. 683, nota 6.

[5] Cfr. supra pag. 754, nota 5. — Inferius pro *viduali* edd. perperam *virginali*.

[6] Plures codd. addunt *quod est*.

[7] Vat. omittit *contra fermentum erroris et falsitatis* [cfr. Matth. 16, 11. seq.], *quantum ad carnem*. Superius pro *concupiscibilis* non pauci codd. *coniugalis*, cod. X a secunda manu *propagativa*, cod. F *carnalis*.

[8] Sap. 1, 15: Iustitia enim perpetua est et immortalis. — I. Cor. 13, 8: Caritas nunquam excidit. — Paulo ante post *in his* cod. E addit *tribus*.

quoddam martyrium, et in sustinendo terribilia, quae mortem inducunt[1]; ideo *fructus* debetur *Martyribus* et *continentibus.* Perfectio vero maxima est in actibus tribus ipsius animae, scilicet rationalis, concupiscibilis et irascibilis; et hoc dupliciter: per conversionem ad *Deum,* et ita debetur eis perfectio *aureae;* et per comparationem ad *bonum inferius,* et ita debetur *aureola,* quae est diminutivum, quia est remuneratio in bono creato; et secundum actum perfectum triplicis potentiae assignatur vel redditur *aureola.* Nam perfectissimus actus *rationalis*[2] per comparationem *ad inferius* est veritatem fidei praedicare, *concupiscibilis* carnem omnino a coitu refrenare, *irascibilis* mortem sustinere, et ideo tribus debetur aureola triplex. — Sed haec adhuc positio non videtur omnino conveniens, quia tantae est perfectionis omnia relinquere et se ipsum abnegare, sicut praedicare et omnino continere; et ideo non videtur, quod secundum *perfectionem* vel ratione perfectionis virginitati debeatur aureola.

Non probatur.

Aliter igitur dicendum, quod, sicut dictum est supra[3], quod in virginitate tria considerantur, scilicet *habitus, status* et *decor; habitui* respondet aurea, *statui* fructus, sed *decori integritatis* aureola. — Et quod *habitui* aurea, hoc non est dubium. — Quod vero *statui* fructus, hoc patet sic: quia, sicut fructus maior et minor, quem ponit Dominus in Evangelio[4], attenditur secundum nobilitatem terrae, sic *fructus* maior et minor secundum *statum.* Esto enim, quod tres in tribus statibus contineant, secundum quod melius possunt, adhuc excedit continentia *vidualis coniugalem,* et *virginalis vidualem.* Unde quia in continentia maxime status diversi considerantur et secundum illam distinguuntur; ideo soli continentiae praemium *fructus* aptatur, non quin et aliis[5] possit aptari, si est diversos *status assignare.* — Quod autem *aureola* respondeat alicui decori exteriori, patet: quia aureolae assignantur his actibus, qui considerant aliquid extrinsecum, ut puta quod est *infra,* ut corpus; vel quod est *iuxta,* ut proximus, quem convertit et ad patriam per bonam doctrinam ducit[6]. Unde decor quidam erit *Doctoribus* de conversis per ipsos; et quidam etiam decor et gaudium erit *Martyribus* in corpore, qui se pro Christo passionibus exposuerunt; quidam decor *Virginibus* in corpore, quod pro Christo incorruptum servaverunt; et ille decor vel gaudium de illo decore *aureola* recte dicitur. Credo tamen, quod melius *decor* aureola dicatur quam *gaudium,* quia omnes gaudebunt de decore, non tamen omnes habebunt aureolam; sed ut totum ad unum dicatur[7], melius est dicere, quod utrumque, scilicet *decor cum gaudio* et gaudium cum decore. — His visis, patent obiecta.

Opinio 3. et conclusio. De aurea. De fructu. De aureola.

1. 2. 3. Quod enim obiicitur, quod debetur radici caritatis omne meritum; dicendum, quod verum est de praemio *substantiali;* de *accidentali* non est verum primo et per se, sed[8] non sine illo; unde est causa *sine qua non.* — Similiter patet, quare virginitati debeatur *aureola,* non ratione perfectionis, sed ratione *decoris.* Ratione *perfectionis status* debetur fructus centesimus, sed ratione *decoris* aureola.

Solutio oppositorum.

Ad illud quod quaeritur, ratione cuius incorruptionis debeatur *aureola;* dicendum, quod ad hoc est triplex opinio. Quidam enim dicunt, quod cum meritum consistat in anima, quod *incorruptioni mentis* debeatur aureola; similiter perfectae voluntati sustinendi mortem pro Christo; et hoc confirmant per illud quod dicitur de beato Martino[9]: « O beata anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit ». — Sed ista positio non videtur conveniens, quia quantumcumque velit aliquis praedicare, nisi exeat in opus, non credo, quod habeat aureolam. Unde illud beati Martini de praemio *essentiali* intelligendum est, quia aequalis fuit Martyribus[10] propter magnitudinem caritatis.

Ad quaest. incid. Opinio 1. Non probatur.

Alia opinio est, quod debetur *actui exteriori;* unde si aliquis non martyrizetur actu, non habebit aureolam, similiter si auferatur virginitas violenter, perditur aureola. Unde Leo Papa[11] dicit, quod corruptae per violentiam « se non audeant sacris virginibus comparare », nec etiam anulo desponsantur. Et secundum hos quantumcumque homo praedicet, reportat *praemium,* sed non *aureolam,* nisi aliquem convertat. — Sed durum est dicere, quodsi violetur omnino per violentiam, quod aliquid ibi perdat, dum nullus consensus interveniat, nulla culpa[12].

Opinio 2. Non probatur.

Et ideo tertio modo dicendum, quod *aureola*

Opinio 3. et auctoris.

---

[1] Cfr. Aristot., III. Ethic. c. 7.

[2] Fere omnes codd. *rationis,* cod. I a secunda manu *rationabilis.* Inferius pro *et ideo* (cod. U addit *his,* cod. X *istis*) codd. M O *et omnibus.*

[3] Quaest. 1.

[4] Matth. 13, 8. et 23. — Codd. communiter omittunt *sicut* et *Dominus in Evangelio.*

[5] In cod. P secunda manus supplevit *virtutibus.*

[6] Quae sunt duo ex *quatuor,* quae sunt diligenda, ut dicit August., I. de Doctr. christ. c. 23. n. 22. Cfr. III. Sent. d. 28. q. 6. — Superius verbis *his actibus* cod. Y interserit *tribus.*

[7] Codd. Q Z *dicam,* plures codd. *dicant* (cod. B *dicat*), quos edd. sequuntur legentes: *sed ut totum unum dicant.* Mox pro *cum gaudio* plures codd. *cum gloria,* et subinde codd. E G L V bb *de decore* pro *cum decore.*

[8] Pro *sed* cod. K (I a secunda manu) *licet non habeatur.*

[9] In Breviar. Romano pro festo S. Martini (11 Nov.), II. Vesp. ad Magnificat. (Habetur etiam in *libro Responsali* Gregor. Magni pro festo S. Martini, sub rubrica *In Evangelio*). Cfr. II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. ad 1.

[10] Cod. K (I a secunda manu), substituto *substantiali* pro *essentiali,* subinde legunt: *quia* [cod. K *qui*] *aequalis fit* [ita etiam codd. H aa, codd. F W *sit*] *Martyribus et Confessoribus.*

[11] Epist. 12. (alias 1.) ad episcop. Africanos, c. 8. (et 11.). Cfr. Gratian. C. *Illae autem famulae Dei* (14.), C. 32. q. 5.

[12] Cod. K *nulla est culpa.*

debetur actui *interiori* per comparationem ad decorem exteriorem, et *exteriori* relato ad interius. Unde si virgo velit corrumpi et non corrumpatur et post poeniteat; quia salvata est incorruptio in carne, ideo *aureolam* habebit. Item, si nolit corrumpi et corrumpatur; corruptio illa non est iudicanda corruptio decoris virtutis; et ideo manet decor integer, quia decoratio virtutis ab interiori procedit. Et hoc est quod dicitur in littera [1]: «Non potest corrumpi caro, nisi prius mens corrumpatur», scilicet corruptione, quae obviet virginitati. Unde quod dicitur, quod «se non audeant sacris virginibus comparare»; hoc est propter periculum, quia fortassis in actu illo consenserunt; unde semper est eis timendum.

Ex his potest patere, quando virginitas amittatur. Cum enim ad perfectam virginitatem duo concurrant, scilicet incorruptio mentis et incorruptio carnis: incorruptio mentis est sicut *formale* et complementum; incorruptio carnis est sicut *materiale*. Si ergo *utrumque* pereat, totum perditum est et nunquam recuperari potest. — Si autem amittatur *incorruptio carnis*, salva *incorruptione mentis;* manet quod *formale* et completivum est virginitatis, ideo [2] meritum et praemium, quamvis etiam illud quod materiale erat, sit perditum; unde perdita est *secundum quid*, manet tamen *simpliciter;* perdita est in conspectu *hominum*, non in conspectu *Dei*. Et hoc est quod dicit Ambrosius, et habetur in littera [3]. — Si autem perdatur *incorruptio mentis*, salva *incorruptione carnis*, tunc perditur quod *formale* est, et manet quod est *materiale;* et quia illa redit ad suum propositum et habet materiale substratum; redeunte virginitate, virgo iudicanda est, licet non in tanta gloria, in quanta esset, si nunquam consensisset. Et hoc sentire videtur esse magis pium [4].

Corollarium de amissione virginitatis.

ARTICULUS III.

De repudio.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de repudio. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum licitum fuerit uxorem repudiare.

Secundo, utrum debuerit permitti.

Tertio quaeritur de ipsius repudiatae reconciliatione.

QUAESTIO I.

Utrum fuerit licitum uxorem repudiare.

Circa primum, quod fuerit licitum, ostenditur sic.

Ad oppositum.

1. Lex Moysi illicita puniebat, quod ergo non puniebatur in Lege tempore Legis erat licitum; sed repudiatio non puniebatur: ergo etc.

2. Item, licitum est quod nulla lege prohibetur; sed Iudaei non erant astricti alii legi quam sibi a Deo datae: ergo licitum erat omne quod in lege illa non prohibebatur. Sed repudium non prohibebatur in illa: ergo etc.

3. Item, licitum est omne quod divina inspiratione mandatur; sed Moyses, divina inspiratione afflatus, dedit legem secundam, scilicet Deuteronomium, in quo vigesimo quarto capitulo [5] praecipit, libellum repudii dari: ergo videtur, quod sit licitum.

4. Item, licitum est quod fit rationabili causa; sed rationabilis causa est, ut odiosa societas separetur, maxime quando surgit ex causa exterius movente: ergo si vir propter deformitatem habebat uxorem exosam, videtur [6] etc.

5. Item, lex matrimonii perfectior est in nova quam in veteri; sed in nova licitum est ab uxore separari aliqua de causa, ut puta causa fornicationis [7]: ergo videtur, quod in lege veteri licuit, aliqua de causa fieri repudium.

Fundamenta.

Contra: 1. Nihil est licitum, quod est contra divinam institutionem; sed divortium est contra divinam institutionem, quia Deus coniunxit masculum et feminam [8]: ergo etc.

2. Item, nihil est licitum, quod est contra ius naturae; sed ius naturae dictat, ut non faciat quis alii quod sibi non vult fieri [9]: ergo cum vir nollet repudiari ab uxore, non debet repudiare eam.

---

[1] Hic c. 4.

[2] Cod. U repetit *manet*. Pro *completivum* codd. I K *complementum*.

[3] Hic c. 4. — Inferius pro *et quia illa* codd. E I K O Q *et quia anima* (plures codd. *alia*). Sensus est: illa incorruptio mentis redit simul cum proposito sincero virginitatis. — Subinde post *virginitate* cod. F supplet *mentis*.

[4] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Vers. 1. Cfr. Malach. 2, 15. seq.

[6] Cfr. Avicenna, Metaph. tr. 10. c. 4. — Verbo *surgit* cod. Y praemittit *odium*.

[7] Matth. 5, 32. et 19, 9.

[8] Matth. 19, 4. seq. — Vat. addit: *sed quos Deus coniunxit homo separare non debet* (ibid. v. 6.).

[9] Tob. 4, 16; Matth. 7, 12. et Luc. 6, 31.

3. Item, nihil licet, in quo est peccatum; sed in divortio est peccatum, quia dicit Chrysostomus[1], quod « qui secundum Legem dimittit quatuor committit iniquitates, quia apud Deum est homicida » etc.: ergo etc.

4. Item, maior est unio viri et uxoris quam patris et filii, quia dicitur secundo Genesis[2]: *Relinquet homo patrem et matrem* etc.; sed nulli licet repudiare patrem: ergo etc.

5. Item, auctoritate Domini, Matthaei decimo nono[3]: *Non licet dimittere uxorem, excepta causa fornicationis;* sed propter illam non erat divortium, immo mulier lapidabatur; nec alia causa fuit: ergo nunquam fuit licitum.

CONCLUSIO.

Repudium uxoris nunquam fuit licitum, ut fieret sine culpa, sed tantum sine poena.

Conclusio. RESPONDEO: Dicendum, quod, secundum quod Dominus dicit[4], repudium uxoris nunquam fuit licitum, ut sine culpa fieret; fuit tamen licitum, ut fieret sine poena. Unde *aliquid licere alicui* hoc est duplici de causa: aut quia non obviat *iuris rectitudo,* et sic non fuit repudium licitum; aut quia non obviat *iuris punitio,* et hoc modo licuit uxorem repudiare, quia tunc non obviavit iuris punitio. (Duplex licentia.)

Solutio oppositorum. 1. 2. Ex hoc igitur patet quod obiicit, quod non puniebat lex Moysi nec prohibebat. Quamvis enim lex Moysi non prohiberet, quia non decreverat punire; tamen nihilominus lex naturae et dictamen rationis contrarium dicebat[5].

3. Ad illud quod obiicitur, quod Moyses mandat; dicendum, quod Moyses aliquid *prohibuit* in repudio, aliquid *mandavit,* aliquid *permisit: prohibuit* uxorem dimittere sine causa; *permisit* uxorem dimittere ex causa foeditatis; et *praecepit,* libellum dari[6]; et in datione libelli non erat peccatum, sed in dimissione. (Notandum.)

4. Ad illud quod obiicitur de causa rationabili, dicendum, quod vir et uxor individualiter coniunguntur a Deo; ideo nulla potest esse causa separationis quoad *vinculum;* quoad *debitum* potest esse causa defectus fidei, quia unus non servat alteri fidem; et quia *ista* tunc non fuit causa, ideo nulla fuit rationabilis causa. (Notandum.)

5. Ultimum vero patet: quia nulla causa, ut patebit infra[7], potest esse, quare uxor non possit viro debitum reddere nisi fornicatio, *quia, in quo peccat quis, in hoc et torquetur;* et illa tunc non fuit, nec alia potest esse: et ideo etc.

SCHOLION.

I. Quaestio de libello repudii a Moysi permisso spectat ad quaestionem generalem de divortio et de indissolubilitate matrimonii, de quo vide plura infra d. 35. — Circa principium principale, de quo agitur in I. quaestione, solutio S. Bonaventurae inter antiquos fuit communior, quam praeter plures Patres, Magistrum et Gulielmos Parisiensem et Antissiod. sustinent Alex. Hal. (S. p. III. q. 46. m. 2. a. 1-6.), qui diffuse et in pluribus quaest. de hoc disputat; Petr. a Tar. (hic q. 3. a. 1.); Thom. de Argentina (hic. q. 3.), et praecipue Dionys. Carth. (hic q. 2, qui etiam fundamentum contrariae opinionis non concedendum esse vult, quod scilicet Deus in V. T. non ostenderit, repudium uxoris esse vitiosum). Huic sententiae ipse S. Thom. (hic q. 2. a. 2. 3; Suppl. 67. a. 2-7.) magis favet. Relata enim etiam altera opinione asserente, repudium per se malum cum libello illo et dispensatione divina Iudaeis factum esse licitum, de hac secunda sic iudicat: « Quamvis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius sustinetur; ideo ad utrasque rationes respondendum est ». Simili modo procedit Richard. a Med. (hic a. 3. q. 1. 2.). — Secundae opinioni magis favent B. Albert. (hic a 23-25.) et Durand. (hic q. 3.) et, ut videtur, etiam Scot. (hic q. 3.), qui tamen utramque opinionem probabilem esse declarat. — Suis principiis constans S. Bonav. cum aliis ipsi consentientibus respondet ad 2. quaestionem, quod permissio illa non fuerit nisi privatio *punitionis*, et ad 3. quaestionem, quod *uxori* repudiatae non fuerit permissum nubere alii, vivente viro; quod ipsi licebat secundum aliam opinionem, quae supponit, Deum dispensasse circa indissolubilitatem matrimonii.

De his tribus quaestionibus cum variis materiae divisionibus auctores tractant citt. quaestionibus et articulis.

---

[1] Homil. 12. in Matth. (op. imperfect.) 5, 32: Qui secundum... homicida; secundam, quia dimisit non fornicantem; tertiam, quia fecit eam adulterari; quartam, quia et accipiens eam fecit adulterium.

[2] Vers. 24. Cfr. Matth. 19, 5.

[3] Vers. 9: Dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur etc. Cfr. ibid. 5, 32. In seq. propos. respicitur Lev. 20, 10; Deut. 22, 22. et Ioan. 8, 5.

[4] Matth. 19, 8. seq.

[5] Cfr. August., XIX. contra Faustum, c. 26. et 29, et I. de Serm. Domini in monte, c. 14. n. 39.

[6] Vide Deut. 24, 1. — Pro *sine causa* plures codd. *sine culpa.*

[7] Dist. 35. q. 1. seqq. — Seq. locus Scripturae est Sap. 11, 17: Quia, per quae peccat quis, per haec et torquetur. — Ex codd. L O P Q Y (E a secunda manu) supplevimus *quia nulla causa*, edd. legunt: *quia fornicatio potest esse ratio, quare* etc., omisso subinde *nisi fornicatio,* quae etiam inferius post *tunc* perperam omittunt *non.*

QUAESTIO II.

Utrum repudiare uxorem debuerit permitti.

Secundo quaeritur, utrum repudiare uxorem debuerit permitti. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia qui non prohibet malum, cum possit, habetur pro consentiente [1]; sed legislator potuit prohibere et non prohibuit repudium: ergo consensit. Sed consentiens malo peccat: ergo etc.

2. Item, non sunt facienda mala, ut veniant bona [2]: ergo nec permittenda mala, ne veniant maiora mala: ergo non debuit repudium permittere propter vitandum homicidium.

3. Item, vir et uxor pares sunt quantum ad legem tori [3]; sed sicut vir potest occidere uxorem, ita uxor odiens virum potest machinari etiam mortem eius: ergo idem periculum et idem ius est ex utraque parte. Sed non permittebatur in Lege, ut uxor repudiaret virum: ergo etc.

4. Item, tempore legis naturae non legimus fuisse permissum repudium, tempore gratiae similiter legimus fuisse prohibitum; quare ergo tempore legis scriptae fuit permissum? — *Si dicas,* sicut Dominus dicit [4], *ad duritiam cordis eorum;* contra: quia duri erant, ideo ad eorum duritiam confringendam imposuit legislator onera gravia: ergo si grave est habitare cum uxore exosa, congruebat ergo, non permitti repudium.

Fundamenta. Contra: 1. In Lege non debuit prohiberi aliquid, quod non debuit puniri, nec puniri debuit, nisi ex quo deberent effici meliores, saltem in opere, quamvis non in caritate; sed si repudium non permitteretur, homines illi, qui proni [5] erant ad homicidium, laberentur in peius: ergo etc.

2. Item, nulla Sacramenta ita perfecte fuerunt in veteri testamento, sicut in novo: ergo nec Sacramentum coniugii: ergo si perfectio in Sacramento coniugii [6] consistit in indivisibilitate, non ergo debuit perfecte in lege veteri indivisibilitas imperari.

3. Item, si tanta esset arctitudo inter virum et uxorem, quod nullo modo separari possent; cum fornicatio tunc non puniretur, omnes efficerentur fornicarii, et pauci aut nulli ducerent uxores: ergo si praeceptum fuit tunc, semen legitimum multiplicari, repudium non debuit prohiberi.

CONCLUSIO.

Ad mala maiora evitanda repudium uxoris a Moyse debuit permitti, id est non puniri.

Permissio quadruplex. Respondeo: Dicendum, quod permissio est quadruplex: uno modo per privationem *praeceptionis,* et sic Apostolus [7] permittit minus bonum, quia non praecipit maius bonum, sicut virginibus nubere permittit; secundo modo per privationem *prohibitionis,* et sic venialia dicuntur permissa, quia non sunt prohibita; tertio modo per privationem *punitionis,* et sic repudiatio uxoris est permissa, quia non punitur in Lege; (Conclusio.) quarto modo per privationem *cohibitionis,* et sic omnia mala dicuntur a Deo permissa, quia non cohibet. — (Notandum.) Prima permissio est propter *boni qualitatem;* secunda est propter *nostram infirmitatem;* tertia propter *vitanda maiora mala;* quarta propter *elicienda maiora bona.* Permisit igitur Moyses, quia non poterat prohibere hoc malum, (Ob malum triplex.) quin triplex malum inde sequeretur: primum quidem defectus Sacramenti, quia non vellent uxorem ducere; secundo, multiplicatio fornicationis; tertio, homicidium [8].

Solutio oppositorum. 1. 2. Ex hoc patent duo prima, quia Moyses non permisit nisi coactus, propter scilicet maius malum vitandum, unde fuit ibi potius *pati* quam *agere;* sed qui facit malum, ut veniat bonum, peccat faciendo: ideo non est simile quod secundo obiiciebatur.

Notandum. 3. Ad illud ergo quod obiicitur, quare non permittitur mulieri, dicendum, quod tempore Legis non indicabantur ad paria vir cum muliere, tum ratione *conditionis,* quia vir est principium mulieris [9], tum ratione *praevaricationis,* quia mulier est initium peccati; ideo dictum est ei Genesis tertio: *Sub viri potestate eris.*

4 Ad illud quod quaeritur: quare potius tempore illius Legis fuit permissum? dicendum, quod ad hoc triplex fuit ratio: (Ratio triplex.) una, quia non fuit eis omnino revelandum matrimonii mysterium, quia erat tempus umbrae; secunda, quia ipsi erant imperfecti,

---

[1] In Comment. in Rom. 1, 32. olim Ambros. tributo: Assentire autem est, si, cum possit reprehendere, taceat.

[2] Rom. 3, 8: Et non... faciamus mala, ut veniant bona. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

[3] Vide supra lit. Magistri, d. XXXII. c. 1. — Inferius pro *etiam mortem* quod habent codd. AEFHS, alii et edd. *in mortem.*

[4] Matth. 19, 8.

[5] Cod. U *rebelles et proni.* Mox pro *laberentur in peius* codd. IK *peiores fierent.*

[6] Nonnulli codd. *perfectio Sacramenti in coniugio.*

[7] Epist. I. Cor. 7, 7-9. et 25. seqq. — De *secundo* modo cfr. II. Sent. d. 42. a. 2. q. 1. ad 2; de *quarto* modo I. Sent. d. 47. q. 3.

[8] Cfr. Chrysost., Homil. 17. in Matth. 5, 31. n. 4; et Homil. 32. in Matth. (op. imperfect.) 19, 8; Hieron. in Matth. 5, 31. et 19, 8; Ambros., VIII. Expos. in Luc. 16, 18. n. 7. seq. — Pro *fornicationis* cod. K (I a secunda manu) *fornicatorum.*

[9] Gen. 2, 21. seq. et I. Cor. 11, 8. — Seq. locus est Gen. 3, 16. — Mox pro *mulier* cod. R *a muliere* (Eccli. 25, 33: A muliere initium factum est peccati).

unde tantum onus nollent recipere; tertia, quia duri, et hoc onus nollent portare et occulte possent abiicere: et ideo non fuit imponendum.

Ad illud quod obiicitur de confractione duritiae, dicendum, quod frangenda erat per poenam, quae non esset occasio maioris mali, qualis fuisset obligatio ad talem inseparabilitatem; et ideo non [1] sic debuit frangi.

QUAESTIO III.

Utrum uxor post repudium debeat viro reconciliari.

Tertio quaeritur de reconciliatione, et quaeritur, utrum uxor post repudium debeat viro reconciliari. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia peccatum fuit uxorem dimittere, ut supra [2] ostensum est: ergo iustum est ipsam resumere.

2. Item, mulier repudiata, si contrahit cum alio, aut *peccat*, aut *non*. Si *non peccat;* ergo cum propter nullum peccatum eius fuerit repudiata, et non debeat infligi poena nisi propter culpam, manifestum est etc. Si *peccat;* ergo manet vinculum cum priori, ergo adhuc est uxor eius; sed Dominus [3] vult, quod uxor sit cum viro: ergo etc.

3. Item, de omni malo licitum est poenitere; sed poenitentia retractat malum factum: ergo cum repudiare uxorem sit malum, ergo licitum est poenitere, ergo et retractare: ergo et uxorem sibi reconciliare.

4. Item, divisa per divortium potest reconciliari [4]: ergo et per repudium.

Ad oppositum. Contra: 1. Deuteronomii vigesimo quarto [5] dicitur, quod non est recipienda post repudium, *ne peccare faciat terram:* ergo qui recipit facit peccare terram, ergo etc.

2. Item, Ieremiae tertio [6]: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem, et illa recedens duxerit virum alterum, nunquid revertetur ad eam?* quasi dicat *non:* ergo etc.

3. Item, iste repudiando uxorem, quantum in se est, amisit ius in eam tanquam in uxorem: ergo si recipit, accipit quod non est suum.

4. Item, sententia iudicis secundum legem debet irretractabiliter observari — iusta enim sententia non est retractanda [7] — sed cum uxor dimittebatur, dato libello repudii, in conspectu Ecclesiae fiebat per sententiam legis repudium: ergo etc.

CONCLUSIO.

Licebat, ut post repudium uxor viro reconciliaretur, nisi culpa adulterii intervenerit.

Respondeo: Dicendum, quod post repudium aliquid fuit *licitum* et *concessum,* ut ambos, scilicet virum et mulierem, manere innuptos, vel etiam ante nuptias alias invicem reconciliari. — Aliquid fuit *illicitum,* sed *permissum* [8], ut scilicet vir, uxore repudiata, aliam duceret in uxorem; non enim fuit prohibitum, quia non erat prohibitum plures habere uxores. — Aliquid fuit *illicitum* et *prohibitum,* ut videlicet uxor repudiata, viro vivente, duceret alium. Quia enim nunquam licuit uni uxori habere plures viros; cum primus vir repudiatae vivat, non licet ei habere secundum. Hoc tamen non fuit prohibitum *directe,* sed *oblique* in poenam eius impositum, ut nunquam possit redire ad virum priorem, quia voluntarie se polluit cum secundo; et ideo dicitur Deuteronomii vigesimo quarto [9] et Ieremiae tertio, quod *polluta et contaminata est mulier illa,* propter adulterium scilicet, quod commisit cum secundo. — Concedendum est igitur, quod licitum fuit, post repudium uxorem viro reconciliari, nisi culpa adulterii interveniat; propter quam puniendam prohibetur, ne ad virum redeat, quia tunc licite fiebat divortium. Unde miro modo, licet occulte, tamen vere ipsa Lex iudicabat, inseparabile esse coniugii Sacramentum; et hoc magis expresse tangit Ieremias tertio [10].

Tria ordinata in Lege. Notandum. Conclusio. Notandum.

Solutio oppositorum. 1. 2. Quod ergo dicit Lex, quod non est recipienda; intelligitur propter adulterium commissum, non quia non sit uxor, sed quia contra matrimonium fecit. Magis autem punitur mulier quam vir rationibus praedictis [11], quia in Lege inferior erat.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nullo modo

---

[1] Vat. perperam omittit *non.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Quaest. 1.

[3] Matth. 5, 32. et 19, 9. Cfr. I. Cor. 7, 10. seq.

[4] Cfr. infra d. 35. q. 5.

[5] Vers. 4. Pro *faciat* Vulgata et edd. *facias.*

[6] Vers. 1. Vulgata *et recedens ab eo* pro *et illa recedens.*

[7] Vide infra d. 35. q. 5. arg. 1. ad oppos.

[8] Edd. *Aliquid fuit licitum et permissum.* Cfr. quaest. praeced.

[9] Vers. 4: Quia polluta et abominabilis facta est coram Domino. Ier. 3, 1: Nunquid non polluta, et contaminata erit mulier illa? — Superius verbis *ut nunquam* in cod. X secunda manus interseruit *si nubat.*

[10] Vers. 1.

[11] Vat. addit: *scilicet in solutione tertii argumenti praecedentis quaestionis.*

licet, cum perdiderit ius; dicendum, quod non habet ius repetendi, postquam repudiavit. Si tamen uxor velit, de eius voluntate et consensu potest iterum licite fieri.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sententia lata secundum legem non est retractanda; dicendum, quod lex quaedam *praecipit*, quaedam *permittit*. **Distinctio.** Sententia lata secundum legem *praecipientem* omnino iusta est et retractanda non est; si secundum legem *permittentem*, cum ibi sit aliquid iniustitiae [1], sine omni peccato revocari potest, immo meritorie et licite [2].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Maledicta erat sterilis, quae non relinquebat* etc. Aut enim hoc intelligitur quantum ad maledictionem *poenae,* aut *culpae.* Si quantum ad maledictionem *poenae,* adhuc verum est illud, quod sterilitas non dicit naturam, sed defectum et malum, et non culpae, ergo poenae. Si maledictionem *culpae:* ergo esse sterilem erat culpa; quod manifeste falsum est.

Respondeo: Dicendum, quod istud intelligitur de maledictione *poenae,* prout poena non tantum dicit defectum naturae, immo etiam amplius, scilicet opprobrium infamiae; tunc enim erat infamis et vilis reputabatur et ignominiosa, quasi *Dominus vulvam eius conclusisset* — exemplum est de Anna primi Regum primo [3] — unde steriles mulieres, quando non fecundabantur, reputabant, sibi esse ignominiam. Quia ergo tunc omnes viris copulabantur et prolem quaerebant, et si non habebant, ignominiosae erant; ideo omnes steriles maledictae erant, quia fructum ventris non habebant, quem illud tempus requirebat. **Notandum.** — Nunc autem quaeritur fructus bonorum operum [4]; ideo, etsi mulier careat filiis per *virginitatem,* ubi est sterilitas voluntaria, non maledicitur, sed laudatur; si vero careat propter *defectum naturalem,* non maledicitur, sed sustinetur, maxime si non est in ea sterilitas bonorum operum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit Ambrosius de filiabus Loth, quod *publici muneris gratia privatam culpam praetexit.* Videtur enim falsum dicere, quia, si quis furetur, ut det pauperibus, non excusatur a peccato furti: ergo nec illae ab incestu, cum a patre cognitae fuerint. — Item videtur, quod multipliciter peccaverunt: primo, quia patrem inebriaverunt; secundo, quia ambae cum eodem viro; tertio, quia cum patre suo peccaverunt.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis filiae Loth videantur ex pietate motae fuisse, quia non propter delectationem carnis, sed propter conservationem humani generis artem illam cogitaverunt; tamen non **Notandum.** excusantur ab incestu: quia scienter contra primam institutionem matrimonii, in qua excipiuntur pater et mater [5], iacuerunt cum patre; secundo vero, quia super falsam existimationem voluntatem suam fundaverunt; et ideo, etsi ignorantia et naturalis pietas aliquo modo excuset culpam, non tamen a toto, sed a tanto; nec adeo excusat, quin mortaliter peccaverint, licet de patre praesumi possit, quod non peccaverit mortaliter. Et hoc vult Ambrosius dicere, quod intentio illa, qua bonum commune, non voluptatem propriam intendebant, « praetexit privatam culpam ». Fuit enim culpa re vera, sed tamen quandam excusationis speciem habuit ex illa intentione, quae videbatur esse pia. Plus tamen habuit de stultitia et de temeritate quam de pietate: primo, quia patrem sanctum [6] debebant consulere; secundo vero, quia, etsi verum esset, quod totum genus humanum esset consumtum, non tamen debuissent attentare tam horridum factum, nisi interveniret divinum mandatum. — Sed in hoc manifestatum est, **Non fidendum mulieri.** quod in nulla muliere confidendum est, quia deceperunt eum cuius castitas gloriosa praedicatur, dum inter tam impios tam sancte et laudabiliter vixit [7].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo habebat habitu.* Videtur enim male dicere: quia aut loquitur de continentia *virginali,* aut *simpliciter.* Si de continentia *simpliciter;* tunc falsum dicit, quia Abraham veram continentiam habebat *in usu.* Si de *virginali;* cum illa sit « incorruptionis perpe-

---

[1] Edd. *iustitiae* et mox *reconciliari* pro *revocari.*

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vers. 5. — Ibid. v. 6. invenitur textus praecedens.

[4] Col. 1, 10: Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes etc. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[5] Vide supra pag. 664, nota 3.

[6] Codd. E L Y addunt *virum.*

[7] Cfr. Hieron., Liber hebraic. Quaest. in Gen. 19, 30; August., XXII. contra Faustum, c. 41. seqq., et Glossam *ordinariam* apud Strabum et Lyranum in Gen. 19, 31. — Idem dub. solvitur a B. Alberto, hic a. 8; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

tuae meditatio » [1], illam non habebat, nec *habitu* nec *actu*. — Et iterum, si « plura bona paucioribus meliora sunt », videtur, quod perfectiori modo fuerit continens.

Continentia duplex.

Respondeo: Dicendum, quod continentia uno modo dicit privationem *universalem* illius actus; et sic vocat Augustinus [2] castitatem *caelibum*. Alio modo dicit privationem *immoderantiae* vel intemperantiae respectu illius actus; hoc modo ponit actum cum modestia, et hanc vocat castitatem *nuptiarum*. Per primam vult homo nullo modo coire, per secundam vero vult, quando et quomodo et cum qua debet coire. Prima est nobilior quam secunda. Utramque harum *simul* habere *in usu* est impossibile, sed alteram habere *in usu*, alteram *in habitu*, nullum est inconveniens. Et sic fuit in Abraham, quia continentiam nuptiarum habuit *in usu*, sed alteram *in habitu*, quia facillimum fuisset ei tanquam viro temperantissimo universaliter a muliere abstinere; et hanc voluntatem habebat, quantum erat in se. — Et sic patet, quomodo habuit utramque; patet etiam, quomodo continentiam habuit *in habitu*, non in opere quantum ad omnimodam abstinentiam; patet etiam, quod non est melius habere ambas quam alteram, quia castitas caelibatus continet in se quidquid perfectionis habet altera [3].

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hieronymus: *Omnes retro Sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt*. Videtur enim male dicere: quia, si eiusdem meriti fuerunt, ergo status Legis aequiparatur statui Evangelii. Quomodo igitur verum est, quod post adventum Salvatoris effusa sit plene gratia Spiritus sancti [4]?

Respondeo: Dicendum, quod relativum *identitatis* [5] et adverbium *similitudinis* in praesenti auctoritate non dicunt *aequalitatem*, sed magis *proportionem*, ut ita intelligatur: quia, sicut competit legi Evangelii *continere*, ita *nubere* tunc. Tamen hoc excedit illud absolute, et tempus excedit tempus, et status statum, sicut si fiat comparatio pueri ad puerum, et viri ad virum sive ad statum viri; sic in proposito est intelligendum. Unde Sancti non intendunt astruere [6] aequalitatem, sed ostendere, statum illum esse bonum, quamvis nobis non competat imitari.

Notandum.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Scriptura nunc eas uxores appellat, nunc concubinas*; quid secundum veritatem fuerint; cum enim non possint simul esse uxores et concubinae, videtur Scriptura falsum dicere.

Opinio auctoris. De Agar.

Respondeo: Dicendum, quod re vera *concubinae* fuerunt, sicut innuit textus Genesis [7] de Agar, de qua primo dicitur, quod Sara *dedit eam viro suo in uxorem*; et post dicitur: *Eiice ancillam et filium eius*. Et Augustinus expresse dicit de Civitate Dei decimo sexto, vigesimo quinto et vigesimo octavo capitulo, ubi dicit, quod « obedivit *uxori*, reddendo *ei* debitum ». Similiter intelligitur de illis duabus ancillis uxorum Iacob [8], quarum quaelibet data fuit a domina viro, et vir in eis reddebat debitum uxoribus. Quoniam ergo in matrimonium non erant coniunctae, ideo secundum veritatem non erant *uxores*, sed *concubinae*. Sed quoniam uxorio affectu cognoscebat, et semen computabatur uxoribus, et ita legitimum; hinc est, quod *uxores* dicuntur.

De ancillis Iacob.

Notandum.

Opinio aliorum.

Aliqui inde volunt dicere, quod *verae uxores* fuerunt, tamen dicuntur *concubinae* propter hoc, quod erant ancillae uxorum, et non nascebatur eis semen, sed liberis. — Sed si attendatur figura, quae ibi importabatur, quam notat Augustinus in libro de Baptismo [9], et verba eius de Civitate Dei decimo sexto; prima positio est verior.

Non probatur.

Quaest. incid. solvitur.

Si vero quaeratur, quae fuerit uxor verior inter Rachelem et Liam; dicendum, quod utraque fuit, quia *servivit in uxorem et in uxorem servavit*, sicut dicitur in Osee [10]; sed tamen secundum affectum Iacob Rachel verior, et magis habebat dominium sive *posse* ad Iacob; sed secundum divinam dispositionem Lia, de cuius semine ortus est Christus Dominus [11], propter quem tota generatio Iacob, immo omnis generatio benedicta est.

---

[1] Ut dicit August. supra pag. 753, nota 2. allegatus. — Seq. axioma est Aristot., III. Topic. c. 2.

[2] Hic in lit. Magistri, c. 2. — Infra pro *cum modestia* cod. H *cum moderantia*.

[3] Cfr. supra a. 2. q. 2; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Vide Ioan. 7, 39. et Act. 2, 1. seqq.

[5] Scilicet *cuius* et *eiusdem*; cfr. supra pag. 252, nota 5.

[6] Codd. A M (L a secunda manu) *ostendere*, codd. O R *asserere*. — Vide de hoc dubio supra a. 2. q. 2; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Cap. 16, 3. Vulgata *uxorem* pro *in uxorem*. — Seq. locus ibid. 21, 10, ubi Vulgata post *ancillam* addit *hanc*. Cfr. Gal. 4, 30. — In allegatione August., *de Civ. Dei*, codd. inter se non conveniunt; plures allegant sic: *XV. et XXV. cap.* (revera in lib. XV. c. 3. haec res tangitur); alii sic: *XVI. et XXVIII. cap.*; confundunt ergo *librum* cum *cap.* Cfr. ibid. c. 34.

[8] Gen. 30, 3. seqq.

[9] Libr. I. c. 10. n. 14; c. 15. n. 23. et c. 16. n. 25. Cfr. supra d. 5. a. 2. q. 2. in corp., ubi *figura* insinuatur. — De XVI. de Civ. Dei vide notam penultimam. — Superius pro *Aliqui inde* codd. A F G I K Y *Aliqui tamen*.

[10] Cap. 12, 12: Servivit Israel in uxorem etc. Pro *servavit* codd. et edd. perperam *servivit* (Septuaginta *custodivit*). — Superius pro *fuit*, quod nonnulli codd. omittunt, cod. U *vera*.

[11] Matth. 1, 2. in genealogia Christi recensetur Iudas, qui erat filius Liae (Gen. 29, 35.). — De hoc dubio vide supra a. 1. q. 3. in corp.; B. Albert., hic a. 21; S. Thom., et Petr. a Tar., hic circa lit.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Non quaeritur electio muneris in successione generis.* Videtur enim hoc esse falsum: cum enim multi matrimonialiter copulentur, et non ob aliud quam propter prolem principaliter: ergo videtur, quod hoc quaeratur. — Item, nonne coniuges prolem desiderant et a Deo quaerunt? Constat, quod immo. — Item, quis modus est iste loquendi: non quaeritur electio muneris? Quod est illud munus?

Respondeo: Dicendum, quod omnia bona, quaecumque habemus, dona Dei sunt et munera Dei [1]. Intelligendum est igitur, quod huiusmodi dona et munera quaerunt homines, cum ea desiderant et cum orant Deum pro eis acquirendis et laborant, Distinctio. ut ea habeant. Possunt igitur haec munera dupliciter inquiri: vel secundum *affectum humanum*, et sic adhuc quaeritur et desideratur et eligitur munus successionis et prolis; vel secundum *promissum* Notandum. *evangelicum.* Et quoniam lex evangelica promittit perfectionem in praesenti et gloriam in futuro et dona spiritualia et non carnalia; hinc est, quod bene dicitur: non quaeritur electio muneris etc., supple: secundum intentionem Evangelii.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Isidorus: *Non potest corpus corrumpi, nisi prius corrumpatur animus.* Videtur enim illud manifeste falsum, quia multis virginibus a viris pessimis facta est iniuria, et corruptae sunt violenter. *Si tu intelligas* de corruptione peccati, sicut dicit Magister [2]; *contra:* omne peccatum est in libero arbitrio: ergo non est in carne vel in corpore.

Respondeo: Dicendum, quod istud intelligitur de corruptione, quae redundat in amissionem decoris virginitatis; cum enim sit de magnis bonis [3], nullo modo potest perimi vel auferri omnino nolenti. Sed ipse opponit de qualicumque corruptione.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sanctius est mori fame quam idolothytis vesci.* Videtur enim male dicere, quia *idolum nihil est in mundo* [4]. Et iterum: *Nihil est reiiciendum,* sicut dicitur primae ad Timotheum quarto. Et similiter dicitur primae ad Corinthios decimo, quod de omnibus licet vesci.

Respondeo: Dicendum, quod illud intelligendum est de illo qui vescitur idolothytis in reverentiam idoli, vel quando scit, alios propter ignorantiam scandalizari. Verumtamen propter scandalum in articulo necessitatis non est idolothytum dimittendum, sed cum protestatione, quod non facit in reverentiam idoli, est sumendum; et tunc non scandalizat [5].

DISTINCTIO XXXIV.

Cap. I.

De personis legitimis.

Nunc superest attendere, quae personae sint *legitimae* ad contrahendum matrimonium. *Legitimae* iudicantur personae secundum statuta patrum, quae diversa sunt. Aliae namque fuerunt legitimae *ante* Legem, aliae *sub* Lege, aliae in *tempore gratiae.* Item, in primitiva Ecclesia quaedam erant legitimae, quae modo non sunt. Earum vero, quae modo legitimae sunt, vel illegitimae, quaedam sunt *plene legitimae,* quaedam Dubium 1. *omnino illegitimae,* quaedam *mediae. Plene legitimae* sunt, quibus non obviat votum continentiae, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturae frigiditas, et si quid est aliud. *Penitus vero illegitimae* sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. *Mediae* vero sunt, nec plene legitimae nec omnino illegitimae, per frigiditatem, vel per conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt, quibusdam accedentibus causis, et eisdem deficientibus, dividi.

Cap. II.

De frigidis separandis, vel non.

De his enim, qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit beatus Gregorius, ut permaneant. Sed si mulier causatur dicens: volo esse ma- Dubium 2

---

[1] Cfr. Iac. 1, 17.

[2] Hic c. 4.

[3] Respicitur distinctio bonorum ab August. facta et II. Sent. lit. Magistri, d. XXVII. c. 3, allegata: Virtutes.. *magna* bona sunt etc. — Cfr. de hoc dubio S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[4] Epist. I. Cor. 8, 4. — Secundus locus est I. Tim. 4, 4; tertius I. Cor. 10, 25: Omne quod in macello vaenit, manducate etc. Cfr. ibid. v. 27. — Superius de verbis *Sanctius est* vide pag. 746, nota 4.

[5] Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum in I. Cor. 10, 25 seqq., quae est ex Comment. olim Ambrosio tributo. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit. Magistri.

ter et filios procreare; decernit, ut uterque eorum septima manu propinquorum iuret, quod nunquam carnaliter convenerint; et tunc mulier secundas nuptias contrahat, vir autem, qui frigidae naturae est, absque Canon. spe coniugii permaneat. Ait enim sic[1]: « Interrogasti de his qui matrimonio iuncti sunt et nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit; de quibus scriptum est: Vir et mulier, si se coniunxerint, et post dixerit mulier de viro, quod coire non possit cum ea; si potest probari quod dicit per iustum iudicium, accipiat alium; si vero ille acceperit aliam, separentur ». Item: « De his requisisti, qui ob causam frigidae naturae dicunt se non posse invicem operam carni dantes commisceri. Iste vero, si non potest ea Dubium 3. uti pro uxore, habeat eam quasi sororem. Quodsi retinaculum coniugale voluerint rescindere; maneant utrique innupti; nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Si igitur vir aliam uxorem vult accipere; manifesta patet ratio, quia, suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuerit, et ideo eam dimittere mendacii falsitate molitur. Quodsi mulier causatur et dicit: volo esse mater et filios Dubium 4. procreare; uterque eorum septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis, iureiurando dicat, ut nunquam per commixtionem carnis coniuncti una caro effecti fuissent. Tunc videtur mulier secundas posse contrahere nuptias; *humanum dico propter infirmitatem carnis eorum*[2]. Vir autem, qui frigidae naturae est, maneat sine coniuge. Quodsi et ille aliam Dubium 5. acceperit copulam; tunc hi qui iuraverant, periurii crimine rei teneantur, et poenitentia peracta, priora Gratianus. cogantur recipere connubia ». « Hoc servandum est, cum uterque idem fatetur. Sed vir si asserit, se debitum reddidisse uxori, et illa diffitetur; cui potius fides habenda sit, merito quaeritur[3] ». De hoc ita statutum Canon. est: « Si quis accepit uxorem et habuit eam aliquo tempore, et ipsa femina dicit, quod nunquam coisset cum ea, et ille vir dicit, quod sic fecit; in veritate Gratianus. viri consistat, quia *vir est caput mulieris* ». « Hoc de naturali impossibilitate statutum est ».

Cap. III.

De his qui maleficiis impediti coire nequeunt.

De maleficii autem impedimento hoc tenendum Canon. decernitur, quod « si per sortiarias et maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut *spiritu contrito* et *humiliato* Deo et sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant et lacrymis atque eleemosynis, orationibus et ieiuniis Domino satisfaciant; et per exorcismos ac cetera ecclesiasticae disciplinae munimina ministri Ecclesiae tales sanare procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis viventibus, quibus iunctae fuerint, prioribus, quos reliquerant, Dubium 6. etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt[4] ». — Quod in fine huius capituli continetur ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica aequitate; vel intelligendum est, non posse reconciliari prioribus nisi iudicio Ecclesiae, quo divisio facta fuerat.

Cap. IV.

De furiosis.

Furiosi quoque, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus[5]: « Neque Dubium 7. furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur ». Item Nicolaus: « Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et Canon. uni ex duobus, vel ambobus amentia vel furor vel aliqua infirmitas accesserit; ob hanc infirmitatem talium coniugia solvi non possunt. Similiter est sciendum de his qui ab adversariis excaecantur, vel membris truncantur, vel a barbaris exsecti fuerint ».

Cap. V.

De his qui dormiunt cum duabus sororibus.

De his etiam, qui cum duabus sororibus, vel quae cum duobus fratribus dormiunt, videndum est, quid censeant canones. « Qui dormierit cum duabus sorori- Canon. bus, et una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat; nec ipsi adulteri unquam in coniugio copulentur[6] ». Item: « Nec propriae uxori licet sibi red- Dubium 8. dere debitum, quam sibi reddidit illicitam, sororem eius cognoscendo. Nec etiam post mortem uxoris licet ei vel adulterae copulari in coniugium ». Item Zacharias Papa[7]: « Concubuisti cum sorore uxoris tuae; si Canon. fecisti, neutram habeas, et uxor tua, si non fuerit conscia sceleris et continere non vult, nubat in Domino, cui vult. Tu vero et adultera sine spe coniugii maneatis, et dum vivitis, poenitentiam agite ». Quod ait: *cui vult nubat;* intelligendum est post mortem viri. Unde Gregorius: « Qui uxores suas in adulterio depre- Canon. hendunt, nec ille nec illa aliam uxorem accipiat, vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si vero adultera mortua fuerit, vir eius, si vult, nubat, adultera vero nunquam, etsi mortuus fuerit vir eius, sed omnibus diebus vitae suae poenitentiae lamenta persolvat ». — Hic de illo adulterio agitur, quod cum cognato viri, vel cognata uxoris committitur.

---

[1] Can. *Quod autem interrogasti* (1.), C. 33. q. 1; cfr. C. *Accepisti mulierem* (1.), X. de Frigidis et maleficiatis (libr. IV. tit. 15.). Seq. locus est C. *Requisisti de his* (2.), C. 33. q. 1.

[2] Rom. 6, 19.

[3] Gratian. super ult. canonem. Seq. locus est C. *Si quis accepit* (3.), ibid., ubi citatur Eph. 5, 23. Ultima deinde verba sunt Gratiani, ibid.

[4] Can. *Si per sortiarias* (4.), ibid.

[5] Can. *Neque furiosus* (26.), C. 32. q. 7; seq. locus est C. *Hi qui matrimonium* (25.), ibid.

[6] Can. *Qui dormierit* (30), C. 27. q. 2; seq. locus est Gratian. super eund. can.

[7] Can. *Concubuisti cum* (23.), C. 32. q. 7; deinde C. *Hi vero qui* (22.), ibid.

Cap. VI.

Quod non est dimittenda uxor pro aliqua macula corporis.

Illud etiam sciendum est, quod pro aliqua infirmi-
Dubium 9. tate vel macula corporali non licet viro uxorem dimittere, et e converso, sed debet alter alteri subsidia providere. Unde Augustinus [1]: « Si uxorem quis habeat Augustinus.
sterilem, sive deformem corpore, vel debilem membris, vel caecam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis vel laboribus doloribusque confectam, et quidquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro societate fideque sustineat ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIV.

De matrimonio secundum causam materialem, quae est personarum legitimitas, vel illegitimitas.

Nunc superest attendere, quae personae sint legitimae etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de matrimonio quantum ad tria genera causarum. Hic agit quantum ad quartum genus causae, scilicet quantum ad causam materialem, quae quidem est personarum legitimitas, vel illegitimitas. Et dividitur haec pars in duas, quia quaedam personae sunt simpliciter illegitimae respectu matrimonii, quaedam respectu matrimonii perfecti, utpote illae quae alias nupserunt, et iam mortuus est vir, vel defuncta uxor. Ideo Magister primo agit de impedimentis. Secundo circa finem istius tractatus [1] agit de secundis nuptiis, ibi: *Sciendum est, quod non solum primae vel secundae nuptiae* etc.

Prima pars habet duas. In prima agit de impedimentis, quae non omnino auferunt legitimitatem. In secunda vero de his quae omnino faciunt illegitimas; et hoc dico secundum divisionem Magistri in littera; et incipit secunda pars trigesima septima ante principium [2]: *Nunc de aliis, quae personas penitus illegitimas* etc., vel ibi: *Sunt igitur quidam ordines.* Prima pars habet duas secundum duo impedimenta, de quibus principaliter agit. Primo enim agit de impotentia coeundi, quae respicit defectum naturae [3]. Secundo vero de conditione, quae respicit statum legis humanae, infra distinctione trigesima sexta: *Nunc de conditione videamus.* Prima pars habet duas, quia ad impedimentum sequitur divortium. Ideo primo agit de matrimonii impedimento, licet semiplene. Secundo vero de divortio, infra distinctione trigesima quinta: *Hoc etiam notandum est, quod cum Dominus* etc.

Prima pars habet duas partes. In prima determinat huiusmodi impedimenta in generali. In secunda in speciali, ibi: *De his enim, qui causa frigiditatis* etc. Et illa secunda pars subdividitur in duas, quia impedimentum potest venire vel ex parte vis imperatae, scilicet generativae, vel imperantis, ut liberi arbitrii. Ideo primo ponit impedimenta respicientia primam vim. Secundo vero secundam, ibi: *Furiosi quoque, dum in amentia sunt* etc. Et quaelibet harum habet duas secundum subdivisionem impedimenti. Nam impedimentum in vi generativa est impotentia coeundi: et haec est duplex, naturalis scilicet et accidentalis. Similiter impedimentum ex libero arbitrio est aut propter defectum cognitionis in ratione [4], aut honestatis in voluntate; et sic sunt duo, scilicet furia et criminis enormitas vel incestus. Partes in littera signatae sunt secundum quatuor capitula.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae in praesenti distinctione determinantur, secundum tria, quae in ea tanguntur, tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de impedimentis matrimonii in generali.

Secundo, in speciali de impotentia coeundi.

Tertio, de defectu, qui venit ex parte liberi arbitrii.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum matrimonium habeat impedimentum.

Secundo, dato quod habeat plura, quaeritur de numero et sufficientia impedimentorum.

---

[1] Libr. I. de Serm. Domini in monte, c. 18. n. 54; C. *Si uxorem* (18.), C. 32. q. 5.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Dist. XLII. c. 7.

[2] Scil. ultima propos. d. XXXVI. — Verbis *Sunt igitur quidam ordines* incipit d. XXXVII. — Edd. breviter legunt: *faciunt illegitimitates, infra d. 37: Sunt ergo quidam ordines.* Superius pro *ligetimitatem* non pauci codd. et edd. *illegitimitatem.*

[3] Ex codd. A E L Y substituimus *naturae* pro *viri,* non pauci codd. *fieri.* Mox pro *statum* codd. G L V Y Z *statutum.*

[4] Ed. 1 *cognationis in crimine,* Vat. *cogitationis in crimine.* Eaedem edd. inferius, omisso *furia et,* post *vel incestus* (plures codd. *ut incestus*) addunt *et corporis deformitas et horror* ac dein omittunt *Partes in littera signatae sunt secundum quatuor* [scil. quatuor ultima] *capitula.*

ARTICULUS I.

De impedimentis matrimonii in generali.

QUAESTIO I.

Utrum matrimonium habeat impedimentum.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod matrimonium non habeat impedimentum:

Ad oppositum.

1. Quia matrimonium est remedium contra morbum concupiscentiae: ergo si ille morbus ad omnes se extendit, nullo impediente; videtur similiter, quod matrimonium, cum medicina debeat ex opposito respondere morbo [1], et ita, quod matrimonium in omnibus esse possit, nullo impediente.

2. Item, nullum aliud Sacramentum habet impedimentum, quin, si aliquis suscipiat de facto, susceptum sit: ergo similiter videtur in matrimonio, quod qualiscumque sit aliquis, tamen, si de facto contrahit, suscipit matrimonii Sacramentum.

3. Item, matrimonium est insolubile vinculum, ut est supra [2] probatum: ergo si contrahatur, nunquam dirimitur: ergo nullum est impedimentum, quod dirimat iam contractum.

4. Item, matrimonium, cum sit Sacramentum, operatur Deus, unde coniuncti matrimonialiter dicuntur coniuncti a Deo [3]; sed divina operatio non habet impedimentum, cum Deus sit agens nobilissimus; ergo matrimonium nullum habet impedimentum.

Fundamenta.

Contra: 1. Matrimonium institutum est in *officium* [4]; sed multi sunt inepti ad officium, ut puta ad generandum per coitum: ergo multi sunt non idonei ad matrimonium: ergo etc.

2. Item, matrimonium institutum est in *remedium;* sed multi sunt, quibus non potest esse in remedium, quia non possunt convenire: ergo etc.

3. Item, multi sunt, qui non possunt unquam sine peccato actum illum exercere, ut puta qui voverunt continentiam, vel quibus est prohibitum coniungi ab eo qui potest; sed omne Sacramentum potest venire in usum sine peccato, cum ordinet [5] ad salutem: ergo aliqui sunt inepti ad matrimonium.

4. Item, nihil est sacrum, quod fit contra divinum mandatum; sed Sacramentum est sacrum signum: ergo nihil est Sacramentum, quod fit contra praeceptionem divinam; sed divinum praeceptum, Levitici decimo octavo [6], prohibet matrimonium fieri inter multa genera personarum: ergo si contrahant de facto, non est Sacramentum: ergo habet impedimenta.

CONCLUSIO.

Sacramentum matrimonii multa habet impedimenta.

Respondeo: Dicendum, quod Sacramentum matrimonii habet impedimentum multiplex, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae. — Ratio autem, quare hoc Sacramentum magis habet impedimenta quam alia, est duplex. Una est ratione causae *efficientis,* quia, quamvis omnia Sacramenta sint a divina institutione et humana dispensatione, tamen hoc Sacramentum maxime consistit in humana dispensatione, quia per consensum contrahentium oritur nec habet dispensatorem determinatum [7]. — Alia ratio est ratione *finis,* quia, cum omnia Sacramenta sint in *remedium,* istud non tantum est in *remedium,* sed etiam in *officium;* et cum alia sint spiritualia, huic coniuncta est actio carnalis, scilicet coniunctio, quae est per coitum. Et ideo facilius recipit impedimenta. — Ex his patent obiecta. Conclusio. Ratio 1. Ratio 2.

Solutio oppositorum.

1. Quod enim obiicitur, quod nullus excluditur a morbo concupiscentiae; dicendum, quod morbus ille aliter remediabilis est quam per matrimonium, ut puta per continentiam.

2. Ad illud quod obiicitur, quod alia Sacramenta se extendunt ad omnes; patet responsio, quia non est simile de hoc et de aliis, ut visum est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est vinculum insolubile; dicendum, quod verum est, ex quo ligat; sed possibile est, aliquos ineptos esse, ita ut hoc vinculo non vinciantur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod divina operatio non potest impediri; dicendum, quod verum est, ubi Deus operatur ut *tota* causa; sed non est sic in matrimonio, immo necesse est, intervenire consensum legitimum. *Praeterea,* operatio ista praesupponit materiam *in qua.*

---

[1] Vide supra pag. 37, nota 4. — Immediate post ex cod. P posuimus *et ita,* pro quo cod. O *et ideo videtur,* edd. cum paucis codd. *ergo videtur.*

[2] Dist. 27. a. 3. q. 1. et 2.

[3] Matth. 19, 6: Quod ergo Deus coniunxit etc.

[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 2, ubi etiam *maior* seq. arg. insinuatur. — Inferius pro *non idonei* codd. H Y *inepti,* cod. K (I a secunda manu) *qui non sunt idonei.*

[5] Cod. O *ordinetur.*

[6] Vers. 6. seqq. — Inferius pro *Sacramentum* cod. U *contractum.*

[7] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 1.

SCHOLION.

I. Concil. Trident. (Sess. XXIV. can. 4.) anathemate ferit docentes, « Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia, vel in iis constituendis errasse ». Duodecim impedimentis dirimentibus, ab auctore nostro enumeratis idem Concil. (Sess. XXIV. de Reform. c. 6.) addidit duo alia, scilicet raptus et clandestinitatis, de quibus cfr. auctores theologiae moralis et canonum.

De utraque huius articuli quaestione: Scot., infra d. 42. n. 7. seqq. — S. Thom., hic a. 1; Suppl. q. 50. — B. Albert., hic a. 1-3. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. Quoad 1. quaestionem 2. articuli valet principium ab omnibus approbatum, quod quamvis *usus* matrimonii non sit matrimonio essentialis, tamen *potentia* ad usum essentialiter requiratur ad illud *contrahendum*. Cfr. de utraque quaestione hic dub. 3-6, et de furiosis dub. 7.

De hoc impedimento: Scot., hic q. unica n. 1-3. — S. Thom., hic a 2; Suppl. q. 58. a. 1. — B. Albert., hic a. 4-7. — Petr. a Tar., hic a. 2. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — De hac et seq. q. Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 2.

III. Opinio 1. in seq. (2.) quaestione relata reiicitur ab omnibus antiquis theologis, et conclusiones circa hoc impedimentum sunt communes. Solummodo disputatur quoad impotentiam tantum *respectivam* (quae est tantum respectu *determinatae* personae, non vero omnium), utrum scilicet eadem possit simul esse *perpetua* et *naturalis*, et per consequens, utrum etiam in *frigidis*, sicut in *maleficiatis*, secundum matrimonium validum esse possit. S. Bonav. (in fine corporis) hoc generatim negat cum S. Thoma (loc. cit. a. 2. ad. 5.), Petro a Tar., aliisque, cum in iure canonico detur licentia cum altera muliere contrahendi maleficiato, non vero frigido. Alii autem multi cum Scoto (loc. cit. n. 5.), Durando et Dionys. Carth. censent, praesumtionem iuris, non dari naturaliter impotentiam tantum *respectivam*, fallere posse, et si hoc probari possit, tunc praesumtionem illam elidi, et secundum matrimonium valere.

De 2. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 3 et a. 2. — B. Albert., hic a. 8-10. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., a. 3. q. 1. 2.

QUAESTIO II.

De numero et sufficientia impedimentorum.

Secundo quaeritur de numero et sufficientia impedimentorum matrimonii. Et quod sint multa, videtur:

1. Quia impedimenta sunt propter privationem vel defectum boni matrimonii; sed defectus boni malum est et, ut dicit Dionysius [1], « malum est infinitis modis, quamvis bonum sit uno modo »: ergo infinitis modis videtur quod possit impediri. *Ad oppositum.*

2. Item, impedimenta matrimonii accipiuntur secundum accidentia personarum; sed, ut vult Philosophus [2], accidentia sunt infinita: ergo et impedimenta. *Maior* patet discurrendo in singulis; *minor* patet per Philosophum.

3. Item, impedimenta matrimonii respiciunt matrimonii conditionem, et illud respicit personas singulares; sed « singularia sunt infinita [3] » et indeterminata: ergo et matrimonii impedimenta.

Contra: 1. Nihil impedit matrimonium nisi secundum institutionem Dei vel Ecclesiae; sed institutio Dei et Ecclesiae quantum ad matrimonium est in determinatis conditionibus: ergo etc. *Fundamenta.*

2. Item, impossibile est scire legem matrimonii et vinculum, nisi sciantur illa quae illud vinculum solvunt; sed lex matrimonii est nobis determinata, ergo et impedimenta: ergo sunt in numero definito.

3. Item, hoc ipsum probatur per hoc quod Magister [4] de huiusmodi determinat et doctrinam dat; sed si non essent in numero determinato, non daret: ergo etc.

CONCLUSIO.

Duplici via numerus et sufficientia impedimentorum ostenditur.

Respondeo: Dicendum, quod hoc Sacramentum habet impedimenta plura; sed quaedam impediunt ex *congruitate*, et ista dicuntur impedire *contrahendum*, sed non dirimere iam *contractum*, ut est Ecclesiae interdictum et tempus feriatum, quia talia respiciunt solemnitatem matrimonii [5]. Quaedam impediunt de *necessitate*, quia non stat cum eis Sacramentum; unde dicuntur impedire *contrahendum* et dirimere iam *contractum;* quia, quamvis esset contractum *de facto*, tamen in veritate non fuit Sacramentum nec matrimonium verum. — Impedimenta *Duplex genus impedimentorum.* *Conclusio.*

---

[1] De Div. Nom. c. 4. § 31. seq. Verba magis respondent dicto Aristot. allegato tom. II. pag. 655, nota 3. Cfr. ibid. pag. 811, nota 4.

[2] Libr. IV. Metaph. text. 12. (III. c. 4.): Impossibile namque est accidentia, cum infinita sint, percurrere. Cfr. ibid. XI. c. 7. (X. c. 8.). Libr. II. Phys. text. 50. (c. 5.): Infinita enim uni accidunt.

[3] Aristot., III. Metaph. text. 12. et XI. c. 2. (II. c. 4. et X. c. 2.).

[4] Hic in lit. c. 1. generaliter impedimenta recenset, quae in seqq. dist. explicantur.

[5] Cfr. supra pag. 740, nota 6. — Superius pro *non dirimere* nonnulli codd. vel *dirimunt*, vel *dirimitur*. Post *interdictum* cod. V addit *si est ut clanculo*, edd. legunt *si fiat clanculo et tempore feriato*.

autem illa his versibus continentur, de quibus omnibus infra [1] habebitur singillatim.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis:
Haec facienda vetant connubia, iuncta retractant.

De sufficientia ergo impedimentorum dicendum, quod impedimentum fit sive potest fieri ex quadruplici causa. — Nam ex *efficiente* causa provenire possunt tria. Efficiens causa est consensus; ad consensum autem concurrit *ratio* et *voluntas* [2]. Contra rationis actum est *error;* contra actum *voluntatis vis* vel violentia; contra actum *utriusque conditio servitutis,* quae impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem.

Via 1. Ex causa efficiente tria.

Ex parte causae *materialis* tria: quia matrimonium est coniunctio *voluntarie* introducta, ergo est prius *naturaliter disparatorum* [3], *coniuncti* ergo proximitate sunt inepti ad matrimonium. Sed *coniuncti* possunt esse tripliciter: *consanguinitate, affinitate, iustitia publicae honestatis,* quae contrahitur ex sponsalibus per verba de praesenti; et sic sunt alia tria impedimenta.

Item ex materiali.

Ex parte causae *formalis* tria: quia matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas viri et uxoris; impedimentum autem contra hoc est, quando non potest dare sui corporis potestatem. Et hoc potest esse tripliciter: aut quia tradidit alteri, qui adhuc vivit, et sic est *ligatio;* aut quia se dedicavit Deo, et sic est *sacer ordo;* aut quia Deo et praelato, et sic est *votum,* quando quis vovet ingredi religionem, vel continentiam solemnem.

Item ex formali.

Ex parte *finis* similiter tria: quia matrimonium est ad procreandam prolem ad cultum Dei, vel saltem in remedium honestatis. Contra rationem procreandi, vel remedii est *impotentia coeundi;* contra cultum Dei, qui est in *fide,* est *disparitas cultus;* qui [4] est in *moribus,* est *criminis enormitas.* — Ita sunt duodecim impedimenta. Similiter aliqua recipiunt divisionem, ut impotentia coeundi et crimen, sicut melius patebit infra [5].

Item ex finali.

Posset tamen aliter horum impedimentorum sumi sufficientia. In matrimonio enim considerantur *personae,* quae iunguntur, et ipsum *vinculum,* et illud *per quod* vinciuntur, et illud *ad quod* vinciuntur: *quod vincitur,* et *vinculum,* et *ad quod,* et *per quod.* Personae, quae vinciuntur, debent aliquo modo convenire in cultu Dei et fide, sed distare vinculo naturali et consimili, propter hoc quod natura abhorret, personas multum consimiles in actu illo sociari. Multum igitur distant, quando sunt *dispares in cultu;* multum appropinquant, quando sunt iuncti *cognatione,* vel *affinitate,* vel *publicae honestatis iustitia.* Propinquitas *consanguinitatis* est ex *fructu* matrimonii, sed *affinitatis* ex *actu; iustitia publicae honestatis* tenet medium inter utrumque. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet cultus disparitas, cognatio, affinitas et publicae honestatis iustitia. — Consideratur iterum ipsum *vinculum,* quo vinciuntur individualiter; et ob hoc [6] non possunt coniungi vel vinciri qui sunt aliis obligati. Obligari autem alii est dupliciter: aut *Deo,* aut *homini.* Et *homini* dupliciter: aut per matrimonium, et sic *ligamen;* aut per servitutem, et sic *conditio.* Obligari autem *Deo* est dupliciter: aut per *votum,* aut per illud quod habet *annexum votum,* ut *sacer ordo.* Et sic sunt alia quatuor: ligamen, conditio, votum et ordo. — Tertio circa matrimonium consideratur illud, *per quod* contrahitur, et sic est consensus; et hic respicit actum *rationis,* et contra hunc est *error;* et actum *voluntatis,* et contra hunc est *violentia.* Et sic sunt duo. — Quarto consideratur [7] *usus* matrimonii, et hic dupliciter impeditur: aut per impossibilitatem utendi, et sic *impotentia* coeundi; aut per abusum, et sic *enormitas criminis.* — Et sic patet numerus et sufficientia horum impedimentorum, et quod sunt in numero determinato, scilicet duodecim.

Via 2. Quoad personas quatuor. Item quoad vinculum. Quoad consensum duo. Quoad usum duo.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod malum est modis infinitis; dicendum, quod Dionysius loquitur de malo, quantum est *de se,* quia privatio et non-ens est et caret fine et determinatione. Si autem loquamur de malo, prout ei *substernitur actus,* vel per comparationem ad *bonum,* quod privat; sic ponitur in genere *per reductionem* et species determinatas habet, sicut patet in vitiis [8]. — Verumtamen illud non valet ad propositum, quia impedimenta matrimonii non sunt defectus vel mala, sed et aliqua bona huic incompossibilia.

Solutio oppositorum. Distinctio. Nota.

2. Ad illud quod obiicitur secundo penes accidentia, dicendum, quod non penes quaecumque accidentia, utpote quod sit albus, vel niger, sed penes

---

[1] Art. 2. huius dist. usque ad dist. 43. — Duodecim impedimentis, quae in seqq. versibus continentur, Concilium Tridentinum adiunxit alia duo his versibus expressa:

Si parochi et duplicis desit praesentia testis,
Raptave sit mulier nec parti reddita tutae.

Cfr. *Glossa* in Gratian. introductionem C. 27, et Petr. Blesens., Epist. 115. — Pro *facienda* Vat. *socianda.*

[2] Vide locos supra pag. 707, nota 1. allegatos.

[3] Codd. PQ *disiunctorum,* edd. legunt *est personarum naturaliter disparatarum.*

[4] Cod. K *contra honestatem, quae* pro *qui.*

[5] Art. seq. q. 1. 2. et d. 37. a. 2. q. 3. et dub. 3. — Pro *Similiter aliqua* (scil. impedimenta) edd. *Similiter aliquam,* et pro *divisionem* nonnulli codd. *divisiones.* Mox pro *aliter* cod. U *melius.*

[6] Permulti codd. *et hoc* (ablativus).

[7] In cod. E secunda manus addidit *ad quod est, et sic est.*

[8] Cfr. II. Sent. d. 42. a. 3. q. 1. et dub. 2. — Inferius post *sed* cod. M supplet *sunt,* qui etiam subinde cum codd. L P Y (E a secunda manu) et ed. 1 praebet *huic,* pro quo alii codd. vel *habent* (Vat. *habet*), vel *habuit* (*habent huic?*). Pro *aliqua bona* multi codd. et ed. 1 *alia bona.*

accidentia, quae directe respiciunt matrimonium quantum ad aliquod bonum; et ita sunt in numero determinato.

3. Ad illud, quod sunt circa singularia; dicendum, quod sicut operationes virtutum sunt circa singularia, tamen sermo et cognitio est de eis, prout reducuntur ad aliquod universale — primo modo non habet certitudinem, secundo modo habet [1] — sic in proposito casus emergentes sunt multi et innumerabiles circa speciales personas; tamen omnes sub hac generalitate impedimentorum comprehenduntur. Et sic patet totum [2].

ARTICULUS II.

De impedimento impotentiae coeundi.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de impotentia coeundi. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum impotentia naturalis coeundi sit impedimentum matrimonii.

Secundo quaeritur de impotentia coeundi accidentali, quae est per maleficium.

QUAESTIO I.

Utrum impotentia naturalis coeundi sit impedimentum matrimonii.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod naturalis impotentia coeundi non impediat matrimonium:

Ad oppositum. 1. Quia verum matrimonium est matrimonium sine carnali coitu [3]; sed quandocumque aliquid habet *perfectum esse* sine aliquo, non impeditur per defectum illius: ergo etc.

2. Item, voluntas continendi in utroque coniugum non solvit matrimonium, ergo nec necessitas continendi pari ratione; sed ubi est impotentia [4] etc.

3. Item, matrimonium est vinculum insolubile; sed possibile est, impotentiam coeundi accidentalem [5] contrahi: ergo si perpetuum non impeditur accidentali, nec matrimonium impeditur impotentia coeundi.

4. Item, naturalis impotentia venit ex frigiditate in viro; sed frigiditas est accidens: ergo potest expelli per caliditatem: ergo et talis impotentia. Sed accidens cito transiens non solvit vinculum perpetuum: ergo etc. Similiter obiicitur de arctatione ex parte mulieris.

Fundamenta. Contra: 1. Extra, libro quarto [6], de Frigidis et maleficiatis: «Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio; sic qui impotentes sunt minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur».

2. Item, in matrimonio obligatur homo ad reddendum debitum; sed nullus potest se obligare ad impossibile [7]; sed impotens coire non potest debitum reddere: ergo non potest matrimonium contrahere.

3. Item, in matrimonio transit potestas corporis viri in mulierem, et e converso; sed quando alter est impotens, non transit potestas, quia «nemo dat quod non habet [8]»: ergo etc.

4. Item, si matrimonium est in remedium [9]: ergo inter personas, inter quas nec officium nec remedium potest esse, non potest esse matrimonium; sed hoc est per impotentiam: ergo etc.

5. Item, ad hoc est auctoritas iuris, Causa trigesima tertia, quaestione prima [10], quae dat licentiam contrahendi alteri personarum in casu isto: ergo non est matrimonium.

CONCLUSIO.

Impotentia coeundi naturalis et perpetua impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum.

Respondeo: Dicendum, quod impotentia coeundi naturalis aut est *temporalis*, aut *perpetua*. Si *tem-* Distinctio.

[1] Vide supra d. 20. p. II. dub. 3. — Si cod. A ultimo poneret *non habet*, lectio eius non esset reprobanda; legit enim: *primo modo habet incertitudinem, secundo modo habet;* plures codd. *primo modo non habet incertitudinem* etc., perperam. In principio solut. post *Ad illud* in codd. E G L aa additur *quod obiicitur.* Mox post *sic in proposito* cod. K (I a secunda manu) addit *est intelligendum; nam.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 3. — Deinde ex codd. I U substituimus *aliquid* pro *aliquis.*

[4] In cod. bb secunda manus supplet: *ibi est necessitas continendi: ergo.*

[5] Cod. E L Y *accidentaliter.*

[6] Tit. 15. C. *Quod sedem* (2.).

[7] Cfr. supra pag. 234, nota 6.

[8] Secundum Aristot., II. Elench. c. 3. (c. 22.). — Pro *nemo* plurimi codd. et ed. 1 *nihil.*

[9] Secunda manus in cod. E bene posuit *est in officium et in remedium* (vide supra August., qui in lit. Magistri, d. XXVI. c. 2. allegatur). Inferius pro *per impotentiam* cod. U *inter personas tales.*

[10] Can. *Quod autem interrogasti* (1.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

Conclusio. *poralis*, non impedit; si *perpetua*, tunc impedit contrahendum et dirimit contractum; et si alter coniugum petat separationem, separandi sunt; si autem velint mutuo cohabitare, possunt, ut qui non potest mulierem habere ut uxorem, habeat ut sororem [1]. — Sed quia dubium est, utrum impotentia talis sit Corollarium. perpetua; ideo Ecclesia utrique adhibet debitam diligentiam ad sciendam perpetuitatem et indicit cohabitare per tres annos et experiri actum illum et remedia, si qua possunt esse contra talem impotentiam. — Ad sciendum autem, quod praecesserit, creditur iuramento septem testium, vel etiam inspectioni claustrorum; alioquin statur verbo viri. Decipitur tamen aliquando Ecclesia, et cum constat de deceptione, iubet, eos quos separaverat, ad priora iura redire. — Concedendum est igitur, quod impotentia coeundi, quae venit ex naturali frigiditate, matrimonium impedit, si sit perpetua secundum veNotandum. ritatem. Qualiter autem cognoscatur eius perpetuitas, et quae sit diligentia adhibenda; hoc est inferioris scientiae determinare, ut iuristarum, aut medicorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod verum Solutio oppositorum. matrimonium est sine copula carnali; dicendum, quod verum est; sed non est sine ordinabilitate ad carnalem copulam, quia, sicut supra [2] dictum fuit, necesse est consentire in mutuam corporum potestatem; hic autem consensus nullus est, nec talis obligatio in eo qui non habet *posse* exercendi actum illum. Et ideo argumentum non valet, quia *potentia* coeundi quantum ad legitimitatem personae contrahentis est de essentia, non sic *actus*.

2. Per hoc patet responsio ad sequens, quod voluntas continendi non impedit matrimonium, quoniam adhuc manet ordinabilitas ad actum cum voluntate; quia non necesse est, esse perpetuam, pro eo quod voluntas potest verti; et ideo non est simile de impotentia et voluntate.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est vinculum insolubile; dicendum, quod istud verum est, postquam contractum est legitime; et ex tunc, si superveniat illegitimitas, non solvit matrimonium; sed si praevenit, impedit contractionem: et adeo impedit, Notandum. quod etsi videatur matrimonium contrahi secundum faciem hominum, tamen secundum veritatem non contrahitur. Et ideo dicitur *dirimere iam contractum*, non quia illud vinculum infringat, sed tantum est impedimentum, quod etsi de facto consummetur in facie hominum, nullam tamen soliditatem habeat.

4. Ad illud quod obiicitur, quod frigiditas est accidens etc.; dicendum, quod frigiditas duplex est: Distinctio. quaedam *accidentaliter*, quaedam *complexionaliter* et per naturam. Illa quae est in homine *accidentaliter*, potest ut plurimum expelli, pro eo quod non est a prima complexione. Sed frigiditas, quae est ex *complexione* et naturaliter inest — sicut in his qui sunt insensibiles per naturam, vel per malam dispositionem membri alicuius ad hoc ordinati, ut arctitudo in muliere, si tanta est, quod nullum remedium adhiberi possit secundum iudicium bonarum matronarum — haec est quae impedit, et haec est inseparabilis et perpetua; et de hac non valet ratio. Quod enim dicitur, « contrarium expelli per contrarium »; verum est, ut dicit Philosophus [3], « nisi alterum insit per naturam ».

QUAESTIO II.

Utrum impotentia coeundi accidentalis, quae est per malificium, impediat matrimonium.

Secundo quaeritur de impotentia coeundi accidentali, quae est per maleficium, utrum impediat matrimonium. Et quod sic, istud probatur:

1. Causa trigesima tertia, quaestione prima [4]: Fundamenta. « Si per sortiarias vel maleficas, occulto, sed nunquam nisi iusto Dei iudicio permittente, et diabolo praeparante, concubitus non sequitur; hortandi sunt » etc.; et post: « Si sanari non poterunt, separari valebunt ».

2. Item, Extra, libro quarto [5], de Frigidis et maleficiatis in decretali Honorii: *Litterae vestrae*, ubi est quaestio de eo qui alias mulieres poterat cognoscere, sed non propriam uxorem, in fine decretalis infertur: « Ipsis cum septima manu propinquorum iuramento firmantibus, se commisceri carnaliter nequisse, proferatis sententiam divortii inter eos ».

3. Item, ubicumque talis causa, ibi talis effectus; sed frigiditas, vel arctitudo impediebat et dirimebat propter impotentiam reddendi debitum [6]: ergo cum talis causa sit in maleficiatis, videtur etc.

4. Item, maius periculum est in his qui possunt coniungi aliis et non sibi, quam in his qui nullis possunt coniungi, quia potest esse multis occasio adulterii et homicidii etc.: si ergo separantur propter impotentiam coeundi cum qualibet propter na-

---

[1] Secundum Gregor., hic in lit. Magistri, c. 2, et in C. *Laudabilem* (5.), X. de Frigidis etc. (lib. IV. tit. 15.), ubi etiam de *triennio* et *iuramento septem testium* (cfr. infra dub. 4.). — Inferius pro *utrique adhibet* codd. L Y *statuit, ut uterque adhibeat*.

[2] Dist. 28. q. 6.

[3] De Praedicam. c. *de Oppositis*. Cfr. tom. II. pag. 182, nota 9. — Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[4] Can. 4. Vide hic lit. Magistri, c. 3.

[5] Tit. 15. c. 7.

[6] Ex quaest. praeced. — De *maiori* cfr. supra pag. 78, nota 8.

turalem defectum, pari ratione propter impotentiam coeundi cum una propter maleficium.

5. Item, maleficia fiunt arte et potestate daemonum, sicut dicitur in auctoritate canonis prius proposita [1]; sed diabolus est potentior et versutior, quam sit homo: si ergo homo potest alterum omnino reddere inhabilem ad actum matrimonii vel castrando vel secando per violentiam, vel dando medicinam, vel per virtutem lapidis aliquam occultam, sicut aliqui medici narrant; videtur, quod multo fortius hoc diabolus possit: ergo per maleficium poterit praestari efficax impedimentum.

Contra: 1. Huiusmodi sortilegium est diabolicum **Ad oppositum.** maleficium, sed matrimonium est remedium et divinum beneficium; sed potentius est divinum beneficium quam diabolicum maleficium: ergo potius matrimonium solvit maleficium, quam maleficium excludat matrimonium.

2. Item, nihil impedit matrimonium, quod sit temporaneum; sed maleficium omne est dissolubile: ergo per maleficium non impeditur matrimonium. Quod autem sit dissolubile, probatur ex parte eius *qui facit* et *cui fit* et *modi faciendi.* Ex parte eius *cui fit:* quia talia maleficia fiunt per diabolica commercia, quae non habent *posse* super viros sanctos, quia ipsi sunt triumphatores diaboli: ergo solum super peccatores; sed iste potest desinere esse peccator: ergo etc. — Ex parte *modi,* quo fit: quia « omnis res, ut dicit Chrysostomus [2], per easdem res destruitur, per quas componitur »: ergo si hoc factum est per maleficium vel maleficia: ergo per illud vel illa potest destrui. — Ex parte eius, *per quem fit:* quia per diabolum; sed virtus diaboli expellitur ab homine per exorcismos, etiam quando obsidet corpora: ergo videtur, quod similiter quantum ad effectum maleficii.

3. Item, videtur, quod ista maleficia nullius vigoris sint, quia qua ratione habent effectum in actum illum, eadem ratione in actum omnem: ergo si per maleficia possunt impedire coitum, ita possent comestionem et gressum, et sic perimere totum mundum per suum sortilegium; quod credere est sacrilegium.

4. Item, si maleficium impedit, aut *debilitando vim generativam,* aut *auferendo facultatem exeundi in actum.* Si *primo* modo; ergo cum illa vis aequaliter se habeat ad omnes, si impedit coitum quantum ad unam, impedit quantum ad omnes: si ergo non impedit quantum ad omnes, ergo videtur, quod quantum ad nullam, et ita nihil videtur dicere, quod possit cognoscere alias mulieres et non suam. Similiter argue de *secundo* modo, scilicet auferendo facultatem exeundi in actum [3].

CONCLUSIO.

Impotentia coeundi accidentalis, quae est per maleficium, contractum matrimonii impedit, quando est perpetua et praecedit.

Opinio 1. Respondeo: Dicendum, quod aliqui dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo nec alicuius vis nisi in sola aestimatione hominum, qui multos naturales defectus attribuunt maleficiis daemonum propter fidei defectum. — **Improbatur.** Sed ista positio derogat iuri et derogat opinioni vulgi, et quod maius est, experimento; et ideo istud non habet aliquam stabilitatem.

Opinio 2. Fuerunt et alii, qui dixerunt, quod maleficium vere impedit coitum ad tempus, sed tamen nullum est *perpetuum,* quia quodlibet dissolvi potest vel per diabolum, vel per maleficium [4], vel per divinum auxilium; et dixerunt illud capitulum primo propositum abrogatum. — **Improbatur.** Sed certe adhuc istud est contra experimentum et contra ius novum: quia decretalis Honorii praecipit, in talibus fieri divortium, cum experimento probatum sit, multos habitasse simul per longum tempus et adhibuisse operam magnam et quaesiisse multa remedia, et nihil omnino valuisse; et ideo per experientiam coniicit Ecclesia, tale maleficium aliquando esse perpetuum. — *Rursus,* quia multi sunt, qui remedium invenerunt; coniicit, non semper esse perpetuum; et ideo hoc maleficium aliquando impedit, aliquando non.

Opinio 3. cum distinctione. Propterea secundum communem doctorum opinionem distinguendum est, quod impotentia coeundi accidentalis, quae venit per maleficium, aut est *temporalis,* aut *perpetua.* **Conclusio 1.** Si *temporalis,* non impedit. Tunc autem praesumitur esse *temporalis,* quando infra spatium trium annorum cohabitantes et quam possunt operam dantes sive per ecclesiastica Sacramenta, sive per alia remedia, sanari possunt. Si autem non sanantur aliquo remedio, ex tunc praesumitur esse *perpetua.* — **Distinctio.** Haec autem impotentia *perpetua* aut *praecedit* contractionem matrimonii, aut *sequitur.* **Conclusio 2.** Si *praecedit,* facit personam illegitimam, ita quod impedit contrahendum et dirimit iam contractum; si *sequitur,* non impedit, sicut etiam de sectis dicitur Causa trigesima secunda, quaestione

---

[1] In fundam. 1. — In fine arg. codd. L Y addunt *matrimonio.*

[2] Vide supra pag. 682, nota 1. — Pro *modi, quo fit* cod. K (1 a secunda manu) *modi faciendi,* alii codd. *eius, a quo fit,* et mox non pauci codd. *per illum vel illam* pro *per illud vel illa,* in qua lectione fortasse substituendum esset *per maleficum vel maleficam* pro *maleficium vel maleficia.* Aliquanto superius pro *qui facit* edd. *et per quem.*

[3] In pluribus codd. desideratur haec ult. propositio.

[4] Codd. A B C D F P bene *maleficum.* — Haec et seq. opinio refertur in *Glossa* super C. *Fraternitatis* (6.), X. de Frigidis etc. (lib. IV. tit. 15.) ad verba *divinum miraculum.*

septima, ubi tale capitulum inscribitur et in littera [1] ponitur: « Illi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus aut amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accedit, ob hanc causam coniugia talium solvi non possunt. Similiter intelligendum de his qui ab adversariis excaecantur, aut membris truncantur, aut a barbaris secti sunt ». Et sic concedendum, quod — sicut sectio, quae reddit impotentem ad coitum — facit personam illegitimam, si *praecedat* contractionem, non facit, si *sequatur*, quia matrimonium non potest solvi nisi per mortem vel spiritualem, vel carnalem; unde Extra, de Conversione coniugatorum [2], *Ex parte tua*, ubi dicit Innocentius: « Ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de praesenti contrahitur, in nullo potest casu dissolvi, ut vivente reliquo, alter possit ad secunda vota transire ». Si igitur sequatur contractionem, non impedit, si vero praecedat, impedit, si sit perpetua [3].

Dupliciter autem fit maleficium perpetuum: aut Conclusio 3. respectu *omnis mulieris*, et sic reddit inhabilem ad omnem; aut respectu *uxoris*, et sic reddit inhabilem ad illam, sed non ad omnes; et tunc *tales separati* Notandum. secundum iura possunt aliis copulari. Non sic est de *frigidis*, quia, si copulantur aliis, scit Ecclesia, se esse deceptam, et ideo retractat devortii sententiam. — Concedendae igitur sunt rationes ostendentes, quod maleficium praestat impedimentum matrimonio.

1. Ad illud ergo, quod obiicitur, quod potentius Solutio oppositorum. est Dei beneficium; dicendum, quod verum est quoad id, contra quod ordinatur, ut matrimonium, quam morbus concupiscentiae, quia morbus non vitiat matrimonium, sed matrimonium excusat vitium [4]. Sed matrimonium non est ordinatum ad restituendam potentiam coeundi, et ideo maleficium non vincit nec expellit; nec ex hoc sequitur, quod maleficium sit potentius.

2. Ad illud quod obiicitur, quod dissolvi potest per causam etc.; dicendum, quod omne tale maleficium dissolvi potest per Deum, dissolvi etiam po- Notandum. test per diabolum; sed non omne dissolvi potest per maleficium, vel humanum consilium, quia malefici, sicut per confessionem eorum scitur, aliqua maleficia sciunt facere, quae ipsi, ad poenitentiam conversi, non possunt destruere, nec homines sciunt consilium adhibere, propter hoc quod industria diabolica superexcellit humanam. Et quoniam humanum consilium deficit, et Deus propter [5] meritum peccati praeteriti frequenter non exaudit, et diabolus ad hoc non debet invocari, nec eius patrocinium implorari; hinc est, quod tale maleficium dicitur esse perpetuum.

Ad illud ergo quod obiicitur de culpa, dicendum, quod non semper remotio poenae sequitur Notandum. remotionem culpae. — Et similiter ex parte facientis multa possunt destrui, quae non possunt construi [6]; et similiter ex parte exorcismi; non enim semper habet efficaciam in expulsionem diaboli, permittente iusto iudicio Dei.

3. Ad illud quod obiicitur, quod sortilegium nullum aufert potentiam comedendi; dicendum, quod sicut diabolo permissa est a Deo potestas super ser- Notandum. pentes magis quam super alia animalia in prioris facti memoriam — unde plus per incantationes serpentes quam aves capiuntur [7] — sic, quia actus ille vitiosus est et quodam modo foetens, et ut plurimum coniunguntur homines ad illum actum libidinose: ideo diabolus plus habet ibi *posse*, et plus ei permittitur. Et hoc probatur exemplo Scripturae et auctoritate, quoniam dicitur in Tobia [8], quod daemonium, nomine Asmodaeus, septem viros in *lecto* interfecit, non in *convivio*.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod aequaliter se habet vis illa ad omnes; dicendum breviter, quod verum est; et si impediretur *naturali* impedimento, aequaliter impediretur quantum ad omnes; sed quia *daemoniaco* impeditur — qui assistit et se obiicit secundum petitionem sortilegae mulieris, impetrante hoc merito infidelitatis, sicut Notandum. fides impetrat, ut Deus assistat ad facienda miracula — cum [9] sortiaria respectu personae *determinatae* facit sortilegium, diabolus in actu illo praesto est et non in aliis; et tunc vel propria virtute, vel per herbam, vel lapidem, vel naturam occultam vim impedit, ne in actum exeat, non respectu *alterius* mulieris, quia ad hoc invitatus non fuit, aut quia Dominus non permittit; occultum enim Dei iudicium hic latet, sicut patet in uxore Tobiae [10].

---

[1] Cap. 4, ubi allegatur Nicolai Papae C. *Hi qui matrimonium* (25.). De sensu vocis *excaecantur* cfr. Forcellini Lexicon.

[2] Libr. III. tit. 32. c. 14. Post *contrahitur* textus originalis addit *illis viventibus*.

[3] Ita cod. Z (supple: impotentia); in aliis et edd. *perpetuum*, minus bene, quia non facile suppletur: maleficium. Inferius pro *et tunc*, quod non pauci codd. omittunt, cod. Q (E a secunda manu) *unde*, ed. 1 cum nonnullis codd. *Chrysostomus*. Subinde pro *separati*, quod praebent codd. F L, alii codd. et edd. *separari*, incongrue, nisi cum cod. I (a secunda manu) post *possunt* addatur *et*.

[4] Cfr. supra d. 31. a. 2. q. 1. et dub. 5.

[5] Codd. T U X *propter peccatum et propter*. Pro *Et quoniam* codd. L Y *Nam aliquando*.

[6] Cfr. supra pag. 19, nota 7.

[7] August., XI. de Gen. ad lit. c. 28. n. 35, dicit, quod « hoc magis habeat usus, serpentes moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animantium. Etiam haec enim non parva testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim daemones, hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quaedam cum hoc genere familiaritas. Cfr. Ps. 57, 5. seq.

[8] Cap. 3, 8. — Superius post *permittitur* cod. U addit *in illo actu quam in alio*.

[9] Edd. *sic cum*, inferius post *sortilegium* addito *quia*; cod. bb *sicut cum*. Superius post *daemoniaco* Vat. subiungit *ministerio*.

[10] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaes

ARTICULUS III.

De defectu ex parte liberi arbitrii.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de defectu sive impedimento, qui venit ex parte liberi arbitrii. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur de perversitate rationis, quae est in furiosis.

Secundo, de subversione[1] voluntatis in incestuosis.

QUAESTIO I.

Utrum furia impediat matrimonium.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum furia impediat matrimonium. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia matrimonium est tantum consentientium, et consensus est ratione utentium; sed furiosi non utuntur ratione: ergo etc.

2. Item, plus tollit consensum stultitia quam error; sed error impedit matrimonium[2]: ergo multo magis furia.

3. Item, furiosus non potest stare in iudicio nec testificari, ergo nec contractum facere; sed plus est contractum facere ratione sui corporis quam rerum: ergo si matrimonium est contractus respectu proprii corporis, patet etc.

4. Item, furiosus non meretur nec demeretur; sed omnis qui suscipit Sacramentum, suscipit ad meritum, vel demeritum, vel digne, vel indigne: ergo furiosus non potest suscipere Sacramentum, et sic nec matrimonium.

Ad oppositum. Contra: 1. Matrimonium est ad procreandam prolem ad cultum Dei, ergo qui potest hoc facere potest matrimonium contrahere; sed furiosus potest generare: ergo etc.

2. Item, furia provenit accidentaliter; sed matrimonium est vinculum insolubile: ergo furia non impedit matrimonium.

3. Item, si a furia potest quis liberari, et nemo potest scire, utrum sit perpetua; sed impotentia coeundi non impedit, nisi sit perpetua secundum veritatem, vel probabiliter coniiciatur[3]: ergo etc.

4. Item, furiosus potest baptizari et recipit Sacramentum baptismi: ergo consimili ratione potest matrimonium contrahere.

CONCLUSIO.

Furia concomitans actu contractionem matrimonii impedit matrimonium, non vero si tantum habitu praecedit, vel si sequatur.

Respondeo: Dicendum, quod circa hoc distinguendum est, quia furia aut *concomitatur*, aut *praecedit*, vel *sequitur*. Si *concomitatur*; tunc, quia furiosus non habet potestatem consentiendi, et impedit matrimonium et nullum est; si autem *praecedit*, et ille habet lucida intervalla, vel *sequitur*; matrimonium non impedit[4]. — Rationes ergo probantes, quod impedit, procedunt ea via, qua furia est *tempore consensus* et secundum *actum*; si vero non esset *actu* furiosus, sed *habitu*; etiam si haberet lucidum intervallum, non deberet contrahere propter periculum, quia talis prolem nescit educare nec cum uxore debite cohabitare; tamen si contraheret, contractum esset. Distinctio. Conclusio. Ad argg. Corollarium.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod potest procreare prolem; dicendum, quod secundum statum furiae[5] non potest, quia nescit, quis sit Dei cultus; nescit etiam filios educare. *Praeterea*, si hoc posset, non sequeretur, quia hoc non dicit totum *esse* matrimonii.

2. Ad illud quod obiicitur, quod accidentaliter venit et recedit; dicendum, quod etsi matrimonium sit contractum per furiam, non[6] solvitur, sed impediri potest, ut non contrahatur; et si etiam contrahatur, nihil fit, nisi postmodum consentiat, cum habuit intervalla lucida.

---

[1] Cod. G *perversitate*, quod etiam infra in ipsa quaest. idem cod. pro *perversione* substituit.

[2] Cfr. supra d. 30. q. 1.

[3] Ut ostensum est supra a. 2. q. 1. et 2. — In *maiori* secunda manus in codd. E I delevit *si*.

[4] Vide *Glossam* in C. *Neque furiosus* (26.), C. 32. q. 7. — Post *vel* cod. U repetit *si*.

[5] Pro *furiae*, quod alii codd. et ed. 1 omittunt, codd. I K *illum*. Subinde pro *quis* codd. A G K *quid*.

[6] Edd. *non tamen*. Mox pro *fit* cod. A *facit*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod potest liberari a furia; dicendum, quod non est simile de *furia* et de *impotentia* coeundi: quia *furia* impedit ratione *consensus*, et consensus est in uno actu et in modico tempore; et ideo, si tunc sit furia, cum tollat consensum, impedit matrimonium. Sed *impotentia* coeundi est contra matrimonii *usum*, non contra consensum; et quia usus totum tempus vitae concernit, ideo non est impedimentum, nisi protendatur per totam vitam. Et sic patet illud.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de baptismo, dicendum, quod non est simile: quia baptismus est Sacramentum contra originale, quod quia aliunde contractum est, sufficit alienus consensus, nec oportet intervenire proprium; non sic in proposito, immo oportet, quod contrahens consentiat[1].

SCHOLION.

I. Ad 1. quaestionem communiter respondetur cum eisdem distinctionibus: S. Thom., hic a. 4; Suppl. q. 58. a. 3. — B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

II. Seq. (2.) quaestio spectat ad impedimentum affinitatis, de quo infra d. 41. a. 1. plura dicuntur. Cum autem, matrimonio iam contracto, incestuosa copula cum consanguineis coniugis primi et secundi gradus puniatur speciali poena, scilicet ut reus iure petendi debitum privetur; ideo hic specialiter de hac poena agitur. Communiter docetur, nescientem hanc Ecclesiae legem poenalem non subiacere poenae memoratae. De 2. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 5. et 4. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 6. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum crimen incestus impediat matrimonium et faciat personam illegitimam.

Secundo quaeritur de perversione voluntatis in incestuosis, ut puta cum quis iacet cum uxoris sorore; quaeritur ergo, utrum tale crimen impediat matrimonium et faciat personam illegitimam. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum.

1. Per auctoritates, quas adducit Magister in littera[2].

2. Item, hoc ipsum probatur *ratione:* quia, in quo quis peccat, in hoc torquendus est[3]; sed incestus iste fuit contra bonum matrimonii: ergo in eo debet puniri.

3. Item, affinitas[4] contrahitur in copula carnali; sed affinitas impedit matrimonium contrahendum et dirimit iam contractum, sicut et consanguinitas, vel cognatio: ergo si factus est affinis uxori, iam non manet matrimonium.

4. Item, quod saltem non debeat *reddere* debitum, videtur: quia quicumque coit cum consanguinea, vel affine, peccat mortaliter; sed nullus tenetur peccare mortaliter: ergo non tenetur reddere debitum.

Fundamenta.

Contra: 1. Uxor non debet puniri in peccato viri, ergo non privatur viro; et si hoc: ergo iste est vir, et potest ab eo petere debitum: ergo si matrimonium est vinculum relationis in utroque extremo[5]: ergo et ista est uxor, et ille vir.

2. Item, quod mortua uxore, possit contrahere cum alia, videtur, quia omne crimen potest deleri per poenitentiam: ergo si, omnino deleto crimine, non debet durare poena; videtur, quod talis possit contrahere.

3. Item, esto quod contrahat, nunquid Ecclesia separabit? Constat, quod non: ergo incestus non impedit matrimonium.

CONCLUSIO.

Incestuosa copula cum sorore uxoris impedit tantum ius petendi debitum, si fit post contractionem matrimonii; si vero ante eandem, est impedimentum dirimens.

Respondeo: Dicendum, quod aliquis potest committere incestum cognoscendo sororem uxoris suae dupliciter: aut *antequam* contrahat matrimonium cum sorore, aut *post* contractionem[6]. Si *post* contractionem matrimonii; matrimonium illud non solvitur, amittit[7] tamen ius *petendi* debitum, non tamen *reddendi,* quia non potuit peccatum eius praeiudicare uxori, nisi fuerit conscia sceleris. *Interdicitur* etiam tali ab Ecclesia, ut non contrahat cum *alia,* etiam priori mortua; dispensatur tamen cum eo, maxime si timetur de fornicatione, quia est iuvenis. Si vero contrahat sine dispensatione, non debet se-

Distinctio. Conclusio 1. Notandum.

---

[1] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 2. q. 1. ad 1. pro parte affirm. — Cod. aa supplet *actu propriae voluntatis.* Superius pro *aliunde,* quod habent codd. EGLU, codd. IK *aliene,* cod. O *per consensum alienum,* alii codd. *alienum,* edd. *per alium.*

[2] Hic c. 5.

[3] Respicitur Sap. 11, 17.

[4] Non pauci codd. *Item, si affinitas.*

[5] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2. fundam. 4. et pag. 727, nota 2. — Pro *matrimonium est* edd. *manet.* Superius voci *vir* cod. G praemittit *suus.*

[6] Cod. F supplet *matrimonii.*

[7] Vel supple: incestuosus, vel lege *amittitur.*

parari omnino, sed ad tempus ad poenitentiam faciendam; peccat tamen contrahendo sine Ecclesiae licentia [1]. — Si autem cognovit sororem *ante* matrimonii contractionem, etiam post sponsalia de futuro, nullum est matrimonium contractum ratione affinitatis; unde separandi sunt iudicio Ecclesiae, et mulier potest nubere, vir autem, quantum est de rigore iuris, nubere non potest.

Conclusio 2.

1. Et in hoc casu intelliguntur auctoritates a Magistro inductae.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de crimine, dicendum, quod quamvis sit homo puniendus pro crimine, quantum est de rigore [2]; dispensatur tamen, ubi timetur periculum, et detrahitur severitati.

3. Ad illud quod obiicitur de affinitate, dicendum, quod affinitas superveniens non dissolvit matrimonium iam contractum, quia quod firmum est non potest infirmari aliquo casuali vel accidentali superveniente.

4. Ad illud quod obiicitur de debito, dicendum, quod ipse in *petendo* cognoscit *affinem*, sed in *reddendo* cognoscit *uxorem*, quia illa petit affectu uxorio et petit ius, quod habet in eo; et ideo tenetur ille reddere [3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Plene legitimae sunt, quibus non obviat votum* etc. Videtur enim falsum dicere: quia legitimitas est habitus, illegitimitas est privatio; sed « per habitus cognoscuntur privationes, non per privationes habitus [4] »: ergo male definitur legitimitas per privationem illegitimam.

Respondeo: Dicendum, quod sicut *solutio* uno modo dicit habitum respectu ligationis, alio modo privationem; sic in proposito. Si enim comparentur solutum et ligatum respectu actus, quantum ad quem est expeditio, solutio dicit *habitum;* si vero comparentur respectu vinculi, solutio dicit *privationem vinculi;* et sic dupliciter potest definiri. Per hunc modum de *legitimitate* oportet intelligi [5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Volo esse mater et filios procreare* etc. Videtur enim male dicere, quia propter sterilitatem uxoris non potest vir allegare contra uxorem, quod velit esse *pater:* ergo nec propter frigiditatem viri mulier, quod velit esse *mater.* — Item, matrimonium stat sine bono prolis: ergo propter hoc, quod velit esse mater, non debet dividi.

Respondeo: Dicendum, quod Sancti [6] curialiter loquuntur, secundum quod ipsae mulieres sunt verecundae; mulier enim non potest separari a viro propter defectum potentiae *generandi,* sed potentiae *coeundi;* et in illa circumlocutione curialiter intelligitur, quod vult cognosci a viro. Et ita patet, quod non est simile de *sterilitate,* sed bene est simile de *arctitudine.* Si enim adeo arcta est, quod cognosci non potest; vir potest allegare et dicere, quod velit esse *pater*, id est, nolit continere, si potest [7] coire. Et sic patet illud.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant innupti utrique.* Videtur enim utrumque esse falsum, primum scilicet de *retinaculo coniugali;* quia, si est ibi retinaculum, cum sit vinculum insolubile, solvi non potest [8], si vero non, quomodo rescinditur? — *Rursus,* videtur falsum dicere et male praecipere, quia, cum alter eorum non habeat impedimentum aliquod, posset licite cum altero contrahere.

Iuxta hoc quaeritur, utrum, si ille qui est frigidus vere, divortium petat, utrum audiendus sit. Et quod non, videtur: quia fornicans non potest petere divortium, quia fit ob culpam suam: ergo nec talis frigidus, cum ipse sit in causa. — Sed *contra* hoc est, quia, cum non sit ibi matrimonium, videtur, quod neuter teneatur.

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod divortium propter impotentiam coeundi aliquando fit propter hoc, quod impotentia est in altero; aliquando propter hoc, quod impotentia est in utroque. Si propter hoc, quod sit in utroque, uterque debet sine spe coniugii remanere. Si propter hoc, quod sit in altero, sive in viro

Distinctio.

---

[1] Cfr. *Glossa* in C. *Qui dormierit* (30.), C. 27. q. 2. et C. 32. q. 7. (ubi c. 21. idem canon recurrit); C. *Si quis* (1.) et C. *Transmissae* (4.), X. de Eo qui cognovit consanguineam etc. (lib. IV. tit. 13.). Vide etiam infra d. 41. q. 1. et 3, ubi de *affinitate.*

[2] Cod. bb supplet *iuris.* Mox pro *ubi* cod. E *si.*

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vide tom. III. pag. 802, nota 8.

[5] Cfr. B. Albert., hic a. 1, ubi *positive* describitur persona legitima, quae secundum leges libertatem habet contrahendi matrimonium cum quocumque voluerit.

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Cod. F *sed velit.* — Vide de hoc dubio B. Albert., hic a. 4; S. Thom., hic a. 2. et circa lit.; Petr. a Tar., hic a. 2. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. seq. (ubi etiam de duobus seqq. dubiis).

[8] Codd. communiter *possunt,* et inferius post *praecipere* omittunt *quia.*

sive in muliere, post divortium ille, in quo est causa, debet remanere sine spe coniugii tanquam persona illegitima; quodsi contrahat et possit, tunc oportet redire ad priora vota.

Quod ergo dicit, quod maneant innupti, refertur ad eum, in quo reperitur causa illegitimitatis, sive in viro, sive in muliere.

Quod obiicitur de *retinaculo,* dicendum, quod Notandum. etsi secundum *veritatem* non sit ibi retinaculum coniugale, tamen secundum *apparentiam* vel aestimationem ibi est; vel etiam quaedam *sponsio et obligatio,* quia affectu maritali invicem cohabitare possunt; unde valde laudandum [1] est eis, quod insimul permaneant, nisi velint transire ad arctiorem vitam.

Quod quaeritur, si, viro petente, debeat fieri; dicendum, quod sic, si probare possit; attamen, quia contra se et contra matrimonium vadit, suspicio mala Notandum. de viro colligitur. Et ideo abundans probatio tali viro indicitur, maxime si mulier dicat, se cognitam esse ab ipso; quod si mulier confiteatur; aut oportet evidenter probare, aut debent ambo innupti remanere, vel etiam nunquam separari; pro quo Ecclesia debet diligentiam quam potest adhibere [2].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis, iurando dicat* etc. Videtur enim male dicere, quia nullus debet iurare nisi de eo, de quo certus est; sed nullus propinquorum certus est, pro eo quod actus ille latebras requirit: ergo videtur, quod nullus possit iurare. — Item, esto quod nullus sit propinquus, vel pauci; nunquid poterunt separari? — Item, quare Quaestio incidens. magis hoc debet fieri manu propinquorum quam aliorum?

Respondeo: Dicendum, quod quamvis de actu illo vix aut nunquam habeatur certitudo per facti evidentiam; habetur tamen ut plurimum per signa probabilia et per coniecturas, quae, quamvis non sufficiant ad generandam *scientiam,* sufficiunt tamen ad generandam *fidem* sive credulitatem, quae aliquod robur praestat. Dico igitur, quod ad hoc, quod divortium fiat, uterque debet iurare, quod nunquam carnaliter convenerint nec convenire potuerint, et quod operam dederint, et unusquisque, quod per se non steterit; et propinqui debent iurare, quod ita credunt; et tunc, ex quo simul cohabitaverunt per tempus sufficiens, dividi possunt. Si autem alter eorum, utpote mulier, dicat, quod non sit cognita, et vir dicat, quod sic; standum est viro, quia *vir est caput mulieris* [3], et quia etiam loquitur pro causa matrimoniali, quae est maxime favorabilis. Si autem mulier velit offerre et replicare, ipsum esse mentitum, per ostensionem claustrorum; standum est probationi mulieris. Si vero vir petat divisionem et dicat, se non cognovisse, et mulier dicat, se fuisse cognitam; quamvis *vir sit caput mulieris,* tamen non est standum iuramento viri, pro eo quod ipse contra matrimonium agit, et multi relinquunt uxores suas. Unde si aliae probationes non sunt, non est standum pro eo, sed pro matrimonio.

Quod quaeritur, quare manu propinquorum; Ad quaest. incid. dicendum, quod hoc est ex duplici ratione: tum quia eis magis constat, tum etiam, quia probabile est, quod magis pro matrimonio stent [4].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Tunc qui iuraverant periurii crimine rei teneantur.* Videtur enim male dicere, quia iuraverunt, se ita credere; sed quamvis ita non sit, non propter hoc iuraverunt falsum nec contra mentem: ergo non sunt periuri.

Respondeo: Dicendum, quod facienda est vis in verbo. Non enim dicit, quod *sint periuri,* sed quod *rei teneantur,* quia ita retractanda est sententia divortii lata per illa iuramenta, sicut si lata esset per iuramenta falsa, pro eo quod facti evidentia ostendit, illa iuramenta fuisse nulla quantum ad illam sententiam fortificandam [5], nec praebuerunt fortificationem, sed potius errandi occasionem.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *prioribus reconciliari nequibunt* etc. Videtur enim male dicere, quia, si copulentur aliis et coeunt invicem, tunc apertum est, quod solutum est maleficium: ergo videtur, quod non fuerit perpetuum: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur, quod non possunt reconciliari; hoc intelligitur, quando praesumitur, maleficium illud fuisse *personale;* et tunc valet uterque coniungi alii, quia non habet ille illegitimitatem nisi respectu *huius;* et ideo, cum alii coniungitur, vere coniungitur, et ideo non potest redire ad primam. Si autem maleficium illud fuisset ita *universaliter,* ut nullam posset cognoscere mulierem; tunc, si rediret potentia cognoscendi, et vellent redire; possent et deberent se invicem reconciliare.

---

[1] Secunda manus in cod. bb substituit *consulendum,* et infra post *debeat* supplevit *divortium.*

[2] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, et X. de Frigidis etc. (lib. IV. tit. 15.) per totum. — Idem dub. solvit Richard. a Med., hic circa lit.

[3] Epist. I. Cor. 11, 3. et Eph. 5, 23, allegatum etiam in C. *Accepisti* (1.), X. de Frigidis etc. (lib. IV. tit. 15.). — Inferius ante *velit offerre* cod. bb addit *se.*

[4] Vide B. Albert., hic a. 5-7; S. Thom., hic circa lit.

[5] Cod. bb *formandam.* — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

Sed quis potest hoc experiri, vel dare licentiam probandi? Tamen haec et multo maiora quotidie eveniunt et contingunt[1].

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Fabianus: *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur.* Videtur enim male dicere, quia, si non separantur, contrahunt; et si contrahunt, possunt contrahere.

Respondeo: Dicendum, quod furiosus *in actu* non potest contrahere, nec *de iure* nec *de facto*. Furiosus vero in *habitu* non potest *de iure* contrahere, quia prolem nescit educare; sed tamen, si sit sanae mentis in *actu*, potest *de facto* contrahere; et si contrahat, contractum est. Unde negatio prima non privat potentiam *simpliciter*, sed solum *de iure;* vel si privat potentiam *simpliciter*, tunc intelligitur de furia *in actu*. Et sic intelligitur verbum Magistri, et verbum sequens[2] adversative intelligitur de furiosis in *habitu*, sanae mentis in *actu*, qui possunt contrahere saltem *de facto*.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nec propriae uxori sibi liceat debitum reddere* etc. Videtur enim male dicere, quia non potest eam iure suo privare.

Respondeo: Istud non tenetur nunc, sed debet intelligi illud: quia non licet ei *petere* nec *reddere* etiam, ut *satisfaciat suae concupiscentiae;* sed tamen tenetur debitum *reddere uxori*, ex quo peccatum supervenit post matrimonium legitime contractum. Unde quamvis matrimonium non claudicet quantum ad *vinculum*, tamen quantum ad *debitum reddendum* claudicare potest; sicut patet de eo qui intrat religionem sine licentia uxoris et emittit votum solemne[3]; sic in proposito intellige. Unde ista decreta, quae hic allegantur, abrogata sunt.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *quod pro aliqua infirmitate corporali non licet viro uxorem dimittere.* Videtur enim male dicere: quia magis potest sustineri ut plurimum *fornicationis culpa*, in qua potest esse usus coniugii, quam *illa infirmitas*, in qua non potest esse usus: ergo si propter fornicationem dimittitur[4], videtur, quod et propter talem infirmitatem possit dimitti.

Respondeo: Dicendum, quod non fit separatio post coniugii consummationem, nisi fiat in poenam alterius; et quoniam nemo punitur nisi pro culpa, et afflicto[5] afflictio addenda non est; hinc est, quod pro qualicumque poena, vel infirmitate non est uxor reiicienda.

DISTINCTIO XXXV.

Cap. I.

De iure viri et mulieris.

Hoc etiam notandum est, quod cum Dominus concedat uxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur feminis. Unde Hieronymus[1]: « Praecepit Dominus, uxorem non dimitti, excepta causa fornicationis, et si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Non enim adultera uxor dimittenda est, et vir moechus tenendus ». Item: « Apud nos quod non licet feminis aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur ». — Ex his ostenditur, quod mulier potest super fornicatione virum convenire, ut vir mulierem. Unde Innocentius Papa[2]: « Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat; sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant, viri autem liberius uxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, communio negatur; virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus arcetur, qui submovebitur, si eius flagitium detegatur ».

Hieronymus. Innocentius.

---

[1] Edd. *probandi, cum haec... eveniant et contingant.* — Cfr. supra a. 2. q. 2, ubi etiam in scholio allegantur auctores, qui de hac re tractant, praeter quos vide Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Hic in lit. Magistri, c. 4. — Cfr. supra a. 3. q. 1; in scholio annexo citantur alii auctores hoc dubium solventes.

[3] Vide supra d. 27. dub. 4. — De ipso dubio cfr. supra a. 3. q. 2. et praeter auctores ibid. in scholio notatos S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[4] Cfr. infra d. 35. q. 1. seqq. — Pro *si propter* quod habent codd. G L, alii et edd. *si per.* Superius pro *plurimum* codd. I K *in plurimis*, nonnulli codd. *plurimis.*

[5] Pro *afflicto*, quod Vat. omittit, codd. L Y *afflictis.* — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 14; Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Epist. 77. (alias 30.) ad Oceanum de morte Fabiolae, n. 3; C. *Praecepit Dominus* (19.), C. 32. q. 5, ubi respicitur Matth. 19, 9. Seq. locus ibid. et C. *Apud nos* (20.), ibid.

[2] Can. *Christiana Religio* (23.), ibid.

Cap. II.

Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse expers fuerit fornicationis, et e converso.

Si vero quaeritur, an adulter adulteram possit di- Dubium 1. mittere causa fornicationis; dicimus, quia nequit adultera uxor dimitti a viro, nisi et ipse expers fornicatio- Augustinus. nis existat, et e converso. Unde Augustinus[1]: « Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud: *In quo alterum iudicas, te ipsum condemnas.* Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus; quod similiter et de femina dixerim ». Idem[2]: « Indignantur mariti, si audiant, adulteros viros pendere similes adul- Dubium 2. teris feminis poenas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere et exemplo regere feminas ». — Ex his apparet, quod adulter adulteram dimittere non valet, et e converso.

Cap. III.

De reconciliatione eorum qui propter fornicationem separantur.

Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alii copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire; sic et de femina. Unde Apostolus[3]: *His qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari;* et de viro addit: *Et vir uxorem non* Ambrosius. *dimittat.* Sed Ambrosius[4] ait: « Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere ». Sed hoc a falsariis in Ambrosii libro positum creditur; supplendum enim esse in viro quod de uxore praemi- Augustinus. sit, aperte dicit Augustinus[5] sic: « Quare non addit de muliere quod praemisit de viro, nisi quod similem formam vult intelligi, ut, si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori ». Idem: « Si nec illi nubere conceditur, vivo viro, a quo recessit, nec huic alteram ducere, viva uxore, quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere ». Idem: « Ut non facile dimittatur uxor, Dominus solam fornicationis causam excepit; ceteras vero universas molestias, si quae exstiterint, iubet pro fide coniugali et pro castitate fortiter sustineri; et *moechum* dixit qui a viro solutam duxit ». — Ex his ostenditur, quod si causa fornicationis fit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam; possunt autem reconciliari et cohabitare, sicut prius, si dimissum alter revocare voluerit.

Dicit tamen Ioannes Chrysostomus[6]: « Sicut cru- Chrysostomus. delis et iniquus est qui castam dimittit, sic fatuus est et iniquus qui retinet meretricem. Patronus enim tur- Dubium 3. pitudinis est qui celat crimen uxoris ». Item Hierony- Hieronymus. mus[7]: « Cum mulier unam carnem in aliam diviserit et se fornicatione a marito separaverit; non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: *Qui tenet adulteram stultus est et insipiens* ». Idem ad Amandum presbyterum scribens de quadam, quae, viro suo vivente, alii nupserat, sic ait: « Rem novam loquor, immo non novam, sed veterem, quae veteris testamenti auctoritate confirmatur: si reliquerit secundum virum mulier et reconciliari voluerit priori, non potest ».

Sed haec omnia intelligenda sunt de illa quae ab adulterio recedere noluit nec per poenitentiam peccatum delere; quod si vir scienter patitur, consentire videtur. « Si enim in adulterio perseverare elegit, patro- Gratianus. nus turpitudinis et lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit[8] ». Si autem a peccato recesserit et per poenitentiam illud purgaverit; poterit viro reconciliari. Unde Augustinus[9]: « Quod Augustinus. tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur con- Dubium 4. iux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros quos credimus poenitentia esse sanatos »? Idem: « Non erit turpis nec difficilis, etiam post patrata et purgata adulteria, reconciliatio coniugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum; non ut post viri divortium adultera *revocetur*, sed ut post Christi consortium adultera non *vocetur* ». Item Gregorius[10]: « Debet recipere peccatri- Canon. cem, quae poenitentiam egit, sed non saepe ». Item Hermas: « Si vir scierit, uxorem suam deliquisse, et Hermas. non egerit poenitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et vivit cum illa vir; reus erit et particeps peccati eius. Quodsi mulier dimissa egerit poenitentiam et voluerit ad virum reverti; debet recipere peccatricem, quae poenitentiam egit, sed non saepe ».

Cap. IV.

De illis qui ante coniunctionem se polluerunt per adulterium.

Solet etiam quaeri, an valeat duci in coniugium quae prius est polluta per adulterium. De hoc Leo Papa[11] ait: « Nullus ducat in matrimonium quam prius Leo.

---

[1] Libr. I. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 47; C. *Nihil iniquius* (1.), C. 32. q. 6, ubi citatur Rom. 2, 1.

[2] Libr. II. de Adulterinis Coniugiis, c. 8. n. 7; C. *Indignantur mariti* (4.), ibid.

[3] Epist. I. ad Cor. 7, 10. 11; cfr. C. *Apostolus dicit* (3.), C. 32. q. 7.

[4] Comment. in I. Cor. 7, 11, et apud Lyran. ibid.; cfr. Gratian. super C. *Quod proposuisti* (18.), ibid. Sed liber ille spurius est et pertinet ad Hilarium diaconum.

[5] Libr. I. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 43; Can. cit. *Apostolus dicit*. Seq. locus ibid. c. 14. n. 39; C. *Fieri potest* (4.), C. 32. q. 7. Tertius ibid.; C. *Dominus ad illud* (6.), ibid.

[6] Opus imperf. in Matth. hom. 32. circa med.; C. *Sicut crudelis* (1.), C. 32. q. 1.

[7] Libr. III. in Matth. 19, 9; C. *Dixit Dominus* (2.), ibid.; ibi citatur Prov. 18, 22. (ubi codd. et ed. 1 cum S. Hieron. pro *insipiens* habent *impius*). Seq. locus eiusdem Epist. 55. (alias 147.) ad Amandum, n. 4, et respicitur Deut. 24, 1. seq.

[8] Gratian. super C. *Apud misericordem* (10.), ibid.

[9] Libr. II. de Adulterinis Coniugiis, c. 6. n. 5; C. *Quod autem* (7.), ibid. Seq. locus ibid. c. 9. n. 8; C. *Non erit* (8.), ibid.

[10] Non invenitur in Gregor., sed in seq. loco Hermae [codd. et edd. scribunt *Hermes*], II. Pastor, mandato 4. c. 1; cfr. August., II de Adulterin. Coniugiis, c. 13. n. 13. Invenitur etiam in C. *Si vir sciens* (3.), X. de Adulteriis etc. (lib. V. tit. 16.).

[11] Can. *Nullus* (1.), C. 31. q. 1; et seq. locus C. *Relatum est* (4.), ibid.

Canon. polluit adulterio ». Item: « Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro violasse et insuper moechae iuramentum dedisse, quod post legitimi mariti mortem, si superviveret, duceret eam uxorem; quod et factum est. Tale ergo connubium prohibemus et anathematizamus ». His aliisque auctoritatibus vetantur in coniugium copulari qui se prius adulterio maculaverunt. Sed econtra Augustinus [1] testatur dicens: « Denique mortuo eo, cum quo fuit verum connubium, fieri potest coniugium cum qua praecessit adulterium ». Idem: « Posse fieri sane licitas nuptias ex personis illicite coniunctis, honesto placito subsequente, manifestum est ».

Dubium 5. Augustinus.

Sed haec ultima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens, concubinas posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem et fidem servare velint. Prima vero auctoritas Augustini de illis agit, qui de peccato poenituerunt et nihil in mortem viri machinati sunt, nec vivente viro, fidem adulterae dedit moechus, quod eam in coniugio duceret, si superviveret. Qui vero haec faciunt aliis praemissis auctoritatibus prohibentur copulari.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXV.

De divortio, quod fit propter adulterium.

Hoc etiam notandum est, quod cum Dominus concedat uxorem dimitti etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de triplici impedimento matrimonii. Hic agit de divortio, quod ortum habet ex culpa et peccato. Et quoniam adulterium potest praecedere matrimonium, vel sequi; et secundum quod praecedit, causat divortium, et secundum quod sequitur, similiter: ideo haec pars duas habet. In prima agit de divortio, quod fit propter adulterium, quod sequitur matrimonium. In secunda agit de adulterio [1], quod antecedit matrimonium, ibi: *Solet etiam quaeri, an valeat duci* etc.

Prima pars habet quatuor particulas. In prima ostendit Magister, quod vir innocens potest fornicariam dimittere, et e converso. In secunda ostendit, quod si ambo fornicantur, unus non potest alterum invitum dimittere, ibi: *Si vero quaeritur, an adulter adulteram* etc. In tertia ostendit, quod post divortium, coniuge vivente, neuter potest nubere, ibi: *Si quis autem fornicationis expers* etc. In quarta, quod possunt invicem reconciliari, ibi: *Possunt autem reconciliari* etc. — In secunda vero parte principali primo opponit, deinde solvit.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis quaeritur de divortio. Et circa hoc sex quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum liceat uxorem dimittere ex causa fornicationis.

Secundo, utrum dimittere uxorem fornicariam sit in praecepto.

Tertio, utrum possit quis fornicantem dimittere propria auctoritate.

Quarto, utrum, divortio celebrato, possit aliam uxorem ducere.

Quinto, utrum post divortium possint invicem reconciliari.

Sexto, utrum divortium, nullo peccato praecedente, possit sine culpa fieri.

ARTICULUS UNICUS.

De divortio.

QUAESTIO I.

Utrum liceat uxorem dimittere ex causa fornicationis.

Circa primum ostenditur, quod possit fieri divortium ex causa fornicationis.

1. Matthaei decimo nono [2]: *Si quis uxorem dimiserit, excepta causa fornicationis* etc.: ergo si hanc causam excipit, et vera est exceptio Domini; videtur, quod ex hoc licet dimittere. Fundamenta.

---

[1] Libr. I. de Nuptiis et concupisc. c. 10. n. 11; C. *Denique* (2.), ibid. Seq. locus est de Bono coniugali, c. 15. n. 17; Can. cit. § 1. Cfr. etiam Gratian. super C. *Illud vero* (3.), ibid.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. aa *de divortio, quod fit propter adulterium.*

[2] Vers. 9: Dico autem vobis, quia, quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem etc. Cfr. ibid. 5, 32.

2. Item, *ratione* videtur: quia alter coniugum non habet potestatem in corpore alterius, nisi quia dat ei sui corporis potestatem: ergo si, quantum est in se, subtrahit, amittit potestatem in corpore coniugis. Sed hoc facit per fornicationem: ergo etc.

3. Item, vir non tenetur esse cum uxore nec reddere ei debitum nisi ratione boni fidei, nec e converso: ergo si fornicans frangit bonum fidei, non tenetur [1] debitum reddere nec cohabitare: ergo potest eam dimittere.

4. Item, alter coniugum fornicando scandalizat alterum, quia est «factum minus rectum, praebens occasionem ruinae»: ergo si omne quod scandalizat, potest homo a se sequestrare, ut patet Matthaei decimo octavo [2]: *Si oculus tuus scandalizat te:* ergo etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Matthaei decimo nono [3]: *Quod Deus coniunxit homo non separet;* sed coniuges sunt divinitus coniuncti: ergo non debent humano iudicio separari: ergo nec divortium fieri ex aliqua causa.

2. Item, non est reddendum malum pro malo [4]: ergo quamvis uxor fornicando iniurietur viro, vir non debet ei reddere malum: ergo non debet eam abiicere.

3. Item, sicut dicunt canones [5], utroque fornicante, non potest alter ab altero separari; sed maior culpa est, cum uterque fornicatur, quam cum alter tantum: ergo si non potest fieri divortium ex maiori culpa, nec ex minori.

4. Item, propter defectum boni prolis, ut puta si alter sit sterilis, non potest coniux dimitti: ergo si hoc non est minus quam bonum fidei, propter defectum boni fidei matrimonium non [6] solvitur.

5. Item, quaero, qua de causa possit divortium fieri magis ex fornicatione quam ex alio peccato. Si, quia *peccat in coniugem,* similiter peccare potest detrahendo, odiendo; si vero, quia *dividit carnem:* ergo cum in peccato sodomitico non dividatur caro, videtur, quod ex illo non possit dimitti uxor; quod nefarium videtur, cum illud sit magis contra matrimonium.

Quaestio incidens.

Item, quaero, cum in *repudio* vir et uxor non iudicarentur ad paria, quia uxor non repudiabat virum; unde est hoc, quod in *divortio* ad paria iudicantur secundum iura [7]? *Praeterea*, quae est differentia inter divortium et repudium?

CONCLUSIO.

Ex causa fornicationis culpabilis et singularis divortium fieri potest, postulante innocente.

Respondeo: Dicendum, quod propter fornicationem licitum est fieri divortium inter coniuges, altero postulante. — Et ratio huius est, quia Dominus concessit; ratio autem, quare concessit, haec est, quia non servanti fidem, immo frangenti, non tenetur vir fidem servare [8]; et quia directe peccavit contra actum matrimonialem, in eodem puniri debet. Concessit igitur Dominus, divortium fieri, hoc exigente aequitate iuris matrimonialis, quae surgit ex hoc, quod alter iniuriatur alteri culpabiliter subtrahendo ius, quod habebat in corpore sine iniuria alterius. Unde non ex quacumque fornicatione fit divortium, sed ex ea, quae est *culpabilis* et *singularis* in altera personarum. Si ergo fornicetur *sine culpa,* ut puta per violentiam, vel per ignorantiam, cum credit, alium, cum quo coit, esse virum suum, vel credit virum mortuum et contrahit cum alio; ex tali non fit divortium. — Si vero fornicatio non est *singularis:* vel quia alter *similiter fornicatur*, et non potest de hoc alterum increpare; vel etiam, quia alter fornicatur, altero *consentiente* et *prostituente,* et tunc est particeps criminis; vel etiam altero *occasionem praebente,* ut puta cum repudiavit eam, et illa contraxit cum alio — si ambo veniant ad fidem [9], tenetur ipsam recipere — vel etiam altero *tolerante* et *dissimulante,* ut puta cum cognoscit eam voluntarie, postquam scit, coniugem fornicari: omnibus istis modis fit quasi criminis particeps; et ideo non fit ei iniuria, et ideo ex causa tali non debet fieri divortium; quod si fiat ex tali causa propter defectum probationis, peccat ille qui procurat divortium, quia iniuste subtrahit ius coniugi [10].

(Conclusio 1. — Ratio. — Conclusio 2. — Modi 4.)

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod fit ab homine divortium; dicendum, quod falsum est, immo a Deo fit ex causa iusta. «Non enim homo separat, sed Deus, quos poena damnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat [11]».

2. Ad illud quod obiicitur, quod non est reddendum malum pro malo; dicendum, quod si quis

---

[1] Cod. O supplet *altera persona*, cod. U *alter.*

[2] Vers. 9. Cfr. ibid. 5, 29. — Superius respicitur definitio *scandali:* « Scandalum est dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae », et est secundum Hieron., II. Comment. in Matth. 15, 12. (quae etiam in Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum ponitur) et secundum Glossam *interlinearem* apud Lyranum in Matth. 18, 7.

[3] Vers. 6. Plures codd. *Quos* Deus etc.

[4] Ut insinuatur Rom. 12, 17; I. Thes. 5, 15, et I. Petr. 3, 9.

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. et infra dub. 1. — Pro *dicunt* cod. H *dictant.*

[6] Cod. S *minime.* Edd. legunt: *videtur, quod propter defectum... non solvatur.*

[7] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — De libello *repudii* vide Deut. 24, 1: Si acceperit *homo* uxorem... scribet libellum repudii etc.

[8] Regul. iuris, regul. 75: « Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se praestitam servare recusat », in VI. — Subinde respicitur Sap. 11, 17: Per quae peccat quis, per haec et torquetur. — Pro *directe* codd. communiter *recte.*

[9] Vat. addit *seu lucem,* cod. aa *tunc,* plures codd. *et,* codd. T X *etiam* (coniungendum cum verbo *tenetur).* Inferius post *modis* cod. F subiungit *quia,* omisso subinde primo *et ideo.*

[10] Cfr. infra dub. 1, ubi quae praecedunt probantur ex iure canonico.

[11] Ut dicitur in C. *Quos Deus coniunxit* (18.), C. 33. q. 2.

uxorem dimittat in ultionem iniuriae, utique peccat; sed dimitti debet propter scandalum proprium evitandum et propter uxoris vitium corrigendum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non debet propter peccatum utriusque; dicendum, quod divortium non fit, nisi altero petente et altero coniugum alterum repellente; et quia, quando uterque reus est, non habet actionem in alterum — quia, *in quo iudicat alterum, se ipsum condemnat,* ad Romanos secundo [1] — cum autem alter est innocens, potest agere: ideo non est simile.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non fit propter defectum prolis divortium; dicendum, quod non est simile: quia fornicator peccat in corpus comparis [2], sed ubi defectus est prolis, potest esse sine peccato, vel saltem sine peccato in corpus viri.

5. Ad illud quod quaeritur, quare fornicatio
Notandum. separet; dicendum, quod est culpa non tantum contra Deum et contra corpus suum, sed contra matrimonii bonum et contra coniugii actum et contra corpus coniugis; est enim contra fidem et contra actum matrimonialem; abutitur etiam corpore, quod non est suum, sed alterius [3]: et ideo talis amittit ius petendi debitum, et quia hoc totum est in peccato contra naturam, ideo sub fornicatione comprehenditur.

Ad illud quod quaeritur de repudio, dicendum, Ad quaest. incid. quod differt *repudium* et *divortium*, quia *repudium* fiebat ex indebita causa, sed *divortium* ex debita; et illud est *permissum*, hoc *concessum;* differunt etiam, quia post repudium non prohibebantur nubere, post divortium autem prohibentur [4]; differunt etiam, quia vir repudiabat uxorem, non e converso; unde non iudicabantur ad paria, in divortio iudicantur ad paria. — Et huius ratio est, quia mulier merito primi peccati subiecta est viro; sed post reconciliationem Christi, in quo *non est servus et liber, masculus et femina* [5], omnino quantum ad legem tori ad paria iudicantur.

SCHOLION.

I. Solutio 1. quaestionis definita est a Concilio Trident. (Sess. XXIV. can. 8.). Divortium ob adulterium concessum in septem casibus non licere, docetur a S. Bonav. infra dub. 1. et a S. Thoma aliisque in ipsa 1. quaestione, a B. Alberto, hic a. 10.

De hac 1. quaestione: S. Thom., hic a. 1; Suppl. q. 62. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 4. — Durand., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de tota dist. hic q. unica.

II. Quoad 2. quaestionem communiter (cfr. etiam infra dub. 3.) docetur, quod rarissime *uxor* teneatur se separare a viro adultero; sed *vir,* utpote ad correctionem uxoris obligatus, quando adulterium mulieris est publicum, « si [adultera] non poeniteat, *tenetur,* ne peccato eius consentire videatur, dum correctionem debitam non apponit » (S. Thom., hic a. 2; Suppl. q. 62. a. 2.). Hoc Richard. (loc. cit. q. 2.) intelligit de ea quae « probabiliter praesumitur esse incorrigibilis ». Recentiores etiam virum saepe excusari posse docent, si ob graves rationes separationem non procuret.

De eadem 2. quaestione: B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic a. 2.

III. Secundum canones divortium proprie dictum, sive separatio a toro et cohabitatione, non potest licite fieri nisi iudicio ecclesiastico. Ob speciales circumstantias, ubi aditus ad iudicem ecclesiasticum non patet, etiam privatam separationem nostra aetate interdum excusari posse, nunc communiter docetur, praesertim quando non intenditur *perpetuum* divortium.

De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 3. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum dimittere uxorem fornicariam sit in praecepto.

Secundo quaeritur, utrum dimittere uxorem fornicariam sit in praecepto. Et quod non, videtur.

1. Primae ad Corinthios septimo [6] dicit Glossa:
Argg. pro parte negativa. « Dominus permisit causa fornicationis dimittere uxorem »; sed permissio non est praeceptum: ergo etc.

2. Item, esto quod vir non peccavit, tunc ergo ius habet et actionem in petendo debitum ab uxore, quantumcumque uxor peccet: ergo qualitercumque peccet, non tenetur eam dimittere.

3. Item, ipse vir non tenetur continere, nisi velit: ergo cum, dimissa uxore, teneatur continere, non tenetur uxorem dimittere.

4. Item, unusquisque potest iniuriam sibi illatam dimittere et peccanti parcere nec tenetur a pec-

---

[1] Vers. 1: In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. De ipsa solut. vide supra d. 32. a. 2. q. 2. ad 1.

[2] Hieron., Epist. 55. (alias 147.) n. 2, exponens illud I. Cor. 6, 18: *Qui autem fornicatur in corpus suum peccat,* ait: Sunt qui ita edisserant, quod secundum Scripturam [Eph. 5, 28.] uxor viri corpus sit, et quicumque fuerit fornicatus, peccet in corpus suum, hoc est in uxorem, dum eam sua fornicatione commaculat et facit, eam non peccantem sua commixtione peccare.

[3] Cfr. I. Cor. 7, 4. — Superius post *dicendum, quod* fere omnes codd. addunt *quia;* fortasse legendum: *dicendum, quod hoc est, quia* (vel *quod ideo, quia).*

[4] Vide infra q. 4. — Pro *differunt* non pauci codd. bis *differt.*

[5] Gal. 3, 28: Non est servus neque liber; non est masculus neque femina. Cfr. supra d. 33. a. 3. q. 2. ad 3.

[6] Vers. 12. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta est ex August., I. de Serm. Domini in in monte, c. 16. n. 45.

cante poenam exigere: ergo quotiescumque mulier peccaverit in virum adulterando, vir potest remittere: ergo non tenetur eam dimittere.

Contra: 1. Chrysostomus[1]: «Sicut crudelis et iniquus est qui castam dimittit, similiter stultus et iniustus est qui retinet meretricem»: ergo etc. *Pro parte affirmativa.*

2. Item, Hieronymus[2]: «Cum mulier se fornicatione a viro separaverit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: *Qui tenet adulteram stultus et impius est*», decimo octavo Proverbiorum.

3. Item, viri est cohibere et corrigere uxorem: ergo si cohabitat cum muliere adultera affectu maritali, consentit sceleri: ergo si tenetur non consentire, patet etc.

4. Item, mulier fornicans meretricatur; sed *qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur*[3]: ergo cum membra Christi non debeant fieri membra meretricis, tenetur ab ea separari.

CONCLUSIO.

Uxorem publice et perseveranter adulterantem tenetur vir dimittere ex praecepto; non vero hoc potest, si ista peccat in occulto, nec tenetur, si poeniteat.

Respondeo: Dicendum, quod fornicans coniux, aut fornicatur in *occulto*, aut in *manifesto*. *Distinctio.* Si in *occulto;* sic non potest dimittere, quia non potest probare, et non est nostrum de occultis iudicare. *Conclusio 1.* Si in *manifesto,* aut *perseverat* in malitia, aut *convertitur* ad poenitentiam. *Subdistinctio.* Si *perseverat* in malitia, sic, quia scandalizat, et quia vir tenetur uxorem corrigere iuxta mandatum evangelicum[4], tenetur eam dimittere. *Conclusio 2.* Si autem *poenitet* et se corrigit, non tenetur. *Conclusio 3.* — Et in primo casu loquuntur auctoritates Sanctorum et canonum; unde Hieronymus[5]: «Si vir scit, uxorem deliquisse, et mulier permanserit in fornicatione, et vivit cum ea vir; particeps est peccati eius». *Ad argg. pro 2. parte.* Tenetur ergo vir uxorem corrigere, ideo et fornicantem dimittere et ratione huius ad tempus continere; nec amittit ius in uxorem, ut patebit[6]; et quamvis debeat *dimittere iniuriam,* debet tamen *corrigere culpam.* — Et sic concedendae sunt rationes, quod non tenetur simpliciter dimittere, sed in casu; nec tunc ad omne tempus, sed ad aliquod, pro eo quod non tenetur perpetualiter continere; sed quemadmodum, uxore infirmante corporaliter, tenetur continere ad tempus, ita, uxore infirmante spiritualiter, ad eius correptionem tenetur ad tempus eam repellere, quoniam, quamvis possit culpam *indulgere,* debet tamen *corrigere.* Haec enim simul a Domino praecepta sunt cuilibet, scilicet ut proximo suo unusquisque parcat; *iterum,* quod parcendo corripiat. Et haec duo simul tanguntur Matthaei decimo octavo[7]. *Ad argg. pro 1. parte.*

Similiter rationes ad oppositum concedendae sunt in eo casu, in quo mulier indiget aliqua manifesta correptione propter criminis infamiam et evidentiam[8]. *Pro 2. parte.*

4. Tamen quod obiicit, quod est meretrix; dicendum, quod meretrix dupliciter potest cognosci: aut secundum quod *meretrix,* et sic cognoscitur a non suo, et hoc modo Apostolus[9] istud vituperat, quia est in contumeliam Christi; potest iterum cognosci ut *uxor;* et sic in nullius est contumeliam, immo cognoscitur ordinate. — Item, cum dicitur, quod cognoscere meretricem est malum, intelligenda est propositio cum reduplicatione, in quantum scilicet est meretrix, sive affectu meretricio. Et sic patet totum[10].

QUAESTIO III.

Utrum possit aliquis uxorem fornicantem dimittere propria auctoritate.

Tertio quaeritur, utrum possit quis uxorem fornicantem dimittere propria auctoritate, sine iudicio Ecclesiae. Et quod sic, videtur:

1. Quia Dominus[11] dat iustam sententiam, cum iubet dimitti ex causa fornicationis: ergo si hoc est de iustitia, et quod a Deo iudicatum est, non indiget ampliori iudicio: ergo sine omni alio iudicio potest eam dimittere. *Ad oppositum.*

2. Item, Matthaei primo[12]: *Ioseph, cum esset vir iustus,* cogitavit *occulte dimittere Mariam;*

---

[1] Homil. 32. in Matth. 19, 9. (op. imperfect.). Cfr. C. *Sicut crudelis* (1.), C. 32. q. 1, et hic lit. Magistri, c. 3.

[2] Libr. III. Comment. in Matth. 19, 9. Locus Scripturae est Prov. 18, 22. Vide C. *Dixit Dominus* (2.), C. 32. q. 1.

[3] Epist. I. Cor. 6, 16.

[4] Matth. 18, 15. seqq.

[5] Potius Hermas; cfr. hic lit. Magistri, c. 3. in fine. Eadem verba occurrunt in C. *Si vir sciens* (3.), X. de Adulteriis et stupro (lib. V. tit. 16.).

[6] Quaest. 4. et 5.

[7] Vers. 15. seqq. — Superius verbo *corrigere* cod. aa praemittit *eam.*

[8] Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, ubi Chrysostomi et Hieron. verba explicantur.

[9] Epist. I. Cor. 6, 15: Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi etc.

[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[11] Matth. 5, 32. et 19, 9.

[12] Vers. 19: Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. — Expositio huius loci, ex Glossa sumta, secundum S. Thom. (Comment. in hunc loc.) est Rabani. Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum sic habet: Quod *iustus* erat, hoc est testimonium castitatis Mariae, ut qui servat innocentem *iustus* dicatur; sed et

Glossa dicit, quod fuit « *iustus* et *pius: iustus,* quia voluit dimittere; *pius,* quia noluit propalare »: ergo cum Ioseph laudetur, quia voluit occulte dimittere; licet ergo sine iudicio Ecclesiae dimittere.

3. Item, possibile est, quod fornicatio nota sit soli viro, sed nihilominus tenetur vir uxorem corripere; sed divortium erat ad correptionem fornicariae: ergo cum hoc non possit probare in facie Ecclesiae, saltem tenetur, si non potest eam dimittere in publico, dimittere in occulto.

4. Item, si vir post cognitam fornicationem voluntarie uxorem cognoscit, contrahit irregularitatem [1] et etiam amittit actionem contra fornicariam: ergo si ad hoc non tenetur, potest uxori debitum denegare, et ita potest eam dimittere.

Contra: 1. Nullus se ipsum debet vindicare, Fundamenta. quia *mihi vindictam, dicit Dominus,* ad Romanos duodecimo [2]: ergo si mulier peccavit in virum, vir non potest eam propria auctoritate dimittere.

2. Item, nullus in eadem causa potest esse actor et iudex [3]; sed vir est actor: ergo non debet esse iudex.

3. Item, repudium in Lege non licebat fieri nisi auctoritate iudicum civitatis cum datione libelli [4]: ergo multo fortius nec in nova lege.

4. Item, si vir propria auctoritate dimittat uxorem reclamantem, compellitur eam recipere [5]: ergo praeter ordinem iuris eam dimisit, ergo non videtur etc.

5. Item, matrimonium non potest contrahi in occulto sine peccato [6]; sed facilius est ipsum contrahere quam dividere: ergo in occulto sine peccato non potest dividi.

CONCLUSIO.

Cognito certitudinaliter adulterio, pars innocens potest propria auctoritate in occulto se separare a toro tantum; sed divortium manifestum non potest fieri nisi in iudicio episcopi.

Respondeo: Dicendum, quod contingit, uxorem Duplex dimissio. dimitti a viro dupliciter: vel quantum ad *torum,* ut non commisceantur carnaliter; vel quantum ad *torum et mutuam cohabitationem.* Si *primo* modo; Conclusio 1. sic dico, quod vir, comperto et cognito certitudinaliter, quod uxor fornicetur, vel e converso, potest debitum denegare, nec ad hoc tenetur, nisi per censuram ecclesiasticam compellatur; et tunc, si compulsus debitum reddidit, nullum ei praeiudicium generatur. — Ratio huius est, quia tenetur et de- Ratio. bet corrigere suam comparem vel coniugem in occulto [7].

Si autem loquamur de separatione *secundo* modo; sic dicitur divortium, et hoc, quia est in Conclusio 2. manifesto, non debet fieri in occulto, sed in facie Ecclesiae; et quia matrimonium *est magnum Sacramentum* [8], non sub quocumque iudice, sed coram episcopo. Et hoc est quod dicitur Causa trigesima tertia, quaestione secunda, capitulo primo, *Saeculares* etc.; quod fuit editum in Concilio Carthaginensi, cui interfuit Augustinus [9], ubi dicitur: « Si antequam ad episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, et priusquam in iudicio damnentur, uxores suas abiecerint; a communione Ecclesiae et sancto populi coetu, pro eo quod coniugia maculant, separentur ». Et iterum, in eadem quaestione Nicolaus Papa [10]: Non liceat alicui sua auctoritate uxorem suam dimittere. — Unde secundum ius commune te- Corollarium. netur iterum eam resumere, quia iniuste exspoliati restitui debent ante litis contestationem; et hoc dico, Restrictio. nisi obiiciat ei fornicationem, quam velit incontinenti probare, vel aliquod consimile.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Dominus Solutio oppositorum. sententiam tulit; dicendum, quod falsum est, quia non *tulit sententiam,* sed *expressit;* et secundum illud ius episcopis potestatem sententiandi dimisit.

2. Ad illud quod obiicitur de Ioseph, dicendum, quod non est simile: quia tunc propter fornicationem non fiebat divortium, sed homicidium [11], et Ioseph tanquam pius timebat mortem Mariae.

3. Ad illud quod obiicitur, quodsi fornicatio soli viro nota est; dicendum, quod tunc debet uxorem corripere in occulto, non per divortium.

4. Ad illud quod obiicitur, quod contrahit irregularitatem et amittit actionem, si cognoscit volun-

---

pius, dum nollet propalare; ex conscientia castitatis *iustus,* ex timore *pius.* Cfr. August., Serm. 51. (alias 63. de Diversis) c. 6. n. 9.

[1] Cfr. supra pag. 654, nota 1. De seq. propos. vide infra dub. 1.

[2] Vers. 19: Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus.

[3] Can. *Nullus unquam* praesumat accusator simul esse et iudex vel testis (1.), C. 4. q. 4. Cfr. C. *Multi corriguntur* (18.), C. 2. q. 1. § 1. — De *minori* vide C. *Maritis,* (4.), X. de Adulteriis etc. (lib. V. tit. 16.).

[4] Cfr. Deut. 24, 1. Vide August., XIX. contra Faustum, c. 26, ubi docet, quod « apud Hebraeos scribere litteras Hebraeas nulli fas erat nisi *Scribis* solis ».

[5] Cfr. C. *Multorum relatione cognovimus* (10.), C. 35. q. 6. et C. *Porro* (3.), X. de Divortiis (lib. IV. tit. 19.). — Pro primo *ergo* edd. *quia.*

[6] Vide supra d. 28. q. 5.

[7] Matth. 18, 15. Cfr. quaest. praeced.

[8] Eph. 5, 32: Sacramentum hoc magnum est etc.

[9] Ut dicit Gratian., loc. cit.; in nota tamen adiecta dicitur, quod canon ille non in concilio Carthaginensi, sed in Agathensi (an. 506) editus sit. — Textus originalis substituit *apud episcopos* pro *ad episcopos* et finem exhibet sic: *pro eo quod fidem et coniugia maculant, excludantur.*

[10] Can. *Si quis cum matre* (17.), in quo de viro fornicante dicitur: « legitimam tamen, si habuit, non dimittat uxorem ». Quibus verbis Gratian. adiungit: Quos enim Deus coniunxit iudex sua auctoritate separare non debet. Cfr. ibid. C. *Historia* (3.) et seq., ubi Nicolaus decernit, quod uxor absque causae cognitione a viro suo dimissa ad omnia restituatur.

[11] Lev. 20, 10: Morte moriantur et moechus et adultera. Cfr. Deut. 22, 22. et Ioan. 8, 5.

tarie; dicendum, quod non tenetur eam cognoscere, nec tamen ex hoc debet eam propria auctoritate dimittere.

Ad fundam. Rationes ad oppositum probant, quod divortium non potest fieri nisi in facie Ecclesiae, cum sit publicum; et hoc est verum [1].

QUAESTIO IV.

Utrum, divortio celebrato, vir possit aliam uxorem ducere, vel uxor alium virum.

Quarto quaeritur, utrum, divortio celebrato, vir possit aliam uxorem ducere, vel uxor alium virum. Et quod non, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios septimo [2]: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quodsi discesserit, manere innuptam.*

2. Item, Augustinus de Bono coniugali [3]: «Manet inter viventes coniugale vinculum, quod nec separatio nec cum alio coniunctio possit auferre».

3. Item, *ratione* videtur: quia, si alter posset nubere; cum matrimonium non claudicet [4], posset uterque nubere: ergo quotiescumque aliqua vellet habere alium virum, posset habere fornicando; quod stultum est dicere.

4. Item, si propter fornicationem solveretur omnino matrimonium: ergo si aliquis cognosceret uxorem, ex quo fornicata est, cum iam non sit inter eos matrimonium, peccaret mortaliter; quod est inconveniens dicere.

Ad oppositum. Contra: 1. Osee secundo [5]: *Ipsa non uxor mea, et ego non vir eius;* Glossa: «Quia pristinos errores non reliquit»: ergo anima, quae non relinquit errores, non est uxor Dei: ergo a simili, si ita est in signato et in signo, mulier, quae fornicationes non relinquit, non est uxor viri; et si hoc: ergo vir potest cum alia nubere.

2. Item, Matthaei decimo nono [6]: *Qui dimiserit uxorem et aliam duxerit, excepta causa fornicationis, moechatur:* ergo si recta est exceptio, licet ex causa fornicationis uxorem dimittere et aliam ducere.

3. Item, *ratione* videtur: quia adulterando divisit carnem suam; sed Sacramentum matrimonii est, quod sint *duo in carne una* [7]: ergo Sacramentum per fornicationem solvitur: ergo non est ibi amplius matrimonium.

4. Item, post divortium vir in nullo tenetur uxori, nec in quantum ad debitum solvendum nec quoad cohabitationem: ergo aliquis est a lege uxoris solutus [8]; et si hoc; cum vir solutus a lege uxoris possit contrahere, videtur etc.

CONCLUSIO.

Divortium ob adulterium factum non separat matrimonium, dummodo legitime fuit contractum, quoad vinculum, sed tantum quoad debitum et cohabitationem.

Respondeo: Dicendum, quod divortium potest fieri dupliciter: aut quia personae erant *illegitimae ad contrahendum* ad invicem simpliciter; et tunc uterque potest alteri nubere, sicut supra [9] distinctum est. Potest etiam fieri *propter crimen fornicationis;* et tunc non potest contrahere nec vir nec mulier; quia, cum essent personae legitimae, fuit inter eas Sacramentum, quod est vinculum insolubile. Unde divortium non est separatio quantum ad vinculum sacramentale, sed quantum ad debitum et cohabitationem. Duplex divortium. Conclusio 1. Conclusio 2.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod anima fornicatoris non est uxor Dei; dicendum, quod matrimonium non est Sacramentum *huius* principaliter, sed *coniunctionis divinae naturae et humanae,* quae nullatenus solvitur [10]; ideo non est simile. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de exceptione Domini, dicendum, quod exceptio non refertur ad *utrumque* actum, sed ad *alterum* tantum, scilicet ad actum dimissionis; unde oratio illa tres habet causas veritatis [11]; unde quia procedit ad alteram tantum, fit *consequens.* Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod solvitur Sacra-

---

[1] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[2] Vers. 10. seq.

[3] Cap. 7. n. 6. seq. sententialiter; verba ipsa habentur l. de Nuptiis et concupisc. c. 10. n. 11. Vide supra lit. Magistri, d. XXXI. c. 2.

[4] Cfr. supra d. 29. q. 2. in corp.

[5] Vers. 2. — Glossa apud Lyranum *interlinearis* sumta est ex Hieron. in hunc locum. — Verbis *ergo anima* codd. F G interserunt *si.*

[6] Vers. 9: Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur. Cfr. ibid. 5, 32.

[7] Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5.

[8] Respicitur Rom. 7, 2. et I. Cor. 7, 39. — Edd. post *ergo* addunt *si,* et deinde *potest contrahere.*

[9] Lit. Magistri, d. XXXI. c. 2; XXXIV. c. 1, ibique Comment. a. 1. q. 2; et d. 32. a. 4. q. 2. in corp. — Superius voci *simpliciter* ed. 1 cum pluribus codd. perperam praemittit *non tamen.* Inferius pro *quia, cum* plures codd. *quia tum,* cod. aa *quia cum tunc.*

[10] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 6, et Comment. a. 2. q. 1. — Superius pro *Sacramentum* ed. 1 *signum,* Vat. *signum vel Sacramentum.*

[11] In matrimonii coniunctione tria consideranda sunt, scil. vinculum, torum et cohabitatio; quibus triplex respondet separatio, scil. solutio vinculi, separatio quoad torum et separatio quoad cohabitationem (cfr. quaest. praeced. et supra lit. Magistri, d. XXXI. c. 2.). *Solutioni* matrimonii opponit S. Bonav. *dimissionem,* quae separationem sive quoad torum, sive quoad

mentum; dicendum, quod istud non est de *necessitate* Sacramenti, quod caro sit indivisa, sed de *nobilitate* et dignitate. Quamvis enim caro alterius dividatur, nihilominus sunt *duo in carne una* [1].

4. Ad illud quod obiicitur, quod post divortium vir in nullo tenetur uxori, nec e converso; dicendum, quod quamvis nihil teneatur reddere, nihilominus tamen sacramentaliter est ligatus; et quia est ei alligatus, quamdiu vivit: ideo non potest alteri alligari.

SCHOLION.

I. *Vinculum* matrimonii *Christianorum* rati et consummati nulla auctoritate humana nulloque in casu, ne ipsius quidem adulterii, solvi posse, spectat ad fidem catholicam. Hoc Concil. Trident. (Sess. XXIV. can. 7.) definivit contra doctrinam Protestantium et etiam contra Graecos, apud quos viget praxis solvendi matrimonium propter superveniens adulterium. Communiter autem tenetur, ipso *iure naturae* matrimonium legitimum *quodcumque* esse *per se* indissolubile; quod innuitur etiam prop. 67. Syllabi a Pio IX. damnata. — De hac quaestione cfr. supra d. 27. a. 3. q. 1. 2.

De eadem 4. quaestione: Scot., supra d. 26. q. unica n. 10, d. 33. q. 3. n. 4. seqq. — S. Thom., hic a. 5; Suppl. q. 62. a. 5. — B. Albert., hic a. 5-16. — Petr. a Tar., hic a. 5. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 2.

II. De seq. (5.) quaestione: S. Thom., locis citt. a. 6. — B. Albert., hic a. 11-13. — Petr. a Tar., hic a. 6. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2.

III. Ultima (6.) quaestio ab aliis non tractatur specialiter, sed principia tanguntur in praecedentibus, praesertim supra d. 32, de solutione debiti.

QUAESTIO V.

Utrum post divortium possint vir et mulier invicem reconciliari.

Quinto quaeritur, utrum post divortium possint vir et uxor invicem reconciliari. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios septimo [2]: *Si discesserit uxor* a viro, praecipit, *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*: ergo potest ei reconciliari.

Item, quod *vir innocens* possit reconciliare uxorem invitam, videtur:

2. Quia non peccavit, ergo nihil amisit de iure suo, ergo potest petere debitum: ergo illa tenetur reddere.

3. Item, vir non tenetur continere, quia non obligatur, nec ex voto nec ex poena; et non potest alteram ducere: ergo potest sibi uxorem propriam reconciliare.

Item, quod *fornicaria* possit reconciliare virum invitum, videtur:

4. Esto quod sufficienter egerit poenitentiam, remissa est culpa et poena: ergo cessat causa divortii: ergo «cum, cessante causa, cesset effectus [3]», videtur etc.

5. Item, possibile est, virum fornicari; sed fornicante viro, competit exceptio contra virum petentem divortium: ergo pari ratione competit actio mulieri ad repetendum virum.

Ad oppositum. Contra: 1. Regula est in canone, Causa sexta, quaestione quarta [4]: «Quod semel bene definitum est nulla debet iteratione retractari»: ergo cum divortium sit celebratum per definitionem Ecclesiae, patet etc.

2. Item, uterque potest servare continentiam et vovere post divortium: ergo unus non habet ius in altero: ergo si non habent invicem ius, non possunt invicem reconciliari amplius.

3. Item, quod *fornicanti* non competat actio in alium, videtur: quia regula est in iure [5], quod «actio semel perempta non resuscitatur»: ergo si ex fornicatione amisit ius petendi debitum, patet etc.

4. Item, quod *vir* non possit sibi reconciliare fornicariam, videtur, quia in iudicio petiit et obtinuit separationem: ergo renuntiavit iuri petendi debitum; et si hoc, cum non possit agere ex eo cui renuntiavit, videtur etc.

CONCLUSIO.

Reconciliatio fieri potest, utraque parte consentiente, vel nocente tantum refragante; non vero vel utraque dissentiente, vel innocente refragante.

Respondeo: Dicendum, quod ad reconciliationem faciendam aut *uterque concordat*, aut *uterque discordat*, aut *unus petit* et *alter repugnat*. — Si *uterque concordat*, absque dubio fit; si *uterque discordat*, nec potest nec debet fieri, nisi fiat propter scandalum Ecclesiae, quae scandalizatur, pro eo quod uterque fornicatur publice. Si autem *alter petit*, aut *nocens* petit *innocentem*; et sic non debet cogi ad reconciliationem. Aut *innocens nocen-* Distinctio. Conclusio 1. Subdistinctio et conclusio 2.

---

cohabitationem importat. (Pro *tres* Vat. *duas*). — De locutione *tres habet causas veritatis* cfr. tom. III. pag. 252, nota 7, et de sophismate *secundum consequens* supra pag. 44, nota 10. — Pro *fit consequens* plures codd. *facit consequens*.

[1] Cfr. infra d. 42. a. 3. q. 2. ad 3.

[2] Vers. 11.

[3] Vide supra pag. 493, nota 6.

[4] Can. 6. Textus originalis plura interserit.

[5] Cfr. Iustinian., D. XLVI. de Solutionibus etc. (tit. 3.), lex *Qui res suas* (98.), § *Aream.* et C. II. de Transactionibus (tit. 4.), lex *Actione* (4.). — Pro *resuscitatur* cdd. *restituatur*.

Conclusio 3. *tem*, ut vir castus uxorem adulteram; et sic, ipsa invita, debet reconciliari per iudicium Ecclesiae, quia, sicut dicunt iura [1], « quod in meum favorem introductum est in meum damnum non debet retorqueri ». Aut *nocens nocentem* petit, ut mulier, quae prius est fornicata, repetit virum, qui est post divortium fornicatus; et sic restituendus est maritus uxori *invitus*, non quia actio mulieris resuscitata sit, sed in poenam fornicationis viri, quia abusus est privilegio libertatis. Quantumcumque tamen mulier faciat poenitentiam, nunquam acquirit ius in virum, ipso nolente, nisi vir fornicetur; et hoc propter contumeliam, quam intulit matrimonio, quia directe peccavit contra bonum fidei. — Ex his patet solutio obiectorum ad primam partem.

Conclusio 4.

Corollarium.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est retractanda sententia; dicendum, quod hoc verum est, quantum est de rigore iuris, non tamen quantum est de favore personae innocentis, ut dictum est.

2. Ad illud quod obiicitur, quod uterque potest vovere continentiam; dicendum, quod falsum est: quia *fornicans* non potest, nisi alter consentiat; et nisi post poenitentiam velit eam recipere, episcopus potest eam licentiare, ut intret religionem.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod actio mulieris est perempta, et quod vir renuntiavit iuri suo; dicendum, quod falsum est: quia actio mulieris non perimitur *simpliciter*, sed *sub conditione*, scilicet si vir permanserit continens; et ratio huius est, quia vinculum semper manet. — Vel potest dici, quod actio non vivificatur, sed de novo datur vel acquiritur a iure ob peccatum viri. — Similiter sequens est falsum, quia vir non renuntiat iuri suo *simpliciter*, sed *ad tempus* [2]. Aliter.

QUAESTIO VI.

Utrum possit fieri divortium, si non praecedat aliqua culpa.

Sexto et ultimo quaeritur, utrum possit fieri divortium, si non praecedat aliqua culpa. Et quod non, videtur.

Argg. pro parte negativa.

1. Primae ad Corinthios septimo [3]: *Praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, excepta causa fornicationis:* ergo praeceptum est, quod non separentur; sed contra praeceptum non potest quis facere, quin incurrat culpam: ergo etc.

2. Item, Ambrosius super Lucam [4]: « Dimittis uxorem sine crimine; putas hoc tibi licere, quod lex divina prohibet »: ergo hoc est prohibitum, sine crimine dimittere.

3. Item, verbo ipsius Domini, quod est firmius inter cetera, Matthaei decimo nono [5]: *Qui dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, moechatur;* sed per fornicationem, sive accipiatur large, sive stricte, semper intelligitur culpa: ergo etc.

4. Item, qui legitime coniuncti sunt ad perpetuam et individuam vitae consuetudinem ex matrimonio sunt ligati; qui ergo contra hoc facit, nisi habeat causam, quare debeat rationabiliter facere, matrimonio facit iniuriam; et non est sine peccato facere iniuriam Sacramento [6]: ergo etc.

5. Item, primae ad Corinthios septimo [7]: *Alligatus es uxori? Noli quaerere solutionem:* ergo nisi interveniat culpa sive peccatum, videtur, quod non liceat facere divortium.

Pro parte affirmativa.

Contra: 1. Sicut habetur Extra, de Conversione coniugatorum [8], vir et mulier possunt, si volunt, ex consensu mutuo religiones intrare diversas, etiam si non praecedat culpa; sed hoc non fit sine divortio: ergo etc.

2. Item, unusquisque potest licite renuntiare iuri suo [9]: ergo et quoad cohabitationem et quoad debitum solvendum potest absolvere: ergo etc.

3. Item, uxore volente intrare monasterium, vir potest promoveri ad sacros ordines et ad episcopatum; et hoc totum sine culpa, sicut dicitur de Conversione coniugatorum [10], *Sane si coniugati:* ergo etc.

Quaestio incidens.

Iuxta hoc quaeritur, utrum necesse sit, utrumque votum solemne emittere ad hoc, quod divortium possit fieri, et quare.

---

[1] Iustinian., C. I. de Legibus etc. (tit. 17.), lex *Quod favore* (6.); IV. de Fide instrumentorum (tit. 21.), lex *Plures* (18.) et V. de Secundis Nuptiis (tit. 9.), lex *Generaliter* (5.), § *In iis;* cfr. Regul. iuris, regul. 61. in VI. — Aliquanto inferius pro *viri* cod. U *cogitur.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 10. Verba *excepta causa fornicationis* habentur Matth. 5, 32.

[4] Libr. VIII. n. 5: Dimittis ergo uxorem quasi iure, sine crimine; et putas, id tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet. Cfr. C. *An quod* (2.), C. 33. q. 2.

[5] Vers. 9: Quicumque dimiserit... fornicationem, et aliam duxerit, moechatur. — De diversa acceptione fornicationis cfr. infra d. 39. dub. 3.

[6] Cod. U *sine peccato matrimonio facere iniuriam, quia facit iniuriam Sacramento.*

[7] Vers. 27. — Inferius Vat. perperam omittit *non.*

[8] Libr. III. tit. 32. C. *Cum sis* (4.).

[9] Vide supra pag. 567, nota 4. — Inferius post *potest* cod. K (a secunda manu) addit *alterum,* cod. P *alter alterum*, cod. Q *unus alterum.*

[10] Extra, lib. III. tit. 32. c. 6.

CONCLUSIO.

Divortium sine culpa praecedente non potest fieri, nisi utroque ad altiorem statum voluntarie transeunte et voto solemni se obligante.

Respondeo: Dicendum, quod divortium inter legitimas coniuges potest fieri dupliciter: (Distinctio.) aut ut in *eodem statu persistant*, aut ut ad *frugem melioris vitae transeant*. Si, ut in *eodem statu persistant;* (Conclusio 1.) tunc non debet fieri, nisi manifesta culpa praecedat, tum propter *periculum*, tum propter *scandalum*. — Si, ut ad *frugem melioris vitae transeant;* (Subdistinctio.) tunc aut *uterque* est *voluntarius*, aut *alter invitus*. (Conclusio 2.) Si *uterque* est *voluntarius;* tunc potest fieri sine culpa, (Ad quaest. incid.) ita tamen quod uterque votum solemne emittat, et uterque habitum religionis assumat, nisi sit talis persona, « de qua nulla possit oriri suspicio », quae, voto solemni emisso, poterit remanere in domo; sin autem, oportet, utrumque converti, sicut expresse in pluribus decretalibus tangitur de Conversione coniugatorum [1]; *rursus*, et tale divortium fieri debet per personam publicam, maxime per episcopum. — Si autem *alter vult cohabitare;* nullo modo fieri potest nisi per culpam praecedentem. (Conclusio 3.)

Et secundum hanc distinctionem respondetur argumentis factis ad utramque partem, sicut patet aspicienti [2]. (Ad argg.) — Verumtamen quod ultimo dicit Apostolus, quod alligatus non quaerat solutionem, hoc (Ad 5. pro 1. parte.) non dicit, ut dehortetur statum altiorem, sed ut a communione removeat instabilitatem, et ut ostendat, in quolibet statu hominem posse salvari. Unde illud intelligitur, quod *non quaerat solutionem*, scilicet *in praeiudicium uxoris*, sicut nec servus libertatem in praeiudicium domini [3].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo super hoc quod dicit: *Nequit adultera uxor dimitti a viro;* quaeritur, utrum vir, qui fornicatur in occulto, possit dimittere uxorem, quae fornicatur in aperto. Et quod sic, videtur: quoniam vir potest agere contra uxorem, et illa non potest excipere contra virum, et si excipit, nihil valet, cum non possit probare. (Quaestio incidens.) — Iuxta hoc quaeritur, in quibus casibus competat uxori excipere contra virum petentem divortium.

Respondeo: Dicendum, quod talis vir fornicans non debet eam dimittere nec potest sine peccato in conspectu Dei, licet possit in conspectu Ecclesiae, pro eo quod uxori non defuit ius excipiendi, quamvis desit probatio. Argumentum est Causa trigesima secunda, quaestione sexta per totum. Si tamen vir egisset poenitentiam, et illa accusata nollet agere poenitentiam, sed perseveraret in adulterio; creditur tunc, quod vir possit eam accusare et dimittere per sententiam; si vero vir esset in crimine notorio, sicut uxor, non posset. (Ad quaest. incid.) — Unde septem sunt casus, in quibus secundum iura adultera potest excipere contra virum. (Casus primus.) Primus est, si fornicari convincitur; Causa trigesima secunda, quaestione sexta per totum, et Extra, de Divortiis [4]. — Secundus, si quis prostituit eam; Extra, de Eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, *Discretionem* etc. (Secundus.) — Tertius, cum credebat maritum in bello defunctum et nupsit alii; Causa trigesima quarta, quaestione prima: *Cum per bellicam* [5]. (Tertius.) — Quartus, si cognita fuit latenter ab aliquo, quem credebat esse virum suum; Argumentum Causa trigesima quarta, quaestione prima [6]. (Quartus.) — Quintus, si fuerit vi oppressa; Causa trigesima secunda, quaestione quinta, *Proposito* etc.; hoc autem intelligendum est de vi absoluta, non de metu. (Quintus.) — Sextus, quando reconciliavit eam sibi post adulterium et petiit debitum; Causa trigesima secunda, quaestione prima. (Sextus.) — Septimus est rarus, si infidelis repudiat uxorem, et illa ducit virum alterum; si veniat ad fidem, debet eam recipere, non obstante, quod fuerit fornicata; Extra, de Divortiis [7], *Gaudemus*. (Septimus.)

Dub. II.

Item super hoc quod dicit: *Cum tanto gravius eos puniri oportuerit* etc.; quaeritur: quis gravius peccat, utrum mulier, quae adulteratur, quam vir, vel e converso? Et quod magis *vir*, videtur littera [8] dicere. — Item, sexus muliebris est infirmior et ad

---

[1] Can. paulo superius citato *Cum sis* et C. *Uxoratus* (8.), ibid. Cfr. supra pag. 743, nota 5. — Superius pro *sin autem... converti* [i. e. religionis habitum assumere], quod praebet cod. E (A a secunda manu), codd. F G *si autem non... converti*, alii et edd. *si autem... converti*.

[2] Plures codd. *aspicientibus*. Inferius pro *a communione* Vat. *a corde*, et post *unde illud* codd. U X addunt *sic*.

[3] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[4] Libr. IV. tit. 19. C. *Significasti* (4.). — Seq. locus est ibid. tit. 13. c. 6.

[5] Can. 1. (Codd. et edd. *Cum per bellicas*). — Post *nupsit alii* cod. B addit: *tunc enim maritus rediens tenetur eam recipere, non obstante adulterio, si steterit cum secundo, postquam primus venerit.*

[6] Can. *In lectum* (6.). — Seq. locus est C. 32. q. 5. c. 4. Cfr. ibid. Gratian. super C. *Puto* (16), qui etiam a nonnullis codd. allegatur. Tertius (sextus) habetur C. 32. q. 1. C. *Si quis uxorem* (4.), seqq.

[7] Libr. IV. tit. 19. c. 8. — Vide de hoc dubio supra q. 1; B. Albert., hic a. 10; S. Thom., hic q. 1. a. 1; Petr. a Tar., hic q. unica a. 1.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 1.

[8] Vide hic in lit. Magistri, c. 2. — Inferius pro *in culpa* edd. *a culpa*.

lapsum pronior per naturam: ergo magis excusatur in culpa. — Sed *contra* hoc est, quia sexus muliebris naturaliter est verecundior et viro debet esse subiectior: ergo videtur, quod gravius peccat, si adulteratur.

RESPONDEO: Dicendum, quod ista duo crimina Notandum. se habent sicut excedentia et excessa. In hoc enim, quod sexus virilis est stabilior per naturam et debet regere feminam, gravius peccat adulterando; sed quia vir maiorem habet impulsionem ad luxuriam propter fortitudinem caloris et quia maiorem habet copiam, nec est ita sexus verecundus per naturam: hinc est, quod mulier gravius peccat, et ideo maior ex peccato mulieris oritur infamia tam viro quam mulieri. Unde aliquo modo verum est hic quod dicit Gregorius [1] de carnalibus vitiis, quod sunt mi- Observatio generalis. noris culpae, sed maioris infamiae. — Fere enim in omnibus vitiis istud reperitur, quod ad invicem comparata se habent ut excedentia et excessa. — Verumtamen, si quaeratur, quod magis excedat; videtur, quod fornicatio mulieris, quia magis laedit virum et minus habet impulsivum, licet sit minus fortis ad resistendum; illud enim recompensatur per humanam verecundiam, quae debet eam retrahere multum [2].

DUB. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit Chrysostomus: *Patronus enim est turpitudinis qui celat crimen uxoris.* Videtur enim male dicere, quia Proverbiorum undecimo [3]: *Fidelis est qui celat crimen amici:* ergo bonum est crimen celare. — Item, qui scienter infamat alterum aufert ei maximum bonum: ergo graviter peccat.

RESPONDEO: Dicendum, quod *celare* est dupli- Distinctio prima. citer: aut cum scit, sed tamen est *occultum aliis,* et non detegit; aut cum scit [4] *apertum* et notum et dissimulando cooperit. Et primum est *fidelitatis*, secundum vero est *praebere patrocinium sceleri.* — Secunda. Vel aliter, *celare* hoc est dupliciter: aut in *praeiudicium correptionis,* aut in *supportationem peccatoris* et infirmi; et primum est malum, secundum Tertia. vero est bonum. — Vel aliter, *celare crimen* est dupliciter: aut personae, quae *potest prodesse;* aut personae, quae *potest obesse* [5]*;* primum est malum, secundum licitum. Et sic patet illud.

DUB. IV.

Item super hoc quod dicit Augustinus: *Quod tibi durum videtur, ut post adulterium tibi reconcilietur coniux* etc.*;* quaeritur, si sententia divortii lata est per errorem, et post vir promotus est ad sacerdotium; si error Ecclesiae et deceptio pateat, utrum reddendus sit uxori, si ipsa non vult continere. Et quod *sic,* videtur: quia mulier habebat ius suum, et salvo iure mulieris non poterat continentiam vovere contra voluntatem uxoris.

RESPONDEO: Dicendum, quod inducenda est ad continentiam; quodsi manifesta deceptio in latione prioris sententiae appareat, et ipsa non vult continere; debet vir suus sibi reddi. Verumtamen ille non poterit *petere* debitum, quoniam, quantum in se fuit, continentiam vovit [6]; et hoc dico, nisi mulier fuerit fornicata.

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Et insuper moechae iuramentum dedisse* etc. Videtur enim velle, quod fides superaddita impediat suum iuramentum. Sed videtur, quod *non:* quia licitum est hanc ducere uxorem post mortem viri: ergo licitum est promittere: ergo propter illam promissionem non debet impediri sequens matrimonium, sed confirmari: si ergo simplex adulterium non impedit, videtur, quod nec impediat cum fidei datione.

RESPONDEO: Dicendum, quod talis fides non est Notandum. *fides,* sed potius *infidelitas,* pro eo quod est contra *bonum fidei,* quo uxor tenetur alligata viro; et ideo, cum in fidei datione matrimonia inchoentur, et talis fides matrimonio repugnet; non initiat, immo simpliciter inhabiles reddit, quia nec initiari amplius inter tales personas potest nec consummari. Similiter, si alter in mortem viri machinetur propter contrahendum matrimonium, potius se facit inhabilem, quam se reddat habilem [7].

Quod ergo obiicitur, quod est licitum; dicendum, quod non est, tum quia fit ex mala causa, tum quia est occasio multorum malorum; et ideo, si iurat, non obligatur ad iuramentum servandum, sed potius ad poenitentiam faciendam pro iuramento male et inordinate emisso. Et sic patet illud.

---

[1] Libr. XXXIII. Moral. c. 12. n. 25: Scimus autem, quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere quam cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare; sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur.. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem noverunt. Unde fit plerumque, ut nonnulli, post superbiam in luxuriam corruentes, ex aperto casu malum culpae latentis erubescant.

[2] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 1; S. Thom., hic q. 1. a. 4; Petr. a Tar., hic a. 4. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. et circa lit.

[3] Vers. 13: Qui autem fidelis est animi celat amici commissum. Codd. allegant *c. 17,* ubi v. 9: Qui celat delictum quaerit amicitias. — Pro arg. seq. cfr. ibid. 22, 1: Melius est nomen bonum quam divitiae multae.

[4] Plures codd. *sit,* quod etiam a nonnullis codd. paulo ante pro *scit* substituitur.

[5] Codd. A F G Q V *quae non prodesse, sed obesse potest.* — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[6] Vide supra d. 27. dub. 4. — De hoc dub. cfr. Petr. a Tar., hic circa lit.

[7] Cfr. infra d. 37. a. 2. q. 3. — Superius post *personas potest* edd. prosequuntur: *nec consummari similiter. Si autem alter* etc.

DISTINCTIO XXXVI.

Cap. I.

De servis.

Nunc de *conditione* videamus, an valeat coniugium Gratianus. dividere. — « Ad quod dicimus, quia non negatur ingenua posse nubere servo; sed si nescitur esse servilis conditionis, libere potest dimitti, cum servitus eius Canon. fuerit deprehensa [1] », secundum illud: « Si quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit et aeDubium 1. stimat, quod ingenua sit; si ipsa femina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit, aliam accipiat. Si vero ancillam eam scierat et collaudaverat, post Canon. eam ut legitimam habeat ». Item ex eodem: « Si femina ingenua acceperit servum, sciens, quod servus esset; habeat eum, quia omnes unum patrem habemus Gratianus. in caelis, una lex erit viro et feminae ». « Cum dicitur: *sciens* illum servum, datur intelligi, quod si *nescierit*, illum servum esse; non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhaerere ei cuius fraude decepta est. Si autem scierit vir conditionem mulieris, vel e converso; non vaCanon. let eam dimittere ». Unde Zacharias Papa [2]: « Si quis liber ancillam in matrimonio acceperit; non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum coniuncti sunt, nisi ob fornicationem »; de illis agit, quibus alterutrius conditio nota est, quando coniunguntur.

Cap. II.

De copula servi et ancillae diversorum dominorum.

« Quaeritur etiam, si servus unius ancillam alteGratianus. rius acceperit, an sit inter eos coniugium ». De hoc Canon. ita est statutum [3]: « Dictum est nobis, quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam praesumtione dirimant, non attendentes illud: *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Unde nobis visum est, ut coniugia servorum non dirimantur, etiam si diversos Dubium 2. dominos habeant; sed in uno coniugio permanentes, dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis coniunctio fuit et *per voluntatem dominorum* ». — Attende finem huius capituli, ubi videtur innui, *praeter voluntatem dominorum* inter servum et ancillam non posse contrahi coniugium, vel si contrahitur, non esse ratum. — Quibusdam tamen videtur, inter eos posse fieri coniugium, dominis ignorantibus.

Cap. III.

De viro, qui se facit servum, ut dividatur ab uxore.

Illud etiam notandum, quod si mulier « virum li- Dubium 3. Gratianus. berum acceperit, et ille, ut causam praestet dissidii, se alicuius servum fecerit; nec uxorem dimittere, nec illa ob vinculum coniugii in servitutem redigi poterit [4] ». Unde illud: « Perlatum est ad sanctam Syno- Canon. dum, quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem et post filiorum procreationem occasione divortii cuiusdam se servum fecerit. Utrum mulierem necessario tenere debeat, et si tenuerit, an illa etiam servituti subiici debeat; quaesitum est. Iudicatum est, uxorem Dubium 4. minime debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat ».

Cap. IV.

De aetate contrahentium.

Hoc etiam sciendum est, quod « pueri ante qua- Dubium 5. Hugo. tuordecim annos et puellae ante duodecim secundum leges matrimonium inire nequeunt. Quodsi ante praedicta tempora copulam inierint; separari possunt, quamvis voluntate et assensu parentum iuncti fuerint. Qui vero in pueritia copulati post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in coniunctione permanere; iam ex hoc efficiuntur coniuges et deinceps nequeunt separari [5] ». Item: « Sponsalia ante septennium contrahi Gratianus. non possunt; solo enim consensu contrahuntur, qui intervenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur ». — Duo illa exsecuti sumus cum aliorum quorundam adiectione, quibus coniugium solvi potest, nec tamen solvi semper necesse est. Nunc de aliis, quae personas illegitimas penitus faciunt, addendum est et primum de *ordine*.

---

[1] Gratian., super C. *Si quis ancillam* (3.), C. 29. q. 2; seq. locus C. *Si quis ingenuus* (4.), ibid.; tertius *Si femina ingenua* (5.), ibid.; quartus est Gratian. super C. *Cuius rei* (6)., ibid. In secundo loco pro *in servitute detecta* codd. et edd., excepta 1, 8, *in servitutem deiecta.*

[2] Can. *Si quis liber* (2.), ibid. — Pro *habet licentiam* codd. A B C D et ed. 1 *habeat licentiam*, refragante canone.

[3] Can. *Dictum est* (8.), ibid. Citatur ibi Matth. 19, 6. Quae praecedunt leguntur apud Gratian., ibid.

[4] Gratian., super C. *Cuius rei* (6.), ibid. Seq. locus est C. *Perlatum est* (7.), ibid.

[5] Hugo, Sum. Sent. tr. 7. c. 15; seq. locus est Gratian. C. 30. q. 2. introduct.; cfr. C. *Litteras tuae fraternitati* (4.), X. de Desponsat. impuberum (libr. IV. tit. 2.).

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVI.

De impedimentis conditionis et aetatis.

Nunc de conditione videamus, an valeat coniugium dividere etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de impedimentis, in quibus impeditur matrimonium, quia ille qui contrahit, non potest se ligare propter defectum virtutis. Hic agit de illo impedimento, quod impedit, quia ille qui contrahit, non potest se ligare propter conditionem servitutis. Et dividitur haec pars in duas. In prima determinat de conditione, quia est defectus libertatis. In secunda vero, quia, *quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium* [1], agit de puerili aetate, ibi: *Hoc etiam sciendum est, quod pueri ante annos quatuordecim,* ubi determinat, quod pueri non possunt contrahere matrimonium ante annum decimum quartum.

Prima pars habet tres. In prima quaerit Magister, utrum error conditionis impediat matrimonium, ubi est error et dissimilitudo. Secundo vero, ubi est error, et tamen similitudo. Tertio vero, utrum, viro facto servo, fiat serva et ipsa uxor. Primum facit hic: *Nunc de conditione* etc. Secundum facit secundo capitulo, ibi: *Quaeritur etiam, si servus unius ancillam alterius* etc. Tertium tertio capitulo, ibi: *Illud etiam notandum est, quod si.* — Et ita in hac distinctione breviter duo determinat: primo, de errore conditionis; secundo vero, de defectu aetatis.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae determinat Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quantum ad primam partem distinctionis quaeritur de conditione servitutis.

Secundo quantum ad secundam quaeritur de defectu aetatis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum servitus cum contradictione domini impediat matrimonium.

Secundo, utrum cum errore contrahentis.

Tertio quaeritur de fructu ventris, cuius conditionem debeat sequi, scilicet patris vel matris.

ARTICULUS I.

De conditione servitutis.

QUAESTIO I.

Utrum conditio servitutis cum contradictione domini impediat matrimonium.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod conditio cum contradictione domini impediat matrimonium:

1. Quia servus non potest intrare religionem, domino suo contradicente, sicut dicunt iura [2], et si intrat, compellitur exire, et pro nullo habetur votum: si ergo non potest se obligare Deo per votum, multo minus nec mulieri per matrimonium. *(Ad oppositum.)*

2. Item, servus, contradicente domino, non potest ad sacros ordines promoveri [3]: ergo videtur, quod nec matrimonium contrahere pari ratione.

3. Item, in matrimonio transfertur potestas corporis viri in uxorem, et e converso [4]; sed servus non habet potestatem sui corporis, sed eius dominus: ergo non potest contra voluntatem domini contrahere.

4. Item, servus tenetur domino suo obedire, cum praecipit sibi aliquid; item tenetur uxori debitum reddere, cum petit; sed potest esse, quod

[1] Gal. 4, 1. — Superius pro *quia est* codd. A G H *quae est*, cod. L *in qua est.*

[2] Vide supra pag. 655, nota 4. — Superius post *conditio* edd. addunt *servitutis.*

[3] Ut ostensum est supra d. 25. a. 2. q. 4. — Superius pro *non potest* cod. Z *non debet.*

[4] Epist. I. Cor. 7, 4.

dominus petat servitium, et uxor tunc petat debitum; sed utrumque reddere est impossibile: ergo si nullus potest se obligare ad incompossibilia [1]; si est servus, non potest contrahere.

5. Item, conditio enumeratur inter impedimenta matrimonii [2]; sed haec est servitus: ergo etc.

Contra: 1. Ad Galatas tertio [3]: *In Christo Iesu* Fundamenta. *non est servus neque liber:* ergo nec quantum ad Sacramenta Christi et Ecclesiae est distinctio servi et liberi: ergo nec in matrimonio.

2. Item, servus et dominus sunt pares in concupiscentiae morbo, ergo et in remedio; sed remedium concupiscentiae carnalis est matrimonium: ergo in hoc sunt pares: ergo unus non potest alterum impedire.

3. Item, servitus est de iure positivo [4]; sed matrimonium est de iure naturali: ergo si ius positivum non praeiudicat nec impedit ius naturale, nec servitus matrimonium.

4. Item, sicut servus tenetur obedire domino, ita et filius patri; sed in hoc filius non tenetur obedire patri, ut habitum est supra [5] et ostensum quantum ad matrimonium contrahendum: ergo nec servus domino.

CONCLUSIO.

Conditio servitutis non impedit matrimonium, etiam contradicente domino.

Respondeo: Dicendum, quod secundum ius no- Conclusio. vum [6] conditio servitutis non impedit matrimonium, etiam domino contradicente, vel dominis, quia Sacramenta ecclesiastica omnibus sunt communia, et servus etiam coniugatus potest suo domino debita servitia exhibere; unde per matrimonium non subtrahitur a domini potestate.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de religione, dicendum, quod in religione religiosus omnino subest praecepto religionis quantum ad omne tempus, Solutio oppositorum. et ideo absolvitur ab omni alia potestate; et quia non potest nec debet auferri ius domini, quod habet in servum, ipso invito: ideo patet etc. Non sic in matrimonio, quia adhuc servus est. — Et per hoc patet illud de ordine, quia promotus ad ordines sacros hoc ipso efficitur liber [7].

3. Ad illud quod obiicitur, quod transfertur in mulierem potestas viri; dicendum, quod non *simpliciter* transfertur — quia uxor non dicitur domina Notandum. viri — sed quoad *actum coniugalem,* quantum ad quem nullam habebat potestatem dominus super servum; et ideo quantum ad illum actum transferre potest, licet non ita libere, sicut unus alius, ut videbitur [8].

4. Ad illud quod obiicitur de redditione servitii, dicendum, quod servus aut contrahit, domino Distinctio. *consentiente,* aut *contradicente.* Si *consentiente;* Solutio 1. cum concedens aliquid concedat et illa quae ad illius ius pertinent [9], et ad matrimonium pertinet redditio debiti, cum uxor petat; uxore petente debitum, et domino aliud imperante, tenetur et debet non obedire domino, sed uxori. — Si autem, domino *contradicente,* contractum est; cum dominus suo iure privari non debeat, ex utraque parte pari imminente periculo, debet domino obedire. Quodsi Solutio 2. maius periculum sit ex parte uxoris, quia timet lapsum in fornicationem et non timet graviter dominum offendere; debet secundum legem caritatis di- Solutio 3. vinae debitum prius uxori reddere quam exsequi imperium domini sui. Regulariter tamen tenendum Solutio 4. est, quod cum contrahit cum servo scienter, domino contradicente, vel e converso, sibi praeiudicat, ut ius petendi non habeat, quando [10] obsequium postulabit; et ideo servus non obligatur hac repugnantia, quia tenetur debitum solvere, cum nullum praeiudicium domino generatur.

SCHOLION.

I. Non ipsa *conditio* servitutis, sed *error* circa hanc qualitatem personae est impedimentum dirimens, ut explicatur in tota 2. quaestione; infra autem in dubiis 1-4. plures casus huc spectantes solvuntur. A nonnullis illius aetatis auctoribus haec omnia diffusius tractantur.

De 1. et 2. quaestione et illis casibus: Scot., hic q. 1. — S. Thom., hic a. 1-3; Suppl. q. 52. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 1-5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1-5. (in novem quaest.). — Durand., hic q. 1. 2. — Dionys. Carth., de his et de 3. q. hic q. unica.

II. De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 4. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2.

---

[1] Cfr. supra pag. 234, nota 6. — In *maiori* respicitur Eph. 6, 5. et I. Cor. 7, 3. — Superius pro *impossibile* plures codd. *incompossibile.*

[2] Supra lit. Magistri, d. XXXIV. c. 1, et Comment. a. 1. q. 2.

[3] Vers. 28.

[4] Cfr. tom. II. pag. 1008, nota 1. De *minori* vide supra d. 26. a. 1. q. 2. in corp.

[5] Dist. 29. q. 3.

[6] Cfr. C. *Dignum est* (1.), X. de Coniugio servorum (lib. IV. tit. 9.).

[7] Vide supra d. 25. a. 2. q. 4. circa finem.

[8] In solut. ad 4. — Superius verbis *potestas viri* codd. L Y interserunt *corporis.*

[9] Cfr. supra pag. 453, nota 4. — Superius pro *contrahit* cod. L *contraxit.*

[10] Cod. Y (E a secunda manu) supplet *dominus.*

QUAESTIO II.

Utrum conditio servitutis cum errore impediat matrimonium.

Secundo quaeritur, utrum conditio servitutis cum errore impediat matrimonium. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia magis est tolerabilis in coniuge servitutis conditio quam qualitas leprae: ergo si error qualitatis talis non impedit, multo minus nec error conditionis.

2. Item, error fortunae, sicut iura[1] dicunt, non impedit matrimonium; sed possibile est, quod servitus sit *a fortuna*, sicut aliquis capitur *a casu* in bello et efficitur servus, vel propter paupertatem, quae est *a fortuna* secundum usum loquendi, se vendit in servum: ergo etc.

3. Item, servus, quantum est de se, persona est legitima ad contrahendum; sed conditio servitutis non tollit plenum consensum, quia, si cognoscit substantiam eius et qualitates et accidentia, talis cognitio sufficit ad hoc, quod consentiat: ergo non est ibi illegitimitas personae nec defectus consensus: ergo est matrimonium plenum.

4. Item, peior est conditio servitutis spiritualis quam corporalis[2]; sed error conditionis spiritualis non impedit matrimonium: ergo etc.

Fundamenta.

Contra: 1. Iura dicunt Causa vigesima nona, quaestione secunda[3], et decretalis, de Coniugio servorum, quod error conditionis impedit matrimonium contrahendum et dirimit iam contractum.

2. Item, *ratione* videtur: quia illud est impedimentum matrimonii, quod est contra bonum matrimonii; sed servitus est contra *bonum prolis*, quia, si liber cum ancilla contrahat, filii non sunt liberi, sed servi, quia, sicut dicunt iura[4], «partus sequitur ventrem».

3. Item, est contra *bonum fidei*, quia dominus potest vendere uxorem alienigenis, ipso viro nolente, maxime infidelibus, ubi, si sequitur eam, imminet ei periculum fidei; si vero non sequitur, non potest petere debitum nec habere[5].

4. Item, nullus puniri debet sine culpa, ipso nolente et ignorante; sed opprobrium et infamia est alicui, quod sit servus, vel etiam servili personae subiectus: ergo ubi intervenit error conditionis, non est matrimonium.

Quaestio incidens.

Quaeritur igitur, quare et quando error conditionis impediat matrimonium.

CONCLUSIO.

Conditio servitutis cum errore tunc matrimonium dirimit, quando liberi cum servis contrahunt.

Distinctio.

Respondeo: Dicendum, quod error conditionis potest esse tripliciter: aut paris, ut cum servus contrahit cum ancilla; aut melioris, ut cum servus cum libera; aut deterioris, ut cum liber cum ancilla. In primis duobus casibus error non impedit matrimonium, in tertio vero impedit matrimonium et dirimit, nisi post cognitionem conditionis consenserit verbo, vel facto. (Conclusio.)

Ad quaest. incid. ratio duplex.

Ratio autem huius est propter duo, scilicet propter favorem *libertatis* et *causae matrimonialis*, quae maxime favorabilis est. Unde quia qui contrahit cum ancilla quodam modo perdit libertatem, quae est, sicut dicitur in iure civili[6], «bonum inaestimabile», et quam nullus perdit nisi nolens, quia perditam recuperare non potest etiam volens: ideo in favorem libertatis ius servatur erranti, ut, si velit, possit ancillam deserere. — Et *praeterea*, servitus est contra *bonum prolis* et *fidei;* et quia iura favent matrimonio, ideo praesumunt, errantem in conditione[7] non consentire, ideo nec matrimonium esse. Et ideo, quod impediat, hoc facit constitutio Ecclesiae ex praedicta veniens ratione.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur de qualitate, dicendum, quod non est simile: quia nulla qualitas est ita contra bona matrimonii, ut servitus; nulla etiam ita obviat bonis matrimonii, ut servitus, de his quae non impediunt[8].

2. Ad aliud dicendum, quod libertas non computatur inter bona fortunae, immo omnibus aliis praeponderat.

3. Ad illud quod obiicitur, quod nec error nec servitus impedit; dicendum, quod *servitus per se*

---

[1] Gratian., C. 29. q. 1; eadem Magister retulit supra d. XXX. c. 1. Cfr. ibid. Comment. q. 1. et dub. 3.

[2] Cod. U addit: *et error conditionis spiritualis* [servitutis i. e. peccati; cfr. supra pag. 615, nota 3.] *quam corporalis.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 1-4. — C. *Proposuit* (2.) et C. *Ad nostram* (4.), X. de Coniugio servorum (lib. IV. tit. 9.).

[4] Verba sunt *Glossae* Viviani in Iustinian., C. IV. de Probationibus (tit. 19.), lex *Neque natales* (10.). Cfr. ibid. III. de Rei vindicatione (tit. 32.), lex *Partum ancillae matris sequi conditionem* (7.) et I. Institut. de Ingenuis, *Ingenuus* (tit. 4.).

[5] Cfr. infra dub. 2. — Cod. K (I a secunda manu) *nec reddere.*

[6] Iustinian., I. Institut. imperial., Quibus ex causis manumittere non licet (tit. 6.), § *Cum ergo.* et D. L., de Regulis iuris (tit. 17.), lex *Libertas* (107.). — Mox pro *nisi nolens*, quod habet ed. 1, Vat. cum codd. *nisi volens* (cod. G *invitus vel nisi volens;* cfr. infra ad 3.).

[7] Ita plurimi codd.; edd. *in conditionem.*

[8] Vat. *quae impediunt.* — Locus est obscurus. Fortasse post primum *servitus* excidit: de his, quae impediunt.

non impedit, cum est scita, quia quilibet, cum vult, potest effici servus; sed *ignorata* impedit, quia non debet puniri nolens.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur de servitute spirituali, dicendum, quod etsi sit peior ipsi servo, non tamen adeo redundat in alium, utpote in prolem, vel etiam in uxorem; et praeterea facilius potest expelli [1]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum conditio prolis sequatur patrem, an matrem.

Tertio quaeritur, cuius conditionem sequatur proles, utrum patris, an matris. Et quod *patris*, videtur:

Ad oppositum.

1. Quoniam denominatio fieri debet a principaliori et digniori [2]; sed pater est nobilius et dignius principium quam mater, et principalius: ergo si magis debet principiatum regulari secundum regulas dignioris principii, videtur, quod partus debeat sequi patrem.

2. Item, in sacra Scriptura [3] nunquam ponitur genealogia mulierum, sed potius virorum: ergo generatio principaliter spectat ad viros: ergo et germen generationis.

3. Item, repromissio de semine benedicto, scilicet Christo, facta est viris principaliter, quamvis nasci deberet de muliere — non enim facta est repromissio Sarae, vel Bersabee, sed Abraham et David [4] — ergo videtur, quod proles magis sit ipsius viri quam mulieris: ergo etc.

4. Item, unumquodque principiatum, quod producitur secundum unitionem, plus sequitur illud cui plus assimilatur; sed filii plus assimilantur patri [5]: ergo magis debent sequi patres.

Fundamenta.

Contra: 1. De Coniugio servorum [6] dicit decretalis: « *Indecens* videtur, ut geniti ex libera filii ad serviendum retrahantur »: ergo qui nascuntur ex matre libera sunt liberi: ergo sequuntur *matrem.*

2. Item, si quis seminat in terra aliena, fructus est domini terrae, non seminantis [7]; sed venter mulieris respectu seminis viri est sicut terra respectu sementis: ergo videtur, quod sicut fructus sequitur terram, ita partus sequatur ventrem.

3. Item, hoc videtur in animalibus, quoniam si animal masculini sexus impraegnat animal feminini sexus, ut equus equam, pullus sequitur equam, non equum [8]: ergo pari ratione videtur in proposito.

4. Item, hoc videtur *per simile* in artificialibus: quia, si quis aedificat in terra aliena, aedificium cedit solo, non solum aedificio [9]: ergo si quis generat in alieno ventre, proles sequitur ventrem.

CONCLUSIO.

Conditio prolis congrue sequitur matrem, licet in aliquibus regionibus alia sit consuetudo.

Conclusio 1.

Respondeo: Dicendum, quod secundum leges civiles sive ius imperiale [10] « partus sequitur ventrem ». — Et ratio huius est valde conveniens, quoniam prolis duplex est principium, pater scilicet et mater. Pater est principium *honorabilius,* sed mater est principium *substantialius;* et ideo in *honoribus* et *municipiis* filius sequitur patrem, quoniam illa acquiruntur paterna sollicitudine et in *hereditate* patrimoniali [11]. Sed quoniam mater est principium *substantialius,* quantum ad id quod *est,* sequitur matrem; et quoniam libertas et servitus respiciunt hominem secundum id quod *est,* non secundum id quod *habet:* hinc est, quod secundum *leges civiles* rationabiliter valde institutum est, ut partus sequatur ventrem; et hinc est, quod coniunctio ad prolem generandam *matrimonium* appellatur [12]. — Et huic concordat *ius canonicum,* sicut patet in decretali prius posita; concordat etiam *ius divinum,* scriptum in lege Moysaica, ubi dicitur Exodi vigesimo primo [13], quodsi dederit dominus uxorem alicui, quem emerit, et ille postmodum egredietur

Ratio — Leges civiles. — Ius canonicum et divinum et ratio.

---

[1] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Cfr. supra pag. 247, nota 8. et pag. 470, nota 7.

[3] Matth. 1, 1. seqq., et Luc. 3, 23. seqq.

[4] Gen. 17, 4. seqq.; 18, 18; 22, 17. seq.; II. Reg. 7, 12; 12, 24. seq. et III. Reg. 2, 4. Cfr. Ps. 88, 36. seq.

[5] Aristot., VII. de Histor. animal. c. 6: Feminae magna ex parte matri, mares patri proveniunt similes. — Superius pro *unitionem* [duorum principiorum generantium], quod habent codd. A V W, cod. M *unionem*, cod. O *intentionem*, alii vel cum Vat. *imitationem* (ed. 1 *commixtionem*), vel *univocationem* (cui opponitur generatio *aequivoca* i. e. qua aliqua ex non similibus sive ex non-semine fieri dicuntur), cod. E *univocationem per imitationem*.

[6] Potius cum Vat. substituendum *De natis ex libero ventre* [X. lib. IV. tit. 10.], *capitulo unico*. Textus originalis pro *libera* ponit *liberta sive libera*, et *servitium* pro *serviendum*. Cfr. C. *Dilectus* (8.), X. de Servis non ordinandis (lib. I. tit. 18.).

[7] Iustinian., C. III. de Rei vindicatione (tit. 32.), lex *Si quis sciens alienum agrum sevit* (11.). — In fine arg. codd. A K bb *matrem*, codd. N Z *mulierem* pro *ventrem*.

[8] Iustinian., D. VI. de Rei vindicatione (tit. 1.), lex *Idem Pomponius* (5.), § *Idem scribit, si equam*.

[9] Iustinian., II. Institut. de Rerum divis. etc. *Superiore* § *Cum in* tit. 1: Omne quod solo inaedificatur, solo cedit.

[10] Cfr. supra pag. 793, nota 4.

[11] Vide *Glossam* in Iustinian., C. III. de Rei vindicatione (tit. 32.), lex *Partum* (7.), ubi hoc ex aliis locis probatur.

[12] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 2.

[13] Vers. 4.

liber, quod filii debent remanere domino, qui dedit ei uxorem, licet ipse egrediatur liber; concordat etiam *multiplex ratio* et *similitudo naturalis.* Et ideo, quia hoc *dictat* ius civile, et ius canonicum *approbat,* et divinum *confirmat,* et naturale *commendat;* ideo recte dicendum, quod partus debet sequi ventrem.

Verumtamen aliquae partes, quae non sunt hu-
Conclusio 2. iusmodi legibus subiectae, non servant hanc consuetudinem, immo partus sequitur conditionem deterioris[1]; unde si alter est servus, filii sunt servi, et similiter, si mater ancilla; et si ambo sint diversorum dominorum, filii dividuntur. Hunc morem servat Francia in aliquibus partibus, licet non ubi-
Notandum. que; sed tamen constitutio legalis multo nobilior est et rationabilior quam haec consuetudo.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur, quod
Solutio oppositorum. pater est dignius principium; dicendum, quod verum est, non tamen *substantialius;* et ideo in dignitatibus patrem debet sequi, non in substantia sive in libertate corporis sui[2]. Et est exemplum: quia nobilius principium fructuum agriculturae est cultor quam ager; fructus tamen est agri, sive domini agri.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod sacra Scriptura genealogias attribuit viris; dicendum, quod verum est et conveniens — nam et hunc modum habemus, quod filium denominamus a patre, unde dicitur Petrus Martini, non Berthae, ut in pluribus — similiter repromissio fit viris; tamen ex hoc non sequitur, quod proles debeat sequi virum secundum conditionem *libertatis,* vel *servitutis,* sed secundum conditionem *dignitatis* et *honoris,* quae non *substantiam* respicit, sed potius *qualitatem.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod filius assimilatur patri; dicendum, quod assimilatio non venit Notandum.
a *substantia,* sed a *virtute formativa,* quae principaliter viget in semine viri, quando masculus generatur; et ideo frequentius filii assimilantur patribus[3]. Attamen, quantumcumque sit patri similior in *figura* et *proprietatibus,* plus tamen traxit a matre de *substantia;* et ideo ex hoc non sequitur, quod in libertate patrem sequatur[4].

ARTICULUS II.

De impedimento ex defectu aetatis.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de impedimento, quod venit ex defectu aetatis. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum status aetatis impediat matrimonium.

Secundo, utrum defectus aetatis impediat contractionem sponsalium.

Tertio, utrum sponsalia contracta post septennium possint dissolvi per mutuum consensum.

QUAESTIO I.

Utrum status aetatis impediat matrimonium.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod status aetatis impediat matrimonium:

1. Quia statum aetatis sequitur impotentia co-
Fundamenta. eundi; sed impotentia coeundi impedit matrimonium: ergo et status aetatis.

2. Item, statum aetatis consequitur indiscretio[5]; sed discretio requiritur ad consensum legitimum, et consensus ad matrimonium: ergo talis potest esse status aetatis, quod impedit matrimonium.

3. Item, iura canonica[6] et civilia dicunt, quod impuberes non possunt contrahere matrimonium; sed impuberes iudicantur ratione aetatis, ut masculus ante decimum quartum annum et femina ante duodecimum: ergo etc.

Contra: 1. Status pubertatis non impedit su- Ad oppositum.
sceptionem alicuius alterius Sacramenti, quae etiam maioris sunt perfectionis: ergo nec matrimonium.

2. Item, quare non possunt contrahere ante tempus pubertatis? Aut propter *impotentiam coeundi,* aut propter *defectum discretionis.* Si propter *impotentiam;* sed multi infirmi sunt impotentes reddere debitum, et tamen possunt contrahere; *prae-*

---

[1] Sive ut dicitur in C. *Liberi* (15.), C. 32. q. 4: Semper enim qui nascitur deteriorem parentis statum sumit (Isidor., IX. Etymolog. c. 5. n. 18.). Aliquanto inferius pro *morem* edd. substituunt *modum.*

[2] Edd., paulo ante omisso *non,* hic addunt *matrem.* Subinde pro *agriculturae* cod. G *agri* (non pauci codd. et ed. 1 *agnoscere*), et pro *fructus tamen* multi codd. et ed. 1 *tamen servitus.*

[3] Cfr. Aristot., IV. de Generat. animal. c. 3.

[4] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Codd. et ed. 1 *discretio.* In multis codd. plura in toto hoc arg. non bene omittuntur; retinuimus lectionem Vaticanae.

[6] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4; C. *Puberes* (3.) et C. *Attestationes* (10.), X. de Desponsat. impuberum (lib. IV. tit. 2.). De iure *civili* vide Iustinian., D. XXIII. de Rit. nuptiar. (tit. 2.); lex *Minorem* (4.). Cfr. etiam C. V. de Nuptiis (tit. 4.), lex *Sancimus, si quis* (24.) et ibid. Quando tutores etc. (tit. 60.), lex *Indecoram* (3.). Aristot., VII. Polit. c. 16. (c. 14.) annum 18. pro feminis et annum 37. pro viris ad matrimonium contrahendum aptum esse censet.

terea, multi senio confecti sunt impotentes, et tamen possunt contrahere; *praeterea,* multi etiam ante annum decimum quartum coeunt. Si propter *defectum discretionis;* contra hoc est, quod multi sunt discretiores in decennio, quam alii in vigesimo anno, qui possunt contrahere: ergo etc.

Quaestio incidens. Item, quaeritur, quare tempus pubertatis citius completur in muliere quam in viro? Et videtur, quod non deberet, quia quantum ad sponsalia contrahenda ad par tempus et aequale masculus et femina iudicantur, ut puta ad septennium [1]: ergo pari ratione ad matrimonium contrahendum.

CONCLUSIO.

Ante tempus pubertatis de iure non potest contrahi matrimonium.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod matrimonium est in *officium* et in *remedium* et in *Sacramentum* vel signum: in *officium,* inquam, procreandi prolem, in *remedium* contra impulsum libidinis, et in *Sacramentum* insolubilis coniunctionis naturarum Christi [2]. Quoniam igitur ante tempus pubertatis non possunt masculus et femina generare, nec fervore libidinis excitantur tanquam impotentes ad eius actum; quia etiam ante tempus illud sunt variabiles, et matrimonium est immutabile: decreverunt iura, tales personas non esse legitimas, antequam ad tempus veniant pubertatis. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Sacramentis aliis, dicendum, quod non est simile, quia utilia et necessaria sunt ante tempus pubertatis.

2. Ad illud quod quaeritur, quid impediat; dicendum, quod defectus aetatis ratione instabilitatis puerilis et impotentia coeundi naturalis. — Quod obiicit de sene et infirmo non est simile, quia stabiles sunt in sensu et in affectu. — Sed quod dicit, quod ante possunt; dicendum, quod iura iudicant et instituunt non ea quae *semper,* sed ea quae fiunt *frequenter* [3], et quia, licet ante tempus indictum aliqui possint coire propter accelerationem naturae, tamen ut frequenter ante illud tempus non possunt. Quia tamen iura viderunt, quod aliqui possent; ideo non tantum arctaverunt, quin etiam proximi pubertati circa medium annum possint contrahere [4]. Notandum.

Ad quaest. incid. Ad illud quod quaeritur: quare citius completur tempus pubertatis in muliere? dicendum, quod tempus *sponsalium* determinatur quantum ad *discretionem,* sed tempus *pubertatis* quantum ad *potentiam coeundi;* et quia citius potest coire femina quam masculus: ideo etc. — *Si tu quaeras:* quare mulier citius potest quam masculus? responderi potest, quod hoc fit multis rationibus: primo, quia prius fit solutio viscositatis propter meatus largiores; secundo, quia difficilius est agere quam pati; tertio, quia natura imperfecta in muliere appetit virum, sicut materia formam [5]; unde propter maiorem appetitum naturae maior fit acceleratio.

SCHOLION.

I. De 1. quaestione sive de impedimento *aetatis* lex positiva omnia satis determinavit.

De eadem: Scot., hic q. 2. — S. Thom., hic a. 5; Suppl. q. 58. a. 5. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 6. q. 1.

II. De *sponsalibus* in genere alii Lombardi commentatores plerumque agunt supra d. 27.

De hac 2. quaestione: S. Thom., d. 27. q. 2. a. 2; Suppl. q. 43. a. 2. — B. Albert., d. 27. a. 14. — Petr. a Tar., d. 27. q. 4. a. 2. — Richard. a Med., d. 27. a. 3. q. 1. — De hac et seq. q. Durand., d. 27. q. 3; Dionys. Carth., d. 27. q. 3.

III. De dissolutione sponsalium (q. 3.) notandum est, quod cum S. Alphonso Liguori (Theol. Moral. VI. c. 1. dub. 3. n. 855.) communiter docetur, sponsalia etiam *iurata* solvi per verum, mutuum consensum non tantum *valide,* sed etiam *licite,* dummodo adsit rationabilis causa; qua deficiente, solutionem esse saltem veniale peccatum. Etiam S. Thom. (S. II. II. q. 89. a. 9. ad 2.) docet, promissionem iuratam, quando promittitur aliquid *pertinens ad utilitatem alterius,* posse solvi consensu utriusque. — Quoad quaest. 2. incidentem Richard. a Med. octo illis casibus addit alios duos: « Nonus, si probetur fama de impedimento inter eos, vel scandalum de eorum coniunctione, Extra, de Sponsalibus, *Cum in tua.* Decimus, ut aliqui dicunt, si sponsalibus superveniat simplex continentiae votum » etc.

De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 3. — B. Albert., d. 27. a. 16. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum defectus aetatis impediat contractionem sponsalium.

Secundo quaeritur, utrum defectus aetatis impediat contractionem sponsalium. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia sponsalia de necessitate obligant ad matrimonium; sed matrimonium non contrahitur nisi propria voluntate: ergo sponsalia non contrahun-

[1] Vide hic lit. Magistri, c. 4, et C. *Litteras* (4.), seq., X. de Desponsat. impuberum (lib. IV. tit. 2.).

[2] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 2. et 6. — Inferius pro *ad eius* edd. *ad hunc.*

[3] Vide infra dub. 5. — Edd. superius substituunt perperam *quod non possunt* pro *quod ante* [nonnulli codd. *quandoque,* codd. P Q *quidem ante,* cod. G *quandoque ante*] *possunt* [cod. O addit *coire*], et subinde post *instituunt* prosequuntur *non secundum ea... sed secundum ea.*

[4] Cfr. C. *De illis* (9.), X. de Desponsat. impuberum (lib. IV. tit. 2.).

[5] Secundum Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.). Cfr. IV. de

tur, nisi placeant sponso et sponsae. Sed non habent usum rationis nisi in determinata aetate: ergo etc.

2. Item, iura canonica dicunt, sicut patet Extra, de Desponsatione impuberum [1], per totum, quod qui contrahunt sponsalia ante septennium nihil faciunt: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. In Sacramento baptismi obligatur parvulus per alium ad renuntiandum saeculo [2] et ad contrahendum matrimonium cum Deo: ergo pari ratione possunt parvuli per alios ad matrimonium obligari.

2. Item, ubi deficit fides propria, succurrit fides parentum [3]: ergo pari ratione, ubi deficit discretio parvulorum, supplet discretio parentum, et sic etc.

Quaestio incidens. Item, quaeritur: quare [4] tempus septennii est determinatum ad sponsalia contrahenda? Et videtur, quod non sit conveniens: quia quod ante non possunt contrahi, aut hoc est propter defectum *discretionis*, aut *locutionis*. Si *discretionis*; sed etiam tunc discretio deficit. Si *locutionis*; sed ante sciunt parvuli loqui: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sponsalia de iure non possunt contrahi ante septimum annum.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod sponsalia de iure non possunt contrahi ante septimum annum; et si contrahantur de facto, nihil fit; permittitur tamen ipsum *nihil in re* [5], quod est *aliquid in spe*, propter bonum pacis.

Ratio. Ratio temporis haec est, quia, sicut non possunt aliqui matrimonium contrahere nisi proprio consensu et proprio signo exprimente consensum; sic non possunt ad matrimonium obligari, nisi placeat et complacentiam verbo vel signo exprimant; et quia [6] ut frequenter ab illo tempore incipiunt intelligere quae dicunt, et loqui secundum proprium affectum: ideo ex tunc incipiunt valere.

Solutio oppositorum. 1. Ex his patent obiecta, quia non est simile de obligatione matrimonii et Sacramento baptismi, quia illa est necessaria ad salutem; ideo merito per alium subvenitur aegroto.

Ad quaest. incid. Patet etiam ratio temporis, quia, quamvis non sit plena discretio ad discernendum bonum a malo in eis; tamen est discretio ad intelligendum quod dicitur, et respondendum, quod libeat, vel non libeat.

2. Ad illud ergo quod obiicitur de Sacramento baptismi, patet responsio, quod non est simile, sicut saepe dictum est [7], propter hoc quod est contra originale, quod non est per voluntatem perpetratum; et *ulterius*, in baptismo non obligatur parvulus nisi ad ea, ad quae tenetur de iure naturali: unde non est ibi votum nisi valde large. Et *si tu obiicias*, quod parvulus potest obligari, ubi est bonum suum; dicendum, quod verum est in *possessionibus;* sed in *matrimonio*, ubi est servitus corporis, et debet esse mutuus amor, decrevit Deus, ut nullus possit nec debeat nisi propria voluntate obligari. — Observatio notanda. Est enim ibi quoddam mirabile, quia homo [8] invenit in muliere aliquam complacentiam, quam nunquam posset in alia invenire, ut dicunt experti.

QUAESTIO III.

Utrum sponsalia contracta post septennium possint dissolvi per mutuum consensum.

Tertio quaeritur, utrum sponsalia contracta post septennium possint dissolvi per mutuum consensum. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia, sicut se habet aetas puberum ad contrahendum matrimonium, ita aetas impuberum ad contrahenda sponsalia; sed puberes contrahentes matrimonium non possunt solvere: ergo etc.

2. Item, sicut Dominus instituit, matrimonium non solvi, ita praecepit non periurare et fide non mentiri [9]: ergo si contracta sunt sponsalia per iuramentum interpositum, videtur, quod necessario teneantur consummare.

3. Item, de Sponsalibus et matrimonio [10] dicitur in decretali secunda, quod « hoc potest tolerari »: si ergo permissio non est boni, sed mali; videtur, quod hoc sit malum.

4. Item, in eodem in titulo decretalis *Commissum* [11], quia iuravit aliquam ducere in uxorem, propter iuramentum, si vult intrare religionem, prius deberet contrahere; sed si liceret alicui pertransire,

---

Generat. animal. c. 6. — Superius pro *viscositatis* Vat. *virtuositatis.*

[1] Libr. IV. tit. 2. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4.

[2] Cod. K (I a secunda manu) *mundo*, codd. R X *diabolo*, codd. S aa *satanae.*

[3] Cfr. supra d. 4. p. II. a. 2. q. 1. et dub. 4.

[4] Cod. G addit *magis.*

[5] Nonnulli codd. omittunt *ipsum* et substituunt *de iure* pro *in re.*

[6] Ita cod. G (E a secunda manu), cod. K (I a secunda manu) *quia igitur*, in aliis et edd. omittitur *et.*

[7] Dist. 29. q. 1. ad 2. et d. 34. a. 3. q. 1. ad 4. — De secunda ratione cfr. supra d. 6. p. II. a. 3. q. 1. circa finem.

[8] Cod. K *vir.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Matth. 5, 32. seqq. — Pro *periurare* plures codd. *iurare.*

[10] Extra, lib. IV. tit. 1. C. *Praeterea hi* (2.), ubi dicitur: Videtur, quod... hoc [solutio sponsalium ex mutuo consensu] possit in patientia tolerari.

[11] Cap. 16: Tutius est ei, religione iuramenti servata, prius contrahere et postea, si elegerit, ad religionem migrare etc. — Pro *quia iuravit* cod. E *qui iuravit*, in cod. bb secunda manus substituit: *quia iuravit, quod aliquam velit ducere* etc.

liceret maxime tali: ergo si huic non licet, multo minus nec alicui.

CONTRA: 1. Si promitto tibi dare centum, si Fundamenta. absolvas me, sum absolutus nec periuro, si non do: ergo pari ratione in proposito.

2. Item, si duo iurent simul ire Romam et post poeniteant et mutuo se absolvant, absoluti sunt: ergo etc.

Quaeritur igitur, qualiter sponsalia contrahan- Quaestiones 3 incidentes. tur, et quibus modis solvantur, et tertio, quis sit effectus sponsalium.

CONCLUSIO.

Sponsalia etiam iurata multis modis solvi possunt, et etiam mutuo et voluntario consensu, accedente causa rationabili.

RESPONDEO: Dicendum, quod sponsalia multis Conclusio 1. modis *solvi* possunt, sicut iam patebit; et unus inter illos modos est, quando mutuo se absolvunt.

De isto autem modo dicunt aliqui, ut Hugutio[1], De iuratis opinio 1. quod modus iste non est *licitus,* quia non fit sine peccato propter fidem iuramenti; sed solum est *permissus,* quia coacta coniugia malos habent exitus; et hoc dicit propter illud quod dicit decretalis, «quod potest in patientia tolerari».

Alii dicunt, quod cum iuramentum obligato- Opinio 2. rium nunquam obliget nisi ad voluntatem eius cui fit, videtur, quod ad instar illorum qui iurant simul ire ad aliquem locum — sicut ipsa decretalis[2] dicit — quod mutuo se possunt absolvere; et si veniat ex causa aliquo modo rationabili, dicunt esse licitum, licet sit minoris perfectionis, sicut sonat de- Conclusio 2. cretalis; et haec positio videtur magis probabilis, quidquid dicat Apparatus[3].

1. Ad illud quod obiicitur de matrimonio, dicendum, quod non est simile propter significa- Solutio oppositorum. tionem.

2. Ad illud quod obiicitur de iuramento, dicendum, quod non obligat nisi sub conditione.

Ad illud quod quaeritur, quomodo *contrahan-* Ad primam quaest. incid. Modi 4 contrahendi. *tur;* dicendum, quod quatuor modis: simplici promissione, fidei datione sive iuramenti interpositione, datis arrhis sponsalitiis, anuli subarrhatione[4].

Ad illud quod quaeritur, quibus modis *solvan-* Ad secundam. Modi 8 solvendi. *tur;* dicendum, quod in octo casibus. Primus est, voto solemni superveniente, puta si alter sponsorum intravit religionem[5]. — Secundus, superveniente matrimonio, puta si contrahat cum aliqua per verba de praesenti post sponsalia. — Tertius, superveniente affinitate, puta si cognovit consanguineam sponsae, et hoc facto vel fama probari potest. — Quartus, superveniente incurabili infirmitate, puta lepra, vel mutilatione alicuius membri. — Quintus, altero se absentante, puta cum vadit in regionem longinquam sine licentia. — Sextus, altero fornicante, puta cum alter cognoscit alteram quam sponsam suam. — Septimus, utroque volente, puta cum ambo consentiunt. — Octavus est, minore petente, puta si contracta sunt sponsalia inter aliquos duos, quorum alter est in aetate debita, alter est minor.

Primis duobus modis solvuntur sponsalia ipso Notandum. facto, aliis per iudicium Ecclesiae.

Ad illud quod quaeritur, quis sit sponsalium Ad tertiam. Effectus duplex. *effectus;* dicendum, quod duplex: unus obligationis ad matrimonium, ad quod astringuntur per promissionem, quae est in sponsalibus — unde dicuntur a *spondeo, spondes*[6] — unde compellendi sunt ad matrimonium contrahendum, nisi timeatur de uxoricidio, vel aliquis dictorum casuum interveniat. — Alius effectus est publicae honestatis iustitia, quae est, quod nullus consanguineorum propinquorum sponsi potest contrahere cum sponsa, vel e converso[7].

---

[1] *Glossa* in praeallegatum C. *Praeterea hi* (vide penultimam notam) ad verba *in patientia tolerari* dicit: Hoc ideo dicit, quia ex quo non est processum ad matrimonium, contraria voluntate accedente, possunt se invicem absolvere, ut videtur; quia «omnis res, per quascumque causas nascitur etc. [cfr. supra pag. 682, nota 1.]... Haec fuit opinio Tanc. dicentis, quod haec decretalis continebat ius commune. *Hug.* dicebat, et bene, quod loquitur de *comparativa permissione*... et loquitur *dispensative;* et hoc aperte indicant ista verba: «Hoc possit in patientia tolerari», ne deterius inde contingat. Nam multa per patientiam toleramus etc. — De sententia, quod *coacta coniugia malos habent exitus,* vide supra pag. 700, nota 3.

[2] In ipsa (*Praeterea hi*) dicitur: Quod ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt et postea eandem sibi remittunt.

[3] Du Cange, Glossarium etc.: *Apparatus,* ita appellata est *Glossa* Accursii ad Digestum et Codicem [Iustiniani]; sed et quivis commentarius [hoc loco: *Glossa* in C. *Praeterea hi*].

[4] Cfr. C. *Nostrates* (3.), C. 30. q. 5, ubi etiam sponsalia definiuntur, quod «futurarum sunt nuptiarum promissa (alias: promissio)».

[5] Quia ita solvitur matrimonium ratum seu sponsalia *de praesenti;* cfr. supra d. 27. a. 3. q. 2. — Secundus casus insinuatur C. *Si inter* (31.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.); tertius C. *Super eo* (2.), X. de Consanguinit. et affin. (lib. IV. tit. 14.); quartus C. *Litteras* (3.), X. de Coniugio leprosorum (lib. IV. tit. 8.) et C. *Quemadmodum* (25.), X. de Iureiurando (lib. II. tit. 24.); quintus C. *De illis autem* (5.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.); sextus C. *Quemadmodum* paulo ante citato; de septimo et octavo, praeter ea quae in hac quaest. dicta sunt, cfr. X. de Desponsat. impuberum (lib. IV. tit. 2.).

[6] Iustinian., D. XXXIII. de Sponsalibus (tit. 1.), lex *Sponsalia* autem dicta sunt a *spondendo;* nam moris fuit veteribus stipulari et spondere sibi uxores futuras (2.). — De secundo effectu vide C. *Ad audientiam* (4.), X. de Sponsalibus et matrim. (lib. IV. tit. 1.).

[7] Vide scholion ad 1. huius art. quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit: *Si ipsa femina fuerit in servitute detecta* etc.; quaeritur, si, antequam plene detegatur, sunt in causa et lite, utrum debeat sibi reddere debitum. Et quod non, videtur: quia aut *cognoscit* eam affectu maritali, aut *non*. Si *sic*, generat sibi praeiudicium et consentiens reputatur. Si *non cognoscit* affectu maritali, peccat mortaliter. — Sed *contra* hoc est, quia nullus debet spoliari iure suo ante causae cognitionem.

Respondeo: Dicendum, quod talis potest du-
Distinctio. pliciter nosse, quod illa sit ancilla, quam liberam credidit: aut levi suspicione, aut probabili vel vehementi praesumtione sive certa cognitione. Primo,
Resp. 1. non debet petere, quousque inquirat; sed tamen, si Ecclesia compellat, debet reddere, quia ignorantia eum excusat, si non est uxor [1]; nescit enim, utrum
Resp. 2. sit uxor. — Secundo modo, sive Ecclesia compellat, sive non, non debet, quia aut tunc sibi praeiudicat necessario, aut fornicatur; et propter mandatum Ecclesiae non est fornicandum. — Aliter iudicandum est de uxore fornicaria, quae vere uxor est, cui, cum ex mandato Ecclesiae redditur debitum, non generatur praeiudicium, nec incurritur [2] aliquod peccatum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Uno coniugio permanentes, dominis suis serviant.* Videtur enim male dicere: quia ponatur, quod unus dominorum vendat servum ad remotas terras; si ancilla sequitur virum, privatur iure suo dominus eius; si non tenetur sequi; tunc ergo non fuit verum coniugium. — Item, ponatur, quod uxor sit libera,
Quaestio incidens. et servus venundetur gentilibus; quaeritur, utrum debeat sequi eum. Et quod sic, videtur per legem matrimonii.

Respondeo: Dicendum, quod si servus et an-
Casus 1. solvitur. cilla contraxerunt, dominis *contradicentibus*, ipsi sibi praeiudicant, non dominis suis; et ideo, si dominus indiget, potest ancillam vendere, et si non potest vendere in terra sua, potest vendere in aliena. Si tamen in terra sua possit vendere, tenetur; alioquin manifeste iniuriatur viro et abutitur re sua in praeiudicium alienum. — Si vero dominis *con-* Casus 2.
sentientibus; tunc simpliciter dicendum, quod non potest aliquis eorum vendi a domino in praeiudicium coniugis; et si alter [3] vendat, debet alter compelli, vel quod redimat, vel debet eum emere, vel ancillae licentiam dare, quod virum sequatur.

Ad illud quod quaeritur, utrum debeat sequi Ad quaest. incid.
virum, si venundetur hominibus gentilibus; dicendum, quod dominus suus non debet eum vendere gentilibus, pro eo quod est ibi periculum fidei. Si tamen vendat de facto; si uxor non timet periculum peccati, quod sit in contumeliam Dei, vel alicuius fornicationis alterius, potest et debet virum sequi; sed vix video, quomodo possit eum sequi sine periculo fidei, aut aliquo alio peccato moris [4].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si mulier virum liberum acceperit* etc., utrum aliquis possit se ipsum vendere. Et quod non, videtur primae ad Corinthios sexto [5]: *Non estis vestri; empti enim estis pretio magno:* ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod est emptio, vel Distinctio.
venditio ad *obsequium humanum* et ad *servitium divinum. Divino* autem *servitio* non repugnat obsequium hominis sive servitus corporalis, sed servitus spiritualis, quae est servitus peccati [6]. Dicendum ergo, quod quia fideles redempti sunt et Dei templa facti sunt, non possunt se vendere, ut faciant mala; possunt tamen se vendere ad obsequia.

Item, iuxta hoc quaeritur, utrum pater possit ven- Quaest. incid. solvitur.
dere prolem suam, uxore invita. Et quod sic, videtur: quia ad ipsum spectat regimen domus. — Ad *oppositum* autem est, quia partus plus sequitur matrem [7].

Respondeo: Dicendum, quod filii non debent vendi nec possunt vendi sine culpa, nisi sit paupertatis et famis necessitas, in quo casu uxor debet viro consentire. Quod si in alio casu velit, non potest, cum uxor dissentit, sicut vir non potest vendere nec alienare dotem uxoris, quamvis sit dominus domus; sic in proposito. Et quod in tempore necessitatis et famis vendi possint, probatur per id quod scribitur Nehemiae quinto [8].

---

[1] Edd. omittunt *si non est uxor*.

[2] Communissima lectio codd. ponit *incurrit*. — Cfr. de hoc dubio *Glossa* in C. *Proposuit* (2.), X. de Coniugio servorum (lib. IV. tit. 9.), et supra a. 1. q. 2; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[3] Intellige: alter dominorum; edd., hoc non attendentes, mox pro *vendat* perperam substituunt *vendatur*.

[4] Cfr. *Glossa* in C. *Dignum est* (1.), X. de Coniugio servorum (lib. IV. tit. 9.), et infra d. 39. a. 2. q. 1; S. Thom., hic q. 1. a. 2. ad 4; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. ad 4. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 4. q. 2.

[5] Vers. 19. seq.

[6] Ioan. 8, 34; Rom. 6, 16. et II. Petr. 2, 19. — Mox respicitur I. Cor. 3, 16: Nescitis, quia templum Dei estis etc.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 3.

[8] Sive II. Esdrae 5, 5. Idem dicit Iustinian., C. IV. de Patribus, qui filios etc. (tit. 43.), lex *Si quis* (2.). — De hoc dubio cfr. Petr. a Tar., hic circa lit.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Iudicatum est, uxorem minime debere dimitti;* utrum vir possit se vendere, uxore invita. Et quod non, videtur: quia *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*[1]*:* ergo etc. Item, mulier non potest se vendere, viro invito: ergo cum ad paria iudicentur, patet etc.

Quaestio incidens. Item, quaeritur, utrum, si uxor consentiat, per hoc efficiatur serva.

Respondeo: Dicendum, quod si uxor contraxit cum libero, ita quod uterque est liber, uxore dissentiente, non debet vir nec potest se facere servum eatenus, ut praeiudicium generetur aliquod mulieri, quin reddat sibi debitum, cum petit; unde sicut servus contrahens contra voluntatem domini non potest facere contractum matrimonii in praeiudicium domini; sic nec vir in praeiudicium uxoris; nihilominus tamen, quia *caput est mulieris*[2], quantum ad alia, excepto debito, potest servum se facere, quamvis uxor non possit, cum sit *sub potestate viri.*

Si vero uxor consentiat in venditionem viri, tantum tunc vir potest se vendere in *omne obsequium* domini, et mulier praeiudicat sibi; tamen nec mulier nec proles vendi potest a viro, nisi ipsa consentiat, nisi forte in articulo necessitatis; hoc dico de prole, ut praedictum est[3]. Et sic patet, quomodo littera illa intelligitur. Ad quaest. incid.

Dub. V.

Item quaeritur, si ante quatuordecim annos puer contraheret per verba de praesenti et de facto corrumpat sponsam; utrum separari queat. Et quod non, videtur, quia est matrimonium ratum et consummatum. — *Contrarium* videtur per illud quod dicitur in littera[4]: *Si ante praedicta tempora* etc.

Respondeo: Dicendum, quod in hoc differunt *constitutiones iuris* et *demonstrationes disciplinarum:* quia *demonstrationes* fiunt de his quae fiunt *semper,* et si fiant de his quae *frequenter,* non tamen ut *frequenter,* sed ut *semper* — exemplum est de eclipsi[5] — sed *constitutiones iuris* de his quae sunt *saepe.* Si ergo aliquis sit exceptus a generalitate hominum, pro eo quod in eo « malitia supplet aetatem[6] »; iudicandum est, sicut si haberet aetatem. Et sic est in casu proposito intelligendum et in aliis consimilibus. Notanda differentia.

DISTINCTIO XXXVII.

Cap. I.

In quibus ordinibus nequeat contrahi matrimonium.

Sunt igitur quidam ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium, et si intercesserit copula, fit divortium, ut sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus. In aliis vero permittitur sortiri coniugium, nisi religionis habitum sumserint, vel votum continentiae fecerint. Unde Leo Papa[1]: « Clericos, lectores, ostiarios, exorcistas, acolythos, si extra votum et habitum inveniuntur et continentiam profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit, non viduam, vel repudiatam; quia deinceps nec ad subdiaconatum provehi poterunt, nec laicus uxorem sortitus non virginem, vel bigamus ad clericatum ». Item ex Carthaginensi Concilio[2]: « Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere; quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico removeantur officio; ceteros vero clericos ad hoc non cogit ». Item Leo Papa[3]: « Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae episcopis et presbyteris; qui, cum essent laici, vel lectores, licite uxores ducere potuerunt; sed cum ad praedictos pervenerunt gradus, coepit eis non licere quod licuit ». Item in sexta Synodo: « Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari; hoc ante ordinem subdiaconatus faciat ».

(Margin: Leo. — Dubium 1. — Canon. — Dubium 2. — Leo. — Canon.)

---

[1] Epist. I. Cor. 7, 4.

[2] Eph. 5, 23. et I. Cor. 11, 3. — Seq. locus est Gen. 3, 16: Sub viri potestate eris.

[3] Dub. praeced. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 5; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3; Richard. a Med., hic a. 5. q. 1.

[4] Hic c. 4.

[5] Secundum Aristot., I. Poster. c. 7. (c. 8.). Cfr. ibid. c. 24. (c. 30.), ubi ostendit, rerum fortuitarum non esse scientiam; VI. Metaph. text. 5. seq. et XI. c. 7. (V. c. 2. et X. c. 8.). — Superius pro *disciplinarum* cod. F *disciplinales* [i. e. scientificae].

[6] Ut dicit Iustinian., supra pag. 653, nota 1. allegatus, et C. *De illis, qui in minori* (9.), X. de Desponsat. impuberum (lib. IV. tit. 2.). — Mox post *sicut si* multi codd. perperam addunt *non,* cod. A *homo.* — De hoc dubio cfr. supra a. 2. q. 1, ubi etiam in scholio allegantur alii auctores, qui de hoc tractant.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Seriatim* (14.), dist. 32.

[2] Scil. quinto c. 3, C. *Placuit* (13.), ibid. Sed vocabulum *subdiaconos* deest in editione Concilii cit. et insertum est a Gratiano. — Pro *cogit* Vat. cum canone et originali *cogi.*

[3] Epist. 167. (alias 2.) ad Rustic. Narbon. inquisit. 3; C. *Lex continentiae* (10.), dist. 31. Seq. locus est C. *Si quis eorum* (7.), dist. 32.

Notula. Item Calixtus Papa[1]: « Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et monachis concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus; contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, et personas ad poenitentiam debere redigi, iuxta sacrorum canonum definitionem iudicamus ». Item Gregorius: « Nullum facere subdiaconum episcopi praesumant, nisi qui se caste victurum promiserit; quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata ».

CAP. II.

De interfectoribus suarum coniugum.

His adiiciendum est de occisoribus suarum coniugum; de quibus Nicolaus Papa[2] scribit Radulpho Bituricensi archiepiscopo: « Interfectores suarum coniugum sine iudicio, cum non addis *adulterarum*, vel aliquid huiusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidae? Ac per hoc ad poenitentiam redigendi; quibus penitus denegatur coniugium ». « Hic videtur Nicolaus permittere maritis pro adulterio, aut alio huiusmodi uxores suas interficere; sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali, criminosos ferire iubet ». Unde idem Nicolaus[3]: « Inter haec vestra sanctitas addere studuit, si cuius uxor adulterium perpetraverit, utrum marito eius liceat secundum mundanam legem interficere? Sed sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ». Item Pius Papa: « Quicumque propriam uxorem absque lege et sine causa interfecerit aliamque duxerit, armis depositis, publicam agat poenitentiam, et si contumax exstiterit, anathematizetur, usquequo consentiat ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVII.

De impedimentis iuris ecclesiastici, quae sunt ordo et crimen.

Sunt igitur quidam ordines, in quibus nullatenus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Haec est pars, in qua Magister principaliter determinat de his quae matrimonium impediunt simpliciter. Et habet haec pars duas, quia tale impedimentum duplex est: quoddam, quod simpliciter impedit cum omni; quoddam, quod cum quodam sic, cum quodam non: ideo secundum hoc haec pars habet duas. In prima parte determinat de his quae simpliciter impediunt et cum omni. In secunda de his quae cum aliquibus sic, cum aliquibus non, infra distinctione trigesima nona: *Post haec de dispari cultu* etc.

Prima pars habet duas. In prima parte agit de impedimento, quod impedit propter ecclesiasticam institutionem. In secunda de eo quod impedit propter propriam obligationem, infra distinctione trigesima octava: *Nunc de voto inspiciamus* etc.

Et quoniam ecclesiastica institutio quosdam excludit a matrimonio propter excellentiam vitae, ut clericos; quosdam propter enormitatem culpae, ut uxoricidas: ideo haec pars habet duas particulas. In prima determinat de impedimento ordinis. In secunda de impedimento criminis, ibi: *His adiiciendum est de occisoribus suarum coniugum* etc. Utraque pars remanet indivisa propter brevitatem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius brevis distinctionis secundum duo, quae in ea tanguntur, duo hic principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de ordinis impedimento.

Secundo de uxoricidio.

Circa primum quaeruntur tria.

Primum est, utrum ordines minores impediant matrimonium.

Secundo, utrum ordines sacri.

Tertio quaeritur quantum ad ecclesiasticum statutum, per quod sacri ordines impediant matrimonium.

[1] Can. *Presbyteris* (8.), d. 27. Seq. locus est I. Regest. indict. 9, epist. 44. (alias 42.) ad Petrum subdiaconum; C. *Nullum facere* (1.), d. 28. — Notula deest in ed. 1; in codd. BC est in fine praecedentis dist. et in cod. B in margine a secunda manu; cod. D in fine addit: Innocentius II: Decrevimus, ut ii qui in ordine subdiaconatus et supra uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio et ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum Dei, vasa Domini, sacrarium Spiritus S. debeant esse et dici; indignum est, eos cubilibus et immunditiis servire (est C. *Decernimus* (2.), ibid.).

[2] Can. *Interfectores* (5.), C. 33. q. 2. Seq. locus est apud Gratian. super hunc can.

[3] Can. *Inter haec* (6.), ibid. Ultimus locus est C. *Quicumque propriam* (7.), ibid.

ARTICULUS I.

De impedimento ordinis.

QUAESTIO I.

Utrum ordines minores impediant matrimonium.

Quantum ergo ad primum, quod minores ordines non impediant matrimonium, videtur:

Fundamenta. 1. Per multas auctoritates, quas adducit Magister in littera[1], maxime de illa Leonis Papae, quae sumta est de distinctione trigesima secunda.

2. Item, in Extra, de Clericis coniugatis[2], dicit Alexander tertius: « Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis ».

3. Item, *ratione* videtur: quia ad minores ordines ut plurimum parvuli promoventur; sed tales non sunt cogendi ad continentiam: ergo etc.

4. Item, in ingressu religionis est status, in quo quis probat et probatur, antequam ad votum continentiae obligetur: ergo pari ratione — immo multo fortiori, cum difficilius sit in saeculo continere — status debet determinari, in quo clerici possint probare et probari, utrum velint vivere casti, et in illo non debent ad castitatem obligari; sed iste est ordinum inferiorum: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Distinctione trigesima secunda[3]: « Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri »: ergo si lectores sunt in statu inferiorum ordinum, videtur, quod compellantur ad continentiam: ergo etc.

2. Item, minores clerici statim, ut sunt clerici, in sortem Dei sunt vocati, et ideo dicti sunt *clerici*, quia in sortem Dei sunt segregati; sed qui habet uxorem *est divisus*, sicut dicit Apostolus primae ad Corinthios septimo[4]: ergo nullus clericus potest nec debet habere uxorem: ergo etc.

3. Item, omnis clericus in minori officio sive ordine constitutus potest habere beneficium ecclesiasticum, maxime si intendat ulterius promoveri, saltem beneficium sine cura; sed nullus coniugatus potest nec debet habere beneficium praebendale, sicut dicitur Extra, de Clericis coniugatis[5], *Diversis fallaciis* etc.: ergo nullus clericus potest esse coniugatus.

4. Item, omnis clericus in minori officio constitutus potest gaudere privilegio clericali; sed nullus uxoratus potest gaudere privilegio clericali: ergo nullus clericus potest esse uxoratus. *Maior* manifesta est, *minor* patet per decretalem de Clericis coniugatis[6], *Ioannes*, et infra, ubi dicitur, quod « uxoratus etiam tonsuratus non potest privilegio clericali gaudere ». *Si tu dicas,* quod istae rationes non valent, quia qui est clericus potest non esse clericus, et ita potest esse uxoratus; *contra:* ordinis Sacramentum est per impressionem characteris: ergo sicut baptizatus non potest esse non baptizatus, ita videtur, quod clericus non possit fieri non clericus sive non ordinatus.

CONCLUSIO.

Ordines minores per se non obstant contractui et usui matrimonii; sed ministerium et beneficium, quae illis non sunt necessario annexa, in Ecclesia occidentali oppositionem habent ad matrimonium quoad usum.

Respondeo: Dicendum, quod in ordinibus minoribus est considerare *ordinem* et *officium* sive ministerium et *beneficium;* secundum haec tria possunt comparari ad matrimonium. Et *ordo minor* nullam habet oppositionem ad matrimonium ratione sui sive characteris, nec quantum ad *contractum* matrimonii nec quantum ad *usum;* sed *ministerium* et *beneficium* secundum Ecclesiam occidentalem oppositionem habent ad matrimonium quantum ad *usum* propter honestatem. Et quoniam clericus in minoribus ordinibus non tenetur nec est alligatus[7] ad *officium* nec ad *ministerium*[8]*;* ideo potest contrahere sine aliquo impedimento. Et ita concedendum est, quod minores ordines matrimonio non praestant impedimentum. Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod lectores debent continentiam promittere; dicendum, quod

---

[1] Hic c. 1.

[2] Libr. III. tit. 3. c. 1.

[3] Can. 8. Cod. L cum textu originali *uxores* pro *uxorem.*

[4] Vers. 33. — De *maiori* cfr. supra lit. Magistri, d. XXIV. c. 4. in fine.

[5] Libr. III. tit. 3. c. 5.

[6] Libr. III. tit. 3. c. 7.

[7] Edd. *obligatus.*

[8] Videtur legendum esse *beneficium,* attenta divisione supra posita.

illud capitulum debet intelligi, quando promoventur ad subdiaconatum, alioquin solum est consilium.

2. 3. 4. Ad illa vero quae obiiciuntur post, iam patet responsio. Obiicit enim de clerico quantum ad *ministerium* et quantum ad *beneficium* et *privilegium*, quae non sunt necessario annexa minoribus ordinibus; ideo nec matrimonium repugnat, ita quod non possit transferri de uno statu ad alium; impeditur tamen, ut non possit nec debeat simul in utroque statu militare, quia *nemo militans Deo debet se saecularibus negotiis implicare* [1].

SCHOLION.

I. De impedimento duplici, scilicet *ordinis* et *voti* (de ultimo agitur in dist. seq.), Concil. Trident. (Sess. XXIV. can. 9.) sic decrevit: « Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem *solemniter* professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse quam damnare matrimonium; posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiam si voverint, habere donum, a. s.; cum Deus id recte petentibus non deneget nec patiatur, nos supra id quod possumus, tentari ». — Impedimentum ordinis esse iuris ecclesiastici, communis opinio contra paucos tenet; est tamen constitutum ob graves rationes, ab ipso iure naturali insinuatas et ab auctore nostro q. 3. explicatas. Apud Graecos autem ordo sacer impedit quidem matrimonium contrahendum, non vero matrimonii prius contracti usum. — De 1. quaestione non est controversia; sed circa 2. primo controvertitur, utrum ab ipso exordio Ecclesiae, an tantum post prima saecula impedimentum ita valuerit, ut matrimonia in sacris ordinibus contracta essent non tantum *illicita*, sed etiam *invalida*, ut nonnulli putaverunt (cfr. Estius, hic § 1. 2.); secundo vero, utrum haec obligatio ad continentiam imponatur vi solius *legis ecclesiasticae*, an etiam vi *voti annexi*. Primam sententiam Scot. (hic n. 2. seqq.) defendit cum non paucis posterioribus; sed secundam esse valde probabilem respectu *Latinorum*, cum S. Bonav. tenet etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 1. 2; Suppl. q. 53. a. 3. 4.), licet Gotti (Theol., de Sacram. ord. q. 4. dub. 3.) eundem fere ad 1. sententiam trahere velit.

De 1. 2. et 3. quaestione praeter locos citt.: B. Albert., hic a. 1-3. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1-4. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum sacer ordo matrimonium impediat.

Secundo quaeritur, utrum sacer ordo matrimonium impediat. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Per auctoritates multas, quas adducit Magister in littera [2], et sumuntur plures de distinctione trigesima secunda.

2. Item, in Extra, de Clericis coniugatis [3], Alexander tertius: « Si in subdiaconatu et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere compellere procuretis ».

3. Item, omnis qui non vovet continentiam, est ineptus ad sacros ordines; sed qui habent uxores, sunt huiusmodi: ergo etc. Probatio *maioris:* Gregorius dicit, et habetur in littera [4]: « Nullum subdiaconum facere praesumant episcopi, nisi qui se promisit caste victurum »: ergo si qui promittit in manu episcopi continentiam, ipse vovet et tenetur, patet etc.

4. Item, in sacris ordinibus ministrant circa altare; sed sanctius est altare novae legis et sacrificium quam legis figurae; sed sacerdos, cum ingrediebatur sancta sanctorum, tenebatur a coniuge abstinere, sicut dicitur in Exodo [5]: ergo multo fortius ministri altaris nunc: ergo qui iugiter ministrant nunquam debent mulieribus adhaerere.

Contra: 1. Virtus nullam habet oppositionem cum virtute [6], ergo nec Sacramentum cum Sacramento; sed quod non habet oppositionem cum alio non praestat ei impedimentum: ergo ordinis Sacramentum nullo modo impedit matrimonium. Ad oppositum.

2. Item, oppositio est relatio aequiparantiae [7]: ergo si unum Sacramentum repugnat et impedit susceptionem alterius, pari ratione et e converso; sed matrimonium non impedit susceptionem ordinis, quia multi coniugati promoti sunt in episcopos: ergo nec ordo sacer impedit matrimonium.

3. Item, idem est ordo apud nos et apud Ecclesiam orientalem; sed apud illos ordo non impedit matrimonium, nec e converso [8]: ergo nec apud

---

[1] Epist. II. Tim. 2, 4: Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.

[2] Hic c. 1.

[3] Libr. III. tit. 3. C. *Si qui* (1.). — Post *dimittere* cod. Z addit *et poenitentiam de commisso agere*, quod etiam textus originalis habet, subiiciens insuper *per suspensionis et excommunicationis sententiam.*

[4] Hic c. 1. — Pro *Probatio maioris* codd. communiter, sed male *Probatio minoris.*

[5] Respicere videtur 19, 22; cfr. v. 15. et 29, 30 cum Lev. 8, 33. C. *Tenere debet* (4.), d. 31, in quo dicitur: Nam si priscis temporibus anno vicis suae de templo Dei sacerdotes non discedebant [*Lev.* 21, 12.], sicut de Zacharia legimus [Luc. 1, 8.]... quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis suae servare debent etc. — Mox post *altaris* codd. R S V bb addunt *alterius*, cod. U *nostri.*

[6] Vide supra pag. 753, nota 7.

[7] Cfr. supra pag. 492, nota 2.

[8] Vide C. *Aliter se orientalium* (14.), d. 31.

nos. *Si tu dicas,* quod apud nos est superadiectum votum, ratione cuius impedit; tunc videtur, quod impedimentum ordinis non differat ab impedimento voti.

CONCLUSIO.

Sacer ordo impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio, sicut sacri canones dicunt, sacer ordo impedit matrimonium contrahendum et dirimit iam contractum. Verumtamen quantum ad modum dicendi sive intelligendi inter doctores diversos diversitas opinionum resultat.

Conclusio. Opinio triplex de ratione.

Quidam enim dicunt, quod ordo sacer impedit matrimonium propter *votum annexum,* ad quod obligatur qui suscipit ordinem sacrum. — Sed quoniam in susceptione ordinis non videtur voti emissio, aut si est emissio quantum ad *factum,* quamvis non sit quantum ad *verbum;* non videtur tunc differre ab impedimento *voti;* hoc falsum est, quia apud Graecos non est votum continentiae, quia illi sacerdotes licite utuntur uxoribus, et tamen nullus potuit nec potest in sacris ordinibus constitutus contrahere, sicut ex Synodo sexta[1] habetur, quae celebrata fuit apud eos, in qua se huic statuto subiecerunt praeter votum continentiae.

Opinio 1. Non probatur.

Ideo aliorum est opinio, quod ordo praestat impedimentum ratione *statuti ecclesiastici,* quod ligat clericos suscipientes ordines ad nunquam contrahendum.

Opinio 2. non probata.

Sed quoniam auctoritates canonum inveniuntur, quae utrumque sonare videntur, et quod in susceptione ordinis est solemnizatio voti; ideo dicendum et melius, quod etsi apud Graecos impediat, hoc non est nisi ratione *statuti;* et sic impedivit, ut dicunt quidam, a tempore Apostolorum[2]; tamen apud Latinos impedit et ratione *statuti* et ratione *voti.* Sicut enim ordo monachorum et habitus continentiam habet annexam per illum qui habitum instituit et regulam edidit monachalem; et ideo qui profitetur et suscipit habitum dicitur emittere votum consequenter: sic ordo apud Latinos ex ecclesiastica institutione habet inseparabiliter continentiam annexam; et ideo qui illum suscipit spontanee se obligat, ita quod illa obligatio procedit ex *statuto* pariter et ex *voto.* — Et sic patet, quod impedit et qualiter impedit.

Sententia 3. et auctoris.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod virtus cum virtute non habet oppositionem; dicendum, quod verum est quantum ad *habitum;* sed tamen *status* aliquando sunt incompossibiles, ut coniugalis et virginalis[3]. Et quoniam Sacramenta diversa *status* diversos respiciunt, ut ordo statum continentiae virginalis vel vidualis, matrimonium statum continentiae coniugalis; hinc est, quod impedit, sicut status saecularis et religiosus suo modo opponuntur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod matrimonium non impedit ordinem; dicendum, quod verum est, si uxor fuit virgo et vult continere; sed tamen non est simile: quia *processus* in virtutibus est a statu imperfectiori ad perfectiorem, sed non debet esse *reditus;* et quoniam matrimonium collocat in statu imperfectionis, ordo vero in statu perfectionis: ideo etc.; sicut de saeculo ad religionem licet ascendere, non descendere.

3. Ad illud quod obiicitur ultimo, iam patet responsio: quia statutum Ecclesiae abundantius arctat Latinos quam Graecos, licet illos aliquo modo arctet; et hoc, quia Latini voluerunt se subiicere et plicare, Graeci vero in sua ruditate remanere, et ideo usque hodie in suis faecibus remanserunt[4]. Patet etiam, quod non solum ratione *voti* impedit, sed etiam ratione *statuti ecclesiastici*[5].

QUAESTIO III.

Utrum Ecclesia debuerit instituere, ut sacer ordo impediret matrimonium.

Tertio quaeritur, utrum Ecclesia debuerit hoc instituere et per tale statutum clericos ad continentiam obligare. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Primo, quia matrimonium est in remedium concupiscentiae; sed hic morbus maxime viget in clericis, ut patet: ergo eis non debuit denegari remedium.

---

[1] Sive potius *Quinisexta* (πενθέκτη, quia ipsa ex intentione Graecorum complementum *quintae* et *sextae* Synodi universalis constituebatur); eadem etiam *Trullana* (a palatio imperiali Constantinopolitano) vocatur et habita fuit an. 692. Cfr. C. *Quoniam in Romani* (13.), d. 31; C. *Si quis eorum* (7.), d. 32; C. *A multis* (9.), X. de Aetate et qualitate et ordine praeficiendorum (lib. I. tit. 14.), in quo Innocent. III. dicit: Et ad similitudinem diaconi et presbyteri subdiaconus debet continentiam observare, sicut et in *sexta* Synodo constitutum est etc. Idem in C. *Cum olim* (6.), X. de Clericis coniugatis (lib. III. tit. 3.), ait: Nos igitur attendentes, quod orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit, quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt et in superioribus utuntur matrimonio iam contracto etc. — Edd. cum nonnullis codd. *septima.*

[2] Inter canones sanctorum Apostolorum, quos Graeci in praedicta sexta Synodo observandos statuerunt (cfr. praeallegatus C. *Quoniam in Romani*), canon 25. praescribit: Ex his qui caelibes in clerum pervenerunt, iubemus, ut lectores tantum et cantores, si velint, nuptias contrahant. — Superius pro *impediat, hoc non est nisi ratione* edd. *non impediat, hoc est ratione,* multi codd. omittunt perperam *nisi.*

[3] Cfr. supra d. 33. a. 2. q. 1. — Inferius post *vidualis* edd. addunt: *matrimonium statum continentiae virginalis vel vidualis.*

[4] Ier. 48, 11: Requievit in faecibus suis. — Pro *et plicare* cod. K (I a secunda manu) melius et forte primitus *et obligare,* cod. A *explicite.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

2. Item, difficillimum est iuvenibus abstinere a mulieribus, et ideo continentia in eis pro martyrio computatur a Hieronymo [1]; sed lex nova debet esse lex levitatis et suavitatis: ergo etc.

3. Item, ad ea quae perfectionis sunt, debemus per *consilium induci*, non *mandato obligari*: si ergo abstinere ab omni muliere perfectionis est, non videtur, quod ad hoc debuerint clerici per praeceptum obligari [2].

4. Item, non est maioris perfectionis moderna Ecclesia quam primitiva; sed tunc non fuit indicta clericis continentia [3]: ergo nec modo debuit indici.

5. Item, cultus Dei ampliandus est; sed a nullis competentius ampliatur quam ab ipsis clericis, cultoribus Dei: si ergo clerici in sacris ordinibus constituti sunt cultores Dei, cum ampliatio cultus divini non tantum sit per generationem prolis spiritualis, sed etiam carnalis, quia nati de Christianis Christiani sunt; ergo videtur tunc, quod eis competat filios generare: ergo non debent arctari ad continentiam.

6. Item, praelatorum status dicitur esse perfectissimus, quia ibi simul iuncta est contemplatio cum actione: ergo cum status clericorum debeat esse perfectus, videtur, quod statui eorum conveniat non tantum generatio prolis spiritualis per verbum et exemplum propter statum contemplationis, sed etiam generatio prolis carnalis quantum ad statum actionis: ergo videtur, quod eis non debuerit matrimonium interdici.

Quaestio de ratione. Quaeritur igitur, quae fuerit ratio huius statuti. Et ad oppositum possent adduci rationes, sed illae clauduntur [4] in responsione.

CONCLUSIO.

Licitum, decens et expediens fuit statutum Ecclesiae, ut clerici in sacris ordinibus ad caelibatum obligentur.

Conclusio triplex. Respondeo: Dicendum, quod istud statutum de clericorum continentia fecit Ecclesia, quia *potuit* sive licuit, quia *decuit*, quia *expediens fuit*. — Ratio duplex pro prima. *Potuit* autem Ecclesia dupliciter, tum propter *auctoritatem praelatorum* et maxime Pontificis summi, tum propter *consensum subditorum*. Propter *auctoritatem* namque potuit, quoniam, etsi omnia Sacramenta auctoritatem respiciant in dispensante aliquo modo, tamen illud Sacramentum praecipue inter alia. In cuius signum in ordinis datione loquitur *ut potestatem habens* [5] ille qui ordines confert; unde et dicit: Accipe potestatem etc. Et ideo istud onus, quod voluit summus Pontifex huic ordini sive Sacramento alligare, *potuit* et sibi licitum fuit. — Sed huic *auctoritati* et potestati successit in Latinis *voluntas obtemperandi*, quia tale statutum super se libenter receperunt; et haec duo fecerunt statutum firmum. — De Graecis. Sed Graeci dederunt tergum; et quia non consenserunt in tam nobile statutum, ut vasa sua servarent munda, ablatum est eis regnum et intelligentia Scripturarum et datum est *genti facienti fructum eius* [6]. Sic igitur patet, quod *potuit*.

Item pro secunda. Nec solum *licuit*, immo etiam *decuit*; et hoc propter duo: quoniam in *actu carnali*, qui est usus matrimonii, ut plurimum est *libido*, et in *cohabitatione* ut plurimum est *sollicitudo*; et *libido* sive carnalis delectatio reddit foetidum et immundum, et *sollicitudo* reddit divisum [7]. Et quoniam clericum in sacris ordinibus constitutum decet esse *mundum*, cum ferat vasa Domini; decet nihilominus esse *sollicitum* et attentum, ut sollicite et diligenter serviat Domino et studeat, quomodo placeat Christo: ideo *decens* fuit, eos ab uxoribus separari, ut per omnia fierent idonei cultores ministri altaris. — Si enim illi qui comedebant panes propositionis, vasa sancta habere debebant [8]; quanto magis isti qui Agno immaculato assistunt et dispensant et sumunt, omni puritate et sanctitate debent fulgere et vasa sua *custodire in sanctificatione* et *honore, non in desiderii passione*? Notandum. Certe hoc non tantum *decens*, sed et etiam *decentissimum* iudicabit omnis anima, quae est templum Spiritus sancti.

Item pro tertia. Et non tantum *decuit*, immo etiam *expediens fuit*: primo propter vitandum *irregularitatis periculum*, secundo propter vitandum *latrocinium*. Propter vitandum *periculum*: quia, si mulier, quae est uxor alicuius, cognoscat alium virum, et ille vir post cognoscat eam, iam irregularis est [9]; et ideo, si uxor sacerdotis Graeci fornicatur, iam amplius nec cum ipsa nec cum alia potest rem habere. Et quia difficile est talibus abstinere, frequenter in irregularitatem inciderent et cum periculo ministrarent, si uxores haberent. — Secundo vero propter vitandum *latrocinium*. Si enim episcopi et archie-

---

[1] Epist. 130. (alias 8.) n. 5: Habet et servata pudicitia martyrium suum. Cfr. Epist. 22. n. 38. — Subinde respicitur Matth. 11, 30: Iugum enim meum suave est etc.

[2] Plurimi codd. non inepte *alligari*.

[3] Cfr. I. Tim. 3, 2. et 12.

[4] Ita cod. K (I a secunda manu); multi codd. pro *sed* habent *secundum*, ed. 1 *et secundum*, insuper plurimi codd. cum edd. *illas claudendum* pro *illae clauduntur*.

[5] Matth. 7, 29 (Marc. 1, 22: « *Quasi* potestatem habens », quod habent etiam codd. GMU). Cfr. supra d. 24. p. II. a. 1. q. 4. ad 6.

[6] Matth. 21, 43: Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius. — Post *ablatum est* ex codd. BK (EI a secunda manu) supplevimus *eis*.

[7] Secundum I. Cor. 7, 33. — Subinde respicitur Isai. 52, 11: Mundamini qui fertis vasa Domini, et I. Cor. 7, 32: Qui sine uxore est, sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. — Inferius voci *ministri*, pro qua RS *ministerii* (cod. aa *ministerio*), cod. O praemittit *et*. In nostra lectione sume *cultores* ut praedicatum et supple *Dei*.

[8] Cfr. I. Reg. 21, 4. seqq. — Seq. locus est I. Thess. 4, 5.

[9] Vide supra pag. 654, nota 1.

Notandum. piscopi nunc filios haberent, omnia bona ecclesiastica furarentur et diriperent, ita quod pauperibus pauca vel nulla remanerent. Cum enim modo congregent et ditent nepotes quasi gradibus incomputabilibus ab eis elongatos; quid facerent, si haberent filios legitimos [1]? Unusquisque attendat, quantum esset periculum. Ideo providit Spiritus sanctus hoc offendiculum auferre, et Dei consilio hoc statutum fuit in Ecclesia sancta Dei, ut clerici ad sacros ordines venientes, nullo modo matrimonio possint uti.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod clerici indigent remedio; dicendum, quod verum est; sed tamen non solum est remedium matrimonium ad vitandam fornicationem, sed multo nobilius est remedium macerare carnem [2]. (Notandum.) Unde quando otium est, et nulla est carnis maceratio, sed nutritur et impinguatur venter; tunc praestatur fomentum igni luxuriae, et ideo aliquibus videtur difficile continere; sed si occuparent se bono exercitio et carnem macerarent, alio remedio non indigerent; et istud remedium est eis concessum, quia convenit eorum statui; aliud vero est remedium, quod non competit eorum caelibatui.

2. Ad illud quod obiicitur, quod difficillimum est abstinere iuvenibus ab actu carnis; dicendum, quod re vera hoc difficillimum est, quia qui *ignem abscondit in sinu,* quomodo potest eum ferre, ut eius plantae non ardeant [3]? (Notandum.) Difficile autem est exstinguere ignem immittendo ligna, sed facillimum est superinfundendo aquam. Si enim vis continere, necesse habes mulieres effugere et carnem macerare, maxime si iuvenis es; quodsi hoc feceris et continentiam amare coeperis, fiet tibi non solum non difficile, immo per omnia facile. Cum enim dicitur, quod lex nova est onus leve, hoc dicitur ratione caritatis, quae cetera mandata facit facilia, qua qui caret valde difficulter potest onus portare [4].

3. Ad illud quod obiicitur de perfectione, dicendum, quod Ecclesia nullum compellit *absoluta* (Notandum.) impulsione, sed *sub conditione,* quae est in voluntate hominis, scilicet si velit ordinem suscipere; et hoc non est compellere *simpliciter,* sed homo tunc se obligat, quando voluntarie sumit ordinem; oportet enim, quod accipiat ipsum cum suo onere.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maioris perfectionis [5] erat Ecclesia primitiva; dicendum, quod illi non competebat, tum propter personarum *paucitatem,* tum etiam propter *paupertatem,* tum etiam propter *modestiam* et honestatem: (Ratio triplex.) propter *paucitatem,* quia oportebat, clericos fieri de novo conversos, qui ut plurimum uxores habebant, nunc autem a cunabulis instruuntur. — *Amplius,* non erant *divitiae,* et ideo non tantum timendum erat de furto; sed post Dei dispensatione Ecclesia temporalia habuit, ne, caritate refrigescente tam in laicis quam in clericis, cultus Dei periret, qui dilatari deberet; et tunc oportuit continentiam indicere. — *Tum,* propter *modestiam,* quae erat in illis; sciebant enim uxoribus melius et temperantius uti. Et sic patet illud.

5. Ad illud quod obiicitur de ampliatione cultus divini, dicendum, quod tot sunt qui vacant de laicis multiplicationi carnali, tam pauci, qui sciant, possint et velint vacare spirituali, quod oportuit, haec duo officia dividi; et cum divisa sint, adhuc carnalis generatio multos habet ministros, et spiritualis paucos. Non enim timendum est, quod deficiat cultus Dei propter defectum generationis carnalis; sed multum timendum est, ne tepescat propter defectum spiritualis.

6. Ad illud quod obiicitur de actione et contemplatione, dicendum, quod *quaedam* est actio, quae iuncta contemplationi non eam impedit, sed faciliorem facit, ut sunt opera misericordiae et pietatis; *quaedam* est, quae mentem deiicit de arce, et talis est actio coniugalis, quia, sicut dicit Augustinus [6], « nihil mentem virilem adeo de arce deiicit, ut contactus membrorum femineorum »; et hoc supra tactum fuit. Et ideo dico, quod clericis talis actio non competit, sed actio quantum ad opera misericordiae; unde eis commissa sunt bona pauperum dispensanda, ut operibus pietatis intendant, *non ut curam carnis in desideriis faciant* [7].

---

[1] Cfr. C. *De Syracusanae* (13.), d. 28. et C. *Diversis fallaciis* (5.), X. de Clericis coniugatis (lib. III. tit. 3.). — Superius pro *ecclesiastica* plures codd. *ecclesiarum,* cod. E *Ecclesiae.*

[2] Vide supra d. 34. a. 1. q. 1. ad 1, et I. Cor. 9, 27: Castigo corpus meum et in servitutem redigo.

[3] Prov. 6, 27. seq.: Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantae eius? (Ita etiam cod. U). Ibid. 26, 20: Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis. Eccli. 3, 33: Ignem ardentem exstinguit aqua.

[4] Cfr. III. Sent. d. 40. q. 3.

[5] Edd. *quod non maioris perfectionis est moderna Ecclesia quam.* Eaedem edd. inferius pro *Amplius, non erant divitiae* [codd. I K *divites*] substituunt: *Propter paupertatem, quia non tantum abundabant tunc, quantum nunc.*

[6] Libr. I. Soliloq. c. 10. n. 17. Cfr. supra d. 31. a. 2. q. 1. in corp. — Superius verbis *sed facit* ex codd. L Y interseruimus *faciliorem.*

[7] Rom. 13, 14: Sed induimini Dominum Iesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis. Cfr. Gal. 5, 16. et I. Petr. 2, 11. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De uxoricidio.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de uxoricidio. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum uxorem adulteram occidere sit licitum.

Secundo, quod sit gravius peccatum, utrum occidere uxorem, an matrem.

Tertio, utrum hoc peccatum simpliciter impediat matrimonium.

QUAESTIO I.

Utrum liceat uxorem adulteram interficere.

Circa primum proceditur sic et ostenditur, quod licitum sit uxorem adulteram interficere:

Ad oppositum. 1. Primo per textum sacrae Scripturae, Exodi vigesimo secundo[1]: *Maleficos non patieris vivere;* istud est morale, ergo adhuc manet. *Si tu dicas*, istud fuisse iudiciale, et talia evacuata sunt; *contra:* istud est in lege humana[2], quod adultera est interficienda et adulter; sed tales leges approbat et sustinet Ecclesia: si ergo Ecclesia non debet approbare nisi licitum; videtur, quod viro uxorem adulterantem interficere sit licitum.

2. Item hoc probatur per canonem, Causa trigesima tertia, quaestione secunda[3]: « Interfectores suarum coniugum sine iudicio, cum non addis *adulterarum*, quid aliud sunt quam homicidae »? Ergo si additur *adulterarum*, non videntur esse homicidae.

3. Item, viri est uxorem suam corrigere[4], et secundum quod gravius peccat, gravius debet eam punire: si ergo mulier, quae adulteratur, digna est morte; si vir eam occidat, non videtur, quod incurrat aliquam offensam.

Fundamenta. Contra: 1. Ioannis octavo[5]: *Qui sine peccato est vestrum primus in eam lapidem mittat:* noluit ergo Dominus, quod aliquis occideret mulierem in adulterio deprehensam, nisi haberet conscientiam mundam a culpa: ergo non videtur, quod hoc alicui liceat.

2. Item, canon dicit Causa trigesima tertia, quaestione secunda[6], *Inter haec sanctitas vestra*, et infra: « Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem »: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia quantum ad culpam fornicationis iudicantur pares; sed nulli mulieri licet occidere virum adulterum: ergo nec alicui viro adulteram mulierem.

CONCLUSIO.

Uxorem propriam adulteram non licet occidere secundum ius divinum et canonicum.

Respondeo: Dicendum, quod interfector propriae coniugis, si ex certa scientia facit, peccat, quantumcumque illa sit adultera. — Peccat autem non tantum contra *canones*, sed etiam contra *ius civile:* contra *ius civile*, quia eam interficit, praetermisso iuris ordine, nisi forte in actu malo eam inveniat, in quo casu leges humanae concedunt. — Sed contra ius *divinum* et *canonicum* peccat in ipso facto, quoniam non debet ipsam adulteram interficere, sed corrigere, cum Deus peccatori paratus sit parcere in lege gratiae, sicut in exemplo patet mulieris adulterae, Ioannis octavo[7]. Et quoniam matrimonia et causae matrimoniales tractari debent lege *poli*, et non lege *fori;* ideo non licet hoc facere, quod ius *civile* dictat — quamvis Ecclesia *sustineat* ad terrorem malorum — sed quod iudicat *sancta Ecclesia*, uxorem scilicet adulteram non esse occidendam, sed potius dimittendam. Conclusio. Ratio duplex.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur de Lege, dicendum, quod illud erat *iudiciale*, et iudicialia non manent, quia illa fuit lex rigoris, haec autem est mansuetudinis. — Ad illud quod obiicitur de lege civili, dicendum, quod quaedam sunt ibi, quae Ecclesia *approbat*, quaedam, quae *sustinet*, et quaedam, quae *revocat*. Et hoc iudicium de occisione fornicariae sive adulterae aut *sustinet* ad aliorum terrorem, aut etiam *retractat*, cum prohibet in supradicto[8] canone, nullo iudicio interficiendam esse uxorem, quantumcumque in crimine deprehensam. De lege civili.

2. Ad illud quod obiicitur de illo canone: Interfectores suarum etc.; dicendum, quod illud di-

---

[1] Vers. 18.

[2] Iustinian., D. XLVIII. de Adulteriis coercendis (tit. 15.), lex *Patri datur* (20.), et C. IX. ad Legem Iuliam etc. (tit. 9.), lex *Gracchus* (4.).

[3] Can. 5. Textus originalis, quem sequuntur edd., plura interserit; cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Cfr. supra d. 35. q. 2. in corp.

[5] Vers. 7.

[6] Can. 6.

[7] Vers. 7. seqq. — Superius pro *peccatum* ex codd. M O S U substituimus *peccatori.* — Nicolaus III. in C. *Exiit qui seminat* (3.), de Verborum significat. (lib. V. tit. 12.) in VI, in explicanda Regula Fratrum Minorum ait: Sicut nec ceteris, sic nec ipsis fratribus *iure poli* [i. e. iure naturali] in extremae necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturae via omnibus extrema necessitate detentis concessa praecluditur etc.

[8] In fundam. 2. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Inferius pro *iudicio* edd. cum aliquot codd. *modo.*

ctum est secundum *leges humanas;* talis enim, ex quo *sine causa* et *praeter iudicium* occidit, secundum leges civiles punitur ut homicida; sed si *per iudicium* et *causam* faciat, non iudicatur homicida secundum leges humanas. Sed secundum *ius canonicum,* etiam secundum quod debent regi matrimonia, et secundum mandatum Ecclesiae, non principum, non licet occidere, immo homicida iudicatur, sicut expresse testatur capitulum sequens de Nicolao [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod potest corrigere; dicendum, quod verum est; sed correctio tanta et talis debet esse, ut non auferat locum poenitentiae; et ideo, quando excedit limites, ut occidat, iam non est zelus correctionis, sed furor occisionis.

SCHOLION.

I. Quaestiones 1. et 2. nullam difficultatem habent; cfr. de utraque quaest. S. Thom., hic q. 2. a. 1; Suppl. q. 60. a. 1, et de 2. q. ibid. a. 2. ad 2. — B. Albert., de his et seq. q. hic a. 12. 13. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — De his et de 3. q. Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 2.

II. Quoad 3. quaestionem observandum est, secundum rigorem antiquorum canonum poenitentialium cuilibet, qui coniugem occidit, fuisse poenam impositam, ut a *quolibet* matrimonio *contrahendo* abstineret (vide lit. Magistri, hic c. 2.). Impedimentum *criminis* nostra aetate intelligitur de complicibus et incurritur triplici modo: 1. est crimen *uno patrante* i. e. machinatio mortis et occisio coniugis simul cum adulterio; 2. crimen *utroque patrante* i. e. occisio coniugis, utroque conspirante; 3. adulterium cum mutua promissione matrimonii post mortem coniugis contrahendi. Cfr. infra dub. 3.

De 3. quaestione: Scot., supra d. 36. q. unica. — S. Thom., locis citt. a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

QUAESTIO II.

Utrum sit gravius peccatum occidere uxorem quam matrem.

Secundo quaeritur, utrum gravius peccatum sit occidere uxorem quam matrem. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia quod gravius punitur gravius est in offensa; sed peccatum interfectionis uxoris gravius punitur quam peccatum interfectionis matris, sicut patet Causa trigesima tertia, quaestione secunda [2], *Admonere* etc.

2. Item, quod est magis contra naturam, illud est maius peccatum; sed magis contra naturam est odire et occidere carnem suam quam alienam, quia, ad Ephesios quinto [3], *nemo unquam carnem suam odio habuit;* et uxor est caro viri, sicut ibidem dicitur, quia sunt una caro: ergo videtur gravius peccatum.

3. Item, amor uxoris, sicut patet ex textu, Genesis secundo [4], superexcedit amorem patris et matris, etiam amor castus; et hoc etiam videtur innui Genesis vigesimo quarto de Isaac, qui *tantum dilexit* Rebeccam, quod *dolorem, qui de matre acciderat, temperaret;* sed quanto magis aliquis inclinatur ad amorem, tanto minus ad laesionem: ergo videtur, quod si occidat uxorem, gravius peccat.

4. Item, qui occidit uxorem facit contra bonum naturae et Sacramenti, cum sint coniuncti ad individuam vitae consuetudinem [5]; qui autem occidit matrem facit contra alterum tantum: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Licitum est percutere et verberare uxorem in casu; sed nunquam licitum est verberare matrem [6]: ergo gravior est offensa illata matri quam uxori: ergo etc.

2. Item, tanto gravior est offensa, quanto personae, in quam est, debetur maior reverentia; sed multo maior reverentia debetur matri quam uxori: ergo maior est offensa, quae est in matrem, et sic etc.

3. Item, facilius frangitur amor *socialis* quam *naturalis,* pro eo quod naturalia magis adhaerent; sed amor matris est *naturalis,* amor uxoris *socialis* [7]: ergo maioris perversitatis et crudelitatis est occidere matrem.

4. Item, gravius est eum offendere, a quo plura beneficia sunt percepta; sed plura beneficia percipiuntur a matre quam ab uxore [8]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Gravius peccatum est, in genere loquendo, occidere matrem quam uxorem.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod absque dubio gravius peccatum est, in genere loquendo, occidere ma-

---

[1] Scilicet C *Inter haec sanctitas vestra,* qui est Nicolai, sicut et C. *Interfectores.* — Superius post *matrimonia* Vat. inepte addit *lege matrimonii.*

[2] Can. 8. Cfr. ibid. C *Latorem* (15.).

[3] Vers. 29. — Seq. locus est ibid. v. 31: Et erunt duo in carne una. Cfr. v. 28: Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit seipsum diligit.

[4] Vers. 24: Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae. — Seq. locus ibid. 24, 67: Et in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

[5] Cfr. supra d. 27. dub. 1.

[6] Exod. 21, 15: Qui percusserit patrem suum aut matrem morte moriatur.

[7] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 12.

[8] Vide tom. III. pag. 646, nota 8. verba Aristot.

trem quam occidere uxorem, tum ratione *personae exterioris*, cui debetur maior reverentia, tum ratione *minoris pronitatis*. Pronior enim est homo iracundus ad verberandam uxorem quam matrem, quoniam, quando propter aliquam causam displicet, mirabile odium et taedium generatur [1]; et ideo pronior est ad occidendam uxorem quam matrem. Ad occidendam autem matrem nullius natura inclinatur, nisi sit per iniquitatem conversa in crudelitatem super bestias. Et quoniam homo pronior est ad uxoricidium, hinc est, quod quamvis minus sit peccatum, tamen maior poena imponitur, ut per incussionem timoris pronitas restringatur.

Notandum.

Solutio oppositorum.

1. Et per hoc patet primo obiectum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis est contra naturam, quia una caro; dicendum, quod maior est unio inter filium et matrem, quam inter virum et uxorem secundum *rem*, quamvis in matrimonio sit maior secundum *significationem*, pro eo quod caro matris et filii habent convenientiam in *substantia* et natura, sed caro masculi et feminae secundum *actum commixtionis* et unionis; et ideo ad tempus plus trahitur homo ad uxorem, sed simpliciter plus trahitur ad matrem.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod plus [2] excedit amorem matris; dicendum, quod verum est *intensive*, tamen quantum ad *radicationem* facilius est, quod vir concitetur in odium uxoris, et e converso, per unam fornicationem, quam mater in odium filii, vel e converso. Tamen hoc non dicitur, quod relinquat matrem quantum ad *affectum*, sed quantum ad *coniunctionem sexuum*.

4. Ad illud quod obiicitur, quod facit contra bonum naturae et Sacramenti; dicendum, quod verum est; sed illud praeponderat, scilicet matricidium, adeo [3] est contra naturam; nunquam enim natura abhorret ita occisionem alicuius, cui commiscetur, sicut eius, in cuius utero fuit totus. Unde quamvis canon dicat Causa trigesima tertia, quaestione secunda [4], quod occidens uxorem est crudelior omni bestia, quia « partem sui corporis occidit »; intelligendum est, hoc dictum esse per emphaticum modum loquendi, secundum quem modum posset dici, quod mater est totum corpus filii, cum totum ex matre traxerit; et ista est veritas, licet Hugutio super Decreta senserit contrarium; non enim in hoc approbatur eius sententia a modernis doctoribus [5].

Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum uxoricidium impediat matrimonium.

Tertio quaeritur, utrum uxoricidium impediat matrimonium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Causa trigesima tertia, quaestione secunda [6]: « Interfectores suarum coniugum ad poenitentiam redigendi sunt, quibus penitus denegatur coniugium ».

2. Item, eodem titulo [7], in poenitentia Arnulfi, qui occiderat uxorem, dicitur: « Uxorem nunquam ducere, concubinam nunquam habere nec adulterium committere audeas ».

3. Item, in eo, in quo quis peccat, in eo torquendus est [8]; sed iste peccavit contra matrimonium, occidendo uxorem: ergo etc.

4. Item, supra, distinctione trigesima quinta dicit Magister in littera [9], et tractum est de canone expresse, Extra, de Eo qui duxit in coniugium quam polluit per adulterium, ubi dicitur, quod matrimonium nullum est et dirimendum est: ergo quod impedit, hoc est propter homicidium mariti, quod perpetravit: ergo si hic vir occidit uxorem, patet etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Si quis occideret uxorem alienam, propter homicidium [10] non efficitur inhabilis ad matrimonium: ergo si plus potest in uxorem propriam, videtur, quod propter eius occisionem a matrimonio non debeat prohiberi.

2. Item, possibile est, quod vir occidat uxorem zelo, quem habet in detestationem adulterii: ergo videtur, quod stet pro matrimonio: ergo non debet puniri privatione matrimonii.

---

[1] Cfr. supra d. 36. a. 2. q. 2. in fine. — Superius pro *quoniam*, quod plures codd. omittunt, edd. cum aliquot codd. *maxime*, cod. H *quam maxime*. Inferius voci *natura* cod. aa praemittit *animus nec*.

[2] Codd. K M (1 a secunda manu) *quod amor uxoris*. Inferius edd. et plures codd. *convertatur* pro *concitetur*. Subinde pro *Tamen hoc non* edd. *Et hoc quod dicitur*, post *matrem* addito *non dicitur*.

[3] Cod. U *quia plus*, cod. M *quia*, edd. *quod adeo*, quae etiam mox pro *nunquam enim* substituunt *ut nunquam*.

[4] Can. *Admonere* te cum lacrymis... fili Hastulphe; sed non filius debes dici qui tam crudeliter infelix homicidium perpetrasti. Nam occidisti uxorem tuam, partem corporis tui (8.). — Sententia *Hugutionis* (vel Huguitionis) refertur in *Glossa* super hunc canonem ad verbum *Existimes*, et pro ipsa afferuntur duo argg., quae a S. Bonav. primo et secundo loco *ad oppos.* exhibentur. — Circa finem solut. Vat. cum paucis codd. *super decreto* pro *super decreta*.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Can. 5. Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[7] Can. *Admonere* (8.), ubi textus originalis utitur nomine *Hastulphi* pro *Arnulphi* (cfr. supra nota 4.).

[8] Respicitur Sap. 11, 17. Cfr. supra pag. 781, nota 8.

[9] Cap. 4. — Idem dicitur Extra, loc. cit. (lib. IV. tit. 7.), C. *Propositum* (1.), C. *Super hoc* (3.) et C. *Significasti* (6.) seq. — Superius pro *et tractum est*, quod habent plures codd. et ed. 1, codd. L R T *et tractatum est*, Vat. falso *retractatum est*, codd. M O U X legunt *et tactum est in canone*.

[10] Cod. U addit *quod fecerat*.

3. Item, omne peccatum potest deleri per poenitentiam: si ergo poena ista est ratione peccati, et haec poena potest esse occasio peccati, maxime iuveni, qui habet incentivum libidinis: ergo videtur, quod non possit impediri, saltem poenitentia facta.

4. Item, magis repugnat bono matrimonii adulterium quam homicidium; sed adulterium simpliciter non impedit [1]: ergo nec uxoricidium.

CONCLUSIO.

Coniugicidium impedit matrimonium, et quidem coniunctum cum adulterio, vel cum promissione matrimonii dirimit respectu complicis, sicut et adulterium cum eadem promissione.

Respondeo: Dicendum, quod occidere uxorem potest quis tripliciter: aut persequendo *culpam*, aut persequendo *naturam*, aut persequendo *matrimonium*. Persequendo *culpam*, ut cum in fornicationis crimine deprehendit et adeo detestatur, quod in ultionem criminis mortem infligit. Persequendo *naturam*, ut si mulier propter defectum aliquem, quem habet in se, non habet gratiam viri; unde vir eam exosam habet et gravem et propter istam detestationem et odii intensionem, furore accenso, ipsam perimit. Persequendo *matrimonium*, ut quando moechatur cum aliqua, quam vult ducere in uxorem et non potest, nisi uxore mortua; et ideo ipsam interficit. Primum est grave peccatum propter excessum; secundum est gravius et tertium est gravissimum. (Triplex modus coniugicidii.)

In quolibet horum prohibetur a matrimonio contrahendo, sed magis in secundo et maxime in tertio; et in quolibet horum casuum dispensatur ab Ecclesia, et maxime in iuvenibus; sed in primo de facili, in secundo difficilius, in tertio quodam modo sic, et quodam modo non. (Conclusio 1.) Respectu enim *illius personae*, cum qua moechabatur et propter quam habendam in matrimonio occidit coniugem, nunquam cum eo dispensabitur, immo, si iunctus fuerit, simpliciter separatur; sed respectu aliarum propter periculum dispensatur [2]. (Conclusio 2.) Unde quamvis crimen non faciat *omnino* illegitimum respectu *omnium* propter periculum fornicationis; facit tamen *simpliciter* illegitimum respectu alicuius personae *determinatae*, scilicet homicidium iunctum cum adulterio, vel adulterium cum fidei datione, vel datio fidei cum uxoricidio [3]. (Conclusio 3.) — Et sic concedendum est, quod tale crimen impedit matrimonium aliquo modo taliter, quia *impedit*, sed non *dirimit*; alio modo, quod etiam *dirimit*, sicut tactum est.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod qui occidit uxorem alienam; dicendum, quod non est simile; quia enim offendit matrimonium in se, cum uxorem propriam interficit [4]; ideo in se debet puniri; non sic, cum interficit alienam. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur de zelo, dicendum, quod zelus non excusat a *toto*, sed a *tanto*; unde facilius cum eo dispensatur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod potest per poenitentiam deleri; dicendum, quod enormitas non ita cito deletur, immo in poenam manet diutius, sicut patet in irregularitate.

4. Ad illud quod obiicitur, quod adulterium magis repugnat; dicendum, quod falsum est, quia uxoricidium est contra *substantiam* matrimonii, quia perimit subiectum; sed adulterium est contra *bonum fidei*, sine quo matrimonium esse potest [5]; et ideo non est simile.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit: *Uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit.* Quare ponit, quod permittit ducere *virginem*? Cum enim nullo voto sint astricti, ita potuerunt ducere viduam, sicut virginem.

Respondeo: Dicendum, quod clerici ducentes uxores infra minores ordines possunt uxores dupliciter ducere: aut *cum spe* redeundi ad ministerium et officium clericatus, aut *sine spe*. Si *cum spe*; tunc permittitur, quod ducant *virgines*, et sic loquitur Leo Papa [6]. Si *sine spe*; tunc possunt quam volunt ducere; sed si ducant *viduam*, amplius non possunt ad officium, quod dimiserant, redire; vel si permittatur reditus ad ordines minores, inhibetur promotio ad maiores. Et ideo dicit: *permittitur*, supple: si volunt ad clericatum aliquo tempore redire sine impedimento [7].

---

[1] Cod. K supplet *matrimonium*.

[2] In C. *Interfectores* (5.), C. 33. q. 2. dicitur: Quibus [qui coniuges occidunt] penitus coniugium denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est B. Leonis papae XXV. regula decretalium [cfr. ibid. C. *In adolescentia* (14.) et C. *Antiqui* (19.)], immo indulgentia observanda.

[3] Cfr. C. *Propositum* (1.), et C. *Super hoc* (3.) ac C. *Significasti* (6.), seq., X. de Eo qui duxit in matrim. etc. (lib. IV. tit. 7.). — Inferius voci *taliter* cod. aa praemittit *et*.

[4] Vide supra pag. 782, nota 2. — Plures codd. hic et paulo inferius *interfecit*.

[5] Cfr. supra d. 31. a. 1. q. 3. — In fine Vat. addit *hinc et inde*. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] In verbis huius dubii; cfr. hic lit. Magistri, c. 1. — Paulo ante pro *virgines* plures codd. *virginem*.

[7] Scilicet bigamiae. Vide supra d. 25. a. 2. q. 3. fundam. 3. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 9; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Placuit, episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere* etc. Videtur enim mala esse haec constitutio: quia nemo potest uxorem privare iure suo: ergo videtur, quodsi habent uxores, quod non possunt abstinere ab eis, etiam si velint. — Item, ponatur, quod aliquis in inferioribus ordinibus, uxore tacente et sciente, promoveatur [1], utrum debeat, cum reclamaverit, debitum sibi reddi. Et quod *sic*, videtur, quia votum continentiae non vovit; et iterum, si vir ingrediatur religionem, et ipsa taceat; si reclamet post apud episcopum, redire compellitur [2]: ergo etc.

Quaestio incidens. Item quaeritur, utrum, mortuo viro, teneatur ad continentiam perpetuam talis mulier, an possit contrahere.

Respondeo: Dicendum, quod hoc intelligitur, quod si non habent uxores, nunquam debent contrahere, ex quo ad sacros ordines sunt promoti; si Notandum. autem habent, non possunt promoveri sine assensu uxorum secundum consuetudinem Romanae Ecclesiae; et verum est, quod requirendus est earum consensus. Quod si uxor taceat, viro suscipiente ordinem, et locum et tempus habet reclamandi; praesumitur consensisse [3] et amplius reclamare non potest; et ex consensu suo lex continentiae sibi indicitur nec potest requirere virum.

Ad quaest. incid. Utrum autem possit contrahere; dicendum, quod, sicut dicitur trigesima secunda distinctione, canone *Seriatim* [4] etc., non potest, etiam post mortem viri, immo tenetur ad continentiam perpetuam.

Opiniones quatuor. Sed qualiter hoc sit intelligendum, inter iurisperitos est controversia. Aliqui enim dicunt, quod mulier consentiens viro, vovere intelligitur; sed votum istud, quia non est solemnizatum, impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit iam contractum. — Alii dicunt, quod solemnizatur in voto viri. — Tertii dicunt, quod secus est in uxore ingressi religionem et clerici: quia uxor clerici tenetur, sed non uxor ingressi, quia dignior est clericatus quam religio, cum bigamus possit esse religiosus, non autem clericus. — Alii dicunt, et hoc videtur probabilius, quod uxor aut ignorat ius illud, quia nec scit nec sibi dicitur, aut novit. Primo modo non obligatur; secundo modo, si novit aut sibi dicitur et consentit, obligatur.

Iudicium auctoris. Sed quid in tanta diversitate tenendum est? Sane dici potest, quodsi uxor consentiat viro, quod ordinem sacrum suscipiat, vel quod religionem ingrediatur in conspectu personae, per quam secundum formam Ecclesiae possit fieri divortium, quod ipsa obligatur ad continentiam perpetuam cum viro, qui est eadem caro cum ipsa [5], nec excusatur per iuris ignorantiam; nec est diversimode iudicandum in clericis et religiosis quantum ad hoc, cum utrobique corpus viri perpetuo Domino dedicetur. Et hoc expresse dicitur distinctione trigesima secunda, canone *Seriatim* [6] etc.: « Neque permittitur uxor iungi eidem marito suo carnaliter nec unquam nubere, aut in eius vita aut post mortem ». Et ideo satis probabiliter dictum est, quod viro vovente et solemnizante, ipsa vovisse intelligitur; et hoc totum probatur per multa iura, quae dicuntur libro tertio, de Conversione coniugatorum [7].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quibus penitus denegatur coniugium.* Ex hoc enim videtur, quod cum talibus dispensari non possit. — Quaeritur igitur: pro quibus peccatis coniugium denegatur et in quibus dispensatur? Quaestio duplex.

De prima septem casus. Respondeo: Notandum est, quod in septem generibus. Primum est adulterium cum occisione, vel fidei datione; Causa trigesima prima, quaestione prima [8]. — Secundum est incestus; Causa trigesima secunda, quaestione septima, *Concubuisti.* — Tertium est raptus sponsae alterius; Causa vigesima septima, quaestione secunda, *Statutum.* — Quartum est de eo qui insidians matrimonio filium de sacro fonte levavit, et de hoc habetur Causa trigesima, quaestione prima, *De eo autem.* — Quintum est de eo qui occidit presbyterum; Extra, de Poenitentiis et remissionibus [9], *Qui presbyterum.* — Sextum de eo qui occidit propriam uxorem; Causa trigesima tertia, quaestione secunda. — Septimum solemniter poenitentes; Causa trigesima tertia, quaestione secunda, *De his antiqui.* — De secunda. In omnibus dispensatur praeterquam in primo, propter hoc quod respicit personam determinatam [10].

---

[1] Cod. U supplet *ad maiores.* Inferius pro *cum reclamaverit* cod. bb *cum ipsa reclamavit*, qui etiam subinde cum codd. F G substituit *reddere* pro *reddi.*

[2] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVII, c. 7, et Comment. dub. 4.

[3] Regul. iuris, regul. 43: « Qui tacet consentire videtur », lib. V. tit. 12. in VI.

[4] Can. 14. Verba canonis habentur infra circa finem solut.

[5] Respicitur Gen. 2, 24. et Matth. 19, 5. seq. — Superius pro *ordinem sacrum* nonnulli codd. et edd. *ordinem sanctum.*

[6] Can. 14: Neque permittitur postea uxor... nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius.

[7] Extra, lib. III. tit. 32. — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 4.

[8] Can. *Si quis vivente* (5.). Cfr. C. *Super hoc* (3.), X. de Eo qui duxit in matrim. etc. (lib. IV. tit. 7.). — Secundum habetur C. 32. q. 7. c. 23; tertium C. 27. q. 2. c. 34; quartum C. 30. q. 1. c. 5. — Superius post *generibus* cod. aa supplet *denegatur.*

[9] Libr. V. tit. 38. c. 2. — Seq. habetur C. *Interfectores* (5.), C. 33. q. 2. (cfr. hic lit. Magistri, c. 2.); ibid. C. *De his vero non incongrue* (12.) insinuatur ultimum.

[10] Vide B. Albert., hic a. 12.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *Sancta Dei Ecclesia gladium non habet nisi spiritualem.* Videtur enim falsum dicere, quia Bernardus dicit ad Eugenium [1], quod habet utrumque gladium: « Et uterque gladius tam spiritualis quam materialis est Ecclesiae »; et hoc probat per illud Lucae vigesimo secundo: *Sunt gladii duo;* et Dominus: *Satis est.*

Respondeo: Dicendum, quod uterque, ut dicit Bernardus, est Ecclesiae, sed differenter, quia spiritualis extrahendus est *manu* Ecclesiae, sed materialis non *manu*, sed tantum *nutu* [2]; et per hoc solvitur illud. De duplici gladio Ecclesiae.

DISTINCTIO XXXVIII.

Cap. I.

De votis.

Nunc de voto inspiciamus. Votum est « testificatio Hugo. quaedam promissionis spontaneae [1] », quae Deo et de his quae Dei sunt, proprie fieri debet. Sunt tamen et vota stultorum, quae frangenda sunt.

Cap. II.

De votorum differentia.

Sciendum vero, quod votorum aliud est *commune*, aliud *singulare: commune*, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cum spondent renuntiare diabolo et pompis eius; *singulare*, ut cum aliquis sponte promittit servare virginitatem et continentiam, vel aliquid huiusmodi. Item *singulare* votum aliud est *privatum*, aliud *solemne; privatum* est in abscondito factum, *solemne* vero in conspectu Ecclesiae factum; item *privatum* votum si violetur, peccatum est mortale; so-
Dubia 1. 2. lemne vero violare peccatum est et scandalum. Qui *privatum* faciunt votum continentiae matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant; si tamen contraxerint, non separentur, quia
Dubium 3. probari non potest quod occulte actum est. Qui vero *solemniter* vovent, nullatenus coniugium inire queunt; quibus non solum *nubere*, sed et *velle* damnabile est.
Augustinus. Unde Augustinus [2]: « In coniugali vinculo, si pudicitia servatur, damnatio non timetur; sed in viduali continentia et virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur; qua expetita et electa et voto oblata, iam non solum capessere nuptias, sed etiam, si non nu-
Canon. batur, *nubere velle* damnabile est ». « Voventibus enim virginitatem vel viduitatem non solum *nubere*, sed etiam *velle* damnabile est ». Quod Apostolus [3] ostendit, Timotheo scribens: *Adolescentiores viduas devita; cum enim luxuriatae fuerint, in Christo nubere volunt*, id est, cum post votum continentiae in deliciis egerint vitam, non dico nubunt, sed nubere volunt in Christo, quasi tunc non sit peccatum; sed *quod sit*, ostendit subdens: *Habentes damnationem;* et *quare*, subdit: *quia primam fidem irritam fecerunt*, etsi non nubendo, tamen volendo; ut voluntatem, quae a proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive sequantur nuptiae, sive non. Damnatur enim propositi fraus; damnantur tales, quia continentiae fidem primam irritam fecerunt, id est *votum*, vel in voto violato *fidem*, quam in baptismo professae sunt. Si autem pro voluntate nubendi damnantur, constat, si ream effectui mancipaverint, revocandum id esse in irritum, easque arcendas redire ad propositum. Unde Gregorius [4]: « Viduas Dubium 4. Gregorius.
a proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consuluisti, credo te nosse a sancto Paulo, nisi convertantur, olim esse damnatas; quas et nos apostolica auctoritate damnandas et a communione fidelium atque a liminibus Ecclesiae arcendas fore censemus, usquequo obediant episcopis suis et ad bonum, quod coeperunt, invite, aut voluntarie revertantur ».

« De virginibus autem non velatis, si deviaverint, Canon.
a praedecessore nostro Innocentio tale decretum habemus: Hae quae necdum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt perma- Dubium 5.
nere, licet velatae non fuerint, tamen, si nupserint, aliquo tempore his agenda poenitentia est, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit [5] »? Item: « Si virgines Canon.
nondum velatae taliter publica poenitentia puniuntur et a coetu fidelium usque ad satisfactionem excludun-

---

[1] Libr. IV. de Considerat. c. 3. n. 7: « Uterque ergo Ecclesiae, et spiritalis scilicet gladius et materialis ». Quibus verbis praemittit: Alioquin, si nullo modo ad te pertineret et is [materialis], dicentibus Apostolis: *Ecce, gladii duo hic,* non respondisset Dominus: *Satis est* [Luc. 22, 38.].

[2] Bernard., loc. cit.: Quem [gladium materialem] tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: *Converte gladium tuum in vaginam* [Ioan. 18, 11.]. Tuus ergo et ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu, evaginandus. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XII. c. 3. De seqq. cfr. idem ibid.

[2] De Bono viduitatis, c. 9. n. 12; C. *Nuptiarum bonum* (41.), C. 27. q. 1. § 1; in quo textu ed. 1 et can. apponunt *non* ante *servatur*, refragante Augustini originali. Seq. locus verbotenus est in C. *Voventibus* (2.), C. 17. q. 1.

[3] Epist. I. Tim. 5, 11. 12. (Vulg. ponit comma post *Christo*).

[4] Can. *Viduas a proposito* (2), C. 27. q. 1.

[5] Ibid. § 1; seq. locus ibid. § 2, ubi respicitur II. Petr. 2, 22.

tur; quanto magis viduae, quae perfectioris aetatis et maturioris consilii existunt et habitum religionis assumserunt, et deinde apostataverunt atque ad *priorem vomitum sunt reversae*, a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus Ecclesiae et a coetu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandae et carceribus tradendae »? — Ex his apparet, virgines vel viduas voto
Dubium 6. continentiae astrictas, sive fuerint velatae, sive non, nullatenus coniugium sortiri posse. Quod itidem de omnibus intelligendum est, qui continentiam voverunt. Quod enim ante erat licitum post votum fit illicitum.

Non est hic praetermittendum, quod Innocentius de
Canon. viduis et puellis decrevit: « Quae Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad poenitentiam, nisi hi quibus se iunxerant, de mundo recesserint. Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque, vivente viro, alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus de eis fuerit defunctus; quanto magis de illa tenenda est, quae ante se immortali Sponso coniunxerat et post hoc ad humanas nuptias transmigravit [1] ». — Attende, quod non solum *coniugium* talibus negare videtur, sed etiam *locum poenitentiae*. Sed non ita intelligendum est, ut aliquando excludantur a poenitentia, quae digne poenitentiam agere volunt; sed illae non sunt admittendae ad poenitentiam, quae ab incesti copula discedere noluerint; quia post religionis propositum non potest Deo per poenitentiam reconciliari quae ad habitum suae professionis redire neglexerit. Tunc ille cui se coniunxerat, ei defunctus erit, cum ab eius illicitis amplexibus haec penitus recesserit. Cum igitur dicitur, eas non esse admittendas ad poenitentiam, nisi hi quibus se iunxerant, recesserint de mundo; subaudiendum est *eis*. Tunc enim eis viri de mundo recedunt et defunguntur, cum ab eorum concupiscentia istae se alienant; quem sensum subdita similitudo declarat et confirmat.

Cum vir et mulier legitime coniuncti sunt, constat, alterum, altero vivente, ad aliam non posse transire copulam, alioquin adulterium committit; de quo Cle-
Dubia 7. 8. Canon. mens Papa [2] ait: « Quid in omnibus peccatis adulterio est gravius? Secundum namque in poenis tenet locum, quem primum illi habent qui aberrant a Deo ». Gravissime igitur peccant adulteri, graviter fornicarii, sed cunctis his gravius incestuosi, quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Unde Augustinus [3]:
Augustinus. « Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur autem ab incestu. Peius enim est cum matre quam cum aliena uxore dormire; sed horum omnium pessimum est quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad
Dubium 9. hoc concesso utatur; hoc exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius fit in uxore ».

Cap. III.

De illis qui post longam captivitatem redeunt.

Hic quaeritur de illis feminis, quae putantes viros suos interemptos, vel in captivitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum coniugia transierunt; si illi qui putabantur periisse, remeaverint, utrum eis reddi debeant, et an secundi fornicati sint, et ipsae reae adulterii. De hoc Leo Papa [4] sic ait: Leo.
« Necesse est, ut legitimarum foedera nuptiarum redin- Dubium 10.
tegranda credamus, et remotis his quae hostilitas intulit, cuique id legitime reformetur, quod intulit; procurandumque est, ut recipiat quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis iudicetur et quasi alieni iuris pervasor habeatur qui personam eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumsit. Sic enim multa, quae ad eos, qui in captivitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire potuerunt; et tamen plenae iustitiae est, ut, eisdem reversis, reformentur. Ideoque, si viri post longam captivitatem reversi ita in Dubium 11.
dilectione suarum coniugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium; dimittendum est et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. Sin autem aliquae mulieres ita virorum posteriorum amore sunt captae, ut malint his cohaerere quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandae, ita ut ecclesiastica communione priventur quae de re excusabili contaminationem criminis elegerunt. Redeant ergo in suum coniugia statum, quia, sicut mulieres, quae ad viros suos reverti noluerint, impiae sunt habendae, ita illae quae redeunt, merito sunt laudandae ». — Ex his ostenditur, illos qui taliter iunguntur, ut credant virum interemptum, per ignorantiam aliquam excusationem habere de peccato; et tantum primam copulam esse legitimam, non secundam; veniam tamen habere, si careat opprobrio malae voluntatis. — Sed si quis, relicta Casus quidam.
in patria sua uxore, in longinquam abiens regionem, Dubium 12.
aliam ducat uxorem, deinde poenitentia ductus eam dimittere velit, asserens, se aliam habuisse, quae vivit, nec Ecclesia permittat, quae quod ille asserit ignorat; quaeritur, an in hac secunda copula sit coniugium. Sane dici potest, non esse coniugium, et mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo, ad primam redire volens nec valens, cogitur Ecclesiae disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam et timorem de hoc, quod poscenti mulieri debitum reddit, a qua ipse nunquam poscere debet. Et sic de aliis huiusmodi sentiendum est [5].

---

[1] Can. *Quae Christo* (10.), C. 27. q. 1.

[2] Can. *Quid in omnibus* (16.), C. 32. q. 7. Propositio seq. est apud Gratian. super C. *Quemadmodum non recte* (10.), ibid.

[3] Verbotenus in C. *Adulterii malum* (11.), ibid.; sententia est Augustini ex libro de Bono coniugali, c. 8. n. 8; c. 11. n. 12.

[4] Epist. 159. (alias 129.) ad Nicetam, c. 1; C. *Cum per bellicam* (1.), C. 34. q. 1. et 2.

[5] Hic casus sumtus est ex Hugone, Sum. Sent. tr. 7. c. 9. — De falsa solutione Magistri, postea communiter reprobata, cfr. Comment. infra dub. 12.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXVIII.

De impedimentis ortis ex obligatione voti et matrimonii.

Nunc de voto inspiciamus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de impedimento, quod venit[1] ex ecclesiastica institutione. Hic agit de impedimento, quod venit ex nostra obligatione. Et quoniam dupliciter potest aliquis obligari alicui, scilicet voto et matrimonio; ideo primo agit de impedimento, quod venit ex obligatione voti; secundo vero de illo quod provenit ex obligatione matrimonii, et incipit illa secunda pars, ibi: *Cum vir et mulier legitime coniuncti sunt* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat, quid sit votum, breviter innuens, quid sit et de quo et quorum. In secunda determinat de obligatione in comparatione ad matrimonium, ostendens, quod quoddam impedit, sed non dirimit, ut votum simplex; quoddam et impedit et dirimit, ut solemne. Et incipit illa secunda pars ibi: *Sciendum vero est, quod votorum aliud est commune* etc.

Secundo modo: *Cum vir et mulier legitime* etc. Haec est secunda pars, in qua determinat Magister de impedimento ligaminis, et habet haec pars duas. In prima ostendit, quod legitime copulatus uni non potest, illa vivente, alii copulari, nec e converso; et si copuletur de facto, non est matrimonium. In secunda quaerit, utrum copulati de facto possint per ignorantiam ab adulterio excusari, ibi: *Hic quaeritur de illis feminis, quae putantes* etc.; ubi determinat, quod excusantur, quando dubitant, sed quando certificantur, non excusantur[2].

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis quaeritur de voto. Et de hoc duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de voto in se.

Secundo quaeritur de voto in comparatione ad obligationem.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de voto, quid sit secundum essentiam.

Secundo quaeritur, de quo sit.

Tertio, in quo sit.

ARTICULUS I.

De voto in se.

QUAESTIO I.

Quid sit votum secundum essentiam.

Quantum ad primum sic proceditur et ostenditur, quod votum secundum substantiam sit *promissio:*

1. Per definitionem Hugonis[3]: « Votum est testificatio quaedam promissionis spontaneae, quae Deo, et de his quae Deo pertinent, proprie fieri debet ». (Fundamenta.)

2. Item, voto se obligat homo ad id, ad quod prius non obligabatur; sed homo ad novum se non obligat nisi propter beneficium, vel propter peccatum, vel propter promissum; sed in voto non obligatur homo beneficio, vel peccato: ergo obligatur promissione: ergo promissio est de substantia voti.

Item, quod sit *obligandi intentio*[4], videtur:

3. Quia, sicut matrimonium est ab opere nostro, sic et votum; sed nullus contrahit matrimonium, quantumcumque promittat exterius, nisi intendat se obligare sive consentiat interius: ergo etc.

4. Item, votum est obligatio spontanea sive

---

[1] Codd. addunt *non tantum ex nostra obligatione, sed etiam.*

[2] In edd. desiderantur verba *quando dubitant... excusantur.*

[3] Libr. II. de Sacram. p. XII. c. 3: Votum enim est... quae ad solum Deum et ad ea quae Dei sunt magis proprie refertur. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, ubi haec definitio voti a S. Bonav. allata invenitur quoad verba; codd. omittunt in ipsa *proprie.*

[4] Cod. aa supplet *de essentia voti.*

voluntaria; sed nullus obligatione voluntaria obligatur, nisi velit obligari; et nullus vult obligari verbo, nisi qui intendit se obligare: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: Ostenditur quod *promissio* non sit de genere voti:

1. Per aliam definitionem voti[1]: « Votum est melioris boni conceptio cum deliberatione firmata » — haec definitio dicit voti substantiam — sed hoc totum potest esse sine promissione: ergo etc.

2. Item, Gregorius super Ezechielem[2]: « Qui meliora agere deliberant et deliberata non faciunt, dum se elevant, cadunt »: ergo deliberatio melioris obligat ad faciendum, alioquin non esset casus; sed non est ibi alia obligatio quam voti: ergo sola deliberatio sine promissione est votum: non ergo promissio est de essentia voti.

Item, quod nec sit *obligandi intentio*, videtur:

3. Quia aliquis promotus ad sacros ordines, intendens ordines suscipere et nullo modo obligari ad castitatem, nihilominus obligatur, ac si intenderet: ergo videtur, quod de substantia[3] voti non sit obligandi intentio.

4. Item, si aliquis iurat alicui, non intendens se obligare ad id quod verba significant, iudicatur nihilominus ita obligatus, ac si intenderet: ergo pari ratione videtur in voto, quod fit sine intentione.

Quaestio incidens. Item, cum ista duo similiter faciant ad *esse* iuramenti, scilicet promissio et obligandi intentio, quaeritur, quae sit differentia.

CONCLUSIO.

De essentia voti sunt promissio et obligandi intentio; et in voto simplici requiritur verbum interius, in solemni exterius.

Respondeo: Dicendum, quod ista duo sunt de essentia voti, scilicet *promissio* et *obligandi intentio*. Conclusio 1. Cum votum sit *obligatio nova* et *voluntaria*, quia *de novo* est superaddita, *promissio* est necessaria; quia vero *voluntaria*, oportet, quod *velit obligari*, et ita[4], quod se obligare intendat. Sed contingit promittere alicui duplici verbo, scilicet *interiori* et *exteriori*. Promissio quantum ad verbum *interius* cogitationis et deliberationis est de necessitate voti *simplicis*, quod obligat quantum ad Deum, qui *intuetur cor*[5]. Conclusio 2. Sed promissio quantum ad verbum vel signum *exterius* est de necessitate voti *solemnis*, quod obligat quantum ad faciem Ecclesiae, quae iudicat secundum ea quae patent. Conclusio 3. Secundum hoc duplex datur definitio de voto; illa magistralis et communis est de voto simplici: « Conceptio melioris propositi[6] » etc.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud quod obiicitur per definitionem voti et auctoritatem Gregorii, in sola deliberatione votum consistere; dicendum, quod non intelligunt[7] de qualibet deliberatione, sed de illa quae firmat propositum; et haec est quae consensui addit promissionem; aliter non firmat, unde licitum est dissentire. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod obligandi intentio non est necessaria, sicut patet in ordine; dicendum, quod intentio respectu alicuius potest esse dupliciter: aut principaliter, quia de illo cogitat et illud placet, aut quia intendit aliquid antecedens[8] ad illud, vel simpliciter illi annexum; sicut si aliquis intendit vovere regulam monachorum, per consequens et ad continentiam obligari intendit et ad obedientiam; alioquin stulte appetit et vult. Distinctio. Similiter, quia ordini sacro annexum est votum, si intendit ordinem sacrum suscipere, per consequens et ad continentiam obligari principaliter, vel ex consequenti; quod si nullo modo intendat, non est votum; sic nec matrimonium.

4. Ad illud quod obiicitur, quod qui iurat in dolo tenetur; dicendum, quod duplex est forum, scilicet *iudiciale* et *poenitentiale*. Forum duplex. In foro *iudiciali* iudicatur secundum exteriora, in foro *poenitentiali* secundum conscientiam. In foro *iudiciali*, quia « fraus nulli debet patrocinari[9] », accipiuntur verba secundum intellectum communem et sanum; et quia fraus non debet ei patrocinari, iudicatur teneri, sicut si secundum intentionem rectam verba dixisset. Notandum. In foro *poenitentiali*, ubi est iudicium secundum veritatem, iudicatur, istum peccasse in dolo, sed nequaquam ex illa promissione esse obligatum[10]; unde

---

[1] Cfr. supra pag. 156, nota 5. — Pro *melioris boni* in cod. E secunda manus substituit *melioris propositi* (cfr. infra in corp.), et pro *cum* edd. *animi.* Superius pro *de genere* codd. K V (I a secunda manu) *de substantia.*

[2] Libr. I. homil. 3. n. 18, ubi ostendit, verba (Ezech. 1, 9.): *Non revertebantur, cum incederent* etc., nec de peccatoribus bonum cognoscentibus et de ipso deliberantibus nec de imperfectis bonum quidem facientibus, sed meliora deliberata relinquentibus verificari, sed tantum de perfectis.

[3] Ita cod. U, cod. V a secunda manu *essentia,* ceteri et edd. mendose *obligatione,* ut videtur, pro *ratione.*

[4] Codd. P Q S *et etiam.*

[5] Libr. I. Reg. 16, 7: Homo enim videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.

[6] Praeter definitionem, quam Magister hic in lit. c. 1. proponit, B. Albert. (hic a. 1.) sequentes affert: Hugo de S. Vict. in libro de Sacramentis, parte XII, sic definit votum: Votum est sponsio animi voluntaria. Et quidam iurisperiti sic: Votum est alicuius boni cum deliberatione facta promissio. Antiqui autem doctores theologiae sic: Votum est conceptio boni propositi cum deliberatione firmata, qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum se Deo obligat. Alii autem sic: Votum est promissio melioris boni ex deliberatione firmata.

[7] Codd. E F G *intelligitur.*

[8] Edd. *aliud consequens.* Circa finem solut. pro *principaliter* cod. H *simpliciter,* et post *intendat* codd. F G repetunt *ad continentiam obligari.*

[9] Vide supra pag. 680, nota 2. — Post pauca vocibus *quia fraus* ex cod. L praemisimus *et,* pro quo cod. V (a secunda manu) habet *sed quia.*

[10] Cfr. III. Sent. d. 39. a. 3. q. 1.

sicut matrimonium contractum per verba exteriora sine consensu omni est matrimonium solum secundum interpretationem fori *iudicialis,* non secundum *veritatem;* sic de voto dicendum.

Ad quaest. incid. Ad illud quod ultimo quaeritur de differentia voti ad iuramentum obligatorium, dicendum, quod triplex est differentia, scilicet in *obiecto, medio* et *fine.* In *obiecto,* quia votum fit Deo, sed iuramentum homini; in *medio,* quia iuratur per Deum, sed vovetur per promissionem; in *fine,* quia iuramentum est ad astruendam veritatem, votum autem ad augendam honestatem et bonitatem. Differt votum tripliciter a iuramento.

SCHOLION.

I. In solvendis tribus huius articuli quaestionibus S. Thom. aliique doctores conveniunt.

De 1. quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; S. II. II. q. 88. a. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic a. 1. q. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 3. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 1.

II. De 2. quaestione: S. Thom., locis citt. quaestiunc. 2. et a. 2. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1-3.

III. De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. quaestiunc. 3. et a. 8. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1-3.

QUAESTIO II.

De quo sive circa quam materiam sit votum.

Secundo quaeritur, de quo sit votum, sive de materia, circa quam est votum; et videtur, quod sit circa omnia.

1. Et primo videtur, quod de *omni bono:* quia Ad oppositum. omne bonum potest homo promittere et spondere Deo et in tali sponsione obligatur; sed non est alia[1] quam votum: ergo etc. Unde et in baptismo promittit quod est necessitatis, scilicet abrenuntiare satanae.

2. Item, quod sit de *minori bono,* videtur: quia licitum est illud velle: ergo licite potest se homo ad illud obligare, ergo licite vovere; et istud videtur *per simile* in matrimonio, in quo quis obligat se ad statum imperfectionis[2].

3. Item, quod sit de *indifferenti,* videtur: quia cibus et potus, quantum est de se, dicunt actus indifferentes, quia naturales sunt; sed circa cibum et potum contingit esse votum, utpote votum abstinentiae: ergo et circa indifferentia.

4. Item, videtur, quod de *malis* possit esse votum: quia occidere innocentem est malum; sed Iephte[3] propter votum occidit filiam suam virginem et laudatur de voto. Unde Hieronymus dicit, quod «ideo ponitur in catalogo Sanctorum», quia «Deo placuit animus voventis»: ergo etc.

5. Item, conscientia non magis obligat quam votum; sed conscientia erronea ligat, quia *quod non est ex fide est peccatum*[4], id est contra conscientiam: ergo et votum erroneum; sed tunc errat homo in voto, quando vovet malum pro bono: ergo etc.

Contra: 1. Quod non sit de *bono praecepti,* videtur: quia super illud[5]: *Vovete et reddite,* Glossa: «Vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis»: ergo est de his solum, ad quae homo non aliunde, sed voluntarie obligatur; sed talia sunt supererogationis: ergo etc. Fundamenta.

2. Item, quod non sit de *minori bono,* videtur per definitionem voti[6]: «Votum est conceptio melioris propositi cum deliberatione firmata»: ergo non videtur, quod sit de statu imperfectionis et minori bono. Et ideo videtur, quod votum debet esse ad promotionem salutis nostrae, non in dispendium; sed obligare ad statum minus bonum est in dispendium salutis, quia secundum Bernardum[7]: «Nemo bonus, qui non vult esse melior»: ergo etc.

3. Item, quod non sit de *indifferenti,* ostenditur per definitionem; dicitur[8] enim, quod «votum de his quae Deo pertinent, fieri debet»; sed talia non sunt indifferentia: ergo etc.

4. Item, quod non de *malis,* videtur: quia dicit Isidorus[9]: «In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum»; sed votum verum est immutabile voventi: ergo votum turpe vel de turpi non est votum verum.

5. Item, votum verum obligat ad id, de quo est; sed nullus obligari potest ad malum: ergo etc.

---

[1] Cod. aa supplet *huiusmodi obligatio.*

[2] Ed. 1 cum multis codd. perperam *perfectionis.*

[3] Iud. 11, 30. seqq. — Sententia Hieron. habetur in Epist. 118. (alias 34.) n. 5: Iephte obtulit virginem filiam, et idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo [Hebr. 11, 32.] ponitur. Cfr. Epist. 60. (alias 3.) n. 8. In II. Comment. super Ierem. 7, 31. ait: Quodsi Iephte obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificium placet, sed animus offerentis. — In fine arg. codd. omittunt *Deo.*

[4] Rom. 14, 23.

[5] Psalm. 75, 12. — Glossam (cfr. August., Epist. 127. alias 45. n. 8.) exhibet Petr. Lombard. in hunc loc.: Vovere enim consulitur voluntati, sed post voti promissionem necessario redditio exigitur. Haym. super hunc loc. ait: Vovere consilium est, solvere autem vota praeceptum.

[6] Cfr. quaest. praeced. — Edd. in hac definitione pro *cum* exhibent *animi.*

[7] Epist. 91. n. 3: Minime pro certo est bonus qui melior esse non vult. — Superius pro *Et ideo* codd. *Et illud.*

[8] Vide quaest. praeced. fundam. 1.

[9] Libr. II. Synonym. n. 58. Cfr. supra pag. 697, nota 5.

Probatio minoris[1]: nullus faciens id, ad quod tenetur, facit malum; sed si homo obligatur ad malum et facit malum, facit id, ad quod tenetur: ergo faciens malum non facit malum.

CONCLUSIO.

Votum, generaliter loquendo, est de his quae ad Deum pertinent et faciunt ad salutem; simpliciter vero et proprie est de his quae promovent ad salutem ultra statum communem.

Respondeo: Dicendum, quod votum generaliter Conclusio. loquendo est de his quae ad Deum pertinent et faciunt ad salutem; simpliciter vero et proprie est de his quae promovent ad salutem ultra statum communem. Unde quaecumque sunt talia, cadunt sub voto; quae autem his opposita sunt, ut quae ad dispendium salutis vergunt, sub voto cadere non Tres comites. possunt; quoniam votum debet habere comites, quos habet iuramentum, scilicet *veritatem, iudicium* et *iustitiam*[2].

Primo namque necesse est, ut in eo sit *iusti-* Explicantur. *tia*, scilicet ut illud quod vovetur, spectet ad salutem et sit bonum et honestum. — Secundo est *iudicium*, ut vovens deliberate voveat, non praecipitanter. — Tertio, quod sit in eo *veritas*, ut quod discrete et iuste vovit, hoc persolvat. Si ergo illud quod vovetur, ad detrimentum iustitiae faciat; non est ibi lex voti nec obligatio, sed ipsi voto fit iniuria; nec est obligatio ad servandum, sed potius ad poenitendum, sicut de conscientia erronea iudicatur. Secundum hanc regulam communem iudicandum est de his quae quaeruntur in speciali.

1. Quod enim quaeritur, utrum votum sit de Solutio oppositorum. *omni bono*, scilicet praecepti et consilii; dicendum, quod votum, *proprie* accipiendo, est de bono supererogationis, *large* tamen, si dicatur quaecumque testificatio, potest esse de bono praecepti. — Et per hoc patent obiecta ad utramque partem. Illud enim Notandum. votum, quamvis non sit obligatio de novo, est tamen testificatio obligationis, qua homo non solum fatetur se obligatum, sed etiam complacet sibi in illa obligatione, et obligatio necessaria fit voluntaria[3]; et sic multi faciunt de necessitate virtutem.

2. Ad illud vero quod quaeritur, utrum sit de *minori bono*; dicendum, quod minus bonum est Distinctio. dupliciter considerare: uno modo, prout dicit statum quendam licitum; alio modo, prout dicit privationem maioris boni. Primo modo licitum est vo- Notandum. vere illud respectu mali, quia respectu illius est quodam modo maius bonum. Secundo modo, prout privatorium maioris boni, licitum non est, nec obligatur quis ad servandum, sed ad poenitendum; ut si quis voveat, quod Deo serviet caste in statu saeculari, et nunquam ingredietur religionem: primum bonum est et licitum, sed in quantum privat statum altiorem, illicitum est, quia gratiam Dei duro corde repellit; et hoc est in praeiudicium salutis et in derogationem abundantis iustitiae. — Et *si tu obiicias*: licitum est sic *esse*, ergo et *vovere*; dicen- Notandum. dum, quod sicut laudari non est malum, tamen appetere laudem est malum; sic in tali statu esse non est malum, sed obligare se, ut non possit ad melius pervenire, obligatione[4], quae fiat Deo, Deo iniuriam facit. Nec est simile de matrimonio, quia est obligatio facta alii personae, quae contenta est illa et non quaerit perfectiorem; Deus autem vult semper quod melius est.

3. Ad illud quod quaeritur de *indifferenti*, dicendum, quod indifferens est dupliciter: unum, quod Duplex indifferens. informabile est motu et circumstantia virtutis, sicut comedere et abstinere, et hoc potest voveri; aliud, quod nihil facit, quantum est de se, ut levare festucam vel ire ad prata, et de tali proprie non est votum; et si quis tale quid voveat, iudicio caret, quia nihil vovendum est, nisi quod creditur rationabiliter esse acceptum Deo. Unde si tale votum voveat quis, non est tenendum, sed commutandum. Et per hoc patet utrumque obiectum.

4. Ad illud autem quod obiicitur de *malo*, dicendum, quod aliquid *simpliciter* est malum; et hoc Duplex malum. nullo modo potest quis vovere, et si vovet, peccat, sed non obligatur. Aliud est, quod uno casu contingente, potest esse bonum, alio casu contingente, potest esse malum; et hoc potest voveri sub conditione *eventus boni*; quodsi vovetur *in omnem eventum* sine conditione, indiscretum est votum, et non tenetur ad illud[5]. — Quod ergo obiicitur de voto Iephte, di- De voto Iephte. cendum, quod quia vovit *in omnem eventum*, votum fuit indiscretum; sed tamen, quia devotio et fides movit, sed indiscrete emisit, inde[6] duo fuerunt in voti *emissione*: unum laudabile, alterum vituperabile; similiter in voti *impletione* duo fuerunt, scilicet *figura* et *factum*, et factum fuit vituperabile, sed figura laudabilis. Quantum ergo ad diversa in voto Iephte, dicendum, quod laudatur ab Apostolo et Hieronymo[7], scilicet quantum ad fidem et

---

[1] In permultis codd. desiderantur verba *nullus... minoris*.

[2] Ierem. 4, 2: Et iurabis: Vivit Dominus in veritate et in iudicio et in iustitia. Cfr. III. Sent. d. 39. dub. 1. — Mox pro *in eo*, quod codd. communiter omittunt, cod. K (I a secunda manu) *ibi*. Subinde post *salutem* edd. legunt: *et sic bonum est et honestum. Secundo necesse est, in eo esse iudicium.*

[3] Edd. verbis male inversis *voluntaria fit necessaria.*

[4] Edd. *per obligationem*, cod. A *originali obligatione.*

[5] Aliqui codd. omittunt *ad illud*, codd. W bb legunt: *tenetur. Ad illud quod obiicitur.*

[6] Codd. et edd. incongrue *unde*, nisi cum cod. V a recentiore manu correcto post *emisit* suppleatur *laudatur*.

[7] Vide supra pag. 816, nota 3. — De Augustini sententia cfr. Qq. in Iudic. q. 49. n. 4. seqq. et I. Qq. ex veteri Testam. (inter opera August.) q. 43. Hieron., I. adversus Iovinian. n. 23: A plerisque Hebraeorum reprehenditur pater [Iephte] voti temerarii etc.

devotionem; sed quantum ad indiscretionem et crudelitatem vituperatur ab Augustino; dicit enim, quod fuit in vovendo stultus et in reddendo fuit impius.

5. Ad illud quod obiicitur, quod conscientia *erronea* obligat; dicendum, quod conscientia dicitur erronea dupliciter: aut quia credit, se teneri ad id, ad quod non tenetur, tamen non tenetur ad eius oppositum; et talis error non est periculosus, et talis ligat. Est et alia erronea, quae credit bonum quod non est bonum, immo malum; et talis ligat non ad peccatum nec ad factum, sed ad se deponendum [1]. Sic votum erroneum, quod vergit in malum, est dimittendum, quia non obligat ad faciendum [2].

Distinctio.

QUAESTIO III.

In quo subiecto possit esse votum.

Tertio quaeritur de materia in qua, sive de subiecto, in quo est votum. Et videtur, quod sit in omni habente usum rationis:

1. Quia omnis talis habet usum liberi arbitrii; sed votum est a libertate arbitrii: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, omnis discretionem habens rationis potest se voluntarie obligare diabolo per peccatum, nullo impediente: ergo multo fortius potest se obligare Deo per votum.

3. Item, omnibus patet via salutis, et aequalis est conditio omnium quantum ad hoc; sed votum est de his quae promovent salutem: ergo omnes sunt aequales in vovendo.

4. Item, hoc ostenditur per definitionem voti [3], quia est «conceptio boni animi deliberatione firmata»; sed omnes ratione utentes possunt bonum concipere: ergo etc.

Contra: 1. Numerorum trigesimo [4] dicitur, quod si fuerit mulier in domo viri et voverit aliquid, et vir statim, ut audivit, contradixit, non erit promissionis rea: ergo mulier coniugata non potest auctoritate sua vovere; similiter videtur de viro, quia *non habet sui corporis potestatem.*

Fundamenta.

2. Item, puer et puella, quamdiu sunt impuberes, sunt omnino sub dispositione parentum et tutorum, sicut servus sub dispositione domini: ergo si omnino subsunt, nihil per se vovere possunt.

3. Item, religiosus abrenuntiavit [5] propriae voluntati; sed votum est obligatio procedens ex propria voluntate: ergo non potest vovere.

4. Item, servus subest imperio domini sui, unde si intret religionem, potest ipsum extrahere [6]: ergo non est suus; sed votum est a libertate: ergo etc.

CONCLUSIO.

Simpliciter libere vovere potest qui nemini subest; qui autem subest, secundum id, in quo subest, non potest per se vovere.

Respondeo: Dicendum, quod votum procedit a libera voluntate. Omnis ergo, qui libere potest facere quod vult, nullo impedimento in se existente, nullo homine de facto praepediente, nullo iure prohibente, potest simpliciter vovere; qui autem in omnibus subest nihil potest per se vovere; qui autem in aliquibus subest, secundum id, in quo subest, non potest vovere. — Quoniam igitur *uxor* subest viro, et *puer* patri in regimine vitae, nihil possunt circa hoc vovere, quod sit stabile, sine eorum auctoritate. *Vir* autem subest uxori in debito carnis; ideo contra hoc non potest vovere [7]. *Religiosus* subest in omnibus quae sunt infra religionem; et ideo nihil potest vovere sine sui praelati voluntate [8]. Sed *servus* subest quantum ad servitium corporale; ideo quod contra hoc sit vovere non potest nisi domini auctoritate; si quid autem est, quod libere possit facere, illud potest vovere.

Conclusio. De uxore, puero et viro. De religioso. De servo.

1. Ad illud quod obiicitur, quod omnes sunt liberae voluntatis; dicendum, quod verum est ad vovendum [9], sed non omnes sunt liberae voluntatis ad faciendum omne quod volunt; et haec voluntas requiritur in voto.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de obligatione diaboli, dicendum, quod illa fit sola voluntatis libertate; sed non sic est de obligatione ad Deum quan-

---

[1] Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. — Pro *peccatum* codd. F G *impletionem*, et pro *factum* cod. Q *effectum*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vide supra quaest. 1.

[4] Vers. 11. seqq. — In fine arg. allegatur I. Cor. 7, 4.

[5] Cod. K *abrenuntiat.*

[6] Vide supra pag. 655, nota 4. — Aristot., I. Metaph. c. 3. (c. 2.), illum hominem vocat liberum, « qui sui ipsius et non alterius gratia est ». Cfr. I. Politic. c. 3. (c. 2.).

[7] Cfr. supra d. 32. dub. 2. — Pro *ideo contra hoc* plurimi codd. et ed. 1 *ideo illud.*

[8] Vide C. *Monacho non licet* votum vovere etc. (2.), C. 20. q. 4.

[9] Quae sequuntur suadent, ut legatur *volendum.*

tum ad votum, quoniam votum respicit aliquod opus, respectu cuius frequenter liberum arbitrium non habet *posse*, vel de *facto*, vel etiam de *iure*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod omnibus patet via salutis; dicendum, quod verum est quantum ad ea quae sunt *praecepti*, non quantum ad ea quae sunt *supererogationis*, quae respiciunt status diversos, quibus aliqui sunt apti, aliqui vero minime.

4. Ad illud quod obiicitur, quod omnes possunt concipere et deliberatione firmare; dicendum, quod, sicut superius[1] dictum est, firmatio illa est per promissionem; non autem omnis promissio firmat nisi promissio obligatoria; nulla autem promissio est obligatoria, nisi quae fit ab eo qui potest se obligare; et talis est proprii iuris respectu illius quod vovere debet; et quia non omnes sunt tales, ideo non omnium est vovere, sed illorum tantummodo, qui hoc habent[2]. Notandum.

ARTICULUS II.

De voti obligatione.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de voti obligatione, et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur de obligatione voti per comparationem ad matrimonii contractionem.

Secundo, per comparationem ad commutationem.

Tertio, per comparationem ad dispensationem.

QUAESTIO I.

Utrum votum continentiae impediat, vel dirimat matrimonium.

Quantum ergo ad primum sic proceditur; et supposito, quod votum continentiae universaliter impediat matrimonium, et quod votum *solemne* impediat contrahendum et dirimat iam contractum[3]; quaeritur de voto *simplici*, utrum sit impedimentum *rescindens*, sive *impediens* matrimonium. Et quod *non dirimat:* De voto simplici.

Fundamenta. 1. Dicit Caelestinus Papa, Extra, de Voventibus et ordinatis, quod non possunt contrahere matrimonium[4], *Rursus quidam* etc., quod « votum simplex impedit contrahendum, sed non dirimit iam contractum ».

2. Item, non magis obligat votum simplex quam iuramentum; sed iuramentum non impedit matrimonium, ita ut dirimat iam contractum: ergo etc.

3. Item, si votum simplex matrimonium dirimeret; cum votum illud sit occultum, et quilibet possit simulare, se vovisse; quandocumque malitiose alter coniugum vellet, posset matrimonium separari[5] etiam legitimum.

4. Item, videtur, quod *nullo modo impediat*, sic: sicut se habet matrimonium consummatum ad votum solemnizatum, ita matrimonium non consummatum ad votum non solemnizatum; sed matrimonium non consummatum non impedit votum, ergo nec dirimit: ergo votum non solemnizatum non impedit nec dirimit matrimonium.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Ratio, quare votum rescindit et dirimit matrimonium, ut dicit Magister in littera[6], est, quia « voventibus non solum nubere, sed etiam velle nubere est damnabile »; et quia nuptiae sunt eis damnabiles, ideo irritantur; sed hoc non solum in voto solemni est, sed etiam in simplici: ergo etc.

2. Item, Caelestinus dicit et auctoritas in decretali praemissa[7], quod « apud Deum non minus obligat votum simplex quam votum solemne »: si ergo non minus obligat; cum obligatio voti solemnis irritet matrimonium, videtur, quod et obligatio voti simplicis.

3. Item, qui voto simplici vovet continentiam tenetur nunquam coire: ergo quotiescumque coit, peccat mortaliter; sed nullus potest obligari ad mortale peccatum: ergo cum matrimonium obliget ad coitum, iste non potest obligari matrimonio.

Quaestio incidens. Item quaero, quare magis votum solemne matrimonium dirimat quam simplex. *Si dicas*, quia privatum, et ideo non scandalizat nec potest probari[8]; *contra* hoc est, quia matrimonium contractum in clanculo sic irritat matrimonium sequens de facto, sicut contractum in manifesto. Et *praeterea*,

---

[1] Quaest. 1. in corp. et ad 1. — Inferius pro *illa est* cod. bb *illa fit*.

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Inferius pro *rescindens* codd. E L N Y aa *irritans*, codd. K V *dirimens*.

[4] Libr. IV. tit. 6, qui nunc inscribitur: « Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt », c. 6, quod a codd. et ed. 1 tribuitur *Clementi* (idem recurrit infra in 2. arg. ad oppos.). Cfr. ibid. C. *Consuluit* (4.).

[5] Cod. E *separare*.

[6] Hic c. 2. — Post *est*, quod in plurimis codd. et ed. 1 desideratur, Vat. addit *et habetur 27. dist. C. Voventibus* (4.). Cfr. supra pag. 695, nota 2. Superius pro *rescindit* plures codd. *irritat*, cod. I *impedit*.

[7] Scil. *Rursus quidam* in fundam. 1. allegata.

[8] Vide hic lit. Magistri, c. 2. — Mox pro *clanculo* cod. aa *clandestino*.

votum emissum in publico coram omnibus etiam in foro iudicatur simplex nec dirimit matrimonium iam contractum.

CONCLUSIO.

Probatur, quod votum simplex continentiae impedit quidem matrimonium contrahendum, non autem simplex, sed tantum solemne dirimit matrimonium iam contractum.

Respondeo: Dicendum, quod votum continentiae est tale votum, quod generaliter *impedit* matrimonium contrahendum, sed non *dirimit* iam contractum nisi [1] solemnizatum. — Et rationem huius assignant aliqui *Ecclesiae institutionem*. Quod enim vovens sit persona illegitima, hoc non est ex *voto,* quia in ipso matrimonio perfectio continentiae servari potest ab eo qui debitum non exigit, sed solvit. Unde Augustinus [2] dicit, quod « computatur pro sanctificatione perfecta, si non exigis, sed reddis quod debes ». Sed quod impediat, hoc est ex *constitutione Ecclesiae,* cuius est personas legitimas, vel illegitimas matrimonio determinare. Ratio autem, quare Ecclesia de voto *solemni* instituit, ut dicunt, est, quod in voto solemni non potest decipi, et potest in fractione eius scandalizari, quia publicum est; sed in voto *simplici* neutrum habet locum, quia privatum est. — Sed haec solutio videtur supponere duplex falsum: unum, quod sit ab *institutione* talis illegitimitas, quia Ecclesia, ut communiter dicitur, non potest ibi dispensare [3]; potest autem dispensare generaliter in suis constitutionibus. Aliud falsum est: quia votum *solemne* non dicitur, quia notorium vel publicum; quia votum, quantumcumque publicetur, nisi aliud adsit, *simplex* iudicatur nec impedit matrimonium iam contractum; unde aliud est votum *publicum,* aliud *solemne.*

(Conclusio. — Ratio aliorum. — Non probatur. — Notandum.)

Ideo alia ratio assignatur veracior a *voti solemnizatione.* Votum enim tripliciter solemnizatur, scilicet ordinis susceptione, professionis emissione et habitus professorum assumtione cum aliis, quae hominem professum ostendunt [4]. Et hoc est commune in voti *solemnizatione,* quod fiat coram persona, quae locum Dei tenet et quae votum potest approbare; qua recipiente votum continentiae, transfertur potestas corporis voventis in alium, quia alius adest, qui recipit. Sed in voto *simplici,* ubi homo mera se obligat voluntate et in nullius manibus hoc facit, obligatur quidem, sed tamen dominium sui corporis in alterum non transfertur. Et quia quod translatum est in potestatem unius non potest transferri in potestatem alterius: ideo, emisso voto *solemni,* non potest matrimonium contrahi, in quo est translatio dominii proprii corporis. Sed quod translatum non est adhuc transferri potest; ideo, voto *simplici* emisso, potest vir potestatem sui corporis in matrimonio dare: ideo, si contrahat, contractum est. — *Amplius,* in voto solemni Deo et homini obligatur, sic et in matrimonio; et quoniam utrobique est *par* obligatio, et *par* obligatio non solvit vinculum paris obligationis, sed bene *praepotens* solvit [5] vinculum minoris obligationis: ideo obligatio voti solemnis non potest infringi per superveniens vinculum matrimonii. — Hoc autem non ideo dico, quod faciat scandalum, quia et illud potest esse in voto *simplici;* sed hoc facit obligatio duplex cum translatione potestatis in alterum. Est igitur haec summa [6] rationis, quia votum solemne obligat *aequaliter* districte; ex opposito non sic simplex; ideo impedit.

(Rationes auctoris. — Triplex solemnizatio. — Alia ratio. — Ad quaest. incid.)

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod ratio irritationis matrimonii est, quia, post votum damnabile est nubere; dicendum, quod hoc [7] non est ratio *tota,* sed *concausa.*

(Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod non minus obligat etc.; dicendum, quod verum est quantum ad *culpam* sive transgressionem; tamen minus obligat quantum ad *alterius vinculi solutionem,* ut fiat vis in hoc quod dicit *quantum ad Deum.* Hoc enim dupliciter dicitur: vel quantum ad Deum ut *obiectum,* quia votum astringit astrictione [8] necessitatis; vel quantum ad Deum, id est quantum ad *divinum iudicium.* Deus autem hunc qui obligatus est voto *solemni,* reputat magis obligatum, pro eo quod non solum reputat eum obligatum sibi, sed etiam homini; non solum reputat promissionem factam acceptam, immo per ministrum potestatem corporis esse translatam: et ideo Deus iudicat, quod votum solemne impediat, et non simplex. Et hoc non tantum est

(Notandum.)

---

[1] Cod. P *nisi sit* (votum).

[2] Enarrat. in Ps. 149. n. 15. Cfr. supra lit. Magistri, d. XXXII. c. 2. — Superius pro *perfectio continentiae* edd. *perfecto continentia.*

[3] Cfr. infra q. 3.

[4] In additione Glossae super praeallegatam decretalem *Rursus quidam* legitur: Unde versus:

Votum solemne demonstrant quatuor ista:
Ordo sacer, scriptum, professio praestita sponte,
Et professorum vestis suscepta scienter.

Vel sic:

Ordo sacer, vestis, professio religionis,
Quae sit facta palam, faciunt solemnia vota.

Superius pro *veracior* codd. L Y *verior,* edd. *et accipitur.* Inferius pro *qua recipiente* plures codd. *quia recipiente* (edd. *quia in recipiente*), cod. K (I a secunda manu) legit: *quia in voto solemni continentiae transfertur* etc.

[5] Pro *super,* cui codd. K L U (I V a secunda manu) praemittunt *est,* substituimus ex cod. A *solvit.*

[6] Cod. K *substantia,* plures alii codd. *sententia.* Sensus sequentis propositionis est, quod vinculum voti solemnis aequaliter districte obligat, ac vinculum matrimonii; unde non eliditur alio vinculo praepotentis obligationis.

[7] Pro *dicendum, quod hoc* codd. solum vel *haec* vel *hoc.*

[8] Codd. A S *affectione,* edd. *constrictione.* Inferius voci *corporis* cod. aa praemittit *sui.*

manifestum in foro Ecclesiae, sed etiam in foro conscientiae [1].

3. Ad illud quod obiicitur, quod tenetur nunquam coire; dicendum, quod verum est, nisi fortiori vinculo solvatur; et quia matrimonium fortius est, ideo dicunt, quod cum consummatur matrimonium, tunc omnino absolvitur a voto, sed debet de eo poenitentiam agere, quia votum violavit; unde dicunt, quod potest debitum petere et solvere [2]. — Sed hoc non credo, scilicet quod absolvatur a voto quantum ad matrimonium, nisi in quantum ius matrimonii compellit eum agere contra votum; sed non compellit ius matrimonii debitum *petere* — quia hoc est libertatis — sed solum *solvere.* — Ideo dico, quod potest sine peccato *solvere,* quia facit id, ad quod tenetur, nunquam tamen potest sine peccato *petere;* et si uxor moriatur, tenetur omnino continere [3].

Opinio aliorum. Improbatur. Opinio auctoris.

Quod tamen obiicit, quod matrimonium non consummatum non impedit votum; ratio huius est, quia nullum fit ei praeiudicium, potest enim uxor, sive sponsa alteri nubere [4]; sed per matrimonium omni voto praeiudicium generatur.

Ad 4. fundam.

SCHOLION.

I. Votum *solemne* religionis irritare matrimonium, declaratum est a Concilio Trident. (cfr supra d. 27. a 1. q. 1. scholion). Votum *simplex* vero non *dirimit* matrimonium, sed *impedit* tantum, exceptis votis simplicibus, in Societate Iesu post primum novitiatum emissis, quae a Gregorio XIII. paria in hoc solemnibus posita sunt. — Multum tamen ab antiquo disceptatum est de *intrinseca ratione,* qua differunt ista vota simplicia et solemnia. Cum S. Bonav. etiam S. Thomas, B. Albert., Petr. a Tar. et Durand. docent, in voto *solemni* non fieri tantum promissionem cum obligatione, ut in simplici, sed etiam actualem traditionem sive translationem corporis, qua ipsa persona Deo consecratur. Scotus vero cum Richardo a Med. docet, solemne votum differre a simplici hoc tantum, quod habeat annexam quandam *institutionem ecclesiasticam,* quosdam effectus determinantem. Prima sententia sibi constans vult, vota solemnia dirimere *iure divino* matrimonia nec admittere *proprie* dispensationem, ne a Summo quidem Pontifice. Secundum Scotum tota differentia fundata est in iure *ecclesiastico,* unde etiam proprie dispensatio fieri potest. Sententiae Scoti favent plures constitutiones et ipsa praxis S. Sedis. Iam Bonifacius VIII. (libr. III. tit. 15.) dicit, « quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa »; quod repetit Gregor. XIII. Const. *Ascendente Domino.* Unde antiqua illa doctrina aliquatenus limitanda est, praesertim quoad 3. quaestionis solutionem.

II. De 1. quaestione: Scot. (de hac et 2. seqq.), hic q. unica. — S. Thom., hic q. 1. a. 2; S. II. II. q. 88. a. 7; Suppl. q. 53. a. 1. 2. — B. Albert., hic a. 12-15. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. 5. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1-3. — Durand., hic q. 2; Dionys. Chart., hic q. 2.

III. De quaestione 2. et 3: S. Thom., locis citt. hic a. 3. 4, S. a. 10. 11. — B. Albert., hic a. 16-18. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1-5. — Richard. a Med., hic a. 8. q. 1-3, a. 9. q. 1-3.

QUAESTIO II.

Utrum votum possit permutari.

Secundo quaeritur de obligatione voti in comparatione ad commmutationem, utrum possit commutari. Et quod *non,* videtur.

1. Levitici ultimo [5]: *Animal, quod immolari potest Domino, mutari non potest, nec in peius nec in melius:* ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, Ecclesiastis quinto [6]: *Quodcumque voveris, redde:* ergo ad illud quod vovet homo, tenetur: ergo non potest commutare.

3. Item, sicut veritas locutionis consistit in concordia vocis et intellectus [7], sic veritas voti in concordia promissionis et solutionis; sed quandocumque vox discordat ab intellectu, est ibi falsitas: ergo et in voto, quando promissio a solutione. Sed unusquisque tenetur esse verax in promisso: ergo etc.

4. Item, quod non possit sine *auctoritate superioris,* videtur. Bernardus de Dispensatione [8] etc.: « De bene ordinatis monasteriis nullus meo consilio egredietur desiderio arctioris vitae sine licentia superioris »: si ergo de hoc magis tenetur, patet etc.

5. Item, quod *superior non possit mutare,* videtur: quia aeque obligat votum solemne, ut matrimonium; sed matrimonium nulla auctoritate superioris potest mutari: ergo nec votum.

Contra: 1. Votum institutum est ad caritatem fovendam; sed dicit Bernardus [9]: « Quod ex caritate institutum est contra caritatem sustineri non debet »: ergo ubi est necessitas vel utilitas, cum caritas exigat, potest commutari; sed hoc est per votum: ergo etc.

Fundamenta.

---

[1] Cfr. Glossa in hanc decretalem *(Rursus quidam).*

[2] Hanc opinionem profitetur Magister (hic c. 3.), quae merito a posterioribus reprobatur.

[3] Vide supra d. 27. dub. 4; d. 32. a. 1. q. 1. et dub. 2.

[4] Cfr. supra d. 27. dub. 5. — Mox post *matrimonium* Vat. addit *consummatum.*

[5] Vers. 9. seq.: Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit et mutari non poterit, id est nec melius malo nec peius bono.

[6] Vers. 3.

[7] Cfr. tom. I. pag. 707, nota 5. — Pro *vocis* plures codd. et edd. *voluntatis.* In fine arg. pro *promisso* edd. *promissione.*

[8] De Praecepto et dispensat. c. 16. n. 45: Sane de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum meo consilio, ne arctioris quidem vitae desiderio, sine licentia sui senioris egredietur.

[9] De Praecepto et dispensat. c. 2. n. 5. Cfr. supra pag. 453, nota 3. — Propositio in fine arg. *sed hoc est per votum* intelligenda videtur sic: sed necessitas vel utilitas commutationis habetur interdum per votum i. e. voto emisso: ergo.

2. Item, semper licet proficere secundum statum: ergo et votum de bono in melius commutare, ergo etc.

3. Item, si quis emittit duo vota incompossibilia, quorum alterum est perfectius, impleto perfectiori, absolvitur ab alio, etiam quod prius vovit: ergo etc.

4. Item, sicut testamentum est propriae voluntatis, ita et votum; sed licet, quamdiu homo vivit, mutare testamentum: ergo et votum sine omni licentia.

CONCLUSIO.

Votum potest cum praelati auctoritate mutari et propter necessitatem supervenientem et propter periculum imminens et propter maiorem utilitatem voventis.

Respondeo: Dicendum, quod licet votum mutari
Conclusio 1. ex causa, illud scilicet, quod recipit recompensationem; sed non ex levitate nec ex propria voluntate, quam obligavit, sed ex necessitate sive utilitate, cum praelati auctoritate; excepto voto religionis, vel etiam status perfectioris, in quod potest aliud votum commutari sine praelati licentia, quia propter sui dignitatem licentiam dant iura [1]. Sanum tamen est consilium, quod fiat superioris auctoritate, ubi non creditur, quod contradicat, ne videatur ex levitate procedere et auctoritatem superioris contemnere.

Ratio autem, quare licet votum mutare et com- Conclusio 2.
mutare, est propter *necessitatem* supervenientem, vel propter *periculum*, quod imminet frequenter in observatione, vel propter *maiorem utilitatem* et voventis et aliorum. In his enim ratio recta et divina illustratio manifeste clamat, quod per mediatorem et procuratorem debeat et possit provideri, ut Deus non damnificetur, nec iste periclitetur, in quo et iste debuit salvari, et Deus honorari, et propter quod votum ordinatum est fieri. Et ideo ex hoc potest mutari.

Quod tamen obiicit de testamento, non est si- Ad 4. fundam.
mile, quia testamentum non obligat, ut votum.

1. Ad illud quod obiicitur de Levitico secun- Solutio oppositorum.
dum Glossam [2] solvendum est: *propria auctoritate.*

2. 3. 4. Ad illud quod obiicitur de Ecclesiaste, dicendum, quod illud intelligitur in se, vel in aequivalenti. — Et per hoc patet de veritate, quia concordat impletio promissioni, dum datur aequivalens illi. — Quod vero dicit Bernardus de ascendentibus ad altiorem statum, credo, quod dicitur consulendo.

5. Ad illud quod obiicitur ultimo de matrimonio, solvendum, quod non est simile: quia vinculum matrimonii ligat non tantum ratione *promissionis*, sed etiam *significationis* rei insolubilis, in quam nulla potest auctoritas [3]. — *Praeterea*, non est unum matrimonium melius alio, sicut votum; et ideo non competit matrimonium permutari nec commutari, sicut competit de voto [4].

QUAESTIO III.

Utrum Summus Pontifex possit dispensare in voto.

Tertio quaeritur de obligatione voti in comparatione ad dispensationem, et quaeritur, utrum Summus Pontifex possit dispensare in voto. Et quod *non*, videtur:

1. Quia Glossa super illud Psalmi [5]: *Vovete et*
Argg. pro parte negativa. *reddite* etc.: « Reddere est necessitatis »; sed circa ea quae sunt de necessitate salutis, non potest dispensari: ergo etc.

2. Item, obligatio voti est secundum ius naturale, quod patet, quia omni tempore cucurrit; sed Pontifex non potest in ea quae sunt iuris naturalis: ergo etc.

3. Item, Bernardus [6] dicit: quaedam sunt praecepta moralia primae tabulae ordinantia ad Deum; quaedam secundae ordinantia ad proximum; quaedam superaddita, ut canonicae sanctiones et Patrum instituta. In primis non potest dispensare nec homo nec Deus; in secundis non homo, sed Deus; in tertiis et homo et Deus. Ratio autem huius est: quia praecepta primae tabulae immediate ordinant ad Deum: si ergo votum immediate ad Deum ordinat, videtur etc.

4. Item, qui non facit quod promittit mentitur; sed Papa non potest dispensare in mendacio: ergo nec in voto.

5. Item, quod non in voto *continentiae* specialiter, videtur: Ecclesiastici vigesimo sexto [7]: *Non est digna ponderatio continentis animae:* si ergo continentia nullo modo potest recompensari, patet etc.

6. Item, quod nec in voto *paupertatis*, videtur, quia perfectius est pro Deo mendicare quam continere: ergo perfectius est votum paupertatis: ergo si dispensare non potest in voto continentiae, nec paupertatis.

---

[1] Can. *Scripturae* (4.), X. de Voto et voti redemptione (lib. III. tit. 34.).

[2] Hugo de S. Charo Card., in hunc loc., glossam istam afferre videtur dicens: Non tamen tua auctoritate hoc [commutationem voti in melius] debes facere, sed superioris.

[3] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 1. et d. 27. a. 3. q. 1. seq.

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Psalm. 75, 12. — Glossam vide supra pag. 816, nota 5.

[6] Libr. de Praecepto et dispensat. c. 2. et 3.

[7] Vers. 20: Omnis autem ponderatio non est digna continentis animae.

7. Item, quod nec in voto *obedientiae*, videtur: quia hoc est perfectissimum, quia in castitate vincit homo corpus suum, in paupertate mundum, in obedientia mactat homo se ipsum: ergo etc.

Pro parte affirmativa. Sed contra: 1. Quod possit in *omni* dispensare, videtur: quia votum unum non minus obligat quam aliud; sed potest dispensare in aliquo, utpote in voto peregrinationis et abstinentiae: ergo et in omni.

2. Item, quod specialiter in voto *continentiae*, videtur: quia dispensatio locum habet, ut dicit Bernardus [1], ubi cadit *necessitas*, vel *communis utilitas;* sed possibile est, quod aliquis ex defectu mulieris incurrat periculum mortis, sicut dicitur de rege Ludovico; sed possibile est, quod omnes moriantur, qui possunt generare, solo eo remanente, qui vovit, et remanente Papa et muliere: ergo si necessitas est conservationis *speciei* [2], in casu isto posset contrahere.

3. Item, possibile est ex matrimonio pacem Ecclesiae dari, quae est communis utilitas; sed communis utilitas praeferenda est bono privato [3]: ergo etc.

4. Item, quod in voto *paupertatis*, videtur: quia dispensare potest in voto abstinentiae; sed maius est carnem suam macerare quam divitias dimittere: ergo etc.

5. Item, quod in voto *obedientiae*, videtur: quia Summus Pontifex assumit de religionibus [4] ad dignitates et praelationes; sed sic assumti non tenentur obedire praelatis sui ordinis, quibus voverunt obedientiam: ergo etc.

CONCLUSIO.

Votum potest dispensari a Summo Pontifice, prout dispensatio dicit iuris declarationem, non autem, prout dicit iuris relaxationem.

Respondeo: Dicendum, quod dispensatio dicitur dupliciter: uno modo iuris *relaxatio*, alio modo iuris *declaratio*. — Dicunt ergo aliqui, quod Papa potest in voto dispensare, secundum quod dispensatio est iuris *relaxatio*, eo quod eius auctoritas est circa [5] obligationem voti. Et rationem huius assignant, quia Papa est immediatus omnium praelatus, et ad ipsum spectat omnium ordinatio, maxime quantum ad ea quae sunt supererogationis. Et quia omnium voluntates eius subsunt auctoritati et dispositioni; nullum votum aliter debet emitti nisi cum hac conditione, nisi dominus Papa de vovente aliter duxerit disponendum; et ideo nullus obligatur ad votum faciendum, cum Papa aliter disponat; quodsi illam conditionem non apponat, tamen non potest eam excludere. Et ideo dicunt, quod in omni voto potest dispensare et ab omni tali obligatione absolvere. Et ad omnes rationes respondent, quod non est ibi obligatio *absoluta*, sed *conditionata;* et ideo dispensare potest, cum possit illam conditionem infringere, si sibi aliud de vovente placet disponere. — Sed cum illa [6] quae Deus consulit facienda — et absque dubio bona sunt — sine haesitatione totis visceribus amplectenda sint; videtur etiam, cum Deus voluerit, unumquemque liberum esse, quod unusquisque sine conditione aliqua talia possit et debeat vovere.

(Margin: Duplex dispensatio. Opinio 1. — Non probatur.)

Et ideo alii dicunt, quod Papa in nullo voto potest dispensare, secundum quod dispensare [7] est iuris *relaxatio*, quia obligatio voti pendet ex iure divino, non humano, ex iure naturali, non ex constitutione Patrum. Propterea Papa non habet *posse* nec auctoritatem in votum *relaxando ius*, quia illud non est ei subiectum; habet tamen potestatem, quantum ius sibi dat; et ideo dispensare potest, secundum quod dispensatio est iuris *declaratio*. Et haec positio est rationabilior et securior est, quia magis per ipsam satisfit conscientiae.

(Margin: Opinio 2. — Conclusio.)

Ad intelligentiam eius est notandum, quod ius obligationis voti constituitur ex duplici iure naturali, ex hoc videlicet, quod homo debet esse verax in promisso; et ex alio, quod nihil debet homo promittere, nisi salva sua salute et divinae maiestatis honore: ergo ex iure naturali est, quod quis per votum non impediri debet, quin facere possit sibi utilius et Deo acceptabilius; et ideo in omni voto, quod recipit *recompensationem melioris boni*, sive simpliciter, sive pro loco et tempore, dominus Papa, cuius est ius dilucidare, potest dispensare.

(Margin: Explicatur. — Radix obligationis duplex.)

Et in hoc communiter omnes conveniunt, sed diversificantur penes *modum* dispensandi [8]. Aliqui enim dicunt, quod non est aliquod votum, quod pro loco et tempore non *recipiat recompensationem;* ideo nullum est, in quo non possit dispensare. Unde dicunt, quod bono continentiae praefertur bonum universalis Ecclesiae, ut pax; et ideo in voto continentiae, de quo minus videtur, potest fieri dispensatio, vel *simpliciter*, vel *ad tempus*, sicut etiam aliquando factum est.

(Margin: De modo dispensandi opinio 1.)

Alii vero dicunt, quod votum *continentiae non*

(Margin: Opinio 2.)

---

[1] Libr. III. de Considerat. c. 4. n. 18; de Praecepto et dispensat. c. 2. n. 4. seq. c. 4. n. 9.

[2] Gen. 1, 28. et 9, 1: Crescite etc.

[3] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2; Iustitian., C. VI. de Caducis tollendis, tit. 50, lex *Et nomen* (1. § *Haec autem*).

[4] Cod. X *religiosis*.

[5] Nonnulli codd. et Vat. *supra*.

[6] Ed. 1 legit *Sed alii dicunt contra, quia, cum illa Deo complaceant et absque dubio* etc.

[7] Codd. F G L *dispensatio*.

[8] Cfr. Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XII. c. 5. seq.; Glossa in C. *Sunt quidam dicentes* (6.), C. 25. q. 1. et in C. *Cum ad monasterium* (6.), X. de Statu monachor. (lib. III. tit. 35.). — Pro *communiter* codd. H W *communi*, et pro *penes modum dispensandi* codd. communiter, sed perperam substituunt *postmodum dispensando* (cod. E a secunda manu *postmodum de dispensando)*.

recipit recompensationem, quia *non est digna ponderatio animae continentis* [1], quando obtinetur victoria de domestico inimico; in omnibus aliis *est recompensatio:* ideo potest dispensare in omnibus, praeterquam in hoc.

Opinio 3. Notandum. Tertii dicunt, quod *perfectioni religionis*, quae est in imitatione Christi, nihil potest aequari nec pro illa recompensari; et illa substantialiter consistit in triplici voto, scilicet continentiae, paupertatis et obedientiae: et ideo in his tribus non potest dispensare. Perfectio enim consistit in assimilatione ad Christum maxime, sicut dicit Augustinus in libro de Vera Religione [2]; et quia in nullo tantum assimilatur homo Christo, sicut in his; nihil potest haec tria homini recompensare; quoniam recompensatio non tantum aliorum respicit bonum, verum etiam voventis, quoniam Deus vult, quod magis sit unusquisque sollicitus de sua salute quam aliorum.

Iudicium de his suspenditur. Quae istarum trium opinionum sit verior, fateor me nescire; et satis potest quaelibet sustineri, ideo nullam assero. Si quis tamen velit hanc ultimam acceptare, non occurrit ei inconveniens manifestum, ut dicatur, quia nec in omni nec in nullo, sed in quodam sic et in quodam non.

Ad argg. pro parte negativa. Ad illud ergo quod obiicitur, quod in nullo potest dispensare; dicendum, quod illa argumenta currunt, secundum quod dispensatio est iuris *relaxatio;* et sic non potest, potest tamen, secundum quod dispensatio est iuris *declaratio*, quia ius concedit, votum non teneri, cum potest recompensari; et universaliter domini Papae est hoc ius interpretari: et ideo in omnibus aliis ab his tribus potest dispensare.

Ad argg. pro parte affirmativa. 1. Ad illud quod obiicitur, si potest in uno, et in omnibus; dicendum, quod non est simile; quia conditio recompensationis melioris non stat uniformiter in omnibus.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod in voto continentiae potest cadere *necessitas* et *utilitas;* dicendum quod non cadit; et *praeterea*, cum certitudo [3] cadit, non cadit *necessitas*, quia nunquam est infirmitas, a qua non possit quis nisi per coitum liberari. Non cadit necessitas respectu *speciei*, quia nunquam erit aliquis solus. Non cadit ibi maior *utilitas facientis*, et ibi non est, quia commutat meritum centesimi fructus in meritum trigesimi [4]. — *Praeterea*, si totum hoc esset, incertum esset, quia nescitur, utrum infirmus coitu sanaretur; nescitur, utrum ex coitu aliquis generaretur; nescitur etiam, utrum ex matrimonio pax reformaretur; et non est dimittendum certum pro incerto: ideo non valet.

4. Ad illud quod obiicitur, quod votum abstinentiae voto paupertatis est maius; dicendum, quod falsum est: quia *exercitatio corporalis est ad modicum utilis, pietas autem valet ad omnia*, ut dicit Apostolus [5]; et summa pietas est, quod omnia vendantur et dentur pauperibus. — *Praeterea*, difficilius est; plures enim inveniuntur, qui volunt ieiunare quam qui volunt mendicare. — *Praeterea*, ibi non tantum est abdicatio *rei terrenae*, sed etiam *voluntatis habendi;* unde pauperculus veniens ad religionem dimittit totum mundum ratione voluntatis [6]. Rationes tres.

5. Ad illud quod obiicitur de voto obedientiae, quod fit dispensatio in religiosis, qui promoventur; dicendum, quod licet in praelationibus non teneantur obedire et multa habeant, quae non licerent eis, si essent subditi; tamen in neutro voto est dispensatum. Nam in voto *paupertatis* non dispensatur, quia non licet tali religioso habere proprium, etiam si Papa dispenset; sed tamen potest bona Ecclesiae dispensare, sicut abbas bona monasterii, nec amittit meritum paupertatis; sed est divitiarum non dominus, sed dispensator, non amator, sed contemptor, non conservator, sed dispersor [7] in pauperes. — Similiter in voto *obedientiae* non est dispensatum, quia omnem obedientiam, quam debebat prius suo superiori, debet Papae; et Papa a sua obedientia non potest eum absolvere; et in talibus meritum obedientiae commutatur in meritum pastoralis curae; nec est *dispensatio*, sed *exemptio* proprius debet dici [8]. Notandum.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Qui privatum faciunt votum peccant mortaliter contrahendo.* Videtur enim falsum dicere, quia possibile est, quod contrahant, ita tamen, quod nullo modo carnaliter conveniant, sicut Ioseph et Maria [9], et Tiburtius et

---

[1] Eccli. 26, 20. — Immediate post pro *quando* codd. L Y *quoniam ibi*, cod. aa *quia*, et pro *victoria* cod. Y (E a secunda manu) *triumphus*, multi codd. *dupliciter*, cui in cod. V secunda manus addidit *victoria*.

[2] Cap. 16. n. 30. seqq. et c. 41. n. 78. — Superius verbis *et illa* in cod. V secunda manus interseruit *quia*, quam lectionem sequuntur edd. Subinde ex cod. K (I a secunda manu) substituimus *et ideo in his*, cod. A *et in his*, edd. *quod in his*.

[3] Codd. L Y *incertitudo*, cod. I (a secunda manu) *et praeterea, ubi incertitudo*, edd. *certitudo non*. Mox pro *nisi* codd. N aa *aliter quam*.

[4] Cfr. supra pag. 754, nota 6.

[5] Epist. I. Tim. 4, 8, ubi pro *valet* Vulgata *utilis est*. — Matth. 19, 21: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus etc.

[6] Cfr. Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 5. n. 2. (in Breviar. Roman. pro festo Andreae Apost. 30. Nov.). — Edd. addunt *habendi*.

[7] Codd. A P Q *dispensator*.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Cfr. supra d. 30. q. 2. et dub. 4. — De Tiburtio (pro quo substituendum est *Valerianus*, cui Caecilia in matrimonium

Caecilia: ergo ibi non est culpa. — Item, si est ibi mortale peccatum: ergo nullus debet de hoc licentiari; sed mulier, quae vovit voto privato, licentiatur de matrimonio contrahendo, titulo de Eo quod voventes non possunt[1] etc., in decretali *Veniens* etc.; ibi dicitur « de voto violato congruam satisfactionem indicas et ei cui vult, in Domino nubendi licentiam non postponas ».

Respondeo: Dicendum, quod contrahens matrimonium aut intendit contrahere solum intendendo et consentiendo in *coniugalem societatem*, aut in *copulam carnalem*, sive propter libidinem, sive propter generationem. Primum est licitum, secundum est mortale peccatum[2]. De primo non loquitur Magister, sed de secundo, quia omnes contrahentes fere sic contrahere consueverunt.

Quod quaeritur de illa quae vovit voto simplici; dicendum, quod Ecclesia non dat ibi licentiam *simpliciter*, sed, sicut patet ex littera antecedenti, Notandum. et Apparatus[3] dicit ibi, « est comparativa permissio, quia permittitur malum fieri, ne veniat peius », sicut patet ex eo quod dicitur Causa vigesima secunda, quaestione prima, *Considera, quod Salvator* etc. Unde illud factum nullo modo trahendum est ad consequentiam, quia, sicut habetur in aliis decretalibus eiusdem tituli[4], votum *simplex* impe-Notandum. dit. — Et nota, quod praedicta mulier simplici voto vovit, quia, etsi in manibus eremitae voverit, tamen, quia non se obligabat ad religionem specialem, sed communiter ad continentiam, et ille eremita non erat persona publica, nec ipsa vestem mutavit, non fuit votum solemne[5].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Solemne votum violare peccatum est et scandalum.* Videtur enim haec duo male distinguere, quia ipsum scandalum peccatum est. — Item quaeritur, utrum sint ibi duo peccata. Et quod sic, videtur: quia frangendo votum peccat in Deum, sed scandalizando in proximum[6].

Respondeo: Dicendum, quod scandalum unitum peccato non facit novum peccatum quantum ad transgressionem nec quantum ad poenitentiam, sed novam addit circumstantiam aggravantem, ut fornicatio publica ultra privatam; duplex tamen esse posset quantum ad accusationem[7]. — Quod obiicitur, quod unum copulatur alteri; dicendum, quod hoc non est propter diversitatem peccati, sed circumstantiae adiectae. — Quod obiicitur, quod in Deum etc.; dicendum, quod idem peccatum et in Deum et in proximum potest esse, sed in Deum principaliter, in proximum ratione circumstantiae adiunctae[8]; et ideo hoc non facit diversa peccata, quia peccatum numeratur ratione actus, circa quem est, non ratione eius, in quem est. Si quis enim una actione offenderet plures homines, uno peccato peccaret.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non potest probari quod occulte factum est* etc. Videtur enim mala esse ratio, quia defectus probationis non aufert matrimonium nec facit.

Respondeo: Aliquorum opinio fuit, ut Hugutionis[9], quod votum simplex ita impedit apud Deum, Opinio 1. ut solemne; unde illud non est matrimonium in conspectu Dei, sed solum in facie Ecclesiae, quia non sunt testes, per quos possit dirimi; et semper alter coniugum fornicatur, alter vero per ignorantiam excusatur. — Sed nunc per iura nova[10] satis Opinio 2. et vera. determinatum est, quod vinculum voti simplicis non aufert obligationem matrimonii, tum quia minus est, tum quia potestas corporis non transfertur, tum etiam, quia in matrimonio, si non petatur, sed reddatur solum, sicut debet facere qui vovit, pro sanctificatione perfecta reputatur[11]; unde defectus probationis non est ratio sufficiens, sed quaedam congruentia adiuncta.

---

data fuit, cuius frater erat Tiburtius) et Caecilia cfr. Breviar. Roman. die 22. Nov. II. Noct. lect. 4. et 5.

[1] Sive Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt, X. lib. IV. tit. 6. c. 5.

[2] Supple: illis qui privatum fecerunt votum continentiae. Cfr. supra a. 2. q. 1. et d. 28. q. 6. ad 1.

[3] Scil. *Glossa* (cfr. supra pag. 798, nota 3.). In ipsa decretali *(Veniens)* dicitur: Nos itaque attendentes, tutius esse, ut praefata mulier post fidem [cuidam viro absenti datam de matrimonio] et votum [in manibus cuiusdam eremitae] simpliciter oblatum, matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat etc. — Summam seq. canonis *Considera* [codd. *Considerate*], *quod hic Salvatur* (8.) Gratian. exhibet his verbis: Infirmis iurare conceditur. — Subinde respicitur Regul. iuris, regul. 28: « Quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda » libr. V. tit. 12, in VI.

[4] Ut in C. *Consuluit* (4.) et C. *Rursus* (6.), in quibus dicitur, quod votum simplex matrimonium impedit contrahendum et non dirimit iam contractum. — Pro *votum simplex* edd. male *votum simpliciter.*

[5] Vide supra a. 2. q. 1. in corp.

[6] Cfr. supra pag. 781, nota 2.

[7] Vide supra d. 17. p. III. a. 2. q. 3.

[8] Cfr. supra pag. 376, nota 3. — Idem dub. solvunt B. Albert., IV. Sent. d. 17. a. 48, ubi docet, scandalum tunc esse *speciale* peccatum, quando per se intenditur; S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] Refertur Hugutionis (non pauci codd. *Huguitionis*) opinio a *Glossa* super C. *Rursus* (6.), X. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt (lib. IV. tit. 6.) ad verba *cum simplex votum apud Deum non minus obliget quam solemne,* et dicitur, quod contraria « opinio hodie quasi communis est ».

[10] Vide supra nota 4.

[11] Respiciuntur verba August. supra lit. Magistri, d. XXXII. c. 2, et hic a. 2. q. 1. (ubi etiam *secunda* ratio explicatur) relata. — Superius post *petatur* edd. supplent *debitum.* — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Viduas a proposito recedentes* etc. Videtur enim male dicere, quia propositum non obligat aliquem: ergo videtur, quod non sint huiusmodi propter hoc obligatae, ergo possunt retrocedere.

Respondeo: Dicendum, quod Gregorius [1] intelligit non de proposito simplici vel qualicumque, sed de proposito, quod est firmatum publica testificatione, in qua est votum solemne; et istae sunt quae *primam fidem irritam faciunt,* ac per hoc damnationem habere noscuntur.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *In virginali proposito se permanere simulaverunt.* Videtur enim falsum dicere, quia ubi est simulatio non est votum verum: ergo nec Domino obligatur qui [2] se simulat obligari.

Respondeo: Dicendum, quod promissio simulata dupliciter potest esse: aut quia non habet stabilitatem, aut quia non habet interiorem assensum correspondentem. Et haec duplex est, quia quaedam fit timore vel metu, «qui potest cadere in constantem virum», sicut David simulavit se stultum coram Achis, primi Regum vigesimo primo [3]; quaedam intentione decipiendi alios. — Prima simulatio simpliciter obligat, quia necesse est, ex quo semel se obligavit voluntarie et ore spopondit, quod permaneat in sua pollicitatione. — Si vero spopondit signo, non corde; tenetur apud forum iudiciale et coram Ecclesia, si non affuit timor; apud Deum vero tenetur facere poenitentiam de duplicitate et mendacio. — Si vero tertio modo fuit simulatio, tunc nec apud Deum nec apud Ecclesiam obligatur. Hic autem fit sermo de sponsione simulata primo modo, sicut patet Causa vigesima septima, quaestione prima [4]. Posset etiam fieri secundo modo, scilicet quando etiam non habet intentionem; tunc enim compellitur ab Ecclesia, sicut dicitur Extra, de Regularibus et transeuntibus ad religionem [5], *Vidua si sponte velum.*

Distinctio.

Subdistinctio.

Notandum.

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Virgines et viduas, sive velatae fuerint, sive non, nullatenus coniugium sortire posse.* — Videtur enim male dicere, quia velum est in signum professionis, sicut habitus est religiosis viris; sed ante habitus susceptionem non videtur solemnizari votum: ergo non videtur omnino impediri coniugium.

Respondeo: Dicendum, quod contingit votum solemnizari tribus modis, scilicet *ordinis susceptione, habitus assumtione,* ubi est distinctio professorum a non professis, et *propria testificatione,* dum tamen fiat in manu publicae personae. Quamvis ergo tales non susceperint velum; si tamen se astrinxerunt in manu publicae personae ad continentiam, nullo modo possunt contrahere, nec de iure nec de facto. Si autem se voto *simplici* astrinxerunt, non possunt, scilicet *sine peccato;* possunt tamen *de facto* [6].

Modi tres solemnizandi.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quid in omnibus peccatis est gravius quam adulterium?* Videtur enim male dicere, quia gravius est peccatum in Spiritum sanctum, quod *non remittitur, neque in hoc saeculo neque in futuro* [7]. Item, gravius est peccatum incestus, sicut in littera sequenti habetur; item, adhuc gravius est peccatum contra naturam; item, gravius est homicidium et uxoricidium, de quo solemnis poenitentia imponitur Causa trigesima tertia, quaestione secunda, *Admonere* [8] etc.

Respondeo: Dicendum, quod peccatum dicitur esse gravius multis modis: aut ratione *contemptus,* et sic peccatum in Spiritum sanctum; aut ratione *libidinis,* ut peccata contra naturam, in quibus libido totum absorbet naturale iudicatorium; aut ratione *ingratitudinis,* et sic peccatum Adae in paradiso; aut ratione *punitionis,* et sic peccatum adulterii, in quo praecipiebantur moechus et moecha lapidibus obrui, sicut dicitur Deuteronomii vigesimo secundo [9]. Et sic accipitur in proposito, cum dicitur, quod est gravius etc.

Modi quatuor circa gravitatem peccati.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Secundum namque in poenis tenet locum.* Videtur enim male dicere, quia ordo transgressionum et punitionum est secundum ordinem praeceptorum; sed istud, scilicet non moechari, non est secundum mandatum, sed est in secunda tabula. — *Si dicas,* quod

---

[1] In verbis huius dubii. — Eodem modo solvitur hoc dub. a S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[2] Codd. I K *quae.*

[3] Vers. 13. (cfr. III. Sent. d. 38. q. 2. ad 3.). — De *metu* vide supra pag. 700, nota 1.

[4] Can. *Viduas* (2.) et C. *Hae vero* (9.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Superius pro *apud Deum vero tenetur* cod. F *apud Deum non, tenetur tamen.*

[5] Libr. III. tit. 31. c. 4.

[6] Cfr. supra a. 2. q. 1.

[7] Matth. 12, 32: Non remittetur ei, neque etc. — De seq. obiect. cfr. hic lit. Magistri, c. 2. in fine.

[8] Can. 8. Cfr. supra d. 37. a. 2. q. 2. arg. 1. ad oppos. et ibid. ad 4.

[9] Vers. 22. Vide supra pag. 784, nota 11. — De hac solut. cfr. II. Sent. d. 33. dub. 2; Alex. Hal., S. p. II. q. 148. m. 3. et q. 152. m. 3; B. Albert., hic a. 21; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

secundum locum tenet ratione *poenae lapidationis*, quae debetur blasphemo, Levitici vigesimo quarto [1], et adultero, Deuteronomii vigesimo secundo; *obiicitur* tunc, quia eadem poena infligitur filio contumaci et protervo, Deuteronomii vigesimo primo.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui dicunt, hoc Solutio 1. esse intelligendum sic, quod secundum locum tenet, quia peccatum blasphemiae est a parte animae, sed peccatum adulterii est a parte corporis, et peccatum homicidii a parte coniuncti. — Non probatur. Sed istud non videtur, quoniam eadem poena pro istis omnibus est inflicta; omnes enim capite plectebantur. — Et ideo Solutio 2. melius est dicere, quod hoc intelligitur ratione *poenae lapidationis;* homicidium vero puniebatur secundum legem *talionis* [2].

Si vero obiiciatur de filio inobediente, dicendum, quod non ratione inobedientiae solum, sed etiam ratione aliorum peccatorum, quae erant in dissipationem reipublicae, quia luxuriosus, et consimilia [3].

Si quaeratur, quare adulterium ita graviter puniebatur; Quaest. incid. solvitur. dicendum, quod propter duo, scilicet quia erat in destructionem concordiae ac per hoc reipublicae, quia erat generativum magnae infamiae; postremo, ratione pronitatis magnae. Et haec est causa, quare tam gravis poenitentia pro uxoricidio imponitur, ut pronitas refrenetur [4].

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Exsecrabiliter fit in meretrice, sed exsecrabilius in uxore.* Videtur enim falsum dicere, quia magis peccat qui abutitur re non concessa, quam qui re concessa; quia ille dupliciter, iste uno modo: ergo gravius ille. — Item, Augustinus, de Bono coniugali [5], ante illud verbum in originali dicit: « In rebus ad utendum concessis longe fit rationabilius, quam in eis quae non sunt concessa, vel minor, vel rarus excessus »: ergo cum uxor sit ad utendum concessa, patet etc.

Respondeo: Dicendum, quod excessus in usu Distinctio. uxoris potest esse dupliciter: aut *secundum* naturam, aut *contra* naturam. Si *secundum* naturam, tolerabilior [6] est in uxore, propter hoc quod habet excusationem aliquam. Si *contra* naturam, econtra est, quoniam in matrimonio sunt quaerenda bona matrimonii, et honestius tractanda est coniux quam meretrix; ideo, cum peccatum contra naturam et sit contra bona matrimonii et sit in contumeliam uxoris, cui est quaedam honestas maior in tractando eam exhibenda: hinc est, quod gravius peccat qui facit in uxore; et ideo etiam dicitur [7], quod propter illud peccatum, scilicet contra naturam, mulier potest dimittere et fugere virum. Et sic patet, quod quamvis pluribus modis peccet qui peccat cum meretrice, quam qui peccat cum uxore; tamen hic intensius peccat propter maiorem contemptum [8].

Dub. X.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *legitimarum foedera nuptiarum redintegranda credamus* etc. Quaeritur ergo hic, si aliquis moriatur et resuscitetur, utrum uxor sua sibi reddenda sit. Quaestio. Et quod *sic,* videtur per litteram istam, quia primae nuptiae Ad oppos. fuerunt *legitimae.* — Item apparet per illud quod dicitur ad Hebraeos undecimo [9]: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* — Item *ratione* videtur: quia isti qui resuscitantur, non privantur hereditate paterna: ergo nec iure uxoris. — Item, qui resuscitantur divino iudicio ut dormientes sunt [10]; sed matrimonia sunt regenda iure poli: ergo si quantum ad Deum hic dormiens iudicatur, sicut somnus non solvit matrimonium, ita nec talis mortuus, ut videtur. — Item, si solvitur: ergo si resurgat, oportebit contrahi cum eadem: ergo bigamus iudicatur: ergo si non oportet, quod contrahat; videtur, quod primum vinculum adhuc maneat.

Contra: ad Romanos septimo [11]: Mortuo viro, Fundam. soluta est mulier a lege viri: ergo videtur, quod matrimonium sit solutum. — Item, ponatur, quod mulier, viro suo mortuo, statim contrahat; constans est, cum non sit alligata, quia non est cui ligetur, quod matrimonium est verum: ergo si primus resurgat, propter hoc non solvetur. — Item, ita vere mortuus est iste, sicut ille qui incineratur; sed tali,

---

[1] Vers. 16. — Seq. locus est Deut. 22, 22; tertius Deut. 21, 18. seqq.

[2] August. XIX. contra Faustum, c. 25: Huic igitur immoderatae ac per hoc iniustae laesioni Lex iustum modum figens, poenam *talionis* instituit, hoc est, ut qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium pendat; proinde *oculum pro oculo, dentem pro dente* [Exod. 21. 24; Matth. 5, 38.] etc.

[3] Vide Deut. 21, 20.

[4] Ut dictum est supra d. 37. a. 2. q. 2. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 21; Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit., ubi hic dicit: Secundum in poenis tenet locum, scil. quantum ad *lapidationis* poenam in veteri lege. Lex enim primo et principaliter praecipiebat, lapidari blasphemantem Deum, de quo habetur Lev. 24, 16; deinde adulterum vel adulteram, de quo habetur Deut. 22, 22. seqq.

[5] Cap. 11. n. 12: Tantum valet ordinatio Creatoris et ordo creaturae, ut in rebus ad utendum concessis, etiam cum modus exceditur, longe sit tolerabilius, quam in eis, quae concessa non sunt, vel unus vel rarus excessus. Cfr. C. *Adulterii* (11.), C. 32. q. 7.

[6] Codd. communiter *tolerabilius.*

[7] Cfr. C. *Omnes causationes* (7.), C. 32. q. 7. et *Glossa* in hunc can. Vide etiam supra d. 35. q. 1. ad 5.

[8] Idem dub. solvunt Alex. Hal., S. p. II. q. 149. m. 2; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

[9] Vers. 35.

[10] Cfr. Matth. 9, 24; 27, 52, et Ioan. 11, 11. seqq. — De iure *poli* cfr. supra pag. 807, nota 7. — Inferius pro *talis mortuus* codd. F G *cum talis moritur* (plures alii codd. exhibent etiam *moritur*) cod. K (I a secunda manu) *talis mors.*

[11] Vers. 2. seq. Cfr. I. Cor. 7, 39.

quando resurget, non reddetur uxor, sicut Dominus determinat, Matthaei vigesimo secundo [1]: ergo pari ratione videtur in proposito.

Resp. RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut superius [2] dictum est, vinculum matrimoniale non fundatur in anima, sed in coniuncto; unde cum aliquis moritur, statim perit altera pars relationis, et ideo vinculum statim solvitur; et si mulier alii esset matrimonialiter iuncta, non esset separanda. Si tamen alii non est iuncta, et ipse vult eam, ex quadam honestate est ei reddenda.

Ad obiecta. Quod ergo obiicitur, quod sunt redintegranda, verum est, quando solum de facto sunt soluta. — Quod obiicitur de undecimo ad Hebraeos, dicendum, quod mulieres acceperunt mortuos *filios*, non *maritos* [3]. — Quod obiicitur de hereditate, dici potest, quod illud est etiam gratia et honestas, quod ei reddatur; attamen non est simile, quia de uxore nihil potest vir post mortem disponere. *Praeterea,* aliud est de rebus; potest enim testari de rebus, sed non potest uxorem relinquere alii. — Quod obiicitur, quod sunt dormientes; dicendum, quod verum est respectu potentiae [4], sed respectu veritatis in iudicando Deus iudicat vere mortuum. — Ad illud quod quaeritur, utrum sit bigamus; dici potest, quod non, si illa non cognovit virum alterum, pro eo quod non dividit carnem, nec illa divisit [5].

DUB. XI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quodsi viri in dilectione suarum coniugum perseverent.* Videtur enim male dicere, quia ex hoc videtur, quod non debet redintegrari, nisi velit vir. *Contra:* esto quod mulier petat; cum excusetur a fornicatione, videtur, quod vir non possit eam repellere: ergo sive diligat, sive non, debet eam resumere. — Item quaeritur, utrum talis putatio excuset [6]. Et quod *non,* videtur: quia nullus debet committere se discrimini: ergo quantumcumque vir mulieris se absentet, nisi sit certa, peccat, si contrahit cum alio.

Quaestio 1. Quaeritur ergo, pro quanta certitudine excusetur.

Quaestio 2. Quaeritur etiam, si dubitat, virum suum vivere, utrum debeat debitum reddere; videtur enim, quod *non:* quia nullus dubitans, utrum aliquid sit peccatum mortale, debet illud facere: ergo etc.

Ad 1. quaest. RESPONDEO: Dicendum, quod mulier, quae putat virum suum interemptum et contrahit, aut credit hoc praesumtione *tenui,* quae magis debet generare dubitationem quam fidem, aut credit praesumtione *probabili.* Primo modo non excusatur, si contrahat, sicut dicitur Extra, de Sponsalibus et matrimoniis [7], ubi dicitur, quod quantumcumque vir moretur in bello, et uxor sit iuvencula, tamen non debet contrahere, donec de viro mortuo aliquam habeat certitudinem; qua habita, tunc sine peccato potest contrahere, utpote si iuramentum habeat ducis exercitus, vel sociorum eius, qui mortem noverunt; et tunc excusatur. — Quodsi mulier incipiat post contractum matrimonium dubitare de morte viri; aut est dubitatio *levis;* et haec secundum consilium praelati poterit a corde removeri, et poterit debitum exigere et petere [8]; si vero *probabiliter* dubitat, debitum debet *reddere,* sed non *exigere;* si vero *certificatur* de vita primi viri, nec petere debet nec reddere, sed statim secundum virum deserere. Et hoc probatur per illud quod dicitur Extra, de Secundis nuptiis [9], *Dominus ac Redemptor,* et Causa trigesima quarta, quaestione secunda, *Cum per bellicam.* Si vero non statim revertitur, tunc imputatur ei crimen adulterii, nec potest ad priorem virum redire, nisi ipse velit. In hoc casu loquitur Leo Papa [10]. Ad 2. quaest.

Ex his patent omnia obiecta. Non enim debet *contrahere,* nisi certitudinem habeat de morte; nec debet *petere,* quando probabiliter dubitat; nec debet *reddere,* quando est certa de vita; quodsi aliter faciat, iudicatur fornicationis rea.

DUB. XII.

Item quaeritur de hoc casu, quem ponit Magister de eo qui relinquit uxorem suam, *abiens in regionem longinquam;* de tali quaeritur, utrum, mortua uxore, vir possit contrahere cum alia secunda. Et quod *non,* videtur: quia pollutio per adulterium cum fide data impedit matrimonium, sicut supra [11] ostensum est; sed hoc est hic: ergo etc. — Item quaeritur, utrum talis, vivente uxore legitima, debeat reddere debitum, si compellat ipsum Ecclesia. Et videtur, quod *non,* quia ipse fornicatur; sed magis debet quis permittere se excommunicari quam fornicari. Quaestio 1. Quaestio 2.

RESPONDEO: Ad primum dicendum est, quod si, altero ignorante, contractum est, est [12] matrimonium in favorem illius qui ignoravit; si autem ille qui ignoravit, certificatur, non debet talis nec potest sibi copulari, veritate certificata. Sed primus non debet puniri, qui ignoravit, quia non peccavit; et ideo, si Ad 1. quaest.

[1] Vers. 30.
[2] Dist. 27. a. 3. q. 1.
[3] Secundum Haymonem in hunc loc.
[4] Cod. K bene supplet *divinae.*
[5] Idem dub. solvitur a S. Thom., hic circa lit.; Petr. a Tar., de hoc et seq. dubio hic a. 4. q. 1. 2.
[6] Multi codd. *excusetur.*
[7] Libr. IV. tit. 1. C. *In praesentia* (19.). Cfr. *Glossa* ibid.
[8] Cod. L *et reddere.*
[9] Libr. IV. tit. 21. c. 2. — Seq. locus est C. 34. q. 1. et 2. c. 1.
[10] In verbis huius dubii. — Inferius post *petere* edd. supplent *debitum.* — Cfr. de hoc dubio S. Thom., hic circa lit.
[11] Dist. 37. a. 2. q. 3.
[12] Pro *est* codd. *illud,* incongrue, nisi cum cod. bb (P a secunda manu) mox post *ignoravit* addatur: *stare potest, quousque cognoscat.*

ligamen primum solvatur, poterit secundum matrimonium stare.

Quod quaeritur, utrum, vivente prima, possit
Ad 2. quaest. secundam sine peccato cognoscere; dicit Magister [1], quod sic, si reddat debitum compulsus ab Ecclesia. Sed illud hodie non tenetur, quia ecclesiastica excommunicatio non obligat ad faciendam fornicationem nec excusat; et ideo talis non debet Ecclesiae obedire; et hoc habetur Extra, de Sententia excommunicationis [2], *Inquisitioni.*

DISTINCTIO XXXIX.

Cap. I.

De dispari cultu.

Post haec de dispari cultu videndum est. Haec est enim una de causis, quibus personae illegitimae fiunt ad contrahendum matrimonium. Non enim licet Christiano cum gentili vel Iudaea inire coniugium, quia etiam in veteri testamento prohibitum est, fideles viros infideles ducere uxores, Domino dicente [1]: *Non accipies uxores de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post deos suos.* Iuxta hoc Domini praeceptum Iudaeorum coniugia cum alienigenis inita Esdras separavit. Hoc idem etiam in novo testamento servatur.
Augustinus. Unde Augustinus [2]: «Ne nubat femina, nisi suae religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem. Id enim, ut dicis, iubet Dominus, docet Apostolus, utrumque praecipit testamentum».
Ambrosius. Item Ambrosius [3]: «Cave, Christiane, gentili vel Iudaeo filiam tuam tradere; cave, ne gentilem vel Iudaeam vel alienigenam, id est haereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi». Item: «Si quis Iudaeae, sive Christiana Iudaeo, sive Iudaea Christiano carnali consortio misceatur, quicumque tantum nefas admiserit, a christiano coetu protinus segregetur». — Ex his aliisque pluribus testimo-
Dubium 1. niis apparet, non posse contrahi coniugium ab his qui sunt diversae religionis et fidei.

Cap. II.

De coniugio fidelis et infidelis et duorum infidelium.

Huic autem videtur obviare quod Apostolus [4] ait de imparibus coniugiis: *Ego dico, non Dominus: Si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier* etc.
Augustinus. Sed «aliud hoc esse, aliud illud, evidenter ostendit Augustinus [5]. Ibi enim agitur de illis coniugiis fidelium et infidelium, quae contrahuntur ab eis in dispari religione et fide manentibus. Apostolus vero agit de illis qui unius eiusdemque infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt; sed cum venisset Evangelium, alter sine altera credidit. Intelligisne quid dicam?»
Augustinus. «Attende, ut rem ipsam diligentius explanem. Ecce coniuges duo unius infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt; nulla de his quaestio est, quae pertineat ad illud praeceptum veteris et novi testamenti, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt coniuges, et ambo adhuc sunt infideles; tales sunt adhuc, quales coniuncti sunt. Venitque Evangelii praedicator, credidit eorum unus vel una, sed ita, ut infidelis cum fideli habitare consentiat; non iubet Dominus, ut fidelis infidelem dimittat taliter coniunctum». «Nec Apostolus *iubet*, ut non dimittat, sed *consulit*, ut, si quis aliter agat, non sit transgressor, sicut et de virginibus consulit». «*Monet* ergo, quod est lucrandi occasio, cum possit licite relinquere, sed non expedit». «Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius aliis affert impedimentum salutis, sicut discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est iniusta; sed Apostolus, ne fiat, consilio caritatis suadet, ut nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere faciat». Dubium 2.
— Ex his monstratur, et inter infideles [6] coniugium esse, et consilium Apostoli non obviare praecepto Domini, quo iubet, fidelem non iungi infideli, et si coniuncti fuerint, separari. Legitur enim, quod «Esdras propheta, immo Dominus per eum, iussit Israelitis uxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos, non illae per maritos acquirebantur Deo. Recte hoc praecepit; quia per Moysen iusserat Dominus, ne quis uxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant, Domino prohibente, Domino iubente, dimiserunt [7]»; quia, ut ait Ambrosius, «non est putandum matrimonium quod extra Dei decretum est factum; sed cum cognoscitur, emen- Augustinus. Ambrosius.

---

[1] Hic in lit. c. 3.

[2] Libr. V. tit. 39. c. 44. — Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Exod. 34, 16; Deut. 7, 3; mox I. Esdr. 10, 11. Hoc capitulum sumtum est ex Hugone, Sum. Sent. tr. 7. c. 8. — Pro *accipies* edd., excepta 1, *accipias*, refragantibus codd. et Vulgata.

[2] Libr. I. de Coniugiis adulterinis, c. 21, n. 25; C. *Sic enim* (9.), C. 28. q. 1. § 6. De praecepto Apostoli cfr. II. Cor. 6, 14.

[3] Libr. I. de Abraham, c. 9. n. 84; C. *Cave* (15.), ibid. Seq. locus est C. *Si quis Iudaicae* (17.), ibid.

[4] Epist. I. Cor. 7, 12.

[5] Loc. cit. Seq. locus ibid. n. 26, et can. cit. § 7. Tertius est August., I. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 44; quartus I. de Coniugiis adulterinis, c. 13. n. 14; C. *Iam nunc* (7.), ibid; quintus ibid. c. 18. n. 22. Eosdem locos affert Glossa ad I. Cor. 7, 12, apud Lyranum.

[6] Plures edd. falso *fideles*, simul omittunt *et* ante *inter*.

[7] August., loc. cit. c. 18. n. 20. (quoad substantiam); locus alter est Comment. in I. ad Cor. 7, 15 (inter opera Ambrosii); cfr. C. 28. q. 1, introductio.

dandum, ut quando fidelis infideli copulatur». Sed ut ait Augustinus[1]: «Cum coepisset gentibus Evangelium praedicari, iam coniunctos gentiles gentilibus comperit coniugibus; ex quibus si non ambo crederent, sed unus vel una, et infidelis cum fideli consentiret habitare; nec *prohiberi* a Domino debuit fidelis infidelem dimittere nec *iuberi*: ideo non *prohiberi*, quia iustitia permittit a fornicante discedere; et infidelis hominis fornicatio est maior in corde, nec vera eius pudicitia cum coniuge dici potest, quia *omne quod non est ex fide, peccatum est*, quamvis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli coniuge, quae non habet veram; ideo autem nec *iuberi*, quia nec contra iussionem Domini gentiles fuerunt ambo coniuncti». «*Licitum* ergo erat per iustitiam fideli infidelem dimittere; sed licitum non erat faciendum propter liberam benevolentiam». — Evidenter apparet, et inter infideles coniugium esse, et Apostolum de illis agere, qui in infidelitate coniuncti fuerunt, et post alter ad fidem conversus est, cum quo infidelis habitare consentit; et hunc non dimittere fideli consulit Apostolus, quia forte per fidelem salvabitur infidelis.

Augustinus.

Cap. III.

De fornicatione spirituali, propter quam dimitti coniux potest.

Potest tamen *licite* dimittere, quia in infideli est fornicatio, si non corporis, tamen mentis. Causam enim *fornicationis* Dominus excepit; *fornicationem* vero generalem et universalem intelligere cogimur, non modo scilicet corporalem, sed et spiritualem; de qua Augustinus[2] ait: «Idololatria et quaelibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem *permisit*, causa fornicationis uxorem dimitti, sed non *iussit*; et sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit non dimittat»; potest tamen licite dimittere. «Si enim fornicatio carnis detestanda est in coniuge, quanto magis fornicatio mentis, id est infidelitas»?

Augustinus. Glossa.

Cap. IV.

Pro quibus peccatis possit fieri separatio, vel non.

Si autem quaeris, an propter aliud vitium nisi propter infidelitatem vel idololatriam possit dimitti; attende, quid Augustinus[3] ait: «Si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria; non est dubitandum, et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quae in stupris cum alienis viris vel feminis committuntur, sed ob quaslibet, quae animam a lege Dei aberrare faciunt et perniciose corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem suam dimittere, et uxor virum». Item, «rectissime dimittitur, si viro suo dicat: non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congeras, vel nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinorosum vel flagitiosum a viro suo expetat. Tunc ille, si veraciter poenitens est, habetque *fidem per dilectionem operantem*, membrum, quod eum scandalizat, amputabit». — Ex his apparet, quod non solum infidelitas, sed et quaelibet concupiscentia, quae perniciose turpiterque corrumpit, *fornicatio spiritualis* est, per quam vir uxorem, vel uxor virum dimittere potest. Consulit tamen Apostolus, ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare nec a Deo revocare.

Augustinus. Dubium 3.

Cap. V.

An liceat fideli aliam ducere, vel non.

Hic quaeritur, si fidelis infidelem dimittat, vel infidelis a fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere. Videtur auctoritas testari, quod vivente illa, alteram ducere non valeat. Ambrosius[4] enim verba Apostoli exponens ait: «Alioquin, si disceditis ab invicem et volentes cohabitare dimittitis et aliis vos copulatis, adulteri estis, et filii vestri, qui de hac copula nascuntur, immundi, id est spurii sunt». Item: «Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvuntur, non coniugia».

Ambrosius. Dubium 4. Canon.

Sed econtra Ambrosius testatur: *Si infidelis*, dicit Apostolus[5], *discedit, discedat. Non enim est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi*; quia «non debetur reverentia coniugii ei qui horret auctorem coniugii. Non est enim ratum matrimonium, quod sine Dei devotione est; et ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit ius matrimonii circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens et in Deum peccat et in matrimonium, nec est ei servanda fides coniugii, qui ideo recessit, ne audiret, Christum esse Deum christianorum coniugiorum. Si vero ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium».

Ambrosius. Dubium 5.

Attende, haec praedictis contraria posse videri, ita ut sibi Ambrosius contradicere videatur. «Sed distinguendum est hic: aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi lex benevolentiae non servatur, hic veritas custoditur. Et ideo, cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen, ea vivente, aliam ducere licet; discedentem vero sequi non oportet, et ea vivente, aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum, nisi de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque

Gratianus.

---

[1] Loc. cit. c. 18. n. 20, ubi citatur Rom. 14, 23. Seq. locus est ibid. c. 20. n. 24; C. *Sic enim*, ibid. § 5.

[2] Libr. 1. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 45; C. *Idololatria* (5.), ibid. Seq. locus est in Glossa in I. Cor. 7, 15, apud Lyranum, secundum August., l. de Coniugiis adult. c. 17. n. 19.

[3] In cit. Sermone, c. 16. n. 46, et can. cit. § 1. Seq. locus est August., de Fide et operibus, c. 16. n. 28; C. *Uxor legitima* (4.), ibid., et respicitur Gal. 5, 6. — Pro *congeras* edd., excepta 1, *congreges*, refragantibus codd., canone et originali.

[4] Comment. in I. Cor. 7, 14. (inter opera eius); Gratian., introd. in C. 28. q. 2. Seq. locus est C. *Si quis* (1.), ibid.

[5] Epist. I. Cor. 7, 15. Seq. locus est in Comment. citato in praecedente nota, v. 16; C. *Si infidelis* (2.), ibid., sed ibi in antiqua editione Decreti falso tributus est Gregorio.

fidelis matrimonio iunctus est, et post alter eorum a fide discesserit et odio fidei coniugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur; nec tamen, illa vivente, alteram ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum coniugium, quod non potest solvi [1] ».

CAP. VI.

Utrum coniugium inter infideles sit.

Sunt tamen nonnulli, qui inter infideles asserunt non esse coniugium, quia nec *rata* nec *legitima* est eorum copula. *Rata* non est, quia solvi potest; nec *legitima*, quia Apostolus [2] dicit: « *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Eorum autem coniunctio non est ex fide, et ideo peccatum est; non est igitur coniugium, quia nullum coniugium peccatum est. Augustinus etiam dicit, quia non est *vera* pudicitia infidelis cum fideli. Sed *vera* negatur esse pudicitia, non quod infidelium coniugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum, quod excusat coitum et meretur praemium. Item, illud Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* non ita intelligendum est, ut quidquid fit ab infidelibus peccatum sit; sed omne quod fit contra fidem, id est conscientiam, male fit et ad *gehennam aedificat.* Vel, in omni eo, quod infidelis facit, peccat, non quia *illud* facit, sed quia non *eo modo* illud facit, quo debet, non referens ad debitum finem.

CAP. VII.

Quod coniugium sit legitimum.

Copula igitur maritalis, quae est inter infideles, coniugium est *legitimum*, sed non *ratum: legitimum*, quia est inter legitimas personas; sed non *ratum*, quia sine fide. Coniugium vero fidelium *legitimum* est et *ratum*, si tamen legitimae sunt personae. Quod autem *legitima* sit infidelium coniunctio, Augustinus [3] testatur dicens: « Uxor legitima societate coniuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit ». — Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem converso Apostolus consulit infidelem non dimittere; quod non faceret, si non esset inter eos legitimum coniugium. Legitimum est quod legali institutione vel provinciae moribus, non contra iussionem Domini contrahitur. Augustinus.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XXXIX.

De impedimento dirimente ob cultus disparitatem.

Post haec de dispari cultu videndum est.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinata sunt impedimenta matrimonii, quae impediunt respectu omnis personae. Hic determinantur impedimenta, quae respiciunt personas determinatas. Et dividitur haec pars in duas, quoniam aliquae personae non sunt legitimae propter nimiam distantiam, ut illae, in quibus est cultus disparitas. Quaedam propter nimiam convenientiam, ut illae, in quibus est spiritualis, vel carnalis proximitas. Ideo haec pars habet duas. In prima agit de impedimento, quod venit ex cultus disparitate. In secunda de impedimento, quod venit ex proximitate, infra distinctione quadragesima: *Nunc superest de cognatione* etc.

Prima pars habet duas. In prima agit de cultus disparitate per comparationem ad matrimonii contractionem. In secunda per comparationem ad dissolutionem, ibi: *Potest tamen licite dimittere* etc. Prima pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda dissolvit dubitationem, ibi: *Huic autem vi detur obviare* etc.; ubi ostendit, quod quamvis matrimonium non possit contrahi inter fidelem et infidelem, potest tamen esse, si prius contractum est.

Potest tamen licite dimittere, quia in infideli etc. Haec pars secunda agit de matrimonii dissolutione, et haec pars duas habet. In prima determinat veritatem. In secunda manifestat mentientes, ibi: *Sunt tamen nonnulli, qui inter infideles* etc., ubi reprehendit eos, qui dicebant, inter infideles non esse coniugium. Prima pars habet duas. In prima parte agit de dissolutione matrimonii quoad cohabitationem inter eos qui sunt disparis cultus. In secunda agit de dissolutione matrimonii quoad vinculi fractionem sive omnimodam separationem, ostendens, quod si infidelis non vult cohabitare, fidelis potest contrahere, ibi: *Hic quaeritur, si fidelis infidelem dimittat* etc.

---

[1] Gratian. super can. cit. — Pro *iunctus est* et pro *potest solvi* edd., excepta 1, *coniunctus est*, et *dissolvi potest.*

[2] Rom. 14, 23; cfr. Gratian. super C. *Omnes deinceps* (14.), ibid. q. 1. — Locus August. est l. de Coniugiis adulterinis c. 18. n. 20. Quoad explicationem huius loci ad Romanos cfr. II. Sent. d. XLI. c. 1.

[3] De Fide et operibus c. 16. n. 28; C. *Uxor legitima* (4.), ibid. — De seqq. cfr. Hugo, Sum. Sent. tr. 7. c. 8.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis quaeritur de impedimento, quod habet esse in matrimonio ex cultus disparitate. Et de hoc duo quaeruntur principaliter.

Primo quaeritur de disparitate cultus per comparationem ad matrimonii contractionem.

Secundo, per comparationem ad dissolutionem. Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum matrimonium possit contrahi inter fidelem et infidelem.

Secundo, utrum Sacramentum matrimonii possit contrahi inter infidelem et infidelem.

Tertio, utrum matrimonium contractum inter infideles excuset a peccato.

Quarto, utrum matrimonium contractum in infidelitate ponat in numerum cum matrimonio fidelium.

ARTICULUS I.

De disparitate cultus quoad matrimonii contractionem.

QUAESTIO I.

Utrum matrimonium possit contrahi inter fidelem et infidelem.

Quantum ergo ad primum sic proceditur et ostenditur, quod matrimonium possit contrahi inter fidelem et infidelem:

Ad oppositum. 1. Et primo *exemplo:* quoniam Ioseph contraxit cum muliere Aegyptiaca nec reprehenditur, sicut dicitur Genesis quadragesimo primo [1]; similiter Moyses cum Aethiopissa, sicut innuitur Numerorum duodecimo, nec ipse reprehenditur.

2. Item, hoc videtur *auctoritate,* Deuteronomii vigesimo primo [2]: *Si egressus ad pugnam videris mulierem pulcram in medio captivorum et adamaveris eam, intrabis ad eam dormiesque cum ea, et erit uxor tua;* constat, quod de infidelibus loquitur.

3. Item, primae ad Corinthios septimo [3]: *Sanctificatur mulier infidelis per virum fidelem,* et e converso: ergo inter fideles et infideles est coniugium sanctum: ergo et licitum.

4. Item, *ratione* videtur: quia diversitas sive disparitas morum non impedit matrimonium contrahendum: ergo pari ratione nec diversitas fidei sive cultus divini matrimonium impedit.

5. Item, matrimonium est Sacramentum commune fidelibus et infidelibus: ergo si ad omnes se extendit, disparitas sive talis repugnantia ipsum non tollit.

6. Item, omne impedimentum matrimonii impedit, pro eo quod obsistit alicui bono matrimonii; sed cultus disparitas nec nocet *bono prolis,* quia potest educari ad cultum Dei, nec *fidei* nec *Sacramenti:* ergo nullo modo impedit.

Fundamenta. Contra: 1. Probatur *exemplo:* primi Esdrae ultimo [4] dicitur, quod Esdras separavit viros ab uxoribus alienigenis: ergo non erat inter eos matrimonium.

2. Item, *auctoritate* Legis, Deuteronomii septimo [5]: *Non sociabis cum eis connubia;* loquitur de infidelibus et alienigenis.

3. Item, Ambrosius in libro de Patriarchis [6]: «Cave, Christiane, gentili vel Iudaeo filiam tuam dare».

4. Item, potissima distantia est inter fideles et infideles, sicut Christi ad Belial, et lucis ad tenebras [7]: si ergo in matrimonio magna est unio, nullum potest esse inter eos matrimonium.

CONCLUSIO.

Disparitas, quae est in fide, *solummodo impedit matrimonium, sed ea quae est in* fidei Sacramento *sive baptismo, dirimit illud.*

Distinctio infidelium in V. T. Respondeo: Dicendum, quod in veteri testamento distinguendum erat inter infideles: quia quaedam mulieres erant infideles et erant de terra Chanaan, quam Dominus promiserat filiis Israel — propter illius gentis obstinationem in infidelitate mandaverat eas occidendas — et de talibus prohibitum erat [8]. Unde si quis de populo Israel cum illis contraheret, cum esset contra Domini praeceptum, non erat matrimonium. — Quaedam erant infideles de aliis nationibus; et de talibus non erat prohibitum,

[1] Vers. 45. — Seq. locus est Num. 12, 1.
[2] Vers. 10. seqq., plura tamen in Vulgata interiiciuntur.
[3] Vers. 14: Sanctificata est mulier etc.
[4] Vers. 10. seqq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1. 2.
[5] Vers. 3: Neque sociabis cum eis coniugia.
[6] Pressius in I. de Abraham, c. 9. n. 84; refertur a Gratiano, C. 28. q. 1. c. 15, et a Magistro, hic c. 1.
[7] Respicitur II. Cor. 6, 14. seq.
[8] Exod. 34, 16. Cfr. supra pag. 703, nota 3.

sed permissum et concessum, ubi non timebatur lapsus in idololatriam, sicut in Ioseph et Moyse.

Ratio autem, quare prohibuit gentes illas et non (Ratio.) alias, fuit duplex: una, quia iudicaverat omnes reos mortis; alia, quia obstinatae erant in malo.

(Aliter in N. T. distinguitur.) In novo testamento alio modo est, quia infidelis est dupliciter: aut quia caret *fide,* aut quia caret *fidei Sacramento.* (Conclusio 1.) Si quia *fide* tantum, sic talis disparitas, ubi nota est, impedit matrimonium, sed non dirimit iam contractum, ut si catholicus contrahat cum haeretica baptizata. Si autem sit infidelis, quia caret *fidei Sacramento,* utputa baptismo; quia Sacramentorum ecclesiasticorum et fidelium ianua et fundamentum est baptismus, fidelis, qui (Conclusio 2.) contrahere habet secundum Sacramenta Ecclesiae, si cum tali contrahat, nihil facit, etiam si sit *fidelis,* dum tamen non habeat *baptismum;* unde[1] dirimit iam contractum.

Cultus ergo disparitas praestabat impedimentum (Corollarium.) in lege veteri non *simpliciter,* sed ubi metuebatur periculum, et divinum aderat iudicium, et super hoc additum erat mandatum. Sic et in nova impedit non *simpliciter* sive de se, sed *ob vitationem periculi* et *diversitatem* Sacramenti baptismi et *inhibitionem*[2] (Notandum.) ecclesiastici statuti, quae ortum habet a duobus praedictis.

(Solutio oppositorum.) 1. 2. Et sic patent duo prima obiecta.

3. Ad illud autem quod obiicitur, quod sanctificatur mulier; dicendum, quod loquitur Apostolus de matrimonio contracto *ante* cultus disparitatem, quod dicit *manere,* quia fides viri plerumque salvat occasionaliter sive sanctificat mulierem, sicut fides parturit filios[3].

4. Ad illud quod obiicitur de disparitate morum etc.; dicendum, quod non est simile, quia disparitas fidei facit disparitatem Sacramentorum, (Notandum.) non sic disparitas morum, quia boni et mali conveniunt in Sacramentis. Non tamen disparitas fidei semper facit disparitatem in Sacramentis, sed eatenus, qua facit, impedit. Praeterea[4] periculosior est.

5. Ad illud quod obiicitur, quod est commune utrisque[5]; dicendum, quod eatenus est commune, (Notandum.) qua est legis naturae, sed non in quantum Ecclesiae; et quia, si fidelis contrahit, Sacramentum eius iam est Ecclesiae: ideo in hoc non communicat cum infideli, immo multum distat.

6. Ad illud quod obiicitur, quod non est contra aliquod bonum matrimonii; dicendum, quod falsum est, immo est contra bonum *prolis,* quia alter coniugum de facili potest impedire, ne proles Domino dedicetur; est etiam contra bonum *fidei* propter periculum fidei; est etiam contra bonum *Sacramenti,* quia ex parte fidelis matrimonium natum est esse *ratum* et insolubile, cum sit fundatum super Sacramentum fidei; ex alia parte est *contritum,* quia non habet fundamentum[6]. Et sic patet illud.

SCHOLION.

I. Quoad tres huius articuli quaestiones solvendas vix alia est differentia inter magistros, nisi quod pauci posteriores contra communem sententiam, cui subscribit S. Bonav. (cfr. q. 1. corollar.), falso opinantur, matrimonium inter fidelem et infidelem non posse contrahi valide ipso iure *divino,* non tantum ecclesiastico, quod bene confutat Scot. (hic q. unica n. 5.); qui etiam aliquem modum loquendi, vel potius argumenta a Richardo a Med. in 2. quaestione adhibita improbat.

De 1. quaestione: Scot., hic q. unica n. 1-4. ubi et de 2 seqq. qq. — S. Thom., hic q. unica a. 1; Suppl. q. 59. a. 1. — B. Albert., hic a. 1-4. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., de hac et seq. q. hic q. 1. — Dionys. Carth., de tota hac dist. hic q. unica.

II. De 2. quaestione praeter citt. locos: S. Thom., locc. citt. a. 2. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

III. In 3. quaestione tanguntur principia catholica circa vitam infidelium, utrum sit semper peccatum, et utrum habeat virtutes naturales; de quo cfr. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. 3. et scholion. De ipsa quaestione: S. Thom., locc. citt. a. 2. ad 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., a. 1. q. 3. In aliis vacat.

IV. De 4. quaest. alii agunt supra d. 27. (S. Thom., q. 3. a. 2.).

QUAESTIO II.

Utrum Sacramentum matrimonii possit contrahi inter infidelem et infidelem.

Secundo quaeritur, utrum Sacramentum matrimonii sit inter infidelem et infidelem. Et quod sic:

1. Innuit Apostolus primae ad Corinthios sep- (Fundamenta.) timo[7]: *Si quis frater uxorem habet infidelem* etc.; vocat *uxorem* cui cohabitandum; sed non fuit uxor propter contractionem, quae fuit post fidem, sed ante: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur, quia matrimonium est de dictamine legis naturae; sed lex naturae communis est apud omnes[8]: ergo etc.

3. Item, matrimonium definitur sic[9]: «Matrimonium est maris et feminae coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens»; sed hoc est inter infideles: ergo etc.

---

[1] Cod. K (I a secunda manu) addit *impedit contrahendum et.* Pro *etiam si sit* codd. R S T perperam *nisi sit.*

[2] Cod. K (I a secunda manu) *irritationem.*

[3] Cfr. August., I. de Serm. Domini in monte, c. 16. n. 45. — Superius post *contracto* cod. U addit *in infidelitate.*

[4] Ita cod. L, cod. E a secunda manu *Et praeterea,* cod. A *quia,* multi codd. omittunt *Praeterea,* et edd. *impedit. Praeterea.*

[5] Edd. *ratione utriusque.*

[6] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. seq.

[7] Vers. 12.

[8] Cfr. supra pag. 436, nota 2. et pag. 748, nota 5.

[9] Vide supra pag. 683, nota 2. et pag. 684, nota 4.

4. Item, infideles haeretici habent vera Sacramenta Ecclesiae[1] — quamvis non habeant fidem, habent verborum formam — ergo si matrimonium apud fideles contrahitur per verba exprimentia consensum; et talis forma est apud infideles: ergo et matrimonii Sacramentum.

Ad oppositum. 1. Contra: Causa vigesima octava, quaestione prima[2]: « Non est ratum coniugium quod sine Deo est »; sed tale est coniugium infidelium: ergo non est ratum, ergo non est matrimonium.

2. Item, Ambrosius ibidem[3]: « Non est putandum coniugium quod extra Dei decretum est factum »; sed tale est coniugium infidelium: ergo etc.

3. Item, matrimonium est Sacramentum Ecclesiae; sed baptismus est fundamentum Sacramentorum Ecclesiae: ergo non habentes baptismum non habent matrimonium.

4. Item, matrimonium est Sacramentum et signum unionis Dei et animae, sive divinae naturae et humanae[4]; sed hanc non percipiunt infideles nec credunt: ergo non est eorum Sacramentum.

CONCLUSIO.

Matrimonium apud infideles habet tantum semiplene rationem officii, remedii et Sacramenti; unde est legitimum quidem, sed non ratum.

Finis matrimonii. Conclusio 1. Respondeo: Dicendum, quod matrimonium est institutum in *officium* et in *remedium* et in *Sacramentum*[5]; et ista tria *complete* habet, secundum quod est apud fideles; apud infideles vero habet ista secundum rationem *semiplenam.* Nam est in *officium,* quia est procreatio prolis legitimae, sed non ad cultum Dei, apud fideles autem ad cultum Dei. Est in *remedium,* quia excusat coitum maritalem a *culpa,* et rursus, datur *ibi gratia* remittens concupiscentiam ratione benedictionis adiunctae; apud fideles *(Conclusio 2.)* infideles vero maritali affectu uxores cognoscentes est excusatio a *culpa,* sed non datur *gratia;* apud fideles utrumque[6]. Est et *Sacramentum,* quia significat unionem Dei et animae, sive unionem divinae naturae et humanae, non tantum *aptitudine,* sed *actu;* apud infideles vero *aptitudine tantum.* *(Conclusio 3.)* Et *praeterea,* ratio Sacramenti maxime consistit in ratificatione vinculi; apud infideles autem vinculum non habet ratificationem perfectam. — Unde distin- *(Corollarium.)* guitur Causa vigesima octava, quaestione prima[7] quoddam matrimonium *ratum et legitimum,* ut fidelium; quoddam *legitimum, sed non ratum,* ut infidelium; quoddam *ratum, sed non legitimum,* ut matrimonium contractum a fidelibus in occulto.

Quaest. incid. solvitur. *Si autem quaeratur,* quare matrimonium infidelium non est *ratum;* dicendum, quod hoc est propter defectum *Sacramenti fidei,* et propter *statum;* *(Notandum.)* quia in tali statu iunctus est uxori, in quo potest vinciri *vinculo fortiori,* scilicet suscipiendo Sacramentum baptismi, et Christo alligari, a quo statu nemo potest prohibere[8]; et ideo potest in casu istud vinculum infirmari. Habet tamen ratitudinem, ut, illo statu in utroque manente, non possit solvi.

Solutio oppositorum. 1. Et per hoc patet responsio ad illud Augustini[9]: Non est ratum etc.

2. Ad illud quod obiicitur de Ambrosio, dicendum, quod illud intelligendum est sic: *extra decretum,* id est contra mandatum divinum[10].

3. Ad illud quod obiicitur, quod est Sacramentum Ecclesiae; dicendum, quod verum est; sed non tantum *Ecclesiae,* sed etiam *legis naturae.*

4. Ad illud quod obiicitur de significatione, dicendum, quod etsi non *actu* repraesentet, tamen *habitu;* et hoc sufficit ad hoc, quod sit Sacramentum. — *(Aliter.)* Vel dic, quod actu *repraesentat,* licet nemo *percipiat*[11].

QUAESTIO III.

Utrum matrimonium infidelium excuset coitum, ut non sit ibi peccatum.

Tertio quaeritur, utrum matrimonium infidelium excuset coitum sive coniugalem actum, ut non sit ibi peccatum. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Ad Romanos decimo quarto[12]: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* sed actus coniugalis apud infideles non est ex fide: ergo est pecca-

---

[1] Ut dictum est supra d. 25. a. 1. q. 2. — Mox verbo *habeant* praemittunt edd. *tamen.*

[2] In principio, ubi haec verba a Gratiano attribuuntur quidem *Augustino,* in nota tamen adiecta dicitur: Hoc non est inventum apud B. Augustinum. Verum apud Ambrosium in idem c. 7. primae ad Cor. [v. 15.] haec leguntur: « Non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est »; et similia in Glossa ordinaria ibidem ex B. Ambrosio.

[3] Tam apud Gratian. nota praeced. allegatum, quam in Comment. (olim Ambrosio tributo) super I. Cor. 7, 15. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[4] Vide supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 6, et Comment. a. 2. q. 1. — Inferius pro *eorum* cod. M *inter eos matrimonii.*

[5] Cfr. supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 1. seq. — Inferius verbis *quia est* nonnulli codd. interserunt *ibi.* Subinde post *a culpa* edd. addunt *mortali,* omisso *maritalem* (cfr. supra d. 31. a. 2. q. 1.).

[6] Vide supra d. 26. a. 2. q. 2. seq.

[7] A Gratiano super C. *Si quis Iudaicae pravitati* (17.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. seq.

[8] Cod. U *prohiberi.* Pro *suscipiendo* plures codd. *sustinendo.* Finem corp. cod. K exhibet sic: *ut, in illo statu utroque manente, non possit solvi.*

[9] Vide supra nota 2.

[10] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[11] Cfr. supra d. 1. p. I. q. 2. ad 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[12] Vers. 23.

tum. *Si tu dicas*, quod ibi appellatur *fides* conscientia, et illud dicitur non esse ex fide, quod est contra conscientiam, sicut exponit Magister in littera [1]; *obiicitur* tunc de Glossa, quae exponit, quod «omnis vita infidelium est peccatum»: ergo et vita matrimonialis pecccatum est: ergo matrimonium non excusat a peccato.

2. Item, Causa vigesima octava, quaestione prima, capitulo primo [2]: «Non est vera pudicitia infidelis cum coniuge sua», et est verbum Augustini: ergo infidelis non cognoscit coniugem suam pudice; et cognoscit pudice, vel impudice: ergo impudice: ergo coitus eius non est sine peccato.

3. Item, Sacramenta ecclesiastica apud haereticos, quamvis sint veracia, non tamen sunt utilia, quoniam, etsi habeant formam, tamen propter infidelitatem nullam habent efficaciam [3]: ergo pari ratione apud infideles.

4. Item, haereticus baptizando peccat mortaliter, quia non baptizat, ut ad cultum Dei perducat, sed ut ad errorem trahat; sed [4] infideles non procreant prolem ad cultum Dei, sed potius ad permanendum in suis tenebris et erroribus: ergo peccant coeundo propter prolem. Sed nullus coitus est isto honestior, qui fit propter prolem habendam: ergo nullus coitus in infidelibus fit sine peccato.

Fundamenta.

Contra: 1. Triplex est pars continentiae, scilicet virginalis, vidualis et coniugalis; sed infideles continentia virginali continendo non peccant, similiter continendo continentia viduali: ergo pari ratione nec in continentia coniugali. Sed ista est in reddendo et petendo debitum uxori: ergo etc.

2. Item, infidelis, qui habet uxorem et cognoscit eam affectu maritali, cognoscit suam ordinato affectu; sed actus transiens super debitam materiam cum ordinatione affectus est absque peccato: ergo actus coniugalis in infidelibus est absque peccato.

3. Item, matrimonium excusat a peccato, aut ergo in quantum Sacramentum *legis naturae,* aut in quantum Sacramentum *Ecclesiae.* Si in quantum Sacramentum *legis naturae:* ergo cum hoc modo sit apud infideles, ergo excusat eorum coitum. Si in quantum Sacramentum *Ecclesiae solum:* ergo non excusavit ante adventum Christi: ergo quotquot ante adventum Christi uxores cognoverunt, fornicatores fuerunt: ergo cum hoc sit nefas dicere, redit primum.

4. Item, ubi est matrimonium, ibi est mutua obligatio: ergo cum apud infideles sit matrimonium, ergo est ibi mutua obligatio: ergo alter alteri tenetur debitum reddere. Sed nullus peccat faciendo id, ad quod tenetur, nisi per malam voluntatem illud depravet: ergo ille qui reddit debitum uxori suae, non peccat.

CONCLUSIO.

Matrimonium infidelium excusat aliquo modo coitum a culpa.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut tactum est in praecedenti problemate, matrimonium infidelium est *remedium semiplenum.* Et ratio huius est, quia bona matrimonii imperfecte sunt ibi, tum quia in eis deficit *fides,* tum quia deficit in eis *Sacramentum fidei.* Quia deficit *fidei Sacramentum,* ideo non est perfectum *Sacramentum* sive vinculum, cum possit fortiori vinculo ligari. Quia deficit *fides,* ideo non est in eis perfectum *remedium,* quia *sine fide impossibile est placere Deo* [5]; et quamvis sine fide possit quis in aliquo actu *vitare peccatum,* quia non agit malum, tamen impossibile est *mereri praemium.* Unde sicut aliter est apud infideles *continentia,* et aliter apud fideles, quia fideles per pudicitiam et vitant *poenam* et acquirunt *palmam,* illi vero, etsi vitent *poenam,* cum a malo cessant, non tamen acquirunt *palmam* [6]; sic in matrimonio intelligendum, quod apud fideles tum propter meritum fidei, tum propter benedictionem Ecclesiae non solum datur *remedium,* quod praeservat a culpa, sed etiam datur *gratia,* quae remittit concupiscentiam. Apud infideles vero nulla omnino datur *gratia,* tamen, quia coniunguntur secundum divinum statutum, vitant *culpam,* nisi affectio libidinosa interveniat, quae etiam apud Christianos actum coniugalem foedat. — Et sic concedendae sunt rationes ostendentes, quod matrimonium apud infideles aliquo modo coitum excusat.

Notandum. Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est ex fide, ergo est peccatum; dicendum, quod illud intelligitur, sicut praedictum est et patet ex Glossa [7], *quod non est ex fide,* id est «contra conscientiam», quia «qui facit contra conscientiam aedificat ad gehennam». Sed quod subiungit, quod «omnis vita infidelium est peccatum», hoc dictum est *per concomitantiam,* quia nunquam est sine peccato, pro eo quod sola fide purificantur peccata [8]; et ideo, quidquid faciant, quamdiu sine fide sunt, absque peccato esse non possunt.

Notandum.

---

[1] Hic c. 6. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum et sumta est ex Prospero, lib. Sententiarum ex Augustino, n. 106.

[2] Sive in principio, ubi Gratian. hoc Augustini verbum (I. de Coniug. adult. c. 18. n. 20.) refert; occurrit etiam ibid. in C. *Sic enim recedere* (9.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[3] Cfr. supra d. 25. a. 1. q. 2. — Mox post *ratione* cod. Y addit *et matrimonium.*

[4] Cod. K (I a secunda manu) *similiter.*

[5] Hebr. 11, 6.

[6] Respicitur Glossa in Ps. 33, 15. Cfr. supra pag. 357, nota 8.

[7] De hac Glossa vide tom. II. pag. 905, nota 1. Ibid. pag. 907, nota 2. allata sunt verba Innocentii, quae seq. rationem (aedificat ad gehennam) continent, de quibus cfr. hic lit. Magistri, c. 6. et Gratian. super C. *Omnes deinceps* (14), C. 28. q. 1.

[8] Act. 15, 9: Fide purificans corda eorum.

Expositio 1, non probata. 2. Ad illud quod obiicitur, quod vera pudicitia non est infidelis etc.; dicendum, quod *vera* tantum valet, quantum *perfecta;* unde dicitur non esse vera, quia non est perfecta. — Sed ista expositio aliquantulum est extranea; et ideo dicendum est, Expositio auctoris. quod non est *vera* pudicitia, quia non habet verum et proprium effectum virtutis, sicut non est verum vinum, quod non habet operationem vini. Operatio autem sive effectus virtutis est, quia facit declinare a malo, et per hoc vitat *poenam;* facit etiam quod bonum est [1], et per hoc acquirit *gloriam.* Et quamvis apud infideles possit reperiri primum, non tamen secundum; ideo pudicitia non est *vera virtus* apud eos. Et hoc est quod dicit Augustinus [2]: «Ubi deest cognitio aeternae et incommutabilis Veritatis, falsa est virtus etiam in optimis moribus».

3. Ad illud quod obiicitur, quod Sacramenta Ecclesiae non habent efficaciam apud haereticos; dicendum, quod non est simile de matrimonio et aliis Notandum. Sacramentis. Nam in aliis praestatur remedium contra morbum, qui *iam inest* — unde in aliis datur gratia, vel effectus gratiae, quo mediante curatur anima a morbi corruptela — in matrimonio autem, in quantum Sacramentum *legis naturae,* datur remedium *praeservativum* a culpa, ne quis in cognoscendo mulierem peccet; licet, in quantum est Sacramentum *Ecclesiae,* ratione benedictionis annexae det etiam gratiam digne accedentibus. Quoniam ergo infideles non suscipiunt gratiam gratum facientem nec eius effectum, quamdiu sunt in infidelitate; ideo alia Sacramenta non praestant eis remedium, hoc vero solum potest eis praestare, licet non perfectum, sed solum ad cavendum malum [3].

4. Ad illud quod obiicitur, quod haereticus baptizando peccat mortaliter; dicendum, quod peccat, quia usurpat quod suum non est; et quodsi actualiter intendat ad errorem perducere, tunc gravius peccat. Sed sicut potest esse, quod aliquis haereti- Notandum. cus baptizet, non intendens hominem perducere ad errorem; sic potest esse, quod aliquis generet prolem, non intendens ad cultum idolorum pertrahere, sed solum intendens posteritatem habere. Et hoc quidem, quia *caret intentione formata,* non habet perfecte bonum prolis nec meritum; quia tamen non habet intentionem *deformatam,* ideo non habet demeritum. Et ideo tales filii iudicari possunt [4] *legitimi,* quod est signum, quod matrimonialiter sunt generati; aliter enim iudicarentur *illegitimi.*

Est enim quadruplex differentia filiorum ita Quadruplex differentia filiorum. apud infideles, sicut apud fideles. Quidam enim sunt *naturales et legitimi,* ut qui de legitimis uxoribus generantur; et isti debent et possunt succedere in bonis. Quidam *legitimi, sed non naturales,* ut filii adoptivi; et isti similiter possunt succedere. Quidam *naturales, sed non legitimi,* ut illi qui nati sunt de concubinis. Quidam sunt nec *legitimi nec naturales,* ut sunt illi qui de adulterio sunt nati, vel etiam de incestu [5].

QUAESTIO IV.

Utrum matrimonium contractum ante baptismum ponat in numerum cum matrimonio contracto post baptismum.

Quarto quaeritur, utrum matrimonium ante baptismum ponat in numerum cum matrimonio contracto post baptismum, ita quod talis iudicetur bigamus. Et quod non, videtur.

1. Hieronymus super Epistolam ad Timotheum Ad oppositum. primam [6]: «Si unam habuit ante baptismum, alteram post baptismum, non est putandus bigamus».

2. Item, hoc ipsum ostenditur ratione Hieronymi [7]: «Prorsus innovato per baptismum omnia vetera sunt dimissa»: ergo cum tale coniugium et talis actus coniugalis ad statum vetustatis pertineat, ergo habetur, tanquam si non fuerit: ergo non computatur cum matrimonio subsequenti.

3. Item, ordinatus ante baptismum et ordinatus post baptismum non est bis ordinatus, etiam si ordinetur ab alio et alio: ergo pari ratione coniugatus ante et coniugatus post non est bis coniugatus, etiam si contrahat cum alia et alia.

4. Item, *secundum quid* non connumeratur ei quod est *simpliciter* [8]*;* sed vinculum matrimoniale

---

[1] Psalm. 33, 15: Diverte a malo et fac bonum. — De *vera* virtute secundum sententiam S. Augustini cfr. tom. III. d. 23. a. 2. q. 1. in corp.

[2] Potius Prosper, lib. Sententiarum ex Augustino, n. 106. — In fine solut. in cod. bb secunda manus addidit: *quia non habet praemium aeternum.*

[3] Vide supra d. 26. a. 2. q. 2. et q. 3. ad arg. 4. pro parte negativa. — Superius pro *accedentibus* cod. aa *accipientibus.*

[4] Cod. Z *iudicantur.*

[5] Eodem modo filii referuntur a Glossa in C. *Tanta est vis* (6.), X. Qui filii sint legitimi (lib. IV. tit. 17.). — Superius post *succedere* codd. F G repetunt *in bonis.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Cap. 3, 2. Verba haec inveniuntur in C. *Oportet episcopum* (1.), C. 28. q. 3. et in Glossa *ordinaria* apud Strabum in I. Tim. 3, 2. Hieron. hac de re agit sententiamque suam tuetur in Epist. 69. (alias 83.), I. adversus Iovinian. n. 15. et Comment. in epist. ad Tit. 1, 6.

[7] In C. *Oportet episcopum* (1), nota praeced. allegato.

[8] Sic homo pictus et verus non sunt duo homines; nam secundum Aristot., IV. Phys. text. 133. (c. 14.), numeratur unumquodque uno quodam cognato [i. e. uno quodam eiusdem generis], unitates unitate, equi vero equo etc.

est vinculum ante baptismum imperfectum et *secundum quid*, post baptismum vero est perfectum: ergo non debet unum alteri connumerari: ergo etc.

CONTRA: 1. Augustinus super Epistolam ad Titum [1]: « Qui ante baptismum habuit unam et post baptismum habuit aliam non est reputandus nisi bigamus ». — Fundamenta.

2. Item, hoc videtur *ratione* sua [2]: « In baptismate crimina abolentur, non id quod honestum est, utpote foederatio coniugalis »: ergo si non aboletur, adhuc manet, et iudicatur iste fuisse coniugatus: ergo si iterum contrahat, est iudicandus bigamus.

3. Item, virgo, quae corrupta fuit carne ante baptismum, semper post iudicatur corrupta et nunquam poterit inter virgines consecrari, et hoc, quia amissio virginitatis respicit aliquid ex parte carnis, quod nunquam potest recuperari: ergo cum bigamia respiciat divisionem carnis, patet [3] etc.

4. Item, si baptizatus apud haereticos iterum baptizetur, quantum est in se, iterat baptismum et puniendus est poenitentia rebaptizati: ergo cum coniugium sit verum apud infideles [4], qui iterum contrahit iterat matrimonium: ergo non potest esse nisi bigamus.

CONCLUSIO.

Qui contrahit matrimonium cum una ante baptismum, cum alia post baptismum est bigamus.

RESPONDEO: Dicendum, quod sicut expresse apparet, Hieronymus et Augustinus hic fuerunt contrarie opinati; et nisi quis velit distorquere verba, non video, quomodo possint reduci ad concordiam. Ideo enim in hoc habuerunt opiniones contrarias, quia fundati sunt super diversa. — Dissensus.

Hieronymus enim voluit, quod omnis vita infidelium esset culpa, et quod matrimonium infidelium ad veterem hominem pertineret; et quia in baptismo *exspoliatur vetus homo cum actibus suis, et induitur novus* [5]: hinc est, quod dixit, quod sicut peccata praeterita isti non imputantur nec computantur; sic etiam nec coniugia. — Ratio Hieronymi.

Augustinus vero posuit, quod coniugia infidelium, etsi non essent meritoria, non tamen erant culpabilia, immo erant licita et bona. Et hoc patet, quia Dominus instituit [6], et ius naturale dictat, et ulterius Apostolus confirmat, qui dicit, uxorem infidelem non esse dimittendam; et quia licita sunt, hinc est, quod per baptismum non delentur. — Et quoniam Augustinus melius habuit fundamentum et verius; hinc est, quod verius et sanius dixit; et ideo canones positioni Augustini concordant, et illud nunc tenet Ecclesia, quod matrimonium ante baptismum contractum cum una, et post baptismum cum alia, facit bigamum, sicut expresse dicitur distinctione trigesima quarta [7]: « Si quis viduam, licet laicus, duxerit uxorem, seu ante baptismum, seu post baptismum; non admittatur ad clerum. In baptismate enim crimina dimittuntur, non acceptae uxoris consortium relaxatur ». — Ratio Augustini. — Conclusio.

1. 2. Ad illud ergo quod primo obiicitur et secundo, dicendum, quod illud iam solutum est, quia nec auctoritas Hieronymi hic habet robur nec ratio sua; unde opinando dixit, non asserendo. — Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur de ordinato ante baptismum et post, dicendum, quod non est simile: quia in ordine imprimitur character, qui non potest alicui dari, nisi habeat characterem baptismalem, sicut in praecedentibus [8] probatum est et ostensum; unde qui ordinatur ante baptismum non est ordinatus: ideo, cum ordinatur post baptismum, semel tantum est ordinatus. Non sic est de matrimonio; quia enim ibi non imprimitur character, ideo potest contrahi ante baptismum, et ante coniugatus est quam baptizatus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod est *secundum quid;* dicendum, quod duplex est *secundum quid:* unum, quod diminuit ab *esse* [9], aliud quod diminuit ab *esse perfecto*. Primum, quod diminuit ab *esse,* non ponit in numerum; cum enim non participet *esse,* non potest connumerari alii in illo *esse*. Aliud vero potest; et tale est matrimonium infidelium, quod quidem habet rationem coniugii et definitionem, licet non habeat in tanta perfectione, in quanta habet matrimonium fidelium [10]. — Duplex secundum quid.

---

1 Ita indicatur et refertur a Gratiano, C. *Acutius vero intelligunt* (2.), C. 28. q. 3. Sententiam exhibet August., de Bono coniugali, c. 18. n. 21, de qua vide C. *Acutius intelligunt* (2.), d. 26. et Glossam *ordinariam* in Tit. 1, 6. apud Strabum et Lyranum.

2 Allegata in praenotato C. *Acutius vero intelligunt:* In baptismate enim crimina abolentur, non foederatio coniugii dissolvitur. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 5. — Pro *non id* cod. K (I a secunda manu) *non autem,* multi codd. *non ideo.*

3 Haec ratio tangitur ab August. in C. *Acutius intelligunt* (2.), d. 26. — Pro *consecrari* cod. E *computari.*

4 Cfr. supra q. 2. et 3. — De *maiori* vide supra lit. Magistri, d. VI. c. 2. et C. *Qui bis ignoranter* (117.), seq., de Consecrat. d. 4.

5 Respicitur Col. 3, 9. seq. — Superius voci *culpa* cod. P praemittit *cum.*

6 Vide supra d. 26. a. 1. q. 2. — Sententia Apostoli habetur I. Cor. 7, 12. seq. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

7 Can. 13, ubi textus originalis post *clerum* addit: *quia eodem vitio videtur exclusus.*

8 Dist. 24. p. II. a. 1. q. 3. ad 1. — Superius pro *in ordine* cod. aa *in ordinatione.*

9 Petr. Hispan., Summul. tr. *de Fallaciis,* fallaciam *secundum quid ad simpliciter* (Aristot., I. Elench. c. 4.) explicans ait: Dictum *secundum quid* appellatur hic determinatio diminuens de ratione vel de *esse* eius cui adiungitur, ut cum dico *homo mortuus,* ibi *mortuum* diminuit de ratione *hominis* (Aristot., IV. Meteor. text. 54. c. 12: « Mortuus homo *aequivoce* [homo] »; idem dicit de homine picto, de Praedicam. c. 1.). Cfr. tom. III. pag. 258, nota 2.

10 Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

ARTICULUS II.

De disparitate cultus quoad matrimonii solutionem.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de disparitate cultus per comparationem ad matrimonii solutionem; et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum, altero veniente ad fidem, altero remanente in infidelitate, solvatur matrimonium quantum ad fidelem.

Secundo, utrum solvatur quantum ad infidelem.

Tertio, utrum solvatur, cum alter coniugum fit infidelis.

Quarto, utrum, utroque veniente ad fidem, solvatur matrimonium propter personarum illegitimitatem.

QUAESTIO I.

Utrum, altero infidelium veniente ad fidem, altero remanente in infidelitate, solvatur matrimonium quoad fidelem.

Quantum ergo ad primum sic proceditur et ostenditur, quod matrimonium solvatur quantum ad permanentem in fide.

Fundamenta. 1. Primae ad Corinthios septimo[1]: *Quodsi infidelis discedit, discedat, non enim est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi.* Super quem locum dicit Ambrosius: « Contumelia Creatoris solvit matrimonium in eo qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus ».

2. Item, matrimonium non est ratum sine Sacramento baptismi; sed quod non est ratum solvitur per fornicationem corporalem: ergo et per fornicationem spiritualem. Quod autem ratum sit per baptismum, patet per Innocentium, Extra, de Divortiis[2], *Quanto te novimus:* « Sacramentum, inquit, baptismi, quod semel est admissum, ratum efficit coniugii Sacramentum ».

3. Item, mulier non potest prohibere virum, ut non convertatur ad fidem: ergo si non vult sequi vel cohabitare, non potest prohibere, ut non contrahat, cum vir ad continentiam non teneatur.

4. Item, fortius vinculum solvit minus, ubi minus repugnat; sed fortiori vinculo tenetur baptizatus Deo quam uxori infideli: ergo ubi mulier non concordat ei[3], solvitur vinculum ab ipsa.

Ad oppositum. Contra: 1. Primae ad Corinthios septimo[4]: *Si quis vir habet infidelem uxorem, non dimittat eam, si consentit cohabitare:* ergo matrimonium est adhuc inter eos: ergo nec vinculum solvitur, nec cohabitatio dividitur, altero converso.

2. Item, matrimonium consummatum per carnis commixtionem significat unionem naturarum in Christo[5]; sed illa est omnino insolubilis: ergo et tale matrimonium: ergo si carnaliter sunt commixti, tale vinculum non potest solvi.

3. Item, quod rectum est per fidei Sacramentum non infirmatur, sed confirmatur; sed inter duos infideles recte contractum est matrimonium: ergo si nunquam infirmatur, si persistant in infidelitate, nec[6] si alter veniat ad fidem.

4. Item, si alter coniugum transeat ad frugem melioris vitae, utpote ad religionem, non solvitur matrimonium consummatum[7]: ergo nec si transit ad fidem.

CONCLUSIO.

Si in matrimonio infidelium una tantum pars convertitur ad fidem, haec liberatur ab officio cohabitationis et debiti solvendi, immo tunc ab ipso vinculo matrimonii, quando infidelis non vult cohabitare sine contumelia Creatoris.

Respondeo: Dicendum, quod loquendo de solutione quantum ad *cohabitationem* et *mutuam servitutem,* hoc est in potestate fidelis; sed loquendo de solutione quantum ad *ruptionem vinculi,* distinguendum est: quoniam infidelis aut *vult cohabitare,* aut *non.* Si *vult cohabitare,* aut *cum* blasphemia nominis Christi, aut *sine;* si *sine,* aut ut *pertrahat* ad infidelitatem, aut *non.* — Si *vult* cohabitare sine blasphemia nominis Christi, et ita quod non pertrahat Conclusio 1. Distinctiones.

---

[1] Vers. 15. — Verba Ambrosii sumta sunt ex Comment. in hunc loc. olim Ambrosio tributo. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[2] Libr. IV. tit. 19. c. 7: Quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum etc.

[3] Cod. L (E a secunda manu) *fidei.*

[4] Vers. 12: Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.

[5] Cfr. supra d. 26. a. 2. q. 1. et 3.

[6] Cod. K (I a secunda manu) *videtur similiter,* edd. superius post *ergo* omisso *si,* hic legunt *ergo nec;* et paulo superius Vat. omittit *sed confirmatur.*

[7] Vide supra d. 27. a. 3. q. 1. — Permulti codd. et ed. 1 *confirmatum.*

Conclusio 2. ad peccatum; non solvitur matrimonium, quia nec iniuriatur nec facit contumeliam Deo nec matrimonio nec marito. — Si autem *discedit*, vel *non vult* cohabitare sine contumelia Creatoris, vel sine impulsione ad infidelitatem; in his tribus casibus potest a fideli dimitti, et per contumeliam factam matrimonio et Creatori *vinculum* potest frangi; et potest cum alia contrahere, ut dicit Ambrosius, et Extra, de Divortiis, *Quanto te novimus,* et: *Gaudemus* [1]. (Conclusio 3.)

Concedo igitur, quod solutionem matrimonii contracti in infidelitate tria faciunt: primum est *ipsius imbecillitas;* secundum est *cultus disparitas;* tertium, *Creatoris vel matrimonii iniuria.* Primum *reddit possibile* ad dissolutionem, secundum *disponit,* et tertium *dissolvit.* — Matrimonii *imbecillitas* est ratione significationis imperfectae, quam habet apud infideles, et ratione defectus baptismi. Unde dicitur, quod illud matrimonium est legitimum, sed non ratum, quia, ut dicit Innocentius, « Sacramentum fidei, id est baptismi, quod semel admissum est ratum efficit Sacramentum coniugii », ex parte scilicet *suscipientis* est intelligendum; et hoc est, quia infideles non possunt ita ligari in « individuam vitae consuetudinem [2] », quin alter possit transire ad fidem; et ita, si non vult commutari, potest simpliciter separari, cum perfecta fides advenit suscipiendo Sacramentum fidei. — *Cultus disparitas* est secunda ratio, quia tunc advenit alteri personae fortius vinculum. — *Iniuria matrimonii* sive *Dei* est, cum non vult cohabitare, aut non sine contumelia Creatoris [3]; et tunc vinculum illud solvitur, quia repugnat vinculo, quo fidelis alligatur Deo. — Concedendae sunt ergo rationes probantes, quod solvitur matrimonium, his concurrentibus; et patent rationes ad oppositum. (Ratio triplex. — Ratio 1. — Ratio 2. — Ratio 3.)

Solutio oppositorum.

1. Quod enim dicit Apostolus, hoc verum est, quando mulier vult habitare in pace sine contumelia Dei.

2. Aliud patet, quia, etsi sit consummatum, non tamen est ratum nec habet apud infideles plenam significationem nec stabile fundamentum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod fides non infirmat rectum; dicendum, quod verum est eatenus, qua rectum est; sed eatenus, qua est via ad obliquitatem, ut si mulier nolit cohabitare, nisi vir protrahatur ad malum, tunc solvit.

4. Ultimum patet, quia illae tres causae non concurrunt, cum aliquis transit ad frugem melioris vitae.

SCHOLION.

I. Bene notandae sunt distinctiones in principio responsionis ad 1. quaest. positae. Aliud est enim absolutio coniugis conversi ab officio *cohabitationis* et *debiti solvendi,* remanente altera parte in infidelitate; aliud est solutio ipsius *vinculi* matrimonialis, ita ut coniux conversus ad aliud matrimonium possit transire. Primum per se semper evenit, quamvis sub conditionibus hic tactis liceat, immo ab Apostolo suadeatur, ut fidelis non discedat a parte infideli. Sed secundum fit solummodo tunc, quando infidelis cum alio non vult cohabitare nisi *cum contumelia Creatoris.* Ratio huius et egregia explicatio istius locutionis *cum contumelia Creatoris* in responsione auctoris invenitur. — Divisio materiae et status quaestionis quoad 1. et 2. quaest. diverso modo sumitur a diversis; unde auctores de utraque loquentes simul laudamus.

De 1. et 2. quaestione: Scot. loc. cit. n. 5. seqq. — S. Thom., hic a. 3-5; Suppl. q. 59. a. 3-5. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 2.

II. De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 6. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3.

III. De 4. quaestione: S. Thom., utroque loco q. 3. ad 3. 4. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., locis citt.

QUAESTIO II.

Utrum, altero tantum infidelium veniente ad fidem, matrimonium solvatur quoad infidelem.

Secundo quaeritur, utrum solvatur matrimonium quoad infidelem. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia matrimonium est vinculum duorum et se habet ut relatio [4]; sed destructa ligatione respectu unius extremi, destruitur respectu alterius: ergo etc.

2. Item, mulier ista, postquam discessit [5], aut *est uxor,* aut *non.* Si *sic:* ergo vir non potest contrahere; si *non:* ergo ipsa potest, cum non sit uxor.

3. Item, esto quod fidelis contrahat post discessum, et illa postmodum convertatur ad fidem; constat, quod non redditur ei vir [6]: ergo si non tenetur continere, potest nubere: ergo si non est ei ius acquisitum ad hoc, poterat et prius.

[1] Loco superius pag. 839, nota 2. allegato, c. 8. — Post *Ambrosius, et* edd. addunt *Innocentius.*

[2] Respicitur definitio matrimonii supra d. 27. dub. 1. explicata. Cfr. de hac ratione supra a. 1. q. 2.

[3] Cod. U, omisso *aut non,* hic addit: *vel nisi trahat ad infidelitatem.*

[4] Cfr. supra d. 27. a. 1. q. 1. ad 3. — Mox pro *ligatione* cod. K (bb a secunda manu) *relatione* (cfr. d. 27. a. 3. q. 1. in corp.).

[5] Codd. R S supplent *a viro.*

[6] Cfr. quaest. praeced. et infra dub. 5.

Contra: 1. Ambrosius[1] dicit, quod « infidelis discedens peccat in Deum et in matrimonium »: ergo si in bono matrimonii est punienda, non potest nubere. (Pro parte negativa.)

2. Item, « nullus debet reportare commodum de malitia sua[2] »; sed reportaret, si deserendo virum fidelem posset nubere: ergo etc.

3. Item, si mulier, quae erat prius alligata viro, absolvitur, quaero: a quo? Non ab *Ecclesia,* quia non intromittit se; non a *Deo,* quia contra Deum facit; non a *viro,* quia ipsum invitum deserit; nec *a se* potest: ergo vinculum manet: ergo etc.

CONCLUSIO.

Matrimonium, licet sit respectu fidelis solutum, reapse manet a parte infidelis, quousque fidelis potest ad infidelem redire; postea autem manet tantum in poenam, durante infidelitate.

Respondeo: Dicendum, quod quidam dicunt, quod hanc quaestionem non est nostrum determinare, quia non spectat ad nos *de his qui foris sunt, iudicare*[3]. — Sed verum est, quod non spectat iudicare *publicando* spiritualiter; tamen *spiritualis homo iudicat omnia discernendo,* quis recte, quis non recte vivat. (Opinio 1. Improbatur.)

Et ideo dicendum, quod statim post discessum solvitur vinculum a parte viri, quia potest alteri coniungi statim, non sic a parte mulieris. Unde notandum, quod vinculum manet dupliciter: aut secundum *veritatem Sacramenti,* aut in *poenam peccati.* Quamdiu vir relictus — vel mulier fidelis — manet in statu, in quo potest redire ad eam[4]; mulier est alligata quantum ad *veritatem Sacramenti.* Sed quando vir est in statu, in quo non potest ei coniungi, ut si alteram ducat, vel intret religionem, vel accipiat sacrum ordinem; mulier soluta est secundum *veritatem Sacramenti,* quia amplius non est uxor; sed tamen alligata est in *poenam peccati;* unde non licet ei nubere, quousque relinquatur a culpa; et hoc non est, quamdiu est *infidelis.* Si autem *convertatur* et baptizetur; cum tunc solvatur ab omni culpa et poena peccati, ex tunc licite poterit nubere, nisi aliud obsistat. (Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.)

Et sic patent obiecta utraque. Prima enim probant, quod solvitur secundum veritatem; secunda, quod manet in poenam peccati. (Ad argg.)

Ad illud quod quaeritur, a quo solvitur, dico quod a Deo et ab Ecclesia, sed *per accidens:* quia, ex quo ille desinit esse vir, per consequens ista desinit esse uxor. *Et si tu obiicias,* quod commodum reportat de malitia; dicendum, quod falsum est, quia, quamdiu manet culpa, divino iudicio est alligata. Et *amplius,* si ad fidem veniat, et vir eam repetat; si non contraxit cum alia, est ei reddenda. — Unde satis rationabiliter potest dici, quod vinculum illud non omnino solvitur statim, cum mulier discedit, sed cum vir alligatur alii fideli vinculo inseparabili; tunc enim fortius vinculum solvit minus; unde etsi prius aliquo modo esset solutum, ex tunc perfecte solutum est, illo ultimo[5] persistente. (Ad argg. 3. 2. pro parte negativa. Epilogus.)

QUAESTIO III.

Utrum matrimonium solvatur, si alter coniugum fit infidelis, specialiter quoad fidelem.

Tertio quaeritur, utrum matrimonium solvatur, si alter coniugum fit infidelis, specialiter quoad fidelem. Et quod non solvatur, videtur:

1. Quia per fornicationem corporalem non fit solutio, maxime quoad substantiam matrimonii, ut supra[6] visum est; et tamen illa plus obviat bono matrimonii: ergo nec per fornicationem spiritualem. (Fundamenta.)

2. Item, matrimonium est vinculum insolubile; sed contingens est, aliquem labi in infidelitatem; sed insolubile non dirimitur aliquo casu accidentali: ergo etc.

3. Item, si solveretur per lapsum in haeresim, posset quilibet, volens uxorem dimittere, haeresim simulare, et ita semper praeiudicaretur matrimonio.

Contra: 1. Ambrosius[7] dicit, et habetur in Glossa super septimum ad Corinthios: « Contumelia Creatoris solvit ius matrimonii in eo qui relinquitur, ut non accusetur alteri copulatus »: ergo si lapsus in haeresim non vult cohabitare sine contumelia Creatoris, licet alteri copulari. (Ad oppositum.)

2. Item, fides est fundamentum totius spiritualis aedificii[8]; sed sublato fundamento, destruitur

---

[1] In Comment. super I. Cor. 7, 15. (inter opera Ambros.). Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[2] Vide supra pag. 103, nota 11.

[3] Epist. I. Cor. 5, 12. — Seq. locus est ibid. 2, 15: Spiritualis autem iudicat omnia. — Immediate post cod. L legit *Sed licet verum, quod.* Subinde post *non spectat* edd. supplent *ad nos,* quae etiam *puniendos spiritualiter* substituunt pro *publicando spiritualiter* [aliqui codd. *specialiter*]. Secundum Du Cange, Glossarium etc. *publicare* sumitur pro *allegare,* in iure sistere, apud iudicem inducere. Sensus igitur nostrae lectionis est: quamvis non ad nos spectet, infideles iudicare vocando eos ad tribunal ecclesiasticum, tamen etc. Post *tamen* edd. prosequuntur: *spectat ad nos, cum spiritualis homo omnia iudicet, discernendo.*

[4] Edd. *Quamdiu vir fidelis relictus manet in statu, in quo potest mulier infidelis redire ad eum.* Aliquanto inferius pro *relinquatur* edd. *solvatur.*

[5] Codd. L M O P R S T bb *illo vinculo,* scil. quo vir fidelis alii alligatur; ed. 1 *nullo vinculo.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Dist. 35. q. 4.

[7] Iam supra pag. 838, nota 1. allegatus.

[8] Cfr. supra pag. 327, nota 10. et pag. 582, nota 5.

quidquid superaedificatum est: ergo sublata fide, pereunt omnia Sacramenta, ergo et matrimonium.

3. Item, si alter veniat ad fidem, solvitur matrimonium, si alter remanet in infidelitate[1]; sed peior est conditio labentis quam remanentis et magis elongatur a fide: multo fortius ergo solvitur matrimonium.

CONCLUSIO.

Matrimonium non solvitur, altero coniugum labente in infidelitatem.

Respondeo: Dicendum, quod altero coniugum labente in infidelitatem, non solvitur matrimonii Sacramentum. — Et ratio huius duplex est: una, ut praecludatur malis via simulationis et deceptionis; alia est secundum veritatem, quia Sacramentum coniugii in fidelibus, propter hoc quod perfectam habet significationem et significat unionem insolubilem, ipsum est insolubile[2]. *Rursus,* quia fundatum est super Sacramentum baptismi, quod imprimit characterem indelebilem, ipsum est insolubile. Unde Innocentius dicit in decretali, *Quanto te novimus,* quod «Sacramentum fidei, quod semel admissum est, ratum efficit coniugii Sacramentum», ut dictum est prius[3].

Conclusio. Ratio duplex.

1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod contumelia Creatoris solvit; dicendum, quod auctoritas Ambrosii intelligitur de matrimonio contracto in infidelitate, quod non est *ratum,* quia non est fundatum super fidei Sacramentum; et ideo non est simile de conversione et lapsu[4].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de fundamento, dicendum, quod *fides* est fundamentum virtutum, non Sacramentorum; sed *Sacramentum fidei* est fundamentum Sacramentorum, et hoc est Sacramentum[5] stabile, quod manet semper.

3. Ad illud quod obiicitur, quod peior est conditio labentis; dicendum, quod solutionem matrimonii non tam facit contumelia Creatoris et disparitas cultus, quam etiam facit imbecillitas ipsius matrimonii contracti in infidelitate[6] et disparitas cultus non solum quoad *fidem,* sed etiam quoad *Sacramentum fidei,* in quo cultu quoad Sacramentum qui baptizati sunt dispares esse non possunt[7].

QUAESTIO IV.

Utrum in infidelibus venientibus ad fidem solvatur matrimonium.

Quarto quaeritur, utrum in infidelibus venientibus ad fidem solvatur matrimonium propter personarum illegitimitatem, ut si habet sororem in uxorem. Et quod non, videtur:

1. Per illam decretalem Innocentii, *Gaudemus*[8], in qua dicit, non esse separandos.

Argg. pro parte negativa.

2. Item, *ratione* videtur: «Per Sacramentum baptismi coniugia non solvuntur, sed crimina tolluntur[9]»: ergo cum istud fuerit coniugium apud paganos, non solvitur, cum baptizatur.

3. Item, «pagani canonicis constitutionibus non arctantur[10]», sed tunc solum incipiunt arctari, quando ad fidem veniunt; «sed iura et constitutiones formam futuris imponunt negotiis, non ad praeterita revocantur»: si ergo ante contraxit, quam arctetur; constitutio tale matrimonium non solvit.

Contra: 1. Si aliquis infidelis contraxit cum duabus, ad fidem veniens compellitur alteram relinquere, quia hoc est contra constitutiones canonicas, sicut probatur per decretalem de Divortiis[11], *Gaudemus* etc.: ergo a simili in proposito.

Pro parte affirmativa.

2. Item, si aliquis infidelis repudiavit uxorem quod quidem licitum est apud eos, ambobus venientibus ad fidem, compellitur recipere eam, quia hoc apud fideles non licet: ergo a simili in contrario tenetur talem uxorem dimittere.

3. Item, apud fideles profanum est uxorem accipere sororem uxoris[12]; sed noviter conversus debet se fidelibus conformare: ergo debet huiusmodi coniugium reputare profanum: ergo non debet amplius stare.

CONCLUSIO.

Quando conversi ad fidem matrimonium contraxerunt cum impedimento dirimente secundum legem naturae et divinam, separandi sunt; secus est, si impedimentum est ex constitutione Ecclesiae.

Respondeo: Dicendum, quod illegitimitas personarum ad matrimonium est duplex. Una est se-

Duplex illegitimitas.

---

[1] Vide supra q. 1. et 2. — Servavimus cum Vat. hunc ordinem argg., qui respondet solutioni eorum; codd. et ed. 1 ultima duo argg. invertunt.

[2] Ut dictum est supra a. 1. q. 2. — Superius pro *duplex* edd. *triplex.*

[3] Supra q. 1. fundam. 2.

[4] Cfr. hic. lit. Magistri, c. 5.

[5] Cod. E *fundamentum.*

[6] Ut ostensum est supra q. 1. in corp.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Extra, libr. IV. tit. 19. (de Divortiis) c. 8. — Superius post *sororem* in cod. bb additur *uxoris.*

[9] Innocent. in praenotato C. *Gaudemus,* secutus August. supra a. 1. q. 4. fundam. 2. allegatum.

[10] Innocent. loc. cit. — *Minor* est secundum Iustinian., C. I. de Legibus et constitut. (tit. 17.), lex *Leges et constitutiones* (7.). Cfr. C. *Cognoscentes* (2.) et C. *Quoniam constitutio* (13.), X. de Constitutionibus (lib. I. tit. 2.).

[11] Libr. IV. tit. 19. c. 8.

[12] Ex repetitione huius propositionis, quae fit inferius in

cundum *naturam* et *institutionem divinam*, ut puta quod filius non contrahat cum matre, neque pater cum filia[1]; item, quod alligatus uxori non ducat aliam, vel etiam in gradibus divina lege prohibitis Levitici decimo octavo[2], ut dicunt iurisperiti, ubi prohibetur secundus gradus; et haec illegitimitas astringit fideles et infideles. Conclusio 1. Et si in tali illegitimitate contrahitur matrimonium apud infideles, solvitur, cum veniunt ad fidem; quia, ut dicit Ambrosius[3], « quod extra Dei decretum factum est non est putandum matrimonium, sed, cum cognoscitur, emendandum ». Unde si Iudaeus contrahat cum sorore in secundo gradu, ad fidem veniens ab ea separatur. Si autem contraxit cum uxore fratris, quia hoc est in Lege concessum[4], minime separatur. — Alia est illegitimitas ex *constitutione Ecclesiae*, ut sunt personae infra quartum gradum; et Conclusio 2. haec non arctat infideles nec impedit matrimonium, quin contrahatur; et quia non ad praeterita revocantur[5], non solvunt legitime iam contractum.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de bigamia et Ad argg. pro parte affirm. repudio, solvendum, quod utrumque est contra ius naturae et contra ius divinum[6]; ideo non est simile.

3. Ad illud quod obiicitur, quod profanum est sororem uxoris[7] ducere in uxorem, vel etiam habere; dicendum, quod hoc verum est propter *Ecclesiae mandatum;* Notandum. quo quia iste non astringitur, non debet illud coniugium reputare profanum; unde iste, ex quo venit ad fidem, alligatur, ut amplius non contrahat contra Ecclesiae statutum; si tamen contraxit, non debet solvi, nec tenetur dimittere, quia ad ipsum non se extendit constitutio Ecclesiae[8]

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *evidenter apparet, non posse contrahi matrimonium ab his qui sunt diversae fidei.* Videtur enim ex hoc, quod si aliquis vult baptizari et est fidelis, quod etiam ante baptismum contrahi possit cum illo.

Respondeo: Dicendum, quod fides non tantum Distinctio. accipitur pro *habitu credendi*, quantum accipitur pro *Sacramento fidei;* et hoc probatur per illud quod dicitur Causa vigesima octava, quaestione prima[9], *Cave, Christiane,* et infra: « Si Christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento baptismi ». Unde Hugo fuit istius opinionis, quod hoc intelligitur quantum ad Sacramentum baptismi, scilicet disparitas cultus. Quamvis ergo talis fidem habeat, quia tamen non habet fidei Sacramentum; ideo non est persona ad contrahendum legitima[10].

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Apostolus, ne fiat, consilio caritatis suadet.* Videtur enim male dicere, quia ex hoc videtur, quod fidelis licite possit infideli cohabitare. Sed *contra:* Causa vigesima octava, quaestione prima[11], *Iudaei* etc.: « Non potest infidelis in eius permanere coniunctione, quae iam in christianam translata est fidem »; et in duobus capitulis subsequentibus idem dicitur.

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc voluerunt aliqui distinguere, quod illud Apostoli intelligitur de Solutio 1, non probata. *paganis,* qui ad fidem facilius convertuntur. Sed ille canon intelligitur de *Iudaeis,* qui obstinati sunt adeo, quod potius perverterent conversos, quam per ipsos proficerent[12]. — Sed cum omnes sint in malitia Solutio 2. *nunc* obstinati, ista distinctio non habet locum nunc, sed in principio, cum tam Iudaei quam gentiles passim converterentur ad fidem et cum modico adiutorio, propter salutem coniugum concessit et consuluit Apostolus tunc cohabitare. — Sed postmodum Iudaei adeo sunt obstinati in malitia, quod potius volebant pervertere quam converti, adhuc gentilibus ad fidem intrantibus; et tunc concedebatur cohabitare *gentilibus,* non *Iudaeis.* — Nunc autem, quia utrique sunt in malitia obstinati, propter periculum corruptionis evitandum neutris conceditur cohabitare, quia semper praesumitur, nisi velint converti, quod nolint cohabitare sine contumelia Creatoris[13].

---

solut. huius obiectionis, et in qua cod. bb addit *uxoris*, hic et ibi adiecimus *uxoris,* quod in aliis codd. desideratur; edd. legunt *uxorem fratris accipere in uxorem.* Lectio codd. stare non potest, quia Ecclesia non patitur, neoconversos continuare matrimonium cum propria sorore, immo tunc nec in secundo gradu.

[1] Cfr. supra pag. 664, nota 3.

[2] Vers. 6. seqq. Vide Glossam in praeallegatum C. *Gaudemus* ad verbum *in secundo* (gradu).

[3] In Comment. super I. Cor. 7, 15. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, secundum quam a Bonav. verba allegantur.

[4] Deut. 25, 5; Matth. 22, 24. Cfr. C. *Deus, qui Ecclesiam* (9.), X. De Divortiis (lib. IV. tit. 19.).

[5] Supple: iura et constitutiones Ecclesiae (cfr. fundam. 3.).

[6] Vide supra d. 33. a. 1; q. 2. et a. 3. q. 1. seq.

[7] Cfr. supra pag. 841, nota 12. — Aliquanto inferius pro *alligatur* cod. aa *obligatur*.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] Principium huius canonis (15.) non pauci codd. exhibent sic: *Cave aeque, Christiane.* — De opinione Hug. cfr. eius Sum. Sent. tr. 7. c. 8. et II. de Sacram. p. XI. c. 13.

[10] Codd. N aa non bene addunt *matrimonia.* — Idem dub. solvitur a Richard. a Med., hic circa lit.

[11] Can. 10.

[12] Cod. U *converterentur.* Pro *perverterent* cod. M *averterent*, edd. *converterent*, quae etiam inferius pro *in principio* substituunt *in primitiva Ecclesia.*

[13] Edd. cohabitare *sine contumelia Creatoris, quia semper... quod velint cohabitare in contumeliam Creatoris.*

Dub. III:

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quod propter quaslibet illicitas concupiscentias potest vir dimittere uxorem;* et hoc idem supra probavit. Sed in contrarium *obiicitur* Hieronymus [1]: « Si uxor peccat in animam suam, non est polluta viro suo »: ergo vir non potest eam dimittere. — Et hoc etiam videtur *ratione:* quia vir non habet potestatem *animae* uxoris, sed tantum *corporis;* sed *omne peccatum, quodcumque fecerit homo,* excepta fornicatione, *est extra corpus* [2]; alia enim peccata animam offendunt: ergo etc. — Item, per *deductionem ad inconveniens* improbatur hoc ipsum: quia, cum vix reperiantur de saecularibus personis aliqui, qui non peccent aliquando, tunc fere omnia matrimonia possent licite separari.

Respondeo: Dicendum, quod non est concessum propter fornicationem fieri matrimonii divisionem, nisi eatenus, qua per illam fornicationem alter laeditur vel offenditur, qui est matrimonialiter copulatus.

Secundum hoc nota, quod *fornicatio* tripliciter dicitur: *proprie, communiter, communissime. Proprie* dicitur fornicatio esse peccatum circa *actum carnis,* utpote quia coit cum non sua, vel non suo. *Communiter* dicitur fornicatio in Scriptura *idololatria,* per quem modum Prophetae ipsos idololatras meretricibus fornicariis frequenter comparant, sicut patet Ieremiae secundo [3]. *Communissime* dicitur fornicatio omnis *concupiscentia inordinata,* qua offenditur Deus et relinquitur. — Prima fornicatio non potest fieri ab uxore scienter, quin fiat iniuria viro; et ideo per illam potest fieri divortium, etiam pro unico solo actu, si possit probari, etiam quantumcumque fornicans poeniteat [4]. — Secunda vero tunc est in iniuriam coniugis, quando coniux in illa perseverat, quia tunc est via ducendi ad corruptionem; et ideo per illam potest fieri separatio, si coniux nolit poenitere; si autem vult poenitere et redire, non potest repudiare eam. — Tertia fornicatio tunc est in damnum coniugis, quando dat ei occasionem scandali, ut quando non vult cum eo quiete vivere, nisi consentiat male facere; et tunc potest eam dimittere vel quantum ad torum, vel quantum ad cohabitationem, non *simpliciter,* si ambo sunt fideles [5].

Fornicatio sumitur tripliciter.

De primo sensu.

De secundo.

De tertio.

Et per istum modum sunt intelligendae auctoritates ad hoc inductae. Nam propter alia genera peccatorum non potest dimittere, nec quantum ad torum nec quantum ad cohabitationem, nisi praestent magnam occasionem ruinae, et vehementer timeatur de lapsu. Tunc enim licet dimittere, sicut dicitur hic, et dicitur Causa vigesima octava, quaestione prima [6], et Matthaei decimo octavo: *Si oculus tuus scandalizat te;* Glossa: « In *manu* et in *oculo dextro* possunt accipi frater, uxor et propinqui ». Alias non debet dimitti, sed debet corrigi, ut Extra, de Divortiis [7], *Quaesivit,* et infra: «Mulier pro furto vel alio crimine viri sui, nisi religionem suae fidei corrumpere velit, ab eo separari non debet». Et sic patent obiecta.

Ad auctoritates.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Filii vestri, qui de hac copula nascuntur, immundi erunt* etc. Est hic quaestio, utrum natus ex patre fideli et matre infideli debeat sequi *patrem,* aut *matrem.* Et quod *matrem,* videtur, quia, sicut in praecedentibus [8] habitum est, «partus sequitur ventrem ». — Item, proles in principio «magis indiget materno solatio quam paterno [9]»: ergo magis debet relinqui matri; sed mater est Iudaea vel infidelis. — Sed *contra:* Causa vigesima octava, quaestione prima [10], *Iudaei,* et infra: «Illi qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non Iudaicam superstitionem».

Respondeo: Dicendum, quod proles aut *pervenit ad adultam* aetatem, aut *non.* Si *pervenit;* cum salus sua pendeat ex libera eius voluntate, eius est requirendus consensus; et si non vult consentire; cum iustitiam Deus nulli invito tribuat, potest cum infideli matre vel patre remanere. — Si autem *minor* est, cum salus sua sit a parentibus procuranda, qui etiam ad cultum Dei debuerunt procreare, et genuerunt filium irae; recte secundum ius vetus et etiam novum, sicut patet de Conversione infidelium [11], *Ex litteris,* debet sequi fidelem

Distinctio.

De 1. casu.

De 2. casu.

---

[1] Comment. in I. Cor. 6, 18. (inter opera Hieron.): Unde si aliquis ipsorum (coniugum) fuerit fornicatus, peccat in alium quasi in proprium corpus. Residua autem peccata specialia uniuscuiusque sunt nec alterum condemnant. Cfr. supra pag. 782, nota 2.

[2] Epist. I. Cor. 6, 18. — In praeced. propos. respicitur I. Cor. 7, 4. — Inferius pro *aliqui, qui* Vat. *aliquae, quae.*

[3] Vers. 20. seqq. Cfr. Hieron., I. in Osee 4, 10. seqq.: Fornicationem autem idololatriam nominat iuxta illud quod in Ieremia [3, 6. seqq.] legimus etc. (Vat. allegat I. Paralip. 5, 25.) — De seq. propos. cfr. hic lit. Magistri, c. 3. seq.

[4] Vide supra d. 35. q. 1. seqq. — Inferius pro *per illam* cod. L *propter illam.*

[5] Cfr. supra a. 2. q. 1. et 3. — Superius vocibus *fornicatio tunc* ex cod. aa praemisimus *Tertia.*

[6] Can. *Idololatria* (5.). — Seq. locus est Matth. 18, 9. Glossa invenitur apud Hieron. in Matth. 5, 29, ubi eadem Christi verba habentur: In dextero oculo et in dextera manu fratrum, uxorum et liberorum atque affinium et propinquorum monstratur affectus etc.

[7] Libr. IV. tit. 19. c. 2. — Idem dubium solvunt B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic a. 6; Petr. a Tar., hic a. 2-4. et circa lit.; Richard. a Med., hic circa lit.

[8] Dist. 36. a. 1. q. 3.

[9] Ut dicitur C. *Ex litteris tuis* supra pag. 678, nota 3. et infra nota 11. allegato, suntque verba matris iudaeae.

[10] Can. 10.

[11] Libr. III. tit. 33. c. 2. — Ex cit. canone post *salutis* supplevimus *illius,* quod male deest in edd. et codd., licet habeant *et.* Inferius pro *ne ipsum* edd. *si ipsum.*

in favorem fidei et salutis illius et parvuli et boni matrimonii; nec potest mater recipere propter parvitatem, qua indigeat eius solatio, nec allegare laborem, propter periculum damnationis, quod imminet, ne ipsum detineat in infidelitatis errore. Et hoc totum probatur per illud quod habetur in praedicta decretali de Conversione infidelium, *Ex litteris*.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si ambo crediderint, per agnitionem Dei confirmatur coniugium*. Ponatur, quod primo credat unus, et alter discedat et nolit cohabitare vel fornicetur, et postea convertatur; utrum reddendus sit ei vir suus, an ille possit excipere de iniuria[1] dimissionis vel fornicationis. Et quod debeat *reddi*, videtur per litteram istam. — Item quod non possit *excipere*, videtur, quia in baptismo omnia sunt dimissa quoad culpam et poenam. — Sed *in contrarium* videtur littera praecedens[2]: quia «contumelia Creatoris solvit»: ergo si solutum est, videtur, quod altero nolente, non sit redintegrandum. — Item, iste fidelis statim, ut dimissus fuit, potuit contrahere: ergo statim fuit absolutus a ligamine: ergo non videtur, quod uxor possit eum repetere.

Respondeo: Dicendum, quod si coniuges successive ad fidem veniant, si neuter alterum dimisit nec fornicationem commisit; compellendi sunt insimul cohabitare et affectione maritali se invicem tractare. — Si autem alter ab altero discesserit, refert *quis*: utrum *fidelis* ab infideli, an e converso. Si *fidelis* ab infideli, hoc libere potuit et sine culpa; unde in nullo sibi praeiudicatur. Si *infidelis* a fideli, potest fidelis, etiam postquam venit ad fidem, excipere, et si vult, potest eam recipere; tamen compelli non debet, quia statim est ab ea absolutus[3]. — Sed de fornicatione distinguendum, quia primo conversus aut *dedit occasionem* fornicandi, utpote quia repudiavit, aut *non*. Si *dedit*, non potest propter fornicationem excipere; si vero *non dedit*, tunc potest excipere[4]. Casus 1. Casus 2. cum dist. Casus 3. cum dist.

Ad illud quod obiicitur, quod omnia crimina dimittuntur in baptismo; dicendum, quod verum est quantum ad Deum; sed non oportet, quod dimittantur, ita quod libertas proximi iniuriatur. Et sic patet illud, sicut supra[5] dictum est de poenitentia.

DISTINCTIO XL.

Cap. I.

De cognatione carnali.

Nunc superest aliquid de cognatione dicere. Est autem cognatio alia *carnalis*, et alia *spiritualis*. Primum de carnali cognatione et affinitate inspiciamus. Cognati igitur vel affines in septimo gradu vel infra
Gregorius. Dubium 1. copulari non debent. Unde Gregorius[1]: «Progeniem suam unumquemque usque ad septimam decernimus observare generationem; et quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus; quod si fecerint, separentur». Item, Nico-
Nicolaus. laus Papa[2]: «De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest». Item: «Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant». — His auctoritatibus aliisque pluribus consanguineorum coniunctiones prohibentur usque ad septimum gradum.

Cap. II.

De computatione graduum consanguinitatis.

Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, Isidorus[3] ostendit sic: «Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur, hoc modo: filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramusculi: nepos et neptis, primus; pronepos et proneptis, secundus; abnepos et abneptis, tertius; adnepos et adneptis, quartus; trinepos et trineptis, quintus; trinepotis nepos et trineptis neptis, sextus». Attende, quod sex gradus tantum ponit Isidorus, quia *truncum* inter gradus non computat. — Alii vero, qui septem ponunt gradus, *truncum* inter gradus computant. «Varie namque computantur gradus cognationis. Alii enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii primum gradum filios appellant, negantes, gradum cognationis inter patrem et filium esse, cum una caro sint pater Isidorus. Alia computatio. Gratianus. Dubium 2.

---

[1] Codd. F G L *iniuriam*, alii *iniuria*, omisso *de*.
[2] Hic in lit. Magistri, c. 5. — Inferius post *nolente* (codd. I M O *volente*) edd. omittunt *non*.
[3] Cfr. supra a. 2. q. 1. seqq. — Codd. R S *absolvitur*.
[4] Vide supra d. 35. dub. 1.
[5] Dist. 15. p. II. a. 2. q. 4. — Pro *iniuriatur* cod. U *impediatur*, plures alii codd. *minuatur*. — Cfr. de hoc dubio Hugo a S. Vict., II. de Sacram. p. XI. c. 13; S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Libr. XIV. Regest. indict. 7. epist. 17. (alias 32.) ad Felicem episc., sed verbotenus in C. *Progeniem* (16.), C. 35. q. 2. Cfr. C. *Non debet* (8), X. de Consanguinitate et affin. (IV. tit. 14.).
[2] Can. *De consanguinitate* (17.), ibid. Seq. locus est C. *Nulli* (19.), ibid.; cfr. Gratian. super eundem can.
[3] Excerptum ex IX. Etymolog. c. 5; C. *Series* (1.), ibid. q. 5. — Pro *ramusculi* codd. D E et plurimae edd. *ramunculi*.

et filius. Auctoritates ergo, quae consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illae vero, quae usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Atque ita fit, ut eaedem personae secundum hanc diversitatem inveniantur in sexto et septimo gradu[1] ». Patrem vero in primo gradu ponit qui fratres dicit esse secundum gradum. Hoc modo computat Zacharias Papa[2] inquiens: « Parentelae gradus taliter computamus: ego et frater meus una generatio sumus primumque gradum efficimus. *Rursus*, filius meus et fratris mei filius secunda generatio sunt et gradum secundum faciunt, atque ad hunc modum ceterae successiones ». « Inter illos vero, qui sex computant gradus, et illos qui septem computant gradus, nulla in sensu existit diversitas, quamvis in numero graduum varietas videatur. Ultima enim generatio, si a fratribus sumat initium numerandi, septima invenitur ».

Zacharias. Canon.

CAP. III.

Quare septem gradus computantur.

Quare vero sex computet Isidorus, ipse aperit dicens[3]: « Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum protraxerit et propinquitas esse desierit; tunc primum lex in matrimonii vinculum eam recipiet et quodam modo incipiet revocare fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut, sicut sex aetatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur ». In his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec successio potest amplius prorogari. Secundum alios, septem gradus ideo computantur, ut ita post septem gradus sponsus sponsae iungatur, sicut post hanc vitam, quae septem diebus agitur, Ecclesia Christo iungetur.

Isidorus. Dubium 3.

CAP. IV.

De dispensatione Gregorii habita ad Anglicos.

His autem occurrit illud, quod Gregorius[4] Augustino, Anglorum Episcopo, a quo requisitus fuerat, quota generatione debeant copulari, rescribit sic: « Quaedam lex Romana permittit, ut sive fratris vel sororis, seu duorum fratrum germanorum seu duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Unde necesse est, ut quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi coniungantur ». Sed post multum temporis idem Gregorius a Felice, Messinae Siciliae praesule, requisitus, utrum Augustino scripserit, ut Anglorum quarta generatione contracta matrimonia non solverentur, inter cetera talem reddidit rationem: « Quod scripsi Augustino, Anglorum Episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono, quod coeperat, metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter me cognoscas scripsisse. Nec ideo haec eis scripsi, ut, postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem iungantur ».

Gregorius. Idem. Dubium 4. Dubium 5.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XL.

De impedimento consanguinitatis.

Nunc superest de cognatione aliquid dicere etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de impedimento, quod venit ex disparitate. In hac parte agit de impedimento, quod venit ex proximitate. Et quoniam proximitas est duplex, scilicet carnalis et spiritualis; ideo primo agit de proximitate sive cognatione carnali. Secundo vero de spirituali, infra distinctione quadragesima secunda: *De parentalium graduum* etc.

Prima pars habet duas. In prima agit de consanguinitate. In secunda de affinitate, infra distinctione quadragesima prima: *Nunc de affinitate videndum est.* — Prima pars habet tres. In prima parte determinat veritatem, ostendens, quod consanguinitas est observanda usque ad septimum gradum. In secunda determinat, quomodo gradus sunt computandi, ibi: *Quomodo autem gradus consanguinitatis* etc. In tertia removet dubitationem, ibi: *His autem occurrit illud* etc.

---

[1] Gratian. super C. *Contradicimus* (21.), ibid. q. 2. — Pro *gradus cognationis* codd. CD et plurimae edd. *gradus consanguinitatis*, refragante etiam Gratiano.

[2] Can. *Parentelae* (4.), ibid. q. 5. — Post *successiones* ed. 7 ex canone addit *numerandae sunt*. — Seq. locus est C. *Ad sedem* (2.), ibid. § 10.

[3] Loc. cit. c. 6. n. 29; C. *Consanguinitas* (1.), C. 35. q. 4. Cfr. August., XV. de Civ. Dei, c. 16. — Infra pro *prorogari*, quod habent codd. (etiam Erf.) et edd. 4, 5, 6, 9, ed. 1 *prolongari*, ceterae *propagari*.

[4] Libr. XI. Regest., indict. 4, epist. 64. (alias 31.), 6. interrogatio; C. *Quaedam lex* (20.), ibid. q. 2. Seq. locus est ibid. et in can. § 1.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

PRAENOTATA.

Ad intelligentiam huius partis procedendum est primo secundum viam *narrationis;* secundo vero, secundum viam *inquisitionis.*

Quantum ad primum, ut intelligibilia fiant, quae dicuntur in parte ista, praeponenda est triplex definitio et triplex notula sive regula [1]. Via narrationis.

Primo igitur videndum est, quid sit *consanguinitas. Consanguinitas* autem definitur sic: « Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum [2] ». Quid consanguinitas.

Stipes autem vocatur persona, a qua aliqui duxerunt originem, a qua descendentes sunt consanguinei ad invicem et illi etiam, a quo sunt. Stipes.

Secundo videndum est, quid sit *linea consanguinitatis,* quae definitur sic: « Linea est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum, ab eodem stipite descendentium, diversos gradus continens [3] ». Unde dicitur *ordinata collectio,* quoniam, sicut ordo est in linea praedicamentali secundum superius et inferius; sic in linea consanguinitatis secundum prius et posterius. Quoniam ordo tripliciter potest accipi, vel ad id quod supra, vel ad id quod infra, vel ad id quod iuxta; ideo tres lineae consueverunt assignari. Quaedam enim est *ascendentium,* quaedam *descendentium,* quaedam *transversalium.* — Secundum lineam *ascendentem* computantur gradus ita, scilicet pater et mater, avus et avia, proavus et proavia, atavus et atavia. — Secundum lineam *descendentem,* filius et filia, nepos et neptis, pronepos et proneptis, abnepos et abneptis. — Secundum lineam *transversalem,* duo fratres, filii duorum fratrum, nepotes duorum fratrum, pronepotes duorum fratrum, et ibi est status. Quid lineae consanguinitatis.

Tertio videndum est, quid sit *gradus,* qui sic definitur [4]: « Gradus est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur, quota generationis distantia duae personae differunt inter se ». — Et nota, quod ista definitio est secundum iura *canonica.* Nam secundum iura *civilia* gradus accipiuntur secundum numerum personarum collectarum in linea. Unde dicunt legistae, quod frater et soror *duos* gradus faciunt; sed decretista dicit, quod *unum* et primum gradum [5]. Nec est contradictio, quia unius habitudinis duo sunt extrema; et quia secundum iura canonica gradus est *habitudo;* cum duplicis extremi una sit habitudo, ponitur unus gradus; sed quia duae sunt personae, et quaelibet suum respectum habet ad principium; ideo computantur secundum leges duo gradus. Quid gradus. Duplex computatio.

His visis, notandae sunt hic tres notulae. — Prima est, quod nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusive; et talis est huiusmodi prohibitio, « quod si quis contra eam praesumserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat; et tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam »; et hoc probatur Extra, de Consanguinitate, *Non oportet* [6] etc. Notulae tres. Prima.

Secunda notula est, quod « toto gradu personae descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite [7] »; et ideo, si aliquis vult scire, quoto gradu aliqui sibi attineant; cum talis attinentia originem ducat a stipite, oportet, quod ad illam personam recurrat, cui immediatius coniungitur. Exempla manifesta sunt, ut si ab A procedant B et G, et B generet C, et C D, et D E, et E F; similiter G generet H, et H generet I, et I generet K, et K L; si vis scire, quoto gradu distant F et I, oportet utriusque generationem reducere ad A, quia toto gradu differunt ab invicem, quoto a stipite. Secunda.

Tertia regula est, quod quando personae inaequaliter distant a stipite, utpote quando una in secundo gradu, et altera in quinto, quod linea consanguinitatis et gradus debet computari secundum distantiam magis remoti. Et ista regula confirmatur per illud quod dicitur Extra, de Consanguinitate, in ultima decretali [8], quae est Gregoriana. — Ratio au- Tertia. Ratio.

---

[1] Ita codd. F G I K, quorum lectio ex seqq. probatur; alii codd. et edd. *responsio.*

[2] Secundum B. Albert., hic a. 1, haec definitio data est a iurisperitis. Cfr. C. 35. q. 5, ubi in fine exhibetur a Glossa « Declaratio arboris consanguinitatis ». — Glossa in C. *Quod dilectio* (3.), X. de Consanguinitate et affin. (lib. IV. tit. 14.): Stipes appellatur communis parens, a quo plures descenderunt, sicut Isaac fuit stipes Esau et Iacob; et stipes non facit gradum.

[3] Loc. cit. — De linea *praedicamentali* vide tom. II. pag. 48, nota 1. — Edd. omittunt inferius *sic in linea... Quoniam.*

[4] Ex praenotata Declaratione arboris consanguinitatis.

[5] Vide C. *Ad sedem apostolicam* (2.), C. 35. q. 5; Iustinian., D. XXXVIII. de Gradibus et affinibus etc. (tit. 11.) per totum. et III. Institut. imperial. de Gradibus cognationum (tit. 6.), per totum. — Pro *Nam* edd. cum multis codd. *non.*

[6] Sive *Non debet* (8.), lib. IV. tit. 14, ex quo praedicta verba. — Mox pro *notula* cod. L *regula.*

[7] Regula 1. pro linea collaterali (aequali) in praeallegata Declaratione arboris consang. — Ibid. est etiam seq. (3.) regula. — Aliquanto inferius pro *distant* non pauci codd. *differant.*

[8] Incipit *Vir, qui a stipite* (9.), lib. IV. tit. 14. — Aliquanto inferius pro *in quinto* cod. Z *per quinque.*

tem huius est, quod tota ratio proximitatis ortum habet a stipite: ergo nullus proximior est alicui collaterali quam stipiti. Si ergo distat a stipite per quinque gradus, pari ratione distat a collaterali — sive distet per unum gradum, sive per duos distet gradus — in quinto. Quodsi amplius distat, secundum magis distantem oportet computari; et ideo ille qui distat in quinto gradu, potest contrahere cum eo qui distat in secundo.

Via inquisitionis. His autem praesuppositis per modum narrationis, per modum inquisitionis circa tria potest hic esse dubitatio.

Primum est, utrum consanguinitas sit aliquod vinculum.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, utrum matrimonio praestet impedimentum.

Tertio, dato quod praestet, quaeritur, usque ad quem gradum.

ARTICULUS UNICUS.

De impedimento consanguinitatis.

QUAESTIO I.

Utrum consanguinitas sit aliquod vinculum.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod consanguinitas non sit aliquod vinculum:

Ad oppositum. 1. Quoniam, si consanguinitas est vinculum, hoc non est ob aliud nisi propter propagationem multorum ab uno; sed sicut multi homines ab uno homine, ita multa animalia bruta propagantur ex uno: si ergo ubi talis causa, et talis effectus [1]; si consanguinitas propter propagationem ex uno ponitur in hominibus, eadem ratione in brutis animalibus. Sed non ponitur in animalibus brutis: ergo etc.

2. Item, consanguinitas est vinculum ratione alicuius maioris convenientiae, aut ergo *substantialis*, aut *accidentalis*. Si *substantialis;* aut secundum formam *specificam*, aut *numeralem* [2]. Si secundum formam *specificam;* tunc ergo omnes homines sunt consanguinei. Si secundum formam *numeralem;* tunc nullus est consanguineus alterius, cum distinguantur secundum numerum. Si vero dicit convenientiam in *accidente;* cum nati de diversis generibus ut plurimum plus conveniant, quam nati de eadem parentela, tunc magis erunt consanguinei.

3. Item, generatio est de superfluo nutrimenti [3]; sed superfluitas nullam colligantiam nec vinculum habet cum eo cuius est superfluitas: ergo nec generatus de illa superfluitate aliquod vinculum habet cum eo, a quo generatur: ergo si ille est fons totius vinculi consanguinitatis, videtur, quod illud vinculum nullum sit.

4. Item, si consanguinitas contrahitur propter carnis propagationem; quantum se extendit propagatio, et [4] vinculum; sed propagatio se extendit usque ad infinitas generationes nec habet terminum per naturam: ergo nec vinculum consanguinitatis.

Fundamenta. CONTRA: 1. Ostenditur per iura nova et antiqua, quae consanguinitatem assignant et gradus distinguunt, sicut patet Extra, de Consanguinitate [5] et Causa trigesima quinta, quaestione quinta, *Series consanguinitatis.*

2. Item, hoc probatur per *rationem:* confessio naturae mendax esse non potest; sed per naturam homines magis alligantur propinquis quam extraneis; quod patet, quia magis diligunt eos, et hoc commune est apud omnes [6]: ergo aliquod vinculum est inter ipsos, quod non est inter alios.

3. Item, «generatio est de substantia generantis», ut vult Damascenus [7]: ergo cum productio humani generis sit per generationem, videtur, quod filii sint de substantia et de sanguine patris et matris. Sed omnes qui sunt de eodem sanguine, sunt consanguinei: ergo etc.

4. Item, Deus vindicat peccata *patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem,* sicut frequenter dicitur in Lege, et habetur Exodi vigesimo [8]: *Ego sum Deus zelotes* etc.: ergo si non vindicat in alios, sed in istos, aliquo vinculo iunguntur isti ad invicem, quo non iunguntur alii; hoc autem consanguinitatem appellamus: ergo etc.

---

[1] Vide supra pag. 78, nota 8. — Haec quaestio respicit definitionem consanguinitatis superius datam: Consanguinitas est *vinculum* personarum etc.

[2] Cfr. supra pag. 132, nota 9.

[3] Secundum Aristot., I. de Generat. animal. c. 18. Cfr. tom. II. pag. 479, nota 5.

[4] Edd. *tantum se extendit et.*

[5] Libr. IV. tit. 14. — Seq. habetur loc. cit. c. 1.

[6] Ideoque *naturale;* cfr. supra pag. 14, nota 5. et pag. 436, nota 2. — *Maiorem* insinuat Aristot., I. Ethic. c. 2; *minorem* ibid. VIII. c. 12.

[7] Libr. I. de Fide orthod. c. 8.

[8] Vers. 5: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam etc. Cfr. Num. 14, 18.

CONCLUSIO.

Consanguinitas est aliquod vinculum, fundatum in relatione ad eandem originem et in naturali affectione.

Respondeo: Dicendum, quod vinculum consanguinitatis est, quia hoc ipsa natura testatur, et de hoc nemo dubitat, nisi qui caret sensu [1]. Sed unde veniat, istud dubitationem et controversiam etiam habet.

Conclusio 1. Dubium de ratione.

Aliqui enim dixerunt, vinculum consanguinitatis specialiter esse in genere hominis, non in genere bestiarum, propter veritatem humanae naturae, quae tota fuit in uno, propter quam et originale peccatum in omnes processit uno peccato [2]; propter hoc etiam, quia substantiam totam trahit filius a patre et a matre. Hinc est, quod quodam speciali vinculo vinciuntur.

Opinio 1.

Sed si ita esset, quod tota substantia mea et tua in eodem homine secundum veritatem fuisset; quare ego et alius, qui non convenimus nisi in Adam, non essemus fratres propinqui et in primo gradu? Et *iterum*, quia fundamentum istius positionis non est stabile, sicut alibi [3] melius patet; hinc est, quod alium modum dicendi oportet invenire: quod consanguinitas est ex propagatione carnali proveniens in hominibus; et hoc vinculum duo faciunt, scilicet *relatio ad eandem originem*, et *naturalis affectio*. *Relatio ad eandem originem*, tum sicut ad principium *materiale*, quia de sanguine eiusdem hominis generantur; tum sicut ad principium *effectivum*, quia cum illo semine deciduntur spiritus [4], et etiam virtus, quae format et assimilat materiam; unde ut plurimum filii assimilantur parentibus, secundum quod illa virtus delata potentior est in operando. — Et quia natura in hominibus potens est *cognoscere* suam originem et originem alterius, et ulterius *perspicax est*, ut non solum assimilationem in forma corporea, sed etiam aliam cognoscat; cum *affectio naturalis* nata sit adhaerere tali, hinc est, quod est ibi *vinculum consanguinitatis*.

Improbatur. Opinio auctoris et conclusio 2. De primo. De secundo.

Et quoniam *virtus assimilativa* deficit per successionem, et *cognitio* etiam propinquitatis deficit, et *affectio naturalis* deficit; hinc est, quod vinculum consanguinitatis non tantum protenditur, quantum propagatio. — Et per hoc patet responsio ad obiectum ultimum.

Corollarium 1. Ad 4. oppos.

Rursus, quia in brutis animalibus non est talis *cognitio* nec *alligatio*, nisi solum quantum ad matrem et fetum sive prolem [5]; hinc est, quod non est in eis tale vinculum. — Et sic patet primo obiectum, quia non est similis causa, ideo nec similis effectus. — Nec loquimur hic de *affectione* secundum *actum*, sed secundum *naturale inclinativum*, quae [6] naturaliter inest, etsi non exeat in actum. Et hoc patet, quia aliquis credens, fratrem suum esse extraneum, non magis afficitur quam circa alium; sed statim, comperto quod sit frater, afficitur et affectione trahitur et eidem quodam speciali vinculo alligatur, cum tamen prius esset alligatus.

Corollarium 2. Ad 1. oppos. Notandum.

2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non est vinculum propter convenientiam in substantia nec propter convenientiam in accidente; dicendum, quod consanguinitas non dicit vinculum secundum proprietatem *absolutam*, sed secundum proprietatem *relatam*, utpote secundum processum ab eadem radice et origine, ut patet de duobus fratribus. Unde sicut rami ab eadem radice procedentes faciunt unam arborem, non solum propter assimilationem, sed [7] propter comparationem ad idem principium; sic intelligendum, quod plures personae ab eodem descendentes faciunt unam lineam consanguinitatis, quae est se habens ad modum arboris.

Solutio oppositorum. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de superfluo, dicendum, quod duplex est superfluitas: quaedam *impuritatis*, et haec potius habet repugnantiam quam colligantiam; quaedam *residuitatis*, et haec habet convenientiam nec est simpliciter superfluitas, quia, quamvis sit [8] uni virtuti superflua, utpote nutritivae, tamen alii est necessaria, utpote generativae; et quamvis superfluat ad conservationem individui, est tamen necessaria ad conservationem speciei. Et *praeterea*, probabile est, quod cum ista humiditate nutrimentali aliquid fuit de humiditate radicali [9] et spiritu, ratione cuius filius intimius attinet patri.

Duplex superfluum.

---

[1] Respicitur Aristot., I. Topic. c. 9: Non oportet autem omne problema nec non omnem positionem considerare, sed quam dubitabit aliquis eorum qui ratione egent et non poena vel sensu; nam qui dubitant, utrum oporteat deos honorare et parentes diligere, an non, *poena* indigent; qui vero, utrum nix alba, an non, *sensu*.

[2] Cfr. Rom. 5, 12. — Cod. G bene *uno peccante*. Superius pro *in uno* cod. bb *in una persona*.

[3] Libr. II. Sent. d. 30. a. 3. q. 1. — Inferius post *consanguinitas est* in cod. E secunda manus supplevit *vinculum*.

[4] Nempe *vitalis* et *spiritualis*; cfr. Alfredi Anglici lib. de Motu cordis, et Costa-Ben-Lucae lib. de Differentia animae et spiritus (ed. Innsbruck 1878.). — Mox pro *materiam* cod. F (bb a secunda manu) *membrum*, codd. N aa *fetum*. Subinde pro *et originem* Vat. *in forma*, et pro *corporea*, *sed etiam aliam* ipsa substituit *propria, sed etiam in alia* (cod. V *sed per aliam*).

[5] Cod. bb addit *et hoc ad tempus, non diu*.

[6] Ita codd. A F G H I K, cod. E *quod;* edd. *quia*. Pro *exeat in actum* plures codd. *esset in actu*, Vat. *insit in actu, vel non exeat in actum*. Subinde post *non magis afficitur* codd. F G supplent *circa ipsum*, Vat. *circa illum* et pro *affectione trahitur* communis codd. lectio habet *affectio trahitur*, cui cod. K (I a secunda manu) addit *in actum*.

[7] Cod. aa *sed etiam*.

[8] Vat. *quamvis non sit*.

[9] Vide tom. I. pag. 316, nota 12. — Pro *fuit* codd. A E a secunda manu *fluit*.

SCHOLION.

I. Quae in hac distinctione de impedimento consanguinitatis determinantur plerumque sumta sunt ex canonibus ecclesiasticis; tamen notandae sunt validae rationes, quibus auctor et S. Thom., inter se consentientes, defendunt leges Ecclesiae.

Circa *praenotata* cfr. hic S. Thom., q. unica a. 1. 2; Suppl. q. 54. a. 1. 2; B. Albert., a. 1-6; Petr. a Tar., a. 2; Richard. a Med., in praenotatis. Alii in mox citt. quaestionibus.

Quaestio 1. et 2. ab aliis una sola absolvitur. Quoad 2. quaestionem antiqui doctores cum Ss. Thoma et Bonav. communiter docent, consanguinitatem non tantum primi gradus lineae rectae, sed etiam 1. gradus lineae lateralis (scil. inter fratrem et sororem) esse iure naturali et divino impedimentum dirimens (cfr. supra d. 39. a. 2. q. 4.). Certum est, Ecclesiam separare matrimonia inter fratrem et sororem in infidelitate contracta, si ambo ad fidem convertuntur. Non pauci tamen doctores dubitant, utrum ista matrimonia iure naturali et divino fuerint per se invalida.

De 1. et 2. quaestione: Scot., hic q. unica (ubi etiam de q. 3.). — S. Thom., hic a. 3; Suppl. q. 54. a. 3. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. 2. — Durand. et Dionys. Carth., de tota dist. hic q. unica.

II. De 3. quaestione est notandum, quod a Concilio Lateran. IV. sub Innocentio III. ob rationes graves, ab auctore nostro explicatas impedimentum consanguinitatis restrictum est ad quartum gradum.

De eadem quaestione praeter citatos: S. Thom., locis citt. a. 4. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic q. 3-6.

QUAESTIO II.

Utrum consanguinitas matrimonio praestet impedimentum.

Secundo quaeritur, utrum consanguinitas matrimonio praebeat impedimentum. Et quod non, videtur.

Ad oppositum.

1. Genesis secundo[1]: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* sed nulla persona potest alteri magis alligari, quam ut sit de carne et de ossibus: ergo si propter hoc non est matrimonium Adae impeditum, immo propter hoc est mulier de latere sumta; videtur, quod consanguinitas non impediat, sed expediat.

2. Item, Ecclesiastici decimo tertio[2]: *Omne animal diligit simile sibi*, et *volatilia ad sibi similia conveniunt:* ergo quanto aliquae personae magis similes sunt et coniunctae, tanto magis natae sunt invicem convenire et copulari; sed ad matrimonium est copula et coniunctio: ergo consanguinitas magis expedit, quam impediat.

3. Item, firmiori vinculo iunguntur qui natura et voluntate alligantur, quam qui voluntate tantum, et melius invicem cohabitant et conversantur; sed sic est, cum aliqui iunguntur vinculo carnali et foedere matrimoniali: ergo magis deberent homines coniungi propinquis quam extraneis, cum voluntas habeat naturam sibi conformem, et natura voluntatem adiuvet: ergo magis praestat consanguinitas matrimonio solatium et fulcimentum quam impedimentum.

4. Item, si aliquid repugnat matrimonio et impedit, hoc non facit, nisi quia alicui bono matrimonii repugnat et aliquid adimit; sed si consanguinei iungantur, salvantur ibi tria bona matrimonii: fides, proles et Sacramentum: ergo consanguinitas, ut videtur, nullum praestat impedimentum matrimonio.

Fundamenta.

Contra: 1. Genesis secundo[3]: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem* etc.; constat, quod istud non intelligitur de derelictione quantum ad cohabitationem: ergo intelligitur de derelictione quantum ad matrimonii contractionem: ergo pater et mater non sunt legitimae personae ad contrahendum respectu filiae et filii; hoc autem non est ob aliud nisi ob vinculum consanguinitatis: ergo etc.

2. Item, Levitici decimo octavo[4]: *Ego Dominus Deus vester. Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem eius:* ergo si contra Domini praeceptum est proximam sanguinis sui cognoscere; cum matrimonium sit ordinatum ad actum illum, nullus cum proxima sua potest contrahere matrimonium: ergo proximitas sanguinis praestat matrimonio impedimentum.

3. Item, quod est contra bonum prolis impedit matrimonium; sed contrahere cum consanguinea est contra bonum prolis: ergo etc. Probatio *minoris:* Gregorius dicit, et habetur in littera[5]: «Quaedam lex Romana permittit, ut duorum fratrum aut duarum sororum filius et filia sibi matrimonialiter copulentur; sed experimento didicimus, ex tali copula sobolem non posse succrescere».

4. Item, matrimonium est vinculum honestatis, sicut supra[6] ostensum est; sed naturalis honestas refugit revelare ignominiam et turpitudinem propin-

---

[1] Vers. 23. — Inferius respicitur Gen. 2, 21. seq.: Tulit unam de costis eius etc.

[2] Vers. 19. — Seq. locus est ibid. 27, 10. — Inferius ante *matrimonium* cod. K (E 1 a secunda manu) omittit *ad*.

[3] Vers. 24: Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem etc.

[4] Vers. 5. seq. Vulgata habet *Deus vester* tantum in v. 4.

[5] Hic c. 4. In fine pro *succedere* ex cod. A cum textu originali substituimus *succrescere*, quod etiam infra in solut. ad 4. praeter cod. A exhibent codd. E L V W.

[6] Dist. 31. a. 1. q. 1. — Inferius pro *quicumque* codd. vel *qui* vel *cum*. Subinde pro *cum consanguinitas* cod. U *cum cognoscere consanguineam*, et post *honestatem* edd. addunt *matrimonii: ergo*.

qui: si ergo haec turpitudo revelatur in coitu; quicumque cognoscit propinquam, facit contra honestatem naturalem. Si ergo matrimonium honestum est; cum consanguinitas sit contra honestatem, consanguinitas impedit matrimonium.

CONCLUSIO.

Consanguinitas impedit matrimonium in aliquo propter dictamen legis naturae, in aliquo propter prohibitionem legis divinae, in aliquo propter statutum Ecclesiae.

Conclusio generalis. RESPONDEO: Dicendum, quod vinculum consanguinitatis impedit matrimonium in aliquo [1] propter *dictamen legis naturae*, in aliquo vero propter *prohibitionem legis divinae*, in aliquo propter *statutum Ecclesiae*. — Vinculum consanguinitatis, quod Conclusio 2. est stipitis ad prolem, impedit propter *dictamen naturae;* unde et naturale apud omnes, quod filius non coniungatur matri, et quod filia non coniungatur patri. — Ratio. Et si quaeratur ratio huius; dicendum, quod hoc est [2] propter *reverentiam* et *honorem,* qui debet exhiberi patri et matri, et ideo non debent commisceri; vel etiam propter *generationis successionem,* quae debet procedere, non retrocedere; unde non debet proles genita coniungi suo principio, ut gignat. Et hinc est, quod natura dictat, quod alio affectu tractandi sunt *parentes*, alio affectu tractari debent *coniuges* [3]. Ideo propter dictamen naturae impeditur matrimonium per consanguinitatis primum vinculum, quod est prolis genitae ad suum principium.

Conclusio 3. Propter prohibitionem *legis divinae* impeditur matrimonium per consanguinitatem usque ad secundum gradum, sicut patet per Levitici decimum octavum capitulum, ubi fit prohibitio usque ad secundum Ratio. gradum. — Et si quaeratur ratio huius; dicendum, quod hoc est propter *honestatem;* qui enim mulierem cognoscit revelat eius turpitudinem et discooperit ignominiam; et hoc inhonestum est facere propinquae, maxime cum honestas dictet, quod soror non est tractanda ut uxor. Et hinc est, quod in praecepto suo Dominus dicit: *Non discooperies turpitudinem eius* [4].

Conclusio 4. Ulterius, propter *statutum Ecclesiae* impeditur matrimonium a secundo gradu et deinceps. — Ratio. Et si quaeratur ratio huius; dicendum, quod hoc statutum fuit propter *dilectionem dilatandam*. Quia enim homo pronus est ad diligendum sibi propinquum; et matrimonium aggenerat propinquitatem et dilectionis mutuae praestat fomentum: hinc est, quod Ecclesia statuit, ut amor ad extraneos extenderetur, quod matrimonia extra propriam parentelam contraherentur; et ita non solum in secundo, sed etiam deinceps, propter dilatandam caritatem et propter ampliandam honestatem. — Et sic patet, quod consanguinitatis vinculum ob diversas causas habet impedire matrimonium; et hoc concedendum.

1. Ad illud ergo quod obiicitur de Eva et Adam, Solutio oppositorum. quod fuerunt os et caro, dicendum, quod quamvis Eva et Adam fuerint os et caro; non tamen sic fuit tunc, quemadmodum nunc est: quoniam nunc eadem est via propagationis et commixtionis, sed Eva non exiit ab Adam per viam generationis, sed per modum supernaturalem, non per coitum, immo de latere; qualis modus producendi peroptime competebat coniugio, tum propter figuram, tum etiam, ut significaretur vinculi matrimonialis aequalitas, quia de latere et adhaerentia [5]. Unde quia non similiter *modo* alii sibi attinent, ideo modus ille ad consequentiam trahi non potest nec debet.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omne animal diligit sibi simile; dicendum, quod illud intelligitur de similitudine secundum *speciem;* vel si intelligatur de similitudine secundum *carnis proximitatem,* adhuc habet veritatem, quod diligit. Sed alius est Notandum. modus affectionis, quo diligenda est *uxor,* alius, quo diligenda est *soror;* et ideo coniunctio affectionis naturalis repugnat copulae matrimoniali: ergo [6] si copuletur per affectionis vinculum, non sequitur, quod debeat copulari per matrimonium.

3. Ad illud quod obiicitur, quod natura firmitatem praestat vinculo voluntatis; dicendum, quod verum est, ubi [7] affectio voluntaria ad id dirigitur, Notandum. ad quod inclinat natura; et quoniam natura bene ordinata non inclinat ad coeundum cum sorore, et affectio matrimonialis inclinat ad cognoscendum uxorem: hinc est, quod naturalis affectio non praestat voluntati fulcimentum, sed potius impedimentum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non repugnat alicui bono matrimonii; dicendum, quod hoc solvi potest *per interemptionem* [8], quoniam Gregorius dicit, quod « experimento didicit, ex tali copula non posse sobolem succrescere ». — Potest tamen et ali- Alia solutio. ter dici, quod impedit maius bonum, quod est vinculum affinitatis, quae, exinde contracta, est occasio

---

[1] In cdd. additur *sui gradu.*

[2] Codd. F G I L V aa subiungunt *tum,* ex quibus codd. F G inferius pro *vel etiam* substituunt *tum etiam.*

[3] Cfr. supra d. 37. a. 2. q. 2, et III. Sent. d. 29. q. 4. — Inferius pro *vinculum, quod* codd. S T *intellectum, qui.*

[4] Ut dicitur Lev. 18, 7. seqq. — Superius pro *qui enim* multi codd. *quia enim,* inter quos codd. F I immediate post pro *cognoscit* substituunt *cognoscens.*

[5] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. — De ultima propos. solut. vide supra pag. 825, nota 3. *Modo* stat pro *nunc.*

[6] Pro *ergo,* quod codd. communiter omittunt, cod. K (I a secunda manu) *unde.*

[7] Non pauci codd. *nisi,* quorum incongruam lectionem corrigit cod. K (I a secunda manu) legens: *quod verum non est, nisi.*

[8] Sive per negationem; cfr. tom. I. pag. 87, nota 4. — Inferius pro *quae, exinde* cod. U *quod inde contractum est, quia exinde,* Vat. *quia exinde.* Post *contracta est* codd. F G addunt *et,* in cod. I secunda manus *occasione* substituit pro *occasio.*

mutuae dilectionis. Quod patet: si aliquis accipiat filiam patris sui et exinde generet prolem, idem est socer et pater, et eadem mulier est socrus et mater, et idem filius et gener, eadem nurus et filia, et idem vir et frater, et eadem uxor et soror: ita respectu *necessitatis* [1], quae poterat esse in octo, sicut in quatuor; similiter respectu prolis. Ut istae alligationes diffunderentur, et caritas mediante vinculo matrimonii mutuo conservaretur; statuit Ecclesia, matrimonium ad remotas personas protendi, non quia in proximis impediretur matrimonium, sed quia perderetur maius bonum. Et sic patet totum [2].

QUAESTIO III.

Usque ad quem gradum se extendat impedimentum consanguinitatis.

Tertio quaeritur, usque ad quem gradum consanguinitas impediat matrimonium. Et quod usque ad *septimum*, videtur.

Argg. pro 1. parte. 1. Gregorius dicit, et habetur in littera [3]: «Progeniem suam usque ad septimam generationem unumquemque observare, decrevimus». *Si tu dicas*, quod illud est retractatum in Concilio generali, Extra, de Consanguinitate [4], *Non debet* etc.; ostenditur, quod illud non debet esse retractatum, quoniam aut hoc est *bene statutum*, aut *non*. Si *non:* ergo male statuit sanctus Gregorius et alii Sancti. Si *sic;* sed quod bene statutum est non indiget retractatione, sed observatione: ergo etc.

2. Item, secundum rectum ordinem non est retrocedendum, sed ultra progrediendum: ergo si sancti Patres consanguinitatem usque ad gradum septimum produxerunt, ergo qui reducit ipsam ad quartum retrocedit. Sed qui *aspicit retro non est aptus regno Dei* [5]*:* ergo male fecerunt qui retractaverunt.

3. Item, in proximis gradibus non permittitur contrahere propter dilatationem caritatis; sed quanto caritas est frigidior, tanto magis indiget dilatari: cum ergo in fine *caritas refrigescat* [6], et hoc iam evenerit; videtur, quod nunc magis competat gradus consanguinitatis protendere quam restringere.

4. Item, quanto magis fideles sunt multiplicati, tanto magis habent copiam de his, cum quibus licite possunt contrahere: ergo maior opportunitas erat in praecedentibus temporibus [7] cum propinquis quam nunc: si ergo illa opportunitas non excludebat constitutionem de septenario gradu consanguinitatis observando; ergo nec nunc.

Pro 2. parte. Contra: 1. Quod non debeat impedire ultra *secundum*, videtur: quia in Lege non prohibetur nisi usque ad secundum gradum, sicut patet Levitici decimo octavo [8]: ergo si omnes possunt matrimonialiter per Deum coniungi, qui a Deo non prohibentur; ergo omnes, quotquot infra illum gradum coniunguntur, a Deo coniunguntur: ergo per hominem separari non possunt: ergo non potest matrimonium alicui prohiberi infra illum gradum.

2. Item, Ecclesia non potest facere, quod baptizatus careat baptismate, et quantumcumque statuat, si baptizatur quis, de facto baptizatus est: ergo quantumcumque prohibeat et statuat, ut aliqui invicem non contrahant, tamen, si de facto contrahant, contractum est: ergo videtur, quod gradus prohibiti ab Ecclesia matrimonium non impediant. Sed isti omnes sunt ultra secundum: ergo etc.

3. Item, matrimonium contractum contra Ecclesiae *interdictum* verum est matrimonium [9]: ergo cum gradus consanguinitatis non habeant virtutem impediendi nisi propter Ecclesiae statutum; videtur, quod secundum veritatem non impediunt.

4. Item, Hieronymus [10] dicit, quod «nihil sibi credatur, nisi probet per vetus vel per novum testamentum»: ergo cum non possit probari per novum nec per vetus, quod non possit contrahi in gradibus ultra secundum; videtur, quod nulli credendum est, si dicat contrarium: ergo retinendum est, quod potest contrahi.

CONCLUSIO.

Consanguinitas secundum legem naturalem impedit in primo gradu, secundum legem veterem, usque ad secundum; secundum legem evangelicam, usque ad quartum.

Respondeo: Dicendum, quod secundum tempora nostra matrimonium impeditur a gradibus consanguinitatis usque ad *quartum inclusive,* sicut patet Extra, de Consanguinitate, *Non debet,* in decretali edita in Concilio generali. Conclusio 1.

Si autem quaeritur ratio huius; dicendum, quod huius ratio est *statutum Ecclesiae.* Si quaeratur ultra, quare Ecclesia statuit; dicendum, quod quia Ratio quadruplex.

---

[1] Vat. *affinitatis.* Mox pro *poterat* non pauci codd. *poterant.* — Post *ita* videtur supplendum *est.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Hic c. 1.

[4] Libr. IV. tit. 14. c. 8, estque Innocent. III. in Concilio generali Lateran. — In fine arg. respicitur regula canonis supra d. 35. q. 5. arg. 1. ad oppos. allegata.

[5] Luc. 9, 62: Nemo... respiciens retro aptus est etc.

[6] Matth. 24, 12: Refrigescet caritas multorum.

[7] Codd. L Y (E a secunda manu) supplent *contrahere.*

[8] Vers. 6. seqq. — Inferius respicitur Matth. 19, 6: Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.

[9] Cfr. supra d. 32. a. 4. q. 2.

[10] Vide quae diximus tom. I. pag. 210, nota 10.

potuit, et *congruum* fuit, et quia erat *utile*, et quia erat *necesse*. — Primum quidem *potuit*, et quod potuit, probatur per Scripturam: quia in principio in constitutione matrimonii in lege naturae duae excipiebantur personae, scilicet pater et mater, Genesis secundo[1]: *Relinquet homo patrem et matrem* etc.; post processu temporis in Lege fuerunt plures exceptae, sicut patet Levitici decimo octavo: si ergo lex evangelica abundare debet a Moysaica, ergo in lege evangelica plures debuerunt excipi. Sed Christus in propria persona non excepit: ergo si nihil diminutum debet esse in Ecclesia, ergo *posse* determinandi Ecclesiae reliquit, maxime Petro[2] et eius successori. Quod attendentes, sancti Patres exceperunt multos gradus consanguinitatis; ex quo apparet, quod ipsi *posse* habuerunt.

Ratio 1. Conclusio 2. triplex.

Si autem tu quaeras a me: quare huiusmodi *posse* Ecclesiae dereliquit? dicendum, quod ratio huius est, quia illud Sacramentum in *contractu* consistit, qui est personae ad personam; et quoniam Dominus plenam iurisdictionem dedit Petro super spiritualia et ampliorem, quam reges terrae et imperator habeant super temporalia. Si ergo regis et principis potentia potest contractus limitare, ut malae fidei possessor iudicetur qui contra eorum interdicta mercatur[3]; quid mirum, si dedit Ecclesiae *posse*? Immo debuit dare, ut posset personarum legitimitatem et idoneitatem ad contrahendum determinare.

Quaest. incid. 1. solvitur.

Si tu quaeras: quare ipse per se non determinavit? dici potest, quod secundum diversa tempora oportebat, diversas personas et diversos gradus excipi; quia ergo statuta divina non decet sic mutare, sicut humana[4]: hinc est, quod non ipse Christus debuit limitare, sed limitandos Petro et eius successoribus committere. Et sic patet, quod *potuit*.

Quaest. incid. 2. solvitur.

Secundo vero *congruum* fuit, quod usque ad talem gradum consanguinitas protenderetur: quoniam consanguinitas ortum habet ex propagatione; propagatio autem est ex semine, semen autem in se habet naturam quatuor humorum et quatuor elementorum[5]: et hinc est, quod consanguinitas *ultra* quartam generationem non debuit determinari. Et *iterum*, *infra* illum gradum non debuit commisceri, nec matrimonium copulari, ubi potestas corporis datur alii. Sicut ergo corpus quatuor constat elementis, ita oportet quatuor gradibus distare, qui debent carnaliter commisceri. — Et *iterum*, lex nova super legem Moysaicam plus debet addere perfectionis, quam lex Moysaica super legem naturae. Si ergo lex Moysaica unum addidit gradum supra legem naturae; tunc ergo lex evangelica saltem duos debet addere, sicut iustitia Evangelii non tantum superat iustitiam Legis, sed etiam superabundat. Congruum ergo fuit et propter legem matrimonii et propter legem Evangelii, matrimonium a consanguinitatis *quarto* gradu impediri, nec ultra addi nec minui. Et sic patet, quomodo fuit *congruum*.

Ratio 2.

Fuit etiam *utile*, quia vinculum matrimonii ratione affinitatis, quae ibi contrahitur, fovet caritatem et foederat inimicos; et quoniam caritas nostris temporibus refriguit, ideo citius nunc rumpitur vinculum amoris quam in Ecclesia primitiva; et alligatus vinculo citius fugit, et qui fuerat proximus frequentissime fit inimicus. Ut ergo fugiens posset revocari; cum a quarto gradu et deinceps iam ab affectione amoris frigescant, utile fuit constituere, ut post quartum gradum posset fugiens revocari ad vinculum, posset etiam confoederari inimicus; propter quam utilitatem decebat, Pontificem Summum, manente priori prohibitione, dispensare; et cum ista utilitas sit frequentissima, utile fuit, ut fieret ius commune. Ratio 3.

Quarto vero fuit *necesse* propter periculum: Ratio 4.
quoniam propter multitudinem consanguineorum et brevitatem dierum vix potest aliquis computare consanguineos usque ad septimum gradum; et ita erat ibi maximum periculum, quia[6] frequentissime contingebat, homines iungi infra gradus prohibitos, immo vix poterat aliquis evadere: et ideo oportuit, prius statutum retractare. Tale periculum vel talis necessitas non fuit in tempore Ecclesiae primitivae, tum quia homines erant *longioris vitae*, tum quia *minoris generationis*; nunc autem decrevit in hominibus potentia virtutis nutritivae, et augmentata est potentia virtutis generativae propter fervorem libidinis, qui viget nunc in hominibus adeo, quod secundum communem cursum possent homines ita multiplicari, quod usque ad quartum gradum, nedum usque ad octavum[7], vix inveniret aliquis, cum qua contraheret.
— Et illud patet ad oculum: possibile enim est, Probatur.
quod aliquis generet viginti, et iterum, quod aliquis generet tres; nunc ponamus secundum communem cursum, quod generet decem, et illi decem alios decem; in secundo gradu erunt centum, in tertio mille, in quarto decem millia; et ita infra quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea undecim millia centum et undecim, totidem in linea ascen-

---

[1] Vers. 24, ubi Vulgata post *patrem* addit *suum* (cfr. supra pag. 664, nota 3.). — Seq. locus est Lev. 18, 8. seqq.

[2] Pro *Petro* multi codd. *Ecclesiae principi*. Aliquanto inferius post *huiusmodi* communior lectio codd. addit vel *Sacramenta*, vel *Sacramenti* (codd. T U X omittunt *posse*); cod. O legit: *quare super huiusmodi Sacramenta posse*.

[3] Iustinian., C. XI. de Agricolis et censitis (tit. 47.), lex *Quemadmodum originarios* (7.): Malae fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur. Cfr. supra pag. 371, nota 2.

[4] Cfr. verba C. *Non debet* in fine corp. allegata.

[5] In praeallegato C. *Non debet* dicitur: Quaternarius vero numerus bene congruit prohibitioni coniugii corporalis... quia quatuor sunt humores [sanguis, cholera, phlegma, melancholia] in corpore, qui constant ex quatuor elementis. Cfr. C. *In quadam nostra* (8.), X. de Celebrat. Missarum (lib. III. tit. 41.). — Inferius pro *ubi... datur* edd. *nec... dari*.

[6] Cod. L (bb a secunda manu) *et quia*, edd. *et*, quae etiam aliquanto inferius pro *decrevit* perperam *crevit*.

[7] Plures codd. *septimum*.

dente, et totidem in transversali: ergo secundum naturam haberet triginta tria millia et trecentos triginta tres consanguineos. Et in una magna patria vix inveniret, cum qua contraheret usque ad quartum[1] gradum, quanto magis usque ad septimum. Ideo propter periculum oportuit revocare illud statutum, et hoc scilicet usque ad quartum gradum Confirmatur. statuere. — Et ista fuit potissima ratio, quare mutatum est, sicut expresse dicitur in decretali[2] edita in Concilio generali, ubi dicitur: «Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas hoc ex- Epilogus. poscit». — Hoc autem non solum *necessitas* exposcebat, sed etiam *utilitas* requirebat, et aderat *congruitas* et *potestas;* ideo recte usque ad quartum gradum impediri matrimonium, rectissime et irreprehensibiliter statuit et ordinavit Ecclesia.

Solvuntur argg. pro 1. parte. 1. Ad illud ergo quod obiicitur de Gregorio, dicendum, quod rationabiliter illud statutum fuit tempore suo, et non minus rationabiliter revocatum tempore moderno; nec fuit revocatum, quia esset male statutum, sed quia quod congruebat tempore primitivo non congruebat statui nostro propter maiorem imperfectionem, quae est in nobis, et propter maiora pericula.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non est retrocedendum; dicendum, quod verum est in his quae sunt *perfectionis*[3], sed ea quae sunt rigoris tempe- Alia solutio melior. rari possunt et debent. — Vel dicendum et melius, quod condescendere oporteat infirmitati, et ubi non possumus nos erigere, necessario oportet nos humiliare et inclinare; et ideo propter imperfectionem hominum statutum illud oportuit temperare. Unde verum est, quod non est retrocedendum, sed tamen imperfectionem hominum tolerare est opportunum.

3. Ad illud quod obiicitur de dilatatione caritatis, dicendum, quod illa ratio potius est ad oppositum quam ad propositum. Quia enim caritas minus se extendit, ideo citius oportet ei succurri et adiuvari; et proximus ab amore citius fugit, et ideo citius est revocandus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maiorem habent fideles copiam; dicendum, quod verum est, si multiplicarentur personae, ita quod non multiplicarentur consanguinei; hoc autem non est verum: et ideo, sicut crescit ex una parte aptitudo, ita ex alia crescit ineptitudo.

1. Ad illud quod obiicitur, quod Deus non prohibet ultra secundum; dicendum, quod verum est *per se;* tamen prohibet *per Ecclesiam,* quia Ecclesia prohibet auctoritate sibi divinitus data. Ratio autem, quare Deus dedit Ecclesiae auctoritatem super hoc, iam visa est. Item argg. pro 2. parte.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non potest facere, quod careat baptismate; dicendum, quod non est simile: quia baptismi institutionem Deus per se Notandum. ordinavit et confirmavit; sed personarum legitimitatem commisit Ecclesiae, quia matrimonium contrahitur inter virum et mulierem, et Ecclesia habet plenitudinem iurisdictionis super utrumque.

3. Ad illud quod obiicitur de Ecclesiae interdicto, dicendum, quod non est simile: quia illud interdictum est *ad tempus*, non *simpliciter*, nec facit personas illegitimas simpliciter, sed ligat, ut sine peccato non possint, et ideo poena talibus debet imponi.

4. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, dicendum, quod secus est in dictis Ecclesiae et Hie- Notandum. ronymi: quia Hieronymus non poterat probare per Scripturam, se esse testem veritatis; ideo ad hoc, quod crederetur sibi, oportebat, quod per Scripturam probaret, esse verum quod testificabatur et dicebat. Sed Ecclesia per Scripturam suam potuit probare auctoritatem[4]; qua probata, oportet obedire, non aliud testimonium quaerere. Et sic totum patet[5].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit Gregorius: *Progeniem suam unumquemque usque ad septimum gradum* etc. Quare in hoc gradu sive usque ad hunc gradum potius prohibuit et ultra non processit nec stetit citra?

Respondeo: Dicendum, quod hoc habet rationem *litteralem, moralem, allegoricam* et *anagogicam. Litteralem,* quia usque ad tempus illud Ratio litteralis. in antiquis temporibus satis bene consanguinitates poterant computari et homines se consanguineos reputabant. — *Moralis,* quia in septenario universi- Ratio moralis. tas totius vitae concluditur[6], et separantur a consanguineis suis homines usque ad septem gradus, ut

[1] Non pauci codd. *quintum,* et post pauca edd. *octavum* pro *septimum.*

[2] Scilicet *Non debet,* ubi textus originalis *quandoque* pro *quoque.* — Inferius pro *recte* Vat. *iuste.*

[3] Cfr. supra pag. 292, nota 11. et pag. 816, nota 7. — De seq. ratione cfr. I. Cor. 3, 1. seqq.

[4] Vide Matth. 16, 18. seq.

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] August., Epist. 55. (alias 119.) c. 5. n. 9: Propter ipsum numerum septenarium, quo universitatis significatio saepe figuratur, qui etiam ipsi Ecclesiae tribuitur propter instar universitatis. Idem dicit Ambros., VII. Exposit. in Luc. 12, 24. n. 95. Cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2, ubi sex dies assignantur labori, et septimus requiei; Brevil. p. V. c. 10. — Edd. substituunt *Moralem* pro *Moralis,* et inferius *Allegoricam* pro *Allegorica est.* Cod. L *includitur.*

significetur, quod omni tempore vitandus est amplexus illicitus, et sic habenda est uxor, ut semper contineatur, ut omnes sint *habentes uxores, tanquam qui non habent* [1]; et sint coniuncti, ut etiam sint nihilominus separati. — *Allegorica* est: quoniam enim corpus constat ex quatuor humoribus [2], et anima ex tribus viribus potestative, ut sic significetur, quod vir debet esse uxoris, et uxor est tota viri; hinc est, quod proles ab eis procedentes ad hoc, quod bene possint copulari, debent per gradus septem elongari. — *Anagogica* vero est, ut, quia Christus animabus beatis perfecta coniunctione et confirmata non coniungitur ante octavam resurrectionis [3]; sic sponsus et sponsa ante octavum gradum coniungi non debent. — Et sic patet, quod septimus gradus erat prohibitus, et quare prohibitio se extendit usque ad gradum septimum inclusive. Et quamvis haec constitutio multum esset congrua, tamen revocari debuit ex causa necessaria et utili et congrua [4].

Ratio allegorica.

Ratio anagogica.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Negantes, gradum cognationis inter patrem et filium esse, cum una caro sint pater et filius.* Videtur enim male dicere: quia, si vir et uxor sunt una caro [5], qui est propinquus uxori in aliquo gradu in eodem est affinis viro: ergo in quoto gradu est quis propinquus patri, et filio, et e converso. Si ergo pater non potest contrahere cum aliqua, quae sibi attineat in quarta linea ascendente vel transversali: ergo nec filius, nec e converso; quod est manifeste falsum. — Item, si sunt una caro, et « quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem [6] »; ergo si sunt una caro pater et filius; cum filius et filius suus sint una caro, tunc isti tres sunt una caro, et sic deinceps procedendo: ergo nullus esset gradus in consanguinitate.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio pater et filius faciunt *gradum*, quia, sicut ostensum est, nullus esset alias [7] gradus in consanguinitate. Sed quod illi dixerunt, quod sint una caro, hoc dixerunt propter quendam modum magis expressivum, quia unus immediate trahit carnem ab altero, cum quo debet habere et habet multam conformitatem, ratione etiam cuius dicitur una caro [8]. Et sic patet illud.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *sex aetatibus mundi generatio hominis* etc. Quaeritur, quae sint istae sex aetates. Cum enim mundus sit perpetuus, non videtur habere aetates ad modum hominis.

Respondeo: Dicendum, quod mundus habet aetates secundum statum praesentem. Quoniam enim senescit mundus, oportet etiam, quod fuerit iuvenis [9]; si ergo habuit senium, et iuventutem, ac per hoc intermedias aetates. Istae autem aetates assignantur in statu illo secundum profectum ad gloriam; unde cum mundus paulative profecerit in cognitione, sicut in uno homine assignantur aetates diversae, ita et in mundo.

Notandum.

In homine autem sex assignantur aetates. Prima est infantia usque ad septimum annum; secunda, pueritia usque ad decimum quartum; tertia, adolescentia usque ad vigesimum quintum, secundum alios usque ad vigesimum octavum; quarta, iuventus usque ad quinquagesimum; quinta, gravitas sive senectus usque ad septuagesimum; sexta, senium sive aetas decrepita usque in finem. — Similiter in mundo prima aetas est ab Adam usque ad Noe; secunda, a Noe usque ad Abraham; tertia, ab Abraham usque ad David; quarta, a David usque ad transmigrationem Babylonis; quinta, a transmigratione usque ad Christum; sexta, a Christo usque in finem. — Et dicuntur *aetates,* non quia fuerunt aequalis spatii, sed quia in qualibet aliquid novum et aliqua renovatio facta est. In prima fuit creatio Adae et lapsus eius; in secunda fuit diluvium; in tertia, circumcisio et Lex; in quarta, regum unctio; in quinta, populi captivatio et liberatio; in sexta, nostra redemptio [10]. Et sic patet illud.

Aetates 6 in homine.

Item in mundo.

Notandum.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit Gregorius: *Ipsi etiam Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat* etc. Dicit enim, de novo dispensasse, quia de novo fuerant ad fidem conversi; sed non videtur ista ratio conveniens, quia Ecclesia primitiva, in qua fuit initium nostrae conversionis [11], fuit perfectissima, quia

---

[1] Respicitur I. Cor. 7, 29.

[2] Cfr. supra pag. 852, nota 5. — Inferius pro *uxor est* [edd. omittunt *est*] codd. F G *debet esse.*

[3] Ambros., VII. Exposit. in Luc. 13, 10. n. 173: In octavo numero resurrectionis est plenitudo. Cfr. August., Epist. 55. (alias 119.) c. 13. n. 23; Enarrat. in Ps. 6. n. 2, et supra pag. 40, nota 1. — Inferius post *septimus gradus* permulti codd. et edd. addunt *non,* perperam, nisi cum cod. L pro *septimus* substituatur *octavus.*

[4] Vide supra q. 3, ubi etiam in scholio notantur alii auctores de hac re tractantes.

[5] Respicitur Gen. 2, 24; Matth. 19, 5.

[6] Aristot., I. Elench. c. 5. (c. 6.).

[7] Ex cod. bb et ed. 1 supplevimus *alias,* pro quo Vat. *alius.*

[8] Cfr. supra d. 37. a. 2. q. 2. ad 4.

[9] Vide Gregor., I. Homil. in Evang. homil. 1. n. 1. et 5.

[10] Praeter ea quae supra pag. 51, nota 4. ex August. allegavimus, cfr. eius Qq. 83 q. 58. n. 2. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[11] Cod. K *conversationis.*

de novo venientibus datur gratia Spiritus sancti in abundantia: ergo magis sunt idonei ad ferendum pondus ecclesiastici statuti.

Respondeo: Dicendum, quod secus est de his Notandum. qui primo conversi sunt, et de his qui nunc convertuntur. Sicut enim Deus in legislatione multitudinem fecit miraculorum [1], qualem tempore Legis non fecit postea; sic in nova dedit Spiritum sanctum in maiori affluentiae plenitudine: et ideo non est simile. Ratio. Et ratio huius est satis competens, quia illi qui tunc erant, maiori egebant robore; nunc autem non est sic, immo sunt teneri, quamvis sint aliquantulum ferventes: et ideo oportet multa in talibus tolerare.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non ideo scripsi, ut, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, separentur* [2]. Quaeritur sic — ponatur, quod stante prohibitione de septem gradibus — utrum aliqui contrahentes infra gradus illos possint simul stare, superveniente revocatione mandati [3]. Et quod sic, videtur, quia nulla lege prohibentur. — Ad oppositum autem est, quod illegitime coniuncti sunt et matrimonium contraxerunt; « constitutiones enim et iura non revocantur ad praeterita [4] »: ergo non videtur, quod simul stare possint.

Respondeo: Dicendum, quod quia semper pro matrimonio standum est, secundum quod possibile et licitum est [5]; si tales personae, superveniente novo Notandum. statuto, velint insimul stare, et consentire et cohabitare possunt, quia non prohibentur; et ex tunc incipit [6] esse matrimonium. Et ista constitutio non revocatur ad praeteritum, quia non confirmat primum contractum, sed potestatem tribuit contrahendi de novo. Et sic patet illud.

DISTINCTIO XLI.

Cap. I.

De affinitatis gradibus.

Nunc de affinitate videndum est; de qua Grego- Gregorius. rius [1] ait: « Porro de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quae ad virum ex parte uxoris, seu quae ex parte viri ad uxorem pertinet, manifesta ratio est: quia, si secundum divinam sententiam ego et uxor mea sumus *una caro*, profecto mihi et illi mea suaque parentela propinquitas una efficitur. Quocirca ego et soror uxoris meae in uno et primo gradu erimus; filius vero eius secundo gradu erit a me, neptis vero tertio; idque utrinque in ceteris agendum est successionibus. Uxorem vero propinqui, cuiuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propriae propinquitatis sit; quod nimirum uxori meae de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observare. Qui vero aliorsum sentiunt antichristi sunt ». Item, Iulius. Iulius Papa [2]: « Aequaliter vir coniungatur consangui- Isidorus. neis propriis et consanguineis uxoris ». Item, Isidorus: « Sane consanguinitas, quae in proprio viro conservanda est, etiam in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, quia constat, eos duos fuisse in carne una; ideoque communis est illis utraque parentela ». Item, Iulius Papa: « Nullum in utroque sexu permitti- Iulius. mus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque in [3] septimum generationis gradum uxorem ducere, vel incesti macula copulari, quia, sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate uxoris coniugem ducere propter carnis unitatem ». Item, Gregorius: « De affinitate consanguinita- Gregorius. tis per gradus cognationis placuit usque ad septimam generationem observare. Nam et hereditas rerum, per legales instrumentorum definitiones sancita, usque ad septimum gradum heredum protendit successionem. Non enim ei succederent, nisi de propagine cognationis deberetur ». — His auctoritatibus insinuatur, et quae sit affinitas, et usque ad quem gradum sit observanda, scilicet usque ad septimum.

Cap. II.

De variis traditionibus affinitatis.

Sed alii videntur concedere, in quinta generatione inter affines contrahi coniugium, et in quarta etiam, si Alia opinio. contractum fuerit, non separari. Ait enim Fabianus Fabianus. Papa [4]: « De propinquis, qui ad affinitatem per virum

---

[1] Cfr. Exod. 19, 16. seqq., et Deut. 4, 11. seqq.

[2] In lit. Magistri praefigitur *non*, quia haec verba ibi respiciunt tempus *post* abrogatum privilegium, hic vero tempus *ante* ipsum privilegium datum.

[3] Scilicet de septem gradibus.

[4] Vide supra pag. 841, nota 10.

[5] Cfr. C. *Tuas nos* (7.), X. de Consanguinit. et affin. (lib. IV. tit. 14.) et C. *Videtur nobis* (3.), X. Qui matrimonium accusare possunt etc. (lib. IV. tit. 18.), ubi dicitur, quod matrimonium favorabilis res sit.

[6] Edd. cum multis codd. *incepit.*

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Can. *Porro* (3.), C. 35. q. 5. Respicitur Matth. 19, 5. — Vat. et ed. 8 repetunt *in* ante *secundo* et *tertio.*

[2] Can. *Aequaliter* (13.), ibid. q. 3. Seq. locus est C. *Sane consanguinitas* (14.), ibid. (ex Conc. Maciensi); tertius C. *Nullum* (7.), ibid.; quartus C. *De affinitate* (1.), ibid.

[3] Cod. D *ad.*

[4] Can. *De propinquis* (3.), ibid. Seq. locus est C. *Et hoc quoque* (12.), ibid.

et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione iungantur; in quarta si inventi fuerint, non separentur; in tertia vero propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum eius. Aequaliter vir iungatur in matrimonio eis quae sibi consanguineae sunt, et uxoris suae consanguineis, post mortem uxoris ». — Ecce, hic conceditur, in quinta vel quarta propinquitate affinium fieri coniugium. Iulius etiam Papa ait: « Statutum est, ut relictam patris uxoris suae, relictam fratris uxoris suae, relictam filii uxoris suae nemo sibi in matrimonium sumat; relictam uxorem consanguineorum uxoris suae usque in tertiam progeniem nemo in uxorem sumat; in quarta vero et quinta si inventi fuerint, non separentur ». — Ecce, quam varie de affinitatis observatione loquuntur auctores. Alii enim usque ad septimum gradum eam observari sanciunt; alii vero in quinto vel quarto matrimonia contracta non dividunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiae dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium usque ad tertium gradum, sicut Gregorius dispensavit in quarto gradu consanguinitatis. — Illud etiam non est praetereundum, quod Gregorius[1] Venerio episcopo scripsit: « Sedem apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta cognationi eius pertineat; si, eo defuncto, cognatio maneat, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur; vel si susceptae soboles possint legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Si una caro fuerit, quomodo potest aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minime posse fieri, credendum est. Porro, uno defuncto, in superstite affinitas non deletur, nec alia copula coniugalis affinitatem copulae prioris solvere valet; sed nec alterius coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. Si quis ergo sacrilego et temerario ausu in defuncto quaerit propinquitatem exstinguere, vel sub altero affinitatis vocabulo dissipare, vel susceptas soboles alterius copulae propinquitati prioris credit legitime sociari; hic negat, Dei verbum validum esse, quod dixit: *Erunt duo in carne una* ». — Ecce, hic prohibet, si, mortuo primo viro, uxor eius alii nupserit, filios de secundo viro genitos ducere uxores de cognatione prioris viri, quia filii mediante matre ad cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum una caro exstiterat. Hoc idem etiam Innocentius Papa[2] ait: « Si qua mulier ad secundas nuptias transierit et ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri pertingere ». Hoc autem observandum est usque ad septimum generis gradum, sed maxime usque ad tertium vel quartum, sicut supra positum est.

Iulius. Canones concordantur. Gregorius. Innocentius.

Cap. III.

Si coniugium sit inter eos qui nota consanguinitate dividuntur.

Et est sciendum, quod Ecclesia infra praedictos gradus consanguinitatis coniunctos separat. Si autem ignoranter coniuncti fuerint in conspectu Ecclesiae, et postmodum, probata consanguinitate, eiusdem iudicio separati; quaeritur, utrum copula illa *coniugium* fuerit. Quibusdam videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimae personae; sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, et quasi coniugium reputatur, quia bona fide et per manum Ecclesiae convenerunt; unde et filii eorum legitimi habentur. Alii[3] vero dicunt, fuisse coniugium, licet non essent legitimae personae, quia talium coniunctiones vocant canones *coniugia*, ubi de personis agunt, quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda coniunctio.

Dubium 1. De quaestione incid. 2 opiniones.

Cap. IV.

Quibus personis testificantibus, sint dirimenda coniugia.

Unde Urbanus Papa[4]: « Si duo viri vel tres consanguinitatem iureiurando firmaverint, vel ipsi forte confessi fuerint; coniugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur, si se recognoscunt consanguineos. Si se iudicio episcoporum segregaverint, alia matrimonia contrahere non prohibeantur ». Idem: « Notificamus tibi, ut, cum tres vel duo ex propinquioribus eius qui accusatur, hanc propinquitatem iuramento firmaverint, vel si tres vel duo ex antiquioribus Ianuensibus, quibus haec propinquitas est nota, qui bonae famae et veracis testimonii sint, remoto amore, timore, pretio et omni malo studio, praedicto modo firmaverint, sine mora coniugia dissolvantur ». « Consanguineos vero extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in Synodo computet, sed propinqui, ad quorum notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus propinquitas tota nota sit, episcopus canonice perquirat; et si inventa fuerit, separentur ». — Ecce, quibus accusantibus vel testificantibus, dirimenda sit consanguineorum coniunctio, quae coniugium vocatur.

Dubium 2. Urbanus.

Hic dicendum est, quod aliud est *fornicatio*, aliud *stuprum*, aliud *adulterium*, aliud *incestus*, aliud *raptus*. Dubium 3.

Cap. V.

Quid sit fornicatio.

« *Fornicatio*, licet sit genus omnis illiciti coitus, qui fit extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum ».

Cap. VI.

Quid sit stuprum.

« *Stuprum* proprie est virginum illicita defloratio ». Dubium 4.

Cap. VII.

Quid sit adulterium.

« *Adulterium* est alieni tori violatio; unde adulterium dicitur quasi ad alterius torum accessio ».

---

[1] Can. *Fraternitatis* (1.), ibid. q. 10.
[2] Can. *Si qua* (3.), ibid.
[3] Ita Hugo, II. de Sacram. p. XI. c. 4.
[4] Can. *Si duo* (4.), ibid. q. 6. Seq. locus est C. *Notificamus*

Cap. VIII.

Quid sit incestus.

« *Incestus* est consanguinearum vel affinium abusus; unde incestuosi dicuntur qui consanguineis vel affinibus suis abutuntur ».

Cap. IX.

Quid sit raptus.

« *Raptus* admittitur, cum puella violenter a domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur. Sive puellae, sive parentibus vis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, privilegio Ecclesiae mortis impunitatem meretur ». — Attendendum est etiam illud Alexandri[1], qui ait: « Quod frater sororve uxoris tuae *cognati* dicuntur, aequivocationis iure fit et necessitate vulgaris appellationis potius quam ulla causa cognationis. Uxor enim fratris *fratrissa* potius quam *cognata* vocatur. Mariti frater *levir* dicitur. Duorum fratrum uxores *ianitrices* vocantur, quasi eandem ianuam intrantes. Viri soror *glos* appellatur. Sororis autem vir non habet speciale nomen, nec uxoris frater ». Alexander.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLI.

De impedimento affinitatis.

Nunc de affinitate videndum est.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de consanguinitate; hic agit de affinitate, et dividitur haec pars in duas. In prima determinat gradus affinitatis. In secunda agit de separatione coniunctorum infra praedictos gradus, ibi: *Et sciendum est, quod Ecclesia infra praedictos gradus* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima determinat gradus affinitatis secundum ius commune. In secunda determinat secundum dispensationem specialem, ibi: *Sed alii videntur concedere* etc. In tertia vero de secundo genere affinitatis, ostendens, quod secundum genus affinitatis impedit matrimonium, ibi: *Illud etiam non est praetermittendum.*

Similiter secunda pars habet tres. In prima ostendit, quod[1] debeant separari. In secunda vero, quia non debent separari sine testimonio, per quod probetur proximitas; et determinat, qui possunt hoc testificari, ibi: *Si duo viri vel tres consanguinitatem* etc. In tertia, quia coniuncti infra gradus prohibitos committunt incestum, determinat ibi genera peccatorum circa actum carnis, ibi: *Hic dicendum est, quod aliud sit fornicatio, aliud* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

PRAENOTATA.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis, in qua agitur de affinitate, primo procedendum est per modum *narrationis,* secundo per modum *inquisitionis.* Quantum ergo ad primum, primo annotanda est *differentia*[2], secundo vero annotanda est *triplex notula.* Via narrationis.

Primo igitur attendendum est, quod differt esse *affinem* et esse *consanguineum.* Nam *consanguinitas* venit ex carnis *propagine,* sed *affinitas* ex carnali *commixtione,* praesupposita tamen consanguinitate. Unde *affinitas* definitur sic[3]: « Affinitas est proximitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela », intellige: quantum est de se; tamen praesupponit consanguinitatem. Unde si quis cognoscit mulierem, efficitur affinis omnibus consanguineis mulieris per illam commixtionem, et e converso in muliere. Differentia 1.

Secundo intelligendum est, quod in affinitate differt *genus* et *gradus.* Nam *genus* attenditur secundum plurificationem commixtionis sive a parte commixtionis, sed *gradus* a parte sanguinis et propagationis; propter quod dicitur: Differentia 2.

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Unde antiquitus[4] tria *genera* affinitatis esse consueverunt. Primum surgit ex consanguinitate et prima

---

(3.), ibid.; tertius (in capp. 5-9.) C. *Consanguineos* (1.), ibid.; sed ultima propositio est ex Gratiano, super C. *Si duo* (4.), ibid. Quae sequuntur idem habet super C. *Lex illa* (2.), C. 36. q. 1.

[1] Can. *Quod autem* (5.), C. 35. q. 5. Cfr. Isidor., IX. Etymolog. c. 7. n. 17.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. hic pro *quod* et paulo inferius pro *quia* substituunt *qui.* Subinde pro *probetur* edd. *prohibetur.*

[2] Vat. *triplex differentia.*

[3] In Declaratione arboris affinitatis C. 35. q. 5. in fine. — Superius pro *propagine* multi codd. *propagatione.*

[4] Cfr. Glossa in C. *Non debet* (8.), X. de Consanguinitate et affinitate (lib. IV. tit. 14.), ad verba *In secundo et tertio.* — Mox pro *affinitatis* non pauci codd. *consanguinitatis,* perperam, sicut etiam inferius pro *ex affinitate* Vat. *ex consanguinitate.*

carnis commixtione; secundum surgit ex affinitate et secunda carnis commixtione; tertium surgit ex secunda affinitate et tertia carnis commixtione. Exemplum est: si frater tuus contrahat cum Maria, ipsa est affinis tibi in primo genere; si contrahat, mortuo fratre tuo, cum alio, ipse erit affinis tibi in secundo genere; si, ipsa mortua, ipse vir contrahat cum alia, illa mulier esset tibi affinis in tertio genere. — Sed generatio sive propagatio *gradum* mu-
Notandum. tat affinitatis sicut consanguinitatis. — Sed ista tria genera consueverunt esse antiquitus, nunc autem, sicut patebit post [1], non stat nisi primum genus affinitatis, aliis cessantibus.

Tertio intelligendum est, quod differt, utrum
Differentia 3. mulier affinis generet prolem de *consanguineo* meo, an de *extraneo*. Si de consanguineo, proles generata non est mihi alligata vinculo affinitatis, sed consanguinitatis; si vero de alio, secundum iura moderna nihil omnino reputatur mihi attinere. Antiquitus tamen, sicut patet ex decreto Gregorii, et habetur in littera [2], iudicabatur affinis, non primo genere, sed secundo, sicut expresse tangitur in littera; et pro illo tempore maxime intelligitur iste versus:

Mutat nupta genus, sed generata gradum,

quia mulier affinis mihi, quia fuit uxor fratris mei, si *nubat* alii, generat mihi affinem in *alio genere* affinitatis. Si vero *generet* prolem, tunc generat mihi affinem, non alio genere, sed *gradu;* hoc tamen est retractatum quantum ad utrumque per ius novum Extra, de Consanguinitate et affinitate [3], *Non debet,* et in decretali edita in Concilio generali expresse retractatur utrumque.

His visis, quaedam regulae sunt notandae. — Prima est, quod in *primo genere affinitatis* non li- Regula 1. cet contrahere usque ad quartum gradum inclusive, sicut et de consanguinitate [4]. Quod si quartum gradum velis cognoscere, recurre ad personam, mediante qua contracta est affinitas, et quoto gradu distas ab illa, toto gradu distas a persona, cui es affinis; ut si contraxisti cum muliere, factus es affinis consanguineis, et quoto gradu aliquis est consanguineus uxoris tuae, toto gradu est tibi affinis; et si attinet ei in quarto gradu, attinet et tibi; et sicut non liceret uxori contrahere in tali gradu, ita nec tibi.

Secunda notula, quod ex quo contracta est af- Regula 2. finitas, mortua persona, mediante qua contracta est, nihilominus manet affinitas, pro eo quod est vinculum perpetuum, sicut et consanguinitas; et ideo minime potest contrahi cum persona affini, Causa trigesima quinta, quaestione decima [5], *Fraternitatis.*

Tertia notula est, quod affinitas contrahitur non Regula 3. solum per matrimonium, sed etiam per coitum fornicarium, sicut dicitur Extra, de Consanguinitate [6], *Fraternitati tuae* etc.; sed quia hoc dubium est, ideo ratio huius inquisitioni relinquatur.

His autem praelibatis, ut modo inquisitorio pro- Via inquisitionis. cedamus, possunt hic tria quaeri.

Primo quaeritur, utrum per omnem coitum contrahatur affinitas.

Secundo, utrum affinitas transeat ab uno in alterum.

Tertio, utrum affinitas impediat matrimonium.

ARTICULUS UNICUS.

De impedimento affinitatis.

QUAESTIO I.

Utrum per omnem coitum, sive legitimum, sive fornicarium, possit contrahi affinitas.

Circa primum sic proceditur et ostenditur, quod per omnem coitum, sive legitimum, sive fornicarium, contrahi possit affinitas.

1. Causa trigesima quinta, quaestione tertia [7]:
Fundamenta. « Si homo fornicatus fuerit cum muliere, et frater eius uxorem duxerit; super eo, quod frater eius crimen celaverit, poeniteat septem annis »; sed hoc non est ob aliud, nisi quia illa facta est affinis fratri: ergo etc.

2. Item, Extra, de Eo qui cognovit consanguineam uxoris suae [8], expresse dicitur, quod non licet petere debitum, in decretali illa: *Transmissae nobis litterae* etc.; sed hoc non est nisi propter affinitatem: ergo per coitum fornicarium contrahitur affinitas.

3 Item, *ratione* videtur: quia non ob aliud contrahitur affinitas per coitum, nisi quia est carnis commixtio, per quam vir et mulier fuerunt una

---

[1] Quaest. 2.

[2] Hic c. 2. Cfr. infra q. 2. — Mox pro *genere* codd. et ed. 1 *gradu*, Vat. recte refragante.

[3] Libr. IV. tit. 14. c. 8.

[4] Cfr. d. 40. q. 3. — De seqq. regulis vide praenotatam Declarationem arboris affinitatis.

[5] Can. 1. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2.

[6] Distinctius, de Eo qui cognovit consanguineam etc. (lib. IV. tit. 13.) c. 7. et duobus seqq., quae incipiunt: *Ex litteris fraternitatis tuae* (8.) et: *Tuae fraternitatis devotio* (10.); fortasse codd. et edd. allegantes *Fraternitatis tuae* ultimum hunc can. intendunt (cfr. infra q. 1.).

[7] Can. 6, ubi textus originalis post *et frater eius* addit *nesciens eandem*, et post *uxorem duxerit* prosequitur: *frater, eo quod fratri crimen* etc. Ideo pro *frater eius* lege: *fratri.*

[8] Libr. IV. tit. 13. c. 4.

caro; sed hoc non tantum est in actu legitimo, verum etiam in fornicario, secundum quod dicitur primae ad Corinthios sexto[1]: *Qui adhaeret meretrici unum corpus cum ea efficitur.*

4. Item, filius fratris tui natus de fornicatione ita est tibi consanguineus, sicut si esset de legitimo matrimonio natus; si ergo per actum fornicarium contrahitur consanguinitas, pari ratione et affinitas.

Ad oppositum. CONTRA: 1. Causa trigesima quinta, quaestione tertia[2]: « Extraordinaria pollutio citra maritalem affectum, si ita esse constiterit, non videtur matrimonium impedire »; sed fornicarius actus est extra rectum ordinem: ergo non impedit matrimonium. Sed affinitas impedit: ergo ibi non contrahitur affinitas.

2. Item, affinitas est vinculum legitimum, quod est institutum a Deo et ab Ecclesia[3]: ergo cum fornicatio sit actio contra legitimitatem et contra divinum statutum, per fornicationem nunquam contrahitur tale vinculum.

3. Item, affinitas est vinculum insolubile[4]; sed coniunctio per coitum fornicarium non iungit insolubiliter, immo solubiliter: ergo nunquam per illum coitum contrahitur affinitatis vinculum.

4. Item, per coitum extra matrimonium non contrahitur irregularitas ad ordinem suscipiendum: ergo pari ratione nec illegitimitas ad matrimonium contrahendum: si ergo affinitas facit illegitimitatem, videtur, quod per talem coitum affinitas nec debet nec potest contrahi.

CONCLUSIO.

Affinitas generaliter contrahitur per omnem copulam completam.

RESPONDEO: Dicendum, quod affinitas generaliter contrahitur per omnem coitum, in quo est commixtio sanguinum. — Et ratio huius est, quia affinitas non contrahitur nisi ratione unionis; tunc autem dicuntur una caro fieri, quando per commixtionem seminum fit consummatio illius operis. Si ergo aliter conveniant, sive contra naturam polluendo extra vas illi usui deputatum, sive invadendo claustra, ita quod opus nefarium non consummetur; affinitas contrahi non iudicatur, secundum quod dicitur Causa trigesima quinta, quaestione tertia, *Extraordinaria*. Quodsi videatur dici contrarium Extra, de Eo qui cognovit consanguineam[5], *Fraternitati* etc.; dicendum, quod illa separatio non fuit propter affinitatem, sed propter publicae iustitiam honestatis, quae contrahitur ex puris sponsalibus.

(Conclusio. Ratio.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium de extraordinaria pollutione, iam patet responsio, quia intelligitur, ubi non fuit seminum commixtio, ob quam[6] dicerentur vir et mulier una caro effici.

2. Ad illud quod obiicitur, quod vinculum legitimum est a Deo institutum; dicendum, quod in fornicatione duo sunt, scilicet *actio substrata,* quae est naturalis, et *deformitas voluntatis,* qua aliquis vult cognoscere non suam, sive circa ipsum actum defectus circumstantiae. Quantum ad primum est actio naturalis, bona et a Deo; quantum ad secundum dicit defectum et deformitatem et sortitur nomen vitii[7]; vinculum ergo affinitatis contrahitur ratione primi, non ratione secundi. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod est vinculum insolubile; dicendum, quod actio transiens ut plurimum relinquit effectum *perpetuum*, sive ut melius dicam, *diuturnum*, ut patet: quia, sicut fornicatio inducit carnis corruptionem, sic uxoris cognitio efficit corporis unionem; et quoniam, ex quo cognovit, necesse est cognovisse: ideo ex hac coniunctione resultat vinculum insolubile. Et est exemplum: quia, sicut ex uno actu tali potest proles generari, quae vinculo perpetuo alligatur patri et matri; sic potest affinitas generari, quoniam talis coniunctio est introducens affinitatem, non conservans[8]. Ideo, ipsa existente transitoria, potest esse affinitas diuturna. (Notandum. Exemplum.)

4. Ad illud quod obiicitur de irregularitate ad ordines, dicendum, quod cognitio mulieris non generat irregularitatem, nisi prout inducit defectum Sacramenti; et quoniam defectus Sacramenti praesupponit aliquod *esse* Sacramenti, et post privationem perfectionis; hinc est, quod irregularitas non contrahitur per coitum extra matrimonium. Sed affinitas respicit unitatem carnis et corporis, et haec est communis tam actui fornicario quam legitimo; ideo potest causare affinitatem, sed non irregularitatem[9].

---

[1] Vers. 16. Vulgata omittit *cum ea.* — Superius pro *fuerunt* codd. M O U *fiunt,* et pro *fornicario* codd. R S T X *fornicatione.*

[2] Can. 11. Textus originalis plura interiicit.

[3] Vide infra q. 3.

[4] Cfr. supra *Praenotata* ad hanc quaest. circa finem.

[5] Libr. IV. tit. 13. c. 7. Cfr. *Glossa* ibid. — Antiquitus iustitia publicae honestatis sic definiebatur: Publicae honestatis iustitia est propinquitas duarum personarum ratione tertiae personae per sponsalia iunctae, robur trahens ab institutione Ecclesiae propter eius honestatem. — Circa initium responsionis Vat. *seminum* pro *sanguinum.*

[6] Ita cod. F, alii *antequam*; edd. legunt: *quia ibi non fuit seminum commixtio aliqua, ideo non dicuntur... effecti.*

[7] Vide II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1. — Cod. L *rationem vitii.*

[8] Cfr. supra d. 27. a. 2. q. 1. ad 2. et 3. — Pro *quoniam talis,* quod habet cod. aa, in aliis *quando talis.*

[9] Vide supra d. 25. a. 2. q. 3. ad 1. et 2. — Superius pro *et post* cod. F *et ponit.*

SCHOLION.

I. Circa impedimentum *affinitatis* controversia fuit, quo iure dirimat in casu *primi* gradus in linea recta. Plurimi antiqui sustinebant, affinitatem in dicto casu dirimere iure naturali vel divino, saltem si oritur ex legitimo matrimonio, cui sententiae videtur favere S. Thomas. Alii vero putabant, affinitatem *semper* solo iure ecclesiastico dirimere; quibus favet Scot. (hic q. unica n. 4.). Nunc certum est, eam ne in primo quidem gradu lineae rectae iure divino dirimere, quando oritur *ex copula illicita,* cum s. Sedes interdum in hoc casu dispensaverit. Secundum ius a Concilio Trident. (Sess. XXIV. de Reform. c. 4.) constitutum affinitas dirimit usque ad *quartum* gradum, si oritur ex copula licita, sed usque ad *secundum* tantum, si oritur ex copula illicita. — De *Praenotatis* alii auctores tractant in ipsis quaestionibus.

De 1. quaestione: Scot., hic q. unica, ubi etiam de seqq. qq. — S. Thom., hic q. unica a. 1. quaestiunc. 1-4; Suppl. q. 55. a. 1-4. — B. Albert., hic a. 1-3. — Petr. a Tar., hic a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1-3. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 1. 2; Dionys. Carth., hic q. unica.

II. In 2. quaestione tangitur aliud impedimentum, scilicet *publicae honestatis,* ortum vel ex validis sponsalibus, vel ex matrimonio non consummato; in primo casu dirimit tantum in *primo* gradu (ita statuit Tridentinum), in secundo vero usque ad *quartum.*

De 2. quaestione: S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 5; Suppl. loc. cit. a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4.

III. De 3. quaestione: S. Thom., hic a. 2; Suppl. loc. cit. a. 6-8. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-4.

QUAESTIO II.

Utrum affinitas transeat in alterum.

Secundo quaeritur, utrum affinitas transeat in alterum. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Causa trigesima quinta, quaestione tertia[1], *Contradicimus,* et infra, Iulius Papa: « Relictam consanguineorum uxoris suae nullus ducat uxorem »; sed consanguinei uxoris sunt affines: ergo uxor affinis efficitur illegitima ad contrahendum, non propter aliud nisi propter affinitatem: ergo etc.

2. Item, in sequenti capitulo[2]: « Porro duorum consanguineorum uxores uni viro alteram post alteram nubere, publicae honestatis iustitia contradicit ».

3. Item, carnalis commixtio adeo iungit, ut propagatio — quod patet: quia tantum se extendit et per tot gradus et tales descendit affinitas, ad quos gradus protenditur consanguinitas, scilicet usque ad quartum gradum — cum ergo consanguinitas transeat in alterum: ergo et affinitas. *Minor* patet: quia, si aliquis est mihi consanguineus in primo gradu, generat mihi consanguineum in secundo: ergo etc.

4. Item, omne simile generat sibi simile, et « quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem[3] »: ergo si aliqua uxor habeat duos viros, et aliquis vir duas uxores; cum isti duo viri coniungantur eidem mulieri, ut patet consideranti, et istae duae mulieres eidem viro: ergo omnes sibi attinent: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Ubi est vera affinitas, adeo ligat, ut consanguinitas; sed nunquam cum filia fratris sui potest quis contrahere: ergo nec cum filia uxoris fratris, quae est affinis, fratre mortuo; cuius contrarium habetur, Extra, de Consanguinitate[4], *Non debet reprehensibile iudicari,* ubi dicitur, quod potest coniungi talis tali.

2. Item, si affinitas surgit ex affinitate: ergo cum aliquis vir cognoscit decem mulieres, ergo illae omnes sunt affines: ergo contrahens cum una non potest contrahere cum alia; quod est manifeste falsum, quia tunc homo cum nulla posset contrahere.

3. Item, esto quod aliquis contrahat cum uxore alicuius, ipso mortuo; quaeritur, utrum efficiatur affinis consanguineis viri; quodsi *non,* tunc affinitas non generat affinitatem. Si vero *efficitur affinis* consanguineis: ergo multo magis ipsi viro: ergo non potest cognoscere cognitam ab alio viro[5]; quod est manifestum inconveniens.

4. Item, si affinitas generat affinitatem; cum carnis commixtio faciat unitatem et gradum attinentiae secundum primum gradum, tunc semper manebit affinitas propter commixtionem, et sic erit processus in infinitum in affinitate; quod est manifeste falsum: ergo et primum, scilicet quod affinitas per commixtionem carnis generet sive faciat affinitatem.

---

[1] Cap. 21, super quod Gratian. affert in § 1. verba Iulii Papae, quae iam superius c. 12. allegata fuerunt ab ipso; cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi plenius recitantur.

[2] Cap. 22: Porro duorum consobrinorum coniuges, quamvis diversis temporibus, viro uni alteram post alterius obitum nubere, ipsa praeter auctoritatem canonicam publicae honestatis iustitia contradicit.

[3] Aristot., I. Elench. c. 5. (c. 6.). — De praeced. propos. cfr. supra pag. 642, nota 5. I. Aristot., Rhetor. c. 11. (c. 4.), ait: Natura comparatum est, ut similia ex similibus oriantur. — Subinde pro *aliquis vir duas uxores*, quod habet cod. E (A a secunda manu), alii codd. et edd. *aliqui viri illas* [edd. *alias*] *duas uxores.*

[4] Libr. IV. tit. 14. c. 8.

[5] Cod. U *cognatam illius viri,* et pro *manifestum* codd. N aa *magnum.*

CONCLUSIO.

Affinitas non generat affinitatem secundum ius novum.

Respondeo: Dicendum, quod differt vinculum *affinitatis* et *consanguinitatis:* quoniam vinculum affinitatis est vinculum *per accidens;* vinculum consanguinitatis est vinculum *per se;* et quoniam omne *per accidens* necessario habet reduci ad *per se*[1]: hinc est, quod affinitas necessario praesupponit consanguinitatem et superaddit commixtionem et ex his duobus surgit. Quia ergo illud quod est *per accidens,* non habet virtutem multiplicandi et diffundendi se, nisi per illud quod est ens *per se;* hinc est, quod diffusio[2] et descensus affinitatis secundum veritatem attenditur a parte *consanguinitatis* solum, non a parte *commixtionis,* quantum est de natura vinculi. Unde consanguinei uxoris Petri ita sunt affines ei usque ad quartum gradum, sicut per consanguinitatem alligantur uxori; sed uxor Petri ex hoc, quod nubit alii, cum *per accidens*[3] iuncta sit consanguineis Petri, non propter hoc generat vinculum attinentiae secundum *veritatem;* sed si generat, hoc est solum secundum *publicae iustitiam honestatis,* per quem modum contrahitur in sponsalibus. Et secundum hunc modum fuerunt antiquitus *secundum* genus affinitatis et *tertium,* quae magis pertinebant ad *publicae iustitiam honestatis* quam ad *affinitatem,* sicut canon secundo propositus expresse dicit, si quis attendat. Et quia periculosum erat ad ista teneri, ideo totum oportuit revocari, excepto *primo genere* affinitatis. Et ita dicendum, quod secundum veritatem et secundum tempus praesens affinitas non generat affinitatem, ut qui est affinis alicui efficiatur affinis affini; vel qui est iunctus carnaliter cum aliqua, per hoc efficiatur affinis affinibus suis, immo solum consanguineis; nec surgit affinitas ex consanguinitate et affinitate, sed solum ex consanguinitate et carnis commixtione. — Et rationes ad hoc inductae sunt concedendae.

Differunt affinitas et consanguinitas.

Notandum.

Iustitia publicae honestatis.

Conclusio.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur de illis duabus auctoritatibus, dicendum, quod retractatae sunt; nec illae prohibent coniunctionem talem propter *vinculum affinitatis,* sed propter *iustitiam publicae honestatis.*

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod carnis commixtio adeo iungit, ut propagatio; dicendum, quod si loqueris *in se* et *per se,* falsum est. Nam pater non potest contrahere cum filia, quam *generavit*[4]; sed vir potest contrahere cum muliere, quam *cognovit.* Habet tamen hoc veritatem *per accidens,* praesupposita consanguinitate; quod patet: quia uxor viri ita propinqua efficitur consanguineis viri, sicut et ipse; et quia est vinculum *per accidens,* ideo non protenditur nisi secundum protensionem consanguinitatis; et ideo non sequitur, quod affinitas generet affinitatem, sicut consanguinitas consanguinitatem.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod simile generat simile; dicendum, quod verum est, per se loquendo, si illud quo assimilatur, inest ei, secundum quod *generat;* unde leprosus generat leprosum, et calculosus calculosum, quia est ibi corruptio vis generativae. Sed tamen mancus non necessario generat mancum, quia defectus ille non respicit generantem, secundum quod est generans. Et quia affinitas *per accidens* respicit aliquem, ideo non diffundit eam in alterum, nec in eum qui propagatur, nec in eum qui carnaliter commiscetur. Unde non est modo verus ille versus[5]:

> Mutat nupta genus, sed generata gradum,

scilicet *affinitatis;* nisi quis velit ipsum distrahere et exponere, secundum quod competit proximitati modernae, ut per rationem matrimonii contrahatur *genus affinitatis,* et per generationem *genus consanguinitatis.* Primus tamen est intellectus verior[6].

QUAESTIO III.

Utrum affinitas praestet matrimonio impedimentum.

Tertio quaeritur, utrum affinitas praestet matrimonio impedimentum. Et quod sic, videtur.

1. Causa trigesima quinta, quaestione tertia[7]: « Aequaliter coniungatur quis propinquis suis et uxoris suae consanguineis ».

Fundamenta.

2. Item, Levitici decimo octavo[8]: *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis:* ergo nullus potest contrahere cum uxore patris; sed hoc non est ob aliud nisi ob vinculum affinitatis: ergo etc.

3. Item, hoc ipsum arguitur *per rationem:* quia

---

[1] Secundum Aristot., II. Phys. text. 66. (c. 6.). Cfr. tom. II. pag. 638, nota 3.

[2] Plures codd. *definitio,* cod. U *distinctio.*

[3] Codd. L Y *per consequens.*

[4] Ita codd. E L Y (F in margine); alii codd. *cognovit,* cod. K (I a secunda manu) legit: *cum filia, cuius matrem cognovit.*

[5] Vide supra *Praenotata.* — Inferius post *generationem* ex cod. E (secunda manus) substituimus *genus consanguinitatis* pro *genus affinitatis,* in cod. bb *gradus affinitatis.* — Sensus est: nisi *genus* sumatur *large* pro utroque impedimento.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Can. 13. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[8] Vers. 8. Vulgata *discooperies* pro *revelabis.*

turpitudo uxoris est turpitudo viri[1]; sed turpitudo consanguineae non est aliquatenus per actum coniugalem revelanda: ergo nec uxor viri in coniugium assumenda.

4. Item, proximitatis vinculum tam in consanguinitate quam in affinitate est ex sanguinis unitate: ergo si consanguinitas propter unitatem sanguinis impedit, pari ratione et affinitas, cum vir et mulier fiant una caro ratione commixtionis seminum.

Ad oppositum. CONTRA: 1. In Lege[2] erat prohibitum ducere sororem, et praeceptum erat ducere uxorem fratris; et illa est affinis: ergo affinitas matrimonium non impedit.

2. Item, magis iungitur aliquis alicui, qui iungitur per se et *immediate*, quam qui *mediate;* sed vir, qui cognoscit mulierem, potest ei iungi matrimonialiter: ergo multo magis consanguinei ipsius viri.

3. Item, secundum iura[3] consanguinei succedunt defuncto in rebus suis, in quibus habuit dominium et possessionem; sed vir habuit dominium in mulierem per matrimonium: ergo secundum iura consanguinei debent et possunt habere dominium in corpus coniugis per matrimonium: ergo etc.

4. Item, commixtio carnalis est ad tempus, et matrimonium est vinculum insolubile: si ergo maius vinculum solvit minus; cum commixtio carnalis[4] matrimonium non possit impedire, ergo nec affinitas inde contracta.

CONCLUSIO.

Affinitas, quae praecedit, impedit matrimonium contrahendum et dirimit contractum, non autem superveniens, quae tantum aufert reo ius exigendi debitum.

RESPONDEO: Dicendum, quod affinitas impedit
Conclusio 1. matrimonium, sicut habetur Extra, de Consanguinitate et affinitate[5]; et hoc intelligendum est de affinitate, quae praecedit matrimonii contractionem, non de ea quae supervenit. Si enim praecedat, impedit contrahendum et dirimit iam contractum, quia facit personam illegitimam secundum eundem modum et per easdem rationes, per quem modum et per quas
Conclusio 2. rationes facit consanguinitas[6]. Si autem sequatur matrimonium, non potest ipsum dissolvere, cum sit vinculum insolubile; si tamen contractum est et consummatum, ambo sunt ad continentiam monendi. Si vero contractum est et ratificatum per verba de praesenti; cum solvi non possit, nisi ingrediatur alter coniugum religionem, sicut habetur Extra, de Conversione coniugatorum[7]; necessario oportet, quod Conclusio 3.
ille qui malitiose cognovit consanguineam aliquam, reddat debitum, si illa non vult continere, aut in religionem ingrediatur, Extra, de Eo qui cognovit consanguineam uxoris suae[8]: *Discretionem,* et infra; ubi dicitur, quod tenetur reddere debitum, «cum non debeat coniux sine culpa iure suo privari». Ipse autem Conclusio 4.
non debet exigere, quia reddidit se inhabilem, sicut dicitur eodem titulo: *Transmissae nobis* etc.; ubi dicitur, quod « requisitus non sine gravi cordis dolore accedat ». — Sic igitur concedendum, quod affinitas praecedens matrimonium quantum ad primum genus ita impedit matrimonium, ut consanguinitas.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod praeceptum erat ducere uxorem fratris; dicendum, quod hoc verum erat in casu, scilicet cum frater mortuus erat sine semine. Quia enim promissa erat eis perfecta benedictio Notandum.
in semine, ideo non debebat pati Lex, quod aliquis esset, qui videretur sine semine, si haberet propinquum, qui suscitaret. Nunc autem, quia hoc sublatum est, sic impedit omnino, sicut consanguinitas[9].

2. Ad illud quod obiicitur, quod vir magis iungitur mulieri; dicendum, quod verum est; sed quoniam ille actus consonat et consequitur matrimonium; hinc est, quod vinculum nullum ibi concurrit inter virum et mulierem, quod matrimonio praestet impedimentum. — *Amplius,* sicut praedictum est[10], cum Alia ratio.
affinitas sit vinculum *per accidens,* praesupponit vinculum *per se,* scilicet consanguinitatem; et quia nemo sibi ipsi est consanguineus: hinc est, quod mulier non efficitur affinis viro, sed eius consanguineis.

3. Ad illud quod obiicitur, quod secundum iura consanguinei debent succedere; dicendum, quod verum est in illa hereditate, quam potest quis alii communicare et dare. Sed uxor est adeo bonum proprium, quod nec caritas communicat, quae facit omnia communia[11]; et ideo illud ius nunquam se extendit ad uxorem.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod carnalis commixtio est ad tempus; dicendum, quod quamvis sit ad tempus, tamen habet effectum perpetuum, scilicet affinitatem, ut prius visum est[12], et per illam impedit. Et sic patet totum[13].

---

[1] In textu praecedentis arg. additur: *Turpitudo enim patris tui est.* — De *minori* cfr. d. 40. q. 2. fundam. 2.

[2] Lev. 18, 9. — Deut. 25, 5. et Matth. 22, 24.

[3] Iustinian., III. Institut. imperial. de Successione cognator. (tit. 5.), per totum.

[4] Multi codd. et ed. 1 *corporalis.*

[5] Libr. IV. tit. 14. C. *Non debet* (8.), in quo *primum genus* affinitatis ut impedimentum non abrogatur.

[6] Cfr. supra d. 40. q. 2. Rationes ibi adductae ex parte valent etiam pro affinitate, quae consanguinitatem praesupponit. — De seq. propos. vide C. *Tuae fraternitatis devotio* (10.), X. de Eo qui cognovit consanguineam etc. (lib. IV. tit. 13.).

[7] Libr. III. tit. 32. C. *Verum post* (2.); cfr. supra pag. 683, nota 10.

[8] Libr. IV. tit. 13. c. 6. (Vide infra pag. 863, nota 2.). — Seq. locus est ibid. c. 4.

[9] Cfr. C. *Deus, qui Ecclesiam* (9.), X. de Divortiis (lib. IV. tit. 19.). — Superius pro *videretur* codd. E L P Q Y non ita bene *moreretur.*

[10] Quaest. praeced.

[11] Cfr. Act. 4, 32, et supra d. 33. a. 1. q. 2. in corp. — Verbo *communicat* cod. F praemittit *et illud.*

[12] Quaest. 1. ad 3.

[13] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *Ecclesia infra praedictos gradus separat.* Ponatur, quod Ecclesia decepta aliquos separet, et postmodum manifestetur deceptio; quaeritur, utrum tales sint reiungendi. Et quod *sic,* videtur: quia separatio per iniustitiam [1] facta est: ergo videtur, quod nullo modo possit stare, cum manifestatur, praecedens iudicium fuisse iniustum. — *Contra* hoc est, quia possibile est, quod aliquis post separationem in facie Ecclesiae fiat sacerdos, vel religiosus; sed talis non potest habere usum matrimonii: ergo non debet ei restitui.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur, quando et qualiter sit restitutio viri facienda uxori, vel e converso.

Respondeo: Dicendum, quod in tali casu facienda est restitutio: quoniam Ecclesia decepta fuit, et altera personarum iniuste exspoliata; et quoniam Ecclesia potest et debet errorem corrigere et non debet aliquam personam iure suo privare [2]: ideo, deceptione cognita, si alter, qui iniuste exspoliatus est, petat, debet restituere; et si intravit religionem et votum emisit, potest debitum *reddere,* sed non debet nec potest *exigere,* quoniam obligavit se ad continentiam, quantum est in se [3].

Quod quaeritur, quando et quomodo debeat uxor restitui viro, aut e converso; dicendum, quod uxor aut agit iure *petitorio,* aut *possessorio* [4]. Tunc agit *petitorio,* quando dicit, aliquem sibi adiudicari in maritum, quoniam cum ea *contraxit.* Tunc agit *possessorio* iudicio, quando petit, aliquem sibi restitui, pro eo quod vir eius fuit et cum ea *cohabitavit.* — Si agit *petitorio,* et vir excipiat; primo tractabitur exceptio mariti, antequam fiat restitutio sive quam satisfiat petitioni, pro eo quod probata exceptione mariti, si recta est, principalis quaestio perimitur. Si vero agit *possessorio,* restituendus est mulieri, etiam antequam probetur exceptio, Extra, de Restitutione spoliatorum [5], *Litteras,* et Extra, de Divortiis, *Porro;* exceptis quinque casibus. — Primus est, si obiiciatur mulieri publica fornicatio, et haec fuerit probata, nisi ipsa excipiat in contrarium contra virum de fornicatione, Extra, de Divortiis [6], *Significasti.* — Secundus casus est, si obiiciatur consanguinitas divina lege prohibita, *in continenti* probanda; differenda est restitutio, nec debet compelli per sententiam, ne forte superinducatur perplexitas. Si vero *differatur,* oportet fieri restitutionem per sententiam, sed tamen non oportet debitum reddere, si habet de consanguinitate conscientiam, Extra, de Restitutione spoliatorum [7], *Litteras.* — Tertius casus est, si obiiciatur exceptio rei iudicatae, a qua non est appellatum; argumentum de Officio delegati [8], *Causam matrimonii.* — Quartus casus est, quando tanta est saevitia viri, quod non potest sufficiens cautio adhiberi, utpote quia persequitur uxorem odio capitali, Extra, de Restitutione spoliatorum, *Litteras* in fine. — Quintus casus est, quando ille qui agit, alterum spoliavit sine causa; dicitur, quod non debet restitui, Causa trigesima secunda, quaestione prima, *De Benedicto* [9]*;* attamen illud non est usquequaque verum, quia tunc, quando vult redire, et alter non vult, si non habet quod obiiciat manifeste, ex tunc incipit spoliare.

(Margin: Ad quaest. incid. Duplex actio iuris. — De 1. actione. — De 2. actione. — Exceptio prima. — Secunda. — Tertia. — Quarta. — Quinta.)

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Si duo vel tres consanguinitatem* etc. Videtur enim male dicere, quia personae propinquae sunt suspectae: ergo non debent recipi ad testificandum. — Iuxta hoc quaeritur: qui possunt matrimonium accusare? (Quaestio.)

Respondeo: Dicendum, quod accusatio, propter quam debeat fieri divortium, aut est de *peccato,* aut de *consanguinitatis vinculo.* (Distinctio.) Si est de *peccato* fornicationis, (De 1. casu.) tunc soli coniuges possunt se mutuo accusare [10] — alii vero non admittuntur, quia tunc fit iniuria viro — et possunt simul stare sine peccato. — Si autem fit accusatio de *consanguinitatis vinculo,* (De 2. casu.) tunc primo admitti debent consanguinei, si sunt superstites, maxime cum est accusatio de matrimonio *dissolvendo,* quia non praesumitur, quod ipsi velint; et *praeterea,* melius sciunt genealogiam quam alii; et ideo specialiter in hac causa admittuntur consanguinei [11]. Tamen si sit quaestio de matrimonio con- (Alii casus.)

[1] Edd. *iustitiam.*

[2] In C. *Discretionem* (6.) et C. *Iordanae* (11.), X. de Eo qui cognovit etc. (lib. IV. tit. 13.) nec non in C. *Quanto te novimus* (7.), X. de Divortiis (lib. IV. tit. 19.) dicitur, quod nemo suo iure debeat sine sua culpa privari.

[3] Cfr. supra d. 27. dub. 4.

[4] Vide C. *Ad ultimum* (2.) seqq., X. de Causa possessionis etc. (lib. II. tit. 12.).

[5] Libr. II. tit. 13. c. 13. — Seq. locus est lib. IV. tit. 19. c. 3.

[6] Libr. IV. tit. 19. c. 4.

[7] Libr. II. tit. 13. c. 13.

[8] Plenius de Officio et potestate iudicis delegati (lib. I. tit. 29.), c. 16. — De seq. loco cfr. nota praecedens.

[9] Can. 5. — Inferius pro *quia tunc* edd. *sed tunc.* — Idem dub. solvitur a S. Thom., hic circa lit.

[10] Cfr. Glossa in verba Gratian. C. *Apud misericordem* (10.), C. 32. q. 1. § 1. et C. *Maritis* (4.), X. de Adulteriis et stupro (lib. V. tit. 16.). — Mox pro *tunc* [i. e. alias] *fit* codd. G R *tunc fieret,* et verbis *et possunt* cod. K (I a secunda manu) interserit *non.*

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 4, et C. *Videtur nobis* (3.), X. Qui matrimonium accusare possunt etc. (lib. IV. tit. 18.), ubi

trahendo sive contracto, ut suspecti repellendi sunt, ubi ille cuius filius vel filia coniuncta dicitur, superior est divitiis, potentia et honore. Quodsi consanguinei non adsint, qui testificentur; tunc possunt admitti extranei antiqui et maturi. Quodsi nec hi velint testificari, tunc omnes extranei possunt accusare, nisi aliud obsistat, ut puta si facta fuit denuntiatio, quod matrimonium accuset qui novit; si ille praesens aderat et tacet, ex tunc accusare non potest. Si vero fuit absens, vel postmodum didicit matrimonii impedimentum; si hoc iureiurando firmaverit, est admittendus, Extra, de His qui matrimonium accusare possunt [1], *Cum in tua*, et infra. Alicubi tamen sine differentia omnis qui vult accusare, admittitur, quia hoc honestatis est, scilicet servare ordinem prius dictum.

Dub. III.

Item de hoc quod dicit, *quod aliud est fornicatio, aliud stuprum* etc.; quaeritur, utrum ista sint Quaestio. diversa peccata secundum *speciem* et quantum ad *genus* peccati. Et quod *non*, videtur: quia sunt contra idem praeceptum, scilicet *non moechaberis* [2], et circa actum unius virtutis, sola circumstantia differente, in qua non est nisi accidentalis differentia. — *In oppositum* est: primum peccatum habet rationem suam a defectu circumstantiae; sed adulterium dicitur, quia aliquis cognoscit coniugatam, sed fornicatio, quia solutam: ergo sunt diversa peccatorum genera.

Respondeo: Dicendum, quod ista non tantum Notandum. differunt *accidente*, immo sunt *diversa genera* peccatorum; et talia oportet confiteri, quoniam, etsi videantur solum differre circumstantia, quae iudicatur esse accidentalis proprietas; tamen ipsa circumstantia comparata ad *peccatum* est essentialis, quamvis comparata ad *actum* sit accidentalis: et ideo non variat *genus actus*, sed *peccatum*.

Quod ergo obiicit, quod est [3] contra idem praeceptum et circa eundem actum; dicendum est, quod hoc non impedit, quin possint esse diversa peccata, pro eo quod circa eundem actum et contra idem bonum contingit multipliciter obliquari [4].

Dub. IV.

Item super hoc quod dicit, quod *stuprum est virginum illicita defloratio;* quaeritur, quod sit maius peccatum, utrum stuprum, an adulterium. Quaestio. Et quod maius sit *adulterium*, patet ex ordine Magistri, quia praemittit minora, et gradatim ascendit [5]. — *Amplius*, per adulterium iniuriatur quis viro, per stuprum non. Unde virgo, quae non est alteri alligata, non peccat nisi in Deum; sed adultera in Deum et in proximum: ergo etc. — *Contra:* Nobilior est castitas virginalis quam coniugalis [6]: ergo gravius est peccatum, quod est contra virginalem quam contra coniugalem; sed stuprum est contra virginalem: ergo etc. — Item, qui corrumpit virginem aliquam aufert ei bonum irrecuperabile [7]; sed non qui adulterat: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod pro maiori parte Notandum. peccata ad invicem comparata se habent sicut excedentia et excessa. Unde si comparemus coitum cum coniugata ad coitum cum virgine soluta; deformius est virginem deflorare quam defloratam cognoscere; attamen gravius peccat qui adulteratur, quia magis laedit rempublicam et magis offendit virum et magis generat infamiam. — Obiecta autem procedunt per diversas vias.

DISTINCTIO XLII.

Cap. I.

De spirituali cognatione.

De parentalium graduum famosa quaestione aliquid, licet minus sufficienter, diximus. Iam de *spirituali* cognatione addamus, quae etiam personas impedit, ut non sint legitimae ad ineundas nuptias. « Tria Hugo. quaedam [1] sunt: consanguinitas, affinitas et spiritualis germanitas. Consanguinitas est inter eos qui iunguntur secundum lineam generis. Affinitas inter eos qui genere quidem non sunt coniuncti, sed mediante genere

---

etiam Glossa ad verba *Antiqua consuetudine* propositionem seq. (de repellendis) insinuat.

[1] Libr. IV. tit. 18. c. 6. — Inferius pro *differentia omni, qui* ex codd. F G substituimus *differentia, omnis qui*, cod. A omittit *omnis*. — Idem dub. solvunt B. Albert., IV. Sent. d. 31. a. 12; S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 2. et 3; Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 4.

[2] Exod. 20, 14; Deut. 5, 18. — Aliquanto inferius cod. aa bis *quando* pro *quia*.

[3] Edd. perperam *non est.* Superius pro *essentialis* codd. G aa *substantialis*.

[4] Cfr. Alex. Hal., S. p. II. q. 147-152; S. Thom., hic a. 4; Petr. a Tar., hic circa lit. In locis citt. agitur etiam de seq. dub.

[5] Edd. *praemittit maiora et gradatim descendit*, codd., servato contra contextum *maiora*, pro *descendit* substituunt *ascendit*.

[6] Cfr. supra pag. 754, nota 6. — Inferius post *coniugalem* edd. addunt *decorem*.

[7] Vide supra pag. 338, nota 3. — Cod. H *irreparabile*. Mox edd. *adulteratur*.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Ita codd. et edd. 2, 3, 6, 7, 8 et ipse Hugo, II. de Sacram. p. XI. c. 17, unde sumtae sunt haec propositio et sequentes; in ceteris edd. *quidem*. Seq. locus est eiusdem Sum. Sent. tr. 7. c. 12.

sunt sociati, verbi gratia, uxor filii fratris mei, quae non est de genere meo, per ipsum qui est de genere meo, mihi affinis facta est, et ego illi ». « Spiritualis proximitas est inter compatrem et commatrem, et inter eos quorum unus alterum de sacro fonte levavit, vel in catechizatione, aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios eiusdem hominis carnales et spirituales ». Hugo.

Cap. II.

Qui sint filii spirituales.

« Spirituales filii sunt quos de sacro fonte levamus, vel in catechizatione seu confirmatione tenemus. Filii etiam et filiae spirituales eorum sunt, qui trinae mersionis vocabulo eos sacro baptismate tingunt. Dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis quae ei peccata sua confitetur[1] ». Unde Symmachus Papa[2]: « Omnes quos in poenitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii, ut et ipsi quos, vel nobis suscipientibus, vel sub trinae mersionis vocabulo mergentibus, unda baptismi regeneravit. Silvester etiam admonet, ut ad suam poenitentialem nullus sacerdos accedat, quia scriptum est: Omnes quos in poenitentia accipimus, ita nostri filii sunt, ut in baptismo suscepti »; « quorum omnium flagitiosa est commixtio ». « Quod autem compater et commater sibi iungi nequeant, nec pater spiritualis vel mater filiae vel filio spirituali, ex Concilio Maguntinensi docetur[3] »: « De eo quod interrogasti, si aliquis filiolam suam duxerit uxorem, et de eo qui concubuit cum matre spirituali, et de eo qui filium suum baptizavit, et uxor eius eum de fonte suscepit hac causa, ut dissidium fieret coniugii, si post in tali copula possunt permanere; sic respondendum est: si filiolam aut commatrem suam aliquis in coniugium duxerit, separandos esse iudicamus et gravi poenitentia plectendos. Si vero coniuges legitimi, unus vel ambo, ex industria hoc fecerint, ut filium suum de fonte susciperent; si innupti manere voluerint, bonum est; sin autem, gravis poenitentia insidiatori iniungatur, et simul maneant; et si praevaricator coniugii supervixerit, acerrima poenitentia mulctetur et sine spe coniugii maneat ». — Ex his apparet, quod aliquis filiolam suam vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter; et si praesumtum fuerit, separandi sunt. Qui autem legitime coniuncti sunt, non ideo separandi sunt, quia alter eorum insidiose filium de fonte levavit. — Quod etiam Nicolaus[4] confirmat dicens: « Nosse desideras, utrum mulier, quae viri filium ex alia femina genitum de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo coniungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu, nullius religionis obtentu debet coniux dimittere coniugem, cum Apostolus praecipiat: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus* » etc. Item: « Dictum est nobis, quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus, ut, si qua mulier filium suum desidia, aut fraude aliqua coram episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam vel fraudem, quamdiu vivat, poenitentiam agat; a viro tamen suo non separetur ». Item Ioannes Papa[5]: « Ad limina beati Petri homo, nomine Stephanus, veniens, nostro praesulatui innotuit, quod filium suum in extremo vitae positum, necdum baptismi unda lotum, absentia sacerdotum cogente, baptizavit eumque propriis manibus suscepit. Atque pro huiusmodi negotio reverentia tua praefatum hominem a sua coniuge iudicavit esse separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura: *Quod Deus coniunxit homo non separet;* et Dominus non dimittere uxorem nisi causa fornicationis iubet. Et nos tanta auctoritate freti, dicimus, dimittendum esse, et inculpabile iudicandum, quod necessitas intulit. Nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, libere conceditur. Unde si supradictus homo filium morientem aspiciens, ne animam perpetuo perire dimitteret, unda baptismi lavit, ut eum de potestate mortis eriperet; bene fecisse laudatur. Ideoque suae uxori sibi iam olim legitime sociatae impune, dum vixerit, iudicamus manere coniunctum nec ob hoc separari debere ». — His aliisque pluribus auctoritatibus edocetur, coniuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte levat, vel in confirmatione tenet.

Gratianus. Symmachus. Gratianus. Hugo. Canon. Nicolaus. Canon. Ioannes.

His autem obviare videtur, quod Deusdedit Papa[6] ait: « Pervenit ad nos diaconus sanctitatis vestrae epistolam deferens, quod quidam viri et mulieres praeterito sabbato paschali pro magno populi incursu nescientes filios suos suscepissent de lavacro. Cupis ergo scire, an propter hoc debeant viri ac mulieres ad proprium usum redire, vel non. Nos vero hac re moesti priorum inquisivimus dicta et invenimus in archivis apostolicae Sedis, iam talia contigisse in pluribus Ecclesiis, quarum episcopis ab hac apostolica Sede volentibus scire, utrum viri ac mulieres redirent ad proprium torum; beatae memoriae sancti Patres Iulius, Innocentius et Caelestinus cum episcoporum plurimorum consensu in Apostolorum principis Ecclesia, prohibentes talia, rescripserunt et confirmaverunt, ut nullo modo se in coniugio reciperent mulieres ac viri, qui- Deusdedit.

[1] Gratian. super C. *Ad limina* (7.), C. 30. q. 1; cfr. Hugo, Sum. loc. cit.

[2] Can. *Omnes quos* (8.), ibid. Plurimae edd. ante *poenitentialem* addunt *filiam.* Seq. locus est Gratiani loc. cit.

[3] Hugo, Sum. Sent. loc. cit. Pro *Maguntinensi* Hugo et cod. Erf. habent *Maguntiensi,* ed. 8 *Moguntinensi.* Sequens can. huius Concilii est ibid. et C. *De eo quod interrogastis* (5), ibid. Cfr. C. *Veniens* (6.), X. de Cognatione spirituali (lib. IV. tit. 11.).

[4] Can. *Nosse desideras* (3.), C. 30. q. 1; ubi citatur I. Cor. 7, 5. Seq. locus est C. *Dictum est* (4.), ibid.

[5] Can. *Ad limina* (7.), ibid.; et citantur Matth. 19, 5; 6, 32. — Vat. cum edd. 4, 5, 9 pro *dimittendum esse* (i. e. non inquietandum) *non dimittendam esse,* scilicet uxorem.

[6] Can. *Pervenit ad nos* (1.), ibid. De explicatione et abrogatione huius canonis cfr. C. *Qui spiritualem* (4.), ibid. q. 4. et C. *Martinus* (4.), X. de Cognatione spirit. (lib. IV. tit. 11.). — Post *archivis* edd. plurimae et codd. B C E addunt glossando *id est armariis;* deinde Vat. et plurimae edd. falso *praesidentes* pro *prohibentes;* denique pro *rescripserunt* ed. 8 cum canone *praescripserunt.*

cumque hac ratione susceperint natos, sed separarent se, ne, suadente diabolo, tale vitium inolescat». Item [1]: Canon. «Si quis filiastrum vel filiastram suam ante episcopum tenuerit ad confirmationem, separetur ab uxore sua et aliam nunquam accipiat». — Haec autem vel ad terrorem dicta sunt, non quia ita esset faciendum, sed ne illud fieret, summopere cavendum; vel de illis est intelligendum, qui prius filios suos vicissim de fonte susceperunt, quam fierent coniuges. — Praemissis au-Gratianus. tem auctoritatibus omnino consentiendum est, ut «sive proprium, sive tantum viri filium mulier de fonte susceperit, non ideo a viro separetur; quod et de viro similiter oportet intelligi».

Cap. III.

De copula spiritualium, vel adoptivorum et naturalium filiorum.

Quod autem spirituales, vel adoptivi filii naturali-Nicolaus. bus copulari nequeant, Nicolaus Papa [2] testatur, ita inquiens: «Ita diligere debet homo eum qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem. Inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio est, quae dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri legale coniugium, quia nec inter eos qui natura, et eos qui adoptione filii sunt, venerandae leges matrimonia contrahi permittunt. Item, si inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare quos per caeleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus iungit»?

Cap. IV.

De copula filiorum, qui ante compaternitatem, vel post nati sunt.

Hoc autem quidam volunt intelligere de illis tantum filiis, quibus compatres facti sunt; de aliis vero, qui ante compaternitatem vel post geniti sunt, concedunt, quod legitime et licite iungi possunt. Quibus vi-Urbanus. detur consentire Urbanus secundus [3] dicens: «Super quibus consuluit nos tua dilectio, hic videtur respondendum, ut baptismus sit, si, instante necessitate, femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit, et quod spiritualium parentum filii vel filiae ante vel post compaternitatem genitae possunt legitime coniungi praeter illam personam, qua compatres sunt effecti».

Paschalis vero secundus [4] post compaternitatem Paschalis. genitos copulari prohibet, scribens Rhegino episcopo: «Post susceptum filium de fonte vel filiam spiritualem qui ex compatre vel ex commatre fuerint nati matrimonio coniungi non possunt». — Illud etiam notandum Canon. est, quod in Tiburiensi Concilio legitur: «Si quis suae spiritualis commatris filiam fortuito, et ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiori servato, habeat atque legitimo connubio honeste operam det».

Cap. V.

Si cui liceat duas commatres ducere, alteram post alteram.

Solet etiam quaeri, si commatrem uxoris post eius obitum quis ducere valeat. De hoc Nicolaus Papa [5] sic Nicolaus. scribit: «Sciscitatur a nobis sanctitas vestra, si quis duas commatres habere valeat unam post alteram. In quo meminisse debes, scriptum esse: *Erunt duo in carne una.* Cum igitur constet, quod vir et mulier una caro efficiuntur; restat, virum compatrem constitui illi mulieri, cuius assumta uxor commater erat; et ideo virum illi feminae non posse coniungi, quae commater eius erat, cum qua idem fuerat una caro effectus».

Huic autem illud contrarium videtur: «Qui spiri- Canon. tualem habet compatrem, cuius filium de lavacro accepit, et eius uxor commater non est, licet ei, defuncto compatre suo, eius viduam ducere in uxorem; quos nulla generatio spiritualis secernit». Item, ex epistola Paschalis Papae: «Post uxoris obitum cum commatre Paschalis. uxoris coniugio copulari, nulla videtur ratio vel auctoritas prohibere. Non enim per carnis unionem ad unionem spiritus pertransitur». — Sed sciendum, quod «aucto- Gratianus. ritas Nicolai de illo agit, qui uxori suae debitum reddidit, postquam commater illius exstitit. Aliae vero auctoritates de illo agunt, cuius uxor, postquam a viro suo derelinquitur, illius commater efficitur nec post compaternitatem a viro suo cognoscitur»; vel de illo potius agunt, cuius uxor ante defungitur, quam ab eo cognoscatur.

Cap. VI.

Si vir et uxor simul valeant tenere puerum.

Solet etiam quaeri, si uxor cum viro simul debeat in baptismo suscipere puerum. De hoc Urbanus [6] ait: Urbanus. «Quod uxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate invenitur prohibitum; sed ut ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe et infamia conservetur immunis, decrevimus, ut utrique simul ad hoc aspirare non praesumant. Quia vero piaculare flagitium commisit qui duabus commatribus velut sororibus nupsit, magna poenitentia debet ei iniungi».

Cap. VII.

De secundis et tertiis et deinceps nuptiis.

Sciendum est etiam, quod non solum primae vel secundae nuptiae sunt licitae, sed etiam tertiae et

---

[1] Can. *Si quis filiastrum* (2.), C. 30. q. 1. — Pro *quia ita* edd., excepta 1, *quod ita*, refragantibus codd. — Seq. locus est Gratian., super C. *Non debet* (10.), ibid.

[2] Can. *Ita diligere* (1.), ibid. q. 3. § 1. et 2.

[3] Can. *Super quibus* (4.), ibid.

[4] Can. *Post susceptum* (5.), ibid. Seq. locus est C. *Illud etiam* (6.), ibid.

[5] Can. *Sciscitatur a nobis* (1.), ibid. q. 4, ubi respicitur Gen. 2, 24. Seq. locus est C. *Qui spiritualem* (4.), ibid.; tertius C. *Post uxoris* (5.), ibid. Quae sequuntur sunt ex Gratiano super ult. can. — Cod. Erf. annotat: Cave, quia Magister hic non tenetur. — De ista opinione Magistri et Gratiani cfr. infra Comment. a. 1. q. 3.

[6] Can. *Quod autem* (6.), ibid.

Augustinus. quartae non sunt damnandae. Unde Augustinus [1]: « Secundas nuptias omnino licitas Apostolus concedit ». « De tertiis autem et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Sed quis audeat definire quod nec Apostolum video definisse? Ait enim: *Si dormierit vir eius, cui vult nubat.* Non dicit: primus, vel secundus, vel tertius, vel quotuslibet; nec nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde ut breviter respondeam, nec illas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut, quoties voluerint, nubant, nec ex meo corde praeter Scripturae auctoritatem quotaslibet nuptias damnare ». Item testatur Hieronymus [2]: « Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia bigamiam, immo nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto, quemadmodum secundo marito nubere ». — Apostolus tamen bigamos a sacerdotali honore excludit. Sed hoc non facit pro vitio bigamiae, immo pro Sacramenti virtute, ut sit una unius, sicut unica unici. — Illud tamen Caesariensis Concilii [3] videtur innuere, bigamiam esse peccatum: « Presbyterum, inquit, in nuptiis bigami prandere non convenit, quia, cum poenitentia bigamus indigeat, quis erit presbyter, qui talibus nuptiis possit praebere consensum »? Sed hoc de illo intelligi potest, qui primae uxori insidiatus putatur desiderio secundae; vel pro signaculo Sacramenti illud dicitur, quod in bigamo non servatur. Ambrosius [4] etiam dicit, quod « primae nuptiae tantum a Domino sunt institutae, secundae vero sunt permissae; et primae nuptiae sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundae vero etiam in praesenti carent gloria ».

Hieronymus. De irregularitate. Canon. Ambrosius.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLII.

De impedimento matrimonii, quod venit ex propinquitate spirituali.

De parentalium graduum famosa quaestione etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de cognatione carnali. In hac parte agit de spirituali, et continet haec pars praesentem distinctionem, quae potest dividi in duas partes. In prima agit de cognatione spirituali. In secunda vero agit de secundis nuptiis, ostendens, illas esse licitas; quae pars supra [1] divisa fuit contra totam praecedentem; et hoc facit ultimo capitulo: *Sciendum est etiam, quod non solum primae vel secundae nuptiae* etc.

Prima pars habet duas. In prima ostendit, qualiter spiritualis cognatio contrahatur. In secunda, qualiter impedit matrimonium, ibi: *Quod autem compater et commater* etc. Et illa dividitur in duas. In prima agit de cognatione directa. In secunda vero de indirecta, ibi: *Solet etiam quaeri, si commatrem* etc.

Prima pars iterum dividitur in duas. In prima agit, quomodo cognatio spiritualis impedit in se. In secunda vero, in comparatione ad cognationem legalem, ibi: *Quod autem spirituales, vel adoptivi filii.* — Et ita tria determinat [2] in hac distinctione. Primum est de cognatione spirituali; secundum est de legali, et tertium est de secundis nuptiis.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis circa tria incidit hic principaliter quaestio, sicut tria sunt, quae Magister determinat.

Primo quaeritur de cognatione spirituali.
Secundo, de cognatione legali.
Tertio, de secundo foedere nuptiali.

---

[1] De Bono viduitatis, c. 4. n. 6; lib. II. contra Adversar. Legis et Prophet. c. 11. n. 37; C. *Deus masculum* (12.), C. 31. q. 1. Seq. locus est de Bono viduitatis, c. 12. n. 15, ubi citatur I. Cor. 7, 39; C. *Quod si dormierit* (13.), ibid. — Pro *auferre* codd. C D *afferre*, Vat. *inferre*, refragante etiam canone. — Hoc cap. sumtum est ex Hug., Sum. Sent. tr. 7. c. 21.

[2] Epist. 48. (alias 50.) ad Pammachium, n. 18; C. *Aperiant quaeso* (11.), ibid. § 2. — Pro *bigamiam* et *trigamiam* plurimae edd. *bigamam* et *trigamam;* codd. A B *digamiam* (quod etiam infra ab aliis codd. repetitur). — Deinde respicitur I. Tim. 3, 2.

[3] Can. *De his* (8.), ibid.

[4] Comment. in I. Cor. 7, 40 (inter eius opera).

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Dist. 34. in Divisione textus.

[2] Codd. O R S *determinantur.*

ARTICULUS I.

De cognatione spirituali.

Quantum ad primum primo procedamus per modum narrationis; secundo vero per modum inquisitionis.

PRAENOTATA.

Via narrationis. Circa primum tria sunt notanda.

Primo, quid sit.

Secundo, quot eius species.

Tertio, quot modis contrahatur.

De primo sciendum, quod cognatio spiritualis ita definitur: Cognatio spiritualis est propinquitas aut proximitas proveniens ex Sacramenti donatione, vel ad illud tentione. Unde tam ille qui baptizat, quam ille qui tenet proximus et cognatus spiritualiter iudicatur, Causa trigesima, quaestione prima [1], *Omnes quos in poenitentia*, et Extra, de Cognatione spirituali, capitulo ultimo. (De definitione.)

De secundo notandum, quod cognationis [2] spiritualis tres sunt species. Una dicitur *compaternitas*, quae attenditur inter patrem spiritualem et carnalem patrem. Alia dicitur *paternitas*, et haec attenditur inter eum qui suscipitur, et eum qui suscipit, sive sit masculus, sive femina. Tertia dicitur *fraternitas*, et haec attenditur inter filium spiritualem et filium carnalem praecise et universaliter; nam non se extendit nisi ad illum qui suscipitur, Causa trigesima, quaestione tertia [3], *Super quibus*, et Extra, de Cognatione spirituali, capitulo septimo, *Tua nos*. Et omnes istae species impediunt matrimonium. (De speciebus.)

De tertio sciendum, quod spiritualis cognatio dupliciter contrahitur, scilicet *directe* et *indirecte*. *Indirecte*, ut quando uxor efficitur *commater* alicuius per actum viri, vel e converso vir efficitur *compater* per actum uxoris. *Directe* vero contrahitur per actum proprium, ut cum tenet aliquem, vel aliquam ad Sacramenti susceptionem [4]. — Sed circa hoc fuerunt tres opiniones. (De modis contrahendi.)

Prima dicit, quod «sicut septem sunt dona Spiritus sancti, ita sunt septem dona baptismi, scilicet a primo pabulo salis usque ad confirmationem», quae fit per episcopum; et in quolibet horum contrahitur compaternitas, ita quod non potest esse matrimonium inter tales, Causa trigesima, quaestione prima [5], *Pervenit* in fine. (Opinio 1.)

Secunda dicit, quod per tria tantum Sacramenta contrahitur, scilicet per catechismum, baptismum et confirmationem episcopi, de Consecratione, distinctione quarta [6], *In catechismo*. (Opinio 2.)

Tertia opinio parum differt a secunda. Dicit enim, quod in his tribus contrahitur cognatio spiritualis, sed in baptismo et confirmatione adeo *fortis* est, quod impedit contrahendum et dirimit iam contractum, Causa trigesima, quaestione prima [7], *Si quis filiastrum*. In catechismo autem contrahitur adeo *exilis*, quod vix impedit contrahendum et non dirimit iam contractum, Extra, de Cognatione spirituali [8], *Contracto*. (Opinio 3.)

Sed quae istarum opinionum sit verior, dubitationem habet. Et propterea circa hoc quaeruntur tria. (Via inquisitionis.)

Primo quaeritur, utrum cognatio spiritualis contrahatur per aliquod Sacramentum [9].

Secundo quaeritur, utrum impediat matrimonium.

Tertio quaeritur, utrum transeat ab uno in alterum.

QUAESTIO I.

Utrum cognatio spiritualis contrahatur per aliquod Sacramentum.

Circa primum sic proceditur; et quod cognatio spiritualis contrahatur per Sacramenta, videtur:

1. Per illud quod dicitur Causa trigesima, quaestione prima [10]: «Omnes quos suscepimus, ita filii nostri sunt, ut illi quos, nobis suscipientibus, unda sacri baptismatis regeneravit»: ergo etc. (Fundamenta.)

2. Item, hoc ostenditur *ratione:* quia cognatio attenditur penes generationem; sed sicut est carna-

---

[1] Can. 8. — (De ipsa *definitione* cognationis cfr. ibid. C. *Ita diligere debet*, c. 1. q. 3, et Glossa ibid.). — Seq. locus est lib. IV. tit. 11. c. 8, *Ex litteris vestris.* — Superius pro *ad illud tentione* multi codd. *ad id de necessitate*, cui codd. I K addunt *sequitur;* B. Albert., hic a. 2, *ad idem tentione.*

[2] Ita cod. E, alii codd. et edd. *consanguinitatis.*

[3] Can. 4. — Seq. locus est libr. IV. tit. 11.

[4] Cod. aa addit *vel dationem.*

[5] Can. 1, ex quo praenotata verba, quae a Glossa exponuntur sic: Primum salis collatio... Secundum aurium et narium linitio... Tertium est in pectore et in fronte crucis facta signatio... Quartum est olei sancti unctio... Quintum baptismi ablutio... Sextum in vertice chrismatis perunctio... Septimum eiusdem in fronte facta signatio. Cfr. *Glossa* in C. *Contracto matrimonio* (5.), X. de Cognatione spirituali (lib. IV. tit. 11.), ubi idem et etiam duae seqq. opiniones afferuntur.

[6] Can. 100. Cfr. C. *Si quis ex uno* (3.), C. 30. q. 4.

[7] Can. 2.

[8] Libr. IV. tit. 11. c. 5.

[9] Cod. F *per Sacramenta.*

[10] Can. 8; cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi plenius affertur. Post *Omnes quos* in cod. L (E P a secunda manu), textu originali consentiente, additur *in poenitentia.*

lis generatio in filiis, ita et spiritualis in Sacramentis: cum ergo sit vera regeneratio [1], videtur, quod sit ibi vera cognatio.

3. Item, qui suscipit aliquem in baptismo tenetur eum fovere et erudire in spiritualibus [2]: ergo obligatur ad actum paternum spiritualem: ergo per aliquod vinculum spirituale; hoc autem appellamus cognationem: ergo etc.

4. Item, reverentiam et honorem tenetur aliquis ei facere, qui se regeneravit, maiorem quam aliis; hoc autem non est propter aliud nisi propter illud mandatum [3], quo pater est honorandus specialiter prae aliis hominibus: ergo iste aliquo modo est pater; sed non carnalis: ergo spiritualis. Sed carnalis paternitas facit cognationem carnalem: ergo et spiritualis spiritualem.

Contra: 1. Maius est vinculum caritatis quam
Ad oppositum. alicuius Sacramenti; sed vinculum caritatis non efficit aliquam cognationem, nec carnalem nec spiritualem: ergo nec per aliquod Sacramentum cognatio [4] contrahitur.

2. Item, inter omnia Sacramenta Sacramentum eucharistiae est maioris unionis, pro eo quod unit in uno corpore; sed per Sacramenti eucharistiae susceptionem nulla efficitur spiritualis cognatio: ergo nec per alia.

3. Item, plus assimilantur et conveniunt participantes unum Sacramentum quam dans et suscipiens, in quantum huiusmodi; sed qui participant idem Sacramentum propter hoc non dicuntur habere cognationem, nec spiritualem nec carnalem: ergo etc.

4. Item, quia pater et filius sunt proximi, necesse est, quod filii ab eodem patre procedentes sint proximi et cognati in cognatione carnali: ergo pari ratione, si est cognatio inter patrem spiritualem et filium, erit cognatio inter filios spirituales eiusdem patris: ergo omnes qui baptizarentur ab uno, essent cognati spiritualiter: ergo cum hoc non sit verum, nec illud est verum, quod cognatio spiritualis sit inter dantem Sacramentum et suscipientem.

CONCLUSIO.

Cognatio spiritualis vere contrahitur in duobus Sacramentis.

Respondeo: Dicendum, quod spiritualis cogna-
Conclusio 1. tio est et esse debet; et hoc propter conformitatem spiritualium ad carnalia. Sicut enim est *carnalis generatio,* in qua est vinculum et quidam amor naturalis; sic est *spiritualis regeneratio* per Sacramenta aliqua, et per illam similiter aliquod vinculum acquiritur et amor spiritualis: et ideo in illis Sacramentis praecipue contrahitur, in quibus est regeneratio. Quoniam igitur dispositio ad regenerationem est in *catechismo,* regeneratio in *baptismo,* regenerationis consummatio in *confirmatione* [5]; hinc Conclusio 2. est, quod in his tribus secundum communem opinionem contrahitur cognatio. Sed tamen, quia in catechismo non est *vera* regeneratio, ideo non contrahitur ibi vera cognatio nec alligatio fortis, sed Conclusio 3. adeo exilis, ut, sicut dictum est [6], non dirimat matrimonium iam contractum et vix impediat contrahendum. — Et sic concedendae sunt rationes ad hoc.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium de Solutio oppositorum. vinculo caritatis et Sacramento altaris, dicendum, quod in neutro attenditur *regeneratio,* sed in aqua et Spiritu sancto [7], quorum unum est in Sacramento baptismi, reliquum in Sacramento confirmationis; et si aliqua regeneratio spiritualis attendatur penes Notandum. *virtutes,* haec facit cognationem ad Deum et Filium Dei, non filium vel cognatum hominis, pro eo quod *virtutem* «operatur Deus in nobis sine nobis [8]», *Sacramentum* autem dispensatur per hominem.

3. Ad illud quod obiicitur de comparticipatione, dicendum, quod comparticipatio Sacramenti est vinculum *commune,* sive ab eodem, sive a diversis Notandum. sit, quia *unus Deus, una fides, unum baptisma* [9]; sed cognatio est vinculum *speciale:* et ideo Sacramenti comparticipatio nec est cognatio nec facit cognationem; non sic datio et susceptio Sacramenti, immo dicit ordinem ad aliquam personam specialem et quoddam vinculum superaddit et quandam specialem tentionem; et hanc rectissime possumus appellare *cognationem.* Et sic patet illud.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo de fraternitate carnali, dicendum, quod non est simile: quia utrumque est vinculum *speciale,* et aliquo modo Notandum. magis conveniunt qui generantur ab eodem, sicut supra [10] monstratum fuit; qui autem baptizantur ab eodem non magis conveniunt, quam qui baptizantur a diversis. — *Amplius,* ex affinitate et affinitate non surgit tertia affinitas, nisi interveniat consanguinitas, quae est vinculum per se [11]; sic ex cognatione spirituali ex utraque parte non surgit cognatio spiritualis, nisi ex altera parte sit consanguinitas. Unde cognatio ponitur inter filium spiritualem et filium carnalem, non inter spiritualem et spiritualem. Et sic patet illud.

---

[1] Ioan. 3, 5: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto etc.; Tit. 3, 5: Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti.

[2] Cfr. supra d. 6. p. II. a. 3. q. 1. — Edd.: *ergo obligatur ad talem actum spiritualem patrinus spiritualis: ergo* etc.

[3] Exod. 20, 12: Honora patrem tuum etc.

[4] Cod. K *aliqua cognatio.*

[5] Vide supra d. 7. a. 2. q. 3. — Superius pro *per illam* cod. aa *per illa.*

[6] In *Praenotatis* ad hunc art. in fine.

[7] Vide supra pag. 868, nota 11.

[8] Respicitur definitio virtutis supra pag. 326, nota 4. allata.

[9] Eph. 4, 5.

[10] Dist. 40. q. 1. — Superius pro *speciale* permulti codd. et edd. *spirituale.*

[11] Vide supra d. 41. q. 2. — De seqq. cfr. *Praenotata.* — Superius post *Amplius* edd. addunt *sicut.*

SCHOLION.

I. De tribus opinionibus, quae fuerunt de radice cognationis *spiritualis,* vide supra in Praenotatis. Idem repetit S. Thom. (hic q. 1. a. 2; Suppl. q. 56. a. 2.), qui concludit, eandem contrahi tantum per baptismum et confirmationem; cui sententiae communi reapse etiam adhaeret auctor noster secundum principia ab ipso posita. Unde etiam sibi constans approbat quod idem S. Thomas (loc. cit. ad 8.) docet, scilicet per Sacramentum *poenitentiae* non contrahi, proprie loquendo, cognationem spiritualem, sed « tantum quoddam foedus inter sacerdotem et mulierem confitentem, simile cognationi spirituali ». A Concilio Trident. (Sess. XXIV. de Reform. c. 2.) etiam hoc impedimentum restrictum est, ita ut non sit nisi inter *ministrum* utriusque Sacramenti et recipientem illud, nec non inter *eundem* et suscipientis parentes; porro inter *patrinum* (vel matrinam) et recipientem; denique inter *patrinum* et matrem recipientis, nec non inter *matrinam* et patrem eiusdem.

De 1. quaestione: Scot., hic quaest. unica, ubi etiam de toto 1. et 2. art. agit. — S. Thom., locis citt. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 1-5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. unica.

II. De 2. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 1. — B. Albert., hic a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1.

III. De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. hic a. 3. quaestiunc. 2. 3, et Suppl. a. 4. 5. — B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum cognatio spiritualis impediat matrimonium.

Secundo quaeritur, utrum cognatio spiritualis impediat matrimonium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Causa trigesima, quaestione prima [1], *De eo quod interrogasti* etc., et infra: « Si filiolam, aut commatrem suam aliquis in matrimonium duxerit, separandos esse iudicamus et gravi poenitentia plectendos ».

2. Item, *ratione* videtur hoc ipsum: tanto honestius et purius custodiendum est vinculum, quanto est sanctius et spiritualius: si ergo propter honestatem non potest contrahi matrimonium, ubi intervenit vinculum carnale et cognatio carnalis [2]; multo fortius, ubi intervenit cognatio spiritualis.

3. Item, qui est proximus cognatione carnali tractandus est affectu consanguinitatis: si ergo ille affectus non admittit copulam carnis, immo naturaliter refugit; ergo et cognatio spiritualis, ut videtur.

Ad oppositum. Contra: 1. Cognatio spiritualis manet simul cum matrimonio: ergo non impedit. *Probatio:* Causa trigesima, quaestione prima [3], *De eo quod interrogasti:* « Si coniuges legitimi filium suum de fonte susceperint; si volunt, simul maneant »: ergo non compelluntur separari: ergo spiritualis cognatio non impedit.

2. Item, cognatio carnalis disponit ad spiritualem: ergo non habent oppositionem ad invicem: ergo una non praestat alteri impedimentum: ergo nec commixtio carnis susceptioni Sacramenti, nec e converso.

3. Item, plus facit qui aliquem de errore trahit ad fidem, quam qui baptizatum levat de fonte; sed si quis convertat [4] aliquam ad fidem, non impeditur cum ea contrahere, immo potest sponsalia contrahere sub hac conditione, si velit ad fidem venire: ergo nec impeditur, si levat de fonte, quin etiam possit contrahere.

4. Item, diversitas in participatione Sacramenti impedit matrimonium, ut puta cultus disparitas; sed opposita habent oppositos effectus [5]: ergo quod facit conformitatem in cultu et Sacramento disponit ad Sacramentum. Hoc autem facit dispensatio et collatio baptismi: ergo etc.

CONCLUSIO.

Cognatio spiritualis, si matrimonium praecedit, impedit contrahendum et dirimit contractum; si vero sequitur, interdum tollit ius petendi debitum.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod cognatio spiritualis potest *sequi,* aut *praecedere* matrimonium. Si *sequatur,* generaliter verum est, quod non potest infringere matrimonii vinculum [6]. Conclusio 1.

De iure solvendi debitum. Sed tamen quantum ad ius solvendi debitum, distinguendum: quia hoc aut factum est *necessitate,* ut puta quando parvulus est in periculo mortis, et non est qui baptizet eum, aut ex *ignorantia,* aut ex *industria.* In primo casu simpliciter non amittit ius petendi nec solvendi; in secundo casu similiter, si fuit diligentia, non amittit; in tertio casu amittit ius petendi qui hoc facit; tamen, quia non debet Conclusio 2.

---

[1] Can. 5: *De eo quod interrogastis*, qui integer refertur hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Cfr. d. 40. q. 2, ubi etiam de seq. arg.

[3] Can. 5. Cfr. nota penultima. — Superius post *impedit* cod. L supplet *matrimonium.*

[4] Plures codd. *trahit,* codd. FG *convertit.*

[5] Aristot., IV. Meteor. text. 41. (c. 7.): Contrariae contrariorum causae. — *Maior* ostensa est supra d. 39. a. 1. q. 1.

[6] Cfr. C. *Si vir* (2.), X. de Cognatione spirituali (lib. IV. tit. 11.).

peccatum suum alteri imputari, tenetur reddere. Et hoc totum confirmatur per auctoritates, quae sunt in littera [1], quarum quasdam oportet reducere ad concordiam per praedictam distinctionem.

Si autem cognatio spiritualis *praecedat* matrimonium, illa, inquam, quae contrahitur per baptismum et confirmationem; sic impedit contrahendum et dirimit contractum, pro eo quod facit personas simpliciter illegitimas; et ideo, si videatur vinculum contrahi, non tamen contrahitur. — Impedit autem cognatio matrimonium secundum tres differentias, scilicet *paternitatis, compaternitatis* et *fraternitatis,* sicut probatur Causa trigesima, quaestione prima [2], *De eo quod interrogasti,* et in aliis sequentibus capitulis, et Causa trigesima, quaestione tertia per totum.

Conclusio 3.

Corollarium.

1. Per hanc distinctionem patet responsio ad primum obiectum: quia illa auctoritas intelligitur de cognatione, quae consequitur matrimonium, quae non potuit solvere prius vinculum, quod inter personas legitimas erat contractum.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod una cognatio est ordinata ad alteram; dicendum, quod verum est, non tamen in eodem, sed in diversis. Sicut enim carnis commixtio ordinatur ad generationem, non tamen generans debet cum filia carnaliter commisceri propter novitatem vinculi; sic intelligendum, quod non debet baptizans cum baptizato carnaliter commisceri nec per matrimonium copulari. *Amplius,* quamvis unum horum vinculorum sit ordinatum ad alterum, non tamen spirituale ad carnale, sed e converso. Et ideo, postquam intervenit cognatio spiritualis, nunquam debet intervenire commixtio carnalis.

Alia ratio.

3. Ad illud quod obiicitur de illo qui revocat ab errore, dicendum, quod illud vinculum non solum facit impensio beneficii, sed etiam statutum Ecclesiae Christi. — *Si autem quaeras,* quare magis instituit Ecclesia; dicendum, quod per nullam institutionem [3] dicitur homo *generari,* sed solum ad generationem disponi; in baptismo autem est vera *generatio:* et ideo non sic contrahitur vinculum, quod praestet matrimonio impedimentum per documentum fidei, sicut per Sacramentum baptismi.

Quaest. incidens solvitur.

4. Ad illud quod obiicitur de diversitate cultus, quod impedit; dicendum, quod sicut circa actum virtutis contingit virtutem corrumpi ab extremis, quoniam virtus desiderat medium [4]; sic aliquo modo potest evenire in Sacramentis, maxime circa matrimonium. Unde sicut impeditur a nimia *disparitate,* ita etiam impeditur a nimia *proximitate* [5].

QUAESTIO III.

Utrum spiritualis cognatio transeat ab uno in alterum.

Tertio quaeritur, utrum spiritualis cognatio transeat ab uno in alterum, utpote ab uxore in virum. Et quod sic, videtur.

1. Causa trigesima, quaestione quarta, capitulo primo [6], *Sciscitatur:* « Constat, virum compatrem constitui illi mulieri, cuius matrimonio assumta uxor commater esse videbatur ».

Fundamenta.

2. Item, ibidem [7] ex Concilio Chalcedonensi: « Si quis cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus dormierit; secundum antiquam consuetudinem octo annis poeniteat »; ergo peccatum est contrahere cum duabus commatribus, sicut cum duabus sororibus.

3. Item, *ratione* videtur: quia vir, qui cognoscit mulierem, necessario efficitur affinis omni consanguineo mulieris, qui est cognatus carnaliter; et hoc propter hoc, quod efficiuntur unum corpus [8]: ergo pari ratione, si mulier est alicui cognata spiritualiter; si iungatur alicui, necesse est, quod ille efficiatur affinis eidem.

4. Item, magis uniuntur vir et uxor in unitate carnis quam mater et filius; sed qui efficitur pater spiritualis alicuius necessario efficitur compater matris [9]: ergo multo fortius qui efficitur compater viri efficitur compater uxoris.

Contra: 1. Causa trigesima, quaestione quarta [10]: « Qui spiritualem habet compatrem, cuius filium de lavacro fontis accepit, et eius uxor commater non est, liceat eidem, compatre suo defuncto, eius viduam ducere in uxorem ».

Ad oppositum.

2. Item, in sequenti capitulo [11]: « Post obitum uxoris suae cum commatre uxoris coniugia copulari nulla videtur ratio vel auctoritas prohibere ».

3. Item, *ratione* videtur: quia unio carnis et

---

[1] Hic c. 2.

[2] Can. 5. — Superius verbis *vinculum contrahi* cod. P interserit *vel matrimonium.*

[3] Sive, ut codd. A E I K L V bb habent, *instructionem.* Inferius ex codd. A K substituimus *generatio* (cod. aa *regeneratio*) pro *cognatio.*

[4] Secundum Aristot., II. Ethic. c. 6. Cfr. II. Sent. d. 27. dub. 3.

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Textus originalis et edd. *Restat* pro *Constat.*

[7] Can. 2: *Si pater...* aut cum duabus sororibus etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 5.

[8] Cfr. supra d. 41. q. 1.

[9] Vide supra *Praenotata.* — Superius pro *uxor* cod. P *mulier.*

[10] Can. 4. Codd. perperam *filiam* pro *filium.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 5, ubi etiam de seq. arg.

[11] Can. 5: Post uxoris obitum cum commatre uxoris viri superstitis coniugio copulari etc.

spiritus simpliciter sunt disparatae: ergo per unam ad aliam non transitur [1]: ergo non videtur, quod ab uno ad alterum transeat cognatio spiritualis.

4. Item, quantumcumque vir fuerit amicus sive filius Dei, per hoc uxor non coniungitur Deo novo vinculo, nec e converso: ergo pari ratione, quando unus coniugum spiritualiter alligatur alicui, non propter hoc alligatur et alter.

CONCLUSIO.

Consanguinitas spiritualis, contracta per actum alterius, non transit in alterum; sed contracta per actum proprium, et quidem post carnalem copulam, transit.

Respondeo: Dicendum, quod cum auctoritates sint ad utramque partem, cognatio spiritualis aliquo modo transit a muliere in virum, aliquo modo non. (Conclusio generalis.)

Sed tamen notandum, quod Magister [2] et etiam Gratianus distinguunt sic, quod postquam alter coniugum contrahit cognationem cum aliquo, aut mutuo *se cognoscunt*, aut *non*. Si *sic*, tunc transit cognatio spiritualis ab uno in alterum; si *non*, tunc non transit. — Sed ista responsio a iurisperitis non approbatur, nec ipsum capitulum concordat, Causa trigesima, quaestione quarta [3], *Post uxoris obitum*, ubi dicitur, quod « per unionem carnis non transitur ad unionem spiritus ». Si ergo aliquis vel aliqua habet cognationem spiritualem, per sequentem copulam talis cognatio in alterum non pertransit. (Distinctio 1. Non probatur.)

Et ideo aliter distinguendum, quod aliqua mulier vel aliquis vir potest contrahere cognationem spiritualem aut per actum *suum*, aut per actum *alterius*; aut quia levat alterius filium, aut quia levatur eius filius. Si per actum *alterius*, sic nullo modo transit nec communicatur. Si per actum *proprium*, aut *ante* carnalem copulam, aut *post*. Si *ante*, tunc non transit nec communicatur, quia « per unionem carnis sequentem non transitur ad unionem spiritus praecedentem »; et in his duobus casibus licet habere duas commatres. Si vero per actum *proprium* contrahit *post* carnalem copulam, cum vir et mulier sint una caro et unum principium, operatio sive actio unius alteri attribuitur, et in hoc casu non licet habere duas commatres, Extra, de Cognatione spirituali [4], *Martinus Bertham*. Et ratio huius assignatur unitas principii. — Et sic solvuntur contrarietates. Et hoc continetur in his versibus: (Distinctio auctoris. Conclusio 2. Subdistinctio. Conclusio 3. Conclusio 4. Confirmatur.)

Quae mihi, vel cuius mea natum fonte levavit,
Haec mea commater fieri mea non valet uxor,
Si qua meae natum non ex me fonte levavit,
Hanc post fata meae non inde vetabor habere.

Concedendum ergo, quod aliquo modo transit ab uxore in virum, licet aliquae rationes ad hoc inductae sint sophisticae.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, iam patet responsio, quod auctoritates currunt secundum illas duas vias priores. (Solutio oppositorum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod istae coniunctiones sunt omnino disparatae; dicendum, quod non est verum, quoniam cognatio spiritualis fit per actum corporalem; et quia unum corpus sunt, ita quod unitas praecedit [5]: ideo quod fit ab uno reputatur fieri ab alio. Sed cum unitas sequitur, non potest venire ad unitatem principii actus sacramentalis. (Notandum.)

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, dicendum, quod non est simile, propter hoc quod [6] fit per gratiam mentalem, hoc autem per actum corporalem. Et sic patet illud [7].

ARTICULUS II.

De cognatione legali.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de cognatione *legali*. Circa quam primo procedendum est per modum *narrationis*, secundo per modum *inquisitionis*.

PRAENOTATA.

(Via narrationis.)

Circa primum tria sunt praenotanda.
Primo, quid sit, et quae eius species.
Secundo, qualiter contrahatur.
Tertio, quomodo impedit matrimonium.

Primo igitur sciendum est, quod cognatio legalis ita describitur: Cognatio legalis est proximitas proveniens ex adoptione. Oritur autem quasi triplex proximitas ex adoptione. Una est quasi *descenden-* (Definitio.)

---

[1] Ut insinuatur in can. allegato in praecedente nota; cfr. infra corp. quaest.

[2] Hic c. 5. — Gratian. super canones praenotatos.

[3] Cap. 5. — Ex codd. F G cum textu originali posuimus *unionem* pro *unitatem*. — *Glossa* in verba Gratiani super hunc canonem: Nunc Gratianus solvit praedictam contrarietatem et *male* secundum Hugutionem etc.

[4] Libr. IV. tit. 11. c. 4. Cfr. ibid. *Glossa*, in qua etiam seqq. versus occurrunt.

[5] Vat. addit *actum*, et paulo inferius male omittit *non*.

[6] Edd. incongrue supplent *hoc* (supplendum: illud, scil esse amicum Dei), et mox omittunt *actum*.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

tium, quae attenditur inter adoptantem et filiam, vel neptem adoptatam. Alia est quasi a *latere*, scilicet illa quae est inter filium naturalem et filiam adoptivam. Tertia vero est quasi quaedam *affinitas*, quae est inter adoptatum et uxorem adoptantis, vel adoptantem et uxorem adoptati. Hae sunt species, de quibus parum dicitur in iure canonum [1].

Quomodo contrahatur. Secundo intelligendum est, quod ista cognatio, sicut patet per rationem suam, contrahitur per actum *adoptandi*. Quid sit adoptare. *Adoptare* autem est extraneam personam in filium, vel filiam, vel nepotem, vel deinceps *legitime* assumere [2]. *Legitima* autem as- De adoptante. sumtio dicitur, quia *non omnis* persona potest omnem adoptare. Nam *adoptare* non potest mulier, nisi ex rescripto principis sibi concedatur in solatium filiorum. Iste enim actus est proprie virorum [3]. Item, *non omnium*, quia adoptare non potest minor viginti annis, nisi forte iusta causa interveniat. Ille vero potest adoptare, qui paterfamilias est et sui iuris et potest generare; nam spado vel frigidus non De adoptato dupliciter. potest adoptare. — Quilibet autem potest *adoptari*, sive masculus sit, sive femina, dummodo sit minoris aetatis patre adoptivo. Unde sive sit minor, sive maior [4], sive habeat patrem, sive non; adoptari potest, differenter tamen. Qui enim *sui iuris* est dicitur *arrogatus* et transit in potestatem arrogantis. Qui autem est in *potestate patris* non transit in potestatem adoptantis et dicitur *simpliciter adoptari*. Primum debet fieri auctoritate principis, secundum imperio magistratus. — Alia etiam differentia est, quia adoptans filio *arrogato* tenetur relinquere quartam partem bonorum, filio *adoptivo* nihil, si non vult [5].

Quomodo impediat. Tertio intelligendum est, quod cognatio legalis per modum *descendentium* et per modum *affinitatis* semper impedit matrimonium. Unde nunquam adoptans potest contrahere cum filia adoptiva nec cum uxore filii adoptivi, et sic de aliis. Sed in secunda specie non manet impedimentum nisi ad tempus, scilicet quamdiu est et durat adoptio; sed ea soluta emancipatione filii adoptivi, vel naturalis, postea non impedit, Extra, de Cognatione legali [6], et Causa trigesima, quaestione tertia, *Ita diligere* etc., et iterum, *Per adoptionem* etc.

Via inquisitionis. Ad intelligentiam autem horum tria breviter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum cognatio legalis sit aliquod vinculum.

Secundo quaeritur, utrum impediat matrimonium.

Tertio, utrum transeat ab uno in alterum.

QUAESTIO I.

Utrum cognatio legalis sit aliquod vinculum.

Circa primum proceditur sic, et ostenditur, quod cognatio legalis dicat aliquod vinculum secundum veritatem.

Fundamenta. 1. Nicolaus Papa dicit, et habetur in littera [7]: « Inter eos non contrahitur coniugium, quos adoptio iungit »: ergo aliqua iunctura et vinculum est ibi.

2. Item, cognatio primo est per legem naturalem: si ergo lex divina ultra *naturalem* addit *spiritualem*, pari ratione lex humana ultra naturalem addere poterit et debebit *legalem*.

3. Item, sicut patris est generare filium, ita et fovere et hereditatem relinquere: ergo cum aliquis assumit sibi aliquem ad hos actus, recte dici potest *pater*, et ille *filius;* sed istae duae sunt relationes [8] proximitatis: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Nullus potest sibi aliquem adoptare in patrem, ita quod sit ibi vinculum: ergo pari ratione nullus, ut videtur, potest sibi aliquem adoptare in filium: ergo nullum est adoptionis vinculum.

2. Item, omnes iusti sunt filii Dei adoptivi [9]: ergo adoptio est vinculum generale; sed non attenditur ibi adoptio penes vinculum generale: ergo etc.

3. Item, in nobis non sunt nisi duo, scilicet anima et corpus; sed ex parte animae est cognatio spiritualis, ex parte corporis cognatio carnalis: ergo aut legalis non differt ab istis, aut superfluit [10].

4. Item, cognatio est vinculum perpetuum, si est vera cognatio [11]; sed adoptio non est perpetuum vinculum, quia adoptivus potest emancipari: ergo videtur, quod nulla sit talis cognatio.

---

[1] Cfr. *Glossa* in Introductionem *(Quod autem)*, C. 30. q. 3. et in C. *Si qua per adoptionem* (1.), X. de Cognatione legali (lib. IV. tit. 12.). — Codd. E F G *canonico*.

[2] Vide tom. III. pag. 234, nota 1.

[3] Secundum Iustinian., I. Institut. imperial. de Adoptionibus (tit. 11.), lex *Non solum* (1.), § *Feminae*. In hac lege insinuantur etiam ea quae sequuntur.

[4] Cod. L (E a secunda manu) addit *sive emancipatus* [cod. E *sive non*]. Pro *sive sit* plurimi codd. *si sit*, et mox *differt* pro *differenter*. Subinde post *arrogantis* cod. aa addit *vel adoptantis*.

[5] Codd. F G *nisi velit*.

[6] Libr. IV. tit. 12. c. 1. — Seq. locus est C. 30. q. 3. c. 1. et 6.

[7] Hic c. 3. — Pro *coniugium* cod. aa cum textu originali *matrimonium*. Subinde verbis *et vinculum* codd. L Y interserunt *aliquod*.

[8] Cod. Z *rationes*.

[9] Cfr. Rom. 8, 15. et 23; Gal. 4, 5; Eph. 1, 5. — Inferius pro *ibi adoptio* nonnulli codd. *ibi cognatio*, edd. *ibi cognatio vel adoptio*.

[10] Vat. pro conclusione arg. substituit *contrahitur*.

[11] Cfr. supra d. 41. *Praenotata*, circa finem. — Inferius pro *potest* plures codd. et edd. *non potest*.

CONCLUSIO.

Cognatio legalis est aliquod vinculum.

Respondeo: Dicendum, quod est ponere vinculum cognationis *legalis;* hoc autem vinculum transumtum est et habet originem a cognatione *carnali,* sicut et cognatio *spiritualis*[1]. Patris enim carnalis est filium generare et filium educare; quoniam igitur per Sacramentum regenerationis est *spiritualis* generatio, hinc est, quod contrahitur *spiritualis* cognatio. — *Rursus*, quoniam in adoptione fit assumtio alicuius ad actum paternum, qui est fovere, educare, possessionem dimittere; hinc est, quod est ibi affectus[2] paternus et officium, ac per hoc aliquod vinculum; hoc autem a legibus statutum est in solatium filiorum, quod est maximum inter cetera ipsis coniugatis. — Et sic patet, quomodo cognatio legalis sit vinculum.

Conclusio. Ratio 1. Ratio 2.

Si autem quaeratur sufficientia harum trium cognationum, scilicet *carnalis, spiritualis* et *legalis;* dicendum, quod tripliciter potest sumi: uno modo penes triplicem *legem,* a qua est, scilicet legem *naturalem, divinam* et legem *positivam.* Quantum ad primam est cognatio *carnalis,* quantum ad secundam *spiritualis,* quantum ad tertiam *legalis.* — Secundo modo potest sumi penes illud *quod respiciunt.* Tria enim sunt in nobis bona: bonum naturae, bonum gratiae et bonum fortunae; et bonum naturae respicit cognatio *carnalis,* bonum gratiae cognatio *spiritualis,* bonum vero fortunae cognatio *legalis.* — Tertio modo sic, ut cognatio carnalis respiciat *carnem, spiritualis animam,* legalis vero *totum hominem.* — His visis, facile est obiectis respondere.

De sufficientia trium cognationum. Via 1. Via 2. Via 3.

1. Ad illud enim quod obiicitur, quod filius non potest adoptare patrem; dicendum, quod sicut in naturalibus pater generat filium, non e converso, ita et in legalibus patris est adoptare filium, non e converso. Nam adoptio est quaedam generatio[3].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod omnes iusti sunt filii adoptivi Dei; dicendum, quod sicut omnes sumus *a Deo,* tamen non sumus omnes *consanguinei,* quamvis habeamus unum patrem, pro eo quod ipse est principium commune; sed quando ab eodem patre carnali generamur, habemus aliquod vinculum speciale: sic in proposito oportet intelligere.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in nobis non est nisi anima et corpus; dicendum, quod non tantum in hominibus ista attenduntur, sed etiam adiuncta possunt[4]; et quaedam respiciunt animam magis, quaedam magis corpus, quaedam magis coniunctum, ut patet, cum dicitur: homo intelligens, albus et risibilis. Primum est ratione animae; secundum ratione corporis; tertium ratione coniuncti: sic in proposito potest intelligi.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non est vinculum perpetuum; dicendum, quod duo sunt in adoptione: et est[5] *dominium* et subiectio, et hoc potest amoveri per emancipationem; et est quaedam *honestatis alligatio,* quae non relinquit, ex quo semel alicui inest.

SCHOLION.

I. In Praenotatis S. Doctor distinguit duplicem adoptionem: *perfectam,* quae vocatur *arrogatio*, et *imperfectam.* Ad primam requiritur, ut adoptatus reducatur in potestatem adoptantis, quod non potest fieri, quando non est sui iuris v. g. adhuc vivens sub potestate patris, nisi talis sit *emancipatus* a principe. Hoc impedimentum a iure civili Romano introductum et ab Ecclesia receptum est, ita ut non incidat, nisi adoptio sit *perfecta.*

De his tribus quaestionibus, iam solutis iure canonico, omnes idem sentiunt, aliter tamen quaestiones dividunt. De eisdem agunt: Scot., hic q. unica n. 3. — S. Thom., hic q. 2. a. 1-3; Suppl. q. 57. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 7-14. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-3. — Durand., hic q. 2. — Dionys. Carth., hic q. unica.

QUAESTIO II.

Utrum cognatio legalis debeat impedire matrimonium.

Secundo quaeritur, utrum cognatio legalis debeat impedire matrimonium. Et quod sic, videtur.

1. Causa trigesima, quaestione tertia[6], *Ita diligere,* Nicolaus Papa dicit, et habetur in littera: « Inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit ».

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia alius est et debet esse affectus paternus et maritalis[7]: si ergo adoptans aliquam tenetur eam tractare affectione paterna, ergo nullatenus potest nec debet affectione mariti.

3. Item, cognationis vinculum impedit propter

[1] Vide supra a. 1. q. 1. — Pro *transumtum* cod. P *transumtivum*, cod. Q *transumtive.*

[2] Edd. *effectus.*

[3] Iustinian., I. Institut. imperial. de Adoptionibus (tit. 11.), lex *Non solum* (1.), § *Minorem natu*, ait: Adoptio enim naturam imitatur.

[4] Supple: attendi. Edd. *coniunctum,* omisso *possunt.* Inferius pro *intelligens,* quod plures codd. omittunt, codd. F G *rationalis.*

[5] Pro *et est* edd. *scilicet,* et *haec possunt* pro *hoc potest.* Pro *alligatio* cod. Z *obligatio.*

[6] Can. 1. allegatus hic in lit. Magistri, c. 3.

[7] Vide supra d. 40. q. 2. in corp.

proximitatem; sed in cognatione legali fit proximitas[1]: ergo fit matrimonio impedimentum.

Contra: 1. Cognatio legalis est de iure positivo, sed matrimonium de iure naturali; sed ea quae sunt iuris positivi, non possunt super ea quae sunt naturalis alligationis[2]: ergo nec talis adoptio potest impedire matrimonium. *Ad opposi-tum.*

2. Item, matrimonia reguntur iure poli, non iure fori[3]; sed tales adoptiones sunt de iure fori: ergo per tales adoptiones non habet matrimonium impediri.

3. Item, talis cognatio legalis nulli bono matrimonii repugnat; sed omne quod praestat impedimentum matrimonio, ratione alicuius boni[4] impedimentum praestat: ergo etc.

CONCLUSIO.

Cognatio legalis impedit matrimonium.

Respondeo: Dicendum, quod cognatio legalis impedit matrimonium. Et ratio huius est statutum Ecclesiae, quae legem confirmat et approbat. *Conclusio.*

Si autem quaeritur: quare Ecclesia statuit? dici potest, quod ratione honestatis: quoniam isti affectus, scilicet paternus et maritalis, circa eandem personam sunt incompossibiles, salva honestate; et quoniam alis cognatio ad affectum consanguinitatis perducit, si quis contraheret, iam in hoc honestati derogaret; et qui assuesceret contrahere cum filia adoptiva, aut parum aut nihil cum naturali timeret contrahere, cum illam assumserit ad pertractandum ut filiam naturalem. Et sic patet, quare debet impedire. *Ratio.*

Quomodo autem impediat secundum tres differentias ita, quod secundum alteram ad tempus tantum, supra[5] dictum est. — Ratio autem huius est: quia illa adoptio tenet ratione eius, quod sub *eadem potestate* sunt filia naturalis et filius adoptivus, nec se habent ut fratres, nisi quamdiu sic sunt; et ideo, hoc cessante, possunt se habere secundum affectionem coniugalem. — His visis, satis patent obiecta. *Extensio impedimenti.* *Ratio.*

1. Quod enim obiicitur, quod ius positivum non repugnat iuri naturali; dicendum, quod matrimonium non tantum est de iure naturali, secundum quod currit nunc Ecclesia, sed etiam regi oportet secundum ecclesiastica statuta. *Solutio oppositorum.*

2. Ad illud quod obiicitur, quod regitur iure poli; iam patet responsio: quia Ecclesia tale impedimentum sua constitutione et approbatione fecit esse validum; alioquin non posset impedire. *Notandum.*

3. Ad illud quod obiicitur, quod non impedit aliquod bonum matrimonii; dicendum, quod sicut supra[6] dictum fuit de cognatione carnali, quod impeditur bonum *naturalis honestatis*, propter quod conservandum principaliter est institutum matrimonium[7].

QUAESTIO III.

Utrum cognatio legalis transeat ab uno in alterum.

Tertio quaeritur, utrum cognatio legalis transeat in alterum. Et quod sic, videtur.

1. Causa trigesima, quaestione tertia[8], et habetur in littera: « Inter eos qui natura, et eos qui adoptione sunt filii, venerandae leges matrimonia contrahi non permittunt »; hoc autem non esset, nisi cognatio transiret a patre in filium: ergo etc. *Fundamenta.*

2. Item, plus concordat unio carnis cum cognatione legali quam spirituali; sed unio carnis facit, cognationem spiritualem esse communem[9]: ergo multo fortius cognationem legalem.

3. Item, cognatio carnalis et spiritualis transit: ergo pari ratione cognatio legalis. Aut si non, quare non? Quodsi non transiret, tunc non esset nisi unica species; nunc autem tres assignantur[10].

Contra: 1. Quia cognatio *spiritualis* est communicabilis, ideo necesse est, quodsi aliquis efficitur spiritualis pater alicuius, quod efficiatur compater patris eiusdem[11]: ergo pari ratione in *adoptione;* quod tamen non conceditur: ergo non est cognationis transitus. *Ad oppositum.*

2. Item, quia in cognatione spirituali transitus est a patre in filiam naturalem; ideo impossibile est, quod unquam contrahat filius spiritualis cum filia naturali: ergo pari ratione nunquam posset filius adoptivus contrahere cum naturali filia; cuius contrarium dicitur Causa trigesima, quaestione tertia[12], *Per adoptionem quaesita fraternitas.*

Iuxta hoc quaeritur, cum vinculum cognationis legalis transeat in filios et nepotes et in uxores, quare non transit in parentes, cum se habeant in eadem proximitate? *Quaestio incidens.*

---

[1] Ut ostensum est quaest. praeced.
[2] Cod. G addit *vel iuris.*
[3] Cfr. supra d. 37. a. 2. q. 1. in corp.
[4] Codd. G aa supplent *matrimonii.*
[5] In *Praenotatis* ad hunc art. — Superius pro *naturalem* multi codd. *naturaliter.* Circa finem corp. pro *possunt* edd. *potest.*
[6] Dist. 40. q. 2. — Mox pro *impeditur* Vat. *impedit.*
[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.
[8] Can. *Ita diligere* (1.), hic in lit. Magistri, c. 3. allegatus.
[9] Vide supra a. 1. q. 3, ubi etiam de seq. arg.
[10] Cfr. *Praenotata* ad hunc art. — Pro *tunc... unica species* edd. *hoc... quod unica esset species.*
[11] Vide *Praenotata* ad 1. art. huius dist., ubi et de *maiori* seq. arg.
[12] Can. 6. Cfr. *Praenotata* ad hunc art. in fine (codd. perperam *Post adoptionem*).

CONCLUSIO.

Vinculum cognationis legalis transit in uxorem simpliciter, in filios tantum ad tempus.

Respondeo: Dicendum, quod vinculum adoptionis transit in alteram personam dupliciter, scilicet per *carnis commixtionem* et per *generationem;* sed per carnis commixtionem transit *ad semper,* per generationem vero *ad tempus.*

Conclusio.

Et ratio huius est, quia talis adoptio respicit bona temporalia et educationem paternam; et quoniam vir et uxor coniunguntur *ad semper* et omnia quae habent, pro indiviso habent; ideo contrahitur vinculum *sempiternum ad uxorem.* — Sed *filii naturales* nec semper cohabitant nec semper cum parentibus habent bona indivisa, immo cum emancipantur, patrem relinquunt[1]; et hinc est, quod *non manet* illud vinculum. — Et sic patet, quomodo transit illud vinculum, et quando simpliciter, et quando ad tempus.

Ratio utriusque.

1. 2. Ad illud vero quod quaeritur: quare cognatio legalis non transit in patrem? dicendum, quod cognatio *spiritualis* transit in patrem, quoniam eundem regenerat, quem pater generavit, ita quod cognatio spiritualis respicit bonum interius; ideo communicatur in uno, et ideo contrahitur cognatio compaternitatis. Sed *adoptans* adoptatum assumit ad aliquid extra, ideo non sic communicatur. — Quod obiicitur secundo, iam patet.

Solutio oppositorum.

Ad illud quod quaeritur: quare non transit in ascendendo? dicendum, quod humor venit a radice ad ramos, non e converso[2]; et quoniam filii rami sunt patris, ideo cognatio legalis a patre communicatur filiis; non sic oportet nec debet communicari parentibus. — Et sic patet totum[3].

Ad quaest. incid.

ARTICULUS III.

De secundis nuptiis.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de secundo foedere nuptiali. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum secundae nuptiae sint licitae.
Secundo, utrum sint sacramentales.
Tertio, utrum sint honorabiles.

QUAESTIO I.

Utrum secundae nuptiae sint licitae.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod secundae nuptiae non sint licitae.

1. Chrysostomus[4]: «Secundum virum accipere secundum praeceptum Apostoli licitum, secundum veritatem fornicatio est»; sed de unoquoque iudicandum est secundum veritatem: ergo secundae nuptiae non sunt licitae, cum nec fornicatio.

Ad oppositum.

2. Item, Ambrosius[5]: «A secundo die subtraxit Deus benedictionem, nobis intelligentiam derelinquens, non bonum esse matrimonium duplex, quia ab unitate dividit»; sed ibi «praefigurantur secundarum foedera nuptiarum»: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia bigamus non potest promoveri ad sacros ordines[6]; sed poena non infligitur nisi pro culpa: ergo in bigamia est culpa.

4. Item, peccatum est habere plures uxores *simul,* nisi dispensetur a Deo[7]: ergo pari ratione videtur esse peccatum habere plures *successive. Si dicas,* quod non est simile, quia, cum sunt simul, fit iniuria primae uxori, non tamen successive; *contra:* esto quod prima uxor velit, nihilominus est peccatum: ergo etc.

Contra: 1. Abraham secundas contraxit nuptias cum Cethura, Genesis vigesimo quinto[8]; et in hoc non reprehenditur: ergo licitum fuit ei, et sic etc.

Fundamenta.

2. Item, primae ad Timotheum quinto[9]: *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse;* loquitur de viduis.

3. Item, *ratione* videtur: quia nuptiae sunt in *remedium*[10]*;* sed cum mulier moritur, viro vivente,

---

[1] *Emancipatio* definitur: Relaxatio nexus patrii cum consensu patris emancipantis et filii emancipandi coram competente iudice. Cfr. Iustinian., I. Institut. imperial. Quibus modis ius patriae potestatis solv. (tit. 12.), lex *Videamus nunc* (1.), § *Praeterea emancipatione,* et § *Et quidem neque.* — Edd. *patrem et matrem relinquunt.* Superius pro *cohabitant* cod. Z *communicant.*

[2] Chrysost., Homil. 32. in Matth. 19, 5. (opus imperfect.): Humor quidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non revertitur ad radices, sed sursum transmittitur in semen etc. — Inferius pro *debet communicari* edd. *debent communicare.*

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Homil. 32. in Matth. 19, 8. (opus imperfect.): Nam secundam quidem accipere secundum praeceptum Apostoli [I. Cor. 7, 39.] est, secundum autem veritatis rationem vere fornicatio est. Cfr. C. *Hac ratione* (9.), C. 31. q. 1. — Inferius pro *cum nec* codd. F G *sicut nec.*

[5] Potius Hieron., I. adversus Iovinian. n. 16. Cfr. Epist. 48. (alias 50.) n. 19, ubi hoc dictum defendit.

[6] Vide supra d. 25. a. 2. q. 3, et hic lit. Magistri, c. 7.

[7] Cfr. supra d. 33. a. 1. q. 1. seqq.

[8] Vers. 1. — Mox Vat. perperam omittit *non.*

[9] Vers. 14.

[10] Vide supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 1. seq., ubi etiam de *maiori* seq. arg.

vel e converso, manet morbus, et non adest remedium: ergo licitum est remedium adhibere, ergo et matrimonium secundo contrahere.

4. Item, nuptiae sunt in *officium*, hoc est in procreationem filiorum ad Dei cultum; sed multi post obitum uxorum sunt idonei filios procreare, similiter multae mulieres post obitum virorum: ergo licet contrahere.

CONCLUSIO.

Non solum secundae, sed etiam aliae ampliores nuptiae sunt licitae.

Respondeo: Dicendum, quod non tantum se- Conclusio. cundae nuptiae, sed etiam tertiae et quartae et ampliores sunt licitae, dum tamen fiant bono fine, scilicet propter prolem generandam, vel propter fornicationem vitandam, vel propter necessitatem suam sustentandam, ut cum contrahit vir cum muliere, ut ipsum foveat, vel e converso. Unde Augustinus [1] dicit: « Non contemnimus quotaslibet nuptias »; et Hieronymus etiam, quod « Dominus non damnavit mulierem septemviram ».

1. Ad illud ergo quod dicit Chrysostomus, quod Solutio oppositorum. secundum veritatem est fornicatio; dicendum, quod ipse vocat veritatem *coniecturam rationis*, quae tamen saepe fallitur, licet probabiliter iudicet. — Vel dicendum, quod fornicatio dicitur quaedam *im- Aliter. mersio* [2] *libidinis,* quia illud maxime consuevit movere ad secundas nuptias contrahendas.

2. Ad illud quod dicit Ambrosius, quod duplex matrimonium non est bonum; dicendum, quod illud intelligendum est sic: id est, non est honorabile [3].

3. Ad illud quod obiicitur, quod punitur poena irregularitatis; dicendum, quod non posse ascendere Notandum. ad sacros ordines non est poena, quia etiam nec mutus vel mutilatus naturaliter potest ascendere; nec tamen hoc est ei in poenam, sed quia non est idoneus.

4. Ad illud quod obiicitur, quod non licet plures habere simul; dicendum, quod non est simile: quia, viro vivente, mulier non habet potestatem sui corporis, nec e converso vir, vivente muliere [4]; et ideo non potest alteri dare, et si dat, contra ius facit. Sed mortua uxore, solutus est, et ideo alteri potest dare; et ideo licet, et non peccat.

SCHOLION.

I. Licet aliqui Ss. Patres secundas nuptias tanquam parum honestas interdum fere reprobare videantur, tamen conclusiones 1. et 2. quaestionis ab omnibus doctoribus approbantur.

De 1. quaestione: S. Thom., hic q. 3. a. 1; Suppl. q. 63. a. 1. — B. Albert., de hac et 2 seqq. qq. hic a. 17. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 3; Dionys. Carth., hic q. unica.

II. De 2. quaestione: S. Thom., locis citt. a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

III. Quaestionem 3. explicite tractant Petr. a Tar., q. 3. a. 2, et Richard. a Med., a. 3. q. 2. S. Thom. eam tangit locis citt. a. 1. ad 3, aliique similiter locis citt.

QUAESTIO II.

Utrum secundae nuptiae sint sacramentales.

Secundo quaeritur, utrum secundae nuptiae sint sacramentales sive habeant rationem Sacramenti. Et quod sic, videtur:

1. Quia Sacramentum matrimonii efficit consen- Fundamenta. sus animorum expressus per verba exteriora inter *legitimas* personas [5]; sed talis est in secundis nuptiis: ergo etc. Quod istae personae sint *legitimae,* probatur, quia nullo iure a matrimonio prohibentur.

2. Item, coitus excusatur in secundis nuptiis, alioquin non concederet eas Apostolus [6]; sed coitus in matrimonio excusatur ratione medicinae sacramentalis: ergo etc.

3. Item, secundae nuptiae sunt inseparabiles, sicut et primae; sed inseparabilitas in matrimonio non venit ex parte boni fidei nec prolis: ergo ex parte boni, quod est Sacramentum [7].

4. Item, qui cognoscit secundam coitu fornicario non efficitur irregularis, qui autem secundam cognoscit, cum qua contraxit, efficitur irregularis [8]: ergo amplior est hic unio quam ibi; sed non nisi sacramentalis: ergo etc.

---

[1] De Bono viduitatis, c. 12. n. 15. Idem refertur a Glossa *ordinaria* apud Strabum in I. Cor. 7, 39, et in C. *Quodsi dormierit* (13.), C. 31. q. 1. (cfr. hic lit. Magistri, c. 7.). — Seq. locus occurrit in locc. citt. Augustini, Glossae et canonis; respicitur in ipso Matth. 22, 25. seqq. Eandem sententiam profert Hieron., I. adversus Iovinian. n. 15: Non damno bigamos... et, si dici potest, octogamos. Cfr. Epist. 48. (alias 50.) n. 18, et C. *Aperiant* (11.), C. 31. q. 1.

[2] Codd. E L Y *intensio.* Deinde pro *illud* mallemus *illa.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 7. in fine.

[4] Rom. 7, 2. seq. et I. Cor. 7, 4. et 39. — Inferius Vat., post *solutus est* addito *vir*, subinde omittit *alteri potest dare, et ideo.* Post *licet, et* cod. G addit *dando alteri.*

[5] Vide supra d. 27. a. 2. q. 1. seq. et dub. 1.

[6] Epist. I. Cor. 7, 39.

[7] Cfr. supra d. 31. a. 1. q. 2. et d. 39. a. 1. q. 2.

[8] Vide supra d. 25. a. 2. q. 3. ad 1. et 2.

Contra: 1. Qui iterat Sacramentum facit ei contumeliam, et ideo nihil facit iterando[1]; sed in secundis nuptiis iteratur matrimonii Sacramentum: ergo non est ibi Sacramenti susceptio, sed contumelia.

Ad oppositum.

2. Item, vinculum matrimonii contrahitur ex mutuo consensu; sed consensus est vinculum animorum, et matrimonium est vinculum, quod non solvitur, manentibus extremis: ergo cum animae sint incorruptibiles, semper manet vinculum primi matrimonii. Sed alligatus uni sacramentaliter non potest alteri sacramentaliter obligari[2]: ergo etc.

3. Item, in secundis nuptiis est carnis divisio ex parte viri vel mulieris; sed Christus est indivisus[3], et Ecclesia similiter indivisa et unius solius sponsa, et humana natura a divina est indivisa: ergo non manet significatio: ergo etc.

4. Item, Sacramentum est dignum benedictione, quia sacrum est et sanctificans[4]; sed secundae nuptiae non benedicuntur: ergo non videtur ibi esse Sacramentum.

CONCLUSIO.

Secundae nuptiae in se sunt Sacramentum, sed in comparatione ad primas nuptias habent minus complete rationem significationis sacramentalis.

Respondeo: Dicendum, quod dupliciter est loqui de secundis nuptiis, aut *in se*, aut in *relatione* ad primas. Si *in se;* sic, cum sit ibi consensus expressus inter legitimas personas, sunt utique Sacramentum, nec est ibi carnis divisio, sed unio carnis viri et mulieris. Si autem loquamur[5] *in comparatione* ad praecedentes; sic manet in eis Sacramenti ratio *incompleta* propter carnis divisionem, quia in primis carnem suam univit cum uno, in secundis cum alio; et talis divisio tollit de plenitudine significationis.

Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod Sacramentum iteratur; dicendum, quod Sacramentum iterari non dicitur, nisi primo manente; sed primum est solutum, uxore mortua[6].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod est vinculum animarum, quae sunt perpetuae; dicendum, quod anima et est *anima* et est *spiritus;* et non est vinculum animarum, nisi in quantum *coniunctae corporibus;* ordinatur enim hoc vinculum ad carnis commixtionem: ideo solvitur, cum anima separatur et desinit animare[7].

Notandum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod secundae nuptiae carnem dividunt; dicendum, quod hoc est *per accidens*, quia *primo uniunt*, et *per consequens dividunt;* et sunt Sacramentum ratione *unionis*, non ratione *divisionis.* Tamen quia *divisio* concomitatur *unionem* nec est de perfectione Sacramenti; ideo non debetur ei tanta solemnitas; et quia benedictio est ad solemnitatem, ideo tales nuptiae non benedicuntur[8]. — Et sic patet sequens. — Sed attendendum, quod nuptiae possunt esse secundae ex parte viri et primae ex parte mulieris, vel e converso, vel ex parte utriusque. In primo casu plus salvatur ratio Sacramenti — Christus enim unitur pluribus animabus et sibi eas desponsat — in secundo casu minus[9]; in tertio minime. Et ideo in primo casu, cum mulier est virgo, quamvis vir sit bigamus, nuptiae benedicuntur[10].

Notandum. Restrictio notanda.

QUAESTIO III.

Utrum secundae nuptiae sint honorabiles.

Tertio quaeritur, utrum secundae nuptiae sint honorabiles. Et quod sic, videtur:

1. Quia omne illud, in quo salvatur ratio honesti, salvatur ratio honorabilis; sed in secundis nuptiis salvatur ratio honesti, quia vitatur inhonestas fornicationis[11]: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, gloria est patris filios successores in bonis relinquere, et maxime bonos; sed frequenter in primis nuptiis non acquiruntur filii, sed in secundis; ergo videtur, quod non habenti prolem honorabile sit secundo nubere.

3. Item, omnia Sacramenta divina sunt honoranda: ergo omne quod tenet in se rationem Sacramenti, tenet rationem honorabilis; sed secundae nuptiae sunt huiusmodi, ut prius[12] probatum est: ergo secundae nuptiae sunt honorabiles.

4. Item, in Lege qui nolebat suscitare semen fratri, extrahebatur calceamentum de pede, et exspuebatur in faciem eius in signum opprobrii sempiterni, Deuteronomii vigesimo quinto[13]: ergo si multo magis debet quis sollicitus esse de prole sua quam de aliena; videtur, quodsi aliquis non habens filios

---

[1] Cfr. supra d. 6. p. I. q. 6.
[2] Codd. F G aa *alligari*.
[3] Epist. I. Cor. 1, 13: Divisus est Christus?
[4] Cfr. supra lit. Magistri, d. I. c. 2. seqq.
[5] Codd. G L supplent *de eis*.
[6] Rom. 7, 2. seq. et I. Cor. 7, 39.
[7] Cfr. supra d. 27. a. 3. q. 1. — Superius verbis *et non* cod. F interserit *matrimonium*.
[8] Cfr. C. *Capellanum* (1.) et C. *Vir autem* (3.), X. de Secundis Nuptiis (lib. IV. tit. 21.), et supra d. 28. dub. 3.
[9] Vide supra d. 25. a. 2. q. 3. in fine.
[10] Vide scholion ad praecedentem quaest.
[11] Epist. I. Cor. 7, 2. et 39.
[12] Quaest. praeced.
[13] Vers. 7. seqq. — Edd. *extrahebat* (Vulgata *tollet*) *calceamentum... exspuebat*.

de prima uxore, ipsa mortua, nolit contrahere cum alia, quod sit sibi opprobrium: ergo *ab oppositis*, contrahere cum secunda est honorificum. — *Si tu dicas*, quod secus est nunc in lege nova, in qua quaeritur fecunditas mentis magis quam ventris[1]; *obiicitur* in contrarium, quod illud non solvit: quia, si aliquid est bonum, sua iteratione non fit malum, sed melius, quia duplex melius est quam simplex: ergo si aliquid est honorabile, sua iteratione non fit vituperabile. Sed primae nuptiae sunt honorabiles: ergo etc.

Contra: 1. Omne illud est indecens, a quo arcentur honestae personae, ne intersint; sed secundae nuptiae sunt huiusmodi: ergo etc. *Maior* manifesta est; *minor* probatur per illud Caesariensis Concilii, quod ponitur in littera[2]: «Presbyterum, inquit, prandere in nuptiis bigami non convenit, cum poenitentia bigamus indigeat»: ergo etc.

Fundamenta.

2. Item, omne illud est indecens, per quod efficitur quis ineptus ad gradum dignitatis, ad quem prius erat idoneus; sed per secundas nuptias efficitur quis ineptus ad gradum sacerdotii, ad quem erat prius aptus[3]: ergo secundas nuptias contrahere est vituperabile et indecorum.

3. Item, omne illud est in opprobrium, quod reddit hominem notabilem de aliquo vitio; sed secundae nuptiae sunt huiusmodi: ergo etc. Et hoc confirmatur per illud Ambrosii, quod habetur in littera[4], quod «etiam in praesenti carent gloria».

4. Item, omne illud est in opprobrium, quod reddit indignum ecclesiastica benedictione; sed secundae nuptiae, quamvis sint licitae, privatae sunt benedictione, quae debetur illi Sacramento[5]: ergo sunt opprobriosae.

CONCLUSIO.

Secundae nuptiae, proprie loquendo, non sunt honorabiles, non tamen sunt vituperabiles, sed tolerabiles.

Respondeo: Dicendum, quod matrimonii Sacramentum est *utile* et *honorabile*. Et quamvis *utile* et *honorabile* sit ratione triplicis boni: fidei, prolis et Sacramenti; tamen, ut *appropriate* loquamur, nuptiae sunt *honorabiles*, quia *torus est immaculatus*[6], et hoc est per bonum *fidei; utiles* vero sunt, quia venter est fecundus, et hoc est per bonum *prolis*. Bonum vero *Sacramenti* ad utrumque refertur: ad *honorabilitatem*, in quantum significat — sic enim *Sacramentum hoc magnum est* et honorabile, scilicet ratione significati, *in Christo* scilicet *et Ecclesia*[7] — ad *utilitatem* vero, in quantum remedium peccati.

De matrimonio generatim et triplici proprietate.

Si ergo loquamur de *secundis nuptiis* ratione *utilitatis;* sic salvatur ratio utilitatis. Utiles enim erant, quia erant in *officium* et in *remedium*[8]; et utrumque horum ut plurimum in secundis nuptiis reperitur. Si ratione *honorabilitatis;* dicendum, quod honorabiles erant ratione *continentiae* coniugalis et *significationis* sacramentalis, et utrumque horum ibi est *imperfecte* et defective. Nam *significatio* sacramentalis defective est secundum veritatem, *continentia* coniugalis secundum probabilitatem. Ideo dico, quod «carent gloria», et ideo non sunt honorabiles; tamen, quia carent culpa, non sunt vituperabiles, sed sunt tolerabiles. Unde nec Dominus nec Sancti[9] eas prohibent tanquam malas, sed tamen eas non persuadent quasi defectivas. — Concedendum igitur, quod, proprie loquendo, secundae nuptiae non sunt honorabiles, sicut ostendunt rationes; et hoc est quod dicit Ambrosius, et habetur in littera[10], quod «etiam in praesenti carent gloria».

De secundis nuptiis. De utilitate.

De honorabilitate.

Conclusio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod vitatur fornicatio; dicendum, quod vitatur secundum statum *imperfectionis;* et ideo potius hoc ad *utilitatem* quam ad *laudem* vel honorem dignoscitur pertinere.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de cognatione, dicendum, quod hoc non dicit secundum tempus gratiae, sed secundum tempus legis scriptae[11]. — Vel si nunc dicat honorem, hoc est quantum ad hominem, non quantum ad Deum, quia quaeritur modo successio religionis, non sanguinis; ideo *utilitati* potius quam *honori* hoc attribuendum est.

Aliter.

3. Ad illud quod obiicitur de Sacramento, dicendum, quod verum est, quod est Sacramentum; tamen est cum defectu, ratione cuius habet quandam ignobilitatem; ac per hoc potius minuitur gloria, quam amplificetur in talis Sacramenti contractione.

4. Ad illud quod obiicitur de suscitatione seminis, dicendum, quod illud fuit proprium legis veteris, propter hoc quod ibi erat benedictio in prole

---

1 Cfr. supra pag. 762, nota 4. — Inferius post *quia duplex* edd. supplent *bonum* (cfr. supra pag. 307, nota 1.).

2 Hic c. 7.

3 Vide supra d. 25. a. 2. q. 3.

4 Hic c. 7. — Permulti codd. omittunt *etiam*.

5 Cfr. supra pag. 878, nota 8.

6 Hebr. 13, 4: Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus. Cfr. supra d. 31. a. 1. q. 1. seq. — Voci *nuptiae* edd. praemittunt *secundae*.

7 Eph. 5, 32. — Mox pro *praestat*, quod habent edd., ex codd. R S substituimus *peccati*, quae lectio confirmatur ex pluribus aliis codd. incongrue ponentibus *peccat*.

8 Vide supra lit. Magistri, d. XXVI. c. 1. seq. — Pro *Utiles enim erant* [nuptiae] multi codd. *Utile enim erat* [matrimonium], qua lectione servata, codd. F G W bene prosequuntur *quia erat in* etc. Inferius post *dicendum, quod* codd. addunt *quia*.

9 Cfr. supra q. 1, et hic lit. Magistri, c. 7.

10 Hic c. 7.

11 Vide supra d. 33. a. 2. q. 2. et dub. 1. — Edd. omittunt *tempus gratiae, sed secundum*. De secunda solut., in qua pro *religionis* (ita cod. aa, bb a secunda manu) codd. communiter et edd. *relationis*, cfr. supra lit. Magistri, d. XXXIII. c. 4, et Comment. dub. 6. nec non d. 37. a. 1. q. 3. ad 5.

carnali et promissio temporalis; sed nunc illa lex non habet locum. *Et si tu obiicias,* quod idem iteratum est melius, ergo honorabilius; dicendum, quod Notandum. verum est, si iteratio competat suae naturae, sicut in his quae acquiruntur per assuefactionem. Hoc tamen non habet ubique locum, quia baptismus iteratus non est melior quam simplex, quia non competit ei iteratio [1]; sic iteratio matrimonii non competit *significationi* nec competit *usui honestatis* sive castitatis, nisi sit propter infirmitatem carnis, quae magis facit excusabilitatem quam honorem. — His visis, satis patent quae sunt circa litteram [2]. Dubia hic desunt.

DISTINCTIO XLIII.

Cap. I.

De resurrectione et iudicii conditione.

Postremo de *conditione* resurrectionis et *modo* resurgentium nec non et de *iudicii et misericordiae qualitate* breviter disserendum est. — Augustinus. «Omnibus quaestionibus, quae de hac re moveri solent, satisfacere non valeo; resurrecturam tamen carnem omnium, quicumque nati sunt atque nascentur et mortui sunt atque morientur, nullatenus ambigere debet Christianus [1]». Ait enim Isaias: *Resurgent mortui, et resurgent qui erunt in sepulcris.* Et Apostolus: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent,* «scilicet resurrectionis». *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui residui sumus, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce Archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra; et sic semper cum Domino erimus.* — His verbis et *veritas* resurrectionis et *causa* atque *ordo* resurgentium praeclarissime insinuatur.

Cap. II.

De voce tubae.

Causa enim resurrectionis mortuorum erit *vox tubae*, Dubium 1. quae in adventu Iudicis ab omnibus audietur, et cuius virtute excitabuntur mortui et de monumentis resurgent. Unde Propheta [2]: *Dabit voci suae vocem virtutis,* id est effectum resuscitandi mortuos. Et Ioannes Evangelista ait: *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, mali vero in resurrectionem iudicii.* — Si vero quaeritur: cuius vel qualis erit vox illa? Dubium 2. Apostolus dicit, quia erit *Archangeli,* id est ipsius Christi, qui est princeps Archangelorum; vel vox erit alicuius vel plurium Angelorum; eademque dicitur *tuba,* Glossa. quia «erit manifesta, et *novissima,* quia post eam non erit alia [3]». «Haec tuba, ut ait Augustinus, est clamor, de quo dicitur in Evangelio: *Media nocte clamor factus est: ecce sponsus venit; exite obviam ei. Tubae* nomine aliquod evidens et praeclarum signum intelligitur, quod *vox Archangeli* et *tuba Dei* ab Apostolo dicitur, et in Evangelio *vox Filii Dei* et *clamor* appellatur; quod mortui audient et resurgent».

Cap. III.

De nocte media.

Media autem *nocte* dicitur venturus, ut ait Augustinus [4], Augustinus. non pro hora temporis, sed «quia tunc veniet, cum non speratur». *Media* ergo *nocte,* scilicet cum «valde obscurum erit, id est occultum, veniet». *Dies enim Domini, sicut fur in nocte, ita veniet* [5]. Potest tamen non incongrue intelligi mediae noctis tempore venturus, quia, ut ait Cassiodorus, Cassiodorus. «hoc tempore primogenita Aegypti percussa sunt, quando etiam sponsus venturus est». Pluribus etiam locis contestantur auctores, quod adventus Christi dicitur *dies Domini,* non pro qualitate temporis, sed rerum, quia tunc cogitationes et consilia singulorum patebunt.

---

[1] Cfr. supra d. 6. p. I. q. 6. — Superius verbis *idem iteratum* edd. interserunt *bonum.*

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] August., Enchirid. c. 85. n. 23. Locus Isaiae est 26, 19 (secundum versionem Septuaginta), et Apostoli I. Thess. 4, 13, cum verbis Glossae interlinearis, et vv. 15. 17. — In textu Isaiae pro *erunt* codd. B C D E et plurimae edd. *erant.* Vat. et edd. 6, 9 addunt etiam ex cit. Epist. v. 14. *Si enim* etc.

[2] Psalm. 67, 34, deinde Ioan. 5, 28. seqq. — Pro *qui bona fecerunt* codd. et ed. 1 *boni.* — Pro *quia erit,* quod habent codd. et ed. 1, aliae *quod erit;* pro *princeps Archangelorum* codd. D E (B a secunda manu) *princeps Angelorum.*

[3] Glossa interlinearis in II. Cor. 15, 53. Locus August. est Epist. 140. (alias 120.) ad Honoratum, c. 34. n. 78, ubi citatur Matth. 25, 6. Cfr. etiam August., 83 Quaestion. q. 59. n. 3. — In fine ante *mortui* solae edd., excepta 1, addunt *signum.*

[4] Loc. cit., ubi et verba sequentia. — Pro *occultum, veniet* in originali legitur *occultum erit, an veniat.*

[5] Epist. I. Thess. 5, 2. — Locus Cassiodor. est in Ps. 118, 62, et respicitur Exod. 12, 29, et Matth. 25, 6.

Cap. IV.

De libris, qui tunc aperientur.

Unde in Daniele[1]: *Vetustus dierum sedit, et libri aperti sunt* coram eo. *Libri* sunt conscientiae singulorum, quae tunc aperientur aliis. Et tunc implebitur: *Nihil occultum, quod non reveletur.* Adveniente enim summo Iudice, non solum tenebrae aëris illuminabuntur, sed etiam *abscondita cordium manifestabuntur.* Augustinus. « Virtute igitur divina fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur et mentis intuitu mira celeritate cernantur; ut accuset, vel excuset hominem conscientia, eaque teste damnetur, vel salvetur[2] ».

Cap. V.

De memoria electorum, si tunc praeterita mala teneat.

Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit memoria Opinio 1. praecedentium malorum, sicut bonorum. — Quaedam auctoritates videntur tradere, bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est peccatorum, vel tormentorum. Ait enim Isaias[3]: *Ego creo caelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora et non ascendent super cor, sed gaudebitis in aeternum.* Item: *Oblivioni traditae sunt angustiae priores et absconditae ab oculis nostris.* Quae de futuro exHieronymus. ponens Hieronymus, ait: « Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis aeternis, ne sit pars malorum prioris angustiae memorari ». Opinio Magistri. — Sed haec et his similia possunt accipi sic, ut non excludant memoriam praecedentium malorum, sed ex ea molestiam et laesionem amoveant. Non enim eorum Dubium 3. memoria Sanctos contristabit vel eorum beatitudinem obfuscabit, sed gratiores Deo reddet. Unde super Psalmum octogesimum octavum ait Gregorius[4]: « Quomodo Gregorius. misericordias in aeternum canit qui miseriae non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? Sed saepe laeti tristium meminimus, et sani dolorum meminimus sine dolore, et inde amplius laeti et grati sumus ». — Ex his apparet, quod si priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad poenam vel gloDe manifestatione peccatorum. riae derogationem, sed ad gratiarum actionem. — Si vero quaeritur, utrum peccata, quae fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota; non legi hoc expressum in Scriptura. Unde non irrationabiliter putari potest, peccata hic per poenitentiam tecta et deleta illic Dubium 4. etiam tegi aliis, alia vero cunctis propalari.

Cap. VI.

De his qui vivi reperiuntur.

Quaeri solet, « utrum illi quos vivos inveniet ChriAugustinus. stus, si nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo rapientur obviam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transituri. Non enim dicendum est, fieri non posse, ut, dum per aëra in sublime portantur, in illo spatio et moriantur et reviviscant[5] ». « Ad hunc autem sensum, quo existimemus, illos in parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, Apostolus nos urgere videtur, ubi dicit: *Omnes in Christo vivificabimur;* et alibi: *Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur* ». « Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aëre quodam modo seminari atque ibi protinus immortaliter et incorruptibiliter reviviscere, cum credamus, *in ictu oculi* futuram resurrectionem, et in membra sine fine victura tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem ». « Sed Augustinus. vellem de his potius audire doctiores[6] ». « Si igitur Sanctos, qui reperientur, Christo veniente, viventes eique obviam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros et ad eadem mox immortalia redituros; nullas in verbis Apostoli patiemur angustias », generaliter accipientes illud quod dictum est: *Omnes quidem resurgemus,* scilicet « tam boni quam mali »; *sed non omnes immutabimur,* scilicet in solemnitatem resurrectionis. De hoc etiam AmAmbrosius. brosius[7] ait: « In ipso raptu eorum qui vivi reperientur, mors erit et resurrectio; ut anima, quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur ». — Econtra vero, scribens ad Marcellam, HieHieronymus. ronymus testari videtur dicens, quosdam in fine saeDubium 5. culi, adveniente Christo, non esse morituros, sed vivos repertos in immortalitatem repente mutandos. — HoIudicium Magistri. rum autem quid verius sit, non est humani iudicii definire.

Cap. VII.

Quomodo intelligitur Christus iudex vivorum et mortuorum.

His autem adiiciendum est, dupliciter intelligi, quod dicitur Christus iudicaturus *vivos et mortuos.* Aut enim *vivi* accipiuntur qui in adventu eius vivi repe-

---

[1] Cap. 7, 9; cfr. Lyranus, ibid. Seq. locus est Matth. 10, 26: Nihil enim est opertum, quod non revelabitur; et occultum, quod non scietur. Respicitur deinde I. Cor. 4, 5.

[2] August., XX. de Civ. Dei, c. 14.

[3] Cap. 65, 17. 18; seq. locus est ibid. v. 16. Explicatio Hieronymi est ibid.

[4] Libr. IV. Moral. c. 36. n. 72; verbotenus apud Lyranum, loc. cit. v. 1.

[5] August., XX. de Civ. Dei, c. 20. n. 2. Seq. locus ibid., ubi respicitur I. Cor. 15, 22. 36; tertius ibid. n. 3, ubi respicitur I. Cor. 15, 52.

[6] August., Epist. 193. ad Mercatorem, c. 4. n. 10; seq. locus est de Civ. Dei, loc. cit. n. 3; sequitur locus Scripturae I. Cor. 15, 51. cum Glossa interlineari.

[7] Comment. in I. Thess. 4, 14. (inter eius opera) et apud Lyranum, ibid. Locus Hieronymi est Epist. 59. (alias 148.) n. 3. — In fine pro *quid verius* codd. A B C E et edd. 1, 2, 3, 7, 8 *quod verius.*

rientur, licet in raptu moriantur, et *mortui*, qui ante decesserant; vel *vivi* et *mortui* accipiuntur *iusti* et *iniusti* [1].

Cumque ex praedictis sane credi valeat, omnes resurrecturos; credendum est etiam, quod omnes resurgent *incorrupti*, non utique *impassibiles*, quia reprobi [2] mortem patientur aeternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria ac specie impassibilitatis induentur.

Quomodo surgant incorrupti.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLIII.

De resurrectione secundum id quod est.

Postremo de conditione resurrectionis et modo resurgentium etc.

DIVISIO TEXTUS.

Terminata parte principali huius libri, in qua Magister determinavit de sanitate, quam Sacramentorum medicamenta conferunt; sequitur pars, in qua agit de sanitate, ad quam Sacramenta disponunt [1]. Prima est sanitas gratuita, secunda est gloriosa; prima est viae, secunda patriae; prima est a culpa, secunda a miseria. Et quoniam ad hanc gloriam habendam concurrit resurrectio, et concurrit iudicium; ideo primo determinat de resurrectione, secundo vero de iudicio, infra quadragesima septima distinctione: *Solet etiam quaeri, qualiter dabitur sententia iudicii.*

Prima pars habet duas. Quoniam enim in resurrectione anima separata reiungitur corpori; ideo primo agit de resurrectione, secundo vero de statu animae separatae, infra distinctione quadragesima quinta: *Praeterea sciendum est, quod omnes animae* etc. Prima pars habet duas. In prima determinat de resurrectione, secundum id quod est. In secunda, quantum ad modum sive quantum ad qualitatem et quidditatem resurgentium, infra distinctione quadragesima quarta: *Solent autem nonnulli percontari* etc.

Prima pars habet duas. In prima procedit per modum narrationis. In secunda per modum inquisitionis, ibi: *Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit* etc. — Prima pars habet tres partes. In prima parte ostendit, resurrectionem esse futuram. In secunda vero determinat resurrectionis causam, ibi: *Causa enim resurrectionis mortuorum* etc. In tertia determinat resurrectionis horam, ibi: *Media autem nocte dicitur venturus;* ubi dicitur, quod dicit [2] resurrectionem futuram *media nocte*, non propter temporis qualitatem, sed potius propter horae incertitudinem.

Hic quaeritur, utrum electis tunc adsit etc. Haec est secunda pars, in qua procedit Magister per modum inquisitionis, determinans dubitabilia, quae habent ortum ex praedictis; illa autem dubia sunt quatuor, quae habent ortum ex verbis Apostoli, quae prius tacta sunt; et ideo pars ista habet quatuor particulas et quatuor capitula, in quibus illa dubia determinat. In primo quaerit de librorum apertione, et quae ibi leguntur et quae ad memoriam reducuntur [3]. In secundo quaerit de vivorum inventione, ibi: *Quaeri etiam solet, utrum illi quos vivos* etc. In tertio vero determinat, quomodo intelligitur, quod iudicabit vivos et mortuos, ibi: *His autem adiiciendum est.* In quarto, quomodo intelligitur illud, quod mortui resurgent incorrupti, ibi: *Cumque ex praedictis sane credi valeat* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam eorum quae determinat Magister, duo principaliter quaeruntur circa praesentem distinctionem.

Primo quaeritur de resurrectione.

Secundo de librorum apertione.

Quantum ad primum quaeruntur sex.

Primo quaeritur, an resurrectio sit futura.

Secundo, dato quod sic, quaeritur, utrum resurrectio sit omnium.

Tertio, dato quod sit omnium, quaeritur, utrum sit omnium simul, an successive.

Quarto quaeritur, utrum resurrectio sit eorundem secundum numerum.

Quinto, utrum resurrectio sit naturalis, vel miraculosa.

Sexto quaeritur de causa nostrae resurrectionis.

---

[1] Cfr. August., Enchirid. c. 55. n. 14.

[2] Codd. et edd. 1, 2, 3, 7, 8 omittunt *reprobi.* Deinde pro *specie,* quod recte habent codd. et edd. 1, 2, 3, 7, aliae edd. *spe.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Vide supra d. 1. p. I. *Divisio textus.* — Inferius verbis *a culpa* edd. praemittunt *liberatio.*

[2] Cod. A omittit *quod dicit.*

[3] Edd., omittunt *dubitabilia, quae habent ortum ex praedictis; illa autem dubia sunt;* subinde vero legunt: *In prima quaerit de memoria electorum, an tunc praecedentia mala teneat. In secunda quaerit* etc.

ARTICULUS I.

De resurrectione.

QUAESTIO I.

Utrum resurrectio sit futura.

Quantum ergo ad primum sic proceditur, et ostenditur, quod resurrectio sit futura:

Fundamenta. 1. Primo auctoritate Iob decimo nono [1]: *In novissimo die de terra surrecturus sum.*

2. Item, Ioannis undecimo [2] Martha fidelis dixit: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

3. Item, *ratione* videtur: quia praemium respondet merito: ergo si anima meretur in corpore, debet etiam remunerari in ipso corpore; sed Deus est iustus remunerator: ergo oportet, quod anima resumat corpus, et sic [3] etc.

4. Item, anima habet naturalem appetitum ad corpus; quod patet, quia non vult separari, etiam corpore existente misero [4]; sed beatitudo est quies omnium desideriorum: ergo ad hoc, quod perfecte beatificetur anima, necesse est, corpus sibi reddi; et si hoc, patet etc.

5. Item, perfectior est forma compositi quam aliqua pars, quia partes ordinantur ad formam compositi: ergo completior et perfectior est forma humanitatis quam ipsa forma, quae est anima [5]: ergo cum perfectio gratiae et gloriae praesupponat perfectionem naturae; necesse est, totum hominem, non tantum animam, glorificari.

6. Item, ad perfectionem universi reperitur substantia spiritualis et corporalis et composita ex utraque: ergo cum universum sit incorruptibile, et aliquando stet generatio, ut infra [6] videbitur; necesse est, compositum aliquod ex anima et corpore remanere. Hoc autem non est nisi homo: ergo post consumtionem istius discretionis necesse est, hominem resurgere.

Ad oppositum. Contra: 1. Iob decimo quarto [7]: *Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur caelum;* sed caelum nunquam atteretur, cum sit incorruptibile: ergo homo non resurget.

2. Item, primae ad Corinthios decimo quinto [8]: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.*

3. Item, *ratione* videtur: quia nullum instrumentum remuneratur propter actionem factam per ipsum [9]; sed corpus se habet ad animam ut instrumentum: ergo etc. *Si dicas,* quod in instrumento coniuncto non est verum; *contra:* Angelus assumit sibi corpus, per quod ministrat; et tamen illud non resurget: ergo etc.

4. Item, nihil quod impedit viam perveniendi ad beatitudinem, debet resumi, cum perventum fuerit ad beatitudinem; sed corpus impedit, quia *concupiscit adversus spiritum* [10]: ergo ab ipso non debet resumi.

5. Item, «anima vivit Deo, sicut corpus anima [11]»; sed merito peccati contingit per divinam sententiam animam separari a corpore in morte naturae, et animam a Deo in morte damnationis futurae; sed anima damnata per sententiam nunquam vivificatur: ergo nec corpus mortuum per divinam sententiam debet resumere vitam.

6. Item, facilius coniunguntur quae separantur voluntate, quam quae necessitate; sed spiritus malus separatur a Deo per voluntatem, et ideo non potest ei uniri: ergo nec [12] anima potest uniri corpori, quae separatur ab eo necessitate.

CONCLUSIO.

Fide testante, erit resurrectio corporum nostrorum.

Respondeo: Dicendum, quod recta fides dicit, resurrectionem corporum nostrorum esse futuram. Conclusio. — Et ad hoc credendum adiuvatur per fidem *resurrectionis Christi iam factae.* Confirmatio 1. Si enim Christus est caput, et membra debent conformari capiti; cum Christus resurrexerit, consequens est, ut et nos resurgamus. Ut autem credat fidelis resurrectionem Christi, persuasum est sibi per multa *testimonia* Apostolorum, qui etiam per multa sunt argumenta cer- Dupliciter persuadetur.

---

[1] Vers. 25.

[2] Vers. 24.

[3] Damasc., IV. de Fide orthod. c. 27, inter alia argg. etiam hoc profert. — In *maiori* pro *respondet* cod. G *debet respondere.*

[4] Epist. II. Cor. 5, 4: Nolumus exspoliari. Cfr. August., VII. de Gen. ad lit. c. 27. n. 38. Ibid. XII. c. 35. n. 68. hoc arg. insinuatur (vide tom. III. pag. 585, nota 8.).

[5] Aristot., I. Polit. c. 3. (2.): Pars enim non solum alterius est pars, sed etiam omnino alterius [scil. totius].

[6] Dist. 48. a. 2. q. 2. seqq. — De *maiori,* in qua pro *reperitur* edd. *requiritur,* cod. U *requiritur vel reperitur,* cfr. tom. III. pag. 39, nota 3. — Pro *stet* edd. perperam *non stet.* Inferius pro *discretionis* cod. M *generationis,* edd. addunt *vel segregationis.*

[7] Vers. 12. — De *minori* cfr. II. Sent. d. 14. p. I. a. 1. q. 1. seq.

[8] Vers. 50, ubi Vulgata *possidere non possunt.*

[9] Cfr. Aristot., VIII. Ethic. c. 11.

[10] Gal. 5, 17.

[11] Secundum August.; cfr. tom. II. pag. 633, nota 5. — Edd. hic et in solut. *animae.* Cod. aa arg. finit *debet vivificari.*

[12] Codd. N aa *ergo multo fortius nec.*

tificati [1]. Persuadet etiam ipsa *pietas fidei*, quae nullo modo corpus Christi incineratum potest excogitare [2]. — Super hoc fidei fundamentum superaedificatur *persuasio rationis*, quia quod resurrectio sit futura, exigit *remuneratio divinae iustitiae*, quae homini retribuit, sicut et meruit; secundo, *consummatio gloriae*, quae omnem animae appetitum complebit vel quietabit; tertio *perfectio naturae*, quae consistit in toto composito, non in altera eius parte. Et hae sunt rationes supra fidem fundatae.

Confirmatio 2. per 3 rationes.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, dicendum, quod illa attritio intelligitur quantum ad figuram, non quantum ad substantiam; figura autem accipitur, secundum quod accipit Apostolus [3], pro *exteriori rei facie*.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod caro et sanguis etc.; dicendum, quod illud non intelligitur de carne quantum ad *substantiam*, sed quantum ad *corruptionem* et malitiam, sicut accipitur ad Galatas quinto [4].

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod instrumentum non debet remunerari; dicendum, quod est instrumentum, quod est *separatum*, et instrumentum sive organum *unitum*, non tantum ad aliquam *operationem faciendam*, sed ad *unam formam constituendam;* et hoc perficitur et convenit cum motore in unitate formae totius, et operationis per consequens; et sine tali nunquam habet motor perfecte compleri propter colligantiam ad illud. Ideo non est simile de instrumento separato, vel de corpore ab Angelo assumto [5].

Duplex instrumentum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod impedit; dicendum, quod non impedit secundum *substantiam*, quia natum est obedire, sed ratione *corruptionis;* et illa non resumetur, sed corpus incorruptum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod anima vivit Deo, sicut corpus anima etc.; dicendum, quod non est simile, quia sententia damnationis est sententia aeterna, sed sententia mortis non est aeterna. Ratio autem huius est meritum, quia culpa Adae deleta est morte Christi, sed culpa animae post mortem est indelebilis, pro eo quod in culpa illa perpetuo vivet. *Amplius*, sententia mortis lata contra hominem non fuit sententia definitiva, sed potius propter inobedientiam fuit sententia *interlocutoria* [6]*;* sed ultima sententia est *definitiva*, a qua non potest appellari, nec potest retractari.

Ratio 2.

6. Ad illud quod obiicitur, quod facilius coniunguntur quae separantur voluntate, quam illa quae necessitate etc.; dicendum, quod quaedam separantur ita, quod post separationem unum non habet inclinationem ad alterum; et talia non sunt apta ad reiungendum; et quia sic est angelicus spiritus a Deo separatus, ut ipsum odiat, non satisfactione appetat: ideo non potest nec debet ei coniungi [7]. — Quaedam separantur, ita tamen, quod unum habet appetitum et inclinationem ad alterum, et talia sunt ad iteratam coniunctionem habilia; talia autem sunt anima et corpus. — Quod ergo obiicitur de voluntate et necessitate, dicendum, quod hoc nihil facit ad reiunctionem, scilicet *modus separandi*, sed *qualitas separatorum*, vel potius *divinum iudicium.*

Distinctio.

SCHOLION.

I. Corpora humana vere resurrectura esse, testantur contra Sadducaeos, paganos omnesque incredulos tum s. Scriptura tum omnia Symbola. Error etiam Origenis, quod in ἀποκαταστάσει corpora in nihil sint desitura, animaeque solae et nudae remansurae, damnatus est a Concilio V. can. 10. 11. 14.

De 1. et 2. quaestione: Scot., hic q. 1, praecipue n. 11. seqq. — S. Thom., hic q. unica a. 1. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 75. a. 1. 2; S. c. Gent. IV. c. 79. seq. — B. Albert., hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. unica a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. et a. 2. q. 1-3. — Durand., hic q. 1. n. 13. seqq. — Dionys. Carth., de tota dist. hic q. unica.

II. Quoad 3. quaestionem notandum est, speciali privilegio in nonnullis anticipatam esse resurrectionem carnis; quod certum est respectu Christi (hic ad 2.) eiusque beatissimae Matris, et non improbabiliter a nonnullis docetur respectu Henoch et Eliae et eorum Patrum, qui cum Christo resurrexerunt; licet S. Thom. (hic a. 3. quaestiunc. 1. ad 3; Suppl. q. 77. a. 1. ad 3; Sum. III. q. 53. a. 3. ad 2.) cum S. Augustino probabilius esse censeat, Patres illos resurrexisse iterum morituros. — Quomodo intelligendum sit, quod resurrectio fiat in instanti, vide infra dub. 1. et q. 6. ad 4-6. — De dubio, utrum, adveniente Christo ad iudicium, aliqui non moriantur, cfr. infra dub. 5. — Plura de opinionibus circa ordinem resurrectionis cum aliis referunt S. Thom. et Scot. (hic q. 5. n. 10.).

De 3. quaestione: Scot., loc. cit. — S. Thom., hic et Suppl. locis citt. — B. Albert., hic a. 21. — Petr. a. Tar., hic a. 5. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1. 2, cfr. a. 4. q. 1. — Durand., hic q. 4.

---

[1] Act. 1, 3: Quibus et praebuit se ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis etc. Cfr. I. Cor. 15, 4. seqq., ubi quaedam argumenta afferuntur et etiam haec ratio. Vide Alex. Hal., S. p. III. q. 22. per totam. — Cod. F *quae etiam... certificata.*

[2] Psalm. 15, 10: Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Cfr. Act. 13, 35. — Inferius pro *retribuit* plures codd. *retribuat*, et pro *consummatio*, quod praebent codd. A G K, alii codd. et edd. *confirmatio.*

[3] Epist. I. Cor. 7, 31: Praeterit enim figura huius mundi. Cfr. infra d. 48. a. 2. q. 3. in fine corp.

[4] Vers. 16. seqq. Cfr. August., I. Retract. c. 17. et II. c. 3.

[5] Cfr. II. Sent. d. 8. p. I. a. 1. q. 2. ad 4. — Post *ad illud* cod. aa supplet *et tale remuneratur.*

[6] Scilicet illa quae non decidit principale, vel totum non finit negotium, sed quae ad principalis instructionem pertinet. In *Glossa* ad legem *Cum Clericis* (25.), I. C. de Episcopis et clericis (tit. 6.) dicitur: «Est enim sententia *interlocutoria*, cum praecipit iudex vel eius exsecutor eum pervenire ad causam». *Definitiva* sententia est quae totum negotium terminat et facit absolvendo, vel condemnando. — Superius pro *vivit* (ita codd. I K) cod. Z *vivet*, alii codd. et edd. *vixit.*

[7] Vide II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. — Pro *separatus*, quod plurimi codd. omittunt, cod. L *seiunctus* et pro *satisfa-*

QUAESTIO II.

Utrum resurrectio sit omnium.

Secundo quaeritur, utrum resurrectio sit omnium. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Ioannis quinto [1]: *Veniet hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei;* sed non possunt omnes audire, nisi omnes resurgant: ergo etc.

2. Item, primae ad Corinthios decimo quinto [2]: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.*

3. Item, *ratione* videtur: quia sententia mortis data est propter culpam originalem; sed omnes habent hanc culpam: ergo omnes moriuntur. Sed resurrectio, ut probatum est prius [3], debet esse, ut anima corpori iungatur: ergo omnes debent resurgere.

4. Item, omnes homines sunt mortales; sed mortale et corruptibile de necessitate corrumpitur: ergo necesse est, omnes corrumpi. *Rursus,* poena et praemium sunt aeterna; et haec debentur homini: ergo necesse est, hominem privari hac vita, et iterum dari sibi aliam vitam, ergo resurgere.

5. Item, hoc ipsum ostenditur *per hypothesim:* quia bene sequitur, quodsi anima Socratis est immortalis, quod omnis anima: ergo pari ratione sequitur, si unum corpus resurget, et omne; sed unum corpus resurrexit, scilicet Christi: ergo et omne [4].

Ad oppositum. Contra: 1. Danielis duodecimo [5]: *Multi de his qui dormiunt in pulvere terrae, evigilabunt:* ergo cum hoc nomen *multi* sit partitivum; si multi evigilent, non ergo omnes; ergo non omnium est resurrectio.

2. Item, Ioannis sexto [6]: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum; et ego resuscitabo eum in novissimo die:* cum ergo hoc promittat ad se venientibus, scilicet resurrectionem; et non omnes veniant: non ergo omnes resurgent.

3. Item, idem videtur *ratione:* quia pro peccato, quod operata est anima in corpore, sufficienter punitur in purgatorio sine corpore: ergo et in inferno sufficienter punitur pro utroque pari ratione, sic [7] etc.

4. Item, Christi resurrectio est causa nostrae resurrectionis in anima et in corpore [8]; sed non omnes resurgent in anima: ergo nec omnes resurgent in corpore.

5. Item, resurrectio ad hoc est, ut anima remuneretur in corpore, sicut in illo meruit; sed anima parvuli nihil est in corpore operata: ergo ad remunerationem eius non oportet corpus resurgere.

CONCLUSIO.

Resurrectio erit omnium.

Respondeo: Dicendum, quod omnium est mors, et omnium erit resurrectio. Corpus enim unitur *animae immortali* per naturam et *mortuae* per culpam in ipsa unione; et ideo *necessitatem* contrahit ad *moriendum* et *possibilitatem* ad *semper vivendum,* quae secundum ordinem divinae providentiae ad actum semper debet prodire, exigente hoc nihilominus merito, vel demerito, et etiam divino iudicio [9]. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod multi evigilabunt; respondet Augustinus, vigesimo de Civitate Dei [10], quod *multi,* id est *omnes.* Et talis modus loquendi frequenter invenitur in Scriptura. — Vel facienda est vis in verbo: quia *evigilare* plus dicit quam *resurgere,* quia vigilia est usus sensuum [11] et dicit *discretionem,* quae non vigebit in parvulis damnatis, quia non erit in eis tristitia. Notandum. Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod nemo venit etc.; dicendum, quod *vita* accipitur dupliciter, scilicet *large* et *proprie: large* vivificatio corporis, *proprie* vivificatio corporis cum salute. Sic et *resurrectio;* et secundo modo promittit Dominus resurrectionem bonis ad se venientibus; sed quantum ad primum modum omnibus praedicit. Duplex vita et resurrectio.

3. Ad illud quod obiicitur de poena purgatoria, dicendum, quod non est simile, quia purgatorium [12] Notandum.

---

ctione plures codd. *satisfactionem,* edd. *inclinatione.* Inferius pro *iteratam* cod. L *iterandam.*

[1] Vers. 28.

[2] Vers. 51.

[3] Quaest. praeced.

[4] Cfr. I. Cor. 15, 12. seqq. — De probatione *per hypothesim* vide tom. II. pag. 461, nota 6. verba Aristot. — Edd. supplent *resurget.*

[5] Vers. 2.

[6] Vers. 44: Nemo potest venire ad me etc. — Inferius pro *resurrectionem* cod. aa *resuscitationem.*

[7] Codd. communiter *sic et illud,* cui cod. K (I a secunda manu) addit: *scilicet quod pro bono, quod egit in corpore, sufficienter remuneratur in paradiso; quodsi hoc: ergo etc.*

[8] Vide infra q. 6.

[9] Cfr. Anselm., II. Cur Deus homo, c. 2. seq.

[10] Cap. 23. n. 2: Non autem diversum putetur, quod cum ibi positum sit: *Omnes qui sunt in monumentis,* hic non ait Propheta *Omnes,* sed *Multi dormientium in terrae aggere.* Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus multos. Propterea et Abrahae dictum est [Gen. 17, 5.]: *Patrem multarum gentium posui te,* cui tamen alio loco [Gen. 22, 18.]: *In semine,* inquit, *tuo benedicentur omnes gentes.*

[11] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 10. (c. 1.), et de Somno et vigilia, c. 1. — De parvulis damnatis vide II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq., ubi etiam de solut. ad 5.

[12] Edd. *purgatorii;* inferius post *merendi* cod. F addit *vel demerendi.*

dicit *transitum*, non *terminum*, nec dicit *statum*, sed *status supplementum*: ut quia praeclusa est homini per mortem via merendi, et peccatum remanere inultum nec poterat nec debebat [1]; constituit Dominus locum, per quem anima transiret ad patriam, ut anima solvat separata, quod non fecit coniuncta; et quia hoc magis dicit *supplementum* quam *terminum*, ideo non oportet, resumi corpus. Et sic patet illud.

4. Ad illud quod obiicitur, quod resurrectio Christi est causa nostrae resurrectionis in anima etc.; dicendum, quod non est simile: quia resurrectio animae est tantum ad bonum, sed resurrectio corporis est ad bonum et ad malum [2]; et resurrectio animae fit nostra voluntate, sed corporis exigente divinae iustitiae aequitate; ideo ista est omnium, licet non illa.

5. Ad illud quod obiicitur de parvulis, dicendum, quod si anima non exierit in actum, tamen originale traxit in corpore et per corpus; et ideo illi uniri debet, ut, sicut ex coniunctione ad corpus [3] peccavit, ita simul cum illo multetur poena damni. — *Amplius*, remuneratio non est *tota* ratio, quare fiat resurrectio, sed divinae ordinationis decretum; qui [4], coniungendo animam immortalem corpori, per hoc decrevit, illud corpus perpetuo vivificari. Si ergo divinum decretum non potest infirmari; necesse est, illud corpus animae revivificari, ut sicut corpus separatum est ab anima propter *divinam sententiam*, quae respiciebat culpam; ita reiungatur animae propter *divinam dispositionem*, quae sic decreverat constituere humanam substantiam. Ratione cuius decreti corpus humanum dicitur *ordinari* et possibilitatem habere ad incorruptionem, quamvis in sui natura nihil habeat plus de incorruptibilitate quam alia corpora mixta, ut patebit [5]; secundum statum praesentem loquor. Alia ratio notanda.

QUAESTIO III.

Utrum resurrectio sit omnium simul, an successive.

Tertio quaeritur, utrum resurrectio sit omnium simul, an successive. Et quod simul, videtur.

1. Primae ad Corinthios decimo quinto [6]: *In momento, in ictu oculi* etc. Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia mors et incineratio debentur merito primi peccati, quo peccavimus in Adam [7]; et omnes simul peccavimus, quia simul fuimus in Adam: ergo et in Christo simul debemus resurgere.

3. Item, decens est, ut habitatio congruat habitatori: ergo sicut mundus peioratus est, homine facto mortali, ita debet meliorari, homine facto immortali [8]; sed non debet meliorari, quamdiu homo est mortalis: ergo quamdiu homines vivunt, non debet esse resurrectio: ergo erit omnium simul.

4. Item, post resurrectionem consummatur gloria; sed Angeli non habent omnino gloriam consummatam ante nostram glorificationem, nec similiter daemones poenam [9]: ergo si maior est colligatio hominum ad invicem quam ad Angelos, non debet unus sine altero resurgere: et sic etc.

Contra: 1. Resurrectio corporum sequitur resurrectionem animarum; sed resurrectio animarum est successiva et non simul: ergo et resurrectio corporum. Ad opposi-tum.

2. Item, Christus non exspectavit nostram resurrectionem, qui est caput nostrum, et qui magis [10] fovet singula membra: ergo nec membrum exspectat resurrectionem membri, et sic etc.

3. Item, praemium respondet merito: ergo qui citius meruerunt citius debent remunerari: ergo meliores citius debent resurgere.

4. Item, maior est conformitas ex parte animarum quam corporum propter vinculum caritatis; sed glorificatio unius animae non exspectat glorificationem alterius: ergo etc.

CONCLUSIO.

Resurrectio corporum erit simul, non successiva.

Respondeo: Dicendum, quod resurrectio corporum non erit successiva, sed simul; et huius possunt esse rationes congruentes sex. Conclusio.

Prima est *severitas divini iudicii*, quod inflixit poenam incinerationis corpori usque ad adven- Ratio 1.

[1] Vide supra pag. 356, nota 6. et d. 20. p. I. q. 1. — Pro *inultum* plures codd. *impunitum*. Inferius pro *ut anima* plurimi codd. *et anima*. Pro *quod non* edd. *quod tamen*, et pro *non oportet*, quod habent codd. N aa (E a secunda manu) alii codd. et edd. perperam *oportet*.

[2] Cfr. Ioan. 5, 29.

[3] Cod. K (I a secunda manu) *cum corpore*.

[4] Vat. *quae*, refragantibus codd., qui per quandam *synesin* respicunt substantivum *Dei* in adiectivo *divinae*. — Aliquanto inferius pro *infirmari* edd. *infringi*, et pro *animae* (ed. 1 bene *anima*) *revivificari* cod. N *animae reuniri* (Vat. *reiungi*).

[5] Quaest. 5. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Vers. 52.

[7] Gen. 3, 19: Quia pulvis es, et in pulverem reverteris. Cfr. Rom. 5, 12. seqq.

[8] Cod. aa subiungit: *et hoc vult Glossa super Isai. 30.* [*26.*]: *Erit lux solis.* Vide Glossam *interlinearem* et *ordinariam* apud Strabum et Lyranum, quae est secundum Hieron. in hunc loc. — Pro *meliorari* codd. F G *remunerari* (cfr. infra d. 48. a. 2. q. 1.).

[9] Cfr. II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. et d. 11. a. 2. q. 2. — Pro *consummatam* plures codd. *confirmatam*, edd. *confirmatam vel consummatam*.

[10] Supple: quam quodlibet membrum. Hoc arg. in codd. ponitur ultimo loco, sed solutio eius secundo.

tum secundum Filii Dei, sicut poena carentiae visionis[1] usque ad adventum primum. Et ratio huius est, quia omnes simul fuimus in uno principio peccati.

Secunda ratio est *meritum fidei*, quae multum Ratio 2. meretur in credendo, nos remunerari, qui videmur similes bestiis in moriendo[2]; quod si illud experimento videret, non haberet meritum, quia humana ratio sibi praeberet experimentum.

Tertia ratio est *unitas corporis mystici:* quia Ratio 3. enim omnes *unum corpus sumus in Christo*[3], ideo necesse est, quod quantum ad *aliquam* gloriam resurgamus simul; sed non quantum ad gloriam *animae*, quia ibi esset maximum damnum et quasi importabile: ergo quantum ad gloriam *corporis*.

Quarta ratio est *subsidium infirmitatis nostrae:* Ratio 4. quia Sancti, dum sua desiderant corpora, vehementius etiam desiderant salutem nostram; unde Apostolus dicit ad Hebraeos undecimo[4]: *Deo pro nobis aliquid melius providente, ne sine nobis consummarentur.*

Quinta ratio est *manifestatio divinae iustitiae:* Ratio 5. quia enim omnibus debet esse notum, quanta iustitia damnet malos et salvet bonos; ideo ultimam distributionem[5] distulit usque ad novissimum, ut omnes comparerent.

Sexta et ultima ratio est *consummatio gloriae:* Ratio 6. quia enim Angeli adhuc sunt viatores quantum ad administrationem, quamdiu homines vivunt; et gaudium semper crescit secundum multitudinem electorum; non debuit perfecte gloria consummari in aliquo singulariter, donec consummaretur in omnibus simul.

1. Ex his patent obiecta. Nam resurrectio corporum non attenditur secundum resurrectionem *animae. Animae* enim resurrectio *prima*[6] respicit resurrectionem per gratiam, et haec est in via; et ideo *successive.* — Item, animae glorificatio substantiam importat praemii, quae si differretur, magnum damnum esset exspectanti; non sic de corpore, quia non multum gravat exspectare corpus, dum animae tenent Deum. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur de resurrectione Christi, patet responsio: quia nec concurrit ibi severitas iudicii, cum non esset super eum inducta maledictio; nec faceret ad meritum fidei, immo e contrario est in fidei adiutorium[7].

3. Ad illud quod obiicitur, quod praemium respondet merito; dicendum, quod verum est pro loco et tempore; et praemium *essentiale* competit ut statim reddatur, sed *stola secunda*[8] debet exspectari, quousque cum solemnitate et magnificentia et gloria dantis conferatur. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maior est unio et convenientia animarum; dicendum, quod falsum est, immo minor, pro eo quod omnia corpora in uno corpore fuerunt, sed non omnes animae in una anima[9].

QUAESTIO IV.

Utrum resurrectio sit eorundem corporum secundum numerum.

Quarto quaeritur, utrum resurrectio sit eorundem secundum numerum. Et quod sic, videtur.

1. Iob decimo nono[10]: *In carne mea videbo* Fundamenta. *Deum, Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, et non alius;* constat, quod non dicit *alius* secundum speciem, sed secundum numerum: ergo etc.

2. Item, Philosophus[11]: « Si ex mortali fiat immortale, non dicimus, eum aliam vitam sumere »; ergo si non est alia vita, nec aliud vivens, ergo idem: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia identitas rei venit ab identitate principiorum substantialium; sed idem est principium materiale et idem formale: ergo idem homo qui prius.

---

[1] Codd. R S supplent *Dei* (cfr. III. Sent. d. 22. q. 6.). Inferius pro *peccati* edd. *peccante.*

[2] Eccle. 3, 18. seqq.: Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus et ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis et iumentorum etc. — Inferius respicitur verbum Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1: Nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. — Pro *experimento* edd. *per experimentum homo.*

[3] Rom. 12, 5. Cfr. I. Cor. 12, 12. seqq. — Inferius pro *importabile* Vat. *improportionabile.*

[4] Vers. 40, ubi Vulgata *ut non* pro *ne.* Cfr. supra d. 21. p. 1. a. 3. q. 2. ad 1. et 3.

[5] Cod. G *retributionem,* Vat. *distributionem vel retributionem.*

[6] Codd. F R S *primo* (glorificatio est resurrectio animae *secunda*). In fine solut. pro *tenent* edd. *timent.*

[7] De quo vide supra q. 1. in corp.

[8] Sive corporis, quae distinguitur a gloria animae sive stola prima. Cfr. tom. III. pag. 390, nota 4.

[9] Cod. aa addit: *quia non sunt ex traduce* (cfr. II. Sent. d. 18. a. 2. q. 3. et d. 31. a. 1. q. 1.). — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[10] Vers. 26. seq. Vulgata omittit *Salvatorem,* et post *ipse* addit: *et oculi mei conspecturi sunt.*

[11] Libr. IV. Top. c. 5: Quandoque autem peccant, et passionem [i. e. proprietatem] in genere eius quod passum est, ponentes, ut immortalitatem vitam sempiternam dicentes esse; passio enim vitae et accidens immortalitas videtur esse. Quod autem verum sit quod dicitur, manifestum fit, si quis admittat, aliquem ex mortali fieri immortalem; nullus enim dicit, aliam vitam eum sumere, sed accidens aliquod vel passionem huic eidem advenire etc. — Edd. omittunt *sumere... alia vita.*

4. Item, « propria forma non est nata fieri nisi in propria materia [1] »: ergo cum anima sit propria forma corporis, quod perficit, non est nata uniri nisi illi: ergo si unitur in resurrectione, unitur eidem. Et si hoc; cum ipsa sit eadem, totum erit idem.

Ad oppositum. CONTRA: 1. « Omnis forma corrupta et iterum generata non est eadem numero, sed specie », sicut dicit Philosophus in secundo de Generatione [2]: cum ergo humanitas corrumpatur in isto in morte et iterum generetur in resurrectione, ergo alia numero. *Si tu dicas,* quod istud tenet in corruptione, quae est in contrarium, non in morte; *contra:* maior est corruptio in privationem quam in contrarium, quia ad hoc, quod fiat reparatio, necesse est fieri resolutionem usque ad ultima, et omnia rursus de novo generari [3]: ergo etc.

2. Item, quamvis artifex de eadem materia iterum faciat statuam, tamen alia est statua post quam ante: ergo pari ratione videtur, quod quamvis homo sit ex eisdem pulveribus, tamen est alius. *Si dicas,* quod Deus potest facere plus quam natura vel artifex; verum est, quod plus potest, tamen non facit, nisi quod congruit et congruum est; nec est intelligibile, quomodo aliquid corrumpatur et cedat in non-ens, et iterum fiat, quod sit idem [4]; aut si est congruum, quare non dat istam potentiam naturae?

3. Item, differentiae essentiales rem diversificant non tantum numero, sed etiam essentia [5]; sed *mortale* et *immortale* sunt essentiales differentiae: ergo cum resurgens sit immortalis et ante mortalis, patet etc.

4. Item, prima generatio et reformatio sunt operationes diversae: ergo si diversarum operationum diversi sunt termini secundum substantiam, aliud est corpus, quod primo generatur, aliud corpus, quod postmodum reformatur.

CONCLUSIO.

Resurrectio est eiusdem secundum numerum corporis.

RESPONDEO: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa hoc diversi diversa senserunt. Quidam enim dixerunt, quod triplex est diversitas secundum numerum: *una,* quae venit ex diversitate partis materiae et formae specificatae [6], sicut differt numero haec aqua et hic ignis; *quaedam,* quae venit ex diversitate partis materiae, sicut iste ignis ab illo differt; *tertia,* quae venit ex discontinuatione in duratione; et haec diversitas secundum numerum ortum habet, ut dicunt, ex tempore [7]; tempus enim durationem numerat, sicut et actionem. *Prima* diversitas secundum numerum est magna, *secunda* minor, *tertia* minima. *Prima* et *secunda* diversitate carebit corpus resurgens, sed *tertia* non carebit nec potest carere, quia propositio de praeterito non potest non esse vera [8]. Unde sicut virgo corrupta non potest fieri virgo — quia non potest non fuisse corrupta — nec a Deo nec a natura, nec hoc est intelligibile; sic corpus corruptum non potest omnimoda identitate reparari idem, quia non potest non fuisse corruptum. Tamen haec est ita modica diversitas, ut non mereatur aliquid propter hoc dici *diversum,* quoniam idem est secundum alium duplicem modum identitatis, scilicet propter identitatem *materiae* et *formae,* quia identitas materiae et principalis formae erit in resurgentibus. Hinc est, quod resurrectio est in eisdem [9]. Quod ergo dicit Philosophus, quod « forma corrupta et iterum generata est alia numero »; intelligit de ista diversitate. (Opinio 1.)

Sed istud non videtur multum rationabile: primum quidem, quia stultum videtur dicere, quod Deus non possit omnino idem corpus reformare identitate secundum numerum. — *Amplius, identitas* secundum numerum in substantia non venit ex accidentibus, licet per illa innotescat [10], nec etiam *diversitas.* — Et *iterum,* quod discontinuatio in *esse* non inducat diversitatem in numero, videtur expresse in artificiatis, ut si arca dissolvatur et iterum ex eisdem tabulis et secundum eundem ordinem reparetur; non dicetur alia arca numero, sed eadem; et tamen desiit esse arca. (Improbatur tripliciter.)

Et propter hoc dicunt alii aliter, quod duplex est corruptio: quaedam per *dissolutionem* sive separationem *principiorum componentium* sive partium; quaedam per *corruptionem formae.* In *prima* (Opinio 2.)

---

[1] Aristot., II. de Anima, text. 26. (c. 2.): Uniuscuiusque enim actus in eo, quod potentia existit et in propria materia, aptus natura est fieri. — Seq. propos. insinuatur ibid. text. 4. seqq. (c. 1.).

[2] Text. 70. (c. 11.) Cfr. V. Phys. text. 36. (c. 4.).

[3] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis.* Vide supra pag. 339, nota 1. — Pro *et omnia* cod. H *et omnino.*

[4] Vide supra pag. 575, nota 1. verba Avicennae.

[5] Cfr. Porphyr., de Praedicab. c. *de Differentia.* — Cod. F *specie.*

[6] Vat. *specificae.* Inferius vocibus *in duratione* edd. interserunt *partium.*

[7] Aristot., V. Phys. text. 34. seq. (c. 4.), ad unitatem numericam motus tria necesse esse docet, scilicet quod unum sit id *quod movetur,* quod unum sit *in quo movetur* et quod unum sit *quando movetur,* nempe tempus sit unum et non intermittatur. Ibid. IV. text. 108. seqq. (c. 12.) dicit, tempus esse numerum et mensuram motus rerum mobilium. — Mox pro *numerat,* quod codd. R S W bb (E P a secunda manu) habent, codd. O U aa *mensurat,* edd. *habet;* in pluribus codd. omittitur.

[8] Vide I. Sent. d. 42. q. 3, ubi etiam habetur dictum Hieronymi: Cum omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam.

[9] Codd. aa bb et ed. 1 *est eiusdem.*

[10] Cfr. supra pag. 272, nota 3. — Pro *secundum numerum* hic et in fine corp. multi codd. et ed. 1 *secundum materiam* et *per illam* pro *per illa.* Subinde post *discontinuatio* codd. omittunt *in,* ed. 1 insuper *esse.*

possibile est, idem numero reparari ei qui scit ad eundem modum et ad eadem loca reducere. In *secunda* — quia quod corruptum est non potest esse idem, quoniam nova est essentia formae, sicut[1] de novo generatur — dicunt quod necessario oportet esse aliud; et de hac intelligit Philosophus. Separatio et dissolutio corporis humani est quantum ad *primum* modum; ideo reparatur idem, sicut artificiatum, quia, salva anima et corpore, fit separatio unius ab alio, et post, salvis partibus materiae, fit incineratio; et Deus sicut bonus artifex cineres colligit et unit et reformat idem corpus: et quoniam illud corpus habet eandem perfectionem, ideo totum consummatum est idem.

Sed istud non solvit sufficienter. Certum est enim, quod forma carnis humanae *corrumpitur*, dum generatur inde vermis et serpens; et sicut potest corrumpi in carnem serpentis vel alterius animalis, sic *resolvi* potest, sicut et illud animal, etiam in quatuor elementa, et unumquodque elementorum corrumpi in aliud, et ita corrumpuntur formae mixti et elementi: ergo necesse est, elementa alia esse numero et aliam carnem. Et ita non potest stare ista responsio.

Non sufficit. Notandum.

Et propterea notandum, quod est resurrectio eiusdem numero, quia aliter non esset resurrectio. — *Si quaeras a me*, quomodo hoc esse possit; dico, quod hoc potest esse per *virtutem divinam*, quamvis non possit esse *per naturam;* et istud intelligere possumus sic.

Conclusio. Explicatio modi.

Supponamus nunc, quod natura aliquid agit, et illud non agit ex nihilo; et cum agat in materiam, oportet, quod producat formam; et cum materia non sit pars formae, nec forma fiat pars materiae, necesse est, aliquo modo formas naturales esse in materia, antequam producantur; et substantia materiae praegnans est omnibus: ergo rationes seminales omnium formarum sunt in ipsa. Sed ad illud *stat resolutio*, a quo *incipit generatio:* ergo nulla forma omnino corrumpitur, sed manet in materia, sicut antequam produceretur. Et sic dicit Augustinus[2]; unde formas in materia ante productionem dicit esse quantum ad *rationes seminales.* Dicit etiam, *resolvi ad materiam*, sicut ad occultissimos sinus naturae, idem utroque nomine secundum alteram et alteram rationem intelligi volens. Quid autem haec sint, alibi melius patet, scilicet in secundo[3]. Nunc autem hoc dixisse sufficiat, quod omnes formae, cum corrumpuntur, non *omnino* corrumpuntur; sed manent aliquo modo. Et huic concordat ratio et auctoritas philosophica et auctoritas beati Augustini[4], et quod maius est, auctoritas sacrae Scripturae, quae est auctoritas Spiritus sancti.

Confirmatur. Rationes seminales. Notandum.

Hoc praesupposito, dicendum, quod quamvis forma ibi sit aliquo modo post corruptionem, tamen natura non potest producere ad idem *esse*, quod habuit prius. — Et ratio huius est: quia agens naturale agit influendo et impertiendo aliquid sui, quo mediante perficit illud quod erat in materia; et illud quod influitur a parte agentis, fit aliquid de completo *esse* ipsius producti: et ideo necesse est, quod natura det aliquid *novi* quantum ad *modum essendi substantialem,* qui est esse[5] in actu. Quamvis enim natura non det novam *essentiam,* dat tamen novum *modum essendi,* non tantum *accidentalem*, immo etiam *substantialem*, sicut *esse in actu*, secundum quem potest res substantialiter numerari et diversificari. Et propterea natura, cum reparat, non *idem*, sed *novum* producit; sed Deus, qui potest ipsas rationes seminales sine immissione alicuius novi ad perfectum *esse* deducere, potest facere, quod sit idem. Et sic facit in proposito, quia ex illis solis et per eundem ordinem in reformatione rem constituit, ex quibus erat ante. Unde si omnia elementa convertantur in ignem, Deus ex illo igne reformat eadem elementa, quae ibi erant in rationibus seminalibus, et ex illis formam carnis per eundem ordinem. Et sic patet, quod Deus potest reformare idem corpus secundum numerum; et sic potest dici ad praesens.

Principia applicantur. Ratio notanda. Nota.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur primo et secundo, iam patet responsio: quia, quamvis istud sit impossibile agenti *inferiori*, est tamen possibile agenti *superiori*, scilicet ipsi Deo. — Et quare istam potentiam non communicat Deus creaturae, patet: quia nulla creatura agit *se ipsa*[6], sed *per aliquid sui,* immittendo virtutem, sicut et color ad hoc, quod immutet visum, facit speciem sui in medio: unde agit aliquid extrinsecum in intrinseco; non sic Deus. Hoc autem dico de operatione naturali.

Solutio oppositorum. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de *mortali* et *immortali,* dicendum, quod quidquid sit de *mortali,* utrum sit differentia, an non — quia non est praesentis considerationis, cum rationes ad utramque partem sint, quia videtur dicere defectum et imperfectionem et non habet differentiam in eodem genere condividentem, et alia plura[7] — tamen hoc absque calumnia verum est, quod *mortale* tripliciter accipitur: uno modo dicit naturalem *aptitudinem* ad

Mortale dicitur tripliciter.

[1] Edd. *sic.* Mox ex cod. L posuimus *Separatio* pro *Reparatio.*

[2] Libr. III. de Trin. c. 8. n. 13. et c. 9. n. 16; III. de Gen. ad lit. c. 14. n. 23; V. c. 23. n. 44; VI. c. 14. n. 25. seqq. et IX. c. 17. n. 31. seqq.; Enarrat. in Ps. 78. n. 5. — Paulo ante pro *sicut* cod. O *in qua fuit*, edd. legunt: *in materia post corruptionem, sicut manebat, antequam etc.*

[3] Libr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 2. et d. 18. a. 1. q. 2. seq.

[4] Cfr. supra pag. 232, nota 1.

[5] Codd. G H K Y et ed. 1 addunt *et.* Superius pro *perficit* non pauci codd. et ed. 1 *proficit*, cod. bb a secunda manu *producit.*

[6] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 2. in corp. — De seq. exemplo coloris cfr. Aristot., II. de Anima, text. 74. (c. 7.), et de Sensu et sens. c. 2. seq. — Inferius post *unde agit* Vat. addit *per* et pro *intrinseco* cum ed. 1 substituit *extrinseco.*

[7] Vide Avicennam, Logic. p. I. c. *de Differentia*, ubi privationes excludit de differentiis; B. Albert., Comment. in Praedicab. tr. 5. c. 3.

moriendum; alio modo, *possibilitatem* ad moriendum; tertio modo, *necessitatem*. Et primo quidem modo *mortale* inest homini ea ratione, qua compositum ex partibus heterogeneis. Unde Hilarius[1]: « Non ex compositis est Deus, quia vita est »: si ergo homo est ex *compositis heterogeneis* et *diversis naturis* et dispositionibus; impossibile est, quod vitam habeat nisi cum *aptitudine* ad moriendum; et sicut talis *compositio* est homini naturalis, ita et *mortale*. Et hoc modo accipiendo *mortale* contra *immortale*, nunquam concurrunt in idem; sic[2] nec spirituale aut simplex et compositum. Et si aliquo modo est differentia, isto modo est non dividens *animal*, sed *substantiam viventem*, cuius una differentia est *immortale*, et per oppositum *mortale*. — Secundo modo *mortale* inest eo modo, quo est quid compositum ex *partibus heterogeneis*, habentibus defectibilitatem, sicut in primo homine, qui habebat statum animalem; et hoc modo dicit statum *medium* inter miseriam et gloriam[3]. — Tertio modo *mortale* inest ea ratione, qua vivens est compositum ex *contrariis*, habentibus defectibilitatem et pugnam ad invicem; et sic inest homini lapso, et hoc modo dicit *statum miseriae*; et *immortale* huic[4] oppositum dicit *alium statum*. Et quoniam *status* mutari potest, unitate secundum numerum remanente; hinc est, quod ex *mortali* secundum hunc duplicem modum fit *immortale* sine diversitate substantiae. Et hoc modo fit in homine glorificato, qui est *mortalis* primo modo, scilicet secundum naturalem aptitudinem, sed *immortalis*, prout dicit privationem potentiae et necessitatis.

De 1. modo. De 2. modo. De 3. modo.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod diversae sunt operationes; dicendum, quod diversae operationes diversos effectus inducunt, quando *dividuntur ex aequo;* sed quando sic est, quod una ad alteram *ordinatur*, et una est *reparativa* effectus alterius; si secunda egrediatur ab agente omnino potente, potest omnino idem reparari. Et sic est in proposito.

Distinctio notanda.

Sed *obiicitur:* quomodo potest hoc intelligi? Cum istae operationes sint discontinuae, et *esse* rei sit discontinuum[5], et unius continui duo sint ultima tantum: si ergo *esse* discontinuatur, ergo est aliud et aliud. Cum ergo unum numero consequatur idem actuale; necessario videtur sequi, quod sit aliud et aliud. Et *iterum*, quomodo potest bis *incipere* aliquid et esse idem? Impossibile enim est esse et intelligere, quod aliquis currat bis eodem cursu. — Et potest ad hoc responderi, quod de *esse rei* est loqui dupliciter: aut quantum ad *defluxum et durationem*, aut *secundum se*. Si quantum ad *durationem et defluxum;* sic necessario oportet, quod duratio sit alia et alia, sicut mensura durationis. Si quantum ad ipsum *esse secundum se;* sic numeratur et plurificatur a *principiis permanentibus;* et quoniam principia permanentia sunt eadem, quamvis defluxus durationis et inceptio sit alia et alia: hinc est, quod res est una, et *esse* rei est unum. — Nec est simile de *actionibus successivis*, quia illae necessario[6] numerantur, et praeteritum et futurum respiciunt partes diversas actionis sive mutationis sive durationis successivae. Non sic oportet iudicare de *forma absoluta*, quae corrupta potest a Deo numerari eadem, quia aliquo modo manet in ratione seminali.

Obiectio. Resp. Distinctio. De actionibus successivis.

SCHOLION.

I. « Omnes homines resurgere habent cum corporibus *suis* » (i. e. iisdem secundum numerum); ita docet Symbolum Athanasianum; quod confirmat Symbolum Concilii Toletani XI. (an. 675) dicens: « Nec in aërea, vel qualibet alia carne (ut quidam delirant) resurrecturos nos credimus, sed in ista qua vivimus, consistimus et movemur ». Hoc unanimiter tenentes, Scholastici tantum quoad explicationem scientificam in aliquibus contrarias opiniones in medium protulerunt, quae fere ex diversis principiis ad naturalem philosophiam spectantibus exortae sunt. Primo occurrebat difficultas orta ex auctoritate Aristotelis, qui pluribus locis docere videtur (cfr. arg. 1. ad oppos.), quod illa quorum forma corrupta et iterum generata fuerit, non possint redire eadem secundum numerum. Circa hoc pauca notamus.

1. Duae opiniones extremae circa *possibilitatem* huiusmodi restitutionis prolatae sunt; quarum prima docuit, etiam *agens naturale* posse rem corruptam *eandem* numero reparare. Ex opposito Durand. (hic q. 3.) docuit (cum quadam tamen cautela), intrinsecus impossibile esse, ut entia corrupta redirent *eadem* numero; et hoc in genere de omnibus entibus asseruit, non tantum de *successivis* (quod communius conceditur), sed etiam de *permanentibus*. Pro hac sententia citat etiam plures locos S. Thomae, praesertim IV. Sent. d. 44. q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 3. Hinc putat, resurrectionem *hominis* non esse possibilem nisi in suppositione, quod in homine non sit *alia* forma quam anima rationalis, quae nunquam corrumpitur, utpote *immortalis;* et per consequens, talem resurrectionem bestiarum, corrupta earum forma, per se esse impossibilem. Eadem principia tenet opinio 2. hic in corp. relata. Attamen sententia communis principium illud Durandi reiicit (cfr. Henr. Gand., Quodl. 7. q. 16.).

2. S. Thom. *factum* quidem resurrectionis cum Durando hac ratione explicat, quod « nullum principiorum essentialium hominis per mortem omnino cedat in nihilum » (S. c. Gent. IV. c. 81.), manente scilicet tum forma *unica*, quae est anima

---

[1] Libr. VII. de Trin. n. 27: Non enim ex compositis atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit. — Vocibus *qua compositum* Vat. interserit *est aliquid*. Inferius pro *nisi cum* cod. G *sine*.

[2] Cod. aa *sicut*. Mox post *spirituale* cod. bb bene addit *et corporale*.

[3] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 1. seq. — Superius post *inest* Vat. subiungit *homini*, et inferius eidem verbo addit *alicui viventi*.

[4] Ita codd. FIK, in aliis et edd. *his*.

[5] Vat. cum paucis codd. *continuum*, et inferius *esse actuale* pro *idem actuale*.

[6] Supple cum cod. Y *tempore*. In fine solut. pro *numerari* cod. K *reparari*, Vat. *iterari*.

rationalis, tum materia. In hoc autem a Durando recedit, quod minime negat, *possibile* esse Deo, ut entia, saltem *permanentia*, postquam corrupta sint, eadem numero reparet; quod clare resultat ex cit. loco. Quoad entia *successiva* vero, « quorum unitas in sui ratione habet durationis continuitatem, sicut patet in motu et tempore», dicit, quod « interruptio talium indirecte contrariatur unitati eorum secundum numerum ». Idem concedit (Quodl. IV. q. 3. a. 5.), quod « Deus ea non potest *eadem numero* reparare ». In hoc consentit S. Bonav., hic q. 1. ad 4.

3. Scot. (hic q. 1. n. 2. seqq.), cum praeter animam rationalem ex parte corporis ponat formam *corporeitatis* in morte corrumpendam, explicare debet hanc difficultatem, quae ex parte formae talis morte corruptae et iterum alia transmutatione de potentia materiae educendae occurrit; qualis restitutio agenti naturali certo est impossibilis. Hinc ille totus est in eo, ut principium a Durando positum evertat et *Deo* soli hoc possibile esse demonstret. Idem etiam putat, non apparere repugnantiam, quin Deus etiam *successiva* reproducat eadem; quae sententia etiam extra scholam Scoti pluribus posterioribus placuit.

II. His visis, apparet, quomodo sententia S. Bonaventurae differat a praedictis. Ipse enim docet: *primo*, quod sub una perfectione sive forma *proprie substantiali* sint ex parte corporis aliae formae subordinatae et corruptibiles; *secundo*, ipse solvit difficultates recurrendo ad rationes seminales. Quoad *primum* hic affirmat, quod « forma carnis » et formae « mixti et elementorum » corrumpuntur; atque quoad *secundum*, quod « nulla forma *omnino* corrumpitur, sed manet in materia » post corruptionem, sicut erat, antequam produceretur, scil. in rationibus seminalibus. — Respectu *pluralitatis formarum* aliter docet ac S. Thomas, nec etiam cum Scoto convenit quoad extensionem huius principii, cum Scotus cum anima solam formam *corporeitatis* admittat. De hoc principio S. Bonaventurae cfr. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 3. et scholion, d. 13. a. 2. q. 2. et praecipue scholion, d. 14. p. II. a. 2. q. 1, d. 15. a. 1. q. 2, d. 17. a. 1. q. 2. ad 6. et a. 2. q. 2; cfr. etiam II. Sent. d. 1. p. II. a. 1. q. 2. ad 2. 3; III. Sent. d. 6. a. 2. q. 1; IV. Sent. d. 44. p. I. dub. 4, d. 49. p. II. sect. 2. a. 1. q. 1. — De rationibus seminalibus cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 1, d. 18. a. 1. q. 2. et 3; IV. Sent. d. 12. p. I. a. 2. q. 1, ubi in scholiis plura de hac antiquorum Scholasticorum opinione relata sunt. Eaedem rationes seminales adhibentur infra q. 5. ad 6. et d. 44. p. I. a. 2. q. 2. ad 2. — Iam observavimus, hanc praeexistentiam rerum in rationibus seminalibus quoad *essentiam*, non quoad *existentiam propriam* et *completam*, quam S. Doctor tanquam *magis probabilem* posuit, a posterioribus Scholasticis fere communiter fuisse improbatam, eamque esse explicatu satis difficilem. Quodsi haec doctrina posset probari, non tantum dogma resurrectionis, sed alia etiam mysteria scientiae naturalis non parum illustrarentur. — Petr. a Tar. in hac quaestione consentit S. Bonav. et recurrit (hic a. 7. praesertim ad 11.) ad rationes seminales, « in quibus forma mixtionis manet, et ex quibus virtute divina eadem numero reparatur ».

III. De hac 4. quaestione praeter loca citt.: S. Thom., infra d. 44. q. 1. a. 1; Suppl. q. 79. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. 3. — Henr. Gand., Quodl. 7. q. 16.

IV. In seq. (5.) quaestione quoad *factum* resurrectionis omnes concedunt, eam fieri modo et virtute supernaturali; item, absurdum esse antiquum Orientalium et Pythagorae errorem, qui cum transmigratione animarum posuit circulationem quandam omnium rerum. Tamen diversae sententiae exortae sunt quoad ea quae in reproductione rerum *possibilia* sunt activis *naturae* viribus. De quo Scot. (hic q. 3. n. 2. seqq.) praeter extremam et falsam opinionem antiquorum modo relatam recitat duas alias sententias, quarum prima dicit, *nullo modo* posse aliquid idem numero redire per *agens naturale*; secunda vero *media* putat, non quidem omnia, sed tamen aliquid per actionem naturae posse idem redire. *Mediam* hanc sententiam tenent Richard. a Med. (hic a. 3. q. 1.) aliique saltem ut probabilem; ipse Scot. eam non penitus reprobat, praefert tamen alteram communiorem sententiam.

De hac 5. quaestione praeter laudatos: Alex. Hal., S. p. II. q. 42. m. 2. a. 5. — S. Thom., hic a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 75. a. 3. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 1. 2. — Durand., hic q. 2. 3.

V. Circa 6. quaestionem cfr. III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. et scholion. In solutione communiter consentiunt doctores; S. Thom. tamen, ut iam loc. cit. notavimus, humanitati Christi vim quandam instrumentalem ad opera supernaturalia tribuit. Unde dicit (hic a. 2. quaestiunc. 1; Suppl. q. 76. a. 1-3.): « Sed ipsa resurrectio Christi virtute Divinitatis adiunctae est causa quasi instrumentalis resurrectionis nostrae; operationes enim divinae agebantur mediante carne Christi quasi quodam organo; sicut ponit exemplum Damascenus (III. de Orthod. Fide c. 15.) de tactu corporali, quo mundavit leprosum, Matth. 8. ».

De eadem quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 20. m. 2. a. 1-6. — Scot., hic q. 5. n. 7. — S. Thom., locis citt. quaestiunc. 1-3, et a. 1-3. — B. Albert., hic a. 4. 5. et 26. — Petr. a Tar., hic a. 4. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

QUAESTIO V.

Utrum resurrectio sit naturalis, an miraculosa.

Quinto quaeritur, utrum resurrectio sit naturalis, an miraculosa. Et quod *non sit naturalis*, ostenditur:

Fundamenta. 1. A parte *initii:* quia « a privatione in habitum per naturam non fit regressus [1] »; sed in morte est summa privatio: ergo resurrectio, cum sit a morte, non est per naturam.

2. Item, hoc ipsum ostenditur a parte *termini:* quia omne quod natura producit, est corruptibile et mortale; sed corpus glorificatum est immortale et incorruptibile [2]: ergo etc.

3. Item, tertio ostenditur a parte *modi operandi:* quia natura operatur successive, non subito; sed resurrectio erit subito, *in ictu oculi* [3]: ergo non est a natura.

4. Item, ostenditur etiam a parte *principii effectivi:* quia « natura est vis insita rebus, ex similibus similia procreans [4] »; sed in resurrectione non fit simile ex simili: ergo etc.

5. Ultimo ostenditur a parte *omnium horum:* quia est articulus fidei, quae non est de his quae fiunt per naturam, sed supra naturam: ergo etc.

---

[1] Secundum Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis.* Cfr. tom. II. pag. 815, nota 4.
[2] Cfr. I. Cor. 15, 42. et 53.
[3] Epist. I. Cor. 15, 52. — De *maiori* cfr. supra pag. 248, nota 4. seqq.
[4] Vide tom. I. pag. 134, nota 10. et tom. III. pag. 188, nota 1.

Ad opposi-tum.

Contra: 1. Iob comparat resurrectionem hominis germinationi ligni praecisi, Iob decimo quarto[1]; Apostolus vivificationi grani mortui, primae ad Corinthios decimo quinto; Gregorius, in homilia paschali, generationi circulari corporis arboris ex parvo semine. Et in his ostendere volunt et probare resurrectionem: ergo si ratio et similitudo bona est, quam ponunt; cum omnia haec sint a natura, resurrectio est naturalis.

2. Item, hoc ipsum ostenditur, quia dicit Augustinus in libro de Quantitate animae[2]: « Si cursum naturalium rerum attendamus, certius erit nobis, resurrectionem esse futuram, quam solem oriri cras ».

3. Item, Apostolus dicit[3]: *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem;* sed quod est supra naturam non oportet evenire: ergo resurrectio est in potentia naturae.

4. Item, *ratione* probatur hoc ipsum: quia maior est aptitudo pulveris hominis ad generationem[4] hominis quam alterius animalis; sed natura per putrefactionem potest de tali pulvere aliud animal generare: ergo et corpus hominis reparare.

5. Item, maior est aptitudo materiae corporis hominis ad ipsum, quam virgarum ad serpentes; sed productio serpentum ex virgis magorum, quamvis ministerio fieret diabolico, tamen erat naturalis[5]: ergo etc.

6. Item, quod est in appetitu naturae est naturale, quia natura non fundavit appetitum frustra; sed anima naturaliter appetit reuniri corpori; hoc constat per Augustinum super Genesim ad litteram[6], ubi dicit, quod « anima propter appetitum ad corpus retardatur, ne tota intentione feratur in summum caelum »: ergo etc. *Si tu dicas,* quod appetitus est tantum ex parte *animae;* ostenditur etiam, quod ex parte *pulverum:* quia corpus humanum ex coniunctione sui cum anima habet ordinari ad immortalitatem; sed coniunctio cum anima est naturalis: ergo et illa ordinatio. Sed ad illud, ad quod res naturaliter ordinatur, habet naturalem appetitum, ut ignis sursum ferri[7]: ergo etc. *Praeterea,* pulveres illi aut *resolvuntur* in elementa prima, aut *non.* Si *sic;* cum elementa sint homogenea, non magis habent ordinationem ad corpus humanum quam alia pars elementi, quae nunquam fuit corpus: ergo non est maior ratio, quare de eo iterum fiat corpus humanum quam de alio; quod falsum est. Si *non resolvuntur* ad elementa; aliqua vis tenet, quae est in ipsis pulveribus, et per ipsam ordinantur ad ulteriorem formam, ergo naturalem[8]: ergo ex parte corporis et animae est resurrectio naturalis.

CONCLUSIO.

Resurrectio non est naturalis, sed supra naturam.

Respondeo: Dicendum, quod in resurrectione tria sunt: primum est corporis ex pulveribus *reformatio;* secundum ipsi corpori reformato *animae unio;* tertium unitorum inseparabilis *colligatio.* Primum est *contra* naturam, id est contra solitum cursum naturae, quae potest perfecta destruere, non destructa reparare. Secundum est *secundum* naturam, quod anima optime corpori sibi organizato, cui desiderabat uniri, uniatur. Tertium est *supra* naturam, scilicet quod ex corruptibili fiat incorruptibile non separabile. — Tria in resurrectione.

Quoniam igitur primum et ultimum est non *a natura,* sed *supra* vel *contra;* ideo non est dicendum, resurrectionem naturalem esse, sed supra naturam[9]. — Conclusio.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod probatur et comparatur operationibus naturae; dicendum, quod probatio est bona et per *locum a minori*[10]. Si enim natura creata potest facere vivum de mortuo, de semine parvo facere magnum corpus, quae est potentiae finitae; multo magis Deus potest per se facere de homine; et ad hoc tendunt illae rationes et comparationes. Et propter hoc dicit Augustinus: « Certissima erit nobis resurrectio, si cursum naturalem attendamus », non quia ipsa sit a natura, sed quia a Deo melius hoc potest fieri, quam a natura possint fieri opera sua. — Solutio oppositorum. — Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de opportunitate, dicendum, quod est *opportunitas materiae* et *efficientis,* sicut et *necessitas;* et opportunitas a parte *efficientis* est ratione immutabilitatis, non coactionis[11]; et ideo opportunum, quia Deus decrevit et disposuit, non quia compellatur, vel *materia* necessario — Distinctio duplex.

---

[1] Vers. 7. seqq. — Seq. locus est I. Cor. 15, 36. seqq. — Sententia Gregorii habetur in II. Homil. in Evang. homil. 26. (in Octav. Paschae) n. 12. — Pro *circulari* (i. e. ex semine fit arbor et ex fructu arboris semen) cod. aa *surculi.*

[2] Cap. 33. n. 76: Videbimus... ut etiam ipsam resurrectionem carnis, quae partim tardius, partim omnino non creditur, ita certam teneamus, ut certius nobis non sit, solem, cum occiderit, oriturum.

[3] Epist. I. Cor. 15, 53.

[4] In cod. bb secunda manus substituit *reparationem.*

[5] Respicitur Exod. 7, 11. seq. Cfr. II. Sent. d. 7. p. II. a. 2. q. 2. — In *maiori* edd. *naturae* pro *materiae.*

[6] Libr. XII. c. 35. n. 68. In fine textus codd. T U X *bonum* pro *caelum,* quod tamen originale exhibet. — De *maiori* cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2.

[7] Ex cod. K (I a secunda manu) supplevimus *ferri,* Vat. *ut ignis ad sursum.* Paulo superius pro *Sed ad illud* codd. et ed. 1. *Sed illud.* Infra pro *de alio* plures codd. *de alia.*

[8] Codd. G L Z aa *naturaliter.* Superius pro *ad elementa* edd. *in elementa prima.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 5.

[10] Vide tom. I. pag. 835, nota 5. — Finem solut. edd. exhibent sic: *sed quia ab eo* [ita etiam plures codd.] *haec melius potest fieri, quam a natura possit fieri, scilicet Deo opera sua* [permulti codd. *fieri secundum opera sua*].

[11] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. in corp. et ad 5. —

ex parte naturae praeparetur. Et ideo talis *opportunitas* non infert, huiusmodi resurrectionem esse a causa naturali, cum stet cum causa supernaturaliter operante.

4. 5. Ad illud quod obiicitur, quod natura potest de his quae generata sunt per putrefactionem, et de serpentibus; dicendum, quod quaedam animalia *modicam* organizationem habent, utpote vermes et animalia corporis anulosi; et talium est natura productiva per putrefactionem. Quaedam *completam*, ut animalia sensibilia perfecta et gradientia, ut equus; et talia non potest[1] nisi per vim formativam influxam cum decisione seminis; et tale est corpus humanum, quod non potest naturaliter organizari, nisi adsit semen et debitum vas suscipiens, scilicet matrix; et ideo non est simile de serpentibus.

De generatione aequivoca.

6. Ad illud quod obiicitur de appetitu naturae, dupliciter potest responderi: uno modo, quod propositio illa falsa est. Quaedam enim sunt in naturae *appetitu*, quae tamen non sunt in eius *potestate;* et talia non sunt naturalia, ut patet de beatitudine[2]. Quae autem sunt in *appetitu et potestate*, talia sunt naturalia; tale autem non est resurrectio. — Aliter solvi potest, quod ex parte *animae* est appetitus, ex parte *pulverum* non est appetitus; nec ex illa parte est naturalis, sed contra naturam.

Resp. 1. — Resp. 2.

Unde nota de *pulveribus* tres opiniones. Quidam enim dicunt, quod *habent appetitum* et naturalem ordinationem ad incorruptionem propter animam; et ratione illius habent, quod *non possunt resolvi usque ad elementa*, tamen possunt esse materia quorumlibet corporum. — Sed istud non capio, quod in corpus vermis possit reverti homo, vel in corpus lupi, et non resolvi in elementa; immo Glossa super illud Psalmi[3]: *Posuerunt morticina*, videtur dicere, quod resurrectio est « ex occultissimis naturae sinibus ». Verbum etiam Augustini in Enchiridio repugnat, quod innuit, quod in ipsa etiam elementa possunt resolvi.

De appetitu pulverum opinio 1. — Non probatur.

Alia opinio est, quod *resolvuntur in elementa*, et tamen *manet appetitus* propter hoc, quod elementa illa, ut fuerunt corporis humani materia, habuerunt multum de natura lucis, quae stat cum omnibus elementis; et ratione illius naturae habent appetitum et ordinationem. — Sed nec hoc intelligo, quomodo lux maneat simul cum terra, et quod terra, quae est materia corporis humani, magis sit lucida; et quod vermis, qui generatur de humano corpore, plus habeat de natura lucis quam alius vermis.

Opinio 2. — Non probatur.

Tertia opinio est, quod pulveres *resolvuntur* vel resolvi possunt *in elementa; nec elementa illa habent aliquem appetitum* nec ordinationem ad corpus secundum *naturam*, sed solum secundum *divinam providentiam*, quae disponit illud idem corpus reformare animae, ut in eo remuneretur; nec est distincta illa pars ab aliis partibus elementi in se, sed in comparatione ad divinam sapientiam, quam nihil latet, nihil subterfugit.

Opinio 3.

Et haec opinio probabilior est, ut credo. Et tunc patet responsio ad illud: quia nunquam corpus ex unione ad animam aliquam recipit *qualitatem creatam* vel dispositionem incorruptibilitatis secundum statum praesentem — nisi forte dicas meritum vel demeritum, sed illud manet in anima, non in corpore — aut si quam aliam des dispositionem, aut post corruptionem et resolutionem non manet, aut[4] in potentia valde remota manet. — Hoc tamen sine calumnia verum est, quod corpus, ex quo unitur animae rationali, ordinationem statim habet ad immortalitatem secundum *divinam providentiam*.

Magis probatur et applicatur ad solut. — Notandum.

Et si tu quaeras: quomodo anima habet appetitum ad hanc partem elementi, cum sit omnino *homogeneum* et unius naturae cum aliis partibus elementi, nec etiam *distinctionem* habeat; quia potest omnino aliis commisceri, et *iterum* aeque bene possit ei corpus ex alia parte elementi reparari et eiusdem complexionis et habitudinis et complementi? dicendum, quod quantumcumque fuerit[5] simile et commisceatur aliis elementis, sive uni sive pluribus, semper tamen manet *substantia materiae cum ratione seminali*, et pars substantiae illius materiae, etsi non sit actu separata ab aliis partibus, quibus est commixta, est tamen separabilis; et quamvis non sit separabilis nec distinguibilis secundum humanam potentiam, est tamen separabilis et distinguibilis secundum potentiam et sapientiam divinam, quae novit, in quid redierit corpus humanum, quotcumque et quibuscumque mutationibus et conversionibus sit mutatum: et sic per illius sapientiae discretionem et potentiae operationem illud per easdem formas, per quas disponebatur ad formationem[6] animae, postmodum disponitur.

Quaest. incid. solvitur. — Ratio seminalis.

Inferius pro *vel* edd. *velut*, cod. K (I a secunda manu) *licet*, qui etiam subinde pro *cum stet* substituit *quamvis stet;* denique pro *supernaturaliter operante* (ita cod. A) cod. aa *non naturaliter* (Vat. *divina supernaturaliter*) *operante*, in aliis et ed. 1 *naturaliter operante*.

[1] Edd. supplent *producere*.

[2] De qua infra d. 49. p. I. q. 2. — Vat. prosequitur: *Quaedam autem sunt in eius appetitu et potestate, et talia.* Inferius post *animae est appetitus* codd. N Y aa addunt *et ex illa parte est naturale*, et pro *nec ex illa parte* cod. aa substituit *et ideo non.*

[3] Psalm. 78, 2. (codd. *mortalia*). — Glossam exhibet Petr. Lombard. in hunc locum (cfr. etiam *interlinearis* apud Lyranum), quae est secundum August. in hunc Ps. n. 5: *Morticina* eorum [Martyrum] et *carnes* eorum *posuerunt volatilibus caeli* et *bestiis terrae*, quasi quidquam eorum resurrectioni deperiret, ex occultis naturae sinibus totum redintegraturo illo, cui et capilli nostri numerati sunt [Matth. 10, 30.]. — Seq. Augustini sententia habetur Enchirid. c. 88. n. 23. Vide in fine huius quaest.

[4] Cod. aa adiungit *si manet.* Superius post *aut si quam aliam*, aliqui codd. omittunt *des*, cod. aa *det.* Mutata est a nobis interpunctio, et sic sensus verborum satis patet.

[5] Edd. *fiat.*

[6] Edd. *formam.*

Et si tu quaeras, quare *anima* appetat magis illud quam aliud, cum nulla sit praeelectio propter uniformitatem; dicendum, quod magis appetit propter *colligantiam* et coniunctionem, quam habuit ad illud. — Et hoc patet sic. Anima enim rationalis, quia est *anima*, differt ab Angelo et convenit cum aliis animabus, et per hoc habet inclinationem ad corpus; quia *rationalis*, ad corpus humanum; quia *nobilis*, ad nobilius organizatum [1]; sed ad hoc magis quam ad aliud propter *coniunctionem*, quam habuit ad illud. — Exemplum est: si quis velit contrahere cum duabus virginibus existentibus aeque pulcris et bonis, et paribus conditionibus ceteris; hic erit indifferens respectu utriusque. Sed esto, quod coniungatur alteri, ipsa coniunctio iam alligabit adeo isti, si fuit [2] ex amore, ut iam non consoletur habere aliam nec daret hanc pro alia pulcriori et meliori. Sic anima tanto affectu unitur substantiae carnis, quam prius vivificavit, quod non complete ei satisfit, nisi illa eadem, ubicumque lateat, reparetur.

De appetitu animae. Explicatio. Exemplum.

Et sic patet, quod *anima* habet ordinationem et *appetitum*, per quem ordinatur ad illud corpus, quantumcumque aliis conformetur; sed *corpus* habet ordinationem *ratione divinae providentiae*. Quod autem habeat per aliquid, quod *sit in se*, ex quo plene resolutum est; non *audeo asserere* propter hoc, quia nec ratio nec auctoritas nec fides compellit. Attamen, quia potest esse, quod Deus dedit, non *audeo pertinaciter negare*. Ideo certum tenentes, incertum profundioribus relinquamus. Nam esto, quod non sit in pulveribus appetitus, et quod fiat resolutio usque ad ultima; non perit aliquid, quod ad resurrectionem spectet, propter hoc quod, sicut dicit Augustinus [3], « non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro. Sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasve diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quemcumque cibum etc.; illi animae etiam in puncto temporis redit, quae ipsam primitus animavit [4] ».

Epilogus. Iudicium auctoris. Notandum.

QUAESTIO VI.

Quae sit causa nostrae resurrectionis.

Sexto quaeritur, quae sit causa nostrae resurrectionis; et quod *resurrectio Christi*,

1. Dicit Glossa super illud ad Romanos primo [5]: *Ex resurrectione mortuorum Iesu Christi:* « Christi resurrectio nostram efficit generalem resurrectionem ». Idem ipsum dicit Glossa super illud Psalmi: *Ad vesperum demorabitur fletus.*

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur, quia Apostolus arguit sic [6]: si Christus resurrexit, et nos resurgemus; sed talis argumentatio non valeret, nisi aliqua habitudo causalitatis esset resurrectionis Christi ad resurrectionem nostram: ergo etc.

Item, videtur, quod *vox Christi* sit causa.

3. Super illud Psalmi [7]: *Dabit voci suae vocem virtutis*, dicit Glossa: « suscitandi mortuos ».

4. Item, hoc ipsum videtur *per rationem:* quia illud est causa excitationis in dormiente, quo audito excitatur, scilicet vox vocantis; sed mortui in monumentis excitabuntur auditu vocis Filii Dei: ergo etc. *Minor* patet quinto Ioannis [8]: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei.*

Sed contra: Quod *resurrectio Christi* non sit causa aliquo modo, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia illud, sine quo res esset, non est causa [9]; sed si Christus etiam non resurrexisset, tamen mortui resurgerent, quia necesse erat, malos saltem remunerari in anima et corpore sive puniri, et boni etiam, qui meruerunt.

2. Item, si est causa, quaero, in quo genere? Non *efficiens;* constat, quia Christi resurrectio est praeterita; sed quidquid praeteritum est, non efficit id quod futurum est. Non *finalis* nec *materialis;* constat: ergo est *exemplaris.* Sed *contra:* causa *exemplaris* non infert suum effectum; sed resurrectio Christi infert nostram [10]: ergo etc.

3. Item, malorum resurrectio non assimilatur resurrectioni Christi: ergo non est exemplar resurrectionis malorum, ergo nec generalis resurrectionis.

---

[1] Vide II. Sent. d. 1. p. II. a. 3. q. 2. — Superius pro *animabus* non pauci codd. *animalibus*.

[2] Cod. L *fiat*. Post *ipsa coniunctio* edd. supplent *eum*. Aliquanto inferius pro *eadem... reparetur* (cod. M *reperietur*) edd. *eidem... unitur*.

[3] Enchirid. c. 88. n. 23. — Pro *solvatur* plurimi codd. *vertatur*, contra textum originalem, secundum quem cod. aa etiam legit: *in quorumcumque animalium et* [ed. August. *etiam*] *cibum cedat carnemque mutetur, illi animae* [ed. August. *humanae* pro *etiam*]... *quae illam primitus* [seqq. exhibent etiam codd. G N], *ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit.*

[4] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[5] Vers. 4. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Petr. Lombard. et Lyranum, sumta est ex Comment. in hunc loc. olim Ambrosio tributo: Resurrectio Christi generalem tribuit resurrectionem. — Seq. Glossam in Ps. 29, 6. vide tom. III. pag. 247, nota 3.

[6] Epist. I. Cor. 15, 12. seqq.

[7] Psalm. 67, 34. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Haymo in hunc loc. ait: « Qua voce omnia resuscitabuntur corpora ». Eadem sententia habetur in Breviario super Ps. (inter opera Hieron.) et apud Cassiodor. in hunc loc.

[8] Vers. 28.

[9] Cfr. supra pag. 102, nota 3. — Inferius cod. A omittit *saltem* et pro *boni* [cod. B *bonos*] *etiam, qui meruerunt* cod. U substituit *bonos similiter*. Edd. legunt: *necesse erat, bonos remunerari in anima et corpore, sicut meruerunt, et malos puniri, sicut ipsi demeruerunt.*

[10] Vide supra fundam. 2. — In principio arg. pro *Non efficiens* cod. F *Non efficientis*.

Item, quod *vox Christi* non sit causa, videtur:

4. Quia resurrectio fit subito [1], et aequalis virtutis est corpus reformare sicut et animam; sed hoc est potentiae infinitae, et illa est Filii Dei: ergo etc.

5. Item, si mortui audiunt vocem, aut *antequam* resurgant, aut *post.* Si *ante:* ergo ante audiunt, quam vivant; si *post:* ergo vox non erat causa resurrectionis.

6. Item, super illud [2]: *Dabit voci suae vocem virtutis,* dicit Glossa: « Resuscitandi corpora »; sed quando aliqua potentia datur alicui, quamvis miraculose detur, operatio tamen egrediens ab illa est naturalis, sicut patet in caeco illuminato: ergo si est per potentiam datam voci, resurrectio est naturalis, cuius contrarium ostensum est supra [3].

CONCLUSIO.

Resurrectio et vox Christi aliquo modo sunt causa tum exemplaris tum instrumentalis resurrectionis nostrae.

RESPONDEO: Dicendum, quod in Christo est assignare nostrae resurrectionis duplicem causam, scilicet *efficientem* et *exemplarem* [4]. *Efficientem* autem dupliciter est assignare: aut sicut *primum principium,* aut sicut *instrumentum. Efficiens* sicut *primum principium* est Christus secundum Divinitatem et tota Trinitas; *efficiens* sicut *instrumentum* est vox Christi, ad cuius prolationem et vocationem mortui resurgent [5]. — Similiter causa *exemplaris* duplex est: una, in qua res *cognoscitur et disponitur,* et sic est Dei Filius secundum divinam naturam et tota Trinitas; alio modo, in qua res *inchoatur* et *exemplificatur,* et sic est resurrectio Christi; quia, ut dicit Augustinus de Civitate Dei [6], « talia erunt corpora nostra, quale Christus sua resurrectione monstravit ». Unde fuit quasi exemplum, in quo nostra resurrectio est inchoata, tanquam membrorum in capite, sicut dicitur ad Ephesios secundo [7]: *Convivificavit nos Christo et resuscitavit* etc. — Patet igitur, quomodo Christi resurrectio et vox eius est causa nostrae resurrectionis. Et quia resurrectio et vox est Filii Dei in carne, ideo dicit Augustinus super Ioannis quintum [8], quod per Verbum carnem factum fit resurrectio corporum.

Duplex in Christo causa. — Subdistinctio 1. — Conclusio 1, bimembris. — Subdistinctio 2. — Conclusio 2, bimembris. — Epilogus.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod alias esset resurrectio etc.; dicendum, quod tunc Deus aliter faceret; sed cum decrevit sic facere, haec est causa [9].

2. Ad illud quod obiicitur, quod exemplar non infert; dicendum, quod verum est de exemplari, in quo res *cognoscitur;* tamen exemplar, in quo res *inchoatur,* ubi non potest relinqui imperfectum, de necessitate infert; unde sicut caput non potest esse sine membris, sic nec resurrectio capitis, quin consequatur resurrectio membrorum. (Notandum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod non assimilatur; dicendum, quod non perfecte assimilatur resurrectioni malorum — et ideo non sunt perfecte exemplata — assimilatur tamen in corporis iterata vivificatione et indissolubili unione; et ideo est generalis resurrectionis exemplar [10].

4. Ad illud quod obiicitur de *voce Christi,* quod non sit causa, quia resurrectio est opus virtutis infinitae; dici potest, sicut praedictum est supra [11] de Sacramentis, quod Deus virtute infinita faciet, licet ad prolationem vocis; unde non est ibi *proprie* causalitas. (Notandum.)

5. Ad illud quod obiicitur: quando audiunt vocem? dicendum, quod *simul tempore,* tamen *prius natura* resurgunt, quam audiant; unde vocis auditus non resuscitat, sed virtus vocem concomitans. In evigilatione autem corporali, dicendum, quod auditus vocis excitat; sed in auditu sunt duo, scilicet receptio speciei in organo et iudicium de re recepta [12]; quantum ad receptionem praecedit excitationem, sed quantum ad iudicium sequitur. (Duo in auditu.)

6. Ad illud quod ultimo obiicitur de operatione illius vocis, quod est naturalis; dicendum, quod sicut sanctis viris datur gratia miraculorum et virtus suscitandi mortuos, non quia ipsi suscitent per aliquid, quod sit in se, sed quia Deus facit ad petitionem ipsorum: sic in proposito est intelligendum, (Notandum.)

---

[1] Epist. I. Cor. 15, 52: In momento, in ictu oculi etc. — De *minori* cfr. supra pag. 127, nota 10. et pag. 130, nota 4. et 5. in fine. — Circa finem arg. pro *Filii Dei* (respiciuntur verba August. supra pag. 130, nota 4. et infra dub. 1. allata) Vat. *solius Dei.*

[2] Psalm. 67, 34. Vide supra pag. 894, nota 7.

[3] Quaest. praeced.

[4] Plures codd. perperam *finalem,* codd. G aa *formalem,* scil. extrinsecam, quae idem est ac exemplaris. Cfr. tom. I. pag. 73, nota 7. et ibid. d. 19. p. II. q. 3. ad 2.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 2. — In seq. propos. respiciuntur verba August., VI. de Trin. c. 10. n. 11, quod Verbum sit « ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum » etc. Cfr. I. Sent. d. 35. q. 1. seqq.

[6] Libr. X. c. 29. n. 2: Futura tamen sempiterna minime dubitamus [corpora Sanctorum], et talia futura, quale sua resurrectione Christus demonstravit exemplum. — Plures codd. et ed. 1 *de Trinitate* (cfr. IV. c. 3. n. 6.). Pro *monstravit* nonnulli codd. *formavit,* codd. H O *ornavit.*

[7] Vers. 5. seq.: Convivificavit nos in Christo... et conresuscitavit etc.

[8] Vers. 27. (tr. 19. n. 15. seq.). Verba vide supra pag. 130, nota 4. Cfr. etiam ibid. tr. 23. n. 13.

[9] Cfr. III. Sent. d. 20. q. 6. — In principio solut. edd. legunt: *quod resurrectio Christi non est causa, quia alias* etc. Cod. aa refert hic illud Phil. 2, 8. seq.: *Humiliavit semetipsum* etc., simulque adiungit, quod Deus alio modo ipsum exaltare potuisset, si decrevisset.

[10] Vide fundam. 1. — Post *unione* codd. I K addunt *et virtute.*

[11] Dist. 10. p. II. a. 1. q. 3.

[12] Cfr. tom. II. pag. 221, nota 4. — Mox post *receptionem* Vat. supplet *auditus vocis.* In principio solut. pro *quando* plures codd. *quod,* cod. Z *quod mortui,* edd. *quod aut ante.* Subinde post *virtus* cod. P supplet *divina.*

quod Deus facit; et ita miraculum est, si suscitantur ad vocem illam, sicut si ad preces Pauli[1]. — Alia solutio. *Praeterea*, esto quod data sit virtus; quia est ad actum supra naturam et modum operandi supra naturam, hinc est, quod miraculose exit in suam operationem, sicut exemplo patet de potentia pariendi, quae dicitur data beatae Virgini[2].

Epilogus. Sic igitur patet, quod *resurrectio* Christi est causa et *vox* aliquo modo, tamen principalis causa est Dei virtus et Dei sapientia; et resurrectio Christi Illatio triplex. nostram infert resurrectionem sive per *hypothesim*[3] — ut si una anima est immortalis, et omnes; similiter si unus resurrexit, et omnes — sive per *locum a minori*, quia anima Christi beata minus egebat corpore quam aliae; sive per *locum a causa exemplari* relata ad efficientem, scilicet quia ibi est resurrectio nostra inchoata, et propter nos Christus est incarnatus, passus et mortuus, et resurrexit propter nos etiam, et nostra resurrectio in eo est inchoata tanquam in quodam exemplo: ergo si *Dei perfecta sunt opera, oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem*[4]. Et sic patet illud.

Consequenter quantum ad secundam partem[5] distinctionis quaeritur de apertione librorum. Et duo de hoc principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de libro vitae.
Secundo, de libris conscientiae.

ARTICULUS II.

De libro vitae.

Circa primum quaeruntur tria.
Primo quaeritur de eius quidditate.
Secundo, de scriptura ipsius.
Tertio, de apertione.

QUAESTIO I.

De quidditate libri vitae.

Quantum ergo ad primum sic proceditur; et ostenditur, quod liber ille sit ipse *Dei Filius*.

Argg. pro 1. parte. 1. Super illud Psalmi[6]: *Deleantur de libro*, Glossa: id est, « Dei notitia, qua *praedestinavit et praescivit, conformes fieri imaginis Filii Dei* ».

2. Item, Apocalypsis vigesimo[7]: *Alius liber apertus est*, Glossa: Liber iste est « praedestinatio, in qua omnes salvandi scripti sunt ».

Quod autem liber vitae sit *Christus secundum humanitatem*, videtur:

3. Quia Gregorius in Moralibus[8]: dicit: « Liber vitae est visio iudicis advenientis, quia, quisquis eum viderit, mox, teste conscientia, quidquid boni vel mali fecerit, intelligit »; sed Christus iudicaturus est in forma servi: ergo etc.

4. Item, Glossa Apocalypsis vigesimo[9] dicit, quod « liber vitae est Christus, qui tunc potens omnibus apparebit »; sed non apparebit omnibus nisi secundum humanitatem: ergo etc.

5. Sed quod sit *vis quaedam*, nec Divinitas nec humanitas, videtur dicere Augustinus vigesimo de Civitate Dei[10]: « Vis quaedam divina nomine *libri* intelligenda, qua fiet, ut cuique bona et mala ad memoriam revocentur, quae libri nomen accepit ».

---

[1] Vide Act. 20, 9. seqq.

[2] De quo cfr. III. Sent. d. 4. a. 3. q. 2.

[3] Secundum Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 6.). Cfr. tom. II. pag. 461, nota 6. — De loco *a minori* vide tom. I. pag. 835, nota 5.

[4] Deut. 32, 4. et I. Cor. 15, 53. — Superius pro *propter nos etiam*, quod edd. omittunt, cod. O *propter nostram resurrectionem*. Subinde pro *in eo est inchoata*, quod praebent codd. E F I K L P, alii codd. et edd. minus bene *ideo est inchoata* [edd. addunt *et in eo*]. — Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[5] Hoc primo loco, sicut et infra d. 49, exhibetur tractatus distinctio alia a consueta, quam *sectionem* appellare possumus, quae hic duos articulos cum suis quaestionibus continet; sed hoc loco retineri potest consueta superscriptio.

[6] Psalm. 68, 29. — Glossa, in qua respicitur Rom. 8, 29, est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum. Cfr. Cassiodor. et Haymo in hunc loc. — Verbis Psalmi cum Vulgata cod. F addit *viventium*, sed cod. L *vitae*. In textu originali post *praedestinavit* habetur *ad vitam, quos praescivit... Filii sui.*

[7] Vers. 12. — In Expositione in Apocalypsim, quae alias Ambrosio tribuebatur, Visione sexta habetur: Per librum autem vitae praedestinationem Dei omnipotentis possumus intelligere... De hoc libro Apostolus Paulus loquitur dicens [Rom. 8, 29.]: *Quos autem praescivit, hos et praedestinavit* etc. Strabus, in hunc loc., affert hanc: Liber est praescientia Dei, quia tunc aperte scient mali, se non praedestinatos ad vitam etc. Idem, sicut et Lyranus, in Phil. 4, 2: *Libro vitae*, dicit: Praedestinatio, in qua omnes salvandi praescripti sunt.

[8] Libr. XXIV. c. 8. n. 16, ubi post *advenientis* additur: *in quo quasi scriptum est omne mandatum,* et finis sic exhibetur: *quidquid non fecit intelligit.*

[9] Vers. 12. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum (cfr. etiam Haymo), in qua codd. A R *patens* pro *potens*. — De *minori* vide infra d. 48. a. 1. q. 2.

[10] Cap. 14. Textus originalis plura interserit.

6. Item, libri intentio ad legendum est: ergo proprie dicitur liber illud, per quod recolit homo bona vel mala; hoc autem est virtus: ergo etc.

Sed contra: 1. Quod non sit *Dei notitia*, videtur: quia in libro est scripturae impressio, in Deo autem nulla est impressio: ergo si translatio debet esse secundum similitudinem [1], non videtur talis translatio recta. Pro parte 2.

2. Item, quod non *humanitas*, videtur: quia in libro est legere; sed in Christo homine nec bona nec mala est legere: ergo etc.

3. Item, quod non sit *virtus*, videtur: quia illa virtus ita mala reducet ad memoriam, ut bona, secundum quod dicit Augustinus [2]; sed mala sunt ratio mortis: ergo esset tunc dicendus liber *mortis*, non vitae.

CONCLUSIO.

Liber vitae dicitur Dei notitia et vis secundum duplicem eius proprietatem.

Respondeo: Dicendum, quod libri duplex est proprietas: una *in se*, scilicet scientiae retentio in simultate et uniformitate; et ratione huius proprietatis nomen *libri* transfertur ad Dei *notitiam*. Alia proprietas est *ad nos*, quia per librum est in nobis oblitorum recordatio; et ratione huius transfertur ad *vim illam*, per quam fit recordatio praeteritorum. *Humanitas* autem sive *visio eius* non dicitur liber; et quod dicit Gregorius et Glossa intelligitur [3] per quandam *concomitantiam*. — Concedendum igitur, quod liber dicitur Dei notitia, et quod dicitur illa virtus divina secundum duplicem proprietatem, sicut ostendunt rationes ad hoc inductae. Duplex libri proprietas. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod in libro illo non est scripturae impressio; dicendum, quod quantum ad hanc proprietatem non transfertur, immo in hac differunt, quia liber iste repraesentat quod in eo fit, sed ille liber repraesentat quod facit. Solutio argg. 1. et 3. pro parte 2.

3. Ad illud quod obiicitur, quod virtus illa reducit mala ad memoriam, quae sunt causa mortis; dicendum, quod liber et vis Dei *causa vitae in se* est, et quod *mortis* sit, hoc est solum per occasionem et rationem aliorum librorum, scilicet conscientiarum [4]; et ideo ab eo denominatur, ad quod principaliter est. — Vel dicendum, quod non dicitur *liber vitae*, quia det vitam; sed notitia Dei dicitur *liber vitae*, quia omnia ibi sunt vita [5]. Similiter, vis illa *liber* dicitur, quia recolit; sed *vita* dicitur, quia hoc non facit per creaturae defectibilitatem et fallibilitatem, sed secundum divinae notitiae vivam veritatem. Aliter. Notandum.

SCHOLION.

I. De libro vitae in Deo et de distinctione eiusdem ab aliis divinae sapientiae nominibus in Breviloquio (p. I. c. 8.) haec praeclare dicuntur: Sapientia, « in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, dicitur *lux;* in quantum ratio cognoscendi visa et approbata, dicitur *speculum;* in quantum est ratio cognoscendi praedestinata et reprobata, dicitur *liber vitae*. Est igitur *liber vitae* respectu rerum ut *redeuntium;* exemplar ut *exeuntium;* speculum ut *euntium;* lux vero respectu *omnium* ». Cfr. etiam Hexaëm. serm. 12. ante medium, nec non Lignum vitae, tit. *Iesu, liber signatus*. — Duplex Dei liber, scil. « unus scriptus *intus*, qui est Dei aeterna ars et sapientia, et alius scriptus *foris*, scil. mundus sensibilis », commemoratur Breviloq. p. II. c. 11.

De toto articulo alii commentatores Lombardi hic vix loquuntur; sed alibi rem tractant, et prae ceteris diffuse Alex. Hal., S. p. I. q. 32. per totam; brevius S. Thom., S. I. q. 24. a. 1-3; item B. Albert., Sum. I. tr. 17. q. 69. per totam.

QUAESTIO II.

Utrum in libro vitae omnia scribantur.

Secundo quaeritur, quae sit huius libri scriptura. Et quod *omnia* ibi scribantur, videtur:

1. Quia ipse Dei Filius est omnium exemplar [6] et omnia cognoscit, qui dicitur *liber vitae*. Ad oppositum.

2. Item, videtur, quod etiam mali scribantur in eo: quia dicitur in Psalmo [7]: *Deleantur de libro viventium;* sed nihil deletur de aliquo, nisi quod est scriptum in eo: ergo etc.

3. Item, liber ille est immutabilis: ergo si mali semel scripti sunt, semper scripti sunt: non ergo delentur.

Contra: 1. Quod *non omnia* ibi scribantur, videtur: quia tunc secundum hoc videtur, quod lapis esset scriptus in libro vitae; quod non dicitur [8] nisi de electis. Fundamenta.

2. Item, quod *mali non sint* in eo scripti,

[1] Aristot., VI. Topic. c. 2: Omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt. Cfr. tom. I. pag. 1, nota 8.

[2] Paulo superius allegatus.

[3] Plures codd. *intelligendum est.* Aliquanto superius pro *per quam fit* cod. F *per quam fiet.*

[4] De quibus infra a. 3. q. 1. seqq.

[5] Ioan. 1, 4: In ipso vita erat. Cfr. I. Sent. d. 36. a. 2. q. 1. — Paulo ante codd. omittunt *Dei.*

[6] Cfr. supra pag. 895, nota 5.

[7] Psalm. 68, 29.

[8] Codd. MORSTUX addunt *hic;* edd. legunt: *quod est falsum, quia hoc non dicitur.*

videtur: quia malum non habet exemplar in Deo[1]: ergo si liber ille est exemplar, patet etc.

3. Item, Lucae decimo[2] dixit Dominus discipulis: *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis;* sed si hic liber esset omnium, tunc omnibus esset gaudendum; quod cum non sit: patet etc.

Quaest. incidens. Iuxta hoc quaeritur: quomodo potest in illo libro transumi *deletio,* cum dicat variationem et privationem et corruptionem, quae nullo modo sunt in Deo?

CONCLUSIO.

Libri vitae scriptura dicitur praedestinatio salvandorum quoad ipsos et gratiam et gloriam, quam habituri sunt.

Duo praenotanda. Respondeo: Dicendum, quod sicut *ars* et *exemplar* est totius Trinitatis, tamen appropriatur Filio, sic *liber vitae.* — Sed notandum, quod creaturarum ad Deum est duplex comparatio: una in *exeundo,* et haec est omnium creaturarum, quia omnes a Deo exierunt; alia est in *redeundo,* et haec est creaturarum ad beatitudinem ordinatarum, quia *regressus* est per virtutem, et *quies* per beatitudinem. (Distinctio.)

Quantum ergo ad *primam* comparationem dicitur[3] Filius «ars plena omnium rationum viventium»; et scriptura istius libri est *aeterna dispositio omnium producendorum* quantum ad suas rationes et ideas. Quantum ad *secundam* comparationem dicitur Filius *liber vitae;* et scriptura istius libri est *praedestinatio omnium salvandorum* quantum ad ipsos et gratiam et gloriam, quam habituri sunt[4]. (Conclusio 1.)

Sed attendendum, quod *gratiam,* per quam est regredi ad Deum, quidam habent *temporaliter,* quidam vero *finaliter.* Qui habent *finaliter, ipsi* scribuntur et eorum *gratia,* quia ipsi redeunt per gratiam. Qui autem *temporaliter, ipsi* quidem in praedestinatione scripti non sunt, quia non sunt praedestinati, sed eorum *gratia* scripta est secundum veritatem et *merita,* quae semper rememorabuntur; et ratione illius scribi dicuntur, non *simpliciter,* sed solum secundum *reputationem*[5], quia iustitia divina ad tempus iudicat eos gloria *dignos,* et cum cadunt, iudicat *indignos.* — Ideo dicuntur *deleri,* non quia prius sint scripti et postmodum deleti, sed quia prius secundum *merita scripta* iudicantur *digni,* deinde *indigni.* — Ex his patent quaesita. (Distinctio. Conclusio 2. Ad quaest. incid.)

Solutio oppositorum. 1. 2. Primum patet: quia liber vitae non continet rationem *exemplaris totam,* sed tantum *praedestinationis.* — Secundum patet: quia mali, qui habent praesentem iustitiam, secundum reputationem scripti sunt et post non reputantur; ideo deleri dicuntur.

3. Ex his patet ultimum: quia quod Deus iudicat aliquem prius *dignum* et post *indignum,* solum dicit[6] mutationem in homine, non in Deo: et ita *deletio* illa non dicit permutationem in scriptura, sed in his quae per illam scripturam repraesentantur[7].

QUAESTIO III.

Utrum liber vitae necessario aperietur.

Quaesitum 1. Tertio quaeritur de apertione istius libri. Et videtur, quod nulla sit *necessitas* hunc librum aperire:

Ad oppositum. 1. Quia sufficienter videbuntur merita in conscientiis omnium: ergo si superfluum est facere per plura quod potest fieri per pauciora[8], patet etc.

2. Item, e diverso[9] ostenditur: quia si liber ille sufficienter repraesentat, videtur, quod superfluat *alios* libros aperire.

Quaesitum 2. Item, quaeritur, quorum oculis aperietur. Et videtur, quod *omnium:*

Fundamenta. 1. Quia omnes iudicabuntur secundum ea quae scripta sunt ibi: ergo si omnibus debet manifestari et sententia et ratio sententiae, patet etc.

2. Item, Glossa vigesimo Apocalypsis[10]: *Alius liber apertus est,* dicit, quod «aperte scient mali tunc, se non esse praedestinatos»; et hoc est in apertione libri: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: 1. Liber iste non est aliud quam Dei natura[11]: ergo cum Dei substantia solum a bonis sit videnda in iudicio, patet, quod non omnes videbunt in istius libri apertione.

2. Item, in libro vitae non sunt scripta nisi bona: ergo si mali non debent videre nisi mala, per quae condemnentur; non videbunt in illius libri apertione, et sic etc.

CONCLUSIO.

Liber vitae in resurrectione aperietur.

Resp. ad 1. quaesitum. Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est[12], *liber vitae* est liber *redeuntium, ars* est *exeuntium.*

---

[1] Ut ostensum est I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1.

[2] Vers. 20: Gaudete autem, quod nomina etc. — Inferius post *gaudendum* cod. U addit *iuxta hoc.*

[3] August., VI. de Trin. c. 10. n. 11.

[4] Vide quaest. praeced. argg. 1. et 2. pro parte 1.

[5] Cfr. I. Sent. d. 40. a. 2. q. 2. ad 1. et 2. — Superius pro *semper rememorabuntur* codd. perperam *semper remunerabuntur,* edd. *nunquam remunerabuntur.* Nostra lectio confirmatur iis quae infra a. 3. q. 1. in corp. habentur.

[6] Edd. *dicitur propter.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Cfr. tom. III. pag. 277, nota 1. — De apertione *conscientiarum* agitur art. seq.

[9] Cod. E *e converso.*

[10] Vers. 12. — Glossam vide supra pag. 896, nota 7.

[11] Cfr. supra q. 1. et pro seq. propos. infra d. 48. a. 1. q. 2.

[12] Quaest. praeced.

Notandum. Differunt autem *exitus* et *regressus*, quia *exitus* tantum a Deo dependet, sed *regressus* a Dei gratia et voluntate nostra, quia regressus est per merita bona, quae sunt a Dei gratia et voluntate nostra. Quoniam igitur iudicium erit secundum merita nostra [1]; et merita sunt a nobis et a Deo: ideo ad pen- Conclusio 1. sandam quantitatem et dignitatem meritorum necesse est aperiri libros *conscientiarum* et librum *vitae*, in quo apparet quantitas gratiae secundum mensuram liberalitatis divinae, secundum cuius mensuram est etiam gloria. — Et ex hoc patet primo quaesitum.

Ad illud quod quaeritur, *quibus* aperitur; di- Resp. ad 2. quaesitum. cendum, quod dupliciter est loqui de apertione: aut Distinctio. quantum ad ipsius libri *intuitionem*, aut quantum Conclusio 2. ad *subsequentem cognitionem*. Quantum ad *intuitionem* aperitur tantum propter bonos, quia ipsi soli videbunt; quantum ad *subsequentem cognitionem*, omnibus; quia boni se ibi legentes, cognoscent se praedestinatos; mali vero ex hoc ipso, quod in libro aperte legere non poterunt, scient, se non esse praedestinatos.

Et sic patet responsio ad obiecta. Et est exem- Ad opposita quaesiti 2. plum: sicut pauper, qui non habet merellum [2] regis, id est signaculum, quod pauperes portant ad eleemosynam percipiendam, scit bene, quod recedit vacuus, non per positionem, sed per privationem cognoscens: sic damnati, cum non legent ibi nomina sua, scient, se non esse scriptos ad gloriam, ac per hoc scient ex parte Dei, quod Deus ipsos damnabit; et ex parte suae conscientiae scient, quod sunt digni poena: et ita ex comparatione utriusque libri hoc scient, non tamen sic legendo, sicut legunt boni in libro vitae [3].

ARTICULUS III.

De libris conscientiae.

Consequenter quantum ad secundum [4] articulum circa hoc, quaeritur de libris conscientiarum. Et de hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum omnia merita legantur in conscientia, vel quaedam.

Secundo, utrum quilibet legat omnia in conscientia alterius.

Tertio, utrum simul omnia videantur ab omnibus.

QUAESTIO I.

Utrum in conscientia legantur omnia merita.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod *omnia* legentur in libris conscientiae.

1. Augustinus de Civitate Dei vigesimo [5] dicit, Fundamenta. quod « vis divina aderit, qua fiet, ut omnia ad memoriam revocentur ».

2. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia lectio est, ut sciatur quantitas meritorum; sed meritum hominis sic legitur, ut sciatur, quot et quanta bona, et quot mala et quanta fecerit: ergo si ibi plene ostendetur iustitia, patet, quod omnia ibi debent legi.

3. Item, Dei iustitia declarabitur ibi summe et quantum ad retributionem gloriae et poenae [6]: ergo merita debent summe declarari; sed non possunt, nisi omnia bona et mala ad memoriam revocentur: ergo etc.

Contra: Quod *non omnia*, videtur:

1. Quia ibi erit tantum memoria eorum, de Ad oppositum. quibus erit retributio; sed pro malis, de quibus fuit poenitentia, non retribuetur, pro bonis, in quibus non perseveravit [7], non retribuetur: ergo talia non legentur.

2. Item, memoria praeteritorum bonorum generat oblectationem, malorum horrorem: ergo si in malis non erit delectatio, non debent recordari bonorum factorum; et si in bonis nullus horror, non debent recordari malorum.

3. Item, illa sola legentur in libris, quae sunt scripta; sed mala bonorum deleta sunt [8] per gratiam, bona malorum deleta sunt de eorum anima per culpam: ergo non legentur in libris nec haec nec illa.

CONCLUSIO.

Omnium meritorum erit in libris conscientiae lectio atque memoria.

Respondeo: Dicendum, quod omnium merito- Conclusio. rum erit ibi lectio et memoria: quia, sicut dicit

[1] Edd. addunt *et demerita* refragantibus codd.; hinc immediate post pro *et merita* cod. A substituit *quae*. Subinde pro *pensandam* edd. et nonnulli codd. perperam *dispensandam*.

[2] Vide Du Cange, Glossarium etc., ubi eadem huius vocabuli explicatio datur.

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Edd. *tertium;* sed vide supra rubricam secundi art., in qua exhibetur tanquam secunda pars ipsius.

[5] Cap. 14. Cfr. supra a. 2. q. 1.

[6] Cfr. Matth. 25, 31. seqq. et II. Cor. 5, 10.

[7] Supple: *aliquis;* edd. *perseveraverunt mali,* Vat. post *bonis* addit *etiam*.

[8] Vat. addit *de eorum anima*.

Apostolus[1], erunt *cogitationes accusantes et defendentes*, et ita bonae et malae ibi patebunt, et per consequens affectiones et operationes. — Omnia autem reducentur ad memoriam, quia revocatio actuum et cogitationum praecedentium ad memoriam erit ad ostensionem *iustitiae* divinae secundum statum *illum*, et *misericordiae* secundum statum *praeteritum* sive transactum. Propter ostensionem *iustitiae* in retribuendo rememorabuntur bona et mala, in quibus permanserunt *finaliter;* haec enim sola digna sunt retributione. Propter ostensionem *misericordiae* de *praeterito* rememorabuntur mala bonorum, a quibus sunt misericorditer liberati, et bona malorum, quae in eis misericorditer operatus est Deus, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* [2]. Ideo bona et mala sua omnia erunt sibi in memoria.

Ratio.

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod illa lectio et memoratio est ad ostensionem iustitiae; dicendum, quod verum est, sed non tantum ad hoc, sed etiam ad declarationem misericordiae.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod memoria malorum facit tristitiam, et bonorum laetitiam; dicendum, quod hoc verum est in his qui possunt tristari et laetari; sed mali non possunt laetari, boni vero non possunt tristari. — Sed istud non sufficit, quia, si[3] non possunt tristari: ergo nec cognoscere, unde debeant tristari. — Ideo dicendum, quod memoria malorum dupliciter potest esse: aut considerando *malum eventum*, et sic generat tristitiam, ut patet in eo qui conteritur; vel considerando *bonum eventum*, scilicet quod de tantis malis misericorditer est ereptus, et hoc generat laetitiam, et haec erit in bonis. Similiter de memoria bonorum distinguendum[4].

Solutio 1. non sufficiens. Solutio auctoris cum distinctione.

3. Ad illud quod obiicitur, quod in malis bona sunt deleta; dicendum, quod deleta sunt quantum ad *veritatem essentiae*, manent tamen quantum ad *notam et similitudinem*, sicut patet in eo qui amisit caritatem et recordatur, se habuisse. Unde super illud ad Romanos secundo[5]: *Cogitationum accusantium*, dicit Glossa: « Sciendum est, quod in illa die cogitationes accusabunt animam vel defendent, non illae quae tunc erunt, sed istae quae modo sunt in nobis, quarum notae et signacula relinquuntur in corde nostro velut in cera; quae, in occulto nunc sunt posita, in illo die revelari dicuntur », et ita secundum similitudinem remanent. — Vel esto, quod similitudo penitus deleatur, quod vix est possibile; divina virtute tunc reparatur ad Dei gloriam et vindictam malorum, laudem bonorum.

Notandum. Aliter.

SCHOLION.

I. De 1. quaestione cfr. infra dub. 3. Assertio facta in solut. ad 3, quod notae et similitudines praeteritorum maneant in conscientia, confirmatur a S. Thoma locis infra citt. ad 2; et tota conclusio est communis.

De 1. quaestione: S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 1; Suppl. q. 87. a. 1. — B. Albert., de hac et seq. q. hic a. 12. 13. et 20. — Petr. a Tar., hic a. 8. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1.

II. De sententia in 2. quaestione ab auctore posita, quod etiam aliena peccata cognoscantur omnia, iudicat cum nostro auctore (infra dub. 4.) S. Thom., eam esse probabiliorem et communiorem, licet Magister (hic c. 5.) contrarium sentiat.

De eadem quaestione: S. Thom., locis citt. quaestiunc. 2. et art. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2.

III. Quoad 3. quaestionem facile intelligitur, quod *Sancti* in Deo uno intuitu et instanti videant omnia peccata, ut affirmat etiam S. Thomas; sed quoad *reprobos* manet difficultas, unde et *negativa* et *affirmativa* opinio suos habuit defensores. S. Thomas concludit, quod eligi possit *media* opinio, scil. quod mali quidem « singula considerabunt, sed non in *instanti*, sed in *tempore brevissimo* ». S. Bonav. favet affirmativae parti his verbis: « Credendum est *magis*, quod simul ».

De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. quaestiunc. 3. et a. 3. — B. Albert., hic a. 14. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum quilibet legat omnia in conscientia alterius.

Secundo quaeritur, utrum quilibet legat omnia in conscientia alterius. Et quod sic, videtur:

1. Quia Bernardus, tractans illud primae ad Corinthios quarto[6]: *Illuminabuntur abscondita tene-*

Fundamenta.

---

[1] Rom. 2, 15: Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. — Mox pro *bonae et malae* edd. *bona et mala*.

[2] Matth. 5, 45. — Mox pro *omnia*, quod habent codd. U X (L a secunda manu), alii codd. et edd. *omnino*, cod. F legit *omnibus erunt ibi* (etiam codd. N U ponunt *ibi*).

[3] Cod. O supplet *boni*. Mox pro *esse* codd. G aa *haberi*.

[4] Cod. B glossando prosequitur: Quia similiter dupliciter potest esse: aut considerando *malum eventum*, scilicet quod propter culpam suam amisit illa bona et obligatus est ad poenam interminabilem, et sic generat tristitiam, et haec erit in damnatis; vel considerando *bonum eventum*, scilicet quod pro illis remuneratur, et sic est in bonis et generat delectationem. Sic ergo mali omnia mala sua et bona reducent ad memoriam, ut de amissione bonorum conscientia torqueatur, et etiam, ut de ipsis bonis ad memoriam reductis et prius habitis divina misericordia ostendatur; et ut cognoscant, quanta aequitate divinae iustitiae condemnentur propter mala, quae commiserunt et in quibus finaliter perseveraverunt. — Cfr. infra dub. 3.

[5] Vers. 15. (Cfr. supra nota 1.). — Glossam, quae est ex Origen. (II. Comment. in Epist. ad Rom. n. 10.), exhibet Petr. Lombard. in hunc loc. Textus originalis post *notae* addit *quaedam*, et post *occulto nunc* subiungit *pectoris;* codd. F I K substituunt *nostro* pro *nunc*. Multi codd. et edd. pro *in cera* perperam *viscera*. — Cfr. I. Sent. d. 17. p. I. q. 4.

[6] Vers. 5: Qui et illuminabit abscondita etc. — Sententia

brarum, dicit: « Cuncta arcana cunctorum cunctis ibi patebunt ».

2. Item, Glossa [1]: « Gesta et cogitata, bona et mala ex tunc aperta et nota erunt omnibus ».

3. Item, *ratione* videtur: quia aut sunt *bona*, aut *mala*. Si *bona*, laudatur ibi Dei largitas ab omnibus; si *mala*, laudatur Dei iustitia puniens, vel misericordia liberans: ergo si ex omnibus elicere debet Deus gloriam suam manifestam [2] in futuro: ergo omnibus ostendet.

4. Item, quod *mala malorum* pateant bonis et malis, certum est [3]; quod iterum *bona eorum* pateant bonis, certum est, quia de illis gaudebunt.

5. Item, quod *bonorum bona* pateant malis, certum est, quia eorum comparatione iudicabuntur [4].

6. Item, quod *mala bonorum* pateant bonis, certum est, quia « unius mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondet », ut dicit Gregorius [5]; et iterum Augustinus, decimo quinto de Trinitate: « In futuro uno aspectu videbimus omnium cogitationes ».

Ad oppositum. Sed contra: 1. Quod *mali* non videant *mala malorum*, videtur: quia solatium et excusatio est alicui, dum habere videtur multos socios in scelere [6]: ergo sibi soli debent esse nota mala.

2. Item, quod *mala bonorum* non manifestentur exterius, videtur: quia Dominus [7] comminatur in *poenam* manifestare verenda; sed a bonis aberit omnis poena: ergo non manifestabuntur eorum mala, nec omnes legent.

3. Item, *caritas operit multitudinem peccatorum* [8]; hoc non est dictum in conspectu hominum, quia operta sunt sine caritate: ergo in conspectu Dei: ergo multo magis in conspectu hominum.

4. Item, si reprehensibile est in homine denudare amici commissum [9]: cum Deus sit fidelior amicus quam aliquis homo, ergo non denudat peccata amicorum.

CONCLUSIO.

Omnia nota erunt omnibus, tam bona quam mala.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod omnia nota erunt omnibus, tam bona quam mala in ipso iudicio, secundum quod vult Anselmus [10], et Bernardus et textus et Glossa consonant; et hoc ad certam librationem meritorum, quae scitur in omnium actuum bonorum et malorum recognitione: quia ostensio malorum in *bonis* est ad manifestationem misericordiae prius factae, bonorum in eis ad ostensionem iustitiae; econtra malorum in *malis* ad ostensionem iustitiae, bonorum in eisdem ad ostensionem misericordiae. Notanda ratio.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod solatium est videre aliena peccata; dicendum, quod immo erit magna confusio, dum attendit illius vituperium et ex eius vituperio cognoscet suum. Unus enim alterius peccatum non approbabit, immo vilipendet.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod manifestatio malorum est in poenam; dicendum, quod verum est in *malis;* sed in eis qui *egerunt poenitentiam*, est in gloriam. — Unde dicunt aliqui, quod sicut cicatrices corporales in Martyribus remanent ad *gloriam*, sic cicatrices spirituales in poenitentibus, quia vicerunt culpam, sicut illi poenam. — Sed tamen quidquid sit de hoc, non remanent in *eorum contumeliam*, sed in *Dei gloriam*, qui liberavit de tanta miseria. Unde bene concedendum est, quod videbuntur peccata iustorum, ut de ipsorum sanatione gratiae agantur Deo; et hoc dicit Anselmus [11]. Unde sicut homo aget gratias Deo pro se, quia liberatus est a malis, ita socius eius. Opinio quaedam dubia.

4. Ad illud quod obiicitur, quod infidelitas est denudare commissum amici; verum est in praesenti, ubi cedit ad infamiam; sed quia in futuro est ad Dei gloriam sine aliqua infamia, ideo non habet ibi hoc locum [12].

Bernardi occurrit in libro, cui titulus *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis* (inter opera Bernardi, dicitur esse Gaudefridi abbatis), c. 2. n. 4:

Iudicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

[1] In I. Cor. 4, 5, quae est secundum Comment. in hunc locum olim Ambrosio tributum. Petr. Lombard. exhibet ipsam sic: Quia gesta et cogitata bona vel mala tunc erunt aperta; et quia tunc erunt omnia nota omnibus; poterunt de se iudicare et de aliis. Cfr. apud Lyranum Glossa *interlinearis*.

[2] Cod. K *manifestari*, in cod. F secunda manus posuit *suam, debent omnia manifestari*, edd. *manifestandam*.

[3] Matth. 25, 41. seqq.

[4] Matth. 25, 34. seqq.

[5] Libr. XVIII. Moral. c. 48. n. 78, ubi voci *corpulentia* praemittitur *membrorum*. — Seq. sententiam August., XV. de Trin. c. 16. n. 26, his verbis exhibet: Fortassis etiam volubiles non erunt nostrae cogitationes... sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. (Vat. allegat in margine XX. de Civ. Dei, c. 14, ubi dicitur: Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua... mentis intuitu mira celeritate cernantur... atque ita simul et omnes et singuli iudicentur). Pro *omnium* cod. aa *omnes*.

[6] Vide infra d. 50. p. I. a. 1. q. 3. fundam. 1. et 2. et supra pag. 564, nota 9.

[7] Respicit plures locos Prophetarum, ut Isai. 47, 3; Ezech. 16, 36. seq.; Nahum 3, 5 cfr. Luc. 8, 17; I. Cor. 4, 4.

[8] Epist. I. Petr. 4, 8. Cfr. Prov. 10, 12. — Inferius pro *dictum* cod. F *verum*, et pro *operta* non pauci codd. et edd. perperam *operata*.

[9] Respicitur Prov. 11, 13. Cfr. supra pag. 436, nota 3.

[10] De Similitudinibus (inter opera Anselmi, compositum ab Eadmaro), c. 60. — Inferius pro *librationem* (ita codd. A H a secunda manu) codd. communiter *liberationem* (cod. E a secunda manu *retributionem)*, cui edd. praemittunt *notitiam vel*.

[11] Loc. cit. in nota praeced. — Superius post *miseria* cod. aa subiungit: *sicut et in praesentiarum laudamus de Maria Magdalena;* quod exemplum occurrit et in Anselm. loc. cit., et infra dub. 4. Inferius pro *pro se* edd. cum pluribus codd. *per se*.

[12] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum omnia videantur simul ab omnibus.

Tertio quaeritur, utrum omnia videantur *simul* ab omnibus. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia super illud Iob octavo [1]: *Induentur confusione*, Glossa: « Viso iudice, mala omnia ante oculos mentis versantur ».

2. Item, *ratione* videtur: quia insimul infligetur tota poena, ergo simul scietur et ponderabitur culpa: ergo si magnitudo culpae pendet ab actibus et circumstantiis et earum [2] iteratione, omnia haec manifestari debent simul.

3. Item, maior confusio est et dolor in memoria [3] duorum quam unius, et omnium quam aliquorum malorum; econtra de bonis maius gaudium: ergo si boni habebunt perfectum gaudium, mali perfectam confusionem; patet, quod omnibus simul patebunt.

Ad oppositum. Contra: 1. « Unum solum intelligimus », sicut dicit Philosophus [4]: ergo non plura simul: non ergo omnia poterunt videri simul.

2. Item, in damnatis non erit eorum natura melior, quam nunc est: ergo si eorum intellectus nunc non potest plura intelligere simul, nec tunc poterit; quod si tunc poterit, ergo sublimatus erit.

3. Item, in iudicio erit discussio [5], quae est prius de uno quam de alio: ergo prius erit unius recordatio quam alterius.

CONCLUSIO.

Omnes repente, vel simul omnia peccata videbunt, et probabilius simul.

Conclusio 1. Explicatur. Respondeo: Dicendum, quod omnes *repente*, vel *simul* omnia peccata videbunt, et credendum est magis, quod *simul*. — Ad quod intelligendum notandum est, quod *simul videre* multa ut multa, hoc potest esse tripliciter: aut ratione eius, *in quo* videt, quia videt multa uno; et sic in speculo aeterno est videre multa, quia per idem ibi homo videt diversa. Aut ratione *sublimationis intellectus*, qui efficitur deiformis per gloriam; unde videt plura, sicut et Deus, licet non omnimode; sicut Angelus beatus simul cognoscit Deum *in se* et creaturam *in Deo* et in *proprio genere* [6]. Aut ratione *divinae virtutis hoc facientis;* quae tamen non efficit gloriam, ut ostendat ei exemplar aeternum, sed levat intellectum, ut possit aliquid supra se, vel ad gloriam, vel ad poenam. (Distinctio.)

Conclusio 2. His *tribus* modis videbunt simul animae *bonae in iudicio*, *primis duobus* modis *in patria* [7]; sed *tertio* tantummodo animae *malae in iudicio*. — Utrum autem *post* sic videant in inferno; hoc non determino, quamvis non improbabiliter dici possit, ut poena vermis sit consummata et uniformis. (Dubium aliud non determinatur.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod intelligimus unum solum; dicendum, quod illud verum est *per naturam;* sed iste modus intelligendi erit per *virtutem divinam* [8].

2. Ad illud quod obiicitur, quod cognitiva in damnatis non debet sublimari; dicendum, quod illa sublimatio potius est *depressio*, scilicet in ostensione omnium turpitudinum. Sicut enim recogitatio multorum bonorum amplificat laetitiam, ita recogitatio multorum malorum amplificat tristitiam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod erit discussio; dicendum, quod etsi singillatim fiat discussio de singulis, quia non possunt omnia simul dici; tamen ad confusionem erit simul memoria de multis. Nec mirum, quia potentior est virtus *cognitiva* quam *expressiva* sive interpretativa; intelligimus enim statim, quod non possumus exprimere tempore diuturno [9]. (Notandum.)

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit, quod *vox in adventu iudicis audietur ab omnibus.* Videtur enim male dicere, quia delatio vocis per medium est in tempore: ergo secundum hoc resurrectio erit in tempore [10]. — Et iterum, vox prius pervenit ad loca propinqua: ergo prius resurgent homines in una parte mundi quam in alia.

---

[1] Vers. 22. — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum est secundum Gregor., VIII. Moral. c. 53. n. 90.

[2] Codd. G aa *eorum.*

[3] Ita cod. K (I a secunda manu), alii codd. et edd. *medio*, cui in cod. F secunda manus addidit *vel in manifestatione.* In fine arg. vocibus *omnibus simul* cod. L (E a secunda manu) interserit *omnia.*

[4] Libr. II. Topic. c. 4. (c. 10.): Contingit enim plura scire, cogitare [διανοεῖσθαι] autem non.

[5] Cfr. Matth. 25, 34. seqq.

[6] Vide II. Sent. d. 4. a. 3. q. 2. — Superius pro *unde videt* cod. F *ut videat.* Mox pro *gloriam* cod. P *per gloriam*, cui secunda manus addidit *in homine.*

[7] Cfr. III. Sent. d. 14. a. 1. et 2. De tertio modo vide August., XX. de Civ. Dei, c. 14. — Inferius post *hoc* cod. F addit *hic* (cfr. infra d. 50. p. II. a. 2. q. 3.).

[8] Cfr. III. Sent. d. 4. a. 3. q. 2. in corp.

[9] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[10] Vat. cum paucis codd. omittit hanc conclusionem *ergo... in tempore.*

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod illud potest dupliciter intelligi: vel quod vox illa, faciente virtute divina, subito deferatur, vel quod vox illa praecedat, et post subito [1] fiet resurrectio, ut sit quasi quaedam praeparatio. — Et *si tu quaeras*, quae necessitas est praeparationis, cum divina virtus possit subito operari et absque ulla praeparatione; dicendum, quod hoc est potius propter *congruentiam* quam propter *indigentiam*. Congruentia. Congruentia autem haec est: quia, sicut per Verbum carnem factum fit iudicium ad adorandum humanitatem Christi, in qua fuit iudicatus; ita ad vocem ipsius fit resurrectio ad honorem illius humanitatis, in qua fuit mortuus. Et ideo dicit Augustinus [2], quod per *Verbum* fit suscitatio animarum, per *Verbum carnem factum* fit suscitatio corporum. — Aliter. Vel propter *congruentiam a parte nostra*, ut, sicut ex duplici constamus principio et duplicem habemus vim cognitivam [3]; ita duplici modo excitemur et ad iudicium vocemur: et virtute divina et spirituali, et voce Angeli.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, *quod vox Archangeli est vox Filii Dei*. Quaeritur hic de ista diversitate istorum vocabulorum, quia nunc *iussus*, nunc *vox Archangeli*, nunc *tuba* vocatur illud, per quod fiet resurrectio [4], in quibus contrarietas et diversitas videtur includi.

Respondeo: Dicendum, quod idem, scilicet vox Christi, secundum diversas proprietates ista tria sortitur nomina. Vox enim Christi erit *virtuosa*, et ideo dicitur *iussus*, quasi praeceptum; dicet enim, et fiet [5]; erit *authentica*, et ideo dicitur *vox Archangeli*, id est principis; et erit nihilominus *sonora*, et ideo *vox tubae* dicitur. Et sic idem multiplici vocabulo exprimitur ad insinuandam illius vocis proprietatem multiplicem et dignitatem [6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *malorum memoria non contristabit*. Quaeritur, quomodo illud possit intelligi. Aut enim mala *placebunt*, aut *displicebunt*. Si *placebunt*, erimus iniusti; si *displicebunt*, erimus tristati. — Item, quomodo potest illud intelligi, cum talis cognitio inferat tristitiam, et « sublato consequente, auferatur antecedens », quia « posito antecedente ponitur et consequens [7] »?

Respondeo: Dicendum, quod ibi erit memoria malorum sine tristitia. — Qualiter autem hoc possit Explicatur. esse; dicunt aliqui, quod « *divina virtute*, quae, si- Expl. 1. cut potens est in igne separare lucem a caliditate », sicut dicit Basilius super illud Psalmi [8]: *Vox Domini intercidentis flammam ignis* etc.; sic separabit a mali cognitione et recordatione moestitiam. — Aliter dicunt alii, quod hoc est propter *dignitatem* Expl. 2. *status*. Sicut enim Angeli gloriosi, etsi nos ament, tamen propter mala nostra non tristantur, pro eo quod sunt absorpti a gloria; sic et in proposito est intelligendum. — Melius tamen est dicere, quod hoc fit propter *modum considerandi*, quia nunquam re- Expl. auctoris. cogitabunt mala *absolute*, sed semper *in comparatione* ad Deum liberantem; quoniam cogitare de malo praeterito sub intentione *liberationis in praesenti* non generat in nobis affectionem moestitiae, sed gaudii. Ideo bene dicit, quod erit ibi malorum *memoria*, sed non *tristitia*.

Ad illud quod obiicitur de displicentia, dicendum, quod non venient in memoriam mala praeterita sub ratione *absoluta*, quia, cum simus tunc Notandum. omnino divini, omnia referemus ad Deum aliquo modo, ut ibi laudetur et *honorificetur Deus* [9]. Et sic patet illud.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Peccata hic per poenitentiam tecta et deleta tunc etiam tegi*. Quoniam peccatum Petri et Magdalenae [10] omnibus est notum ad laudem; quare ergo post diem iudicii erit occultum? Et si peccatum Petri non tegatur, quare peccatum Roberti? — Si vero peccata credamus detegenda, quis non incipiat erubescere, si facta sua in conspectu totius mundi sunt propalanda?

Respondeo: Dicendum, quod quamvis fas sit Non consentit Magistro. utramque partem opinari, rationabilior tamen est, quod omnium iustorum [11] peccata omnibus iustis tunc

---

1 Edd. *deferatur, secundum quod vox illa procedit. Praeterea: Subito.*

2 In Ioan. Evang. tr. 19. n. 15. et tr. 23. n. 13. Cfr. supra pag. 130, nota 4.

3 Scilicet sensitivam et intellectualem. — Mox pro *ita duplici modo* edd. *ita a miseria modo.* — Vide de hoc dubio supra a. 1. q. 6, et Petr. a Tar., hic circa lit.

4 Epist. I. Thess. 4, 16. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

5 Respicitur Ps. 148, 5: Quia ipse dixit, et facta sunt. Cfr. Gen. 1, 3. seqq. — Inferius posuimus cum codd. L N Y aa *sonora*, edd. *severa*, plurimi codd. *serena*. — Cod. B hic addit non pauca, praesertim locos s. Scripturae, sed fere nihil nisi ex aliis locis huius distinctionis satis inordinate collecta, unde parum interest ea referre.

6 Cfr. B. Albert., hic a. 4; S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.; Richard. a Med., hic a. 3. q. 3.

7 Boeth., III. de Different. topic.: Posito antecedenti, comitari quod subsequitur; perempto consequenti, perimi quod antecedit. Cfr. Cicero, Topic. c. 4. et 14, et Aristot., I. Elench. c. 4. (5.).

8 Psalm. 28, 7. n. 6, et in Hexaëm. homil. 6. n. 3. — Inferius pro *cognitione* plurescodd. *cogitatione*.

9 Epist. I. Petr. 4, 11: Ut in omnibus honorificetur Deus. — Cfr. supra a. 3. q. 1. ad 2. Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 17; S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 1; Richard. a Med., hic a. 7. q. 1.

10 Matth. 26, 69. seqq.; Luc. 7, 39. seqq. et 8, 2. — Mox post *est* codd. F L addunt *nunc*, cod. K *utique*.

11 Codd. I K *victorum*, edd. *electorum*.

Ratio. patebunt; et hoc, quia magna erit Dei gloria, dum manifestatur eius ad filios misericordia; et dum ostendetur eius misericordia, nulla erit erubescentia. — Et *si quaeras*, quomodo hoc possit esse; dicendum est, quod ratio est a *parte eius* cuius peccata manifestantur, quia « erubescentia est timor in exspectatione convitii [1] »; unde cum in Beatis non cadat *timor*, non erit eis erubescentia. Quod non cadat *timor*, patet, quia *perfecta caritas foras mittit timorem* [2]. — Ratio autem est ex parte *videntium*, quia nullus ibi vituperat, nullus et ipsum aspernatur, sed potius Deum collaudat et ipsum laudat, dum attendit virtutem Dei in ipso. — Et est exemplum in Magdalena, cuius peccata publice recitamus; nec tamen facimus ei contumeliam, quia non recitamus ad eius ignominiam, sed ad laudem divinam et suam; unde nec ipsa de hoc habet erubescentiam, nec cogitamus de ipsa tanquam de meretrice, sed tanquam de nobilissima domina, quae de multis malis est erepta. — Exemplum est de bono confessore et poenitente. Bonus enim confessor ferventius poenitentem diligit, quia [3] verius et clarius et fidelius suas ignominias et peccata aperit, maxime dum attendit, ipsum conteri, et vincula eius resolvi per virtutem et misericordiam Dei; et hoc ibi multo magis erit, ubi omnes cogitationes erunt ordinatissimae. — Amplius, cum homo omnia secreta sine verecundia communicet amico, et ibi omnes erimus amicissimi, ubi unus ita diliget alium sicut se, quomodo erubescet unus de alio aliter quam de se, nullo modo videtur [4].

Modus explicatur dupliciter.

Exemplum triplex.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit Hieronymus: *Quosdam in fine saeculi, adveniente Christo, non esse morituros.* Videtur enim male dicere, quia Christus non fuit immunis a morte, et tamen non fuit subiectus peccato: ergo nec aliquis alius. — Item, gratiam, quam non fecit Matri, scilicet de immunitate mortis, quomodo est credendum, quod alii faciat?

Respondeo: Dicendum, quod credendum est, sicut dicit Ambrosius [5], quod omnes moriantur; sed *qualiter*, illud habet dubitationem, et experientia tunc magis docebit. — Quod ergo obiicitur de Hieronymo [6], dicendum, quod Hieronymus hoc non dicit asserendo, sed nec recitando opinionem suam, sed opinionem cuiusdam Graeci [7]. Notandum.

DISTINCTIO XLIV.

Pars I.

Cap. I.

De aetate et statura resurgentium.

Solent autem nonnulli percontari et quaerere, an in eadem aetate et statura corporis omnes resurrecturi sint. — Quidam putaverunt, omnes resurrecturos secundum mensuram aetatis et staturae Christi, ideo quia Apostolus [1] ait: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* — Sed his verbis non eadem resurgentibus assignatur *statura*, sed *aetas*. « Omnes enim in eadem *aetate* resurgent, in qua Christus mortuus est et resurrexit, cuiuscumque aetatis mortui fuerint »; *virum* autem posuit, non ut distingueret sexum, sed ut significaret perfectionem virium, quam tunc habebunt; sed non omnes eandem staturam corporis obtinebunt. Unde Augustinus [2]: « Non, ait, in mensuram corporis vel staturae, sed aetatis, quia unusquisque suam recipiet mensuram corporis, quam vel habuit in iuventute, etiam si senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Aetas vero erit illa, ad quam pervenit Christus, scilicet iuvenilis, ut circa triginta annos». Triginta enim duorum annorum et trium mensium erat aetas Christi, in qua mortuus est et resurrexit. « Non est autem fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hic nec erat habiturum diu vivendo, nec maiora corpora redigenda sunt ad modum dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, cum nec periturus sit capillus, ut ait Dominus: *Capillus de capite vestro non peribit* ».

Dubium 1. Haymo. Dubium 2. Augustinus. Dubium 3.

---

[1] Damasc., II. de Fide orthod. c. 15: Pudor, metus ex vituperationis exspectatione (ed. Migne).

[2] Epist. I. Ioan. 4, 18. — Mox pro *autem* cod. L (I a secunda manu) *etiam*. Subinde pro *vituperat* nonnulli codd. *vituperatur;* edd. post *collaudat* omittunt *et ipsum laudat,* et pro *attendit* non pauci codd. *intendit.*

[3] Codd. L Y *confessor tanto ferventius poenitentem diligit, quanto.*

[4] Cfr. lib. de Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 60, et supra a. 3. q. 2. Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 20; S. Thom., hic a. 5. quaestiunc. 2. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 7. q. 2. et circa lit.

[5] Hic in lit. Magistri, c. 6. — Pro *moriantur* cod. F *morientur.*

[6] Hic in lit. Magistri, c. 6.

[7] Vide eius Epist. 119. (alias 152.) n. 2. 4. et 8, ubi docet, hanc sententiam proposuisse Theodorum Heracleoten, Apolinarium et Diodorum. — Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 21; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Eph. 4, 13. Seq. locus est Haymonis ibid.

[2] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 15. (secundum sensum); verbotenus apud Lyranum in Glossa ad Eph. 4, 13. Seq. locus est citt. locis Augustini et Glossae, ubi citatur Luc. 12, 21.

Cap. II.

Quod resurget quidquid fuit de substantia et natura corporis, etsi non in eadem parte corporis.

«Non enim perit Deo terrena materies, de qua Augustinus. mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum cibum carnemque mutetur, illi animae in puncto temporis redibit, quae illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit[1]». «Ipsa ergo terrena materies, quae, discedente anima, fit cadaver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quae dilabuntur et in alias atque alias rerum species vertuntur, quamvis ad corpus redeant, unde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, ubi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin, si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si unguibus quod toties dempsit[2] exsectio, immoderata et indecens cogitantibus resurrectionem carnis, et ideo non Dubium 4. credentibus occurrit informitas. Sed quemadmodum, si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquesceret, vel contereretur in pulverem, vel confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursum ex illius materia et quantitate reparare; nihil interesset ad eius integritatem, quae particula materiae cui membro statuae redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerat, restituta resumeret. Ita Deus, mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili celeritate restituet; nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, utrum capilli ad capillos redeant, et ungues ad ungues; an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem et in partes alias corporis revocetur; curante artificis providentia, ne quid indecens fiat». «Indecorum quippe aliquid ibi non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit».

Cap. III.

Quod sine omni deformitate resurgent.

Hoc autem in corporibus Sanctorum intelligendum est, de quibus consequenter adiungit: «Resurgent igi- Augustinus. tur Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate; in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit; propter quod et *spiritualia* dicta sunt, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus[3]». — Ex his apparet, quod una *aetas* erit omnium resurgentium, scilicet iuvenilis, *statura* vero diversa, scilicet quam quisque habuit in iuvenili aetate, vel erat habiturus, si ante est defunctus. Nec de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit, sed omnium particularum ante dispersarum collectione redintegrabitur naturalis substantia corporis. Sanctorum quoque corpora sine omni vitio fulgida sicut sol resurgent, praecisis cunctis deformitatibus, quas hic habuerunt.

Cap. IV.

Utrum reproborum corpora cum deformitatibus resurgant, quas hic habuerunt.

De reprobis autem quaeri solet, an cum deformitatibus hic habitis resurgant. Hoc autem Augustinus[4] Augustinus. non asserit, sed dubium relinquit, ita inquiens: «Quicumque ab illa perditionis massa, quae per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo eiusque angelis puniantur. Utrum vero ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum corporum resurgant, quaecumque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulcritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio». — Ecce, non definit, an tunc habeant deformitates, quas hic habuerunt, reproborum corpora.

Pars II.

Cap. V.

Quod non consumentur malorum corpora, quae tunc ardebunt.

Si vero quaeritur de corporibus malorum, quo- Augustinus. modo in igne ardeant et non consumantur; Augustinus[5] variis exemplis astruit, et sempiternis ignibus ea ardere et non consumi illa combustione; sicut animus, cuius praesentia corpus vivit, et dolorem pati potest et mori non potest. Hoc enim erit tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis omnium.

Cap. VI.

Si daemones corporali igne cremabuntur.

Quaeri etiam solet, an daemones corporali igne ardeant. — Ad quod Augustinus[6] respondens ait: «Cur Augustinus. non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari»? «Gehenna illa, quae *stagnum ignis et sulphuris* dicta est, corporeus ignis erit et cruciabit damna-

---

[1] Totum hoc cap. (etiam duo seqq.) sumtum est ex August., Enchirid. c. 88. 89. 90. n. 23.

[2] Ita etiam originale; edd. *depressit,* male solutis siglis; deinde pro *informitas* codd. et edd., exceptis 6, 8 et Vat., male *infirmitas,* refragante etiam originali.

[3] Ibid. c. 91. n. 23.

[4] Ibid. c. 92. n. 23.

[5] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 5. — Infra ante *in corporibus* codd. (non vero Erf.) et plurimae edd. omittunt *etiam;* deinde pro *damnatorum* codd. A E et edd. 4, 5, 9 *damnandorum.*

[6] Loc. cit. c. 10. n. 1. Seq. locus ibid. n. 2, ubi respicitur Apoc. 20, 9, et Matth. 25, 41. Tertius ibid. XX. c. 16.

torum corpora, hominum, vel daemonum, sed solida hominum, aërea daemonum. Unus enim utrisque ignis erit, ut Veritas ait». De quo igne si quaeritur, qualis Augustinus. vel ubi sit; Augustinus sic respondet: «Ignis aeternus cuiusmodi sit et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit».

Cap. VII.

Si animae sine corporibus sentiant ignem materialem.

Cum autem constet, animas igne materiali in corporibus cruciandas; quaeri solet, an interim ante resurrectionem corporum animae defunctorum reproborum Iulianus materiali igne crementur. — De hoc Iulianus[1], Toletanae Ecclesiae episcopus, Gregorii dicta secutus, ita scripsit: «Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne teneatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit *videndo* atque *sentiendo*. Quod autem non solum videndo, sed etiam experiendo anima ignis tormentum patiatur; ex Evangelio colligitur, ubi Veritatis voce dives mortuus dicitur *in inferno sepultus;* cuius anima, quod in igne teneatur, insinuat, cum Abraham deprecatur dicens: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Dum ergo peccatorem divitem damnatum in ignibus Veritas perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget»? praecipue cum humanam animam corporis similitudinem habere doceat Augu- Augustinus. stinus[2], ita inquiens: «Profiteri, animam habere posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum, quisquis renuit, potest negare, animam esse, quae in somnis videt, vel se ambulare vel sedere vel huc atque illuc gressu vel etiam volatu ferri; hoc sine quadam similitudine corporis non fit: proinde, si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus». In Cassiani[3] etiam volu- Cassianus. minibus legitur, quod «non sint otiosae atque nihil non sentiant, cum dives ille in inferno se flamma cruciari clamat». «Unde probatur, animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio ac metu, carere et ex his quae sibi in illo generali examine reservantur, quiddam eas iam incipere praegustare».

Cap. VIII.

De abortivis fetibus et monstris.

Illud etiam investigari oportet, si abortivi fetus Dubium 1. et monstra resurgent, et qualia. — De quo Augustinus[4] Augustinus. ita ait: «Occurrit de abortivis fetibus quaestio, qui iam nati sunt in uteris matrum, sed non ita, ut iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus; de his qui iam *formati* sunt, tolerari potest utcumque quod dicitur. *Informes* vero quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina, quae concepta non fuerunt»? «Scrupulose quidem inter doctores quaeri ac disputari potest, quando incipit homo in utero vivere; an sit quaedam vita occulta, quae nondum motibus viventis appareat. Negare enim, vixisse puerperia, quae ideo membratim exsecantur, ut eiiciantur ex uteris praegnantium, ne matres etiam, si mortua ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique iam mori potest; mortuus vero, ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo». «Neque enim et monstra, quae nascuntur et vivunt, quantumlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt; sed potius correcta emendataque natura. Absit enim, ut Dubium 2. illum bimembrem, quem nuper natum in oriente fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt, et sanctus Hieronymus scriptum reliquit, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum erat, si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita et cetera, quae nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram resurrectione revocabuntur».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLIV.

Pars I.

De resurrectione quantum ad modum, scilicet qualia et quanta corpora resurgant.

Solent autem nonnulli percontari et quaerere etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de resurrectione, si est. Hic determinat, quomodo est, ostendendo, quid et quantum[1] et quale resurgat; et habet haec pars duas. In prima ostendit, qualia et quanta corpora resurgant. In secunda determinat de abortivis fetibus, ostendens, quod in nulla quantitate resurgent, quia non vixerunt, ibi: *Illud etiam investigari oportet* etc.

---

[1] Libr. II. Prognosticon, c. 17; cfr. Gregor. IV. Dialog. c. 28. seq. Ibi citatur Luc. 16, 22-24. — Superius pro *crementur* codd. A B D E *concrementur;* infra post *sentiendo* Vat. et edd. 6, 8 *puniatur,* omittentes *sit.*

[2] Libr. XII. de Gen. ad lit. c. 33. n. 62; cfr. Iulian, loc. cit. c. 16.

[3] Collatio I. c. 14, et apud Iulian., loc. cit. c. 15. Seq. locus ibid., parum inferius.

[4] Enchirid. c. 85; seq. locus est ibid. c. 86, tertius c. 87. n. 23.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Codd. F I *et qualiter,* edd. *et quomodo.*

Prima pars habet duas. In prima parte determinat, quanta et qualia erunt resurgentium corpora. In secunda vero determinat, quomodo damnatorum corpora erunt passibilia, ibi: *Si vero quaeritur de corporibus malorum, quomodo.* Prima pars habet duas. In prima determinat, in quanta statura resurgent[1]. In secunda determinat, qualia resurgent, ibi: *Hoc autem in corporibus Sanctorum.* Prima pars duas habet. In prima determinat, in qua aetate et statura resurgent. In secunda determinat, qualiter statura corporis debet reparari, et per quid; ubi determinat, quid in quo resurget, ibi: *Non enim perit Deo terrena materies* etc.

Similiter secunda pars, in qua agit de qualitate corporum, duas habet. In prima ostendit, quod corpora electorum carebunt omni deformitate. In secunda vero de corporibus reproborum relinquit sub dubio; innuit tamen, quod deformitatibus non carebunt, ibi: *De reprobis autem quaeri solet* etc. — Et sic tria determinat. Primo, quid resurget hominis ad staturam complendam; secundo, quid in qua parte resurgat; et tertio, quale, utrum cum deformitatibus, an sine.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis tria principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, quid resurget in corpore humano.

Secundo, quid in quo[2].

Tertio quaeritur, qualia resurgent corpora.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, quid resurgat quantum ad indigentiam.

Secundo, quid resurgat quantum ad superfluitatem.

ARTICULUS I.

Quid resurgat in corpore humano.

QUAESTIO I.

Utrum humores resurgant.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum humores resurgent. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia nihil resurget, nisi quod est de veritate humanae naturae; sed humores non sunt de veritate humanae naturae, quia quotidie mutantur et restaurantur et deperduntur: ergo etc.

2. Item, si humor resurget et est de veritate naturae humanae, ergo totaliter oportet resurgere: ergo totus sanguis, qui exit de homine per phlebotomiam[3], vel alio modo, resurget; sed hoc generaret indecentiam: ergo etc.

3. Item, quod non vivit non debet resurgere[4], quia resurrectio est ad vitam; sed humores non vivunt: ergo etc.

4. Item, nihil debet resurgere in corpore, quod non habeat aliquem usum; sed humores sunt ad restaurationem deperditi, quod non est in corpore resurgente: ergo etc.

5. Item, nihil resurget, nisi quod consonat qualitati et naturae corporis resurgentis; sed corpus resurgens erit luminosum et impassibile[5], humores autem sunt fluxibiles et variabiles: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Quod est de constitutione corporis resurget in illo; sed humores sunt huiusmodi: ergo etc. Unde Augustinus[6]: « Corpus constat ex membris *officialibus*, officialia ex *similibus*, similia ex *humoribus*, humores ex *cibis*, cibi ex *elementis* »: ergo immediatius se habent humores ad corpus quam elementa: si ergo illa resurgent, et hi similiter.

2. Item, quod est de perfectione corporis resurget in illo; sed humores sunt huiusmodi, quia penes humores distinguuntur complexiones[7]: ergo etc.

3. Item, hoc videtur: quia medium et dispositio uniendi animam corpori resurget in illo; sed sanguis est huiusmodi, et hoc patet auctoritate, Deuteronomii duodecimo[8]: *Sanguis eorum pro anima;* Glossa: « Aliquid vitale est in sanguine, et per ipsum maxime anima carni unitur ».

4. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia spiritus est medium *uniendi* animam corpori; sed spiritus, sicut dicunt physici[9], ex humoribus generantur; hoc ipsum patet *exemplo:* quia nulla laesione facta in corpore, si totus sanguis exiret, statim

---

[1] Cod. C supplet *corpora.*

[2] Cum ed. 1 omisimus *membro,* quod est in Vat. et codd.; tamen infra in rubrica 2. art. etiam ab his recte omittitur.

[3] Id est per venae sectionem.

[4] Nonnulli codd. *non resurget,* omissa seq. ratione *quia... ad vitam.* Ed. 1 cum non paucis codd. omittit hoc arg.

[5] Ut ostenditur infra d. 49. p. II. — Pro *sed corpus resurgens* cod. aa *humores autem non sunt consoni corpori resurgenti, quod.*

[6] Libr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 15.

[7] Sive temperamenta. Cfr. supra pag. 852, nota 5.

[8] Vers. 23. — In Glossa, quae est *ordinaria,* Strabus et Lyranus cum Rabano pro *anima carni unitur* substituunt *in hac carne vivitur.*

[9] Vide Alfred. Anglic., de Motu cordis, c. 7: Eo [calore] utens anima... cibum in humores, sanguinem in spiritum permutat. Cfr. Costa-Ben-Lucae, de Differentia animae et spiritus, c. 1. seqq.

anima recederet: si ergo humores sunt medium et ratio uniendi: ergo necesse est, quod resurgant.

5. Item, si non resurgent, cum huiusmodi humores impleant corpus, resurget vacuum et imperfectum, et per hoc deforme; sed hoc est indecens in Beatis: ergo etc.

6. Item, in Sacramento altaris convertitur vinum in verum sanguinem; sed hoc esset impossibile, nisi sanguis resurrexisset in Christo; sed si in ipso resurrexit, et in quolibet alio[1]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Humiditas complexionalis et humores resurgent.

Respondeo: Dicendum, quod differt, sicut dicunt physici, *humor* et *humiditas*. Nam *humor* dicitur, prout est in venis; *humiditas* autem, prout extra venas dirigitur et extra venas est, et prout ab eis derivatur ad membra. Distinguit enim Avicenna[2] inter *humorem* et *humiditatem* et dicit, quod *humor* dicitur, prout est in venis, *humiditas* autem, prout a venis derivatur ad membra; et hoc in triplici statu: aut in *primo egressu* a venis, et sic vocatur *ros*, humiditas scilicet, quae est in foraminibus parvarum venarum; aut prout incipit *ultra progredi* et dealbari, et sic vocatur *cambium;* aut prout est iam *dealbata* et cibans in actu, et sic vocatur *gluten.* — Haec autem distinctio humiditatis ad duo membra reducitur, scilicet ad humiditatem *nutrimentalem,* et haec complectitur *rorem* et *cambium;* et *complexionalem*[3], et haec est *gluten,* quae est de complexione membri consimilis, in qua est tertia species *hecticae.* — Et *nutrimentalis,* quia respicit statum et indigentiam, non resurget; sed humiditas *complexionalis* absque dubio resurget.

(Distinctio.) (Subdistinctio.) (Reductio ad 2 membra.) (Conclusio 1.)

Sed quid de *humoribus* dicemus, cum sint *currentes* et non sint de substantia membri nec de *complexione radicali?* Dicendum, quod absque dubio resurgent; cum vinum convertatur in Sacramento altaris in sanguinem, qui effusus est *in remissionem peccatorum*[4], et iste est sanguis habens *speciem* sanguinis. Unde non video, quomodo vere sanguis non resurrexerit in Christo; et si hoc, pari ratione et in quolibet alio. Et *praeterea,* nunquid venae remanebunt vacuae? Et quod hoc sit verum, quod sanguis resurgat, habetur in sermone sancti Ambrosii de Martyribus[5]: *Dignum et congruum.* Et ideo dicendum, quod humores resurgent. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

(Conclusio 2.)

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod non sunt de veritate humanae naturae; dicendum, quod aliquid est de *veritate humanae naturae* tripliciter: aut quantum ad *esse necessarium,* sicut membra principalia; aut quoad *esse integrum* et completum, ut illa quae faciunt ad corporis perfectionem; aut quoad *esse decorum.* Prima[6] *necessarium* est resurgere secundum *totalitatem;* sed quae secundo et tertio, *congruum* est resurgere secundum id, secundum quod faciunt ad *complementum et decorem.* Et quia humores ad plenitudinem et integritatem faciunt, resurgent in tanta quantitate, quanta corpori competit. — Et per hoc patet secundum, quia non oportet, quod totus sanguis, quem emittimus per minutionem, resurgat, sed quantum congruit. Similiter de carne, « quae fluit et refluit[7] », iudicandum est.

(Solutio oppositorum.) (Tripliciter est aliquid de veritate naturae.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod non vivunt; dicendum, quod tripliciter est aliquid vivere: aut quia *recipit* influentiam vitae, aut quia *disponit* ad vitam, aut quia *ortum* et conservationem habet ex *actu vitae.* Primo modo vivificatur substantia corporalis et caro, secundo modo vivit spiritus et humor, tertio modo capilli et etiam ungues; et quia omnia ista connexionem habent cum vita, omnia resurgent.

(Triplex vivere.)

4. Ad illud quod obiicitur, quod non habent usum; dicendum, quod falsum est, immo habent usum, scilicet ipsum corpus *disponere ad vitam;* sed nunc[8] habent ulteriorem usum, scilicet *restaurare,* et hunc habent, quia de novo generantur; et hunc ibi non habebunt.

(Notandum.)

5. Ad illud quod obiicitur, quod non congruunt corpori luminoso et impassibili; dicendum, quod sicut caro et os secundum statum praesentem non congruunt[9], sed sublimabuntur et subtiliabuntur; sic est intelligendum de humoribus et membris omnibus interioribus.

[1] Cfr. supra d. 43. a. 1. q. 1. in corp. et q. 6. in fine. — Vat. supplet *resurget.*

[2] Libr. I. Canon. Fen 1. Doctrina 4. c. 1. seq., IV. Fen 1. tr. 3. c. 1, et XII. de Natura animal. c. 5.

[3] Cod. K (I a secunda manu) addit *sive radicalem* (plures codd. cum ed. 1 habent *complexionem,* cui cod. aa subiungit *naturalem);* si haec radicalis humiditas consumitur, habetur secundum Avicennam tertia species *hecticae.* Cfr. tom. II. pag. 736, nota 3.

[4] Matth. 26, 28: Qui pro multis effundetur in etc.

[5] Serm. 61, qui incipit: *Dignum et congruum est* etc., ubi n. 4. dicitur: Illi [Martyres de Christo] notum, inquam, nobis faciant, quemadmodum in exanime iam corpus et frigidum sese calor insinuaverit, spiritus ingesserit, sanguis infuderit, et gelatas humore venas pristini vigoris pulsus agitaverit etc.

[6] Cod. F *Primum.*

[7] Secundum Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 36. (c. 5.), ubi his verbis designat carnem secundum *materiam,* cui opponitur caro secundum *formam* sive *speciem.* Cfr. tom. II. pag. 734, nota 3.

[8] Pro *nunc* i. e. in praesenti vita, edd. perperam *non.*

[9] Vat. supplet: *statui beatitudinis,* cod. K (I a secunda manu) *tunc.*

SCHOLION.

I. Etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 3; Suppl. q. 80. a. 3.). easdem distinctiones *humiditatis* (de distinctione inter *humorem* et *humiditatem* tacet) ex Avicenna, qui illa aetate prae ceteris peritus in arte medicinae theoretica esse censebatur, adhibet ad solvendam hanc quaestionem. Idem S. Doctor speciales quaestiunculas (4. et 5.) ibi solvit, utrum resurgat tum totum, quod pertinet ad *veritatem naturae*, tum totum, quod *materialiter* fuit in corpore; de quibus S. Bonav. agit hic ad 1. 2. et infra a. 2. q. 1. — De *veritate naturae* cfr. II. Sent. d. 30. a. 3. per totum, et Scot., hic q. 1. n. 1-14.

De 1. quaestione: Scot., loc. cit. n. 15. seqq., ubi et de seqq. qq. agitur. — S. Thom., locis citt. — B. Albert., de hac et seq. q. a. 5-10. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2. — De hac et seqq. qq. huius partis Durand., hic q. 2; Dionys. Carth., hic q. 1.

II. In solutione 2. quaestionis omnes conveniunt.

De eadem praeter laudatos: S. Thom., locis citt. quaestiunc., sive a. 2. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum resurgant quae spectant ad superfluitatem, ut sunt intestina, capilli et ungues.

Secundo quaeritur de his quae spectant ad superfluitatem, ut sunt intestina, capilli et ungues, utrum resurgant. Et quod *intestina* resurgant, probatur.

Fundamenta. 1. Secundi Machabaeorum decimo quarto[1] dicitur, quod Razias *proiecit illa, deprecans Omnipotentem, ut redderet ei.*

2. Item, si homo stetisset, sine alicuius corruptione translatus fuisset ad immortalitatem; sed homo conditus fuit cum intestinis: ergo illa habuisset in gloria; sed modo illa habet, quae habuisset: ergo etc.

3. Item, ratio alia est ad hoc, quia, si non resurgerent, venter vacuus remaneret, et si hoc, imperfectus[2]; sed ibi nulla est imperfectio: ergo etc.

Item, de *capillis.*

4. Lucae vigesimo primo[3]: *Capillus de capite vestro non peribit;* et iterum, Matthaei decimo: *Omnes numerati sunt.*

5. Item, *ratione* videtur: quia privatio capillorum et unguium est de imperfectione naturae, ergo habitus est de perfectione; sed omne quod est de perfectione naturae, debet resurgere: ergo etc.

6. Item, capilli sunt in ornamentum a natura collati[4]; sed corpora electorum debent resurgere cum omni ornatu: ergo etc.

Ad oppositum. Sed contra: Quod *intestina* non resurgant, hoc videtur:

1. Quia sunt ad superfluitatis receptionem impurae[5]; sed ibi non erit talis superfluitas: ergo etc.

2. Item, intestina aut erunt *vacua,* aut *plena.* Si *vacua,* ergo imperfecta; si *plena,* ergo immunda: cum ergo nullum horum statui gloriae competat, patet etc.

Item, quod nec *capilli* resurgant, videtur:

3. Quoniam sunt ex fumosa superfluitate[6]; sed ibi non erit superfluitas fumorum: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia, sicut folia sunt in arbore[7], sic capilli in capite; sed fructu ad maturitatem ducto, cessant folia: ergo et capilli, cum iam homo pervenit ad fructum gloriae.

5. Item, hoc potest probari, quia non sunt de veritate naturae.

6. Item, quia deforme esset corpus, si omnes capilli resurgerent; extenderetur enim nimis longitudo capillorum.

7. Item, capilli non vivunt[8], et huius signum est, quod sine dolore abscinduntur; sed quod non vivit non debet resurgere, quia resurrectio est ad vitam: ergo etc.

CONCLUSIO.

Resurgent in corpore etiam ea quae sunt de integritate et decentia.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dictum est[9], resurget in corpore non tantum quod est de eius *necessitate,* sed etiam quod est de *integritate* et de *decentia* et pulcritudine. Quoniam igitur *capilli* sunt de *decentia* et *ungues,* hoc patet, quia calvitium est imperfectio naturae; et ideo dico, quod resurgent. Similiter et *intestina* sunt de naturae pulcri- Conclusio 1. generalis. Conclusio 2. Conclusio 3.

---

[1] Vers. 46: Complexus intestina sua utrisque manibus proiecit super turbas, invocans Dominatorem vitae ac spiritus, ut haec illi iterum redderet. (Pro *14.* codd. *ultimo).*

[2] Cod. aa (E bb a secunda manu) supplet *esset.*

[3] Vers. 18. — Seq. locus est Matth. 10, 30.

[4] Vide supra pag. 608, nota 3. — Pro *ornamentum* non pauci codd. *ornatum.*

[5] Edd. *superfluitatis imbutae receptionem.*

[6] Avicenna, IV. Canon. Fen 7. tr. 1. c. 1: Capillus nascitur ex vapore fumoso, quando coagulatur in poris et oritur super eos etc.

[7] Aristot., II. de Anima, text. 6. (c. 1.): Folium [est] eius quod circa fructum [περικαρπίου] cooperimentum. Cfr. V. de Generat. animal. c. 3.

[8] Ex codd. L N Y aa [F a secunda manu] supplevimus *Item capilli non vivunt.*

[9] Quaest. praeced. ad 1. et 2.

tudine; unde Augustinus in libro de Civitate Dei [1]: « In interioribus visceribus, quae nullum decus modo videntur habere, ita pulcritudo rationis delectabit, ut omni formae apparenti, quae oculis placet, secundum mentis iudicium praeferatur ».

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non habebunt usum; dicendum, quod verum est de usu *imperfecto*, quem modo habent; sed *perfectum* habebunt, qui est visum intelligentiae oblectare in tam pulcra harmonia, in qua laudabit anima sapientiam Conditoris.

2. Ad illud quod obiicitur: aut erunt vacua, aut plena; dicendum, quod erunt *plena*, sed non superfluitate, sed nobilibus spiritibus et humoribus, quae [2] totum corpus reddent agilius.

Superfluitas triplex. 3. Ad illud quod obiicitur, quod capilli sunt de superfluitate; dicendum, quod superfluitas triplex est: una respectu *totius corporis et speciei*, ut est superfluitas impuritatis; et haec non erit ibi. Alia est superfluitas respectu *totius corporis*, in quo est, sed non respectu *alterius propagandi*, utpote semen; et haec similiter ibi non erit, et haec est superfluitas residuitatis [3]. Quaedam est superfluitas respectu *unius partis*, tamen in altera non est superflua, sed decens et optime collocata; et talis est superfluitas, ex qua sunt capilli, quia illa materia non est necessaria stomacho, est tamen bene locata in capite et barba.

4. 5. 6. 7. Ad illud quod obiicitur, quod arbores amittunt folia; dicendum, quod si arbores deberent semper suum servare decorem, nunquam folia amitterent; nunc autem non servant [4], sicut resurgentes: et ideo non est simile. — Ad alia tria, solvendum distinguendo triplicem veritatem naturae, et vivere secundum triplicem differentiam, ut in praecedenti problemate dictum est [5].

ARTICULUS II.

Quid in quo resurgat.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur secundo, quid in quo resurgat. Et de hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, quid in quo resurgat quantum ad totum corpus.

Secundo, quid in quo quantum ad quodlibet membrum.

QUAESTIO I.

Utrum caro, quae est in duobus hominibus caro, resurgat caro in primo, vel in secundo.

Quantum ergo ad primum quaeritur, cum caro est in duobus hominibus caro, utrum resurgat caro in primo, vel in secundo. Et quod in *primo*, videtur.

Argg. pro parte 1. 1. Augustinus, de Civitate Dei, et habetur in littera [6]: « Illi animae in puncto temporis redditur, quae eam primitus, ut ex ea homo fieret, viveret, cresceret, animavit ».

2. Item, *ratione* videtur: quia « propria forma in propria materia nata est fieri [7] »: ergo si haec caro est propria materia huius animae, cui primo est unita; ergo semper anima appetit ei uniri: ergo si non potest, frustratur eius appetitus. Hoc autem est inconveniens: ergo etc.

3. Item, caro ex unione cum anima dispositionem contrahit sive ordinationem ad immortalitatem: ergo si haec caro unita est cum hac anima, necessitatem habet iterum ad unionem cum ipsa; et si hoc; cum haec necessitas non patiatur, ut haec caro ordinetur ad animam aliam: patet [8] etc.

4. Item, si non est necesse resurgere cum prima: ergo si tota caro hominis manducetur, privabitur omnino anima suo corpore, et ita dabitur ei aliud corpus: non ergo erit ei resurrectio, quia resurrectio est eiusdem numero [9].

Sed contra: 1. Costa fuit in Adam et in Eva [10]; quaero igitur: in quo resurget? Si in *Adam:* ergo cum tota Eva sit inde facta, nihil resurget in Eva. Si *non in Adam;* sed in Adam primo fuit costa: non ergo resurget, in quo *primo* fuit. Pro parte 2.

2. Item, homo est de semine patris, et Christus « ex purissimis sanguinibus Virginis [11] »: ergo si semen debet resurgere in patre, et sanguis in Vir-

---

[1] Libr. XXII. c. 24. n. 4: Qui [numeri harmoniae] si noti esse potuissent, in interioribus quoque visceribus, quae nullum ostentant decus, ita delectaret pulcritudo rationis, ut... placet, ipsius mentis, quae oculis utitur, praeferretur arbitrio.

[2] Cod. N *qui*. Pro *nobilibus* codd. N aa *nobilissimis*, et pro *humoribus* cod. bb *humiditatibus*.

[3] Cfr. supra d. 40. q. 1. ad 3.

[4] Edd., post *decorem* addito *sicut resurgentes*, subinde legunt: *amitterent, sed non debent eum servare.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Hic c. 2. Sententialiter habetur XXII. de Civ. Dei, c. 20. n. 2. (vide infra pag. 911, nota 1.); verbotenus in Enchirid. Cfr. supra pag. 894, nota 3.

[7] Secundum Aristot.; vide supra pag. 888, nota 1.

[8] Explicatio huius arg. habetur supra d. 43. a. 1. q. 5. ad 6.

[9] Ut ostensum est supra d. 43. a. 1. q. 4.

[10] Gen. 2, 21. seq. — Inferius pro *nihil resurget* non pauci codd. *nihil resurgeret*.

[11] Damasc., III. de Fide orthod. c. 2. et IV. c. 14. Cfr. III. Sent. lit. Magistri, d. III. c. 1.

gine; tunc nullus homo generatus resurgeret, nec etiam Christus. Quodsi hoc non est verum: ergo caro resurget in eo, in quo *secundo* est caro.

3. Item, esto quod aliquis nutriatur ex carne humana, dicit Augustinus [1], quod redit ad primum; esto quod de illa generet, constat, quod si tunc redit ad primum, nihil remanebit generato; et hoc est inconveniens. Quodsi non redit: ergo non est necesse, quod resurgat in primo, sed in *secundo* potest.

4. Item, quod debeat resurgere in secundo, videtur: quia ab ultimo res denominatur et a fine [2] — unde statur in ultimo testamento, quod est in morte testatoris — ergo si caro ista fuit istius hominis finaliter et posterius: ergo ad ipsum magis spectat: ergo ad *secundum* et postremum debet redire, non ad primum.

CONCLUSIO.

Caro, quae est in duobus, in uno sicut in principio, in alio sicut in individuo et toto suo, resurget in secundo; si est in ambobus secundum materiam, resurget in primo; si vero in hoc secundum materiam, in alio secundum speciem, resurget in secundo; impossibile est autem, quod in pluribus sit secundum speciem.

Respondeo: Dicendum, quod caro, quae est in Distinctio. duobus, potest esse dupliciter: aut ita quod sit in uno sicut in *principio*, in altero sicut in *individuo et toto suo;* aut in utroque sicut in *individuo*. Si Conclusio 1. sit in uno sicut in *principio*, in alio sicut in *individuo et toto*, resurget in secundo, quia non erat in primo ad ipsum [3], sed ad alterum ordinata, sicut fuit costa in Adam, quia ordinata ad propagationem Evae; sic semen in patre, quia ordinatum ad propagationem filii; sic illi sanguines in Virgine beata, quia ordinati erant ad conceptionem Christi. — Si autem in utroque sit sicut in *toto absoluto*, Subdistinctio. hoc tripliciter potest intelligi: aut ita, quod sit in utroque caro secundum *speciem;* aut in utroque secundum *materiam;* aut in uno secundum *speciem*, in altero secundum *materiam* [4]. — De primo est De 1. casu positio 1. controversia. Nam aliqui dicunt, quod caro unius secundum speciem potest fieri caro alterius secundum speciem, utpote si homo de illa nutriatur et generet; et hoc dicunt, quia omnino est transmutabilis caro [5], ut alia, sicut experimento patet. — Et *si quaeras:* in quo resurget? dicunt, quod in illo, in quo maiorem et essentialem habet ordinationem, et Deus supplet alteri illud, ut verbi gratia, si de modica parte corporis unius quantum ad carnem secundum speciem sit aliquis generatus, ista resurget in generato, et Deus post supplebit in alio quod amissum est, sicut in Adam *replevit carnem pro costa* [6].

Alia positio est, quod de carne secundum speciem alius homo nec potest nutriri nec generari, Positio 2. sed solum de carne secundum materiam; et rationem huius reddunt ex parte *actualitatis* ipsius, quia Ratio 1. transsubstantiatio haec *conversio* est, et *conversio* et transmutatio sive transsubstantiatio est ex ente in *potentia;* et quia est caro secundum speciem, ideo non est possibilis converti in carnem secundum speciem. — Sed quoniam hoc non habet stabile fundamentum, Non sufficit. quia lupus nutritur de carnibus lupi [7], et in aliis animalibus eiusdem speciei hoc videmus; et *iterum*, caro secundum speciem potest fieri *non-caro*, et tunc erit in *potentia:* ideo rationem fundant super *pulverum appetitum*, Ratio 2. qui plantatus est ad illam formam determinate et sempiternaliter, qui non patitur, ipsam carnem vivificari ab alia anima immortali. Et ideo respondent, quod istud est impossibile, quod in primo sit caro secundum speciem unius et postmodum fiat alterius.

Sed prima positio repugnare videtur resurrectioni *eiusdem* corporis: Positio 1. non probatur. quia, si de una parte carnis meae secundum *speciem* posset fieri caro alterius secundum *speciem*, pari ratione et de alia, et sic de qualibet; et sic anima perderet suam carnem totam: quomodo ergo verum est quod dicit Iob [8]: *In carne mea videbo Deum, Salvatorem meum?* — Utraque ratio positionis 2. improbatur. Secunda positio non habet multum robur, tum quia videtur inconveniens dicere, quod homo non possit nutriri de carne secundum *speciem*, cum sint aptae ad nutriendum, et bestiae possint inde nutriri. — Amplius, nec istud est multum stabile, quod in corpore humano sit aliquid actu incorruptibile, et cum sit resolubile usque ad elementa, quod [9] ibi sit appetitus impediens transmutationem.

Unde sanius dici potest, quod sicut resurrectio Ratio auctoris pro 2. positione. fit per divinam virtutem; sic ordinatio carnis ad suam animam est secundum divinum decretum et dispositionem, quae, quoniam est inviolabilis [10], facit,

---

[1] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 20. n. 2: Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus coepit; ab illo quippe altero tanquam mutuo sumta deputanda est, quae sicut aes alienum ei redhibenda est etc.

[2] Secundum Aristot. supra pag. 247, nota 8. et pag. 470, nota 7. allegatum.

[3] Codd. G aa (F a secunda manu) *in primo ut ad ipsum.* Post pauca pro *sic semen* codd. G H V Z *sicut semen.*

[4] Vide supra pag. 908, nota 7.

[5] Cod. P *caro illa.* Inferiús pro *maiorem et essentialem*, edd. *maiorem et essentialiorem.*

[6] Gen. 2, 21. — Pro *in alio*, quod exhibet cod. M, cod. U *in altero*, alii codd. et edd. *in me* (cod. E a secunda manu *in primo*). Inferius plures codd., omisso *et conversio*, pro *sive transsubstantiatio* substituunt *sive transversio.*

[7] Plures codd. perperam *hominis.*

[8] Cap. 19, 26. Vulgata omittit *Salvatorem.*

[9] Edd. legunt: *actu corruptibile et tamen sit... elementa, et quod.* Eaedem edd. superius pro *sint aptae* substituunt *sit apta*, et pro *bestiae*, quod praebent codd. L Y bb (E a secunda manu), cum aliis codd. *bene.*

[10] Ita codd. I K bb, codd. A F G H aa *immobilis*, codd. R S *immutabilis*, alii codd. et edd. *immortalis.* Cfr. supra d. 43. a. 1. q. 5. ad 6.

quod caro secundum speciem unius ad carnem secundum speciem alterius hominis sit impossibilis.
Conclusio 2. Dicamus ergo, quod in utroque secundum *speciem* esse omnino est impossibile, quia tunc esset de necessaria constitutione utriusque et necessario resurgeret in utroque; et hoc est impossibile — istam impossibilitatem non dico[1] venire de *virtute carnis* secundum speciem ipsius hominis, quia sic necessario est ordinata ad incorruptionem propter *appetitum ad animam primam* — et ideo non potest esse corporis alterius animae *principalis materia*, quia, sive sit ibi iste appetitus, sive non, sine calumnia potest dici, quod hoc venit ex ordinatione divina, quae carnem hominis sicut non dimittit perire, sic nec eius substantiam confundi nec permisceri. Unde sicut divina providentia faciebat Adam ab exteriori impassibilem[2]; sic etiam facit carnem secundum speciem unius in carnem secundum speciem alterius inconvertibilem.

Si autem caro sit in utroque secundum *materiam*, ut quando homo nutritur de carne alterius
Conclusio 3. secundum materiam; dico, quod redit ad *primum*, quia ad utrumque ordinata est de congruo; et sequens ordinatio, cum non sit fortior, non solvit praecedentem. — Si autem in uno sit secundum *speciem*,
Conclusio 4. in altero secundum *materiam*; resurgit in eo, in quo fuit secundum *speciem*, quia ad illum essentialiorem ordinationem habet, sive sit primus, sive secundus. Unde si aliquis nutritur de carnibus alterius secundum *speciem*, talis caro redit ad primum. Si autem generatur de carnibus secundum *materiam*, quia de his quae secundum *speciem*, non potest generari; dico, quod caro stat in secundo, et Deus recompensat primo. Et ratio huius est, quia[3] essentialiorem habet ordinationem ad animam in secundo. Conclusio 5.

Ex his patent obiecta: quia Augustinus loquitur in duobus casibus, scilicet quando in *primo* fuit caro secundum *speciem*; et hoc patet ex verbo suo: « Ut ex ea homo fieret » etc., vel etiam, quando in *duobus* est secundum *materiam*. Ad 1. arg. pro parte 1.

Ad illud ergo quod obiicitur, quod debet denominari ab ultimo; dicendum, quod sequens ordinatio non solvit priorem, nisi sit fortior; et quia non est fortior, prior manet; maxime quando in primo fuit caro secundum speciem, habuit essentialem[4] ordinationém ad animam, quia caro secundum speciem, vivificata ab hac anima, habuit necessariam et indissolubilem ordinationem ad illam animam; et ideo, sicut matrimonium legitime contractum cum aliqua non potest solvi, si illa contrahit de facto cum aliquo; sic nec caro ordinationem ad primam carnem perdere. Quid autem sit caro secundum *speciem*, hoc habet locum in libro secundo, ubi agitur, utrum aliquid transeat in veritatem humanae naturae, et quaeratur distinctio trigesima[5]. Ad 4. pro parte 2. Notandum.

SCHOLION.

I. Posito hoc principio, quod totum resurgat, quod pertinet ad veritatem naturae, exsurgit difficultas, quomodo hoc fieri possit, quando (v. g. in anthropophagis) eadem caro pertineat ad plures homines. Solutio eruitur ex duplici distinctione, quarum primam S. Thom. (S. c. Gent. IV. c. 81. ad 5.) eodem sensu ac S. Bonav., sed aliis verbis, sic explicat, scilicet ut aliud sit, quod pertinet ad *perfectionem individui*, aliud, quod est deputatum ad *perfectionem speciei*. De secundo idem docet, quod « resurget in eo, ad quem pertinebat secundum *perfectionem individui*, unde semen resurget in genito et non in generante, et costa Adam resurget in Eva, non in Adam, in quo fuit sicut in *naturae principio*. Si autem secundum eundem perfectionis modum fuit in utroque, resurget in eo, in quo primitus fuit ». — Altera distinctio est inter partes *formales* et *materiales* corporis, sive ut antiqui secundum Aristotelem loquebantur, inter carnem secundum *speciem* et carnem secundum *materiam*; quae distinctio a Scholasticis non eodem modo accuratius explicatur et applicatur; de quo vide II. Sent. d. 30. a. 3. scholion n. II.

S. Thom. (locis infra citt.) secundum tres opiniones circa id quod est *de veritate naturae*, ponit tres solutiones tanquam probabiles. — Durand. (hic q. 1.) alia via incedit et supponit, quod « materia de se nullam habeat identitatem vel diversitatem, nisi quam habet a forma; et sic, manente eadem forma, est eadem materia, undecumque veniat, et per consequens est idem compositum » (ibid. n. 7.). « Et secundum istam viam evaduntur multae difficultates, quae tanguntur secundum materiam resurrectionis, sicut est illa de costa Adae... et illa qua quaeritur, si aliquis homo nutriatur ex carnibus alterius » etc. (ibid. n. 10.). Sed cfr. infra dub. 4; de resurgendo eodem sexu dub. 2.

In hoc tamen omnes conveniunt, non resurrectura omnia quae in corpore fuerint *materialiter*, quia partes secundum *materiam* in hac vita fluunt et refluunt, quin propter hoc corpus desinat esse idem (cfr. infra dub. 3, et Scot., hic q. 1. n. 9. seqq.).

De eadem 1. quaestione: Scot., loc. cit. n. 15. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4. 5; Suppl. q. 80. a. 4. 5. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. — Dionys. Carth., hic q. unica.

II. Quaestio 2. a S. Thoma (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 79. a. 3.) et etiam ab aliis sic ponitur: « utrum oporteat, pulveres humani corporis ad eandem partem corporis, quae in eis resoluta est, per resurrectionem redire »; quod cum S. Bonaventura (hic et infra dub. 4.) etiam S. Thom. quoad *factum* affirmat tanquam « magis probabile ». Sed quoad id quod « *fieri possit* » sine identitatis praeiudicio, distinguit « diversas partes *homogenei* », sicut diversae partes carnis, et « diversas partes *diversarum specierum* totius *heterogenei* »;

---

[1] Cod. G *dubito*. Aliquanto inferius pro *dimittit* cod. L *permittit*.

[2] Vide II. Sent. d. 19. a. 2. et 3.

[3] Edd. addunt *caro maiorem et*.

[4] Edd. cum nonnullis codd. *essentialiorem* (verbo *habuit* codd. F aa praemittunt *et*).

[5] Art. 3. q. 1. seq. — Superius post *sic nec caro* edd. supplent *potest*.

porro docet, mutationem situs quoad *secundas* mutare identitatem et *partium*, et etiam *totius*, « si loquimur de partibus *essentialibus*, non autem, si loquimur de partibus *accidentalibus*, sicut sunt capilli et ungues ». Tamen quoad partes *homogenei* mutatio situs, ut idem dicit, nullum generaret praeiudicium identitati. — Scot. (hic q. 1. n. 19.) putat, non ita constare, materiam singularum partium ad easdem redituram esse.

De eadem 2. quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 5. — Durand., hic q. 1.

QUAESTIO II.

Utrum materia uniuscuiusque membri resurgat in suo, an indifferenter in quolibet membro.

Secundo quaeritur, quid in quo resurgat quantum ad membra, utrum scilicet materia uniuscuiusque membri in suo, an indifferenter in quolibet. Et quod *non in suo:*

Ad oppositum. 1. Videtur Augustinus dicere, et habetur in littera [1], quod non refert, utrum pars materiae redeat in suum locum, sicut est in fusione statuae.

2. Item, ad hoc est *ratio ostensiva,* quia materia illa est in perfecta obedientia respectu Creatoris: ergo si ipsa nihil operatur [2], et Creator non facit vim, nisi quod totum reparetur et debite, sicut bonus artifex; ergo videtur, quod sine differentia materia unius membri in alio possit resurgere.

3. Item, alia ratio ad hoc est, quia dispositio contrahitur in corpore ad resurgendum ex unione ad animam: ergo cum quaelibet pars toti animae uniatur, quia anima tota est in qualibet parte [3], quaelibet pars habet indifferentiam ad totum.

4. Item, si necesse est, quod in eodem; sed esto, quod aliquis habeat nimis magnum caput, tunc necesse esset resurgere in eadem deformitate; sed hoc est inconveniens.

Sed contra: 1. Ezechielis trigesimo septimo [4]: Fundamenta. *Accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam:* ergo si est convenienter ibi signata forma resurrectionis futurae, patet etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia resurrectio est eiusdem; sed si manus fieret ex materia pedis, non esset eiusdem; sic nec alia aliqua pars, si fieret de alia, et sic nec totum idem: ergo cum hoc sit inconveniens [5], patet etc.

3. Item, resurrectio est ad remunerationem; sed contingit, unum membrum esse nobilius altero, et ulterius, magis mereri uno quam altero: ergo si non debet alicui praeiudicari, illa pars materiae in eo membro debet resurgere, quae prius ibi fuit.

4. Item, sicut se habet totum corpus ad totam animam, sic oculus ad potentiam visivam, ut dicit Philosophus [6]; sed necesse est, materiam totius corporis aptari animae huic, ita quod non alii: ergo et materiam potentiae visivae huic, et non alteri; et sic materia huius membri in hoc membro determinate resurget.

CONCLUSIO.

Membrum unumquodque reformabitur ex sua propria materia, quatenus est de eius substantia, non de superfluitate.

Respondeo: Dicendum, quod in membro sive in eius materia est aliquid considerare, quod est de *substantia* et perfectione, aliquid, quod est de *superfluitate,* sicut aliqua membra plus habent de materia, quam conveniens sit formae membri. (Distinctio.) Si *primo* modo, sic dico, quod unumquodque membrum ex sua propria materia reformabitur; reformatio enim respondet formationi. (Conclusio 1.) Unde eiusdem [7] et de eodem est *reformatio,* cuius et de quo fuit *formatio.* — Si autem quantum ad *superfluitatem,* dicendum tunc, quod illud materiae, quod est superfluum in una parte, per totum dispergetur, ut sic non abundet unum membrum ab altero, nisi quantum debet. (Conclusio 2.)

Solutio oppositorum. 1. Et sic loquitur Augustinus, quod patet; loquitur enim de superexcrescentia eorum quae debent resurgere [8].

2. Ad illud quod obiicitur, quod materia illa est in perfecta obedientia; dicendum, quod verum est; tamen Creator non vult facere, nisi quod congruit ipsum facere; et congruit, quod unumquodque membrum fiat de sua materia. — Et quidam reddunt de hoc rationem ex parte *diversorum appetituum,* qui sunt in pulvere. (Ratio aliorum.) Quidquid tamen sit de hoc, tamen hoc venit ab ordinatione perfecti artificis, ut reparet de eadem materia et eodem ordine [9].

---

[1] Hic c. 2.

[2] Cfr. supra pag. 273, nota 3. in fine. — Edd. prosequuntur: *et creaturae non facit* etc.

[3] Ut ostensum est I. Sent. d. 8. p. II. q. 3.

[4] Vers. 7.

[5] Vide supra d. 43. a. 1. q. 4. — In *maiori* post *eiusdem* cod. aa subiungit *numero.*

[6] Libr. II. de Anima, text. 9. (c. 1.): Si enim esset oculus animal, anima utique ipsi visus esset... Oportet igitur accipere quod est in parte, in toto vivente corpore; proportionaliter namque se habet, sicut pars ad partem, totus sensus ad totum corpus sensitivum, secundum quod huiusmodi. — Ibid. text. 26. (c. 2.) insinuatur *minor.*

[7] Edd. cum pluribus codd. *eadem* (nonnulli codd. *de eadem*), inferius posito *eius* (nonnulli codd. *eius et*) pro *cuius et.* Subinde codd. R S T U X bb omittunt *materiae,* et post *quod* edd. addunt *modo,* ac post *totum* supplent *corpus.*

[8] Cfr. infra dub. 4. — Superius pro *sic* codd. A F H I K aa (bb a secunda manu) *in hoc casu.*

[9] Vide quaest. praeced. et d. 43. a. 1. q. 5. ad 6.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quaelibet pars unitur toti animae; dicendum, quod anima est *perfectio* [1] quantum ad substantiam, et *motor* quantum ad potentias; etsi anima non sit composita, immo simplex quantum ad substantiam, habet tamen multitudinem potentiarum, ratione quarum ad diversa organa comparatur. Quoniam igitur corpus est ordinatum ad resurrectionem utroque modo, et in quantum respicit animam ut *perfectionem* et ut *motorem;* et quantum ad rationem motoris est distinctio: ideo distincte resurget materia membrorum in suis locis.

Notandum.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, iam patet responsio. Dico enim, quod illud per totum dispergetur, quod in aliqua parte est superfluum; nec illud faciet diversitatem in corpore, sed removebit deformitatem; et hoc intelligendum quantum ad corpora electorum [2].

Sic igitur patet, quid in quo resurgat secundum verba beati Augustini, quibus magis innitendum est, maxime in hac materia, quam etiam rationi. Attamen tam ad primum problema quam ad ultimum posset de facili responderi, si quis velit *seminales rationes* intueri, in quas fit resolutio, quae in una parte salvabuntur respectu totius, si sit artifex, qui possit educere; et ideo, cum Deus hoc operetur et supra naturam, quid mirum est, si, quantumcumque parum de carne remaneat, totum reficiat? Nec unquam poterat adeo dividi, quin modicum sufficiat cuilibet; hoc dico secundum operationem Dei, non secundum operationem naturae, sicut alibi melius patet, scilicet in secundo libro [3].

Epilogus.

Recursus ad rationes seminales.

ARTICULUS III.

Qualia futura sint corpora resurgentium.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur, qualia erunt corpora resurgentium. Et de hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur de qualitate quantum ad electos. Secundo vero, quantum ad reprobos.

QUAESTIO I.

Utrum corpora electorum resurgant cum deformitatibus.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum corpora electorum resurgant cum deformitatibus. Et quod non, videtur.

1. Augustinus, de Civitate Dei vigesimo secundo [4]: « Aberit a corporibus electorum omnis deformitas, omnis infirmitas omnisque tarditas »: ergo si haec pertinent ad deformitates, et carebunt his; patet etc.

Fundamenta.

2. Item, nihil resurget in electis, quod non sit de decore naturae; quia, ut dicit Augustinus [5], « a corporibus electorum vitia detrahentur, et natura servabitur »; sed deformitates non sunt de natura: ergo etc. *Probatio minoris:* super illud ad Ephesios secundo: *Eramus natura filii irae;* Glossa: « Natura vere ac proprie dicitur, qualis sine vitio fuit in primis parentibus »: ergo cum deformitates in ea non fuerint, patet etc.

3. Item, generans transmittit in prolem omne illud, quod est de veritate naturae suae, quando generat sine errore, pro eo quod per naturam generans generat sibi simile [6]; sed generans, habens deformitatem, sine errore naturae generat non habentem deformitatem: ergo deformitas non est in eo de veritate suae naturae: ergo si hoc solum resurget in electis, quod est de veritate naturae, deformitates non resurgent in eis.

4. Item, Anselmus in libro de Veritate [7] dicit, quod « veritas est rectitudo sola mente perceptibilis »: ergo quod non est de rectitudine naturae non est de veritate naturae; sed deformitas non est de naturae rectitudine, ergo non est de veritate naturae: ergo non resurget in electis.

Contra: 1. Caro contracta a generantibus est de veritate humanae naturae; sed gibbositas et aliae multae deformitates possunt a generantibus contrahi: ergo sunt de veritate humanae naturae. Sed omne tale resurget in electis: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, de veritate humanae naturae sunt membra non tantum officialia, verum etiam consimilia; sed in huiusmodi deformitatibus est aliquid de substantia membri consimilis, sicut patet, quia [8] in

---

[1] Sive forma corporis; cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. — Inferius pro *utroque modo* plures codd. vel cum edd. *in utroque* vel *utroque.* In fine solut. pro *distincte* cod. F *relinquitur, quod.*

[2] De quo in art. seq.

[3] Dist. 7. p. II. a. 2. q. 2. et d. 18. a. 1. q. 2. — Superius pro *poterat adeo* [cod. O *ita*] plures codd. *poterit adeo.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cap. 20. n. 3. — Pro *infirmitas* plures codd. *informitas.*

[5] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 17. — Seq. locus Scripturae est Eph. 2, 3, et Glossa, quam exhibent Petr. Lombard. et Lyranus ut *ordinariam*, est secundum August., I. Retract. 10. n. 3, ubi pro *fuit in primis parentibus* legitur *primitus condita est.* — Subinde pro *in ea* cod. F *in eis.*

[6] Cfr. supra pag. 847, nota 7. et pag. 860, nota 3. — Paulo ante voci *errore* cod. aa addit *naturae.*

[7] Cap. 11.

[8] Cum codd. F L Y supplevimus *quia*, codd. N aa *quod.*

gibbo est aliquid de carnis substantia: ergo est aliquid de veritate humanae naturae: ergo etc.

3. Item, quia anima meruit in corpore, debet remunerari in corpore et in membris, et hoc, quia corpus est sibi coniunctum: si ergo anima viri iusti meruit in deformitatibus et per deformitates, quas humiliter toleravit; ergo debet in eis remunerari.

4. Item, cicatrices, quae sunt inductae in Martyribus a violentia, manent in gloria in signum meriti et triumphi: ergo pari ratione deformitates, quae sunt a natura, in quibus meruit anima nostra.

CONCLUSIO.

In corporibus electorum nulla resurget deformitas, resurget tamen alicuius deformitatis materia.

Duplex deformitas.

Respondeo: Dicendum, quod deformitates quaedam sunt *qualitativae*, sicut illae quae veniunt ex malo et inordinato situ membrorum [1]. Quaedam sunt *quantitativae*, sicut quando quis habet nimis magnum caput, vel nimis magna membra, ita quod aliis sunt improportionalia, vel habet gibbositates, vel talia, in quibus est aliquid de carnis substantia. Si de *primis* loquamur, quia non sunt de veritate humanae naturae, immo per errorem omnino contingunt; dicendum, quod in electis nullo modo resurgent. Si de *secundis* loquamur, quia aliquid est ibi substantiae, aliquid vitiositatis, quod est substantiae resurget, quod est vitiositatis auferetur; hoc est dicere, quod illius membri materia per alia membra diffundetur quantum ad *superfluitatem* [2], ita quod non aliquid peribit, et tamen totum per omnia reducetur ad proportionem. Et sic patet, quod in electis nulla resurget deformitas, resurget tamen alicuius deformitatis materia. — Et sic concedendae sunt rationes ostendentes, quod non resurgent.

Conclusio 1. Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. 2. Concedendae nihilominus sunt duae ad oppositum inductae, quod illud quod est de substantia deformitatis, resurget, tamen sub ratione pulcritudinis.

Dupliciter meretur.

3. Ad illud quod obiicitur, quod per deformitates merentur viri iusti; dicendum, quod per aliquid mereri est dupliciter: aut quod habet imperfectionem secundum *statum meriti*, non tamen secundum *suam formam et naturam;* aut quod habet imperfectionem secundum *suam naturam;* sicut patet, quod meretur per caritatem, cui inest imperfectio solum ratione *status*, et meretur per fidem, cui inest imperfectio ratione *formae*. In *primo* remuneramur per eius perfectionem; in *secundo* remuneramur per eius evacuationem, quia non est nata fides stare cum perfectione completa [3]. Per hunc modum in corporalibus oportet intelligi; unde cum *corpus* humanum statui perfectionis non repugnet quantum ad *naturam*, sed quantum ad *statum; deformitas* vero quantum ad *propriam suam rationem* repugnat perfectioni; hinc est, quod corpus debet resurgere et resumi, deformitas vero minime.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de cicatricibus, dicendum, quod aut cicatrices non resurgent, aut si resurgant, ita facient ad decorem et gloriam animae, quod non minuent pulcritudinem corporis, quia frequenter talia signa reddunt corpus magis decorum. Quoniam igitur cicatrix potest carere turpitudine, sed deformitas semper deformat; ideo non sic competit deformitas corporibus electorum, ut cicatrix.

SCHOLION.

I. De corporibus glorificatis electorum eorumque dotibus multa docentur infra d. 49. p. II, quae a pluribus Lombardi commentatoribus in hac dist. (a S. Thom. q. 2.) tractantur, ubi etiam haec 1. quaestio passim tangitur, sed a S. Thoma praecipue hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1-4, a Scoto, hic q. 1. n. 15. 16. Specialiter de eadem quaestione agunt: B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 6. — Durand., de hac et seq. quaest. hic q. 3.

II. Quaestionem 2. aliter solvit cum B. Alberto S. Thomas (hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 86. a. 1.). Nam prima opinione, quam sequitur S. Bonav., improbata, prosequitur: « Alii rationabilius dicunt, quod auctor, qui naturam condidit, in resurrectione naturam corporis integre reparabit »; et hoc docet non tantum quoad deformitatem, quae ex defectu vel mutilatione alicuius membri resultat, sed etiam de ea quae oritur « ex indebita partium dispositione, vel indebita quantitate vel qualitate vel situ » etc. Hoc tamen non intelligit de defectibus, « qui ex naturalibus principiis in humano corpore naturaliter consequuntur ». Durand. et Estius (hic § 10.) consentiunt Bonaventurae.

De 2. quaestione praeter cit.: B. Albert., hic a. 33. — Petr. a Tar., loc. cit. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. a. 6.

QUAESTIO II.

Utrum deformitates resurgant in corporibus damnatorum.

Secundo quaeritur, utrum deformitates resurgant in corporibus damnatorum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Per Augustinum in Enchiridio [4]: « Nulla debet esse quaestio de pulcritudine, ubi est certitudo

[1] Cod. aa subiungit: *sicut oculum habere in fronte, et huiusmodi.*

[2] Cod. aa prosequitur: *ut ex illa materia superfluitatis cetera, quae reparari indigent, reparentur, ita* etc. Superius pro *resurgent* communior lectio codd. *resurgunt.*

[3] Cfr. III. Sent. d. 31. a. 2. q. 1. et a. 3. q. 1. — Superius pro *meretur* Vat. bis *meremur;* econtra cod. Z bis *remuneratur* pro *remuneramur*. Vocibus *eius perfectionem* cod. F interserit *completionem et.* In fine solut. pro *resumi* codd. R S *restitui.*

[4] Cap. 92. n. 23. Verba vide hic in lit. Magistri, c. 4.

de damnatione »; si ergo certi sumus, quod reprobi damnabuntur, certi sumus etiam, quod pulcritudine non decorabuntur.

2. Item, a corporibus damnatorum non tolletur tarditas nec passibilitas: ergo nec deformitas consimili ratione. *Prima* patet, quoniam passibilia erunt damnatorum corpora et gravia [1]: ergo etc.

3. Item, quod deformitates tollantur ab electis, hoc gratiae est; sed nulla gratia debet fieri damnatis: ergo ab eis deformitates non debent auferri.

4. Item, deformitates animarum ab animabus non tolluntur: ergo nec a corporibus ratione consimili, immo *a causa* [2], quia deformitas culpae est causa deformitatis poenae.

5. Item, corpus damnatis animabus redditur non propter perfectionem, sed propter maiorem punitionem; sed deformitas corporis redundat in poenam animae: cum ergo non debeat in eis poena minui, sed augeri; non debet corpus eorum deformitatibus exui, sed reindui.

Ad oppositum. Contra: 1. Deformitates in effectu veniunt ex errore virtutis producentis [3]; sed corpora resurgentium sola virtus divina reficiet: ergo si illa non potest errare, impossibile est, quod habeant deformitatem.

2. Item, artifex, qui effectum cum deformitatibus producit, non dicitur *reformator*, sed *deformator*: ergo si Deus corpora damnatorum cum deformitatibus facit resurgere, non debet dici *reformator*, sed *deformator*. Sed hoc est facere contumeliam ipsi artifici, quam oportet longe a Deo relegare: ergo nullo modo cum deformitatibus producit.

3. Item, « optimi est optimum producere [4] »: si ergo Deus optimus est artifex, ergo optima artificiata producit; sed ipse est artifex in resurrectione, et corpora deformia non sunt bene facta nec ordinata: ergo etc.

4. Item, est ordo partium in toto, et ordo rei ad finem, et primus respicit sapientiam, secundus respicit bonitatem [5]; sed Deus, cum sit bonus, non potest facere rem fine carentem sive a fine deordinatam: ergo cum sit summe sapiens, non potest rem producere deordinatam quantum ad ordinem, qui est partium in toto: ergo nec deformitates.

5. Item, a damnatis [6] auferetur deformitas, quae est per diminutionem; unde si caret manu, non carebit manu: ergo pari ratione et deformitas, quae est ex superfluitate, et ita, ut videtur, omnis deformitas.

CONCLUSIO.

Corpora reproborum resurgent cum suis deformitatibus.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus in Enchiridio [7] istam quaestionem dimittit insolutam, quasi non sit magnae utilitatis; attamen cum assignet rationem, quare circa hoc non debet laborari, determinationem quaestionis nobis tribuit. Dum enim dicit, quod non debet nos molestare inquisitio circa pulcritudinem, ubi est certitudo circa damnationem; si enim ad hoc resurgunt, ut damnentur, non ut melioris, sed ut peioris sint conditionis; manifeste apparet, quod non dabitur eis pulcritudo, quam non habuerunt, nec auferetur deformitas, quam habuerunt. Unde Deus quantum ad eos est purus *reformator*, quia secundum eandem formam reformat, quam eis natura dedit in generatione primaria. — In qua reformatione apparet Dei *sapientia* et *iustitia*: *sapientia*, quia scit omnino eodem modo reparare, sicut ante fuit [8]; *iustitia*, ut, sicut qui meruit in corpore pulcro, remuneretur in eius pulcritudine; sic qui in turpi peccavit in eius turpitudine cruciari debet; nec debet auferri, sed potius confirmari. — Et rationes hoc ostendentes concedendae sunt. (Notandum. Conclusio. Corollarium.)

1. Ad illud ergo quod obiicitur primo, quod venit ex errore virtutis; dicendum, quod verum est in operatione *naturae*, quae producit effectum, quanto melius potest; sed non sic in operatione *Dei*, qui non reparat, secundum quod melius potest, sed secundum quod meritis eius melius congruit. (Solutio oppositorum. Notandum.)

2. Ad illud, quod [9] producens effectum deformem est deformator; dicendum, quod effectus deformis productus potest dupliciter considerari: aut *absolute*, aut *in comparatione*. Si *absolute*, verum est; si autem *in comparatione* ad meritum, aut ad praecedentem statum, non est verum. Et quoniam effectus competit meritis damnatorum, competit nihilominus statui praeterito; ideo talis reparatio non *deformatio*, sed *reformatio* et *conformatio* debet dici. — Et est exemplum in artifice, qui picturam diaboli facit turpem; ipse enim non dicitur *deformator*, sed *conformator*, quia conformem statui diabolico picturam facit, quamvis in se pictura sit deformis. Sic etiam in proposito intelligendum. (Distinctio. Exemplum.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod optimi est

---

[1] Cfr. supra lit. Magistri, d. XLIII. c. 7, et infra d. 49. p. II. sect. 2. a. 3. q. 1.

[2] Vide supra pag. 103, nota 10.

[3] Cfr. Aristot., II. Phys. text. 82. seqq. (c. 8.).

[4] Secundum Dionys., de Div. Nom. c. 4. § 19. Cfr. tom. I. pag. 720, nota 7.

[5] Vide I. Sent. d. 44. a. 1. q. 3. in corp. — Mox pro *deordinatam* edd. *deordinantem*.

[6] Cod. bb *reprobis*, alii codd. et ed. 1 *electis*, cod. F *electis et etiam reprobis*. Post *unde si* cod. O supplet *nunc*, Vat. *modo*, quae etiam verbis *non carebit* praemittit *tunc*.

[7] Cap. 92. n. 23. — Inferius pro *tribuit* edd. *innuit*.

[8] Edd. *fecit*, cod. V *facit*.

[9] Codd. L Z aa addunt *obiicitur, quod*. Pro *deformis* edd. *deformiter*.

optima producere; dicendum, quod verum est in *ordine*[1], et corpus deforme optime ordinatur in inferno, sicut pulcrum in caelo.

4. Ad illud quod obiicitur de ordine duplici, dicendum, quod ordo creaturae quantum *ad finem* est dupliciter: vel quantum ad *finem creatum,* vel quantum ad *finem ultimum,* qui Deus est, qui est finis universalis. Similiter ordo *partium* est duplex, scilicet *partium in toto*, et *rerum in universo.* Et sicut creatura non potest produci a Deo deordinata a *fine ultimo*, ita quod illam deordinationem habeat a Deo; sic nec ab *ordinatione*, quae est *in universo;* et quamvis deforme corpus sit deordinatum in se, est tamen ordinatum in mundo.

Duplex ordo et creaturae ad finem et partium.

5. Ad illud quod obiicitur, quod auferetur deformitas per diminutionem: ergo etc.; dicendum, quod hoc est propter perfectam punitionem voluntatis, quae, quoniam omnium membrorum fuit rectrix et omnia habere voluit, licet non habuerit; ideo in omnibus puniri debet et torqueri[2].

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *resurgentibus non eadem assignatur statura, sed aetas.* Videtur enim male dicere: quia duplex est quantitas, scilicet *temporis* et *extensionis*[3]; sed qui habuerunt diversam quantitatem molis in diversa resurgent: ergo qui diversam habuerunt aetatem in diversa resurgent. — Item, impossibile est, quod est praeteritum non esse praeteritum[4]: ergo impossibile est, quod aliquis, qui habuit annos centum, non habuerit centum: ergo impossibile est, quod habeat solum triginta duos annos. Sed in hac aetate resurrexit Christus: ergo impossibile est senibus in hac aetate resurgere. — Item, si resurgentibus computatur aetas, aut ergo ab instanti *nativitatis*, aut *resurrectionis.* Si ab instanti *nativitatis*, tunc erunt plus quam centum anni, immo quam mille in aliquibus; si ab instanti *resurrectionis,* tunc non habebit[5] aliquis unam horam, nedum quod triginta annos. — Item, Dominus nulli detrahet de quantitate *molis,* sed addet his qui minus habent: ergo pari ratione de *aetate,* cum *senectus sit venerabilis*[6].

Duplex quantitas.

Ad haec omnia respondendum, quod aetas resurgentium dupliciter potest intelligi: aut per comparationem ad *principium durationis*, sicut assignatur nobis nunc secundum computationem ab initio nostri *esse;* et sic non computatur aetas in resurgentibus, quia transierunt omnem aetatem et extra statum talem sunt. Alio modo aetas attenditur secundum *dispositionem et valitudinem corporis;* et sic accipitur aetas iuvenilis. Omnes enim tales et tanti resurgent in corpore, quales fuissent in aetate iuvenili; et ita *aetas* non nominat *durationem*, sed *corporis dispositionem.* Si enim Deus modo crearet hominem in eo habitu et statu, quem habet vir in trigesimo anno; tunc diceretur creare[7] in aetate virili, non ratione computationis temporis, sed habitudinis corporis. Et per haec patent obiecta.

Resp. cum distinctione.

Notandum.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut significaret perfectionem virium.* Videtur enim male dicere; quoniam, si femina non est vir, nec quantum ad sexum nec quantum ad virium perfectionem, quia sexus femineus attestatur infirmitati; ergo videtur, quod mulier non resurgat aliquo modo. — Item, sicut dicit Philosophus[8], « femina est vir occasionatus »: ergo si occasiones non resurgunt in natura quantum ad electos, nec feminae resurgent. — Item, *in resurrectione erunt sicut Angeli Dei*[9], et hoc erit, quia corpus conformabitur animae; sed in Angelis non est distinctio sexus nec in animabus: ergo etc. — Item, sexus distinctio est propter generationem; sed ibi non erit generatio: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus vigesimo secundo de Civitate Dei[10], aliqui voluerunt dicere, quod sexus femineus non resurget propter praedictam auctoritatem Apostoli: *Donec occurramus omnes in virum perfectum;* sed sicut ipse dicit, ibi dicitur vir non a *sexu*, sed a *virtute*, non corporis, sed mentis, per quem modum

Error aliquorum.

[1] Cfr. I. Sent. d. 44. a. 1. q. 2. ad 1. Ibid. q. 3. agitur de seq. solut. (ad 4.).

[2] Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 2. seq. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Cfr. Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto.* — Codd. R S T bb addunt *sive molis.* — De *minori* cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[4] Vide I. Sent. d. 42. q. 3. — De aetate Christi resurgentis cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[5] Ex codd. R S T bb supplevimus *aliquis.* Subinde pro *nedum quod* edd. *qui ante habuit.*

[6] Sap. 4, 8: Senectus enim venerabilis est etc.

[7] Edd., pro *Si... modo crearet* posito *sic... tunc creat*, omittunt *quem habet... creare* (cod. U *creari*). — Idem dub. solvitur a S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. et circa lit., et a Richard. a Med., hic a. 1. q. 8.

[8] Libr. II. de Generat. animal. c. 3. Vide tom. II. pag. 485, nota 5.

[9] Matth. 22, 30: In resurrectione enim neque nubent neque nubentur, sed erunt etc.

[10] Cap. 17. (ubi etiam rationes ponuntur pro resurrectione sexus feminei, quae inferius tanguntur) et c. 18, in quo exponit verba Apostoli Eph. 4, 13: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum* etc.

mulier facta vir est, secundum quem modum dicitur in Psalmo[1]: *Beatus vir, qui non abiit in consilio* etc.; quod intelligi etiam potest de muliere. Et ideo auctoritas ista non negat resurrectionem mulierum; sed manifesta ratio confirmat. Quoniam enim sexus femineus est naturalis et a Deo formatus, qui formavit virilem — quod patet, quia sine ipso non esset perfectio speciei — et in corporibus nostris « natura servabitur, et vitia detrahentur[2] »: sicut viri resurgent cum sexu virili, non propter generationem, sed propter perfectionem et decorem quantum ad electos, sic feminae in sexu femineo; quia tunc a membris illis dedecus et inhonestas per omnia auferetur, et quod excitavit ad libidinem, excitabit ad Dei laudem. Notandum.

Quod ergo primo obiicitur, quod dicit defectum virium; dicendum, quod hoc est solum secundum statum praesentem, ibi autem relinquetur sexus et tolletur infirmitas.

Quod obiicitur, quod femina est vir occasionatus; dicendum, quod est loqui de naturae *intentione universali*, et sic femina est de intentione naturae, quae intendit salvare speciem[3]; et est loqui de *intentione naturae singularis*, quae desiderat rem facere, quanto meliorem et perfectiorem potest, et quod non faciat, hoc est praeter intentionem propter aliquam occasionem incidentem. Et hoc modo est hic, quia natura de semine[4] faceret virum, si posset; sed quia vel est defectus in virtute et caliditate, vel etiam est debilis coagulatio in semine, vel non directe recipitur in matrice; hinc est, quod mulier generatur et dicitur *vir occasionatus*. Tamen quia istam occasionem necesse est evenire, nec sine ea potest natura salvari in *esse;* ideo natura, quae intendit salvari, utrumque sexum intendit. Et sic patet illud. Duplex intentio naturae. Notandum.

Ad illud quod obiicitur, quod erunt sicut Angeli; dicendum, quod non est omnimoda similitudo, sed quantum ad hoc, quod erunt immunes ab operibus carnis[5].

Ad illud quod obiicitur, quod non erit generatio; dicendum, quod sicut erit vis generativa non ad usum generandi, sed ad perfectionem hominis; sic etiam erunt membra genitalia ad perfectionem corporis[6].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non est fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo*. Videtur enim falsum, quia nanus nec habuit nec habiturus fuit sufficientem magnitudinem in hac vita: ergo nani[7] boni, quorum corpora sunt deformia, sic erunt in caelesti patria. — Item, qui caret manibus nunquam erat habiturus manus: ergo resurget sine manibus: ergo potest fieri additio membrorum officialium, quia non resurget sine manibus. Quodsi hoc, multo fortius videtur a parte membrorum consimilium, sicut maioris staturae.

Respondeo: Dicendum, quod statim, ex quo corpus humanum generatum est, statutum est, quantum debet esse *mole*, licet nos non percipiamus; quia iam est ibi totum *ratione*[8]; esse autem ratione hoc est esse in *quantitate virtutis*, quae distinguitur contra *quantitatem molis;* et hoc est esse secundum potentiam *virtutis augmentativae*. Quantum ergo natura potest istum augmentare, qui nunc parvulus est, tantus debet esse *ratione*, et tantus erit *mole*, nisi impediatur per occasionem. — Secundum hoc intelligendum, quod *quantitas rationis* in aliquo potest *deficere* a statu competente speciei, vel *superabundare*, vel *sufficere*. Quod *sufficiat*, hoc est de integritate naturae; tunc autem dicitur *sufficere*, quando potest tantum corpus producere, quantum competit humanae naturae, quae determinatos habet terminos, sive in parvitate, sive in magnitudine[9]; inter quos statura Christi tenere medium creditur tanquam perfectissima. Et quamdiu ab illa statura non receditur, ita quod deformitas generetur, dicitur virtus augmentativa sive quantitas rationis *sufficiens*, et resurget unusquisque secundum staturam illi quantitati competentem. — Si vero *receditur* adeo, ita quod deformitas generetur sive in superfluo, sive in diminuto; dicendum, quod tunc *quantitas rationis* fuit *occasionata*, et non Notandum. Distinctio. Quantitas rationis sufficiens. Item occasionata.

---

[1] Psalm. 1, 1. (August. loc. cit. allegat Ps. 111, 1: *Beatus vir, qui timet Dominum;* utique ibi sunt et feminae, quae timent Dominum). — Pro *vir est* cod. L *dicitur vir*. Inferius pro *sed* edd. *sicut*, quae etiam subinde omittunt *naturalis et*, quod codd. F M P R S T praebent, et pro quo alii codd. substituunt *virilis et*, cod. O *sicut virilis et*. Post pauca pro *virilem* plures codd. *mulierem*.

[2] August., XXII. de Civ. Dei, c. 17.

[3] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.), et II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.), ubi etiam illud: In omnibus quod melius est, desiderare naturam semper. Cfr. de hac solut. II. Sent. d. 20. q. 6. ad 1.

[4] Cod. U *de se*, edd. cum pluribus codd. *de femina*. Verba *est hic, quia* supplevimus ex cod. F, pro quibus alii codd. vel *quia hic*, vel *quia haec*, vel *quia*.

[5] Cfr. August., XXII. de Civ. Dei, c. 17.

[6] Idem dub. solvunt S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 3; Richard. a Med., hic a. 1. q. 10.

[7] Edd. cum aliquot codd. *varii*.

[8] August., XXII. de Civ. Dei, c. 14: Hunc perfectionis modum sic habent omnes, ut cum illo concipiantur atque nascantur; sed habent in *ratione*, non in *mole*, sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine etc. — De quantitate *molis* et *virtutis* cfr. supra pag. 399, nota 4. — Superius pro *statutum est* codd. vel *statim scitur*, vel *statim scit* (codd. F O addunt *natura)*, vel *statim scimus*, cod. B *statim tantum est ratione sui virtute*, et pro *quantum... mole* codd. R S T U X bb *quantae... molis*.

[9] Aristot., II. de Anima, text. 41. (c. 4.): Natura autem constantium omnium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti. — Aliquanto inferius pro *secundum staturam*, quod exhibent codd. E Z, alii codd. et edd. *secundum statum*.

fuit perfecta, sed vitiata; et ideo oportet tunc detrahi, vel addi, non ad *naturae mutationem*, sed potius ad *vitiositatis ablationem*.

Et sic totum patet, quia Augustinus [1] loquitur, salva integritate et perfectione naturae. Unde generaliter intelligere dat, quod quantum ad *quantitatem rationis* nec fiet additio nec subtractio, nisi etiam fuerit vitii deformatio. Quantum ad *quantitatem molis* fiet *additio* in his, in quibus non fuit perducta ad *quantitatem rationis;* nec oportet, quod Dominus adducat materiam aliunde ad perficiendum, sed possibile est, quod de illo uno totum extrahat; sicut creditur, quod quinque panes sine appositione inter quinque millia hominum multiplicavit per virtutem infinitam [2]. — Potest tamen esse, quod aliunde addat, et fortasse in illis panibus fecit, et utrumque miraculum fuit. Aliud tamen probabilius videtur.

Notandum. Exemplum. Aliter.

Dub. IV.

Item quaeritur de isto exemplo Augustini: *Sed quemadmodum, si statua cuiuslibet solubilis metalli* etc. Videtur enim istud exemplum non valere: quia aliud est artificiatum et aliud statua illa, quae primo fuit fusa, et illa quae post fusa fuit: ergo videtur, si Deus sic reparat, quod alius fuit homo post quam ante.

Ad hoc volunt aliqui dicere, quod exemplum Augustini perfecte conforme est quantum ad *modum* et *identitatem* reparationis et reparati: quantum ad *modum*, quia non oportet singula ad sua loca redire; quantum ad *identitatem*, quoniam, sicut in statua materia subiecta est eadem semel et iterum fusa, sed forma artificialis [3] est alia; sic in corpore resurrectionis eadem est materia, sed forma carnis et accidentia generata sunt alia; sed tamen homo non est alius, quia forma ultimo completiva et primaria materia secundum substantiam est una et eadem. Unde si statua haberet animam, ipsa diceret: ego sum renovata, quia haberet eandem *materiam* et eandem *formam ultimam*, quamvis non haberet *intermedias*. Sic et in proposito dicunt se habere, quod formae *intermediae* iteratae sunt *aliae;* attamen homo idem est, maxime ratione *formae*, quia tota ratio personalitatis venit ex parte animae.

Solutio 1. cum distinctione.

Sed tamen istud non sufficit, pro eo quod resurrectio dicitur esse *corporum* humanorum magis proprie quam *coniunctorum* [4]. Si ergo resurrectio debet esse eiusdem, necesse est, quod corpus humanum sit *idem;* sed nunquam est idem corpus, nisi sit eadem *caro:* ergo oportet, quod *caro*, quae est forma *intermedia*, sit eadem; pari ratione et de aliis formis intermediis; et si oportet, quod *caro* sit eadem, oportet, quod *partes officiales,* ut manus et pes, sint eaedem. — *Amplius,* Iob decimo nono [5] expresse dicitur: *In carne mea videbo Deum, Salvatorem meum:* ergo eadem erit caro. Non ergo rectum videtur exemplum Augustini.

Non sufficit. Notandum.

Et ideo dicendum ad hoc, quod opera Dei non inveniunt perfectam similitudinem in operibus nostris, maxime istud, cum sit *supra naturam* iterare eandem formam numero [6]; ideo non est intelligendum, istud exemplum adduci quantum ad hoc, sed solum quantum ad hoc, quod sicut artifex creatus reparat de materia eiusdem statuae statuam *consimilem*, ita quod non oportet, partes ad eadem loca redire; sic Deus reparat de materia corporis tui corpus, quod non tantum *simile*, sed *idem* est in substantia; nec oportet, singula ad singula membra redire, ubi est superexcrescentia, quae generaret indecentiam, quia quantum ad hoc loquitur Augustinus, ut patet in littera [7].

Solutio auctoris.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLIV.

Pars II.

Quomodo ignis damnatorum corpora et daemones animasque separatas cruciat.

Si vero quaeritur de corporibus malorum, quomodo in igne ardeant etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 905.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister, quanta et qualia sunt resurgentium corpora. In hac parte determinat, quomodo damnatorum corpora ab igne sunt cremabilia, et tamen sunt immortalia. Et quoniam ille ignis cremat corpora, cremat daemones, cremat etiam animas separatas; ideo pars ista habet tres. In prima

---

[1] In textu huius dubii. — Superius edd., pro *adeo* posito *ab ea*, subinde omittunt *fuit occasionata, et* (cfr. dub. praeced., ubi eodem sensu dicitur femina vir *occasionatus).*

[2] Matth. 14, 15. seqq. et Ioan. 6, 9. seqq. — Ex cod. F substituimus *inter* pro *in*. Superius pro *perducta* multi codd. *producta.* — Idem dub. solvitur a S. Thom., hic circa lit.

[3] Ita codd. R S T bb, cod. O *artificii*, in aliis et edd. *artificis*. Infra pro *renovata* Vat. *revocata.*

[4] Cod. aa addit *et hoc est, quia corpus solum resurgit proprie.*

[5] Vers. 26. Vulgata omittit *Salvatorem.*

[6] Cfr. supra d. 43. a. 1. q. 4. et 5.

[7] Hic c. 2. — Cfr. supra a. 2. q. 2; B. Albert., hic a. 11;

determinat, qualiter cruciet corpora. In secunda, qualiter cruciet daemones, et hoc ibi: *Quaeri autem solet, an daemones* etc. In tertia vero, qualiter cruciet animas, ibi: *Cum*[1] *autem constet, animas* etc. In ultimo vero capitulo determinat, utrum resurgant monstra, ibi: *Illud etiam investigari oportet* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de passibilitate damnatorum. Quaeritur igitur, qualiter patiuntur. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur de punitione, si est.

Secundo quaeritur, quid est.

Tertio, qualiter agit.

Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum infernus sit.

Secundo, ubi sit.

ARTICULUS I.

De existentia et loco inferni.

QUAESTIO I.

Utrum sit infernus.

Primo ergo est quaestio, utrum sit ponere cruciatum aeternum, quem vocamus infernum. Et quod non, videtur.

Ad opposi-tum. 1. Deuteronomii vigesimo quinto[2]: *Iuxta mensuram peccati erit et plagarum modus;* sed nullus peccat aeternaliter: ergo nullus cruciatur aeternaliter.

2. Item, Isaiae vigesimo quarto[3]: *Congregabuntur congregatione unius fascis, et post multos dies visitabuntur;* sed congregatio malorum est in die iudicii, secundum quod dicitur Matthaei decimo tertio: ergo visitatio erit post iudicium. Sed non erit ad intensionem supplicii, ergo erit ad liberationem: ergo non cruciabuntur aeternaliter.

3. Item, hoc ipsum videtur per novum testamentum, Matthaei septimo[4]: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis;* constat, illud esse dictum quantum ad peccati punitionem; sed omnis peccati mensura finita est, cum sit a virtute finita: ergo punitio peccati finita est: ergo nullus cruciatus aeternus.

4. Item, Iacobi secundo[5]: *Misericordia superexaltat iudicium:* ergo magis misericors est Deus quam iustus in effectu: ergo si aeternaliter punire hoc est summae severitatis, impossibile est, quod Deus aeternaliter puniat.

5. Item, hoc ipsum videtur *ratione:* quia ad hoc, quod iudicium sit iustum, requiritur iustus ordo, iusta causa et iustus animus[6]. Iustus autem animus dicitur, qui punit non libidine vindictae, sed propter aliquod bonum: ergo Deus non intendit vindictam, sed potius correctionem. Si ergo intentio divina non frustratur, homo aliquando corrigitur, dum a Deo punitur; sed cum correctus est, non indiget amplius puniri: ergo necesse, est ipsam poenam terminari.

6. Item, summe misericordis est a summa miseria liberare; sed summa miseriarum est poena debita damnatis: ergo Deus ab illa liberat: ergo nullum aeternaliter cruciat; et ita non est ponere cruciatum aeternum, ac per hoc nec infernum.

Contra: 1. Isaiae ultimo[7]: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur:* ergo aeternaliter cruciabuntur in infinitum: ergo est ponere infernum et cruciatum aeternum. Fundamenta.

2. Item, Matthaei vigesimo quinto[8]: *Ite maledicti in ignem aeternum;* ignem autem aeternum vocamus aeternum supplicium: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia, si de duobus contrariis est reperire alterum extremorum et medium, necesse est ponere alterum extremum — hoc enim est radix et via stabiliendi contraria apud phi-

---

S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2. ad 4; Richard. a Med., hic a. 1. q. 5.

[1] Codd. *Quando.*

[2] Vers. 2: Pro mensura peccati etc.

[3] Vers. 22: Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere, et post etc. — Seq. locus est Matth. 13, 41: Mittet Filius hominis Angelos suos, et colligent etc. Cfr. ibid. 25, 32. seqq.: Et congregabuntur ante eum omnes gentes etc. (Vat. cum pluribus codd. hoc allegat).

[4] Vers. 2.

[5] Vers. 13.

[6] Vide supra pag. 495, nota 5. — In fine arg. cod. aa addit: *ergo Deus ab illa liberat: ergo nullum aeternaliter cruciat.*

[7] Vers. 24. — Pro *in infinitum,* quod codd. R S T X omittunt, cod. O *in inferno;* codd. G L N Y legunt: *cruciabuntur; ergo cruciabuntur in infinitum.* In fine arg. codd. K R S T X omittunt *infernum,* post quod ex codd. M O supplevimus *et.*

[8] Vers. 41: Discedite a me maledicti etc.

losophos[1] — sed est ponere perfectam beatitudinem in patria et medium statum in via inter beatitudinem et perfectam miseriam: ergo est ponere perfectam miseriam post hanc vitam; hanc autem dicimus infernum: ergo etc.

4. Item, peccatum opponitur merito iustitiae; sed merito debetur gloria aeterna, secundum quod dicitur secundae ad Corinthios quarto[2]: ergo et peccato poena aeterna, per *locum a commutata proportione*, sive *per consequentiam in ipso*; quia, sicut se habet meritum ad praemium, ita demeritum ad supplicium; et *iterum*, « si oppositum in opposito, et propositum in proposito[3] ».

5. Item, qui peccat mortaliter praeponit bonum commutabile bono aeterno et infinito, ergo contemnit et offendit bonum infinitum; sed tanta est offensa, quantus est is qui offenditur: ergo cum ipse sit infinitus, offensa debet iudicari infinita. Cum igitur poena debeat proportionari offensae, necesse est, quod peccato mortali reddatur poena infinita; sed non potest reddi infinita intensione, sed[4] duratione: ergo etc.

6. Item, sicut Deus est summe misericors, ita est summe iustus; sicut ergo summe misericordis est summe misereri et misericordiam suam summe[5] manifestare, sic et summe iusti est summe punire et suam iustitiam manifestare per effectum: si ergo infinita iustitia non potest manifestari nisi per effectum infinitum, videtur, quod aliquibus peccatoribus reddi debeat cruciatus infinitus. Sed non potest esse cruciatus immensus: ergo necesse est, esse cruciatum aeternum; hunc autem dicimus infernum: ergo etc.

CONCLUSIO.

In inferno ponendus est cruciatus aeternus.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod aliqui negaverunt, infernum esse, pro eo quod dixerunt, *nullum cruciatum* esse post hanc vitam. — Et istorum errorem convincit ratio manifesta, quoniam aequitas iustitiae et ratio recta ita dictat, quod malum non debet remanere impunitum[6]. Si ergo multi peccant in hac vita, qui in hac vita non cruciantur, immo gaudent et laetantur: ergo necesse est, eos post hanc vitam cruciari, aut destruere ordinem universi, aut divinam iustitiam negligentem et remissam esse circa punitionem peccati.

Error 1. Reiicitur.

Alii vero negaverunt, infernum esse, pro eo quod negaverunt, impios *aeternaliter cruciari*, quamvis eis post hanc vitam aliquis maneat cruciatus. Dixerunt enim, quod hoc non potest divina misericordia sustinere, quod creatura sua, quam non odit, sed diligit[7], aeternaliter sit in poenis, cum ipse non delectetur in punitione nostra nec satietur cruciatibus nostris; nec aliquid obsistat, quin bene possit eos qui puniuntur, sine aliquo praeiudicio liberare a poenis. Et si aliquando Scriptura comminatur peccatoribus poenam aeternam; hoc dicunt non esse dictum secundum *veritatem promissionis*, sed secundum *terrorem comminationis*, qua intendit Deus malos liberare a peccatis.

Error 2.

Iste autem error Origenis[8] fuit et suorum sequacium, qui tanto est immanior, quanto videtur esse mitior et misericordior: pro eo quod divinam iustitiam blasphemat, dum eam diminuit, dum tantum dat misericordiae, quod non relinquit locum iustitiae. — Secundo vero, quia spem nostram evacuat. Si enim Scriptura *supplicium* peccatoribus comminatur non secundum veritatem, sed ut deterreat; quid causae est, cur etiam non intelligamus *praemia* promittere non secundum veritatem, sed ut ad opus iustitiae alliciat[9]? Ac per hoc Scriptura tota et fides nostra vana et frivola poterit iudicari.

Reprobatur dupliciter.

Et ideo est tertia positio rationabilis et fidelis, quod sit ponere cruciatum aeternum; et hoc manifeste *dicit* divina *Scriptura*, *confirmat fides* et *concordat ratio recta*. Et quod *Scriptura dicat*, et quod *fides consentiat*, hoc planum est ex obiectis[10]. — Quod etiam *ratio concordet*, hoc patet, quia hoc dictat et per modum *congruitatis* et *necessitatis*. Cruciatum enim aeternum ponere facit ad *complementum universi* et *iustum iudicium Dei*. Sed prima est ratio *congruitatis*, secunda *necessitatis*.

Conclusio. Duplex ratio.

Congruum enim est, ut pulcritudo universi decoretur quibusdam antithetis[11], ut, sicut bonis redduntur bona aeterna, ita et malis aeterna supplicia. — *Necessarium* est etiam ad servandum ordinem iusti-

Ratio congruitatis. Ratio necessitatis.

---

[1] Vide tom. II. pag. 42, nota 2. et 8. verba Aristot. — In seqq. Vat. voci *perfectam*, quae ter occurrit, subiungit *et aeternam*.

[2] Vers. 17: Id enim, quod in praesenti est momentaneum... in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis. — De loco *a commutata proportione* cfr. tom. III. pag. 684, nota 3, et *de consequentia in ipso* sive ordine directo vide tom. I. pag. 822, nota 1.

[3] Aristot., IV. Topic. c. 4.

[4] Codd. E L N Y *ergo*, Vat. *sed solum*.

[5] Cod. L addit *et perfecte*, ac inferius post *iustitiam* repetit *summe*. Edd. hic legunt: *summe manifestare per effectum*.

[6] Cfr. supra pag. 356, nota 6. — Hic error describitur Sap. 2, 1. seqq. Cfr. ibid. 5, 1. seqq. — Paulo superius post *convincit* dedimus lectionem codd. B D G L P Q Y (E a secunda manu); alii vero et edd. omittunt *ratio manifesta, quoniam aequitas iustitiae et*, atque addunt *quae* ante *ita dictat*.

[7] Sap. 11, 25: Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti etc. — De seq. propos. cfr. supra pag. 352, nota 6. — Aliquanto inferius pro *promissionis* ed. 1 *impletionis*, Vat. *impletionis vel promissionis*.

[8] Libr. I. Periarch. c. 6. seq. Cfr. tom. II. pag. 177, nota 2, ubi etiam allegavimus August., XXI. de Civ. Dei, c. 17. et 23, in quibus haec sententia refellitur.

[9] Secundum Gregor., XXXIV. Moral. c. 19. n. 35. seqq., et IV. Dialog. c. 44.

[10] Sive fundamentis.

[11] Secundum August., XI. de Civ. Dei, c. 18. Cfr. tom. I. pag. 786, nota 7.

tiae, ut unicuique reddatur secundum merita sua, cum ventum fuerit ad iudicium. Peccator autem, cum peccat, peccat *contra bonum aeternum* et infinitum; et ex hoc dignus est cruciatu aeterno. Dum in peccato perseverat, peccat *in suo aeterno* [1], id est peccandi proposito aeterno; et dum decesserit, non est amplius locus meriti, ac per hoc nec remissionis peccati, et ideo semper est culpa; et quia culpa ordinatur in poena, semper debet esse in poena. Quia igitur peccat *in bonum aeternum*, ideo cruciatu aeterno est dignus, sed quia *in suo aeterno*, ideo cruciatum aeternum assequitur. — Et ista est una ratio completa, quae colligitur ex Gregorio et Augustino. Gregorius enim dicit in quarto Dialogorum [2], quod ideo peccator aeternaliter cruciandus est, quia peccat *in suo aeterno*. Augustinus vero dicit [3], quod ideo aeternaliter punitur, quia peccavit *contra bonum aeternum*. Et quod istud sit iustum, ostendit [4] per hoc exemplum in humanis iudiciis et legibus, ubi dicitur, quod peccans contra rempublicam «aliquo grandi crimine morte moriatur, non quia moram, qua occiditur, eius supplicium leges esse aestiment, cum sit hora perbrevis, sed quia eum in sempiternum auferunt a societate viventium». — Sic igitur concedendae sunt rationes ostendentes, infernum esse.

Notandum. Exemplum.

1. Ad illud quod obiicitur de commensuratione poenae et culpae; dicendum, quod in poena duo sunt, scilicet *duratio* et *intensio*, et intensio respondet intensioni libidinis, duratio vero durationi peccati. Et quia peccatum, quamvis sit finitum, tamen durat in infinitum; ideo punitur poena *finita* acerbitate, tamen [5] *infinita* duratione.

Solutio oppositorum. Notanda distinctio.

2. Ad illud quod obiicitur de visitatione et congregatione, dicendum, quod est loqui de congregatione dupliciter: aut de congregatione *in fieri*, aut *in facto esse*. Si *in fieri*, sic quotidie congregantur quantum ad animas; si *in facto esse*, sic congregabuntur in iudicio quantum ad animas et corpora. Et de prima congregatione loquitur Isaias, post quam est visitatio in iudicio ad incrementum poenae; de secunda vero est sermo in Matthaeo, post quam non est visitatio, sed aeterna damnatio [6].

Distinctio.

3. Ad illud quod obiicitur de mensura retributionis, dicendum, quod secundum quod dicit Augustinus [7], istud intelligitur non quantum ad «*commensurationem* in *quantitate*, sed quantum ad *similitudinem* in *qualitate*, ut qui male fecerunt male recipiant». — Vel potest dici, quod hoc intelligitur quantum ad comparationem *proportionalitatis*, non quantum ad aequalitatem *proportionis*, ut magna poena respondeat magnae culpae, non quod praecise sit tanta poena, quanta culpa. — Vel dicendum, sicut prius [8] dictum est, quod hoc intelligitur quantum ad *acerbitatem*.

Notandum. Solutio 2. Solutio 3.

4. Ad illud quod obiicitur, quod misericordia superexaltat iudicium; dicendum, quod illud est verum, quando est tempus misericordiae, ut puta in praesenti, in futuro autem erit tempus iustitiae, iuxta illud [9]: *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* — Aliter potest dici, quod intelligitur de misericordia in merito, per quam quis meretur evadere severitatem divinae iustitiae.

Aliter.

5. Ad illud quod obiicitur, quod iustus animus non punit amore vindictae; dicendum, quod Deus punit amore *iustitiae*, non *vindictae*; et quamvis non puniat ad correctionem, punit tamen ad iustitiae manifestationem. Aliter enim sunt puniendi corrigibiles, aliter incorrigibiles. — Si quando tamen legatur, *quod Deus ulciscitur se de suis inimicis* [10] et vindicat se de eis; hoc non est in praeiudicium iustitiae: quia, cum ipse sit iustitia, *vindicare se*

Notandum.

---

[1] Bernard., Tract. de gratia et lib. arb. c. 9. n. 28, de libero arbitrio dicit, «quod in ipso potissimum *aeternae* et incommutabilis Divinitatis substantiva quaedam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum... Quid aeternitati similius, quod non sit aeternitas?» Ibid. n. 29. seqq. docet, hanc imaginem, scil. liberum arbitrium, etiam in damnatis reperiri damnatosque puniri poena aeterna, quia nunquam volunt reluctari peccato, eorumque voluntas semper vult in malitia persistere. — Codd. communiter omittunt *id est... aeterno*. Inferius post *et ideo* codd. R S T aa bb addunt *quia*.

[2] Cap. 44: Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam *voluissent* [cfr. nota praeced.] utique, si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare... Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam *voluerunt* carere peccato.

[3] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 12, loquens de Adam peccante, ait: Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto maiore impietate dereliquit Deum et factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset aeternum. Cfr. Bernard., Serm. 3. in Tempore resurrect. n. 3, ubi docet, infernum esse ex *propria* voluntate, quae se subtrahit dominatui divino et Deum ipsum, quantum in ipsa est, perimit, volendo scil., Deum peccata aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire.

[4] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 11: Qui vero pro aliquo grandi crimine morte multatur, nunquid mora, qua occiditur, quae perbrevis est, eius supplicium leges aestimant, et non quod eum in... viventium? — Pro *moriatur* codd. E Y *multatur*, et pro *moram*, quod exhibet cod. H, alii codd. vel *mora* vel *hora* vel *in hora*, edd. *mortem vel horam*.

[5] Plures codd. *cum*.

[6] Cfr. Hieron., VIII. Comment. in Isai. 24, 22, ex quo Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

[7] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 11: Nec attendunt [obiicientes hoc Domini verbum, Matth. 7, 2.], non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, id est, ut qui mala fecerit mala patiatur, *eandem* dictam fuisse mensuram etc. Cfr. Epist. 102. (alias 49.) q. 4, ubi hoc verbum plenius exponitur. — De secunda solut. vide tom. I. pag. 852, nota 6.

[8] In solut. ad 1. et infra d. 46. a. 1. q. 2. in fine.

[9] Psalm. 74, 3. Cfr. supra pag. 482, nota 9, et August., XXI. de Civ. Dei, c. 27. n. 4. — Inferius pro *misericordia in merito* edd. *misericordiae merito*.

[10] Iudith 13, 27: Quod ulciscatur se etc. Eccli. 5, 3: Deus enim vindicans vindicabit. Isai. 1, 24: Vindicabor de inimicis meis. — In fine solut. post *qui non est* ex cod. K (I a secunda manu) supplevimus *iustitia, licet sit*.

hoc non est aliud quam *servare iustitiam.* Hoc autem in homine non contingit, qui *non est iustitia,* licet sit *iustus;* ideo non debet appetere vindicare se.

6. Ad illud quod obiicitur ultimo, quod summe Notandum. misericordis est summe misereri; dicendum, quod sicut Deus est summe misericors, ita etiam decet, ut sit summe iustus; et ideo effectus summae misericordiae non excludit effectum iustitiae; et propter hoc Deus duo tempora sibi distinxit[1]: unum, Duo tempora. in quo ostenderet misericordiae suae infinitatem, tradendo unigenitum Filium suum pro omnibus inimicis suis et parcendo omnibus ad se redire volentibus; aliud, in quo ostenderet iustitiae suae immensitatem, et hoc est tempus, quod deputatum est aeternis cruciatibus.

SCHOLION.

I. Locum quendam tormentorum peccatoribus post mortem paratum esse, vel ipsi pagani communiter crediderunt. Libertini vero ab antiquo simul cum immortalitate animae negabant omnem post hanc vitam retributionem (cfr. hic opinio 1.). Alii cum Almarico et multis rationalistis fingebant, nec *locum* aliquem realem punitionis esse, nec poenas *aeternas;* qui error etiam Origeni imputatur. Contra Almaricum definivit Concilium Lateran. IV. c. 1: « Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant, ut recipiant secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala: illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti cum Christo gloriam sempiternam ».

De 1. quaestione pauci illius aetatis auctores specialiter tractant, sed in aliis quaestionibus rem satis tractant: Scot., hic q. 2. et praecipue infra d. 46. q. 4. — S. Thom., infra d. 46. q. 1. a. 3. quaestiunc. 2; Suppl. q. 99. a. 1; hic q. 3, et Suppl. q. 97; S. c. Gent. IV. cc. 90. 91. — B. Albert. et Petr. a Tar. rem tangunt in seqq. qq. — Attamen Richard. a Med., de hoc specialiter agit hic a. 2. q. 1.

II. Ad 2. quaestionem antiqui doctores respondent, quod infernus sit subtus terram, et communius, quod sit in *centro terrae;* hoc tamen non affirmant ut rem omnino exploratam. — In solut. ad 5. observandum est, sententiam, quod sol sit in centro, non reprobari a S. Bonaventura.

De eadem: S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 3; Suppl. q. 97. a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. — Durand., hic q. 9. n. 7. seqq. — Dionys. Carth., de hac et seqq. qq. hic q. 8.

QUAESTIO II.

Ubi sit infernus.

Secundo quaeritur, ubi sit infernus. Et quod sit sub terra, videtur:

1. Primo per *Symbolum*[2], ubi dicitur: *Descen-* Fundamenta. *dit ad inferos* etc. Si descendit; cum *descendere* dicat motum ad illud quod deorsum est, et ipse erat in terra: ergo infernus sub terra.

2. Item, hoc ostenditur per *Scripturam,* Isaiae decimo quarto[3]: *Infernus subtus conturbatus est.*

3. Item, hoc ostenditur *per denominationem:* quia, ut dicit Gregorius in quarto Dialagorum[4], « infernus dicitur, quia inferius iacet; quod enim est terra ad caelum, hoc est infernus ad terram ».

4. Item, hoc videtur *per rationem:* quia quanto corpus est nobilius, tanto locus debetur ei nobilior: si ergo nobilissimis corporibus, utpote gloriosis, debetur locus supremus, scilicet empyreum[5], ergo restat, ut corporibus ignobilibus, utpote corporibus damnatorum, debeatur locus infimus. Hic autem est sub terra: ergo etc.

5. Item, locus debet per concordantiam respondere statui; sed status viae est medius inter poenam et gloriam: ergo et locus debet esse medius: ergo cum sit inferior loco Beatorum, debet esse superior loco damnatorum.

Contra: 1. Augustinus super Genesim ad litte- Ad oppositum. ram, libro duodecimo[6]: « Sub terris dicuntur esse inferi vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur »: ergo videtur secundum hoc, quod infernus non *sit* sub terra, etsi *appareat* esse sub terra.

2. Item, idem volens rationem nominis assignare dicit[7]: « Inferi, eo quod infra sunt, appellantur Latine. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora »: ergo si *tristari* non dicit inferioritatem secundum situm, sed potius secundum spiritum; videtur, quod infernus non sit inferius secundum situm, sed secundum affectum.

3. Item, locus debet proportionari ponderi trahenti ad locum, alioquin pondus nunquam traheret, nisi haberet cum loco similitudinem; sed pon-

[1] Codd. F bb *constituit,* edd. *distinxit vel constituit.*
[2] Scilicet Apostolorum. — In fine arg. Vat. supplet *est.*
[3] Vers. 9: Infernus subter etc. — Cfr. Hieron., ibid. in v. 19.
[4] Cap. 42. Pro *hoc est* textus originalis *esse debet.*
[5] Cfr. II. Sent. d. 2. p. II. a. 1. q. 1. fundam. 4. — Mox pro *ignobilibus* cod. Z *ignobilissimis.*
[6] Cap. 34. n. 66. — Pro *congruenter* cod. A *non incongruenter,* non pauci alii codd. et ed. 1 perperam *non congruenter.* Inferius pro *etsi appareat* (plures codd. *appetat*) edd. *sed quod apparet.*
[7] Loc. cit. in praeced. nota. Pro *teneant* edd. cum pluribus codd. *teneat.* In fine arg. pro *affectum* Vat. *effectum.*

dus trahens ad infernum est peccatum, et hoc est quid spirituale, non corporale[1]: ergo et locus debet habere situm spiritualem, non corporalem, ergo non est sub terra.

4. Item, multo plures sunt damnati quam electi; sed caelum erit plenum electis, secundum quod dicitur Matthaei vigesimo secundo[2]: *Ut impleatur domus discumbentibus:* ergo necesse est, quod damnati habeant maiorem locum, quam sit locus caeli, cum sint multo plures: ergo cum infernus complectatur omnes damnatos, necesse est, quod sit tantae amplitudinis, ut caelum: ergo impossibile est, quod sit sub terra.

5. Item, ordo partium in maiori mundo debet respondere ordini partium in minori mundo[3]; sed nobilissima pars hominis est in medio, utpote cor: ergo si medium terrae est medium mundi, ille locus erit nobilissimus: ergo in illo loco debet situari nobilissima pars mundi, non ergo peccatores: ergo si sunt in inferno, infernus non est sub terra, vel in medio terrae.

CONCLUSIO.

Possumus dicere, infernum esse locum corporeum, sub terra situm habentem.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis temerarium videatur istam quaestionem determinare, pro eo quod Augustinus arbitratus est, eam neminem scire, secundum quod dicitur in littera[4], sed opinatus est, infernum non esse locum *corporalem,* sed *spiritualem,* secundum quod dicitur duodecimo super Genesim ad litteram; attamen non est praesumtuosum modernis aliquid super hoc dicere, cum Gregorius expresse dicat quarto Dialogorum[5], infernum esse locum corporalem se non ambigere; et astruit etiam per auctoritatem Scripturae, infernum sub terra esse, tum ex illo quod dicitur in Psalmo: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori;* tum ex illo quod dicitur Apocalypsis quinto: *Non est inventus aliquis, nec in caelo nec in terra nec subtus terram* etc. Et ideo ipsius auctoritate muniti, dicere possumus, infernum locum esse corporeum, sub terra habentem situm. Et huic concordat Scriptura, concordat denominatio, concordat et ratio. Sicut enim status damnatorum perfecta distantia distat a statu Beatorum, ita et locus a loco; et sicut statui beatitudinis debetur locus supremus, ita et statui miseriae locus infimus, etiam secundum corpus.

Notandum.

Conclusio.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, dicendum, quod Augustinus non dixit hoc asserendo, sed ratiocinando et coniecturando; unde et illud retractavit in libro Retractationum secundo[6] dicens: « Magis mihi videtur dicere debuisse de inferis, quod sub terra sint, quam rationem reddidisse, cur sub terris esse credantur, quasi non ita sit ».

Notandum.

3. Ad aliud quod obiicitur secundo de pondere peccati, dicendum, quod est *ordo iustitiae* et *ordo naturae.* Peccatum autem trahit deorsum non secundum *ordinem naturae,* cum non habeat conformitatem ad illum, sed secundum *ordinem iustitiae,* quia peccatum, cum sit vilissimum, disponit hominem ad locum vilissimum et infimum.

Duplex ordo.

4. Ad illud quod obiicitur, quod caelum plenum est electis; dicendum, quod istud non intelligitur de plenitudine *coangustationis,* sed de plenitudine *pulcritudinis,* qua dicimus, caelum plenum esse stellis, et mare piscibus, et mundum hominibus. — Si autem quaeras imaginationem, qualiter capiatur istud, quod tanta hominum multitudo sub terra sit; dici potest, quod omnes homines, qui nunc sunt, vix caperent millesimam partem terrae, si simul essent. Si ergo omnes homines, qui fuerunt ab initio usque in finem, vix excedunt homines, qui nunc sunt, in millecupla[7] proportione, omnes homines vix occuparent superficiem terrae. Si ergo concavitas maioris est capacitatis, quam sit superficies, multo magis poterunt capi in concavitatibus terrae, quae, quamvis nobis non appareant, tamen multae sunt, sicut ostendunt decursus aquarum de montibus et concussiones terrae motuum; et infernus creditur esse maximae concavitatis, ac per hoc et magnae capacitatis.

Quaest. incid. solvitur.

5. Ad illud quod ultimo obiicitur de ordine, vel de situ in partibus hominis; voluerunt aliqui dicere, quod id quod est cor in corpore hominis, hoc est corpus solis in medio mundi; et secundum

De positione solis.

---

[1] Quod enim est pondus in corporibus, hoc est amor in spiritibus, ut docet August. (cfr. tom. III. pag. 639, nota 3.). Vide etiam supra pag. 583, nota 1. Glossam, quae est secundum August., Enarrat. 2. in Ps. 29. n. 10. — Post *ergo et locus* cod. L addit *ergo infernus.*

[2] Vers. 10: Et egressi servi eius in vias congregaverunt... et impletae sunt nuptiae discumbentium. Cfr. Luc. 14, 23: Compelle intrare, ut impleatur domus mea. — Pro *maiori* vide Matth. 22, 14: Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

[3] Cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 17. (c. 2.). Cfr. tom. II. pag. 336, nota 6. — Hieron., in Ionam 2, 4: Porro per *cor maris* significatur infernus, pro quo in Evangelio legimus: *In corde terrae* [Matth. 12, 14.]. Quomodo autem cor animalis in medio est, ita et infernus in medio terrae esse perhibetur. — Inferius pro *erit* cod. Z *debet esse,* et pro *situari* cod. aa *servari.*

[4] Hic c. 6. — Seq. locus August. est XII. de Gen. ad lit. c. 32. n. 61. Verba vide infra a. 2. q. 1. arg. 5. ad oppos. Cfr. ibid. c. 34. n. 66. in arg. 1. et 2. ad oppos. iam allegatum.

[5] Cap. 42. — Duo loci Scripturae sunt Ps. 85, 13. (plures codd. vel *Eduxisti* vel *Extraxisti*) et Apoc. 5, 3. seq.: Et nemo poterat, neque in caelo neque in terra neque subtus terram [plures codd. *sub terra*] aperire librum... et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum etc.

[6] Cap. 24. n. 2: In duodecimo [libro de Gen. ad lit.] de inferis magis mihi videor docere debuisse, quod... quam rationem reddere... credantur [ita etiam cod. L] sive dicantur, quasi non ita sit.

[7] Edd. cum aliquot codd. *millesima.* In fine solut. pro *magnae* cod. aa *maximae.*

istam viam terra non iudicatur esse media, sed magis extremum, et extremum infimum. — Aliter potest dici, quod non est simile: quia cum universum sit orbiculare, et circumferentia sit eiusdem naturae; quodlibet[1] extremum tenet rationem superioris; et ideo medium tenet rationem infimi. In homine autem non sic: quia una extremitas, ut caput, dicitur esse superius; alia, ut pedes, dicitur esse inferius; et ideo medietas nec inferius nec superius est, sed habet influentiam ad utrumque: et ideo nobilis pars debet situari in homine in medio; non sic in universo, sed potius in extremo[2].

Aliter.

ARTICULUS II.

De quidditate poenae infernalis.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de quidditate poenae infernalis. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum affligens in illa poena sit ignis verus.

Secundo, utrum sit ignis solus.

QUAESTIO I.

Utrum ignis inferni sit verus ignis.

Primo quaeritur, utrum sit ignis verus, habens formam et naturam et speciem ignis. Et quod non, videtur.

Ad oppositum.

1. Damascenus in fine libri sui[3]: « Tradentur diabolus et impii in ignem aeternum, non materialem, qualis apud nos est, sed qualem Deus novit »: ergo videtur, quod non habeat naturam ignis nostri.

2. Item, *ratione* videtur: quia exstinguibile et inexstinguibile differunt sicut corruptibile et incorruptibile; sed corruptibile et incorruptibile variant rem per essentiam[4], cum naturaliter insunt, non per gratiam: si ergo ignis infernalis est inexstinguibilis, et ignis apud nos est exstinguibilis; ergo non sunt eiusdem naturae et speciei.

3. Item, lux non accidit igni, immo est de ignis substantia et consequitur ignem in omni materia, in qua salvatur species ignis; sed ignis infernalis caret luce, secundum quod dicitur Iob decimo octavo[5]: *Nonne lux impii exstinguetur?* et sicut melius patebit infra, cum dicantur impii proiici *in tenebras exteriores.*

4. Item, operatio consequitur formam et speciem: ergo quae habent diversam operationem sunt diversa secundum formam[6]; sed ignis iste et infernalis diversam habent operationem, quia iste consumit et agendo in suam naturam convertit, ille vero minime: ergo etc.

5. Item, spirituale et corporale differunt non tantum secundum speciem, verum etiam secundum genus; sed ignis iste corporalis est, ignis vero infernalis spiritualis, sicut dicit Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram[7]: « Est prorsus inferior substantia, sed eam spiritualem, non corporalem arbitror »: ergo videtur, quod non tantum specie, verum etiam genere ab isto igne differat.

Contra: 1. Gregorius, quarto Dialogorum[8]: « Ignem infernalem corporalem esse non ambigo, cum dicatur: *Ite maledicti in ignem aeternum*»; sed « omnis aqua materialis omni aquae corporali est eadem specie et natura »: ergo omnis ignis omni igni.

Fundamenta.

2. Item, similiter Basilius dicit in Hexaëmeron, exponens illud Psalmi[9]: *Vox Domini intercidentis flammam ignis,* quod « ignis materialis cedet ad punitionem damnatorum, quantum ad id quod habet ardoris ». Si ergo species eius non mutabitur, ergo iste ignis aptus est ad puniendum reprobos: ergo videtur, quod iste et ille sint eiusdem naturae et speciei.

---

[1] Vat. *pro eo quod.* Mox substituimus ex cod. F (E a secunda manu) *superioris* pro *inferioris.* Inferius pro *medietas* multi codd. et edd. *mediocritas.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Libr. IV. de Fide orthod. c. 27. in fine.

[4] Aristot., X Metaph. text. 26. (IX. c. 10.): Cum vero contraria specie diversa sunt, corruptibile autem et incorruptibile contraria sunt; privatio namque determinata impotentia; necesse est, *diversum genere* esse corruptibile et incorruptibile. — Pro *naturaliter insunt* plures codd. *materialiter insunt,* edd. *materialiter vel naturaliter ibi sit.*

[5] Vers. 5. — In fine arg. respicitur Matth. 8, 12; 22, 13. et 25, 30. Cfr. infra d. 50. p. I. a. 2. q. 1. seqq. — In fine arg. cod. K (I a secunda manu) addit: *ignis igitur infernalis non habet lucem: ergo non sunt eiusdem naturae.*

[6] Cfr. Damasc., III. de Fide orthod. c. 14. Vide etiam tom. I. pag. 51, nota 11. et pag. 84, nota 7.

[7] Cap. 32. n. 61. Pro *inferior* textus originalis *inferorum.*

[8] Cap. 29. Post *ambigo* textus originalis plura addit. — Locus Scripturae est Matth. 25, 41: Discedite a me maledicti etc. — *Minor* est ex Aristot., I. Topic. c. 6. (c. 5.). Vide supra pag. 79, nota 5. — Pro *materialis* plures codd. *naturalis,* Vat. *materialis seu naturalis.*

[9] Psalm. 28, 7, quem exponens Basil., in Hexaëm. homil. 6. n. 3. ait: Unde etiam cum rerum in vita gestarum merces retribuetur, arcanus quidam sermo nos docet, naturam ignis divisum iri, et lucem quidem in fruitionem iustis, adustionis vero acerbitatem puniendis destinandam esse. Cfr. Homil. in Ps. 28, 7. n. 6. — Inferius pro *species eius* plures codd. *species est,* edd. *ignis species est, eatenus.*

3. Item, omne corpus aut est *mixtum*, aut *simplex;* sed si ignis infernalis est corpus *mixtum*, ergo non est tantae caliditatis, ac per hoc nec tantae actionis. Si *simplex;* sed omne corpus simplex aut est unum de quatuor elementis, aut est quinta essentia: ergo cum ille ignis non sit quinta essentia, cum sit infra terram [1], et sic maxime repugnans bonae dispositioni: ergo est aliquid elementorum quatuor. Sed non terra nec aqua nec aër: ergo est ignis.

4. Item, iste ignis est calidissimum corpus, sicut dicitur et verum est: ergo cum infernalis ignis sit calidissimus, et « quod *per superabundantiam* dicitur convenit uni soli [2] » speciei, vel individuo: ergo ignis ille est eiusdem speciei cum isto.

5. Item, Sapientiae undecimo [3]: *Per quae peccat quis, per haec et torquetur:* si ergo per corpus et per ea quae sunt de compositione nostri corporis, peccamus, ergo per eadem in specie et natura debemus puniri: ergo videtur, quod ignis, qui est de compositione corporum et qui est afflictivus in inferno, sit idem secundum speciem.

CONCLUSIO.

Ignis inferni est corporalis et fortasse eiusdem speciei cum igne elementari, licet diversas habeat proprietates, saltem accidentales.

Respondeo: Dicendum, quod quamvis ad hanc quaestionem videatur temerarium respondere, quia Scriptura eam non determinat, nec doctor praecipuus Augustinus explicat, sed magis relinquit insolutam, dicens [4], quod « nulli manifestum est, cuiusmodi sit ille ignis, nisi ei cui divinus Spiritus ostendit »; et amplius opinari videtur, quod « ignis Conclusio 1. ille sit *spiritualis*, non corporalis »; tamen satis possumus pro certo habere per doctores posteriores, utpote per beatum Gregorium, cui multa divinus Spiritus revelavit, quod ignis infernalis sit *corporalis*.

Sed utrum ille ignis sit *elementaris* sive eiusdem speciei cum igne, qui apud nos est; hoc non ita potest pro constanti a quocumque determinari. Attamen, si quis non adducat fortiores rationes, quam Conclusio 2. quae adductae sunt, non compellimur ponere, ignem infernalem esse *diversae naturae* et *speciei* ab igne, qui apud nos est, si proprie velimus *speciem* appellare formam substantialem et specificativam, secundum quod dicitur, quod « omnis aqua omni aquae est eadem in specie ». — Et huic opinioni satis videtur consonare Augustinus vigesimo primo de Civitate Dei [5], ubi inquirit, quomodo ille ignis vere habeat naturam ignis, et tamen non consumat corpora, in quae agit etc. (Confirmatur.) — Si tamen loquamur de proprietatibus *accidentalibus*, quae non variant speciem, sed operationem; ille ignis habet diversas proprietates ab isto. (Conclusio 3.) Nec mirum, cum istud appareat in aliis creaturis, sicut exemplificat Augustinus [6] et Isidorus in naturis fontium et aquarum. (Exempla.) Dicit enim, quod apud Garamantes est fons, « in quo faces accensae exstinguuntur, et exstinctae accenduntur », sicut et alii fontes diversarum proprietatum, colorum et operationum; attamen in specifica natura aliis aquis assimilantur: sic etiam intelligere possumus in proposito.

1. Ad illud quod obiicitur de Damasceno, dicendum, quod non negat Damascenus similitudinem in forma specifica, sed potius in proprietatibus et operationibus consequentibus. (Solutio oppositorum.)

2. Ad illud quod obiicitur de proprietate exstinguibilitatis, potest responderi dupliciter: primo, quod sicut corpora damnatorum eadem sunt cum nostris secundum speciem, et tamen sunt immortalia; ita ignis crucians corpora illa idem est cum igne nostro, quamvis non deficiat, quia hoc non habet per naturam, sed per vim superadditam. — Aliter potest dici, quod hoc non variat speciem: quia per operationem artis fieri potest, quod ignis non exstinguatur; sicut dicunt aliqui, qui experti sunt, quod si ignis cum sulphure includatur in vase, ex quo nulla possit fieri evaporatio, in aeternum duraret sine nutrimenti appositione, si locus in aeternum permaneret: hoc autem nihil prohibet in igne infernali intelligere, cum sub terra constet inclusum esse [7]. (Alia solutio.)

3. Ad illud quod obiicitur de luciditate, dicendum, quod ignis tres sunt species, scilicet *lux*, *flamma* et *carbo* [8], et istae sunt species materiales; (Tres species ignis.) et quamvis in omnibus his salvetur natura lucis, tamen minime est in materia terrestri, et *maxime terrestris* parum habet de luce et multum resolubilis est in fumositatem; et in tali materia, utpote in sulphure et pice, ignis potius est tenebrosus quam lucidus, quia magis visum impedit, quam adiuvet. Et per hunc modum imaginari possumus ignem

---

[1] Vide supra a. 1. q. 2. — De *quinta* essentia i. e. firmamento, cfr. II. Sent. d. 14. p. I. a. 1. q. 2.

[2] Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.). Cfr. VII. c. 1.

[3] Vers. 17.

[4] Libr. XX. de Civ. Dei, c. 16. Vide hic lit. Magistri, c. 6. — De altera opinione August. cfr. supra arg. 5. ad oppos., et de sententia Gregorii vide fundam. 1.

[5] Cap. 2. seqq. — Cum cod. F substituimus *inquirit* pro *inquit*, quod non congruum est; cfr. Magister, hic in lit. c. 5. — Superius pro *specificativam* codd. H L *specificam*.

[6] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 5. n. 1: Apud Garamantas quendam fontem [scriptores exhibent] tam frigidum diebus, ut non bibatur; tam fervidum noctibus, ut non tangatur. In Epiro alium fontem, in quo faces, ut in ceteris, exstinguuntur accensae, sed, non ut in ceteris, accenduntur exstinctae. Idem refert Isidor., XIII. Etymolog. c. 13. n. 10. — Pro *fontium et aquarum* codd. R S T U *fontium aquarum*. Inferius pro *sicut* codd. B E F L (V primitus) aa *sunt*.

[7] Cfr. supra a. 1. q. 2. — Cod. F supplet *eum*.

[8] Secundum Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.). — Inferius post *et maxime* codd. L N Y aa addunt *cum materia*.

infernalem et ad hoc adiuvari auctoritate Scripturae. Dicitur enim Apocalypsis decimo quarto [1]: *Cruciabuntur igne et sulphure;* item, Isaiae trigesimo quarto: *Dies ultionis Domini* etc.; et post: *Convertentur torrentes eius in picem, et humus eius in sulphur.*

4. Ad illud quod obiicitur de operatione, dicendum, quod illud non sequitur, quia eadem secundum speciem diversas habent operationes; nec istud verbum veritatem habet, nisi intelligatur de operatione consequente totam speciem.

5. Ad illud quod obiicitur de verbis Augustini, dicendum est, illud esse retractatum, sicut et de loco infernali, ubi dicitur [2], quod est locus spiritualis, non corporalis; sic in proposito intelligendum est, quod infernalis ignis corporalis est et sub terra est.

SCHOLION.

I. Communiter Scholastici reprobant Avicennam, qui, cum resurrectionem corporum non crederet, ignem corporeum in inferno esse negavit ignemque tantum metaphoricum admisit, quo *animae* malorum punirentur, non per corpora, sed per corporum similitudines, sicut nunc in somniis imaginatio solet animam affligere. Attamen « quidquid dicatur de igne, qui *animas* separatas cruciat, de igne tamen, quo cruciabuntur *corpora* damnatorum post resurrectionem, oportet dicere, quod sit *corporeus,* quia corpori non potest convenienter adaptari poena nisi corporea » (S. Thom., locis infra citt.). Idem recte annotat, etiam S. Augustinum (XXI. de Civ. Dei, c. 10.) idem docere. Quod autem ille ignis habeat aliquas proprietates ab elementari igne diversas, saltem *accidentales,* omnes confitentur.

De 1. quaestione: Scot., hic q. 3. — S. Thom., hic q. 3. a. 2. quaestiunc. 1. 2; Suppl. q. 97. a. 5. 6. — B. Albert., hic a. 37. 38. — Petr. a. Tar., hic q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. 4. — Durand., hic q. 9. n. 1. seqq.

II. De 2. quaestione: S. Thom., infra d. 50. q. 2. a. 3; Suppl. loc. cit. a. 1. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., loc. cit. q. 10.

QUAESTIO II.

Utrum puniens in inferno sit solus ignis.

Secundo quaeritur, utrum puniens in inferno sit ignis solus. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum.

1. Matthaei vigesimo quinto [3]: *Ite maledicti in ignem aeternum;* ubi Dominus per sententiam infert aeternale supplicium: ergo videtur, quod in igne pure consistat.

2. Item, calefacto in igne aqua frigida non est poenalis, sed delectabilis, nec auget supplicium, sed refrigerium: ergo si nulla est eis consolatio, nullum refrigerium: ergo est calor in igne [4] sine frigore aquae.

3. Item, si sunt ibi elementa, aut sunt *activa,* aut *non.* Si *sic:* ergo cum unum contrarium agens in aliud eius actionem debilitet et infringat, tunc videtur, quod actio ignis sit ibi remissa; quod non videtur conveniens, cum illa poena sit acerbissima. Si vero *non* sunt activa: ergo nihil faciunt ad poenam: ergo si in inferno non debent esse corpora, quae ad poenam non faciunt; patet etc.

4. Item, si ibi sunt alia elementa, aut sunt *distincta,* aut *mixta.* Si *mixta:* ergo eorum actio est confracta et contemperata; si vero sunt *distincta:* ergo et pari ratione ordinata, ergo sunt quatuor elementa distincta et ordinata: ergo videtur, quod ibi sit unus mundus; et *iterum,* illud esset falsum, quod dicitur Iob decimo [5]: *Terra miseriae et tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat:* ergo si nec distincta nec confusa sunt, tunc nullo modo.

Fundamenta.

Contra: 1. Quod sit ibi *ignis,* patet ex Matthaei vigesimo quinto [6], ubi dicitur: *Ite maledicti in ignem aeternum;* hoc etiam habetur ex multis aliis locis.

2. Item, quod sit ibi *aër,* videtur per illud Psalmi [7]: *Ignis, sulphur et spiritus procellarum* etc.: si ergo spiritus procellarum vere habet naturam aëris, sicut ibi vere est ignis, ita et aër.

3. Item, quod sit ibi *aqua,* videtur: Iob vigesimo quarto [8]: *Transibunt ab aquis nivium ad calorem nimium:* ergo si vere erunt in calore ignis non secundum tropum, vere erunt in frigore aquarum.

4. Item, quod *terra* sit ibi, videtur per illud quod dicitur Iob decimo [9]: *Terra miseriae et tenebrarum;* et hoc patet, quia, ut probatum est, locus ille est sub terra.

5. Item, hoc videtur de *omnibus simul:* quia enim mali per corpus peccaverunt, ideo per totum corpus puniuntur [10]: ergo pari ratione secundum

---

[1] Vers. 10: Cruciabitur igne etc. — Seq. locus est Isai. 34, 8. et 9. Post *humus* codd. omittunt *eius.*

[2] Vide supra a. 1. q. 2. ad 1. et 2.

[3] Vers. 41: Discedite a me maledicti etc.

[4] Edd. cum pluribus codd. *calor ignis,* codd. N aa *calor igneus.*

[5] Vers. 22. Post *ubi* Vulgata addit *umbra mortis et.* — De praecedentibus cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 7. seqq. (c. 2.). — Supra ante *falsum* retinuimus cum edd. *esset,* licet codd. habeant *et iterum illud est.*

[6] Vers. 41. Cfr. ibid. 3, 12; 5, 22; 13, 40; 18, 8. seq.; Marc. 9, 42. seqq.

[7] Psalm. 10, 7: Ignis et sulphur etc.

[8] Vers. 19: Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.

[9] Vers. 22. — Cfr. supra a. 1. q. 2.

[10] Cfr. quaest. praeced. fundam. 5. — Quatuor *qualitates* secundum Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 15. seqq. (c. 2. seq.), sunt: calidum et frigidum, humidum et siccum. — In fine arg. pro *qualitates* plures codd. *qualitatibus.*

omnes partes et qualitates corporis: ergo videtur, quod secundum quatuor elementa et eorum quatuor qualitates.

CONCLUSIO.

In inferno non tantum ignis, sed etiam tria alia elementa esse creduntur, sed confusa.

RESPONDEO: Dicendum, quod in inferno, sicut Conclusio 1. ex Scriptura colligitur, quatuor elementa esse creduntur ad perfectam damnatorum punitionem, ut omnis creatura excandescat in tormentum contra iniustos et armetur in ultionem Creatoris [1], et per eadem puniantur, ex quibus constituuntur. Quia vero sunt ibi ad poenam, ideo illa ibi esse dicuntur, quae vigent in qualitatibus *activis*, ut ignis et aqua. Et *rursus*, quia ignis maxime activus est, ille est qui maxime ibi viget; unde etiam per ignem in Scriptura omne acerbe puniens significari solet [2]. Unde cum Dominus ignem infernalem comminatur, aut comminatur tanquam praecipuum tormentum, aut sub nomine *ignis* intelligit omne aliud afflictivum.

Si autem quaeratur, per quem modum ibi elementa esse intelligantur; dicendum, quod elementa Conclusio 2. ibi sunt *confusa*, non distincta, non ordinata. Nec tamen illa *confusio* poenam minuit, sed auget; pro eo quod actio elementorum mutua post resurrectionem cessabit, cum cesset generatio et corruptio [3]; sed tamen manebit actio eorum in corpus damnandorum, quia ad hoc omnis eorum virtus dirigetur, non tanquam intendentia multiplicare speciem; sed secundum imperium Creatoris intendunt vindicare divinam iniuriam, quod quidem fit affligendo humanam naturam. — His visis, patent omnia obiecta.

1. 2. Primum enim patet de Domini commi- Solutio oppositorum. natione, quia sub igne alia affligentia continentur, vel a maiori fit denominatio [4]. — Secundum similiter patet, quia simul utrumque affliget secundum diversas partes, aut si successive secundum easdem, tanta erit intensio ex parte utriusque, quod potius sentietur maior acerbitas, quam contemperetur. — Et *si obiiciatur* de divite, qui guttam aquae petiit [5]; Obiectio alia solvitur. dici potest, quod forte in alia parte sentiebat frigus; aut diversi diversis suppliciis cruciantur, secundum quod diversis vitiis sunt infecti. Unde sicut prima mundi purgatio fuit per aquam, secunda per ignem; sic in proposito intelligendum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de actione et mixtione, patet responsio, quia ibi est actio non in alterum, sed in miserum corpus damnatum; et ibi non est commixtio, sed potius quaedam confusio, sicut dicitur, quod *ignis et grando mixta pariter ferebantur* [6]. Unde ibi erit ignis ardens et aqua congelans et aëris inquietudo et perturbatio et terrae foetor. Unde Gregorius: In inferno erit frigus importabile, ignis inexstinguibilis, foetor intolerabilis [7].

ARTICULUS III.

De actione ignis.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de actione ignis, de qua duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum ignis ille sit consumtivus corporum.

Secundo, utrum sit afflictivus animarum.

QUAESTIO I.

Utrum ignis inferni consumat corpora damnatorum.

Circa primum proceditur sic, et ostenditur, quod ille ignis consumat corpora damnatorum.

1. Augustinus de Natura boni [8]: « Quoniam vo- Ad oppositum. lentes corrumpuntur in peccatis, nolentes corrumpuntur in poenis »: ergo si non corrumpuntur nisi ab affligente, et ignis non corrumpit nisi consumendo; videtur, quod ignis ille consumat corpora.

2. Item, ille ignis agit in corpora: ergo cor-

---

[1] Vide Sap. 5, 18. seqq. et 16, 24. — Inferius post *dicuntur* cod. aa addit *maxime et nominantur.*

[2] August., Quaest. in Iosue, q. 9. n. 1, exponens Ios. 7, 15. et 25. ait: Proinde *ignis* nomine poenam potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, ubi [4, 20.] dicitur ad filios Israel: *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Aegypto,* ubi utique duram tribulationem intelligi voluit.

[3] Cfr. infra d. 48. a. 2. q. 2. et 4. — Inferius pro *damnandorum* cod. A et ed. 1 *damnatorum.*

[4] Vide supra pag. 794, nota 2. — Cod. F bene *ut a maiori sit denominatio.*

[5] Luc. 16, 24. — Inferius respicitur II. Petr. 3, 6. seqq.

[6] Exod. 9, 24. — De sententia Gregorii cfr. IX. Moral. c. 65. n. 97; XIV. c. 19. n. 23. et IV. Dialog. c. 36. seq. In opusculo *de Triplici Habitaculo* (inter opera August.) c. 2. dicitur: Principalia autem sunt duo tormenta in inferno: frigus intolerabile et calor ignis inexstinguibilis; unde in Evangelio legitur [Matth. 25, 30.]: *Illic erit fletus et stridor dentium*... De quibus duobus innumera pendent poenarum genera, videlicet sitis intolerabilis, poena famis, poena foetoris etc. — Superius vocibus *in alterum* cod. X praemittit *unius,* cod. O *unius elementi.*

[7] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[8] Cap. 7. Pro *corrumpuntur in poenis* textus originalis *corrumpantur in poenis.*

pora patiuntur; sed « omnis passio magis facta abiicit a substantia[1] »: ergo si abiectio facta a substantia per calorem non est aliud quam consumtio, ergo ille ignis consumit corpora.

3. Item, ad adustionem necessario sequitur inflammatio, et ad inflammationem consumtio: ergo si ignis ille corpora adurit, ergo consumit. *Si tu dicas,* quod non sequitur, quia salamandra calefit ab igne, et tamen non consumitur in igne, sed renovatur[2]; *contra:* hoc non solvit, quia salamandra ab igne non laeditur, sed corpora damnatorum ab igne laeduntur et in igne cruciantur: si igitur ignis, quod laedit, consumit; patet etc.

4. Item, dolor intensus est via ad mortem, sicut patet, ergo magis intensus magis disponit: si ergo ille ignis est causa intensi doloris, contingit, hominem per illum disponi ad mortem ultima dispositione[3]: ergo necesse est, quod damnatos perimat: ergo pari ratione, quod corpora consumat.

Contra: 1. Isaiae ultimo[4]: *Vermis eorum non* Fundamenta. *morietur, et ignis non exstinguetur;* tantum ergo durabit ignis agens, quantum homo patiens; sed ignis ille nunquam exstinguetur nec minuetur: ergo nec corpus consumetur.

2. Item, Magister in littera[5]: « Augustinus variis exemplis astruit, ea ardere et non consumi ulla consumtione »: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia omne quod consumitur, perdit aliquam partem sui: ergo si corpora damnatorum consumuntur, sunt in continua deperditione. Sed constat, quod non restaurantur, cum omni refectione careant[6]; quod autem patitur deperditionem et non habet restaurationem necessario aliquando est totaliter consumtum: ergo etc.

4. Item, omne quod consumitur, necessario efficitur minus potens, ergo et magis passibile: ergo si continue consumuntur, continue illorum poena intenditur, et si hoc, cum duret in infinitum, crescet in infinitum; quod omnino est inconveniens, quod crescat poena, et non crescat culpa[7].

CONCLUSIO.

Corpora damnatorum ab igne affligentur, sed non corrumpentur quoad esse *substantiale.*

Respondeo: Dicendum, quod si de corporibus damnatorum quaeratur, utrum ab igne affligantur, Conclusio 1. simpliciter est concedendum. — Si autem quaeratur, utrum consumantur, simpliciter est negandum. Conclusio 2. — Sed si quaeratur, utrum corrumpantur, hoc est Distinctio. distinguendum. Nam corruptio uno modo dicit defectionem rei quantum ad *esse substantiale*[8], et hoc Conclusio 3. modo idem est quod consumtio; et tali modo non corrumpuntur, cum non moriantur. Alio modo corruptio idem est quod *privatio bonae dispositionis;* et hoc modo, quoniam a corporibus damnatorum Conclusio 4. auferetur quies et bona dispositio, quae generat in anima voluptatem; hinc est, quod continue corrumpuntur. Est igitur corruptio *afflictionis,* non *interemptionis* sive consumtionis, et haec fit per adustionem ignis.

Si autem quaeratur, quomodo istud possit capi Modus explicatur. et intelligi; possumus ad hoc manuduci et *exemplo* et *ratione.* Videmus, quaedam in igne vivere et non Exemplum 1. deficere, sicut ponit Augustinus exemplum de salamandra in vigesimo primo de Civitate Dei[9]. Si ergo mirabilius est, aliquod animal in igne conservari sine afflictione quam affligi sine consumtione; et istud est secundum naturam possibile: ergo nec istud debet iudicari impossibile. — *Quodsi dicas,* hoc non esse Obiicitur. simile: quia natura illius animalis conformis est igni, natura vero humani corporis omnino difformis; responderi potest dupliciter: uno modo, quod quam- Resp. 1. vis *natura humani corporis* secundum statum praesentem sit ab igne consumtibilis, nihil prohibet, quin Creator, qui naturam, quam voluit, omnibus et singulis dedit, talem naturam homini dare possit[10]. Nec Confirmatur. mirum, cum homo ante lapsum alterius dispositionis et naturae corpus habuerit quam post lapsum, quia prius *possibile ad mortalitatem,* modo *neces-*

---

[1] Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.). — Inferius ante *per calorem* edd. cum pluribus codd. inepte addunt *est.*

[2] Ut refert August.; cfr. infra corp. quaest. — Paulo superius post *adurit* cod. aa addit *et inflammat.*

[3] Cfr. supra pag. 22, nota 9. — De *maiori* cfr. I. Machab. 6, 8. seq.

[4] Vers. 24. Post *ignis* Vat. cum Vulgata repetit *eorum.*

[5] Hic c. 5, ubi vocibus *ea ardere* praemittit *et sempiternis ignibus,* et pro *ulla consumtione* substituit *illa combustione.*

[6] Cod. aa allegat Isai. 65, 13. seq.: Ecce, servi mei comedent, et vos esurietis etc.

[7] Cod. K (I a secunda manu) legit: *crescet in infinitum; sed hoc est impossibile, quod crescat... culpa: igitur nullo modo consumuntur.* — Cod. aa subiungit ut novum arg. sententiam August., quam supra pag. 922, nota 2. ex Gregorio allegavimus.

[8] Vide Aristot., V. Phys. text. 7. (c. 1.), et I. de Generat. et corrupt. text. 11. seqq. (c. 3.). — Pro *defectionem* cod. G *desitionem* (quod habetur etiam infra in solut. ad 1.), codd. L Y *destructionem,* Vat. *defectionem seu decisionem.*

[9] Cap. 4. n. 1. Ibid. c. 2. ait: Mirabile est enim dolere in ignibus, et tamen vivere; sed mirabilius vivere in ignibus, nec dolere. Si autem hoc creditur [de animalibus viventibus in mediis ignibus], cur non et illud?

[10] Cod. K addit *ut eius corpus ab igne consumi non possit.* — De seq. propos., in qua Vat. *ad immortalitatem* pro *ad mortalitatem,* cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. et 3. ac August., XXI. de Civ. Dei, c. 8.

Resp. 2. *sarium ad mortem.* — Hoc ipsum persuaderi potest exemplis sumtis a parte *ignis;* ideo enim ille ignis urit et non consumit, quia pabulum non requirit. Exemplum 1. Et est *exemplum* manifestum in inflammatione auri ab igne, quod quidem inflammatur, sed non consumitur, quia igni non praebet pabulum. Sic nec humanum corpus igni infernali. — Evidentissimum autem exemplum ponit Augustinus[1] de igne, Exemplum 2. qui est in partibus Siciliae, sicut patet aspicientibus, quod « ille ignis montes illos ab antiquissimis temporibus aestuare facit, et tamen adhuc integri perseverant: et isti sunt satis idonei testes, quod non omne quod uritur, consumitur ». — In legenda etiam beati Nicolai scribitur, Exemplum 3. quod in partibus orientalibus quidam ignis invenitur, qui appositam sibi manum vehementer affligit, et tamen de manu nihil consumit. Sic ergo ex his *exemplis* colligitur, quod possibile est, aliquid in igne ardere, et tamen non deficere.

Ex quibus etiam possumus colligere *rationem* huiusmodi, Ratio pro utraque parte. quoniam hoc venit ex parte *agentis* et ex parte *patientis.* Isti enim igni data est *virtus* ad inflammandum, non ad consumendum; et corpori data est *natura possibilis* ad patiendum, non ad deficiendum. Confirmatur. — Si autem quaeratur ratio huius, dicendum, quod est a parte *naturae* possibilitas ad suscipiendum, ex parte *Dei* est potestas ad dandum, ex parte *finis* est congruitas ad sic faciendum, quia in infinitum debet homo in corpore cruciari, ut manifestetur Dei iustitia infinita. Nec sunt ista duo incompossibilia, quod aliquod corpus tangatur a calido et non consumatur, cum videamus, naturaliter aliquod corpus tangi a frigido, quod potius calefacit, quam infrigidet, sicut exemplum manifestum est in aqua et calce[2].

Et sicut illa corpora uruntur et non consumuntur, De composito. ita etiam *compositum* ex anima et corpore affligitur et non moritur. Et tamen ad hoc similiter possumus manuduci Amplius. *exemplo* et *ratione; exemplo:* quia anima immortalis in corpore affligitur, quia dolor est animae proprie, et tamen non occiditur[3]. Quid ergo prohibet similiter intelligi in ipsis damnatis? — *Quodsi dicas,* Obiectio solvitur. hoc non esse simile: quia anima non sic composita est ex contrariis, secundum quod natura humani corporis; respondere possumus, quod istud non obsistit, « cum aliqua corruptibilia, utpote vermes, in aquis calidissimis reperiri queant, quarum fervorem nemo impune pertractat », sicut dicit Augustinus[4]. Si igitur quae mortalia sunt et defectibilia possunt in his calidissimis vivere sine afflictione; pari ratione immortalia et passibilia corpora affligi possunt sine interemptione. Ratio incorruptionis. — Si autem quaeratur *ratio* huius, dici potest, quod hoc est propter coniunctionem animae ad carnem indissolubilem. Quod enim homo moriatur dolore, hoc non est, quia dolor sit contrarius vitae, cum dolor non sit nisi in substantia vivente — unde sequitur: si dolet, sentit, et si sentit, vivit — sed quia anima non est indissolubili vinculo corpori alligata; ideo intensus dolor eam expellit de praesenti habitaculo. Nunc enim est carcer temporalis, sed tunc erit perpetuus[5]. — His visis, satis facile est ad obiecta respondere. Concedo enim rationes probantes, quod ignis non est consumtivus corporum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de corruptione, Solutio oppositorum. iam patet responsio: loquitur enim de corruptione *afflictionis,* non *desitionis*[6]*;* prima non ponit consumtionem sicut secunda.

2. Ad illud quod obiicitur, quod passio magis facta abiicit a substantia; dicendum, quod substantia patiens in duplici differentia est: aut quia potest recipere formam contrariam suae perfectioni quantum ad *esse;* Distinctio. aut quia potest suscipere contrariam dispositionem quantum ad *bene esse.* Primo modo passio intensa corrumpit simpliciter auferendo *esse;* secundo modo aufert *bene esse.* Unde damnati semper sunt et semper male sunt; ideo semper vivunt et semper moriuntur. — *Si autem obiicias mihi,* Obiectio solvitur. quod quidquid sit illud quod abiicitur, cum non sit infinitum, videtur totum abiici aliquando, ac per hoc locum actioni et passioni non relinqui; responderi potest, quod semper est abiectio et corruptio, non quia novum aliquid semper adimatur, sed quia per continuam actionem eiusdem rei ademptio continuatur. — Exemplum huius manifestum est in suo Exemplum 1. opposito. Sicut enim Beati continue reficiuntur, non quia semper novum aliquid recipiant, sed quia in suo praemio conservantur et continuantur; sic damnati continue affliguntur et corrumpuntur, quia salutis et quietis eis privatio per continuam actionem ignis continuatur. — Et huius exemplum clarum Exemplum 2. est in generatione radii, qui dicitur semper oriri et semper a sole egredi, non quia sol semper aliquid novum emittat, sed quia primum lumen missum continuat[7]. Sic ignis dicitur semper damnatos affligere, non quia novam dispositionem de novo afferat, sed quia continue agendo a priori afflictione non cessat.

3. 4. Ad duo sequentia iam patet responsio: quia nec inflammatio consumtionem, nec dolor necessario infert mortem, sed solum secundum statum praesentem; ideo, variato statu, necessaria consequentia non est inter ista.

---

[1] Libr. XXI. de Civ. Dei, c. 4. n. 1, verbis aliquatenus mutatis.

[2] Cfr. August., XXI. de Civ. Dei, c. 4. n. 3.

[3] Ut ostendit August., XXI. de Civ. Dei, c. 3. n. 2.

[4] Loc. cit. c. 2. — Superius post *secundum quod* Vat. supplet *est.*

[5] Secundum August., loc. cit. c. 3. n. 1. — Mox pro *Concedo enim* cod. F *Concedendae enim sunt.*

[6] Cod. F *destructionis.*

[7] Cfr. II. Sent. d. 2. p. I. a. 1. q. 3. in corp., ubi etiam ponitur *emissum* (ita etiam hic codd. F G P R S T X) pro *mis-*

SCHOLION.

I. Constat, damnatorum corpora igne infernali esse passura, non tamen consumenda. Quod ut explicent, nonnulli putaverunt, corpora damnatorum non pati ab igne materialiter sive poena physica ac reali, sed damnatorum poenam esse potius *intentionalem* seu animalem (i. e. secundum animam sensitivam). Ipse S. Thom. huic opinioni primitus adhaesit, scil. in Comment. (hic q. 3. a. 1. quaestiunc. 2. 3; Suppl. q. 86. a. 2. 3.); unde etiam posuit, « eadem (corpora) esse incorruptibilia *per naturam*, non quod sit aliquod incorruptionis principium in corporibus damnatorum, sed per defectum principii moventis ad corruptionem » (quaestiunc. 2. ad 2.), quia scil. « cessante motu caeli, nulla qualitas erit sufficiens, ut corpus humanum alterare possit a sua naturali qualitate » (ibid. in corp.). De hac *ratione* Durand. (hic q. 10. n. 12.) inter alia dicit: « Illud autem non potest teneri, saltem Parisiis, cum sit articulus condemnatus; dicit enim articulus, quod dicere, quod cessante motu caeli, si ignis esset iuxta stoppam, non combureret ipsam, error est » (cfr. Collectio iudiciorum Caroli Duplessis d'Argentré, tom. I. p. 197; sed etiam Bonav., tom. II. pag. 30. scholion). — Attamen idem S. Thom. alibi (S. c. Gent. IV. c. 89.) confitetur, quod illa corpora « affligentur ab igne corporeo, in quantum qualitas ignis propter suam excellentiam contrariatur aequalitati complexionis et harmoniae, quae est sensui connaturalis, licet eam solvere non possit » etc. Porro ab eodem in Opusculo 10. a. 19. seq. haec incorruptibilitas non soli animae informanti, sed etiam operationi divinae virtutis tribuitur. — Richard. a Med. (hic a. 2. q. 7.) ex triplicis causae concursu repetit istam incorruptibilitatem, scilicet ex parte *dispositionis materiae*, in qua incorporatus est ignis ille; ex parte *dispositionis ipsorum corporum*; et principaliter ex parte *divinae ordinationis*. — Quoad fabulam illam de salamandra, quasi longiore tempore vivere possit in igne, idem scribit: « Quod sive verum sit, sive non, tamen pilos eius ab illo igne non consumi; quod ego ipse expertus sum ». — Cum Richardo in solvenda quaestione concordat S. Bonaventura.

De hac 1. quaestione praeter laudatos: Scot., infra d. 49. q. 13. n. 10. — B. Albert., hic a. 39. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 3.

II. Quoad 2. quaestionem, quae est satis difficilis, communiter conceditur, substantias spirituales non posse *naturaliter* a rebus corporeis immutari et ratione alicuius contrarietatis affligi; nihilominus tenendum esse, animas separatas daemonesque reapse materiali igne infernali affligi. Quod ut explicent, magistri diversas opiniones in medium protulerunt. Praeter solutiones duas insufficientes, hic relatas, notanda est tertia, a S. Thoma (hic q. 3. a. 3. quaestiunc. 3.) notata, quod « quamvis ignis corporeus non possit animam exurere, tamen anima apprehendit ipsum ut nocivum sibi ». Neque haec solutio nodum solvere sufficit, nisi determinetur, ut clare ostendit Scot. (hic q. 2. n. 3.). — Henricus Gand. (Quodl. 8. q. 34.), reiectis quinque opinionibus, sexto concludit: « Restat igitur, ut videtur, quod Deus naturae spiritus angelici et humanae *vim*, qua pati possit ab igne corporali, imprimit *supernaturaliter*, vel si utrique naturaliter inest, licet nobis latet, ut sic illam temperet, ut peccatis poenam correspondentem per illam sustineat ». — Alii recentiores cum Suarez putant, ignem ut instrumentum divinum immittere spiritibus damnatis realem quandam qualitatem *supernaturalem*. — Tamen antiqui Scholastici, non excepto Durando, talem actum physice realem immissum non admittunt, sed daemones animasque per actum *intentionalem* cruciari docent; de quo Scot. (loc. cit. n. 7.) dicit, quod ignis ille est obiectum *disconveniens* dupliciter: primo ut *detinens spiritum definitive*, quod fit operatione divina; secundo ut *immutans obiective*, detestante voluntate istam alligationem quoad locum, qua etiam operatio impeditur. S. Thomam cum Scoto in hoc convenire, « quod ignis in animam agit non per modum *influentis*, sed per modum *detinentis* », asserit Gotti (tom. I. tr. 9. q. 9. dub. 4. § 3.). Attamen Scot. quoad actionem ignis *instrumentaliter* cooperantem ad illam detentionem recedere a S. Thoma videtur. — S. Bonav. idem de illa detentione docet; tamen asserit, *horrorem* detestationis etiam supernaturaliter immitti. — Richard. a Med. bene recenset diversas opiniones et magis explicat relatam antiquorum sententiam.

Praeter locos citt.: S. Thom., S. I. q. 64. a. 3. 4, et praecipue S. c. Gent. IV. q. 90. — B. Albert., hic a. 37. 40. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 9. — Durand., hic q. 11.

QUAESTIO II.

Utrum ignis inferni affligat spiritum.

Secundo quaeritur, utrum ille ignis sit afflictivus spirituum. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Matthaei vigesimo quinto[1]: *Ite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius;* sed daemones vel angeli sunt substantiae incorporales, et ille ignis non est eis paratus nisi ad poenam et afflictionem: ergo etc.

2. Item, Gregorius in quarto Dialogorum[2]: « Si diabolus eiusque angeli, cum sint incorporei, corporeo igne sunt cruciandi, quid mirum, si et animae, antequam recipiant corpora, possint igne corporeo cruciari »? quasi dicat: non est mirum.

3. Item, hoc videtur *ratione* sumta *a causis superioribus:* quia divina iustitia rectissime ordinat omnia in poena, secundum quod sapientia ordinat in natura: si ergo peccatum est dispositio vilissima, ergo spiritus infectus peccato ad hoc, quod debite ordinetur, debet ordinari sub infima creatura. Si ergo infima creatura est substantia corporalis, ordinatio vero peccantium est in poenis: ergo debet

---

sum. — Aliquanto superius vocibus *et corrumpuntur* edd. interserunt *tamen non;* sed vide initium corp. quaest.

[1] Vers. 41: Discedite a me maledicti etc.

[2] Cap. 29. Finem exhibet textus originalis sic: *possint corporea sentire tormenta.*

substantia spiritualis a corpore puniri vel affligi [1]. Si ergo omne quod congruum est, possibile est; et quod est possibile et congruum ponendum est circa opus divinum: ergo ponendum est, spiritum affligi per ignem corporeum.

4. Item, hoc ostenditur *per causas inferiores.* Anima existens in corpore patitur, corpore non patiente, ergo est passibilis de sua natura; sed eadem est natura animae in corpore et extra corpus: ergo anima extra corpus est passibilis. *Probatio maioris* manifesta est in dormientibus, qui in somnis gravissime patiuntur, corporibus nihil patientibus [2]. — Ex hoc igitur arguo ulterius sic: anima extra corpus est passibilis; sed omne quod patitur, patitur ab aliquo, quod habet repugnantiam per qualitatem activam et repugnantem [3]; spiritualia autem non sunt huiusmodi, sed corporalia: ergo si patitur, patitur a corpore. — Quod autem spiritualia non habeant contrarietatem agentem et patientem, expresse apparet per *exemplum,* quia albedo et nigredo in anima non contrariantur. Apparet etiam per *rationem,* quia quae abstrahuntur ab *esse* materiali abstrahuntur per consequens a contrarietate et mutua actione et passione [4].

Ad oppositum arguitur primo a parte *agentis,* secundo a parte *patientis* [5]. A parte *agentis* sic:

Ad oppositum.

1. « Omne agens, quod agit in aliquid, agit per contrarietatem et contactum »; sed ignis ad animam nec *contactus* potest esse, nec est *contrarietas* aliqua: ergo nec potest esse actio aliqua. Primum manifestum est per Philosophum [6], secundum in se manifestum est.

2. Item, « omne agens, quod agit in aliquid, generat similitudinem suam in passo [7] »; unde calidum non agit in aliquid, nisi illud calefaciat; sed impossibile est, animam esse calidam: ergo impossibile est, quod ignis agat in animam. *Si tu dicas* ad hoc, quod talis actio non est *per naturam,* sed supra naturam, et ignis non agit per virtutem innatam, sed per virtutem desuper sibi datam; *obiicitur contra hoc* de illa virtute: quia illa virtus aut est *corporalis,* aut *spiritualis.* Si *corporalis,* adhuc est inferior anima: ergo non agit in ipsam [8]; si *spiritualis;* sed omnis virtus spiritualis debet fundari in substantia spirituali: ergo non debet talis virtus *esse* in igne nec debet *dari* igni.

3. Item, illa virtus aut est igne *nobilior,* aut *inferior.* Si igne *inferior:* ergo non agit in animam, sicut nec ignis agebat; si *superior:* ergo cum virtus non debeat esse nobilior substantia, videtur, quod igni non debeat dari. *Quodsi tu dicas,* quod hoc verum est *per naturam; quaeritur tunc:* ut quid haec virtus magis datur substantiae ignis quam alicui alii, cum aeque bene possit dari lapidi, sicut igni?

Item, hoc ipsum ostenditur a parte *patientis:*

4. Sicut ostendit Augustinus in sexto Musicae [9], impossibile est, magis nobile pati a minus nobili, quia « omne agens praestantius est passo »; sed substantia spiritualis nobilior est corporali: ergo ab ipsa non patitur. *Si tu dicas mihi,* quod per peccatum facta est inferior; *contra hoc* est quod dicit Augustinus in tertio de Libero Arbitrio [10], quod « substantia spiritualis, quantumcumque peccat, nobilior est nobilissimo corpore ».

5. Item, aeque magna distantia est peccati ad ignem, sicut et animae ad ignem; et ita spirituale est peccatum, sicut et anima: ergo si aequaliter distat [11], nunquam per peccatum anima fit actioni proximior vel habilior: ergo si ab igne non patitur per naturam, nec etiam per culpam.

Item, hoc ipsum ostenditur a parte *passionis.*

6. Nihil affligitur proprie, nisi in ipsum cadat dolor; sed in spiritu separato non cadit dolor: ergo non potest affligi: ergo ab igne non patitur. *Probatio minoris:* « Dolor, sicut dicit Philosophus [12],

---

[1] August., III. de Lib. Arb. c. 9. n. 26. seq.: Cui [affectioni peccati] propterea poenalis adhibetur, ut ordinet eam, ubi talem esse non turpe sit et decori universitatis congruere cogat, ut peccati dedecus emendet poena peccati. Hinc fit, ut peccans creatura superior a creaturis inferioribus puniatur; quia illae tam sunt infimae, ut ornari etiam a turpibus animis possint atque ita decori universitatis congruere.

[2] Cfr. August., XII. de Gen. ad lit. c. 32. n. 61.

[3] Vide Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 50. seqq. (c. 7.).

[4] Cfr. Aristot, II. de Anima, text. 121; III. text. 6. et 37. seqq. (II. c. 12; III. c. 4. et 8.).

[5] In cod. bb secunda manus bene supplevit: *tertio a parte passionis, quarto a parte actionis.*

[6] Lib. I. de Generat. et corrupt. text. 43. et 50. seqq. (c. 7.), IX. Metaph. text. 10. (VIII. c. 5.).

[7] Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 51. (c. 7.): Ideo et rationabile iam, ignem calefacere, et frigidum infrigidare, et omnino activum assimilare sibi ipsi patiens. — De *minori* cfr. Aristot., III. de Anima, text. 6. (c. 4.).

[8] Vide supra pag. 20, nota 10. — Voci *adhuc* nonnulli codd. praemittunt *ergo.*

[9] Cap. 5. n. 8, ubi ostendit, perabsurdum esse, quod anima fabricatori corpori sit subiecta materies; « nunquam enim anima est corpore deterior, et omnis materia fabricatore deterior ». — Aristot., III. de Anima, text. 19. (c. 5.): Semper enim honorabilius est agens patiente, et principium materia. Cfr. tom. II. pag. 748, nota 1.

[10] Cap. 5. n. 12: Quamvis enim anima nostra peccatis tabefacta sit, sublimior est tamen et melior, quam si in hanc lucem visibilem verteretur. Et vides profecto, de huius lucis eminentia quantum laudent animae Deum, etiam corporis sensibus deditae. Cfr. ibid. n. 16, et IX. de Civ. Dei, c. 9. Codd. et ed. 1 allegant librum *secundum,* ubi c. 17. n. 46. et c. 18. n. 48. generatim praestantia animae prae corpore asseritur. — Pro *peccat* codd. G L aa *peccatrix.*

[11] Supple hic *peccatum,* et mox cum codd. E L bb *ignis* post *actioni* (Aristot., IX. Metaph. text. 10. sive VIII. c. 5. requirit ad actionem et passionem, ut activum et passivum *approximentur*). — Edd. *distant.*

[12] Libr. VI. Topic. c. 3. (c. 6.). Cfr. tom. II. pag. 482, nota 3. — Pro *minoris* Vat. *maioris,* quae etiam cum ed. 1 superius pro *in spiritu separato* substituit *in spiritum separatum.*

est sensus divisionis partium cum vi»; sed spiritus separatus caret partibus, caret divisione, caret sensu: ergo caret dolore.

Item, hoc ostenditur a parte *actionis.*

7. Omne puniens laedit[1], omne quod laedit, adimit; sed a spiritu incorporali nihil potest adimi per corpus: ergo non potest laedi, ergo nec affligi: ergo ab igne non patitur.

CONCLUSIO.

Ignis inferni affligit etiam spiritus, eos alligando et perceptionem immutando, repugnante cum horrore voluntate.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod circa praedictam quaestionem triplex fuit via. *Triplex via.*

Aliqui enim philosophorum negaverunt *simpliciter*, spiritum incorporeum posse cruciari, attendentes ad eius incorruptibilitatem, pro eo quod senserunt, omne incorruptibile[2] esse impassibile. — Sed iste est error manifestus. Si enim dolor necessario generatur ex *amore cum privatione amati*, sicut aliquis dolet de morte patris, et ex *odio cum praesentia rei displicentis*, sicut aliquis dolet de exaltatione inimici; cum nihil prohibeat in sensum spiritualem cadere *amorem* et alias duas conditiones, nihil prohibet cadere *dolorem.* — Amplius, si «contraria nata sunt fieri circa idem[3]», et spiritus incorporeus potest *gaudere;* quare etiam et non *dolere*, cum naturaliter in mente eius possint affectiones quatuor alternari? *Via 1, falsa.* *Reprobatur.*

Et ideo aliorum philosophorum modernorum positio fuit, quod substantia spiritualis dolere potest et pati, non per *actionem* alicuius, sed potius per *privationem.* Posuerunt enim et intellexerunt, quod anima desiderat summum Bonum, quo potest privari propter mala merita in hac vita, et ideo ex eius carentia generatur in ea maxima tristitia; et hanc poenam dixerunt esse post hanc vitam, et non aliam, sicut non est aliud gaudium spiritibus nisi in contemplatione summi Boni. — Et ista positio fuit Algazelis[4], quae licet veritati magis appropinquaverit, quam praedicta, nihilominus tamen deficit. Si enim *originali* peccato, ubi est pura privatio iustitiae, debetur *poena damni* et carentia beatitudinis aeternae; *actuali* peccato, quod quidem non tantum consistit in privatione, immo etiam in deordinata delectatione, non tantum debetur aeternae *beatitudinis carentia*, immo etiam *poena aliqua afflictiva.* — Et ideo dicit fides christiana, quod spiritus separati cruciantur non tantum per *summi Boni absentiam*, sed etiam per *afflictivi praesentiam.* Ad quod credendum sufficit auctoritas Veritatis, Matthaei vigesimo quinto[5]: *Ite maledicti in ignem aeternum* etc. *Via 2, insufficiens.* *Reprobatur.* *Conclusio.*

Sed intelligentia magis requirit, quomodo istud possit ratione persuaderi. Et ideo huius rei intelligentiam quidam conati sunt dare aspiciendo ad ordinem divinae iustitiae, sicut in opponendo[6] tactum est. Cum enim duplex sit ordo, scilicet *naturae* et *divinae iustitiae*, primus *conditionis*, secundus *retributionis;* et anima secundum naturam sit superior igne, merito tamen peccati efficitur inferior corpore: ideo divina iustitia et animam subiicit igni merito peccati et ignem superponit animae, faciendo ipsum instrumentum divinae iustitiae. — Et per hoc volunt omnia obiecta solvere, quia omnia sumuntur secundum ordinem *naturae*, aspiciendo ad animae dignitatem et ignis naturalem virtutem; haec autem actio competit igni per *virtutem sibi datam*, per quam est divinae iustitiae instrumentum, et passio competit animae propter peccati demeritum. — Sed ista positio adhuc non satisfacit intellectui. Non enim quaerimus hic, quid divina iustitia *possit*, sed qualiter hoc quod facit, *naturae consonum* sit[7]. — *Amplius*, si ignis agit per virtutem sibi datam, quare magis deputatur huic actioni quam terra? Et videtur, quod terra magis, quia peccator, cum sit infimus, debet subiici infimae creaturae; terra autem est infimum omnium elementorum et faex: ergo si qualitas ignis naturalis nihil facit ad agendum in animam, sed solum virtus[8] superaddita; si terrae daretur, aeque bene ageret, et ordo divinae iustitiae ibi clarius appareret. *Modus huius afflictionis. Opinio 1.* *Non satisfacit.*

---

[1] In libro de Vera et falsa Poenitentia (inter opera August.), c. 19. n. 35. dicitur: Poena enim proprie dicitur laesio, quae punit et vindicat quod quisque commisit. Cfr. II. Sent. d. 41. a. 2. q. 3. in corp.

[2] Nonnulli codd. *incorporale*, Vat. *incorruptibile vel incorporale.* Inferius pro *necessario* cod. L *manifeste.*

[3] Secundum Aristot. supra pag. 19, nota 5. allegatum. De quatuor affectionibus (gaudium, dolor, spes et timor) vide tom. III. pag. 555, nota 7. et pag. 556, nota 5, nec non August., XXI. de Civ. Dei, c. 3. n. 2. — Mox pro *incorporeus*, quod praebent codd. F G O Q U aa, alii codd. et edd. *corporeus.*

[4] Richard. a Med., hic a. 2. q. 9, hanc opinionem referens ait: Unde Algazel, V. libro Physicorum, c. 5, dicit de anima, quae in corpore fuit amatrix corporalium voluptatum, quod illa dispositio propter usum imprimitur in ea et inhaeret vehementer desiderium eius ad illam; postea vero, per mortem instrumento rei desideratae amisso, remanet desiderium eius et amor; et hic est cruciatus ineffabilis. Cfr. Avicenna, Metaph. tr. 9. c. 7, ubi docet: Animae vero malae vident etiam poenam, quam imaginaverant in hoc mundo, et affliguntur ea; forma enim imaginata non est debilior sensibili, sed est maior impressione et claritate, sicut videmus in somnis etc.

[5] Vers. 41. — Inferius pro *requirit* cod. A *requiritur.*

[6] Scilicet fundam. 3. — Aliquanto inferius pro *merito tamen* edd. cum aliquot codd. *merito causae.*

[7] Simile habetur apud August., II. de Gen. ad lit. c. 1. n. 2. — Inferius pro *terra* edd. bis (secundo loco etiam multi codd.) *terrae*, quae lectio, ut sit congrua, requirit, quod pro *actioni* cum cod. F substituatur *actio.*

[8] Ita cod. aa, in aliis et edd. male *videtur.* Mox pro *volunt* codd. L Y *tentaverunt.*

Et ideo alii sumere volunt rationem ex parte
Opinio 2. *naturae ipsius animae*, quem modum sumere possumus ab Augustino in duodecimo super Genesim [1], ubi ostendit, quod anima pati potest, corpore non patiente, etiam acerbissimas passiones, sicut et ibi probat per exempla in somnis et in quadam aegritudine et in vexationibus. Si ergo anima secum trahit affectiones et imagines corporales et per illas et in illis pati poterat *in corpore* praeter corpus, etiam ad ignis absentiam; multo magis, cum *separata* erit, pati poterit in illis et per illas, praesente igne infernali; quia, quamvis ibi non sit passio *corporalis*, est tamen ibi passio *animalis* sive spiritualis, quae vera passio est et vera afflictio, ac
Non sufficit. per hoc vera punitio. — Sed nec istud fideli animae sufficit, pro eo quod credimus, spiritus angelicos, qui carent imaginibus et affectionibus ex corpore tractis, igne corporeo cruciari. — Credimus *etiam,* quod poena illa infernalis sit per veram *ignis actionem*, non per phantasticam imaginationem. — *Amplius*, si substantia spiritualis certa [2] est, quod ab igne laedi non potest; ergo imaginatio ignis non generat in ea terrorem nec passionem, nisi aliud occurrat quam ipsius animae natura vel dispositio ex corpore contracta.

Et ideo, cum non possit sufficiens ratio sumi ex parte *divinae iustitiae,* quae rationem nostram quietet, nec ex parte *solius animae,* quae fidei con-
Conclusio 1. cordet; ideo sumi potest ratio aspiciendo ad *utrumque* per hunc modum. « Dolor enim, sicut patet per Augustinum decimo quarto de Civitate Dei [3], est dissensus ab his rebus, quae nobis nolentibus accidunt ». Ad hoc ergo, quod dolor generetur in anima
Requisita 4. ab aliquo, duo concurrunt ex parte *animae,* scilicet *perceptio* ex parte cognitionis et *detestatio* ex parte affectionis. Similiter duo requiruntur ex parte *agentis:* unum est, quod immutet *animae perceptionem;* aliud est, quod violenter et inseparabiliter *adhaereat contra repugnantiam voluntatis.* —
Determinantur. Ex his quatuor duo sunt secundum ordinem *naturae*, et alia duo secundum ordinem *divinae iustitiae.* Quod enim ignis immutet cognitionem [4] animae, et anima percipiat actionem et calorem ignis; hoc est de potentia naturali utriusque; et hoc patet sic.
Explicatur. Cum enim ignis agit in compositum ex anima et corpore, ibi duplex est passio: una *naturalis*, et haec est *calefactio corporis;* alia *animalis,* et haec est *immutatio sensus.* Prima passio est vera passio, quia est ab *igne* ut vere agente; secunda passio est ab *anima* se ipsam movente et ab *igne* occasionem praebente, secundum quod dicit Augustinus in sexto Musicae [5]. Sicut ergo, postquam separatur anima, *corpus* potest pati ab igne passione naturali, quia potest calefieri et inflammari, et hoc per naturalem potentiam utriusque; sic spiritus pati potest passione Conclusio 2.
animali et ab igne praesenti *immutari* naturali potentia ignis et animae.

Duo igitur sunt ibi per ordinem *naturae*, alia Conclusio 3.
duo per ordinem *divinae iustitiae*. Quod enim ignis animae indissolubiliter *alligetur*, et anima in eo recludatur ut in carcere, *divinae iustitiae* est, ad quam spectat malefactorem in carcere recludere [6]. Quod iterum *anima refugiat* ignis calorem, qui per naturam nocere non potest, et trepidet *timore, ubi timor non est* [7], hoc *divinae iustitiae* est, quae facit trepidare peccatores, immittendo terrorem et horrorem eius rei, qua per naturam sunt superiores. Et quamvis sit illud *divinae iustitiae*, hoc non est *contra ordinem naturae*, sive spiritum *trepidare* quod trepidandum non est, sive spiritum *alligari* corpori. — Et hoc est quod innuit Augustinus Confirmatur.
in vigesimo primo de Civitate Dei [8], quod sicut anima in hominis conditione iungitur corpori ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale, et hoc corporale, et ex illa coniunctione vehementer concipit ad corpus *amorem;* sic ligatur igni ut accipiens ab eo *poenam*, et ex illa coniunctione vehementer concipit *horrorem* ac per hoc et *dolorem*, qui verus est, et ex vero igne corporali et ex vera applicatione corporalis ignis ad spiritum causatur secundum quatuor praehabitas conditiones. — His visis, satis facile est ad obiecta respondere.

1. 2. 3. Quod enim obiicitur de *actione*, quod Solutio oppositorum.
est per contrarietatem et contactum; istud intelligitur de *actione naturali*, cui respondet *passio na-* Notandum.
turalis; et hoc est ad generandam speciem consimilem in passo secundum naturam; hic autem est passio *animalis*, qua quidem generatur similitudo spiritualis in passo. Unde Gregorius in quarto Dialogorum [9] dicit, quod animae in eo ardent, quod ardorem *vident;* non tamen intendit dicere, quod visio sit *tota causa* ardoris, sed perceptio ignis

---

[1] Cap. 32. n. 61.

[2] Cod. U *creata*, cod. L *separata*, codd. W Y *separata certa.*

[3] Cap. 15. n. 2. Cfr. supra pag. 383, nota 6.

[4] Cod. K *perceptionem sive cognitionem.*

[5] Cap. 5. n. 9. et 12. — Superius pro *vera passio* codd. H U *naturae passio*, edd. *a natura, quia est passio vera.* Inferius pro *quia potest calefieri* cod. Z *et ab igne praesenti immutari.*

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 6, verba August.

[7] Psalm. 52, 6: Trepidaverunt timore, ubi non erat timor. — Superius post *per naturam* cod. F supplet *ei.*

[8] Cap. 10. n. 1, ubi docet, spiritus corporeis ignibus cruciari « miris et ineffabilibus modis adhaerendo, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam. Quia et iste alius modus, quo corporibus adhaerent spiritus et animalia fiunt, omnino mirus est nec comprehendi ab homine potest, et hoc ipse homo est ». — In hac sententia inferius pro *sic ligatur* edd. *sic spiritus ligatus.* Eaedem edd. superius post *hoc* supplent *tamen,* et pro *quod trepidandum* substituunt *ubi trepidandum.*

[9] Cap. 29. Cfr. hic lit. Magistri, c. 7. — Superius voci *istud* cod. S praemittit *dicendum quod.*

praesentis cum horrore generat dolorem, quia non est cognitio speculationis tantum, sed potius experientiae. — Et per hoc patet responsio ad sequens et etiam ad alias rationes, quia non oportet ibi poni, *virtutem creatam dari igni*, per quam agat in animam.

4. 5. Ad illud quod obiicitur ex *parte patientis*, quod anima nobilior est corpore; dicendum, quod sicut nunc ignis dicitur agere in animam *coniunctam carni* et ibi generare dolorem, non quia ignis *omnino* sit faciens, sed quia per causationem ignis anima habet necessariam occasionem agendi in se et patiendi a se, cum ipsa sit se ipsam movens, sicut dicit Augustinus in sexto Musicae [1]; sic intelligendum est in anima *separata;* sed quod fit hic mediante corpore, ibi fit immediate. Unde nec in coniuncta nec in separata agit *vere efficiendo*, sed *occasionem praebendo*, et tamen vere dicitur *affligere* et vere *punire*, sicut vere dicitur *immutare*, quamvis anima speciem potius in se faciat, quam a corpore aliquo fiat in ea. — Nec obstat istud quod obiicitur de *peccato:* quia peccatum non sic disponit spiritum ad passionem, ut faciat ipsum vere materialem respectu ignis, cum sit superior per naturam; sed meretur apud divinam iustitiam, ut, salva natura animae, Deus ipsam igni *alliget* et alligando incarceret [2], incarcerando horrorem sui carceris immittat, ac per hoc ipsa anima ad praesentiam carceris vero dolore et moestitia se affligat.

Notandum.

6. Ad illud quod obiicitur de dolore, quod est divisio partium; dicendum, quod illa non est *definitio generalis*, sed solummodo doloris, qui est animae *ex carne;* sed illa quam assignat Augustinus, « dolor est dissensus ab his rebus » etc. Ut enim ostendit Augustinus in vigesimo primo de Civitate Dei [3], dolor potius venit ex *impedimento operationis animae* quam ex corporis sectione, sicut patet in paralyticis, in quibus est partium sectio sine afflictione, quia anima in illis non habet operationem, quae ibi impediatur; et quoniam potentiae animae, quae sunt eius partes, quodam modo possunt in suis operationibus inquietari et impediri occasione accepta; hinc est, quod spiritus dolere potest et affligi.

Notandum. Notandum.

7. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod puniens adimit; dicendum, quod sicut in ademptione peccati non adimitur aliquid de substantia vel potentia animae, sed solum de habilitate ad gratiam et iustitiam [4]; sic per ignem punitivum adimitur illa habilitas, secundum quam anima est habilis ad gloriae et beatitudinis laetitiam; nec semper nova adimitur, sed eius ademptio est afflictionis continuatio, sicut supra [5] dictum est de ademptione, quae fit in corpore. — Et haec dicta sufficiant.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo super hoc quod dicit: *Illud investigari oportet, utrum monstra resurgant.* Quaeritur de monstris et de gigantibus, utrum resurgant. Et quod sic, videtur, quia nihil debet deperire [6] humanae naturae. — Item, quomodo poterunt evenire huiusmodi moles tam magnae de corporibus hominum, cum nati fuerint ex Adam?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod monstra non resurgent, pro eo quod non est ibi naturae veritas, sed potius error; unde si sunt magnitudinis giganteae in via, in patria non erunt.

Si vero quaeras: unde habuerunt ortum? dicendum, quod, sicut narrat Iosephus [7], daemones incubi, assumtis corporibus, generant, et daemon ostendit mulieri, cum qua concubuit, figuram talem hominis maximi; et ideo tum propter seminis multiplicationem, tum propter virtutem animalem generatus fuit homo mirae magnitudinis, et ille postmodum alios generat. — *Si quaeras:* quomodo daemon generare potest, cum solus « homo generet hominem [8] »? ad hoc potest responderi, quod daemon, prius assumta

Ad quaest. incid. secundum Iosephum. Alia quaestio solvitur.

[1] Cap. 5. n. 9. et 12. — Superius pro *generare* non pauci codd. *aggenerare,* et pro *causationem* codd. E F G M N O Y *actionem*, multi alii cum ed. 1 *curationem,* Vat. *approximationem vel causationem.*

[2] Ita cod. E, in aliis et edd. *incarceretur*. Superius pro *a corpore* Vat. *in corpore.*

[3] Cap. 3. n. 2. Cfr. ibid. XIV. c. 15. n. 2, ubi etiam praenotata definitio doloris occurrit. Clarius tamen quae hic exhibentur proponit August. in VI. Musicae, c. 5. n. 9. seqq. — In fine solut. verbis *occasione accepta* cod. Y interserit *ab extrinseco.*

[4] Vide II. Sent. d. 35. a. 1. q. 1. et a. 2. q. 3. — De laesione poenae cfr. August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 2.

[5] Quaest. praeced. ad 2. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Cod. S. addit *de veritate.* Inferius pro *poterunt* codd. E I K *potuerunt.*

[7] Libr. I. de Antiq. Iud. c. 5. Cfr. tom. II. pag. 219, nota 4.

[8] Aristot., VII. Metaph. text. 22. (VI. c. 7.). — Inferius pro *aliqua remedia* cod. B *aliqua media*, cod. C *aliqua animalia* (plures codd. *amicitia*, cod. O *sacrificia*, cod. M *alia*), codd. I K *aliquam vim,* codd. N aa *aliquas astutias.* Cfr. II. Sent. d. 8. p. I. a. 3. q. 1, ubi hac de re agens S. Bonav. ait: Quadam *sagacitate* ipsum [semen] in sua virtute custodiunt etc.

effigie mulieris, se ipsum subiicit viro et ipsum semen susceptum transfundit et conservat, sicut novit per aliqua remedia, ne calor et spiritus evanescant. Notandum. — Sed hoc totum magis est coniecturae quam rationis rectae [1].

Dub. II.

Item de hoc quod dicit, quod *absit, ut illum bimembrem, quem nuper* etc.; quaeritur, quando aliquis est in parte bimembris, in parte habet membra unita [2], utrum debeat resurgere unus, vel duo, quia, qua ratione debet resurgere unicus, videtur, quod duo, et e converso. — Item, similis casus est, quando est hermaphroditus et natus in utroque sexu; quaeritur, in quo debeat resurgere, quia, qua ratione resurget in uno, et in altero: ergo vel resurget in neutro, vel in utroque.

Respondeo: Dicendum, quod de monstro, quod in parte habet duo membra, in parte unum, in parte distincta, in parte unita, distinguendum est: Distinctio. quia aut habet distinctionem in membris *principalibus* et unionem in *non principalibus,* aut e converso. Si habet distinctionem in membris *principalibus,* sunt ibi duae animae, et tunc resurgent duo corpora; si autem habet unitatem in *illis,* distinctionem in *aliis,* resurget unum corpus.

Ad illud quod quaeritur de hermaphrodito, dicendum, quod secundum naturam impossibile est, Notandum. quod sit omnino indifferens, sicut dicunt medici [3], quamvis discerni non possit; et ideo debet resurgere in eo sexu, qui dominatur per naturam.

Si vero quaeratur de monstro, quod partim est homo, partim bestia; dicendum, quod si partes principales sunt hominis, si vixit, habuit animam humanam, et ideo ordinatum est ad resurrectionem, et resurget homo secundum totum [4].

DISTINCTIO XLV.

Cap. I.

De diversis animarum receptaculis post mortem.

Praeterea sciendum est, quod omnes animae, ut Augustinus. ait Augustinus [1], «cum de saeculo exierint, diversas habent receptiones: bonae habent gaudium, malae tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur». — Ex his osten- Dubium 1. ditur, quod maius erit gaudium Sanctorum in resurrectione et post, quam fuerit ante; et quod diversa *receptacula* habebunt animae Sanctorum. De quibus Augustinus. idem Augustinus ait: «Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, Dubium 2. animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie, vel aerumna, pro eo quod sortita est in carne, dum viveret».

Cap. II.

De suffragiis defunctorum.

«Neque negandum est, ut ait Augustinus, defun- Augustinus. ctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris [2] offertur, vel eleemosynae fiunt in Ecclesia. Sed eis haec prosunt, qui, cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt. Est enim *quidam* vivendi modus, nec tam *bonus,* ut non requirat ista post mortem, nec tam *malus,* ut ei non prosint ista post mortem; est vero *talis in bono,* ut ista non requirat; et est rursus *talis in malo,* ut nec his valeat, cum haec vita transierit, adiuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam gravari, vel relevari. Nemo autem speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae sunt adversa sententiae, qua dictum est: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, secundum ea quae per corpus gessit,* scilicet *bona vel mala;* quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut possint ei ista prodesse; non enim omnibus prosunt. Et quare non? Nisi propter differentiam vitae, quam quisque gessit in corpore. Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur, pro *valde bonis* gratiarum actiones sunt, pro non *valde malis* propitiationes sunt. Sed pro *valde malis,* etiamsi nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus vero prosunt vel ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, vel certe ut tolerabilior sit ipsa damnatio». «Orationibus ergo sanctae Augustinus. Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro Dubium 3. eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos

---

[1] Idem dub. solvunt B. Albert., hic a. 44; Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Ita recte cod. F, in aliis et edd. *divisa;* infra pro *videtur, quod* cod. U *ea ratione et.*

[3] Cfr. Avicenna, III. Canon. Fen 20. tr. 1. c. 43.

[4] Vide de hoc dubio S. Thom., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] In Evang. Ioan. tr. 49. n. 10; seq. locus est Enchirid. c. 109. n. 29, et C. *Tempus* (23.), C. 13. q. 2. — Idem locus continuatur in cap. seq., sed est c. 110. n. 29. et in eodem can.

[2] Ita recte in originali et in can., in editis vero *Mediatori;* citantur ibi Rom. 14, 10; II. Cor. 5, 10. — In Vulgata *sta-*

Augustinus. adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum tota observat Ecclesia, ut pro eis qui in communione corporis et sanguinis Christi defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorentur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Non est igitur ambigendum, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem. Nam qui sine *fide operante per dilectionem* eiusque Sacramentis de corpore exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius, dum hic essent, pignore caruerunt, non misericordiam sibi *thesaurizantes*, sed *iram*. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis aliquid boni operantur sui, sed eorum praecedentibus consequentia ista redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam ». — Ecce, quibus et qualiter prosint illa quae pro defunctis frequentat Ecclesia: *mediocriter malis* suffragantur ad poenae mitigationem; *mediocriter bonis* ad plenam absolutionem, qui non habent tantae perfectionis merita, ut non indigeant iuvari
Dubium 4. per *pauperes, quorum est regnum caelorum*, quos sibi fecerunt *amicos de mammona iniquitatis*; quorum tanta est perfectio, ut his adiutoriis non indigeant, quales
Augustinus. sunt Apostoli et Martyres. Ut enim ait Augustinus[1]:
Dubium 5. « Iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia, cuius nos debemus orationibus commendari; pro aliis autem defunctis oratur ».

Cap. III.

De officiis sepulturae.

De pompis vero exsequiarum idem Augustinus[2] ita
Augustinus. dicit: « Pompa funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae vivorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis vel nulla. Praeclaras exsequias in conspectu hominum purpurato illi diviti exhibuit turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit Angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium ». « Sit tamen cura mortuos sepeliendi et sepulcra construendi, quia haec in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt, nec solum in corporibus Patriarcharum aliorumque Sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore qui ista fecerunt laudati sunt. Impleant igitur haec homines erga suos officia postremi muneris et sui humani lenimenta moeroris. Verum illa quae adiuvant spiritus defunctorum, scilicet oblationes, orationes multo observantius procurent ».

Cap. IV.

De duobus aeque bonis, quorum alter post mortem plura habet auxilia.

Solet moveri quaestio de duobus, uno divite, altero paupere, pariter, sed *mediocriter bonis*, qui praedictis suffragiis indigent et meruerunt pariter post mortem iuvari; pro altero vero, id est pro divite, speciales et communes fiunt orationes multaeque eleemosynarum largitiones, pro paupere vero non fiunt nisi communes orationes. Quaeritur ergo, an tantum iuvetur pauper paucioribus subsidiis, quantum dives amplioribus. Si non pariter iuvatur, non ei redditur secundum merita, meruit[3] enim pariter iuvari, quia pariter boni exstiterunt; si vero tantum suffragii consequitur, quantum dives; quid contulerunt diviti illa specialiter pro eo facta? — Sane dici potest, non ei magis valuisse generalia et specialia, quam pauperi sola generalia suffragia. Et tamen profuerunt diviti specialia, non quidem ad aliud vel maius aliquid, sed ad idem, ad quod generalia, ut ex pluribus et diversis causis unum perciperetur emolumentum. — Potest tamen dici aliter, illa plura subsidia contulisse diviti *celeriorem* absolutionem, non *pleniorem*.

Quaestio. Resp. 1. Resp. 2.

Cap. V.

Quibus suffragiis iuvabuntur in fine reperti.

Sed iterum quaeritur de aliquo mediocriter bono, qui, talibus indigens suffragiis, in ipso consummationis saeculi articulo cum reliquis[4] migrabit, si salvus fuerit. Pro eo non offertur ulterius sacrificium vel oratio vel eleemosyna, nec habebat tantae perfectionis merita, quae his suffragiis non egerent. Nunquid ergo salvabitur? — Existimo, eum, *quasi per ignem* transeuntem, salvari meritis et intercessionibus caelestis Ecclesiae, quae pro fidelibus semper intercedit voto et merito, donec *impleatur Christus*.

Quaestio. Dubium 6. Resp.

Cap. VI.

Quomodo Sancti et glorificati vel Angeli audiunt preces supplicantium et intercedunt pro eis.

Sed forte quaeris: nunquid preces supplicantium Sancti audiunt, et vota postulantium in eorum notitiam perveniunt? — Non est incredibile, animas Sanctorum, quae in *abscondito faciei Dei*[5] veri luminis illustratione laetantur, in ipsius contemplatione ea quae foris aguntur, intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita et

Quaestio. Resp.

---

bimus pro *astabimus*. Seq. locus est eiusdem, Serm. 172. (alias 32.) de Verbis Apostoli, c. 2. n. 2, habetur etiam in Glossa apud Lyranum, I. Thess. 4, 13. Ibidem respiciuntur Gal. 5, 6, et Rom. 2, 5.

[1] Serm. 159. (alias 17.) de Verbis Apostoli, c. 1. n. 1. Paulo superius respiciuntur Matth. 5, 3; Luc. 16, 9.

[2] De Cura gerenda pro mortuis, c. 2. n. 4; cfr. I. de Civ. Dei, c. 12. n. 1. Respicitur Luc. 16, 22. seqq. Seq. locus est Serm. supra cit. 172. c. 2. n. 3, ubi edd., excepta 1, omittunt *haec* ante *homines*, refragante etiam originali.

[3] Ed. 1 *meruerunt*; deinde cod. C et paucae edd. post *consequitur* addunt *pauper*.

[4] Ed. 1 *reliquiis* (scil. peccatorum). Deinde respicitur I. Cor. 3, 15, et, ut videtur, Eph. 3, 19.

[5] Respicitur Ps. 30, 21; deinde Phil. 4, 6, et Tob. 3, 24. Quoad rem cfr. Hugo, II. de Sacram. p. XVI. c. 11.

Sanctis, qui Deo assistunt, *petitiones nostrae innotescunt* in Verbo Dei, quod contemplantur. Unde et dicuntur Angeli orationes et vota nostra *offerre Deo*, non quia eum doceant, sed quia eius voluntatem super eis consulunt. Augustinus. Unde Augustinus [1]: « Angelis, qui sunt apud Dubium 7. Deum, innotescunt petitiones nostrae, ut quodam modo eas offerant Deo et de his consulant, et quod, Deo iubente, implendum esse cognoverint, hoc nobis vel evidenter, vel latenter reportent. Unde et Angelus hominibus ait: *Cum oraretis, orationem vestram obtuli Deo* ». « Ad omnia quidem scienda sufficit Deo sua perfectio; habet tamen nuntios, id est Angelos, non qui ei quae nescit, annuntient — non enim sunt ulla, quae Dubium 8. nesciat — sed bonum eorum est de operibus suis eius consulere veritatem, et hoc est, quod ei dicuntur nonnulla nuntiare, non ut ipse ab eis discat, sed ut ab eo Dubium 9. ipsi per Verbum eius sine corporali sono. Nuntiant [2] etiam quod voluerit, ab eo missi ad quos voluerit, totum ab illo per illud Verbum eius audientes, id est in eius veritate invenientes, quid sibi faciendum, quid, quibus et quando nuntiandum sit. Nam et nos, orantes eum, non eum docemus, quia *novit*, ait Verbum eius, *Pater vester, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo*. Nec ista *ex tempore* cognovit, sed futura omnia temporalia atque in eis etiam, quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus esset, *sine initio ante* praescivit ». « Non ergo dicitur Angelus orationes nostras offerre Deo, quasi Deus tunc noverit, quid velimus et quo indigeamus, quae omnia, antequam fiant, sicut et postquam facta sunt, novit; sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad aeternam veritatem referre, sive *petendo*, quid erga se fiat, sive *consulendo*, quid faciat [3] ».

Si autem Angeli a Deo per Verbum eius discunt petitiones nostras, et quid de his implendum sit et quid non; cur non credamus, et animas Sanctorum Dei fa- De animis Sanctorum. ciem contemplantium in eius veritate intelligere preces hominum, et quae implendae sint, vel non? Inde est, quod Deus dicitur exaudire preces quorundam, non solum, quando effectui mancipat, sed etiam, quando innotescit curiae Angelorum et sanctarum animarum, quid inde futurum sit, vel non; et quod cognoscunt in Dei voluntate esse, volunt et ipsi. Adeo enim supernae Veritati [4] addicti sunt, ut nihil praeter eius voluntatem queant velle. Intercedunt igitur ad Deum pro nobis Sancti et *merito*, dum eorum merita suffragantur nobis, et *affectu*, dum vota nostra cupiunt impleri; quod tamen non faciunt, nisi in voluntate Dei implenda dicerint. Oramus ergo, ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur, et ut ipsi velint bonum nostrum, quia, eis volentibus, Deus vult, et ita fiet. — Ex praemissis constat, quod cum quibusdam misericordius agit Deus, quam aliqua [5] eorum peccata meruerint, scilicet cum mediocriter malis, qui suffragiis Ecclesiae iuvantur.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLV.

De statu et conditione bonarum animarum post mortem.

Praeterea sciendum est, quod omnes animae, ut ait Augustinus etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de reparatione corporum; hic agit de statu animarum post mortem; et dividitur haec pars in duas. In prima parte determinat de statu et conditione bonarum animarum. In secunda de conditione et statu malarum, distinctione quadragesima sexta, ibi: *Sed quaeritur hic de valde malis* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat de animarum receptaculis. In secunda parte determinat de suffragiis, quae animabus possunt fieri, ibi: *Neque negandum est, ut ait Augustinus, defunctorum animas* etc. Et illa secunda pars habet duas. In prima determinat de suffragiis, quae viventes impartiuntur mortuis. In secunda determinat de suffragiis sive adiutoriis, quae mortui impartiuntur vivis, ibi: *Sed forte quaeris: nunquid preces supplicantium* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat veritatem. In secunda movet dubitationes, ibi: *Solet moveri quaestio de duobus, uno divite* etc. Et prima pars habet duas. In prima determinat quae sunt illa quae prosunt defunctis. In secunda, quae sunt illa quae non prosunt, ibi: *De pompis vero exsequiarum idem Augustinus* etc. — Similiter secunda pars, in qua movet quaestiones, duas habet. In prima parte determinat hanc quaestionem, utrum suffragia [1] prosint omnibus aequaliter. In secunda vero inquirit de

---

[1] Epist. 130. (alias 121.) ad Probam, c. 9. n. 18; et citatur Tob. 12, 12. Seq. locus est eiusdem, XV. de Trin. c. 13. n. 22.

[2] Ita codd., edd. 2, 3, 7 et originale; in aliis *nuntient*, quod coniungunt cum praecedente *ut* et sequente *etiam*. Ed. 1 sic: *annuntient. Annuntiant etiam*. Deinde citatur Matth. 6, 8.

[3] Epist. 140. (alias 120.) ad Honoratum, c. 29. n. 69. Cfr. Eccli. 23, 29.

[4] Ita codd. et ed. 1, in aliis *voluntati*, Erf. *civitati*.

[5] Edd., excepta 1, et refragantibus codd., omittunt *aliqua*.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cod. R *suffragia Ecclesiae*. Subinde post *infirmo* edd. prosequuntur: *mediocriter bono, cui decedenti in fine mundi non possunt* etc.

infirmo, cui non possunt subvenire suffragia Ecclesiae, qualiter habeat liberari, ibi: *Sed iterum quaeritur de aliquo mediocriter bono* [1] etc.

Summa igitur istius distinctionis in tribus consistit: primo in animarum receptaculis; secundo in suffragiis, quae vivi impartiuntur mortuis; tertio vero in suffragiis, quae mortui impartiuntur vivis. Et in his totum clauditur.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum tria, quae determinat Magister in littera, principaliter tria quaeruntur.

Primo quaeritur de receptaculis animarum exutarum.

Secundo, de suffragiis, quae recipiunt a vivis.

Tertio, de suffragiis, quae impendunt vivis [2].

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de receptaculis animarum ante adventum Christi.

Secundo quaeritur, utrum post adventum Christi habuerint loca determinata.

Tertio, utrum egrediantur ad exteriora.

ARTICULUS I.

De receptaculis animarum exutarum.

QUAESTIO I.

De receptaculis animarum ante adventum Christi.

Circa primum proceditur sic, et quod ante Christi adventum descenderant ad infernum, ostenditur:

Argg. pro 1. parte. 1. Primo per vetus testamentum. Ita dixit patriarcha Iacob Genesis quadragesimo secundo [3]: *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos;* et Genesis trigesimo septimo: *Descendam ad filium meum lugens in infernum:* ergo etc.

2. Item, Iob decimo septimo [4]: *In tenebris stravi lectulum meum, infernus domus mea est;* et constat, quod iustus erat: ergo etc.

3. Item, hoc ipsum ostenditur etiam per novum testamentum: quia dicitur in Symbolo [5]: « Descendit ad inferos »; constat, quod non nisi ad ereptionem iustorum: iusti ergo descendebant.

4. Item, Actuum secundo [6]: *Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni:* ergo omnes alii detinebantur in inferno.

5. Item, debitum originalis peccati nondum erat solutum, ergo nec homo de potestate diaboli ereptus: ergo quantumcumque esset iustus, poterat ipsum diabolus trahere deorsum.

Pro 2. parte. Sed contra: 1. Infernus est locus debitus malis et iniustis; sed ante adventum Christi multi mortui sunt boni et iusti: ergo illi non descendebant in infernum.

2. Item, unaquaeque anima habet locari secundum exigentiam meritorum: ergo cum viri sancti ante adventum Christi multum distarent ab impiis quantum ad meritum, ergo etiam quantum ad locum.

3. Item, « in inferno nulla est redemptio [7] »: ergo si iusti descenderunt ad infernum, videtur, quod nunquam fuerunt inde liberati; quod manifeste falsum est.

4. Item, sicut patet ex Lucae decimo sexto [8], *chaos magnum firmatum* erat inter Lazarum et divitem, ut non possent mutuo ad se transire: ergo videtur, quod in locis distantibus erant.

5. Item, Augustinus duodecimo super Genesim ad litteram [9]: « Videmus, inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio divitis ». Et iterum idem: « Nondum inveni et adhuc requiro, nec mihi occurrit, inferos alicubi in bono posuisse Scripturam; non autem nisi in bono accipiendum sinum Abrahae »: ergo si sancti Patres in sinum Abrahae portantur, sicut Dominus ipse de Lazaro testatur, patet etc.

---

[1] Ita recte cod. F cum Magistro, in aliis et edd. *calido.*

[2] Cod. P *impenduntur vivis a Sanctis mortuis.*

[3] Vers. 38. — Seq. locus ibid. 37, 35.

[4] Vers. 13: Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum.

[5] Scilicet Apostolorum. — Inferius pro *ereptionem* cod. F *extractionem* (cfr. III. Sent. d. 22. q. 4. seqq.), et pro *descedebant* cod. E *descenderant.*

[6] Vers. 24.

[7] Breviar. Roman. in Officio defunctor. III. Noct. Resp. ad lect. 7, et Bernard., Serm. 42. de Diversis, n. 5.

[8] Vers. 26.

[9] Cap. 33. n. 63. (respicitur Luc. 16, 22.). — Seq. locus est ibid. n. 64. Textus originalis substituit *quaero* pro *requiro* et post *Scripturam* prosequitur: *dumtaxat canonicam. Non autem in bono accipiendum sinum Abrahae... nescio, utrum quisquam possit audire* etc.

CONCLUSIO.

Infernus dicitur tum locus infimus cum poena sensus et damni, tum locus inferior cum sola poena damni, scilicet limbus, qui est vel limbus parvulorum, vel limbus Patrum sive sinus Abrahae.

Respondeo: Dicendum, quod infernus dicitur locus *poenarum* et locus, qui est *inferior* tum ratione *status*, qui vilis est, tum ratione *situs*. Potest ergo infernus denominari a suo *summo*; et tunc
Conclusio 1. dicitur infernus locus, in quo est maxima poena et locus infimus; et iste non competit nisi damnatis, qui puniuntur poena *sensus* et sine spe inferius[1]
Conclusio 2. proiiciuntur. Potest iterum appellari locus *inferior*, in quo quis punitur poena *damni*; et iste dicitur *limbus*[2]. Et in hunc descendebant ante Christi adventum sancti Patres, et descendunt nunc parvuli non baptizati.

Sed attendendum, quod *Patres* fuerunt in parte *superiori*, et *parvuli* in parte *inferiori*. Et ratio Conclusio 3.
huius est, quia *isti* habent carentiam visionis sine exspectatione; *illi* habebant cum exspectatione, et ideo, quia in parte superiori erant et visionem Dei exspectabant, non tantum in *limbo*, sed in *sinu Abrahae* dicebantur esse. Ille ergo locus dicebatur *infernus*, et quia *inferior* et quia aliquo modo locus erat *miseriae*; *limbus*, quia erat *poena carentiae*; sed *sinus Abrahae*[3], quia erat *exspectatio gloriae*. — Et ita *infernus* non sonat nisi in malum, Corollarium.
qualitercumque accipiatur; *sinus* autem *Abrahae* in bonum, et hoc, quia est ibi requies aut per privationem mali, aut per collationem omnis boni; et sic est locus *gloriae*[4].

Et per hanc distinctionem patet responsio ad Ad argg.
utramque partem. Rationes enim ad primam partem procedunt de inferno large dicto et secundum situm; rationes vero ad oppositum de inferno dicto proprie et secundum poenam, sicut patet discurrenti per singulas.

SCHOLION.

I. Constat, spiritus animasque separatas non esse circumscriptive in loco; nihilominus communiter docetur, eisdem deputata esse a Deo diversa loca, statui et meritis eorum congruentia, ut satis apparet ex s. Scriptura. Communiter etiam distinguuntur quinque *receptacula*, quorum unum, scil. *limbus Patrum*, post adventum Christi cessavit. Distinguitur enim *limbus Patrum* a *limbo puerorum*, si non secundum locum, saltem secundum *qualitatem*, quia *Patres* antiqui testamenti, deleta culpa originali et personali, viventes in fide, spe et caritate, habebant quidem ante satisfactionem a Christo completam impedimentum visionis beatificae, sed non nisi ex parte *naturae*, ut dicit S. Thomas, dum in *pueris* ab originali peccato non liberatis insuper est impedimentum ex parte *personae*. — Terminus *sinus Abrahae* communiter dicitur de *limbo Patrum*, sed interdum adhibetur etiam de completa requie Sanctorum, ut observat cum nostro auctore S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. ad 2.). — Alias etiam quaestiones circa haec receptacula S. Thomas exhibet hic q. 1. a. 1. 2. 3; Suppl. q. 69. a. 1-9.

De 1. et 2. quaestione praeter S. Thomam: B. Albert., de hac et seqq. qq. supra d. 44. a. 45. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 1.

II. In solutione 2. quaestionis S. Bonav. docet, nunquam damnatas animas ante iudicium exire ex loco tormentorum; sed S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 69. a. 3.) dicit: « Hoc etiam credi potest, quod aliquando de damnatis contingat, quod ad eruditionem hominum et terrorem permittuntur viventibus apparere ».

De eadem quaestione praeter laudatos: Petr. a Tar., loc. cit. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum animae post adventum Christi habeant receptacula sive loca determinata.

De receptaculis animarum post adventum Christi, et quaeritur, utrum habeant receptacula vel loca determinata. Et quod non, videtur de *bonis*.

1. Glossa super illud[5]: *Adhuc pusillum, et*
Ad oppositum. *non erit* etc.: « *Adhuc pusillum* est usque ad finem vitae cuiusque, quando liberantur Sancti. Post hanc tamen vitam non ita erit, ubi erunt Sancti, quibus dicetur: *Venite benedicti* ».

2. Item, quod *mali* non habeant receptacula, videtur. Augustinus de Spiritu et anima[6]: « Quae-

---

[1] Fere omnes codd. et ed. 1 *interius*, cod. M *evasionis*.

[2] Du Cange, Glossarium etc., recensens etymologiam huius vocis *limbus*, refert, quod aliqui putant sic appellatum, quod is locus sit veluti *limbus* inferorum i. e. *ora* inferorum, quemadmodum etiam dicitur *limbus Angliae* i. e. ora Angliae. — Aliquanto inferius post *visionis* codd. R X supplent *Dei*.

[3] Petr. Comestor, Histor. scholast. in Gen. c. 87: Erat enim tunc in inferno quidam locus Beatorum, longe semotus a locis poenalibus, qui ob quietem et separationem ab aliis *sinus* dicebatur, sicut sinum maris dicimus. Et dictus est etiam *sinus Abrahae*, quia etiam Abraham ibi erat etc.

[4] Vide supra d. 1. p. II. dub. 3.

[5] Psalm. 36, 10. — De *Glossa*, quam Petr. Lombard. exhibet integre et in qua pro *non ita erit* substituit *nondum eris*, vide supra pag. 557, nota 10. Lectio codd. et edd. videtur esse corrupta. — In fine Glossae respicitur Matth. 25, 34.

[6] Cap. 30: (inter opera August.): Quaedam autem animae in eisdem locis, in quibus culpam commiserunt, puniuntur;

dam animae puniuntur in loco, ubi deliquerunt, quaedam in abditis receptaculis ».

3. Item, quod *neutri*, videtur. Augustinus in Enchiridio[1]: « Tempus, quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est requie, vel aerumna ».

4. Item, *ratione* videtur: quia animae a corporibus exutae sunt spirituales et omnino a corpore non dependent: ergo locus et earum remuneratio universalis[2].

Contra: 1. Quod *mali* habeant, videtur: quia Fundamenta. Lucae decimo sexto[3] dixit Dominus: *Mortuus est dives et sepultus est in inferno;* et post subditur: *Ne veniant in locum hunc tormentorum:* ergo etc.

2. Item, quod *boni*, videtur. Secundae ad Corinthios quinto[4]: *Si terrena nostra habitatio dissolvatur, domum habemus in caelis;* et Gregorius: « Qui Christum in caelo esse non dubitat in corpore, nec Pauli animam esse negat ».

3. Item, *ratione* videtur: quia loci congruitas confert ad operationem: ergo cum animae beatae sint excellentissimae virtutis contemplando Deum et omnino immutabiles, ergo locus supremus eis debetur: ergo *ab oppositis*, damnatis infimus[5].

4. Item, excellentia retributionis consistit in societate mutua, quia « nullius sine socio iucunda est possessio[6] »: ergo animae post hanc vitam sunt simul.

CONCLUSIO.

Animarum receptacula post adventum Christi sunt paradisus, infernus, limbus et purgatorium.

Via 1. et status triplex. Respondeo: Dicendum, quod triplicem statum contingit intelligere, scilicet *remunerationis*, *quietae exspectationis*[7] et *purgationis*. — Et ratio huius Ratio. est, quia anima exuta duplici ex causa potest impediri a remuneratione beata: aut propter hoc, quod *ianua est clausa*, aut propter hoc, quod *ipsa non est plene purgata*. Statui *retributionis* respondet locus proprius et receptaculum determinatum *in se* et *quoad nos*, scilicet caelum empyreum quoad bonos, et quoad malos locus infimus. — Statui *quietis et exspectationis* respondet locus determinatus *in se*, sed non *quoad nos*, quia nescitur per Scripturas, ubi sit limbus. — Statui vero *purgationis* respondet locus indeterminatus et *quoad nos* et *quoad se*, quia non omnes in eodem loco purgantur[8], licet forte in aliquo multi sint. Et quantum ad hunc locum loquitur Augustinus. — Quod vero obiicitur de Glossa, non loquitur de loco, sed de statu quantum ad secundam stolam[9]. Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3.

Via 2. et melior. Potest tamen aliter dici et melius, quod animae receptacula aut sunt secundum *merita bona*, et sic est paradisus et locus caelestis; aut propter *peccata*, et sic distinguitur triplex locus secundum triplex peccati genus, scilicet *purgatorius*, et hic debetur veniali; *limbus*, et hic originali; et *infernus*, et hic mortali. — Et bene potest esse et satis pro- De locis. babile est, quod gradatim se habeant ista tria loca, sed tamen circa eandem partem sint, sicut colligi potest ex Sanctorum dictis, et ex his quae in praecedentibus[10] dicta sunt. — Unde possunt loca animarum distingui sic, ut reducantur ad bimembrem divisionem: locus *retributionis* aut est *gloriae*, aut *poenae*. Si *gloriae*, sic caelum; si *poenae*, sic in- Conclusio 1. fernus. *Gloria* non distinguitur, quia caritas, quae unius speciei est, meretur gloriam[11]; sed poenalis locus est duplex: aut secundum poenam *damni*, et Conclusio 2. sic limbus; aut secundum poenam *sensus*, et sic infernus. Et utrumque membrum dividitur: quia qui poena *damni* puniuntur, aut *simpliciter* et *aeter-* Conclusio 3. *naliter*, et hi in *inferiori* parte illius partis, quae dicitur *limbus;* aut *ad tempus*, et hi in *superiori*, quae dicitur *sinus Abrahae*. — Similiter illi qui puniuntur poena *sensus*, aut *simpliciter*, et sic in- Conclusio 4. fernus proprie dictus; aut *ad tempus*, et sic locus *purgatorius*. — Et sic patet, quod animae habent receptacula, et quae. Et si aliquae auctoritates con- Ad argg.

---

quaedam vero abditis receptaculis usque ad ultimam resurrectionem continentur, sicut unaquaeque digna est requie vel miseria.

[1] Cap. 109. n. 29. — Cod. aa addit: *et est in littera* (hic c. 1.).

[2] Cod. G supplet *spiritualis*, quod codd. N aa substituunt pro *universalis*. Cod. M legit: *ergo nec secundum locum*, edd. *ergo et locus remunerationis earum*. Superius pro *et omnino* codd. O S T *et ideo*.

[3] Vers. 22: Mortuus est autem et dives etc. — Seq. locus ibid. v. 28: Ne et ipsi veniant etc.

[4] Vers. 1: Scimus enim, quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis. — Sententia Gregorii habetur IV. Dialog. c. 25.

[5] Cfr. supra d. 44. p. II. a. 1. q. 2. fundam. 4. et 5. — Superius post *excellentissimae* plures codd. addunt *et*, quam lectionem incongruam secunda manus in cod. P correxit praemittendo *operationis*. Voci *contemplando* codd. E I K praefigunt *in*.

[6] Seneca, Epist. 6. n. 4: Nullius boni sine etc. — Pro *mutua*, quod habent codd. S U, alii codd. et edd. *multa*.

[7] Vat. *quietis et exspectationis*.

[8] Vide supra d. 20. p. I. q. 6.

[9] Sive stolam corporis. Cfr. supra pag. 558, nota 1, et Gregor., IV. Dialog. c. 25. — Post *de Glossa* edd. supplent *dicendum, quod*.

[10] Quaest. praeced. et d. 20. p. I. q. 6, ubi etiam *dicta Sanctorum* allegata sunt; cfr. Isidor. I. de Differ. n. 288.

[11] Vide III. Sent. d. 27. a. 1. q. 2, a. 2. q. 1. et d. 31. a. 3. q. 1.

trariae videantur, intelligendae sunt vel quantum ad *statum*, vel quantum ad *aliquas animas*, quae purgantur, de quibus supra [1] dictum est, quod dispensative in diversis locis animae purgantur, licet secundum legem communem sit aliquis locus communis [2].

QUAESTIO III.

Utrum animae aliquando exeant a suis receptaculis.

Tertio quaeritur, utrum animae a suis receptaculis aliquando exeant. Et quod non, videtur.

Ad oppositum. 1. Psalmus [3]: *Ut inhabitem in domo Domini.*

2. Item, de malis specialiter, Iob septimo [4]: *Qui descendit ad inferos non ascendet.*

3. Item, aut locus *aliquid* facit [5], aut *nihil*. Si *nihil:* ergo non videtur ratio, quare magis sint in loco determinato; si *aliquid:* ergo si bonorum gloria non debet minui nec malorum poena, ergo nunquam possunt nec debent egredi.

4. Item, nos non possumus *locum* nostrum mutare, quin mutemus et *statum;* unde quando morimur [6], non sumus in statu merendi: ergo nec illi; sed eorum *status* est immutabilis: ergo et *locus*.

Contra: 1. Sancti multos visitant et multis apparent, sicut patet in vitis Sanctorum [7]: ergo si vera est apparitio, videtur, quod sint ubi apparent; sed non simul in caelo et in terra: ergo quandoque recedunt a suis habitaculis. Fundamenta.

2. Item, daemones sunt circa nos et nos exercent, qui tamen sunt digni maiori poena quam animae [8]: ergo si illi, multo fortius et animae possunt circa nos esse.

3. Item, constat, quod resurrectio erit et iudicium omnium simul [9]: ergo necesse est, quod tam beatae quam damnatae veniant ad corpora et ad locum communem.

4. Item, Deus ubique est aequaliter, ergo anima ubique potest aequaliter frui Deo: ergo si beatitudo est fruitio, potest beata anima ire quo vult: ergo pari ratione et damnata.

5. Item, Gregorius in Dialogo [10] narrat de suscitatione aliquorum, quorum animae erant in paradiso et in inferno: ergo etc.

CONCLUSIO.

Beatorum animae ante diem iudicii aliquando ad tempus locum mutare possunt, non vero damnati.

Respondeo: Dicendum, quod huiusmodi receptacula aliquibus dantur secundum Dei consilium et causas *superiores*, aliquibus secundum sententiam et causas *inferiores*. Hi secundi possunt mutatione divinae sententiae ad preces Sanctorum de huiusmodi locis revocari; et sicut mutant *statum*, ita et *locum*. Primi vero, qui secundum causas immutabiles huiusmodi locis deputati sunt, non exibunt finaliter; possibile est tamen, eos exire ad tempus. Sed exitus ad tempus aut est ad *recipiendam completam remunerationem*, et sic boni et mali exibunt in die iudicii; aut ad *perficiendam aliquam operationem*, et sic exeunt Beati, nunquam tamen damnati. — Et ratio huius est, quia Beati possunt iuvare nos revocando [11], docendo, confortando, liberando; sed damnati sunt ligati ad omne opus. *Rursus*, poena dependet a loco, et gloria non, quia est a Deo, qui ubique est. — Concedendae ergo sunt rationes probantes, quod boni aliquando loca receptionis suae mutant. Conclusio 1. Conclusio 2.

Ad illud quod obiicitur de malis per simile de daemonibus, dicendum, quod non est simile, quia isti habent operationem aliquam ad nos exercendos; et ideo non sunt ligati nec penitus damnati, quia adhuc sunt in statu demerendi quantum ad vim administrativam [12]. Ad 2. fundam.

1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod non exeunt; verum est finaliter: illi [13], qui per sententiam definitivam sunt damnati. Solutio oppositorum.

---

[1] Dist. 20. p. I. q. 6. — Inferius voci *animae* cod. L praemittit *aliquae.*

[2] Vide Scholion ad praecedentem quaest.

[3] Psalm. 26, 4. — In fine cod. aa prosequitur *omnibus diebus* etc.

[4] Vers. 9: Qui descenderit ad etc.

[5] Codd. K aa (I a secunda manu) bene supplent *ad gloriam vel ad poenam.*

[6] Ita codd. E L P Q S Y, alii codd. vel cum edd. *meremur,* vel *non meremur* (ita codd. I K N aa).

[7] Cfr. Breviar. Roman. die 28. Ian. lect. 9. de S. Agnete (secundo). — Inferius ex codd. E L W Y bb addidimus *quandoque.*

[8] Vide II. Sent. d. 6. a. 2. q. 1. seq.

[9] Ut ostensum est supra d. 43. a. 1. q. 3. — Mox post *quod* secunda manus in cod. X supplevit *animae.*

[10] Libr. IV. c. 36. — Cod. aa *in libro Dialogorum.*

[11] Cod. K *vocando.*

[12] De quo vide II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. ad 3.

[13] Vat. *de illis.*

3. Ad illud quod obiicitur, quid facit[1]; dico, quod in bonis tantum ad congruentiam, in malis amplius, quia auget poenam; et ideo isti non exeunt ut illi.

4. Ad aliud patet responsio: quia non est nobis possibile in caelum ire, sed in caelo entibus[2] possibile est ad terram venire, quia anima *liberior,* quia exuta, et *potentior,* quia beata; mali vero non possunt, quia non sinuntur[3].

ARTICULUS II.

De suffragiis, quae animae defunctorum recipiunt a vivis.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de suffragiis, quae recipiunt animae defunctorum a vivis. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum suffragia prosint defunctis, qui sunt mediocriter boni.

Secundo, utrum defunctis prosint suffragia facta per malos.

Tertio, quantum prosint suffragia; et cum non aequaliter omnibus, quaeritur, cui magis: aut ei qui magis meruit, aut ei, pro quo specialiter fiunt.

QUAESTIO I.

Utrum suffragia prosint defunctis mediocriter bonis.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod non prosint mediocriter bonis.

Ad oppositum. 1. Magis dignis debent Ecclesiae suffragia proficere; sed non prosunt bonis, qui sunt in paradiso[4]: ergo etc. *Si dicas,* quod non indigent, ideo non est simile; *contra:* in vita ista peccatores indigent, et tamen necesse est, quod ipsi faciant poenitentiam, non alii pro ipsis.

2. Item, illi qui non est in statu merendi nec esse potest, nihil prodest alienum suffragium, sicut patet, si aliquis sit stultus irrevocabiliter; sed tales sunt mortui: ergo etc. *Si tu dicas,* quod prius meruerunt, ut eis prodessent in statu illo[5]; *contra:* quodcumque meruerunt, necesse est, eos meruisse, et quod necesse est eos meruisse, necesse est remunerari: ergo si nunquam fiant suffragia, remunerabuntur: ergo nihil eis prosunt.

3. Item, poena purgatoria mensuratur secundum quantitatem cremabilis: ergo cum suffragia non minuant de culpa, ergo nec de poena. — Quod non minuant de culpa, patet, quia solus Deus habet effectum in animam. *Si tu dicas,* quod habent effectum in animam per modum meriti, et Deus merito suffragiorum minuit; *contra:* etsi Deus deleat culpae maculam per se, tamen reatum[6] per poenam; sed constat, quod in eis quantum ad reatum oportet deleri culpam: ergo per poenam purgatoriam; sed hoc nihilominus faceret sine suffragiis: ergo etc.

4. Item, hoc ostenditur per deductionem ad impossibile, quoniam, si delet partem, ergo possibile est, quod totum, et ita ille remanebit impunitus[7].

Sed contra: 1. Auctoritate sacrae Scripturae, secundo Machabaeorum duodecimo[8]: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Fundamenta.

2. Item, Augustinus, de Cura pro mortuis agenda[9]: « Beneficia et sacrificia, quae offeruntur pro non valde malis, sunt propitiationes » : ergo etc.

2. Item, hoc ostenditur auctoritate Ecclesiae et usu, quae orat pro defunctis: si ergo Ecclesia non decipitur, patet, quod suffragia valent[10].

3. Item, *ratione* videtur: quia poena purgatoria est terminabilis, ergo et diminuibilis; sed si pro eo qui potest crescere in gratia, fiat oratio, valet ad gratiam augmentandam: ergo pari ratione, si fiat pro eo cuius poena potest diminui, valet ad poenam diminuendam.

---

[1] Cod. aa (E P bb a secunda manu) supplet *locus.*

[2] Edd. *existentibus,* plures codd. *euntibus* (cod. aa *in caelum euntibus).*

[3] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 2: Pro valde bonis gratiarum actiones sunt [suffragia]. — Superius verbo *debent* cod. L (E a secunda manu) praemittit *magis.*

[5] Ut dicitur hic in principio c. 2. lit. Magistri. — Post primum *meruisse* cod. aa subiungit: *quia omne dictum de praeterito verum et necessarium* (cfr. I. Sent. d. 42. q. 3.), et subinde verbo *remunerabuntur* cod. U praefigit *nihilominus.*

[6] Vat. supplet *delet.*

[7] Codd. E F I K bb *et ita illud remanebit impunitum,* cod. A *et ita in illo remanebit impunitum* (cfr. supra pag. 356, nota 6.).

[8] Vers. 46: Sancta ergo et salubris etc.

[9] Colligi potest ex c. 1. n. 2. et c. 18. n. 22; verbotenus occurrit in Enchirid. c. 110. n. 29. Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, quam etiam cod. aa allegat.

[10] Cfr. August., de Cura gerenda pro mortuis, c. 1. n. 3, et hic lit. Magistri, c. 2.

4. Item, sicut se habent orationes Sanctorum mortuorum ad vivos, sic vivorum ad mortuos; sed Sancti mortui impetrant nobis bona et nos adiuvant[1]: ergo et vivi mortuos.

CONCLUSIO.

Suffragia defunctis mediocriter bonis prosunt.

Respondeo: Dicendum, quod quia in omni opere Domini est *misericordia et veritas*[2], duo sunt quae faciunt suffragia Ecclesiae valere, scilicet *dignitas* et *necessitas. Iustitia* enim considerat *dignitatem;* et digni sunt qui in caritate decesserunt ab aliis membris Ecclesiae adiuvari, maxime si ipsi alios adiuverunt. *Misericordia* vero considerat *necessitatem;* et haec quidem magna est in his qui sunt in purgatorio, quia graviter puniuntur et se iuvare non possunt[3].

Rationes duae. Conclusio 1. Conclusio 2.

1. Ex hoc patet responsio ad primum, quia suffragia non ita valent *comprehensoribus,* scilicet quia non indigent, et non ita *viatoribus,* quia adhuc se possunt iuvare.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non sunt in statu merendi; dicendum, quod quamvis non sint in statu *merendi,* sunt tamen in statu *solvendi;* solvunt enim quae debent: et ideo, etsi non possint adiuvari in *merito,* possunt tamen adiuvari in *solutione;* status autem *solvendi* non est semper cum statu *meriti,* sed illum praesupponit, scilicet quod prius meruit, quod in tali statu posset solvere et iuvari[4]. — Quod obiicit, quod si meruit, necesse est meruisse; dicendum, quod verum est de merito *absoluto,* sed illud fuit meritum *conditionale*[5].

3. Ad illud quod obiicitur: secundum quantitatem cremabilis etc., dicendum, quod quantitas poenae non respicit *maculam,* sed *reatum*[6]*;* et obligatio ad poenam minuitur solutione poenae facta ab ipso, vel ab alio.

Notandum.

4. Ad illud, quod solveretur tota, et sic etc.; dicendum, quod verum est, si tot essent suffragia; sed suffragia non auferunt a poena nec liberant, nisi dum fiunt; et in illo tempore homo punitur, et alii pro ipso: ideo non remanet impunitus. Verumtamen, si superabundarent, tunc possibile esset, totum remitti; nec tamen peccatum remaneret impunitum, quia, quamvis non puniatur in se, punitur tamen alio modo in aliis, sicut supra dictum fuit de baptismo[7]; hoc tamen vix aut nunquam fit.

SCHOLION.

I. Locutionem: *mediocriter boni, vel mali,* Magister (hic c. 2.) sumsit ex Augustino. Tota de suffragiis doctrina fundata est in articulo fidei de communione Sanctorum. — Quod animae in purgatorio subleventur suffragiis Ecclesiae, iam in confessione fidei, Concilio Lugdunensi II. a Michaele Palaeologo oblata, clare exprimitur et in Decreto unionis Graecorum in Concilio Florentino emanato repetitur fere eisdem his verbis: « Et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scil. sacrificia, orationes et eleemosynas et alia pietatis officia, quae a fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta ». Cfr. etiam professio fidei Waldensibus ab Innocentio III. praescripta; item errores Lutheri a Leone X. reprobati (n. 40.), et Concilium Trident. (Sess. XXV. decret. de Purgatorio), ubi breviter dicitur: « Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio iuvari ». — De efficacia suffragiorum respectu damnatorum tractatur infra d. 46. a. 1. q. 1. 2; de ipsa respectu Beatorum hic dub. 5. — Doctrina Scoti de hoc et seq. art. collecta est ex multis ipsius locis ab Hieron. de Montefortino, tom. V. q. 71.

De 1. quaestione: S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2; Suppl. q. 71. a. 6. — B. Albert., hic a. 1. 2. 4. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — De hac et 2 seqq. qq. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 2.

II. Quoad solutionem 2. quaestionis consentit S. Thom., eisdem usus distinctionibus.

De eadem: S. Thom., locis citt. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. a. 3. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

III. Solutio 3. quaestionis a Praepositivo facta non approbatur a S. Thom. (locis citt. a. 4; Suppl. a. 12.) nisi quoad effectum cuiusdam *interioris consolationis,* quam magis percipit qui magis caritate plenus est; sed quoad effectum *satisfactionis* dicit: « Hoc modo non est dubium, quin magis valeant ei, pro quo fiant »; quod satis convenit menti S. Bonaventurae et nunc communiter docetur.

De 3. quaestione: B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. a. 3.

---

[1] Ut ostenditur art. seq. q. 1. seq.

[2] Psalm. 24, 10: Universae viae Domini misericordia et veritas. Vide infra d. 46. a. 2. q. 3. — Inferius post *decesserunt* edd. prosequuntur: *et ab aliis membris Ecclesiae adiuvari meruerunt, maxime* etc.

[3] Cfr. supra d. 20. p. I. q. 3. et p. II. q. 5.

[4] Vide hic lit. Magistri, c. 2, ac supra d. 20. p. I. q. 1. ad 1. et 6.

[5] Cod. F *respectivum sive conditionale.*

[6] Sive obligationem ad poenam. Cfr. II. Sent. d. 42. dub. 1.

[7] Dist. 4. p. I. a. 1. q. 2. ad 2. pro parte negativa, et d. 20. p. II. q. 2. ad 1. seqq. — Pro *alio modo,* quod exhibent codd. CD (I primitus) et ed. 1, alii codd. vel *in alio modo,* vel *in alio modo vel,* vel cum Vat. *in alio vel.*

QUAESTIO II.

Utrum defunctis prosint suffragia facta per malos.

Secundo quaeritur, utrum prosint suffragia facta per malos. Et quod non, videtur.

Argg. pro parte negativa.

1. Ioannis nono[1]: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit:* ergo si non prodest oratio, quam Deus non exaudit; patet etc. *Quodsi dicas,* quod verbum illud non est verum, quia a caeco, non ab Evangelista dictum est; *contra:* hoc non solvit, quia Isaiae primo[2]: *Cum multiplicaveritis orationes, non exaudiam. Manus enim vestrae plenae sunt sanguine;* Glossa: *Sanguine,* id est «peccato»: ergo si omnis peccator et malus est talis, videtur, quod suffragia facta per malos non prosint.

2. Item, Gregorius[3]: «Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur»: ergo potius obsunt, quam prosint.

3. Item, *ratione* videtur: quia nullum opus est satisfactorium, nisi quod fit ex radice caritatis[4]; sed illud non fit sic, quod fit a malo: ergo non satisfacit.

4. Item, iste peccator non est membrum Ecclesiae: ergo nullam habet connexionem cum illo qui mortuus est: ergo opus eius omnino est alienum ab ipso defuncto, ergo nihil ei facit.

5. Item, si malus faceret pro se, nihil sibi prodesset: ergo pari ratione non prodest alii, si faceret pro illo, quia unusquisque efficacius meretur sibi quam alii[5].

Pro parte affirmativa.

Contra: 1. Sacramenta Ecclesiae aeque bona sunt, cum dispensantur per bonos et malos: ergo Missa mali sacerdotis ita prodest ut boni[6].

2. Item, quando servus, existens extra caritatem, dat eleemosynam ad imperium domini, meretur dominus, ac si servus bene[7] daret: ergo similiter in proposito, cum ille, pro quo fit, sit in caritate, valet ei.

3. Item, *ratione* videtur: quia Dominus sua largitate reputat opus factum ab alio, ac si fiat ab eo, pro quo fit; sed[8] ille est in caritate: ergo etc.

4. Item, quando aliquis facit alicui eleemosynam, etsi dans sit extra caritatem, tamen recipiens potest mereri in recipiendo, si recipit ex caritate; sed iste mortuus suffragia vivorum recipit[9] ex caritate: ergo etc.

CONCLUSIO.

Suffragia pro mortuis, exceptis operibus sacramentalibus, si fiant pure a malis, non prosunt, nisi concomitetur caritas viri iusti.

Respondeo: Dicendum, quod quidam dicunt generaliter, quod suffragia Ecclesiae prosunt, sive a bonis fiant, sive a malis. Et ratio huius est, quia tam boni quam mali faciunt secundum doctrinam Ecclesiae et faciunt pro eo qui est in caritate, et ubi deficit caritas facientis, supplet caritas Ecclesiae dictantis et mortui suscipientis. — Sed non credo, breviter, quod oratio peccatoris aliquid mereatur apud Deum nisi solum *dispositive,* quia disponit ad meritum. Opus enim formam recipit a proximo agente, sicut aqua a vase continente, non a fonte; similiter corona valorem et pulcritudinem habet a gemmis et ab auro, et non a quatuor elementis. (Opinio 1. — Non approbatur.)

Et ideo distinguendum, quod suffragia facta aut sunt *opera sacramentalia,* ut celebratio Missae; et tunc, quia opera Dei sunt, ratione contenti prosunt, sive fiant a bonis, sive a malis. Aut sunt *alia opera,* et hoc dupliciter: aut enim fiunt *pure a malis,* sicut aliquis malus orat et se affligit pro aliquo; et tunc non credo, quod valeant defunctis. Aut fiunt a malis ad *imperium alicuius boni,* ut ipsius defuncti vel amici eius, de re, quae illius est, ut[10] eleemosyna; vel ad *consortium alterius,* ut quando duo legunt Psalterium, unus existens in caritate, alter non; et in aliis operibus, ut quando datur eleemosyna iusto, ut oret pro mortuo; et tunc valent ratione caritatis boni hominis coniunctae. (Distinctio. — Conclusio 1. — Subdistinctio. — Conclusio 2. — Conclusio 3.)

Et sic solvuntur rationes ad utramque partem. Concedendum enim, quod non prosunt secundum quod fiunt a malis tantum; concedendum nihilominus, quod prosunt, si concomitatur caritas viri iusti. — Sed tamen ultima ratio non valet, quia defunctorum non[11] est suffragia recipere, sed Dei est acceptare et ex hoc eis parcere; sed non acceptat nisi preces bonorum. Et sic manifesta sunt obiecta ad utramque partem[12]. (Ad argg. — Ad arg. 4. pro parte affirm.)

---

[1] Vers. 31: Scimus autem, quia... non audit.

[2] Vers. 15. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum.

[3] Libr. I. Epist. epist. 25. (alias 24.), circa initium.

[4] Vide supra pag. 428, nota 2. verba August.

[5] Secundum Glossam Bedae in Luc. 5, 20. allegatam tom. II. pag. 661, nota 6.

[6] Cfr. supra d. 13. a. 1. q. 4.

[7] Cod. S *bonus.* Idem cod. in fine arg. pro *ei* substituit *oratio.*

[8] Codd. E I K *si* pro *sed.*

[9] Codd. K P (I a secunda manu) *potest recipere.*

[10] Ita codd. B F G L M S aa (A a secunda manu), alii codd. et edd. *in.* Aliquanto inferius pro *caritatis boni hominis* edd. *doni caritatis homini.*

[11] Vat. omittit *non.* Inferius pro *parcere* codd. aa bb *prodesse.*

[12] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum suffragia magis prosint ei qui magis meruit, an ei, pro quo specialiter fiunt.

Tertio quaeritur, quantum prosint suffragia; et cum non prosint aequaliter omnibus, quaeritur, cui magis prosint, an ei qui magis meruit, an ei, pro quo specialiter fiunt. Et quod ei qui *magis meruit,* videtur.

Ad oppositum. 1. « Ideo prosunt, quia meruit, ut prodessent [1] »: ergo si magis meruit, magis prosunt, quia in *per se praedicatis* talis consequentia tenet.

2. Item, profectus suffragiorum est secundum Dei distributionem: ergo si ipse *non est acceptor personarum* [2], videtur, quod magis debet distribuere ei qui magis est dignus.

3. Item, hoc ostenditur *per impossibile:* quia qui meruit, ut prodessent, citius meruit liberari; sed si non magis prosunt, non citius liberatur: ergo qui meruit citius liberari tardius liberatur. Sed hoc est contra Dei iustitiam: ergo etc.

4. Item, oblatio pretii in cruce aequaliter profuit, ac si esset oblata pro quolibet per se, et tantum prodest cuilibet, quantum meruit: ergo oblatio sacrificii in altari pari ratione, cum sit illius oblationis memoriale: ergo magis ei qui magis meruit.

Contra: 1. Cum Deus exaudit nos, quodam Fundamenta. modo conformat voluntatem suam nobis, quia *obedit Deus voci hominis* [3]*:* ergo si aliquis habens caritatem oret specialiter pro aliquo, videtur, quod Deus specialiter accipit pro illo: ergo videtur, quod magis prosint illis, pro quibus *specialius et crebrius* fiunt.

2. Item, si in vita ista aliquis dives daret eleemosynam, magis sibi prodesset quam alii: ergo si ad eius imperium detur post mortem; cum pro tali habeat Deus, ac si impenderet [4], magis ergo prodest sibi quam alii.

3. Item, Deus acceptat opus secundum intentionem [5]; sed intentio facientis est, quod specialius et magis prosit illi, pro quo facit: ergo etc.

4. Item, *per impossibile* ostenditur: quia, si non prodest magis, ergo non oportet specialiter rogare pro aliquo: ergo movetur stulte tota Ecclesia, quae specialiter orat.

CONCLUSIO.

Suffragia, si fiant in communi, ceteris paribus, prosunt magis ei qui magis meruit; si vero in speciali, magis prosunt ei, pro quo fiunt.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum opinio fuit, ut Praepositivi [6], quod suffragia Ecclesiae, sive specialiter, sive generaliter facta, magis prosint ei qui magis meruit. Et ponunt exemplum: sicut si *candela* accenditur coram divite, non tantum praebet sibi lumen, sed etiam aliis, et eis qui melius vident, maius lumen praebet. Exemplum etiam patet in *lectione,* quae tantum valet, si legatur omnibus in communi, quantum si cuilibet in speciali, et plus valet assistenti, qui melius intelligit, etiam si pro alio legatur, qui minus intelligit, etsi pro ipso legatur specialiter. Si ergo ita est in lumine, quanto [7] magis in Sacramento. Si ita est in lectione; quomodo non in oratione? Absque dubio ita videtur. — Et *si obiiciatur* communis mos Ecclesiae; respondent, quod hoc quod specialiter Ecclesia magis facit pro aliquo, non facit propter hoc, quod magis illi prosit, sed quia libentius facit homo pro eo quem diligit specialius, et magis animatur ad faciendum. Unde si istud esset notum simplicibus, non ita libenter facerent suffragia. — Sed istud non credo, quia, sicut

Opinio 1. Exemplum 1. Exemplum 2. Non approbatur.

---

[1] Secundum August., Enchirid. c. 110. n. 29, quod etiam indicat Vat. cum aliquot codd. verbis illis praemittens: *Quia Augustinus ait.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 2. — Aristot., I. Poster. c. 4, ait: *Per se* autem sunt, quaecumque sunt *in eo quod quid est* [i. e. in essentia], ut triangulo inest linea, et punctum lineae etc.

[2] Act. 10, 34. Cfr. Deut. 10, 17; Iob 34, 19; Rom. 2, 11.

[3] Respicitur Ios. 10, 14: Obediente Domino voci hominis.

[4] Cfr. supra pag. 533, nota 7. — Verbo *impenderet* cod. F (E a secunda manu) praemittit *ipse,* cod. B *ipse per se.*

[5] Vide supra pag. 353, nota 6.

[6] Sum. p. IV. circa finem sub rubrica *De parvulis, qui decedunt baptizati,* ubi etiam ponit casum a Magistro (hic in lit. c. 4.) relatum, scil. de duobus aeque bonis, quorum unus dives, alter pauper est, et quorum prior post mortem habet plura et specialia auxilia, posterior autem solum communia, an tantum iuvetur pauper paucioribus subsidiis, quantum dives amplioribus. Praepositivus, relata duplici responsione Magistri (hic in lit. c. 4.), ait: Quibusdam autem videtur, quod speciales orationes, quae fiunt pro divite, prosunt etiam pauperi, ad similitudinem candelae, quae accenditur pro divite in domo et illuminat omnes circumstantes, alios plus, alios minus secundum vim acuminis visus eorum; ita eleemosyna oblata pro uno, qui est in purgatorio, omnibus prodest et forte plus prodest illi, pro quo non fit, quam illi, pro quo fit, immo potest esse, quod ei non prosit, pro quo fit, ut si est valde malus vel valde bonus; prodest tamen illis, pro quibus non fit, ut domino caeco vel in summa claritate diei constituto, ad cuius honorem in domo obscura candela accenditur, non prodest, sed prodest aliis. Et hoc videtur velle Hieronymus, qui ait: « Cum pro defunctis psallimus animabus, vel Missa cantatur, nil minus, quam si pro unoquolibet ipsorum diceretur, accipitur ». [Vide infra in solut. ad 4.]. Sed obiicient: secundum hoc non debent fieri nisi generales orationes. Ad hoc respondetur, quod necessarium fuit, ut fierent speciales, ad devotionem excitandam; identitas enim mater est fastidii, sicut econtra varietas desiderii. Et hoc mihi placere magis confiteor.

[7] Ita codd. E O R, alii codd. et edd. legunt *lumine creato, magis.* Inferius pro *non facit* codd. E L W *non est,* plures codd. *non.* Subinde pro *prosit* plures codd. vel cum Vat. *prosint* vel *prosunt.*

dicit Augustinus, de Cura pro mortuis agenda [1], sepultura valet in loco sancto propter orationes Sanctorum, qui orant pro eo, ad cuius tumulum memorantur. — *Amplius,* suffragia sunt ad solvendum poenam sive reatum; sed plus est satisfacere pro debito multorum quam unius, et facilius satisfit pro debito unius quam plurium: ergo pluribus indigent suffragiis duo quam unus solus: ergo si dividuntur inter eos, uterque habet minus: ergo non videtur, quod aequaliter se extendant ad omnes. — Et ideo

Reiicitur simile. dicendum, quod illud non est simile: quia *illuminatio* totam speciem rei visae defert ad oculum, et similiter *lectio* totam similitudinem vocis; sed non sic est in *solutione,* sicut est in aspectu et consideratione. Quamvis enim duo creditores aequaliter possint et simul [2] videre unum aureum, non tamen potest aequaliter solvi duobus. Sic intelligendum est in proposito, quod per suffragia fit. Unde refert, utrum fiant pro pluribus, an pro uno.

Et ideo distinguendum est hic, quia suffragia

Conclusio 1, cum distinctione. Ecclesiae aut fiunt in *communi,* aut in *speciali.* Si in *communi,* prosunt ei magis, qui magis meruit, ut prodessent, aliis conditionibus paribus, quia non tantum *dignitas,* sed etiam *necessitas* consideratur [3].

Ad argg. — Et sic probant primae rationes. — Si autem fiant

Conclusio 2. in *speciali;* ei magis prosunt, pro quo fiunt; et sic probant rationes sequentes.

1. 2. Ad illud tamen, quod primo obiicitur, quod

Solutio oppositorum. magis prosunt ei qui magis meruit; dicendum, quod verum est, quantum est *de se,* nisi aliud reformet pactum; et hoc est intentio facientis. — Et similiter ad sequens respondendum, quod Deus distribuit secundum intentionem illius qui offert suffragium.

3. Ad illud quod obiicitur, quod citius meruit liberari; dicendum, quod verum est, ceteris paribus; et quia ille qui minus meruit, maiores et plures habuit adiutores: hinc est, quod citius liberatur ratione auxilii [4] alieni. Et *iterum,* iste meruit citius liberari, non quantum ad ea quae sunt *propria,* sed ad ea quae sunt *communia,* de quibus magis percipit, ceteris paribus.

4. Ad illud quod obiicitur de sacrificio crucis et altaris, dicendum, quod quamvis idem sit, non Notandum. tamen utrobique uniformiter operatur; nam in cruce effusum est pretium in *omnimoda plenitudine,* sed in altari habet effectum *determinatum,* cum quotidie assumatur. Et propter hoc prima oblatio non iteratur, sed secunda iteratur; et ideo non valet illa ratio, quia procedit, ac si esset aequalis effectus. — Et *iterum,* illa *pro omnibus* est oblata, haec autem specialiter potest fieri. Nec obstat illud Hieronymi de Consecratione, distinctione quinta [5]: « Cum pro centum defunctorum animabus psalmus vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet diceretur, accipitur ». Dicendum enim, quod Hieronymus, sicut patet ex adiunctis, loquitur quantum ad meritum *facientis,* non quantum ad utilitatem *eius, pro quo fit* [6].

ARTICULUS III.

De suffragiis, quae Sancti impendunt vivis.

Consequenter quantum ad tertium articulum quaeritur de suffragiis, quae impenduntur vivis a Sanctis sive a defunctis. Et circa hoc quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum Sancti orent pro nobis.

Secundo, utrum Sancti impetrent nobis aliquid suis orationibus.

Tertio, utrum sit nobis utile rogare Sanctos.

QUAESTIO I.

Utrum Sancti orent pro nobis.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod Sancti orent pro nobis:

1. Quia dicitur de Christo, qui est Sanctus San-

Fundamenta. ctorum, ad Hebraeos septimo [7]: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis;* sed Sancti sunt eius imitatores: ergo sicut Christus orat, et Sancti orant.

2. Item, hoc ipsum probatur per illud quod dicitur Ioannis decimo quarto [8]: *Ego rogabo Patrem,*

---

[1] Cap. 4. n. 6. seq. — Inferius pro *quam plurium,* quod non pauci codd. et ed. 1 omittunt, cod. F *quam multorum.*

[2] Cod. F *possint insimul.* Inferius pro *Unde refert* Vat. *Unde non refert,* et pro *quia suffragia* codd. A G *quod suffragia.*

[3] Ut dictum est supra q. 1.

[4] Codd. I K *subsidii,* ed. 1 cum pluribus codd. *consilii.* Inferius vocibus *sed ad* codd. F G aa (bb a secunda manu) interserunt *quantum.*

[5] Can. *Non mediocriter* (24.), in quo dicitur: Dum igitur pro cunctis animabus etc. (In hoc canone generaliter docetur, non mediocriter errare eos qui mediocre et externum bonum v. g. ieiunium, psalmorum decantationem etc., praeferunt magno et interno v. g. caritati et devotioni etc.; cfr. supra pag. 372, nota 8.). — Pro *nihil minus* cod. K (I a secunda manu) *non plus vel minus.*

[6] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Vers. 25.

[8] Vers. 16. — In fine arg. cod. F addit *pro nobis.*

et alium Paraclitum dabit vobis: ergo similiter Sancti orant.

3. Item, Ecclesia communiter orat[1]: « Sancta Maria, ora pro nobis », ergo etc.: ergo si non stulte petit, patet etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia Sancti diligunt nos ex caritate, ergo optant et desiderant salutem nostram; sed constat, quod sciunt, illam non posse esse nisi a Deo, ergo optant illam per Deum: ergo cum desiderium alicuius rei a Deo sit oratio[2], patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Sancti *volunt* nobis salutem vel aliud bonum, aut *non volunt.* Si *nolunt:* ergo non orant; si *volunt;* sed dicit Anselmus in Proslogio[3], quod « Beati erunt omnipotentes suae voluntatis, sicut et Deus suae »: ergo cum « nullus oret quod potest per se », sicut dicit Augustinus de Correctione et gratia; si Sancti possunt, salutem nostram non orant, vel non sunt omnipotentes, si non possunt.

2. Item, ut dicit Damascenus[4], « oratio est ascensus intellectus in Deum »; sed Beati sunt in termino suae contemplationis: ergo eorum intellectus in Deum non ascendit, ergo non orant.

3. Item, beatus est cui ad votum cuncta succedunt; unde Augustinus decimo tertio de Trinitate[5] dicit, quod « Beatus habet quidquid vult »; sed nullus, habens quidquid vult, aliquid orat vel petit: ergo Sancti in patria non orant pro nobis.

Quaestio incidens 1. Item, si Christus orat pro nobis, quaeritur: quare non dicitur in Litania: Christe, ora pro nobis? Ergo si non dicitur, videtur, quod non oret pro nobis, ac per hoc nec Sancti.

Quaestio incidens 2. Item, quaeritur: quare non dirigitur ad Spiritum sanctum oratio, sicut ad Patrem et Filium[6]?

CONCLUSIO.

Sancti in caelo pro nobis orant.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Magister in littera[7], « Sancti pro nobis orant ». — Et huius ratio est duplex: una est, quia vident nostram necessitatem, qua nos indigemus ab aliis relevari; alia propter Dei voluntatem, quia vult, ut unum membrum aliud relevet, et quod *pro invicem sollicita sint membra*[8]*;* unde cum ipsi sint liberati, debent alios adiuvare. (Ratio duplex.)

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod possunt quidquid volunt; dicendum, quod voluntas dupliciter comparatur ad actum: aut ad actum *proprium,* ut volo hoc facere; aut ad actum *alienum,* ut volo, quod alius faciat hoc, scilicet Deus vel homo. Unde dico, quod auctoritas Anselmi est respectu actus *proprii,* sed oratio vel petitio salutis respectu actus *divini,* ut scilicet Deus salvet. (Distinctio.)

2. Ad illud quod obiicitur, quod non ascendit intellectus in Deum; dicendum, quod intellectus dicitur in Deum ascendere tripliciter: aut per *novum aspectum in Deum,* scilicet quando homo revocat cogitationem ab aliis et convertit in Deum; et sic est tantum in viatoribus. — Alio modo, per *aspectum alterius inferioris rei,* ut cum quis cogitat humanam miseriam et implorat misericordiam, ut relevet miseriam; ibi dicitur *aspectus,* non quia de novo aspiciat, sed quia aliud inferius ad illud respiciat; et sic est in Beatis, quando pro nobis rogant, quia tunc nostram indigentiam considerant. — Tertio modo, propter *continuationem intuitus primi;* unde cum quis considerat Deum, qui est super se, et continue considerat, continue ascendit, non quia ad aliud et ad aliud, sed quia super se fertur; et hoc modo continue est in Beatis. Et sic patet istud, quia, si *primo* modo dicatur oratio, ascensus est tantum viae, *secundo* modo est viae et patriae, *tertio* modo tantum patriae[9]. (Distinctio notanda.)

3. Ad illud quod obiicitur, quod Beatus habet quidquid vult; dicendum, quod Beatus aliqua vult *sibi,* aliqua vult *aliis.* Dico ergo, quod ad substantiam[10] beatitudinis est, ut habeat omne quod vult *sibi;* sed ut habeat omne quod vult *aliis,* non est de substantia beatitudinis, sed de consummatione et *bene esse;* et hoc non erit, quousque omnes electi sint glorificati. Tunc enim quilibet habebit quod vult *sibi* et quod vult cuilibet *alii;* et tunc plena est beatitudo. Unde[11] *Beati* orant tantum pro aliis, *miseri* pro se et pro aliis; sed *consummato numero electorum,* non rogabunt pro se nec pro aliis. (Distinctio. — Notandum.)

Ad 1. quaest. incid. Ad illud quod ultimo quaeritur de Christo, di-

---

[1] In salutatione angelica et in Litaniis lauretanis.

[2] Vide supra pag. 368, nota 3. — Pro *prima* conclusione notentur verba Aristot., II. Rhetor. c. 5. (c. 4.): Est igitur *amare* velle alicui bona evenire... et quantum in eo est, efficere, ut illa veniant. — Post *desiderium* codd. G L N Y Z aa (E bb a secunda manu) addunt *vehemens.*

[3] Cap. 25. — Seq. sententia August. habetur in eius libro de *Natura* et gratia, c. 18. n. 20. Cfr. tom. III. pag. 371, nota 3.

[4] Libr. III. de Fide orthod. c. 24. Vide supra pag. 368, nota 3.

[5] Cap. 5. n. 8: Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuo sint beati; continuo autem miseri qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia quae vult, et nihil vult male.

[6] In pluribus codd. et edd. desideratur *et Filium.*

[7] Hic c. 6. — Inferius pro *qua nos,* quod habent codd. G M O S X aa (bb a secunda manu), alii et edd. *quia nos,* et pro *ab aliis* codd. G L aa *ab eis,* Vat. *ab illis.*

[8] Epist. I. Cor. 12, 25. — Mox post *ipsi sint* cod. X addit *membra et sint.*

[9] Cfr. III. Sent. d. 17. a. 2. q. 1. ad 3. — Superius pro *unde cum* codd. G L bb *ut cum.*

[10] Codd. E F *de substantia.*

[11] Ita codd. E G L aa bb, codd. I K *Beati ergo,* alii codd. et edd. *Item Beati.* Pro *plena est* codd. G aa *erit plena.*

Notandum. cendum, quod propter errorem Arii vitandum [1], ne videamur Christum credere creaturam; et ne videamur eius potestatem minuere, qua potest omnia, eius petimus *miserationem*, non *orationem*.

Quod vero quaeritur de Spiritu sancto, dicendum est, quod quia est donum, in quo omnia dona donantur [2], ideo petendus est ipse, non porrigenda est ei petitio. Ad 2. quaest. incid.

SCHOLION.

I. Concilium Trident. (Sess. XXV. decret. de invocatione et venerat. et reliquiis Sanctor.) secundum s. Scripturam et perpetuam traditionem docet: « Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per Filium eius Iesum Christum, Dominum nostrum, qui solus redemptor et salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere » etc. — Conclusiones igitur trium quaestionum sunt *de fide;* unde etiam certum est, aliquo modo eosdem nostras orationes cognoscere (quamvis, absolute loquendo, pro nobis intercedere possent, quin per se ipsos scirent nostras preces, Deo eos ad suffragandam nobis movente). Hoc docet S. Bonav. infra q. 3. ad 4, dub. 9. et d. 50. p. II. a. 1. q. 2, et speciali quaestione probat S. Thom. (hic q. 3. a. 1; Suppl. q. 72. a. 1.). De quatuor modis, quibus preces a Sanctis sciri possint, cfr. Estius (hic § 19.). Communiter docetur, Sanctos in Verbo tanquam speculo voluntario videre ea quae ad ipsos pertinent. Nam, ut uterque S. Doctor locis citt. expresse asserit, et ut per se patet, Sancti videndo Verbum non vident omnia quae in ipso sunt. — Scot., qui hic (q. 1-3.) fuse disputat de *naturali* cognitione animarum separatarum, idem docet, tamen putat (q. 4. n. 2. seqq.), etiam naturali vi eosdem posse nostras orationes videre. — Alii Lombardi commentatores totum hunc articulum aliter distribuunt, unde una citatione eos allegamus.

De tribus huius art. quaestionibus: Scot., hic q. 4. praesertim n. 5. — S. Thom., hic q. 3. a. 1-3; Suppl. q. 72. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 12. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1-3. — Richard. a Med., hic a. 7. q. 1-4. — Durand., hic q. 4. — Dionys. Carth., hic q. 3. 4.

QUAESTIO II.

Utrum Sancti nobis aliqua impetrent suis orationibus.

Secundo quaeritur, utrum Sancti impetrent nobis aliqua suis orationibus. Et quod non, videtur:

1. Quia nullus impetrat aliquid apud Deum, nisi qui est in statu merendi; sed Sancti non sunt in statu merendi: ergo etc. *Si dicas,* quod non merito, quod tunc fit, sed quod praecessit [3]; *contra:* hoc non solvit, quia secundum hoc, etiam si non rogent, nihilominus obtinebimus: ergo nihil nobis facit oratio eorum. *Praeterea,* ipsi sufficienter remunerati sunt de toto eo, quod meruerunt: ergo non meruerunt aliquid aliud: ergo ratione meriti praecedentis non impetrant. Ad oppositum.

2. Item, Sancti per omnia conformant voluntatem suam voluntati divinae: ergo non orant nec petunt, nisi quod Deus vult dare; sed quod Deus vult dare dabit, etiam si Sancti non petant: ergo etc.

3. Item, Sancti vident, utrum orationes nostrae sint exaudiendae, et si non sunt exaudiendae, non petunt: ergo petunt, cum sunt exaudiendae; sed si non peterent, nihilominus petitiones exaudiendae exaudirentur: ergo eorum oratio nihil facit.

Contra: 1. Sancti in via impetrant aliis gratiam et multa bona; sed plus possunt apud Deum in patria quam in via: ergo magis impetrant. Fundamenta.

3. Item, Sancti impetrant [4] pro vivis, quia sunt amici Dei; sed magis sunt amici Dei in patria quam in via: ergo efficacius impetrant.

3. Item, ostenditur *per impossibile:* quia, si non impetrant et orant, sicut supra [5] monstratum est, ergo frustra orant et sunt miseri, quia non impletur eorum voluntas.

4. Item, Sancti ita faciunt miracula post mortem, ut ante: ergo ita impetrant post mortem, ut ante.

CONCLUSIO.

Sanctorum orationes multa nobis bona impetrant.

Respondeo: Dicendum, quod Sanctorum orationes multa nobis bona impetrant, sicut dicit Magister [6], « *merito* et *affectu* »; *merito* quidem praecedenti, quo Deo fidelissime servierunt et tantum locum suis meritis sunt adepti, ut non solum sibi beatitudinem et gloriam meruerint, sed etiam aliis suffragari. — Multa etiam supererogaverunt *affectu:* quia amici Dei sunt facti, et « amicitia est idem Conclusio. Ratio 1. Ratio 2.

---

[1] Cfr. I. Sent. d. 13. dub. 8. — Edd. addunt *dictum est*, cod. O *est.* Inferius post *creaturam* a cod. S additur *puram,* et post *omnia* a cod. F *ideo.*

[2] Vide I. Sent. d. 18. q. 1. — In fine solut. multi codd. et ed. 1 omittunt *ei*, cod. K (I a secunda manu) *ad ipsum.*

[3] Cfr. hic lit. Magistri, c. 2, ubi simile dicitur de merito existentium in purgatorio respectu mitigationis poenarum. — Pro *tunc fit* multi codd. et ed. 1 *tunc sit,* quod plures codd. etiam infra in solut. huius arg. exhibent.

[4] Supple: in via.

[5] Quaest. praeced.

[6] Hic in lit. c. 6, in quo etiam seq. explicatio insinuatur. — Post pauca pro *fidelissime* edd. *facillime.*

velle et nolle [1] »; et cum aliquem ament Sancti, compellunt, ut sic dicam, Deum diligere. Unde beata Virgo multos peccatores Deo reconciliare dicitur.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod non sunt in statu merendi; dicendum, quod verum est *sibi.* Et *praeterea,* non redditur exauditio merito, quod tunc fit, sed merito, quod praecessit. — Quod obiicitur, quod tunc sine oratione fieret; dicendum, Notandum. quod meruerunt non *simpliciter,* quod isti obtinerent [2], sed *sub conditione,* videlicet si ipsi intercederent, vel alii eorum subsidia implorarent; sicut aliqui Sancti in morte petierunt, quod Dominus exaudiret invocantes eorum patrocinium. — Et quod dicit, quod meritum eorum est plene remuneratum; verum est de merito *absoluto,* sed de merito *conditionato* adhuc [3] stat conditio et merendi ratio.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod conformant voluntatem suam divinae per omnia; dicendum, quod, sicut dicit Augustinus, de Praedestinatione Sanctorum [4], quod « orare debemus pro praedestinatis, quia fortasse praedestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur »; et si constaret nobis hoc totum, quod essent praevisi salvari ad nostras preces; deberemus utique pro eis rogare, et fructuose rogaremus, quia ad preces nostras salvantur. Sic intelligendum est in Sanctis, qui vident, quod Deus decrevit nos salvare ad ipsorum preces; ideo instantissime rogant et impetrant [5]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum utile sit nobis rogare Sanctos.

Tertio quaeritur, utrum utile sit nobis rogare Sanctos. Et quod non, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia iste qui convertitur ad rogandum Sanctos, aut est *dignus* exaudiri, aut *non.* Si est *dignus,* etiam sine Sanctis exaudietur; si *non* est dignus, etiam cum Sanctis non exaudietur, nec Sancti rogabunt pro ipso: ergo etc.

2. Item, oratio est species *latriae;* sed « *latria* est cultus soli Deo debitus [6] »: ergo oratio debet fieri soli Deo. — *Si dicas,* quod est species non tantum *latriae,* sed etiam *duliae;* ergo si magis debemus honorare maiores, videtur, quod *male facit* qui instantius rogat minores; et hoc videtur *stultitia,* quia maiores Sancti, ut beata Virgo, potentiores sunt in conspectu Dei.

3. Item, Deus est nobis misericordior et praesentior quam aliquis Sanctus; sed stultus esset qui posset adire regem et inveniret eum benigniorem quam principem, qui, relicto rege, adiret principem: ergo etc.

4. Item, Sancti sunt nobis absentes; sed stultus est qui absenti loquitur: ergo stultus est qui a Sanctis aliquid petit. *Forte dices,* quod ipsi vident in Deo; *contra:* Angeli portant petitiones [7]; sed si lucerent in Verbo, frustra portarent: ergo etc.

Fundamenta. CONTRA: 1. Nos debemus Sanctos Dei honorare; sed qui orat aliquem ipsum honorat: ergo etc.

2. Item, plus possunt Sancti in curia Dei quam aliqui principes in curia regis; sed sapientiae est, volentem [8] impetrare in curia regis deprecari principes: ergo etc.

3. Item, hoc facit communiter Ecclesia; et constat, quod non errat: ergo etc.

CONCLUSIO.

Deus decrevit et voluit, quod Sanctos rogaremus.

RESPONDEO: Dicendum, quod Deus decrevit et voluit, quod Sanctos rogaremus, triplici ex causa, scilicet propter *nostram inopiam, Sanctorum gloriam* et *Dei reverentiam.* — Propter *inopiam* in *merendo,* ut ubi nostra non suppeterent merita, patrocinentur aliena; propter inopiam in *contemplando,* ut qui non possumus summam lucem aspicere in se, aspiciamus in Sanctis; propter inopiam in *amando,* quia miser homo se magis sentit affici circa unum Sanctum quam etiam circa Deum. Ideo compassus *nostrae inopiae* voluit, nos rogare Sanctos. — Ac per hoc patet primum: quia ille qui ante erat indignus, rogat Sanctos, ut eorum patrocinio efficiatur dignus [9]. Conclusio. Causa 1. Ad 1. arg. in oppos.

Secunda causa est *Sanctorum gloria:* quia Deus vult Sanctos suos glorificare, vult per eos Causa 2.

---

[1] Sallust., Catilina c. 20: Nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia est. — Pro *Multa etiam* codd. *Multa enim.*

[2] Codd. A F G L P Q *iste obtineret,* codd. E I K *istud obtinerent,* Vat. *ista obtinerent,* omisso *sed.* Subinde pro *impetrarent* ex codd. A G K N Y aa substituimus *implorarent.*

[3] Cod. S *sed non de conditionato, et ideo adhuc.*

[4] Libro II, qui de Dono perseverantiae dicitur, c. 22. n. 60: Fortassis enim sic praedestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur et accipiant eandem gratiam, qua velint atque efficiantur electi. — Pro *concedantur* edd. *confirmentur.* Inferius pro *et fructuose,* quod praebent codd. L U, cod. F *nec infructuose,* alii codd. et edd. *ut fructuose.*

[5] Cfr. hic lit. Magistri, c. 6. circa finem. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Secundum August., X. de Civ. Dei, c. 1. n. 2. Cfr. III. Sent. d. 9. a. 2. q. 1. seqq., ubi etiam de *dulia.* — Verbis *Si dicas* plures codd. et ed. 1 praefigunt *Item.* Subinde pro *debemus,* quod in pluribus codd. desideratur, nonnulli codd. *debet,* et pro *honorare* cod. L *orare.*

[7] Tob. 12, 12. dicit Raphael: Ego obtuli orationem tuam Domino. — Pro *lucerent* cod. F *viderent.*

[8] Pro *volentem* cod. O *alicui volenti.*

[9] Vat. *indignus de se, rogando* [etiam alii codd., excepto A, *rogando*] *Sanctos, eorum patrocinio efficitur dignus.*

miracula facere in[1] corporibus et salutem in animabus, ut ipsos laudemus; et hoc non tantum per supremos Sanctos, sed etiam infimos; unde sicut aliquis sanatur corporaliter invocando Linum et non invocando Petrum, alius e converso: sic et spiritualiter. — Et sic patet secundum, quia Deus vult, honorem duliae omnibus Sanctis dari.

Ad 2. arg.

Tertia causa est *Dei reverentia*, ut peccator, qui Deum offendit, quasi non audeat Deum in propria persona adire, sed amicorum patrocinium implorare. — Et sic patet tertium obiectum, quia bonum est aliquando a Deo resilire ob reverentiam.

Causa 3. Ad 3. arg.

4. Ad illud autem quod obiicitur, quod sunt absentes; dicendum secundum Magistrum[2], quod revelantur a Verbo eatenus, qua expedit saluti nostrae. — Et quod dicitur de Angelis, quod offerunt Deo petitiones nostras; hoc dicitur, quia ipsum consulunt super petitionibus nostris, ut sciant, qualiter erga nos debeant ministrare. — *Si autem quaeratur,* qualiter quis invocet beatum Petrum, cum sit mortuus; dicendum, quod invocatur *spiritus* Petri; et quoniam spiritus habet *esse* gloriosum et perfectum: ideo, ne videamur eius gloriam diminuere, *synecdochica* locutione quod est totius attribuimus parti, vel locutionem, quam dirigimus ad animam, attribuimus toti. Et sic patet illud[3].

Ad 4. arg. Quaest. incid. solvitur.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo dubitatur de hoc quod dicit, quod *maius erit gaudium Sanctorum in resurrectione.* Videtur enim male dicere, quia gaudium Beatorum totum consistit in visione Dei; sed visio Dei tota est animae, non corporum: ergo si animae sunt in statu comprehensionis et completae visionis, ergo ipsarum gaudium nunquam augebitur.

Respondeo: Dicendum, quod *gaudium augeri* est dupliciter: vel *numerositate,* vel *intensione* sive qualitative. Augmentum gaudii quantum ad *numerositatem* non ponit augmentum in praemio *essentiali,* quia illud est in uno solo, sed in praemio *accidentali,* quod consistit in gaudio de bono creato; et illud potest augeri, maxime quantum ad *obiectum,* ut de pluribus gaudeat tunc quam prius. — Si loquamur *intensive,* sic non augetur nisi *per accidens,* quia inclinatio animae ad corpus, quae ipsam retardat, « ne tota intentione feratur in summum caelum[4] », illa, inquam, auferetur. Et sic patet, quomodo istud potest intelligi dupliciter. — Aliqui tamen non habent pro inconvenienti, quod *simpliciter* tunc augeatur et gaudium, quia magis aperietur Dei Verbum ad illuminandum, et per consequens ad delectandum[5].

Distinctio. Aliter.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *animas abditis receptaculis tenet;* quaeritur, pro quanto dicantur *abdita receptacula.*

Et dicendum, quod receptacula illa dicuntur *abdita,* non quia sint alia receptacula animarum nunc et post iudicium, sed quia eadem nunc sunt nobis incognita, sed post iudicium et resurrectionem erunt nobis nota. — Si autem quaeratur ratio; dicendum, quod ratio huius est, ut *fides habeat locum,* quae est de non visis; unde meremur et in credendo paradisum et in credendo infernum, cum iam non videamus. *Beati enim qui non viderunt et crediderunt*[6]. — Non tantum est autem ad fidei meritum, sed etiam ad *probandum humanum affectum;* unde voluit Dominus, quod mors nostra similis esset morti bestiarum, ut probaret corda filiorum hominum[7].

Resp. Ratio.

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *sacrificio salutari non est dubium mortuos adiuvari.* Videtur enim falsum dicere, quia sacrificium altaris est Sacramentum Ecclesiae; sed Sacramenta Ecclesiae non prosunt nisi in statu viatoris: ergo etc. — Item, quaeritur iuxta hoc: cum alia Sacramenta non prosint post mortem, unde est, quod hoc Sacramentum altaris prodest?

Quaestio incidens.

Respondeo: Dicendum, quod aliter prodest Sacramentum altaris *vivis,* aliter *mortuis.* Vivis enim prodest sub ratione *Sacramenti* et cibi, mortuis autem prodest sub ratione *sacrificii.* In quantum enim *Sacramentum* est, cibat et dat gratiam et perfectionem manducanti. In quantum autem *sacrificium,* Deum placat; hostiae enim placant[8]; et quoniam Deus iratus est, non *affectione,* sed *poenae inflictione:*

Notanda distinctio.

---

[1] Cod. X *facere, sanitatem in.*

[2] Hic in lit. c. 6, ubi etiam de seq. solut.

[3] Vide scholion ad 1. huius art. quaest. — Superius post *vel* cod. G addit *potius,* quod edd. verbo *attribuimus* praefigunt.

[4] Ut dicit August., XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68. Cfr. supra pag. 892, nota 6. — Pro *tota intentione* plures codd. vel *tota intensione,* vel *intentione (intensione),* vel *intensive,* Vat. *intensius.* Edd. prosequuntur *quam in illam, aufertur.*

[5] Cfr. infra d. 49. p. II. sectio 1. a. 1. q. 1, ad quam dist. tam S. Thom. quam Richard. a Med., ponentes idem dub. (hic circa lit.), lectorem revocant.

[6] Ioan. 20, 29.

[7] Respicitur Eccle. 3, 18. seq., supra pag. 887, nota 2. allegatum. — Idem dub. solvit Richard. a Med., hic circa lit.

[8] Exod. 29, 33: Ut sit placabile sacrificium etc.; Num. 5, 8: Ut sit placabilis hostia. — Subinde pro *sed poenae inflictione* edd. *inflictionis.*

ideo Deum placando non sedat ipsius *affectionem*, sed remitti facit *poenae acerbitatem*.

Ad quaest. incid. Notandum. Quod quaeritur: quare alia Sacramenta non prosunt? dicendum, quod aliorum Sacramentorum dispensatio respicit actum *in persona* vel *circa personam*, sicut patet in baptismo; et ideo non potest baptizari, nisi qui praesto est in aquam mergi; sed sacrificium est actus *pro persona*. Et quoniam actus *in personam* requirit personam actu existentem, sed *pro persona* non; sicut Christus obtulit se Patri pro illis qui fuerunt et qui futuri sunt [1], sic sacrificium prodest his qui finierunt vitam.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *pauperes Christi sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis*. Secundum hoc obiicitur: quia qui diligit alium et orat pro pecunia dat spirituale pro temporali; et omnis talis est simoniacus: ergo etc.

Respondeo: Dicendum, quod *mammona* hic appellatur possessio terrena; de hac facit homo sibi pauperes amicos, dum eorum subvenit necessitatibus [2]; pauperes enim Christi grati sunt beneficiis. Et Notandum. ita patet, quod beneficium temporale non est sicut *finis motivus*, sed sicut *aliquid inducens*; et quoniam hoc non principaliter intendunt, ideo propter hoc non orant *finaliter;* et oratio non venditur, sed impetratur *per accidens*, scilicet per acquisitionem amoris.

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicitur, quod *iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia*. Videtur enim male dicere, quia orationes « pro valde bonis sunt gratiarum actiones [3] »; sed qui agit gratiam pro Sanctis non facit eis iniuriam: ergo etc. — Item, quod licet nobis desiderare licet et petere; sed desiderare possumus honorem Sanctorum: ergo orare debemus pro ipsorum honore.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus hic *orare pro aliquo* dicit orare pro eius salute; nullus autem orat [4] pro eo quod iam habet: si ergo constare debet nobis, quod Martyres statim beatificantur, sicut nullus debet de eorum gloria dubitare; ita nullus debet pro eis orare. Si enim orat, videtur praesumere, Notandum. quod non fuerit in gloria, et ita quod non sit Martyr vere, et non tantum praesumere, sed etiam exterius innuere, ac per hoc iniuriam Martyri facere.

Quod ergo obiicitur, quod sunt gratiarum actiones; dicendum, quod istud est verum, quando Ecclesia de salute alicuius potest probabiliter dubitare.

Quod obiicitur, quod desiderandus est honor Sanctorum; dicendum, quod verum est; sed cum Notandum. hoc petimus, non ipsis [5] Sanctis petimus, sed petimus nobis, ut nobis innotescat eorum virtus perfecta, et detur affectio bona ad laudem divinam, sive ipsorum. — Si quis tamen contendat, hoc esse orare Aliter. pro Martyre; dicendum, quod isto modo non intelligit Augustinus, sed eo, quod orare pro aliquo est petere salutem eius, vel accelerationem salutis [6].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Nec habebat tantae perfectionis merita, quae his suffragiis non egerent*. Videtur enim, quod omnes sint tales, quia super illud secundae ad Corinthios octavo [7]: *Ut illorum abundantia;* Glossa: « Qui vivunt in hoc saeculo non habent merita ad vitam sufficientia, nisi iuventur merito Christi et Angelorum ». — Sed *contrarium* videtur: quia aut *habet* veram caritatem, aut *non*. Si *non:* ergo nullum habet meritum; si *habet:* ergo cum habeat Spiritum sanctum, et ita pignus hereditatis aeternae [8], habet sufficientiam.

Respondeo: Dicendum, quod tria sunt genera Tria genera hominum bonorum. hominum habentium caritatem in hac vita. Quidam Primum genus. enim habent caritatem perfectam et absolutionem ab omni culpa et poena, et tales sibi sufficiunt; sed hi potius sunt in caelis quam in terris; *talium enim conversatio in caelis est* [9]. — Quidam habent per- Secundum. fectum amorem, tamen propter mala opera praecedentia sunt obligati ad poenam; et tales indigent suffragiis, non ad salutis obtentionem, sed accelerationem. — Quidam habent caritatem imperfectam, Tertium. ita quod proni sunt ad casum et obligati sunt multis reatibus peccatorum; et tales vivunt in hoc sae-

---

[1] Cfr. Hebr. 9, 14. seqq. — Idem dub. solvitur a Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Vide August., Serm. 41. (alias 18. inter 50 homil.) n. 1. et Serm. 113. (alias 35. de Verbis Domini) n. 2. seqq. Cfr. etiam Ambros. et Beda in Luc. 16, 9. — Inferius pro *grati sunt* edd. *orant, ut grati suis*. Pro *beneficiis* cod. U *benefactoribus*, pro *temporale* cod. F *recipere*, et pro *motivus* codd. N aa *movens*.

[3] Secundum August., hic in lit. Magistri, c. 2. — In fine seq. arg. verbo *debemus* cod. aa secundum contextum bene praemittit *possumus et*.

[4] Edd. et aliquot codd. omittunt *nullus autem orat*, pro quo cod. F *et*, edd. legunt: *pro alicuius salute, quam*, quae etiam inferius pro *fuerit... non sit Martyr* substituunt: *sint... non sint Martyres*.

[5] Non pauci codd. addunt *scilicet*.

[6] Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 7; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[7] Vers. 14. — In Glossa, quam referunt Petr. Lombard. (a quo tribuitur Augustino) et Lyranus, textus originalis finem sic exhibet: *nisi iuventur per alios*.

[8] Eph. 1, 14: Qui est pignus hereditatis nostrae.

[9] Phil. 3, 20: Nostra autem conversatio etc. — Superius in edd. et nonnullis codd. desideratur *in hac vita... caritatem*. Inferius vocibus *sed accelerationem* codd. R T interserunt *ad salutis*.

culo, licet non omnino se conforment saeculo, et indigent suffragiis, ut in caritate permaneant, et ut exeuntes de terra[1] tormenta non eos detineant.

Dub. VII.

Item de hoc quod dicit: *Ut quodam modo eas offerant Deo* etc.; quaeritur, per quem modum Angeli offerunt Deo petitiones nostras, utrum scilicet *propter se*, an *propter nos*.

Respondeo: Dicendum, quod sicut videmus in causis terrenis, quod qui nescit loqui coram praetore conducit advocatum, qui loquatur et alleget pro ipso; sic in spiritualibus intelligendum, quod cum nos nec perorare, immo quasi nec balbutire sciamus coram Deo[2], quod Angelus tanquam advocatus et allegator magnus in illa superna curia assumit verbum et orationem nostram proponit.

Notandum.

Si autem quaeritur, per quem modum habeat esse; dico, quod *loqui nostrum* et oratio nostra est desiderium alicuius rei vel petitio formata secundum desiderium; et quando[3] desiderium nostrum ex mera et vera et ardenti dilectione est, tunc fortiter clamamus in auribus Dei et tunc optime peroramus. Et quoniam affectiones nostrae sunt tepidae, et affectiones Angelorum ferventissimae et magis elevatae ad ipsum; desiderando pro nobis quod nos desideramus, cum accedant ad Deum familiarius et proximius, dicuntur *sibi offerre;* et quod Deus vidit nos primo petere et approbare per os nostrum, secundo magis approbat per os et desiderium Angelorum. Et quoniam istud dicitur *noscere,* quod approbat[4]; hinc est, quod petitiones nostrae dicuntur *apud Deum innotescere* non solum per nos, verum etiam per Angelos. Angeli enim dicuntur loqui Deo per affectiones voluntatis et per adminiculum rationis, sicut exponit Gregorius super principium Iob[5].

De modo.

Dub. VIII.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *bonum est de operibus suis eius consulere veritatem.* Videtur enim male dicere: quia istud consilium dicit inquisitionem, et ita ratiocinationem; sed Angeli, ut dicit Dionysius[6], habent intellectum *deiformem:* ergo in eis non cadit consilium.

Respondeo: Dicendum, quod *consulere aliquem* hoc est dupliciter: aut ut per *indagationem* et inquisitionis discussionem perveniat ad cognitionem rei dubiae; aut ut per *illustrationem* eius subito cognoscat, quomodo debeat facere[7]. Primum est humanum, secundum vero non solum humanum, sed etiam angelicum esse perhibetur.

Distinctio.

Dub. IX.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Ut ipsi a Deo discant* etc. Videtur enim male dicere, quia beatus Gregorius[8] dicit: « Quid est quod non vident qui videntem omnia vident »?

Respondeo: Dicendum, quod multa addiscunt Angeli sive per ipsum Verbum et per alios Angelos, sive per experientiam[9]. Quod autem dicit Gregorius non intelligitur, quia omnia videant, sed quia vident istud unum, quod est melius videre quam omnia. Unde sicut ille qui habet Deum, dicitur omnia habere, non quia omnium sit possessor, sed quia habet illud unum, cui non possunt aequiparari omnia; ideo per aequipollentiam vel supervalentiam dicitur *habere omnia;* sic qui novit Deum dicitur *omnia nosse*[10].

DISTINCTIO XLVI.

Cap. I.

Si valde malis praestetur mitigatio poenae.

Sed quaeritur hic de valde malis, utrum et ipsi in aliqua poenarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, ut minus, quam meruerint, puniantur. — Quidam autumant, eos nullam relevationem poenae habituros; quod confirmant Iacobi[1] auctoritate dicentis: *Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Augustinus etiam ait: « Misericordia hic, iudicium in futuro ».

Opinio 1. **Augustinus.**

---

[1] Codd. G N Y aa (bb a secunda manu) *de carne.*

[2] Cfr. tom. III. pag. 175, nota 2. — Superius pro *qui loquatur* (edd. *ut loquatur*) plures codd. *et loquitur;* codd. I K *ut alleget,* omisso *loquatur et.* Inferius pro *et... proponit* edd. *ut... proponat.*

[3] Cod. U addit *petitio nostra et.* Post pauca cod. S voci *affectiones* praemittit *orationes et.*

[4] Vide I. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. in corp.

[5] Libr. II. Moral. c. 7. n. 10, ubi explicatur Iob 1, 8. Pro *adminiculum* cod. O *adiutorium,* cod. S *adinventiones,* cod. A *admirationes* (cod. M *admirationem*), quod magis Gregorio concordat. Cfr. tom. II. pag. 85, nota 2. et pag. 268, nota 3. — Idem dub. solvit Richard. a Med., hic circa lit.

[6] De Div. Nom. c. 7. § 2. Cfr. tom. II. pag. 177, nota 5. — Damasc., II. de Fide orthod. c. 22: Deus quippe non deliberat, quia ignorantis est *consilium* inire (cfr. tom. I. pag. 714, nota 5.).

[7] Cfr. I. Sent. d. 6. dub. 5. et III. Sent. d. 35. q. 4. ad 2. — Vide de hoc dubio S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

[8] Libr. II. Moral. c. 3. n. 3: Quid enim de his quae scienda sunt, nesciunt qui scientem omnia sciunt? Cfr. IV. Dialog. c. 33.

[9] Cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 1. ad 1. et III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. in corp.

[10] Vide II. Sent. d. 11. dub. 2.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Cap. 2, 13. Seq. locus est August., Enarrat. in Ps. 100. n. 1, deinde Enarrat. in Ps. 118 (v. 151.) serm. 29. n. 8.

Idem distinguens, quomodo omnes viae Domini sint *mi-*
Augustinus. *sericordia* et *veritas*, ait: « Erga Sanctos omnes viae Dei misericordia, erga iniquos omnes veritas; quia et in iudicando subvenit, et ita non deest *misericordia*, et in miserando id exhibet, quod promisit, ne desit *veritas*. Erga omnes autem, quos liberat et damnat, omnes viae sunt misericordia et veritas, quia, ubi non miseretur, vindictae veritas datur ». Dicens: *ubi non miseretur*, dat intelligi, aliquid a Deo fieri, ubi ipse
Opinio 2. non miseretur. — Sed his occurrit quod ait Cassiodo-
Cassiodorus. rus super Psalmum quinquagesimum [1], loquens de misericordia et pietate Dei, « Hae duae, inquit, res iudicio Dei semper adiunctae sunt ». Ergo et in punitione malorum non est iustitia sine misericordia. Idem de misericordia et iudicio ait: « Haec duo mutua societate sibi iunguntur ». In his breviter omnia opera Dei includit. Augustinus [2] quoque, respondens illis qui reproborum supplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, asserens reprobos perpetuo puniendos, ut eorum supplicia aliquatenus mitigari
Augustinus. non neget. « Frustra, inquit, nonnulli aeternam da-
Dubium 1. mnandorum poenam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt, non quidem Scripturis adversando divinis, sed pro suo motu dura quaeque molliendo et in leniorem flectendo sententiam, quae putant in eis terribilius esse dicta quam verius. *Non enim*, inquiunt, *obliviscetur misereri Deus*, *aut continebit in ira sua misericordias suas.* Hoc quidem in Psalmo legitur, sed de his intelligitur, qui sunt *vasa misericordiae*, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante, de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, ut damnationem opinentur finiri posse eorum, de quibus dictum est: *Ibunt hi in supplicium aeternum;* ne hoc modo putetur habitura finem felicitas eorum, de quibus e contrario dictum est: *Iusti autem in vitam aeternam.* Sed poenas damnatorum certis temporibus existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Et sic quippe intelligi potest *manere ira Dei* in illis, id est ipsa *damnatio*. Haec enim vocatur *ira Dei*, non divini animi perturbatio, ut in ira sua, id est manente ira sua, non contineat miserationes suas, non aeterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus; quia nec Psalmus ait ad *finiendam* iram
Dubium 2. suam, vel *post* iram suam, sed *in* ira sua. Quae si sola esset *alienari a regno Dei*, *carere magna multitudine dulcedinis Dei;* tam grandis tamen est poena, ut ei possint nulla tormenta, quae novimus, comparari, si illa sit aeterna, ista autem sit quamlibet multis
Augustinus. saeculis longa ». « Manebit ergo sine fine mors perpetua damnatorum, et omnibus erit ipsa communis, sicut manebit communiter omnium vita aeterna Sanctorum ». — Ecce, ita asserit hic, poenas reproborum non esse
Iudicium Magistri. finiendas, quod non improbat, si dicatur, eorum supplicio aliquod levamen adhiberi. Unde non incongrue dici potest, Deum, etsi iuste id possit, non omnino tantum punire malos in futuro, quantum meruerunt, sed aliquid eis, quantumcumque mali sint, de poena relaxare. Dubium 3.

Quod ergo dictum est: *iudicium sine misericordia fieri illi qui non fecit misericordiam;* ita intelligi potest, quod iudicium damnationis fiet illi qui non fecit misericordiam, pro eo quod fuit sine misericordia; vel fiet iudicium ei sine misericordia liberante et salvante, qui tamen in aliqua poenae alleviatione misericordiam Dei sentiet. Ita cum dicitur: misericordia hic, iudicium in futuro; non negatur, quin in futuro sit misericordiae effectus et in electis, qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur, et in reprobis, qui minus, quam meruerint, cruciabuntur. Sed *hic* non sine causa dicitur *fieri Dei misericordia*, et *iudicium in futuro;* quia et hic multis modis miseretur Deus, quibus non miserebitur tunc; vocat enim nunc peccatores et iustificat, quod tunc non faciet; et tunc, reddens singulis secundum merita, *manifeste* iudicabit qui nunc *occulte* iudicat. Expositio Magistri.

Cap. II.

De occulto Dei iudicio.

Cuius « occultum iudicium, ut ait Augustinus [3], Augustinus. intelligitur poena, qua quisque vel exercetur ad purgationem, vel movetur ad conversionem, vel, si contemnit, excaecatur ad damnationem ». Occultum igitur iudicium Dei *poena* dicitur, quia iudicat purgando, convertendo, excaecando. *Iudicia* quoque Dei interdum appellantur dispositiones [4] eius de omnibus rebus; unde: *Quam incomprensibilia sunt iudicia eius!* et, *iudicia* Dubium 4.
eius abyssus multa. Iudicium autem, quo in futuro iudicabit, intelligitur sententia, quia *ventilabitur area*, id est, dividentur localiter boni a malis ministerio Angelorum; et isti in vitam ducentur, illi in supplicium mittentur, qui nunc simul mixti sunt.

Cap. III.

De iustitia et misericordia Dei.

Sed quomodo iustitiam Dei et pietatem, id est mi- Obiicitur de Cassiodoro.
sericordiam, supra Cassiodorus *duas res* dixit, quae semper adiunctae sunt Dei iudicio? Iustitia enim Dei et misericordia non *duae res*, sed *una res*, id est divina essentia, est, sicut supra [5] pluribus auctoritatibus ostensum est: quia non est Deo aliud esse misericordem quam misericordiam, nec iustum quam iustitiam, sed idem prorsus. Nec aliud est esse misericordem quam iustum, vel misericordiam quam iustitiam, sed omnino idem; quia non *denominative*, sed *essentialiter* haec de Deo dicuntur. Cur igitur dicit Scriptura de operibus Dei, quaedam esse misericordiae, quaedam iustitiae? Si enim iustitia Dei misericordia est; quaecumque sunt opera misericordiae, esse videntur iustitiae,

---

[1] Vers. 15. Seq. locus eiusdem est Expositio in Ps. 100, 1.
[2] Enchirid. c. 122. n. 29. In toto loco citantur Ps. 76, 10; Rom. 9, 23; Matth. 25, 46; deinde respicitur Ioan. 3, 36. — Seq. locus est ibid. c. 113. n. 29.

[3] Enarrat. in Ps. 9. n. 1.
[4] Ita codd. et ed. 1, in aliis *dispensationes.* Deinde citantur Rom. 11, 33; Ps. 35, 7; Matth. 3, 12. et 25, 46.
[5] Libr. I. d. VIII. XIX. XXII.

Resp. et e converso. — His responderi potest sic: illis locutionibus, quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiae, alia iustitiae, alia bonitati attribuantur; non diversitas *subiacentis*, id est rei his vocabulis significatae, exprimitur, sed varietas sensuum et effectuum in *creaturis* monstratur. Cum enim dicitur Deus *iustus* vel *iustitia*, essentia divina praedicatur; et etiam, quod ipse sit distributor et iudex meritorum, intelligi datur. Ita et, cum dicitur *misericors*, essentia divina praedicatur, et insuper, quod ipse sit miserorum liberator intelligi datur. Similiter, cum dicitur *bonus*, essentia divina praedicatur, ut cum dicitur *Deus*, et insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Ita et, cum dicitur *Deus*, essentia divina praedicatur, et ipse timendus ostenditur. Inde ergo quaedam *opera misericordiae*, quaedam *iustitiae* dicuntur, non quin essentia divina haec et illa operetur, et quin haec et illa sint opera divinae essentiae, quae dicitur mise-

Dubium 5. ricordia et iustitia; sed quia quaedam sunt, quibus ostenditur *iudex* et *aequus distributor*, quaedam, quibus ostenditur *miserator* — *misericors* enim dicitur in natura, *miserator* in exhibitione — et in quibusdam operibus dicitur effectus *misericordiae* esse, in quibusdam effectus *iustitiae*, non quod aliud efficiat iustitia, aliud misericordia Dei, si ad essentiam referas, sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur *iudex*, ex quibusdam *miserator*, vel ut quibusdam placet, *iustus* et *misericors*.

Sed secundum hoc occurrit quaestio, quomodo ex

Quaestio alia solvitur. aliis ostendatur *iustus* et ex aliis *misericors*, cum sit ei idem esse *iustum* et esse *misericordem*. Si enim secundum eandem rationem dicitur *iustus* et *misericors*, ex eo opere, quo intelligitur *iustus*, intelligitur *misericors*, et e converso. — Sed dixi supra, quia, cum dicitur Deus *iustus* et *misericors*, ita eadem divina essentia significatur, et secundum eam idem praedicatur, ut etiam quaedam diversa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum *miseratorem* et *iustum iudi-*

Origenes. *cem*. Quod evidenter Origenes[1] ostendit dicens: « Omnia quae Dei sunt, Christus est: ipse sapientia eius, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia. Sed cum unum sit in subiacente, pro varietate sensuum diversis

Dubium 6. nuncupatur vocabulis. Aliud enim significat *sapientia*, aliud *iustitia*. Quando enim *sapientia* dicitur, disciplinis te divinarum humanarumque rerum instruere intelligitur; quando *iustitia*, distributor et iudex meritorum insinuatur. Ita et *prudentia* cum dicitur, doctor et demonstrator bonarum et malarum rerum vel neutrarum intelligitur ».

Cap. IV.

Quare quaedam opera dicuntur iustitiae, quaedam misericordiae vel bonitatis Dei.

Quod autem quaedam opera *misericordiae*, quaedam *iustitiae*, quaedam *bonitati* attribuantur, in Scripturis facile est reperire. Et de *misericordia* quidem et *iustitia* manifestum est, de *bonitate* vero et *misericordia* amplius latet. Sed Augustinus[2] docet, illa opera proprie ad *misericordiam* pertinere, quibus aliqui a miseria liberantur; ad *bonitatem* vero non solum illa, sed facturam et gubernationem naturalium, ita dicens: « Ad *misericordiam* pertinet, quod a peccatis mundat Augustinus. et de miseria liberat; ad *bonitatem* vero, quod caelum et terram et omnia valde bona creavit, ut essent ». Idem: « Caeli non indigent misericordia, ubi nulla est miseria; in terra hominis abundat miseria, et superabundat Domini misericordia. Miseria igitur hominis et *misericordia* Domini *plena est terra*, non *caeli*, qui non indigent misericordia, indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur ». Item alibi: « *Misericordia* est erga miseros, *bonitas* erga quoslibet ». — Interdum tamen *misericordia* large accipitur ut *bonitas*.

Cap. V.

Quomodo universae viae Domini dicuntur misericordia et veritas.

Post haec considerari oportet, ex quo sensu *universae viae Domini* dicantur *misericordia et veritas*[3]. — Hoc multiplicem recipit expositionem. Universae enim Expositio 1. viae Domini misericordia et veritas, quibus *ad nos venit*, ut ait Augustinus super Psalmum, intelliguntur Augustinus. *duo adventus: primus*, in quo manifestam et multiplicem misericordiam nobis exhibuit; et *secundus*, in quo requirendo merita iustitiam exhibebit. Universae etiam viae Domini, id est, quibus *ad Dominum ascendimus*, sunt *iustitia*, qua a malo declinamus, et *misericordia*, qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur. — Sed cum superius Cassiodorus dixerit, in his duobus omnia opera Dei includi; merito quaeri potest, an in omni opere Domini haec duo mutuo sibi iungantur. — Quibusdam placuit, non in omni Expositio 2. opere Domini haec duo concurrere, secundum *effectum* dico; nam secundum *essentiam* non dividitur misericordia a iustitia, sed unum est; verum secundum *effectum* non in omni opere dicunt esse misericordiam et iustitiam, sed in quibusdam tantum *misericordiam*, in aliis *iustitiam*, atque in aliis *misericordiam et iustitiam*. Fatentur tamen, Deum omnia quae facit, misericorditer agere et iuste, referentes rationem dicti ad Dei *voluntatem*, quae iustitia est et misericordia, non ad *effectus* misericordiae et iustitiae, qui sunt in rebus. — Aliis autem videtur, quod sicut dicitur Deus Expositio 3. omnia opera sua facere iuste et misericorditer; ita concedendum sit, in omni opere Dei iustitiam esse et misericordiam, id est clementiam, secundum effectum vel signum, quia nullum opus Dei est, in quo non sit effectus vel signum aequitatis vel clementiae, sive occulte, sive aperte. Aliquando enim manifesta est clementia sive benignitas, et occulta aequitas, aliquando e converso.

---

[1] Homil. VIII. in Ieremiam, n. 2.

[2] Enarrat. in Ps. 135. n. 4. Seq. locus est Enarrat. 2. in Ps. 32. serm. 2. n. 4, ubi respicitur cit. Psalmi v. 5. Tertius est eiusdem Enarrat. in Ps. 24. n. 10, secundum sententiam verbotenus in Glossa apud Lyranum ibid.

[3] Psalm. 24, 10; verba Augustini sunt loc. cit.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLVI.

De statu et conditione animarum damnatarum.

Sed quaeritur hic de valde malis etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de statu et conditione animarum bonarum. In hac parte agit de statu et conditione animarum damnatarum[1]. Unde in hac parte Magister quaerit, utrum animae damnatae recipiant unquam mitigationem in poena per benignitatem misericordiae, an solummodo puniantur per severitatem iustitiae. Et haec pars dividitur in duas. In prima quaerit et determinat. In secunda ostendit, qualiter misericordia Dei in omni[2] opere currit cum iustitia, ibi: *Sed quomodo iustitiam Dei et pietatem* etc.

Prima pars habet duas. In prima investigat et opponit. In secunda determinat et solvit, ibi: *Unde non incongrue dici potest* etc.

Similiter secunda pars habet duas. In prima comparat misericordiam et iustitiam ad invicem. In secunda vero comparat ad operationem, ibi: *Quod autem quaedam opera misericordiae* etc. Et illa secunda pars habet duas. In prima ostendit, quod quaedam opera aptantur misericordiae, quaedam iustitiae. In secunda vero determinat, quomodo illud intelligitur: *Universae viae Domini misericordia et veritas*[3], ibi: *Post haec considerari oportet.* — Et sic duo determinat hic principaliter, scilicet utrum poenae malorum recipiant mitigationem. Secundo vero, quomodo misericordia et veritas eandem respiciant operationem.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae determinat Magister in littera, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum poena malorum recipiat mitigationem.

Secundo quaeritur, quomodo misericordia et veritas eandem respiciant operationem.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum aliqua mitigatio poenae fiat damnatis propter suffragia Ecclesiae.

Secundo, utrum fiat mitigatio propter pietatem misericordiae.

Tertio, utrum Deus agat misericordius cum uno quam cum altero.

Quarto, utrum agat iustius cum uno quam cum altero.

ARTICULUS I.

De mitigatione poenae malorum.

QUAESTIO I.

Utrum per suffragia Ecclesiae aliqua mitigatio fiat damnatis.

Quantum ergo ad primum sic proceditur, et ostenditur, quod per suffragia Ecclesiae aliqua mitigatio fiat damnatis:

1. Primo per Augustinum in Enchiridio[4], qui Ad oppositum. dicit, quod « quibus prosunt vel ad hoc prosunt, ut plena fiat remissio, vel ut tolerabilior sit eis damnatio »: ergo si damnatio est in damnatis, videtur, quod illa possit mitigari.

2. Item, Augustinus[5] dicit, quod poena Arii non est determinata, quia augetur, secundum quod pec-

[1] Codd. A F G I K V *damnatorum.*

[2] Fide codd. B C G Q aa (bb a secunda manu) supplevimus *omni.*

[3] Psalm. 24, 10. — Superius post *iustitiae* edd. addunt *quaedam pietati.*

[4] Cap. 110, n. 29. Vide supra lit. Magistri, d. XLV. c. 2. — Inferius pro *ergo si damnatio* edd. *ergo si punitio.*

[5] Hanc sententiam, quae etiam Hieron. tribuitur, Guliel. Antissiod., S. p. IV. tr. 14. q. 1, sic exhibet: « Item dicit Augustinus, quod incerta est poena Arii, quia incertum est, quot

cantes suo errore multiplicantur; sed Deus pronior est ad miserandum quam ad condemnandum: ergo si in statu, in quo sunt, potest eorum poena augeri, potest et minui.

3. Item, impossibile est, multorum preces non exaudiri; sed Ecclesia orat pro omnibus baptizatis [1] et fidelibus, qui moriuntur, de quibus non constat, quod vadant in infernum; sed multi talium damnantur: ergo si Ecclesia non frustra orat, patet etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia plus placet Deo improportionaliter poena, quam quis sustinet voluntarius, quam illa quam quis sustinet invitus [2]; sed damnatus poenam sustinet invitus, aliquis vir iustus, qui ei suffragatur, pro eo sustinet voluntarius: ergo iste plus solvit Deo pro illo patiendo, quam ille pro se: ergo si Dominus dimittit quod minus placet pro eo quod magis; patet etc.

5. Item, iste punit se ex caritate et pro eo qui est in inferno: ergo Deus acceptat hanc poenam pro illo; sed *non punit bis in id ipsum* [3]: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Augustinus de Cura pro mortuis agenda [4] dicit, quod « Ecclesiae suffragia pro valde bonis sunt gratiarum actiones, pro valde malis sunt qualescumque vivorum consolationes »: ergo non prosunt valde malis; sed valde mali sunt qui sunt in inferno: ergo etc.

2. Item, auctoritas dicit [5], quod « in inferno nulla est redemptio », et Ecclesia istud cantat: ergo si nulla redemptio est ibi, videtur, quod nulla sit mitigatio.

3. Item, Ecclesia non facit suffragia pro damnatis; quod patet, quia in Corpore Christi, in quo est specialiter suffragium defunctorum, ut dicit Magister supra distinctione duodecima [6], non fit memoria nisi pro vivis, et illis qui sunt in purgatorio, et qui sunt in paradiso; sed faceret, si damnatis prodesset: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia damnati non sunt ex caritate diligendi; quod patet, quia non sunt ordinati ad vitam: ergo cum caritas faciat suffragium acceptabile, nullum suffragium pro eis factum Deo est acceptum: ergo nec debet pro eis fieri [7].

5. Item, suffragia facta pro Beatis, quia sunt in termino, non augent gloriam: ergo cum damnati similiter sint in termino, non minuunt eis *poenam*.

6. Item, quod non minuit de *culpa* nec de *poena*, quia tantae culpae debetur [8] tanta poena; sed damnatorum culpa non potest minui: ergo etc.

7. Item, si minuat, aut *extensive*, aut *intensive*. Si *intensive*: ergo cum non sit intensione infinita, tota poterit auferri per suffragia. Si ergo *extensive*; sed infinita est extensione, et ab infinito nihil adimitur. *Si dicas*, quod est finita ex parte *ante*, et ex illa est diminutio, quia est poenae dilatio: ergo *tunc* « dedecus peccati est sine decore iustitiae [9] ».

CONCLUSIO.

Suffragia damnatis non prosunt, nec Ecclesia intendit pro eis rogare.

Respondeo: Dicendum, quod aliquorum fuit positio, ut magistri Praepositivi [10], quod suffragia damnatis prosunt, non tamen omnibus, quia non valde malis, sed mediocriter, ut puta illis qui habuerunt opera bona, per quae merentur ab aliis adiuvari. Sed in modo positionis diversificati sunt. Positio 1.

Nam quidam dicunt, quod prosunt ad dimissionem [11] poenae quantum ad *interpolationem*; et ideo non totaliter aufertur, sed solum ad modicum De modo opinio 1.

---

per eius doctrinam fuerint subvertendi ». Illum locum inveniendum relinquimus aliis. — De *minori*, in qua plures codd. *miserendum* pro *miserandum*, vide supra pag. 333, nota 3. — Subinde pro *ergo si* multi codd. *sed si*, inter quos cod. K post *augeri* addit *ergo*.

[1] Ex cod. aa substituimus *baptizatis* pro *damnatis*, cod. P omittit *baptizatis et*.

[2] Rationem vide supra d. 20. p. I. q. 2. circa finem corp.

[3] Nahum 1, 9. Cfr. supra lit. Magistri, d. XV. c. 1. — Superius ante *pro eo* codd. M U omittunt *et*.

[4] Potius Enchirid. c. 110. n. 29, supra in lit. Magistri, d. XLV. c. 2, allegatum. Loco a S. Bonav. citato c. 1. n. 2. et c. 18. n. 22. invenitur *conclusio*: Sunt enim quos nihil omnino adiuvant ista, sive pro eis fiant, quorum *tam mala* sunt merita, ut neque talibus digni sint adiuvari etc.

[5] Cod. aa subiungit: *secundum Septuaginta, ubi dicitur septimo Iob* (v. 9.): Sicut consumitur nubes et pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet (translatio Septuaginta interpretum: Tanquam nubes expurgata de caelo; si enim homo descenderit ad infernum, ultra non ascendet). Cfr. supra pag. 939, nota 7.

[6] Cap. 4. Cfr. ibid. Comment. p. I. a. 3. q. 3, ubi agitur de significatione trium partium hostiae fractae in Missa, ad quam respiciens cod. aa inferius post *paradiso* addit: *et ob haec tres partes fiunt*.

[7] Vide August., XXI. de Civ. Dei, c. 24. n. 1. seq.

[8] Plures codd. *defertur*.

[9] August., III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44: Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur... ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictae. — De *infinito* cfr. Aristot., VI. Phys. text. 61. seqq. (c. 7.). — Superius ex codd. G L aa bb supplevimus *tota*. Pro *Si ergo* cod. L *Si vero*, cod. G *Si*, et pro *quia est* cod. V *quae est*.

[10] Vide scholion ad hanc quaest. — De *valde* et *mediocriter malis* vide supra lit. Magistri, d. XLV. c. 2. — Inferius pro *per quae* cod. L *propter quae*.

[11] Codd. O R T aa *diminutionem*. Inferius pro *sed solum* codd. G L (E a secunda manu) *quia aufertur solum*, cod. aa *sed aufertur solum*, cod. K (I a secunda manu) vero post *temporis* addit *mitigatur*. Subinde pro *reordinatio* codd. I K M *ordinatio*, alii et ed. 1 perperam *deordinatio*.

Improbatur. temporis. — Sed ista positio non videtur conveniens. Cum enim deordinatio culpae non recipiat intermissionem, quomodo reordinatio poenae recipiet?

Item opinio 2. Ideo dicunt alii, quod fit remissio *simpliciter*, non ad tempus; sed tamen nunquam tota poena aufertur, quia fit ablatio secundum proportionem *geometricam*, non secundum proportionem *arithmeticam*[1], id est, quando fit, remittitur primo aliquota pars poenae, in secunda vice adimitur tantum, non secundum *quantitatem*, sed secundum *proportionem*, ut si primo aufertur centesima pars, similiter et secundo et tertio centesima pars eius quod remanet; et ideo semper remanet. — Sed certe istud non solvit, quia suffragia sequentia non minus valent quam praecedentia: ergo tantundem de poena faciunt remitti secundum quantitatem poenae remissae. (Improbatur.)

Item opinio 3. Ideo dicunt tertii, quod prosunt non in ablationem[2] totalis poenae nec ad ablationem de parte poenae diminuendo puniens, sed *fortificando subiectum*, ut melius et tolerabilius portet. — Sed ista opinio non videtur posse stare: quia, si fortificatur, aut fortitudine *gratiae*, aut *naturae*; non *gratiae*, hoc constat; non *naturae*, quia haec fortitudo non est a natura: ergo nullo modo. (Improbatur.)

Positio 2. et conclusio. Ideo est aliorum opinio communior et verior, quod suffragia damnatis non prosunt, nec Ecclesia intendit orare pro eis.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod prosunt ad tolerabiliorem damnationem; dicendum, quod non intelligit de damnatione facta in *inferno*, ubi nulla est redemptio, sed in *purgatorio*. Et vult dicere, quod illis dupliciter prosunt: vel *liberando*, ut illos qui parum habent de cremabili; vel *mitigando* quantum ad illos qui multum[3].

Notandum. 2. Ad aliud dicendum, quod non est simile: quia remissio debet fundari super fundamentum caritatis; et quoniam Arius habet malam voluntatem, ideo potest augeri poena eius et non remitti.

3. Ad illud quod obiicitur, quod multorum preces exaudiuntur; dicendum, quod ubi constaret Ecclesiae, quod esset damnatus, non oraret; sed non constat, ergo orat, quia aut valet, si non est damnatus; aut si est damnatus, revertitur *in sinu suo*[4].

Notandum. 4. 5. Ad illud quod obiicitur, quod plus placet Deo poena voluntaria quam involuntaria; dicendum, quod est verum, unde Deus remunerat virum iustum pro illa poena; sed ista poena voluntaria non potest assumi nec acceptari pro eo qui non habet caritatem. Et ideo patet sequens.

SCHOLION.

I. Praepositivus in corp. citatus, postquam circa finem suae Summae in quaest. de igne purgatorii retulit opinionem *nunc* communem, prosequitur: « Aliis videtur, quorum sententia *communior* est, quod et illis qui sunt in inferno mediocriter mali, prosunt orationes et alia ad mitiorem poenam » (quod multiplici distinctione termini *mereri* explanare et defendere studet); deinde addit, quod « una et eadem [Ecclesiae] oratio valet uni ad *remissionem*, alii ad *mitigationem* ». Ad obiectionem, quod hoc modo tota poena possit tolli; dicit, eam minui posse, sed non tolli; « et si concederetur, quod meritis Ecclesiae usque ad diem iudicii poena tolli [supple: possit], ultra tamen non posset. Sed nec vermis malae conscientiae posset ei ab Ecclesia mitigari. Haec sententia mansuetior, sed prima facilior ». — Secundam opinionem hic relatam de modo talis mitigationis poenarum, quae scil. fiat non secundum eandem quantitatem, sed secundum eandem proportionem, teste S. Thoma (supra d. 45. q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Suppl. q. 71. a. 5.), tenuerunt sequaces Gilberti Porretani, cuius errores quidam in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. reprobati sunt. — Tertius vero modus a S. Thoma tribuitur *Antissiodorensi*, qui re vera (Sum. p. IV. tr. 14. q. 1.) prolixe pro utraque opinione argumenta affert et solvit; attamen in fine concludit: « Dicimus sine praeiudicio melioris sententiae, quod illa quae dicit, quod suffragia [damnatis] *non prosunt, probabilior est* et magis consonat divinis eloquiis »; nec in editione citatae Summae mentio fit illius modi, quem S. Thom. auctori tribuit.

De 1. et 2. quaestione praeter S. Thomam: Alex. Hal., S. p. I. q. 39. m. 3. a. 3. 4. — Scot., supra d. 21. n. 13. — B. Albert., hic a. 1. 2. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 4. — Durand., supra d. 45. q. 2. — Dionys. Carth., de toto art. hic q. 1. 2.

II. De 3. quaestione S. Thom. cum plerisque aliis commentatoribus Lombardi non agit specialiter, tamen in sequente quaestione in solut. ad 2. cum S. Bonav. docet, respectu *effectus* Deum misericordius agere cum uno quam cum alio. — In solutione 4. quaestionis cum eodem negat, Deum iustius agere cum uno quam cum alio, licet maiorem *poenam* vel minorem inferat uni quam alii, sive, ut auctor noster ait, licet magis vel minus *severe* agat. — De 3. et 4. q. Alex. Hal., loc. cit. et a. 5.

De 4. praecipue quaestione: S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4. — Petr. a Tar. rem tangit hic q. 3. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4.

---

[1] De duplici hac proportione cfr. Boeth., II. de Arithmet. c. 40. seqq. — Secuti sumus cod. bb, dum alii codd. et ed. 1 legunt: *secundum proportionem arithmeticam, non secundum proportionem geometricam*, quam falsam lectionem (cfr. B. Albert., hic a. 2, et S. Thom., d. 45. q. 2. a. 2. quaestiunc. 1.) Vat. correxit sic: *non secundum proportionem arithmeticam, sed secundum* etc. Inferius pro *eius quod remanet*, quod praebent codd. E G L aa, alii codd. *eius remanet*, vel *eius, pro remanet*, edd. *eiusdem partis remanet*.

[2] Plures codd. *ad ablationem* (cod. H *absolutionem*).

[3] Cfr. supra d. 15. p. I. q. 6. in corp.

[4] Respicitur Ps. 34, 13: Et oratio mea in sinu meo convertetur. Cfr. August., XXI. de Civ. Dei, c. 24. n. 1. — Edd. *in sinum suum*. Superius pro *quod ubi* cod. R *quodsi*.

QUAESTIO II.

Utrum fiat mitigatio damnatis propter misericordiae pietatem.

Secundo quaeritur, utrum fiat mitigatio propter misericordiae pietatem de poenis damnatorum. Et quod non, videtur:

Ad oppositum.

1. Quia dicitur Apocalypsis decimo octavo[1]: *Quantum se glorificavit et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

2. Item, Isaiae quadragesimo[2]: *Suscepit de manu Domini duplicia;* dicitur de anima peccatrice.

3. Item, super illud Psalmi[3]: *Ex usuris et iniquitate;* Glossa: « Usurae dicuntur peccata, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in culpis »: igitur ibi non est aliqua mitigatio.

4. Item, *ratione* videtur: quia delectatio est momentanea et modica, sed[4] punitur poena aeterna et acerbissima; sed hoc in infinitum excedit istud: ergo punitur supra condignum: ergo non est ibi mitigatio.

Fundamenta.

Contra: 1. In Psalmo[5]: *Nunquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* quasi diceret, non: ergo tunc aliquid relaxat.

2. Item, peccator, cum peccat mortaliter, offendit Deum, a quo est omne bonum: ergo meretur amittere omne bonum, ergo et *esse*[6]: ergo cum Deus neminem reducat ad *non-esse*, omnes punit citra condignum.

3. Item, peccator offendit Deum, a quo est omnis ordo, ergo se deordinat: ergo si peccantes merentur in suppliciis ordinari[7], statim ergo merentur puniri: ergo cum non puniantur statim, patet, quod citra condignum.

4. Item, peccator offendit Deum, qui est bonum infinitum omni infinitate, ergo infinita poenae[8] acerbitate debet puniri; sed non punitur: ergo citra condignum punitur.

CONCLUSIO.

Divina pietate interveniente, est aliqua mitigatio poenae quoad ipsam taxationem et inflictionem eiusdem, sed non post eandem.

Distinctio.

Respondeo: Dicendum, quod mitigatio poenae damnatorum dupliciter potest intelligi: aut quantum ad *taxationem* et *inflictionem* poenae; et sic absque dubio est ibi mitigatio, quia divina iustitia non totum exigit, pro eo quod, eius pietate interveniente, aliquam partem poenae infligendo remittit. Alio modo potest intelligi mitigatio *post poenae taxationem* et *inflictionem;* et hoc modo nulla cadit mitigatio a divina misericordia, quia ex tunc claudit eis Dominus viscera pietatis[9]. (Conclusio 1. — Conclusio 2.)

Ad fundam. — Mitigatio triplex.

Rationes igitur ostendentes, quod est ibi mitigatio, omnes procedunt secundum istam viam, scilicet quantum ad *inflictionem;* unde ostendunt ibi mitigationem quantum ad ea, *in quibus* homo punitur, quantum ad *tempus* et quantum ad *mensuram:* quia non tantum *infert* Deus, quantum homo meruit, Threnorum tertio[10]: *Misericordiae Domini est, quod non sumus consumti;* et iterum, *poenam differt;* et postremo, *acerbitatem minuit:* et ideo illae rationes concedendae sunt.

Solutio oppositorum.

Ad oppositum responderi potest per unicam distinctionem.

Distinctio.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur de Scriptura, quae dicit, quod tantum, et quod duplum, et quod amplius; ad illa omnia respondendum, quod est comparare delectationem ad poenam secundum duplicem comparationem: aut secundum *intensionem huius* in genere *poenae,* et *illius* in genere *delectationis;* et sic multo maior est *poena* quam *delectatio,* nec est ibi proportio, sed excessus. Est iterum comparare hoc ad illud secundum rationem *meriti* vel

---

[1] Vers. 7.

[2] Vers. 2.

[3] Psalm. 71, 14. — Glossa apud Strabum *ordinaria* sumta est ex August., in hunc loc. n. 16.

[4] Multi codd. omittunt *sed,* minus congrue, nisi cum codd. P S post *delectatio* addatur *quae.* Cod. N *et tamen.*

[5] Psalm. 76, 10: Aut obliviscetur etc.

[6] Cod. K (l a secunda manu) pro *ergo et esse* completius *sed* esse *est bonum, ergo meretur perdere* esse. — Haec doctrina sumta est ex August., II. de Moribus Manichaeor. c. 7. n. 9: Dictum est enim: Nihil per divinam providentiam ad id, *ut non sit,* pervenire permittitur.

[7] August., Epist. 140. (alias 120.) c. 2. n. 4: Qui enim iniuste se ordinat in peccatis iuste ordinatur in poenis.

[8] Multi codd. *poena,* cod. G *poena et.*

[9] Respicitur I. Ioan. 3, 17: Qui habuerit... et clauserit viscera sua ab eo etc.

[10] Vers. 22: Misericordiae Domini, quia non [ita et cod. L] etc. — Pro *infert* non pauci codd. *aufert,* codd. G L aa legunt *non totum aufert, quod homo* etc.

demeriti; et sic dico, quod *meritum* delectationis inordinatae excedit *poenam,* quia dignus esset amplius puniri. Servatur ergo in punitione *proportionalitas,* quia magnae culpae magna infligitur poena; sed non *proportio,* quia quantum ad *intensionem* et *durationem* poena excedit culpam, sed quantum ad *meritum* culpa poenam [1].

Notandum.

4. Et per hoc patet prima ratio: quia, etsi delectatio sit momentanea, quia tamen offenditur ea bonum infinitum, meretur poenam aeternam [2].

QUAESTIO III.

Utrum Deus misericordius agat cum uno quam cum alio.

Tertio quaeritur, utrum Deus misericordius agat cum uno quam cum altero. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Ad Romanos nono [3]: *Cui vult miseretur, et quem vult indurat:* si ergo misericordius agit cum uno, quem revocat, quam cum eo quem indurat: patet etc.

2. Item, ordo et gradus est in effectibus divinis propter sapientiam, cuius est ordinare [4]; sed divina misericordia non miseretur nisi sapienter et ordinate: ergo magis uni quam alii.

3. Item, misericordia intuetur miseriam [5]; sed unus magis est miser quam alter: ergo Deus debet magis misereri unius quam alterius.

4. Item, magis miseretur qui miseriam totam aufert, quam qui temperat [6]; sed Deus ab aliquibus aufert totam miseriam, aliquibus mitigat: ergo etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Actus et effectus respondent habitui sive origini in quolibet [7]; sed divina misericordia est summa: ergo cuiuscumque miseretur, miseretur in summo.

2. Item, misericordia intuetur miseriam: ergo si magis miseretur alicui, ergo magis misero; sed in futuro magis miser est qui magis peccavit: ergo magis miseretur eius qui magis peccavit. Sed hoc est inconveniens: ergo etc.

3. Item, quia Deus est sapientissimus, ideo facit sapientissime, quidquid facit: ergo [8] cum sit misericordissimus, misericordissime se habet ad quemlibet: ergo etc.

CONCLUSIO.

Respectu effectus sive relevationis a miseria Deus misericordius agit cum uno quam cum altero, tam in praesenti quam in futuro, sed aliter.

Respondeo: Dicendum, quod *magis misereri* hoc potest intelligi tripliciter: aut maiori *habitu,* aut *actu,* aut *effectu.* Primo modo et secundo impossibile est; sed tertio modo, scilicet quantum ad effectum, qui est relevatio a miseria, verum est tam in *praesenti* quam in *futuro* [9]; sed aliter *nunc,* aliter *tunc:* quia nunc *misericordiae* effectus sunt principales, et effectus *iustitiae* sunt annexi; tunc autem effectus iustitiae erunt principales, et misericordiae erunt annexi. *Tunc* enim *reddet Deus secundum opera sua unicuique* [10], *nunc* autem secundum benignitatem suam. Et ideo simpliciter magis miseretur in *praesenti* eius cui magis vult, in *futuro* magis eius qui magis indiget; unde magis misero plus condonabit secundum quantitatem *absolutam,* non tamen secundum quantitatem *relatam,* ut patebit postea [11].

Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2. Corollarium.

---

[1] Cfr. supra pag. 922, nota 7. in fine. — In marg. cod. P notatur: *Proportio,* ut hic sumitur, est, quando unum alteri comparatur cum quadam commensuratione et praecisione, ut quantum capit hoc, tantum illud; sed *proportionalitas* est, quando in generali et non cum praecisione, ut quantum meruit, tantum recipiet, id est, si multum, multum, si parvum, parvum. — Paulo post pro *ratio* (scil. 4. ad oppos.) codd. et ed. 1 substituunt *responsio.*

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Vers. 18: Ergo cuius vult etc. — Inferius pro *uno* codd. G aa (bb a secunda manu) *eo.*

[4] Aristot., I. Metaph. c. 2: Non enim ordinari, sed ordinare oportet sapientem. Cfr. tom. I. pag. 685, nota 1.

[5] Damasc., II. de Fide orthod. c. 14: Misericordia [est] tristitia in alienis malis [ed. Migne: ob res aliorum adversas]. Gregor., XX. Moral. c. 32. n. 63: *Misericordia* autem a misero corde vocata est, eo quod unusquisque intueatur quempiam miserum... ipse [dolor] cor miserum facit, ut eum a miseria liberet, cui intendit.

[6] Edd. *quam qui miseriam mitigat.*

[7] Permulti codd. et ed. 1 hoc axioma attribuunt Augustino, voci *Actus* praemittentes *Augustinus.* Praeter verba tom. II. pag. 760, nota 6. allata: Qualis homo est, tales actus habet; si bonus homo est, bonos actus habet etc., cfr. etiam XIV. de Civ. Dei, c. 6, ubi ait: «Interest autem, *qualis* sit voluntas hominis; quia, si perversa est, perversos habebit hos motus; si autem recta est, non solum inculpabiles, verum etiam laudabiles erunt» etc. Vide etiam Aristot., II. Ethic. c. 6, ubi de virtutis habitu docet, ipsum et «id cuius est virtus, bene affectum reddere et opus eius bene efficere» etc. — Pro *effectus* Vat. *affectus;* cod. E legit *Affectus et effectus.*

[8] Cod. U *ergo similiter.*

[9] Anselm., Proslog. c. 10: Misericors es, non quia tu sentias *affectum,* sed quia nos sentimus *effectum.*

[10] Matth. 16, 27: Et tunc reddet unicuique secundum opera eius. Cfr. Rom. 2, 6.

[11] Quaest. seq.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod effectus respondet habitui; dicendum, quod verum est in agente inferiori, qui facit omne quod potest; non sic est in Deo [1].

2. Ad illud quod obiicitur, quod peccator reportat commodum; dicendum, quod falsum est, quia semper sibi remanet poena maior.

3. Ad illud quod obiicitur de sapientia, dicendum, quod non est simile: quia sapientia connotat *ordinem*, non *effectum absolutum*, ut misericordia [2].

QUAESTIO IV.

Utrum Deus agat iustius cum uno quam cum altero.

Quarto quaeritur, utrum Deus agat iustius cum uno quam cum altero. Et quod *sic*, videtur:

Argg. pro parte affirmativa. 1. Quia, sicut iustitiae est punire, ita misericordiae est parcere: ergo cum magis puniat unum quam alterum, ergo iustius agit cum uno quam cum altero.

2. Item, quantum intenditur misericordia, tantum minuitur rigor iustitiae, et e converso: ergo cum agat misericordius cum uno quam cum altero [3], ergo et iustius.

3. Item, quantum iste meruit praemiari, tantum iustum est, istum praemiari; sed unus magis meruit [4] quam alter: ergo iustius est, magis unum praemiari quam alterum. Sed Deus praemiat, secundum quod meruit: ergo iustius praemiat unum quam alterum.

4. Item, demonstratis duobus, quorum unus peccat duplo magis quam alter, qui minus peccavit meruit sex, qui magis peccavit meruit duodecim; tunc esto, quod Dominus remittat duo illi qui minus peccavit, quaero: quantum illi remittit, qui magis peccavit? Si *amplius quam duo*: ergo misericordius agit cum eo qui magis peccavit, et ita reportat commodum de malitia [5]; quod est inconveniens. Si autem remittit *duo*, arguitur sic: ille punitur plus duplo et non meruit nisi duplo: ergo est magis dignus quatuor, quam ille sit dignus decem, quia ita dignus est sex, sicut ille duodecim: ergo ita quatuor, sicut ille octo: ergo si Deus isti infligit quatuor, illi decem; iustius agit cum illo qui recipit decem.

Pro parte negativa. Contra: 1. Quod *non iustius*, videtur: quia, sicut Deus est optimus, ita et iustissimus; sed quia optimus est, optime agit [6]: ergo quia iustissimus, iustissime.

2. Item, quanto aliquis est iustior, tanto magis accedit ad medium in iudicando [7]: ergo si est iustissimus, summe accedit ad medium: cum ergo summe, non est ibi magis et minus.

3. Item, sicut Petrus est dignus gloria sua, ita et Linus sua: ergo similiter ex parte poenarum: si ergo considerat dignitatem meritorum, ergo non magis iuste agit cum uno quam cum alio.

CONCLUSIO.

Quoad ordinem in remunerando Deus non agit iustius cum uno quam cum alio, sed iustissime cum omnibus; tamen quoad severitatem poenae agit severius cum uno quam cum alio.

Respondeo: Dicendum, quod *iustitia in opere* uno modo dicit *severitatem*, alio modo *ordinem*; sicut et *bene facere* uno modo qualitatem *absolutam*, alio modo *ordinem*. Si *iustitia in opere* dicat *severitatem* sive qualitatem absolutam; dico, quod sic iustius agit cum uno quam cum alio, quia *severius*; et sic *melius* facit unum quam aliud [8]. — Alio modo iustitia dicit *ordinem praemii* ad meritum; et sic dico, quod iustissime retribuit. Sicut enim quae *producit* optime ordinat, sic in *remunerando* optime et aequissime ordinat praemia ad merita [9]. — Concedendae igitur sunt duae primae rationes ostendentes, quod iustius agit, quia *severius*. Distinctio duplex. Conclusio 1. Conclusio 2. Ad argg. pro parte affirm.

3. Quod vero obiicitur, quod quantum quis meruit, tantum iustum est praemiari; dico, quod concedendum est, et hoc similiter: iustius est, unum praemiari quam alterum, comparando ad idem praemium; unde si Deus tantum praemium daret Petro, quantum Lino; dico, quod iustius agit cum Petro. Sed maius praemium dat Petro et minus Lino, ita quod Petrus non est magis dignus suo praemio quam Linus suo. Quoniam ergo *iustitia* dicit ordinationem secundum diversitatem praemiorum, correspondentem diversitati meritorum; ideo *non iustius* agit cum uno quam cum alio. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de remissione, dico, quod si remittit duo ei qui meruit sex, remittit qua-

---

[1] Cod. aa addit: *Deus enim est agens voluntarius.*
[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.
[3] Cfr. quaest. praeced.
[4] Cod. S supplet *praemiari.*
[5] Vide supra pag. 103, nota 11.
[6] Cfr. supra pag. 916, nota 4.
[7] Vide Aristot., V. Ethic. c. 3.
[8] Quia, ut ait August. 83 Qq. q. 41, non essent omnia [i. e. rerum genera], si essent aequalia.
[9] Cfr. Dionys., de Div. Nom. c. 8. § 7. seqq. — Inferius pro *quia severius* plures codd. et ed. 1 *quam severius*; cod. K (I a secunda manu) legit: *quod tam iustius agit, quam severius.*

tuor ei qui meruit duodecim, nec magis remittit *comparando* ad meritum sive ad quantitates diversas, licet *absolute* magis. — Quod ergo dicit, quod reportat commodum; dicendum, quod falsum est, quia semper duplo punitur. Misericordia enim, quando currit cum iustitia, *magis remittit quantitate absoluta,* ubi est maior miseria; sed tamen *aequaliter,* loquendo proportionaliter, quia, sicut uni[1], ita et alteri.

Notandum.

Rationes vero ad partem oppositam procedunt de iustitia, secundum quod dicit *ordinem;* et sic, quemadmodum sapientia optime producit secundum ordinem conditionum, ita iustitia iustissime remunerat secundum ordinem retributionum[2].

Ad argg. pro parte negativa.

ARTICULUS II.

Quomodo misericordia et veritas eandem respiciant operationem.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur, quomodo misericordia et veritas eandem respiciant operationem. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum in aliquo opere Domini sit misericordia et veritas.

Secundo, utrum in eodem opere Domini sit misericordia et veritas.

Et dato, quod in eodem, secundum quod misericordia et veritas dicuntur *largissime,* tertio quaeritur, utrum secundum quod *proprie* accipiuntur, concurrant in eodem.

Quarto, utrum misericordia et veritas possint ab invicem in aliquo opere separari.

QUAESTIO I.

Utrum in aliquo opere Domini sit misericordia et veritas.

Quantum ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod in *aliquo* opere Domini sit

Fundamenta.

1. *Misericordia,* Lucae sexto[3]: *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est:* ergo etc.

2. Item, in Psalmo[4]: *Reddes unicuique iuxta opera sua;* sed hoc est *iustitiae:* ergo etc.

3. Item, *ista duo* decorant rectorem, unde Proverbiorum vigesimo[5]: *Misericordia et veritas custodiunt regem, et clementia* etc.; sed Deus est rector omnium rerum: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia istae sunt duae virtutes in nobis: ergo habent exemplaria in Deo[6]; et si hoc: ergo cum nos operemur iuste et misericorditer, ergo et Deus similiter.

Ad oppositum.

Contra: 1. Damascenus[7]: « *Misericordia* est compassio de alienis malis »; sed Deus nihil operatur ex compassione, quia non compatitur: ergo in nullo opere eius concurrit misericordia.

2. Item, *iustitia* est, cum fit quod *debet* fieri[8]; sed Deus nihil operatur ex *debito,* quia nulli est obnoxius: ergo nihil iuste, et sic etc.

3. Item, si *misericordia* et *veritas* est conditio Dei operantis; cum ergo conditio operantis reluceat in opere, ut patet — quia enim bonus est, ideo bona sunt facta[9] — ergo pari ratione, quia iustus est, omnia facta sunt iusta: ergo et lapis iustus, et lapis misericors est. Quod si non conceditur: ergo nec Deus operatur secundum misericordiam, aut veritatem.

4. Item, nihil ponendum est in Deo, quod non debeat poni in summo; sed iustitia non debet poni in aliquo in summo, unde Ecclesiastis septimo[10]: *Noli esse multum iustus.*

CONCLUSIO.

In operibus Dei est misericordia et veritas.

Conclusio.

Respondeo: Dicendum, quod misericordia et veritas est[11] in opere creaturae rationalis; et hoc quidem nobilitatis est: ergo multo fortius et nobilius in operibus Dei.

Solutio oppositorum.

1. 2. Ad illud ergo quod primo obiicitur quod in Deo non cadit compassio nec debitum; dicendum,

---

[1] A codd. K Y additur *partem.*

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vers. 36: Estote ergo misericordes etc.

[4] Psalm. 61, 13. — Edd. *Item, quod in omni opere Domini sit iustitia seu veritas, videtur per illud Psalmi.*

[5] Vers. 28: Misericordia... regem, et roboratur clementia thronus eius.

[6] Cfr. I. Sent. d. 36. a. 3. q. 1. in corp.

[7] Libr. II. de Fide orthod. c. 14. Cfr. supra pag. 960, nota 5.

[8] Iustitiae enim est reddere unicuique quod suum est. Cfr. tom. III. pag. 728, nota 1. — Infra pro *iuste* cod. P *ex iustitia.*

[9] Gen. 1, 31: Et erant [quae fecerat Deus] valde bona. — August., I. de Doctr. christian. c. 32. n. 35: Quia enim [Deus] bonus est, sumus; et in quantum sumus, boni sumus. — Superius pro *est conditio* cod. E *sunt conditiones.*

[10] Vers. 17.

[11] Cod. E *sunt.* Mox pro *creaturae* cod. bb *naturae.*

quod misericordia et veritas sive iustitia — quia veritas pro iustitia accipitur[1] — in *creatura* duo dicunt, scilicet *effluxum bonitatis* in alterum secundum merita, vel supra, et in eo qui effluit, *compassionem*, vel *debitum;* et *primum* quidem *nobilitatis* est, *secundum* vero *imperfectionis* est. Et quia omne quod *nobilitatis* est, Deo attribuendum est, quod vero *imperfectionis* est non est ei attribuendum; ideo est in eo misericordia et iustitia quantum ad *primum*, sicut probant rationes primae; non quantum ad *secundum*, sicut probant rationes sequentes.

Distinctio notanda.

3. Ad illud quod obiicitur, quod tunc omnia opera Dei deberent dici *iusta;* dicendum, quod est conditio operantis, quae respicit ipsum secundum *naturam*, et est conditio, quae respicit ipsum secundum *actum;* « *bonum* enim respicit naturam, ut dicit Boethius in libro de Hebdomadibus[2], sed *iustum* dicit actum ». Conditio ergo illa, quae respicit *naturam* operantis, communicatur rei productae, ut Dei natura bona, et natura operati bona. Sed conditio, quae respicit *actum*, communicatur non in natura *rei productae*, sed ipsi *productioni;* unde cum Deus sit iustus, non oportet, quod omnis *creatura* vel *factum* sit iustum, sed quod ipsa *factio* sit iusta. Et sic patet illud.

Solutio oppositorum. Distinctio. Notandum.

Et ex hoc patet illud quod consuevit quaeri, quare *misericordia vel veritas* magis dicatur conditio operis divini quam *bonitas vel potentia.* Dico enim, quod illa respiciunt *naturam*, sed ista respiciunt *actum;* et ideo non tantum *conditiones operis*, sed etiam *viae Domini* appellantur in Psalmo[3]: *Universae* etc.

Quaest. incid. solvitur.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo de termino, dicendum, quod terminus in summitate alicuius potest attendi propter *excessum*, vel propter *accessum ad medium.* Et primum in iustitia reprehenditur, secundum commendatur[4]; et ratione huius dicitur *iustissimus*, non ratione primi.

Notandum.

SCHOLION.

I. Multas quaestiones de attributis divinis iustitiae et misericordiae solvit S. Thomas (hic q. 1. et 2.); cfr. etiam Sum. I. q. 21. a. 1-4; item Alex. Hal., S. p. I. q. 39. per totam; Scot., hic q. 1-3. — Nemini dubium esse potest, in Deo esse, quidquid perfectionis est in proprietatibus iustitiae et misericordiae, econtra ab eo amovendum esse quod sonat in imperfectionem (q. 1. ad 1.). Attamen in applicanda hac regula ad *diversas iustitiae species* (ut sunt *legalis, distributiva, vindicativa* et praesertim *commutativa*), utrum et quomodo sint in Deo, non eadem via speculative procedunt theologi. — Auctor noster distinguit triplicem sensum utriusque termini, scil. iustitiae et misericordiae; porro docet, *large* loquendo, utramque esse in omnibus Dei operibus (q. 1. 2.), sed *proprie* loquendo, esse tum in iustificatione (q. 3.) tum in remuneratione (q. 4). — Quoad 4. quaestionem antiqui doctores, imprimis Alex. Hal., Ss. Thom. et Bonav. docent, Deum etiam in damnatis punire citra condignum (cfr. et supra a. 1. q. 2, d. 15. p. I. dub. 1; S. Thom., hic q. 2. a. 2; S. I. q. 21. a. 4. ad 1.); Estius autem (hic § 4.) multis argumentis probare nititur, oppositam sententiam, iam a Magistro (c. 3.) relatam, esse saltem probabilem. — Quatuor quaestiones auctoris nostri non ita ab aliis distinguuntur, sed tamen in re omnes idem fere docent.

De toto 2. articulo: Alex. Hal., loc. cit. m. 3. a. 4. — Scot., hic q. 4. — S. Thom., hic praecipue q. 1. a. 1, q. 2. a. 2. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 1, q. 2. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum in eodem opere Domini sit misericordia et veritas.

Secundo quaeritur, utrum in *eodem* opere Domini sit misericordia et veritas. Et quod non, videtur:

1. Quia in nobis est alius effectus misericordiae, ut *parcere;* alius effectus iustitiae, ut *punire:* ergo si a nobis transfertur ad Deum, videtur, quod similiter sit in Deo, cum hoc non repugnet divinae simplicitati.

Ad oppositum.

2. Item, etsi misericordia et iustitia in Deo secundum *principale significatum* sint idem[5], tamen *ratio dicendi* est altera et altera; hoc ergo erit a parte *connotati:* ergo alium effectum connotat mise-

---

[1] August., Enarrat. in Ps. 24, 10: *Universae viae Domini misericordia et veritas*, n. 10: Quorum unum praebuit donando peccata, alterum merita *iudicando.*

[2] Sive in libro, cui titulus: « Quomodo substantiae in eo, quod sint, bonae sint, cum non sint substantialia bona »: Secundum hanc igitur rationem cuncta oportet esse iusta, quoniam ipse iustus est, qui ea esse voluit. Ne hoc quidem, nam *bonum esse* essentiam, *iustum* vero *esse* actum respicit etc. Cfr. I. Sent. d. 1. dub. 13. et 14. — Paulo inferius post *ut* in cod. E secunda manus addidit *si.* Subinde pro *factio sit* cod. M *actio sit*, plures alii codd. et Vat. *facta sit* (Vat. *sint*).

[3] Psalm. 24, 10.

[4] Hieron., Comment. in Eccl. 7, 17, allato verbo Domini [Luc. 6, 37]: *Nolite iudicare, ut non iudicemini*, dicit, quod « inhumana iustitia est fragilitati conditionis hominum non ignoscens. *Noli* ergo *esse iustus multum*, quia *pondus* grande *et pondus* parvum *abominatio coram Domino* [Prov. 20, 23.]. Unde et apud philosophos virtutes in meditullio positae sunt, et omne quod nimis est, sive sursum sive deorsum, reputatur in vitio ». Cfr. Aristot., II. Ethic. c. 6.

[5] Cod. K (I a secunda manu) *Deus* pro *idem.* Cfr. hic lit. Magistri, c. 3.

ricordia quam iustitia. Quodsi eundem, tunc nec est differentia a parte connotati nec in se.

3. Item, *ratione* videtur: quia misericordia facit *contra* merita, ut bonum ei qui male meruit, sed iustitia *secundum* merita; sed idem opus non potest fieri *contra* merita et *secundum* merita: ergo etc.

Fundamenta. Contra: 1. Super illud Psalmi [1]: *Universae viae Domini misericordia et veritas;* dicit Cassiodorus: « Haec duo in omni opere Domini simul sunt, etsi non nobis simul appareant ».

2. Item, Augustinus, de Concordia Evangelistarum [2]: « Deus, qui res humanas curat, iuste et misericorditer curat, ut nec praecludat misericordia iustitiam, nec iustitia misericordiam excludat ».

3. Item, *ratione* videtur: quia Deus remunerat aliquem supra condignum; constat, quod istud unum est opus, nec est misericordiae tantum, quia meruit praemiari, nec iustitiae tantum, quia non tantum meruit praemiari: ergo simul misericordiae et iustitiae.

CONCLUSIO.

In eodem opere Dei simul sunt misericordia et veritas secundum tres modos, sed non secundum easdem rationes.

Respondeo: Dicendum, quod *misericordia* dicitur tripliciter, similiter et *iustitia*. (Misericordia sumitur tripliciter.) Uno modo misericordia largissime dicitur *divinae bonitatis affluentia;* communiter vero dicitur *benignitas in supererogatione bonorum;* stricte vero dicitur *pietas in sublevatione malorum.* — (Item iustitia.) Similiter et *iustitia* dicitur communissime *divinae bonitatis condecentia;* communiter vero dicitur *liberalitas in retributione praemiorum;* stricte *severitas in punitione malorum* [3].

Secundum igitur hos tres modos simul currunt in eodem opere. (Conclusio generalis.) Nam *primo* modo *misericordia,* divinae bonitatis affluentia, et *iustitia,* divinae bonitatis condecentia, sunt in eodem opere, ita quod in omni opere, quia omnia facit ex affluenti bonitate et nihil facit ex affluenti bonitate, nisi quod decet bonitatem suam. — Similiter *secundo* modo *misericordia,* quae est benignitas in supererogatione bonorum, et *iustitia,* quae est liberalitas in retributione praemiorum, simul concurrunt, quia, cum [4] retribuit bona, non retribuit nisi merenti et supra id quod meruit. — Similiter *tertio* modo *misericordia,* quae est pietas in sublevatione malorum, et *iustitia,* quae est severitas in retributione malorum, simul currunt, quia nunquam ita severe punit, quin aliquod debitum de poena dimittat. — Sic igitur patet, quod misericordia et veritas *communissime* sunt in eodem opere, quia in *omni* opere Dei; (Conclusio 2. trimembris.) sed *communiter* sunt in omni opere *retributionis bonorum; proprie* sunt in *retributione poenarum* et suppliciorum. — Sunt tamen in eodem opere secundum aliam et aliam conditionem: (Conclusio 3.) in quantum enim retribuit quod meruit, *iustitia;* in quantum supra, vel infra, *misericordia.*

Ex his patent omnia obiecta, (Ad argg.) quia in eodem opere necessario concurrit *esse* misericordiam et iustitiam; et differunt [5] in *connotatis,* ideo non ratione *operum* diversorum, sed ratione diversarum *conditionum* in eodem opere.

3. Ad illud quod obiicitur, (Ad 3. arg. ad oppos.) quod misericordia facit contra merita; dico, quod non dicitur eo ipso *misericordia,* quia facit *contra* merita, sed quia facit *supra;* et hoc simul cum iustitia stat [6].

QUAESTIO III.

Utrum in omni opere Domini sit misericordia et veritas, secundum quod proprie *accipiuntur, an aliquando separentur.*

Tertio, dato quod in *omni* opere Domini sit misericordia et veritas, secundum quod dicuntur *largissime*, quaeritur, utrum secundum quod *proprie* accipiuntur, an aliquando separentur. Et quod non, videtur.

(Ad oppositum.) 1. Super illud Psalmi [7]: *Misericordiam et iu-*

---

[1] Psalm. 24, 10. — Glossa exhibetur a Petro Lombardo in hunc locum, ubi pro *simul appareant* substituitur *manifeste appareant.* Expositio huius loci sumta est ex Cassiodoro et Augustino, ita quod prima pars sit *Cassiodori*, secunda *Augustini* (in hunc loc.); in secunda parte, quae verba a S. Bonav. allegantur, videntur apposita, quia apud August. (in hunc loc.) non occurrunt. Cfr. Cassiodor., in Ps. 100, 1.

[2] Libr. I. c. 14. n. 21: Deus unus, qui fecit caelum et terram et res humanas iuste ac misericorditer curat, ita ut nec praecludat iustitia misericordiam, nec impediat misericordia iustitiam etc.

[3] Anselm., Proslog. c. 10: Cum enim punis malos, iustum est, quia illorum meritis convenit; cum vero parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuae condecens est. Nam parcendo malis ita iustus es secundum te et non secundum nos, sicut misericors es secundum nos et non secundum te etc.

[4] Non pauci codd. *quia cui.* Inferius pro *supra id quod* cod. E *supra quam.*

[5] Vat. legit: *quia, cum in eodem opere concurrant necessario misericordia et iustitia, differunt tamen.* Eadem Vat. mox post *ideo non* addit *in.*

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Psalm. 100, 1. — Glossa *ordinaria* apud Strabum ex August. (in hunc loc.): « Misericordia nunc, iudicium in futuro » Cfr. Glossa *ordinaria* in Ps. 24, 10. sumta ex Augustino: Ergo *universae viae Dimini* sunt duo adventus Filii Dei: unus miserantis, alter iudicantis... In primo misericordiam [manifeste

dicium; Glossa: « In primo adventu misericordia, in secundo iustitia »; sed primus adventus est ad iustificandum: ergo non concurrit ibi nisi *misericordia.*

2. Item, nos petimus, quod Deus non retribuat nobis peccatoribus secundum merita — ita orat Ecclesia[1] — sed iustitia retribuit secundum merita: ergo in iustificatione impii non est *iustitia,* alioquin, si ibi iustitiam petimus, ergo non iustificari.

3. Item, iustificatio est viri peccatoris, qui non est dignus pane[2]: ergo si nihil apud Deum meruit, et iustitia, de qua loquimur, merita respicit; ergo non est ibi iustitia.

4. Item, iustificatio fit per gratiam; sed si gratia ex meritis, *iam non est gratia*[3]*:* ergo aut non est ibi iustitia, aut non est ibi gratia. Sed est gratia: non ergo iustitia.

Fundamenta. Contra: 1. *Universae viae Domini misericordia et veritas*[4]*:* ergo si iustificatio est via Domini, ergo est ibi misericordia et iustitia.

2. Item, in Psalmo[5]: *Iustus Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus* etc.; et alibi: *Miserationes eius super omnia opera eius:* ergo in omni opere concurrunt misericordia et iustitia.

3. Item, Augustinus[6]: « Qui creavit te sine te non iustificabit te sine te »: ergo non omnino est iustificatio a Deo, sed aliquid concernit a parte nostra; sed misericordia non concernit nisi miseriam: ergo quod amplius ibi concernit, hoc est iustitiae.

4. Item, *ratione* videtur: quia misericordia consistit in remissione culpae et poenae; sed nulli omnino remittit culpam et poenam; quod patet, quia sine poenalitatibus non possumus vivere[7]: ergo etc.

CONCLUSIO.

In opere iustificationis est misericordia et iustitia, non tamen secundum idem.

Conclusio. Respondeo: Dicendum, quod in opere iustificationis est misericordia et veritas, non tamen secundum idem. — Explicatur. Et hoc patet sic: quia impius ex peccato offendit Deum et dignus est poena aeterna, et ita est ibi *offensa* et *reatus ad poenam;* et *misericordia* est in remittendo *offensam* et *reatum ad poenam aeternam,* sed *iustitia* est in obligando ad *temporalem poenam tantum*[8]*;* etsi baptismus liberet a poena *aeterna et satisfactoria,* non tamen ab *omni* poena, immo poenalitates remanent in corpore et anima.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur, quod in primo adventu est misericordia; dicendum, quod hoc non est dictum *praecise,* sed *appropriate*[9]*:* quia, etsi utrobique sit misericordia et iustitia, hic tamen magis relucet misericordia, ibi magis iustitia.

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod petimus, quod non retribuat secundum merita; dicendum, quod[10] non petimus, quod *nullo* modo secundum merita retribuat, quia debemus velle puniri; sed quod non *omnino* secundum merita tribuat.

Notandum. 3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod Deus gratis iustificat; dicendum, quod quantum ad *gratiae collationem* est tantum misericordia, non iustitia, nisi dicatur iustitia *condecentia bonitatis*[11]*;* quantum vero ad *poenae exactionem,* dico, quod est *proprie* iustitia.

Ad fundam. Ad illud quod obiicitur ad oppositum, dicendum, quod aut intelligitur de iustitia, ut est condecentia bonitatis, aut si proprie, intelligitur de iustitia ratione punitionis coniunctae iustificationi[12].

QUAESTIO IV.

Utrum Deus possit aliquem pure remunerare ex iustitia, vel pure ex misericordia.

Quarto quaeritur, utrum possit Deus aliquem pure *remunerare* ex iustitia, vel pure ex misericordia, ita quod ista duo separentur. Et quod sic, videtur:

1. Quia Hugo de sancto Victore[13] dicit, quod si Deus totam poenam relaxaret, non propter hoc esset iniustus: ergo si misericordia velit relaxare poenam, et iustitia non repugnat; patet etc. Ad opposi-tum.

2. Item, *ratione* videtur: quia Deus est summe iustus et summe misericors; sed « albius est quod

nobis exhibet], in secundo veritatem. — Post *ibi* ex cod. F supplevimus *nisi;* cod. B omittit *non* ante *concurrit.*

[1] Cfr. Collecta pro feria V. post Cineres: Deus, qui culpa offenderis... et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte. Cfr. ultimam orationem in Missa pro feria II. post Dominic. I. Quadrages. et vide in Litaniis omnium Sanctor.: Domine, non secundum peccata nostra facias nobis etc. (ex Ps. 102, 10.). — Voci *ita* cod. aa praemittit *et.* Subinde pro *iustitiam petimus* Vat. *est iustitia, petimus.*

[2] Cfr. supra pag. 356, nota 9.

[3] Rom. 11, 6: Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. [4] Psalm. 24, 10.

[5] Psalm. 144, 17. Ibid. v. 9. habetur seq. locus.

[6] Vide supra pag. 327, nota 2. — Codd. E F L cum textu originali *iustificat.*

[7] Cfr. supra d. 4. p. I. a. 1. q. 2. in corp., ad quem locum etiam infra in fine corp. quaest. respicitur.

[8] Ut dictum est supra d. 15. p. I. q. 1. in corp. Cfr. etiam d. 17. p. I. a. 1. et 2. — Superius post *reatus ad poenam* cod. L supplet *aeternam.*

[9] Ed. 1 *sed secundum quid.*

[10] Edd. hic addunt: *hoc intelligitur secundum iustitiae rigorem. Vel dicendum quod,* et in fine solut. omittunt *sed quod... tribuat.*

[11] Cfr. supra pag. 964, nota 3.

[12] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[13] Libr. I. de Sacram. p. VIII. c. 8. et 9, ubi agit de iustitia potestatis et aequitatis, de iustitia patiente et cogente, ac inter alia dicit: « Cum ergo Deus punit peccatorem, iuste facit; quia eius potestati debetur, ut hoc possit, si velit, et iuste

est nigro impermixtius[1] »: ergo cum misericordia temperet iustitiam, et iustitia misericordiam, istud est summae misericordiae, quod nihil habet de iustitia, et e converso: ergo si Deus summus est in utroque, potest facere opus de iustitia, in quo non sit misericordia.

3. Item, tantae culpae debetur tanta poena; quaeritur igitur, utrum Deus *possit* tantam infligere. Si *non*, ergo non est omnipotens; si *potest*, et hoc erat[2] purae iustitiae: ergo potest facere opus purae iustitiae; similiter concluditur, quod opus purae misericordiae.

4. Item, homo potest punire hominem tantum, quantum meruit, potest etiam totum remittere: ergo si Deus est iustior et misericordior homine, multo fortius Deus potest hoc facere.

Contra: 1. Secundae ad Timotheum secundo[3]:
Fundamenta. *Iustus est et negare se ipsum non potest:* si ergo non potest facere contra se nec se negare, non potest facere, quin puniat; et sic etc.

2. Item, proprium est Dei misereri[4]; sed proprium non potest relinquere illud cuius est proprium: ergo impossibile est, quod aliquem remuneret, quin misericorditer faciat.

3. Item, culpa est totam culpam prosequi, et culpa est malum relinquere impunitum: ergo sicut Deus non potest mentiri[5], quia malum est, sine culpa; sic nec omnino iuste punire nec omnino misericorditer parcere.

4. Item, sicut Deus creat in quantum unus, verus et bonus; ita regit et remunerat in quantum misericors et iustus; sed impossibile est, Deum facere effectum, qui non habeat modum, speciem et ordinem, quae respondent unitati, veritati et bonitati[6]: ergo impossibile est, quod retribuat, quin in effectu illo aliquid retribuat iustitiae, aliquid misericordiae.

CONCLUSIO.

In omni Dei retributione misericordia et iustitia sic coniunctae sunt, ut impossibile sit, eas ab invicem separari.

Respondeo: Dicendum, quod in omni retribu-
Conclusio. tione Domini sic sunt coniunctae misericordia et iustitia, quod impossibile est, separari eas ab invicem. — Et ratio huius est: quia, sicut in nobis, *quae-* Ratio.
dam sunt virtutes, quarum perfectio attenditur per accessum ad extremum, ut puta caritas; *quaedam* per accessum ad medium, ut iustitia et misericordia[7]; unde non dicitur *summe iustus* per excessum severitatis, nec *summe misericors* propter omnimodam remissionem culpae; sed quia tantum miseretur, quantum est conveniens, similiter et tantum punit. — Et ratio huius est, quia iustitia et miseri- Confirmatur.
cordia maxime dicuntur respectu *actuum et meritorum nostrorum.*

1. Ad illud quod dicit Hugo, quod potest totam Solutio oppositorum.
poenam remittere; dicendum, quod verum est de potentia *simpliciter*, sed non est verum de potentia *ordinata ad merita.* — Vel intelligitur de poena Aliter.
subsequente, non de poena *concomitante culpam*, quia, ut dicitur in primo Confessionum[8], « impossibile est, esse dedecus peccati sine decore iustitiae ».

2. Ad illud quod obiicitur, quod est summe iustus; dicendum est, quod non dicitur *summe iustus* Notandum.
per recessum a misericordia ad severitatem, sed per recessum ab iniustitia.

3. Ad illud quod quaeritur, utrum possit isti tantam poenam infligere; dico, quod non potest, et hoc, quia misericordia repugnat, et non potest suam misericordiam negare, hoc enim est *non-posse;* unde sicut *non posse* esse nimis rigidum[9] non sonat in defectum, sed in nobilitatem; sic in proposito intelligendum. — Posset etiam dici, quod ratione offen- Aliter.
sae, quae est in Deum infinitum, poena non possit sufficiens taxari, nec peccator esset capax; unde defectus est ex parte *naturae suscipientis,* non *naturae infligentis.*

4. Ad illud quod obiicitur, quod homo potest parcere totum; dicendum, quod est homo, ad quem Distinctio.
spectat *misereri*, ut est ille qui recepit iniuriam, et iste non potest omnino punire, quin excedat; et homo, ad quem spectat *punire*, ut est iudex, et iste non potest omnino dimittere, quin excedat. Et quoniam Deus gerit istam duplicem personam, scilicet eius qui offenditur, et eius qui iudicat; cum[10] non possit excedere, facit utrumque.

---

punitur qui patitur... Cum vero Deus iustificat peccatorem, iuste agit et iustus est iustitia potestatis, qua ei hoc licet ». In seqq. ostendit, quod Deus semper iuste agit (sive iustitia potestatis, sive aequitatis), assumendo quosdam ad salvationem, deserendo quosdam ad punitionem; immo quod qui salvantur, Dei iustitia servata, secundum *merita sua* iuste damnari potuissent, et qui secundum merita sua iuste damnantur, per *gratiam Dei* iuste salvari potuissent, si Deus voluisset etc. — Edd. quaestionem sic proponunt: *utrum possit Deus aliquem punire pure ex iustitia, vel pure remunerare ex misericordia* etc.

[1] Aristot., III. Topic. c. 4. (c. 5.).

[2] Codd. P aa *est*, edd. *erit*.

[3] Vers. 13: Ille fidelis permanet; negare etc.

[4] Oratio pro pluribus defunctis: Deus, cui proprium est misereri semper et parcere etc. — De *minori* vide Porphyr., de Praedicab. c. de *Proprio*, ubi proprium stricte sumtum definitur, quod convenit « soli et omni et *semper* » etc.; et Aristot., V. Topic. c. 1.

[5] Tit. 1, 2: Qui non mentitur Deus.

[6] Cfr. I. Sent. d. 3. p. 1. dub. 3, et II. Sent. d. 35. a. 2. q. 1. — Circa finem arg. ante *iustitiae* codd. M R omittunt *retribuat*, quod parum congruit. Fortasse legendum *tribuat* pro *retribuat*, vel *sit*.

[7] Supple cum codd. G L Y *sic et in Deo* (simile additur a codd. P bb in fine corp.). — Cfr. supra pag. 963, nota 4.

[8] Cfr. c. 10. n. 16. et c. 12. n. 19. Clarius habetur III. de Lib. Arb. c. 15. n. 44. (vide supra pag. 957, nota 9.). — In principio solut. substituimus ex cod. G *totam poenam* pro *totam culpam;* cod. aa *totum*.

[9] Plures codd. *minus rigidum*, edd. *iniustum*.

[10] Edd. *ideo cum*. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo de hoc quod dicit, quod *sine intermissione perpetuos* etc. Videtur enim male dicere, quia Iob vigesimo quarto [1] dicitur: *Transierunt ab aquis nivium ad calorem nimium:* ergo saltem videtur, quod in illo transitu sit intermissio. — Item, super illud Isaiae decimo quarto [2]: *Tu autem proiectus es;* Glossa: « Etsi omnes animae aliquando habebunt requiem, tu nunquam »: et ita videtur, quod animae aliquando ibi requiescant.

Respondeo: Dicendum, quod punitio gehennalis erit sine omni intermissione; et hoc patet per illud quod dicitur Apocalypsis decimo quarto [3]: *Ascendit fumus tormentorum in saecula saeculorum, et non habebunt requiem die ac nocte.* Cum enim non sit interpolatio in culpa, non debet esse in poena. (Notandum.)

Quod obiicitur de transitu, dicendum, quod dupliciter potest intelligi: vel sicut est transitus subiecti ab uno contrariorum immediatorum in aliud [4], ita tamen, quod semper est sub altero contrariorum; sic intelligitur in proposito; vel ita, quod non intelligatur successio, sed nec transitus cum successione, sed varietas cum confusione. (Dupliciter solvitur.)

Quod obiicitur de Glossa, dicendum, quod loquitur non *simpliciter*, sed *sub conditione,* ad exaggerandum magnitudinem peccati illius.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quae si sola esset alienari a regno* etc. Videtur enim male dicere: quia, ut dicit Augustinus [5], haec est *mitissima* poenarum omnium: ergo contradicit sibi nunc.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus [6] loquitur de illis qui damnum habent et non animadvertunt, vel animadvertunt, non tamen habent conscientiae remorsum. — Vel dicendum, quod quia ipse comparat carentiam visionis Dei aeternam ad poenam temporalem, dicens [7], quod illa excedit omnem temporalem, quia ibi est privatio boni æterni, sed hic temporalis. Cum autem dicit, ipsam esse *mitissimam*, loquitur de poenis aeternis. (Aliter.)

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quantumcumque mali sint, de poena relaxare.* Videtur enim male dicere, quia Ecclesiastici quadragesimo [8]: *A praesidente* etc.; dicit Glossa: « In inferno nulla erit mitigatio ».

Respondeo: Dicendum, quod hic loquitur de relaxatione, quae fit *in* taxatione poenae, sed ibi de mitigatione *post* poenam taxatam. — Aliqui tamen exponunt, quod non erit mitigatio ad *liberationem*, sicut exponit Magister quasdam alias auctoritates in littera [9]; sed ista expositio extorta esse videtur. Aliud est enim poenam *mitigari,* aliud a *poena omnino liberari.* (Alia expositio, non probata.)

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!* quia videtur dicere contra illud quod dicitur in Psalmo [10]: *In labiis meis pronuntiavi omnia iudicia oris tui.* Si enim potuit *pronuntiare:* ergo et *comprehendere.*

Respondeo: Dicendum, quod *iudicia Dei* dicuntur dupliciter: uno modo *iudicialia praecepta,* quae erant in Lege, quae frequenter in Psalmo vocantur *iudicia.* Alio modo dicuntur *divina dispositio* et divini consilii definitio, et ista sunt inscrutabilia quantum ad cognitionem *si est,* antequam fiant; et quantum ad cognitionem *propter quid,* ex quo facta sunt, nisi Spiritus Dei revelet, *qui scrutatur etiam pro-* (Duplex sensus vocabuli.)

---

[1] Vers. 19. Cfr. supra pag. 927, nota 8. — Pro *Transierunt* cod. G *Transibunt.*

[2] Vers. 19. — *Glossa* est secundum Hieron. in hunc loc. dicentem: Omnes animae apud inferos aliquam requiem accipient, tu [Nabuchodonosor] solus in extremas tenebras relegaberis. — Inferius pro *aliquando* cod. G *aliquantulum.*

[3] Vers. 11; Vulgata post *tormentorum* addit *eorum* et substituit *nec habent* pro *et non habebunt.*

[4] Vide Aristot., de Praedicam. c. *de Oppositis,* et V. Phys. text. 46. seqq. (c. 5.), ubi allegatur ut exemplum transitus de sanitate in aegritudinem, vel vice versa. — In edd. tota responsio haec omittitur et confunditur cum seq. de Glossa; legunt enim: *Quod obiicitur de transitu, dicendum, quod loquitur* etc. In fine solut. pro *peccati illius* cod. L *peccata illius* [Nabuchodonosor]. — De eodem dubio Petr. a Tar., hic circa lit.

[5] Enchirid. c. 93. n. 23. Cfr. II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1. seq.

[6] In obiectionis verbo. — Mox non pauci codd. omittunt *tamen.*

[7] Verba, quae textum huius dubii sequuntur, sunt: Tam grandis tamen est poena, ut ei possint nulla tormenta, quae novimus, comparari etc. Vide hic lit. Magistri, c. 1. — Cfr. de hoc dubio S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

[8] Vers. 3. seq.: A residente [*praesidente* legitur in pluribus antiquis edd.] super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra et cinere... furor, zelus etc. — Glossa, apud Lyranum *interlinearis* in v. 4, sumta est ex Rabano, in hunc loc.

[9] Hic c. 1. — Superius edd. omittunt *quae fit in taxatione poenae*, et subinde cum nonnullis codd. *non* ante *erit.* Circa finem solut. ex codd. L O U substituimus *poenam* pro *peccatum.* — De hoc dubio cfr. supra a. 1. q. 2, ubi in scholio citantur alii doctores.

[10] Psalm. 118, 13. Cfr. ibid. v. 30. 52. 102. 106.

funda Dei[1]. Et sic patet, quod alio modo accipitur hic et ibi *iudicium*.

DUB. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *quaedam sunt, quibus ostenditur misericors et aequus distributor*. Videtur enim male dicere: quia opera Dei non ostendunt misericordiam et iustitiam, nisi sicut effectus causam: si ergo misericordia et iustitia est eadem causa omnino, ut dicit in littera[2], ergo eisdem effectibus, quibus ostenditur *iustus*, ostenditur et *misericors*.

RESPONDEO: Dicendum, quod *causa* in Deo, quamvis non dicat veram habitudinem et dependentiam ex parte *Dei*, dicit tamen habitudinem ex parte *creaturae*; et sicut ex parte *creaturae* est habitudinis veritas, ita et multiplicitas; et secundum illorum habituum multiplicitatem est divinam essentiam multipliciter intelligere et significare[3]. Quoniam igitur alium modum habet effectus, qui respicit *meritum*, alium, qui respicit misericordiae *effectum*[4]; et iustitia et misericordia istas habitudines connotant; quamvis *principale significatum* sit unum, tamen ille *effectus*, qui attribuitur iustitiae, nec potest nec debet attribui misericordiae[5].

Notandum.

DUB. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *aliud significat sapientia, aliud iustitia* etc.; quia supra[6] cum dictum sit, quod non dicitur diversitas significati, videtur, quod contra se dicat.

RESPONDEO: Dicendum, quod illud intelligitur ratione *connotati;* sed illud quod superius dictum est, intelligitur ratione *principalis significati.* — Vel dicendum, quod *alietas* non notatur in re significata absolute, sed sub ratione intelligendi, quae est alia et alia, quia voces sunt signa intellectuum[7]. Et sic patet illud.

Aliter.

DISTINCTIO XLVII.

CAP. I.

De sententia iudicii.

Solet etiam quaeri: qualiter dabitur iudicii sententia? — Sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura[1] aperte definit, an *voce* illa proferantur: *Venite benedicti*, et: *Ite maledicti;* an *virtute* iudicis ita fiet, conscientiis singulorum attestantibus, ut modo dicitur futurum, ut iudicis potentiae effectus ipsius dictione significetur. Illa etiam: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, et huiusmodi, magis conscientiis exprimenda plurimi putant quam verbis, quia Apostolus *in momento, in ictu oculi* mysterium consummandum tradit. Sed illud ad *resurrectionis statum* tantum referunt, non ad *iudicium*, qui iudicii sententiam et malorum increpationes et bonorum praeconia verbis exprimenda asserunt.

CAP. II.

Quod Sancti iudicabunt, et quomodo.

Non autem solus Christus iudicabit, sed et Sancti cum eo *iudicabunt nationes*[2]. Ipse enim Apostolis ait: *Sedebitis et vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Nec est putandum, quod duodecim Apostolis tantum hoc promiserit Christus. Ubi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laboravit, si non ibi sedebunt nisi duodecim? « Per *duodecim* igitur *sedes*[3] » perfectio tribunalis, id est « universitas iudicantium intelligitur », scilicet omnes perfecti, qui *relictis omni-*

Beda.

---

[1] Epist. I. Cor. 2, 10. — De cognitione *si est* et *propter quid* cfr. Aristot., II. Poster. c. 1. seqq. — Edd., posito *quia ante fiunt* pro *si est, antequam fiant*, prosequuntur: *quam ad nostram cognitionem deducantur. Vel si ad nostram cognitionem deducantur, non tamen cognoscimus, quare facta sunt*, *nisi* etc. — Idem dub. solvitur a S. Thoma et a Richard. a Med., hic circa lit.

[2] Hic c. 3. — Cod. G *ut dicit littera.*

[3] Vide I. Sent. d. 30. q. 1. et 3. — Edd. *assignare*, quae etiam cum pluribus codd. superius pro *veritas* substituunt *severitas.* Pro *illorum*, quod est in codd. S U, in aliis et edd. habetur *aliorum*.

[4] Ita cod. aa, in aliis et edd. perperam *defectum*.

[5] Ex codd. N Y Z aa supplevimus *nec debet*. Edd. legunt: *quamvis principale significent, inde est, quod ille effectus... non potest attribui misericordiae.* — De hoc dub. cfr. Petr. a Tar., hic circa lit.

[6] Hic in lit. Magistri, c. 3: Non diversitas subiacentis, id est rei his vocabulis significatae, exprimitur etc.

[7] Aristot., I. Periherm. c. 1: Sunt ergo ea quae sunt in voce, earum quae sunt in anima passionum notae. Cfr. supra pag. 68, nota 1. — Superius voci *alietas* codd. L Y praemittunt *talis*, et pro *notatur* edd. cum pluribus codd. *vocatur*. — Cfr. de hoc dubio S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] Matth. 25, 34, deinde v. 41. 42; denique I. Cor. 15, 52. — Solae edd., exceptis 1 et 6, addunt *aliis* ante *iudicii*, et pro *praeconia* ponunt *praemia*.

[2] Sap. 3, 8; deinde Matth. 19, 28, et I. Cor. 15, 10; cfr. August., Enarrat. in Ps. 86. n. 4; XX. de Civ. Dei, c. 5. n. 3.

[3] Hic et duo seqq. loci sunt ex Beda, Homil. in festo S. Benedicti, et super Matth. 19, 28, etiam apud Lyranum. Respiciuntur Matth. 19, 27; Marc. 10, 28; Ps. 149, 6.

bus, secuti sunt Christum; « per *duodecim tribus* universitas iudicandorum ». Iudicabunt vero eos Sancti, non modo comparatione, sed etiam auctoritate et potestate; unde *gladii ancipites in manibus eorum,* id est sententia de bonis et malis in potestate eorum. —
Quaestio non soluta. Si vero quaeritur: quae erit eorum potestas vel auctoritas in iudicando? puto, non ante posse sciri, quam videatur, nisi divina revelatione quis didicerit.

CAP. III.

De ordinibus eorum qui erunt in iudicio.

Erunt autem quatuor ordines in iudicio. Duae quippe sunt partes, electorum scilicet et reproborum,
Gregorius. ut Gregorius [1] in Moralibus ait, « sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii enim iudicantur et pereunt, alii non iudicantur et pereunt; alii iudicantur et regnant, alii non iudicantur et regnant. Iudicantur et pereunt quibus dominica inclamatione dicetur: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc. Non iudicantur et pereunt quibus Dominus ait: *Qui non credit iam iudicatus est.* Eorum enim damnatio toti Ecclesiae nota est et certa, et ideo dicuntur tunc *non iudicari,* quia ad conspectum districti iudicis cum aperta damnatione suae infidelitatis accedent. Qui vero professionem fidei sine operibus habent iudicabuntur et peribunt, id est, redarguentur, ut pereant. Qui vero nec fidei Sacramenta tenuerunt increpationem iudicis in se fieri non audient, quia, infidelitatis suae tenebris praeiudicati, eius quem despexerant invectione redar-
Dubium 1. gui non merentur. Illi saltem verba iudicis audient, qui eius fidem saltem verbo tenuerunt. Illi autem in damnatione sua aeterni iudicis nec verba percipient, qui eius reverentiam nec verbotenus servare voluerunt »;
Gregorius. et ideo illi *iudicandi,* isti *non iudicandi* dicuntur. « Ex electorum vero parte alii iudicantur et regnant, scilicet qui vitae maculas lacrymis tergunt et eleemosynarum superinductione operiunt; quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicet: *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Alii autem non iudicantur et regnant, qui etiam praecepta legis perfectionis virtute [2] transcendunt; quia non hoc solum, quod lex praecipit, implere contenti sunt, sed et quod ad perfectionem consulitur implere student. De quibus Propheta ait: *Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui;* et Salomon, de Ecclesiae sponso loquens, ait: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae;* et Iob: *Non salvat impios et pauperibus iudicium tribuit.* Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, sed *iudices* veniunt, quia et praecepta generalia vivendo vicerunt, et omnibus relictis, Christum secuti sunt. Recte pauperibus iudicium tribuit, qui quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc maiori cul-
Gregorius. mine potestatis excrescent ». « De talibus dicitur: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici et sedi cum Patre meo in throno eius.* Vincens Dominus cum Patre in throno sedit, quia post passionis certamen et resurrectionis palmam, quod Patri esset aequalis, omnibus claruit. Nobis vero in *throno Filii sedere* est ex eiusdem Filii potestate iudicare; quia enim iudicandi principatum ex eius virtute percipimus, quasi in eius throno residemus [3] ». — Ex his apparet, quod etiam perfectiores Sancti cum Christo iudicabunt potestate; et quare quidam dicuntur *iudicandi,* alii *non iudicandi.*

CAP. IV.

De ordine iudicii et ministerio Angelorum.

Cum autem in Evangelio [4] legatur, quod *Dominus mittet Angelos suos, qui colligent de regno eius omnia scandala et mittent* iniquos *in caminum ignis;* et item: *Exibunt Angeli et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis;* et item: *Mittet Angelos suos cum tuba et congregabunt electos a quatuor ventis;* et Propheta dicit: *Congregate illi Sanctos eius:* ministerio Angelorum illa impleri, dubitandum Dubium 2.
non est. Domino enim veniente ad iudicium, praecedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius, et peribit caelum et terra, non secundum *substantiam,* sed secundum *speciem,* quae immutabitur, caelum quidem *aëreum,* non *aethereum.* Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquae in diluvio. Ille autem ignis malis, qui reperti fuerint vivi, erit consumtio, bonis vero non. Ut enim ait Augustinus [5], hoc erit incendium mundi Sanctis, quod fuit caminus tribus pueris; in quibus, si aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur; aliis vero nullam ingeret molestiam. Purgato vero per ignem mundo, et ad iudicium Dubium 3.
veniente Domino, emittetur vox illa magna, qua resurgent omnes mortui; et tunc ministerio Angelorum ventilabitur area, quia boni congregabuntur ei de quatuor partibus orbis angelico ministerio; quo et rapientur *obviam Christo in aëra,* reprobis in terra, quam dilexerunt, remanentibus. Et tunc *praeconia* illa bonorum: *Esurivi, et dedistis mihi manducare;* et *increpationes* illae malorum: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc.; proferentur vel sono vocali, vel alio modo. Denique proferetur sententia super utrosque: *Venite benedicti* etc.; et: *Ite maledicti* etc.; et ministerio Angelorum, virtute Dei cooperante, mittentur mali in caminum ignis, hoc est in infernum.

CAP. V.

Si post iudicium daemones praeerunt hominibus ad puniendum.

Et solet quaeri, utrum in inferno malis ad puniendum praesint daemones post iudicium, quos carnifices tortoresque animarum Scriptura [6] appellat. — Aposto-

---

[1] Libr. XXVI. Moral. c. 27. n. 50; respiciuntur Matth. 25, 42; Ioan. 3, 18. Seq. locus est Gregorii, ibid. n. 51.

[2] In originali et Vat. *perfectione virtutum*, sed antiqua lectio, notata a Maurinis, convenit cum lectione codd. et edd. Loci Scripturae sunt Isai. 3, 14; Prov. 31, 23; Iob 36, 6.

[3] Ibid. c. 28. n. 53; citatur Apoc. 3, 21.

[4] Matth. 13, 41. seq., deinde v. 49, et denique 24, 31; Ps. 49, 5.

[5] Libr. XX. de Civ. Dei, c. 18. secundum sensum. — In edd., excepta 1, contra codd. omittitur *enim* ante *ait*, et verba colligantur cum praecedentibus. In seqq. respiciuntur, vel citantur Matth. 3, 12; I. Thess. 4, 17; Matth. 13, 42.

[6] Videtur alludere ad Matth. 18, 34. Seq. locus est I. Cor. 15, 24.

lus dicit, quod Christus tunc evacuabit *omnem principatum et potestatem et virtutem.* Dum enim durat mundus, Angeli Angelis, daemones daemonibus, homines hominibus praesunt; sed omnibus collectis, iam Opinio 1. omnis praelatio cessabit. — Hinc quidam putant, post iudicium daemones non habere potestatem cruciandi homines, sicut modo, sed ut daemones virtute Dei cruciari sine creaturae ministerio asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem daemonum, sed virtute divina tantum aeternis subiici cruciatibus. — Praemissa tamen auctoritas non id cogit sentire, quae, etsi asserat, tunc nec daemones daemonibus, nec homines hominibus praeesse, non definit tamen, an daemones praesint hominibus ad torquendum. Unde quibusdam videtur, eos sic exstare hominibus *tortores* in poena, sicut exstiterunt *incentores* in culpa.

Non cogit. Dubium 1. Opinio 2.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLVII.

De ordine iudicii extremi.

Solet quaeri, qualiter dabitur iudicii sententia.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de resurrectione. In hac parte agit de iudicii definitione. Dividitur autem haec pars in duas. In prima namque agitur de iudicio. In secunda de statibus consequentibus ad iudicium, infra distinctione quadragesima nona: *Post resurrectionem, facto universo* etc.

Prima pars habet duas. In prima parte agit de ordine, secundum quem iudicium illud dabitur. In secunda vero determinat de potestate et forma ipsius iudicis [1], infra distinctione quadragesima octava: *Solet etiam quaeri, in qua forma iudicabit Christus.*

Prima pars habet duas. In prima parte determinat ordinem iudicii quantum ad ea quae sunt de ipso iudicio. In secunda vero, quantum ad annexa, ibi: *Cum autem in Evangelio legatur* [2]. Prima pars habet duas. In prima determinat ordinem temporis. In secunda ordinem dignitatis, ibi: *Non autem solus Christus iudicabit;* ubi ostenditur ordo eorum qui iudicabuntur, et in iudicandis adhuc erunt quatuor ordines.

Cum autem in Evangelio legatur. Haec est secunda pars, in qua determinat ordinem quantum ad annexa; et quia quaedam antecedunt, ut praemissio Angelorum et ignis; et quaedam sequuntur, ut cruciatio damnatorum: ideo primo determinat, quae erunt illa quae praecedent iudicium, et quis erit ordo, ostendens, quod adventum Christi praeibunt Angeli, praeibit nihilominus ignis conflagratorius. Secundo, utrum ministerium daemonum in torquendo sit futurum post iudicium, ibi: *Et solet quaeri, utrum in inferno* etc. — Et sic hic duo tanguntur: primum est de ordine iudicii; secundum vero est de his quae annexa sunt, et maxime de illo igne, qui praecedit faciem iudicis.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae determinat Magister in ea, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de iudicantibus et iudicandis.
Secundo de igne, qui praecedet faciem iudicis.
Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo, quantum pertinet ad iudicantes, quaeritur, utrum Apostoli iudicent.
Secundo, utrum iudicent Angeli.
Similiter quantum ad iudicandos quaeruntur duo [3].
Primo quaeritur, utrum omnes iudicabuntur.
Secundo, utrum iudicabuntur Angeli.

---

[1] Codd. N aa *In prima determinat de ordine iudicii, in secunda de forma et qualitate.*

[2] Cod. B alteram huius primae partis divisionem subiungit, qua tamen posita, ea quae immediate sequitur divisio superfluere videtur. Mox pro *ordinem temporis* edd. *modum publicationis.* Subinde post verba *qui iudicabuntur,* quibus codd. G aa praemittunt *qui iudicabunt* (aa *iudicant*) *et*, edd. prosequuntur: *erunt enim in iudicandis ordines.*

[3] Edd. prosequuntur: *ubi tertio quaeritur, utrum omnes iudicabuntur, tam boni quam mali. Quarto, utrum Angeli iudicabuntur.*

ARTICULUS I.

De iudicantibus et iudicandis.

QUAESTIO I.

Utrum Apostoli iudicent.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod Apostoli iudicent.

Fundamenta. 1. Matthaei decimo nono [1]: *Sedebitis super sedes duodecim* etc. *Si dicas*, quod solum assistent iudici et non iudicabunt; *contra:* Matthaei duodecimo Dominus, loquens de Apostolis, Iudaeis dicit: *Ipsi iudices vestri erunt;* Glossa ibi dicit, quod habebunt auctoritatem iudicandi.

2. Item, hoc ipsum ostenditur *ratione:* quia, si solum iudicabunt comparatione, hoc non esset praerogativa; mali enim iudicabunt comparatione, secundum quod dicitur Matthaei duodecimo [2]: *Viri Ninivitae et regina austri surgent in iudicio contra generationem hanc.*

3. Item, hoc videtur: quia Dominus ideo dedit iudicium Filio, quia ipse, cum esset iustus, iudicatus est tanquam impius, Iob trigesimo sexto [3]: *Causa tua quasi impii iudicata est, iudicium causamque recipies;* sed Apostoli, cum essent iusti, iudicati sunt tanquam impii: ergo et pari modo iudicabunt.

4. Item, quamvis Christus esset redemptor et salvator noster, ipse tamen salutem animarum nobis per praedicationem Apostolorum dispensavit: ergo si gloria debet gratiae respondere, videtur, quod similiter per Apostolos proferat sententiam retributionis.

Ad oppositum. Contra: 1. Actuum decimo [4]: *Ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum:* ergo ipsi soli Christo debetur iudicium, non ergo Apostolis.

2. Item, iudex debet esse immunis a peccato, de quo alterum damnat [5]; sed solus Christus fuit absque omni contagione peccati: ergo ipsius solius est iudicare.

Quaestiones incidentes. Item, quaeritur: quare magis Apostolis attribuitur potestas iudiciaria quam aliis Sanctis, cum dicatur Sapientiae tertio [6]: *Iudicabunt Sancti nationes et dominabuntur?*

Item, si omnes Apostoli habebunt potestatem iudiciariam, quare dicit: *super sedes duodecim?* quia secundum hoc, cum Paulus non fuerit de duodecim, videtur, quod ad ipsum non pertineat iudicare [7].

Item, cum non habeant potestatem super alias tribus quam super *tribus Israel*, quomodo dicit: *iudicantes duodecim tribus Israel* [8]?

CONCLUSIO.

Solus Christus feret sententiam in iudicio; Apostoli autem eorumque perfecti imitatores sunt iudices ut assistentes iudicanti et approbantes.

Duplex iudicium. Respondeo: Dicendum, quod iudex in aliquo dicitur duplici ratione: aut quia ipsius est *ferre sententiam*, aut quia *assistit ferenti*, secundum quod aliqui iudices assistunt et quodam modo consulunt iudici principali. Qui ergo fert sententiam, ille est iudex principalis; et talis est solus Christus, sicut Conclusio 1. patet Matthaei vigesimo quinto [9], ubi exprimitur, quomodo fert sententiam. Qui autem assistunt iudicanti etiam nomen et dignitatem *iudicantis* sortiuntur; et tales sunt viri perfecti, qui ultra opera necessitatis praeceptorum supererogaverunt perfectionem consiliorum; tales autem sunt Apostoli princi- Conclusio 2. paliter tanquam capita et eorum perfecti imitatores. Assistentia autem illa non erit ad consulendum, quia Dominus consilio non indiget; sed erit tanquam ad quendam honorem et appropinquationem ad iudicem, quam possumus appellare iuxta verbum Domini [10] *honorabilem consessionem.*

---

[1] Vers. 28: Sedebitis et vos super etc. — Seq. locus est ibid. 12, 27, quem exponens Hieron. ait: « Ergo *ipsi iudices vestri erunt*, non potestate, sed comparatione; dum illi expulsionem daemonum Deo assignant, vos Beelzebub principi daemoniorum. Sin autem *de Apostolis* dictum est, quod et magis intelligere debemus, ipsi erunt iudices eorum, quia sedebunt in duodecim soliis, *iudicantes duodecim tribus Israel* (Matth. 19, 28.) ». Haec ultima verba respicit Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum sumta ex Beda, in Luc. 11, 19.

[2] Vers. 41. seq.: Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista... Regina austri surget etc.

[3] Vers. 17.

[4] Vers. 42.

[5] Cfr. Rom. 2, 1. seqq. — Edd. *a peccato, ita quod ipse non committat quod in altero damnat.*

[6] Vers. 8: Iudicabunt nationes etc.

[7] Cfr. August., Enarrat. in Ps. 86. n. 4. (refertur in Breviar. Roman. pro Communi Apostol. II. Noct. 2. loco).

[8] Matth. 19, 28. — Pro *potestatem* codd. communiter ponunt *potestates*.

[9] Vers. 31. seqq.

[10] Matth. 19, 28: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me... *sedebitis et vos* super sedes etc. Apoc. 3, 21: Qui viverit, dabo ei *sedere mecum* in throno meo etc. Cfr. lit. Magistri, hic c. 3. — Pro *consessionem... consessionis* non pauci codd. perperam *confessionem... confessionis.* Vide seq. scholion.

Ratio. Ratio autem huius honorabilis consessionis *meritoria* est perfectio supererogationis; ratio autem *finalis* est ad condemnationem malorum ex vitae suae comparatione, et ad gloriam Christi per sententiae eius approbationem. Sententiam enim Domini ut iustam approbabunt et malorum vitam sua comparatione condemnabunt.

Ad argg. Et ex his patent obiecta ad primam partem. Concedo enim, quod quidam [1] dignitate iudicabunt, non tamen ut Christus. Rationes ad oppositum similiter patent; concludunt enim, quod ipsorum non sit ferre sententiam.

Ad quaestiones incidentes. Ad illud vero quod quaeritur, quare magis Apostolis, et in duodecimo numero; patet responsio ex dictis: per *Apostolos* enim *duodecim* omnes viri perfecti intelliguntur, et per *duodecim tribus* universitas iudicandorum. — Sed cum *septenario numero* universitas designetur [2], quare non dixit: *in septenario numero?* Et responsio ad hoc est, quia in *septenario* notatur universitas, quae componitur ex tribus et quatuor. Ista in se ducta faciunt duodecimum numerum. — Ratio autem, quare magis duodecim quam septem, duplex est: *litteralis*, quia ad Apostolos loquebatur, qui erant duodecim; sed *mystica* est, quia duodenarius est numerus abundans, partes enim eius superexcrescunt [3]; et *rursus*, dividitur in duos senarios, in quo significatur perfectio in duplici vita, scilicet in activa et contemplativa cum supererogatione consiliorum; et ista est quae vindicat sibi iudiciariam dignitatem: ergo etc.

Alia quaest. incid. — Resp. — Ratio.

SCHOLION.

I. Iudicium universale esse futurum, constat per S. Scripturam et Symbola. — De congruentia duplicis iudicii cfr. S. Thom., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 88. a. 1; Bonav., infra q. 4. De Christo iudice vide d. 48. a. 1. — Antiqui Scholastici cum Magistro, S. Bonav. (hic q. 3.), S. Thom. (locis citt. quaestiunc. et art. 2.) communiter distinxerunt in hoc iudicio *examen* sive discussionem sive disceptationem a *prolatione sententiae*, et contra paucos probabilius esse docuerunt, hanc disceptationem esse simul *mentalem* et *vocalem*. — Supposita hac divisione, cum Magistro (hic c. 3.) distinxerunt quatuor *ordines iudicandorum;* et sibi constantes quaestionem (infra q. 3.), utrum *omnes* sint iudicandi, solverunt distinguendo. — Recentiores plures cum Suarez non admittunt praefatam distinctionem iudicandorum, unde infideles eodem iudicio disceptationis redarguendos esse dicunt. Agitur de re non magni momenti.

II. Quoad 1. quaestionem S. Thomas aliique magistri non tantum Apostolis, sed etiam perfectis eorum imitatoribus tribuunt quandam participationem iudiciariae potestatis, scilicet per « honorariam quandam consessionem », ut etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1; Suppl. q. 89. a. 1.) se exprimit, ita ut sententiam latam confirment et pronuntient. Idem in sequenti quaestiunc. sive art. tribus rationibus explicat, quare voluntariae paupertati specialiter tribuatur iudiciaria potestas. Plerique Lombardi commentatores 1. et 2. quaestionem simul tractant. In solvenda 2. q. S. Thom. consentit nostro auctori.

De 1. et 2. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 5. — Scot., hic q. 1. n. 3. 4. — S. Thom., hic a. 2. quaestiunc. 1-3; Suppl. q. 89. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 2. 3. 4. — Petr. a Tar., de his et seq. q. hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 6. — Dionys. Carth., de toto articulo hic q. 1.

II. Quaestiones 3. et 4. secundum supra dicta ab antiquis magistris solvuntur.

De eisdem: Scot., hic q. 1. n. 5. seqq. — S. Thom., hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 1-4; Suppl. q. 89. a. 5-8. — B. Albert., hic a. 5. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 4. 6. — Durand., hic q. 1. n. 7.

QUAESTIO II.

Utrum Angeli in die iudicii iudicabunt.

Secundo quaeritur, utrum Angeli iudicabunt. Et quod sic, videtur.

Ad oppositum. 1. Matthaei vigesimo quinto [4]: *Cum venerit Filius hominis* etc.; ibi subiungitur de Angelis.

2. Item, primae ad Timotheum sexto [5]: *In adventu Domini nostri Iesu Christi;* Glossa: « Venientis cum Angelis ». Idem habetur in pluribus locis et in textu et in Glossa.

3. Item, *ratione* videtur: quia Angeli nunquam peccant, ergo magis sunt idonei iudicare quam Apostoli [6]: ergo si Apostoli iudicabunt, et Angeli, immo multo fortius.

4. Item, sicut se habent boni homines ad malos, sic boni Angeli ad malos: si ergo boni homines iudicabunt malos, et boni Angeli debent iudicare malos.

Fundamenta. Contra: 1. Ioannis quinto [7]: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est;* sed

---

[1] Codd. F L U X *quadam.*

[2] Cfr. supra pag. 853, nota 6. — Ipsa *responsio* est secundum August., XX. de Civ. Dei, c. 5. n. 3.

[3] August., IV. de Gen. ad lit. c. 2. n. 4: Duodenarius vero partibus suis talibus simul ductis, non ipse consummatur, sed exceditur; ampliorem quippe duodenario numerum faciunt; nam usque ad sexdecim perveniunt. Habet enim eas quinque: duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam; nam duodecima eius unum est, sexta duo... unum autem et duo et tria et quatuor et sex in summam ducta sexdecim sunt. Cfr. etiam. I. Sent. d. 2. q. 4. scholion, ubi plura de antiqua circa numeros doctrina exhibentur.

[4] Vers. 31: Cum autem venerit etc.

[5] Vers. 14: Ut serves mandatum... usque in adventum Domini etc. — *Glossa* in Glossariis super hunc locum, quae prae manibus habemus, non exhibetur. Cfr. Matth. 16, 27; 24, 31; Marc. 8, 38; II. Thess. 1, 7. cum Glossa apud Petr. Lombard. Cfr. etiam Glossa *ordinaria* ex Hieron. in Dan. 7, 10.

[6] Vide quaest. praeced. arg. 2. ad oppos.

[7] Vers. 27.

Angeli non communicant in humana natura: ergo nec in iudiciaria potestate.

2. Item, exsecutor sententiae non dicitur esse iudex, sed minister; sed Angeli sententiam exsequentur, quia *mittent in caminum ignis*, Matthaei decimo tertio [1]: ergo etc.

3. Item, potestas iudiciaria data est Apostolis, quia iudicati sunt, et Domino, et quia, vita eorum comparata malis, ipsos ostendunt reprobos [2]; sed neutrum est in Angelis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Iudiciaria potestas non est in Angelis nisi ratione approbationis.

RESPONDEO: Dicendum, quod, sicut dictum est [3], iudiciaria potestas triplici ex causa dicitur esse communicata Apostolis, scilicet ratione *comparationis*, *approbationis* sententiae et *honorabilis consessionis*. Ratione *comparationis* iudicium erit hominum malorum et bonorum [4]; *approbationis*, non hominum bonorum tantum, sed hominum et Angelorum; *honorabilis consessionis*, perfectorum tantum. Unde dicendum, quod proprie loquendo, iudiciaria potestas non erit in Angelis; si autem dicatur in eis esse, intelligendum est ratione *approbationis*.

Ratio triplex.

Conclusio.

1. 2. Auctoritates autem illae, quae dicunt, quod Dominus veniet cum Angelis non sunt intelligendae, quod veniat cum Angelis *iudicantibus*, sed *ministrantibus* [5].

Solutio oppositorum.

3. Ad illud vero quod obiicitur, quod magis debetur Angelis, quia sunt sine peccato; dicendum, quod haec non est ratio comparandi iudiciariam potestatem, sed magis ipsa perfectio, quia [6] perfecerunt consilia et sunt conformes Christo in natura perfecta.

4. Ad illud quod obiicitur ultimo, dicendum, quod potest concedi, quod angeli mali iudicentur comparatione bonorum, sed non debet concedi, quod homines. — Vel dicendum, quod illam comparationem faciet supererogatio [7]; et illa iterum comparatio fiet his qui possent sibi videri boni esse, quod non est in malis angelis [8].

Aliter.

QUAESTIO III.

Utrum omnes iudicabuntur, tam boni quam mali.

Tertio quantum ad iudicandos quaeritur, utrum omnes iudicabuntur, tam boni quam mali. Et quod *omnes homines*, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Secundae ad Corinthios quinto [9]: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque* etc.

2. Item, Isaiae quadragesimo quinto [10]: *Egredietur de ore meo iustitiae verbum; et mihi curvabitur omne genu*: ergo si hoc est in iudicio, patet etc.

3. Item, Sancti, qui modo sunt in beatitudine, in die iudicii iudicabuntur, et mali, qui in inferno [11]: ergo et omnes.

4. Item, alia *ratione* videtur: quia iudicium fiet ad manifestationem divinae iustitiae: ergo si iustitia Dei ibi potissime manifestatur, ergo quantum ad omnia merita et omnes merentes. Sed non est creatura rationalis, quae non sit digna bono, vel malo: ergo omnes debent iudicari.

CONTRA: 1. Videtur, quod *nullus bonus* debeat iudicari, quia Ioannis tertio [12] dicitur: *Qui credit in eum non iudicatur;* et rursus quinto: *In iudicium non veniet* etc.

Pro parte negativa.

2. Item, saltem videtur, quod non iudicentur *boni perfecti*, quia iudicantis non est *iudicari*, sed *iudicare;* et viri perfecti in die iudicii erunt iudices [13]: ergo etc.

3. Item, quod *nullus infidelis*, videtur: quia Ioannis tertio [14]: *Qui non credit iam iudicatus est;* sed qui iudicatus est, iterum non debet iudicari: ergo etc.

4. Item, videtur, quod *nullus parvulus:* quia

---

[1] Vers. 42. et 50: Et mittent eos in etc.

[2] Cfr. quaest. praeced. — Superius pro *et Domino* in cod. E secunda manus bene substituit *cum Domino*, edd. *a Domino.*

[3] Quaest. praeced.

[4] Edd. prosequuntur: *tantum. Ratione approbationis erit bonorum hominum et Angelorum. Ratione honorabilis* etc.

[5] Vide hic lit. Magistri, c. 4.

[6] Cod. P supplet *viri evangelici, scilicet Apostoli;* plures codd. legunt *quia perfecerit*, cod. M *quae perfecerit.* In fine solut. pro *perfecta*, quod codd. GPZ omittunt, codd. T bb *perfecto.* Edd. in hac solut. post *sed magis* prosequuntur: *ista est ratio, scilicet servare ipsa consilia; et quia perfecerunt consilia et fuerunt conformes Christo in vera perfectione.*

[7] Cfr. quaest. praeced., ubi dicitur *perfectio supererogationis.* Forma verbi occurrit Luc. 10, 35.

[8] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[9] Vers. 10: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Rom. 14, 10: Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

[10] Vers. 23. seq. Vulgata post *verbum* prosequitur: *et non revertetur, quia mihi* etc.

[11] Matth. 25, 32. seqq.

[12] Vers. 18. — Seq. locus est ibid. 5, 24: Quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam (permulti codd. *venient*).

[13] Vide supra q. 1. et 2.

[14] Vers. 18: Qui autem non credit etc.

parvuli nihil boni nec mali operati sunt nec meruerunt nec in igne cremabuntur [1]: si ergo iudicium est secundum merita et ad poenam ignis, vel gloriam; patet etc.

CONCLUSIO.

Iudicio collationis meriti ad praemium iudicabuntur omnes, iudicio discussionis non omnes, iudicio condemnationis tantum mali.

Respondeo: Dicendum, quod iudicium dicitur tripliciter, scilicet *communiter, proprie* et *appropriate.* Iudicium *communiter* dicitur collatio manifesta meriti ad praemium. Iudicium *proprie* dicitur discussio meritorum et prolatio cum quadam discussione et sententiae definitione [2]. Iudicium *appropriate* dicitur ipsa condemnatio; unde *iudicatus* dicitur condemnatus.

Iudicium dicitur tripliciter.

Primo igitur modo omnes iudicabuntur, quia *omnes* convenient, et patebit, quomodo Deus omnibus retribuet secundum merita; et hoc est quod dicit Apostolus [3]: *Omnes manifestari oportet.* — Secundo modo, prout dicitur iudicium *discussionis, non omnes* iudicabuntur, sed erunt quatuor ordines, sicut distinguit beatus Gregorius, et Magister ponit in littera [4]. — Tertio modo, secundum quod dicitur iudicium *condemnationis,* iudicabuntur mali solum; et istud iudicium incipit in praesenti per *excaecationem* in infidelibus et per *exspoliationem* in daemonibus et consummabitur in futuro. Unde iudicium non iterabitur, sed consummabitur. — Et sic patent omnia [5].

Conclusio 1. Conclusio 2. Conclusio 3. Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum Angeli iudicabuntur.

Quarto quaeritur, utrum Angeli iudicabuntur. Et quod sic, videtur.

Fundamenta.

1. Iob quadragesimo [6] loquitur de Behemoth: *Spes eius frustrabitur eum, et cunctis videntibus, praecipitabitur:* ergo in conspectu omnium iudicabitur: ergo et alii daemones pari ratione.

2. Item, primae ad Corinthios sexto [7]: *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Si ergo Angeli iudicabuntur a servis Christi, multo magis ab ipso Christo.

3. Item, daemones plus habent de statu viatoris, quam habeant homines damnati, quia possunt demereri et peccare [8]: ergo magis indigent iudicari quam homines.

4. Item, daemones sunt participes nobis in culpa, ergo et in poena et ignominia; sed hoc erit potissime in iudicio: ergo sicut erunt in eodem supplicio, ita debent iudicari in eodem iudicio.

Ad oppositum.

Contra: 1. Ioannis decimo sexto [9]: *Princeps huius mundi iam iudicatus est;* sed *Deus non iudicat bis in id ipsum:* ergo etc.

2. Item, illi soli iudicabuntur, contra quos fertur sententia; sed sententia solum dabitur contra homines, non contra daemones, sicut patet Matthaei vigesimo quinto [10]: *Ite maledicti* etc.

3. Item, quod est certum non est afferendum in dubium [11]; sed certum est, daemones esse damnatos, cum de caelis proiecti sint: ergo non debent amplius iudicari.

4. Item, sicut mali homines exspectant iudicium, ita et boni: ergo si daemones exspectant iudicium, pari ratione et Angeli sancti. Sed sancti Angeli habent totam gloriam suam: ergo etc.

CONCLUSIO.

Daemones iudicabuntur iudicio condemnationis, sed non discussionis.

Respondeo: Dicendum, priori distinctione supposita [12], quod daemones iudicabuntur iudicio *condemnationis,* sed non discussionis. — Ratio autem *condemnationis* venit tum ex parte *iustitiae Dei,* tum ex parte *gloriae Christi,* tum ex parte *meriti,* tum ratione *consummationis supplicii.* Ex parte *iustitiae Dei:* quia, sicut iudicium hominum universale fiet, ut Dei iustitia omnibus clarescat et appa-

Conclusio. Ratio quadruplex.

---

[1] Ut ostensum est II. Sent. d. 33. a. 3. q. 1.

[2] Secundum Isidor., XVIII. Etymolog. c. 15. n. 2. Cfr. C. *Forus* (10.), X. de Verborum significat. (lib. V. tit. 40.). — De iudicio *damnationis* cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 43. n. 9. et tr. 52. n. 6.

[3] Epist. II. Cor. 5, 10: Omnes enim nos etc. — Paulo ante pro *Deus* Vat. *de.*

[4] Hic c. 3. — Inferius pro *excaecationem* (cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 44. n. 17.), quod exhibent codd. E I L P Q U X, alii codd. et edd. *exsecutionem.* Post *exspoliationem* cod. G addit *per potestatis subtractionem.*

[5] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Vers. 28. Codd. omittunt *eum.* — Inferius verbo *iudicabitur* codd. E W praemittunt *princeps daemonum,* cod. U *princeps omnium,* cod. L *princeps.*

[7] Vers. 3.

[8] Vide II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2. ad 3.

[9] Vers. 11. — In *minori* allegatur Nahum 1, 9; vide supra lit. Magistri, d. XV. c. 1.

[10] Vers. 41: Discedite a me maledicti etc. — Pro *fertur* codd. G P Q *feretur.*

[11] Cod. U *iudicium.* Pro *est afferendum* codd. I K *afferetur,* edd. *est vertendum.* — In *minori* respicitur Apoc. 12, 8. seq.

[12] In quaest. praeced. — Codd., post *Dicendum* addito *quod,* hic repetunt *dicendum* (codd. P Q *dicitur*). Inferius pro *ratione consummationis* edd. *ex parte confirmationis* et *hominibus innotescat* pro *omnibus clarescat.*

reat; sic iudicium angelorum et condemnatio fieri debet. — Ex parte *gloriae Christi:* quia Christus triumphavit de diabolo et iudicatus fuit a membro diaboli et ad suggestionem eius; ideo debet auctoritatem iudicialem super ipsum accipere. — Ex parte *meriti:* quia enim participes fuerunt culpae humanae, debent et participes esse contumeliae et poenae. — Ex parte *supplicii consummandi:* sicut enim omnes homines exspectant iudicium vel ad consummationem gloriae, vel poenae; sic et daemones iudicium non debent evadere; ut si quid poenarum eis deest, suppleatur plene. Unde involventur [1] simul cum damnatis et simul incarcerabuntur, ac per hoc ad iudicium deducentur et iudicabuntur, sicut rationes ostendunt.

1. 2. Ad illud ergo quod obiicitur, quod iam iudicatus est; dicendum, quod *iudicatus* dicitur, quia potestas est ei aliquo modo subtracta quantum ad bonos, sed non omnino. Ideo oportet, tunc eius iudicium consummari, sicut prius [2] de infidelibus tactum est. Solatio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non est afferendum in dubium [3], quod est certum; dicendum, quod non adducetur in dubium, sed quod certum est certius faciet esse Deus et confirmabit; nec est tantum ad certificandum de culpa, sed etiam ad consummandam poenam. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur de Angelis bonis, dicendum, quod Angeli boni iudicabuntur iudicio *retributionis;* consummabitur enim gloria in ipsis saltem quantum ad *accidentale praemium*, et cessabit ministerium [4]. Et sic patet totum. Notandum.

ARTICULUS II.

De igne conflagrationis.

Consequenter quantum ad secundam partem distinctionis quaeritur de igne, qui praecedet faciem iudicis, per quem fiet conflagratio. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur de eius quidditate.

Secundo, de virtute.

Tertio, de extensione.

Quarto, de ordine ignis illius ad ea quae fient in iudicio.

QUAESTIO I.

De quidditate ignis conflagratorii.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod ille ignis sit *elementum:*

Fundamenta. 1. Quia dicitur Genesis secundo [5]: *Requievit Deus die septimo ab omni opere;* Glossa et Sancti dicunt ibi, quod hoc intelligitur « quantum ad productionem novarum creaturarum »: ergo videtur, quod tunc non producat ignem novum.

2. Item, *ratione* videtur: quia « natura non facit per plura quod potest facere per pauciora [6] », ergo multo fortius nec Deus; sed totum potest fieri per istum: ergo etc.

3. Item, *ratione* ostenditur per simile: quia facta est purgatio mundi per aquam; et illa aqua non fuit de novo creata nec alterius naturae quam aqua, quae dicitur elementum [7]: ergo etc.

4. Item, Augustinus de Civitate vigesimo [8] dicit: « Figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione diluvium »: ergo si ignis mundanus est ignis, qui est de mundi constitutione, et hic est ignis elementum; patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Nihil se ipsum purgat; sed ignis elementum purgabitur illo igne et consumetur, sicut dicit Glossa secundae Petri tertio [9], quod « maximus ille ignis quatuor elementa consumet »: ergo etc.

2. Item, iste ignis totum elementorum ambitum

---

[1] Secundum Magistrum, infra d. L. c. 2, suppleri potest *tenebris exterioribus*, vel ut infra a. 2. q. 4. in corp. dicitur, *igne conflagrationis.* — Codd. F H K V Z bb (A I primitus) *unde si involventur.*

[2] Quaest. praeced. in fine.

[3] Cod. U *in iudicium vel dubium.* Inferius pro *confirmabit* codd. G I K P Q *consummabit.*

[4] Cfr. II. Sent. d. 11. a. 2. q. 2. seq. — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Vers. 2: Et requievit die septimo ab universo opere etc. — Glossa, quae est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, est secundum August., IV. de Gen. ad lit. c. 12. n. 22, et Bedam, I. Hexaëm., qui etiam ab ipsa Glossa allegantur. Cfr. Beda, Comment. in Gen. 2, 2, et de Sex Dierum creatione (inter opera Bedae), c. *de Die septima* (in recapitulatione sex dierum).

[6] Secundum Aristot.; cfr. tom. III. pag. 277, nota 1. Vide etiam supra pag. 11, nota 2. et pag. 151, nota 6. — Circa finem arg. post *per istum* in cod. bb secunda manus supplevit *ignem*, scil. elementarem.

[7] Cfr. II. Petr. 3, 5. seqq.

[8] Cap. 16. Textus originalis substituit *praeteribit* pro *peribit*, et voci *aquarum* praemittit *mundanarum.*

[9] Vers. 10. Glossa sumta ex Beda (in hunc loc.) est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum.

circuibit; sed ille ignis elementum habet particularem situm: non erit ergo ignis elementum.

3. Item, illius ignis erit *ascendere*, sicut dicit Glossa Bedae[1], quod « tantum ascendet, quantum aqua diluvii »; sed si esset ignis elementum, cum sphaera eius sit sursum, eius esset *descendere:* ergo etc.

4. Praeterea, esto quod descendat, aut *aliquid* subintrabit locum eius, aut *nihil.* Si *aliquid*, quaero: quid? Non est dare. Si *nihil:* ergo vacuum erit, ergo etc.

5. Item, cum finalis purgatio sit perfecta, videtur, quod non tantum debeat fieri per elementum unum, sed per omnia quae habent naturam purgandi: ergo si aqua habet purgandi naturam, videtur etc.

Quaestio incidens. Iuxta hoc quaeritur: quare prima purgatio fuit per aquam, et secunda erit per ignem?

CONCLUSIO.

Conflagratio haec fiet ab igne elementari, non de novo creato, sed multiplicato virtute Dei et undique congregato.

Respondeo: Dicendum, quod aliqui voluerunt Opinio 1. dicere, quod ille ignis erit ignis *elementum;* nec mirum. Ignis enim modicus, apposito combustibili, augetur in infinitum se multiplicando[2]; sic etiam modo faceret ignis ille, nisi impediretur; sed si vigoraretur eius vis, sicut fiet in iudicio, totum poterit consumere et purgare, nec oportet novum ignem creare.

Sed quia videntur Sancti dicere, quod ignis ille Opinio 2. non tantum *descendet*, sicut pluit Dominus super Sodomam[3], sed quia magis *ascendet;* ideo dicunt alii, quod erit alius ignis, non creatus, sed virtute corporum supercaelestium in inferioribus generatus; ex confractione enim et multiplicatione radiorum ad speculum concavum generatur ignis propter subtiliationem aëris circumstantis; similiter ad urinale plenum aqua. Et quamvis oporteat ad hoc, quod ignis per hunc modum generetur, fieri aggregationem radiorum; non oportet, speculis concavis mundum impleri, sed alio modo ad nubes concavas, sicut scit disponere divina providentia, poterit ignis in omnibus his inferioribus generari. — Quod hoc Non probatur. non sit possibile, vel etiam primum[4], non dico; sed stultum est hic aliquid fingere, sed Sanctorum auctoritatibus inniti oportet.

Opinio 3. Et ipsi non aperte determinant, quis sit ille ignis; tamen excellens doctor Augustinus dicit, quod « fiet mundanorum ignium conflagratione, sicut factum est aquarum inundatione diluvium ». Ideo huic auctoritati innitendo dico, quod sicut in diluvio non sunt novae aquae creatae, sed eaedem ipsae multiplicatae sunt, et hoc operante[5] adiutorio superiorum corporum, per quae facta est elevatio vaporum; sic etiam credo, quod non solum ignis, qui Conclusio. est in sphaera sua, sed omnes ignes, et qui in terra et super terram et sub terra sunt, concurrent ad illam conflagrationem, sicut videtur velle Augustinus. Et bene concedo, quod virtus superiorum corporum concurret ad ignis multiplicationem et actionem. — Concedendae sunt igitur rationes probantes, quod non creabitur novus ignis; sed ex eis Notandum. non habetur, quod solum per ignem, qui est in sphaera sua, fiat.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod nihil purgat se ipsum; dicendum, quod habet instantiam in igne; hoc etiam habet instantiam in duobus corporibus, quorum ultimum per conflagrationem et confractionem purgatur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod totum ambitum circuibit; dicendum, quod tunc ignis diffundetur et multiplicabitur et a sursum et deorsum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod descendet tunc; dicendum, quod *ascendet* respectu ignis, qui est in terra, et *descendet* respectu ignis, qui est super terram.

4. Quod obiicit, quod vacuum erit; dicendum, quod non descendet mutando locum, sed agendo[6] et immutando secundum virtutem.

Ad quaest. incid. 5. Ad illud quod quaeritur: quare fit tunc per Duplex ratio. ignem tantum? dicendum, quod ratio est ex parte purgationis *hominum* a peccato et a parte purgationis *mundi.* Ex parte purgationis *hominum*, quia, Prima. sicut in principio ardor regnavit concupiscentiae, sic in senectute mundi frigus avaritiae; *refrigescet* enim *caritas multorum*[7]; et ideo, quia purgatio debet fieri per contrarium; sicut purgatio ardoris concupiscentiae facta est per aquam, sic purgatio frigoris malitiae et avaritiae fiet per ignem. — Alia ratio Secunda. est ex parte purgationis *mundi*, quia illa fuit ad delendum hominem vetustum et novos homines procreandos; haec autem erit ad totum meliorandum et in meliorem faciem commutandum; et quia ignis urit et subtiliat, aqua non: ideo haec in igne erit[8], diluvium vero non in igne fuit, sed in aqua.

---

[1] In II. Petr. 3, 10. Cfr. hic lit. Magistri, c. 4. — De *sphaera* ignis vide tom. II. pag. 321, nota 4. verba Averrois.

[2] Aristot., II. de Anima, text. 41. (c. 4.): Ignis enim augmentum in infinitum abit, quousque fuerit combustibile. — Immediate post pro *sic* [codd. M X *sicut*, codd. S U *et*] *etiam modo* edd. *ergo etiam taliter.*

[3] Gen. 19, 24. — Vat. superius post *non tantum* addit *ascendet, sed magis*, et hic omittit *sed quia magis ascendet.* Inferius pro *confractione* cod. aa *reflectione.*

[4] Cod. S *falsum.* In cod. P secunda manus in margine negat similitudinem inter *speculum* et *nubes*, quia speculum impenetrabile, nubes non.

[5] Codd. O R S (L a secunda manu) *operatione et*, codd. U X *opere et.* Aliquanto inferius pro *velle* codd. G aa *dicere.*

[6] Edd. et aliqui codd. *augendo.*

[7] Matth. 24, 12.

[8] Cfr. August., XX. de Civ. Dei, c. 16, ubi docet, ignem illum consumere qualitates elementorum corruptibilium, quae

SCHOLION.

I. Innixi pluribus s. Scripturae textibus et perpetua Patrum traditione, omnes Scholastici tenent, mundum hunc fore conflagrandum, purgandum et innovandum per ignem, et quidem per ignem non *metaphoricum* (ut pauci dixerunt), sed *realem*, immo probabiliter eiusdem speciei cum nostro igne. Praeter quaestiones a S. Bonav. solutas a magistris cum S. Thoma aliae plures de origine, effectibus et extensione huius ignis positae et secundum quandam probabilitatem, sed non ab omnibus eodem modo, solutae sunt. Unde Scot. hic breviter et sobrie potius de hoc quod fieri *possit*, quam de *facto* determinando inquirit. — Mirum videri nemini debet, quod Scholastici in his quaestionibus solvendis applicaverunt principia ad physicam et astronomicam scientiam spectantia, qualia communiter illa aetate recepta erant; attamen plura horum nunc, disciplinis experimentalibus non parum mutatis, obsoleta sunt. — Communius cum S. Thoma schola docebat, conflagrationem purgativam non ascensuram ultra regionem terrae vicinam, nec consumturam esse quatuor elementa illa aetate recepta quoad *substantiam* et *qualitates eorum proprias*.

De 1. 2. et 3. quaestione: Scot., hic q. 2. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. 2; Suppl. q. 74. a. 1-6. — B. Albert., hic a. 6-10. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1-3. — De toto art. Durand., hic q. 3; Dionys. Carth., hic q. 2.

II. In 4. quaestione solvenda etiam S. Thom. (locis citt. a. 3, et Suppl. a. 7-9.) distinguit conflagrationis *initium* et aliquem *actum subsequentem*, sed aliter quoad ipsos eiusdem effectus ac S. Bonav. Dicit enim, « quod ista conflagratio quoad *purgationem mundi iudicium praecedet;* sed quoad aliquem actum, qui scilicet est involvere malos, iudicium sequetur ». Et de loco Augustini, cui innititur S. Bonav., dicit, quod ille « non loquitur determinando, sed opinando » (ibid. ad 1.). Huic opinioni favent B. Albert., Richard. a Med., Durand. multique posteriores.

De 4. quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 11. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. q. 4.

QUAESTIO II.

De virtute huius ignis, utrum sit naturalis, an supra naturam.

Secundo quaeritur, utrum virtus illius ignis sit naturalis, vel supra naturam. Et quod sit naturalis, videtur:

Fundamenta. 1. Quia, sicut aqua inundans naturaliter delevit omnia, sic ignis consumet omnia; sed virtus illius aquae fuit naturalis: ergo et huius ignis.

2. Item, ignis per naturam natus est multiplicare et purgare et subtiliare, ut patet: ergo si talis erit virtus illius ignis, patet etc.

3. Item, si detur ei virtus supra naturam, aut est *spiritualis,* aut *corporalis.* Non *spiritualis,* ut videtur, quia virtus spiritualis non debet esse in corporali subiecto [1], et Deus nihil facit per miraculum, quod non sit congruum. Si *corporalis,* quaeritur: quare illam modo non habet?

Ad oppositum. Contra: 1. Effectus iste, qui dicitur mundi conflagratio et terminatio, est supra naturam: ergo virtus, a qua est, est supra naturam.

2. Item, si fiat per ignem, qui est naturale elementum, necesse est, illum descendere [2]; sed ignis naturaliter ascendit: ergo quod descendat, est per virtutem supra naturam.

3. Item, ignis ille habebit virtutem meliorandi corpora mundi [3]; sed hoc non potest ignis iste: ergo etc. *Si dicas,* quod immo potest subtiliando; *contra:* ubi est subtiliatio, et rarefactio; ubi rarefactio, de necessitate est maioris loci occupatio: ergo si ignis ille cetera elementa rarefaciet, necessario oportebit, maiorem locum occupari: ergo oportebit firmamentum cedere, vel frangi.

CONCLUSIO.

Ignis conflagrationis quoad initium et consummationem aget virtute supernaturali, sed quoad progressum virtute naturali.

Opinio 1. Respondeo: Dicendum, quod aliqui fuerunt, qui dixerunt, quod ignis conflagratio [4] agit *virtute naturali,* et quod aquarum inundatio fuit virtute naturali. Potuerunt enim corpora habentia effectum super humidum concurrere sic in unum signum, ut tanta fieret vaporum elevatio et multiplicatio humorum; sic dicunt, quod sidera habentia virtutem inflammandi et corpora recipientia impressionem cursu naturali concurrere poterunt, ut tantus ignis aggregetur, qui totum consumat, totum purget et subtiliet et in meliorem faciem restituat. — Sed haec positio temeritatis est, illud quod omnino a divina providentia et in sola Dei voluntate determinatum est, quae respicit numerum electorum et merita personarum, ponere [5] in cursibus siderum. Non probatur.

---

corporibus nostris corruptibilibus congruunt, atque ipsam substantiam tunc habere eas qualitates, quae corporibus immortalibus mirabili commutatione conveniunt, « ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis ». Cfr. ibid. c. 18. — Superius pro *mundi* codd. et ed. 1 *hominis.*

[1] Cfr. supra pag. 21, nota 1.

[2] Vide quaest. praeced. arg. 3. ad oppos.

[3] Cfr. II. Petr. 3, 12. seq. — Mox voci *ignis* edd. praemittunt *naturalis*, et subinde omittunt *ubi rarefactio.* In fine arg. pro *cedere* Vat. *cadere.*

[4] Edd. *conflagrationis*, et *agat* pro *agit* (codd. D G U *aget*).

[5] Edd. legunt: *Sed haec positio est temeritatis, quia omnia quae a divina providentia fiunt et in sola Dei voluntate consistunt, quae respicit... ponit et determinat consistere.*

Ideo est secunda positio, quod est *omnino a* Opinio 2. *virtute supra naturam;* et in Dei miraculis non est Improbatur. quaerenda ratio naturalis. — Et haec positio stolida est. Quare enim per ignem magis fit quam per aliud corpus, nisi sit virtus in igne, quae illi congruat [1] operationi?

Et ideo via *media* est eligenda, et ponendum Opinio 3. media cum distinctione. est, quod est loqui de ignium conflagratione quantum ad *inchoationem, progressum* et *consummationem.* Conclusio 1. Quantum ad *inchoationem,* dicendum, quod a *virtute supra naturam* est. Quod enim ignis sic agat novo et insolito modo, cetera consumendo et sic se multiplicando, hoc non esset, nisi aliqua virtus nova assisteret; quae autem sit illa, ipse Dominus novit. — Conclusio 2. Quantum autem ad *progressum,* qui est purgare, urere, subtiliare, dicendum, quod est a *virtute naturali.* — Conclusio 3. Quantum ad *consummationem,* ut purgata sint incorruptibilia, ipsorum qualitates mutare [2], hoc est *supra naturam.* — Ad fundam. Rationes igitur probantes, quod sit secundum naturam, procedunt via media, sicut patet quantum ad actum combustionis, purgationis et subtiliationis.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, Solutio oppositorum. quod sit supra naturam; verum est quantum ad *inchoationem,* ut probat prima ratio; et quantum ad *consummationem,* ut sequens [3]. Intelligendum tamen propter rationem, quod in agendo et multiplicando naturaliter ignis descendit, ubi habet materiam praeparatam; exemplum patet, si candela exstincta supponatur accensae.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non erit subtiliatio; dicendum, quod *subtiliatio* dicitur dupliciter: Duplex subtiliatio. aut per *dilatationem* et *rarefactionem,* et tunc corpus subtiliatum occupat maiorem locum; aut per *depurationem* et *separationem* puri ab impuro, et hanc subtiliationem facit ignis, quando res purganda includitur in vase forti; quemadmodum faciunt opifices alchimiae, qui dicunt, quod totum potest ibi subtiliari et depurari, ut veniat ad naturam quinti corporis [4]; et tunc faex tendit ad fundum, et subtile supernatat. Per hunc modum in proposito erit, quia caelum erit vas contentivum elementorum; et ideo depurabuntur, et faex elementorum ibit in infernum [5].

QUAESTIO III.

De extensione illius ignis.

Tertio quaeritur de illius ignis extensione.

1. Super illud secundae ad Thessalonicenses Argg. pro 1. parte. primo [6]: *In flamma ignis dantis vindictam;* Glossa: « Praecedet ignis in mundo, qui tantum ascendet, quantum aqua in diluvio ».

2. Item, Beda super illud secundae Petri tertio [7]: *Unus dies* etc.; Glossa: « Tantum ascendet ille ignis, quantum aqua altior super omnes montes ».

3. Item, *ratione* videtur: quia purgatio illa est propter peccatum, ergo debet se solum extendere ad habitationem peccantium; sed hic est aër caliginosus [8], qui constat quod non est super omnes montes plus quam quindecim cubitis: ergo etc.

4. Item, ille ignis non extendet se secundum totam virtutem, sed secundum divinum imperium; sed divinum imperium noluit, quod ultra procederent aquae quam *quindecim cubitis super montes* [9]: ergo similiter videtur de igne; aut si non, quare non?

Contra: 1. Videtur, quod ultra usque ad caelos: Pro 2. parte. quia dicitur secundae Petri ultimo [10]: *Caeli ardentes solventur:* ergo si solventur illo igne, videtur, quod ascendet usque ad caelum.

2. Item, videtur, quod saltem usque ad sphaeram elementorum ultimam, quia dicit ibi [11] Glossa, quod « quatuor elementa ille maximus ignis absumet ».

3. Item, *ratione* videtur: quia ille ignis habet virtutem innovandi: ergo si omnia corpora innovabuntur, scilicet caelestia et elementaria; patet etc.

---

[1] Edd. *quae magis illi congruebat.*

[2] Vide supra pag. 976, nota 8. — Pro *mutare* legunt codd. E R S T U bb, *mutatae.* Mox pro *quod sit* non pauci codd. *quod sunt.*

[3] Scil. prima pars 3. arg. — Mox Vat. *secundam rationem.* Post *multiplicando* cod. K (I a secunda manu) supplet *se.*

[4] Cfr. supra pag. 926, nota 1. — Pro *totum potest ibi* cod. K (I a secunda manu) bene *tantum* (ita etiam codd. G P) *potest quid.* Aliquanto superius pro *et separationem* edd. *quae per fit separationem.*

[5] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[6] Vers. 8. — Glossam, quam exhibent Petr. Lombard. et Lyranus ut *ordinariam,* Haymo refert sic: Ignis praecedet eum [Dominum], tantum spatium aëris occupans, quantum occupavit aqua in diluvio. Cfr. August., XX. de Civ. Dei, c. 18. — Superius post *extensione* cod. S addit: *Et quod tantum ascendit, quantum aqua in diluvio, videtur.*

[7] Vers. 8. — Beda in v. 10. ait: Tantum, ut recte creditur, spatii tenente, quantum aqua diluvii tenebat. — Post *altior* cod. G (bb a secunda manu) supplet *fuit.*

[8] Qui dicitur habitaculum daemonum. Cfr. II. Sent. lit. Magistri, d. VI. c. 2, et ibid. Comment. a. 1. q. 1. et dub. 1. seq. — Vat. *sed hoc est in aëre caliginoso, de quo constat* etc.

[9] Gen. 7, 20: Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. — Post *sed secundum divinum imperium* edd. addunt *sicut aqua diluvii.*

[10] Vers. 12.

[11] Epist. II. Petr. 3, 10. Glossa est *ordinaria* ex Beda in hunc loc., in qua post *elementa* cod. aa cum textu originali addit: *quibus mundus* [Beda subiungit *iste*] *consistit.*

CONCLUSIO.

Ignis conflagrationis non ascendet ultra spatium continens elementa, non usque ad sidera, plus tamen, quam aquae diluvii ascenderunt.

Respondeo: Dicendum, quod, ille ignis ascendet tantum, quantum durant corpora consumtibilia et passibilia; et quia « corpora caelestia non sunt receptibilia alienae impressionis[1] », dico, quod quantum durat spatium continens elementa, ascendet flamma et ulterius non procedet; unde dico, quod non ascendet usque ad sidera, plus tamen ascendet quam aqua diluvii.

Conclusio.

Ad obiecta vero dicendum, quod duplex est purgatio: una, quae fit a *foeditate peccati*, alia vero a *vetustate corruptionis*. Dico ergo, quod *foeditas culpae* se extendit per aërem caliginosum, non quod in ipso aëre sit peccatum, sed[2] quaedam foeditas contrahitur in loco ex peccato, et etiam fumo sacrificiorum idolorum quodam modo est aër infectus; et quantum ad istam purgationem tantum ascendet, quantum aqua diluvii. — Alia purgatio est a *vetustate corruptionis* sive naturae corruptae, et haec est in ceteris elementis, quae debent esse incorruptibilia post resurrectionem[3]; et quantum ad hanc ascendet usque ad ultimum sphaerae ignis. — Et secundum has duas rationes solvuntur obiectiones factae de purgatione.

Duplex purgatio.

Ad arg. 3. pro 1. parte.

3. Ad illud quod obiicitur de innovatione, dicendum, quod duplex est innovatio: uno modo per *abiectionem*, alio modo per *additionem* et *meliorationem*. Primo modo est in corporibus elementaribus, in quibus purgabuntur qualitates corporales; secundo modo in corporibus caelestibus, quibus augebitur lumen[4]. Prima innovatio est per operationem ignis, quae abiicit et purgat; secunda sine.

Ad argg. pro 2. parte. Duplex innovatio.

1. Ad illud vero quod dicit beatus Petrus, quod caeli ardentes solventur; dicendum, quod hoc non est intelligendum de illis caelis, qui sunt *incorruptibiles* et non corrumpentur; sed intelligendum de caelo *aëreo* et *igneo*, et haec vocat Scriptura *caelos*, secundum illud Matthaei decimo tertio[5]: *Volucres caeli comederunt illud.* — Similiter, si inveniatur, quod *stellae cadent de caelo*[6]; intelligitur de caelo *aëreo*; et *stellae* vocantur ibi a simili, quia habent similitudinem stellarum et secundum vulgarem opinionem dicuntur *stellae cadere*, quoniam a superius descendunt; et Scriptura conformat se modo communi loquendi. Tunc autem maxime fiet talis impressio, quia ignea qualitas abundabit; et hoc faciet Dominus ad terrorem peccatorum[7].

Notandum.

De stellis cadentibus.

QUAESTIO IV.

De ordine huius ignis ad ea quae fient in iudicio.

Quarto quaeritur de ordine istius ignis ad ea quae fient in iudicio, et quaeritur, utrum ille ignis praecedat iudicium, aut sequatur. Et quod praecedat, videtur:

1. Per auctoritatem Psalmi[8]: *Ignis ante ipsum praecedet* etc.

Argg. pro 1. parte.

2. Item, Isaiae ultimo[9]: *Dominus in igne veniet;* sed adventus est ante iudicium: ergo et ignis ante iudicium praecedet.

3. Item, *ratione* videtur: quia ille ignis purgabit electos, sicut dicitur in Malachiae tertio[10]: *Ipse sedebit conflans et emundans argentum;* sed in

---

[1] Auctoritates Aristotelis etc. (impressae 1504 Coloniae) in I. Meteor. c. 4: « Corpora caelestia motu suo generant calorem in istis inferioribus, ipsa tamen non recipiunt peregrinas, i. e. extraneas impressiones; quia calefieri non possunt ». Idem recurrit ibid. in I. de Caelo et mundo, text. 20. seqq. In versione Latino-Arabica II. de Caelo et mundo, text. 3: Caelum non est corruptibile neque generabile neque recipiens passiones etc. Cfr. tom. II. pag. 350, nota 2.

[2] Cod. S addit *quia*, cod. A a secunda manu *quod*. Vat. hic substituit *et* pro *sed*, paulo superius cum ed. 1 substituto *quia* [nonnulli codd. *quod*] pro *non quod*.

[3] Cfr. supra pag. 976, nota 8. — Pro *sive naturae corruptae* plures codd. *sive corruptibilitate*. Inferius pro *rationes* Vat. *purgationes*, et codd. E F G *oppositiones* (plures alii codd. et ed. 1 *opiniones*) pro *obiectiones*.

[4] Vide Isai. 30, 26: Et erit lux lunae sicut lux solis etc. — Pro *purgabuntur* plures codd. vel *depurabuntur* vel *privabuntur*.

[5] Vers. 4: Venerunt volucres caeli et comederunt ea. — Haec expositio est secundum Bedam (in II. Petr. 3, 6.), qui allegat August., in Ps. 101. serm. 2. n. 13. (cfr. III. de Gen. ad lit. c. 2. n. 2.). — De caelo *aëreo* et *igneo* vide tom. II. pag. 352, nota 4. Cfr. etiam hic lit. Magistri, c. 4. — Pro *et haec vocat* edd. *quos vocat*.

[6] Matth. 24, 29. — August., XX. de Civ. Dei, c. 24. n. 1: Nam et illud quod scriptum est, stellas de caelo esse casuras, praeter quod potest multo probabilius et aliter intelligi, magis ostendit, mansuros esse illos caelos [superiores, in quorum firmamento sunt sidera]; si tamen stellae inde casurae sunt, cum vel tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto *imo* caelo futurum sit, utique mirabilius, quam nunc fit. Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 1. a. 1. docet, dupliciter hoc verbum posse intelligi: primo secundum Rabanum quantum ad mutationem luminositatis in obscuritatem, quo sensu dicitur Marc. 13, 25: *Et stellae caeli erunt decidentes* i. e. suo lumine privabuntur (cfr. Beda, in hunc loc.); secundo quantum ad apparitionem, sicut videtur nunc vapor ascendens inflammatus cadere ad modum stellae; sic etiam tunc, elevatis vaporibus et inflammatis, apparet casus stellarum. — In subnexis pro *a simili* et *a superius* codd. communiter substituunt *a sub* vel *assub*, ac pro *quoniam... descendunt* permulti codd. *quandò... descendit*.

[7] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[8] Psalm. 96, 3.

[9] Vers. 15.

[10] Vers. 3: Et sedebit etc.

iudicio necesse est quod omnes electi praesententur iudici purgati et emundati: ergo etc.

Contra: 1. Augustinus de Civitate Dei vigesimo in fine[1] posuit ordinem illorum quae erunt in iudicio, et dicit, quod « conflagratio erit post iudicium ». *Pro 2. parte.*

2. Item, Augustinus[2] dicit: « Iudicatis impiis et in aeternum ignem missis, figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit ».

3. Item, constat, quod secundum quod dicitur primae ad Thessalonicenses quarto[3], Dominus inveniet multos vivos: *Deinde nos, qui vivimus* etc.: ergo constat, quod ignis conflagrationis, cum totum consumat, non praeibit[4].

4. Item, ignis conflagrationis est ordinatus ad innovationem, ita quod purgando innovat; sed innovatio sequitur iudicium, ut patet Apocalypsis vigesimo primo[5]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Alius ignis, sive alius effectus eiusdem, praecedet iudicium et purgabit electos, alius vero sequetur et purgabit mundum et tandem cruciabit damnatos.

Respondeo: Ad hoc respondere voluerunt quidam distinguendo *iudicium,* dicentes, quod est iudicium *definitionis,* et illud praecedet ignem, quia ante dabitur sententia contra malos, quam veniat ignis; et est iudicium *exsecutionis,* et istud sequitur ignem, quia reprobi illo igne involventur et ad infernum deducentur. *Opinio et distinctio 1.* — Sed haec responsio non potest stare, quia Augustinus dicit, quod « iudicatis impiis et in aeternum ignem missis, figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit ». *Improbatur.*

Alii respondent distinguendo *duplicem effectum huius ignis,* scilicet *purgare* et *innovare:* ratione *purgationis* praecedit, ratione *innovationis* sequitur. Et secundum hoc solvunt rationes ad partes oppositas. *Opinio et distinctio 2.* — Sed nec istud videtur stare posse, quia ignis *purgando innovat;* unde effectus isti sunt coniuncti et indivisi; et ideo, si *natura* se habeant secundum ordinem, tamen *tempore* sunt simul. *Non probatur.*

Et ideo potest dici, sicut dicit Glossa super illud Malachiae tertio[6]: *Purgabit filios Levi:* « Duos ignes legimus futuros: unum, qui purgabit electos et praecedet iudicium, alterum, qui reprobos cruciabit ». *Opinio et distinctio 3.* Secundum hanc Glossam dicendum, quod sive dicantur duo ignes quantum ad *substantiam,* sive duo ratione duorum *effectuum,* dicendus est futurus ignis in iudicio ad *electorum purgationem,* quia debet uniuscuiusque opus probari et purgari in igne[7], ut totaliter sistantur mundati in conspectu Dei; et hic praecedet faciem iudicis et purgando amicos, *inflammabit in circuitu inimicos.* *Conclusio 1.* Est etiam ignis futurus ad *purgationem mundi* et eius innovationem; et iste, ut dicit[8], sequetur iudicium et exuret faciem mundi et purgabit et demum reprobos cruciabit. *Conclusio 2.* — Concedendae igitur sunt rationes probantes, quod aliquis ignis praecedet iudicium.

Quod vero obiicitur, quod nullus praecedat, quia Dominus inveniet multos vivos; dicendum, quod ille ignis erit ad purgationem electorum, non ad consumtionem; et ideo, sicut tres pueri in camino ignis ardentis divina sunt virtute conservati illaesi, sic fiet in illo igne, qui eos purgabit[9]. *Ad arg. 3. pro 2. parte.*

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit, quod *illi saltem verba iudicis audient, qui saltem fidem verbo tenuere.* Videtur enim falsum dicere: quia qui fidem habuit et non fecit quod fides dictavit, gravius peccavit, sicut dicitur secundae Petri secundo[10]; similiter Lucas: *Facta sunt novissima hominis illius peiora prioribus:* ergo ipsi sunt minus digni: ergo nec verba iudicis debent audire, sicut nec infideles.

Respondeo: Dicendum, quod sicut Ecclesia iudicat illos quos aliquando regeneravit unda baptismatis — alios vero minime[11] — propter hoc quod

---

[1] Cap. 30. n. 5: In illo itaque iudicio vel circa illud iudicium has res didicimus esse venturas: Eliam... mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem eiusdemque renovationem.

[2] Libr. XX. de Civ. Dei, c. 16. Textus originalis post *missis* plura addit et substituit *praeteribit* pro *peribit.*

[3] Vers. 17.

[4] Edd. *peribit,* quae etiam cum pluribus codd. hanc propositionem a 3. arg. separant, ponentes *Item* pro *ergo,* et formantes aliud arg.

[5] Vers. 1. in relatione cum fine c. 20.

[6] Vers. 3. — Glossa exhibetur a Strabo et Lyrano ut *ordinaria* in I. Cor. 3, 13: Duos ignes futuros legimus: unum aeternum, quo aeternaliter punientur reprobi, qui sequetur iudicium; alterum, qui praecedet, quo exuretur facies mundi huius, qui emendabit eos qui superaedificaverunt lignum etc. — Superius pro *si natura* cod. L *etsi natura.*

[7] Respicitur I. Cor. 3, 13, seqq.: Et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit etc. — Seq. locus est Psalm. 96, 3.

[8] Scilicet Glossa, sed alio sensu; vide supra notam 6.

[9] Secundum August. hic in lit. Magistri, c. 4, allegatum. — Respicitur Dan. 3, 49. seq. — Cod. S addit *Et sic patent obiecta.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[10] Vers. 21: Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiae quam etc. — Seq. locus est Luc. 11, 26: Et fiunt novissima etc.

[11] Vide supra pag. 840, nota 3. — Pro *sunt facti* edd. *non sunt facti.* Subinde post *Ecclesiae* codd. O U addunt: *iudicat per nos Ecclesiae.* Aliquanto inferius vocibus *necesse est* edd. interserunt *non.*

Notandum. aliquo modo sunt facti de Ecclesia; ita sponsus Ecclesiae filios, ut ostendat, eos falso gestasse characterem. Unde quia de aliis satis apparet, quod a Dei regno sint excludendi propter defectum signaculi Christi; hos necesse est argui, ut pateat, eos falso signaculum Christi gestasse.

Quod obiicitur, quod minus merentur; dicendum, quod credentibus prodest ex parte credidisse pro tempore, quo fuerunt in fide, pro alio autem tempore nocet; et pro primo tempore, quia habuerunt assensum et crediderunt verbo Dei, merentur audire verbum Dei; sed quoniam in bono coepto non permanserunt, ideo verbum eruditionis convertitur eis in verbum redargutionis [1]. (Notandum.)

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *ministerio Angelorum non est dubitandum illa fieri.* Videtur enim male dicere: quia Angeli sunt nobiles ministri et quasi filii in curia Dei; sed non decet, tortorum officium committi filio sive filiis aut nobilissimis principibus: ergo videtur, quod nec ministerium mittendi malos in ignem.

Respondeo: Dicendum, quod aliud est *deducere ad tormenta*, aliud est *in ipsis* [2] *tormentis cruciare.* Primum non est tortorum, sed nobilium ministrorum, qui assistunt regi ad eius iussa complenda; unde non dicitur, quod Angeli sancti *torqueant* in igne, sed *producent et mittent in caminum* [3]. Et sic patet illud. (Distinctio.)

Dub. III.

Item de hoc quod dicit, quod *veniente ad iudicium Domino, emittetur vox illa;* quaeritur de illa voce: quare Dominus istorum trium ministerium praemittit, scilicet *ignis, Angeli* et *vocis,* cum totum solo nutu possit facere?

Respondeo: Dicendum, quod Deus in prima conditione condidit substantiam spiritualem, corporalem et mediam, et omnibus communicavit et dedit potentiam. Ut ergo ordo servetur in rebus, et ostendatur virtus creaturae collata, et amplius, virtus illa ostendatur a Deo [4]; voluit Dominus, ministerium creaturarum sibi deservire, et iterum creaturam angelicam, corporalem et mediam. Unde fiet ad ministerium Angeli, ad actionem ignis, postremo ad nutum et vocem Christi hominis; et vox aliquid corporale habet, nihilominus aliquid spirituale [5].

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Quibusdam videtur, quod sint tortores in poena, sicut fuerunt incentores in culpa.* Videtur enim male dicere, quia boni Angeli suggesserunt et consuluerunt bona, et tamen non praeerunt in praemio: ergo [6] similiter mali in contrarium. — Item, illi qui magis peccaverunt, debent magis puniri: ergo daemones debent fieri hominibus inferiores propter maioritatem supplicii. — Item, ad confusionem daemonum convertitur multitudo damnatorum quantum ad culpam et poenam: ergo non videtur, quod in poenis eorum tunc delectentur: ergo non torquebunt.

Respondeo: Dicendum, quod probabilior est alia opinio, quod daemones non erunt tortores in poena post iudicium, quoniam ipsi erunt totaliter absorpti a poenis. Et illud quod dicitur, quod erunt tortores, solum secundum statum ante iudicium intelligitur esse verum [7]. (Praefertur alia opinio.)

DISTINCTIO XLVIII.

Cap. I.

De forma iudicis.

Solet etiam quaeri, in qua forma Christus iudicabit. — In forma utique *servi* iudicabit, quae omnibus in iudicio apparebit, ut videant mali, *in quem pupugerunt* [1]. Divinitatem vero eius mali non videbunt; unde Isaias: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* « Humanitatem videbunt, ut timeant, Divinitatem vero non, ne gaudeant. Divinitas enim sine gaudio videri non potest ». (Isidorus.)

---

1 Idem dub. solvunt S. Thom., Petr. a Tar. et Richard. a Med., hic circa lit.

2 Edd. pro *in ipsis* substituunt *impios*. Subinde pro *regi* cod. aa *iudici,* et pro *producent* (cod. bb addit *in ignem*) codd. F H L O R U *perducent*.

3 Matth. 13, 42. et 50: Et mittent eos in caminum ignis. — Cfr. de hoc dubio S. Thom. et Petr. a Tar., hic circa lit.

4 Pro *a Deo* cod. R *ideo*, quod codd. L M T U substituunt paulo inferius pro *iterum*.

5 Cfr. supra pag. 234, nota 8. et d. 43. dub. 1. seq.

6 Edd. *ergo nec,* et in fine tertii arg. substituunt *torquebuntur* pro *torquebunt*.

7 Vide S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 4; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1; Richard. a Med., hic circa lit. et supra pag. 525, nota 5.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

1 Respicitur Apoc. 1, 7. (cfr. Zach. 12, 10.); deinde citatur Isai. 26, 10. (secundum Septuaginta). Seq. locus est Isidor., I. Sent. c. 27. n. 8, paucis mutatis; cfr. August., in Evang. Ioannis, tr. 21. n. 13.

Cap. II.

Qualis apparebit forma servi.

Sed cum in forma humana constet eum apparitururum, quaeritur, an in forma illa *gloriosa* appareat, sicut vere est, an in forma, qualis in passione exstitit. — Quidam putant, a malis talem videri, qualem crucifixerunt, id est *infirmam*, quia dicit Scriptura, ut videant, *in quem pupugerunt.* — Sed aperte Augustinus[1] dicit, formam servi *glorificatam* a bonis et a malis Augustinus. tunc videri, sic: « Cum in forma servi glorificata iudicantem viderint boni et mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei, qua Deus est, quam soli *mundo corde videbunt;* quod erit eis vita aeterna ». Forma igitur humana in Christo glorificata videbitur a cunctis; unde et Christus dicitur iudicaturus, *quia filius hominis est.* Ita enim legitur in Evangelio Ioannis[2]: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est;* non quod ipse ex *virtute hominis* sit iudicaturus, vel quod ipse solus sine Patre et Spiritu sancto sit iudicium facturus, sed quia ipse solus in forma servi iudicans bonis et malis videbitur. Cum ergo dicitur[3]: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio;* non ita est intelligendum, quasi Filius solus iudicet et non Pater, sed quia forma Filii humana cunctis in iudicio apparebit, non infirma, sed gloriosa. Iudicabit autem ex virtute Divinitatis, non sine Patre et Spiritu sancto, et apparebit terribilis impiis et mitis iustis. Erit enim terror malis et lumen iustis.

Cap. III.

Quare secundum formam servi dicitur Christus suscitaturus corpora.

Et sicut dicitur Christus secundum formam servi *iudicaturus* propter causam praemissam, ita etiam dicitur *suscitaturus corpora mortuorum* secundum humanitatem, cum tamen virtute Divinitatis sit suscitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur, quia in humanitate suscepit quod est causa nostrae resurrectionis, id est passionem et resurrectionem. Ideo ei ascribitur secundum hominem suscitatio mortuorum. Augustinus. Unde Augustinus[4]: « Per Verbum, Filium Dei, fit animarum resurrectio; per Verbum, factum in carne filium hominis, fit corporum resurrectio ». Item, « Iudicat et suscitat corpora non Pater, sed Filius secundum dispensationem humanitatis, in qua est minor Patre Christus ». « In eo, quod est Filius Dei, est vita, quae vivificat animas, in eo quod filius hominis, iudex est ». — Ecce secundum formam humanitatis dicitur *suscitaturus corpora* et *iudicaturus: iudicaturus* autem, quia illa forma cunctis in iudicio apparebit, et *suscitaturus*, quia in eadem forma meritum et causam nostrae resurrectionis suscepit; et quia secundum eandem formam vocem dabit, qua mortui *de monumentis resurgent* et procedent. Secundum quod Deus est, vivificat animas, non Pater tantum, quia non tantum Pater vita est, sed et Filius cum eo et Spiritus sanctus eadem vita est, quae pertinet ad animam, non ad corpus. « Corpus enim non sentit vitam sapientiae, sed Augustinus. anima, quae illuminatur a lumine aeterno ». Licet igitur Christus potentia Divinitatis vivificet animas et suscitet corpora et iudicet; non otiose tamen et praeter rationem ei et secundum *formam Dei* tribuitur vivificatio animarum, et secundum *formam servi* iudicium et resuscitatio corporum.

Cap. IV.

De loco iudicii.

Putant quidam, Dominum descensurum in vallem Iosaphat in iudicio, eo quod ipse per Ioelem[5] prophetam sic loquitur: *Congregabo omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat et disceptabo ibi cum eis.* In cuius capituli expositione ita reperi: « Hoc quidam Glossa. pueriliter intelligunt, quod in valle, quae est in latere montis Oliveti, descensurus sit Dominus ad iudicium; quod frivolum est, quia non in terra, sed in spatio Dubium 1. huius aëris sedebit contra locum montis Oliveti, ex quo ascendit. Et sicut Ioannes Chrysostomus dicit, Angeli deferent ante eum signum crucis »; unde in Evan- Chrysostomus. gelio Veritas ait: *Et tunc apparebit signum Filii hominis* etc. « *Iosaphat* autem interpretatur iudicium Do- Glossa. mini; in vallem ergo Iosaphat, id est iudicii Domini, congregabuntur omnes impii. Iusti vero non descendent in vallem iudicii, id est damnationis, sed in nubibus elevabuntur *obviam Christo* ».

Cap. V.

De qualitate luminarium et temporis post iudicium.

Veniente autem ad iudicium Domino in fortitudine et *potestate magna*[6], sol et luna dicuntur *obscurari*, non Dubium 2. sui luminis privatione, sed superveniente maioris luminis claritate. *Virtutes* quoque *caelorum*, id est Angeli, dicuntur *moveri*, non metu damnationis vel aliqua perturbatione pavoris, sed quadam admiratione eorum quae viderint. Unde Iob: *Columnae caeli pavent adventum eius.* Ante diem vero iudicii sol et luna eclipsim patientur, sicut Ioel testatur dicens: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis; magnus* vero Dubium 3. dicitur propter magna, quae ibi fient. Cum autem fa-

[1] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 28; Enarrat. in Ps. 85. n. 21, in Ps. 100. n. 12, ubi respicitur Matth. 5, 8. Quae sequuntur excerpta sunt ex August., I. de Trin. loc. cit. n. 28. seq.

[2] Cap. 5, 27; cfr. August., in hunc locum, tr. 19. n. 15. seq. et tr. 22. n. 11.

[3] In solis edd., excepta 1, omittitur *dicitur.* Locus Scripturae est Ioan. 5, 22. — Ante *infirma* cod. E et pleraeque edd. addunt *in forma.*

[4] Loc. cit. tr. 19. n. 15. Seq. locus est tr. 23. n. 13; verbotenus apud Lyranum in Ioan. 5, 21, ubi et quae sequuntur. Tertius est ibid. tr. 19. n. 15, tr. 22. n. 11; et quartus ibid. tr. 19. n. 14.

[5] Cap. 3, 2; sequitur Glossa ibid., ubi citatur Chrysost., I. Homil. de Cruce et latrone, n. 4. Locus seq. est Matth. 24, 30. cum sua Glossa, ubi respicitur I. Thess. 4, 17.

[6] Luc. 21, 27; Matth. 24, 29; Iob 26, 11; Ioel. 2, 31.

ctum fuerit *caelum novum et terra nova*[1], *tunc erit*
Dubium 4. *lux lunae sicut lux solis*, testante Isaia, *et lux solis septempliciter, id est sicut lux septem dierum*, quia, quantum luxit sol in prima conditione septem dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium. Minorata enim fuit lux solis et lunae aliorumque siderum per peccatum primi hominis; sed tunc recipiet sol mercedem sui laboris, quia septempliciter
Dubium 5. lucebit; et tunc non erit vicissitudo diei et noctis, sed tantum dies. Unde Zacharias[2]: *Et erit dies una, quae nota est Domino, non dies neque nox, et in tempore vesperae erit lux.* Quia non erit tunc varietas diei et noctis, quae modo est, sed continua dies et lux. Isaias tamen videtur dicere, quod tunc non luceat sol vel luna, loquens congregationi Sanctorum: *Non erit ibi,* inquit, *amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Sed his verbis non negat, solem et lunam tunc lucere, sed significat, his qui erunt in ae- Dubium 6.
terna beatitudine, nullum lucis usum praestare; quia, ut ait Hieronymus super eundem locum, « caeli terrae- Hieronymus.
que, solis atque lunae nobis cessabit officium, et erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum ». — Potest Alia expositio.
etiam intelligi illud Isaiae ea ratione dictum, quia sol et luna tunc non habebunt ortum et occasum, sicut nunc. Unde Isidorus[3], illud Isaiae quasi exponens, ait: Isidorus.
« Post iudicium sol laboris sui mercedem suscipiet »; unde Propheta: *Lucebit septempliciter,* et non veniet Dubium 7.
ad occasum nec sol nec luna, sed in ordine, quo creati sunt, stabunt, ne impii in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum. Unde Habacuc: *Sol et luna steterunt in ordine suo.* — Ecce aperte dicit, solem et lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere; ubi etiam significat, infernum esse sub terra. — Si vero quaeritur, quis sit usus lucis solis et lunae tunc, fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legisse.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLVIII.

De forma et qualitate iudicis.

Solet etiam quaeri, in qua forma Christus iudicabit etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister de ordine iudicii. In hac parte determinat de forma et qualitate iudicantis. Et dividitur haec pars in duas. In prima determinat de qualitate iudicantis in se. In secunda, in effectibus, in quibus ostenditur magnitudo potestatis suae, scilicet luminarium obscuratio et postmodum melioratio, ibi: *Veniente autem ad iudicium Domino* etc.

Prima pars habet tres[1]. In prima parte determinat de forma et potestate. In secunda vero determinat de formae qualitate, in qua se ostendet, ibi: *Sed cum in humana forma constet* etc. In tertia determinat de loco, ibi: *Et putant quidam Dominum* etc. — Et ita tanguntur hic duo in universo. Primum est de forma, in qua iudex adveniet. Secundum vero est de innovatione et perfectione corporum mundi.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam praesentis distinctionis secundum duo, quae determinat Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de iudicis apparitione.

Secundo, de corporum superiorum innovatione.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur de iudiciaria potestate.

Secundo, de forma, in qua apparebit.

Tertio, de qualitate formae.

Quarto quaeritur de hora iudicii.

---

[1] Apoc. 21, 1; Isai. 30, 26.

[2] Cap. 14, 7; deinde Isai. 60, 19, cum explicatione Hieron., XVII. Comment. in eund.

[3] De Ordine creaturarum, c. 5. n. 6. 7. Locus Scripturae alter est Hab. 3, 11.

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Edd. legunt: *duas. In prima determinat de forma, in qua se ostendet. In secunda de loco, ibi: Putant* etc. Cod. B hic ponit *quatuor,* et infra post *In tertia determinat* prosequitur: *in qua forma suscitabit mortuos, quia in forma servi, et hoc facit primo, cum dicit:* Et sicut dicitur Christus etc.; *secundo ponit duas rationes, quare in tali forma. Et est prima ratio, quia in ea suscepit quod est causa nostrae redemptionis, et tangitur ibi:* Sed hac ratione etc., *secunda est, quia in illa forma dabit vocem, cuius virtute resurgent mortui, et hoc ibi:* Et quia secundum eandem formam. *Tertio determinat quoddam incidens; quod enim dictum est, quod secundum formam humanam suscitabit mortuos, ne aliquis propter hoc crederet, quod secundum eandem suscitaret animas, dicit ibi, quod non, et hoc ibi:* Secundum quod Deus est etc. *In quarta determinat de loco* etc.

ARTICULUS I.

De iudicis apparitione.

QUAESTIO I.

Utrum potestas iudiciaria sit Christi secundum humanitatem, an secundum Divinitatem.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et quaeritur, utrum potestas iudiciaria sit Christi secundum humanitatem, an secundum Divinitatem. Et quod secundum Divinitatem, videtur:

Argg. pro 1. parte. 1. Quia Danielis septimo [1], ubi agitur de iudicio, dicitur, quod *throni positi sunt*, et *Antiquus dierum sedit;* et Glossa exponit « de Patre »; sed quod convenit Christo cum Patre convenit ratione Divinitatis; iudicare est huiusmodi, ut probatum est: ergo etc.

2. Item, Ioannis quinto [2]: *Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut omnes honorificant Patrem;* sed Filius non est honorandus ut Pater nisi solum secundum Divinitatem: ergo cum iudicium sit ad hoc datum, ergo secundum Divinitatem.

3. Item, eius est *iudicare*, cuius est *retribuere;* sed *retribuere* est secundum Divinitatem, quia de Deo *oportet credere, quoniam est et remunerator est*, ad Hebraeos undecimo [3]: ergo et iudiciaria potestas inest ei ratione Divinitatis.

4. Item, a sententia Christi nullus poterit appellare: ergo secundum illam potentiam iudicabit, secundum quam non habet superiorem; sed haec est Divinitas: ergo etc.

Pro 2. parte. Contra: 1. Ioannis quinto [4]: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio;* sed omnis actus, qui convenit Filio secundum Divinitatem, convenit Patri; sed iudicare non: ergo etc.

2. Item, Iob trigesimo sexto [5]: *Causa tua quasi impii iudicata est;* Glossa: « a Pilato »; ideo *iudicium causamque recipies*, « ut iuste iudices »: ergo si iudicatus est secundum humanitatem, potestatem iudicandi habebit secundum humanitatem.

3. Item, Ioannis quinto [6] expresse dicitur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.*

4. Item, *ratione:* constat, quod ipse secundum humanitatem promulgabit sententiam [7] et secundum illam naturam promulgabit, secundum quam habet auctoritatem et potestatem ad hoc faciendum, alioquin esset iudicium usurpatum: ergo secundum humanitatem habebit auctoritatem et potestatem.

5. Item, ipse Christus erit iudex secundum humanitatem, aut *principalis*, aut *delegatus*. Si *delegatus:* ergo ab eius sententia poterit appellari, quod nefarium est dicere: erit ergo iudex *principalis*. Sed iudex principalis in iudicando habet auctoritatem principalem: ergo secundum humanitatem habet praecipuam auctoritatem.

CONCLUSIO.

Potestas iudiciaria est Christi secundum Divinitatem principaliter et per naturam, secundum humanitatem per gratiam et commissa; sed latio sententiae fit a Christo secundum humanitatem, non ut iudice delegato, sed principali.

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc, quod iudicium sit firmum, concurrit *auctoritas* et *potestas:* Duo concurrunt. *auctoritas* in sententiando et *potestas* in retribuendo praemium secundum meritum. Si alterum horum deficiat, non est firmum iudicium. Haec duo principaliter sunt in Deo. Nam in ipso est *auctoritas* ad sententiandum, quia Dominus omnium est, et nos omnes servi eius; est etiam *potestas* ad retribuendum, quia potentissimus, et non est qui contra eum se valeat erigere vel eius sententiam irritare. — Haec duo communicavit Deus-Trinitas homini Christo: *auctoritatem* dando dominium, sicut dicitur Actuum secundo [8]: *Dominum fecit Deus hunc Iesum; potestatem* etiam sibi cetera subiiciendo, Matthaei ultimo: *Data est mihi omnis potestas.* Et ideo

---

[1] Vers. 9. — Glossa est *ordinaria* apud Lyranum. — Quod *iudicare* sit Divinitatis, insinuatur hic in lit. Magistri, c. 2.

[2] Vers. 22. seq.: Neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium... sicut honorificant Patrem.

[3] Vers. 6: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit.

[4] Vers. 22.

[5] Vers. 17. — Glossa, quae etiam a S. Thom. (hic q. 1. a. 1.) allegatur, non exhibetur a Glossariis (in hunc loc.), quae prae manibus habemus. August., Serm. 127. (alias 64. de Verbis Domini) c. 7. n. 10: Forma illa hic iudicabit, quae iudicata est... Sedebit iudex, qui stetit sub iudice. Damnabit veros reos qui factus est falsus reus. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 19. n. 16.

[6] Vers. 27.

[7] Cfr. Matth. 25, 31. seqq. — Superius post *ratione* in codd. O S U additur *videtur* (cod. X a secunda manu *videtur, quia*).

[8] Vers. 36: Quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum. — Seq. textus est Matth. 28, 18; tertius est Act. 10, 42. — Edd. ponunt *et* ante *dominium*.

ipse est *qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum,* sicut dicitur Actuum decimo.

Quoniam igitur potestas iudiciaria respicit illa duo iam dicta, et illa sunt in *Deo* per *naturam,* in *Christo homine* per *gratiam;* ideo iudiciaria potestas Conclusio 1. est Christi secundum *Divinitatem* per *naturam,* secundum *humanitatem* collata per *gratiam.* Unde secundum utramque naturam habet auctoritatem, sed secundum Divinitatem *principalem* et naturalem, secundum humanitatem *commissam,* unde *constitutus est.*

Cum igitur sit *potestas* [1] primaria in Deo, sed Conclusio 2. commissa in homine Christo, *latio sententiae* debet fieri a Christo-homine secundum *humanitatem:* quia, Ratio notanda. si fieret secundum potestatem primariam, cum secunda nihil det primae, non esset vere iudex secundum humanitatem; sed quando secunda operatur, cum recipiat a prima, ratio iudicandi residet penes utramque; secunda enim recipit a prima. Ideo latio sententiae fiet a Christo secundum humanitatem. Sed quia Christus est Deus et homo, sententia Conclusio 3. eius non erit tanquam *iudicis delegati,* sed tanquam *principalis.* Et ideo ab ea propter utramque potestatem nullus poterit appellare.

Concedendae sunt igitur rationes ad utramque Ad argg. partem: primae, quia verum concludunt, quod iudiciaria potestas sit Christi secundum Divinitatem; similiter ad oppositum, quia verum concludunt, quod sit Christi secundum humanitatem, maxime quantum ad sententiae lationem. Robur tamen sententiae, ut dictum est, non principaliter est ex humanitate Christi, sed potius ex eius Divinitate.

SCHOLION.

I. Christum in forma *humana*, et quidem *gloriosa*, iudicaturum mundum, S. Scriptura, consensus Patrum et unanimis sententia doctorum catholicorum testatur. Hoc tamen non ita intelligitur, ut excludatur causa principalis efficiens, quae est ipsa Divinitas; quia « iudicabit quidem in humana natura, sed ex virtute Divinitatis (S. Thom., hic q. 1. a. 1. ad 2; Suppl. q. 90. a. 1. ad 2.); quod praecipue urget Scot. (hic q. 1. n. 1-10.). — De loco iudicii et de aliis iudicium concomitantibus cfr. infra dub. 1-4.

De 1. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 4. quaest. 1. — B. Albert., hic a. 1. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 1. — Durand., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 1. — Dionys. Carth., de toto articulo hic q. 1.

II. Conclusio 2. quaestionis unanimiter recipitur, si agitur de *facto,* licet reprobi, Christum Deum esse; tunc certo cognoscant « per manifestissima Divinitatis indicia » (S. Thom., locis citt. a. 3. ad 1.). Insuper S. Thom. (articulis citt.) quaerit, utrum Divinitas sine gaudio *possit* videri; et resolvit: « Impossibile est, quod eius essentia apprehensa non delectet ». Sed Scot. (loc. cit. n. 5.) vult, loquendo de *potentia Dei absoluta,* hoc non esse impossibile (cfr. q. 2. in fine).

De 2. quaestione praeter locos citt.: Alex. Hal., loc. cit. § ult. — B. Albert., hic a. 2. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2.

III. Circa 3. quaestionis solutionem Scot. (loc. cit. n. 11.) dubitat, utrum mali *nullo modo* videant formam gloriosam humanae Christi naturae, an *eo modo,* quem cum S. Bonav. S. Thom. ponit, scil. ad maiorem confusionem et contristationem.

De 3. quaestione: Alex. Hal., loc. cit. § 2. — S. Thom., locis citt. a. 2. — B. Albert., hic a. 3. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 1. q. 2.

IV. Quoad 4. quaestionem manifestum est, quod saltem respectu *viatorum* Deus cognitionem temporis, quo finitur mundus, sibi reservavit; unde plurimi hucusque frustra laboraverunt, ut tempus vel proximam instantiam extremi iudicii determinarent. — Locos Scripturae (Matth. 24, 36; Marc. 13, 32.), qui ipsi Filio hanc scientiam denegare videntur, Alex. Hal. (loc. cit. m. 2.) secundum Gregorium sic exponit: « Per hoc non excluditur Christus-homo a notitia illius diei, sed per hoc excluditur, quod non ex virtute humanitatis ipsam habet, sed ex virtute Divinitatis habet ». De eodem loco dicit S. Thom. (supra d. 47. q. 1. a. 1. quaestiunc. 3; Suppl. q. 88. a. 3.): « Dicitur autem Filius nescire, in quantum nos scire non facit ».

De eadem 4. quaestione praeter citatos: Scot., Report. supra d. 43. q. 5. n. 8. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. ad 5. — — Richard. a Med., supra d. 43. a. 6. q. 2, et d. 47. a. 1. q. 8. — Durand., supra d. 47. q. 1. n. 10.

QUAESTIO II.

Utrum Christus in forma Divinitatis apparebit malis.

Secundo quaeritur de forma, in qua Christus apparebit; et quaeritur, utrum in forma Divinitatis appareat malis. Et quod non:

1. Isidorus [2] dicit, et habetur ab Augustino: Fundamenta. « In forma, in qua iudicatus est, videbunt eum, ut doleant, in forma Divinitatis non videbunt, ne gaudeant ».

2. Item, *ratione* videtur: quia lux illa est inaccessibilis oculis intellectus nostri secundum statum infirmitatis [3]: ergo si damnati surgent cum in-

---

[1] Cod. E *potestas iudiciaria.*

[2] Libr. I. Sent. c. 27. n. 8: « In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est, videbunt, ut doleant; Divinitatem vero eius non videbunt, ne gaudeant ». Eandem sententiam exhibet August., l. de Trin. c. 13. n. 30. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[3] De hac propos., in qua respicitur I. Tim. 6, 16: *Lucem inhabitat inaccessibilem,* cfr. II. Sent. d. 3. p. II. a. 2. q. 2; d. 23. a. 2. q. 3, et III. Sent. d. 14. a. 1. q. 3. — De infirmitatibus, in quibus damnati resurgent, cfr. supra d. 44. p. I. a. 3. q. 2.

firmitatibus et imperfectionibus, ergo inaccessibilis erit ipsis.

3. Item, Ioannis decimo septimo[1]: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, verum Deum:* ergo cum *videre Deum* sit vita aeterna, et mali non sint habituri vitam aeternam; ergo non videbunt eum in forma Divinitatis.

4. Item, reprobi debent puniri et quantum ad rationem et quantum ad voluntatem; sed quantum ad voluntatem Deum non poterunt[2] amare: ergo nec quantum ad rationem videre.

Ad oppositum.

Contra: 1. Reprobi, qui noluerunt Christum credere esse Deum, tunc non dubitabunt, ipsum esse Deum: ergo Christi Divinitas erit eis manifesta cognitione certissima: ergo ipsam videbunt non solum *per speculum*[3], sed per se ipsam.

2. Item, videtur, quod debeant videre, quia reprobi debent terreri ad aspectum Christi; sed quod summe terret est potestas Divinitatis et maiestas; et quod ita sit, dicitur Matthaei vigesimo quarto[4]: *Veniet Filius hominis cum potestate magna et maiestate:* ergo etc.

3. Item, nemo punitur perfecte ex amissione alicuius boni, nisi illud cognoscat: ergo si reprobi debent puniri carentia visionis Dei, debet eis ostendi, quantum bonum sit visio Dei; sed hoc non potest scire, nisi qui videt: ergo saltem in iudicio debent videre.

Quaestiones incidentes.

Item, quaero rationem: quare non debent videre? *Si dicas,* « ne gaudeant », sicut dicit Isidorus et Augustinus[5]; *contra:* « Omne quod recipitur in aliquo, est ibi per modum recipientis »: ergo si habent oculos infirmos, lux vera potius contristabit, quam delectet, sicut patet etiam in luce corporali.

Item, possibile est Deo separare in reprobis cognitionem a delectatione, sicut in iudicio in igne lucem a calore[6]; et si hoc, tunc videtur, quod propter istam rationem non debeat dimittere.

Item, secundum humanitatem apparebit blandus iustis et terribilis malis[7], quare non potest similiter facere secundum Divinitatem?

CONCLUSIO.

Christus reprobis non apparebit in forma Dei.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Augustinus[8] et Isidorus et Magister in littera et etiam Hugo, de Sacramentis, « Patrem nullus de reprobis videbit in iudicio, sed omnes Filium, quia *filius hominis est,* ut ab omnibus possit videri ». Unde non apparebit malis in forma Dei. Conclusio 1.

Duplex Dei cognitio.

Propter quod nota, quod duplex est cognitio Divinitatis: una *per signa et effectus,* alia *in sua forma et essentia.* Dico ergo, quod reprobi bene habebunt cognitionem de Christi Divinitate per *signa certissima,* et per *effectus manifestos* cognoscent, quod ipse est Deus omnipotens. Cognitionem autem, quae est *in propria forma,* quae est per visionem apertam, hanc quidem non habebunt. — Et prima ratio huius est, quia talis forma omnino est improportionalis oculis peccatoris et improportionalis oculis omnibus, qui non sunt sublimati per gloriam, vel per superabundantiam gratiae; et quia reprobis non dabitur[9] gratia nec *simpliciter* nec *ad tempus:* ideo non videbunt. Conclusio 2. Ratio.

Confirmatur.

Ratio autem, quare non dabitur eis virtus, quae faciat eorum aspectum habilem ad videndum illam lucem, est illa, quam tangit Isidorus et Augustinus[10], quia si haberent oculum aptum, haberent summam delectationem, quam impossibile est esse et indecens in peccatoribus. Notandum.

Solutio oppositorum.

1. 2. 3. Ex his patent obiecta[11]. Prima enim tria ostendunt, quod habebunt cognitionem de Deo quantum ad *maiestatem* et *bonitatem;* sed non ostendunt, quod *per speciem,* sed sufficit, quod *per signa certa.*

Ad quaestiones incid.

Ad aliud[12] iam patet responsio, quae sit ratio, quia scilicet sunt improportionales, et impossibile est intelligere, quod fiant proportionales et non gaudeant; non sic est in *luce creata,* quia oculus est proportionalis per naturam et per infirmitatem non omnino efficitur improportionalis, sed tamen minuitur proportio, et ideo videt cum tristitia; illa autem lux cum tristitia videri non potest[13].

---

[1] Vers. 3: Haec est autem vita... te, solum Deum verum etc.

[2] Edd. cum pluribus codd. *poterant.*

[3] Respicitur I. Cor. 13, 12. — Mox post *sed* cod. L supplet *etiam.* Superius verbo *noluerunt* codd. R S praemittunt *prius.*

[4] Vers. 30: Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate. Cfr. Luc. 21, 27: Et tunc videbunt... cum potestate magna et maiestate (codd. omittunt *magna*).

[5] Supra in fundam. 1. — Seq. axioma est secundum auctorem libri de Causis, propos. 10. 12. 20. et 24. Cfr. Boeth., V. de Consol. prosa 4, tom. II. pag. 361, nota 3. allegatus. — Inferius pro *infirmos* permulti codd. *infirmitatis.*

[6] Vide supra pag. 925, nota 9. verba Basilii. — Pro *in iudicio* cod. K (I a secunda manu) *in inferno.*

[7] Secundum Isidor., I. Sent. c. 27. n. 9. Vide quaest. seq. arg. 5. ad oppos.

[8] Libr. I. de Trin. c. 13. n. 29, ex quo sunt verba inferius posita, in quibus respicitur Ioan. 5, 27, et textus originalis substituit *ab impiis* pro *ab omnibus* (edd. *hominibus*). Post *omnes* codd. S U addunt *videbunt.* — Sententiam Isidori vide supra fundam. 1, Magistri, hic in lit. c. 1. seq., et Hug. a S. Vict., II. de Sacram. p. XVII. c. 7. et p. XVIII. c. 16.

[9] Cod. G addit *gloria nec.*

[10] Hic in fundam. 1. — Superius pro *habilem,* quod non pauci codd. omittunt, cod. G (E a secunda manu) *idoneum.* Subinde pro *aptum* codd. I K L *apertum.*

[11] Plures codd. addunt *omnia.* — In fine solut. respicitur II. Cor. 5, 7: Per fidem enim ambulamus, et non per speciem.

[12] Codd. M O aa *alia.*

[13] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum Christus apparebit reprobis in forma humanitatis gloriosa.

Tertio quaeritur de qualitate formae, in qua apparebit Christus, utrum scilicet in forma gloriosa appareat reprobis. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia in primo adventu apparuit passibilis, quia adventus ille fuit in infirmitate: ergo cum secundus adventus sit in virtute, ergo apparebit gloriosus [1].

2. Item, in iudicio apparebit talis, qualem decet apparere ad confusionem inimicorum et laetitiam amicorum; sed inimici maxime confunduntur in gloria et in exaltatione illius, quem despexerunt, et e converso amici laetantur: ergo apparebit in gloria.

3. Item, nulla erit in eo fictio, ergo talem ostendet formam, qualem habebit; sed habebit gloriosam: ergo ostendet reprobis gloriosam formam.

Ad oppositum. Contra: 1. Matthaei vigesimo quarto [2]: *Apparebit signum Filii hominis in caelo;* hoc erit signum crucis: ergo cum crux sit signum infirmitatis, videtur, quod appareat in infirmitate, non in gloria.

2. Item, Chrysostomus [3]: « Veniet in iudicio Christus, non solum vulnerum cicatrices, sed etiam ipsam mortem exprobratissimam ostendens ».

3. Item, *ratione* videtur: quia, sicut oculus spiritualis se habet ad lucem spiritualem, ita corporalis ad corporalem; sed sic est, quod oculus spiritualis malorum non videt lucem spiritualem, quia est improportionalis: ergo similiter, cum oculus non [4] glorificatus sit improportionalis, non videbit claritatem corporis glorificati.

4. Item, si videbit; cum « sensus exterior pascatur in contemplatione humanitatis, sicut interior in contemplatione Divinitatis [5] »; videtur, quod habeant delectationem; sed non videbunt Divinitatem, ne delectentur: ergo nec humanitatem.

5. Item, quamvis « Christus sit benignus secundum veritatem, tamen apparebit terribilis reprobis », sicut dicit Isidorus [6]: ergo pari ratione, quamvis sit gloriosus, tamen debet reprobis apparere ingloriosus.

CONCLUSIO.

Christus tam bonis quam malis apparebit in forma gloriosa, bonis quidem cum gaudio, sed malis cum confusione.

Respondeo: Dicendum, quod Christus apparebit in forma gloriosa, ut ostensum est, non tantum bonis, sed etiam reprobis; et non erit differentia ex parte *apparentis,* sed ex parte *recipientium* [7]. Boni enim recipient gloriosam formam cum gaudio et gloria, sed mali cum confusione et poena. Confundentur enim in aspectu eius et non poterunt eius sustinere vultum propter conscientiae remorsum et propter exspectationem ferendae sententiae contra eos; sed econtra boni oblectabuntur. Conclusio 1. Conclusio 2.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod apparebit cum cruce et cicatricibus; dicendum, quod sicut cicatrices in Martyribus non sunt signum infirmitatis *praesentis,* sed infirmitatis *praeteritae,* immo quantum ad gloriam et decentiam et pulcritudinem sunt signa *victoriae* et gloriae [8]; sic in Christo intelligendum, quia illae cicatrices et crux signa erunt mortis vilissimae, quam sustinuit; sed tamen, quia apparebunt in excellentia gloriae, signum erunt gloriae tunc praesentis. Unde Chrysostomus dicit super Matthaeum [9], quod « crux radiis solis erit lucentior », similiter et cicatrices. Notandum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod oculi eorum sunt improportionales; dicendum, quod improportionales erunt per privationem *sufficientis* proportionis; ideo retundentur visus et confundentur; sed tamen non erunt omnino improportionales per defectum *omnis* proportionis. Nec est simile de luce spirituali, quia illa excedit multo plus oculum peccatoris [10], quam lux corporis gloriosi oculum corporis passibilis. Notandum.

5. Ad illud quod obiicitur, quod videbitur ter-

---

[1] Vide supra pag. 986, nota 4, et hic lit. Magistri, c. 2.

[2] Vers. 30: Et tunc parebit signum etc.

[3] Homil. 76. (alias 77.) in Matth. 24, 30. n. 3. Cfr. Homil. 1. de Cruce et latrone n. 4.

[4] Edd. omittunt *non.* Cfr. infra d. 49. p. II. sectio 2. a. 2. q. 2. fundam. 3.

[5] Secundum auctorem libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 9. Vide tom. III. pag. 19, nota 5. — De seq. propos. cfr. quaest. praeced.

[6] Libr. I. Sent. c. 27. n. 9: Pro diversitate conscientiarum et mitis apparebit in iudicio Christus electis et terribilis reprobis. Nam qualem quisque conscientiam tulerit, tale et iudicium habebit; ut, manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat. Cfr. Gregor., I. Homil. in Ezech. homil. 7. n. 20, quem secunda manus in cod. F allegat.

[7] Edd. *respicientium* et mox *respicient* pro *recipient.* In fine corp. pro *oblectabuntur* permulti codd. *obdelectabuntur.*

[8] Vide August., XXII. de Civ. Dei, c. 19. n. 3. (alias c. 20.).

[9] Homil. 76. (alias 77.) n. 3.

[10] Non pauci codd. *peccatorem.*

ribilis et blandus, ergo similiter gloriosus et ingloriosus; dicendum, quod non est simile: quia *terribilis* et *blandus* dicitur *ad alterum;* unde benignum hominem potest homo aspicere ut terribilem, quia eum timet; sed *gloriosum* et *non gloriosum* dicunt dispositionem *a parte visibilis.* Unde nisi fiat per deceptionem, vel per miraculum et divinam virtutem, quae teneat oculos, sicut dicitur Lucae ultimo[1]: *Oculi eorum tenebantur;* res talis videtur, qualis est secundum veritatem[2].

Notandum.

QUAESTIO IV.

Utrum hora iudicii sit nota alicui creaturae.

Quarto quaeritur de hora iudicii et quaeritur, utrum alicui creaturae sit nota. Et quod non, videtur.

Argg. pro parte negativa.

1. Matthaei vigesimo quarto[3]: *De illo autem die et hora nemo novit, neque Angeli, qui sunt in caelo, neque Filius:* ergo videtur, quod Christus non noverit: ergo multo minus noscunt alii.

2. Item, Ioannis decimo quinto[4]: *Omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis;* sed istud non notificavit Apostolis: ergo istud non novit etiam ipse Christus.

3. Item, Ioannis decimo sexto[5]: *Cum venerit Spiritus sanctus, ille docebit vos omnem veritatem;* sed Spiritus adveniens illud non docuit Apostolos: ergo istud non est scibile ab aliqua creatura, quia, si esset scibile, Spiritus sanctus docuisset.

4. Item, Deus revelavit Prophetis multa et futura, diem autem et horam iudicii non expressit per aliquam prophetiam nisi solum per signa quaedam praeambula[6]: ergo cum Dominus illud non revelaverit Prophetis, videtur, quod sibi soli reservaverit.

Pro parte affirmativa.

Contra: 1. *Christus* non profecit nec potest proficere in scientia, sicut supra dicitur libro tertio, distinctione decima tertia[7]: ergo si unquam sciturus est, modo scit.

2. Item, de *Angelis* videtur: Gregorius[8]: «Quid est quod non vident qui videntem omnia vident»? ergo videtur, quod illud videant.

3. Item, videtur, quod *omnibus* debuerit revelari: quia magis timendum est iudicium speciale cuiuslibet quam generale, quia qui hoc evadit evadit et illud; sed dies mortis pluribus revelatus est, sicut dicitur de beato Martino[9] et beato Benedicto: ergo etc.

4. Item, locus et tempus sunt circumstantiae negotii[10]; sed Dominus revelavit nobis iudicii locum: ergo pari ratione videtur, quod et tempus; aut si non, quare non?

CONCLUSIO.

Iudicii hora est nota toti Trinitati et homini assumto, sed ignota omnibus viatoribus; fortasse tamen aliquibus Angelis et Beatis nota est.

Respondeo: Dicendum, quod absque dubio hora diei iudicii est nota toti Trinitati et homini assumto[11], ignota est omnibus in statu viatorum existentibus. Conclusio 1.

Sed de hoc est contentio inter doctores, utrum nota sit Angelis et animabus beatis. Quidam dicunt, quod sic, quidam, quod non. — Sed certe, quid sit super hoc tenendum, magis docebit experientia pro loco et tempore, quam nunc doceat scientia; utrumque enim est possibile. Cum enim Christo soli communicata sit omnium scientia, non video, quare Angeli illud ignorare non possint, cum istud non sit de substantia gloriae ipsorum; *rursus,* cum Deo sint familiares et nihil in huius rei scientia perdere possint, quare illud non congruat revelari. Non tamen est facile hoc definire. Unde quia aliquae auctoritates Sanctorum videntur sonare, quod Angeli hoc norunt[12]; aliquae, quod ignorent; sane dici potest, quod istud notum sit aliquibus Angelis et Beatis, aliquibus ignotum; et sicut dicitur circa incarnationis mysterium, sic et in illa parte standum est, quod alicui creaturae hora iudicii nota sit. Conclusio 2.

De Angelis et Beatis opinio 1. Res est dubia.

---

[1] Vers. 16: Oculi autem illorum tenebantur. — Superius pro *ut terribilem* cod. bb *quem diligit et cui servivit, et terribilem, quem offendit.*

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Vers. 36: De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi solus Pater. Cfr. Marc. 13, 32: De die autem illo... neque Angeli in caelo neque Filius, nisi Pater.

[4] Vers. 15.

[5] Vers. 13: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit etc. (codd. omittunt *Spiritus sanctus*).

[6] Cfr. Isai. 13, 9. seqq.; Ioel 2, 1. seqq. — In fine arg. multi codd. *reservat.*

[7] In lit. Magistri; cfr. ibid. Comment. d. 14. a. 3. q. 2.

[8] Vide supra pag. 953, nota 8.

[9] Cfr. Sever. Sulpit. Epist. 3. ad Bassulam. — De B. Benedicto vide Gregor., II. Dialog. (in quo continetur vita Benedicti) c. 37.

[10] Secundum Ciceron.; cfr. supra pag. 400, nota 1. — De *minori* vide hic lit. Magistri, c. 4.

[11] Respiciuntur verba Isidor.: Trinitas sibi soli nota est et homini assumto. Cfr. III. Sent. d. 14. a. 1. q. 2. arg. 3. ad oppos.; ibid. et a. 2. ostenditur, quod Christo communicata sit omnium scientia.

[12] Praeter Glossam inferius in solut. ad 1. allegatam citatur etiam August., Enchirid. c. 62. n. 16: Et utique noverunt Angeli sancti, docti de Deo... quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis exspectet. Bernard., Tract. de baptismo etc. c. 5. n. 19: Credibilius magis fortasse

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod nemo novit; dicendum, quod in illa auctoritate, sicut patet ex Glossa [1], non excluditur Filius *naturalis*, sed *adoptivus;* nec excluduntur omnes Angeli, sed illi qui sunt *inferioris ordinis;* nec excluduntur omnes homines, sed solum *puri homines et viatores.* — Vel dicendum, quod non noverunt, quia aliis non notificant, id est, non ostendunt se scire, sicut fovea dicitur *caeca,* non quia non videat, sed quia quod habet in se aliis non ostendit [2].

Ad argg. pro parte negat. Notandum. Aliter.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod nota fecit omnia Apostolis Christus et Spiritus sanctus; dicendum, quod istud intelligitur de necessariis ad salutem [3].

4. Ad illud quod obiicitur de Prophetis, dicendum, quod Deus non revelavit illud Prophetis, quia non erat nobis utile nosse, sed perutile erat ignorare tum propter nostram utilitatem, tum etiam propter istud quod dicitur Iacobi secundo [4]: *Sic loquimini et sic facite, quasi per legem libertatis incipientes iudicari.*

4. Et ita patet, quare Dominus manifestavit nobis iudicii *locum,* sed non *tempus,* quod ultimo quaerebatur quantum ad primam partem.

Ad argg. pro parte affirm.

2. Ad illud quod obiicitur de Angelis, quod omnia vident; dicendum, quod illud oportet intelligi de his quae sunt de integritate beatitudinis, non sui ministerii [5].

ARTICULUS II.

De innovatione corporum superiorum.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de renovatione corporum superiorum. Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo quaeritur, utrum corpora supercaelestia remunerabuntur.

Secundo, utrum quietabuntur.

Tertio, utrum innovabuntur elementa.

Quarto, utrum innovabuntur plantae et animalia.

QUAESTIO I.

Utrum corpora supercaelestia remunerabuntur.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod corpora supercaelestia remunerabuntur.

Fundamenta.

1. Isaiae trigesimo [6] habetur ex textu et Glossa: *Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis sicut lux septem dierum,* et Glossa ibi dicit, id est, « sol et luna praemium sui laboris percipient ».

2. Item, hoc videtur *ratione:* quia pronior est Deus ad praemiandum quam ad puniendum; sed « corporum supercaelestium, homine peccante, lux est diminuta », sicut dicit ibi [7] Glossa: ergo homine glorificato debet augeri.

3. Item, ordo est in universo convenientissimus: ergo uno meliorato, quod est de perfectione universi, necesse est, cetera meliorari, quae sunt de eius constitutione [8]; sed corpora supercaelestia sunt de constitutione universi: ergo aut ordo corrumpitur, aut si homo nobilitatur, necesse est, illa magis nobilitari.

---

videtur, ut, sicut futuri adventus Domini, ipso teste, diem *prorsus ignorant* [cfr. Matth. 24, 36.], ita quoque prioris [scil. incarnationis] tempus *nequaquam* praescierint etc. — De cognitione incarnationis ex parte Angelorum cfr. tom. III. pag. 57, nota 7. — Superius post *Christo* plurimi codd. et ed. 1 omittunt *soli.* Subinde verbis *quare illud non congruat* [codd. G H N Y bb addunt *eis*] Vat. praemittit *non video.*

[1] Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum: Qui [Filius] quidem omnia scit cum Patre, sed non facit homines scire; sicut Apostolus [Col. 2, 2.] ait, *in eo esse absconditos thesauros sapientiae et scientiae.* Non facit scire, quia inutiliter sciretur... Neque electi Angeli quemquam scire fecerunt. Vel nulli sanctorum Angelorum concessit Deus notitiam diei huius neque filio adoptivo, id est neque ulli sanctorum hominum. Cfr. Hilar., IX. de Trin. n. 58. seqq.; Ambros., V. de Fide, c. 16. n. 193. seqq.; Hieron., IV. in Matth. 24, 36; August., Epist. 197. (alias 78.) et 199. (alias 80.); Gregor., X. Epist. indict. 3. epist. 39. (alias 42.).

[2] Haec solutio invenitur apud August., I. de Trin. c. 12. n. 23: Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur quod occultat, quo dicitur fossa *caeca,* quae occulta est. Cfr. I. de Gen. contra Manich. c. 22. n. 34, et in Ioan. Evang. tr. 43. n. 6, ubi idem exemplum de fossa caeca adhibetur.

[3] Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 86. n. 1. et tr. 96. n. 1. seqq.

[4] Vers. 12, ubi Vulgata *sicut* pro *quasi.* — August., Enarrat. in Ps. 36. serm. 1. n. 1: Utiliter autem Deus latere voluit illum diem, ut semper sit paratum cor ad exspectandum quod esse venturum scit, et quando venturum sit nescit.

[5] Cfr. supra d. 45. dub. 9, et II. Sent. d. 11. dub. 2. — Vat. *vel sui* pro *non sui.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[6] Vers. 26. Post *et lux solis* Vulgata et cod. aa (F a secunda manu) addunt *erit septempliciter.* — Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum formata est ex Hieron. (in hunc loc.) dicente: Quando dederit Dominus caelum novum... ut luna et sol laboris et cursus sui praemia consequantur.

[7] Isai. 30, 26. — Glossa est *interlinearis* apud Lyranum; cfr. supra pag. 886, nota 8. — De *maiori* vide supra pag. 333, nota 3. — Pro *supercaelestium* cod. L *caelestium.*

[8] Vide I. Sent. d. 44. a. 1. q. 1. seqq. — Cod. S addit *et perfectione.*

4. Item, habitatio debet congruere habitatori: ergo si homo, propter quem factus est mundus, est nobilior factus; ergo et totus mundus: ergo et corpora mundi nobilissima.

Ad oppositum. Contra: 1. Nihil quod perit, remunerabitur; sed caeli peribunt: ergo corpora supercaelestia non remunerabuntur. *Minor* patet ex Psalmo et ad Hebraeos primo [1]: *Et: tu in principio* etc.; et post: *Ipsi peribunt.*

2. Item, *ratione* videtur: quia nihil praemiatur, nisi quod meretur, et nihil meretur, nisi quod voluntarie servit, et nihil voluntarie servit, nisi quod habet liberum arbitrium [2]; talia autem non sunt corpora supercaelestia: ergo etc.

3. Item, dupliciter contingit mereri ex opere: aut quia *factum ex caritate*, aut quia *laboriosum;* per opus enim laboriosum meretur quis *de congruo;* sed corpora supercaelestia non faciunt quidquam ex caritate nec moventur cum labore, quia dicit Philosophus [3], quod «moventur sine labore et poena»: ergo etc.

4. Item, cum duplex sit corporum superiorum proprietas, scilicet calor et lux, et serviant nobis quantum ad utramque: ergo remunerari debent quantum ad utramque: ergo cum non remuneretur sol in calore, nec luna in frigiditate [4]: ergo nec debent remunerari in maiori lumine.

CONCLUSIO.

Corpora caelestia aliquo modo praemiabuntur in augmento lucis et splendoris, quatenus homo praemiatur in illis.

Distinctio. Respondeo: Dicendum, quod tripliciter est aliquid remunerabile: primo modo, quod est *aptum natum mereri,* et hoc est liberum arbitrium; alio modo, quod est *ipsi merenti coniunctum,* ut corpus humanum; tertio modo, quod est *ad ipsum ordinatum* sicut ad obsequium. Secundum hoc praemiatur homo aliquando in *se ipso,* aliquando in *corpore,* aliquando ex [5] *eis quae sibi sunt utilia;* sic etiam praemiatur in *se ipso,* in *corpore* suo, et etiam in *ipso mundo,* qui eius est habitaculum. Principium generale. Unde dico, quod corpora supercaelestia praemiari non est aliud, quam hominem praemiari in illis, quia Dominus totum mundum hominis amore faciet pulcriorem. Conclusio 1. Et ideo, quia propter hominem praemiantur corpora supercaelestia, secundum eam proprietatem praemiantur, secundum quam sunt consona corporibus gloriosis; haec autem est lux: et ideo in luce et splendore augebuntur et crescent, ut probant primae rationes. Conclusio 2.

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod peribunt; dicendum, quod ipse textus *consequenter* [6] exponit: *velut amictum mutabis eos, et mutabuntur;* ideo non dicuntur *perire,* quia desinant, sed quia pulcriora efficiuntur et innovantur.

2. Ad illud quod obiicitur, quod non habent voluntatem; dicendum, quod ipsa non merentur *proprie,* sed homo meretur et in eis remuneratur. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non laborant; dicendum, quod *labor* dicitur dupliciter: uno modo *proprie,* et sic dicitur opus poenale [7], et hoc modo nec corpora supercaelestia nec Angeli boni laborant; alio modo *communiter,* et sic dicitur labor quodcumque obsequium, secundum quem modum Angeli dicuntur laborare in vinea Domini et circa nos, quia nobis obsequuntur; sic et corpora caelestia. Duplex labor.

4. Ad ultimum, quare non remunerentur in calore, patet [8]: quia in his proprietatibus debent remunerari, quae conveniunt corporibus nostris et faciunt ad gloriam nostram.

SCHOLION.

I. De origine locutionum tropicarum, quod sol recipit *mercedem pro labore,* vel quod caeli *remunerabuntur,* vide lit. Magistri (hic c. 5.). Eandem explicationem affert S. Thom. (hic q. 2. a. 1. ad 5; Suppl. q. 91. a. 1. ad 5.).

De 1. quaestione: Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 1. a. 1. — S. Thom., q. cit. a. 1. 3. — B. Albert., hic a. 8. — Petr. a Tar., hic q. 2. a. 1. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. — De toto articulo Dionys. Carth., hic q. 3.

II. Cum communi doctorum sententia Durand. (hic q. 3.) dicit: «Tenendum est absolute, quod motus caeli cessabit post resurrectionem, quamvis illud non possit clare probari nec per auctoritatem Scripturae nec aliqua necessaria ratione». Idem nititur probare, quod textus s. Scripturae vulgo allegati etiam alio modo possint exponi; denique rationes Aristotelis pro continuatione motus oppugnat et quasdem rationes persuasivas pro communi sententia affert. Ante hunc magistrum eodem fere sensu et modo etiam Scot. (hic q. 2.) disputavit. — S. Thom. (locis citt. a. 2.) dicit, quod haec motus cessatio fiat, «non est aliqua naturali causa, sed divina voluntate faciente», et opinionem aliorum, qui hoc *naturaliter* fieri dicebant, improbat tanquam falsam et impossibilem. Notum tamen est, nostra aetate non deesse physicos, qui ex modo, quo calor in motum commutatur, et e converso, arguunt, tandem aliquando motum corporum caelestium naturaliter cessaturum.

---

[1] Vers. 10. seq., et Psalm. 101, 26. seq.

[2] Bernard., in Cantic. serm. 81. n. 6: Ubi autem non est libertas, nec meritum. — Superius Vat. omittit *nisi quod meretur, et nihil meretur.*

[3] Libr. II. de Caelo et mundo, text. 3. (c. 1.), et IX. Metaph. text. 17. (VIII. c. 8.).

[4] Cfr. supra fundam. 1.

[5] Vat. *in.* Mox pro *sic etiam* codd. K Z bb *sicut etiam,* cod. G *et sic.* Subinde fortasse stat *praemiatur* pro *praemiabitur.*

[6] Loc. cit. Hebr. 1, 12. et Ps. 101, 27. — Edd. *exponitur per illud,* codd. I K *exponit se.*

[7] Gen. 3, 17: In laboribus comedes ex ea etc. — Inferius post *obsequium* Vat. addit *praestitum hominibus.*

[8] Edd. supplent *responsio.*

De 2. quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 9. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 2. — Richard. a Med., loc. cit. q. 2. 3. 4.

III. Quoad 3. quaestionem S. Thom. (locis citt. a. 4.) innovationem elementorum intelligit esse augmentum claritatis, quia scilicet « omnia elementa claritate quadam vestientur, non tamen aequaliter, sed secundum modum suum ». Idem docet S. Bonav. (q. 1. in fine corp.).

De 3. quaestione: Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Richard. a Med., loc. cit. a. 5.

IV. In solvenda 4. quaestione Scholastici communiter negative respondent; et S. Thom. etiam metalla et omnia corpora mixta non remansura esse dicit. Aliter tamen loquitur incertus auctor operis *Elucidarii* (lib. III. c. 15.), quod inter opera S. Anselmi, t. II. in appendice, editor Maurinus recepit, sed indignum esse nomine Anselmi iudicavit. Alii recentiores putant, communem sententiam saltem quoad nonnulla esse incertam.

De eadem quaestione: S. Thom., locis citt. a. 5. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., loc. cit. a. 6. — Durand., supra d. 47. q. 3. n. 7.

QUAESTIO II.

Utrum córpora supercaelestia quietabuntur.

Secundo quaeritur, utrum corpora supercaelestia quietabuntur. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia motus corporum supercaelestium est propter continuam generationem [1]; sed omnis generatio est ordinata ad multiplicationem hominum, et multiplicatio hominum ad perfectionem civitatis supernae: si ergo necesse est, illam civitatem perfici; necesse est, omnem generationem cessare: ergo et motum corporum supercaelestium, et sic etc.

2. Item, omnis motus est propter aliquem finem; sed omnis motus ordinatus, nisi sit frustra [2], aliquando consequitur finem; sed quod movetur propter aliquid, assecuto eo, quiescit: ergo cum corporum supercaelestium motus sit huiusmodi, patet etc.

3. Item, nobilior dispositio est quies quam motus; quod patet in Deo [3]: ergo si mundus post resurrectionem erit in optima dispositione, omnia corpora in eo quiescent.

4. Item, hoc dicit ratio, non tantum fides, quod omnia propter hominem et ad opus obsequii sunt creata [4]: ergo omnia debent habere usum et actum convenientem humano obsequio; sed homo incorruptibilis post resurrectionem non indiget obsequio variabili: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Corpora supercaelestia serviunt homini luce et motu; sed quia luce serviunt, maiori luce remunerantur [5]; ergo cum serviant in motu, debent velociori motu remunerari.

2. Item, corpus orbiculare naturaliter est aptum ad motum [6]; sed per gratiam aptitudo naturaliter perficitur et non efficitur imperfecta; sed unumquodque perfectius est, quando est coniunctum suo actui: ergo corpora orbicularia actualiter movebuntur et continue.

3. Item, nihil quod inest alicui secundum assimilationem ad Deum, semper debet per remunerationem privari; sed « corpora supercaelestia, ut dicit Commentator [7], moventur, ut assimilentur Deo », et in ipso motu assimilantur: ergo etc.

4. Item, motus orbicularis per naturam est interminabilis [8]; sed Deus per gloriam non destruet naturam: ergo motum corporum supercaelestium non terminabit; et si hoc: ergo semper movebuntur.

CONCLUSIO.

Motus corporum supercaelestium terminabitur, quamvis per naturam non habeat de se terminum intra.

Respondeo: Dicendum, quod, sicut dicit Isidorus, et habetur in littera [9], quod « sol et luna post iudicium non tendent ad occasum, sed stabunt in ordine suo, in quo creati sunt ». Conclusio 1.

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quod in motu est duplicem finem considerare, scilicet *finem intra*, et iste dicitur *terminus* sive consummatio; et *finem extra*, et iste est *terminus intentionis*, ut verbi gratia, cum lapis desursum ad terram descendit, locus terrae est finis, qui est *ter-* In motu duplex finis.

---

[1] Secundum Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 58. seq. (c. 10.).

[2] Frustra, secundum Aristot., II. Phys. text. 62. (c. 6.) est illud quod ordinatum est ad aliquem finem et illum non consequitur. Libr. II. Metaph. text. 8. (I. brevior c. 2.): Nullus inciperet agere quidquam, si non esset perventurus ad finem. Cfr. I. de Generat. et corrupt. text. 55. (c. 7.).

[3] Aristot., VII. Ethic. c. 14: Deus semper una ac simplici gaudet voluptate... magisque in quiete quam in motu voluptas consistit. — Cod. aa addit: *qui immobilis manens dat cuncta moveri* (secundum Boeth., III. de Consol. metro 9; cfr. tom. I. pag. 157, nota 2.).

[4] Vide Deut. 4, 19, et II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1.

[5] Ut dictum est quaest. praeced. — Mox post *ergo* cod. U addit *similiter*.

[6] Cfr. Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 5. seqq. (c. 2.) et II. text. 22. seqq. (c. 4.). — Pro *gratiam* cod. L *gloriam*.

[7] Scilicet Averroes, in II. de Caelo et mundo, text. 64: Omnia entia non intendunt per suas operationes, nisi ut assimilentur perfecto nobili, quod est Deus, secundum quod in natura eorum est acquirere de assimilatione. Cfr. in I. Phys. text. 81. — Substituimus ex codd. E L *privari* pro *praemiari*, quod est in aliis codd. et edd.

[8] Vide Aristot., VIII. Phys. text. 64. seqq. (c. 8.). Libr. I. de Caelo et mundo, text. 100. (c. 9.): Et incessabili utique motu movetur [caelum] rationabiliter; omnia enim, quae moventur, quiescunt, cum venerint in proprium locum; eius autem corporis, quod circulariter movetur, idem est locus, unde incepit et in quem finit.

[9] Hic c. 5. circa finem, sed non verbotenus in Isid.

minus intra; sed quies in loco est finis, qui est *terminus intentionis.* — Dico ergo, quod quidam motus sunt, qui naturaliter habent utrumque finem, ut sunt motus *recti* [1]; quidam vero motus sunt, qui habent alterum *per naturam,* ut puta *finem intentionis,* alterum vero habent solum *ratione ipsius principii moventis,* ut est motus circularis ipsius rotae, quae volvitur ad acuendum cultellum. Quod enim rota quiescat modo, vel post, non est determinatum, quia semper posset moveri, si esset qui posset et vellet movere; sed quando cultellus factus est acutus, cum motus ille ordinaretur ad hoc, necesse fuit quietari, vel frustra fieri.

Quoniam igitur motus corporum supercaelestium ordinatur ad complendum numerum electorum; et Conclusio 2. illum necesse est compleri: ideo et motum terminari, quamvis per naturam non habeat *terminum intra* de se.

1. Ad illud quod obiicitur, quod remuneratur in luce, ergo debet remunerari in motu; dicendum, quod non est simile: quia obsequium *motus* non ita competit corporibus Beatorum, sicut obsequium *luminis* [2]. Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aptitudo naturalis est perficienda; dicendum, quod verum est de aptitudine naturali, quae est ad actum perfectionis; sed quae est ad actum imperfectionis, non. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur de assimilatione, dicendum, quod non assimilatur *simpliciter,* sed *in causando;* et ideo ad tempus assimilatur in hoc.

4. Ad illud quod ultimo obiicitur, quod est naturaliter interminabilis; dicendum, quod hoc est falsum, quia secundum intentionem naturae, quae est regulata secundum institutionem divinam, terminabilis est, licet non sit terminabilis ratione *termini,* qui respicit conditiones mobilis et spatii [3]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum elementa innovabuntur.

Tertio quaeritur, utrum innovabuntur elementa. Et quod sic, videtur.

1. Primae ad Corinthios septimo [4]: *Praeterit* Fundamenta. *figura huius mundi;* aut igitur in *nihil,* aut in *melius,* aut in *peius.* In *nihil* non, quia Deus nihil permittit omnino perire; non in *peius,* quia, si homo melioratur, et mundus: ergo in *melius.* Sed quod senescit et in *melius* mutatur innovatur, ergo mundus iste; sed elementa sunt partes mundi: ergo etc.

2. Item, Augustinus, de Ecclesiasticis Dogmatibus [5]: « Elementa non dicimus abolenda, sed in melius commutanda ».

3. Item, *ratione* videtur: quia aut innovabuntur *omnia,* aut *nulla,* aut *quaedam.* Si *omnia,* habeo propositum; si *nulla*: ergo erunt in continua transmutatione et impuritate, quam contraxerunt; sed hoc est inconveniens, cum sint propter hominem incorruptibilem et omnino mundum [6]. Si *quaedam* sic, et *quaedam* non: ergo solvitur harmonia elementorum: ergo et pulcritudo et decor universi.

4. Item, ignis est completissimum elementorum, unde et *species elementorum* dicitur. Quaero igitur: aut ignis *innovabitur,* aut *non.* Si *non* innovatur, sed consumitur: ergo perit nobilitas et decor elementorum. Si *innovatur:* ergo cum alia elementa magis sint accedentia ad vetustatem, videtur, quod omnia debeant innovari [7].

Sed contra: 1. Matthaei vigesimo quarto [8]: *Caelum et terra transibunt:* si ergo terra est stabilissimum inter elementa, et ipsa non innovatur, sed transit; nec alia innovabuntur. *Si dicas,* quod non transit quantum ad *substantiam,* sed quantum ad *figuram,* sicut dicitur primae ad Corinthios septimo: *Praeterit figura huius mundi;* tunc ergo, cum *figura* respiciat quantitatem et dispositionem partium, non qualitatem; videtur ergo, quod *alterius figurae* erit universum. Cum ergo modo sit circulare, tunc erit non circulare; sed hoc est inconveniens: ergo etc. Ad opposita.

2. Item, super secundae Petri ultimum [9] dicit Glossa: « Elementa quatuor, quibus mundus consistit, ille maximus ignis absumet, nec cuncta in tantum consumet, ut non sint; sed duo ex toto consumet, duo vero in meliorem restituet faciem ».

3. Item, *ratione* videtur: quia, si elementa innovabuntur, aut ergo quantum ad *substantiam,* aut quantum ad *qualitatem.* Non quantum ad *substantiam,* quia substantia erit eadem, « non recipiens magis et minus [10] »; non quantum ad *qualitates,* quia

---

[1] Cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 75. seqq. (c. 9.). — Superius vocibus *in loco* codd. B L interserunt *illo.*

[2] Vide quaest. praeced. in fine corp. et ad 4.

[3] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Vers. 31: Praeterit enim figura etc. — De *primo* disiunctionis membro vide supra pag. 959, nota 6; de *secundo* supra q. 1.

[5] Cap. 37, ubi auctor huius libri Gennadius ait: Elementa, id est caelum et terra, non credimus abolenda per ignem, sed in melius commutanda.

[6] Vide supra pag. 976, nota 8. verba August.

[7] Cfr. supra d. 47. a. 2. q. 1. ad 1. et q. 3. ad 3.

[8] Vers. 35. — Seq. locus est I. Cor. 7, 31: Praeterit enim figura etc; super quem August., XX. de Civ. Dei, c. 14, ait: Figura ergo praeterit, non natura. — De *figura* quatenus respicit quantitatem cfr. supra d. 6. p. I. q. 1. in corp. — In fine arg. post *non circulare* edd. addunt: *sed fiet triangulare vel quadrangulare* etc.

[9] Vers. 10. — Glossa est *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, sumta ex Beda, in hunc loc.

[10] Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia.* — Quod accidentia sint *inalterabilia* insinuatur ab eodem supra pag. 282,

accidentia sunt inalterabilia: ergo nullo modo. *Si dicas*, quod quantum ad *qualitates* erit innovatio, quia qualitates istae transibunt; *contra:* forma substantialis in materia est causa immediata ipsarum qualitatum elementarium: ergo si, «posita causa immediata, necessario ponitur effectus»; sed remanebit forma substantialis in materia: ergo et qualitates.

4. Item, calidum in summo est dispositio ad formam ignis; sed remota dispositione et privata, per consequens privatur forma: ergo etc.

CONCLUSIO.

Elementorum et substantia et qualitates remanebunt; sed qualitates quoad substantiam remanentes innovabuntur quoad rationem corruptionis.

Respondeo: Dicendum, quod ubi est *innovatio*, substantia remanet eadem, sed sub aliis proprietatibus; ideo dicendum, quod omnia elementa secundum *substantiam* remanebunt, sed quantum ad *qualitates* innovabuntur. — Sed circa ipsas *qualitates* duplex est opinio.

Conclusio 1.

Quidam enim dicunt, quod tria sunt genera qualitatum in elementis: quaedam, secundum quas *ordinantur in mundo*, ut gravitas et levitas; et istae remanebunt, quia remanebunt in mundo ordo et situs elementorum. Quaedam sunt qualitates, secundum quas est *receptio influentiae luminis* sine omni corruptione, ut perspicuitas et transparentia; et istae similiter remanebunt, sicut influentia luminis. Quaedam autem sunt, secundum quas *ordinantur ad agendum et patiendum*, et ita per consequens ad transmutationem et corruptionem; et secundum has non remanebunt. Sed inter has quaedam sunt *activae*, ut caliditas et frigiditas; quaedam *passivae*, ut humiditas et siccitas. — Et quae sunt *activae* sunt illae quae excitant et faciunt transmutationem; et istae tollentur ab elementis et non redibunt in nihil, sed cadent in regionem damnatorum, sicut vult Basilius super illud [1]: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Dicit enim, quod «*calor* cedat in partem damnatorum, sed lux in regionem salvandorum»; similiter et in aqua *frigiditas* ad affligendum; siccum vero et humidum non tollentur, sed terminabuntur. Et ideo dicunt, quod Beda [2] dicit, quod «duo totaliter absumentur» propter coniunctionem, quae erat ex duplici qualitate, non quantum ad *integritatem substantiae*, sed quantum ad *totalitatem duplicis qualitatis* ratione activae. — Sed quia Augustinus dicit vigesimo de Civitate Dei [3], quod «omnium elementorum qualitates ardendo penitus interibunt», et siccitas et humiditas sunt qualitates corruptibiles; non videtur maior ratio de caliditate et frigiditate quam de aliis duabus.

De qualitatibus opinio 1. cum distinctione.

Subdistinctio.

Non probatur.

Ideo dicunt alii aliter, quod omnes res, quantum est de se, appetunt *esse* perpetuum et divinum [4]; sed *quaedam* formae sunt, quae appetunt continuare *esse* per multiplicationem sui in altero, ut puta sunt formae *activae* accidentales et substantiales; *quaedam* autem appetunt continuare *esse* suum per continuam adhaerentiam cum materia, ut sunt formae et qualitates *passivae*. Quoniam igitur post iudicium auferetur ab elementis omnis ratio multiplicandi se, et dabitur virtus continuandi se in se, quia erunt incorruptibilia; hinc est, quod elementa, quae habent qualitates *activas*, dicuntur *totaliter absumi*, quia omnino auferetur ab eis ratio agendi et se multiplicandi; alia vero duo dicuntur *in meliorem faciem restituenda* [5], quia appetitus continuandi in se *esse*, qui modo est in eis secundum *esse imperfectum*, complebitur et perficietur. Manebunt ergo qualitates omnium elementorum quantum ad *substantiam*, sed quantum ad *rationem corruptionis* innovabuntur; similiter et formae substantiales [6]. — Et haec opinio est probabilior.

Opinio 2.

Conclusio 2.

1. Et patent obiecta praeter primum, quod dicit, quod figura non transit. Dico enim, quod *figura* dicitur tripliciter: uno modo *dispositio ex clausione linearum;* et haec praeterit quantum ad terram, quia non omnino est orbicularis. Secundo modo dicitur figura *exterior rei facies* sive pulcritudo; et haec transibit, sicut dicitur in Glossa [7], «non substantia, sed pulcritudo». Tertio modo figura dicitur *fictio* vel fragilitas a *fingo, fingis,* ut vasa figuli; et sic etiam pertransibit. — Et sic patet, quod non transibit *substantia*, sed *dispositio partium* quoad terram et *pulcritudo* et *fragilitas* [8].

Ad opposita.

Figura dicitur tripliciter.

---

nota 4. relato et a Boethio in verba ista (cfr. tom. III. pag. 497, nota 8.). — De axiomate *posita causa* etc. vide supra pag. 102, nota 3. Porro ante *remanebit* solae edd. *si* pro *sed.*

[1] Psalm. 28, 7. Vide supra pag. 925, nota 9. — De praenotatis *qualitatibus* elementorum cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 7. seqq. (c. 2.). — Paulo ante pro *redibunt* cod. L *cedent*, quod idem cod. L cum codd. E I K aa etiam substituit pro *cadent.*

[2] In Glossa supra arg. 2. ad oppos. allegata. — Superius post *frigiditas* Vat. supplet *erit*, et pro *terminabuntur* substituit cod. U *transmutabuntur*. Inferius pro *ratione activae* Vat. *ratione activitatis;* cod. L legit: *ad totalitatem ratione activae duplicis qualitatis.*

[3] Cap. 16. Cfr. supra pag. 976, nota 8.

[4] Cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.), et II. de Anima, text. 34. seq. (c. 4.).

[5] In Glossa Bedae supra arg. 2. ad oppos.

[6] Vide supra pag. 976, nota 8. verba August.

[7] Apud Petr. Lombard. et Lyranum est *interlinearis*. In Comment. in hunc loc., quod habetur inter opera Ambrosii dicitur, «non substantiam eius praeterire, sed formam»; et apud Haym.: Transibit figura et species mundi per ignem, remanebit substantia renovata etc. — Inferius post *pertransibit* ex codd. L R S T X Y (E a secunda manu) supplevimus *sic patet, quod non transibit.*

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

QUAESTIO IV.

Utrum innovabuntur plantae et animalia bruta.

Quarto quaeritur, utrum innovabuntur plantae et animalia bruta. Et quod non, videtur:

Fundamenta. 1. Quia quae sunt propter hominis necessitatem, homine de necessitate transeunte, debent et ipsa transire; sed plantae et animalia sunt huiusmodi, quia propter hominis cibum: ergo etc.

2. Item, omnia quae innovabuntur, habent formam perfectivam, ordinatam ad incorruptionem; sed plantae et animalia non habent animas incorruptibiles [1]: ergo etc.

3. Item, si innovantur, aut ergo *omnia*, aut *quaedam*. Si *omnia;* tunc [2] omnes plantae, quae fuerunt ab initio, et omnia animalia occuparent centum tales mundos: ergo oporteret, mundum dilatari. Si *quaedam* innovantur, *quaedam* non, quaero: quae sunt illa quae innovantur? Et non videtur esse maior ratio de uno quam de alio.

4. Item, innovatio est eiusdem secundum substantiam; sed forma substantialis bruti corrumpitur: ergo si iterum generetur, erit novae rei formatio, non innovatio.

Ad oppositum. Contra: 1. Caeli ornatus innovabitur, ut patet in corporibus supercaelestibus [3]: ergo pari ratione ornatus terrae; sed ornatus terrae sunt plantae et animalia: ergo etc. Alioquin, si non innovabuntur, ergo remunerabitur terra sine ornatu, et ita imperfecte: ergo etc.

2. Item, corpora supercaelestia et elementa serviunt homini, et ideo remunerantur; sic plantae et animalia serviunt [4] et magis *serviunt,* quia praestant cibum, et magis *laborant* in serviendo, quia dant suam substantiam et moriuntur: ergo magis sunt renovanda.

3. Item, plantae et animalia sunt ad laudem Dei, ut patet, quia in Psalmo [5] invitantur ad laudandum Deum: ergo si laus Dei post iudicium non debet minui nec decrescere, sed augeri; ergo non debent cessare plantae et animalia.

4. Item, quae sunt de perfectione universi non debent cessare; sed plantae et animalia sunt huiusmodi: ergo etc. *Prima* patet, quia tunc universum erit perfectius. *Secunda* patet, quia nunc superfluerent, si non essent de perfectione; et *praeterea* sunt creata inter opera sex dierum [6], in quibus mundus est constitutus ante hominis lapsum.

5. Item, quae sunt nobiliora magis sunt de perfectione; sed vegetabilia et animalia nobiliora sunt corporibus elementaribus, quia habent vitam [7]: ergo etc.

6. Item, differentiae dividentes genus sunt de perfectione universi; sed differentiae accipiuntur penes baec duo [8]: ergo haec ad universi perfectionem debent innovari.

CONCLUSIO.

Plantae et animalia non innovabuntur.

Respondeo: Dicendum, quod plantae et animalia non innovabuntur, propter hoc quod ultima eorum perfectio est corruptibilis per naturam et ortum et radicem habet a materia; unde non sunt idonea ad vivendum sive durandum aeternaliter. — Formae autem corporum *supercaelestium* sunt incorruptibiles omnino [9]; similiter formae *elementorum* incorruptibiles sunt secundum totum et secundum partem, quantum est in se, quia sunt corpora simplicia; unde quod corrumpantur, hoc est per actionem venientem ab extrinseco; et ideo, remota illa actione, remanent incorruptibiles. (Conclusio. De incorruptibilibus.)

Ex hoc patet, quod plantae et animalia non sunt ad *ornatum terrae,* sed ad *hominis obsequium,* nec ad *Dei laudem* nec ad *universi perfectionem* nisi secundum statum eum, qui est corruptibilis et *variabilis;* et ideo non oportet innovari. Unde terra habebit alium ornatum, nec oportet, quod multiformis sit, immo ipsa uniformitas erit ei in ornatum. (Corollarium.)

1. 2. 3. 4. Et ex hoc patet primum, quia caeli ornatus naturaliter est dispositus ad incorruptionem. — Similiter homini non convenit eorum obsequium post resurrectionem, sicut obsequium solis et lunae; et ideo non remunerantur. — Similiter sunt ad laudandum Deum secundum statum *infirmitatis,* quando (Solutio oppositorum.)

---

[1] Ut ostensum est II. Sent. d. 19. a. 1. q. 2. — Superius pro *perfectivam* (corporis) Vat. *perfectam.*

[2] Codd. E F L O U bb addunt *cum,* cod. G *enim,* codd. I K *ergo,* et mox post *animalia* cod. bb addit *si essent,* Vat. *essent et,* codd. I K *et si hoc.* In fine argg. Vat. addit *ergo nulla,* cod. aa *ergo etc.*

[3] Vide supra q. 1. seq. — Inferius pro *remunerabitur* cod. aa *remanebit.*

[4] Codd. E Z supplent *homini.* Edd. superius voci *corpora* praemittunt *sicut.* In fine arg. pro *renovanda* cod. G *remuneranda.*

[5] Psalm. 148, 9. seq.: Ligna fructifera et omnes cedri. Bestiae etc.

[6] Vide Gen. 1, 11. et 20. seqq. — Superius ex ed. 1 substituimus *quia nunc* pro *quia tunc.* Pro *et praeterea, sunt* cod. K (I a secunda manu) *cum primo sint.*

[7] Cfr. August., XI. de Civ. Dei, c. 16.

[8] Scil. plantas et animalia, quoniam corpus animatum (quod est genus) dividitur in corpus animatum *sensibile* sive sensitivum et *insensibile.*

[9] Secundum doctrinam Aristot.; cfr. II. Sent. d. 14. p. I. a. 1. q. 2.

ipse *in se* non est manifestus; sed cum in se cognoscetur sufficienter, in se laudabitur, nec oportet, ad hoc esse multitudinem creaturarum. — Similiter sunt de perfectione universi, quatenus est habitaculum hominis *viventis animaliter,* sed post *spiritualis effecti*[1] non; et ideo concreata sunt homini, quia homo alimoniis indigebat; et *praeterea,* Deus eum peccaturum esse praesciebat.

5. Ad illud vero quod obiicitur: quod nobilius est magis est de perfectione universi; dicendum, quod habere *esse nobilius*, hoc est dupliciter: vel quia *permanentius*, et quod sic est magis est de integritate universi; vel nobilius, quia *completius*, et hoc non magis est de integritate universi, nisi cum perfectione completionis habeat incorruptionem durationis; hoc enim ipso, quod *corruptibile*, non est de perfectione[2].

Distinctio.

6. Ad illud quod ultimo obiicitur de differentiis, dicendum, quod istud non oportet, quia divisio *generis* in differentias has est secundum *statum.* — Potest nihilominus dici, quod homine innovato, omnes differentiae, quae spectant ad *completionem* eius[3], salvantur, ut *corporeum*, *animatum*, *sensibile*, *rationale;* aliae differentiae, *inanimatum*, *insensibile*, *irrationale*, dicunt perfectionem coniunctam imperfectioni. Unde distinguendum, quod differentiae *quaedam* sunt perfectivae *simpliciter*, *quaedam* perfectivae *cum diminutione.* Et sic solvendum est illud, quia primae sunt de perfectione universi simpliciter, secundae vero solum secundum statum[4].

Alia solutio notanda cum distinctione.

DUBIA CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Dub. I.

In parte ista sunt dubitationes circa litteram, et primo quaeritur de hoc quod dicit: *Quia non in terra, sed in spatio aëris sedebit contra montem Oliveti.* Obiicitur enim tunc contra hoc de iudicandis, quia tota terra promissionis non posset capere omnes homines, qui iudicandi sunt. — *Si dicas,* quod erunt in aëre; *contra:* corpora *damnatorum* erunt ponderosa: ergo non erunt in aëre. — *Si dicas,* quod erunt in aëre *electorum* corpora; cum damnati sint innumerabiliter plures, quomodo poterunt esse in terra?

Respondeo: Dicendum, quod credendum est, in iudicio Dominum descensurum in eum locum, unde ascendit, sicut colligitur ex textu, Actuum primo[5].

Quod quaeritur, utrum descendat ad terram; credendum est, ipsum in loco eminentiori esse futurum, unde ceteri poterunt videre ipsum. — *Si quaeras* de multitudine, dici potest, quod multi erunt in terra, et in parva terra innumerabilia millia hominum esse poterunt, quoniam constringentur; nec intelligendum est, quod ipsi omnes inter illam valliculam includantur, quia hoc est puerile, ut dicit Hieronymus[6], sed quod erunt ibi et in locis circumiacentibus; et si necesse fuerit, electi erunt in aëre per corporum agilitatem, et damnati etiam esse poterunt, divina suspendente virtute[7].

Quaestiones solutae.

Dub. II.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Sol et luna obscurari dicuntur, non sui luminis privatione.* Videtur enim male dicere, quia Rabanus super Matthaeum[8]: « Nihil prohibet, inquit, intelligere, veraciter solem et lunam cum sideribus ceteris suo lumine privari, quomodo factum de sole constat tempore dominicae passionis ». — Item, *ratione* videtur: quia turbulentia est in mundo propter peccatum hominis, et corpora omnia debent ostendere se ad honorem divinum facta, et nihil innovatur, nisi aliquo modo veterascat; unde homo non glorificatur, nisi resurgat. Si ergo in fine peccatum hominis excrescet, et superbia antichristi super caelos ascendet in vituperium Dei, quamvis non possit vituperari, et illa corpora debent renovari: ergo totus mundus debet obscurari, tum propter peccatum hominis, tum propter contumeliam Dei, tum propter renovationem mundi: ergo male dicit in littera[9].

Respondeo: Dicendum, quod hic non est contrarietas; potest enim esse, quod aliqua obscuratio in stellis accidet primo; sed post renovationem ex

---

[1] Respicitur I. Cor. 15, 44. seqq. — Superius pro *multitudinem* cod. L *multiplicitatem.*

[2] Cod. R addit *et integritate.* Pro *ipso quod* edd. *eo ipso, quod est.*

[3] Scilicet universi. — Pro *completionem* edd. cum pluribus codd. *complexionem.*

[4] Edd. *secundum hunc statum.* Voci *solum* codd. I K praemittunt *non nisi.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[5] Vers. 11. — Inferius plures codd. *eminenti* pro *eminentiori*, et verbo *poterunt* praemittunt cum ed. 1 perperam *non.*

[6] Vide hic lit. Magistri, c. 4, ubi allegatur expositio in Ioel 3, 2, quae est Glossa *ordinaria* apud Lyranum. — Superius pro *quoniam* codd. G H (bb a secunda manu) *quando.* Inferius pro *per... agilitatem* codd. A V W *pro* [Vat. *prae...*] *agilitate.*

[7] Cfr. de hoc dubio Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 2; B. Albert., hic a. 6; S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 4; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4; Richard. a Med., hic a. 1. q. 7.

[8] Cap. 24, 29. (In edd. oper. Rabani expositio v. 4-36. desideratur, quia, ut in nota subiecta dicitur, inter excudendum a militibus, omnia vastantibus, deperdita est). Eadem tamen verba iam occurrunt apud Bedam, IV. in Marc. 13, 24.

[9] Scilicet in textu huius dubii.

praesentia corporis Christi et aliorum corporum erit obscuratio solum in *apparentia*, vel etiam in *comparatione;* et ita utrumque potest esse verum secundum diversa tempora, et utrumque satis probabile[1].

Dub. III.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *magnus dicitur propter magna, quae ibi fient.* Quaeritur, quae sint illa *magna*, quae fient tunc, et signa, quae praecedent.

Respondeo: Dicendum, quod ita consuevit referri[2], quod primo die maria omnia exaltabuntur quindecim cubitis super excelsos montes, orbem terrae non affluentia, sed sicut nunc aequora faciunt[3]. — Secundo omnia aequora prosternentur in imum profundi, ita quod vix queant humanis obtutibus aspici. — Tertio omnia maria redigentur in antiquum statum, qualia ab exordio creata fuerunt. — Quarto belluae omnes et omnia quae moventur in aquis, congregabuntur et levabuntur super pelagus, more contentionis invicem mugientes, nescientque homines, quid cogitent, sed tantum Deus[4]. — Quinto omnia volatilia caeli congregabuntur in campis, unumquodque genus in ordine suo; eodem modo volucres invicem plorantes erunt, non gustantes neque bibentes, sed adventum iudicis timentes. — Sexto flumina ignea surgent ab occasu solis contra faciem firmamenti usque ad ortum corruentia[5]. — Septimo errantia sidera et stationaria omnia spargent ex se igneas comas, qualiter in cometis apparet signum orbi cum habitatoribus suis. — Octavo terrae motus erit magnus, ut nullus homo possit stare et nullum animal, sed solo prosternentur omnia. — Nono omnes lapides tam parvi quam magni scindentur in quatuor partes, et unaquaeque pars collidet alteram partem, nescietque homo sonum illius, nisi solus Deus. — Decimo die omnia ligna silvarum et olera herbarum sanguineum fluent rorem. — Undecimo omnes montes et colles et omnia aedificia humana arte constructa in pulverem redigentur. — Duodecimo omnia animalia terrae venient ad campos de silvis et montibus rugientia et mugientia, non gustantia neque bibentia. — Tertiodecimo die omnia sepulcra ab ortu solis usque ad occasum patebunt, cadaveribus surgentibus, usque ad horam sepulcri finalis, id est diem iudicii. — Quartodecimo die omne humanum genus, quod inventum fuerit, de habitaculis[6] descendet velociter, non intelligentes neque loquentes, sed discurrentes. — Quintodecimo die homines morientur, ut resurgant cum mortuis longe ante defunctis. — Haec utrum ita se habeant, Deus novit[7].

Mirabilia 15.

Iudicium de his.

Dub. IV.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *lux solis erit septempliciter, id est sicut lux septem dierum.* Videtur enim male dicere, quia lux solis tunc[8] non excedebat lucem, quam modo habet, tantum, quantum sol excedit lunam; quia, si luna luxisset, sicut nunc sol, certe non fuisset nox: ergo si debet semper proportio servari in corporibus mundi, ergo male exponit, cum dicit: *Erit, sicut fuit in prima conditione.*

Respondeo: Dicendum, quod *sicut* dicit *similitudinem*, non *quantitatem*, pro eo quod amplior lucis quantitas erit post quam ante, quia omnia debent meliorari, homine meliorato[9]; et homo erit melior in caelo post resurrectionem, quam erat in paradiso ante peccatum. Unde per illud quod dicit

---

[1] Codd. L P Q bb supplent *est.* Superius pro *renovationem* cod. aa *resurrectionem.* — De hoc dubio vide Alex. Hal., S. p. III. q. 25. m. 1. a. 1; B. Albert., hic a. 7; S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 2; Petr. a Tar., hic q. 1. a. 4; Richard. a Med., hic a. 1. q. 5.

[2] Petr. Damian., Opusc. 59. de Novissimis et antichristo, c. 4: « Illud tamen, quod de quindecim signis totidem dierum diem iudicii praecedentium B. *Hieronymum* referre didicimus, hic eisdem verbis inserere non superfluum iudicamus... Res ergo, sicut ad nos pervenit, huius stilo se simpliciter inserat, ut antiquis etiam Hebraeorum populis... *ex eorum paginis* [Petr. Comestor, Histor. scholast. in Evang. c. 141, et Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. de Hieronymo referunt, quod ipse dicit, se haec signa legisse in annalibus libris Hebraeorum] innotescat ». In seqq. verba Petri Damiani a nostra lectione divergentia afferemus.

[3] Petr. Damian. *sicut muri aequora stabunt*, et superius pro *orbem terrae* substituit *orbis terrae* (coniungens cum praecedentibus *excelsos montes);* codd. N aa vocibus *orbem terrae* praemittunt *et*, codd. I K *super.* Pro *non affluentia*, pro quo non pauci codd. *effluentia*, edd. *et supereffluentia*, quae etiam immediate post omittunt *sed;* cod. bb legit: *orbis terrae, sed non affluentia erunt, sicut nunc aequora faciunt.* Inferius voci *humanis* Petr. Damian. praefigit *ab.*

[4] Petr. Damian.: *mugientes et rugientes, nescientque homines, quid cantent, vel quid cogitent, sed tantum scit Deus, cui omnia vivunt, officio gerendi.* Mox pro *congregabuntur* Petr. Damian. *concionabuntur;* deinde vero pro *eodem modo volucres invicem* idem substituit *eaedem volucres invicem colloquentes et.*

[5] Cod. H cum Petr. Damian. *currentia*, nonnulli codd. vel *concurrentia* vel *congruentia.* Superius pro *flumina* edd. *fulmina.* Inferius pro *signum orbi cum... suis* Petr. Damian. *orbi et eius.*

[6] Petr. Damian. prosequitur: *et de locis, in quibus erunt, velociter abscedent, non intelligentes neque loquentes, sed discurrent ut amentes,* et subinde voci *homines* praemittit *vivi.*

[7] Eadem signa referunt S. Thom., hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1. et Richard. a Med., hic a. 1. q. 3. Omnes autem cum Petro Damiano notant, hanc enumerationem signorum minime esse certam.

[8] In prima eius conditione. — Inferius pro *lunam* cod. K (I a secunda manu) *lumen lunae,* et post *si* cod. L addit *tunc.*

[9] Cfr. supra pag. 886, nota 8, et hic lit. Magistri, c. 5. — Superius post *sicut* edd. prosequuntur: *non dicit similitudinem, sed qualitatem, pro eo* etc. Subinde pro *qualitas*, quod perperam habent edd. et plerique codd., substituimus ex cod. aa *quantitas.*

septempliciter, intelligitur, quod augmentabitur usque ad perfectam additionem [1].

Dub. V.

Item quaeritur de hoc quod dicit, quod *non erit vicissitudo diei et noctis.* Videtur enim male dicere: quia, si haec luminaria facta sunt propter *diem et noctem*, sicut dicitur primo Genesis [2]: ergo cessante nocte, debet cessare luminare, quod factum est, *ut praeesset nocti.*

Respondeo: Dicendum, quod cum dicitur, quod luna facta est, *ut praeesset nocti*, non assignatur ratio *productionis substantiae*, sed *paucitatis luminis*, ut esset tantum, quod compateretur noctem, secundum substantiam vero factum propter perfectionem universi. Et quoniam non erit tunc nox, sed dies perfecta, dabitur lunae luminositas competens diei, qualis est luminositas solis; et solis luminositas crescet usque ad perfectum diem [3].

Dub. VI.

Item quaeritur de hoc quod dicit: *Significat, his qui tunc erunt in aeterna beatitudine, nullum lucis usum praestare.* Videtur enim male dicere, quia omnia facta sunt propter hominem [4]: ergo si nullam facient homini utilitatem, frustra erunt: ergo si nihil est tunc frustra, non debent remanere.

Respondeo: Dicendum, quod hoc erit ad gloriam electorum. Sicut enim gloria est regi habere plurimas cameras in palatio et pulcram coquinam, quamvis [5] non ingrediatur; sic electis erit gloria et honor, quod non solum aula paradisi et caelum empyreum sit pulcrum, sed etiam, quod caelum sidereum et antiquum habitaculum. Notandum.

Dub. VII.

Item quaeritur de hoc quod dicit Isidorus: *Non veniet ad occasum nec sol nec luna, ne impii in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum.* Videtur enim male dicere: quia impii sunt in medio terrae, vel circa medium; alioquin non sunt in imo [6]; immo quia quaelibet superficies terrae est superior respectu medii: ergo sicut non vident solem, cum est in nostro hemisphaerio, ita non vident, cum revolvitur per illud.

Respondeo: Dicendum, quod non est intelligendum, quod infernus sit sub terra, quasi sit in *alia superficie* terrae nobis opposita, cui nos sumus inferiores, sicut et ipsa nobis; sed intelligendum est, infernum esse *sub terra* [7]; verumtamen possibile est, quod infernus habeat aliquod amplum os, et si sol revolveretur, possibile esset, quod aliquando eis beneficium lucis praeberet; et pro tanto loquitur Isidorus [8].

DISTINCTIO XLIX.

Pars I.

Cap. I.

De differentia mansionum in caelo et in inferno.

« Post resurrectionem vero, facto universo impleque iudicio, suos fines habebunt civitates duae: una Christi, alia diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen Angelorum et hominum. Istis *voluntas*, illis *facultas* non poterit esse peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in aeterna vita feliciter viventibus, illis infeliciter in aeterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine; sed in beatitudine isti, alius alio praestabilius; in miseria vero illi, alius alio tolerabilius permanebunt [1] ». — Ex his apparet, quod sicut boni differenter glorificabuntur, alii magis, alii minus; ita et mali differenter in inferno punientur. Sicut enim *in domo Patris*, id est in regno caelesti, *mansiones multae sunt* [2], id est praemiorum differentiae; ita et in gehenna diversae sunt mansiones, id est suppliciorum differentiae. Omnes tamen aeternam

Augustinus.

---

[1] De *septenario* cfr. supra pag. 853, nota 6, et August., Serm. 95. n. 2, ubi ostendit, hoc numero saepissime perfectionem figurari. — Idem dub. solvitur a B. Albert., hic a. 8; S. Thom., hic q. 2. a. 3. et circa lit.; Richard. a Med., hic a. 2. q. 5.

[2] Vers. 14: Et dividant diem et noctem. — Seq. locus est ibid. v. 16.

[3] Cfr. B. Albert., hic a. 9. et supra a. 2. q. 2.

[4] Vide II. Sent. d. 15. a. 2. q. 1.

[5] Multi codd. *quam.* — Cfr. de hoc dubio B. Albert., hic a. 10; S. Thom., hic circa lit.

[6] De quo vide supra d. 44. p. II. a. 1. q. 2. — Edd. substituunt *ergo* pro *alioquin*, et mox omittunt *immo* et *quaelibet*. Inferius pro *vident*, quod bis occurrit, multi codd. *viderent* et *videtur*. Subinde pro *revolvitur per* edd. *recedit ad*.

[7] Codd. N aa subiungunt: *id est in medio terrae vel circa medium*. In edd. desideratur: *sed intelligendum... sub terra*.

[8] Vide B. Albert., hic a. 11; S. Thom. et Richard. a Med., hic circa lit.

NOTAE AD LIBR. SENTENTIARUM.

[1] August., Enchirid. c. 111. n. 29.

[2] Ioan. 14, 2. — Deinde respicitur Matth. 20, 1, et inferius I. Cor. 15, 41.

poenam patientur, sicut omnes electi eundem habebunt *denarium*, quem *Paterfamilias dedit omnibus qui operati sunt in vinea.* Nomine *denarii* aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet vita aeterna, *Deus ipse*, quo omnes fruentur, sed impariter. Nam sicut erit differens clarificatio corporum, ita differens gloria erit animarum. *Stella enim a stella*, id est electus ab electo, *differt in claritate* mentis et corporis. Alii enim aliis vicinius clariusque Dei speciem contemplabuntur, et ipsa contemplandi differentia diversitas mansionum vocatur. Domus ergo est una, id est, denarius est unus; sed diversitas est ibi mansionum, id est differentia claritatis, quia unum est et summum bonum beatitudo et vita omnium, scilicet Deus ipse. Hoc bono omnes electi perfruentur, sed alii aliis plenius. Perfruentur vero videndo per speciem, non *per speculum in aenigmate* [1]. *Habere* ergo *vitam* est *videre vitam*, id est cognoscere Deum in specie. Unde Veritas ait in Evangelio: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, et quem misisti Iesum Christum, esse unum et solum verum Deum;* hoc est *habere vitam* cognoscere te; non est *ipsa cognitio*, quod tu es, sed per cognitionem *habere bonum*, quod tu es, id est vita.

Quaestio de beatitudine. Solet etiam quaeri de beatitudine, utrum omnes eam velint et sciant, quae sit vera beatitudo. De hoc Augustinus in libro decimo tertio de Trinitate [2] ita disserit: « Mirum est, cum capessendae retinendaeque beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta existat de ipsa beatitudine rursus diversitas voluntatum; non quod eam aliquis *nolit*, sed quod non omnes eam *norint*. Si enim eam omnes noscerent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, ab aliis in voluptate corporis, ab aliis atque aliis alibi atque alibi. Quomodo ergo omnes *amant* quod non omnes *sciunt?* Quis potest amare quod nescit, sicut supra disputavi? Cur ergo beatitudo *amatur* ab omnibus, nec tamen *scitur* ab omnibus? An forte sciunt omnes, *quae* ipsa sit, sed non omnes sciunt, *ubi* sit, et inde contentio est »? « An forte falsum est quod pro vero posuimus, beate vivere omnes homines *velle?* Si enim beate vivere est, verbi gratia, secundum animi virtutem vivere; quomodo beate vivere vult qui hoc non vult? Nonne verius dixerimus: homo iste non vult *beate vivere*, quia non vult *secundum virtutem vivere*, quod solum est *beate vivere?* Non igitur omnes *beate vivere* volunt, immo pauci hoc volunt, si non est *beate vivere*, nisi *secundum virtutem animi vivere*, quod multi nolunt. Itane falsum erit, unde nec ipse Cicero dubitavit? Ait [3] enim: Beati certe omnes esse volumus. Absit, ut hoc falsum esse dicamus. Quid ergo? An dicendum est, etiam si nihil sit aliud *beate vivere*, quam *secundum virtutem animi vivere;* tamen et qui *hoc* non vult *beate vivere* vult? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale enim est, ac si dicamus: qui non vult beate vivere beate vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat? quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas. Si et omnes *beate vivere velle* verum est, et non omnes *volunt sic vivere*, quomodo solum vivitur beate »? « An illud ab his angustiis nos poterit eruere, si dicamus, nihil esse *beate vivere* nisi *vivere secundum delectationem suam;* et ideo falsum non esse, quod omnes beate vivere velint, quia omnes ita volunt, ut quemque delectat? Sed id quidem falsum est. Velle enim quod non deceat est esse miserrimum. Nec tam miserum est *non adipisci* quod velis, quam *adipisci velle* quod non oporteat. Quis ita caecus sit, ut dicat aliquem ideo beatum, quia vivit, ut vult, cum profecto, etsi miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quae perperam voluisset, habere potuisset. Mala enim voluntate vel sola *miser* quisque efficitur, sed *miserior*, cum desiderium malae voluntatis impletur. Quapropter, quoniam verum est, quod omnes homines esse beati velint idque ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera, quaecumque appetant; nec quisquam potest amare, quod omnino, *quid* vel *quale* sit, nescit, nec potest nescire, quid sit quod se velle scit: sequitur, ut omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuo sint beati. Continuo autem miseri sunt qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt. Beatus igitur non est, nisi qui et habet omnia quae vult, et nihil vult mali ». « Ille quippe beate vivit, qui vivit, ut vult, nec male aliquid vult ». « Cum igitur ex his duobus constet beata vita, licet in malis sit aliquis bonus, non tamen, nisi finitis omnibus malis, est beatus ». « Cum vero ex hac vita qui in his miseriis fidelis et bonus est, venerit ad beatam; tunc erit vere quod nunc nullo modo esse potest, ut sic homo vivat, quomodo vult. Non enim ibi volet male vivere, aut volet aliquid, quod deerit, aut deerit aliquid, quod voluerit. Quidquid amabitur aderit, nec desiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, et summus Deus summum bonum erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit ». « Beatos autem esse se *velle* omnium hominum est. Beatos esse se *velle* omnes in corde suo vident, nec tamen omnium est fides, qua ad beatitudinem pervenitur ».

Augustinus. Cicero. Augustinus.

Cap. II.

Si quid ibi cognoscitur ab aliquo, quod non intelligant omnes.

Solet etiam quaeri, utrum aliquid de Deo *cognoscat* aliquis magis meritus, ut Petrus, quod non cognoscat aliquis minus meritus, ut Linus. — Pluribus videtur, quod omnia de Deo ad beatitudinem spectantia omnes communiter electi cognoscant, sed differenter. Nihil enim in Deo noscibile maius digniusque videtur, quam eum intelligere trinum et unum; hoc autem omnes tunc per speciem cognoscent. Unde sequitur, ut non sit aliquid beatitudini pertinens incognitum alicui Beatorum. Omnes igitur cuncta illa videbunt, quorum cognitio beatitudini servit, sed in modo videndi different. Alius enim alio magis, alius alio minus fulgebit [4].

[1] Cfr. I. Cor. 13, 12, deinde Ioan. 17, 3. — Ante *cognoscere te* plurimae edd. addunt *id est*, ed. 1 *et*, codd. B E *est;* deinde ante *ipsa cognitio* edd. 1, 6 et codd. D E addunt *enim;* denique plurimae edd. ponunt *quae* pro *quod.*

[2] Cap. 4. n. 7; et ibid. sunt quae sequuntur, scil. secundus locus parum inferius; tertius c. 5. n. 8; quartus c. 8. n. 11; quintus c. 6. n. 9; sextus c. 7. n. 10; septimus c. 20. n. 25.

[3] In Hortensio, ut ait August.

[4] Cfr. I. Cor. 15, 41.

Cap. III.

De paritate gaudii.

Solet etiam quaeri, an in *gaudio* dispares sint, sicut in claritate cognitionis differunt. — De hoc Augu- Augustinus. stinus [1] ait: « Multae *mansiones in una domo* erunt, scilicet variae praemiorum dignitates; sed ubi Deus *erit omnia in omnibus*, erit etiam in dispari claritate par gaudium, ut quod habebunt singuli commune sit omnibus; quia etiam gloria capitis omnium erit per vinculum caritatis ». — Ex his datur intelligi, quod par Difficultas. gaudium omnes habebunt, etsi disparem cognitionis claritatem, quia per caritatem, quae in singulis erit perfecta, « tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum gaudebit si in se ipso haberet [2] ». Sed si par erit cunctorum gaudium, videtur, quod par sit omnium beatitudo; quod constat omnino non esse. — Ad quod Solvitur. dici potest, quod beatitudo par esset, si ita esset par gaudium, ut etiam par esset cognitio; sed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudii paritatem beatitudinis. — Potest etiam sic accipi *par gaudium*, ut non Aliter. referatur paritas ad *intensionem affectionis* gaudentium, sed ad *universitatem rerum*, de quibus gaudebitur; quia de omni re, unde gaudebit unus, gaudebunt omnes.

Pars II.

Cap. IV.

Si maior sit beatitudo Sanctorum post iudicium.

Post haec quaeri solet, si beatitudo Sanctorum maior sit futura post iudicium quam interim. — Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros maiorem gloriam post iudicium quam ante, quia et maius erit eorum gaudium, ut supra [3] testatus est Augustinus, et amplior erit eorum cognitio. Unde Hierony- Hieronymus. mus: « Peracto iudicio ampliorem gloriam suae claritatis Augustinus. Deus demonstrabit electis ». « Si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si eis potest sine corporibus summa beatitudo praeberi; difficilis quaestio est nec potest a nobis perfecte definiri. Sed tamen dubium non est, et raptam a carnis sensibus hominis mentem et post mortem, ipsa carne deposita, non sic videre posse incommutabilem substantiam, id est Deum, sicut sancti Angeli vident, sive alia latentiori causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum caelum, donec ille appetitus conquiescat. Porro si tale sit corpus, cuius sit difficilis et gravis administratio, sicut haec caro, quae corrumpitur; multo magis avertitur mens ab illa visione summi caeli. Proinde, cum hoc corpus iam non *animale*, sed *spirituale* receperit, Angelis aequata habebit perfectum naturae suae modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriae quod fuit sarcinae ».

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLIX.

Pars I.

De statu et conditione bonorum post iudicium.

Post resurrectionem vero, facto universo completoque iudicio etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de iudicio. In hac parte agit de statu post iudicium. Et quoniam duplex est status secundum duplicem civitatem, unam scilicet Ierusalem et alteram Babylonis; ideo pars ista duas habet. In prima determinat statum et conditionem bonorum. In secunda, statum et conditionem damnatorum, infra distinctione quinquagesima: *Hic oritur quaestio ex praemissis* etc.

Prima pars habet duas. In prima parte determinat beatitudinem et gloriam a parte spiritus. In secunda vero, ex parte corporis, ibi: *Post haec quaeri solet, si beatitudo* etc.

Prima pars habet tres partes. In prima determinat, quid sit beatitudo, et quid sit esse beatum. In secunda vero determinat de beatitudinis appetitu, ibi: *Solet quaeri de beatitudine.* In tertia vero determinat modum participandi, utrum aequaliter participetur a diversis, ibi: *Solet etiam quaeri, utrum aliquid de Deo cognoscat* etc.

---

[1] Potius Prosper, Sentent. n. 362, ubi respiciuntur Ioan. 14, 2, et I. Cor. 15, 28. In edd. August., non Prosperi, *per* pro *par*.

[2] Libr. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 57.

[3] Dist. XLV. c. 1, ubi etiam August. locus invenitur. Seq. locus Hieron. est II. Comment. in Osee 6, 1, ubi illa sententia indicatur, quae verbotenus est ibi in Glossa apud Lyranum. Ultimus locus est August., XII. de Gen. ad lit. c. 35. n. 68, nonnullis omissis, ubi respicitur I. Cor. 15, 44.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de beatitudine. Et de hoc sex quaeruntur.

Primo quaeritur, quid sit beatitudo.

Secundo, qualiter sit appetibilis.

Tertio, in quo sit.

Quarto, secundum quid insit.

Quinto, de eius actu sive operatione.

Sexto, de differenti participatione.

ARTICULUS UNICUS.

De beatitudine.

QUAESTIO I.

Quid sit beatitudo.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod beatitudo *sit bonum creatum:*

Fundamenta. 1. Quia beatitudo est perfectio Beati [1]; sed omnis perfectio creaturae est creata, quia Deus nullius est forma perfectiva: ergo beatitudo est bonum creatum.

2. Item, omne creatum, quod non est *transcendens*, ut ens et unum, est alicuius generis determinati; sed beatitudo est bonum *creatum*, ut probatum est [2], et non est *transcendens*, eo quod in paucissimis reperitur: ergo etc.

3. Item, quod est *generis determinati* et est in aliquo, ita quod sine eo res potest esse, est in genere *accidentis* [3]; sed beatitudo est huiusmodi: ergo est in genere *accidentis*.

4. Item, omne bonum generis determinati, secundum quod homo denominatur *qualis*, et quod est perfectio ipsius animae, est in *prima specie qualitatis*, quae est *habitus* et *dispositio*; sed beatitudo est bonum creatum et generis determinati, ut probatum est [4], et perficit naturam; hoc constat: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Quod *non sit bonum creatum*, videtur: quia beatitudo satiat nostrum appetitum; sed nihil satiat animae humanae appetitum nisi sola Trinitas, quia, cum sit nata capere Deum [5], nihil minus Deo ipsam implet: ergo etc.

2. Item, beatitudo est finis ultimus, ultra quem non est finis alius [6]; sed finis universalis est solum bonum increatum, sicut principium primum: ergo etc.

3. Item, quod *non sit generis determinati*, videtur: quia, ut dicit Boethius [7], « beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus »: ergo complectitur omne bonum; sed omne bonum in pluribus generibus determinatur, non in uno: ergo etc.

4. Item, quod non sit *in genere accidentis*, videtur: quia beatitudo est nobilissima omnium perfectionum; sed accidentalis forma minus habet de nobilitate quam substantialis: ergo impossibile est, quod beatitudo sit in genere accidentis [8].

5. Item, quod non sit *in qualitate*, videtur: quia Philosophus [9] definit felicitatem dicens, quod est « actus secundum virtutem perfectus »; et quod ita sit, patet: quia habitus perficitur per actum: si ergo beatitudo est ultima perfectio, est actus; sed actus est in genere *actionis:* ergo etc.

CONCLUSIO.

Beatitudo sumta pro obiecto beatificante est bonum increatum, sumta vero pro forma animam informante est bonum creatum.

Respondeo: Dicendum, quod beatitudo est finis satians nostrum appetitum. Satians autem nostrum appetitum est dupliciter: vel sicut *obiectum*, vel sicut *informans*. Satians nostrum appetitum sicut *obiectum* solus Deus est, ad quem capiendum humana Distinctio.

---

[1] Secundum Aristot., I. Ethic. c. 7. et X. c. 7, beatitudo est *operatio et actio* hominis secundum rationem sive potentiam perfectam et optimam virtutem in vita perfecta.

[2] Arg. praeced. — Aristot. X. Ethic. c. 8. probat, quod beatitudo tantum Deo et hominibus convenit; « at ceterorum animalium nullum est felix ». Cfr. ibid. I. c. 9.

[3] Vide Aristot., I. Topic. c. 4, et Porphyr., de Praedicab. c. *de Accidente*.

[4] In praeced. argg. — De *prima* specie qualitatis cfr. supra pag. 136, nota 3. — Mox pro *naturam* Vat. cum cod. E a secunda manu *animam*.

[5] August., XIV, de Trin. c. 8. n. 11: Eo quippe ipso imago eius [Dei] est, quo eius capax est eiusque particeps esse potest. — Voci *nata* cod. G praefigit *anima*. In fine arg. post *implet* cod. aa addit *Augustinus et Beda*, qui etiam a Bonav., infra in solut. ad 1, et II. Sent. d. 8. p. II. q. 2. fundam. 2, pro eadem sententia allegati sunt (cfr. ibid. nota addita).

[6] Cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2. — Subinde pro *universalis* codd. E K M S aa (I P a secunda manu) *ultimus*, cod. G *ultimus et universalis*.

[7] Libr. III. de Consol. prosa 2.

[8] Cfr. de hoc arg. tom. III. pag. 297, nota 1.

[9] Vide supra nota 1. — Inferius pro *ultima perfectio* plures codd. *ultimata perfectio*.

anima ordinatur[1]. Satians autem sicut *informans* est ipsa influentia Dei in animam, quae est ipsa deiformitas et satietas.

Conclusio. Secundum hoc nomen *beatitudinis* commune est secundum prius et posterius ad beatitudinem *increatam*, quae est finis satians ut *obiectum*, et ad *creatam*, quae est satians ut *informans;* et per prius dicitur de beatitudine *increata*, per posterius de *creata*, quia non satiat influentia obiecti nisi propter obiectum.

Solutio oppositorum. 1. 2. Et ex hoc patet primum, quia Beda[2] et Augustinus loquuntur de *obiecto satiante;* similiter de fine, qui *terminat intentionem*, et non de fine, qui *informat*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod non est generis determinati; dico, quod immo. Quod obiicit, quod est status continens omnia bona; dico, quod complecti omnia bona, hoc potest esse dupliciter: vel secundum *veritatem*, vel secundum *aequivalentiam*. (Distinctio notanda.) Secundum *veritatem* non oportet, quod omnis generis bonum contineat; continet tamen secundum *aequivalentiam*, quia continet tantum bonum, quod sufficit et aequivalet, immo praeponderat omni bono; et tale non potest esse generis determinati[3].

4. Ad illud quod obiicitur, quod nobilior est perfectio substantialis; dicendum, quod istud est verum quantum ad *primum esse*, non tamen quan- (Notandum.) tum ad *esse secundum* sive *bene esse*, immo accidentalis forma est perfectio ipsius compositi quantum ad *bene esse*, sicut patet de colore et odore in rosa[4]. — Aliter potest dici, quod *accidens* est duplex. (Alia solutio cum distinctione.) Quoddam namque est, quod causatur ex *principiis subiecti*, et tale ignobilius est substantiali forma, pro eo quod ab ipsa habet originem; quoddam, quod causatur a *superiori*, et tale potest esse nobilius, pro eo quod dirigit et coniungit. Et quia beatitudo iungit animam summo Deo, ubi est terminatio omnis appetitus; et ortum habet a Deo, non ab anima: ideo patet illud.

5. Ad illud quod quaeritur, cuius generis sit; dicendum, quod *beatitudo creata* non dicit *actum pure*, quia constat, quod actus gloriosus ab aliquo habitu[5] procedit; (Beatitudo est habitus in actu continuo.) nec dicit *habitum pure*, quia dicit perfectionem summam, quae est in actu continuo: ideo necesse est, quod dicat *habitum ut actum* sive in actu, sicut si diceret scientiam, quae semper est in considerando. Quia vero principalius dicit *habitum* et deiformitatem; ideo, etsi dicat rem duplicis generis, tamen principalius generis *qualitatis*. (Notandum.) Et est exemplum, quia *figura* dicit dispositionem qualitatis in quantitate, principalius tamen dispositionem; unde dicit qualitatem in quantitate et est in genere qualitatis[6]. Similiter intelligendum est in proposito.

SCHOLION.

I. Doctrina de beatitudine magni momenti est et late patet in quaestionibus theologicis. De ea plura habent S. Thom., hic q. 1-3; S. I. II. q. 2-5. et q. 9-12; Scot., I. Sent. d. 1. q. 1-5. (de beatitudine *obiectiva*) et hic q. 1-12 (de beatitudine *formali*).

Quoad 1. quaestionem communis est distinctio beatitudinis in *obiectivam*, quae est ipsum bonum appetitum rationalem adaequate satians, et in *formalem*, quae est subiecti beati coniunctio immediata cum obiecto beatificante, vel potius (secundum communem sententiam) illa *operatio* animae, qua illud obiectum attingitur, habetur et fruitur. — De *formali* beatitudine agitur etiam infra q. 4; de qua exortae sunt plures opiniones. *Prima*, quae est falsa et attribuitur quibusdam antiquis, praesertim Ioan. a Ripa, posuit, eam esse *increatam* ipsius Dei visionem, intellectui creato unitam; quam bene refutat S. Bonav., III. Sent. d. 14. a. 1. q. 1. — *Secunda* fuit Henrici Gand. (Quodl. 13. q. 12.), qui primo dicit, veram beatitudinem humanam et angelicam consistere non solum in actu voluntatis et intellectus, in quibus non est nisi beatitudo creata ratione ipsorum actuum; deinde prosequitur: « Principalius consistit in ipso obiecto, quod est ipsa beatitudo increata... in qua per actum beatitudinis voluntatis creatae ipsa anima humana mediante voluntate se transformat, ut convertatur in illud, prout possibile est secundum naturam » etc. Denique concludit, quod beatitudo « principalius perficit *essentiam* animae [per quandam « circuminsessionem sive illapsum »] quam potentias, quia in illa principalius habetur Deus, qui est finis et beatitudo, quam in potentiis, quia illam perficit quodam modo per suam essentiam ». Contra hanc opinionem diffuse disputat Scot. (hic q. 2. n. 25. seqq.). — *Tertia* opinio est Scoti (hic q. 2.), S. Thomae (hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 2; S. I. II. q. 3. a. 2; S. c. Gent. III. c. 25. seqq.) et fere communis, quae ponit beatitudinem formaliter in *actu secundo* sive in *operatione*. — *Quarta* est S. Bonav., quae eandem ponit in « influentia Dei in animam, quae est ipsa deiformitas et satietas » (hic in corp.); porro hoc explicat (ad 5.), ut sit etiam *actus*, sed simul *habitus* in actu continuo, et quidem principalius *habitus;* deinde (q. 4.) docet, quod prius sit in *potentiis* quam in *essentia* (contra Henricum Gand.). De hac sententia dicit Richard. a Med. (hic a. 1. q. 4.), quod vera continet, si *beatitudinis* nomen *largiore* sensu sumatur, dum *proprie* beatitudo sit *actus* nobilissimus. Ipse S. Bonav. hoc insinuat alibi (I. Sent. d. 1. a. 2. q. unica ad 2.), ubi loquitur de fruitione per actum amoris. Sumitur igitur hic *beatitudo*, quatenus importat *dotes* animae. Nam, ut idem Richard. (hic a. 3. q. 7.) dicit, visio et fruitio proprie non sunt *dotes*, « sed *actus dotium;* dotes enim *qualitates* sunt. Unde *dos visionis* est quidam *habitus luminosus* in intellectu, quo elevatur ad

---

[1] Psalm. 102, 5: Qui replet [alias: satiat] in bonis desiderium tuum. Cfr. August., in hunc loc.; Boeth., III. de Consol. prosa 2. et 10.

[2] Edd. *Boethius*. Inferius ex codd. G L Y (I a secunda manu) supplevimus *non*.

[3] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 4. ad 4. — Pro *non potest* Vat. cum cod. E a secunda manu *bene potest*.

[4] Vide II. Sent. d. 26. q. 3. ad 1. Ibid. in corp. explicatur seq. solut. — Aliquanto inferius pro *et coniungit*, quod praebent codd. M O bb, cod. U *et quia iungit*, alii codd. *et cui* [codd. I K *ei cui*, edd. *ad eum, cui*] *iungit*. Subinde pro *summo Deo* codd. I K *summo bono*.

[5] Vat. perperam *actu*.

[6] Cfr. supra pag. 136, nota 3.

clare Deum videndum... Unde proprie loquendo, in dotibus animae non consistit beatitudinis *essentia*, sed in *actibus* eorum, ad quos ordinantur, sicut habitus ad actum ». — Ideo autem auctor noster hic urget *influentiam divinam*, ut ostendat, quod *ipsa operatio* illa beatificans est a Deo ut causa principali simul et obiecto. Quod autem habitus et actus beatificus principalius sit a Deo, ita ut Beati in illo actu magis *pati* quam *agere* dici possint; iam inde manifestum est, quod theologia mystica communiter de sublimioribus orationis supernaturalis gradibus viatorum docet, animas in tali statu magis *agi* sive pati quam *agere*, licet actus vitales eliciant. Eo fortius hoc valet de Beatis in *patria* (cfr. III. Sent. d. 31. a. 3. q. 1. ad 4.).

De 1. quaestione praeter laudatos: B. Albert., hic a. 6. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. 3. — Durand., hic q. 1. — Dionys. Carth., de hac et 2 seqq. qq. hic q. 1.

II. Quaestionis 2. conclusio, quam S. August. (vide hic lit. Magistri, c. 1. ante med.) mirifice probat, praeeuntibus Aristotele et Cicerone, est communiter recepta, sicut etiam distinctio triplicis appetitus, scil. *naturalis, sensibilis, rationalis* (cfr. II. Sent. d. 38. a. 2. q. 1.). *Naturalis* appetitus est quaedam inclinatio seu pondus, quo unaquaeque res tendit ad bonum sibi conveniens sive in proprium finem (ibid. a. 1. q. 1.) sive commodum (hic ad 4.). — Ipse appetitus *rationalis* (voluntas) communiter dividitur in *naturalem* et *deliberativum* (liberum), de quo vide II. Sent. d. 22. dub. 3; d. 24. p. I. a. 2. q. 3. Hic appetitus naturalis dirigitur quadam *cognitione naturali* (hic ad 1. 2. 3; II. Sent. d. 28. dub. 4; d. 38. dub. 1.); in quo consentit S. Thom. (S. I. II. q. 10. a. 1; I. q. 2. a. 1. ad 1, ubi ait: « Quod naturaliter desideratur ab homine naturaliter cognoscitur ab eodem »). — Voluntas *naturalis* semper fertur in bonum; immo etiam quidquid *libere* vult homo, non vult nisi sub ratione boni, vel simpliciter (finis ultimi), vel boni sibi (II. Sent. d. 34. a. 1. q. 3; d. 25. p. II. q. 3; d. 38. a. 1. q. 1. in corp. et ad 2; d. 39. a. 2. per totum); quod confirmat S. Thom. (S. I. II. q. 1. a. 6; hic q. 1. a. 3. quaestiunc. 4.). — Voluntas naturalis, licet habeat actus elicitos, tamen non est *semper* in *actu*, sed interdum tantum in habitu (II. Sent. d. 39. dub. 2, et S. Thom., S. I. II. q. 10. a. 1. ad 2. — Notandum est, quod S. Bonav. in fine 1. solutionis triplici modo explicat cognitionem naturalem.

III. Observamus etiam, quod in quaestionibus specialioribus de beatitudine variae sunt magistrorum opiniones. Breviter haec tantum notamus.

1. Quoad ipsum beatitudinis *appetitum naturalem* docet Scotus (hic q. 10. n. 11.), appetitum hunc non addere aliquam perfectionem super naturam absolutam, sed importare solam inclinationem ipsius naturae ad suam perfectionem; ideo voluntatem, quatenus sit natura, *nullum habere actum elicitum*; per consequens nec *cognitionem* aliquam requiri ad appetitum *naturalem*, sed tantum ad *actum, elicitum*. Aliter docent Ss. Bonav. et Thom. (locis citt.).

2. Idem non approbat doctrinam Ss. Thomae, Bonav. et multorum, quod voluntas naturaliter determinetur ad beatitudinem tantum in *generali*, non vero in *particulari*; sed putat, quod voluntas appetitu *naturali* appetat beatitudinem etiam in particulari; sed appetitu *elicito* velit « ut in pluribus beatitudinem in universali vel particulari maiori inclinatione naturali quam ulla habituali »; denique, quod sub neutra determinatione ipsa velit eam necessario, sed contingenter (ibid. n. 3-6.).

3. Attamen cum S. Thoma (S. I. II. q. 10. a. 2.) aliisque communiter Scot. admittit quoad actum *deliberativum* distinctionem inter motum voluntatis quoad *exercitium* et quoad *specificationem* actus, et quod *beatitudo* non est *obiectum nolendi*, nec miseria est *obiectum volendi*, unde voluntas non est libera secundum *specificationem* [quoad haec obiecta], tamen potest actum suspendere, quia libera est quoad *exercitium*. Aliud enim est, ut dicit, non posse *velle* miseriam aut *nolle* beatitudinem, aliud est non posse *non nolle* aut *non velle*. — Nominales autem admittunt *libertatem* in appetendo beatitudinem etiam quoad *specificationem*, econtra Henr. Gand. (Quodl. 4. q. 11.) hoc vult esse *necessarium* etiam quoad *exercitium*.

4. Denique quoad verba in fine corporis, quod anima *veram* beatitudinem appetat *naturaliter*, controvertitur inter scholam S. Thomae et Scoti. Illa tenet, claram visionem Dei, utpote finem *supernaturalem*, non posse appeti *naturaliter*, cum ad hoc anima non habeat *inclinationem*, ne inchoatam quidem. Altera autem distinguit inter *exigentiam* et *capacitatem* passivam naturae et docet, beatitudinem in Deo quoad *exigentiam* et exsecutionem esse finem supernaturalem, quoad *inclinationem* vero finem naturalem. — Trigosus aliique volunt, S. Bonaventuram stare pro prima opinione; sed Barth. de Barberiis (Cursus theolog. t. I. disp. 4. q. 2.) rectius tenet, eum consentire Scoto, hoc excepto, quod ipse velit, hanc inclinationem habere aliquem *actum imperfectum*, tendentem ad beatitudinem in *generali*, quod negat Scotus, ut diximus. Loci principales auctoris nostri de hac re sunt II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. in corp. et ad 4, d. 28. a. 2. q. 1. ad 3, d. 22. dub. 3; I. Sent. d. 3. p. I. q. 1. fundam. 5, d. 8. p. I. a. 2. q. 2. ad 7. 8, d. 42. q. 4.

De 2. quaestione praeter locos citt.: S. Thom., hic q. 1. a. 3; S. I. II. q. 5. a. 8. — B. Albert., hic a. 7. — Petr. a Tar., hic q. 1. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 1. 2. — Durand., hic q. 8.

IV. De 3. quaestione cfr. infra p. II. a. 1. q. 1. 2. Alii commentatores Lombardi plerumque hanc quaestionem ita praecise positam non tractant, sed in quaestionibus de dotibus corporis eadem principia adhibere solent. S. Thom. eandem solutionem habet hic q. 2. a. 2. ad 6; d. 44. q. 2. a. 4. quaestiunc. 1. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1.

QUAESTIO II.

Qualiter beatitudo sit appetibilis.

Secundo quaeritur, qualiter beatitudo sit appetibilis; et quaeritur, utrum omnes appetant beatitudinem *veram*. Et quod sic, videtur.

1. Boethius [1]: « Inserta est mentibus hominum Fundamenta. veri boni cupiditas »; sed verum bonum est quod nos beatos vere efficit: ergo omnes appetunt beatitudinem veram.

2. Item, Philosophus [2] dicit, quod « omnia bonum exoptant »; aut ergo exoptant bonum *quodcumque*, aut bonum, quod *sufficit*. Non *quodcumque*,

[1] Libr. III. de Consol. prosa 2: Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta cupiditas.

[2] Libr. I. Ethic. c. 1. — Inferius permulti codd. omittunt *Non quodcumque*.

quia, si quodcumque, tunc processus est in infinitum: constat ergo, quod bonum, quod *sufficit*. Sed nullum bonum est sufficiens implere animam humanam nisi beatitudo vera: ergo omnes homines appetunt beatitudinem veram.

3. Item, quod homo appetat beatitudinem, aut hoc est *naturale*, aut *deliberationis*. Si *deliberationis*: ergo potest appetere contrarium, scilicet miseriam, cuius contrarium dicit Augustinus in tertio de Libero Arbitrio [1]: ergo appetit appetitu *naturali*. Sed *naturalis* appetitus est communis omnibus et perpetuus: ergo si talis est appetitus beatitudinis, patet etc.

4. Item, unumquodque perfectibile naturaliter appetit suam perfectionem; sed anima humana nata est perfici beatitudine vera [2]: ergo omnis anima appetit beatitudinem veram.

Ad oppositum.

Contra: 1. « Invisa possumus diligere, incognita nequaquam », ut dicit Augustinus [3]; sed multi sunt qui ignorant, quid sit et ubi sit beatitudo vera; quod patet, quia ponunt beatitudinem in divitiis et honoribus: ergo et beatitudinem veram non appetunt.

2. Item, « peccatum est, spreto Bono incommutabili, rebus commutabilibus adhaerere [4] »; sed beatitudo est Bonum incommutabile: ergo omnis peccator beatitudinem veram spernit, ergo nullus appetit. — *Si dicas*, quod *spernit* appetitu *deliberativo*, sed *appetit naturali*; hoc nihil est: quia « quod naturale est non assuescit in contrarium »: ergo nunquam per assuefactionem spernere poterit.

3. Item, beatitudo aut appetitur *propter se*, aut *propter aliud*. Si *propter aliud*: ergo non appetitur ut *beatitudo*, quia illud facit beatum, in quo finis constituitur: appetitur ergo ab omni, a quo appetitur, *propter se* [5]. Sed multi sunt qui fruuntur utendis et utuntur fruendis: ergo multi sunt qui veram beatitudinem non appetunt propter se: ergo nec appetunt.

4. Item, si appetitur, aut in ratione *commodi*, aut in ratione *honesti*. Si in ratione *commodi*; cum appetitus commodi sit in animalibus brutis: ergo et beatitudinis [6]. Si in ratione *honesti*; cum amor honesti non sit in malis: ergo non appetitur ab ipsis malis.

CONCLUSIO.

Omnes homines beatitudinem veram appetunt naturaliter.

Notandum.

Respondeo: Dicendum, quod duo sunt, quae faciunt appetitum, scilicet *convenientia* et *indigentia*. Quoniam igitur anima rationalis creata est ad *Dei imaginem et similitudinem* [7] et facta est capax boni sufficientissimi; et ipsa sibi non sufficit, cum sit vana et deficiens: ideo dico, quod veram beatitudinem appetit naturaliter. Conclusio.

Solutio oppositorum. Solutio 1.

1. 2. 3. Ad illud ergo quod obiicitur in contrarium, quod multi ignorant veram beatitudinem; respondent aliqui, quod ante appetitum *deliberativum* oportet cognitionem praecedere, sed non appetitum *naturalem*. — Sed hoc nihil est: quia, sicut in nobis est duplex amor, *naturalis* et *deliberativus* [8]; sic similiter et duplex *cognitio*: ergo sicut *deliberativa* cognitio deliberativum amorem praecedit, sic *naturalis* naturalem. Improbatur.

Solutio auctoris. Duplex instinctus, appetitus et cognitio.

Et propterea dicendum, quod sicut duplex est *instinctus* ad bonum, scilicet in *generali* et in *speciali*; sic et duplex *appetitus*. Et *dictamen boni* in *generali* venit a cognitione *naturali*, et quantum ad hoc non est error; sed dictamen in *speciali* illius vel illius non est omnino ab habitu naturali, sed *per assumtionem* factam a ratione deliberante, et circa hoc est error. — Similiter et de *appetitu* intelligendum [9]. Omnes ergo habent *appetitum* beatitudinis verae in *generali* et habent *cognitionem* in *generali*. Omnes enim credunt, quod beatitudo sit bonum, quod sufficit, et omnes istud appetunt. In *speciali* vero, quando *assumit*: hoc sufficit, scilicet honor, vel pecunia, errat cognitio, et declinat affectio. Et est simile de eo qui vult emere aurum et credit, hoc frustum aurichalci esse aurum, et frustum auri credit esse aurichalcum. *Si quaeras* ab eo in generali, quid velit emere; respondet: aurum. *Si quaeras*, quod frustum vult emere; respondebit, quod hoc, demonstrato aurichalco. — Similiter, si ab avaro quaeras, utrum appetat beatitudinem veram et velit habere; respondebit, quod sic. *Si quaeras*, quid velit, utrum paradisum, vel Notandum.

---

[1] Cap. 6. n. 18. seqq.; cfr. ibid. I. c. 14. n. 30, et Enarrat. 3. in Ps. 32. n. 15.

[2] Cfr. supra pag. 1000, nota 5.

[3] Libr. X. de Trin. c. 2. n. 4. Cfr. ibid. VIII. c. 4. n. 6.

[4] Secundum August., II. de Lib. Arb. c. 19. n. 53. Vide tom. II. pag. 839, nota 4. in fine. — Axioma: Naturale non assuescit in contrarium, est ex Aristot., II. Ethic. c. 1. — In fine arg. post *poterit* cod. Y addit: *si naturaliter appetit.*

[5] August., VIII. de Civ. Dei, c. 3: Finis autem boni appellatur, quo quisque, cum pervenerit, beatus est. Ibid. XIX. c. 1. n. 1: Illud enim est finis boni nostri, propter quod appetenda sunt cetera, ipsum autem propter se ipsum (cfr. Aristot., I. Ethic. c. 2.). Cfr. Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 13. — — In lib. 83 Qq. q. 30. August. ait: Omnis itaque humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle atque utendis frui. Cfr. X. de Trin. c. 10. n. 13.

[6] Vide supra pag. 1000, nota 2. — De divisione appetitionis ratione *commodi* et *honesti* cfr. supra pag. 717, nota 1; Anselm., libr. de Voluntate, et lib. de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 3. c. 11. seqq.

[7] Gen. 1, 26. seq. — De hac respons. cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 2.

[8] Vide II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3.

[9] Cfr. Aristot., de Motu animal. c. 3. in fine et c. 4. (c. 6. et 7.), ubi progressum ad operationem comparat syllogizationi, in qua habetur *maior* (principium), *minor* (assumtio) et *conclusio*. — Pro *a ratione deliberante* cod. K (I a secunda manu) *ab anima deliberante*. Aliquanto inferius post *assumit* cod. S addit *et dicit.*

denarium; respondebit: denarium. Et huius ratio est, quia hic credit sufficientiam, ibi non.

De cognitionis innatae ratione. Resp. 1. *Si quaeras:* quomodo *cognovit* in generali? dico, quod innata est illa cognitio[1]. *Si quaeras:* per quid? dico, quod sufficientiam cognoscit per indigentiam. — *Si opponas,* quod privatio non est via cognoscendi habitum[2]; dicendum, quod est quaedam indigentia *omnino privans,* quaedam *disponens et inclinans;* et haec est ratio cognoscendi. (Notandum.) Unde si materia necessario haberet potentiam cognoscendi, cognosceret utique formam, ad quam inclinatur et disponitur; sic anima sufficientiam per suam indigentiam[3]. — (Resp. 2.) Posset tamen dici, quod cognitio beatitudinis et multarum rerum naturalium, ut puta iuris naturalis, nobis innata est. Et si anima dicatur creata esse « ut tabula rasa[4] »; hoc intelligitur solum quantum ad species et similitudines, quas acquirit per sensus. — Vel dicatur tertio modo, sicut in primo libro[5] dictum est de caritate, quomodo cognoverit eam, qui non habet, et tamen sine receptione speciei a sensibus. (Resp. 3.) — Quilibet istorum modorum multum est probabilis. — Alia duo patent.

4. Ad ultimum dicendum, quod beatitudo appetitur sub ratione commodi; sed illud commodum est proprium naturae *rationalis,* quia sola est capax Dei per cognitionem et amorem. (Notandum.) Unde etsi animalia appetant commodum, *illud* appetunt, ad quod sunt[6].

QUAESTIO III.

In quo subiecto sit beatitudo.

Tertio quaeritur de beatitudinis subiecto; et quaeritur, utrum homo sit subiectum beatitudinis secundum animam, an totum coniunctum. Et quod *totum coniunctum,* videtur.

1. Augustinus, decimo nono de Civitate Dei[7]: (Ad oppositum.) « Summum bonum, a quo homo beatus efficitur, ex utriusque rei bonis constat, animae scilicet et corporis ».

2. Item, de Spiritu et anima[8] dicit, quod « Deus factus est homo, ut totum hominem beatificaret, exterius per humanitatem, interius per Divinitatem ».

3. Item, Anselmus[9], definiens beatitudinem, dicit, quod « est sufficientia omnium bonorum »; et bona illa dividit in bona animae et corporis.

4. Item, *ratione* videtur: quia praemium respondet merito; sed meritum est totius coniuncti, quia anima exuta non meretur: ergo beatitudo sive praemium[10].

5. Item, beatitudo opponitur miseriae; sed miseria est non tantum animae, sed etiam est totius coniuncti, maxime ratione corporis: ergo etc.

6. Item, si beatitudo omnino respiceret animam ut subiectum, ergo non necesse esset, corpus resurgere; sed necesse est resurgere[11]: ergo etc.

Contra: 1. Super illud Psalmi[12]: *Beata gens, cuius Dominus Deus* etc.; Glossa: « Beatitudo hominis tantum in animo est, quia animus hominis tantum capax est, valens frui illa ». (Fundamenta.)

2. Item, *ratione* videtur: quia beatitudo consistit in Deo, quia ipse est finis ultimus, in quo standum est[13]; sed solus spiritus ad Deum videndum et amandum convertitur: ergo beatitudo est in solo spiritu.

3. Item, beatitudo gloriae respondet gratiae; sed gratia, cum sit qualitas spiritualis, est in homine ratione solius animae: ergo et beatitudo, quia, quantum se extendit dispositio ad formam, tantum se extendit forma[14].

---

[1] August., II. de Lib. Arb. c. 9. n. 26, ubi dicit, quod « antequam beati simus, mentibus tamen nostris *impressa* est notio beatitatis; per hanc enim scimus fidenterque et sine ulla dubitatione dicimus, beatos nos esse velle ». Ibid. etiam quae praecedunt insinuantur, scil. quod omnes appetant beatitudinem, sed propterea diversa sectentur, quod aliud alii videtur bonum et via ad beatitudinem. Cfr. Enarrat. in Ps. 118. serm. 1. n. 1.

[2] Vide tom. III. pag. 802, nota 8. — De exemplo ex *materia* sumto cfr. Aristot., I. Phys. text. 81. (c. 9.), ubi docet, ipsam appetere et desiderare ex natura sua formam.

[3] Respiciuntur infra verba Anselmi nota 9.

[4] Secundum Aristot., III. de Anima, text. 14. (c. 4.). Cfr. II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2, ubi hoc dictum Philosophi exponitur, et afferuntur exempla cognitionum innatarum respectu *iuris* [ita codd. P Q aa, cod. G *luminis,* alii codd. et ed. 1 *numerus,* Vat. *numeri,* cod. E legit *numeri, naturaliter nobis* etc. quo respicitur August., XII. de Trin. c. 15. n. 24; cfr. Itiner. mentis in Deum, c. 2. 3.] *naturalis,* v. g. Dei diligendi, parentum honorandorum etc.

[5] Dist. 17. p. I. q. 4. Cfr. ibid. scholion n. III. 4. et 5.

[6] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[7] Cap. 3. n. 1, ubi refert opinionem Varronis (qui etiam ad Tullium Ciceronem recurrit) de summo hominis bono. — Textus originalis substituit *constare dicit* pro *constat.* Codd. et ed. 1 omittunt *rei.*

[8] Cap. 9. (inter opera August.). Cfr. tom. III. pag. 19, nota 5, et August., X. de Civ. Dei, c. 27.

[9] Libr. I. Cur Deus homo, c. 24: Beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia. Lib. de Concord. praesc. Dei cum lib. arb. q. 3. c. 13: In beatitudine... est sufficientia competentium commodorum sine omni indigentia. Idem habetur in lib. de Similitudinibus (inter opera Anselmi), c. 47. seqq., ubi etiam 14 bona beatitudinis animae et corporis exponuntur.

[10] Cod. N (P a secunda manu) supplet *est totius coniuncti;* edd. legunt: *ergo non beatitudine sive praemium.*

[11] Cfr. supra d. 43. a. 1. q. 1. — Vat. *corpus resurgere.*

[12] Psalm. 32, 12. Post *cuius* Vulgata addit *est.* Glossam exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.): Beatitudo omnis in animo tuo est, quia animus naturaliter est capax beatitudinis, valens ea frui. Cfr. August., Enarrat. 2. in Ps. 32. serm. 2. n. 16.

[13] Vide supra q. 1.

[14] Cfr. III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3.

4. Item, si aliqua passio inest aliquibus subiectis, inest secundum aliquod commune[1]; sed beatitudo inest Angelo et homini: ergo inest secundum aliquod commune Angelo et homini. Sed non est aliquod commune Angelo et homini nisi spiritus et potentiae spirituales: ergo beatitudo est tantum in potentia spirituali.

5. Item, si aliqua duo communicant in aliqua natura et non possunt convenire in eo quod superadditum est naturae, illud superadditum non inest secundum naturam, in qua communicant; sed homo communicat cum brutis in corpore et in potentiis sentiendi et non potest communicare in beatitudine[2]: ergo non inest secundum corpus.

CONCLUSIO.

Beatitudo est in sola anima ut in subiecto primo per inhaerentiam, in corpore vero propter coniunctionem per quandam redundantiam.

Respondeo: Ad hoc dixerunt aliqui, quod beatitudo dicitur dupliciter: *proprie* et *communiter*. *Proprie* est gaudium de participatione Dei perfecta per cognitionem et amorem; *communiter* vero dicitur omnis remuneratio excludens omnem miseriam. Primo modo comprehendit praemium *substantiale* tantum, secundo modo *accidentale;* primo modo est tantum in *anima,* secundo modo est in *anima et corpore* et toto coniuncto. — Et per hoc solvunt rationes ad partes oppositas.

Opinio 1. cum distinctione.

Sed ista solutio non videtur conveniens, quoniam, sicut dicit Augustinus[3], « beate vivere est bonis veris certisque gaudere »; sed gaudium et « dolor, sicut dicit decimo quarto de Trinitate, est ipsius animae »: ergo et gaudium beatitudinis est in anima sicut in subiecto, sive sit de bono increato, quod est Deus, sive de bonis corporis.

Non probatur.

Et ideo dicunt alii aliter, quod *gaudium* etiam *accidentale* et beatitudo accidentalis est in anima sicut in subiecto, sed huius *gaudii materia* est in corpore, quia gaudet anima de bonis corporis; et ideo beatitudo non est in corpore sicut in *subiecto,* sed sicut in *materia* et *obiecto,* non principali tamen. — Sed istud non sufficit dicere, quia similiter *materia gaudii* est in omnibus creaturis remanentibus post iudicium: ergo non magis diceretur secundum hoc, corpus nostrum beatificari quam aliae creaturae; quod non est conveniens dicere. — *Si tu dicas,* quod magis propter hoc, quod habet conditiones nobiliores; hoc non valet, quia similiter corpus solis easdem conditiones, quas corpus nostrum, habebit.

Opinio 2. cum alia distinctione.

Non sufficit.

Et ideo dicendum aliter, quod beatitudo, cum sit gaudium de bonis, est in aliquo sicut in *subiecto primo per inhaerentiam,* et sic dico, quod est in sola anima; et est in aliquo sicut in *coniuncto per quandam redundantiam,* et sic, quia corpus est coniunctum animae, gaudium redundat in corpus[4].

Opinio 3. et conclusio bimembris.

Concedendae ergo sunt rationes probantes, quod beatitudo non sit in corpore tanquam in subiecto primo, sed tamen est ibi propter coniunctionem per quandam redundantiam et comparticipationem.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod ex utriusque bonis constat beatitudo; dicendum, quod Augustinus dicit illud secundum opinionem Tullii[5].

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, ut totum hominem beatificaret; dicendum, quod ibi est quaedam congruentia, quia etiam, etsi non esset incarnatus, homo esset beatus, dum tamen esset redemptus et ad visionem Dei perductus[6].

Notandum.

3. Ad illud quod dicit Anselmus, dicendum, quod bene continet bona corporis; sed beatitudo non[7] dicitur esse illa bona, sed gaudium de illis bonis.

4. Ad illud quod obiicitur de merito, dicendum, quod anima non potest mereri extra corpus, non propter defectum virtutis, sed propter defectum status et temporis[8] merendi.

5. Ad illud quod obiicitur, quod miseria est ex parte corporis; dicendum, quod miseria *subiective* et *proprie* est in natura rationali; sed *materialiter* potest esse ratione corporis, sicut dicit Augustinus octavo de Civitate Dei[9].

Notandum.

6. Ad aliud patet responsio, quod corpus necesse est resurgere, ut fiat beatum per quandam comparticipationem et redundantiam. Et est simile in

---

[1] Vide tom. II. pag. 26, nota 5. — Pro *passio* cod. O *forma* (per *passionem* secundum Aristot. intelligitur proprietas vel attributum).

[2] Cfr. supra pag. 1000, nota 2. — Mox post *ergo non inest* cod. L et Vat. supplent *beatitudo.*

[3] Libr. I. de Lib. Arb. c. 13. n. 29. — Seq. locus est XIV. de Civ. Dei, c. 15. n. 2. Cfr. tom. III. pag. 346, nota 7, ubi etiam alii loci allegati sunt. — Mox post *sed* ex codd. E L W Y supplevimus *gaudium.* Subinde post *beatitudinis est* codd. E L subnectunt *tantum.*

[4] August., Epist. 118. (alias 56.) c. 3. n. 14: Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine... redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quae fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor. — Cod. Y *magnum gaudium animae redundat in corpus.* Inferius pro *comparticipationem* plures codd. *participationem.*

[5] Vide supra pag. 1004, nota 7. — Pro *utriusque* multi codd. et ed. 1 *utrisque.*

[6] Cfr. III. Sent. d. 1. a. 2. q. 2. ad 1. — Ita codd. P S Y (E a secunda manu), alii codd. *perfectus,* edd. *perfecte,* cod. K (I a secunda manu) *dum esset admissus ad visionem Dei perfectam.* Pro *tamen,* quod praebent codd. E L P S, cod. aa *modo,* alii *enim;* post *redemptus* ex codd. G S supplevimus *et.*

[7] Cod. A *non est vel non.* Supra pro *bene* Vat. *beatitudo.*

[8] Cum codd. M O S substituimus *temporis* pro *tempus.*

[9] Cap. 16, ubi ex proprietatibus, quae Plato daemonibus attribuit, deducit: Ad hoc *rationalia,* ut misera esse possint; ad hoc *passiva,* ut misera sint; ad hoc *aeterna,* ut miseriam finire non possint. Cfr. ibid. XIV. c. 15. n. 2.

gratia: quia, si gratia existens in anima secundum potentiam rationalem redundat in sensibilem, quando abundans est, et ipsam tranquillat, et quando delectatio magna est, similiter, sicut dicitur in Psalmo[1]: *Sitivit in te anima mea;* cum in gloria sit perfecta abundantia et delectatio, non est mirum, si redundat in corpus; et hoc nemo dubitat nisi inexpertus[2].

QUAESTIO IV.

Secundum quid beatitudo insit in anima.

Quarto quaeritur, secundum quid insit beatitudo, utrum sit in anima primo secundum substantiam, an secundum potentiam. Et quod secundum *substantiam,* videtur:

1. Quia beatitudo est vita; unde Augustinus[3]
Ad oppositum. vult, quod esse beatum est vivere in Deo et Deo; sed prius naturaliter vivit anima quam potentiae: ergo prius vivificatur a Deo.

2. Item, beatitudo in anima est una[4], sed potentiae sunt plures; sed multiplicato subiecto primo, necesse est, multiplicari perfectionem: ergo etc.

3. Item, Deus est intimus ipsi animae[5]: ergo cum beatitudo sit in anima per influentiam a Deo, illa influentia procedit ab intimo; sed substantia rei creatae interior est quam potentia: ergo beatitudo prius influitur in substantiam.

Contra: 1. Beatitudo inest animae, secundum
Fundamenta. quod « capax est Dei et particeps esse potest[6] »; sed capax est secundum imaginem, et imago secundum mentem, et mens est oculus et potentia animae: ergo beatitudo inest primo animae secundum *potentiam.*

2. Item, beatitudo inest animae secundum modum specialem[7] unionis Dei et animae; sed modus specialis non est nisi per cognitionem perfectam et amorem, et hic est per potentias: ergo etc.

3. Item, beatitudo est habitus secundus et perfectio secunda; sed omnis secundus habitus et perfectio secunda inest secundum aliquam potentiam recipiendi, quae differt a substantia: ergo beatitudo non inest animae per substantiam immediate.

4. Item, si immediate et primo per substantiam, ergo abstractis potentiis, poterit intelligi anima gloriosa: ergo abstracto, quod Deum non videat nec amet, erit gloriosa; quod stultum est dicere et contra Sanctos[8].

CONCLUSIO.

Beatitudo est in anima primo secundum potentiam, et quidem una in pluribus potentiis.

Respondeo: Dicendum, quod opinio quorundam Opinio 1.
est, sicut de gratia, ita de gloria, quod sicut differt *gratia* et *virtus*[9], ita et *beatitudo* et *dos.* Et sicut *gratia* respicit animae substantiam, et ideo est una; *virtus* vero *potentiam,* et ideo plures: sic et *gloria,* quae animae *substantiam* respicit, ideo est una; sed *dotes potentias,* ideo plures. Et exemplum Exemplum.
naturale est in anima humana, perficiente corpus, quae in quantum *vivificans* respicit *complexionem,* quae est una in toto corpore; in quantum *motor* respicit *organa diversa*[10]. — Sed credo, hic esse Non probatur.
magis *appropriationem* quam *proprietatem* et veritatem. Corpus enim nunquam dispositum est ad vitam, qualemcumque habeat *complexionem,* nisi etiam habeat *organizationem;* unde nec influentia vitae nec motus est ab anima in corpus, nisi naturaliter praeexistat *dispositio organizationis*[11]. Similiter credo in *gratia* et *gloria,* quod anima non est capax gratiae nec gloriae nisi *per mentem.* Unde Conclusio 1.
credo, quod tam *gratia* quam *gloria* primo est in *potentia.* — Sed *esse aliquid in potentia,* hoc est Distinctio notanda.
dupliciter: aut secundum dispositionem et habilitationem eius ad *actum proprium,* quia sic potentiae distinguuntur[12]; et quod sic est in potentia *multiplicatur* et est in potentia secundum *rationem potentiae.* Aliquid vero est in potentia secundum conformationem ipsius ad *aliquod unum* et unionem ad illud; et quod sic est in potentia non multiplicatur

---

[1] Psalm. 41, 3. — Superius pro *sensibilem* plures codd. vel *sentientem* vel *sensualitatem.*

[2] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[3] Epist. 130. (alias 121.) c. 7. n. 14: Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo et de Deo vivitur, cetera... referenda sunt. Serm. 114. n. 2, ubi docet, secundum divina promissa nos in caelo fore Angelis aequales, « ut cum illo [Deo] et in illo et de illo sine fine vivamus ». — Pro *et Deo* codd. G K (I a secunda manu) *et a Deo.*

[4] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1, ubi ostenditur, *unam* gratiam esse in anima.

[5] Vide tom. II. pag. 226, nota 7.

[6] Secundum August.; vide supra pag. 1000, nota 5. — Superius codd. et ed. 1 omittunt *animae.*

[7] Multi codd. *spiritualem* et mox *spiritualis.*

[8] Vide quaest. seq. Idem arg. recurrit II. Sent. d. 26. q. 5. fundam. 5, ubi solvitur quaestio, utrum gratia primo insit substantiae animae, vel potentiis. — Post *abstracto* Vat. addit *vel esto.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. — Inferius pro *gloria, quae* cod. L *gloria, quia.*

[10] Vide I. Sent. d. 8. p. II. q. 3. — Subinde pro *hic esse magis* edd. *hoc esse magis per.*

[11] Aristot., II. de Anima, text. 6. (c. 1.): Anima est actus primus corporis physici *organici,* potentia vitam habentis.

[12] Secundum Aristot., II. de Anima, text. 33. (c. 4.). Cfr. tom. II. pag. 561, nota 3. — Codd. E G L clarius legunt: *proprium, et quia sic potentiae distinguuntur, quod sic* etc.

in potentiis, immo *esse in potentia* dicitur, secundum quod habet rationem *substantiae;* et sic [1] *gratia* et *gloria*, quarum unaquaeque est deiformitas et conformitas ad Deum. Et quia uni et eidem conformatur et reformatur ipsa anima; ideo una est gratia et gloria in pluribus potentiis, sicut una anima in pluribus organis, et una sanitas in pluribus membris. Et hoc clarius in secundo disputatum est in distinctione vigesima sexta [2] de gratia.

Conclusio 2.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod prius est vivificari animam quam potentias; dicendum, quod verum est de vita, quae est *actus primus;* sed non de vita, quae est *actus secundus.*

2. Ad aliud iam patet responsio: quia non est gloria in potentiis secundum id, in quo *distinguuntur,* sed secundum quod *uniuntur* in ratione imaginis, per quam capaces [3] sunt unius deiformitatis. Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod Deus est intimus animae, ergo procedit ab intimo; dicendum, quod influentia ista ab intimo procedit; sed non procedit, secundum quod *intimum conservans in esse naturae,* sed secundum quod *obiectum consummans in esse gloriae;* et ideo secundum hanc viam magis est intimus et immediatus potentiae quam essentiae. Unde non sequitur, quodsi divina essentia est intima, quod quaelibet eius influentia [4]. Notandum.

SCHOLION.

I. Haec quaestio magis explicat quae dicta sunt in 1. huius articuli quaestione, simulque refellit opinionem illam Henrici Gand., quam in scholio ad 1. q. commemoravimus. Unitatem *gloriae* S. Doctor eodem modo tradit, quo unitatem *gratiae* explicat, II. Sent. d. 26. q. 5, ubi cfr. etiam scholion. — Alii auctores, qui beatitudinem ponunt in *actu secundo,* simul improbant positionem Henrici, quin de hac 4. quaestione specialiter tractent; cfr. Scot., hic q. 2. n. 25. seqq.; S. Thom., hic q. 1. a. 2. quaestiunc. 1. (praesertim ad 1.) et 2; Dionys. Carth., hic q. 2.

II. In 5. quaestione S. Doctor proprie agit de perfectione *status* gloriosi et de *dotibus* animae; unde vix tangit celebrem illam controversiam scholasticam, in quo scilicet actu sive operatione *formaliter* consistat actus beatificus, utrum simul in *plurium* potentiarum actibus, an in *unius* potentiae actu (quod Scoto, S. Thomae pluribusque aliis placuit); et hoc supposito, utrum in actu *intellectus* (in visione), quod strenue docet S. Thomas, an in actu *voluntatis* (in fruitione per amorem amicitiae), pro quo certat Scotus cum non paucis etiam extra suam scholam. — De tribus dotibus animae S. Bonav. non agit specialiter (quod tamen faciunt alii), sed de quatuor dotibus corporis tractat infra p. II. sect. 1. et 2.

III. Praenotandum est, esse extra controversiam, 1. quod *beatitudo patriae* complectitur plures perfectiones et operationes, speciatim *fruitionem* voluntatis et *visionem* immediatam intellectus. Explicite hoc docet Constitutio Benedicti XII. (*Benedictus Deus*), ubi inter alia habetur, «quod ex tali *visione et fruitione* eorum animae... sunt vere beatae». Item, Catechismus Roman. (p. I. c. 13. n. 7.) beatitudinem illam in eo sitam esse dicit, «ut Deum *videamus* eiusque pulcritudine *fruamur*».

2. Item, non est dubium, beatitudinem esse in voluntate sicut *obiectum.* Hoc concedit S. Thom. (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 2.), ubi dicit: Beatitudinem esse in voluntate «dupliciter potest intelligi: uno modo ita, quod sit voluntatis *obiectum;* et sic beatitudo, cum sit ultimus finis, et ex fine sit ratio boni, quod est voluntatis obiectum, oportet ponere, beatitudinem in voluntate esse. Alio modo ita, quod sit aliquis *actus* voluntatis; et sic beatitudo in voluntate esse non potest».

3. Denique patet, quod in via *generationis* prius natura est Deus obiectum immediatum *visionis* quam immediatum obiectum *fruitionis.* — Controvertitur autem, utrum hoc verum sit etiam in via *perfectionis;* immo Richard. a Med. (hic a. 1. q. 6. ad 5.) ex illa propositione contrarium arguere vult, quia prioritas in via generationis est «prioritas, qua *imperfectum* est prius perfecto... quia ut in pluribus videmus, quod actuum coordinatorum inter se *prior* ordine naturae in *via generationis* minus est perfectus quam posterior. Nec hoc dicens intendo dicere, quod illa visio sit imperfecta in *genere visionis*, sed volo dicere, quod ipsa fruitio est actus perfectior, sicut declarabitur in quaestione sequenti».

IV. Richard. a Med., (locis citt.), adductis multis argumentis pro utraque parte, concludit, quod beatitudo consistat tam in actu intellectus quam in actu voluntatis; principalius tamen in *voluntate*, «quia in visione inchoatur et in fruitione consummatur» (q. 6. ad 8.). Hanc opinionem etiam Scot. (hic q. 3. n. 5.) non improbat, si intelligatur, beatitudinem *praecise* et pro *ultimo complemento* optime essendi consistere in *unica* operatione, si vero pro unione *vitali immediata ad obiectum* beatificum, in *duplici* operatione intellectus et voluntatis.

Quoad sententiam S. Bonaventurae patet iam ex 1. solut. ad oppos., eum hic non tenere sententiam S. Thomae. Cum autem hoc loco proprie tractet *generaliter* de tribus *dotibus,* recurrendum est ad alios locos, praecipue ad I. Sent. d. 1. a. 2. q. unica et a. 3. q. 2; II. Sent. d. 38. a. 1. q. 2; III. Sent. d. 27. a. 2. q. 3; d. 31. a. 3. q. 1. ad 4; Breviloq. p. VII. c. 7, ubi satis declaratur, eum convenire potius cum praedicta opinione Richardi; quam etiam Petr. a Tar. tenet (hic q. 1. a. 1. quaestiunc. 3.), docens, illam beatitudinem consistere «in actu intellectus *originaliter*, in actu vero voluntatis *completive*».

Quoad *trium dotium* actus, de quibus in hac quaestione agitur, supponendum, quod S. Bonav. ipsam voluntatem *rationalem* dividat in concupiscibilem et irascibilem (cfr. III. Sent. d. 26. a. 2. q. 5. scholion), unde etiam in patria *irascibili* tribuit actum, scil. tentionis, quae interdum non proprie, sed *per appropriationem* vocatur *fruitio.* Hanc enim proprie et essentialiter in actu *amoris amicitiae* consistere, dicitur I. Sent. d. 1. a. 2. q. unica ad 2. Tamen de fruitionis ratione, sicut de quibusdam connexis, iterum doctores secundum principia diversa, quae ponunt de essentia beatitudinis, diversa sentiunt, ut notatum est in scholio ad ultimo cit. locum.

V. Hae controversiae scholarum antiquae aliquo certo et omnibus explorato principio determinari non possunt, cum ipsa argumenta ab utraque parte copiose in medium prolata plerumque innitantur principiis non concessis ab adversariis; v. g.

---

[1] Cod. P addit *est de.*

[2] Quaest. 5, ubi etiam solut. ad 1. et 2. habetur. Cfr. ibid. d. 27. a. 1. q. 1. — Exemplum de *una sanitate,* sumtum ex August., refertur I. Sent. d. 8. p. II. q. 3, ubi ostenditur, animam rationalem esse totam in toto corpore etc.

[3] Plures codd. et edd. *capacitatem.* Vat. voci *imaginis* praemittit *unius.*

[4] Vat. addit *sic sit intima.* Superius pro *immediatus* non pauci codd. *immediatius.*

schola S. Thomae (cfr. S. I. q. 82. a. 3.) in subsidium suae sententiae affert, quod *intellectus* sit potentia animae omnium nobilissima, dum Scot. (hic q. 4. later.) diffuse certat pro principatu *voluntatis*, cui suffragatur Henr. Gand. (Quodl. 1. q. 14), et favet etiam S. Bonav. cum Alexandro Hal., Richardo a Med., aliisque, ut dictum est II. Sent. d. 25. p. I. q. 6. in scholio. Hinc Estius (hic § 3.), licet praeferat sententiam S. Thomae, adductis duodecim argumentis pro sententia Scoti, pensatis omnibus, concludit, pleraque eorum « non esse ita levia, ut *temere* Scotum aliosque quosdam in diversam adduxerint sententiam, ut proinde non immerito inter problemata theologica numeretur haec quaestio ».

VI. De ipsa 5. quaestione praeter locos citt.: S. Thom., hic q. 1. et etiam 3. (de delectatione); S. I. II. q. 3. a. 4. 5. 8, q. 4. a. 1. 2. — Durand., hic q. 4. 5. — Dionys. Carth., hic q. 2.

VII. Conclusio 6. quaestionis, quam negavit Iovinianus, refutatus a S. Hieronymo, confirmatur Decreto Eugen. IV. contra Graecos, ubi dicitur, Deum videre Beatos, « pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius ».

De eadem: Scot., infra d. 50. q. 5. 6. — S. Thom., hic q. 2. a. 4; S. I. II. q. 5. a. 2. — B. Albert., hic a. 10. — Petr. a Tar., hic a. 3. — Richard. a Med., hic a. 2. q. 8. — Dionys. Carth., hic q. 3.

QUAESTIO V.

Quibus potentiis insit actus sive operatio gloriae.

Quinto quaeritur, de actu gloriae sive operatione, cui insit, et ostenditur, quod actus eius sit *omnium* potentiarum:

Fundamenta. 1. Quia gloria est perfectio *plena* et *ultima*. Quia *plena*, ideo perficit totam animam: ergo omnem eius spiritualem potentiam. Quia *ultima*, ultra quam non est alia; cum ultimata perfectio sit coniuncta actui, quia actus perficit habitum [1]: ergo omnes potentiae ponuntur in actu.

2. Item, gloria totum perficit, quod gratia disponebat; sed gratia disponit et perficit actus animae, non tantum qui sunt in Deum, sed etiam qui sunt in bonum creatum, per virtutes cardinales [2]: ergo gloriosi actus non tantum erunt in Deum, sed etiam in creaturam.

3. Item, hoc ostenditur: quia virtutes cardinales manebunt in patria in statu perfecto [3], ergo in actu; sed actus earum est in his quae sunt ad finem, et penes eas consistit actus gloriae, quia, sicut earum actus nunc sunt *gratuiti*, ita tunc erunt *gloriosi*: ergo etc.

Item, quaeritur, utrum sit ibi *actus perficiens memoriam*. Et quod sic, videtur:

4. *Per rationem*: quia, si gloria reformat imaginem, et imago attenditur quantum ad memoriam, intelligentiam et voluntatem [4]: ergo oportet, quod memoria sit in actu.

5. Item, hoc ipsum dicit Bernardus [5]: « Deus futurus est intellectui plenitudo lucis, voluntati multitudo pacis, memoriae continuatio aeternitatis ».

Item, ostenditur, quod sit ibi *actus irascibilis:*

6. Quia quod est perfectibile virtute est perfectibile gloria; sed irascibilis perficitur spe [6]: ergo etc.

7. Item, super illud primae ad Corinthios decimo tertio [7]: *Nunc autem manent* etc.; Ambrosius dicit, quod « spei succedet beatitudo »; et Augustinus similiter hoc dicit de Doctrina christiana: ergo etc.

Sed contra: Quod non sit actus gloriae secundum *omnes* potentias, videtur. Ad oppositum.

1. Super illud Psalmi [8]: *Ostendam illi salutare meum;* Glossa dicit, quod « visio est tota merces »: ergo tota ratio beatitudinis consistit in actu *intelligentiae*. — *Si dicas*, quod hoc dictum est per quandam concomitantiam; eadem ratione debet dici, quod fides est totum meritum.

2. Item, quaeritur: quare non [9] magis dicit de *unione* quam de *visione?*

3. Item, Augustinus de Moribus Ecclesiae [10]: « Beatus est qui amat optimum, et cum habet opti-

---

[1] Quia, ut dicit Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 17. (c. 3.), eorum unumquodque, quorum est opus [i. e. operatio], est gratia operis. Cfr. II. de Anima, text. 5. (c. 1.).

[2] Ut ostensum est III. Sent. d. 33. q. 1. — Pro *et perficit* plures codd. et ed. 1 *ergo perficit*, codd. K V *ergo et*.

[3] Vide III. Sent. d. 33. q. 6; ibid. in solut. ad 3 ostenditur, eas remanere, licet actus earum sint circa ea quae sunt ad finem. Infra edd. et plurimi codd. *actus eorum*.

[4] Cfr. I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. (praecipue ad 4, ubi de *memoria*).

[5] In Cantic. serm. 11. n. 5.

[6] Ut ostensum est III. Sent. d. 26. a. 2. q. 5. — Cod. aa addit: *sicut rationalis fide et concupiscibilis caritate.*

[7] Vers. 13. — Expositio huius loci, quae sequitur, est August., I. de Doctr. christ. c. 38. n. 42, et exhibetur a Petro Lombardo in I. Cor. 13, 13. Ambros., II. de Officiis ministr. c. 5. n. 18: Vita enim beata fructus praesentium, vita autem aeterna spes futurorum est. Cfr. Epist. 35. n. 13. seqq., et in Rom. (inter opera Ambros.) 5, 4.

[8] Psalm. 90, 16. — Glossa, quam exhibet Petr. Lombard. in hunc loc., sumta est ex August. (Serm. 2. in Ps. 90. n. 13.), cuius verba vide tom. II. pag. 543, nota 6.

[9] Ex cod. F supplevimus *non*, sensu hoc exigente. Subinde pro *visione* Vat. *dilectione.*

[10] Libr. I. c. 3. n. 4: Beatus autem, quantum existimo, neque ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit; neque qui habet quod amat, si noxium sit; neque qui non amat quod habet, etiam si optimum sit... Quartum restat, ut video, ubi beata vita inveniri queat, cum id quod est hominis optimum, et amatur et habetur. — Pro *habet*, quod praebent codd. E L O P S Y, alii codd. et edd. *amat.* Cod. aa brevius: *Beatus est, cum amans obtinuit optimum, quod amat.*

mum, quod amat »: ergo videtur, quod tantum sit in actu *motivae.*

4. Item, Augustinus, ultimo de Civitate Dei [1]: « Videbimus, amabimus, laudabimus », isti sunt actus gloriae; quodsi sufficienter eos numerat Augustinus, et hic est nullus actus *memoriae* nec *potentiae irascibilis;* patet etc.

5. Item, dotes distinguuntur penes actus gloriae; sed duae assignantur penes actum rationalis et concupiscibilis, scilicet visio et dilectio: ergo si distinguuntur aliquae penes actus memoriae et irascibilis, tunc erunt *quatuor* dotes; quod est contra omnium [2] opinionem; non enim ponuntur nisi tres.

6. Similiter opponitur, quodsi ponantur actus gloriae secundum omnes virtutes, quod tunc erunt *septem* [3].

Quaeritur ergo, quare actus gloriosi appellan-
Quaestiones 1-4. tur *dotes;* et quare tantum *tres* sint; et penes quid accipiantur et distinguantur; et cum *laus* sit actus maxime gloriosus, secundum quod dicitur super illud Psalmi [4]: *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus;* propter quid non est dos?

CONCLUSIO.

Secundum tres actus gloriae, scilicet visionem potentiae rationalis, amorem concupiscibilis, comprehensionem sive tentionem irascibilis assignantur tres tantum dotes animae.

Respondeo: Ad intelligentiam obiectorum [5] no-
Notandum. tandum, quod actus gloriosi non tantum sunt in *Deum* ut in obiectum, sed etiam in *bona creata;* gaudebit enim homo et diliget proximum. Sed quia *substantiale* praemium beatitudinis in *Deo* consistit, ideo actus gloriae principales sunt, secundum quos
Ad 1. 3. quaest. anima convertitur in Deum. Et secundum hos actus *dotes* assignantur, quia secundum hos anima unitur Deo tanquam sponsa sponso; et in his ditatur et repletur, non solum vigoratur. Et ideo dicuntur *dotes* quasi divitiae animae desponsatae.

Hos autem actus quidam dicunt esse *tres,* quia
De 2. quaest. opinio 1. tria requiruntur ad hoc, quod anima perfecte gaudeat de Deo, scilicet perfecta *visio,* perfecta *dilectio* et perfecta ipsius *fruitio.* Et fruitionem dicunt non esse secundum aliam potentiam quam *rationalem* et *concupiscibilem.* Nam *irascibilis* non habet ibi actum in *Deum,* habet tamen aliquem actum, scilicet *gloriari* per virtutes, quae manent in *ipsa* [6]; manet enim amor et fortitudo. — Sed ista positio Non probatur.
dupliciter videtur incompetens: primum quidem, quia tunc tertia dos non differt a prima et secunda nisi *secundum rationem;* et hoc stultum est dicere. Alia via videtur inconveniens, scilicet quod *irascibilis* non habeat in gloria actum tendentem in Deum, cum in via habeat *spem,* per cuius actum tendit in Deum.

Et ideo aliter dicendum, quod omnes vires, Opinio 2.
quae habent per gratiam actum in Deum, habebunt per gloriam actus perfectos, evacuatis imperfectis. Unde *rationalis,* cuius est modo credere per fidem, tunc videbit aperte; *concupiscibilis,* cuius est amare, diliget tunc perfecte; *irascibilis,* cuius est erigi et initi per spem, tunc tenebit continue et certe. Unde Conclusio.
secundum hos tres actus distinguuntur tres dotes, scilicet visio, dilectio, comprehensio sive tentio sive *fruitio* per *appropriationem;* nam fruitio ista tria complectitur [7].

Ad illud ergo quod obiicitur, quod actus gloriae Ad 2. 3. fundam. et 6. ad oppos.
sunt plures, quia secundum omnes virtutes; patet responsio: quia, etsi secundum omnes *virtutes* sint, non tamen secundum omnes *dotes* [8] accipiuntur, sed secundum eas quae tendunt immediate in Deum.

1. 2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod visio est Ad 1. 2. 3. ad oppos.
tota merces, et huiusmodi; dicendum, quod isti tres actus sunt omnino *coniuncti et connexi;* unde qui perfecte videt perfecte amat et habet; et ideo in Sanctorum verbis per connexionem, quod est omnium, attribuitur *uni;* magis autem *visioni* attribuitur propter hoc, quod in visione distinguitur *status patriae* a *statu viae;* non sic in *dilectione,* quia utrobique dilectio, sed in patria est visio, non in via, sed credulitas de non viso [9].

4. 5. Ad illud quod obiicitur: quare non est unus Ad 4. 5. fundam.
actus penes *memoriam?* dicendum, quod *memoria* non reformatur *primo,* sed *ex consequenti* per reformationem irascibilis; ipsa enim minime subiacet libero arbitrio, et ideo actus eius reformatur per reformationem irascibilis in reformatione *gratiae* [10]; sic et in perfectione *gloriae.* Et ratio huius est, quia

---

[1] Cap. 30. n. 5: Ibi vacabimus et videbimus, videbimus et amabimus, amabimus et laudabimus. — Inferius post *Augustinus* cod. E addit *et Hugo,* qui II. de Sacram. p. XVIII. c. 22. eadem verba exhibet.

[2] Codd. E G I L *communem.*

[3] Cod. aa addit: *penes tres virtutes theologicas et quatuor cardinales.*

[4] Psalm. 146, 1, ubi Petr. Lombard. Glossam hanc secundum August. (in hunc loc.) refert: Quasi dicat: ideo laudate, quoniam bonum est laudare; ipsa enim laus Dei est nostra beatitudo... *Bonus* ergo *est psalmus,* quia bona est laus Dei. In laude namque Dei ipse actus est merces, quae et in futuro erit.

[5] Cod. bb *praedictorum.*

[6] In cod. A recentior manus addidit *patria.*

[7] Cfr. I. Sent. d. 1. a. 2. q. 1, ubi etiam in solut. ad 3. tangitur solut., quae habetur hic ad 1.

[8] Cod. bb *actus,* Vat. *actus dotes.* Inferius pro *eas quae,* quod habet cod. K, in aliis et edd. *eos qui.*

[9] Cfr. I. Cor. 13, 8. seqq. — Cod. K (I a secunda manu) *non in via, secundum quod fides esse dicitur de non viso.* Superius pro *et habet* cod. S *et tenet vel habet.*

[10] Vide I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 1. ad 4. — Multi codd. et ed. 1 omittunt *sic et in perfectione gloriae;* cod. G legit: *sicut et in perfectione gloriae.*

quodam modo conveniunt in actu; utriusque enim est *continue tenere.*

Ad illud quod ultimo obiicitur de laude, dicendum, quod aut intelligitur de laude *vocali*, et sic non est actus principalis nec debet esse *dos;* aut de laude *mentali*, et ita comprehendit actus trium potentiarum interiorum; et ideo non est distinguenda ab aliis, immo dicitur tota merces [1].

Ad 4. quaest.

QUAESTIO VI.

De differenti participatione beatitudinis, utrum scilicet omnes habeant aequalem beatitudinem.

Sexto quaeritur, de differenti participatione beatitudinis; et quaeritur, utrum omnes habeant aequalem beatitudinem. Et quod sic, videtur:

1. Ex textu Matthaei vigesimo [2]; ibi dicitur, quod omnes *acceperunt singulos denarios*, et quod Dominus tantum dedit novissimo, quantum primo. Et Glossa dicit primae ad Corinthios decimo quinto super illud: *Stella differt a stella:* « Eundem denarium Paterfamilias dedit omnibus, qui operati sunt in vinea; quo utique aliquid significatur, quod omnes communiter habebunt »; sed illud non est nisi beatitudo: ergo etc.

Ad oppositum.

2. Item, Augustinus [3]: « In dispari claritate erit par gaudium »; sed beatitudo est gaudium per essentiam: ergo etc.

3. Item, *ratione* videtur: quia beatitudo consistit in Deo, qui est bonum summum in fine [4] et omnino invariabile, non recipiens magis et minus: ergo nec beatitudo recipit magis et minus. — *Si dicas,* quod consistit in Dei participatione, quae magis et minus recipit; *contra:* unusquisque tantum participabit Deum in gloria, quod non volet nec poterit plus participare: ergo unusquisque in summo; sed quod summum est est in termino, et quod est in termino non recipit magis et minus [5]: ergo etc.

4. Item, tantum diliget unusquisque homo proximum, sicut se ipsum: ergo tantum gaudebit Linus de gloria Petri et tantum volet eam Petro, quantum sibi; et si hoc, tantum gaudebit de gloria Petri, quantum si eam haberet; sed si haberet, tantum gauderet, quantum Petrus gaudet [6]: ergo etc.

Contra: 1. Ioannis decimo quarto [7]: *In domo Patris mei mansiones multae sunt;* Augustinus: « Multae mansiones in una vita erunt, quia variae praemiorum dignitates ». Fundamenta.

2. Item, Apostolus, primae ad Corinthios decimo quinto [8]: *Stella differt a stella in claritate:* si ergo claritas cognitionis generat gaudium et delectationem et differens est, ergo differens erit gaudium.

3. Item, *ratione* videtur: quia praemium respondet merito; sed constat, aliquos esse maioris meriti: ergo et praemii [9].

4. Item, Augustinus [10]: « Si essent aequalia, non essent omnia »: ordo ergo facit ad perfectionem; sed superna civitas est perfectissima: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sicut beatitudo, sic praemium, sumtum ut obiectum, omnino unum est, sumtum vero formaliter, est unum unitate conformitatis et connexionis, differens vero quantitate gaudii et remunerationis.

Respondeo: Dicendum, quod diversitas et distinctio est in *praemiis* secundum maius et minus, sicut fuit in *meritis.* Conclusio 1.

Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quod sicut *beatitudo*, ut dictum est supra [11], dicitur dupliciter: vel satians *effective* sicut *obiectum*, vel satians *informative* sicut *perfectio;* sic et *praemium* sive donum. Nam si dicatur sicut *obiectum*, Conclusio 2.

---

[1] Cfr. supra pag. 1009, nota 4. — Superius post *principalis* cod. aa addit *quia actus corporis.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Vers. 9. seqq. — Seq. locus est I. Cor. 15, 41. — Glossam integram exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.), et sumta est ex August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2. Cfr. de Sancta Virginitate, c. 26. n. 26. Vide hic lit. Magistri, c. 1.

[3] Potius Prosper, Lib. sententiarum ex Augustino, n. 362. (alias 360.), ubi edd. nostrae Augustini (ex Ioan. Evang. tr. 67. n. 2.) sic habent: Sed *ut Deus omnia in omnibus* erit [I. Cor. 15, 28.], fiet etiam in dispari claritate *per* gaudium, ut quod habent singuli commune sit omnibus. Cfr. hic lit. Magistri, c. 3, ubi cum ed. Prosperi (Venetiis 1744) ponitur: *par* gaudium. — Fide codd. B C G L N Q S Y aa hoc arg. supplevimus.

[4] Vat. *infinitum*, sed cfr. tom. I. pag. 806, nota 6. — Plurimi codd. omittunt inferius *ergo nec... et minus.*

[5] Secundum modum loquendi Gilberti Porretani; cfr. I. Sent. d. 17. p. II. q. 1. scholion; tom. II. pag. 111, nota 9. et pag. 787, nota 6.

[6] Hoc arg. est secundum Anselm., Proslog. c. 25, quod etiam auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.) c. 64. refert. Cfr. August., in Ioan. Evang. tr. 67. n. 2, et hic lit. Magistri, c. 3.

[7] Vers. 2. — August., in hunc loc. (tr. 67. n. 2.): Sed *multae mansiones* diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates.

[8] Vers. 41. — Anselm., Proslog. c. 26: Utique tantum gaudebunt [Beati], quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent.

[9] Vide August., XXII. de Civ. Dei, c. 30. n. 2.

[10] Libr. 83 Qq. q. 41. Cfr. supra pag. 961, nota 8. — Inferius pro *sed* multi codd. *ergo*, cod. K (I a secunda manu) *ergo si.*

[11] Quaest. 1.

omnino una est merces, unus Deus, una beatitudo, unum praemium. Si autem *formaliter* dicitur, beatitudo *una* est unitate conformitatis et unitate connexionis, sed tamen *differens* est quantitate gaudii et remunerationis. Unus enim alio clarius videt Deum et magis de illo gaudet et strictius tenet.

Conclusio 3.

1. 2. Et sic patet primum de denario. Patet etiam secundum, quomodo gaudium *par* dicitur, non, inquam, *intensive*, sed *extensive*, quia de eisdem et tot gaudet unus, de quibus et quot gaudet alter.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod quilibet participat Deum in summo; dicendum, quod est summum *simpliciter* et summum *huic*. Nullus participat[1] in summo *simpliciter*, sed in summo *sibi*; quilibet enim tantum participat, non quin possit participari plus, sed non plus *ab ipso*, quia non potest ultra proficere et contentus est omnino eo statu, quem habet.

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod tantum gaudet de bono proximi, quantum de suo; dicendum, quod verum est; unde Petrus plus gaudet de bono Lini quam ipse Linus; sed ex hoc non sequitur, quod tantum gaudeat, quantum si haberet illud[2], quia, si haberet illud bonum, haberet maiorem caritatem et potestatem intensius gaudendi. — His visis, satis patent ea quae possent dici circa litteram[3].

Notandum.

Dubia circa lit. desunt.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM XLIX.

Pars II.

De gloria corporis sive de stola secunda.

Post haec quaeri solet, si beatitudo Sanctorum etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 999.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de gloria spiritus, in qua consistit prima stola. Hic agit de gloria corporis, in qua consistit stola secunda. Dividitur autem haec pars in tres partes secundum tria, quae determinat. Primo enim ostendit, quod in resumtione corporum erit augmentum gloriae. Secundo vero determinat modum, per quem gloria spiritus augebitur, ibi: *Si quem movet, quid opus sit.* Tertio determinat, quale corpus reddetur animae beatae, scilicet spirituale, non animale; et hoc facit, ibi: *Proinde, cum hoc corpus iam non animale* etc.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis quaeritur de gloria corporis. Et circa hoc duo principaliter quaeruntur[4].

Primo quaeritur de gloria corporis in generali.
Secundo, in speciali.

SECTIO I.

De gloria corporis in generali.

Circa primum quaeruntur principaliter tria.
Primo quaeritur de corporis glorificatione.
Secundo, de dotium distinctione.
Tertio, de sensuum remuneratione.
Circa primum quaeruntur duo.

Primo quaeritur, utrum gloria corporis sit de substantia beatitudinis.

Secundo quaeritur de origine beatitudinis corporis sive gloriae.

---

[1] In Vat. additur *Deum*.

[2] Codd. IK aa supplent *bonum*. — De hac sententia cfr. III. Sent. d. 31. a. 3. q. 3.

[3] Vide scholion ad 4. huius articuli quaest.

[4] Auctor hic *duo, quae principaliter* quaeruntur, iterum distribuit, et primum membrum in tria, quae *principaliter quaeruntur*, scil. in tres articulos. Ad confusionem in citando vitandam primae divisioni nomen *sectionis* superscripsimus.

ARTICULUS I.

De corporis glorificatione.

QUAESTIO I.

Utrum gloria corporis sit de substantia beatitudinis.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod gloria corporis sit de beatitudinis substantia sive augmentet gloriam animae:

1. Et primo per auctoritatem Magistri in littera[1]: Fundamenta. «Sine scrupulo, inquit, credendum est, eos habituros maiorem gloriam post iudicium quam ante, quia maius erit gaudium et amplior cognitio»; sed ista respiciunt essentiam beatitudinis: ergo etc.

2. Item, Bernardus de Diligendo Deo[2]: «Anima exuta tamen corpori est coniuncta, etsi non vita vel sensu, tamen affectu, ut sine eo nec possit nec valeat consummari».

3. Item, Augustinus duodecimo super Genesim[3] de anima exuta dicit: «Inest ei quidam naturalis appetitus administrandi corpus, quo retardatur, ne tota intentione feratur in illud summum caelum»: ergo si quantitas praemii substantialis consistit in adhaerentia et fruitione illius summi caeli, patet etc.

4. Item, perfecta beatitudo est quies omnium desideriorum[4]: si ergo anima appetit naturaliter corpori uniri, et iste appetitus, cum sit naturalis, non possit terminari nisi per unionem; impossibile est, animam perfecte beatificari, quousque resumat corpus.

Contra: 1. Anima gaudet nunc de Deo, post Ad oppositum. iudicium vero non tantum gaudebit de Deo, sed etiam de bonis corporis; sed Deus est bonum infinitum, bonum corporis est bonum finitum; sed finitum additum super infinitum nihil auget[5]: ergo bonum corporis non auget praemium: ergo etc.

2. Item, tanta gratia est in anima exuta, quantae gratiae capax est, cum est coniuncta: ergo similiter videtur de gloria.

3. Item, cum Deus se offerat modo animae in aperta visione, sicut post iudicium, quare non est ita modo perfecta gloria, sicut post iudicium? — *Si dicas*, quod propter appetitum administrandi corpus; *contra:* Bernardus, de Diligendo Deo[6], de beatis animabus dicit, «quod ita inebriantur Deo, ut obliviscantur sui»: ergo si sui obliviscuntur, multo magis corporis.

4. Item, maiores motus absorbent minores: ergo cum motus amoris in Deum improportionaliter sit maior quam in corpus, ergo totaliter absorbet illum.

5. Item, appetitus administrandi corpus impedit, ergo multo fortius administratio: si enim amor alicuius potest retrahere a Deo, cum est absens, multo fortius, cum est praesens.

6. Item, corpus nunquam fiet spiritus, quamvis fiat spirituale[7]: ergo liberior est spiritus a corpore absolutus quam alligatus: ergo melius dispositus ad suscipiendam beatitudinem perfectam.

CONCLUSIO.

Glorificatio corporis facit ad maius gaudium quoad extensionem et etiam quoad intensionem, quatenus removetur impedimentum, quin tamen augeatur habitus.

Respondeo: Dicendum, quod *beatitudo* dicitur Quadrupliciter augetur gaudium. gaudium per essentiam; gaudium autem potest dici maius quadrupliciter: aut quia de *maiori obiecto*, aut quia ex *maiori habitu*, aut quia de *pluribus*, aut quia ex *eodem habitu intensius*. Primo modo Conclusio 1. maius gaudium, quia de maiori[8], non reperitur nec respectu *eiusdem* nec respectu *diversorum*, quia quilibet gaudet de bono infinito. — Secundo modo Conclusio 2. maius invenitur respectu *diversorum*, quia maiori habitu gaudet Petrus quam Linus; sed non reperitur respectu *eiusdem* quantum ad *diversa tempora*, quia non habebit maiorem habitum Petrus post iudicium, quam habet nunc. — Tertio modo maius, Conclusio 3. quia latius et de pluribus, reperitur in *eodem* secundum *diversa tempora*, quia Petrus de pluribus gaudebit post iudicium quam nunc, quia de gloria animae et corporis et de gloria omnium salvatorum.

---

[1] Hic c. 4. — Inferius ex codd. Ė I K L N U X Y substituimus *respiciunt* pro *respicit*.

[2] Cap. 11. n. 30: Non possunt ex toto animae se ipsas exponere et transire in Deum, nimirum ligatae corporibus etiam tunc, etsi non vita vel sensu, certe affectu naturali, ita ut absque his nec velint nec valeant consummari.

[3] Cap. 35. n. 68.

[4] Boeth., III. de Consol. prosa 2, de beatitudine dicit, quod «est bonum, quo quis adepto, nihil ulterius desiderare queat».

[5] Cfr. tom. II. pag. 20, nota 7.

[6] Cap. 15. n. 39, ubi allato Ps. 35, 9: *Inebriabuntur ab ubertate domus Dei*, ait: Quasi enim miro quodam modo oblitus [servus bonus in gaudium Domini introductus] sui et a se penitus velut deficiens, totus perget in Deum» etc. — Superius post *administrandi*, pro quo cod. O *habendi* (multi codd. et ed. 1 *amittendi*, sed cfr. supra fundam. 3.), Vat. addit *vel regendi*.

[7] Cfr. I. Cor. 15, 44.

[8] Cod. aa supplet *obiecto*.

Sed non est maius hoc modo respectu *diversorum*, quia de tot et eisdem gaudebit unus Sanctus parvus, sicut et maximus Sanctus. — (Conclusio 4.) Quarto modo maius, quia intensius, reperitur et respectu *eiusdem* et respectu *diversorum*: respectu *diversorum*, quia unus intensius movetur quam alter; respectu *eiusdem*, quia ex eodem habitu intensius movebitur anima, resumto corpore[1], quia nullum habebit retardans.

(Conclusio generalis.) Concedendum est igitur, quod glorificatio corporis facit ad maius gaudium quantum ad *extensionem*; facit etiam quantum ad *intensionem*, non augendo habitum, sed removendo impedimentum. Unde non facit ad augmentum praemii essentialis *principaliter*, sed *ex consequenti*. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

(Solutio oppositorum.) 1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod non gaudet de maiori; dicendum, quod ratio[2] tenet bene; sed quantum ad hoc non dicitur *maior*, sed *de eodem intensius*. — Similiter, quod secundo obiicit de gratia, patet: quoniam ipsa gratia dicit habitum, et idem etiam habitus gloriae est in anima exuta, et postquam est unita; sed per illum non ita intense movetur, et hoc retardante appetitu.

(Notandum.) 3. Ad illud quod obiicitur, quod obliviscitur[3] sui; dicendum, quod hoc non intelligitur, quin amet se, sed quod omnis amor privatus, qui non referatur in Deum, ab anima auferetur; et certe anima non appetit corpus amore privato, sed ad gloriam Dei. — (Aliter.) Vel dicendum, quod Bernardus loquitur de Beatis post resumtionem secundae stolae.

(Notandum.) 4. Ad illud quod obiicitur, quod maiores motus absorbent minores; dicendum, quod verum est, quod absorbent, sed non ita, ut non *sint*, sed ut non ita *intense appareant;* sunt tamen et apparent aliquo modo; et ideo, quamvis parum, tamen aliquo modo minuunt motus minores ipsos maiores, licet vincantur[4].

(Duo in appetitu.) 5. Ad illud quod obiicitur, quod si appetitus impedit, magis praesentia; dicendum, quod *appetitus* duo dicit, scilicet *amorem* alicuius rei et *carentiam* illius. Quando igitur impedit, aut ratione *amoris*, aut *carentiae*. Si ratione *amoris*, tunc magis impedit res praesens; si ratione *carentiae*, tunc non impedit, cum carentia[5] per praesentiam removetur.

(Distinctio.) 6. Ad illud quod obiicitur, quod spiritus absolutus est liberior; dicendum, quod est spiritus a corpore absolutus *substantia et affectu*; et iste est liberrimus. Et est spiritus *alligatus affectu* et *solutus substantia;* et iste non est liber, quia aliquid vult quod non habet. Et est spiritus *alligatus substantia et affectu;* et tunc aut corpus est *inobediens*, et talis non est liber, quia non potest[6] quod vult; aut per omnia *obediens*, et talis est liber libertate sibi conveniente, quia nihil vult, nisi quod potest, et habet omne quod vult.

SCHOLION.

I. Quaestio 1. a Magistro (hic c. 4.) sic ponitur: « Si maior est beatitudo Sanctorum post iudicium ». — *Affirmativa* responsio est communis, si intelligitur, quod ipsa crescat *extensive*. Hoc in Concilio Florentino et Graeci et Latini se credere asseruerunt. Quod autem etiam *intensive* crescat, non quidem per *augmentum habitus*, sed per *remotionem impedimenti* retardantis; docuit S. August. (XII. super Gen. ad lit. c. 35.), non tamen (ut patet ex eiusdem II. Retract. c. 24.) ut omnino certum; quem secuti sunt S. Bernard., Haymo aliique antiqui cum ipso S. Bonav. Primitus etiam S. Thom. (hic q. 1. a. 4. quaestiunc. 1; Suppl. q. 93. a. 1.) eandem sententiam professus est, sed postea, mutata sententia, docuit (S. I. II. q. 4. a. 5. ad 5.), quod « corpore resumto, beatitudo crescit non *intensive*, sed *extensive* »; quod etiam Durand. (hic q. 7.) aliique posteriores propugnant. — Primam vero sententiam tenent Scot., de Rerum principio, q. 9. a. 2. sect. 2. n. 49, et, ut videtur, hic q. 3. n. 9. (aliqui tamen volunt, eum retractasse hanc opinionem), et Richard. (hic a. 2. q. 7.). — Propositio in principio resp. posita, quod per *essentiam* beatitudo sit gaudium sive delectatio, approbatur ab Alexandro Hal. (S. III. q. 23. m. 1. ad 1.) et tanquam probabilis defenditur a Richardo a Med. (hic a. 3. q. 6.). Sed Scot. (hic q. 7; I. Sent. d. 1. q. 3.) docet, quod « *stricte* accipiendo beatitudinem, delectatio non est de *essentia* eius, quia est *passio*, beatitudo autem consistit in *operatione* » (hic q. 7. n. 4.); prout tamen voluntas est *receptiva*, « perficitur delectatione et gaudio ». Idem tenent S. Thom. (hic q. 3. a. 4. quaestiunc. 3; S. I. II. q. 4. a. 1. 2.) et Durand. (hic q. 4. n. 20.). Addit tamen Scotus (n. 6.), quod secundum absolutam potentiam Dei visio eius possit esse sine gaudio; de quo aliter loquitur S. Bonav. supra d. 48. a. 1. q. 2. in fine.

De 2. quaestione alii commentatores Lombardi non tractant specialiter, sed eam solvunt in 1. quaestione, vel potius in quaestionibus de singulis dotibus, ubi notavimus, quomodo Scotus a S. Bonav. et Thoma discedat.

De utraque quaestione praeter locos citt.: Petr. a Tar. rem breviter tangit hic q. 2. a. 4. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 7.

II. De sequenti articulo, qui agit de quatuor dotibus corporis *in generali*, alii commentatores Lombardi, exceptis B. Alberto (d. 44. a. 32.) et Richardo (hic a. 4. q. 1.), specialiter non tractant, sed principia sua ponunt disputantes de eisdem in specie, de quo vide infra sect. 2. — De tribus dotibus *animae* plurima profert S. Thom., hic q. 4. a. 1-5; Suppl. q. 95. a. 1-5.

---

[1] Cod. aa addit: *non quod habitus augeatur, sed.*

[2] Multi codd. pro *ratio* ponunt *non;* cod. L legit: *quod bene tenet, quod* [codd. G I M S U *quia*] *quantum ad hoc* etc.

[3] Cod. aa *obliviscuntur*. Inferius pro *corpus* edd. cum pluribus codd. *corpora*.

[4] Cfr. III. Sent. d. 14. a. 3. q. 1. ad 4.

[5] Cod. W *cum carentiam... removet.*

[6] Edd. hic et paulo inferius post *nihil vult* addunt *habere,* ac vocibus *et habet* interserunt *ideo.*

QUAESTIO II.

Utrum gloria corporis sit a gloria animae originaliter.

Secundo quaeritur de origine beatitudinis sive gloriae corporis, utrum sit a gloria animae originaliter. Et quod sic, videtur.

Argg. pro parte affirmativa.

1. Dionysius ad Dioscorum[1]: « Beatitudo non est corporum, sed ab animabus redundat in corpora ».

2. Item, gloria inest corpori per resurrectionem, et resurrectio per unionem animae: ergo ab anima inest corpori gloria.

3. Item, specialius videtur quoad *impassibilitatem:* quia, ut dicit Philosophus[2], « egrediente anima, exspirat et marcescit corpus »: ergo quod sit incorruptibile, hoc non habet nisi ab anima. — *Si dicas,* quod loquitur secundum statum istum; hoc non solvit, quia, sicut anima nunc continet corpus, ita et tunc; unde Augustinus de Vera Religione: « Corpus non habebit stabilitatem nisi per animam, et haec per Deum ».

4. Item, de *spiritualitate* videtur: quia super illud primae ad Corinthios decimo quinto[3]: *Novissimus Adam in spiritum vivificantem;* Glossa: « Quia spiritus perfecte adhaeret Deo, sic vivificat, ut corpus spirituale efficiat »: ergo manifestum etc.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Quandocumque aliquid est alicuius origo per redundantiam, similitudo est utrobique et univocatio; sed claritas corporis et spiritus sunt claritates aequivoce[4]: ergo haec non redundat in illam.

2. Item, omne quod est ab alio per redundantiam, illo separato, iam non inest: ergo si anima separaretur a corpore, corpus fieret obscurum; quod videtur inconveniens dicere[5].

3. Item, quod habet totaliter *esse* per redundantiam ab aliquo, illi coniunctum, participat proprietates illas sine aliqua immutatione ex parte sui: ergo si anima gloriosa uniretur modo corpori passibili, ipsum faceret impassibile; sed hoc non potest stare: quia, quod de passibili per naturam fiat impassibile, est a virtute infinita: ergo non ab anima.

4. Item, anima Christi summe erat gloriosa, et corpus summe passibile, ergo et habens alios defectus: ergo et huiusmodi defectus non privantur per gloriam animae, sed per qualitatem absolutam corporis: ergo etc.

CONCLUSIO.

Gloria corporis quoad dispositiones, quae sunt qualitates absolutae ipsius corporis, est a Deo corpus reformante, quoad consummationem est per influentiam animae gloriosae.

Respondeo: Dicendum, quod est loqui de dotibus corporis, in quibus eius glorificatio consistit, vel quantum ad *dispositionem*, vel quantum ad *consummationem.* Si quantum ad *dispositionem;* sic dico, quod dicunt dispositiones, quae sunt qualitates absolutae ipsius corporis, quae dantur sibi a Deo in eius reformatione. — Si quantum ad *consummationem*, sic dico, quod sunt a gloria animae sive ab anima gloriosa. Unde sicut in praesenti anima in corpus influit, et per illam influentiam corpus est coloratius, corpus est durabilius, corpus est virtuosius et agilius, quam cum anima separatur; similiter dico in proposito suo modo, quod anima gloriosa influens in corpus omnes dotes istas, ad quas *dispositiones* habebat, per sui reformationem *perficit et consummat.* Unde credo, quodsi corpus separaretur, quod etsi esset clarum et impassibile, non tamen ita ut nunc[6]. (Distinctio. Conclusio 1. Conclusio 2.)

Ad argg.

Ex his patent obiecta ad utramque partem. Nam primae rationes ostendunt, quod sunt in corpore per influentiam; quod quidem verum est quantum ad *consummationem.* Secundae rationes ostendunt, quod non sunt *totaliter* in corpore per redundantiam a gloria animae; et hoc quidem verum est[7]; praeexigitur enim, quod a Deo reformetur habile, et per influentiam animae illa habilitas consummetur.

---

[1] Ita quidem codd. et edd.; error tamen in ipsos irrepsisse videtur, cum inter epistolas Dionysii nulla ad Dioscorum habeatur. Inter epistolas *Augustini* haec epist. invenitur sub n. 118. (alias 56.), in eaque c. 3. n. 14. haec sententia continetur; verba vide supra pag. 1005, nota 4.

[2] Libr. I. de Anima, text. 90. (c. 5.), ubi etiam insinuatur quod *anima continet corpus.* — Verba August., de Vera Relig. c. 12. n. 25, sunt: Inde iam erit consequens, ut post mortem corporalem... hoc corpus restituatur pristinae stabilitati, quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo; quae rursus non per se stabilitur, sed per Deum, quo fruitur etc.

[3] Vers. 45. — Glossam exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.); sumta est ex August., Epist. 205. (alias 246.) c. 2. n. 11: Anima quippe in corpore *animali* vivit quidem, sed non vivificat usque ad auferendam corruptionem; in corpore vero *spirituali,* quoniam perfecte *adhaerens Domino unus spiritus est* [I. Cor. 6, 17.], sic vivificat, ut spirituale corpus efficiat etc.

[4] Aristot., de Praedicam. c. 1: *Aequivoca* dicuntur quorum nomen solum commune est, secundum nomen vero substantiae ratio diversa... *Univoca* vero dicuntur quorum et nomen commune est, et secundum nomen eadem substantiae ratio, ut animal et homo etc.

[5] Cfr. art. seq. q. 1. et sectio 2. a. 2. q. 1. — Superius pro *est ab alio* cod. F *est in aliquo.*

[6] Edd., post *clarum* addito *subtile, agile,* hic legunt: *ut tunc, quando anima beata erit sibi coniuncta.* Superius pro *ad quas dispositiones* plures codd. *ad quas dispositionem.*

[7] Cod. A addit *quantum ad dispositionem.*

Ad arg. 4. pro parte affirmativa. Ad illud quod obiicitur de spiritualitate, dicendum, quod verum est, ubi agens et patiens communicant in materia; sed non est ita in anima et corpore; unde anima, immobilis existens, per influentiam causat motum in corpore; sic et in aliis proprietatibus, sicut dicitur calor animalis sive[1] ab anima.

ARTICULUS II.

De dotium distinctione.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de dotium distinctione. Et circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur de numero et sufficientia dotium.

Secundo quaeritur de aequalitate ipsarum.

QUAESTIO I.

De numero et sufficientia dotium.

Quantum ergo ad primum proceditur sic. Dotes corporis consueverunt quatuor assignari, scilicet claritas, impassibilitas, subtilitas et agilitas. Sed quod debeant esse *pauciores*, videtur:

Ad oppositum. 1. Quia dotes sunt in corpore, secundum quod comparatur ad animam; sed anima tantum dupliciter comparatur, scilicet ut *motor* et ut *perfectio*[2]: ergo videtur, quod tantum sint *duae* dotes.

2. Item, tantum tres dicuntur esse vires, secundum quas anima regit corpus et perficiendo et movendo, scilicet *naturalis, vitalis* et *animalis;* et secundum hoc dicuntur tres spiritus in corpore[3]: ergo videtur, quod sint *tantum tres.*

3. Item, dotes animae sunt tres[4]: ergo si anima pluribus dotibus dotanda est quam corpus, si anima non habet *nisi tres,* nec corpus.

Contra: Quod sint *plures*, videtur:

4. Quoniam, sicut claritas facit ad pulcritudinem, ita et partium congruentia; unde Augustinus de Civitate Dei[5]: « Pulcritudo est quaedam partium congruentia cum quadam coloris suavitate »: ergo sicut claritas est dos corporis, sic et congruentia, et sic etc.

5. Item, sicut corpus ad hoc, quod sit animae congruum organum, requirit debitam qualitatem, ita etiam debitam quantitatem: ergo sicut assignantur dotes a parte qualitatis, ita etiam a parte quantitatis: ergo *plures* sunt quam quatuor dictae.

6. Item, Anselmus in libro de Similitudinibus[6] ponit, septem esse conditiones, quibus anima glorificatur in corpore: agilitatem, fortitudinem, libertatem, salutem, voluptatem, longaevitatem, pulcritudinem: ergo videtur, quod sint *multo plures* quam praedictae quatuor.

CONCLUSIO.

Dotes corporis erunt quatuor: claritas, impassibilitas, subtilitas et agilitas; quarum sufficientia quadruplici via insinuatur.

Respondeo: Dicendum, quod numerus istarum dotium sive qualitatum perficientium corpus accipitur ex Sapientiae tertio[7]: *Fulgebunt iusti et tanquam scintillae in arundineto discurrent:* in *fulgore* claritas; in *iustitia* impassibilitas, quia *iustitia est perpetua et immortalis;* in *scintillae* nomine subtilitas; in *discursu* agilitas. Conclusio 1.

Ratio autem istius numeri accipitur multipliciter a diversis. — Et primo modo secundum causam *finalem* hoc modo. Via 1. Dicunt enim, quod corpus[8] resurgit, disponitur et dotatur propter gloriam animae, quae consistit in perfecta *cognitione* cognitivae et *unione* affectivae. Ad *cognitionem* autem duo requiruntur, scilicet spiritualitas et luminositas, quia cognoscens debet esse spirituale et debet habere lumen; et ideo propter cognitionem animae est in corpore *subtilitas* et *claritas.* — *Unio* autem amoris est liberalis et fortis: *Fortis enim est ut mors*

---

[1] Cod. K (I a secunda manu) *esse*, edd. *esse vel exire.* Superius pro *spiritualitate* permulti codd. *subtilitate.* — Cfr. Fulgent., de Fide ad Petr. c. 29. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[2] Cfr. I. Sent. d. 8. p. II. q. 3.

[3] Cfr. Avicenna, I. Canon. Fen 1. doctr. 6. c. 4; de Viribus cordis, tr. 1. c. 1. seq.; Cantic. p. I. tr. 1. n. 81. seqq., et de Anima (sive Sextus naturalium), p. V. c. 8. — Superius cod. aa legit: *scilicet naturalis, quae est in hepate; vitalis, quae est in corde, et animalis, quae est in cerebro secundum medicos* (conveniunt Avicenna et auctor lib. de Spiritu et anima alias August. tributi, c. 20-23.).

[4] Vide supra p. I. q. 5.

[5] Libr. XXII. c. 19. n. 2: Omnis enim corporis pulcritudo est partium etc.

[6] Cap. 48. (inter opera Anselmi, liber est Eadmeri). Textus originalis *sanitatem* pro *salutem.*

[7] Vers. 7. — Seq. locus est ibid. 1, 15.

[8] Codd. K O R S (I a secunda manu) addunt *cum*, cod. E (a secunda manu) *quod.* Pro *dotatur* cod. L *ditatur.*

dilectio[1]. Propter libertatem debet esse corpus *agile*, propter fortitudinem et indissolubilitatem debet corpus esse *impassibile*. Et sic patet, quod quatuor sunt dotes.

Secundo modo accipitur secundum causam *efficientem*. Dotes enim huiusmodi in corpore, ut supra[2] ostensum est, consummatum et perfectum *esse* habent ab influentia animae in corpus. Anima autem in corpus influit dupliciter, scilicet ut *perfectio* et ut *motor*. Ut *perfectio* anima gloriosa influit vivificando *vita immortali*, ut *motor* movendo *motu infatigabili;* alioquin non esset gloriosa, nisi excluderet *mortem* et *poenam*. — Quia ergo vivificat *vita*, ideo necesse est, in corpore esse dispositionem ad vitam, et haec est lucis abundantia et *claritas*[3]; quia vero vita *immortali*, necesse est, corpus habere dispositionem ad immortalitatem, et ita est *impassibilitas*. — Quia vero *motu infatigabili* movet, ideo oportet, quod nihil *resistat*, et ideo *subtilitas* est in corpore; oportet etiam, quod nihil *retardet*, et sic *agilitas*. Et sic patet similiter, quod quatuor sunt.

Via 2.

Tertio modo accipitur secundum causam *formalem*. Dicunt enim aliqui, quod in corpore nostro, cum sit natura *caelestis concilians* et *elementaris*[4], modo dominatur *elementaris*, sed post dominabitur natura *caelestis*, quae est natura lucis; haec erit sicut *formalis* et completiva corporis. Et quia lux habet quatuor istas proprietates, sicut patet in radio, scilicet *claritatem*, quia illuminat; *impassibilitatem*, quia nihil ipsum corrumpit; *agilitatem*, quia subito vadit; *penetrabilitatem*, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit: sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes.

Via 3.

Quarto modo accipitur secundum causam *materialem* sic. Corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis. Et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis *defectibilitatem*. Ab *aqua*, quae est elementum humidum et passibile[5], habet *passibilitatem* et *corruptionem;* unde humidum aqueum corpus corrumpit. A *terra* vero habet *obscuritatem*, quia est elementum opacum. Ab *igne animalitatem*, quia calor consumit continue; ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab *aëre* vero habet *infirmitatem;* aër enim facillime immutatur et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quod corpus sit perfectum perfectione completa; ideo quatuor sunt dotes: contra corruptionem *impassibilitas*, contra obscuritatem *claritas*, contra animalitatem *spiritualitas*[6], contra infirmitatem *virtus* sive penetrabilitas.

Via 4.

Et haec ultima sumtio convenientior est inter omnes, quoniam concordat *auctoritati* et *rationi: auctoritati* Apostoli, primae ad Corinthios decimo quinto[7]: *Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione;* ecce impassibilitas. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* ecce claritas. *Seminatur in infirmitate, surget in virtute;* ecce penetrabilitas. *Seminatur animale, surget spirituale;* ecce agilitas. Unde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos removent. Similiter Augustinus, de Civitate Dei vigesimo secundo[8]: « Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio ». Omnis deformitas per *claritatem*, omnis tarditas per *agilitatem*, omnis infirmitas per *spiritualitatem*, omnis corruptio per *impassibilitatem*. — Concordat etiam haec suppositio[9] *rationi*. Dotes enim corporis dicunt non omnes qualitates, sed qualitates *nobiles* et *principales*, de novo superadditas naturae. Et quia de novo superadditae debent accipi secundum *naturales defectus*, et hi secundum *causas principales*, quae sunt quatuor elementa: patet, quod ista via inter omnes est magis congrua. Ex his patent obiecta.

Conclusio 2.

Probatur via 4. dupliciter.

Quid sint dotes.

1. 2. Quod enim obiicit, quod anima comparatur dupliciter vel tripliciter tantum; dicendum, quod anima secundum illas duas comparationes ad corpus, ut *motor* et *perfectio* requirit in corpore quatuor dispositiones, ut ostensum est prius.

Solutio oppositorum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod plures debent esse dotes animae quam corporis; dicendum, quod dotes *animae* attenduntur secundum potentias, sed dotes *corporis* secundum qualitates respicientes elementa; et ideo patet, quare illae tres, istae plures.

De dotibus animae.

4. 5. Ad illud quod obiicitur de congruentia partium et quantitate, dicendum, quod illa erit, quae nunc est, in quibus convenienter est; ideo non est aliqua de novo dos penes ipsam[10].

---

[1] Cantic. 8, 6: Quia fortis est etc. — Mox pro *libertatem* cod. V *liberalitatem*.

[2] Art. praeced. q. 2.

[3] Vide tom. II. pag. 319, nota 8. — De subnexis cfr. Aristot., II. de Caelo et mundo, text. 3. (c. 1.), ubi de *caelo* ait: Amplius autem impassibile omnis mortalis difficultatis est; amplius autem sine labore, propterea quod nulla indiget violenta necessitate, quae prohibens detineat ipsum etc. Vide supra pag. 990, nota 3.

[4] Cfr. II. Sent. d. 17. a. 2. q. 2.

[5] Vide Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 7. seqq. (c. 2. seq.). — Post pauca pro *corpus corrumpit* cod. F *corpora corrumpit*.

[6] Vat. cum cod. I (a secunda manu) *id est* (pro quo cod. I *sive*) *agilitas*. Post *penetrabilitas* Vat. addit *id est subtilitas*.

[7] Vers. 42-44: *Seminatur in corruptione, surget... Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*.

[8] Cap. 20. n. 3. — Inferius pro *per spiritualitatem* Vat. *per subtilitatem vel penetrabilitatem*.

[9] Codd. E F I L M P Y *sumtio*, edd. *positio*. Subinde pro *omnes* codd. I K *tantum*.

[10] Vide scholion ad 1. praecedentis art. quaest.

QUAESTIO II.

Utrum dotes corporis aequaliter sint in omnibus.

Secundo quaeritur, utrum dotes corporis aequaliter sint in omnibus, vel secundum magis et minus. Et quod *aequaliter,* videtur:

Ad oppositum. 1. Quia magis et minus dicitur per admixtionem contrarii minorem et maiorem, quoniam ibi tantum summum est, ubi nihil admixtum de contrario [1]; sed omnes dotes in omnibus Beatis nihil habent admixtum de contrario: ergo in omnibus sunt aequaliter.

2. Item, de *impassibilitate* videtur: quia primae ad Corinthios decimo quinto [2] super illud: *Alia claritas* etc.; Glossa: «In differenti gloria resurgent; sed hoc *communiter* habebunt, quod incorrupti erunt»: hoc ergo *commune* aut dicitur commune secundum *aequalitatem,* aut secundum *magis et minus.* Si secundum *magis et minus,* similiter et gloria; sed non dicitur gloria secundum *magis et minus:* ergo secundum *aequalitatem.*

3. Item, unum corpus non dicitur altero *subtilius,* nisi quia aliquid potest penetrare, quod non alterum; sed quodlibet corpus glorificatum poterit omne corpus penetrare: ergo etc.

4. Item, *agilius* est quod potest citius moveri; sed «quam cito volet spiritus, ibi *protinus* erit et corpus», ut dicit Augustinus de Civitate Dei vigesimo secundo [3]: ergo quodlibet est agile in summo. A simili ergo arguatur de *claritate* et aliis.

Contra: 1. Primae ad Corinthios decimo quinto [4]: Fundamenta. *Alia claritas solis* etc.: si ergo differens claritas, pari ratione et aliae dotes.

2. Item, dotes animae sunt secundum plus et minus, ut supra [5] ostensum est, quia liberius videt unus quam alter: ergo et dotes corporis.

3. Item, anima, quae plus servivit [6] et meruit, excellentiores habet dotes: ergo et corpus, per quod anima plus servivit Deo et meruit, debet similiter.

CONCLUSIO.

Corporis dotes erunt in diversis secundum plus et minus, et perfectius et minus perfectum.

Respondeo: Dicendum, quod dotes in corporibus Beatorum sunt secundum plus et minus, et perfectius et minus perfectum in diversis. Conclusio.

Ad cuius intelligentiam notandum, quod quaedam recipiunt magis et minus per *contrarii impermixtionem,* ut puta quando utrumque contrariorum est aliqua natura, ut album et nigrum [7]. Quaedam recipiunt magis et minus per *accessum ad complementum,* ut sunt illa quorum opposita sunt privationes, ut bonum et lucidum. Dico ergo, quod dotes corporis recipiunt magis et minus per *accessum ad terminum,* non per immixtionem contrarii. — Et per hoc patet solutio ad primum. Explicatur 1. distinctione. De 1. ad oppos.

Rursus, notandum est, quod in recipientibus magis et minus quaedam sunt, quae dicunt *privationem* simul et *positionem,* sicut *impassibile,* quod dicit virtutem ad non patiendum, et dicit privationem passionis; similiter *subtile* et *agile.* Et dico, quod quantum ad *privationem,* quia totum et universaliter privat, non recipit magis et minus [8]; sed quantum ad *positionem,* quae non est in summo, recipit magis et minus. — Et per hoc patent argumenta sequentia. Item 2. distinctione. De 2. 3. ad oppos.

Quod vero dicitur *protinus* etc., intelligendum est *sine retardatione,* non quia subito, sed repente [9]. De 4. ad oppos.

ARTICULUS III.

De sensuum remuneratione.

Consequenter quantum ad tertium articulum, circa hoc quaeritur de sensuum remuneratione. Et supposito, quod erunt [10] in patria — quia erit anima habens omnes suas potentias, cum nullam amittat, erit etiam corpus habens organa omnia — circa hoc duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum in patria omnes sensus habeant suos actus.

Secundo, utrum sensus illi, qui sunt in suo actu, cognoscant per receptionem speciei.

---

1 Secundum Aristot. supra pag. 394, nota 6. allegatum; cfr. ibid. nota 4.

2 Vers. 41. — Glossam exhibet Petr. Lombard. (in hunc loc.), post *sed hoc* addito *omnes.* — Circa finem arg. in codd. et ed. 1 omittitur *sed non dicitur gloria secundum magis et minus.*

3 Cap. 30. n. 1: Certe, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus. — Mox pro *est* Vat. *erit.*

4 Vers. 41.

5 Partis I. q. 6.

6 Edd. supplent *Deo.*

7 Ut docet Aristot. supra pag. 394, nota 6. — De hoc et seq. modo vide II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. — Superius pro *impermixtionem* Vat. *permixtionem.*

8 Cfr. supra pag. 99, nota 1. et d. 18. p. II. q. 4. ad 5.

9 Vide tom. II. pag. 324, nota 6. definitionem de *repente* ex Aristot. — Cod. aa addit exemplum *sicut lux ad orientem in occidentem.* — Vide scholion ad 1. praecedentis art. quaest.

10 Codd. BEL supplent *sensus.*

QUAESTIO I.

Utrum in patria omnes sensus habeant suos actus.

Quantum ergo ad primum ostenditur, quod *omnes* sensus erunt in suo actu:

Argg. pro 1. parte. 1. Quia nobilior est potentia coniuncta suo actui quam non coniuncta; sed omnes potentiae erunt ibi in statu nobilissimo: ergo omnes erunt coniunctae actui [1]: ergo etc.

2. Item, sicut anima appetit uniri corpori, ita sensus obiecto; sed ad hoc, quod anima perfecte glorificetur, necesse est uniri corpori, ut ille appetitus quietetur [2]: ergo similiter necesse est, sensum omnem uniri obiecto. Sed unio sensus ad obiectum est mediante actu: ergo etc.

3. Item, constat, quod corpus remuneratur, quia servit animae: ergo et sensus debet remunerari; sed omnis potentia nata delectari, si perfecte remuneratur, in perfecta delectatione constituitur; quiescit enim in illo, et haec quies est delectatio [3]. Et hoc potest probari *per simile* in damnatis, quia ibi erit continuus dolor in sensu: ergo in Beatis continua delectatio. Ex hoc arguo: nulla potentia delectatur, nisi in eo quod cognoscit; sed sensus non cognoscit se nec organum nec quod supra se est [4]: ergo cum solum obiectum cognoscat, delectatur in obiecto. Sed in illo non delectatur nisi in actu: ergo etc.

4. Item, summa delectatio potentiae est in suo actu: ergo si sensus ibi delectantur, in suis actibus ibi sunt [5]. *Praeterea*, si delectatur, sentit; sicut sequitur, si dolet, quod sentiat: ergo cum probatum sit [6], delectationem esse in omnibus sensibus, oportet, quod omnes sentiant.

5. Item, *visus* est in suo actu, qui est spiritualissimus; unde Iob decimo nono [7]: *In carne mea videbo Deum;* et Apocalypsis primo: *Videbit eum omnis oculus;* et Augustinus dicit, quod « visus reficietur in contemplatione humanitatis », in libro de Spiritu et anima. — Est etiam ibi sensus *tactus;* quod patet, quia unum corpus glorificatum poterit aliud amplexari, et iste est maxime materialis [8]. Quare, cum sit ibi actus sensus *spiritualis* et *materialis:* ergo et omnium sensuum.

Contra: Quod *nullus* sensus sit ibi in actu, videtur:

1. Quia omnis virtus finita plus potest in unum, quam quando dispergitur ad multa [9]; sed anima habet virtutem finitam: ergo et intensius moveretur, si in solum Deum moveretur cognitione et delectatione: ergo cognitio et delectatio sensuum minuit motum in Deum, ergo et gloriam. Sed nihil debet ibi esse tale: ergo etc. Pro 2. parte.

2. Item, si est sensus in actu, aut ille est *cum delectatione,* aut *sine.* Si *non est cum delectatione,* ergo non est in actu perfecto. Si vero *est cum delectatione;* sed quando aliquid delectatur in uno oppositorum, tristatur in reliquo; quando delectatur in medio, tristatur in extremis: ergo si delectatur in percipiendo, possibile est tristari [10]. — *Si dicas,* quod nihil sibi repugnat nec corrumpit propter incorruptibilitatem; saltem *carentia* rei inducit *tristitiam,* cuius *praesentia* afferebat *delectationem:* ergo etc.

3. Item, *quidam* sensus sunt propter indigentiam, ut patet de gustu, ad [11] restaurationem deperditi; sed tunc tolletur omnis indigentia: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sensus visus et tactus et fortasse etiam auditus erunt in suis actibus, alii vero non.

Respondeo: Dicendum, quod *posse sentire* est ex coniunctione potentiae cum organo bene disposito, *sentire* vero ex coniunctione ipsius cum obiecto [12]. Quoniam igitur ibi erunt potentiae iunctae organis bene dispositis, ibi erunt omnes *potentiae* sentiendi. Quoniam vero *obiecta* omnium sensuum non erunt in gloria, sed quorundam; ideo *quidam* Notandum. Notandum. Conclusio 1.

---

[1] Vide supra p. I. q. 5. fundam. 1.

[2] Cfr. supra a. 1. q. 1. fundam. 3.

[3] Secundum Aristot., X. Ethic. c. 4. — Post *in illo* Vat. supplet *obiecto,* et superius habet *servivit* pro *servit.*

[4] Vide I. Sent. d. 17. p. I. q. 2. ad 4, et II. Sent. d. 25. p. I. q. 3. in corp. — Edd. prosequuntur: *ergo cum nullum solum suum obiectum cognoscat, delectatur solum in obiecto suo; sed... nisi mediante actu: ergo* etc.

[5] Codd. I K *erunt,* non pauci codd. omittunt *ibi sunt,* pro quo edd. *delectantur.*

[6] In arg. praeced. — Aristot., II. de Anima, text. 20. (c. 2.): Ubi enim sensus est, et dolor et voluptas consequitur. Cfr. ibid. text. 27. (c. 3.). — Post *Praeterea* in edd. additur *bene sequitur.*

[7] Vers. 26. — Apoc. 1, 7. — Verba auctoris libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 9, vide tom. III. pag. 19, nota 5. — Superius pro *spiritualissimus* plures codd. *specialissimus.*

[8] Cfr. Bernard., Serm. 10. de Diversis, n. 4, et de Natura et dignitate amoris (inter opera Bernard.), c. 7. n. 16.

[9] Libr. de Causis, propos. 17: Omnis virtus unita plus est infinita quam virtus multiplicata. Cfr. Avicenna, de Anima, p. V. c. 7, ubi dicit, quod una potentia posita in actu impedit aliam et retrahit ipsam a sua operatione. — Pro *in unum* cod. K (I a secunda manu) *unita.*

[10] Codd. L X (bb a secunda manu) supplent *in contrario,* edd. *in non percipiendo.*

[11] Cod. F *qui est ad.*

[12] Vide Aristot., II. de Anima, text. 53. seqq. (c. 5.).

Ratio 1. erunt in *actu suo, quidam* vero *non.* — Obiecta enim *quorundam* sensuum sunt *proprietates absolutae,* quae reperiuntur in corpore glorificando [1], utpote color visus, et levitas ipsius tactus; et quia corpus gloriosum resurget cum luminositate et levitate, erunt ibi obiecta duorum sensuum; ideo isti sensus erunt in suis actibus. Obiecta vero *aliorum* sensuum non sunt *proprietates corporis glorificandi* (Conclusio 2.) nec *proprietates absolutae*, sed *emanationes* a corporibus, ut odor et sonus et sapor; et quia non erunt in patria, ideo etc.

Alia etiam ratio sumitur ex parte *medii:* quia (Ratio 2.) medium in *visu* potest esse omne quod habet rationem pervii, medium in *tactu* est caro sibi coniuncta [2]; et ideo, quia ista duo media erunt in patria, et isti duo sensus in suis actibus erunt, *alii* vero minime, deficientibus sibi mediis, nisi forte quis (Conclusio 3.) instet in *auditu,* de quo relinquitur in dubio, sicut de *laude vocali* in patria, quam ibi ponere nec videtur necessarium nec aperte falsum; et ideo hic opinari est licitum [3].

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod *omnes* (Ad argg. pro 1. parte.) erunt in actibus propter nobilitatem potentiarum maiorem; dicendum, quod est actus *perfectionis,* (Duplex actus.) et actus, qui habet *imperfectionem coniunctam;* et quoniam actus *gustandi* habet imperfectionem coniunctam ratione *status,* et similiter *olfactus* ratione *obiecti,* quod non glorificatur, et habet fieri per medium receptivum peregrinae impressionis [4]: ergo etc.

2. Ad illud quod obiicitur, quod appetit sensus (Notandum.) uniri; dicendum, quod alius est modus appetendi [5]; ille enim animae appetitus est ratione perfectionis *esse naturalis*, sed iste solum est quantum ad *bene esse;* et ideo ille non potest terminari, nisi corpus uniatur; iste potest, si in tali statu ponatur, quod illo obiecto non egeat.

3. 4. Ad illud quod obiicitur de delectatione, dicendum, quod delectatio est in sensu dupliciter: (Duplex delectatio.) una per *redundantiam,* alia per *obiecti praesentiam.* Per *redundantiam,* (Prima.) sicut quando anima est interius plena delectatione, ita inebriantur et potentiae sentiendi, quod nullo modo quaerunt nec egent exterius delectari; et haec delectatio erit praemium omnium sensuum et in omnibus [6]. Hanc autem delectationem non habent *a se* nec ab *actu suo*, sed ab *actu animae;* et ideo non oportet, quod propter istam sint sensus in suo actu. — Alia est delectatio (Secunda.) per *obiecti convenientis praesentiam;* et quia solum duo sunt sensus, qui habent obiecta gloriosa, ideo solum in duobus est; et hoc non est praemium, nisi valde accidentale, quia non magis est gloriosus sensus in illius praesentia quam absentia. — Aliud patet.

1. Ad illud vero quod obiicitur, quod *nullus* (Ad argg. pro 2. parte.) sit sensus, quia unus actus impedit alium; dicendum, quod verum est, quando unus non ordinatur ad (Notandum.) alium; non sic in proposito, sed actus *rationis* redundat in sensum, et actus *sensus* ordinatur et subservit actui rationis; et ideo unus vigoratur ex alio.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ubi delectatio, ibi tristitia; dicendum, quod quidam sensus delectatur in obiecto, quia est *conveniens, perficiens* et (Obiectum triplex.) *conservans,* utpote est obiectum respectu sensus corporis; quidam, quia est *conveniens* et *perficiens,* ut intellectus in intelligibili veritate [7]; quidam, quia tantum est *conveniens,* ut sensus gloriosus, *non perficiens,* quia interius perficitur, *non conservans,* quia incorruptibilis est; et talis non tristatur in *contrario,* quia non laeditur, nec in *absentia,* quia non efficitur imperfectus. Quod primo modo delectatur tristatur dupliciter; quod secundo, uno modo.

3. Ultima ratio concedenda est, quod illi sensus, qui sunt *per indigentiam,* non manebunt in suis actibus. Et sic patet totum.

SCHOLION.

I. De 1. quaestione nihil temere asserendum; tamen cum S. Thoma (supra d. 44. q. 2. a. 1. quaestiunc. 4; Suppl. q. 82. a. 4.), Scoto (hic q. 13. n. 12.) et Richardo (hic a. 4. q. 3.) alii theologi probabilius esse censent, *omnes* sensus ibi aliquam operationem habituros; nec ipsum *gustum,* de quo magis dubitatur, excipiunt, quamvis non per cibi externi sumtionem saporem habeat. — De *laude vocali* et *auditu* non dubitandum esse, iidem affirmant. — De delectatione *redundante* vide ad 3. pro 1. parte.

II. Conclusionem quaestionis 2. approbat S. Thom. (loc. cit. quaestiunc. et a. 3.); qui etiam distinctionem a S. Bonav. adhibitam in solut. ad 4. aliis verbis ponit, scilicet inter immutationem *naturalem* et *spiritualem* (locus refertur infra pag. 1021, nota 3.). In *naturali* immutatione recipitur physice eadem qualitas *naturalis* (v. g. calor), quae inest rei immutanti; in *spirituali* vero recipitur tantum *species* sive *intentio.* Haec autem immutatio, non illa, proprie facit sensus esse in actu, quin immutet *naturam* recipientis. Idem docent Scot. et Richard. locis citt.

---

[1] Cod. E *glorificato.* Inferius pro *glorificandi* cod. K (E I a secunda manu) *glorificati.*

[2] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 66-120. (c. 7. seqq.), et de Sensu et sens. c. 3. seqq.

[3] Beda, III. in libr. Nehemiae, c. 33. (sive Glossa in II. Esdr. 12, 27.): « Cymbala autem, psalteria et citharae, ipsa possunt corpora Sanctorum iam tunc immortalia intelligi, in quibus suavissimos laudationis suae sonos sunt Domino redditurі ». Glossa *ordinaria* apud Strabum in Ps. 149, 6: *Exaltationes Dei in gutture;* sic enim laetantur *in cubilibus* et *faucibus,* id est in corde et lingua, ut non sibi tribuant quod boni sunt, sed Deo etc. Cfr. August. in hunc loc. Vide etiam II. Sent. d. 2. p. II. dub. 1.

[4] Cfr. supra pag. 979, nota 1.

[5] Scilicet, quo appetit sensus uniri cum obiecto, quam quo anima cum corpore. — Post *uniri* edd. supplent *obiecto.*

[6] Vide supra a. 1. q. 2. — Pro *et in omnibus*, quod habent codd. C M O R S, cod. bb *in omnibus*, edd. et plures codd. *et omnibus* (alii addunt *sensibus*).

[7] Cfr. I. Sent. d. 1. a. 3. q. 1. ad 2. — Aliquanto inferius ante *in absentia* edd. omittunt *nec.*

QUAESTIO II.

Utrum sensus illi, qui sunt in suo actu, cognoscant per receptionem speciei.

Secundo quaeritur, utrum illi sensus, qui sunt in suo actu, cognoscant per receptionem speciei. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia omnis cognitio est motus ad animam[1]; sed omnis motus ad animam est in aliquid recipiendo: ergo etc.

2. Item, omnis cognitio est per unionem cognoscibilis cum cognoscente[2]; sed sensus gloriosus aliquid cognoscit, cui non unitur secundum veritatem, et cuius non habet per naturam speciem: ergo habet uniri mediante specie recepta.

3. Item, quanto speculum est clarius et purius, tanto est ad recipiendum magis idoneum; sed sensuum gloriosorum organa sunt purissima et denudata a formis obiectorum[3]: ergo etc.

4. Item, ordo naturalis est, ut obiectum influat in organum[4]; sed natura non tolletur per gloriam: ergo organum recipiet.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus in sexto Musicae[5], et est propositio per se vera: « Minus nobile non agit in magis nobile »; sed quod recipit ab alio patitur ab illo: ergo visus non poterit recipere a corporibus inferioribus, cum organum eius sit nobilissimum.

2. Item, orbis primus non recipit peregrinam impressionem propter sui nobilitatem et incorruptionem[6]: ergo si oculus est nobilior, patet etc.

3. Item, si est ibi receptio de novo; cum non sit receptio faciens esse sensum in actu, nisi adsit iudicium: ergo est ibi iudicium, ergo cogitatio animae, ergo nova cogitatio, et ita volubiles cogitationes; quod est contra Augustinum[7].

4. Item, immutationem et receptionem animalem antecedit immutatio naturalis[8]; sed corpus glorificatum et eius organum, cum sit incorruptibile, non recipiet naturalem immutationem: ergo etc.

CONCLUSIO.

Sensus glorificati cognoscunt recipiendo speciem a sensibili.

Respondeo: Ad hoc dixerunt aliqui, quod non est receptio *ab extrinseco;* sed anima omnium quae vult videre species facit in oculo, et videt, quia tunc ordo erit commutatus, quia non erit receptio veniens ab inferiori, sed a superiori. — Sed haec solutio non potest stare; primum quidem, quia perverteretur ordo, cum species spiritualis fieret corporalis, perfectum fieret imperfectum; secundo, quia ita videret absentia, ut praesentia, ita oculis clausis, sicut apertis. Opinio 1. Improbatur.

Secunda positio est, quod est sensus, sed non est intus suscipiendo, sed extra mittendo virtutem, quia non recipiet, sed influet. — Sed ista adhuc non potest stare, cum cognitio sit in unione, et[9] organa sint maxime habilia ad recipiendum. Opinio 2. Improbatur.

Tertia positio est, quod sensus glorificati cognoscunt recipiendo speciem ab ipso sensibili. — Et concedendae sunt rationes ad hoc. Opinio 3. et conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod minus nobile etc.; dici potest, quod non oportet, quod *obiectum* sit nobilius *organo,* in quod agit, *simpliciter,* sed *secundum quid,* in hoc scilicet, quod habet speciem, et *illud* est denudatum[10]; et hoc sufficit ad agendum. — Vel aliter dicendum, quod minus nobile non agit virtute propria, sed aliena; et in sensu glorificato est natura duplex in oculo, *perspicui* et *luminis;* quando igitur videt corpus se luminosius, illud corpus sua virtute facit speciem in oculo; quando vero minus luminosum, tunc virtute propria in se facit. Et sic patet illud. Solutio oppositorum.

[1] Vide tom. I. pag. 562, nota 10.

[2] Cfr. tom. I. pag. 68, nota 2.

[3] Respiciuntur verba Averrois: Omne recipiens debet esse denudatum a forma recepti (cfr. tom. III. pag. 322, nota 1.). — Cod. Y *elementorum.*

[4] Vide Aristot., II. de Anima, text. 59. seqq. (c. 5.), et de Sensu et sens. c. 1. seq.

[5] Cap. 5. n. 8. Vide supra pag. 932, nota 9. — Pro *per se vera* edd. *per se nota.*

[6] Vide supra pag. 979, nota 1.

[7] Libr. XV. de Trin. c. 16. n. 26. Cfr. supra pag. 901, nota 5. — De *antecedenti* vide tom. II. pag. 221, nota 4, et Aristot., III. de Anima, text. 10. (c. 4.): Sensitivo igitur calidum et frigidum *iudicat* [anima] etc. — Post *ibi iudicium* codd. L E addunt *quodsi iudicium.*

[8] Scilicet in organo sensus.

[9] Ita cod. K (I a secunda manu), cod. L (E a secunda manu) *cum etiam,* cod. P a secunda manu *cum organo, et cum,* alii codd. *cum,* edd., paulo superius voci *cum* praemisso *tum,* hic ponunt *tum cum.* — Cfr. Aristot., de Sensu et sens. c. 2: Irrationabile vero omnino est, exeunte quodam, visum videre etc.

[10] Scilicet, organum non habet speciem obiecti, et *sic* minus nobile est (cfr. fundam. 3.). — Secuti sumus cod. aa, alii codd. *denudandum* (scilicet obiectum), edd. *in videndo.* Aliquanto inferius post *sua virtute* edd. addunt *propria in se.*

2. Ad illud quod obiicitur de aliena impressione, quod non est in orbe; dicendum, quod ibi notatur[1] *aliena impressio*, quae est via ad corruptionem; sed de hac non intelligitur hic.

3. Ad illud quod obiicitur, quod cogitationes volvuntur; dicendum, quod *cogitationes volvi* est dupliciter: uno modo, quia intellectus non habet defixum aspectum in uno, et hoc modo est in via et non erit in patria; alio modo est, quod principaliter et continue videt unum et alia multa propter illud, et inter illa multa modo unum, modo aliud; et hoc bene erit in patria[2]; talis est in proposito.

Distinctio.

4. Ad illud quod obiicitur, quod immutatio naturalis praecedit; dicendum, quod immutatio naturalis est duplex: quaedam est per *receptionem et abiectionem*, ut calidi a frigido, et haec non erit; quaedam per *receptionem tantum*, ut perspicui a luminoso[3], et haec erit.

Duplex immutatio.

SECTIO II.

De gloria corporis in speciali.

Consequenter quaeritur de secundo articulo principali, scilicet de gloria corporis in speciali, quae consistit in quatuor dotibus. Et circa hoc, secundum quod quatuor sunt dotes, quatuor principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de dote impassibilitatis.
Secundo, de dote claritatis.
Tertio, de dote subtilitatis.
Quarto, de dote agilitatis.

ARTICULUS I.

De dote impassibilitatis.

Circa primum quaeruntur duo.
Primo quaeritur, utrum corpus sit passibile ab intrinseco.
Secundo, utrum sit passibile passione veniente ab extrinseco.

QUAESTIO I.

Utrum corpus gloriosum sit passibile ab intrinseco.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod non sit passibile ab intrinseco.

1. Augustinus, vigesimo secundo de Civitate Dei[4]: « Aberit a corporibus nostris omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis corruptio ».

Fundamenta.

2. Item, *ratione* videtur: quia passio corporis contristat animam; *corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam*[5]; sed gaudium beatitudinis est impermixtum tristitiae: ergo etc.

3. Item, si interius pateretur, ergo aliquando corrumperetur; sed anima gaudet de unione sui ad corpus, sed gaudium beatitudinis est perpetuum et securum[6]; hoc autem non esset, si esset dissolubile: ergo etc.

4. Item, anima gloriosa est perfectissima omnium formarum; sed sic est, quod aliqua forma est ita nobilis, quod omnino terminat appetitum suae materiae, ut forma corporis quinti[7]: ergo multo for-

---

[1] Edd. *vocatur*.

[2] Vide III. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. ad 1. — Superius pro *non habet* [non pauci codd. *habeat*] *defixum aspectum* edd. *aut habet defixum affectum*, et subinde cum pluribus codd. omittunt *videt*, pro quo codd. I K *videat*, codd. E P *habet*, cod. L *habeat*.

[3] S. Thom., IV. Sent. d. 44. q. 2. a. 1. quaestiunc. 3. ad 2: Si autem [aliquid] natum sit immutari *spiritualiter*, non oportet, quod immutetur *naturaliter*, sicut est de aëre, qui non est receptivus coloris secundum *esse naturale*, sed solum secundum *esse spirituale*, sicut e converso corpora inanimata immutantur per qualitates sensibiles solum naturaliter et non spiritualiter. In corporibus autem gloriosis non poterit esse aliqua immutatio naturalis; et ideo ibi erit spiritualis immutatio tantum. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[4] Cap. 20. n. 3. — Codd. E L post *deformitas* addunt *omnis tarditas*, quod textus originalis addit post *infirmitas*.

[5] Sap. 9, 15.

[6] Cfr. tom. II. pag. 449, nota 7. — Mox post *si* codd. L S supplent *corpus*.

[7] Quod est secundum doctrinam Aristot. naturaliter incorruptibile; cfr. II. Sent. d. 12. a. 2. q. 1; d. 14. p. I. a. 1. q. 2. in principio corp.; d. 17. a. 2. q. 2. in corp. (vide etiam ibid. d. 2. p. II. a. 1. q. 1. seq.). — Ex codd. E G K M O X (I a secunda manu) posuimus *quinti* (alii codd. et ed. 1 *uniti*) pro *empyrei*.

tius anima gloriosa appetitum sui corporis. Sed forma terminans appetitum materiae facit ipsam incorruptibilem: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Omne compositum ex contrariis est corruptibile et passibile; sed corpus gloriosum est huiusmodi: ergo etc. — *Si dicas,* quod non manent contraria, quia contraria non sunt secundum substantiam, sed secundum qualitates, et manent secundum substantiam, non secundum qualitates; *contra:* «A corporibus gloriosis, ut dicit Augustinus[1], vitia detrahentur, et natura servabitur»; sed qualitates elementares sunt eis naturales: ergo manebunt. — *Si dicas,* quod manent secundum essentiam, non secundum actum; *contra:* unumquodque nobilius est, quando est coniunctum actui, quam quando non: ergo etc. — *Si dicas,* quod actus ille est imperfectionis; *contra:* elementa plura impossibile est venire ad constitutionem corporis unius nisi per mixtionem, ergo necesse est, elementa misceri; sed ubi est mixtio, necessario est mutua actio et passio et qualitatum confractio; et ubi haec sunt, elementa sunt in suis actibus[2]: ergo etc.

2. Item, corpus gloriosum[3] erit nobilioris complexionis quam nunc; sed quanto aliquod corpus elementatum et animatum nobilioris est complexionis, tanto passibilius; quod patet, quia passibilius est corpus animalis quam plantae, et hominis quam bruti animalis: ergo corpus glorificatum magis quam nunc erit passibile.

3. Item, elementa miscentur in corpore illo: aut ergo *aequaliter,* aut *inaequaliter.* Si *inaequaliter;* sed inaequalis commixtio via est ad dissolutionem: ergo illud corpus erit dissolubile et passibile. Si *aequaliter,* aut adaequatione *punctali,* aut *citra.* Si adaequatione *punctali:* ergo omnia corpora essent eiusdem complexionis et nobilitatis; quod non est verum. Si *non punctali:* ergo unum aliquo modo excedit reliquum in virtute; sed excessus generat aliquo modo pugnam et litem, et haec dissolutionem[4]: ergo etc.

4. Item, aut *erit* in corpore *calor,* aut *non.* Si *non,* nec operatio animae, cum operatio motus et sensus et vitae sit mediante calore[5]. Quodsi *est ibi calor,* sed calor indiget pabulo, quia eius est consumere; sed omne quod indiget pabulo, est corruptibile et passibile: ergo etc.

CONCLUSIO.

Corpora glorificata erunt incorruptibilia ab intrinseco; tamen elementa in eis manent secundum substantiam, qualitates et duas tantum operationes.

Respondeo: Dicendum, quod omnes concordant in hoc, quod corpora illa sunt incorruptibilia et indefectibilia; sed rationem sumunt ex diversis causis. Conclusio 1. De causa est dissensus.

Quidam enim dicunt, quod elementa sunt in corpore glorioso secundum *substantiam,* non secundum *qualitates;* et ideo, quia «substantiae nihil est contrarium[6]», et ubi nulla contrarietas, non est pugna nec dissolutio; ideo etc. — Sed hoc improbatum est[7], quia natura debet remanere. Opinio 1. Improbatur.

Alii dicunt, quod sunt ibi secundum *qualitates;* sed qualitates non agunt nec patiuntur, et hoc divina virtute mirabiliter faciente. — Et hoc est iterum improbatum, quia, si miscentur, constat, quod franguntur et mutuo agunt et patiuntur. Opinio 2. Improbatur.

Tertii dicunt, quod sunt secundum *substantiam* et *qualitates* et *actus.* Sed tamen *actus* nunc *sunt in ipsa mixtione,* sed post *non,* quia in eis dominatur natura caelestis, quae omnino reconciliat elementa[8] et quasi naturam elementarem absorbet et transfert totum corpus in naturam caelestem; unde debetur ei locus caelestis et incorruptibilitas. — Sed illud est dubium, quomodo natura caelestis sit de compositione corporis nostri; non enim videtur componi nisi ex quatuor elementis[9]. Opinio 3. Non approbatur.

Et ideo aliter dicendum, quod elementa manent in corpore illo secundum *substantiam* et *qualitates* et *operationes.* Sed attendendum, quod quadruplex est operatio: una quantum ad *constitutionem,* et haec est mixtionis; alia quantum ad *conservationem,* et haec est ministerialis delatio caloris vitalis per corpus; tertia est pugnae *ordinans ad dissolutionem;* quarta exterioris impressionis, per quam alicuius elementi *operatio intenditur et pugna oritur.* Primae duae operationes manebunt; secundae duae non manebunt, quae[10] ordinant ad dissolutionem; et ideo corpus erit indissolubile. Opinio auctoris. Operatio quadruplex. Conclusio 2.

Ratio autem, quare non manent, est triplex. Prima est temperata mixtio, confringens contrarie- Ratio triplex.

[1] Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 17. — De praecedentibus vide supra pag. 976, nota 8. et d. 48. a. 2. q. 3.

[2] Cfr. Aristot., I. de Generat. et corrupt. text. 87. seqq. (c. 10.).

[3] Cod. G *glorificatum.*

[4] Respicitur Damasc., I. de Fide orthod. c. 4: Compositio enim causa pugnae, pugna dissidii, dissidium solutionis. Cfr. tom. II. pag. 464, nota 4.

[5] Vide supra pag. 907, nota 9, et Aristot., de Iuventute et senect. etc. c. 2. (c. 4.), ac II. de Anima, text. 50. (c. 4.).

[6] Aristot., de Praedicam. c. *de Substantia.* — Superius post *sed* codd. addunt vel *quidem,* vel *quidam.*

[7] In arg. 1. ad oppos., in quo etiam seq. opinio improbata est.

[8] Vide II. Sent. d. 14. p. I. a. 1. q. 2. fundam. 6. et corp. — Pro *omnino* codd. E F *omnia.*

[9] Cfr. II. Sent. d. 17. a. 2. q. I. seq. — Pro *non enim,* quod praebent codd. K O S (I a secunda manu), cod. E *cum non,* codd. F Z *cum tantum,* alii codd. *non tantum,* edd. *quia sic non tantum.* Inferius post *operatio* edd. cum uno alteroque cod. addunt *elementorum.*

[10] Cod. F *quia.* Pro *ordinant* cod. S *ordinantur,* et pro *dissolutionem* cod. F *corruptionem.*

tatem; secunda est elementarium appetituum quietatio; tertia est animae influentis conservatio. Et ratione primi non pugnant, ratione secundi non possunt pugnare, ratione tertii necesse habent quiescere[1].

Solutio oppositorum. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod compositum ex contrariis est dissolubile; dicendum, quod illud debet intelligi, quando contraria habent contrarios appetitus et interminatos[2].

Notandum. 2. Ad illud quod obiicitur, quod corpus nobilioris complexionis facilius patitur; dicendum, quod hoc non est verum, simpliciter loquendo, immo contrarium, quia est fortioris virtutis, nec habet locum in homine nisi ratione poenalitatum inflictarum.

3. Ad illud quod obiicitur, utrum in puncto; dicendum, quod non oportet; nec tamen mutuo pugnant, quia neutrum praevalet, licet aliquo modo excedat[3]. *Praeterea*, non appetit se multiplicare nec ab illo dividi; et ideo, etiam si excedat, non corrumpit aliud.

4. Ad illud quod obiicitur de calore, dicendum, quod ex complexione inaequali nascitur *calor elementaris consumens*, ex complexione vero aequali *calor caelestis conservans*; et ideo, quia tunc elementa erunt perfecta et contemperata, calor vitalis erit assimilatus naturae caelesti; et ideo non consumet nec indigebit pabulo. Distinctio caloris.

SCHOLION.

I. De *impassibilitatis* dote plures Lombardi commentatores tractant supra d. 44. Cfr. etiam Alex. Hal., S. p. III. q. 21. et 22, ubi, agens de transfiguratione et resurrectione Christi, plura ad rem propositam profert. — S. Thom. (d. 44. q. 2. a. 1. quaestiunc. 1; Suppl. q. 82. a. 1.) easdem primas tres opiniones circa *rationem* huius dotis recenset et improbat; sed pro *causa* impassibilitatis horum corporum hic tantum affert *perfectum dominium animae super corpus*, quo ligatae maneant qualitates elementorum, ut nunquam exeant in actum. Alibi (S. III. q. 45. a. 2.) videtur docere, hanc dotem esse *qualitatem immanentem*. Similia docet Richardus a Med. (hic a. 4. q. 2.). Scotus autem (hic q. 13.) vult, quod ex parte susceptivi non potest inveniri aliqua causa *intrinseca* huius impassibilitatis (n. 4.), nec ex dominio animae super corpus, vel aliqua dote in corpore (n. 6. 7.), sed quod causa est voluntas divina, non coagens causae secundae corruptivae (n. 9.). Idem sentit Durand. (d. 44. q. 4. n. 14.). S. Bonav. quadam via media incedit, etiam ex parte corporis dispositiones ponens; de quo cfr. etiam supra sect. 1. a. 1. q. 2. — Hic docetur pluralitas formarum substantialium in corpore. — De seq. q. alii non tractant specialiter.

De toto hoc articulo praeter citatos: B. Albert., d. 44. a. 13. 14. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 1. 2. — Dionys. Carth., hic q. 7.

II. Quoad dotem *claritatis* (a. 2.) S. Thom. (d. 44. q. 2. a. 4. quaestiunc. 1-3; Suppl. q. 85. a. 1-3.) ob auctoritatem Gregorii (arg. 1.) putat, probabilius esse, quod corpora gloriosa simul forent *clara et pervia*. Hoc non placet Scoto (hic q. 15.) nec Richardo a Med. (hic a. 4. q. 6.) nec Durando (d. 44. q. 8.). — Iterum controvertitur, utrum haec claritas fiat *effective* ab anima per quandam in corpus redundantiam, an vero tantum immediate a Deo. Primum docet S. Thomas (locis citt. et IV. c. Gent. c. 86.), et problematice favet Richardus; secundum praefert Scotus cum Durando et non paucis aliis.

Quoad seq. (2.) quaestionem communiter posteriores cum Praepositivo docent, Beatum posse et *ostendere* et *occultare* claritatem suam, et hoc, secundum S. Thomam, propter perfectum dominium animae super suum corpus; secundum Scotum, propter cooperantem actionem Dei.

De utraque huius articuli quaestione praeter locos citt.: B. Albert., d. 44. a. 27-31.

QUAESTIO II.

Utrum corpus gloriosum sit passibile passione veniente ab extrinseco.

Secundo quaeritur, utrum corpus gloriosum sit passibile passione veniente ab extrinseco, sicut igne, vel cultello. Et quod non, videtur:

Fundamenta. 1. Quia dicit Anselmus[4], quod « erunt omnipotentes suae voluntatis, sicut Deus suae »: ergo si voluntas animarum est in conservatione corporis: ergo nihil poterit corpus animae laedere.

2. Item, « omnis passio magis facta abiicit a substantia[5] »: ergo si est passibile ab exteriori, ergo potest fieri abiectio a substantia, ergo et corruptio. Sed supra probatum est, quod est incorruptibile et immortale: ergo etc.

3. Item, nihil compositum potest pati exterius, quod non possit pati interius; sed corpus gloriosum non potest pati interius[6]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Corpus gloriosum constat materialiter ex terra; sed terra non potest, manente forma, quam habet, tantum sublimari, quod sit igne superior: ergo manet infra ignem: ergo si inferius patitur a superiori[7]; sed tale corpus est inferius igne, videtur etc.

2. Item, corpus nobilissimum est inferius infimo spiritu quantumcumque peccatore[8]; sed spiritus peccatorum positus in igne patitur: ergo cor-

---

[1] Vide II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. seq. — Superius pro *confringens* cod. A *constringens*.

[2] Cfr. II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1. ad 2.

[3] Vide II. Sent. d. 17. a. 2. q. 3.

[4] Proslog. c. 25. — Superius pro *passibile* plures codd. *impassibile*. Inferius pro *est* cod. L *erit*.

[5] Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 6.). — Quod corpus gloriosum sit *incorruptibile*, ostensum est quaest. praeced.

[6] Vide quaest. praeced.

[7] Cfr. supra pag. 932, nota 9. — Mox pro *sed*, quod habent codd. A F Z aa, alii codd. *si*, edd. *et*. Superius pro *materialiter* codd. C E F *naturaliter*.

[8] Ut insinuat August. supra pag. 932, nota 10. relatus in oppositum eius, quod ignis infernalis non affligat spiritum. — Cod. G *corpus humanum quantumcumque nobilitatum est inferius... peccante* (etiam cod. aa *peccante*).

pus humanum quantumcumque nobilitatum potest ab igne pati.

3. Item, omne continuum divisibile, omne divisibile partibile [1], et omne partibile est passibile ab exteriori: ergo etc.

4. Item, quandocumque corpus durum obviat molli, necesse est illud dividere, si sit impellentia vehemens; esto igitur, quod cultellus obviet corpori glorioso, aut ergo est durius cultello, aut cultellus penetrat; sed non est durius, cum sit carneum: ergo etc.

CONCLUSIO.

Corpus gloriosum est impassibile ab extrinseco omni genere passionis corrumpentis.

Respondeo: Dicendum, quod corpus gloriosum Conclusio. est impassibile ab extrinseco omni genere passionis [2] Distinctio. corrumpentis. Haec autem est duplex, scilicet per *influentiam*, sicut ignis comburit corpus; et per *violentiam*, sicut cultellus dividit. — Prima non est Subdistinctio 1. membri. in corpore glorioso, quia *talis influentia* aut est secundum *ordinem iustitiae;* et haec est in daemonibus et peccatricibus animabus secundum ordinem iustitiae; in corpore glorioso non est talis passio, quia non meruit puniri. Alia est secundum *ordinem naturae;* et ista est solum, quando patiens est talis naturae, quod materia illa appetit esse sub alio actu, privatio enim est principium patiendi [3]. Quoniam autem in corpore glorificato iam terminati sunt appetitus; ideo, si gloriosum corpus poneretur in igne inferni, non laederetur.

1. 2. Et per hoc patet solutio ad duo prima, quia daemon patitur secundum *ordinem iustitiae,* Solutio oppositorum. licet sit superior *per naturam.* — Patet etiam secundum [4], quod terra patitur, quia materia est rationem habens privationis.

Alia est actio per *violentiam,* et de hac dicunt De membro 2. opinio 1. *aliqui,* quod non patitur, quia nemo est qui inferat; et si esset qui vellet inferre, corpus posset declinare. — Sed tunc secundum istam viam corpus Improbatur. Adam ante lapsum habuisset dotem impassibilitatis [5]. Ponatur etiam per impossibile, quod cultellus applicetur ventri, aut venter resistit, aut non. Si *non:* ergo patitur, et cultellus subintrat, et ita est passibile; si *resistit,* quaero: per quam naturam? Et dicunt aliqui, quod habet naturam quintae essentiae, quae non est secabilis nec divisibilis; unde si [6] quis iuxta solem esset et impingeret cultellum, non pertransiret; et non resisteret per *naturam duri et mollis,* sed quia *caret duritie et mollitie et passibilitate.*

Sed quia hoc difficile est intelligere, ideo dicen- Opinio auctoris. dum, quod corpus gloriosum non potest pati *per violentiam* corporis obviantis, quia omne corpus est pervium ei, et illud pertransit, sicut videbitur [7]. Unde sicut si aliquis haberet cultellum crystallinum, non expelleret radium per eius ictum, immo radius penetraret, unde non pateretur ab ipso; sic in proposito intelligendum, corpus gloriosum penetrare cultellum.

3. Quod ergo dicitur: omne continuum divisibile; intelligendum est de divisione mathematica, non de divisione naturali [8], de qua hic opponitur. Sic enim exponit Anselmus, quod illud intelligitur secundum intellectum, non secundum actum [9].

ARTICULUS II.

De dote claritatis.

Consequenter quaeritur de dote claritatis. De qua duo quaeruntur.

Primo quaeritur de ipsa in se.
Secundo, in comparatione.

QUAESTIO I.

Utrum corpora gloriosa sint pervia, an colorata, an luminosa.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum corpora illa sint pervia, an colorata, an luminosa. Quod autem sint *pervia*, videtur.

1. Gregorius super illud Iob vigesimo octavo [10]: Ad oppositum. *Non comparabitur* etc.: « Uniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non ab-

---

[1] Vide Aristot., VI. Phys. text. 1. seqq. (c. 1.).

[2] Edd. *actionis.* Paulo ante pro *impassibile* cod. aa *passibile.*

[3] Cfr. Aristot., I. Phys. text. 55. seq. et 80. seq. (c. 6. et 9.). — Cod. K (I a secunda manu) *quando patiens est sub aliquo actu et appetit* etc. Superius pro *Alia est* Vat. *aut est,* quod melius respondet praecedenti *aut est* nec non distinguit ab infra sequente propositione *Alia est actio per violentiam.*

[4] Quoad ordinem argumentorum est primum.

[5] Vide II. Sent. d. 19. a. 2. q. 1.

[6] Cum codd. P aa supplevimus *quis.*

[7] Art. 3. q. 1.

[8] Ut insinuat Aristot., I. Phys. text. 38. (c. 4.), docendo, in divisione carnis deveniri oportere ad minimam carnem, quae si ultra dividatur, non manere eandem speciem carnis; et III. Phys. text. 69. (c. 7.): Etenim dividitur in infinita continuum. Anselm., Proslog. c. 18, et de Fide Trinitatis, c. 3. seq. profert, quod omne compositum necesse est aut actu, aut intellectu posse disiungi. — In fine solut. fide codd. B C G N P Q U Y substituimus *actum* pro *habitum.*

[9] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[10] Vers. 17: Non adaequabitur ei aurum etc. — Verba Gregorii sunt ex XVIII. Moral. c. 48. n. 78.

scondet »: ergo membrorum corpulentia visui non obsistet; sed hoc non esset, nisi essent pervia: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia plus subtiliatur corpus per gloriam, quam possit [1] per naturam, aut artem; sed natura et ars de obscuro facit pervium subtiliando, utpote de cinere vitrum: ergo multo fortius illa.

3. Item, in visceribus corporis gloriosi est pulcherrima harmonia [2]; sed haec nata est delectare visum: ergo si corpora resurgent in eadem dispositione, in qua possunt perfecte delectare, ergo intus et extra; et hoc non possunt, nisi sint pervia: ergo etc.

Sed quod sint *colorata*, videtur:

Fundamenta. 1. Quia Augustinus, vigesimo secundo de Civitate Dei, capitulo decimo nono [3]: « Omnis pulcritudo est partium convenientia cum quadam coloris suavitate »; sed corpora gloriosa erunt pulcherrima: ergo habebunt suavitatem coloris.

2. Item, Philosophus [4] dicit, quod « color est extremitas perspicui in corpore terminato »; sed corpora gloriosa sunt corpora terminata, cum sint eadem, quae nunc, et habent naturam perspicui: ergo etc.

3. Item, ad hoc est *ratio:* quia ad colorem duo concurrunt, scilicet lux et quatuor qualitates [5]; sed ista sunt in corpore glorioso: ergo etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia corpora gloriosa erunt obiecta visus, non media videndi: ergo non erunt transparentia [6].

Sed quod sint penitus *luminosa*, videtur.

5. Matthaei decimo tertio [7]: *Fulgebunt sicut sol in regno Patris* etc.: si ergo sol nec *pervius* est nec *coloratus:* ergo etc.

6. Item, se ipsis videbuntur [8]: ergo erunt luminosa, non colorata.

7. Item, nobilior qualitas est pervietas quam color, et lux quam pervietas [9]; sed corpora illa erunt perfectissima inter corpora: ergo erunt potius luminosa.

CONCLUSIO.

Corpora gloriosa sunt simul colorata et luminosa.

RESPONDEO: Oportet, omnes concedere, quod corpora illa sunt *luminosa;* sed volunt aliqui, quod *simul* sint *luminosa* et *pervia* secundum aliam et aliam rationem: *pervia* propter subtilitatem, *luminosa* vero ratione claritatis et fulgoris superadditi. (Opinio 1.) — Sed ista positio non est conveniens, quia, si *pervia* essent, non terminarent visum nec haberent distinctionem in partibus, et ita oculi non possent discerni a naso. (Non probatur.) Et *iterum,* magnitudo luminis non patitur, corpus esse transparens, ut patet in sole, in quo est luminis aggregatio, et in candela.

Alii voluerunt dicere, quod essent *simul luminosa* et *colorata: colorata* per naturam quatuor elementorum et eorum qualitatum, ex quibus constat corpus humanum; sed *luminosa* ratione luminis superadditi. (Opinio 2. et conclusio.) Nec hoc est inconveniens, ut dicunt, sicut patet in noctiluca [10], quae est corpus coloratum, ut patet in die, sed lucens in nocte. — Et ista positio est convenientior: (Probatur.) quia constat, quod homines recognoscentur in patria; unde habebunt effigies, quas habuerunt, et aspectus oculorum gloriosorum pervenient usque ad superficiem corporis illius splendentis, sicut ensis per multam tersionem non amittit colorem, sed eius colori additur splendor; sic in proposito. Sicut etiam carbo per sui naturam alicuius coloris est, adveniente autem igne, efficitur *luminosus;* et tamen nihilominus est *coloratus,* quia est ibi lux materiae terrestri incorporata: sic in proposito intelligendum, quod corpus resurgens per naturam suam habebit colorem, et claritas luminis superinduet [11] ipsum sicut ignis carbonem.

Concedendae igitur sunt rationes, quod corpora gloriosa sunt colorata et luminosa secundum duplicem naturam, ut visum est.

(Solutio oppositorum.) 1. Ad illud quod obiicitur, quod corpulentia non abscondet mentem; dicendum, quod ex hoc non

---

[1] Cod. P supplet *fieri.*

[2] Respiciuntur hic et infra in solut. huius arg. verba August. superius pag. 910, nota 1. allata.

[3] Num. 2: Omnis enim corporis pulcritudo est partium congruentia cum etc.

[4] Libr. de Sensu et sens. c. 3. Vide tom. II. pag. 320, nota 5.

[5] Vide supra pag. 927, n. 10.

[6] Aristot., II. de Anima, text. 68. (c. 7.): Perspicuum autem dico quod est quidem visibile, non autem secundum se visibile... sed *propter* externum colorem.

[7] Vers. 43. — Haec 3 fundam. non valent quoad *exclusionem.*

[8] Multi codd. *videbunt,* cod. Z *se ipsos videbunt.* — Aristot., II. de Anima, text. 67. (c. 7.): Non est [color] visibilis sine lumine. Ibid. text. 162. (III. c. 3.): Sine lumine non est videre.

[9] Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 68. seq. (c. 7.), et de Sensu et sens. c. 3, ubi docet, perspicuitatem esse quandam naturam corporis, caelestibus et terrestribus (v. g. aëri, aquae etc.) communem, quae facit, ipsa secundum plus et minus participare coloribus; lumen vero esse actum perspicui. Vide II. Sent. d. 13. a. 2. et 3.

[10] Du Cange, Glossarium etc., sub voce *Noctianus* haec refert: *Nocticula* in Glossis antiquis... *luna* exponitur, ubi legendum forte *noctiluca,* quod nocte luceat. Ugutio *noctilucam* vermem esse ait, sic dictum, *quod noctu luceat.* — Superius pro *qualitatum* edd. *qualitatem* (sed cfr. fundam. 3.).

[11] Epist. II. Cor. 5, 2: Superindui cupientes etc.

sequitur, quod sint *pervia*, quia non magis videtur mens per corpus pervium quam per solidum; sed hoc vult dicere, quod ita cogitationes et affectiones habebunt intus in corpore, ut sint patentes.

2. Ad illud quod obiicitur, quod magis subtiliatur quam [1] per naturam vel artem; dicendum, quod non quaelibet subtiliatio facit pervietatem. Nam ubi est subtiliatio cum aggregatione luminis, non manet pervietas, ut patet in lumine candelae sive in flamma; et quia sic est in proposito, ideo etc.

3. Ad illud quod obiicitur, quod harmonia visum debet delectare; dicendum, quod harmonia illa nata est delectare visum, non corporalem, sed spiritualem; et hunc delectat et delectare potest, etiam si corpus non sit pervium; ideo patet, quod illud non valet [2].

QUAESTIO II.

Utrum corpora gloriosa possint claritatem suam secundum imperium animae oculis nostris occultare.

Secundo quaeritur de claritate in comparatione; et quaeritur, utrum corpora gloriosa possint claritatem suam secundum imperium animae oculis nostris occultare. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia Christus post resurrectionem apparuit discipulis in eadem effigie et colore, in quo prius; sed, sicut dicit Augustinus de Civitate Dei [3], « Christus sua resurrectione ostendit, quale sit futurum corpus nostrum »: ergo alia corpora similiter poterunt.

2. Item, corpus illud est in perfecta obedientia respectu animae: ergo apparet et resplendet secundum plus et minus, ut animae placet.

3. Item, claritas illa oculis non clarificatis est improportionalis: ergo quod ab eis videatur, est condescensionis: ergo occultatio ipsius a nostris oculis est de natura ipsius gloriosae lucis.

Ad oppositum. Contra: 1. Quanto aliquid luminosius est, tanto minus potest visum latere; sed corpus gloriosum est magis luminosum quam non gloriosum [4]; sed hoc non potest latere: ergo nec illud.

2. Item, lux se manifestat illuminando; sed illuminare est actus lucis naturalis et essentialis: ergo cum nihil possit privari actu essentiali, ipso salvato in *esse;* impossibile est, quin corpus gloriosum irradiet, ergo [5] quin illuminet et se visui manifestet.

3. Item, sicut se habet *pati* ad *impassibile,* ita *occultari* ad *lucem;* sed corpus gloriosum non potest pati, quia est impassibile [6]: ergo nec occultari, cum sit luminosum.

CONCLUSIO.

Corpora gloriosa possunt claritatem suam secundum imperium animae oculis nostris occultare, sed etiam ostendere.

Opinio 1. Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod claritas corporis gloriosi *visui glorioso* est manifesta et ei occultari non potest, *oculo non glorificato* est occulta et ei non potest manifestari, quia est ei improportionalis; unde quia *occultare* est de manifesto occultum facere: ideo dicunt simpliciter, quod non potest. Nec est trahendum ad consequentiam de Christo, quia Deus erat [7]. — Non probatur. Sed istud est mirum dicere, quod claritas corporalis omnino sit improportionalis et occulta; et quia, si non in se, saltem posset videri in irradiatione. Et *praeterea* videtur Christus non mirabilia fecisse, sed argumenta resurrectionis ostendisse [8].

Opinio 2. Et ideo aliter dicendum, quod corporis qualitas secundum exigentiam eius, in quo est, agit. Corpus autem gloriosum est subtile et per subtilitatem suam potest omne non gloriosum *penetrare,* ut infra [9] patebit; potest etiam *resistere.* Et ideo dico, quod quia corpus gloriosum per effectum spiritualis potentiae potest omne corpus *penetrare,* potest et penetrare oculum; et tunc non erit obiectum eius et ideo potest *latere.* — *Rursus,* quia potest corpori se *obiicere,* potest et claritatem suam omnino ostendere, licet oculus obtundatur et non comprehendat. Conclusio. Et quia potest *omnino latere* penetrando subtiliter, et

---

[1] In cod. E secunda manus addidit *quam,* quod recepimus; edd. supplent *per gloriam, quam.*

[2] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[3] Libr. X. c. 29. n. 2. Vide supra pag. 895, nota 6. — De *maiori* cfr. Luc. 24, 39. et Ioan. 20, 20.

[4] Vide quaest. praeced.

[5] Edd. *ergo impossibile est.*

[6] Ut ostensum est art. praeced.

[7] Respicitur regula iuris supra pag. 825, nota 3. allegata.

[8] Sicut insinuatur Act. 1, 3. Cfr. I. Cor. 15, 4. seqq. — Pro *mirabilia* Vat. *miracula.*

[9] Art. seq.

omnino patere se obiiciendo visibiliter; potest et *medio modo* plus et minus se ostendere. Unde si hic esset anima gloriosa cum corpore glorificato, plus et minus posset de sui corporis claritate oculis nostris claudere [1], et hoc per naturam illam, qua non tantum *clarum* est, sed *penetrativum* et *spirituale*. — Et concedendae sunt rationes ad hanc partem.

Solutio oppositorum.

1. Ad illud quod obiicitur, quod quanto luminosius, tanto minus potest visum [2] latere; dicendum, quod verum est per naturam *luminis;* potest tamen per naturam *spiritualitatis* et *subtilitatis*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod lux se manifestat illuminando; dico, quod non tantum *illuminando*, sed etiam oculis intuentium *se obiiciendo;* et quia potest esse, quod corpora gloriosa radios penetrent visibiles corporis non gloriosi; ideo etc.

Distinctio.

3. Ad aliud dicendum, quod *occultari* est dupliciter: vel propter obscuritatem a parte *obiecti*, et de hac verum est, quod lux non potest occultari; alia est per impotentiam a parte *oculi*, quia non potest ibi figi [3] propter excellentem subtilitatem, et haec luci non repugnat, sicut passibilitas impassibilitati. Et primo modo impossibile est, lucem occultari, secundo modo est verum et possibile [4].

ARTICULUS III.

De dote subtilitatis.

Consequenter quaeritur de dote subtilitatis, de qua duo quaeruntur.

Primo quaeritur de ipsa in se.

Secundo, de ipsa per comparationem ad actum nostrum.

QUAESTIO I.

Utrum corpus gloriosum possit penetrare omne aliud corpus.

Quantum ergo ad primum quaeritur, utrum corpus gloriosum possit penetrare omne aliud corpus non gloriosum. Et quod sic, videtur:

Fundamenta.

1. Quia dicitur Ioannis vigesimo [5]: *Cum fores essent clausae,* quod *Iesus stetit in medio;* et Gregorius dicit, quod propter subtilitatem ostia clausa non obstiterunt: ergo etc.

2. Item, *ratione* videtur: quia corpus gloriosum in suo [6] motu non potest retardari, ergo nec impediri; et si non potest impediri, ergo nihil potest ei resistere: ergo in suo motu potest omne corpus penetrare.

3. Item, si non potest penetrare omne corpus; cum possibile sit, illud includi, possibile esset incarcerari; sed esse in carcere est miseriae: ergo possibile est, beatum fieri miserum [7].

4. Item, Damascenus [8]: « De Christo Domino post resurrectionem quaedam dicuntur secundum *dispensationem,* ut cicatrices, cibatio, potatio; quaedam secundum *naturam,* ut transire de loco ad locum infatigabiliter et clausis ianuis, intrare »: ergo si hoc est de natura corporis gloriosi, patet etc.

Ad oppositum.

Contra: 1. Cum subtile et rarum obviat duro, non penetrat, sed penetratur, ut patet, quia lapis dividit aëra et transit per ipsum: si ergo corpus gloriosum est subtile, ergo per illam dotem [9] non contingit sibi *penetrare,* sed potius *penetrari.*

2. Item, corpus gloriosum non est maioris subtilitatis quam radius vel aër; sed radius sua subtilitate non penetrat corpora opaca, et aër non penetrat nisi porosa: ergo corpus gloriosum non potest omnia penetrare.

3. Item, si penetrat, aut hoc est *dividendo,* aut *subintrando per poros,* aut *simul coexistendo.* Si *dividendo;* sed quaedam sunt corpora indivisibilia et insecabilia; item, sunt alia, quae, si dividuntur, nunquam reiungentur; sunt et alia, quae, si dividuntur, corrumpuntur: ergo cum corpus gloriosum nihil destruat, quod non possit destrui [10], sed etiam quod possit; non omnino poterit penetrare saltem

---

[1] Cod. L et ed. 1 *ostendere,* Vat. *claudere et ostendere.* Subinde ex codd. E L Z (A a secunda manu) substituimus *qua* pro *quia;* post *spirituale* Vat. addit *id est agile* (cfr. infra a. 4.).

[2] Permulti codd. omittunt *minus* et *visum.*

[3] Respiciuntur verba August. in lit. Magistri I. Sent. d. II. c. 1. proposita et ibid. Comment. dub. 2. explicata. — Pro *per impotentiam* non pauci codd. et ed. 1 *per* (cod. Z *propter*) *potentiam.*

[4] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

[5] Vers. 19: Cum ergo sero esset... et fores etc. — Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1: Quid ergo mirum, si clausis ianuis post resurrectionem suam in aeternum iam victurus intravit, qui moriturus veniens non aperto utero Virginis exivit?

[6] Multi codd. *in sui.*

[7] Cod. aa addit: *quod est impossibile.*

[8] Libr. IV. de Fide orthod. c. 18; pluribus interiectis.

[9] Pro *dotem,* quod in permultis codd. et ed. 1 desideratur, cod. bb (E a secunda manu) *naturam.*

[10] Cod. S addit *patet etc.,* et deinde pro *sed* substituit *Dato;* cod. M legit: *destrui, videtur, quod non possit omnia penetrare, saltem empyreum.* Allegatur communiter Iob 37, 18: Qui [caeli] solidissimi quasi aere fusi sunt.

empyreum. — Si *subintrando per poros;* sed pori sunt discontinui: ergo necesse esset, corpus gloriosum discontinuari. — Si *simul coexistendo;* sed impossibile est per naturam, duo corpora esse simul [1]; sed gloria non aufert naturam; ergo etc. Quod autem duo corpora esse simul, in philosophia sit impossibile, dicit ratio *ostensiva:* quia corpori debetur locus ut propria mensura [2], sed multiplicato mensurato, necesse est, multiplicari mensuram propriam: ergo etc.

4. Item, sicut se habet unum locatum ad plura loca, ita plura locata ad unum locum; sed unum locatum impossibile est esse in pluribus locis simul: ergo nec plura locata possunt esse in eodem loco simul.

5. Item, hoc videtur *per impossibile:* quia tunc accipiatur corpus aequalis magnitudinis, ut corpus gloriosum; tunc ista duo omnino conterminantur, ergo soliditas in soliditate et superficies in superficie et linea in linea et punctus in puncto; sed duo indivisibilia sunt simul unum [3]: ergo etc.

6. Item, trahatur linea a centro illius distantiae ad punctum circumferentiae per medium corpus glorificatum, et rursus alia ab eodem puncto ad idem per corpus non glorificatum; aut est *una* linea, aut *duae.* Si *una,* ergo corpus gloriosum et non gloriosum sunt unum; si *duae* lineae, tunc videntur inconvenientia tria: primum, quod ab eodem puncto ad idem punctum possunt esse duae lineae rectae, et ita duae lineae rectae, inter quas non cadit superficies media; et *rursus,* duae lineae rectae habentes eosdem terminos, cum lineae multiplicentur per terminos; *item,* duae lineae rectae faciunt figuram. Quae sunt tria maxima inconvenientia secundum Philosophum [4].

7. Item, si corpus gloriosum potest propter sui subtilitatem coexistere et penetrare corpus grossum [5], multo fortius aliud subtile: ergo duo corpora gloriosa possunt esse simul; et si duo, pari ratione tria; et si hoc, tunc omnia.

CONCLUSIO.

Corpora gloriosa habent dotem penetrabilitatis.

Conclusio.

Respondeo: Omnes concedunt, quod corpora gloriosa habent dotem penetrabilitatis [6]. — Sed quidam dicunt, quod hanc habent, quoniam omnia corpora eis subiacent et obediunt, et ipsam virtutem habent super omnia. Unde dicunt, quod sicut aër cedit sagittae, sic omne corpus *cedit* corpori glorioso.

De ratione opinio 1.

— Sed illud improbatum est [7], quia qua virtute seiungeretur lapis, si per ipsum transiret, et caelum similiter et corpus hominis non gloriosi.

Improbatur.

Alii dicunt, quod *non cedit;* sed quia omnia corpora quodam modo sunt porosa, et corpus glorificatum habet rationem et naturam lucis, quae tota per essentiam salvatur in puncto et dilabitur, quando non habet resistentiam; volunt, quod corpus gloriosum pertranseat, et non per poros multos, sed potest per unum.

Opinio 2.

— Sed illud adhuc videtur inconveniens. Ponamus enim, corpus aliquod non esse porosum; tunc per illud non posset transire. *Item,* quomodo est intelligendum, quod corpus gloriosum efficiatur ita modicum, sicut porus, quin deperdatur eius figura, eius quantitas et mensura? Ideo non est conveniens haec positio.

Improbatur.

Alii ponunt, quod quia corpus est in perfecta obedientia respectu intellectus, et intellectus [8] potest abstrahere a quantitate naturam secundum *intelligentiam,* et tunc abstrahere poterit secundum *veritatem;* et tunc corpus, abstracta quantitate, habet corporis *substantiam* et *spiritualitatem.* Unde sicut spiritus est simul cum corpore et a corpore non impeditur; sic glorificatum corpus cum non glorificato.

Opinio 3.

— Sed hoc est impossibile et non intelligibile, quod sit corpus vivens et organicum, et non sit corpus quantum [9]; ideo hoc non est ponendum. Qualiter enim salvetur organizatio et membrorum distinctio in corpore a quantitate abstracto; hoc non video.

Improbatur.

Alii vero dicunt, quod corpus gloriosum potest esse in eodem loco cum non glorioso; unde penetrat subintrando per totum, non per poros; et hoc potest sic intelligi. Quod enim duo corpora naturalia non possunt esse simul in eodem loco, non est eo, quod sunt *duo;* ante enim per naturam sunt duo, quam sint in uno loco vel duobus, quia per suas formas. Et hoc patet, quia duo puncta et duae lineae et duae superficies simul sunt in contactu physico, quia « contigua sunt quorum termini simul », et « simul sunt, quandocumque in eodem loco primo sunt [10] ». Quod ergo non sunt simul, hoc

Opinio 4, probata ab auctore.

---

[1] Vide tom. II. pag. 324, nota 9, ubi loci ex Aristot. allati sunt.

[2] Cfr. Aristot., IV. Phys. text. 30. (c. 4.). — Vat. addit *proprio mensurato.*

[3] Vide tom. II. pag. 226, nota 2.

[4] Euclid., I. Geometr.: « Superficiei autem fines lineae sunt ». Idem inter *petitiones,* quae sunt in geometria, recenset hanc: « Prima, ut ab omni puncto in omne punctum *recta linea* [i. e. quae aequaliter in suis protenditur punctis, et ideo *una* tantum potest esse] ducatur, postulat ». « Rectilineae figurae sunt quae sub rectis lineis *continentur;* trilatera quidem figura est, quae sub tribus rectis lineis continetur » etc. Idem docet Aristot., de Praedicam. c. *de Quanto;* II. de Caelo et mundo, text. 22. (c. 4.), et praesertim lib. de Lineis insecabilibus. — Cod. L *secundum philosophiam.*

[5] Cod. F *corpus non gloriosum.*

[6] Vat. addit *id est subtilitatis.* Inferius pro *hanc* codd. *hoc,* et pro *ipsam* edd. cum paucis codd. *ipsa.*

[7] Cfr. hic arg. 3. ad oppos. — Post pauca substituimus *seiungeretur* ex cod. G pro *reiungeretur.*

[8] Cod. A *intellectus autem nunc,* qui etiam inferius pro *corporis substantiam et spiritualitatem* substituit *substantiam spiritualitatis.*

[9] Vide supra pag. 219, nota 5.

[10] Aristot., V. Phys. text. 22. (c. 3.): *Simul* igitur dicuntur haec esse secundum locum, quaecumque in uno loco sunt primo; *separatim* autem, quaecumque sunt in altero. *Tangere*

est propter *corpulentiam ipsorum*, et quia unum non est alteri pervium. Si ergo ita sit, quod alterum habeat subtilem corporeitatem et penetrativam virtutem respectu alterius; tunc quidem poterunt esse simul. Et quoniam in dote penetrabilitatis datur corpori subtilitas et virtus activa ad penetrandum non glorificatum; ideo penetrat, illo non cedente. — Corpora vero mathematica et lineae et puncta ideo plura sunt, quia distantia; et ideo impossibile est, duo corpora mathematica vel duas lineas vel puncta esse simul, vel etiam mathematicum cum naturali, sicut vult Philosophus [1].

Duo requisita.

De corporibus mathematicis.

1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod subtile dispositum est penetrari, non penetrare; dicendum, quod hoc est verum, ubi est subtilitas raritatis ad *patiendum;* sed hic est subtilitas iuncta *virtuti agenti,* sicut patet in igne et radio.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod aequalis subtilitatis est radius; dicendum, quod etsi sit aequalis subtilitatis, non tamen est tantae virtutis in penetrando; et utrumque requiritur, ut visum est.

3. Ad illud quod obiicitur, quod duo corpora non possunt esse simul; iam patet responsio: quia, si intelligatur de corpore secundum *esse naturale,* non habet [2] hoc, quia *corpus*, sed quia habet *corpulentiam.* — Quod ergo obiicitur de mensura, dicendum, quod duplex est mensura, scilicet *intra* et *extra.* Mensura *intra* est propria et multiplicatur secundum multiplicationem mensurati, quia est unigenea mensurato; mensura *extra* non oportet, quod multiplicetur in quantum *mensura;* sed si multiplicatur, hoc est propter indigentiam vel incompossibilitatem mensuratorum.

Notandum.

Duplex mensura.

4. Ad illud quod obiicitur, quod unum corpus non potest esse in pluribus locis, ergo nec unus locus continet duo corpora; dicendum, quod non est simile: quia primum facit *finitas* [3], qua creatura non privatur per gloriam; secundum facit *corpulentia* et grossities, quae aufertur per gloriam.

5. 6. Ad illud quod obiicitur de punctis et lineis, dicendum, quod non habent distinctionem manifestam, quae est secundum *distantiam,* sed distinctionem naturalem, quae est secundum *diversam substantiam*, quae simul in suis naturis coexistunt. Ipse vero opponit, ac si esset distinctio secundum *esse mathematicum* [4].

Notandum.

7. Ad illud quod obiicitur de corpore glorificato, utrum possit esse simul cum alio; aliqui dixerunt, quod sic, sicut duo radii et lumina simul sunt secundum Dionysium [5]. Sed tamen hoc non credo, quia unum non est materiale respectu alterius nec pertransibile alio; et ideo, quamvis sit ibi subtilitas, deficit tamen penetrabilitas. Nec est simile de luminibus, quia formae sunt habentes multiplicationem non a *subiecto, in quo sunt,* sed a *principio effectivo,* sicut dicit Dionysius; et ideo plura corpora gloriosa non possunt esse simul, sicut gloriosum cum non glorioso.

Solutio aliorum non probata.

Notandum.

SCHOLION.

I. Rationem *subtilitatis* S. Thom. iterum repetit ex perfecto dominio animae glorificatae super corpus; Scotus vero dicit, eam esse extrinsecus a voluntate et potentia divina. — Insuper antiqui Scholastici sustinuerunt, corpus gloriosum ipsa dote subtilitatis posse in eodem loco simul esse cum alio corpore non glorioso, vel ut alii opinabantur, etiam glorioso; quod ut explicarent, varios modos excogitarunt, ut patet in littera auctoris. Opinionem S. Doctoris, quod tale corpus per quandam *spiritualitatis* proprietatem possit non occupare locum et per virtutem activam aliud corpus penetrare, placuit etiam Petro a Tar. et primitus B. Alberto, qui tamen postea (d. 44. a. 25; cfr. a. 23. 24. 26.) retractavit (« sine praeiudicio aliorum »). S. Thom. docet, non *vi huius dotis,* sed *sola divina virtute* corpus gloriosum posse simul esse in eodem loco cum alio corpore non glorioso, vel etiam glorioso; immo de quocumque corpore idem affirmat (d. 44. q. 2. a. 2; Suppl. q. 83. a. 1-5.). Sequentem vero quaestionem (2.) eodem modo solvit, ac S. Bonav. — Richard. a Med. sequitur sententiam S. Thomae, tamen dubius est, utrum etiam *duo corpora gloriosa* possint esse simul in uno loco; quod auctor noster negat. Cum Scotus ipsam hanc dotem tribuat immediatae efficientiae potentiae divinae; sibi constans docet, istam possibilitatem coexistentiae pariter non nisi a divina operatione oriri.

De utraque huius articuli quaestione praeter laudatos: Scot., hic q. 16. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 3. — Richard. a Med., hic a. 4. q. 4. 5. — Durand., d. 44. q. 5. 6. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 7.

II. Circa causam efficientem, unde *agilitatis* dos (a. 4.) repetenda sit, secundum iam tacta principia Scotus ab aliis recedit, cum non admittat proprie aliquam *dispositionem* seu qualitatem *supernaturalem* ad agilitatem *ab anima glorificata acquisitam,* licet virtus corporum motiva fiat perfectior. — Multiplex porro fuit opinio de quaestione, utrum motus Beatorum fiat *in instanti;* quod cum Scoto aliisque negat S. Thom., cum *probabilius* sit, haec corpora moveri *in tempore,* sed imperceptibili propter brevitatem (locis infra citt. quaestiunc. sive art. 3.); cui favet S. Bonav. q. 1. ad 1. — Alteram quaestionem S. Thomas similiter solvit (quaestiunc. sive art. 2.).

De utraque huius articuli quaestione: Scot., hic q. 14. — S. Thom. d. 44. a. 3; Suppl. q. 84. a. 1-3. — B. Albert., d. 44. a. 17-22. — Petr. a Tar., loc. cit. a. 4. — Richard. a Med., loc. cit. q. 7. 8. — Durand., loc. cit. q. 7.

[contigua] autem, quorum extrema sunt simul. Cfr. ibid. VI. text. 1. — Vat. omittit *et simul.* Aliquanto inferius post *penetrabilitatis* Vat. addit *id est subtilitatis*, et pro *subtilitas* cod. P substituit *penetrabilitas.*

[1] Libr. IV. Phys. text. 76. (c. 8.); ubi docet, quod corpus cubum, si ab omnibus *qualitatibus* sensibilibus separatum fuerit, in aqua adhuc aequale spatium occuparet et aquam penetrare non posset. Averroes hunc locum exponens ait: Impossibilitas penetrationis corporum accidit eis ex suis terminis *mathematicis*, non ex suis accidentibus *sensibilibus.*

[2] Edd. *tenet.* Aliquanto inferius pro *unigenea* ed. 1 *homogenea;* et pro *compossibilitatem* substituimus ex codd. E L Z *incompossibilitatem.*

[3] Cfr. II. Sent. d. 2. p. II. a. 2. q. 2. et 4.

[4] Plures codd. et edd. *metaphysicum.*

[5] De Div. Nom. c. 2. § 4, ubi etiam insinuatur responsio,

QUAESTIO II.

Utrum corpus glorificatum sit palpabile a tactu non glorificato.

Secundo quaeritur de subtilitate per comparationem ad actum nostrum; et quaeritur, utrum corpus glorificatum sit palpabile a tactu non glorificato. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Lucae ultimo [1]: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet.*

2. Item, Gregorius in homilia [2]: « Palpabile fuit per veritatem naturae et subtile per effectum spiritualis potentiae ».

3. Item, *ratione* videtur: quia in corpore glorioso erit veritas carnis et ossis; sed caro est mollis, et os durum; sed durum et molle sunt obiecta tactus [3]: ergo etc.

4. Item, corpus gloriosum potest immutare visum [4]: ergo eadem ratione potest immutare tactum.

Ad oppositum. Contra: 1. Gregorius [5]: « Corrumpi necesse est quod palpatur »; sed gloriosum corpus est incorruptibile: ergo et impalpabile.

2. Item, Ioannes Chrysostomus in quadam homilia [6]: « Dignum est quaerere, qualiter corpus incorruptibile tangibile fuit mortali manu; sed ne tumultueris; condescensionis enim fuit ».

3. Item, *ratione* videtur: quia omne quod sentitur tactu, sentitur aut per *resistentiam,* aut *qualitatem activam,* sicut sentitur aër frigidus; sed corpus gloriosum non potest sentiri per *resistentiam,* quia nihil ei resistit; non per *qualitatem activam,* quia nulla talis immutatio ibi remanet: ergo nullo modo.

4. Item, tactus maxime est materialis; corpus autem illud spirituale [7]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Corpus gloriosum potest se praebere tangibile et etiam non se praebere sive latere.

Duo habet tangibile. Respondeo: Dicendum, quod cum dico *tangibile,* duo dico, scilicet quod potest *immutare sensum,* et hoc est perfectionis; et quod *non potest latere tactum nostrum,* et hoc est imperfectionis. Et quia remanebit quod est perfectionis, et tolletur quod est imperfectionis [8]; ideo dico, quod corpus gloriosum potest se praebere tangibile et potest se non praebere sive latere; et hoc habet secundum diversas conditiones. Nam *tangi* potest, quia potest impellenti resistere, cum sit corpus verum, non vanum vel phantasticum; *latere* potest, quia potest penetrare organum tactus. *Primum* habet per virtutem naturae, *secundum* per effectum spiritualis potentiae. Et haec duo contraria sunt in nobis, sed non in illo corpore. — Concedendae ergo sunt rationes, quod tangi potest.

Conclusio. Rationes.

Solutio oppositorum. 1. 2. Ad illud quod obiicitur, quod palpatur est corruptibile; dicendum, quod hoc verum est de eo quod est tactui subiectum, sed istud non erat [9]; et ideo condescensionis erat.

3. Ad illud quod obiicitur de resistentia, dico, quod corpus tangens non resistit tangendo, sed magis e converso; et licet nihil possit corpori glorioso resistere, ipsum tamen potest aliis; sicut patet, quia constat, quod potest sustollere [10] lapidem in manu.

4. Ad ultimum vero patet responsio: quia corpus non efficitur ita spirituale, quin salvetur in eo veritas carnis et ossis [11].

ARTICULUS IV.

De dote agilitatis.

Consequenter quaeritur de dote agilitatis, de qua duo quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum sit in omnibus corporibus gloriosis.

Secundo quaeritur de inclinatione corporis gloriosi per agilitatem.

---

quae paulo inferius ex Dionysio affertur. Vide tom. II. pag. 83, nota 1. et pag. 329, nota 4.

[1] Vers. 39.

[2] Cfr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1. Verbotenus habetur XIV. Moral. c. 56. n. 72: In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae.

[3] Vide Aristot., II. de Anima, text. 107. (c. 11.).

[4] Ut insinuatum est supra a. 2. q. 2.

[5] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 26. n. 1.

[6] Homil. 87. (alias 86.) in Ioan. 20, 29. n. 1; textus originalis post *incorruptibile* addit *clavorum cicatrices habuerit* (ἐδείκνυτο). Pro *tumultueris* (θορυβηθῇς) cod. aa *metueris*, ed. Migne *turberis.*

[7] Cfr. I. Cor. 15, 44. — De *tactu* cfr. supra pag. 1018, nota 8.

[8] Epist. I. Cor. 13, 10: Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.

[9] Codd. L N Y aa (E a secunda manu) addunt *in corpore Domini.*

[10] Cod. V *tollere*, codd. G L R S U aa (bb a secunda manu) *sustinere.*

[11] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO I.

Utrum agilitas sit in omnibus corporibus gloriosis.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod agilitas sit in corporibus gloriosis.

Fundamenta. 1. Sapientiae tertio [1]: *Tanquam scintillae in arundineto discurrent;* dicitur de Beatis.

2. Item, *ratione* videtur: quia anima sensitiva habet vim motivam et sensitivam [2], et resurgent organa virtutis motivae et sensitivae; sed organa sensitivae erunt habilia sensui: ergo organa motivae motui.

3. Item, corpus propter suam tarditatem animae repugnat [3]; sed tunc nulla erit repugnantia: ergo nulla tarditas, et sic etc.

4. Item, non statim, ut resurgent, erunt in empyreo; et ille est locus debitus, et unumquodque corpus habet habilitatem tendendi ad locum suum [4]: ergo cum habeat habilitatem tendendi et hanc non habeat nisi per agilitatem; patet etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Frustra est agilitas ad motum, si non decet esse motum; sed in corporibus illis impossibile est esse motum, prout dicitur Apocalypsis decimo [5]: *Iuravit, quod non erit ultra tempus;* sed omnis motus localis est in tempore: ergo si non erit tempus, ergo nec motus.

2. Item, Augustinus de Trinitate [6]: «In habentibus mutationem nonnulla mors est ipsa mutatio». Et ratio huius est, quia in omni motu aliquid deperditur, et illud *mori* non incongrue dicitur; sed corpus illud erit ab omni morte alienum: ergo etc.

3. Item, Philosophus [7] dicit, quod «motus est entelechia entis in potentia»; unde omnis motus imperfectioni attestatur, quia est propter habendum aliquid non habitum; sed omnis imperfectio abest a corporibus gloriosis: ergo et omnis motus.

4. Item, hoc ostenditur *per simile* in superiori et inferiori: quia anima remuneratur per affectionum et cogitationum quietationem, corpora etiam supercaelestia, quae sunt maxime habilia ad motum, per quietem [8]: ergo similiter corpora gloriosa.

CONCLUSIO.

Corpora gloriosa habent agilitatem.

Respondeo: Dicendum, quod quidquid sit de *motu*, tamen de *agilitate* certum est, quod ista proprietas est de perfectione et nobilitate corporis et faciens ad expeditionem animae in corpore: et ideo dico, quod erit ibi, sicut probant rationes. Conclusio.

Solutio oppositorum. 1. Quod vero obiicitur de motu, dicendum, quod motus omnis est propter carentiam alicuius rei. Carentia autem potest esse aut rei, quae *inhaeret*, aut rei, quae *assistit*. Si rei, quae *inhaeret* ut proprietas absoluta; haec quidem imperfectionem facit in mobili, et similiter motus. Alia est carentia rei, quae *assistit*, et tunc aut illa [9] est nata assistere *per naturam*, et tunc illa indiget; et talis motus, etsi sit rei perfectae, attestatur tamen alicui imperfectioni, ut cum lapis movetur ad locum deorsum; aut locus ille non est natus assistere *per naturam* magis quam alius, quia illo non indiget, sed per *voluntatem*, quia aliquid vult circa illum locum operari; et talis motus non ponit imperfectionem, sed libertatem, et talis esse poterit in corpore glorioso. — Ad illud ergo quod obiicitur, quod non erit tempus; dicendum, quod verum est, prout est mensura motus primi mobilis [10]. Distinctio. Subdistinctio. Notandum.

2. Ad illud quod obiicitur de mutatione, quod est mors; dicendum, quod illud non intelligitur de *qualibet* mutatione, sed de mutatione ad *formam* [11].

3. Ad illud quod obiicitur, quod motus attestatur imperfectioni; dicendum, quod verum est de motu ad *formam*, vel ad *situm* propter indigentiam; hic autem motus est propter libertatem.

Mutatio triplex. 4. Ad illud quod obiicitur, quod anima non mutat affectiones; dicendum, quod mutatio veniebat [12] *ex eius instabilitate*, mutatio corporum superiorum est *propter inferiorum necessitatem;* mutatio autem corporis ab anima *ex libertate;* ideo non est simile [13].

---

[1] Vers. 7.

[2] Vide Aristot., II. de Anima, text. 27. seqq. (c. 3.) et III. text. 40. seqq. (c. 9.). — Mox edd. *et ita resurgent... sicut et;* codd. IK *ergo resurgent.*

[3] Sap. 9, 15: Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam etc. — Pro *suam* edd. cum paucis codd. *sui.*

[4] Aristot., IV. Phys. text. 4. et 48. (c. 1. et 5.): Fertur enim unumquodque in suum locum.

[5] Vers. 6: Et iuravit per viventem in saecula saeculorum... Quia tempus non erit amplius.

[6] Libr. II. c. 9. n. 15: Ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur etc. Libr. II. contra Maximin. Arianum, c. 12. n. 2: In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit, aliquid in ea non esse quod erat.

[7] Libr. III. Phys. text. 6. (c. 1.): Eius quod in potentia existit actus [ἐντελέχεια], quatenus huiusmodi, motus est. Ibid. text. 15. (c. 2.): Et motus actus quidem aliquis esse videtur, *imperfectus* tamen. Causa autem est, quoniam imperfectum est ipsum possibile [i. e. ens in potentia], cuius est actus motus.

[8] Cfr. supra d. 48. a. 2. q. 1. et 2. — Edd. supplent *remunerantur.*

[9] Cod. F supplet *res.*

[10] Vide II. Sent. d. 2. p. I. a. 2. q. 1. in corp. et ibid. pag. 20, nota 1.

[11] Cui opponitur mutatio sive motus ad *situm;* cfr. tom. II. pag. 31, nota 9. et pag. 348, nota 3.

[12] Plurimi codd. et ed. 1 perperam *non veniebat.* Post *instabilitate* edd. prosequuntur: *seu necessitate; mutatio enim corporum* etc.

[13] Vide scholion ad 1. praecedentis articuli quaest.

QUAESTIO II.

Utrum agilitas inclinet corpus gloriosum ad omnem differentiam positionis, an ad aliquem locum determinatum.

Secundo quaeritur de inclinatione corporis gloriosi, quae est per agilitatem; et quaeritur, utrum agilitas inclinet corpus gloriosum ad omnem differentiam positionis, an ad aliquem locum determinatum. Et quod non ad omnem differentiam, videtur:

1. Quia inclinatio mobilis sequitur praedominans secundum quantitatem [1]; sed praedominans secundum quantitatem in corporibus illis est terra et aqua: ergo etc. — *Si dicas,* quod auferetur gravitas; *contra:* haec est de natura terrae; sed Augustinus [2] dicit, quod «natura servabitur»: ergo etc.

Ad opposi-tum.

2. Item, unumquodque appetit quod est magis sibi conveniens [3]; sed locus caeli empyrei est magis sibi conveniens: ergo appetit esse ibi. Sed inclinatio est appetitus naturalis: ergo etc.

3. Item, omne quod quiescit alicubi, habet vim ipsum ibi stabilientem [4]; sed corpus gloriosum quiescit in caelo: ergo ibi stabilitur per aliquam virtutem. Sed virtus stabiliens in loco inclinat ad locum determinatum: ergo etc.

Contra: 1. Corpus illud est per omnia obediens animae: ergo si voluntas illa potest movere ad omnem differentiam positionis, et aeque ad unam sicut ad aliam: ergo corpus gloriosum non magis inclinatur ad unam quam ad aliam [5].

Fundamenta.

2. Item, quod habet inclinationem ad unam partem, si moveatur ad oppositam, movetur cum fatigatione et poena: ergo si illud inclinaretur sursum et moveretur deorsum, esset ibi labor et poena [6].

3. Item, quod appetit unum locum, si extra illum ponatur, efficitur indigens et imperfectum [7]: ergo si corpus gloriosum inclinaretur ad aliquem locum secundum appetitum, aut impossibile esset, quod inde moveretur, aut, si inde moveretur, esset imperfectum.

CONCLUSIO.

Agilitas corporis gloriosi non inclinat ad aliquem locum determinatum, sed est promptitudo, ut ad omnem locum, sicut vult anima, moveatur.

Respondeo: Dicendum, quod *habilitas* ad motum sequitur *inclinationem*, et *inclinatio* appetitus est respectu perfectionis [8], quia propter illam est. Quoniam igitur corpus gloriosum totam suae existentiae et nobilitatis et stabilitatis rationem trahit ab anima; ideo inclinatio eius est ad *animam*, non ad *aliquid extra*. Et quoniam agilitas sequitur inclinationem; et anima potest movere in omnem differentiam positionis: ideo et corpus habet habilitatem ad omnem situm. Unde agilitas non inclinat ad aliquem locum determinatum, ut probatum est [9], sed est promptitudo, ut corpus moveatur in omnem locum, ad quem vult movere anima. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

Axioma. Inclinatio ad animam. Conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur, quod terra praedominatur; dicendum, quod quia appetitus elementorum totaliter quietatur in illo corpore, quod nullum elementum in eo appetit suam sphaeram; et ideo ablatus est terrae appetitus ille et gravitas [10]. — Quod obiicitur, quod natura servatur, et vitium detrahitur; dicendum, quod *vitium* dicitur omne quod importat imperfectionem.

Solutio oppositorum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod appetit magis conveniens; dicendum, quod hoc verum est, si illo indiget; sed corpus gloriosum nullo indiget loco.

3. Ad ultimum dicendum, quod corpus stabilitur in omni loco per animam, et anima per Deum [11]; et sic non indiget alia inclinatione.

---

1 Secundum Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 7. seq. (c. 2.). — Pro *praedominans* Vat. *naturam praedominantis.*

2 Libr. XXII. de Civ. Dei, c. 17: Vitia detrahentur, natura servabitur.

3 Cfr. Boeth., III. de Consol. prosa 11.

4 Vide Aristot., IV. Phys. text. 48. (c. 5.), et IV. de Caelo et mundo, text. 21. seqq. (c. 3.). — Pro *omne* codd. M O *ratione videtur.*

5 Cfr. supra pag. 1017, nota 3. verba August.

6 Respiciuntur verba Aristot. supra pag. 990, nota 3, et pag. 1016, nota 3. allata.

7 Secundum Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 76. seq. (c. 8.). — Immediate post pro *ergo si* multi codd. *item si.*

8 Codd. I K addunt *animae.* Inferius pro *totam* edd. substituunt *totum.*

9 In fundam. — Superius pro *habet habilitatem,* quod praebet cod. aa, alii codd. et ed. 1 non ita congrue *habet habile*, Vat. *habile.*

10 Vide supra pag. 976, nota 8. et d. 48. a. 2. q. 3. — Superius post *corpore* edd. addunt *ita.*

11 Ut docet August. supra pag. 1014, nota 2. — Vide scholion ad I. praecedentis articuli quaest.

DISTINCTIO L.

Pars I.

Cap. I.

Si mali in inferno peccabunt.

Hic oritur quaestio ex praemissis ducens originem. Supra enim[1] Augustinus, loquens de malis in inferno damnatis et bonis in caelo glorificatis, dixit, quod nec bonis voluntas, nec malis facultas peccandi esse poterit. Et de bonis quidem constat; sed de malis, a quibus voluntatem malam non removet, quaeritur, quomodo verum sit, eos *non posse peccare*, immo quomodo verum sit, eos *non peccare*, cum malam habeant voluntatem. — Quidam autumant, illam malam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum; alii vero peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam poenam, quia non est ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non esse *meritum supplicii*, sed *supplicium mali meriti*, quod in hac vita praecessit. De hoc autem Augustinus[2] ita dicit: «Tempus acquirendi vitam aeternam in hac tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam poenitentiam esse fructuosam. Ideo hic poenitentia fructuosa est, quia potest hic homo, deposita malitia, bene vivere, et mutata voluntate, merita simul operaque mutare et ea gerere, quae Deo placeant. Quod qui in hac vita non fecerit habebit quidem poenitentiam in futuro saeculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet; quia, etsi erit ibi stimulus poenitudinis, tamen nulla erit correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat semper in se malignitatis suae supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum: quia, sicut illi qui cum Christo regnabunt, nullas in se malae voluntatis reliquias habebunt, ita illi qui erunt in supplicio ignis aeterni cum diabolo et Angelis eius deputati, sicut nullam habebunt ulterius requiem, sic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem; et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiae ad aeternam gloriam, ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas poenam, quando, exterioribus deputati tenebris, nullo illustrabuntur interiori lumine veritatis». — Ex his apparet, reprobos in inferno sic poenitentiam gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant; et illa maligna voluntas erit eis ad cumulum poenae, per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

Quaestio. — Duplex opinio. — Augustinus. — Solutio Magistri.

Cap. II.

Quare dicuntur tenebrae exteriores.

Hic quaeri potest: quare illae *tenebrae*, quibus involventur mali in gehenna, dicuntur *exteriores*[3]? — Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem et spiritualem, scilicet Deum, erunt. Nunc enim, etsi patiantur tenebras in caecitate mentis, non tamen penitus extra lucem Dei sunt nec corporali luce privantur. De hoc Augustinus[4] sic ait: «Ira Dei et in iudicio erit et hic est in caecitate mentis, cum dantur mali *in reprobum sensum*. Ibi *exteriores tenebrae* erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi esse in summa caecitate? Siquidem Deus *habitat lucem inaccessibilem*. Hae autem tenebrae hic iam incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus, dum in hac vita est». — Ecce, quare ibi peccator dicitur *pati exteriores tenebras*, et non hic; quia ibi secludetur penitus a luce Dei, quod non hic. — Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quia non videbunt Deum per speciem? Sed nec aliquis videt hic Deum per speciem. An per dissimilitudinem, quam facit peccatum inter Deum et hominem? Sed et hic multi per gravia peccata elongantur a Deo: An quia Deum odiunt, ita ut velint, eum non esse? Sed et hic multi Deum oderunt, de quibus scriptum est[5]: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*. Quae est igitur illa elongatio? — Sane *exteriores tenebrae* intelligi possunt quaedam malignitas odii et voluntatis, quae tunc excrescet in mentibus reproborum, et quaedam oblivio Dei, quia tormentorum interiorum et exteriorum doloribus adeo afficientur et turbabuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix vel raro vel nunquam mentem revocent; ut qui nimio premuntur pondere adeo stupescunt et turbantur, ut interim in aliam cogitationem mentem non extendant, sed illuc tendit impetus cogitationis, ubi sentitur vis doloris. Sed in hac vita nullus adeo malus est, ut penitus secludatur a cogitatione Dei, quia nec perdit appetitum beatitudinis et quendam boni amorem, quem naturaliter habet rationalis creatura. — Illas autem exteriores et profundissimas tenebras repro-

Augustinus. — Altera quaestio. — Resp. — Quando sic puniuntur.

---

[1] Dist. praeced. c. 1.

[2] Potius Fulgent., de Fide ad Petrum, c. 3. n. 38.

[3] Matth. 22, 13; 25, 30. Solae edd. repetunt *tenebrae* ante *exteriores*.

[4] Enarrat. in Ps. 6. n. 8; ubi respicitur Rom. 1, 28, et I. Tim. 6, 16.

[5] Psalm. 73, 23. — Infra ex codd. A B C E adiecimus *mentem* post *cogitationem;* pleraeque edd. supplent *se*.

bos perpessuros *post iudicium*, dicit Augustinus[1], opponens de illo divite, qui in inferno positus, elevans oculos, vidit Abraham et in sinu eius Lazarum, cuius Augustinus. comparatione coactus est confiteri mala sua « usque adeo, ut et fratres roget ab his praemoneri, quod ante iudicium factum legitur. Sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impii, ubi nullam Dei lucem videbunt, cui confiteantur ».

Pars II.

Cap. III.

Si damnatorum animae notitiam habent eorum quae hic fiunt.

Praeterea quaeri solet, si reproborum animae, quae nunc in inferno cruciantur, notitiam habeant eorum quae circa suos in hac vita geruntur; et si aliquo modo doleant super infortuniis suorum carorum. — Hanc quaestionem Augustinus[2] commemorat, ex parte eam explicans, ex parte vero insolutam relinquens. Ait enim: Augustinus. « Quaeret aliquis, an ullus dolor tangat mortuos de his quae in suis post mortem contingunt, vel quomodo ea quae circa nos aguntur, noverint spiritus defunctorum. Cui respondeo, magnam esse quaestionem nec in praesenti disserendam. Verumtamen breviter dici potest, quod est cura mortuis de suis caris, ut de divite legitur, qui, dum tormenta apud inferos pateretur, *levavit oculos ad Abraham* et inter alia dixit: *Habeo enim quinque fratres; mitte aliquem ex mortuis, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Habent enim mortui curam de vivis, quos sciunt vivere, quia nec in locis poenarum vident eos, ubi dives sine fratribus erat, nec in requie beatorum, ubi Lazarum et Abraham, quamvis longe, agnoscebat. Non tamen ideo consequens est, eos scire quae circa suos caros aguntur hic, vel laeta, vel tristia ».

Cap. IV.

De Lazaro et divite.

Si quis autem quaerat, quomodo intelligatur quod de Lazaro et divite legitur; audiat Augustini[3] respon- Augustinus. sum dicentis: « Si quis putat, animas corpore exutas locis corporalibus contineri, cum sint sine corpore; non deerunt qui faveant et divitem sitientem in loco fuisse corporali contendant, ipsamque animam corpoream praeparasse linguam et stillam de Lazari digito cupiisse. Sed melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis. Divitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse, non dubito. Sed quomodo intelligatur *lingua* divitis, *digitus* Lazari, *flamma* inferni, *sinus* Abrahae et eiusmodi, vix a mansuetis, a contentiosis nunquam invenitur ».

Cap. V.

Si boni et mali invicem se vident.

Quaeri solet etiam, utrum vicissim se videant illi qui sunt in inferno, et illi qui sunt in gloria. — Sicut Sancti tradunt, et boni malos, et mali bonos vident usque ad iudicium; post iudicium vero boni videbunt malos, sed non mali bonos. Unde Gregorius[4]: « Infi- Gregorius. deles in imo positi ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt ».

Cap. VI.

De chaos inter bonos et malos.

Sed cum Sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos moventur? Nonne eos de tormentis liberari cupiunt? — Recole illud evangelicum, quod Abraham diviti respondit: *Inter vos et nos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc ad vos transire, non possint, neque inde huc transmeare.* Quid est illud *chaos* inter bonos et malos, nisi Quid chaos. hinc iustitia, inde iniquitas, quae nullatenus sociari valent? Adeo enim Sancti iustitiae Dei addicti sunt, ut nulla compassione ad reprobos transire valeant, nulla pro eis inter Sanctos fiat intercessio. — Quomodo Quomodo velint transire. ergo inde volunt aliqui *transire* ad illos, sed non possunt? Quia, si Dei iustitia admitteret, non fieret eis molesta liberatio illorum. — Vel ita dicuntur velle et non posse, non quia velint et non possint, sed quia, etsi vellent, non possent eos iuvare. De hoc ita Gregorius[5] Gregorius. ait: « Sicut reprobi a poenis ad gloriam Sanctorum transire volunt et non possunt; ita iusti per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis, ut eos liberent; sed non possunt, quia iustorum animae, etsi in naturae suae bonitate misericordiam habent, iam tunc auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta rectitudine constringuntur, ut nulla ad reprobos compassione moveantur ».

Cap. VII.

Utrum visa impiorum poena minuat, vel augeat Bonorum gloriam.

Postremo quaeritur, an visa poena reproborum decoloret gloriam Beatorum, an eorum beatitudini proficiat. — De hoc ita Gregorius[6] ait: « Apud animum Gregorius. iustorum non fuscat beatitudinem aspecta poena reproborum, quia, ubi iam compassio miseriae non erit, minuere Beatorum laetitiam non valebit. Et licet iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident poenas malorum, quas per gratiam evaserunt; quia qui Dei claritatem vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint ». « Non est autem mi- Glossa. randum, si Sancti iam immortales reprobos videant

---

[1] Enarrat. cit. n. 6; respicitur Luc. 16, 27. seqq.
[2] Enarrat. in Ps. 108. n. 17.
[3] Libr. VIII. de Gen. ad lit. c. 5. n. 9.
[4] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 2.
[5] Loc. cit. n. 7.
[6] Loc. cit. n. 8. — Pro *fuscat* solae edd., excepta 1, *obfuscat*, refragante etiam originali. — Deinde sequitur Glossa in Isai. 66, 24, apud Lyranum.

mentis intelligentia, cum Prophetae adhuc mortales videre haec omnia meruerunt. Egredientur ergo electi, non loco, sed intelligentia vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus; quos videntes non dolore afficientur, sed laetitia satiabuntur, agentes gratias de sua liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate ». Unde Isaias [1], impiorum tormenta describens et ex eorum visione laetitiam bonorum exprimens, ait: *Egredientur*, « electi scilicet », *et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis non exstinguetur, et erunt usque ad satietatem visionis omni carni*, id est electis. *Laetabitur enim iustus, cum viderit vindictam.*

EPILOGUS.

Haec de *pedibus Sedentis super solium excelsum, quos Seraphim duabus alis velabant* [2], scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat, qui a facie exorsus sedentis, per media ad pedes usque, Via duce, pervenit. Dubium unicum.

EXPLICIT QUARTUS ET ULTIMUS LIBER SENTENTIARUM.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM L.

Pars I.

De statu damnatorum post iudicium.

Hic oritur quaestio ex praemissis ducens originem etc.

DIVISIO TEXTUS.

Supra egit Magister de statu Beatorum. In hac parte agit de statu damnatorum, primo post iudicium, secundo ante iudicium, ibi: *Praeterea quaeri solet, si reproborum animae* etc.

Prima pars habet duas. In prima determinat subversionem voluntatis; in secunda excaecationem rationis, ibi: *Hic quaeri potest: quare illae tenebrae* etc. Et utraque pars duas habet. In prima opponit, in secunda vero dissolvit.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis secundum duo, quae tangit Magister, duo principaliter quaeruntur.

Primo quaeritur de subversione voluntatis damnatorum.

Secundo de excaecatione rationis.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur, utrum damnati velint, se peccasse.

Secundo, utrum voluntate deliberativa damnati malint non esse quam esse sic.

Tertio, utrum damnati mallent, omnes esse damnatos, quam quosdam damnatos, quosdam beatos.

ARTICULUS I.

De subversione voluntatis damnatorum.

QUAESTIO I.

Utrum damnati velint, se peccasse.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod damnati vellent, se peccasse:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia Augustinus de Fide ad Petrum [1] dicit, quod « bonam habere nullatenus poterunt voluntatem »; sed nolle, se peccasse, est voluntatis bonae: ergo non poterunt hoc habere: ergo si considerabunt peccatum suum, cum non possint nolle, necesse habent velle.

---

[1] Loc. cit. cum Glossa *interlineari;* deinde Ps. 57, 11.

[2] Isai. 6, 1. seqq. — Pro *sufficiat* codd. A B C E et ed. 1 *sufficit.*

NOTAE AD COMMENTARIUM.

[1] Cap. 3. n. 38, ubi Fulgentius ait: Sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic bonam etc. Cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

2. Item, voluntas hominis post mortem est invertibilis, sicut voluntas angeli mali [1]; sed angelus malus vult, se peccasse: ergo etc.

3. Item, malitia inclinat voluntatem ad malum, sicut gratia ad bonum; sed malitia remanebit in damnatis, sicut et gratia in Beatis: ergo sicut Beati bona, quae semel voluerunt, semper volunt; ita damnati semper volunt mala.

4. Item, quod quis dimittat actum peccandi in praesenti, non potest esse sine gratia gratis data [2], multo fortius de peccandi voluntate: ergo si nulla gratia datur ipsis reprobis, nec natura melioratur; ergo peccandi voluntatem nunquam amittunt.

Pro parte negativa.

Contra: 1. Sapientiae quinto [3]: *Dicent intra se, poenitentiam agentes* etc.; constat, quod illa est consideratio rationis deliberantis: ergo videtur, quod velint non peccasse.

2. Item, Augustinus in libro Octoginta trium Quaestionum [4]: « Videmus, inquit, ferissimas bestias dolore poenarum a maximis voluptatibus abstinere »; sed damnati non ardentius appetunt quam bestiae atroces, et maxime cruciantur: ergo eorum appetitus retrahitur, et sic etc.

3. Item, peccatum non placebat, quia peccatum, sed propter libidinosam delectationem [5]; sed in damnatis exclusa est omnis libidinosa delectatio: ergo nullum peccatum eis placet.

4. Item, mala voluntas eo ipso, quod mala est, est contra Deum, et eo ipso, quod est contra Deum, est meritoria poenae: ergo semper merentur poenam, et ita debet semper eis poena augeri, et sic in infinitum. Sed sic non dicitur [6]: ergo etc.

5. Item, voluntas mala eo ipso, quod mala, est inordinata: ergo quando exit in actum novum, de novo inordinatur; sed nihil potest Deus relinquere inordinatum: ergo si peccatum non ordinatur nisi in poena [7], et est nova inordinatio; ergo nova poena, et ita semper cresceret.

6. Item, esto quod damnatis daretur libertas peccandi, nunquam fornicarentur; si redirent ad corpora et locum haberent, constat, quod nollent peccare, cum magis horreant tantam poenam, quam delectationem peccati diligant [8]: ergo videtur etc.

CONCLUSIO.

Damnati nolunt, se peccasse, loquendo de actu, non vero de habitu voluntatis malae.

Respondeo: Dicendum, quod mala voluntas dicitur dupliciter, scilicet *actus* et *habitus*. Dico ergo, quod timor servilis *peccatoribus* non aufert *habitum* malae voluntatis, sed aufert *actum* [9] — iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri — de ipsa voluntate tamen habitum non aufert; quod patet, quia, si speraretur impunitas, vellet utique luxuriari. — Sic intelligendum in *damnatis*, quod dolor poenalis aufert ab ipsorum voluntate *actum* volendi peccare, quia revera damnati non appetunt luxuriari nec dominari propter poenas, quas ex illis actibus sentiunt se incurrisse; habent tamen *habitum* voluntatis malae, per quam appeterent peccare, si non crederent, se ex hoc puniri. — Si ergo quaeras, utrum damnati nolint peccasse; dico, quod nolunt, non propter hoc, quod peccatum eis displiceat, quia iniustum, sed quia eis displicet poena iusta [10]. Et ideo malam habent voluntatem hoc volendo, et ideo adhuc vivit in eis voluntas peccandi, licet dolore poenarum impediatur, ne exeat in actum suum.

Distinctio. De timore servili. Conclusio 1. Conclusio 2.

Ad argg. pro parte affirm.

1. Et sic patet responsio ad primum.

2. Ad illud quod obiicitur, quod voluntas est invertibilis; dicendum, quod verum est de voluntate [11] quantum ad *habitum*, in qua fit plena versio; sed non est verum de vertibilitate quantum ad *actum*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod malitia inclinat sicut gratia; dicendum, quod non est simile: quia motus gratiae praemiatur in simili et convenienti, sed motus libidinis in dissimili, ut in dolore; et ideo impeditur, sed motus gratiae consummatur.

4. Ad illud quod obiicitur, quod abstinere a voluntate peccandi non est sine gratia; dicendum, quod loquendo de voluntate-habitu, non est sine gratia; sed in voluntate-actu distinguendum est: quia aut abstinet ab actu malo, quia *contra Deum* et quia *iniquum;* et hoc non est sine gratia gratis data — haec enim praeparat ad ulteriorem gratiam — aut quia hoc est *laesivum*, sicut aliquis dimittit forni-

Notandum. Distinctio.

---

[1] Vide Damasc., II. de Fide orthod. c. 4, ex quo II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. sumtum est fundam. 1. — Inferius post *peccasse* a cod. aa allegatur *Psalmus* [73, 23.]: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.*

[2] Cod. aa addit *Sapientiae octavo* [v. 21.]: *Non possem esse continens* etc. Cfr. tom. II. pag. 689, nota 4.

[3] Vers. 3: Dicentes intra se etc. — In fine arg. edd. cum uno alteroque codd. vocibus *non peccasse* praemittunt *se*.

[4] Quaest. 36. n. 1: Videmus etiam, immanissimas bestias a maximis voluptatibus absterreri dolorum metu.

[5] August., XXII. contra Faustum, c. 28: Si enim nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Serm. 21. (alias 5. ex Sirmondianis) n. 3: Non ipsum peccatum amas, sed male amando quod amas illaquearis peccato. Qua ratione malum possit intendi, explicatur II. Sent. d. 34. a. 1. q. 3. — Pro *quia peccatum* cod. bb *propter se;* cod. U legit glossando: *placebat* [codd. A L Y supplent *eis*] *nisi propter libidinosam delectationem* [cod. Z *voluntatem*].

[6] Edd. *videtur*.

[7] Vide supra pag. 932, nota 1. et pag. 959, nota 7.

[8] Pro *diligant*, quod ex codd. L Y supplevimus, in cod. E secunda manus substituit *velint*. Post *constat* codd. E L addunt *enim*.

[9] Cfr. tom. III. pag. 755, nota 3. — Pro *in peccatoribus*, quod praebet cod. bb, alii codd. et ed. 1 minus congrue *in damnatis*, Vat. *in viatoribus*, quae etiam pro *actus et habitus* substituit *uno modo actu, alio modo habitu*. Inferius pro *speraretur* multi codd. et ed. 1 vel *separetur*, vel *separaretur* (idem recurrit infra in solut. ad 1. pro parte negat.).

[10] Vide II. Sent. d. 7. p. I. a. 1. q. 1. — Pro *eis displicet* multi codd. *displiceat*. Superius pro *ex hoc*, quod codd. I K et ed. 1 omittunt, codd. L Y *exinde*, cod. N *inde*.

[11] Vat. *vertibilitate*. Mox pro *fit* nonnulli codd. et ed. 1 *sit*.

cari vel inebriari, quia amittit visum[1]; et talis est per naturam puram. Similiter dico, quod damnati refugiunt propter timorem poenae.

Ad argg. pro parte negat. 1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod habent poenitentiam; dicendum, quod verum est; sed illa poenitentia est *stimulus poenitudinis*, non *correctio voluntatis*[2]; unde si daretur libertas peccandi, ut speraretur omnino impunitas, dico, quod peccarent; sed si deberent ita puniri pro aliis, quae facerent, sicut pro his quae fecerunt, nunquam vellent peccare.

5. Ad illud quod quaeritur, utrum habeant aliquam inordinationem actualem voluntatis; potest dici, quod sic; sed illa inordinatio est eis versa in poenam, sicut Beatis bona voluntas in gloriam; unde sicut isti non merentur amplius bona voluntate, ita nec illi demerentur mala; et hoc dicit Augustinus, et habetur in littera[3].

SCHOLION.

I. Quod damnatos non poeniteat de peccato *per se*, sive quatenus est culpa, sed tantum *per accidens*, quatenus pro eo poenam patiuntur, cum Ss. Bonav., Thoma atque Scoto communiter docetur.

De 1. quaestione: Scot., hic q. 2. n. 14. seq. — S. Thom., hic q. 2. a. 1. quaestiunc. 2; Suppl. q. 98. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 3. a. 2. — Richard. a Med., II. Sent. d. 7. a. 1. q. 1. — Dionys. Carth., hic q. 4.

II. Conclusio 2. quaestionis, quatenus est de *facto*, quod scilicet damnati mallent non esse, est communis. Utrum autem *secundum rectam rationem* propter *malum poenae* possint velle, ut non sint; hoc cum S. Bonav., Richardo (hic a. 4. q. 2.) et Durando (hic q. 2.) etiam Scotus (hic q. 2. n. 7.) negat; sed non approbat priorum duorum rationes aliasque affert. Deinde statuit, ob *malum culpae* posse voluntatem recte ferri in *non-esse permissive*, non tamen ita, ut sit sibi *causa* non essendi. — S. Thom. (locis citt. quaestiunc. sive a. 3.) dicit, quod « damnati possunt praeeligere non esse secundum voluntatem *deliberativam* ».

De 2. quaestione praeter laudatos: Petr. a Tar., loc. cit. a. 3. — Dionys. Carth., hic q. 1.

III. Conclusio generalis quaestionis 3. communiter tenetur, sicut etiam exceptio qualiscumque, quae notatur in solut. ad 1. 2.

De 3. quaestione: S. Thom., locis citt. quaestiunc. sive art. 4. — Richard. a Med. rem breviter tangit hic a. 3. q. 3. — Dionys. Carth., hic q. 4.

QUAESTIO II.

Utrum voluntate deliberativa damnati malint non esse quam sic esse.

Secundo quaeritur, utrum voluntate deliberativa damnati malint non esse quam sic esse. Et quod sic, videtur.

Fundamenta. 1. Apocalypsis nono[4]: *In diebus illis desiderabunt homines mori, et fugiet mors ab eis.*

2. Item, Augustinus in libro de Miseria huius mundi[5], loquens de damnatis, dicit: « O mors, quam dulcis esses quibus tam amara fuisti! Te solum desiderant qui te vehementer oderunt ».

3. Item, *ratione* videtur: quia maior est *tristitia* ex *poena*, quam sit *delectatio* ex *esse*, quia modicum habent gaudium et magnam tristitiam: ergo si electio rationis[6] praeeligit *fugam* magis nocivi *desiderio* minus delectabilis, ut patet de illo qui vult lucrari argentum et fugit mortem; videtur, quod damnati malint omnino non puniri quam esse.

4. Item, si cederent in *non-esse*, poena esset momentanea; sed poena cruciatus eorum est aeterna: ergo si poena momentanea praeferenda est aeternae, sicut malum finitum infinito; videtur etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Augustinus, in libro de Libero Arbitrio[7]: « Considera, quam bonum est *esse*, quod

---

[1] Cfr. Aristot., II. de Generat. animalium, c. 5. — Cod. L voci *laesivum* praemittit *naturae*, cod. K (I a secunda manu) legit: *quia laesivum vel naturae laesivum, et tale est sine gratia naturae superaddita, sicut aliquis* etc. Superius post *distinguendum est*, codd. E I K prosequuntur *et dicendum, quod aut* etc., alii codd. *dicendum, quod aut* etc. Inferius pro *naturam puram*, quod habent codd. G I K S aa, in aliis et edd. *naturam punitam*.

[2] Ita Fulgentius; cfr. hic lit. Magistri, c. 1.

[3] Hic c. 1.

[4] Vers. 6: Et in diebus illis quaerent homines mortem et non invenient eam et desiderabunt mori etc. — Cod. S huic arg. subiungit aliud petitum ex Hieron. in Ierem. 20, 15: *Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo dicens: natus est tibi puer masculus.* Nos secundum illud Iob [3, 3.]: *Pereat dies, in qua natus sum*, hoc testimonium exponimus, ut scilicet melius sit nunquam esse quam in suppliciis male vivere; unde *mors viro requies, cui clausit Deus viam suam* [Eccli. 22, 11.], et: *Quare data est misero lux* [Iob 3, 20.]? et: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille* [Matth. 26, 24.], non quod sit qui natus non fuerit, sed quod melius sit non esse quam male esse.

[5] Inter opera August. liber sub hoc titulo non occurrit. Innocent. III. composuit opus, quod inscribitur: *De Contemptu mundi sive de miseria conditionis humanae*, in cuius libro tertio (de miseria humanae conditionis), c. 9. dicitur: « O mors, quam dulcis esses quibus tam amara fuisti! Te solam desideranter optabunt qui te solam vehementer abhorruerunt ». Sub nomine *Augustini* olim exhibebatur opusculum sub titulo: *Liber meditationum* (sive liber secundus Soliloquiorum ad Deum), quod incipit: Eia nunc homuncio! fuge paululum occupationes tuas etc. (in ed. operum August. *Maurin.* non exstat), in cuius c. 37. eadem sententia prolata esse dicitur. — Pro *dulcis esses* plures codd. *dulcis es*.

[6] Ita codd. A G aa, alii codd. et edd. *tortoris*. Finem arg. Vat. exhibet sic: *omnino non esse quam sic puniri*.

[7] Libr. III. c. 7. n. 20: Cave potius, ne hic erres, ubi te videre verum putas. Nam si beatus esses, utique esse quam

et beati et miseri volunt; magis tamen est *esse* et *esse miserum* quam omnino *non esse*, cum tamen miser esse nolis ».

2. Item, ratio Augustini [1]: praeelectio supponit electionem; sed *non esse* non est eligibile, quia omne eligibile habet apparentiam boni, sed ipsum *non esse* non habet boni apparentiam, quia quod apparet *bonum* apparet *esse:* ergo etc.

3. Item, omnis appetitus ordinatus est conformis naturae, quia « natura appetit semper quod melius est »; sed « natura semper appetit *esse*, ut ipse Philosophus [2] dicit, et nullo modo *non-esse* »: ergo etc.

4. Item, maius malum magis est fugiendum; sed maius malum est quod magis adimit; sed corruptio in *non-esse* adimit totum bonum, poena vero non totum, immo multum relinquit [3]: ergo magis fugiendum est *non-esse* quam *puniri*.

CONCLUSIO.

Damnati mallent non esse quam esse damnati; et illud appetitu commodi *magis appetendum est, non tamen* simpliciter.

Respondeo: Ad hoc dicunt aliqui, quod damnati

Opinio 1. mallent *non esse* quam *sic esse;* sed appetitus eorum est inordinatus et indiscretus et phantasticus, quia sibi nocivum appetit, sicut est appetitus febricitantis, qui non venit ex natura, sed ex phantastica imaginatione, quia existimat sibi prodesse quod nocet sibi. Sic damnati, quia existimant, se habere quietem, si omnino non essent, appetunt magis *non esse* quam *esse in poenis;* et hoc videtur dicere

Non probatur. Augustinus. — Sed tamen Sapiens dicit in Ecclesiastis quarto [4]: *Feliciorem utroque iudicavi* etc.; et ipsa Sapientia, Matthaei vigesimo sexto: *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille;* et Hieronymus dicit: « Quod melius est non vivere quam male vivere ».

Opinio 2. Ideo dicendum aliter, quod *non esse* nullo modo est appetendum appetitu *recto* [5]*;* similiter nec *esse damnatum*, vel *esse infelicem;* et si horum aliquid

Conclusio 1. appetatur, phantasia est, non ordinatio naturae; sed utrumque horum *fugiendum*. Et cum se habeant sicut excedentia et excessa, *utrumque* altero *magis fugiendum* diversis considerationibus.

Consideratio 1. Quia enim *non esse* adimit totum bonum, *poena* partem, ideo *hoc* magis fugiendum [6], *simpliciter* tamen loquendo. — Quia *corruptio* in *non-esse* in infinitum

Consideratio 2. excedit *intensive*, in infinitum, inquam, secundum *proportionem*, *poena* vero *extensive* in infinitum secundum *veritatem;* ideo credo, quod magis

Conclusio 3. appetendum esset, si poneretur in optione, omnino *non esse* quam *aeternaliter torqueri*, loquor de appetitu, qui *refugit incommodum*. Hoc enim iudicat mens mea magis portabile, sicut decollationem magis quam diuturnam ignis adustionem. Verumtamen

Conclusio 4. secundum *appetitum honesti*, quia cruciatus iniqui spiritus est ad gloriam Dei, utique malle deberet ignibus subiacere ad continuam Dei laudem, quam per omnimodam corruptionem manum Dei effugere [7].

Conclusio generalis. Concedo igitur, quod damnati mallent non esse; et omnis homo ratione illud debet appetere, considerata gravitate utriusque poenae; non tamen dico, quod sit magis appetendum *simpliciter*, tamen ipsi simpliciter magis appetunt. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

Solutio oppositorum. 1. Ad rationes autem ad oppositum, solvendum [8], quod Augustinus procedit ea via, qua corruptio in *non-esse* excedit, scilicet *intensive*.

2. Ad illud quod obiicitur, quod praeelectio supponit electionem; dicendum, quod verum est de illa

---

non esse malles; et nunc miser cum sis, mavis tamen esse vel miser quam omnino non esse, cum esse nolis miser. Considera igitur, quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum *esse*, quod et beati et miseri volunt. Nam si hoc bene consideraveris, videbis, te in tantum esse miserum, in quantum non propinquas ei quod summe est; in tantum autem putare melius esse, ut quisque non sit, quam ut miser sit, in quantum non vides quod summe est; et ideo tamen te esse velle, quoniam ab illo es, qui summe est.

[1] Libr. III. de Lib. Arb. c. 8. n. 22: Nam illud vide quam absurde et inconvenienter dicatur: mallem non esse quam miser esse. Qui enim dicit: *mallem* hoc quam illud, *eligit* aliquid. *Non-esse* autem non est aliquid, sed nihil; et ideo nullo pacto potes recte eligere, quando quod eligas non est... quod autem non est, melius esse non potest; non ergo id velle debuisti... Deinde, quod quisque recte eligit appetendum, cum ad id pervenerit, necesse est melior fiat; melior autem esse non poterit qui non erit: nemo igitur recte potest eligere, ut non sit.

[2] Libr. II. de Generat. et corrupt. text. 59. (c. 10.): Quoniam enim in omnibus inquimus quod melius est desiderare naturam semper; melius autem esse quam non esse.

[3] August., XIX. de Civ. Dei, c. 13. n. 2: Neque enim [Deus puniendo] totum aufert, quod naturae dedit; sed aliquid adimit, aliquid relinquit, ut sit qui doleat quod adimit. Et ipse dolor testimonium est boni adempti et boni relicti; nisi enim bonum relictum esset, bonum amissum dolere non posset.

[4] Vers. 3: Et feliciorem utroque iudicavi qui necdum natus est nec vidit mala, quae sub sole fiunt. — Seq. locus est Matth. 26, 24: Bonum erat ei etc.; in quem loc. ait Hieron.: Sed simpliciter dictum est, multo melius esse non subsistere quam male subsistere. Cfr. supra pag. 1037, nota 3.

[5] Edd. *ordinato et recto*. Inferius pro *phantasia est* edd. *phantasticus est appetitus*.

[6] In cod. R additur Glossa non respondens verbis seqq.: *quia vero poena diuturnior, quia aeterna, sed ipsa conversio in non-esse est momentanea; ideo hoc magis fugiendum*. Inferius post *excedit* edd. addunt *poenam*.

[7] Respicitur Tob. 13, 2: Et non est qui effugiat manum tuam. Cfr. Sap. 16, 15. — De duplici appetitu *commodi* et *honesti* cfr. supra pag. 1003, nota 6. — Inferius post *non esse* cod. F supplet *quam esse*. Subinde voci *ratione*, quod cod. Z omittit, et pro quo edd. *recte*, codd. A L addunt *utens*.

[8] Cod. K (I a secunda manu) *patet solutio*.

quae est per modum *desiderii*, non de ea quae est per modum *fugae*.

3. Ad illud quod obiicitur, quod natura desiderat semper esse; dicendum, quod verum est, et etiam ratio recta; tamen natura magis refugit poenam aeternam quam momentaneam.

4. Ad illud quod obiicitur, quod maius malum est, quod magis adimit; dicendum, quod *maius malum* dupliciter est, scilicet *extensive* et *intensive*, et similiter *magis adimere;* et natura magis refugit semper esse in omnimoda miseria quam omni bono privari; sicut frequenter de re, quam multum amamus, maluimus [1] illam non habere, quam propter illam induere conditionem servilem [2]. Distinctio.

QUAESTIO III.

Utrum damnati mallent, omnes esse damnatos, quam quosdam damnatos, quosdam beatos.

Tertio quaeritur, utrum damnati mallent, omnes esse damnatos, quam quosdam damnatos, quosdam beatos. Et quod mallent omnes damnatos, ostenditur:

1. Primo per illud quod communiter consuevit dici [3]: « Solatium est miseris socios habere poenarum ». Fundamenta.

2. Item, hoc ostenditur per illud quod dicitur Isaiae decimo quarto [4]: *Surrexerunt de soliis;* Glossa: «Solatium est malorum multos socios habere poenarum ».

3. Item, Augustinus, de Catechizandis Rudibus [5]: «Cautus esto, ne tibi aliunde hostis subrepat, quia solatium malevolentissimum suae voluntatis cum quibus damnetur inquirit »: ergo illud est solatium malorum: si ergo ipsi quaerunt et desiderant quod est ad solatium, patet etc.

4. Item, *ratione* videtur: quia invidia surgit ex defectu caritatis et amore proprii boni [6]; sed utrumque in damnatis est: ergo est in eis maxima invidia: ergo si invidus nullum vellet videre bonum nec beatum: ergo damnati vellent, quod omnes una cum eis essent damnati magis, quam quod quidam essent damnati, quidam beati.

5. Item, Sancti et damnati ad invicem inimici sunt, propter hoc quod damnati sunt inimici Dei: ergo cum damnati non diligant inimicos, sed potius odiant, et qui odit alium mallet ipsum videre miserum quam beatum; ergo etc.

Contra: 1. Lucae decimo sexto [7] dicitur de divite, quod rogabat pro fratribus, ne venirent *in locum tormentorum:* ergo cum damnati habeant multos consanguineos in caelo, ergo mallent, eos esse in caelo quam in inferno. Ad oppositum.

2. Item, damnati, etsi habeant malam voluntatem, non tamen perdiderunt affectionem naturalem; quod patet, quia impiissimi homines diligunt sibi proximos; sed in praesenti, si pater miser habet filium miserum, non laetatur, sed magis tristatur de tali societate: ergo similiter in inferno.

3. Item, si damnati desiderarent aliorum damnationem: ergo sicut cresceret aliorum damnatio, ita et consolatio eorum, quia desiderium, si compleatur, delectat animam: ergo post omnium damnationem erunt in maiori consolatione; quod est manifeste falsum, immo crescet desolatio, sicut dicitur super illud Psalmi [8]: *Desiderium peccatorum peribit;* Glossa: « Nullo succedente solatio ».

4. Item, Beatus adiectus multitudini electorum multiplicat gaudium [9]: ergo *ab oppositis* damnatus amplificat moerorem; sed sicut Beatus desiderat amplificationem sui gaudii, ita damnatus diminutionem sui moeroris: ergo cum Beati semper velint, miseros pervenire ad gloriam, damnati refugiunt, ut aliqui descendant ad eorum miseriam; ergo nollent, Beatos esse damnatos.

CONCLUSIO.

Generaliter loquendo, damnati mallent, omnes esse miseros, quam aliquos esse beatos, ipsis existentibus miseris.

Respondeo: Dicendum, quod etsi in damnatis aliquo modo remittantur affectiones libidinosae propter poenarum magnitudinem, illae inquam, affectiones, quae habent annexam delectationem; aliae tamen affectiones, in quibus est poenalitas, vigorantur; unde etsi cesset actualiter affectus luxuriandi et dominandi, tamen intenditur affectus sive furor impatientiae et livor invidiae; unde tunc *dentibus* Notandum.

---

[1] Nonnulli codd. *malumus*, cod. K *mallemus*.

[2] Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Seneca, de Consolat. ad Marciam, c. 12, ait: Malevoli solatii genus est turba miserorum.

[4] Vers. 9. — In Glossa *ordinaria* apud Strabum et Lyranum substituitur *inimicos* pro *multos*. Hieron., V. Comment. in Isai. 13, 9: Solatium enim malorum est, cum inimicos viderint eadem sustinere.

[5] Cap. 25. n. 48, ubi textus originalis post *subrepat* prosequitur: *qui ad solatium malevolentissimum damnationis suae cum quibus damnetur inquirit.*

[6] Cfr. August., XI. de Gen. ad lit. c. 14. n. 18.

[7] Vers. 27. seq.: Rogo ergo te, pater, ut mittas... ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

[8] Psalm. 111, 10. — Glossam exhibet Petr. Lombard. et Lyranus (ut *interlinearem*), quae est sumta ex August., in hunc loc. n. 8.

[9] Cfr. supra pag. 1010, nota 6. — Inferius post *amplificat* codd. K L (I a secunda manu) supplent *damnatis*.

suis frement et tabescent[1]. Et quoniam vigebit in eis odium et invidia, et vehementer tristabuntur et tabescent in gloria electorum Dei; et ideo ad satiandum suam impiissimam aemulationem et odium vellent, nullos esse beatos, immo omnes miseros. Et quia nec ipsi ad beatitudinem possunt pertingere nec alios possunt a statu beatitudinis amovere; ideo in semetipsis vehementer tabescunt et confunduntur. — Concedendum est ergo, quod generaliter loquendo, mallent, omnes esse miseros, quam, ipsis existentibus miseris, aliquos esse beatos. — Et concedendae sunt rationes ad hoc.

Conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur de illo divite, qui nolebat, fratres damnari; dicendum, quod quamvis in generali damnati nolint videre beatos aliquos, sed omnes miseros; tamen, quia specialius habent aliquorum amorem naturalem et privatum, nollent, ipsos damnari, aliis existentibus in statu gloriae[2]; quia, etsi illi damnentur, adhuc tamen manet aemulatio et occasio tabescendi. Non sic esset de omnibus.

Solutio oppositorum. Notandum.

2. Et per hoc patet sequens de affectione naturali; tamen nullos ita diligunt naturaliter, quin vellent, eos esse damnatos, hoc pacto, quod nulli essent beati. Et exemplum patet in illis qui habent odium capitale, qui desiderant vitam consanguineorum; attamen vellent, quod multi ex consanguineis essent mortui, ut possent affectum[3] vindictae de inimicis suis implere.

Exemplum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod si desiderant damnationem etc.; dicendum, quod non desiderant damnationem quorumcumque, sed[4] eorum quibus *invident,* propterea quia vident eos elevatos, et illorum, ex quorum *comparatione confunduntur,* et isti sunt Beati; et quia hoc obtinere non possunt, ideo non consequentur inde solatium, sed habent inde magnum supplicium.

4. Ad illud[5], quod refugiunt desolationem; dicendum, quod sicut homo sanus, in quo est natura bene disposita, appetit cibaria sibi competentia; homo vero infirmus appetit ea quae nocent, quia existimat, ea prodesse: sic Beati, tanquam mente sani, appetunt aliorum glorificationem, quae vere est eis proficua, damnati vero Beatorum damnationem, quam existimant sibi utilem et delectabilem, sicut invidus alterius subversionem; attamen, si eveniret, non propter hoc miseria eorum decresceret, immo succresceret. Multa enim volunt impii et peccatores, quae si obtinerent, essent miseriores. Ad haec confirmanda multum facit auctoritas Augustini in secundo capitulo[6], ubi dicit, quod ira, odium et caecitas in damnatis excrescent.

Notandum.

Notandum.

ARTICULUS II.

De excaecatione damnatorum.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de excaecatione sive tenebrositate damnatorum; de qua tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum sint ibi tenebrae corporales.

Secundo, utrum sint in eis tenebrae spirituales quantum ad actum cognoscendi.

Tertio, utrum quantum ad actum memorandi.

QUAESTIO I.

Utrum in inferno sint tenebrae corporales.

Quantum ergo ad primum sic proceditur, et ostenditur, quod non erunt ibi tenebrae corporales:

1. Quia constat, quod reprobi habent potentiam videndi, vel etiam habituri sunt post iudicium: ergo cum visus natus sit exire in actum, videtur, quod videre debeant[7]; sed non est videre sine luce: ergo etc.

Argg. pro parte negativa.

2. Item, boni videbunt alios Sanctos ad suam gloriam, maxime illos quos converterunt: ergo similiter, si mali debent invicem confundi, maxime qui

---

[1] Psalm. 111, 10: Peccator... dentibus suis fremet et tabescet. — Inferius pro *et odium*, quod codd. A K omittunt, cod. P *hominum,* plures alii codd. et edd. 1 *et hominum.* Subinde pro *pertingere* cod. K (l a secunda manu) *pervenire.*

[2] Cfr. Glossa *ordinaria* apud Strabum in Luc. 16, 27.

[3] Ita codd. U X et ed. 1, in aliis *effectum.*

[4] Cod. G *sed extraneis* (nonnulli codd. legunt: *sed ex quibus invident*). Cod. K *dicendum, quod verum est, et maxime eorum, quibus invident.* Inferius pro *et illorum,* quod edd. omittunt, cod. D *et illos.*

[5] Cod. G addit *quod obiicitur;* plures codd. et ed. 1 *Ad aliud,* cui perperam addunt *dicendum.*

[6] Hic in lit. Magistri. — Infra pro *excrescent* codd. vel *excrescerent,* vel *excresceret.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[7] Alias visus esset frustra; «Deus autem et natura nihil frustra faciunt», ut ait Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4.). — De seq. propos. cfr. Aristot., II. de Anima, text. 67. seqq. (c. 7.) et text. 172. (III. c. 3.). — Superius post *iudicium* cod. aa addit: *qui caeci fuerant in praesenti.*

aliis malum exemplum dederunt, sicut Arius: ergo similiter debent eos videre [1].

3. Item, lux naturaliter sequitur ignem, ergo ubi est aggregatio ignis, et luminis; sed haec est in inferno [2]: ergo etc.

Pro parte negativa.

CONTRA: 1. Matthaei vigesimo secundo [3]: *Ligatis pedibus et manibus, proiicite eum in tenebras exteriores;* super quo Gregorius: «Si ille ignis lucem haberet, qui repelluntur in tenebras exteriores mitti nequaquam dicerentur».

2. Item, *ratione* videtur: quia, sicut boni praemiantur per visum, ita mali similiter debent puniri; sed tenebrae plus gravant homines habentes oculos ad videndum: ergo etc.

3. Item, dulce est lumen et delectabile [4]: ergo si damnatis est omnis delectatio auferenda, ergo et omnis illuminatio corporalis.

CONCLUSIO.

In inferno est tantum ignis fumosus et tenebrosus, non illuminans nisi ad videnda tristia et horribilia.

RESPONDEO: Ad hoc respondet Isidorus [5] inquiens:

Distinctio.

«Ignem gehennae habere lucem ad aliquid, ad aliquid non habere, verum est; lucebit enim ad desolationem, ut habeant unde doleant, non ad consolationem, ne habeant unde gaudeant».

Ignis triplex.

Ad quod intelligendum notandum, quod ignis est in triplici differentia. Est enim ignis *purus*, ut est in propria materia; et est ignis *incorporatus*, ut est in materia aliena, ut in terrea vel aërea; et est ignis non tantum *incorporatus*, sed etiam *permixtus*, ut ignis sulphureus et fumosus. Primus est *lux* et pure lucet et abundanter. Secundus est *ignis-carbo* et *flamma* [6]; hic autem lucet et tenebram expellit. Tertius est *ignis fumosus*, et talis est tenebrosus, et iste erit in inferno.

Conclusio 1.

Distinctio.

Rursus notandum, quod lux illuminat oculum ad videndum; potest ergo illuminare ad videndum *delectabilia*, vel ad videndum *indifferentia*, vel ad videndum *tristia* et horribilia. Primo et secundo modo non erit illuminatio, sed tertio modo tantum.

Conclusio 2.

Ad argg.

Secundum hoc igitur patent obiecta. Nam rationes probantes, quod non sit ibi ignis lucens, procedunt secundum lucis puritatem *illuminantem ad delectandum.* Rationes vero probantes, quod sit ibi ignis lucens, procedunt de luce *communiter,* secundum quod tenebris fumositatis [7] admixta et illuminans ad desolationem et horrorem.

SCHOLION.

I. Quaestionem 1. eodem sensu solvunt: S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 4; Suppl. q. 97. a. 4. — B. Albert., hic a. 4. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 1. — De toto art. Durand., hic q. 1; Dionys. Carth., hic q. 2. 3. (passim tangens).

II. De cognitione damnatorum plura quaeruntur infra p. II. a. 1; ubi etiam ab aliis Lombardi commentatoribus duae seqq. quaestiones, de quibus specialiter non tractant, implicite solvuntur.

QUAESTIO II.

Utrum in damnatis erunt tenebrae spirituales quoad actum cognoscendi.

Secundo quaeritur, utrum erunt ibi tenebrae spirituales quantum ad actum cognoscendi. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa.

1. Quia caeco, ubicumque est, est tenebra; sed mali et damnati sunt excaecati per malitiam, Sapientiae secundo [8]: *Excaecavit eos malitia eorum:* ergo si ibi crescit malitia, ergo et caecitas.

2. Item, Augustinus dicit super Psalmum sextum [9]: «Ibi tenebrae exteriores erunt, quia penitus extra Deum erunt. Quid enim est extra Deum

---

[1] Gregor., IX. Moral. c. 66. n. 101: Quamvis illic ignis et ad consolationem non lucet, et tamen, ut magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quousque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt etc.

[2] Ut ostensum est supra d. 44. p. II. a. 2. q. 1. — Edd. *ibi et luminis.*

[3] Vers. 13: Ligatis manibus et pedibus eius, mittite eum etc. — Gregor., IX. Moral. c. 65. n. 97, praedicto verbo Domini subiungit: Si itaque ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur.

[4] Euripides: «Quivis homo delectatur, dum lumen videt». August., Serm. 28. (alias 7. editor. ex Carthus. mss.) n. 3: Lux ista cibus est oculorum; hac lumina nostra pascuntur, et si quis diutius in tenebris fuerit, tanquam ieiunando deficiunt etc. Cfr. in Ioan. Evang. tr. 13. n. 5. — Codd. L Y addunt *est oculis.* In fine arg. ex codd. L R Y substituimus *illuminatio corporalis* pro *delectatio corporalis,* cod. F *lux corporalis.*

[5] Libr. I. Sent. c. 28. n. 2: Ignem gehennae ad aliquid lumen habere, ad aliquid non habere; hoc est, habere lumen ad damnationem, ut videant impii unde doleant; et non habere ad consolationem, ne videant unde gaudeant.

[6] Secundum Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5.) tres sunt species ignis, scil. carbo, flamma et lux. Cfr. supra pag. 926, nota 8. — Superius pro *ut in terrea vel aërea* aliquot codd. et edd. *ut in terra vel aëre.* Mox pro *tenebram* cod. L *tenebras.*

[7] Plures codd. et edd. supplent *est.* Pro *fumositatis* codd. B C L R U Y *fumositatum,* edd. *fumositas.*

[8] Vers. 21: Excaecavit enim illos malitia eorum.

[9] Vers. 8. n. 8. Vide hic lit. Magistri, c. 2, ubi post *quia* additur *tunc peccatores.*

esse, nisi in summa caecitate esse»? Ergo erunt in summa caecitate; et si hoc, nulla ergo erit ibi illuminatio spiritualis.

3. Item, sicut intellectiva nata est illuminari ad verum, ita affectiva inflammari ad bonum; sed affectiva omnino privatur calore sive amore boni: ergo cognitiva lumine veri [1].

4. Item, sicut affectiva delectatur in bonitate, sic cognitiva in veritate; sed a reprobis auferetur omnis delectatio: ergo omnis illuminatio et cognitio veritatis pari ratione [2].

Pro parte negativa.

Contra: 1. Reprobi habent multorum cognitionem naturalem; sed nec poena nec culpa debet bona naturae destruere omnino: ergo aliqua in eis cognitio remanebit [3].

2. Item, damnati habent remorsum conscientiae et vermem [4]; sed conscientia non remordet nisi de peccatis, quae cognovit: ergo etc.

3. Item, videtur, quod amplius sit in damnatis de luce quam in viatoribus, etiam se ipsis; quod patet, quia multi interficiunt Martyres, arbitrantes, se bene facere, multi credunt impune peccare; sed tunc certi erunt, se fuisse deceptos [5]: ergo lumen cognitionis eis accrescet; et si hoc, ergo videtur, quod Deus det novas illuminationes damnatis.

4. Item, videtur, quod saltem a parte speculationis tantum lumen sit in eis, quantum nunc: quia, si privatio luminis est per meritum peccati; sed meritum et demeritum est in potentia practica vel motiva, non in potentia speculativa [6]: ergo etc.

CONCLUSIO.

Damnatis aliqua quidem manifesta sunt, sed ad cumulum dolorum; nihil autem lucis ipsi habent ad dirigendum et delectandum.

Triplex actus lucis.

Respondeo: Dicendum, quod sicut est triplex actus lucis corporalis, scilicet *manifestare, dirigere* et *delectare;* sic et in luce spirituali. Si loquamur quantum ad primum actum; sic dico, quod

Conclusio 1.

non omnino extra lucem erunt, quia aliqua erunt eis manifesta, sed illa solum, quae faciunt ad cumulum poenae, alia non; et ideo ista lux est ad manifestandum tenebras et ducens in tenebrositatem, non consistens in lumine [7]. — Si loquamur quantum ad secundum actum, qui est *dirigere;* sic dico, quod omnino erunt extra lucem, quia non poterunt dirigi. Erunt enim extra omnem viam et tempus et locum bene agendi, sicut dicitur Ecclesiastis nono [8]: *Quia nec opus nec ratio nec scientia est apud inferos.* — Si quantum ad tertium, qui est *delectare;* sic dico similiter, quod erunt extra lucem omnino, quia nihil cognoscent actu, in quo delectentur. Erunt enim omnino absorpti a magnitudine poenarum, ita ut non liceat eis cogitare aliqua delectabilia [9].

Conclusio 2. Conclusio 3.

Ad argg. pro parte affirm.

1. 2. Quod ergo dicuntur omnino excaecati et extra Deum esse; hoc intelligitur quantum ad directionem et delectationem.

Notandum.

3. 4. Ad illud vero quod obiicitur, quod nullam habent cognitionem, quia nec affectus eorum habet boni amorem; dicendum, quod sicut non habebunt amorem boni honesti, sed commodi; sic nec cogitabunt de bono honesto, sed tantum commodo [10].

Aliter.

— Vel dicendum, quod non est simile, quia plus corrumpitur per peccatum affectus quam intellectus.

Ad argg. pro parte negat.

1. 2. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod habent cognitionem naturalem et cognitionem peccatorum; dicendum, quod cognitio naturalis [11] non abolebitur; sed tamen nulla in eis cognitio exibit in actum, quae ad ipsorum non faciat cruciatum vel per se, vel per accidens.

Notandum.

Notandum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod ampliorem habebunt illuminationem; dicendum, quod aliqua peccata cognoscent, quae modo non cognoscunt, non per novi luminis donationem, sed per poenae afflictionem, quia, ut dicit Gregorius [12], «poena aperit oculos, quos culpa claudit».

4. Ad illud quod obiicitur, quod secundum intellectum speculativum non est demeritum; dicendum, quod voluntas demeretur sibi et omnibus potentiis animae et membris corporis; ideo non tantum punitur in se ipsa, sed etiam in omnibus potentiis et membris, licet ipsa puniatur principalius [13]. Et sic patet illud.

---

[1] Cfr. hic lit. Magistri, c. 1, et lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 12.

[2] Vide quaest. praeced. 3. pro parte negativa.

[3] Cfr. tom. II. pag. 122, nota 8. verba Dionysii respectu daemonum, et supra pag. 1038, nota 3.

[4] De quo infra p. II. a. 2. q. 1. seqq. — Pro *cognovit* codd. E F L *cognoscit.*

[5] Cfr. Sap. 5, 1. seqq. — Superius pro *etiam se ipsis,* quod codd. K R S (I a secunda manu) et ed. 1 omittunt, cod. G *etiam in se ipsis*, cod. Y *in se ipsis*, plures codd. *et se ipsis.*

[6] Vide supra pag. 990, nota 2.

[7] Simile docet, supra pag. 1041, nota 5., Isidor. de lumine corporali. — Edd. *ideo non consistent in lumine.*

[8] Vers. 10: Quia nec opus nec ratio nec sapientia nec scientia erunt apud inferos.

[9] Vide hic lit. Magistri, c. 2.

[10] Cfr. supra pag. 1038, nota 7. — De altera huius obiect. solutione vide II. Sent. d. 7. p. II. a. 1. q. 1. ad 4. (in eadem quaest. cit. insinuatur etiam solut. ad seq. obiect.), et lit. Magistri, d. XXXIX. c. 2.

[11] Nonnulli codd. *peccatoris,* cod. X (E a secunda manu) *naturalis peccatoris,* edd. *peccatorum.*

[12] Libr. XV. Moral. c. 51. n. 58: Et quia impiorum oculos culpa claudit, sed in extremum poena aperit, recte subiungitur: *Et cum reddiderit, tunc sciet* (Iob 21, 19.).

[13] De quo fusius II. Sent. d. 41. a. 2. q. 3. — Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum in damnatis sint tenebrae spirituales quoad actum memorandi.

Tertio quaeritur, utrum in damnatis sint tenebrae quantum ad actum memorandi. Et quod sic, videtur:

Argg. pro parte affirmativa. 1. Per illud quod dicitur Ecclesiastici undecimo [1]: *Malitia unius horae oblivionem facit luxuriae maximae:* ergo maiorem oblivionem facit aeterna poena, et sic patet etc.

2. Item, hoc videtur per illud quod dicitur in littera [2]: « Exteriores tenebrae intelligi possunt quaedam malignitas odii et quaedam oblivio Dei, quae tunc excrescent ».

3. Item, hoc videtur *ratione:* quia recte oblitus est qui non habet copiam memorandi; sed damnati non habent copiam memorandi; unde dicit Augustinus in littera [3], quod « quia nimio dolore premuntur, adeo stupescunt et terrentur, ut interim mentem in aliam cogitationem non ferant »: ergo etc.

4. Item, damnati erunt subiecti tempori, secundum illud Psalmi [4]: *Erit tempus eorum in saecula,* et aliis infirmitatibus: ergo videtur, quod ex longitudine temporis possint omnium oblivisci, sicut nunc videmus in nobis.

Pro parte negativa. Contra: 1. Imago non tolletur a damnatis; sed imago consistit in memoria, intelligentia et voluntate respectu Dei [5]: ergo saltem Dei habebunt memoriam.

2. Item, constat, quod non habent remorsum nisi de peccatis praeteritis; sed de nullo habent remorsum, nisi de quo cogitant: ergo cogitant de peccatis praeteritis, ergo et eorum memorantur.

3. Item, hoc videtur per illud quod damnati dicent, Sapientiae quinto [6]: *Dicent intra se, poenitentiam agentes: hi sunt quos aliquando habuimus in derisum:* ergo rememorabuntur praeteritorum.

4. Item, Abraham dixit diviti [7]: *Recordare, quod recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala;* sed hoc non dixisset, si non potuisset recordari: ergo etc.

CONCLUSIO.

In damnatis sunt tenebrae spirituales, ut non recordentur sive Dei sive aliorum ad consolationem et itineris directionem, sed tantum ad moerorem et confusionem.

Respondeo: Dicendum, quod ad hoc facile est respondere, si revocatur ad mentem distinctio praecedens [8]: quoniam est recordatio aliquorum ad *moestitiam* et dolorem et confusionem, aliquorum ad *itineris directionem,* aliquorum ad *consolationem.* Distinctio. Secundam et tertiam non habebunt damnati, nec respectu Dei nec respectu aliorum, quia non erit eis memoria Dei, vel ut convertantur sive revertantur ad ipsum, aut ut delectentur in ipso. Conclusio. Vigebit tamen in eis actus memoriae quantum ad primum, scilicet *desolationem,* quia semper habebunt memoriam peccatorum, quae commiserunt, et Dei, quem offenderunt, ad suam confusionem. — Nec hoc repugnabit poenis: quia poenae exteriores ducent ad cogitandum interius suum demeritum [9]; et ita recordatio illa non est eis via lucis, sed tenebrarum, nec ponet hominem in statu bono vel in Deo, sed potius elongabit a Deo et a vero lumine.

Et sic patent rationes ad utramque partem. — Verumtamen illud argumentum, quod facit de tempore et passibilitate damnatorum, non valet: quia, Ad arg. 4. pro parte affirm. sicut corpora passibilia erunt immortalia, ita, etsi anima sit subiecta variationi passionum, adeo tamen erit actus memorandi conversus ad ea quae spectant ad poenam, et adeo sine intermissione, quod non poterit anima oblivisci. — Et illud magis patebit ultimo [10], cum agetur de verme. Haec autem sufficiant ad praesens, quibus intellectis, satis patet littera [11]. Desunt dubia circa lit.

---

[1] Vers. 29: Malitia horae oblivionem facit luxuriae magnae.

[2] Hic c. 2.

[3] Hic c. 2. Pro *terrentur* codd. L aa (bb a secunda manu) *turbantur,* quod etiam exhibet textus originalis, sed in aliquibus aliis discrepat.

[4] Psalm. 80, 16: Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus etc.

[5] Ut ostensum est I. Sent. d. 3. p. II. a. 1. q. 2.

[6] Vers. 3: Dicentes intra se, poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes: hi sunt etc.

[7] Luc. 16, 25: Recordare, quia [ita etiam cod. H] recepisti etc.

[8] In praeced. quaest. posita.

[9] Vide supra pag. 1042, nota 12. — Inferius posuimus ex codd. G L R T X aa *vel in Deo,* cod. M (E a secunda manu) *prope Deum* (plures codd. *poni Deo*), cod. K (I a secunda manu) *nec appropinquabit Deo* edd. *coram Deo.*

[10] Infra p. II. a. 2. q. 3. — Inferius pro *patet littera* codd. L Y *patent litteralia.*

[11] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

COMMENTARIUS IN DISTINCTIONEM L.

PARS II.

De statu damnatorum ante iudicium, maxime quoad cognitionem.

Praeterea quaeri solet, si reproborum etc.

TEXTUM MAGISTRI VIDE SUPRA PAG. 1034.

DIVISIO TEXTUS.

Supra determinavit Magister statum damnatorum post iudicium quantum ad rationem et voluntatem. Hic incidenter determinat statum ante iudicium, maxime quantum ad cognitionem. Et dividitur haec pars in tres. In prima determinat, qualiter cognitio reprobarum animarum se habeat ad nos. In secunda vero, qualiter se habeat ad Beatos, ibi: *Quaeri etiam solet, utrum vicissim* etc. In tertia quaerit, qualiter se habeant Beati ad reprobos, ibi: *Postremo quaeritur, an visa poena reproborum* etc.

Ultima pars habet duas partes. In prima ostendit, quod non minuetur gloria bonorum ex aspectu poenae damnatorum [1]. In secunda exprimit poenas, quas videbunt, scilicet vermem et ignem, ibi: *Non est autem mirandum, si Sancti* etc.; ubi concludit sermonem epilogando breviter quae in hoc libro determinata sunt et etiam in omnibus praecedentibus.

TRACTATIO QUAESTIONUM.

Ad intelligentiam huius partis duo quaeruntur principaliter.

Primo quaeritur de cognitione animae separatae.

Secundo, de verme.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo quaeritur de cognitione eius per comparationem ad virtutem cognoscentem.

Secundo, per comparationem ad statum viatorum.

Tertio, per comparationem ad statum Beatorum.

ARTICULUS I.

De cognitione animae separatae.

QUAESTIO I.

Utrum anima separata habeat usum potentiae sensitivae.

Quantum ergo ad primum est quaestio, utrum anima separata habeat usum potentiae sensitivae. Et quod sic, videtur:

Ad oppositum. 1. Primo auctoritate Evangelii, Lucae decimo sexto [2]: *Elevans oculos vidit Lazarum* etc. Omnia illa, quae ibi tanguntur, dicunt cognitionem sensitivam et per modum sensus: ergo etc.

2. Item, Cassiodorus in libro suo de Anima [3], loquens de anima separata, dicit: « Videt, audit, tangit ac reliquis sensibus efficacius valet ».

3. Item, *ratione* videtur: quia tanto substantia per potentiam melius et facilius operatur, quanto est liberior et ab errore immunior; sed substantia animae rationalis separata habet potentiam cognitivam, quia impossibile est, destrui potentiam, quae fundatur in substantia perpetua. Et *iterum*, est substantia [4] liberior et spiritualior: ergo ad actum cognitionis liberior: ergo melius potest ea uti, tam interiori quam exteriori, quam nunc.

4. Item, constat, quod anima separata cognoscit res abstractas a conditionibus materialibus, cognoscit res sub conditionibus materialibus, absente materia,

---

[1] Ita cod. C, codd. G aa (bb a secunda manu). *aspectu damnatorum* (cod. U *reproborum*, alii codd. *poenatorum*, edd. *poenarum*). Inferius ex codd. supplevimus propositionem *ubi concludit... praecedentibus*.

[2] Vers. 23: Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe et Lazarum etc.

[3] Cap. 2: Vivit [anima] in se post huius saeculi amissionem... pura, subtilis, cita, aeterna, videt, audit, tangit ac reliquis sensibus efficacius valet. Cfr. lib. de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 30. — Pro *valet* cod. G *viget*, Vat. *utitur vel viget*.

[4] Cod. M addit *superior*. Post *liberior* Vat. adnectit *quod*.

et iterum, cognoscit sub conditionibus individualibus, praesente materia vel obiecto[1]; hoc constat: ergo intelligit et imaginatur et sentit, ergo habet usum omnis potentiae.

Si tu dicas, quod hoc facit per unam et eandem vim; *contra:* 5. Isti actus sunt maioris abstractionis et minoris[2]: si ergo abstractio maior fit secundum gradus spiritualitatis potentiarum, et una potentia non habet gradus spiritualitatis maioris et minoris: ergo necesse est, quod hoc faciat per tres potentias.

6. Item, si intellectus animae separatae potest haec omnia, tunc videtur, quod cum frustra fiat per plura quod potest fieri per pauciora[3], quod frustra dedit Deus tres potentias animae.

7. Item, si potest totum intellectus quantum ad ista tria: ergo deficientibus sensibus, nihilominus poterit cognoscere sensibilia; quod est manifeste falsum et contra experientiam et contra Philosophum[4], qui dicit, quod « deficiente sensu, necesse est, scientiam deficere, quae est secundum illum sensum ». — *Si tu dicas,* quod hoc habet anima separata; *ego quaero:* quare separata potest totum per intellectum, non autem coniuncta? — *Si tu dicas,* quod hoc est propter molem carnis[5]; *obiicitur* de statu Adae, ubi anima non habebat carnem opprimentem, nec tamen hoc poterat solo intellectu, quia frustra haberet sensus.

Contra: 1. « Sentire, ut vult Philosophus[6], est operatio coniuncti »: ergo cum, facta separatione, iam non sit animal, iam non erit operatio sensus. Fundamenta.

2. Item, sensus, sive interior[7] sive exterior, est potentia egens organo determinato: ergo est potentia alligata organo: ergo cessante organo, non habet operationem.

3. Item, hoc videtur experimento: quia caecus habet potentiam videndi, et amisso oculo, non potest videre, nec phreneticus recordari: ergo si perdit organum potentia sensitiva, quando omnino separatur, magis perdit operationem, quam quando organum solum laeditur: ergo cessat omnis eius operatio.

4. Item, in omni potentia cognitiva necesse est reperire *agentem* et *passibilem,* et hoc *per differentiam*[8]. Si enim differunt in intellectu, qui est potentia simplicior et spiritualior, multo magis in potentia sensitiva; sed potentia sensitiva non dividitur in *agentem* et *passibilem* in se[9]: ergo necesse est, quod praeter se habeat passibilem. Sed hoc non est nisi organum corporale, quod recipit ad hoc, quod homo cognoscat: ergo cum post separationem sit activa sine passiva, et sine his duabus impossibile est, potentiam cognitivam fieri in actu; ergo etc.

CONCLUSIO.

Anima separata per potentiam intellectivam cognoscit ad modum Angelorum omnia quae cognoscebant etiam aliae potentiae.

Respondeo: Dicendum, quod circa hanc quaestionem triplex fuit doctorum opinio.

Quidam namque dixerunt, quod anima separata, cum trahat secum omnes potentias, *omnibus* utitur tanquam substantia liberior; nec dicunt[10] esse credendum philosophis in hac parte: quia nec recte intellexerunt cognitionem post separationem animae nec ulterius unitatem, propter quam in una anima sunt tres potentiae, scilicet rationalis, sensibilis et vegetabilis, et in eadem substantia perpetuo radicantur, cum qua necessario separantur; quod philosophi non cognoverunt, sed Sancti. Et quoniam fides nostra dicit, animas cruciari ignibus[11]; et Cassiodorus dicit, quod « aliis sensibus efficacius valet »: ideo posuerunt, animam usum omnium potentiarum habere. Opinio 1.

Secunda positio est, quod anima habet potentias *sensitivas,* illa, inquam, quae rationalis est. Sed quoniam omnes sensitivae exteriores uniuntur in origine et[12] in sensu communi et distinguuntur in organis; ideo necessario, cum separatur anima a corpore, recurrunt omnes potentiae ad *unam originem,* scilicet ad sensum communem, et per illum sensum potest anima libera, quod poterat per omnes alios exteriores ratione alligationis cum corpore, et Opinio 2.

---

1 Non pauci codd. *obiecta,* cod. M *ut obiecta.*

2 Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 121; III. text. 1-17. et text. 37. seq. (II. c. 12; III. c. 4. et 8.).

3 Vide tom. III. pag. 277, nota 1. De seq. propos. cfr. supra pag. 1040, nota 7.

4 Libr. I. Poster. c. 14. (c. 18.). — Superius vocibus *deficientibus sensibus* plures codd. interserunt vel cum Vat. *in nobis,* vel cum ed. 1 *nobis.*

5 Sap. 9, 15: Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam etc.

6 Libr. de Somno et vigilia, c. 1: Quoniam autem non animae proprium est sentire neque corporis; cuius enim est potentia, huius est et actus; qui vero dicitur sensus, ut actio, motus quidam *per corpus animae est;* manifestum est, quod neque animae passio propria neque inanimatum corpus possibile est sentire. Idem insinuatur I. de Anima, text. 12-14. (c. 1.).

7 Ut sensus communis, imaginatio etc. Cfr. Aristot., II. de Anima, text. 136. seqq. (III. c. 2.).

8 Aristot., III. de Anima, text. 17. (c. 5.): Quoniam autem in omni natura est aliquid hoc quidem *materia*... alterum autem causa et *factivum*... necesse et in anima has existere differentias. Et est quidam intellectus, quia omnia *fit,* quidam vero, quia omnia *facit* etc.

9 Vide tom. II. pag. 567, nota 7. — Nonnulli codd. pro *passibilem* substituunt in hoc arg. *possibilem.*

10 Vat. *et dicunt non.* Inferius pro *unitatem* cod. S *veritatem,* et pro *scilicet* cod. E *id est,* edd. cum pluribus codd. *item;* incongrue, nisi subinde, sicut edd. faciunt, ante *in eadem* omittatur *et.*

11 Vide supra d. 44. p. II. a. 3. q. 2. — In verbo Cassiodori pro *valet* cod. G *viget,* edd. *valent.* Subinde post *potentiarum* codd. L Y addunt *cognitivarum.*

12 Pro *et* cod. aa *scilicet.*

illo utitur ad actus omnium sensuum; et ita utitur sensu interiori, non solum intellectu; et iste sensus est qui trahit secum phantasmata. Et hanc positionem confirmant per Augustinum, qui dicit de Spiritu et anima, et duodecimo super Genesim ad litteram [1], quod anima trahit secum imagines rerum corporalium et per illas imaginatur et cognoscit, cum utitur potentia sensitiva interiori.

Tertia positio est, quod anima rationalis sepa- Opinio 3. rata nihil cognoscit nisi mediante potentia *intellectiva;* per illam autem potest cognoscere non solum quod cognoscebat in corpore, sed etiam omne [2] quod cognoscebant aliae potentiae, propter sui libertatem, sicut unus Angelus. Per potentias *sensitivas* nihil potest operari, sicut nec per *vegetativas,* quoniam dependent ab organo corporali, sicut manifestum est Conclusio 1. intuenti. Ergo sicut corpore corrupto, nihil operatur per potentias, quae respiciunt *vegetabilem;* ita nihil operatur per potentias, quae respiciunt sensibilem. Modus triplex cognoscendi. — Per *intellectum* autem cognoscit res sub conditionibus materialibus, *praesente materia,* et hoc est *sensus exterioris;* et res sub conditionibus materialibus, *absente materia,* et hoc est *imaginationis;* et illas etiam res cognoscit, abstractis omnibus materialibus, et hoc est *intellectus* [3]; et haec omnia Conclusio 2. vere facit. Et ideo recte dicitur anima separata *sentire, imaginari* et *intelligere,* non per diversas potentias, sed per *unam,* quae potest omnibus his modis cognoscere, sicut ponere est in Angelo, ut patet ex secundo libro [4].

Ad maiorem autem intelligentiam est notandum, Explicatur. quod sicut « in omni natura est aliquid, quo est *fieri,* et aliquid, quo est *facere* [5] »; sic et in omni cognitione; et cum haec sit prima divisio potentiae per *activum* et *passivum,* necesse est, ista *differre;* verumtamen secundum gradus maioris et minoris simplicitatis et spiritualitatis habent maiorem et minorem differentiam. *Intellectiva* namque, pro eo quod est spiritualior et abstractior, habet utramque potentiam, quae respicit substantiam spiritualem, ita quod *activa* est ratione ipsius *quo est,* et *passiva* ratione ipsius *quod est,* scilicet materiae et formae [6]. — In potentia autem *sensitiva,* quae est minus spiritualis, *activa* potentia est ex parte animae, et *passiva* ex organo; et ideo, quia sensus non est sine actione et passione, ideo *sentire* dicitur esse operatio *coniuncti.* Et *iterum,* cum *activa* nihil agat sine *passiva;* et quando anima amittit corpus, amittit *passivam* respectu actus sentiendi: ideo impossibile est, quod aliquo sensu utatur, sive interiori sive exteriori, quamdiu est separata.

Haec autem opinio magis est rationi consona nec Conclusio 3. repugnat fidei nec Sanctorum auctoritati. Ponit enim, quod anima per potentiam intellectivam intelligat et cognoscat his tribus modis, quibus nunc, et Angelus similiter, his, inquam, tribus modis a parte *rei cognitae;* et illud [7] dicitur *intelligere, imaginari* et *sentire,* secundum quod Sancti dicunt. Et ita intelligendae sunt auctoritates Sanctorum.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur de illo Solutio oppositorum. divite; dicendum, quod lingua illa non erat nisi lingua *imaginativa* [8]. Anima enim defert imagines non tantum in potentia inferiori; sed, cum separatur, De memoria intellectiva. habet in memoria intelligibili, quae non eget organo corporali.

2. Ad illud quod obiicitur de Cassiodoro, dicendum, quod non loquitur de sensibus exterioribus, sed de interioribus, qui nihil aliud sunt quam ipse intellectus, prout habet modum apprehendendi ipsorum sensuum.

3. Ad illud quod obiicitur, quod anima separata est liberior; dicendum, quod verum est quan- Notandum. tum ad potentiam *activam;* sed quando caret *passiva,* non potest operari, sicut nec [9] ignis sine combustibili, non propter imperfectionem sui in se, sed propter hoc, quod necessario exigit ad exeundum in opus.

4. 5. 6. 7. Ad illud quod obiicitur, quod cognoscit tripliciter; dicendum, quod hoc facit separata per unam et eandem potentiam [10]. — Quod obiicitur de abstractione, dicendum, quod hoc non facit diver- Notandum. sitatem, quoniam una potentia est, secundum quam anima ordinat totam lineam praedicamentalem [11], et *ascendit* abstrahendo sive resolvendo ab infimo usque ad supremum, et *descendit* componendo a generalissimo usque ad individuum. Solius enim

---

[1] Cap. 32. n. 60. et c. 33. n. 62. (cfr. supra lit. Magistri, d. XLIV. c. 7.); verba ex his locis refert etiam auctor libri de Spiritu et anima (inter opera August.), c. 30. Cfr. ibid. c. 4. et c. 13, ubi docetur, quod potentiae et vires animae idem sint quod ipsa anima. — Inferius pro *cum utitur,* quod habent codd. R T U X, codd. I K *dum utitur,* alii codd. *item utitur* vel cum Vat. *ergo utitur.*

[2] Ita codd. E G L P Q R S Y, alii codd. et ed. 1 omittunt *quod cognoscebat in corpore, sed etiam omne,* pro quo Vat. *intelligibilia, vel ea quorum habet species, sed etiam omne illud;* cod. K (I a secunda manu), qui praedicta verba omittit, inferius post *libertatem* addit *sed multa alia.*

[3] Ex codd. F H (V bb a secunda manu) supplevimus *et hoc est intellectus,* cod. K (I a secunda manu) *quod est proprium intellectus.*

[4] Dist. 3. p. II. a. 2. q. 1.

[5] Ut ait Aristot. supra pag. 1045, nota 8, qui etiam V. Metaph. text. 17. (IV. c. 12.) et IX. text. 2. (VIII. c. 1.) docet, divisionem potentiae per *activam* et *passivam* esse primam.

[6] Vide II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 4, ubi de distinctione intellectus *agentis et possibilis.*

[7] Codd. L Y addunt *ideo,* quod cod. aa substituit pro *illud.*

[8] Cfr. August., XXI. de Civ. Dei, c. 10. n. 2, et hic lit. Magistri, c. 4. — Codd. G L *imaginaria.* Inferius post *defert* codd. L R Y (X bb a secunda manu) supplent *secum.*

[9] A cod. F additur *potest.*

[10] Multi codd. et ed. 1 omittunt *potentiam,* econtra Vat. addit *scilicet intellectivam.*

[11] Cfr. tom. II. pag. 48, nota 1, et Porphyr., de Praedicab. c. *de Specie.* — Multi codd. et ed. 1 *praedicabilem.* Superius pro *abstractione* permulti codd. et ed. 1 *alligatione.* Inferius post *componendo* edd. addunt *seu comparando.*

De cognitione singularium.

potentiae rationalis est comparare individuum ad speciem et eiusdem considerare genus generalissimum [1]; et ideo abstractio in his tribus actibus non est sufficiens ratio ad diversificandum potentias, sed magis coniunctio peroptima et decentissima, secundum quam factum est, ut anima, quamdiu est in carne, habeat potentias, secundum quas alligetur et communicet corpori operationem suam et in *regendo* sive vivificando et in *cognoscendo* [2]. — Et sic patet, quare intellectus non habet hoc *posse*, quamdiu est coniunctus, propter alligationem et ordinem et connexionem potentiarum animae ad se et ad corpus; non sic autem, cum est separatus. — Et sic patet totum.

SCHOLION.

I. Hic incidit controversia inter antiquos agitata de cognitione animarum separatarum, de quibus diffusius disputant S. Thom., hic q. 1. a. 1-3; S. I. q. 89. a. 1-8; de Verit. q. 19, a. 1-2; et Scotus, qui opinionem S. Bonaventurae suo modo magis explicavit, supra d. 44. q. 1-3, et II. Sent. d. 3. q. 10. Conveniunt autem hi tres doctores primo in eo, quod, reiectis primis duabus opinionibus in 1. quaestione relatis, docent, animam separatam nullo uti posse *sensu*, sive interiore sive exteriore. — Secundo iidem dicunt, quod species intelligibiles in vita acquisitae remaneant in intellectu, quod cum Avicenna negat Henr. Gandav. (Quodl. 5. q. 14.), unde idem etiam penitus negat (Quodl. 6, q. 8.), dari memoriam *intellectivam.* Ast S. Thom., cum contra Scotum doceat, *intellectum* non posse cognoscere *singularia* per *species a sensibus acceptas* « nisi indirecte et per quandam reflexionem » (hic q. 1. a. 3; S. loc. cit. a. 4; De Verit. loc. cit. a. 2.), sibi constans asserit, illas animas cognitionem singularium (saltem per se loquendo) non habere nisi per species ipsis a Deo infusas; hinc *proprie* dictam *memoriam* in parte *intellectiva* non ponit (S. I. q. 79. a. 6; q. 89. a. 8.). — Tertio asserunt, quod animae separatae cognoscunt simili modo, ut Angeli; de quorum cognitione, ut dictum est II. Sent. d. 3. a. 2. q. 1. in scholio, S. Thomas aliter docet ac auctores nostri antiqui. Unde de praedictis animabus dicit (hic q. 1. a. 1.), quod cum non habeant *species concreatas,* post separationem erunt paratissimae « ad recipiendum influentiam a substantiis superioribus, scilicet Deo vel Angelis ». Praemittit etiam, quod « in hac vita, quanto anima a corpore magis abstrahitur, tanto magis a substantiis spiritualibus influxum cognitionis recipit. Et inde est, quod quaedam occulta cognoscuntur in dormiendo et in excessu mentis, quando anima a corporis sensibus abstrahitur » (cfr. Bonav., hic q. 2. arg. 2. pro parte affirm. et solut.). Breviter idem concludit in Sum. (I. q. 89. a. 1. ad 1.), quod « anima separata non intelligit per species innatas nec per species, quas *tunc* abstrahit, nec *solum* per species conservatas... sed per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut et aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo ». — Richard. a Med. (hic a. 1. q. 1.) cum nostro auctore tenet, quod talis anima possit « per intellectum (non per potentiam sensitivam) sensibilia et sensibiles eorum modos cognoscere ». Scot. vero (supra d. 44. q. 2. n. 12. et q. 4.) putat, animas separatas *posse* acquirere notitiam abstractivam et intuitivam omnium sensibilium et spiritualium finitorum, scilicet *abstrahendo* speciem, si obiectum est materiale, vel *recipiendo* speciem, si illud est spirituale.

De 1. quaestione praeter laudatos: Petr. a Tar., hic q. 1. a. 1. 2. 3. — Dionys. Carth., de toto articulo hic q. 2. 3.

II. De 2. quaestione S. Thom. (S. I. q. 89. a. 8.) cum nostro auctore resolvit, quod « secundum *naturalem* cognitionem... animae mortuorum nesciunt quae hic aguntur » (cfr. hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 1; Suppl. q. 98. a. 5.).

De eadem quaestione: Scot., locis ultimo citt. et hic q. 3. — B. Albert., hic a. 7. 8. — Petr. a Tar., de hac et seq. q. hic q. 2. a. 1. 2. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 2. — Dionys. Carth., de hac et seq. q. hic q. 2. 8.

III. In 3. quaestione solvenda auctores satis conveniunt. Cfr. S. Thom., hic q. 2. a. 2. quaestiunc. 3. et a. 4; Suppl. q. 98. a. 9, q. 94. a. 1-3. — B. Albert., hic a. 10. — Richard. a Med., hic a. 3. q. 3. — Durand., hic q. 3.

QUAESTIO II.

Utrum anima separata cognoscat ea quae circa nos geruntur.

Secundo quaeritur de cognitione animae separatae per comparationem ad statum viatorum; et quaeritur, utrum anima separata cognoscat ea quae circa nos geruntur. Et quod sic, videtur saltem de *bonis.*

Argg. pro parte affirmativa.

1. Gregorius [3]: « Quid est quod non vident qui videntem omnia vident »? Sed tales sunt animae beatae: ergo etc.

2. Item, hoc etiam videtur de *reprobis:* quia Gregorius narrat in Dialogo [4], quod quidam malus homo praedixit locum suae sepulturae; et solvit, quod hoc fuit virtute animae, quae iam abstrahebatur a corpore: si ergo plus est cognoscere futura quam praesentia, et tanto magis cognoscit, quanto magis est abstracta; patet etc.

3. Item, communiter de *utraque* videtur: quia utraque habet potentiam intelligendi, quae non indiget adminiculo exterioris luminis [5], nec est arctata ad aliquid: ergo potest per istam cognoscere quae circa nos geruntur.

4. Item, quanto substantia liberior, tanto facilius et certius [6] exit in actum suum: ergo cum anima separata a corpore sit multo liberior quam ei con-

---

[1] Vide tom. III. pag. 375, nota 1.

[2] Cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 1. ad 8. — Inferius pro *coniunctus* permulti codd. *coniunctio.*

[3] Vide supra pag. 953, nota 8.

[4] Libr. IV. c. 26, ubi post narrationem facti istius subdit: Et cum eundem virum curis saecularibus obligatum lucrisque terrenis inhiantem fuisse noverimus; unde hoc praedicere potuit, nisi quia id quod futurum erat eius corpori, ipsa vis animae ac subtilitas praevidebat? — Inferius pro *abstrahebatur* cod. H *extrahebatur.* Circa finem arg. codd. et ed. 1 omittunt *cognoscit.*

[5] Sicut indiget visus.

[6] Cod. H *citius.*

iuncta, si poterat coniuncta cognoscere quae sunt circa nos, poterit et separata.

Pro parte negativa. Contra: 1. Quod *beatae* animae non cognoscant, videtur: quia beatae animae magis adhaerent Deo quam aliqui viatores; sed aliqui viatores ita adhaerent Deo, quod parum vel nihil sciunt de his quae hic geruntur: ergo etc.

2. Item, de *damnatis* videtur: quia lumen cognitionis non accrescit in damnatis, immo potius obscuratur; sed cum damnati erant hic, non poterant cognoscere ea quae fiunt apud inferos: ergo nec modo poterunt cognoscere ea quae fiunt apud nos.

3. Item, quod nec *isti* nec *illi*, videtur: quia tam isti quam illi habent potentiam cognoscendi finitam; sed ad hoc, quod aliquid cognoscatur de novo, necesse est praesentari ipsi virtuti cognoscenti: ergo si a nobis multum distant et absentes sunt, patet[1] etc.

4. Item, tam isti quam illi diligunt nos; sed qui diligit alterum congaudet in bonis et contristatur in malis: ergo si mali non debent cognoscere unde gaudeant, nec boni unde doleant; videtur, quod nec isti nec illi nos cognoscant. Et hoc confirmatum est per illud quod dictum est Iosiae, quarti Regum vigesimo secundo[2]. Dixit enim Dominus, quod auferret eum, ne videret mala gentis suae.

CONCLUSIO.

Animae separatae, tam bonae quam malae, variis modis, praesertim per relationem aliorum, vel per revelationem Dei, quaedam de viatoribus cognoscere possunt.

Respondeo: Dicendum, quod est aliquid cognoscere dupliciter, scilicet *propria consideratione* et *alterius instructione*. (Distinctio cum duplice subdistinctione.) Cognitio per *propriam considerationem* est duplex: aut enim est rei ut *praesentis* et per certitudinem; aut est rei ut *absentis* et per quandam coniecturationem. Similiter per *instructionem* cognitio est duplex: aut enim est per relationem[3] *alterius*, aut per revelationem *Dei*.

Cum igitur sit quadruplex modus cognoscendi, Conclusio 1. *primus* non est in animabus separatis quantum ad actus nostros, quamdiu sunt in locis sibi deputatis; distant enim a nobis, nisi fortassis divina permissione veniant ad nos. — Conclusio 2. *Secundus* vero, qui est per quandam coniecturationem, sicut nos facimus de illis quos novimus, cum sint nobis absentes, in *damnatis* esse potest, non in *bonis*, quia huic admixtus est error et dubietas. — Conclusio 3. Tertius per relationem potest esse in *bonis*, quibus referunt Angeli boni[4], et in *malis*, quibus referunt daemones, vel ipsi damnati. — Conclusio 4. Quartus vero per illustrationem et revelationem tantum in *bonis*. Unde Augustinus, in libro de Cura pro mortuis agenda[5]: « Possunt, inquit, spiritus mortuorum aliqua, quae hic aguntur, quae necessarium est eos nosse, non solum praesentia, sed etiam praeterita et futura, Spiritu Dei revelante, cognoscere ». Et Gregorius in Dialogo[6]: « Fit in electis quoddam mirabile, ut etiam illos quos hic nunquam viderunt vel noverunt bonos agnoscant ». Non tamen omnia cognoscunt, sed quaedam per revelationem.

Ad argg. pro parte affirmat. 1. Ad illud ergo quod obiicitur, quod omnia vident boni, quia vident videntem omnia; dicendum, quod Gregorius intelligit de his quae sunt eorum saluti necessaria[7].

2. Ad illud quod obiicitur de illo qui praevidit locum, dicendum, quod hoc potuit esse ex multa sollicitudine et animae abstractione, vel etiam aliqua facta interius revelatione. Notandum.

3. 4. Ad illud quod obiicitur, quod non indigent organo et sunt liberrimae; dicendum, quod quamvis non indigeant organo ad cognoscendum ea quorum habent species, indigent tamen ad accipiendum de novo et cognoscendum, maxime singularia[8]. Notandum.

Ad argg. pro parte negat. 1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod Sancti sunt ab his abstracti; dicendum, quod non est simile: quia, quamdiu sunt in carne, impediuntur a contemplatione Dei ex consideratione multa nostrorum actuum, sed iam beati non impediuntur.

2. 3. Ad illud quod obiicitur, quod non habent maius lumen cognitionis; dicendum, quod sicut modo cognoscimus revelatione, ita et ipsi, et consideratione similiter; sed certius considerant[9] nos, quam nos ipsos, quia nos hactenus cognoverunt, sed non nos ipsos. Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod dolerent boni; dicendum, sicut iam[10] patebit, quod nec bonis tristitia nec malis gaudium aliquod ex hoc esset[11].

---

[1] August., de Cura gerenda pro mortuis, c. 13. n. 16: Ibi ergo sunt spiritus defunctorum, ubi non vident quaecumque aguntur aut eveniunt in ista vita hominibus. — Post *praesentari* supplet cod. aa *illud*.

[2] Vers. 20: Idcirco colligam te ad patres tuos... ut non videant oculi tui omnia mala etc. Cfr. August., loc. cit. in praeced. nota. — In *conclusione* respiciuntur verba Isidori supra pag. 985, nota 2. et pag. 1041, nota 5. — Pro *nos cognoscant* cod. U *cognoscant ea quae circa nos sunt*.

[3] Edd. *revelationem*, idem recurrit inferius post *Tertius*.

[4] Cod. R addit: *et hi qui ad eos moriendo pergunt, sicut Lazarus Abrahae* (ex August., loc. cit. in seq. nota).

[5] Cap. 15. n. 18. Post *nosse* textus originalis prosequitur: *et quos necessarium est ea nosse, non solum praeterita vel praesentia, verum etiam futura Spiritu* etc. (tres cognoscendi modos ibi affert: per relationem *Angelorum, mortuorum* et *revelationem Dei*).

[6] Libr. IV. c. 33: « Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt, quos in hoc mundo noverant, sed velut visos ac cognitos recognoscunt bonos, quos nunquam viderunt ». Paucis interiectis, sequuntur verba, de quibus solut. ad 1.

[7] Vide supra d. 45. dub. 9. (et d. 49. p. I. q. 1. ad 3.), ad quod respiciunt verba in cod. bb a secunda manu addita *vel hoc dicitur per aequivalentiam*. Cfr. etiam d. 48. a. 1. q. 4. in fine.

[8] Aristot., I. Poster. c. 14. (c. 18.): Singularium enim est sensus. Cfr. ibid. c. 24. (c. 31.).

[9] Codd. L Y supplent *ipsi*.

[10] Quaest. seq.

[11] Vide scholion ad praecedentem quaest.

QUAESTIO III.

Utrum Beati et damnati mutuo se cognoscant.

Tertio quaeritur de cognitione animae separatae per comparationem ad statum Beatorum; et quaeritur, utrum mutuo se cognoscant, scilicet damnati Beatos, et e converso. Et quod sic, videtur:

1. Per illud Lucae decimo sexto [1], quod dives
Fundamenta. positus in tormentis vidit Abraham, et Abraham e converso vidit ipsum.

2. Item, Gregorius [2]; « Infideles in imo positi fideles super se in requie attendunt ».

3. Item, *ratione* videtur: quia opposita, sibi invicem comparata et simul visa, magis elucescunt [3] et etiam decorant universum: ergo si mali habebunt poenam eatenus intensam, qua potest cogitari, et similiter boni gloriam, et utraque intenditur respectu alterius; ergo utrique debent mutuo se videre.

4. Item, constat, quod boni gaudebunt et laudabunt Dei iustitiam, mali similiter dolebunt de gloria amissa: ergo si non contingit gaudere et dolere nisi de cognito [4], utrique cognoscent, scilicet boni severitatem iustitiae, et mali dignitatem gloriae. Sed boni hoc non vident in se, nec mali in se: ergo constat, quod vident invicem.

Contra: 1. Inter eos est improportionalis di-
Ad oppositum. stantia: ergo si ad visionem requiritur praesentia, videtur, quod non possint mutuo se videre [5].

2. Item, gloria est qualitas spiritualis, sicut gratia [6]; sed qualitas gratiae non videtur exterius a non habente: ergo nec gloriae.

3. Item, consideratio poenae incutit terrorem, et consideratio gloriae generat gaudium; sed in malis nullum erit gaudium, in bonis nullus terror: ergo etc. — *Si dicas*, quod « recipitur secundum modum recipientis, non recepti », et ideo in malis generat confusionem et in bonis gaudium; ergo si haec duo debent esse post iudicium, ergo post se cognoscent; quod est contra Gregorium, ut habetur in littera [7].

4. Item, in bonis est compassio de bonitate naturae: ergo si non tollitur bonitas naturae, ergo maxime vigebit in eis compassio: ergo videtur, quodsi videant tormenta malorum, quod maxime doleant. Et hoc videtur Gregorius dicere, et habetur in littera [8], quod « volunt transire per affectum misericordiae ».

CONCLUSIO.

Electi damnatorum poenas et nunc et post iudicium vident in Deo ad gloriae cumulum; damnati vero electorum gloriam nunc aliquatenus considerant, non vero post iudicium.

Respondeo: Dicendum, quod consideratio sive cognitio gloriae Beatorum est *reprobis* poena, et consideratio sive cognitio poenae reproborum est *electis* gaudium; quia illi considerant *gloriam* sub ratione *amissionis*, isti *poenam* sub ratione *divinae ultionis;* unde [9]: *Laetabitur iustus, cum viderit vindictam.* Quoniam igitur gloria electorum semper manet et post iudicium erit copiosor; ideo electi et Conclusio 1.
nunc et tunc vident poenam reproborum, secundum quod dicitur ultimo Isaiae; vident, inquam, in Deo, sive in speculo aeterno, cum faciat ad eorum gloriam cumulandam. Reproborum poena similiter post Conclusio 2.
iudicium intendetur, et adeo intendetur, ut Beatorum gloriam non liceat eis considerare nec ab eis auxilium petere, ut dives petiit [10]; quia tormentorum suorum magnitudinem non poterunt sustinere, ita quod liceat aliis vacare, immo absorbebuntur totaliter a poenis. — Concedendae ergo sunt rationes, quod mutuo se cognoscunt.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium, quod Solutio oppositorum.
est inter eos improportionalis distantia; dicendum, quod non agnoscunt *mali* bonos per intuitum prae- Notandum.
sentiae, sed per considerationem intelligentiae, *boni* vero malos in speculo et in Deo [11].

2. Ad illud quod obiicitur de gloria, dicendum, quod non vident ipsam gloriae *essentiam*, sed con-

---

[1] Vers. 23. seqq.

[2] Libr. II. Homil. in Evang. homil. 40. n. 2: Quia, dum per damnationis suae supplicia infideles in imo sunt, fideles quosque ante diem extremi iudicii super se in requie attendunt.

[3] Vide tom. I. pag. 495, nota 1. verba Aristot. — Quod *oppositis* (antithetis) decoretur universum, docet August., tom. I. Sent. pag. 786, nota 7.

[4] Aristot., II. de Anima, text. 20. (c. 2.): Ubi enim sensus est, et dolor et voluptas consequitur. Cfr. ibid. text. 27. (c. 3.). — De ipso arg. vide hic lit. Magistri, c. 7. — In fine arg. vocibus *vident invicem* codd. R S interserunt *se*.

[5] Aristot., de Sensu et sens. c. 8. (c. 7.): Est enim, unde quidem non videatur, infinita distantia... est itaque aliquid ultimum distantiae, unde non videtur, et primum, unde videtur etc.

[6] Retinuimus cum Vat. *sicut gratia*, quod in codd. et ed. 1 desideratur.

[7] Hic c. 5. — Prima propositio arg. est secundum auctorem libri de Causis; vide supra pag. 986, nota 5.

[8] Hic c. 6. — Mox codd. I K *maximae misericordiae.*

[9] Psalm. 57, 11. Vide hic lit. Magistri, c. 7, ubi etiam allegantur verba Isai. 66, 24, ad quae Bonav. recurrit. — Quod gloria electorum *maior* sit post iudicium, docet Magister supra d. XLIX. c. 4.

[10] Luc. 16, 24: Et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei etc. — Inferius post *liceat* cod. G supplet *eis.*

[11] Cfr. hic lit. Magistri, c. 7.

siderant *requiem;* quia cognoscunt, quod gaudent [1], sed ipsi laborant et dolent; et cognoscunt, sicut infirmus cognoscit sanitatem alterius, quam non habet.

3. Ad illud quod obiicitur, quod generat dolorem etc.; patet responsio; quia consideratio *bonorum* non est in poena, quia *afflictiva,* sed fertur ulterius, quia *iusta et optime et digne inflicta;* et talis consideratio amanti [2] generat gaudium. Similiter nec consideratio *malorum* sistit in bono gloriae, quia *bonum,* sed quia *perditum;* et haec consideratio generat dolorem. — Ad illud quod obiicitur, quod post iudicium videre debent etc.; dicendum, quod tunc maiori poena erunt absorpti, ut iam non liceat eis cogitare gloriae dignitatem; semper tamen in mente habebunt eius amissionem et carentiam, ut tristentur.

Notandum.

4. Ad illud quod obiicitur, quod compati est de bonitate naturae; dicendum, quod hoc non est verum generaliter, nisi intelligatur de natura passibili [3].

ARTICULUS II.

De verme, qui est in damnatis.

Consequenter quantum ad secundum articulum quaeritur de verme, qui erit in damnatis. Et circa hoc tria quaeruntur.

Primo quaeritur, utrum damnati habeant vermem materialem sive corporalem.

Secundo, utrum sit in eis vermis spiritualis.

Tertio quaeritur, utrum vermis ille sit invariabilis.

QUAESTIO I.

Utrum damnati habeant vermem materialem.

Quantum ergo ad primum proceditur sic, et ostenditur, quod vermis ille sit materialis.

Ad oppositum.

1. Ecclesiastici septimo [4]: *Vindicta carnis impii ignis et vermis;* et Iudith ultimo: *Dabit ignem et vermes in carnes eorum:* ergo si in carne non est nisi vermis materialis, patet etc.

2. Item, damnati resurgent cum poenalitatibus et deformitatibus [5]: ergo habebunt corpora putrefactibilia, sicut nunc habent; sed ex corpore putrefactibili generantur vermes: ergo etc.

3. Item, poena vermis semper annectitur poenae ignis, velut in pluribus locis Scripturae [6] patet; sed ignis non tantum est spiritualis, sed etiam materialis: ergo videtur similiter, quod vermis. Igne enim punitur corpus et anima, ergo similiter et verme: ergo videtur, quod sit materialis.

Fundamenta.

Contra: 1. Isaiae decimo quarto [7] dicitur de diabolo: *Operimentum tuum erunt vermes;* sed constat, quod diabolus non habet vermem materialem: ergo etc.

2. Item, nullus vermis materialis est immortalis, cum habeat formam corruptibilem; sed *vermis* ille *non moritur,* sicut dicitur ultimo [8] Isaiae: ergo etc.

3. Item, vermis materialis et in sua corrosione [9] et in sua origine aliquid minuit de substantia corporis: ergo si corpus illud non est minuibile, non est circa illud talis vermis.

4. Item, ibi erit multo intensior ignis, quam sit hic; sed vermes in isto igne non possunt vivere: ergo nec in illo poterunt. — *Si tu dicas,* quod hoc est per miraculum; ergo tunc, cum non patiantur ab igne, videntur habere corpora gloriosa et incorruptibilia. — *Si dicas,* quod renascuntur; quaero: quomodo? cum non sit ibi solis latio, et maxime putrefactibilia per virtutem supracaelestem habeant generari [10].

[1] Sequimur codd. G T U, edd. *quia illi quiescunt et,* alii codd. *quia* [codd. I K *qua*] *cognoscunt et gaudent.*

[2] In cod. bb secunda manus supplevit *iustitiam.* Inferius post *sistit*, pro quo codd. R U V X *consistit,* Vat. addit *id est permanet.*

[3] Vide hic lit. Magistri, c. 6. Cfr. etiam II. Sent. d. 11. a. 2. q. 3. in corp. (opinio 1. eiusque improbatio), ubi iuxta aliquos de Angelis dicitur, quod « quamvis sint... impassibiles, non sunt tamen *incompassibiles* ». Cod. bb hic substituit *compassibili* pro *passibili.* — Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[4] Vers. 19. — Iudith 16, 21: Dabit enim ignem etc.

[5] De quo supra d. 44. p. I. a. 3. q. 2.

[6] Praeter locos in 1. arg. allegatos vide Isai. 66, 24; Marc. 9, 43. 45. 47. — *Minor* ostensa est supra d. 44. p. II. a. 2. q. 1.

[7] Vers. 11.

[8] Vers. 24: Vermis eorum non moritur. Cfr. Marc. 9, 43. 45. 47.

[9] Ita codd. B C F bb (E I a secunda manu), cod. R *actione,* cod. aa *generatione,* alii codd. et ed. 1 *cognitione,* Vat. *remorsione.* Inferius pro *minuibile* plures codd. vel *mutabile* vel *immutabile,* ed. 1 *commutabile.*

[10] Cfr. Aristot., II. de Generat. et corrupt. text. 57. seqq. (c. 10.).

CONCLUSIO.

Vermis ille non est materialis, sed spiritualis.

Respondeo: Dicendum, quod Augustinus vigesimo de Civitate Dei [1] ponit circa hoc duas opiniones. Quidam enim voluerunt intelligere, vermem illum esse *materialem* propter verbum Scripturae; alii vero, rationem sequentes, voluerunt dicere, quod vermis ille sit spiritualis. Et horum opinionem dicit sibi magis placere; et ex quo sibi magis placet, et nobis similiter debet placere [2]. — Unde concedendae sunt rationes, quod vermis ille non sit materialis.

Opiniones 2.

Conclusio.

1. Ad illud quod obiicitur in contrarium per similitudinem ignis, dicendum, quod sicut ignis materialis affligendo corpus affligit et punit animam ei unitam; sic vehemens dolor et remorsus sive tristitia animae redundat in corpus, quia *spiritus tristis desiccat ossa* [3]. Quoniam igitur erit in damnatis magnus conscientiae remorsus et dolor, ita etiam, ut redundet haec moestitia in carnem; ideo vere dixit Scriptura, quod daret Deus *vermem in carnem eorum,* et expressit multum ad terrorem carnalium, qui magis horrent poenam carnis quam animae. — Vel posset dici, quod caro ibi dicitur *opus carnale,* hoc est *opus peccati,* ex quo generatur vermis spiritualis [4].

Solutio oppositorum.

Aliter.

2. Ad illud quod obiicitur, quod habebunt deformitatem; dicendum, quod verum est, sed non putrefactionem.

3. Ultimum solutum est de igne, quia ignis ab exteriori procedit ad intima, vermis ab intimis ad exteriora; et ideo ignis est materialis, sed vermis spiritualis.

SCHOLION.

Tres huius articuli quaestiones alii auctores brevius una sola quaestione absolvere solent. Attentione dignus est modus ingeniosus, quo in 2. quaest. *vermis spiritualis* explicatur.

De toto hoc articulo: Scot., hic q. 6. n. 14. — S. Thom., hic q. 2. a. 3. quaestiunc. 2; Suppl. q. 97. a. 2. — Petr. a Tar., hic q. 4. a. 1. quaestiunc. 2. — Richard. a Med., hic a. 5. q. 2. — Dionys. Carth., hic q. 5.

QUAESTIO II.

Utrum et qua ratione in damnatis sit vermis spiritualis.

Secundo quaeritur, utrum in damnatis sit vermis spiritualis; et quaeritur: pro quanto dicitur in eis esse vermis?

1. Si quia est in eis dolor mordens; sed in poenitentibus est maximus dolor de peccatis: ergo et maximus vermis.

Ad oppositum.

2. Item, aliqui ita sunt perversi, quod *laetantur, cum malefecerint, et exsultant* [5], adeo ut nullum remorsum, aut dolorem sentiant: ergo si damnati sunt magis perversi quam viatores, videtur, quod nullum omnino habeant remorsum.

3. Item, aliqui sunt ita excaecati et obstinati in malo [6], quod nullum omnino sentiunt remorsum, sicut haeretici, qui moriuntur pro haeresi sua tuenda; sed damnati sunt magis obstinati et excaecati: ergo etc.

4. Item, si habent dolorem, aut de *poena,* aut de *culpa.* Si de *poena,* tunc ergo non differt vermis a poena ignis, quia ignis non punit, nisi quia dolent. Si de *culpa,* aut voluntate *deliberativa,* aut *naturali* sive *synderesi.* Sed *non deliberativa,* quia secundum illam non poenitent, immo perseverat in eis peccandi voluntas [7]. Non secundum *synderesim,* quia synderesis in aliquibus viatoribus est *praecipitata:* ergo videtur in eis penitus *exstincta.* Et hoc videtur per rationem: quia, sicut fomes se habet ad malum, sic synderesis ad bonum; sed fomes omnino exstinctus est in Beatis: ergo synderesis in damnatis.

Item, quaero: cum vermis nascatur ex putrefactione et rodat, qua metaphora dicitur vermis conscientiae, cum illa non putrescat?

Quaestio incidens.

---

[1] Cap. 22. Cfr. ibid. XXI. c. 9. n. 2. Duobus istis locis dicit, quod *credibilius* sit, vermen ad animum pertinere, in quantum scil. animus rodatur quodam modo verme moeroris. In ultimo loco adiungit: *Facilius* est, ut ad corpus dicam utrumque [ignem et vermem] pertinere, *quam neutrum...* eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem; hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori. Iam enim satis superius disputavi, posse animalia etiam in ignibus vivere [cfr. supra pag. 929, nota 5. et 9. ac pag. 930, nota 4.] etc.

[2] Retinuimus cum Vat. *placere*, quod deest in codd. et ed. 1.

[3] Prov. 17, 22. Vulgata et Vat. *exsiccat ossa.*

[4] Glossa *ordinaria* apud Strabum (ex Rabano) in Iudith 16, 21: Caro et sanguis vermes creat; quia delectatio carnalis, cui sal continentiae non resistit, poenam aeternam generat luxuriosis; unde [Isai. 66, 24.]: *Vermis eorum non morietur* etc.

[5] Prov. 2, 14. Vulgata addit *in rebus pessimis.*

[6] Codd. *in malum.*

[7] Cfr. supra p. II. a. 1. q. 1. — De seq. propos. vide II. Sent. d. 39. a. 2. q. 3. Ibid. q. 1. in fine corp. dicitur, quod *synderesis* « habet inclinare ad *bonum honestum* ». — De definitione *fomitis* i. e. morbidi affectus, qui commovet ad desiderium illicitum, cfr. ibid. pag. 767, nota 4.

Sed contra: 1. Quod in damnatis sit vermis Fundamenta. spiritualis sive dolor, videtur: quia super illud Ecclesiastici [1]: *Vindicta carnis impii* etc.: « *Vermis* est sera scelerum poenitentia »; et Augustinus de Fide ad Petrum dicit, quod habebunt hoc supplicium.

2. Item, *ratione* videtur: quia synderesis naturaliter remurmurat contra malum; sed « vitium non demit extrema naturae vestigia [2] »: ergo etc.

3. Item, quaecumque faciunt ad poenam damnatorum, debent esse in eis; sed remurmuratio synderesis auget eorum poenam: ergo saltem actus ille non debet tolli.

4. Item, omnis creatura secundum quod natura deservit Creatori: ergo si voluntas rationalis secundum quod natura est recta, ergo ei deservit; sed *creatura Creatori deserviens armatur in tormentum contra iniustos* [3]: ergo etc.

CONCLUSIO.

In damnatis viget vermis spiritualis, concurrente quadruplici ratione.

Respondeo: Dicendum, quod ipsa translatio vermis ad dolorem spiritualem manifestat, in quibus et quomodo sit vermis, si attendatur *ratio transferendi.* In verme enim materiali consideratur *origo* De origine. et *morsio* [4]: *oritur,* inquam, ex putrefactione et Ad quaest. incid. *mordet* illud, in quo oritur. Sic in spirituali dolore non quilibet dolor est *vermis,* sed qui nascitur ex *putrefactione peccati,* et tunc peccatum dicitur *putridum;* quando anima in eo requiescit finaliter [5]. De morsione. — *Rursus,* oportet, quod sit in dolore *morsio.* Haec autem est ex concursu duorum moventium sibi invicem *obviantium* et *resistentium.* Ista duo moventia sunt in homine voluntas *naturalis* et *deliberativa,* quarum utraque movet. Ista *concurrunt* per conscientiam dictantem, aliquod factum esse indeNotandum. bitum; et tunc *obviant,* quando *naturalis* detestatur indebitum, et *deliberativae* placet; tunc autem *resistunt,* quando utraque in suo actu viget, ita [6] quod illa efficaciter detestatur, et ista immutabiliter adhaeret.

Secundum hoc igitur patet, *in quibus* est vermis et *quando.* Nam deficiente *concursu,* qui est Conclusio 1. per peccati conscientiam, non est vermis, sicut in haereticis, et in his qui credunt, peccando bene fecisse. — Deficiente *obviatione,* non est vermis, ut Conclusio 2. puta in his qui dolent de culpa secundum voluntatem non tantum naturalem, sed etiam deliberativam, ut sunt poenitentes. — Deficiente *resistentia,* non Conclusio 3. est vermis, ut puta quando voluntas tanta delectatione fertur in peccatum, quod absorbet motum voluntatis naturalis, ut non sentiat. — Et sic patet, Corollarium. quare vermis deficit: aut propter defectum *putrefactionis* in *iustis,* aut *concursus* in *caecis* [7], aut *obviationis* in *poenitentibus vere,* aut *resistentiae,* ut in his qui *peccant ex magna libidine.* — Et ex his Conclusio 4. patet, quod in damnatis vigebit vermis: quia ibi erit peccati *putrefactio* ex hoc, quod peccatum finaliter remansit in anima eorum; ibi erit *concursus* propter peccatorum apertissimam visionem; ibi erit *obviatio* propter voluntatis deliberativae obstinationem et synderesis remurmurationem; ibi erit *resistentia,* quia delectatio peccati erit ablata per poenae acerbitatem, et ex hoc ipsius synderesis actio fortificata, et ex hoc vermis mirabiliter rodens et puniens.

4. Ad illud vero quod obiicitur, quod synderesis De arg. 4. ad oppos. est exstincta in damnatis; dicendum, quod synderesis triplex est actus: unus, qui est *instigare ad* Triplex actus synderesis. *bonum,* et iste quidem ablatus est a damnatis, quia non est amplius locus bene faciendi; secundus, qui est *retrahere a malo faciendo,* et iste exstinctus est in daemonibus propter improbam malitiam voluntatis eorum; tertius, qui est *remurmuratio* contra malum factum, et iste manet in eis iusto Dei iudicio; tamen secundum istum actum in damnatis non remurmurat malo, quia *culpa,* vel quia *inhonestum,* sed quia ex hoc *punitur* [8]; unde iste aliquo modo est exstinctus; et quia daemones nondum sentiunt acerbitatem poenarum intense, ut damnati: ideo non habent ita remorsum.

Sane tamen posset dici, quod synderesis remur- Alia solutio. murat malo facto, quia indebitum; ipsa enim non confert culpam ad poenam, et *praeterea* respicit honestum, non commodum; et *iterum,* ipsa voluntas

---

[1] Cap. 7, 19. — Allegata huius loci expositio sumta est ex *Glossa* (Vat. hoc addit) *ordinaria* apud Strabum et Lyranum, quae est secundum Rabanum (in hunc loc.), qui substituit *poenitudo* pro *poenitentia.* — Verba Fulgentii in libro de Fide ad Petrum (inter opera August.), c. 3. n. 38, recitat Magister in lit., hic c. 1.

[2] August., XIX. de Civ. Dei, c. 12. n. 2: Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturae deleat etiam extrema vestigia.

[3] Sap. 16, 24: Creatura enim Factori deserviens exardescit in etc. — De *voluntate,* secundum quod est natura, cfr. II. Sent. d. 24. p. I. a. 2. q. 3.

[4] Codd. et ed. 1 *inordinatio,* quod subnexis non congruit.

[5] Gregor., in 3. Psalm. poenitential. (Ps. 37, 6.) n. 5: *Cicatrices* namque *putrescere* est sanata iam peccatorum vulnera rursum in tentationem serpere atque de eorum iteratione delectationem sentire. Cfr. Hieron., VI. Comment. in Isai. 14, 20, ubi docet: *Cadaver* autem diaboli *putridum,* ob magnitudinem peccatorum dubitare non poterit qui legerit, peccatum esse foetidissimum, ipso peccatore dicente [Ps. 37, 6.]: *Computruerunt et corruptae sunt cicatrices* etc. Cfr. supra pag. 1051, nota 4. — Pro *anima* cod. N *homo.*

[6] Ex codd. F G (E a secunda manu) supplevimus *ita,* quod alii codd. et ed. 1 omittunt, pro quo Vat. *et.*

[7] Secunda manus in cod. bb substituit *haereticis.*

[8] Cfr. supra p. I. a. 1. q. 1. — Quod daemones *nondum* tam intensive sentiant acerbitatem poenarum, ostensum est II. Sent. d. 6. a. 2. q. 2.

deliberativa detestatur malum culpae propter poenam; nollet enim impius peccasse[1] vel fecisse, unde tot mala habet necesse pati, vel saltem mallet nunquam habuisse delectationem, quam esse in tanta miseria et dolore. Unde solvendum est, quod quantum ad istum actum, quia poenalis, synderesis est et Dei instrumentum ad flagellandum iniquos, et non exstinguetur; et remorsus modo non sic in daemonibus intensus est propter *defectum resistentiae,* quoniam modo delectantur in culpis[2]. Notandum.

QUAESTIO III.

Utrum vermis ille sit invariabilis.

Tertio et ultimo quaeritur, utrum vermis ille sit invariabilis. Et quod sic, videtur:

Fundamenta. 1. Quia culpa est invariabilis; et poena respicit culpam: ergo cum hic vermis sit poena, patet etc.

2. Item, ignis continue affligit et aequaliter: ergo similiter videtur, quod et vermis.

3. Item, omne variabile terminabile; sed vermis ille est interminabilis[3]: ergo etc.

Ad oppositum. Contra: 1. Vermis est ex recordatione peccati; sed non simul peccata recolent, cum non sint deiformes: ergo successive. Sed maiori poena[4] maior debetur remorsus, et ubi hoc, ibi variabilitas: ergo etc.

2. Item, si vermis est, corrodit; sed quando aliquid diutius roditur, magis debilitatur et magis gravatur: ergo poena malorum semper crescit.

3. Item, si semper rodit; cum non sit infinitum bonum, quod adimit, ergo aliquando adimeret totum; sed hoc est impossibile: ergo etc.

CONCLUSIO.

Vermis ille non variatur.

Respondeo: Dicendum, quod iusto Dei iudicio, sicut dictum est supra[5], fiet, ut mali simul omnia peccata memorentur, ut de omnibus continue torqueantur; et ideo vermis est pro omnibus et non intensior nunc quam ante. Conclusio.

De 3. arg. ad oppos. Duplex distinctio. 3. Ad illud quod obiicitur de ademptione[6], dicendum, quod sicut *egressus continuus* alicuius ab aliquo est dupliciter: vel per *innovationem* secundum partem et partem, ut rivus a fonte, et motus a motore; aut *eiusdem continuatione,* ut ramus a radice, et radius a sole: sic *ademptio continua* vel per *novi ablationem,* sicut ignis comburit ligna; vel per *eius continuationem,* sicut ignis infernalis corpus, et dolor animum; et sic vermis continue rodit. Et illud melius supra[7] patet de poena ignis; et per hunc modum intelligendum est de poena vermis[8].

DUBIUM CIRCA LITTERAM MAGISTRI.

Quaestiones. In parte ista circa litteram quaeritur[9], qualiter intelligitur illud verbum ultimum *de pedibus sedentis:* quis sit *sedens,* et quid *solium,* et quae *via.*

Explicantur verba. Respondeo: Dicendum, quod *sedens* iste Deus est sive Christus, qui requiescit in summa pace, *quae exsuperat omnem sensum*[10]. — *Solium* autem dici potest *sancta Scriptura* propter sui eminentiam; vel etiam *anima sancta,* quae dicitur sedes sapientiae[11]; aut certe *Virgo Maria,* in quam descendit ad habitandum Dominus; vel etiam *natura*

---

[1] Cod. K (I a secunda manu) *se peccasse.*

[2] Vide II. Sent. d. 39. a. 2. q. 2. — Vocibus *et remorsus* Vat. cum nonnullis codd. interserit *quod,* codd. IK legunt *ille remorsus,* cod. X *est etiam remorsus,* cod. bb *etiam remorsus.* Subinde verbo *est* cod. L (P a secunda manu) praefigit *hoc.* — Vide scholion ad praecedentem quaest.

[3] Isai. 66, 24: Vermis eorum non morietur. Cfr. Marc. 9, 43. 45. 47.

[4] Ita codd. ABCGLV (post *maiori* supple: peccato); cod. E pro *poena* bene substituit *culpae;* alii et edd. non apte *poenae.*

[5] Dist. 43. a. 3. q. 3.

[6] Codd. et ed. 1 *intensione,* vel *intentione.* Inferius ante *comburit* Vat. addit *consumit et.*

[7] Dist. 44. p. II. a. 3. q. 1. ad 2. et q. 2. ad 7.

[8] Vide scholion ad 1. huius articuli quaest.

[9] In cod. B additur: De hoc quod dicitur in primo capitulo, *quod qui in hac vita non fecerit, habebit poenitentiam in futuro saeculo de malis suis, sed indulgentiam non inveniet.* Contra: Matth. 18, 21: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* etc.; ergo cum ipse sit misericordior et praeceperit remissionem ad infinitas culpas, multo fortius ipse remittet, si ab eo petatur venia. — Item, Bernardus, in libro de Gradibus humilitatis, loquens de damnatione diaboli [c. 10. n. 33.]: Sic Deus temparavit sententiam in vindicta, ut si vellet resipiscere, Deus veniam non neget. — Dicendum, quod agere poenitentiam sive dolere de culpa commisa est dupliciter: aut propter laesionem naturae et odium poenae, aut propter offensam Maiestatis divinae et ipsius iustitiae. Primam poenitentiam habere potest aliquis ex solis naturalibus sine gratia; sicut enim homo naturaliter se diligit, ita etiam odit omne illud, propter quod incurrit malum. Et haec poenitentia est in malis, et per istam nunquam aliquis meretur veniam; sed secunda non est in eis, nec Deus eam dat alicui finaliter, nisi ei, cum quo disposuit misericordiam se facturum. Et de ista procedit ratio et loquitur Bernardus, et nullus est, qui istam habeat, qui non consequatur a Domino veniam [cfr. supra p. I. a. 1. q. 1. ad 4.]. — Secundo quaeritur. Idem cod. in fine addit plura nullius momenti.

[10] Phil. 4, 7. — Superius pro *sedens iste* cod. O *sedens ipse,* edd. *sedes ipsa.*

[11] Gregor., II. Homil. in Evang. homil. 38. n. 2: Anima autem iusti sedes sapientiae.

assumta, in qua *posuit tabernaculum suum*[1]. — *Facies* autem huius est maiestas Divinitatis, quam videbimus, cum erimus gloriosi. — *Pedes* vero sive *via* sunt opera finalia, quae sunt velata, sicut illa quae pertinent ad finem mundi. — *Media* vero inter Dei magnitudinem aeternam et nostram magnificationem[2] futuram sunt opus creationis et redemptionis.

Applicantur ad libros Sententiarum. Incipit igitur Magister a *facie Maiestatis* in primo, et decurrit per *media* in secundo et tertio, et terminavit in *pedibus* sive in imis in quarto[3].

Notandum. Isti autem *pedes* nunc sunt velati, sed tunc discooperientur, quando facies manifestabitur. Hoc autem erit, quando «Deus ita erit conspicuus, ut videatur a singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in semetipso, videatur in creaturis omnibus, videatur etiam per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi, acie perveniente, directi[4]». «Tunc videbimus, amabimus, laudabimus»; tunc apparebit Christus, *vita nostra*, et nos apparebimus cum ipso in gloria[5]; ad quam nos perducat Pontifex et praecursor noster Iesus Christus, Filius Dei et beatae Mariae, dominae et adiutricis nostrae, sua pia misericordia; cui est *benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo per infinita saecula saeculorum. Amen*[6].

EXPLICIT LIBER QUARTUS ET ULTIMUS FRATRIS BONAVENTURAE SUPER SENTENTIAS.

---

[1] Psalm. 18, 6.
[2] Codd. A H V *manifestationem.*
[3] Cfr. Prooemium S. Bonav. in I. Sent. — Pro *imis* codd. I K O U *viis.*
[4] August., XXII. de Civ. Dei, c. 29. n. 6. Pro *videatur in creaturis omnibus* textus originalis *videatur in caelo novo et in terra nova atque in omni quae tunc fuerit creatura.* — Seq. locus est ibid. c. 30. n. 5. Cfr. supra pag. 1009, nota 1.
[5] Respicitur Col. 3, 4: Cum Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria.
[6] Apoc. 7, 12.

INDEX QUAESTIONUM

COMMENTARII S. BONAVENTURAE

IN QUARTUM LIBRUM SENTENTIARUM

PETRI LOMBARDI.

LIBER QUARTUS SENTENTIARUM.

DE DOCTRINA SIGNORUM.

DISTINCTIO VIII.

DISTINCTIO IX.

DISTINCTIO X.

DISTINCTIO XI.

DISTINCTIO XII.

DISTINCTIO XIII.

DISTINCTIO XIV.

Errata.

pag. 5 col. 1. in indice capitulorum dist. XIV. melius cum paucis codd. uniantur *cap. II* et *III*, ut fecimus in lit. Magistri pag. 315 seq.
» 135 col. 1. linea 18. a parte sup. excidit *pro* ante *parvulo.*
» » » 2. » 10. » » pro *soquitur* lege *sequitur.*
» 348 » 1. nota 3. pro *Cap. 3, 20* rectius citetur *Cap. 18, 24.*
» 473 » 1. linea 31. a parte sup. pro *5* pone *4.*
» 483 » 2. » 9. » » » pro *dispositio* lege *disposito.*
» 898 in titulo 3. quaestionis pro *aperietur* lege *aperiatur.*

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae, ex Curia Archiepiscopali,
die 24 Ianuarii 1889.

Can. Æmilius Miniati *Vic. Gen. Cap.*